67 so/c
1578/c

6 Volumes
1

(N.B. Vols 4 & 5 are numbered on t.pp 4 I & 4 II).

Vol I

Conrad H. Cooke

Gilbert du Var IV part 2.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30415676_0001

IACOBUS BRUCKERUS
AUGUSTA VINDELICUS
V. D. M. CONSIST. ASSESSOR ET SCHOLARCHA
IN S. R. I. LIBERA CIVITATE KAUFBYRANA
REG. BORUSS. SOCIET. SCIENT.
ET TEUTON. LIPSIENS. MEMBRUM.
Natus A. S. R. CIↃDCXCVI.

Ioh. Iac. Haid pinx. *Gustavus Andreas Wolffgang Sculpsit Aug. Vind. A°. 1740.*

IACOBI BRVCKERI
REGIAE SCIENT. SOCIETATIS, QVAE BEROLINI
FLORET, MEMBRI

HISTORIA CRITICA PHILOSOPHIAE

A MVNDI INCVNABVLIS AD NOSTRAM VSQVE AETATEM DEDVCTA.

TOMVS PRIMVS.

LIPSIAE, MDCCXLII.
LITERIS ET IMPENSIS BERN. CHRISTOPH.
BREITKOPF.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

SERENISSIMO
AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
GEORGIO II.
MAGNAE BRITANNIAE
FRANCIAE ET HIBERNIAE REGI
DEFENSORI FIDEI
BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM
DVCI
SAC. ROM. IMPERII ELECTORI
AC ARCHITHESAVRARIO
ETR. ETR.

REGI AC DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO
S.

REX
POTENTISSIME

Dum ad ſacratiſſimum REGIAE MAIESTATIS TVAE thronum humillima devotione provolvitur, quicquid feliciſſimo ſceptro TVO parens & virtutem colit, & literas amat, & obſequii fidelitate ac præclaris de communi patriæ orbisque etiam literati emolumento meritis TVA, REX POTENTISSIME clementia dignum ſe præſtare ſatagit: mea quoque

Muſa venerabunda purpuram TVAE MAIE-STATIS, tot regiarum virtutum ſplendore co-ruſcantem adorare devotiſſime audet. Tanta enim imperandi felicitate, tanta rerum gerenda-rum prudentia, tantis & belli & pacis artibus & Britanniæ ſceptra moderaris REX AVGV-STISSIME, & Brunſvicenſes ditiones regis, & Romano imperio in tanto, quo viduatum de-primitur luctu ſolatio, conſilio & auxilio ades, fu-turæque felicitatis præſidia diſponis, ut terrarum orbi, & imprimis magnæ Britanniæ atque Ger-maniæ noſtræ auſpicatiſſimum in TE omnis in-columitatis & ſalutis ſidus illuxiſſe pie vereque judicandum ſit. Quod cum præter regna ditio-nesque TVAS, toti quoque, cui fulciendæ fir-mandæque fortiſſimos cum reliquis PATRIAE PATRIBVS humeros ſupponis, Germaniæ me-rito gratulemur, patieris REX POTENTIS-SIME, ut MAIESTATEM TVAM inter ſalutis publicæ Palladia mea quoque admirabun-

da

da colat veneratio. Cujus audaciæ veniam promittit, quæ per totum terrarum orbem celebratur clementia TVA eo majoris mihi fiduciæ fons extitura, quo magis omnis eruditionis, divinæ & humanæ ſtatore vindiceque TE lætatur Britannia, tot celeberrimorum virorum in omni diſciplinarum genere ferax, ſuſpiciunt Brunſvicenſes Muſæ, quibus vere Auguſtum Muſeum, veterum magnificentia dignum excitaviſti, admiratur, quicquid literis pretium ſtatuere novit, & quid regum principumque favor ad juvandas promovendasque ſcientias valeat, intelligit. Cujus clementiæ in literarum cultores teſtes tot nobis ſunt, quot viri doctiſſimi tanto principe favente ſurrexerunt, quibus plurimum debent literæ: concertante inter ſe de eruditionis gloria meritis pulcherrimis parta Britannia & Brunſvicenſi electoratu, & qua ſapientia arteque rem publicam eruditionis quoque fulcris ſuſtentes, publicis teſtimoniis ediſſerente. Itaque ſi quidem audax

vide-

videbitur, venia tamen digna erit, & pietatis devotione excuſabitur peregrinæ Muſæ fiducia, ſuis conatibus a tanti Regis clementia præſidium humillima veneratione quæſitura. In eo enim verſata eruditionis argumento, quod inter primos fere adjuverunt, & depreſſum hactenus neglectumque erexerunt ſuoque nitori reſtituerunt Britannorum ingenia, juſta ſpes ſubnaſcitur, fore, ut clementer intuiturus ſis, REX POTENTISSIME, opus hoc, quod omnis ætatis ſapientiam, qua potiſſimum res hominum, & ſummorum etiam imperantium juvari poſſunt & debent, complectitur. Quam cum enarrare juſta integraque tractatione primus ſuſceperit Thomas Stanlejus, eques Britannus, immortalem ea de re famam conſecutus, ego celeberrimi viri veſtigiis inſiſtens, & impari licet gradu & ſucceſſu totam longiſſimi itineris, a mundi initiis ad noſtra tempora viam, quam ille vix mediam aperuit, abſolvit autem hactenus nemo, percurrens, hoc quicquid eſt Muſulæ

ſulæ meæ opus laboremque SACRATISSI-
MAE MAIESTATI TVAE, ea, quæ cogi-
tari poteſt animi devotione & veneratione humil-
lime conſecrare audeo. Faciunt tot illuſtriſſima
clementiae TVAE, REX MAGNE, ſpecimi-
na, gratiſſimis ubique terrarum præconiis decan-
tata ſpem exoptatiſſimam, MAIESTATEM
TVAM, quæ a regio throno triſtem dimittere
ſolet neminem, qui virtutem colit, hos quoque co-
natus regia clementia eſſe complexuram beatu-
ramque. Quod vero, qui TIBI, REX AVGV-
STISSIME, parent tantis ſuſpiriis a ſupremo
rerum omnium arbitro efflagitant, id votis meis
ſumma, qua pietas poteſt contentione devotiſſima
mente precor, ſalutem ſcilicet & incolumitatem
in bello & pace ſupra expectationem florentem &
TIBI, REX POTENTISSIME, REGI-
AEQVE SOBOLI perennantem, exercitus
claſſesque fortes & victrices, imperium inviden-
da felicitate magnum, & immortalem non modo

inter

inter Britannos & Germanos, verum inter omnes quoque gentes nominis Tui gloriam. Ita ad ſupremum felicitatis humanæ apicem evecto, dum obſequii & fidei homagium cives certatim præſtant, de ſua quoque ſalute in TE lætantes, licebit etiam humillimæ ac venerabundæ pietati immori

REGIAE MAIESTATI TVAE

Scrib. Kaufbyræ Cal. Septembr.

A. S. R. CIↃIↃCCXLI.

omnium devotiſſimo

IACOBO BRVCKERO.

PRAE-

PRAEFATIO.

NOn detinebimus TE diu, LECTOR BENEVOLE, in limine operis ſatis prolixi de ejus rationibus paucis edocendum. Decennium excurrit ex quo hiſtoriæ philoſophicæ inſtitutiones vernaculo ſermone ſcribere exorſi, gnaviter inſtitutum urſimus, tandemque favente Numinis gratia ſeptem voluminibus ad noſtram usque ætatem deduximus. Ex illo tempore multorum virorum, magnæ in republica literaria auctoritatis* & haud vulgaris in hoc argumenti genere judicii voluntas atque vota, quæ fere legis inſtar nobis eſſe ſolent, fuere, ut Latino idiomate iteratoque labore opus ederetur, cum ut exterorum quoque, qui Germanicam plerumque linguam ignorant, ſtudiis ejusmodi labore, qui hactenus inter eruditos deſideratus fuit, conſuleretur, tum ut mutato ejus habitu, qui in juvenum ſtudiis deditorum gratiam pluſcula habet, viris eruditis ſatis jam nota, multa omiſit, quæ iſti ætati nimis prolixa & difficiliora captui videbantur, accurato juſtæ ſcientiæ ordine modoque elaborati operis ſpeciem formamque acciperet. Etſi vero iteratum faſtidium tanti tamque difficilis laboris, tempore tantum multo longoque perficiendi merito perhorreſcebamus, dedimus tamen id frequentibus virorum doctorum etiam exterorum, qui hunc laborem exoptabant, inſtigationibus, ut ad eum nos accingeremus. Quem dum moliebamur, non tam Latinam operis Germanici verſionem, quam novum prorſus opus exhibendum eſſe, pulchre pervidebamus, in quo ſupplenda plurima, & ſyſtematum imprimis veterum philoſophorum nexus & ratio accurate exponenda, abjectaque, quam juventutis cauſa elegeramus, erotematica methodo, cuncta una hiſtoriæ ſerie eſſent enarranda & naturali atque ſyſtematico ordine objici-

 enda

* Ita etiam Viri eruditiſſimi, qui Acta eruditorum Lipſiæ colligunt Act. nov. er. Suppl. Sect. 9. T. II. p. 429.

enda lectoris oculis. Aggressi itaque hoc, quicquid est, laboris, novam historiam philosophiæ criticam ab ipsis nascentis mundi initiis ad nostra usque tempora condere cœpimus, nihil eorum prætermittentes sine examine, quod ad noscendas veterum imprimis & recentiorum quoque philosophorum decreta, opiniones & fata pertinere videbatur. Etsi enim multa sunt, quæ in universalis hujusmodi historiæ libro prolixe satis & ex instituto enarrari nequeunt, quod ingentis molis opus peperisset; potiora tamen, quantum judicabamus, omnia ita tetigimus, ut integram philosophiæ omnis ætatis & locorum faciem nos depinxisse sperare possimus; reliquorum fontes ubique indicavimus, ut, qui plura nosse cupit, lector, ipse haurire queat. Unde etiam veras historiæ cujuscunque sectæ scaturigines initio cujusvis capitis exposuimus, ut simul constaret, quibus potissimum testibus utendum atque standum sit. Quibus deinde & ipsorum philosophorum vitas, tempora, circumstantias atque fata, præcipue ea, quæ in ipsorum systemata influxum habent, critico examini subjecta, adjecimus, & imprimis de decretis ipsorum cum generalem tractationem instituimus, & quid ad ea constituenda & in peculiare doctrinæ ædificium compingenda influxum quasi præbuerit, accurate exposuimus, tum ipsa systemata vel ex propriis philosophorum libris, qui supersunt, vel ex monumentis, quæ haberi possunt, ætate fideque proximis delineavimus, controversias recentiorum circa ea excussimus, testes paginæ ubique subjecimus, & omissa, quam in Germanico opere methodus poscebat, prolixarum annotationum syrmate, brevibus notis, quæ in textu enarrari non poterant, adjecimus, nisi ubi prolixiora paulo rei postulabat necessitas, ubi uberiores annotationes §phi fini addidimus, quæ tamen numero oppido paucæ sunt. Et verba quidem testium ubique adducere ipsa instituti prohibebat prolixitas. Factum tamen id est, quoties singulare illa testimonia momentum habere

habere videbantur, ubi Græca etiam haud raro adjecimus, verſionibus vero uſi ſumus inter eruditos receptis, & quantumpote emendatis. Immo pleraque veterum placita non tam noſtris, quam ſcriptorum vetuſtiſſimorum verbis enarravimus, ubi tamen haud raro interpretationes vulgares reliquimus, ea adoptata, quam deſideratiſſimum & in his literis vere regnans olim Lipſiæ lumen b. GOTTFRIDVS OLEARIVS in Latina THOMAE STANLEII verſione dedit, quam inſtituta cum Græcis comparatione haud raro & elegantiorem & meliorem invenimus atque fideliorem. Ex hoc vero propoſito ipſa veterum retinendi, ubicunque licebat, verba, quod maxime fidem noſtram probaturum ſperamus, non potuit non accidere, ut ipſa dictio & ſcriptionis ratio ſibi fieret diſſimilis, licet omnem in eo induſtriam ponneremus, ut caſte emendateque, ſine fuco tamen, ut in hoc argumenti genere decet, ſcriberemus. Quam ſtili aliqualem inæqualitatem ut materiæ potius, & ſcopo tractationis, quam noſtræ negligentiæ imputet benevolus lector, vehementer oramus. Ceterum in laudandis veterum auctorum locis ſatis copioſi fuimus, ut fidei gradus inde eluceant, parciores in adducendis recentiorum ſcriptis. In quibus tamen laudandis ſi, qui nonnullorum opinio erit, nimii videbimur, cogitandum, nos non tantum ita latius de rebus ſtrictim tantum, & ὡς ἐν παρόδῳ tactis, perveſtigandi occaſionem exhibere, ſed & noſtris hominibus, ſuo modo velificare voluiſſe; quæ ſi quis aſpernabitur, tuto iis in notis prætermiſſis textu una ſerie decurrente erit contentus. Qui vero copiam literarii apparatus majorem deſiderabunt, eos Germanicum opus adire oportet, ubi eum large cumulavimus, juventuti potiſſimum ita inſerviendi ſtudio detenti. Quos vero fontes conſulueri-mus, quæ a veteribus & recentioribus auxilia acceperimus, quas nobis regulas criticas ſequendas præſcripſerimus, ſine partium ſtudio, ſummoque candore, quem ubique adhibui-

mus, obſervatas, prolixe hic enarrandum non eſt, cum copioſa id diſſertatione in prolegomenis præſtiterimus. Id unum monere e re noſtra eſſe putamus, plerumque nos in limine cujusvis tractationis inſuperabiles difficultates, obſcuritatem & incertitudinem occurrentem diligenter demonſtraviſſe, quod non eo fecimus fine, ut Pyrrhoniſmum introduceremus, ſed ut conſtaret, quousque notitia noſtra progredi queat, quove fidei hiſtoricæ nitatur gradu. Ut enim in geographia etiam terrarum incognitarum datur delineatio, oſtenduntque terræ noſtræ enarratores, quæ regiones ignotæ lateant, ut vel queant detegi, vel ab inutili eas quærendi labore nautæ deterreantur; ita in artium quoque hiſtoria, ea quæ vel ſciri nequeunt, vel adhuc obſcura & incerta latent, indicentur, neceſſarium eſt. Hac itaque ratione ſiſtimus B. Lectori primam hiſtoriæ criticæ philoſophiæ partem, omnia philoſophiæ fata a mundi incunabulis ad Romanorum uſque imperium ſenſim emergens complexam; ſequentur hanc, ſi Deus vitam viresque conceſſerit, reliquæ tres, quarum ordinem in prolegomenis expoſuimus. In quibus ſi quid recte præſtitum, & ſemita, hactenus non ſatis calcata, aperta, prolixior & planior, ut divinæ illud omne gratiæ adſcribat Lector humaniſſimus, errores lapſusque humanæ imbecillitati in tam difficili & copioſo argumento ignoſcat: æquo etiam ferat animo, ſi, nobis longa intercapedine ab impreſſionis loco remotis, aliena fides & diligentia in emendandis operarum erroribus hallucinata interdum fuerit: Voluntatem vero, eam eruditionis partem, quæ ſatis juſta nondum integraque tractatione illuſtrata eſt, in plena luce collocandi æqui bonique conſulat, noſtrisque porro Muſis faveat, enixe rogamus. Scrib. Kaufbyræ Id. Sept. A. R. S.

CIↃ IↃ C C X L I.

IACOBI

JACOBI BRUCKERI

HISTORIA CRITICA PHILOSOPHIAE.

TOMUS I.

DISSERTATIO PRAELIMINARIS

DE

NATURA, CONSTITUTIONE, USU MEDIISQVE HISTORIAE PHILOSOPHICAE.

§. I.

Ampliſſimum hiſtoriæ philoſophicæ campum per omnem intellectus humani ætatem ſe diffundentem emenſuro ante omnia de limitibus ejus diſpiciendum eſt, ne in aliena excurrens, & in univerſalis eruditionis regiones dilapſus, ubi pedem figat, non habeat. Scilicet non eruditionis, & quas illa comprehendit omnium artium & diſciplinarum hiſtoriam exponere animus eſt, ſed philoſophiæ; unde quid philoſophiæ nomine intelligatur, probe ante omnia tenendum eſt, ne, dum ejus hiſtoriam pandere ſatagimus, in alienam meſſem falcem immittamus, & ſine meta incerti diſcurramus atque vagabundi; quae incuria non unum hiſtoriæ philoſophicæ ſcriptorem in devia deduxit. Philoſophiam vero, quam nominamus, dicta olim eſt σοφία, id eſt, ſapientia; quosque philoſophos ſalutamus, ſapientes ſalutatos eſſe, conſtat, nomine poſtea quidem mutato, ſed retenta priſtina ſignificatione. Et ipſum tamen ſapientiæ nomen apud veteres ambiguum eſt, quæ vocis ambiguitas effecit, ut multi in hiſtoria philoſophica ſapientes effingerentur, qui accurata vocis ſignificatione nomine hoc indigni ſunt. Scilicet prima illa humani ingenii ætate, qua ejus quaſi infantia abſolvitur, ſapientiæ nomen omnibus artibus tributum eſt, quæ ullo modo ingenio excolebantur, & ad humani generis utilitatem aliquo modo faciebant, unde ARISTOTELI[a] ſapientia, *artium virtus* ſive *perfectio*, & PLATONI[b] *quævis artis experientia* dicta eſt. Quia vero eruditio quam maxime ingenium humanum excolit, & bonarum diſciplinarum ſtudio atque praxi ſo-

Philoſophiæ quid ſit?

Sapientes qui veteribus vocati?

a) *Ethic. ad Nicom. L. VI. c. 7. T. II. p. 58.* ed. Caſaub.

b) v. *Theætetus & Theages* & ex his LAERT. *l. III. ſ. 63.* ubi conſulendus eſt IS. CASAUB. *ad h. l.*

ſocietatis humanæ commoda promoventur, ſapientiæ nomen jure ſuo ad eruditos tranſiit, omnemque ſui temporis encyclopædiam deſignavit, quo ſenſu Moſen, virum divinum in omni ſapientia Aegyptiorum eruditum fuiſſe, S. LUCAS [c] innuit. Et quoniam inter diſciplinas omnes divinior ſcientia, quæ cultum Dei dirigit, de Numine præcipit, animumque ad illud ſancte ſuſpiciendum format, ob objecti ſui præſtantiam tantum eminet, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi, inde ſapientiæ nomen ad theologos & ſacerdotes eminentiori quodam ſenſu delatum eſt, idque imprimis apud barbaras gentes factum, apud quas ſapientum nomine ſacerdotes divini cultus interpretes celebrari, [d] barbaricæ philoſophiæ nobis probabit hiſtoria, ipſæque ſacræ paginæ teſtes ſunt, ſacerdotes Chaldæorum ſapientum titulo afficientes. [e] Erant tamen inter hos homines multi ſapientum nomine indigni, quia veritatem diviniorem non ex ſolidis principiis petebant, ſed vel ex corruptiſſimæ traditionis laticibus hauriebant, vel ad fallendam plebem toti compoſiti ſapientiæ loco, ingenii ſui ſomnia, honorem ipſis auctoritatem atque opes conciliatura, propinabant, unde ſacerdotum turba mature viris gravibus, quique naſum habebant, ſuſpecta fuit & odio digna. Et hinc animi ingeniis ſublimibus additi ſunt, ut profundiori meditatione in veritatem inquirerent, & deſertis impuris traditionis patriæ lacunis, rationis fontes conſulerent, omnia ad certa ſcientiæ principia revocantes, & ita ſapientiæ ſyſtema condentes ſuis fundamentis ſuperſtructum. Quæ veritatem omnem, eam præcipue, quæ ad Deum hominesque refertur, excolendi ratio cum nobiliſſima ſit, ſapientiæ nomen in propria tandem ſibi ſignificatione vindicavit, & cultores ſuos ſapientum nomine decoravit. Quod ut vetuſtiſſimis temporibus ita factum eſt, ut qui veritatem hanc accurata meditatione didiciſſet, eam ad emendandos hominum mores & formandum animum applicaret; ita ſapientiæ nomen practicam tandem ſcientiam veritatis tum divinæ tum humanæ ſignificavit, [f] & ad eam relatum eſt, quicquid vel Deum & quæ divina ſunt intellectui humano cognoſcenda ſiſtit, vel ad humanæ mentis felicitatem comparandam & augendam aliquid conferre aptum eſt. [g] Hanc vero ſapientiam, ut ſcopo ſuo potiatur, alios quoque doceri e re humani generis erat, ad quod docendi munus dum ſe applicabant ſapientes, nomen hoc ad ſcientiarum doctores translatum eſt. [h] Inde vero nova iterum vocis ſignificatio: quan-

c) Actor. VII. 21. conf. SUIDAS *T. II. v. ἰδιώτης p. 97.* ubi *ἰδιώτης* & *φιλόσοφος* ſibi opponuntur, ita etiam apud ISOCRATEM *in Panegyr. p. 115.* ed. H. Wolf.

d) Conf. STRABO *L. XV. p. 501.* CURTIUS *L. V. c. 1. v. 22.* & qui de ſapientibus inter barbaros luculenter differit DIOG. LAERT. *L. I. ſ. 1. 2.*

e) DANIEL. *II. 2.* conf. STANLEJUS *Hiſt. Phil. P. XIV. c. 7. 10. p. 119. 121.*

f) Eleganter de hac re differit PLATO in *Theæteto, p. m. 111. ſeq.* add. EPICTETUS, *diſſ. L. II. c. 14. p. m. 194.* ed. H. Wolf. *L. III. c. 26.* SENECA *ep. 20. 108.* ANTONIN. *L. X. ſ. 16.* & GATAKER ad *h. l.*

g) Sapientia eſt, ut a veteribus philoſophis definitum eſt, rerum divinarum & humanarum cauſarumque, quibus hæc continentur, ſcientia. CICERO *de offic. L. II. c. 2.*

h) Vid. ISOCRATES *de permut. p. 818.* qui

quandoquidem enim qui ſapientiæ præcepta tradebant, diſerto & luculento diſſerendi genere uti ſatagebant, ſapientis atque ſapientiæ nomen eloquentiæ quoque ſtudium datum eſt, & tantopere hæc ſignificatiò græcis, quibus eloquentiæ ſtudio, magna, quæ inde in rempublicam redundabant, emolumenta commendabant, placuit, ut ſophiſtarum, id eſt, ſapientum nomine uſu quaſi proprio eloquentiæ magiſtri dicerentur. [i] Etſi & poëtis quoque hic honor habitus eſt, ut ſapientes dicerentur, quoniam antiquiſſimi ſapientes, & imprimis, qui divina docebant, ligata oratione utebantur, & ars ipſa fingendi ad tradenda peculiari eloquentiæ genere ſapientiæ præcepta adhibebatur. [k] Cum vero dignitatem & auctoritatem ſapientia cultoribus atque doctoribus ſuis conciliaret maximam, iique multis honorum titulis & reverentia commendarentur, qui ſapientum nomen adepti eſſent, [l] cœpit optimum inſtitutum degenerare in faſtum, & efferre ſe magis, quam patiebatur ſapientiæ nomen, qui eam præ reliquis excoluiſſe videri cupiebant. [m] Unde ſapientis nomen ad Deum ſolum, inexhauſtum omnis ſapientiæ mare reſtringens PYTHAGORAS, primus hanc appellationem arrogantiorem ſibi viſam, quam quæ deceret veritatis & ſapientiæ ſtudioſum, refugit, & philoſophi nomen invenit. *Philoſophiæ nomen inventum.* *Is cum Phliuntem veniſſet, & cum Phliaſiorum principe Leonte docte & copioſe diſſeruiſſet quædam, ita ejus ingenium atque eloquentiam admiratus eſt Leon, ut quæreret ex eo, qua maxime arte confideret; at ille artem ſe ſcire nullam, ſed eſſe philoſophum reſpondit*, referente, & nominis originem eleganter exponente CICERONE. Etſi vero & modeſtiæ cauſa, ſapientis nomen in ſtudioſum ſapientiæ mutavit Pythagoras, & ſyſtematis ſui fine commotus ſapientiam tum demum adipiſcendam eſſe ſtatuit, quando quis philoſophiæ fine potitus fuerit, [n] mox tamen totum illud diſcrimen prudenter poſitum evanuit, & philoſophiæ nomen idem dixit, quod ſapientiæ, [o] philoſophi appellatio non minus ambitioſa facta eſt, quam ſapientis, adeo, ut non deeſſent, qui *intolerabilem philoſophorum ambitionem eſſe dicerent, ſibi ſolis ſapientiæ ſtudium vindicantium, & reliquarum diſciplinarum cultoribus tacito quaſi argumento denegantium.* [p] Neque tamen id diu valuit,

qui Solonem primum nomen ſophiſtæ accepiſſe refert. Imprimis vero PHILOSTRATUS *præf. ad vitas ſophiſtarum Opp. p. 479.* ed. Olear.

i) Ita tamen, ut antiqui ſophiſtæ argumenta tractarent philoſophica, recentiores in ſolo dicendi artificio ſe exercerent, monente PHILOSTRATO *l. c. p. 481.* unde mature inviſi facti ſunt, conf. CLERICUS *Art. Crit. P. II. Sect. I. c. 17. p. 337. ſeqq.*

k) ANACREON od. *in Roſam.* PINDARUS *Iſthmior. od. 5.* conf. MENAGIUS *ad* LAERT. *L. I. ſ. 12.*

l) Prolixe id demonſtratum eſt, in meletem. *de honoribus ſapientiæ auctoribus & doctoribus apud Barbaros & Græcos exhibitis*, in *Otio Vindelico p. 203. ſeqq.* extante.

m) Vid. ARISTOPHANES in *nubibus*, ARISTOT. *de Sophiſt. L. I. c. 2.* de qua re infra in Socrate.

n) Vid. IOANN. SCHEFFERUS *de natura & conſt. Philoſ. Ital. c. VII. p. 43. ſqq.*

o) DIOG. LAERTIUS *L. I. ſ. 12.*

p) *Inde quidam contemto bene dicendi labore, ad formandos animos, ſtatuendasque vitæ leges regreſſi, partem quidem potiorem* (philoſophiæ) *ſi dividi poſſet, retinuerunt, nomen*

Philoſophiæ ſignificatio varia.

luit, ſed philoſophiæ perinde ac ſophiæ nomen latius ſumtum, non diſciplinas tantum eas, quæ divinarum humanarumque rerum ſcientiam exhibent, comprehendit, ſed & ad legum humanarum peritiam,[q] ad artem ſalutarem[r] aliasque eruditionis partes extenſum eſt, ita ut grammatica, rhetorica, & critica ars, quin immo hiſtoria & poëſis non excluderetur,[s] quæ ſignificatio latiſſimo ſuo ambitu imprimis obtinuit, poſtquam totus eruditionis humanæ campus in quatuor facultates diviſus eſt. Immo nec a ſanctioribus diſciplinis remotum, & philoſophiæ atque philoſophi nomen in eccleſiam traductum eſt, in qua chriſtiana religio ſanctioris philoſophiæ nomen tulit, doctores eccleſiaſtici, & aſcetæ quoque philoſophorum nomine inſigniti ſunt.[t] Ex quibus variis acceptionibus vocis, philoſophia & philoſophus, quibus aliæ quoque, ſi opus eſſet, addi poſſent,[u] facile convincimur, quam neceſſarium ſit, propriam philoſophiæ ſignificationem definire, ne aliena tractationi in ſe prolixæ, prolixioraque & ad rem nihil facientia miſceamus, & confuſis inter ſe diſciplinarum limitibus, ſine certa meta oberremus.

Sæpius hac in re a philoſophicæ hiſtoriæ ſcriptoribus peccatum eſt, qui ambiguo ſapientiæ nomine decepti ad philoſophiam vel eruditionis univerſalis hiſtoriam, vel religionis acta & fata inter gentes retulerunt, & innumerum philoſophorum agmen effinxerunt. Inter hos OTTO imprimis HEURNIUS & GEORGIUS HORNIUS manifeſte limites philoſophicæ hiſtoriæ migraverunt, quorum ille omnem gentilium ſacerdotum ſtultitiam ad ſapientiam ſive philoſophiam barbarorum retulit; hic juvenili præcipitantia lapſus in cælo & inferno, in paradiſo, & ubi non? philoſophos invenit. Recentiſſima vero ætate ANONYMUS auctor, qui *philoſophicam hiſtoriam* gallico ſermone condidit, data opera ſibi a definiendis philoſophiæ limitibus & determinando genuino ſenſu abſtinendum ratus eſt, immo eum laborem impoſſibilem eſſe ſtatuit, quod ad univerſalem eruditionis notionem cuncta reducenda ſint, & ſub ea veterum theologia, jurisprudentia, omniumque ſcientiarum fontes, immo ipſæ gentium origines comprehendantur. Qua in re eum vehementer falli ex dictis manifeſtum eſt, cum ſingulæ eruditionis partes propriis & domeſticis finibus definitæ, inter ſe differant, adeoque & philoſophia a reliquis eruditionis humanæ diſciplinis diſtingvenda ſit. Quæ res miro conſilio neglecta auctori ſuo maximæ fraudi fuit. Definitione enim philoſophiæ inſuper habita, non veros tantum

nomen tamen ſibi inſolentiſſimum arrogaverunt, ut ſoli ſapientiæ ſtudioſi vocarentur, quod neque ſummi imperatores, neque in conſiliis rerum maximarum ac totius adminiſtratione reipublicæ præclariſſime verſati, ſibi unquam vindicare ſunt auſi. Ita QVINTILIANUS *proœm. Inſt. Or. p. 4.* ed. Obr.

q) CICERO in *Lælio* & quos laudat PHIL. CAROLI in *animadv. criticis in Gellium. L. IV. c. 1. p. 243.*

r) Hinc nomen lapidis philoſophorum. conf. *Obſ. Hal. T. VI. art. 22. §. 2.* Et DIOCLI Medicina φιλοσοφία ἡ περὶ τῶν ὑγιεινῶν.

s) APHTHONIUS *p. 25.* ISOCRATES paſſim, *vid. p. 234. 248.*

t) De quo, ſuo loco dicetur prolixius. vid. IONS. *de Scr. H. P. L. III. c. 4. p. 226. ſq.*

u) Conſulendus omnino celeb. HEUMANNUS *Act. Philoſ. Vol. I. p. 65. ſeqq.* de homonymia vocum σοφία & σοφός.

tum & proprie dictos philoſophos ab improprie, immo haud raro falſo dictis non ſeparat, ſed & per omnem eruditionis a philoſophia longe diverſæ ambitum late & ſine ordine vagatur, & quadrata miſcet rotundis, allatis vero, quæ huc non pertinebant, maxime neceſſaria, quæque omne velut punctum in philoſophiæ hiſtoria faciunt, omittit, etſi mira verborum pompa accuratiſſimam in fronte tractationem promittit, corvos ita, quod ajunt, deludens hiantes.

§. II. Eſt vero philoſophia amor ſive ſtudium potius ſapientiæ: ſapientia vero eſt ſolida cognitio veritatis, circa eas res ſive divinæ ſint, ſive humanæ, quæ ad veram hominis felicitatem faciunt, & ad uſum & praxin applicari ſuo modo poſſunt, quæ applicatio ſi recte inſtituatur, & ita felicitas hominis vera promoveatur, tum demum ſapientiam genuina ſignificatione ſumtam exhibet, & hoc ipſo ſapientiam a philoſophia diſtingvit, quæ veritatis divinæ & humanæ principia & regulas exponit, & qua ratione felicitas humani generis inde vel acquiri vel conſervari & augeri queat, tradit, adeoque ſuis fundamentis nixa ſcientiam gignit, niſi tamen in uſum convertatur, ſapientiæ nomine indigna eſt. Nam *Sapientiæ & philoſophiæ definitio.*

Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe nequit, nequicquam ſapit,

recte monuit ENNIUS.[v] Nec aliud dicunt variæ veterum definitiones philoſophiæ,[w] imprimis ex ſchola Pythagoræ & Platonis, niſi quod peculiarem finem exprimant, quo veram felicitatem aſſequi homini liceat, qui niſi omni ſtudio intendatur, omnis ſcientia vana eſſe recte concluditur. Unde non immerito Socratem ab Apolline omnium ſapientiſſimum dictum eſſe Varro apud CICERONEM[x] monuit, *quod hæc una eſſet omnis ſapientia, non arbitrari ſeſe ſcire, quod neſciat, & inde omnis ejus oratio tum in virtute laudanda & in omnibus hominibus ad virtutis ſtudium cohortandis conſumeretur.*[y] Duplex vero veritatis ad veri boni poſſeſſionem, & exoriundam inde felicitatem ducentis cognitionis fons eſt, unus congenitæ lucis ſive rationis humanæ regulæ, alter divina revelatio. Cum enim adeo anguſtis limitibus humanus intellectus circumſcriptus ſit, ut patentiſſimos veritatis univerſæ campos emetiri, immo nec ea omnia cognoſcere valeat, quæ tamen felicitatis humanæ ratio cognoſci & ſciri poſtulat, neceſſe erat, ut divina revelatio ſuppetias homini ferret, & de iis eum inſtrueret, quæ felicitatem ejus ſummo loco ponere apta ſunt. Quod ut theologiam potiſſimum occupat, cujus munus eſt, hominem de iis inſtruere, quæ per revelationem Deus ei patefecit, ita a philoſophia quoque ſeparandum eſt, nec confundendæ inter ſe ſcientiæ cognoſcendi, quod ajunt, principio *Fontes ſapientiæ.*

v) Apud CICERON. *Epiſt. Famil. L. VII. ep. 6.*

w) Eas ſuo loco notabimus. Interea conſulendus eſt G. J. VOSSIUS *de Philoſophia c. II. §. 5. p. 4. ſeqq.* SENECA *ep. 89.*

x) *Academ. Quæſt. L. I. T. IV. Opp.* ed. D. Godofr. *p. 7.*

y) Paria paſſim apud veteres, videnda apud ANTONIUM & STOBAEUM in *florileg. Serm. CXX. CXXI. CXXII. p. 702. ſeqq.* edit. Wechel. Alia dabit GATAKERUS *ad Antonin. L. X. §. 16. p. m. 365.*

cipio inter ſe diverſiſſimæ. Eſt itaque philoſophia ſcientia veri atque boni, ſive, ut veterum dicta exprimamus, divinarum humanarumque rerum ad poſſeſſionem veri boni & exſurgentis inde felicitatis comparata, quatenus ex rationis humanæ principiis cognoſci atque demonſtrari poteſt. Hiſtoriam itaque philoſophicam conſulturis, ad revelationis arva accedendum non eſt, nec miſcenda inter ſe, theologia cum philoſophia, niſi quatenus illa hujus pars eſt, & ex rationis principiis de Deo & rebus divinis præcipit, quam philoſophiæ partem theologiam naturalem dicere ſolenne eſt.

Eſt tamen, ubi interdum oculus intendendus eſt in hiſtoria philoſophica ad revelationem. Ex primis enim revelationis doctrinis & initiis patefactæ hominibus veritatis divinæ variæ particulæ per traditionem ad gentes dilapſæ ſunt, quæ ex rationis lumine cognitis doctrinis permiſtæ ſunt, & niſi accurate inveſtigentur, ad certas doctrinarum origines nos pervenire non ſinunt. Exemplo ſit doctrina de immortalitate animæ, ejusque poſt mortem *vita apud dominos valde bonos*, quæ Socratis vox fuit: eam enim non argumentationibus tantum probabilibus ſe admittere, ſed longa quoque traditione credere fatetur Græcorum philoſophorum maximus: unde ad exquirendas nobiliſſimi dogmatis origines, etſi ex hiſtoria philoſophica petendas etiam ad revelationem & traditionem reſpicitur rectiſſime, eleganter hanc viam ingrediente Ven. JOACHIMO OPORINO in erudita hiſtoria *doctrinæ de immortalitate animæ.* Sed in his & ſimilibus illuſtrari tantum ex revelatæ doctrinæ hiſtoria, philoſophicam hiſtoriam, quilibet videt.

Partes philoſophiæ.

§. III. Quæ vero philoſophiæ partes ſint, quarum hiſtoria diſcenda eſt, ex fine atque objecto philoſophiæ facile diſcitur. Si enim in eo felicitas humana, per philoſophiam acquirenda conſiſtit, ut homo verum bonum poſſideat, eoque perpetua poſſeſſione fruatur, neceſſario tum de natura boni, in quo conſiſtat, & in quibus rebus quærendum ſit, intellectus humanus inſtruendus, & totus homo ita formandus & emendandus eſt, ut ad ejus poſſeſſionem pervenire queat. Et hinc latiſſimus ille philoſophicarum diſciplinarum campus ſe aperit, quarum aliæ intellectum humanum formant, viamque parant, qua & ipſe ratiocinando felicitatem indagare, & aliis eam monſtrare valeat; aliæ voluntatem humanam, propriam felicitatis ſedem, emendant & erudiunt, & quid verum graduque optimum bonum ſit, docent, qua ratione ad illud perveniatur inſtruunt, quibus mediis felicitas inde derivetur, oſtendunt, & quibus vitæ morumque rationibus & officiis conſervetur exponunt: aliæ ſummum bonum, quod in ſolo Deo reſidere ipſa ratio dictitat, ita deſcribunt, ut divinam eſſentiam & attributa, quæque alia ex Deo in humanam felicitatem influxum habent, conſiderent: aliæ ad corporis humani conſervationem reſpiciunt, & in hunc finem univerſæ naturæ quoque conſiderationem exhibent, ut diſcat homo, qua ratione ex ſapientiſſimi conditoris voluntate & diſpoſitione ea ad felicitatem ſuam adhibenda & in uſus convertenda ſit ſuos: aliæ ſocie-

tatem

tatem humanam dirigunt, & quæ legis neceſſitas, quæ ſocietatis utilitas, quæ vivendi prudentia poſtulent, exponunt. Quibus omnibus accurate cognoſcendis genuina omnis ſcientiæ principia, quibus, tanquam fundamentis, totum philoſophiæ ædificium ſuperſtruendum eſt, præmittenda eſſe, facile ex ipſo ratiocinandi de felicitate hominis fine colligitur. Quæ philoſophiæ partium diſtributio, ut rem mediocri attentione conſideranti evidens admodum eſt atque luculenta, finemque philoſophiæ, immo ſapientiæ, ad verum uſum & felicitatem omnia referentis recte exprimit; ita ex ea, quæ veteres varie de philoſophiæ partibus dixerunt, dijudicari poſſunt, quæ & ipſa non negligenda ſunt, ne in ipſo hiſtoriæ philoſophicæ limine offendamus. Illi enim antiquiſſimis temporibus & in ipſa philoſophiæ pueritia eam tum ad Deum, tum ad hominem referebant, & in duplici hoc objecto conſiderando ſapientiæ munus ponebant. Unde HOMERUS, a quo omnem ſapientiam dimanaſſe ad poſteros magna veterum caterva ſibi perſuaſit:[z]

Philoſophiæ diviſio apud veteres.

Ἀχλὺν δ' αὖτοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἔλον, ἣ πρίν ἐπῆεν
Ὄφρ' ἔυ γινώσκοις ἠμὲν Θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα.

Caliginem vero tibi ab oculis abſtuli, quæ prius inerat,
Ut bene dignoſcas tum Deum tum etiam hominem.

Et huc tota quoque Pythagoreorum & Platonis ſchola collineavit, quæ omnem philoſophiam in conſiderationem divinorum, id eſt ἀληθῶς ὄντων quæ ſcientiam certam gignunt, & humanorum, quæ ad vitam hominis pertinent, & ſenſibus ſubjacent, quatenus ſcilicet referuntur, & præparant ad divina, dividunt.[a] Paulo tamen aliter ARISTOTELES, qui dum a tota antiquitate abit, & in contemplatione atque intellectus perfectione ſummum bonum collocat, ita theoreticarum diſciplinarum potiſſimam rationem habet, ut tria theoreticarum diſciplinarum genera conſtituat, phyſicam, mathematicam & theologiam,[b] & his demum activam & effectivam ſubjungat;[c] quarum illa ethicam, politicam & œconomicam, hæc medicinam, poëticam, grammaticam, ſtatuariam, pictoriam comprehendit, quatenus ſcilicet rationes cauſasque ſuæ conſtitutionis, naturæ & operationum exponere & ratiocinando demonſtrare poſſunt:[d] Unde & dialectica, tanquam philoſophiæ inſtrumentum, a philoſopho non omiſſa eſt. Stoici vero,[e] *philoſophiæ tres partes eſſe dixerunt, moralem, naturalem & rationalem; prima componit animum, ſecunda rerum naturam ſcrutatur, tertia proprietates verborum exigit, & ſtructuram, & argumentationes ne pro*

z) *Iliad. ε. v. 127. 128.*

a) PSELLUS *Comm. ad quinque voces* conf. JO. SCHEFFER *de nat. & conſtit. philoſophiæ Italicæ c. VIII. p. 65. 66.* ex veteribus SENECA *ep. 89.*

b) *l. VI. Metaphyſ. c. 1. l II. c. 7.*

c) *de anima l. I. c. 3.*

d) conf. JONSIUS *de ſcript. hiſt. philoſ. l. I. c. 1. §. 3. p. 4. 5.*

e) Ita SENECA, *ep. 89.* qui de definitione & diviſione philoſophiæ omnino legendus eſt.

pro vero falſa ſurrepant. Epicurei vero[f] *duas partes philoſophiæ conſtituerunt, naturalem atque moralem, rationalem removerunt: deinde cum ipſis rebus cogerentur ambigua ſecernere, falſa ſub ſpecie veri latentia coarguere, ipſi quoque locum, quem de judicio ac regula appellant* (canonicam) *alio nomine rationalem induxerunt, ſed eam acceſſionem eſſe naturalis partis exiſtimant.*[g] *Cyrenaici*[h] *naturalia cum rationalibus ſuſtulerunt, & contenti fuerunt moralibus, ita tamen ut his illa revera inſerviant.* Sed de his ſuis locis accuratius diſpiciendum erit; nobis hæc ſummatim oſtendiſſe ſufficiat, ut pateat, quicquid ſani in partitione philoſophiæ apud veteres fuit, id ad eam, quam ſupra dedimus philoſophiæ definitionem, partiumque ejus diſtributionem collineare. Inde vero, quid in hiſtoria philoſophiæ quærendum ſit, per ſe patet.

Hiſtoria philoſophica quid ſit?

§. IV. Quid philoſophiæ, cujus hiſtoriam perluſtrare animus eſt, voce intelligendum ſit, definivimus, hiſtoriam, qualem jam intelligamus, exponendum eſt. Scilicet vel doctrinarum ea eſt, vel perſonarum.[i] Doctrinarum hiſtoria ſcientiarum fata exhibet, & intellectus humani quaſi hiſtoriam ita pandit, ut in doctrinarum origines, variasque ſententias & mutationes atque opinionum divortia inquirat, & quæ de humanis divinisque rebus dogmata philoſophis placuerint, in quibus conſpiraverint, vel in diverſa abierint, exponat: idque duplici modo fieri poteſt. Nam vel doctrinæ alicujus hiſtoria per omnem ætatem & nationem panditur, & qua ratione per diverſas ſententiarum ſemitas ad nos pervenerit, oſtenditur: vel omnium gentium, & ſectarum ſyſtemata ita oculis ſubjiciuntur, ut & adhibita fundamento principia, & concluſiones inde formatæ, totumque ſyſtema pateat. Illam *hiſtoriam doctrinarum philoſophicarum*, hanc *hiſtoriam philoſophiæ* diſtinctionis gratia non inepte vocaveris, quæ vel per totum philoſophiæ ambitum, vel per ſingulas diſciplinarum philoſophicarum e. g. logices, phyſices, ethices &c. partes deduci poteſt. Perſonarum, id eſt, hominum philoſophantium hiſtoria ad primaria quidem philoſophicæ hiſtoriæ capita neceſſario vinculo non pertinet, omitti tamen ab eo nequit, qui philoſophiæ hiſtoriam intime pernoſcere cupit. Ut enim taceamus, plurima ad formandum & emendandum animum ex hiſtoria vitæ & actionum a philoſophis ſuſceptarum deſumi poſſe, & egregie diſci, quibus mediis ad ſapientiam pervenerint, quæ impedimenta ſuperaverint, quibus adverſariis reſtiterint, ubi pro Junone nebulam amplexi fuerint, qui ſapientiæ poſſeſſionem honores, quæ emolumenta, quæ animi felicitas ſecuta ſint, & quæ alia hujusmodi ſunt, quæ recte conſiderata ad vitandos erroris labyrinthos, & ſequendas veritatis ſemitas, ad excitandam & fovendam virtutem, & deprimenda vitia plurimum conferunt: eo potiſſimum nomine hiſtoria philoſophorum, præſertim eorum, qui ſyſtemata condiderunt, negligenda non eſt, quoniam circumſtantiæ philoſophorum in conſtitutionem & naturam

f) *Ibid.* LAERT. *l. X. ſ. 30.*
g) *Ibid.*
h) SENECA *l. c.*
i) Conf. JONSIUS *de ſcript. hiſtor. philoſ. c. I. §. 1. 2. p. 2. 3. 4.*

turam ſyſtematum, quæ formarunt, valde influunt, & ex iis ratio deſumi debet; quæ ſi incautius negligitur, mirum non eſt, in interpretatione ſyſtematum interdum hallucinari viros doctiſſimos, ceteraque perſpicaciſſimos. Poteramus hæc longo exemplorum ſyrmate confirmare, niſi animus eſſet, plerorumque ſyſtematum a philoſophis conditorum explicationi præmittere conſiderationes aliquas generales, ubi talia quam maxime in cenſum venient. Qui vero interim exempla cupiet, is vel ad Platonis philoſophiam reſpiciat, cujus doctrinas ſæpe male cohærentes, certe ex diverſiſſimis ſententiis conflatas & inter ſe coaptatas nemo recte intelliget, niſi didicerit, Platonem non a Socrate modo, ſed & a Pythagora, a Cratylo Heracliteo, a Parmenide, ab Euclide Megarenſi philoſophiam didiciſſe, & eorum placita ſuis horreis intuliſſe: vel Ariſtotelis philoſophiam expendat, eam non intellecturus, niſi prius edoctus, quibus potiſſimum ex veteribus philoſophis ſuam philoſophandi rationem vir acutiſſimus opponere voluerit: vel oculum diverti patiatur ad Zenonis, Stoicorum parentis porticum & Epicuri hortum; utriusque enim placita, animadvertet, ex vatiniano potiſſimum, quo utraque ſecta alteram perſequebatur, odio non raro profecta eſſe, & mutuis diſſidiis ſibimet invicem oppoſita, quæ lucem non capient, niſi expoſito dogmate fax præferatur. Plura addere, ſupervacaneum eſt, nam dicta rem ſatis loquuntur, & confirmabit eam ſatis ſyſtematum philoſophicorum, quam dabimus, hiſtoria. Nobis itaque quibus hiſtoriam philoſophicam univerſo ſuo complexu conſiderare conſtitutum eſt, ita ad eam attendere animus eſt, ut & vitas philoſophorum, eorumque res geſtas, & fata, tum diſcipulos & adverſarios, & quæ alia de iis notatu digna annales referunt, expendamus, & in ſectarum origines, ſucceſſiones & decrementa inquiramus, tum vero accurato potiſſimum oculo ad ſyſtemata philoſophorum attendamus, & conſultis fontibus fide dignis &, quantum licet, puriſſimis, principia, quibus reliqua nituntur, excutiamus, & his demum concluſiones ſuperſtruamus, adhibitis, ubi licet, ipſis philoſophorum verbis. Qua ratione ab ipſis naſcentis mundi initiis ad hæc noſtra tempora, quibus philoſophia per Dei beneficium ad ſumma culmina ſurrexit, hiſtoriam quandam philoſophiæ condere licebit.

§. V. Requirit vero hiſtoria philoſophica hominem iis ingenii viribus, iisque literis inſtructum, ſine quibus tantum iter nemo feliciter emetiri poterit. Quisquis enim inoffenſo pede in hac ſemita progredi optat, & intellectu rite diſpoſito & voluntate recte affecta gaudeat, neceſſe eſt. Et quod intellectum quidem concernit, non naturalis tantum tam judicii, quam ingenii vis requiritur, ſine qua nihil in omni literarum ſtudio valemus; ſed intellectus potiſſimum ita excultus poſtulatur, ut accurate ratiocinari, veterum ſententias proprio lumine illuſtrare & interpretari, & claras pro argumenti conditione de materiis tractandis ideas ſibi acquirere queat. Et cum in hiſtoria ad fidem veterum relationibus dandam plera-

Requiſita & ſubſidia ad H. P.

quoad intellectum,

que redeant, id imprimis discendum prius est ei, qui ad historiam philosophicam excolendam se accingit, qua ratione & mensura fides historica ponderanda sit, quibus verisimilitudinis gradibus narrata veterum nitantur, quæ a vero aliena, quæ propinqua, quæve medio ita loco posita sint, ut in utramque partem de iis disputari queat. Nisi enim hoc logices filum quis arripuerit, nunquam ex hoc labyrintho se expediet. Jungenda cum arte rationali, ars critica, ut judicium fieri queat, de genuinis & suppositiis philosophorum scriptis, de fontibus unde interpretatio hauriri debet, deque causis omnibus in systemata veterum philosophorum influentibus. Nec linguæ negligendæ sunt, sed legendi philosophorum, qui extant, libri in eo sermonis genere, quo exarati sunt, attendendum præterea ad temporum rationes, quibus singula contigerunt, sine qua chronologiæ face nunquam historiæ philosophicæ tenebræ dispellentur. Excutiendæ sunt veterum ritus, mores & consuetudines, quibus se & dogmata sua philosophi haud raro attemperarunt; immo ex omni antiquæ & novæ eruditionis penu advocanda ea & in promtu habenda sunt, quæ historiæ philosophorum omnis ætatis & gentis lucem aliquam fœnerari possunt. Imprimis vero purgatum a præjudiciis, veritatem jugulantibus, intellectum habere oportet eum, qui feliciter in historia philosophica versari cupit. Abjicienda nimia antiquitatis veneratio, omnia majori extollens gradu, quæ antiquitatis situ obducta squalent; extirpandum præjudicium auctoritatis, certis viris magnis veritatem ob solam nominis famam vel dignitatem adscribens. Abjicienda omnis præcipitantia, vel novitatis quoque sine ratione amor; & non subterfugiendus improbus & iteratus labor, toties philosophorum dogmata expendendi, quoties deficiens nobis eorum lux postulat. Imprimis vero hypotheseos, quod vocant præjudicium exuendum est, ne philosophos ea dixisse putemus, quæ cum nostro systemate & hypothesi conveniunt: quæ philosophos perversa interpretandi ratio, quantopere historiæ philoso-

quoad voluntatem, phicæ nocuerit, dici vix potest. Unde patet voluntatem quoque ejus, qui in historia philosophica excutienda recte versari vult, bene affectum esse debere. Ejicienda scilicet & odium & favor, omneque partis studium, nudoque & nullo affectu impedito oculo omnia philosophorum, sive laudem hactenus meruerint, sive culpam, lustranda sunt. Hinc sinceritatem animi & magnum hoc studium candorem postulat, ne fraudibus eorum, quorum interest, omnia vetera & nova miscere historia philosophica pateat. Quæ mentis integritas vix desiderabitur, ubi illa sincera cupiditate flagrat veritatem inquirendi, eamque a falso segregandi, unde magnus ad rejiciendas fabulas, etiam publico assensu conservatas, non oriri non potest animus. Addimus non sine causa modestiam animi, quæ suæ supellectilis gnara, & prolixissimi laboris in historia philosophica exantlandi conscia, non omnia se scire, mentisque acie attingere posse, novit, immo multa esse philosophorum fatetur, quæ ita se habent, ut adhibita omni industria clare distincte-

que

que certoque ſcientiæ gradu cognoſci nequeant. [k] Unde & in aſſenſu prudenter cohibendo, & agnoſcenda quoque ignorantia, prudentem & modeſtum hiſtoriæ philoſophicæ cultorem aſſiduum eſſe, quilibet intelligit. Non vero cautum tantum doctumque hiſtoricum deſiderat hiſtoria philoſophica, ſed & philoſophiæ myſteriis innutritum; quisquis enim in ipſa philoſophia hoſpes eſt, nunquam vel veteres intelliget, vel recentiores mente aſſequetur, vel judicium quoque ſuum interponet feliciter. Quæ omnia ſicut recte ad hiſtoriæ philoſophicæ ſtudium rite excolendum requiri, ipſa res clamitat, ita quam difficilis is labor ſit, quamque arduum ad aliquam in ea perfectionem adſpirare, nemo non intelligit. Quod tamen deterrere debet neminem, in hoc utiliſſimo eruditionis genere profectum quærentem: nam & multa diligentia, attentione, & adhibitis mediis dictis difficultates feliciſſime ſuperari poſſunt, & in magnis voluiſſe, modeſto animo ſatis eſt. Qua de re eleganter PLINIUS, [l] cum difficilem philoſophicæ hiſtoriæ partem, quæ naturam rerum enarrat, explicare conſtituiſſet: *Magna pars ſtudiorum amœnitates quærimus, quæ vero ab aliis tractata dicuntur immenſæ ſubtilitatis, obſcuris rerum tenebris premuntur. Jam omnia attingenda, quæ Græci τὰς ἐγκυκλοπαιδείας vocant. & tamen ignota aut incerta ingeniis facta: alia vero ita multis prodita, ut in faſtidium ſint adducta. Res ardua, vetuſtis novitatem dare, novis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, & naturæ ſuæ omnia. Itaque etiam non aſſecutis voluiſſe abunde pulchrum atque magnificum eſt.*

quoad ipſam philoſophiam.

§. VI. Hæ vero difficultates ut facilius ſuperari, & quæ ad hiſtoriam philoſophicam felici effectu excolendam neceſſaria eſſe demonſtravimus, eo certius acquiri queant, dabimus monita quædam & cautelas, ad quas præcipue attendendum eſſe hiſtoriæ philoſophicæ ſtudioſo, ſi & ſcyllam & charybdin evitare cupiat, longa experientia viros doctiſſimos & in his literis ſummos edocuit. [m] Scilicet:

Cautelæ obſervandæ:

I. *Quærendi ſunt fontes ubi haberi poſſunt, proximi, & examinandi ad fontes rivuli.* Fontes vero innuimus, ipſa philoſophorum ſcripta, quæ hodie ſuperſunt. Etſi enim magnam ſcriptorum philoſophorum præcipue veterum (nam recentiorum alia conditio eſt) partem temporis injuria nobis eripuit, & imprimis fatalis ignis plurimam ſcriptorum philoſophicorum partem perdidit, conſervata tamen ſcripta Pythagoreorum quorundam, tum Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti, Epicuri, & poſt Chriſtum natum

Fontes quærendi.

k) Eleganter ORIGENES *contra Celſum l. I. p. 11. Nemo noſtrum dicet, novi Epicuri omnia; nec audebit profiteri, ſe noſſe Platonis omnia, cum tantopere inter ſe diſcrepent etiam ſcriptorum ejus interpretes. Quis enim eſt tam audax, ut dicat, ſe noſſe Stoicorum omnia vel Peripateticorum. Niſi forte hoc verbum, novi tum omnia, ab idiotis aliquibus imperitiam ſuam non agnoſcentibus audiit.*

l) In *præfat. Hiſtoriæ naturalis.*

m) Dicta hac de re nonnulla in diſſ. *de comparatione philoſophiæ gentilis, cum Scr. S. & religionis chriſtianæ dogmatibus caute inſtituenda, quæ prima* eſt in *Otio vindelico.*

tum principum ſectæ eclecticæ, Plotini, Porphyrii, Jamblichi, Hieroclis, Procli, & ſimilium; Stoicorum quoque poſt reparatam ſalutem principum, Senecæ, Epicteti, Antonini, &c. Quæ ut totius ſyſtematis ſui rationem plerumque exponunt, ita in normam eligenda ſunt, ad quam reliqua, quæ ab aliis de horum philoſophorum doctrina referuntur, exigi debent. Ex ipſis enim philoſophorum, præcipue ſectarum conditorum, verbis certiſſima de mente dogmatum ab iis admiſſorum indicia deſumi poſſe, quilibet per ſe intelligit, & res ipſa loquitur, experientia tamen in his literis exercitatum magis confirmat. Sæpiſſime enim deprehendimus, eos, qui philoſophis, præcipue veteribus poſteriores eorum dogmata retulerunt, vel inſcitia, vel detrahendi & odium conflandi ſtudio ſiniſtre ea expoſuiſſe. Qua in culpa præcipue verſatur Ariſtoteles, qui magno ſtudio coëmtis & expilatis veterum libris, ita haud raro eorum mentem expreſſit, ut nocentior quidem & a vero alienior videretur, longe tamen a vera eorum ſententia recederet; qua in re Speuſippum, Ariſtoxenum & Xenocratem comites habuiſſe olim jam conqueſtus eſt PORPHYRIUS, [n] ipſe ſæpe non melior. Idem & epicureæ philoſophiæ hiſtoria comprobat, quæ ſi ex adverſariorum, præcipue Stoicorum, immo & Ciceronis atque Plutarchi relatione judicanda eſt, abſurditate vix ab alia vincitur, ex ipſis vero Epicuri epiſtolis, quas nobis conſervavit LAERTIUS [o] deſumta meliori habitu conſpiciendam ſe præbet. Semper enim, ut in omni ſententiarum divortio, ita præcipue in philoſophorum ſententiis adverſarii partes argumento ab invidia & odio ducto preſſas eſſe, fidem nobis, quæ ſequetur faciet hiſtoria philoſophica, tum veterum, tum noſtrorum temporum.

Diſpiciendum, de ſua an de aliorum ſententia loquantur philoſophi.

II. *Attendendum vero in ipſis, quæ ſuperſunt ſcriptis philoſophorum, an de ſuis hypotheſibus agant, ſuamque mentem expromant, an aliorum ſententias referant.* Multum incertitudinis & erroris neglecta hæc cautio in hiſtoriam philoſophicam intulit. Solent enim haud raro veteres imprimis philoſophiæ doctores aliorum philoſophorum ſententias referre, idque haud raro ita, ut ſumma attentione opus ſit, ſi recte aſſequi quis cupiat, de cujus doctrina vel opinione ſermo ſit. [p] Id in Platonis potiſſimum & Ariſtotelis ſcriptis uſu venit; ille enim mox Parmenidem, mox Cratylum, mox Socratem, mox Timæum, loquentes inducit, horumque philoſophorum ſententias ſuis dialogis ita miſcet, ut magna difficultas & obſcuritas in exquirenda vera Platonis mente inde oriatur. [q] Hic vero, dum, judice GASSENDO, compilatorem alienorum operum maximum ſe præſtat, ſimili cum præceptore labore aliena ſuis ſine evidenti ſæpe indicio miſcet. Et his ſimilia in reliquis quoque occurrunt.

Sectæ expendendæ.

III. *In conſulendis* porro *veterum philoſophorum ſcriptis & hauriendis inde eorum ſententiis ad ſectæ, cui vel addicti fuerunt, vel quam ipſi exci-*

n) In *vita Pythagoræ p. 36. ed. Rom.* conf. FR. PATRICIUS *diſcuſſ. Peripat. T. II. l. I.*

o) *l. X. de vit. philoſ.*

p) Conf. *Otium vindel. mel. I. p. 157.*

q) Vid. *Hiſtoria philoſ. doctrinæ de ideis §. 2. p. 13.* ubi prolixius hoc ipſum probavimus.

excitaverunt, linguam loquendique modum, quam maxime attendendum eſt. Dum enim philoſophi vocibus utuntur pluribus ſectis communibus, propriam tamen ſuoque ſyſtemati accommodatam verbis ſignificationem ab aliis ſectis longe abeuntem ſubjiciunt; quam qui non probe notat, & eadem dicere philoſophos putat, ubi iisdem verbis & loquendi modo utuntur, miſere fallitur. Exemplis hujus rei hiſtoria philoſophica ſcatet, & vel una fati vox ſatis comprobat, quæ longe aliud apud Pythagoram & Platonem, aliud apud Stoicos, aliud apud Epicurum ſignificat, ſenſu non tantum diverſiſſimo, verum etiam ſæpiſſime contradicente. [r]

Totum ſyſtema philoſophi eruendum.

IV. *Ut* itaque *de ſententia philoſophorum ſanum rectumque judicium ferri queat, totum ex eorum ſcriptis ſyſtema* ita *eruendum eſt*, ut ante omnia principia generalia, quæ fundamenti loco toti doctrinarum ædificio ſubjiciuntur, eruantur, & his demum illæ ſuperſtruantur concluſiones, quæ ex iſtis fontibus ſponte ſua fluunt. Quemadmodum enim hoc præcipue philoſophi officium eſt, ut ex poſitis quibusdam principiis generalibus, ſpecialia dogmata juſto nexu derivet, ita eam interpretationem merito alteri prætuleris, quæ cum toto ſyſtematis habitu & connexione convenit apteque inter ſe cohæret, etſi prima facie aliud dicere videatur. Quod ubi neglexeris, mira ſententiarum confuſione deceptus, nunquam ad veram philoſophorum mentem rite cognoſcendam pervenies. Id quod plurimis viris doctis in Stoicorum præcipue ſyſtemate explicando accidit. Cum enim Stoici poſt natum Chriſtum, chriſtianæ potiſſimum doctrinæ laude illecti, verbis & externa ſpecie philoſophiam ſuam, imprimis moralem ſpecioſius ornarent, [s] factum inde eſt, ut viri multi magna eruditionis laude florentes, ſed incautius ad ſyſtematis ſtoici nexum habitumque non attendentes, plurima ſana & egregia ſomniarent, quæ propius & ex intima principiorum ſtoicorum connexione conſiderata, non unum errorum cumulum exhibent.

Ad circumſtantias philoſophorum attendendum.

V. Non vero ad ſyſtemata tantum ipſa, in ſcriptis philoſophorum obvia, ſed *ad circumſtantias quoque auctorum*, temperamenti & educationis rationem, præceptores, quos ex parte imitati ſunt, adverſarios, quibus ſua dogmata oppoſuerunt, fautores, vitæ genus, quod ſectati ſunt, gentem unde vel oriundi, vel apud quam vixerunt, & quæ alia his ſimilia *attendendum eſt.* Supra enim jam monuimus, ejusmodi circumſtantias plurimum habere in ipſa ſyſtemata philoſophorum influxum, quæ ubi negliguntur, ineluctabilem obſcuritatem pariunt. Id quod in plerisque tum veterum, tum recentiorum philoſophematis recte obſervatum magnam lucem hiſtoriæ philoſophicæ accendit: uti præter ea quæ jam diximus, ex iis, quæ de philoſophia pythagorica in veteris, & de theoſophico-paracelſica in recentioris philoſophiæ hiſtoria dicentur, ſuo loco erit manifeſtiſſimum.

VI. *Quod*

r) Conf. PLUTARCH. *de placit. philoſ. l. I. c. 25. ſeqq. Otium vind. mel. I. §. 7. p. 85.* ubi plura hanc in rem dicta ſunt.

s) Prolixius id oſtendimus in diſſ. *de ſubdola Chriſtianorum imitatione a Stoicis poſt C. N. ſuſcepta, quæ inſerta eſt Tempe helvet. T. III. ſect. 2. art. 4.*

Teſtimonia fide digna quærenda,

VI. *Quod ſi ipſa philoſophorum ſcripta nobis non ſuppetunt*, vel quæ pro talibus venditantur, examen criticum non ſuſtinent, *ad eorum quam maxime teſtimonia confugiendum eſt, qui philoſophis ætate fuere proximi*, & vel eos ipſos docentes audiverunt, vel eorum genuina ſcripta legerunt, & dogmata philoſophorum intelligere potuerunt; præjudiciis vero non occœcati impedimenta non habuerunt, in cognoſcenda ſententia veterum. Quorum ita examen inſtituendum eſt, ut quo major teſtium nubes ſe nobis offerat, qui & veritatem dicere potuerunt, & cauſam, cur eam vitiarent, non habuerunt, eo majorem quoque fidem mereantur. Et hæc communis admodum, ut omnis hiſtoriæ, ita maxime philoſophicæ regula eſt; ex qua ſua ſponte fluit, in teſtimoniis adducendis quo major eſt teſtium auctoritas, & fides, eo majorem habere ea quoque veriſimilitudinem. Id quod imprimis apud eos obſervandum eſt, qui certæ cuidam ſectæ addicti, hiſtoriam philoſophicam vel totam, vel ex parte aggrediuntur. Illis enim ad ſectæ ſuæ emolumenta plurimum attentis non facile habenda fides, niſi aliorum quoque teſtimoniorum auctoritate ſuffulti veri magnam præ ſe ferant ſpeciem. Nam plerumque ejusmodi homines philoſophorum vitam, fata & dogmata ita referunt, ut ad ſua potiſſimum placita commodum atque commendatio redundet. Quæ cautela imprimis apud Eclecticos, ſive Alexandrinos philoſophos, qui Platonicorum quoque recentiorum nomine inclaruerunt, tenenda eſt; hi enim vaferrimi homines, ad incruſtandum novum philoſophiæ ſuæ ſatis miſeræ genus, veterum imprimis Pythagoræ vitam, fata & philoſophiam ita depinxerunt, ut ingenii ſui ſomnia a magnis iſtis viris profecta viderentur; quæ tamen accuratiori examine excuſſa, non ſuſpecta tantum videntur, ſed & falſa & fruſtra aſſerta. *t*

præſertim in philoſophis poſt C. N.

VII. *Neceſſariam hanc cautionem* eſſe, quilibet videt, qui artem criticam vel a limine ſalutavit: majorem tamen ejus neceſſitatem *deprehendimus in dijudicandis relationibus & fide philoſophorum poſt Chriſtum natum florentibus*, præſertim iis, qui Potamone primum, mox Ammonio Sacca auctore peſſimum inſtitutum excoluerunt, plures ſectas inter ſe conciliandi, immo ipſa quoque ſanctiſſimæ religionis noſtræ decreta cum ſuis ſyſtematibus conjungendi, iisque veterum philoſophorum nomine & auctoritate præfixa dignitatem nomenque acquirendi. Nihil enim his philoſophis ſolennius, quam ut ex abundantiſſimo hiſtoriæ philoſophicæ gremio, cui ſe profunde ſatis inſinuant, depromant infinitam ſententiarum mirabilium materiem, quam mira audacia inter ſe coaptantes, deforme philoſophiæ ædificium extruunt, & dum veterum nomina crepant, incauto lectori ea pro genuinis veterum doctrinis dogmata propinant, quæ a vero eorum ſenſu maxime abeunt. Unde omnes omnino Syncretiſtæ, id eſt, variarum ſententiarum & diverſarum ſectarum inter ſe conciliatores caute audiendi & multo cautius admittendi ſunt, quippe qui mentem philoſo-

t) Vid. cel. MOSHEMII diſſert. *de corrupta per recentiores Platonicos eccleſia, volum. diſſ. ad H. E. pertin. p. 85. ſeqq.*

loſophorum plerumque adulterant, cujus teſtes fere infinitos hiſtoria philoſophica, tum veteris, tum mediæ, tum recentioris ætatis nobis exhibebit.

Suppoſititia ſcripta fugienda.

VIII. Quia vero magna ſemper fingendi & ſupponendi fuit licentia, imprimis ex quo in Ægypto atque Aſia minore certum hominum genus extitit, quod ſingulari philoſophiæ genere ſuperbiens, licitum ſibi putavit pia fraude, & libris veteribus ſapientiæ doctoribus magnisque viris ſuppoſitis, ſua dogmata propagare; quam peſtem in ſua arva quoque derivare recentiores Platonici, immo nec Chriſtiani omnes ab ea abſtinuere, ut de hæreticis, magnis hujus fraudis artificibus, nihil jam dicamus: " hinc *ſumme cautum oportet eſſe providum hiſtoriæ philoſophicæ cultorem, ne facile in ejusmodi retia incidat, fidemque libris habeat magnam antiquitatis ſpeciem mentientibus, ſed fraudis atque impoſturæ veſtigia attento facile prodentibus.* Evolvant, qui hujus rei exempla cupiunt, qui ſub Zoroaſtris, Sibyllarum, Mercurii Triſmegiſti, Orphei, aliorumque priſcæ philoſophiæ antiſtitum nomine libri venduntur, magnamque ibi fingendi & ſupponendi licentiam deprehendent. Et horum ſimilibus hiſtoria philoſophica ſcatet, quæ qua ratione vitanda & detegenda ſint, criticæ artis magiſtri[x] docere ſolent.

Examinandi gradus fidei hiſtoricæ.

IX. Quod ſi ſcripta, ex quibus teſtimonia de factis, dictis, fatis & dogmatibus philoſophorum, quorum ingenii fœtus ætatem non tulerunt, haurienda ſunt, genuina ſuisque auctoribus digna deprehendimus, *collatis* tamen *teſtimoniorum narrationibus ad fidei hiſtoricæ gradus oculus intendendus eſt*, nec examinandum tantum, an ſcriptor, qui teſtis eſt, veritatem dicere potuerit & voluerit, ſed & quæ teſtimonia fidei gradu & auctoritate reliquis præferri mereantur. Etſi enim ad veriſimilitudinis lancem in hiſtoria omni, præcipue vero in philoſophica, pleraque ponderanda ſunt; poteſt tamen interdum probabilitatis ratio eo usque urgeri, reique veritas ita poni in aprico, ut parum a demonſtratione abſit, certe ab inſigni errore tuti eſſe queamus. Cujus regulam concinne exhibuit celebris artis rationalis doctor,[z] ita præcipiendo: *Res geſtæ, de quibus ſenſus facile poſſunt judicare* (eadem intellectus ejusque ratiociniorum conditio eſt) *ſi confirmentur teſtimoniis multorum hominum diverſarum ætatum, diverſarum nationum, diverſa conſilia ſequentium, ſi de illis loquantur tanquam de ſe viſis, neque ſuſpicio ſit eos conſpiraviſſe ad mendacium ſtabiliendum, non minus conſtanter credi debent, quam ſi viſæ fuiſſent a nobis propriis oculis.* Quo magis itaque ad hunc apicem in expendenda philo-

u) conf. IDEM diſſ. *de cauſis ſuppoſitorum librorum inter Chriſtianos ſ. I. & II vol. cit. p. 217. ſeqq.*

x) Enumerat eos B. FABRICIUS *bibl. græc. vol. XIV. p. 131.* & cauſas ſimul ſuppoſitionum in compendio una cum criteriis affert.

z) Auctor *artis cogitandi P. IV. c. 7. p. m. 491.* conf. quæ erudite & copioſe de fide hiſtoriæ philoſophicæ diſſerit cel. C. A. HEUMANNUS *act. phil vol. I. p. 381. ſeqq.*

philoſophiæ hiſtoria pertingere nobis licet, eo certiorem illa nobis cognitionem impertietur. Quod ſi, ut plerumque fieri ſolet, ad tantum probabilitatis gradum pervenire nobis non licet, opera tamen danda eſt, ut, quantum licet, veriſimilitudinis gradus augeantur; ubi imprimis cavendum eſt, ne ſolo teſtium numero, præſertim eorum, qui nimis remoti ab iis temporibus fuerunt, de quorum factis & dictis teſtimonium perhibent, moveamur, ad dandam illis fidem, cum haud raro ſine examine ſequiorum temporum ſcriptores prioris ætatis commentaria exſcribant, novorum ideo teſtium in numero non habendi. Verum de his prolixius conſulendi ſunt, qui de ratiocinandi arte præcipiunt.[a]

Nihil aliter affirmandum, quam fides hiſtorica patitur.

X. Caute in hiſtoria philoſophica incedendum eſſe, ex dictis ſponte ſua ſequitur: inde vero fluit, *nihil affirmandum vel negandum in ea eſſe, aliter, quam fidei hiſtoricæ leges patiuntur.* Unde quæ ſola poſſibilitate ſpeciem ementiuntur, qui infimus fidei hiſtoricæ gradus eſt, cautiſſime conſideranda & admittenda ſunt, & ubi licet probabilitatis ratio atque cauſa, quousque fidem narratio mereatur, adjicienda eſt, ut ſcilicet veritatis indagator uno intuitu videat, quid ſtatuendum, admittendumve, quidque rejiciendum ſit.

In dubiis ſuſpendendus aſſenſus.

XI. Hac via ſollicite incedenti accidet ſæpius, ut adductis & ponderatis rationibus & teſtimoniis incertus ſit, quid ſequi debeat, quid admittere tanquam verum, quid tanquam falſum repudiare. Et hic omnino *ſuſpendendus intellectus aſſenſus eſt, & fatenda candide incertitudo.* Qui pyrrhoniſmus hiſtoricus uti maxime ſobrium in hiſtoria medicamen eſt, ita quoque in philoſophica hiſtoria non tantum adhibendus eſt, ubi certum probabilitatis gradum attingere non licet, dubiusque intellectus hæret: ſed muniendus eo etiam eſt animus, ut nihil, præcipue primas veriſimilitudines rationes non præ ſe ferens, temere pro vero admittatur, ſed eo usque ſuſpendatur intellectus judicium, donec adhibitis ratiocinandi regulis & accurato examine fundamenta fidei hiſtoricæ rei debitæ pateſcant.[b]

Res ipſæ conſiderandæ.

XII. *Neque res ipſæ*, quæ in hiſtoria philoſophica occurrunt, ſive facta ſint, ſive doctrinæ, *negligendæ, ſed ita expendendæ ſunt, ut locum ibi, ubi de iis ſermo fit, invenire queant.* Ubi tamen & ſcylla & charybdis vitanda, mediaque via incedendum eſt, ne in extrema currendo, a veritatis tramite aberretur. Scilicet ubi philoſophis talia vel dogmata, vel facta tribuuntur, quæ communes rationis ſenſusque regulas lædunt, & ab homine ſobrio atque vel mediocriter docto expectari vix poſſunt, non temere ea admittenda, ſed accuratiſſimo omnia examine excutienda ſunt; qua cautione adhibita multa fabularum plauſtra ex hiſtoria philoſophica ejici poſſunt, quas mendax potiſſimum Græcia[c] excogitavit, & imprimis ſophiſtarum

a) Eleganter multa hac de re præcipit celeb. CROUSAZIUS *Logic. P. III. c. 4. p. m. 1186.* qui legendus eſt.

b) Vid. BIERLINGII Commentatio *de pyrrhoniſmo hiſtorico.*

c) Teſtimoniorum religionem & fidem nunquam

rum nugacia & ad fingendum & mentiendum parata ingenia pepererunt, ab omni veritatis non ſpecie tantum, ſed & ſenſu aliena, qualia v. g. in Cynicorum hiſtoria deprehendere licet. Non tamen eo usque id extendendum eſt, ut pro falſo & effícto habeamus, quicquid a ratione alienum philoſophis tribuetur. Uti enim non omnes philoſophi fuere, qui pallium & baculum geſtarunt, barbamque nutriverunt; ita ad inſana multa, & imprimis ad abſurdiſſima ſententiarum monſtra multos fuiſſe delapſos, ex certiſſimis hiſtoriæ monumentis conſtat, nihilque tam abſurdum eſt, quod dictum ſit ab aliquo philoſophorum.

Suæ opiniones philoſophis non ſupponendæ.

XIII. Hactenus intellectum ab iis impedimentis præmunivimus, quæ in decurrendo hiſtoriæ philoſophicæ campo ex re tractanda enata haud parum obſunt. Jam & ipſe hiſtoriæ philoſophicæ ſtudioſus muniendus eſt, ne ſibi ipſe officiat. *Caveat* itaque, *ne ſuas opiniones, ideas, ſententiam, philoſophis ſupponat, & ea ſe apud illos videre putet, quæ vel ipſe ſentit, vel, ut ſentiant philoſophi, in votis habet.* Id quod ex eo tempore, quo literarum reformatio fauſtis avibus obtigit, ſæpiſſime accidit. Certis enim opinionibus innutriti vel occupati viri docti, ut ſuæ hypotheſi, quam ſemel deamaverunt, auctoritatem concilient, philoſophorum veterum ſententias ad ſua dogmata ita applicant, ut cum iis conſpirare videantur. Cujus nobile exemplum hiſtoria philoſophiæ Sinenſium ſuppeditat, quam viri docti, qui ex ſocietate Jeſu ad hanc gentem miſſi ſunt, ita nobis exhibent, ut præjudicio non occæcati facile odorentur, ad philoſophiæ ſcholaſticæ, ab his viris Sinarum regno illatæ, ideam gentis longe alia ſibi perſuadentis cogitata fuiſſe efformata, [d] quæ res quantas noſtra ætate lites & diſſidia pepererit, inter omnes conſtat.

Major lux non inferenda, quam in ſe hiſtoria habet.

XIV. Non vero tantum a ſuæ ſententiæ & hypotheſeos veterum dogmatibus inferendæ ſtudio abſtinendum eſt, ſed *nec major lux inferenda iis, quam penes auctores ſuos habuerunt.* Quisquis enim cauta ſobriaque ratione philoſophicam hiſtoriam expendet, deprehendet, ſæpiſſime philoſophos non claras ſatis & diſtinctas doctrinarum ſuarum habuiſſe ideas, ſed vocibus vagis & indeterminatis uſos incertum lectorem dimiſiſſe, quod imprimis in Ariſtotele recentiores reprehenderunt philoſophi. [e] His qui certiora ſubſtituit, & clariore luce donat, non tam veterum philoſophorum mentem pandit, quam ſua cogitata iis affingit, quemadmodum ab iis factum eſt, qui Ariſtotelis philoſophiam recentiori reconciliabilem aſſeruerunt. [f]

Veteris philoſophiæ idea ad noſtram non exigenda.

XV. Tandem *nec ad noſtrorum temporum habitum & ſapientiæ inter nos cultæ ideam philoſophia vetus exigenda eſt.* Aliam enim ætatem alia philoſophandi ratio ſemper decuit. Cujus regulæ neglectæ incuria

quam iſta natio Græcorum coluit. CICERO *Orat. pro L. Flacco.*

d) Ita Laurentium Magaloti & Carolum Dati, doctiſſimos Florentiæ viros judicaſſe, poſtquam cum Jeſuitis Grubero & Orvillio ex Sina reducibus de Sinarum philoſophia nobis collocuti fuiſſent, refert cel. RENAUDOTIUS in diſſ. *de eruditione Sinenſium.*

e) Ars cogitandi, Mallebranche, aliique.

f) Vid. illuſtr. LEIBNIZIUS *pec. diſſ. T. II. epiſt. Leibniz. p. 121. ſeqq.*

nobis tot monſtra philoſophorum, præcipue in hiſtoria philoſophiæ barbaricæ progenuit, & prophetas Hebræorum vetuſtiſſimorum immo reges Orientis mutavit in profeſſores philoſophiæ, encyclopædiæ hodiernæ ſtudio innutritos. Quod puerile præjudicium mature in hiſtoria philoſophica abjiciendum eſt.

Temporum rationes conſideranda.

His cautelis ſi longinquum iter muniatur, & philoſophicæ hiſtoriæ ſtudium caute ſobrieque ſuſcipiatur, facile difficultates ſuperari poſſunt, quæ in ampliſſimo hoc campo exſurgunt, innumeræ, facileque ex hoc labyrintho evadimus ſalvi atque incolumes. *Non negligenda* tamen & *reliqua eruditionis præſidia, & imprimis temporum rationes probe conſiderandæ ſunt*, quæ accurate adhibitæ fabulas produnt, a pauciſſimis ſæpe animadverſas. Exemplum eſto Iſidorus, celebris eclecticæ ſcholæ philoſophus, quem Hypatiæ doctiſſimæ fœminæ maritum faciunt, & abſtinentiam cum ea ſervaviſſe afferunt recentiores, poſt Suidam, viri doctiſſimi tantum non omnes; manifeſtum tamen errorem prodente temporum ſerie, Hypatia violenta nece ſeculi poſt C. N. quinti anno decimo quinto extincta, Iſidoro ſeculi ſexti anno trigeſimo tertio cum aliis philoſophis ad Perſarum regem tranſeunte. Et talia quidem innumera in hiſtoria philoſophiæ occurrunt. Sed & totius eruditionis hiſtoria in ſubſidium vocanda eſt, ſine qua philoſophorum acta ſæpiſſime intelligi nequeunt; quod & de ſacra eccleſiæ hiſtoria tenendum, eo potiſſimum tempore, quo apud homines eccleſiaſticos philoſophia, vel, ſi mavis, philoſophiæ umbra ſedem fixit. Unde & in ſequenti tractatione ubique lux ex ſacra & literaria hiſtoria philoſophicæ lucranda erit.

Ignem ſupra num. I. innuimus præcipuam cauſam eſſe, cur tot veterum, præſertim philoſophorum libris careamus, id quod nemo negaverit, qui librorum veterum fata cognovit. Ut enim ſilentio prætereamus eos philoſophorum libros, quos ipſi Vulcani flammis deleverunt, magna incendia, quæ celeberrimas bibliothecas devoraverunt, in cauſa fuerunt, ut tot libri veterum philoſophorum nobis eriperentur. Celeberrimam enim Ptolomæorum bibliothecam incuria militum Cæſaris flammis abſumtam nemo ignorat. Illi vero præſtantiſſimos omnis generis, præcipue vero philoſophorum libros illatos eſſe, conſtat. Idem fatum Romæ poſtea bibliothecam in Palatio Cæſareo ad templum Apollinis a Cæſaribus extructam delevit, igne cœlitus delapſo conſumtam: quam cum cura Imperatorum ex cineribus excitaret, novo conſilio & inconſulto fervore pontifex romanus Gregorius magnus, omnes gentilium libros Romæ ſuperſtites igne extirpavit, vid. SARISBERIENSIS *Policrat. l. II. p. m. 123.* Cum vero poſt primam bibliothecæ Alexandrinæ conflagrationem inſignis librorum optimorum præſertim ad philoſophiam in hac urbe præter alias excultam pertinentium, theſaurus collectus iterum eſſet, effecit Saracenorum principis Omari rabies, & inſanus legis ſuæ amor, ut occupata Alexandria omnes veteres libri igne

multos

multos menſes durante delerentur, fruſtra precibus intercedente Joanne Philopono, vid. ABULPHARAJUS *Hiſt. Dynaſt. p. 114.* Immo, quod mireris, ipſe Almamon Saracenorum principum longe doctiſſimus & eruditionis maximus promotor ad commendandas, quas fieri curavit translationes veterum ſcriptorum, præcipue philoſophicorum eo artificio uſus eſt, ut archetypa græca igne deſtrui juberet, referente LEONE AFRICANO *de viris illuſtribus Arab. c. I.* apud FABRIC. *Bibl. Gr. Vol. XIII. p. 260.* Quare mirum non eſt, tot veterum philoſophorum libros hodie deſiderari. Alia dabit cel. SCHELHORNIUS *Amœnit. T. VII. p. 75. ſqq.*

§. VII. Provide dictum in modum cauteque ſuſceptum ſtudium inquirendi origines, incrementa & fata philoſophiæ utilitate gaudere maxima, & per omnem diſciplinarum optimarum circulum haud contemnendis ſe emolumentis, quæ præſtat, commendare, adeoque improbo labore & pertinaci, quam poſtulat patientia, dignum eſſe, perſpiciet haud difficulter, quisquis tum ad dogmatum, tum ad hominum hiſtoriam in philoſophia paulo plenius attenderit. Nulla enim fere diſciplina eſt, quæ ex hiſtoria philoſophica recte exculta incrementa capere nequeat. Eſt enim hæc fatorum ſapientiæ humanæ enarratio revera hiſtoria intellectus humani, [g] quæ, quid ille valeat, qua ratione tenebris ereptus, & veritatis luce colluſtratus per varios caſus, per tot diſcrimina rerum ad cognoſcendam veritatem & felicitatem pervenerit, per quos anfractus aberraverit, qua ratione revocatus in regiam viam ad metam contenderit, quibusque mediis ita felicitati animi miniſtraverit, luculenter ediſſerit, & ita expoſitis ingenii humani fatis, quæ via ſuperſit, quæ ſyrtes vitandæ, quis portus anhelandus, verbo, quid ab intellectu humano adhuc expectandum ſit, exponit: quod cum ad reliquas quoque ſcientias pertineat, eximius hiſtoriæ philoſophicæ uſus inde patet. Sed non veritatis tantum origines & incrementa aperit hiſtoria philoſophica, ſed erroris quoque fontes indicat, & qua ratione ſententiæ non falſæ tantum, & erroneæ, ſed pernicioſæ quoque & corrumpendis animis aptæ ortæ, quibus mediis propagatæ ſint, quæ damna tam rei publicæ literariæ, quam chriſtianæ attulerint, vivis depingit coloribus. Cujus rei plurima emolumenta ſunt. Quod ſi enim diſcimus, magna ingenia & ad divinitatem relata in errorum abſurdiſſimorum pariter atque nocentiſſimorum devia delapſos a veritatis tramite longe receſſiſſe, cadet peſtilentiſſimum auctoritatis præjudicium, & ſana atque ad philoſophandum maxime proficua alitur erga quoscunque, etiam magni nominis, homines diffidentia, ut propter nominis celebritatem opinionibus eorum non adſtipulemur, nihilque ex iis pro vero admittamus, niſi accurato prius examine probatum, & verum deprehenſum fuerit. Quæ prudentia ſi ex hiſtoriæ philoſophicæ cultu mature adhibita fuiſſet, citius a jugo Ariſtotelico, quod intolerabili ſervitute per tot ſecula orbem philoſophicum preſſit, humani gene-

Utilitas hiſtoriæ philoſophicæ.

Eſt hiſtoria intellectus humani.

Errorum index.

g) Laërtii hiſtoriam ideo ingenii humani hiſtoriam appellat MENAGIUS in *Comm. ad Laërt. proleg. p. 2.* conf. DESLANDES *Hiſtoire critique de la philoſophie T. I. pref.*

generis ingenia liberaſſet, quinimmo omni ſectæ ſtudio, philoſophandi libertati ſanæque veritatem inquirendi methodo tam adverſo, & veritati per omnem ætatem inimico obicem validiſſime poſuiſſet. Nec id tamen, quod quis objiciat, ad deprimendos alios, magnosque viros contemnendos, ſeque ambitioſius efferendum, viam ſternit; diſcunt enim exemplis virorum ſummorum, in veritate inquirenda turpiter ſæpe lapſorum philoſophantium ingenia, quam ſobrie & modeſte agendum ſit in hoc negotio, & quam caute incedendum, ne, quod maximis ingeniis accidit, nobis, qui ad tantam mentis aciem non aſſurgimus, eo magis eveniat; immo his exemplis de ſe modeſte ſtatuere, & a ſe errare non alienum eſſe, prudens diſcit, quæ infirmitatis ſuæ agnitio & ad tolerandos amice diſſentientes, & ad ferendam æquo animo contradictionem aliorum, & ad libere ac ſine partis ullius ſtudio & reſpectu venandam veritatem calcar addit ſtrenue. Aperiunt vero detecti errores, eorumque fontes etiam liberum vel ideo cogitandi campum, quia luculentis exemplis oſtendunt, opiniones a plerisque interdum pro veris admiſſas, leviſſimis præjudiciis, & cæco auctoritatis, antiquitatis vel commodi quoque ſtudio niti, veritates vero, a plerisque rejectas, & pro paradoxis, erroneis & perniciosis habitas, poſt multorum ſeculorum, quibus depreſſæ jacuerunt, injuriam tandem caput extuliſſe, & de errore triumphaſſe. Quæ hactenus dicta ut exemplis declaremus, magnus ſemper error invaluit in ſuperſtitioſo ſpirituum corpore humano non veſtitorum cultu & invocatione, cujus deteſtabiles fontes nobis aperit philoſophia platonica, quæ ex pythagorica & orientis quoque traditione, cum de mediatore inter Deum & homines ſubobſcure quædam percepiſſet, per quem reconciliandum ſit Numen cum hominibus, offerendæ preces, commendanda ſacrificia, revelanda vero hominibus voluntas divina, & impertienda beneficia divinæ benevolentiæ; neſcio quem dæmonem magnum, amoris nomine inſignitum, per quem iſta fierent, excogitavit,[h] & de dæmonum ex ha re exſurgenti officio multa obſcuriſſime, ut in ejusmodi argumenti genere fieri ſolet, diſputavit. Cum vero peſtilentiſſimus error accederet, emanaſſe ex Deo omnia entia intellectualia, per diverſos ordines peculiarem exiſtentiam nacta, excogitavere ſequentia tempora in ſcholis Platonicorum certum quoddam dæmonum genus, quod mediam inter Deum & hominem naturam teneat, quique dæmones catenam unam ab hominibus ad Deum pertingentem conficiant, quæ univerſum repleat. Hos mediatores inter Deum & homines conſtituebant, per hos preces hominum ad Deum perferri, ſacrificia referri, Deique voluntatem patefieri, beneficia exhiberi ſomniabant, hos itaque religioſo cultu invocandos, hos, poſito licet inter Deum atque genios cœleſtes diſcrimine, colendos contendebant.[i] Qui putidus error, cum ad Chriſtianos philoſophiæ platonicæ nimis

h) Memorabilis hoc de argumento locus extat apud PLATONEM *T. III: Opp. p. 201.* ed. Serr. qui apud ipſum philoſophum legi meretur.

i) Conſulendus luculentus locus IAMBLICHI *de myſt. Aegyptior. l. I. ſect. 5. p. 8.* ed. Gal.

nimis deditos perveniſſet, ſinceram de cultu ſoli Deo debito doctrinam corrupit, & erroneam de cultu angelorum bonorum doctrinam in eccleſiam introduxit; in qua non hæretici tantum neſcio quas Æonas divinitatis quadam ratione participes inde exſculpſerunt, ſed & doctores alii, illique cetera doctrina ſani, ad varia, quæ angelis exhibebantur, cultus religioſi genera dilapſi ſunt, cautius in ea re verſaturi, ſi erroris fontes & propagationem inſpexiſſent. Quemadmodum vero ita errores receptos publice & inter ſummas veritates relatos eſſe hiſtoria philoſophica docet, ita rejectas tanquam abſurdos errores veritates eximias, tandem noſtris temporibus triumphantes & veritatibus philoſophicis reſtitutas memorabili exemplo ex ſchola Pythagoræ petito confirmat. Placuit enim huic philoſopho, & qui ex ſectatoribus doctrinam hanc maxime ornavit Philolao, conſiſtere in centro ſuo ſolem, terram circum eum in orbem moveri; quod dogma ita paradoxum viſum eſt plerisque philoſophis,[k] ut præter Nicetam Syracuſium,[l] & Platonem, qui tamen in ſenectute demum calculum ei adjecit,[m] & alios Pythagoræ diſcipulos, imprimis Ariſtarchum Samium,[n] pauci reperiantur, qui illud inter ſua dogmata retulerint: immo ſacris oraculis contrarium eſſe, & fulmine ideo dignum, recentioribus adhuc temporibus viſum eſt, donec præſtantiſſimorum aſtronomorum, quibus Nicolaus Copernicus viam munivit, induſtria, & imprimis Galilæi, Kepleri, Robervalii, Gaſſendi, Bullialdi[o] demonſtrationibus effectum, ut pauci hodie ſint, qui ſyſtematis orbis noſtri accurate cognoſcendi ſtudio dediti elegantiſſimum & ad explicanda orbis noſtri phænomena aptiſſimum dogma, nec ſacris paginis, ſi recte conſiderentur, adverſum, non recipiant, illudque habeant pro ſententia magna probabilitatis ſpecie ſe commendante.

§. VIII. Non vero hoc tantum nomine univerſam eruditionem juvat hiſtoria philoſophica, ſed & fidiſſimus index eſt, quæ veritates inventæ ſint, quæ regiones, in orbe ſcientiarum detectæ, quæ adhuc incognitæ, & in quibus detegendis induſtria philoſophorum verſari debeat. Nam & in hac re omnis eruditionis plurimum intereſt, ne ſcilicet tempus ad excolendas ſcientias in ſe nimis breve, teratur inutiliter, & ea potiſſimum inveſtigentur, ad quæ hactenus pertingere non potuit intellectus humanus, ſine qua induſtria parum promovebuntur humanæ cognitionis limites. Verum non exponit tantum hiſtoria philoſophica, quæ inventa nondum ſint, ſed quæ male quoque tractata, quæ minus accurate expoſita, quæ ex parte tantum detecta: quo indicio non parum philoſophantium adjuvatur induſtria, qui diſcunt inde, quid reſtet, quæ viæ a veritatis detectione ſeducentes

Inventorum & inveniendorum ſyllabus.

k) PLUT. *de Placit. philoſ. l. III. c. 13.* & in *Numa T. II. Opp. p. m. 120.* LAERT. *l. VIII. ſ. 85.*

l) LAERT. *l. c.* CICERO *Tuſc. Q q. l. IV.*

m) PLUT. *l. c.* & in *Q q. Platonicis.*

n) SEXT. EMPIRICUS *l. X. adv. Math. ſ. 174. p. 663.* ed. Fabric.

o) Qui libro, *de motu terræ*, Philolai nomen ideo præfixit.

tes vitandæ, quid inventis addendum, ut tandem ad perfectionem ſuam aſſurgat cognitio. Quod hiſtoriæ philoſophicæ miniſterium noſtro potiſſimum tempore a magnis philoſophiæ reformatoribus utiliſſime adhibitum eſt, ut diſcerent, quid reſtituendum, quid emendandum, quid addendum, & novo conamine detegendum ſit. Quorum unus & alter hoc philoſophicæ hiſtoriæ uſu adhibito, ſi modeſte quæ aliis debeat indicaviſſet, nec omnia ſuo ſe proprio marte inveniſſe, & primum detexiſſe jactantius aſſeruiſſet, plagii amare ab adverſariis objecti turpem notam feliciter evitaviſſet. Id quod vel unum Carteſii exemplum luculenter probat. [p]

Adminiculum omnium ſcientiarum.

§. IX. Tandem & univerſam eruditionem philoſophica hiſtoria ita quoque juvat, ut ſcientiarum fontes indicet, unde hauriri queant, ut optimos auctores enumeret, ex quorum ſcriptis veritas addiſci queat, ut librorum optimorum argumenta exhibeat,& quid in iis ad eruendam & confirmandam veritatem, & ad refutandos errores aptum contineatur, edoceat. Hoc enim nomine magna & pretioſiſſima pars hiſtoriæ literariæ, id eſt, eruditionis univerſæ, eſt hiſtoria philoſophica, quæ hermathenes inſtar eſt, ad quærendos & eligendos præceptores mutos, ex quorum doctrina intellectus divitiæ augeri plurimum poſſint. Unde ignorantia lapſusque graves in philoſophica hiſtoria non injuria apud eos, qui inter doctorum numerum referri cupiunt,dedecori ſunt. Qui tamen in tam ampliſſimo campo, quem hæc eruditionis pars aperit, difficulter evitari poſſunt, niſi diligentem quis in ea excolenda operam navaverit. Alias riſum non minus excitabit, quam hæreticæ ille pravitatis inquiſitor, qui eo tempore, quo eruditorum ſui temporis phœnix Joannes Picus, & Germaniæ literatæ reformator Joannes Reuchlinus, philoſophiam cabbaliſticam reſuſcitabant, inſano contra eam zelo accenſus, & de periculo, quod jactabat interrogatus, ridicule reſpondit: ſurrexiſſe impium hominem, Cabbalam vocatum, qui multa contra chriſtianam religionem moliendo affeclas multos nactus ſit. [q] Dum vero , viri in literaria hiſtoria ſummi interdum vehementer lapſi ſint, quanta inde hiſtoriæ philoſophicæ accurato ſtudio excolendæ neceſſitas ſit illi, qui ad tantam lectionis copiam & cognitionem nondum pervenit, facile evincitur.

Magnam copiam exemplorum hic congerere liceret , qua ratione viri, qui πολυϊϛοριας laude florent, in hiſtoria philoſophica lapſi ſint, niſi veniam potius eorum de literis merita & oblivionem, quam opprobrium poſtularent, & humanum omnino, immo nulli fere, quantumvis in hiſtoria literaria ad miraculum exercitato, non facile eventurum id eſſet. Ut vero calcar habeant, qui has literas excolendas aggrediuntur, ut a magnis viris

p) Vid. HUETIUS *Cenſ. philoſ. Carteſ. c. VIII. p. 115.* & qui ſine partium ſtudio in ea re verſatus eſt illuſtris LEIBNIZIUS apud THOMAS. *Hiſt. ſap. & ſtult. T. II. p. 117.* BAYLE *Dict. T. I. p. 681.* nec excuſant eum ſatis, quæ affert BAILLETUS *vie de De Cartes l. VIII. c. 10.*

q) JO. PICUS MIRANDULANUS *Opp. p. 175. ed. Baſ.* JOAN. REUCHLIN. *de arte Cabbal. p. 7.*

ris ad ſuam imbecillitatem argumentati, omnique induſtria a lapſibus ſibi cavendi adhibita, ſedulo literariam quoque hiſtoriæ philoſophicæ partem perſequantur, duo tantum exempla quæ ob oculos ſcribenti verſantur exponemus. Ex his unum eſt magni viri, GERARDI JOANNIS VOSSII, cujus eruditioni & ampliſſimæ hiſtoriæ, etiam literariæ, præſertim antiquioris cognitioni quis non meritas laudis ſuſpendit tabulas? Is *de Philoſophia c. XVII. §. 6. p. 143.* ſermone de Proclo, celeberrimo Platonico, facto, inter alia ita: *Trajani temporibus claruiſſe ait Eraſmus Oſwaldus Schreckenfuchſius, in vita Procli, proque eo eſt, quod Suidas dicat, fuiſſe diſcipulum Plutarchi Chæronenſis, qui Trajani fuit præceptor. Sed quomodo is meminerit, Porphyrii immo Jamblichi qui temporibus claruit Juliani imperatoris, annis poſt Trajanum multo amplius ducentis? Jam ipſe fatetur Suidas, primum fuiſſe, qui poſt Porphyrium calamum amaroris plenum ſtrinxerit adverſus Chriſtianos? Ac Porphyrius claruit annis poſt Trajanum centum quadraginta ac deinceps.* Mirum hic videri queat eruditiſſimum virum ſolœciſmum literarium a Schreckenfuchſio admiſſum non advertiſſe, cum tamen ipſe dubia omni exceptione majora contra ejus aſſertionem necteret, nec ingentem ejus lectionem ſuffeciſſe, ut ſe eidem errori eriperet, Plutarchum eum, quem Marinus Procli præceptorem facit, & quem Schreckenfuchſius ſine dubio ignoravit, eſſe Chæronenſem, ita ut potius nodum quendam gordium hic necteret, quem non ſolvit, ſolvere tamen, & errorem ex homonymia ortum evitare facile potuiſſet, ſi ex eclecticæ ſcholæ hiſtoria, vel eodem, quem ſe ſequi profitetur SUIDA in *Plutarcho Neſtorii f. p. 133.* meminiſſet, fuiſſe hunc Plutarchum, (de quo ſuo tempore & loco plura dabimus,) Neſtorii filium, & athenienſem, cujus opera alexandrinæ philoſophiæ ſchola Athenis ſeculo IV. erecta eſt, & quem audivit Proclus, inter ultimos hujus ſcholæ doctores numerandus. Alterum exemplum hallucinationis in ejusdem ſcholæ eclecticæ hiſtoria exhibet eloquentiſſimus nuperus *hiſtoriæ philoſophicæ criticæ* auctor Gallus, qui *T. III. c. 39. §. 3.* ubi potiſſimam hiſtoriæ philoſophicæ ſec. IV. V. & VI. hiſtoriam, quam eclectica ſchola abſolvit, quaſi tranſeundo attingit, plura affert oppido falſa & erronea. Nam neque Syrianus athenienſem ſcholam erexit, ſed Plutarchus athenienſis; neque unquam edita ſunt Procli opera Hamburgi 1700. ſed vita tantum Procli a Marino ſcripta, ad quam tamen provocat; neque Marinus Judæus unquam fuit, ſed Samaritanus, Flavia Neapoli oriundus, & ad gentiliſmum degreſſus: neque eo tempore quo Simplicius in Ariſtotelem commentatus eſt, Ariſtotelis philoſophia vix nota fuit in oriente, ſed ipſorum potius Eclecticorum ſtudio maxime commendata, & inter Chriſtianos etiam admiſſa, quod vel ex uno Joannis Philoponi exemplo, quem tamen cum Simplicio congreſſum diſputatione ipſe monet, diſcere potuiſſet. Falſum denique Eclecticos ultimos Iſidorum, Damaſcium, Priſcianum, Eulamium, Simpliciumque ſola videndi regis Choſroës cupiditate inductos ad Perſas com-

migraviſſe. Feciſſe enim id, quod in ſua religione ſub imperatore chriſtiano ſibi ſatis tuti non viderentur, vel ex SUIDA *v.* πρεσβὺς notum eſt. Sed ejusmodi ſupinam incuriam in hac critica philoſophiæ hiſtoria rerum peritus ſæpe animadvertet.

§. X. Uti vero univerſæ eruditioni utiliſſimam operam præſtat hiſtoria philoſophica; ita ad ſpeciales diſciplinas reſpicientibus non minorem utilitatem conferre palam fit. Ponimus vero non inepte in fronte inſignem uſum, quem in aſſerenda & vindicanda religionis chriſtianæ veritate præſtat. Multiplici enim in ea re hiſtoria philoſophica labore defungitur. Oſtendit enim religionis naturalis origines, & diſperſam puriorem veritatem inter tot gentilium placitorum errores, & hiſtoriæ ſacræ fidem teſtimoniis exoticis egregie confirmat; aperit quoque, qua ratione veritatem in injuſtitia detinuerint ſtulti, & quantis abſurdiſſimorum commentorum monſtris impietas ſe prodiderit: atheiſmi hiſtoriam explicat, & quam turpis ille & a ratione omni per omnem hominum ætatem deprehenſus ſit, luculenter demonſtrat. Et hac ratione impiorum objectionibus refutandis arma egregia ſubminiſtrat, veritatisque ſucceſſionem inter Hebræos conſervatam & ad Chriſtianos transmiſſam elegantiſſime & fortiſſime roborat. Quem in modum ad confirmandam veritatem religionis chriſtianæ & primi ſanctioris diſciplinæ doctores in apologiis ſuis hiſtoria philoſophica uſi ſunt, & recentioribus temporibus certatim in id contenderunt viri doctiſſimi[r] impari quidem ſucceſſu: inter quos tamen, etiam quæ ad hanc rem pertinent, magno GROTIO pauci præferendi ſunt.[s]

Uſus in V. R. C. probanda.

§. XI. Non vero ſolus hic uſus eſt, quem ex philoſophica hiſtoria diſciplinæ ſanctiores referunt, ſed & alios præſtat, iſtis, quos diximus non minores. Nam & limites revelationis & rationis accurate ponere docet, quæque utrique humanæ cognitionis fonti debeantur, longa inſtituta doctrinarum inductione, manifeſtat; & quas partes in cognoſcendo ſalutis myſterio ratio, quas traditio, quas revelatio habuerit, egregie exponit, ut ita divinis literis honos ſuus maneat illibatus. Quin nec ſacræ paginæ nullam ex hiſtoria philoſophica lucem capiunt, ſed hinc inde plurimum luminis fœnerantur. Cum enim ſcriptores ſacri utriusque fœderis ad conſvetas ſui temporis opiniones Judæorum & gentilium reſpexerint, non poſſunt iſta loca, ubi obſcurius talia tanguntur, intelligi, niſi ex philoſophiæ veteris hiſtoria illæ, ad quas alludunt, opiniones detegantur. Cujus ſpecimina plura in ſacris oraculis occurrunt,[t] ipſe vero contextus ſacer quaſi ad hos fontes provocat, quando D. Paulus & cum Stoicis atque Epicureis congreſſus de reſurrectione differit,[u] & vitandam ſui temporis philoſo-

Limites revelationis & rationis detecti.

Sacris literis lux illata.

r) Vid. cel. FABRICIUS *Syll. Script. de V. R. C.* & quæ in diſſ. *de comparatione philoſophiæ gentilis cum Scr. S.* quæ in *Otio vindelico* primo loco apparet, hac de re dicta ſunt.

s) in opuſculo nunquam ſatis laudando *de V. R. C.*

t) Vid. quæ prolixius dicta ſunt in *Otio vindelico p. 16. ſeqq.*

u) *Act. XVII. 18. ſeqq.* vid. *ib. p. 33. ſeqq.*

loſophiam monet,[x] vel alibi quoque in depingenda gentilium miſeria ad eas phraſes & ſententias reſpicit, quæ in ſcholis philoſophorum gentilium receptæ & inter illos homines, ad quos ſcribebat, in uſu fuerunt,[y] quæ vero prolixius explicata alibi quærenda ſunt.

Eccl. hiſtoria illuſtrata,

§. XII. In nulla alia vero ſanctiorum diſciplinarum parte majori evidentia hunc uſum probat hiſtoria philoſophica, quam in eccleſiaſtica hiſtoria. Etſi enim ſupremus ſapientiæ magiſter, quique ex ejus ſchola prodierunt, divinæ veritatis præcones, ab omni humana eruditione, quam ſanctiſſima, quam profitebantur, doctrina refugiebat, ſponte abſtinuerunt, & in ſtulta Evangelii profeſſione, qualis philoſophis tum temporis hujus ſeculi prudentia ſuperbientibus videbatur, ſummam revelatæ ſapientiæ perfectionem poſuerunt: mature tamen factum eſt, ut percutientibus oculos divinæ veritatis ſua majeſtate & divina origine coruſcantis radiis viri in philoſophorum ſcholis enutriti & educati manus Evangelio darent, quin & publicis ſcriptis illud contra latratus gentilis impietatis defenderent: ubi ſacris quidem ſe literis quam maxime communiebant, haud raro tamen acquiſitam in ſcholis philoſophorum eruditionem ad hunc ipſum finem adhibebant, & cum ſanctiori diſciplina conjungebant; recte ſæpe & laudabiliter, interdum tamen cum veritatis cœleſtis diſpendio. Id quod parcius quidem primis naſcentis eccleſiæ temporibus factum eſt, frequentius vero & majori cum veritatis chriſtianæ damno, ex quo magnus philoſophiæ ægyptiacæ, quæ platonicam mira aliarum ſententiarum confuſione reformaverat, amor eccleſiæ doctores inceſſit. Ex eo enim tempore doctrinarum cœleſtium puritas & integritas non una ratione vehementer corrumpi cœpit. Quod ut ignotum illis eſſe, vel negari nequit, qui eccleſiæ hiſtoriam ſine ſectæ præjudicio excuſſerunt,[z] & ſuo loco a nobis prolixe quoque & ex inſtituto probabitur, ita prona conſequentia inde fluit, ſine philoſophiæ cognitione ad quam viri magni ſe ſubinde compoſuerunt, non ſcripta tantum eorum, præſertim illa, quibus ſuperſtitionem gentilium jugularunt, non poſſe intelligi, ſed nec doctrinarum ratio recte expendi, quæque in eccleſiam ſenſim irrepſere dogmata ſequiora ſatis deprehendi & origo eorum detegi, cujus tamen rei multum in hiſtoria ſacra intereſt.

& hiſtoria hæreſium.

Eadem vero & de hæreticorum veterum placitis rite cognoſcendis tenenda ſunt. Illorum enim inſania cum ex illa potiſſimum philoſophia, quæ inter Aſiæ incolas aliosque orientis populos vigebat, & ſplendidis antiquiſſimorum philoſophorum nominibus falſa jactantia ſuperbiebat, repullulaverit, poſtquam illa cum corrupta ægyptia philoſophia, pythagorico-platonicam philoſophandi rationem imitante, conjuncta fuit, & ad Judæos quoque pedetentim tranſiit, ut doctiſſimis viris, qui accuratius ad horum hominum placita eorumque origines attenderunt, ob-

x) ad *Coloſſ. II. 18.* cui loco lux ex H. P. allata eſt *l. c. p. 41. ſeqq.*

y) Vid. *diſſert. ad Eph. II, 1. 2. Tempe Helvet. T. II. S. I. p. 58. ſeqq.*

z) Vid. doctiſſimi HUETII *Origeniana.*

ſervatum eſt:[a] facile hinc intelligitur, ex philoſophiæ hiſtoria obſcuriſſimorum dogmatum, & ſomniorum maleſani ingenii peſſime ſæpe cohærentium explicationem potiſſimum hauriendam eſſe, quod quia a multis neglectum eſt, mirandum minime eſt, in explicandis hæreticorum placitis viros ſæpe magnos fuiſſe lapſos.

Uſus in Jurisprudentia.

§. XIII. Poterant hæc explicari prolixius, & oſtendi qua ratione lux illa, quam eccleſiaſticæ hiſtoriæ philoſophicorum fatorum enarratio infert, in refellendis quoque dogmatibus erroneis, & oſtendendis impuris, unde illa hauſta ſunt, lacunis uſum non contemnendum præſtet; ſed quia brevitati litandum eſt, & hæc quilibet facile capit, qui prudenti meditatione de ea re cogitare poteſt, ſicco illa pede præteribimus. Non vero ſanctioribus tantum diſciplinis inſignem uſum exhibet, ſed & juris tum univerſalis ſive naturalis, tum romani ſtudioſis utiliſſimam ſe præſtat hiſtoria philoſophica. Quemadmodum enim juris naturalis leges ab ipſa philoſophia erui debent, & per omnes ejus periodos veſtigia illa humanis mentibus cum ratione impreſſa, & per varias gentes propagata deprehendi poſſunt, ita magnum ea res juris naturalis ſtudio augmentum commodat, id quod recte intellexit parens juris naturalis ſuæ puritati & nitori reſtituti HUGO GROTIUS, qui in immortali *de jure belli & pacis* opere feliciſſime magna, quam poſſidebat, hiſtoriæ philoſophicæ cognitione ad illuſtranda juris naturalis cum principia tum præcepta uſus eſt, gnaviter veſtigia anteceſſoris premente in *jure naturæ & gentium* SAMUELE PUFENDORFIO. Juris vero romani culturam hiſtoria philoſophica carere non poſſe, is non negabit, qui ex romani juris hiſtoria tenuit, placuiſſe romani juris conditoribus græcam philoſophiam, maxime vero ſtoicam, quæ cum πολικώτερος Romanis, qui ad reipublicæ gubernacula ſedebant, principibus viris videretur, & negotiorum appetentes ſibi deditos faciebat, & in docendi tradendique methodo, & in ipſis adhibendis doctrinis aliis palmam præripiebat. Unde multa in jure eſſe tum dicendi genera, tum regulas atque principia juris e Stoicorum ducta principiis, recte diſertiſſimus jureconſultus JANUS VINCENTIUS GRAVINA monuit, aliis non diſſentientibus, ſed multis ea exemplis probantibus.[c] Quod ſi vero ad ſanam interpretationem recte requiritur, ut ad ſententias illas attendatur, quibus auctor deditus fuit, & ad quas reſpexiſſe in ſcripto legeve apparet, neminem patet, hac philoſophiæ romanis juris antiſtitibus acceptæ cognitione carere poſſe, qui feliciter in interpretando genuino juris romani ſenſu verſari cupit. Sed de his etiam ſuo loco dicetur amplius. Tandem &

Uſus in Medicina.

ars

a) Conſulendus, qui inter omnes plurimam huic rei lucem affudit cel. MOSHEMIUS *Inſtit. Hiſt. Chriſt. antiq. Sec. I. P. II. c. I. §. 4. ſeqq. p. 71. ſeqq.*

b) *De ortu & progreſſu Juris civilis l. I. §. 44. p. m. 97.* ſeq. ed. Neap. qui rem luculentis exemplis confecit.

c) Conferendi præter alios magni nominis JCti JO. SCHILTERUS in *Manuduct. philoſ. mor. ad Jurisprud. c. I. §. 5. ſqq. p. 6. ſqq.* & illuſtris EVER. OTTO in orat. *de ſtoica veterum Jurisconſultorum philoſophia.*

ars ſalutaris hac eruditionis parte quam maxime opus habet, illa enim in applicandis dextre remediis verſata, ars quidem non inepte veteribus dicitur, [d] quando vero & naturam rerum, & humani potiſſimum corporis fabricam conſiderat, elegantiſſima & utiliſſima philoſophiæ pars eſt, vixque felix erit medicus, qui non prudens fuerit philoſophus. Unde medicinam ab antiquiſſimis & celeberrimis philoſophis cultam ſatis conſtat, & exemplis Melampodis, Thaletis, Pherecydis, Epimenidis, Toxaris, Zamolxis, Pythagoræ, Empedoclis, Alcmæonis, Epicharmi, Timæi, Heracliti, Democriti & ipſius medicorum parentis Hippocratis poſſet confirmari, niſi in ipſa hiſtoria quam ſuſcipimus philoſophica, ea ſedulo ſuis locis obſervare animus eſſet. Immo inventores, qui celebrantur artis ſalutaris philoſophos fuiſſe, neminem fugit niſi hiſtoriæ medicæ imperitum. Ad Zoroaſtrum enim, Thot ſive Hermem Horum, & inter Sinenſes ad Choamti origines artis medendi referri videas. [e] Illi vero non corporibus tantum curandis, ſed & ferocibus animis per præcepta philoſophiæ religionis atque legum domandis, operam navarunt feliciſſimam, unde quam arcte philoſophiæ & medicinæ hiſtoria cohæreat, ſatis conjici poteſt.

Uſus hiſtoriæ philoſophorum.

§. XIV. Attulimus hactenus illa commoda, quæ ex ea hiſtoriæ philoſophicæ parte, quæ intellectus humani hiſtoriam pandit, & doctrinarum omnis temporis atque gentis nobis ſeriem enumerat, atque præſtantior nobiliorque merito cenſetur eſſe, fluunt, quæque inde ſperanda ſit utilitas, expoſuimus. Non otioſa tamen & altera pars eſt, quæ in enarrandis philoſophorum atque ſectarum ab iis conditarum fatis occupatur, ex qua ſcilicet varia quoque utilitas oritur. Ut enim taceamus, quod ſupra jam pauliſper tetigimus, magnum hæc influxum habere in ſyſtemata philoſophorum, quæ inde plurimum illuſtrantur: illud ex deſcriptis accurate magnorum virorum vitis factisque circa philoſophiam potiſſimum in uſum noſtrum transferre poſſumus, ut qua via ad eruditionem, præcipue philoſophicam viri immortalem nominis gloriam nacti graſſati fuerint, quæ impedimenta ſe eis objecerint, quibus mediis ea ſuperaverint, in quas errorum ſyrtes incautius inciderint, vel periculis anteceſſorum cautiores facti eas vitaverint, inde diſcamus. Ita enim ſapientiſſima nobis in omnis eruditionis, præcipue vero in philoſophiæ ſtudio ſuggeruntur conſilia ad ſequenda ea quæ tantis viris videmus fuiſſe proficua, & ad illa vitanda, quibus in veritate inquirenda detrimentum paſſi ſunt. Cujus ut & hic exemplum adjungamus, docet nos veterum philoſophorum hiſtoria, non domi otioſa ſediſſe, quæ ad philoſophiæ culmen adſpirabant ingenia, ſed itinera ſuſcepiſſe ad gentes ſapientiæ laude inclytas Pythagoram, Democritum, Thaletem, Platonem [f] pluresque alios, ita tamen ut ſuperſtitione quin & impoſtura ſacerdotum, qui apud barbaras gentes cuſtodes erant ſapientiæ, decepti

d) Vid. JONS. *de Scr. H. P. l. I. c. 1. p. 5.*
e) Conf. DAN. LE CLERC *Hiſtoire de Medicine l. I. ch. 5. 6. 7. p. 8. ſeqq.*
f) Vid. DIOG. LAERTIUS in *vitis horum philoſophorum.*

pti carbones interdum pro theſauris reportarent, quod de Pythagora & Platone verum eſſe hiſtoria horum philoſophorum teſtatur. Inde vero prudentiſſimum philoſophiæ ſtudioſis conſilium exſurgit, non tantum domi quærendos ſapientiæ doctores, ſed & itinerum prudenter ſuſceptorum fructum eſſe incrementa ſapientiæ, cavendum vero ſibi eſſe ab auctoritatis præjudicio, & ubique rationem adjungendam eſſe comitem, ad cujus trutinam tradita a viris doctis exigi queant. Nec prudentiam tantum in ſectanda eruditionis philoſophicæ ſemita ita diſcimus, ſed virtutis quoque & vitiorum theatrum nobis hæc philoſophorum hiſtoria pandit, in quo virtutis præmia, vitiorumque tragici ſæpe exitus vividis coloribus exprimuntur, habentque, qui ad veram, quam ſapientia promittit, felicitatem adſpirant, quid ſectentur, quidve fugiant. Quid enim ad formandum virtutis habitum exempla valeant, & experientia docet, & ipſa philoſophorum hiſtoria. Eleganter SENECA: [g] *Longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodo audiſſet, vitæ ejus interfuit, ſecreta perſpexit, obſervavit illum, an ex formula ſua viveret. Plato & Ariſtoteles & omnis in diverſum itura ſapientium turba, plus ex moribus, quam ex verbis Socratis traxit. Metrodorum & Hermachum & Polyænum magnos viros non ſchola Epicuri, ſed contubernium fecit.* Scilicet ubi exempla monitis ſaluberrimis, quæ nobis hiſtoria philoſophorum ex ore eorum exhibet, junguntur, læta virtutis ſeges facile efflorescit. Non vero voluntatem ſolam perficiunt hæc virtutum atque vitiorum, quæ in philoſophis deprehenduntur, exempla, ſed & intellectum. Obſervata enim humanæ conditionis fragilitate, & in quot viri cetera magni errores ſæpe delapſi ſint, probe edoctis nobis jugulantur noxia auctoritatis præjudicia, & ad audendum aliquid in calcanda ſapientiæ ſemita animus excitatur, & per ſe contendenti calcar additur, ad adhibenda propria lumina: id quod de aliis quoque præjudiciis hunc in modum extirpandis intelligendum eſt.

Characteres veræ & falſæ philoſophiæ definiti.

§. XV. Sed ut omnem tandem quam de utilitate hiſtoriæ philoſophicæ inſtituimus, cauſam peroremus, adjiciendum hoc etiam dictis eſt, ſobria cautaque hiſtoriæ philoſophicæ tractatione characteres veram philoſophiam a falſa diſcernentes feliciter poſſe diſci. Cum enim veritas una ſit, error vero multiplex, in tot ſectas diſciſſa philoſophia & tot enatis inter philoſophos ſententiarum divortiis infinita falſæ philoſophiæ exempla extare neceſſe eſt. Etſi vero de characteribus falſæ philoſophiæ dicendi locus hic non eſt; [h] patebit tamen ſine præjudiciis acta philoſophorum & veterum & recentiorum legenti, ſectæ ſtudium, & quod ſecum trahit auctoritatis præjudicium, ſuperſtitionem religioni naturali & revelatæ adverſum,

g) Epiſt. 6. *h)* Legi vero omnino merentur, quæ vir πολυμαθέστατος C. A. HEUMANNUS *de criteriis falſæ philoſophiæ* doctiſſime & eleganter diſputat *act. philoſ. vol. I. p. 181. ſeqq.* Ea enim in H. P. ſtudio multam lucem commodabunt.

ſum, occultandi veritatem ſtudium, amorem ſpeculationum inutilium, nihilque ad felicitatem hominis facientium, ſuperbiam & contemtum aliorum, ex ipſis philoſophorum principiis fluentem, erepta libere cogitandi & ſubtracta media, quæque his ſimilia ſunt, philoſophiam plerumque prodere falſam, & in eodem ſyſtemate, cui hi characteres applicari poſſunt, magnos & pernicioſos errores deprehendi. Quod vel unius ſtoicæ philoſophiæ exemplo, ſi prolixis nobis eſſe liceret, luculenter poſſet oſtendi, in qua cæca conditoris veneratio, turpi auctoritatis magiſtri præjudicio nixa, ſuperſtitio eo usque pertingens, ut omnia in Deum mutet, & omni gentilium theologorum inſaniæ philoſophicos colores inducat; impietas veram de Deo ſententiam ejusque ſanum cultum jugulans, cavillationes verborum philoſophis indignæ & bonis omnibus inviſæ, ſuperbia intolerabilis omnibus ſe præferens, hominemque non deorum tantum conſortio, ſed ipſæ divinæ eſſentiæ jungens, & hypocriſis inde toties Stoicis objecta ubique regnant: quæ tamen ſuo loco notare accuratius e re noſtra erit. Tot atque tantis itaque emolumentis cum auctum illum dimittat philoſophiæ hiſtoria, qui ad eam rite tractandam cauteque pernoſcendam animum adplicat, induſtriamque ponit ſuam, neminem fore confidimus, qui ejus ſtudium accuratius, quam plerumque fieri ſolet, ſuſcipiendum improbaverit, vel inter ſcientias inutiles illud rejecerit. Unde excitandi ſunt diſcentium & philoſophari cum ratione cupientium animi, ut hanc non utiliſſimam tantum, ſed & neceſſariam eruditionis partem gnaviter excolant, magnorumque virorum exemplis, qui non ſine ſumma laude in eam incubuerunt, & utiliſſimam erudito orbi præſtiterunt operam excitati, huic eruditionis generi, a plerisque ſatis hactenus neglecto, operam commodent ſuam, certi præter dulcem animi jucunditatem ad majores ſcientias progreſſuris utilitates exorſuras inde eſſe plurimas, modo laboris improbi, quem poſtulat moleſtia patienti verique cupido animo feratur, ſupereturque.

Subſidia potiora auctoresque de hiſtoria philoſophica.

§. XVI. Ita vero præparato animo quando ad hanc eruditionis partem acceditur, non deerunt ſubſidia, laboris difficultatem levatura. Etſi enim ipſi ubique fontes, qui haberi poſſunt libandi ſunt, & per omnis generis atque temporis ſcriptores diſcurrendum, ut, quæ aſſerta confirment, & in mediam lucem collocent, congerantur in unum; utiliter tamen hiſtoriæ philoſophicæ ſtudioſus eorum doctorum virorum labores conſulet, qui hiſtoriam philoſophicam ſcribere aggreſſi ſunt. Et ſunt quidem pauciores, qui univerſæ philoſophiæ fata ab originibus ejus ad noſtra tempora deſcribere conati ſunt, quam pro rei dignitate & præſtantia par erat: non tamen neglecta prorſus jacuit pars hiſtoriæ eruditionis humanæ nobiliſſima, ſed præter innumeros ſcriptores, qui ſingularia argumenta in philoſophiæ hiſtoria occurrentia excuſſerunt, & quos ſuis ubique locis adducere, & ita bibliothecam quandam ſcriptorum hiſtoriæ philoſophicæ condere in ſequentibus animus eſt, univerſam quoque philoſophiæ hiſtoriam, vel magnam ſaltem partem ejus enarraverunt varii viri docti. Qua in re conſuli

Jonſius ſuli velimus doctiſſimi JOANNIS JONSII diligentiam, qui in erudito *de ſcriptoribus hiſtoriæ philoſophicæ* opere,[i] a cl. JO. CHRISTOPHORO DORNIO ad præſentem uſque ætatem perducto[k] omnis generis & ætatis ſcriptores, qui aliqua ratione hiſtoriam philoſophicam illuſtrarunt, adduxit. Ubi tamen merito deſideres non habitam tantum veterum ſcriptorum, qui deperditi ſunt, majorem fere, quam quæ ſuperſunt, rationem; ſed & ſignificationem vocis, philoſophia, ad omnes ita artes a diligentiſſimo auctore extenſam fuiſſe, ut hiſtoriæ magis literariæ veteris, quam philoſophicæ ſcriptorum index videri queat. Multa quoque poſt Jonſii ætatem detecta accuratius, producta, quæ antea ignorabantur, etiam in hoc argumento, plurima: unde diligens hiſtoriæ literariæ, philoſophicæ inſerviturae, cultor omnino conſulet, quæ in immortalibus *Bibliothecæ græcæ*, *latinæ*, *& Latinitatis mediæ* operibus infinito harum literarum emolumento copioſe at-

Fabricius tulit, nunquam ſine laude nominandus JOANNES ALBERTUS FABRICIUS, quibus ſcriptis nemo carere poterit, qui in perſcrutandis monumentis veteris hiſtoriæ ingeniorum humanorum feliciter verſari cupit. Nos hos duumviros hic non exſcribemus, cum utriusque ſcripta in omnium manibus verſentur; juventutis tamen gratia quæ ad utiliſſimum eruditionis genus animum adplicare vult, (nam hæc viris doctis ſatis eſſe nota agnoſcimus) potioſes ſcriptores, qui in hoc ſtadio cucurrerunt, enumerabimus. Et ex veteribus quidem pauci nobis reſtant, qui magnum in hoc laboris genere uſum præſtare queant, qui tamen ſuperſunt, eo diligentius audiendi ſunt, quo facilior illis occaſio fuit conſulendi fontes hiſtoriæ nobis hodie

Diogenes Laërtius ereptos. Inter quos DIOGENI LAERTIO, palmam deberi, nemo facile negabit, qui elegantiſſimos *de vitis*, *dogmatibus & apophthegmatibus clarorum philoſophorum* libros ſemel inſpexit. Licet enim ſupinam in eo negligentiam & aliquam quoque in attendendo ad mentem veterum philoſophorum incuriam, judicii item in tantò argumento proditam paupertatem, nimiamque credulitatem culpaverint, viri docti; conſervavit tamen nobis tot monumenta veterum philoſophorum, & fatorum eorum memoriam, quæ alias intercidiſſet, ut merito ad hunc librum, verum non ſine adhibita artis criticæ opera, advolent, quicunque veterum philoſophorum res & dogmata cognoſcere cupiunt. Sed de ipſo auctore ejusque conatibus alibi prolixius dicendi locus erit.[l] Poſt Diogenem Laërtium libellus brevis, ſed multa eruditione veteris philoſophiæ refertus *de placitis philoſophorum*

Plutarchus adeundus eſt, quem PLUTARCHO non ſine ratione adſcribi, & eundem, quoad ſummam rerum, eſſe cum *philoſophica hiſtoria*, quæ GALENO tribuitur, ſuo quoque loco monebimus. Scripſit quoque paulo ſerius SEX-

Sextus Empiricus TUS EMPIRICUS, philoſophus ſcepticus libros decem eruditiſſimos *contra*

i) Editum id *Francofurti 1659.* 4. qua editione, quia ubique fere adducitur, commodo lectoris inſerviturі, utemur, quoties ad eam provocandum eſt.

k) *Jenæ 1716.* Conf. *Act. phil. vol. II. p. 320.*

l) Conferendus interea, qui prolixe de hoc libro egit S. Rev. HEUMANNUS *Actor. philoſ. vol. III. p. 1302.* & MENAGIUS in *proleg. ad Comm. in hunc librum.*

tra mathematicos, dogmaticosque philoſophos; qui etſi eo potiſſimum reſpexit, ut omnem dogmaticam philoſophiam oppugnando, & ſcientiarum incertitudinem demonſtrando, neceſſitatem dubitandi & ſuſpendendi judicium, ſcepticæque philoſophiæ pretium evinceret, tot tamen modis omnem dogmaticorum philoſophiam expoſuit, tot nobis de veterum dogmatibus relationes conſervavit, ut recte adhibentibus & ſobrie legentibus plurima inde in hiſtoria omni philoſophica lux oriatur. Inter eccleſiæ doctores veteres, quorum ſcripta pleraque veteri philoſophiæ cognoſcendæ inſerviunt, de hoc eruditionis genere meruit S. EPIPHANIUS, qui in *epitome operis adverſus hæreſes*, breviter quidem ſed ſuccincte de ſectis philoſophorum differuit. [m] Plura tamen nobis conſervavit auctor qui ſub ORIGENIS nomine *philoſophumena veterum* nobis exhibuit; in eleganti enim hoc veteris philoſophicæ hiſtoriæ compendio multa deprehenduntur, quæ alibi fruſtra quæras, unde meritæ debentur gratiæ viris celeberrimis JACOBO GRONOVIO & JOANNI CHRISTOPHORO WOLFIO, qui libellum e tenebris erutum ediderunt, & doctiſſimis annotationibus illuſtrarunt. [n] Nemo vero plura nobis poſt Plutarchum & Diogenem Laërtium veterum philoſophorum monumenta ex græcis ſcriptoribus conſervavit, meliusque ita de philoſophica hiſtoria meruit, JOANNE STOBÆO, qui utiliſſimum nobis *florilegium* ex omnis generis ſcriptoribus veteribus concinnavit, & in quatuor libros diſtribuit, quorum primus phyſicas potiſſimum veterum doctrinas, poſteriores, morales referunt. Qui etſi manci atque mutili, præſertim quod ad priores duos libros attinet, ad nos pervenerunt,[o] dici tamen non poteſt, quot nobis veteris philoſophiæ reliquias viri hujus diligentia conſervaverit; [p] unde bonis avibus factum eſt, ut doctiſſimorum virorum & in arte critica exercitatorum opera tandem ederentur, GVILIELMO CANTERO evulgante: *Eclogarum* JO. STOBAEI *libros duos*, quorum prior *phyſicas*, poſterior *ethicas* complectitur [q] & CONRADO GESNERO poſt TRINCAVELLUM edente *locos communes Stobæi*, [r] qui libros duos poſteriores, magis integros exhibent, & carcere detento GROTIO tempus utiliter fallendi, & loca

Epiphanius

Pſeudo Origenes

Stobæus

m) T. II. Opp. p. 125. ed. Petav. Conf. FABRICIUS *Bibl. græc. vol. VII. p. 423.*

n) T. X. Antiqq. græc. & ſeparatim *Hamb. 1706. cum annot.* WOLFII. Plura de eo dicentur ſuo loco.

o) Unde merito novam eamque ad mſc. codices paſſim in bibliothecis latentes emendatam editionem diu exoptant viri docti. Certe ex codice mſc. quem ſervat bibliotheca publica auguſtana, admodum edita, præſertim librum ſecundum, cujus pars magna in editis deſideratur, poſſe emendari & ſuppleri collatio nos docuit.

p) Unde paſſim a viris eruditis fragmenta veterum philoſophorum ex hoc florilegio collecta & excerpta ſunt, conf. FABRIC. *Bibl. græc. vol. VIII p. 690.*

q) Antwerp. 1575. fol. apud C. Plantinum, qua editione utimur, recuſa *Genev. 1609. fol.*

r) Tig. 1548. & quæ emendatior eſt editio 1550. 1559. quam *Andr. Wechelius* ita *1581. f.* expreſſit, ut Antonii & Maximi ſententiæ jungerentur. Hæc a nobis editio conſulitur.

loca poetarum emendandi & eleganti metro exprimendi, occaſionem præ-
Suidas buerunt [s] &c. Nec negligendum quoque SUIDAE *lexicon*, imprimis laudabili JOANNIS KUSTERI cura expolitum, nam & in illo multa veteris hiſtoriæ philoſophorum ſtudioſus deprehendet ſua curioſitate digna, verum magna attentione & judicio opus eſt, ne decipiatur, cum non iniquas tantum & corruptrices manus paſſus ſit, ſed & ipſe nullo judicio adhibito multa inter ſe miſcuerit, homonymos ſcriptores confuderit, male cohærentia retulerit, ſicque multis erroribus in hiſtoria philoſophica portam aperuerit, quos haud uno loco in ſequenti tractatione notabimus. Seculo poſt C. N. decimo quarto fere medio, inter tenebras & barbariem, quæ bo-
Burlæus nas literas tantum non penitus oppreſſerunt, GVALTERUS BURLAEUS [t] *vitas philoſophorum* collegit, ſub incunabula artis typographicæ typis expreſſas, in quibus voluntatem quidem laudes, magnam vero in hiſtoria philoſophica ignorantiam mirari ſatis non poteris, inſigni argumento, quanto ſqualore depreſſæ tum temporis jacuerint elegantiores literæ. " Poſtquam vero nova eruditioni atque ſcientiis lux affulſit, manum quoque etſi parcius, quam res merebatur, & neceſſitas quoque poſtulabat, admoverunt hiſtoriæ philoſophicæ diligentius excolendæ viri docti. Inter
Vives quos omnium calculo LUDOVICO VIVI primas merito deferimus; certe is inter primos fuit, qui abſterſurus horrendum, quo diſciplinæ hactenus preſſæ fuerant, ſqualorem philoſophica hiſtoria ad reſtituendum ſcientiis nitorem in doctiſſimis *de corruptis artibus & tradendis diſciplinis* libris egregie uſus eſt, libellumque ſcripſit *de initiis, ſectis & laudibus philoſophorum*, [w] utilem etſi pro temporum illorum ratione mancum adhuc &
Morellius imperfectum & juſto breviorem. Id quod etiam de GVILIELMI MORELLII Tiliani *tabula compendioſa de origine, ſucceſſione, ætate & doctrina veterum philoſophorum*, cui DAVIDIS CHYTRAEI *ſeries philoſophorum & ſectæ eorum præcipuæ a Thalete usque ad Ciceronem* inſertæ & HIERONYMI WOLFII *notæ* adjectæ ſunt, dicendum, in
Friſius gratiam ſcilicet diſcentium levi opera confecta. [x] Nec JO. JAC. FRISII *bibliotheca philoſophorum claſſicorum chronologica* [y] meliori loco ponenda eſt, qui philoſophos cum eruditis omnis generis non tantum miſcuit, ſed & parciſſime nec diligenter in ea re verſatus eſt. In Italia
Piſaurus ALOYSIUS PISAURUS, patricius venetus circa ea tempora in publico patavinæ academiæ conflictu *theoremata varia ac ſententias de priſcorum ſapientum placitis ac optimo philoſophandi genere* propoſuit, in quibus de priſcorum philoſophorum apud Græcos opinionibus & doctrina ſen-

s) Quæ ſeparatim edidit *Paris. 1623. 4.*

t) Et de hoc viro inter ſcholaſticos DD. non ignobili ſuo loco differendum eſt.

u) Deſcripſit libri circumſtantias celeb. HEUMANNUS *act. phil. vol. III. p. 182.* conf. de rariſſimo libro cl. AUG. BAYERI *memoriæ libror. rar. p. 68.*

w) *T. II. Opp. p. 5.* conf. JONSIUS *l. III. c. XXII. §. 6.*

x) Edita *Baſileæ 1580.* 8. vid. *Act. philoſ. vol. III. p. 439.*

y) *Tigur. 1592.* 4.

z) STRUVIUS *Intr. in not. rei lit. c. VII. §. 36. Act. phil. vol. I. p. 721.*

ſententiam ſuam breviter, non tamen ineleganter, propoſuit. [a] Felicius tamen in excolenda hiſtoria philoſophica verſatum eſt ſeculum XVII. in quo variis ſcriptis diligentia eruditorum in explanandis factis dictisque philoſophorum veterum enituit. Eo enim medio GEORGIUS HORNIUS, hiſtoriæ philoſophicæ libros ſeptem cum adhuc in rudimentis verſaretur a viginti annorum juvene conſcriptos edidit: [b] in quibus lectionem pro ſcriptoris ætate multam, & conatum in via non ſatis trita cum laude verſandi nemo vituperabit, deſiderant vero juſti rei cenſores judicium & diligentiam. Nam ſatis præcipitanter eum in difficili argumento verſatum eſſe, tot lapſus ubivis obvii, tot omiſſa vel perperam poſita ſatis produnt, & admixta tot numero aliena, inſulſarumque etymologiarum ſtudium, quod omnibus fere paginis ſectatur, non paratum ſatis eum a maturis intellectus viribus ad ſcribendum hoc opus acceſſiſſe docent: etſi laudandus vel propterea ſit, quod primus fere auſus ſit nobiliſſimam hiſtoriæ partem concinno exhibere compendio. *Horn.*

Eodem fere tempore magni viri GERARDI JOANNIS VOSSII libri duo de philoſophia & philoſophorum ſectis a filio ISAACO VOSSIO editi ſunt, [c] in quibus non philoſophiæ tantum notiones, quales apud veteres deprehenduntur, deſcripſit, partesque atque diſciplinas ex mente eorum expoſuit, & medicorum imprimis aliquam hiſtoriam condidit; ſed & philoſophiæ barbaricæ pariter atque græcæ ad ſectam potamonicam ſive eclecticam usque hiſtoriam methodo ipſi peculiari adſperſis ubique obſervationibus ex multa ejus lectione in ſcriptis veterum petitis delineavit. Quod ſi fata ſuperſtiti permiſiſſent, argumentum hoc eatenus perpolire, ut opus non fuiſſet, ex aliena culpa exemplum petere, dubium non eſt, quin prout magna eruditione in literis erat verſatus, perfectum quid nobis reliquiſſet: jam cum, fatente filio, liber hic non ita ſit elaboratus, atque illa ſcripta, quorum ipſe præfuit editioni, facile judicari poteſt, multa in eo occurrere, quæ limam deſiderant, multa deficere, in multis virum magnum eſſe lapſum. Quibus medendis *ſupplementa* quidem *& continuationem* novæ editioni addidit JOANNES JACOBUS A RYSSEL, [d] ita tamen, ut & illa novis ſupplementis & emendationibus opus habeant, [e] quæ forte non deſideraremus, ſi voluiſſet JACOBUS THOMASIUS, qui parem ſuo tempore in philoſophica hiſtoria vix habuit, & ex cujus ſchedis illa ſupplementa & continuationes depromtæ dicuntur, [f] ipſe manum admovere operi & filum Voſſianum ſequendo ita veteris philoſophiæ hiſtoriam exponere, quemadmodum ſtoicis *Voſſius*

a) *Patav. 1665.* 4. vid. *Act. phil. vol. II. p. 635. ſeq.*

b) *Lugd. Bat. 1655.* 4. vid. *Act. phil. vol. I. p. 1039.* MOLLER ad MORHOFIUM *T. II. p.* 4. LAUNOJUS *de fort. Ariſt. p. n. 339. 343. 345.*

c) *Hagæ Comit. 1658.* 4.

d) *Lipſ. 1705.* 4.

e) Conf. BUDDEUS *Iſagog. in hiſt. lit. theol. l. II. c. 4. p. 219.*

f) Illuſtr. J. P. DE LUDEWIG. diſſ. *de prima academia §. 4.*

placitis lucem intulit.[g] Hornium ut juvenili impetu, ſic pari infelicitate,
Cozzandus cœcus ſcilicet cœcum, ſecutus eſt LEONARDUS COZZANDUS Brixianus, in libris ſex *de magiſterio antiquorum philoſophorum*, ita tamen, ut nec eam, quam Hornius, lectionis copiam & varietatem afferret,[i] & eum alios exſcribentem, ipſe quoque deſcriberet[k] ejusque vitulo araret, & parum afferret, quod ad majorem argumento, quod tractat, lucem parandam aptum
Gravius eſſet. Nec tacendus hic eſt ABRAHAMUS GRAVIUS, qui *hiſtoriam philoſophicam, continentem veterum philoſophorum, qui quidem præcipui fuerunt, ſtudia & dogmata, modernorum quæſtionibus imprimis agitata* edidit: nam & ille multa affert hiſtoriam philoſophicam veterum admodum illuſtrantia: quia tamen ſcopus ejus magis eſt apologiam veterum, contra recentiorum, præcipue Carteſianorum inſultus, ſcribere, &, quæ ejus verba ſunt, *antiquorum philoſophiam a modernis ſciolis laceratam reſtituere*, quam ſine partis ſtudio eorum placita expendere, quid de eo ſibi promittendum ſit, judicari facile poteſt. Eundem fere ſcopum inter
Galeus pater Britannos ſibi propoſuit THEOPHILUS GALE in *philoſophia generali*, in qua ſcilicet tum de ortu & progreſſu philoſophiæ ejusque traductione e ſacris fontibus, deque philoſophia platonica; tum de minorum gentium philoſophis agitur.[l] Etſi enim auctor in veterum ſcriptis verſatiſſimus[m] magnam lectionis copiam & eruditionem attulit, auctoritatis præjudicio tamen, quod tum temporis angli theologi de philoſophia platonica fovebant,[n] impeditus, hanc omnibus præfert, omnemque ſapientiam Græcorum ab Hebræorum patriarchis ſatis infeliciter derivat, Moſenque in Platone nimis oculatus invenit. Aliam, eamque ſine dubio meliorem & tu-
Stanlejus tiorem viam in hac gente ingreſſus eſt THOMAS STANLEJUS, qui Marshami avunculi conſilio *hiſtoriam philoſophiæ orientalis & græcæ* ſcribere aggreſſus, Diogenem Laërtium ita ſibi ducem elegit, ut quæ apud alios auctores ſparſa inveniret, in hoc volumine digereret. Unde & cum Laërtio in Epicuro deſiit. Et laudanda omnino eſt ejus diligentia, quam latina celeberrimi quondam GODOFRIDI OLEARII verſio ornatiorem & emendatiorem nobis effecit,[o] qua quicquid apud veteres de philoſophis græcis inveſtigare potuit, lectori examinandum propinavit: unde poſt Laërtium, eruditiſſimo MENAGII commentario (quem veteris hiſtoriæ philoſophicæ pandectas non inepte dixeris) illuſtratum vix habebunt horum ſacrorum cultores, qui majorem illis uſum præſtiterit. Sed ὕλην potius

g) In doctiſſimis diſſertationibus *de exuſtione mundi ſtoica.*

h) *Genev. 1684.* 12. rarius libellus occurrit.

i) Conf. *Act. phil. vol. II. p. 319.*

k) ELSWICH. in *not. ad* LAUNOJUM *de fort. Ariſt. p. 339.*

l) Vid. *Act. philoſ. vol. III. p. 793. ſqq.*

m) Conf. BASNAGE *Hiſt. des Juifs T. III. ch. 17. §. 4. p. 421.* ed. ult.

n) Conf. BURNET. *Hiſt. ſui temp. ad a. 1661. T. I. p. 210. ſq.* verſ. germ.

o) Hoc titulo: *Hiſtoria philoſophiæ, vitas, opiniones, resque geſtas & dicta philoſophorum ſectæ cujusvis complexa, auctore Thoma Stanlejo ex anglico ſermone in latinum translata, emendata, variisque diſſertationibus atque obſervationibus paſſim aucta. Lipſ. 1711.* 4.

tius materiarum hiſtoricarum exhibet, quam hiſtoriam, nec judicium recte adhibet vel hiſtoricum vel philoſophicum, ſed nuda veterum verba ad veritatis lapidem lydium non examinata ſiſtit: quare multo judicio & diligenti accuratoque examine opus eſt, ſi ad ſolidam hiſtoriæ philoſophicæ cognitionem ſibi acquirendam hoc libro utendum ſit.[p] Inter Gallos præter MENAGIUM, de Diogene Laërtio & hiſtoria philoſophica immortaliter meritum, erant quidem circa hæc tempora, qui, ſi voluiſſent, magnum huic eruditionis parti præſtare operam potuiſſent, inter quos eminet illuſtris Abrincenſium epiſcopus PETRUS DANIEL HUETIUS, cujus & *Demonſtratio evangelica*, & *Quæſtiones alnetanæ*, & tractatio *de imbecillitate intellectus humani*, magnam veteris hiſtoriæ philoſophicæ, ut erat πολυμαθέστατος, cognitionem, multis tamen ſectæ & hypotheſeos præjudiciis depravatam produnt,[q] nemo tamen fuit, qui hiſtoriæ philoſophicæ filum ab origine mundi ad nos deduceret. Unus PETRUS SILVANUS REGIS in Carteſianorum ſchola vir non incelebris[r] in diſcurſu philoſophico, ſyſtemati philoſophiæ ſuo præfixo,[s] in quo hiſtoriam philoſophiæ antiquæ & recentioris ſtrictim, ſed eleganter magnoque judicio recenſet, quique latina veſte donatus ſeparatim prodiit,[t] ſpecimen magis hiſtoriæ philoſophicæ accuratioris condendæ, quam hiſtoriam exhibuit, dignus qui legatur. Et noſtra quidem ætate ex Gallis duo viri, muneribus inter ſuos clari, novam hiſtoriæ philoſophicæ facem præferre conati ſunt; nempe H. GAUTIER qui *Bibliothecam philoſophorum* edidit,[u] & Anonymus, quem DESLANDES, aliis ſcriptis notum,[x] eſſe accepimus,[y] qui nuper *hiſtoriam criticam philoſophiæ* tribus tomis nobis exhibuit. Verum ille non conſultis fontibus ſua tantum, literarum ordine in eorum gratiam congeſſit, qui ſolidam ſcientiarum notitiam ſubterfugientes, ſuperficiaria tantum eruditione ſuperbire cupiunt: hic autem ſi iis præſidiis, quæ ad tantum opus perficiendum requiruntur, fuiſſet inſtructus, ſi ab alienis, quæ numero apud eum illa ſuperant quæ hiſtoriæ philoſophicæ propria ſunt & domeſtica, abſtinuiſſet, ſi eruditionem in genere cum philoſophia non confudiſſet, judiciumque adhibuiſſet in detegenda veterum philoſophorum mente cum eloquentiæ veneribus, quibus liber ſe commendat, certans, promiſſis feciſſe ſatis & expleviſſe expectationem merito crederetur. Inter Germaniæ tandem eruditos cum ſeculi hujus initio non philoſophiæ

Menagius

Huetius

Regis

Gautier

Deslandes

p) *Acta phil. l. c.* BUDDEUS *Iſag in hiſt. lit. theol. l. II. c. 4 p. 219.* priori loco, quid præſtiterit B. Olearius, exponitur, cujus magnas in hac quoque eruditionis parte ingenii divitias inſertæ diſſertationes loquuntur.

q) Dicetur de illuſtri hoc ſcriptore ſuo loco, ubi de ſcepticis recentioribus agetur, ex inſtituto.

r) Et hunc virum in hiſt. phil. carteſianæ propius conſiderabimus.

s) *Lugd. 1691. Amſtel. 1692.*

t) *1705.* 12. ſine mentione loci.

u) *Bibliotheque des Philoſophes & des Savans, Paris 1723.* 8.

x) Eſt enim auctor libelli ſatis noti: *Reflexions ſur les grands hommes, qui ſont morts en plaiſantant. Hag. C. 1714.* 12. vid. *Hiſt. de Mr. Bayle* par *Mr.* DE LA MONNOYE.

y) *Biblioth. Francoiſe. T. XXV.*

z) *Act. philoſ. vol. III. p. 450.*

tantum facies reformata & emendata eſt, ſed & hiſtoria philoſophica, quæ apud plerosque hactenus neglectior jacuit, vehementer commendata, magno viro & de pellenda barbarie philoſophica immortaliter merito CHRISTIANO THOMASIO, ex penu parentis his divitiis affatim inſtructo viam monſtrante, quippe qui non inelegans hiſtoriæ philoſophicæ compendium, etſi ſuis nævis non carens, [a] introductioni in philoſophiam aulicam inſeruit. Hunc certatim ſecuti ſunt viri eruditi & communi ſenſum guſtumque eruditionis emendandi ſtudio inter ſe juncti, NICOLAUS HIERONYMUS GUNDLINGIUS, [b] JOACHIMUS LANGIUS, [c] JO. GVILIELMUS ZIEROLDUS, [d] & qui imprimis de hoc quoque literarum genere præclare meruit magnus olim Jenenſis academiæ theologus, JOANNES FRANCISCUS BUDDEUS, [e] quibus BARTHOLDUM FEIND, [f] & clariſſimum FRIDERICUM GENTZKENIUM [g] merito adjicimus, ut alios viros doctos variis ſcriptionibus hac noſtra ætate de hiſtoria philoſophica, etſi ex inſtituto non tractanda, plurimum meritos [h] taceamus. Quia vero horum diligentia, etſi ad leges artis criticæ & hiſtoriæ exacta, & cum judicio philoſophico ſuſcepta intra anguſtos compendiorum cancellos ſubſtitit, rem altius aggredi, & accuratam hiſtoriam philoſophicam condere ſuſcepit vir celeberrimi nominis magnæque eruditionis CHRISTOPHORUS AUGUSTUS HEUMANNUS. Cujus initia in *actis philoſophorum* lingua patria exaratis [i] ita fecit, ut facile ſperari poſſet & lectionis copia, & judicii dexteritate, & acuto artis criticæ ſenſu, & magno ad ejicienda præjudicia animo palmam illum omnibus ſurrepturum. Verum & hæc inviderunt orbi erudito fata, quoniam majoribus occupatus vir eruditiſſimus, cum tertio volumine totum laborem curamque abjecit.

Thomaſius filius

alii

Heumannus

§. XVII. Et hos quidem comites iis commendamus, qui ſpatioſas philoſophicæ hiſtoriæ regiones curioſo perluſtrare oculo cupiunt: quæ cum numero plurimæ ſint, & ampliſſime diffundantur, ordo quærendus eſt, ſecundum quem per omnis temporis atque gentis hiſtoriam peragrare, &

Ordo & diviſio H. P.

a) Oſtendetur id ſuo loco.

b) In eleganti magnoque judicii acumine conſcripta *Hiſtoria philoſophiæ moralis.*

c) *P. I. Medicinæ mentis.*

d) In *introductione ad hiſtoriam eccleſiaſticam cum hiſtoria philoſophica conjunctam.*

e) Qui *Elementis philoſophiæ rationalis* ſæpius impreſſis *compendium* elegans *hiſtoriæ philoſophicæ* præmiſit, illudque circa extremos vitæ annos *obſervationibus* eruditiſſimis illuſtravit, quas publicatas debemus curæ generi S. Rev. JO. GEORGII WALCHII *Hal. Sax. 1731.* 8.

f) Complexus is eſt carmine germanico *hiſtoriæ philoſophicæ* ſumma capita, quæ poſtea diſcurſu ſoluto explicuit; qui vero magnam partem ex Voſſio deſumtus eſt. *Hamb. 1702.* 8.

g) Cujus *hiſtoria philoſophiæ in uſum lectionum academicarum auctior* prodiit *Hamburg. 1724.* 8.

h) Inter hos ſummo jure referimus magnum theologum ac polyhiſtorem S. Rev. JO. LAURENTIUM MOSHEMIUM qui in præſtantiſſimis ad CUDWORTHI *Syſtema intellectuale annotationibus* de philoſophia veterum in luce collocanda, ut de omni eruditione, immortaliter meritus eſt.

i) *Hal. Sax. 1715 — 1723.* 8.

& quæ ad hanc rem faciunt, perquirere liceat. Ita enim & confuſioni medebimur, & memoriam egregie juvabimus, & cujusque philoſophiæ generis indolem propius & ex vero perſpiciemus. Non vero melior ordo eſt, quam qui notionibus, quibus intellectus noſter aſſuefactus eſt, & quæ omnia ſuo loco & tempori aſſignant, nititur. Quas communi temporis & locorum diſtributione ita partiemur, ut ad tres omnino temporis circuitus omnem referamus philoſophiæ hiſtoriam. Prima itaque periodus & origines hiſtoriæ philoſophicæ, & naſcentis atque adoleſcentis fata, & virilem quaſi ætatem complectetur, omnemque tum gentium barbararum tum Græciæ philoſophiam usque ad naſcentis ſenſim romanæ monarchiæ initia exhibebit. Altera gentilis philoſophiæ ſub imperatoribus florentis, quæ ad ſeculum usque VI. excurrit, Judaicæ, Saracenicæ & Chriſtianæ a naſcentis eccleſiæ initiis usque ad felicia reſtauratarum ſcientiarum tempora faciem exhibebit. Tertia vero & reformantium deformatam philoſophiæ faciem, conamina, & novum reſtituti decoris vultum & varia philoſophantium genera ſectasque noſtrorum ſeculorum enumerabit & ſobrie tandem philoſophandi, inque veritatem libere ac ſine ſectæ ſervitio inquirendi ſtudium & progreſſus quos per id fecit philoſophia exoptatiſſimos, enarrabit. Ita enim omnem philoſophiæ hiſtoriam in veterem, mediam & novam commode diſpeſcere, & cuilibet temporis gentiumque atque locorum momento magno memoriæ auxilio, quæ propria cuilibet ſunt, tribuere licebit. Prima porro periodus aptiſſime in philoſophiæ barbaricæ & græcæ partes duas dividitur; per barbaras enim gentes græco more omnes illæ intelligendæ ſunt, quæ græca lingua non uſae lingua aſperiore, quam ferre poterant aures Græcorum delicatulæ, moribusque a græcanicis valde abhorrentibus contemtum ſibi apud hanc nationem pepererunt: etſi ſub græcæ philoſophiæ ad Romanos tranſeuntis tempora & paulo ante ad has barbaras quoque gentes, præcipue in Ægypto ea tranſiit, & peculiari quoque de divinis philoſophandi generi, quod iſto tempore in oriente invaleſcebat, mixta novam philoſophandi viam exorſa eſt. Quod ſi propius ad barbaricam philoſophiam reſpicimus, ut ſunt naſcentia pleraque, quæ in primis tantum rudimentis verſari ſolent, philoſophia ſimplex admodum, & ad primas tantum ſapientiæ regulas adſtricta, & ſine artificio ad poſteritatem traditione magis, quam demonſtratione propagata fuit. Unde mire decipiuntur, qui primos homines magnos philoſophos & philoſophiæ doctores ſomniant. Incrementa vero ubi ſemel cœpit, & parumper adoluit, virilior magis, & ſcientiæ habitu conformior facta eſt, donec tandem ad Græcos pervenit, qui liberiori vivendi modo, & a regiminis monarchici ſervitute remoti viventes philoſophiam hactenus inter myſteria numeratam pervulgarunt, & propriis ingenii viribus uſi, philoſophiæ propria condiderunt ſyſtemata. Ex quo demum tempore maturam virilemque ætatem juſtumque habitum philoſophia nacta eſt. Barbararum vero gentium conſideratio eo usque extendenda eſt, ut quæ ante diluvium, quod univerſale terrarum orbi acci-

Prima periodus

diſſe

diſſe nemo rerum intelligens temere negabit, philoſophandi fuerit ratio, vel ut accuratius loquamur, quæ ſapientiæ antediluvianæ conditio fuerit, expendatur. Poſt diluvium cum mature gentium omnium in omnes terrarum partes diſtributio, vel diſperſio potius facta ſit, ad terrarum plagas & regionum ſitus ordinem hiſtoriæ noſtræ non incommode alligabimus, & inter orientis, meridiei, occidentis atque ſeptentrionis populos quæremus, quæ ad noſtram rem pertinere videbuntur. Nec id ſine calculo veterum, qui *omne hoc, quicquid eſt, cui mundi cœlique nomen indidimus, in has quatuor partes diviſerunt*, [k] & harum mundi partium incolas communi nomine inſigniverunt, orientis Indorum, meridiei Æthiopum, occidentis Celtarum, ſeptentrionis Scytharum nomine appellatis: [l] quos ſequendo notiora nobis Aſiæ, Africæ atque Europæ nomina, ſubſtituere licebit. Quia vero & hæ habitabilis mundi partes, (de America enim parentum memoria demum detecta, melius in totius tractationis peroratione quædam adjici poterunt) ampliores ſunt, quam ut ſimul perluſtrari poſſint, de ſingulis harum mundi partium nationibus ita dicendum erit, ut de Hebræorum, Chaldæorum, Perſarum, Arabum ſive Sabæorum, Phœnicum, Indorum philoſophia circa orientem, de Ægypti atque Libyæ populorum philoſophia circa meridiem, de Celtarum, ſive, Gallorum, Germanorum, Britannorum & Romanorum veterum philoſophia circa occidentem, de Scytharum, Thracum reliquarumque gentium philoſophia circa ſeptentrionem habitantium tractatio inſtituatur. Philoſophiæ græcæ facies duplex eſt. In ipſa enim ejus infantia & adoleſcentia, barbaricæ valde ſimilis empirica magis fuit & ſimplex, quam artificialis; & continebatur vel ſub fabulis, vel in politicis prudentiæ regulis, unde illam mythologicam, vel poëticam quoque, hanc politicam [m] & hiſtoricam dicere licebit. Ex quo vero virilem quaſi togam induit, & magnorum virorum ingenio ad juſtum ſcientiæ habitum emerſit, mature in partes & ſectas itum eſt, quod ſectarum ſtudium ita apud Græcos invaluit, ut non ſolum magna ingenia, multa philoſophandi libertate in condendis ſyſtematibus ſuis uſa ſectatores potius opinionum & dogmatum, quam libertatis & electionis philoſophicæ invenirent; ſed & illi, qui multos in dogmaticorum philoſophematis errores notabant, dubitationem potius & incertitudinem, quam ſobriam philoſophandi rationem ſequerentur, atque ipſi ſectam conderent, a fine modoque philoſophandi ſcepticam denominatam. Erit itaque hæc primæ hiſtoriæ philoſophicæ periodi in tractatione noſtra ſeries, ut conſideretur:

HISTO-

k) POMPONIUS MELA *de ſitu orbis l. I. c. 1. p.* 2. ed. Gronov.

l) STRABO *l. I. Geographiæ.*

m) Scribebant tamen & hi ſapientes ſua iſtis temporibus plerumque ligato orationis genere, cujus exemplum habemus in hiſtoria ſeptem ſapientum Græciæ.

HISTORIA PHILOSOPHIÆ

ANTEDILUVIANÆ

POSTDILUVIANÆ, & quidem

BARBARICÆ, inter gentes
Orientis, Hebræorum
Chaldæorum
Perſarum
Indorum
Arabum
Phœnicum.
Meridiei, Ægyptiorum
Æthiopum.
Occidentis, Celtarum ſ. Gallorum
Britannorum
Germanorum & Septentrionalium verſus occidentem habitantium
Romanorum veterum.
Septentrionis, ſive Hyperboreorum
Scytharum
Thracum, Getarum, &c.

GRÆCÆ, quæ fuit vel
Mythologica
Politica
Artificialis; quæ per duos quaſi ramos propagata, eſt ſectarum ortarum vel
a Thalete, Jonicorum
Socraticorum genuinorum
Cyrenaicorum
Eliacorum
Megaricorum, ſ. Eriſticorum
Academicorum, & quidem
Academiæ primæ
mediæ
novæ ſ.
quartæ
quintæ
Ariſtotelicorum
Cynicorum
Stoicorum,
a Pythagora, Pythagoricorum, ſ. Italicorum
Eleaticorum
Heracliteorum
Epicureorum
Pyrrhoniorum, ſ. Scepticorum.

Ut vero integra ſimul totius hujus periodi facies philoſophica appareat, appendicis loco, de philoſophiæ græcæ fatis in Ægypto ſub Græcorum imperio & coloniis, & in Aſia ſive orientis regionibus magis ad occidentem vergentibus dicendum quoque eſt.

Altera periodus.

§. XVIII. Alteram periodum a naſcentis ſenſimque emergentis monarchiæ romanæ primordiis, ad feliciſſimam ſcientiarum omnium & philoſophiæ quoque reſtitutionem & revocationem ex ſqualore barbariei conſtituimus. Is non minus prolixiſſimum nobis materiarum campum aperit. Conſideranda vero, hic philoſophia, apud Romanos, Aſiaticos ſive Orientales Judæos, Saracenos & Chriſtianos. Quod vero ad Romanos attinet, philoſophia apud eos ex Græcia non ſine contradictione caput tandem efferens, non prius veſtigia certa poſuit, quam libertas eſſet ſub jugum miſſa: tum enim invaleſcente potentiorum tyrannide philoſophari cœperunt Romanorum ingenia. Cæſaribus vero tandem terrarum orbi dominantibus, relictis Athenis ſub Romanorum imperium ceſſit philoſophia, & per omnes fere Græcorum ſectas floruit, una tandem eaque fere nova, quæ Eclecticam ſe dici gaviſa eſt, ſenſim reliquas ſupprimente. Inter Aſiæ vero incolas novum illud philoſophiæ genus, quod ex Zoroaſtrianis & Græcis mythologiis novam de divinis doctrinam introducere ſategit, paſſim, maxime tamen inter hæreticos caput efferre ſub initia monarchiæ romanæ cœpit. Judæorum natio, etſi poſt babylonicæ captivitatis finem & reditum in patriam propriam eruditionis faciem & legis potius patriæ, quam philoſophiæ alienigenæ ſapientiam excoluit, tandem tamen manus quoque ei dedit, in Ægypto vero apertius in gentilis philoſophiæ caſtra tranſiit, donec, caput tandem extollente philoſophia ariſtotelica, judaica quoque natio peripateticam philoſophiam excoleret. Arabum vero, qui ſub Saracenorum nomine ſeculo poſt C. N. VII. orientis imperium laceſſiverunt, ingenia etſi initio vehementer a philoſophiæ ſtudiis abhorrebant, Muhamede ipſo lege cavente, ne ingenia ſervituti deſtinata excolerent, tandem ita tamen hæc ſacra adamaverunt, ut ab ingruente barbarie philoſophia, licet illa tantum eſſet ſectaria, nempe Ariſtotelis, ad hanc unam gentem confugiſſe videretur. Inter Chriſtianos a ſanctis quidem viris, qui poſt ſanctiſſimum ſervatorem JESUM CHRISTUM, ſacram doctrinam diſſeminabant, nihil, quod humanam ſapientiam ſapiebat, admiſſum, & cum eſſet philoſophia illo tempore ſectaria, multisque errorum tenebris obſepta, rejectum omne illud ſpurium philoſophandi genus eſt; mature tamen per adductos viros eruditos, & in gentilium philoſophia inſtitutos ad gremium eccleſiæ, ea quoque in illam irrepſit, &, quicquid etiam contra gentilium impietatem totamque philoſophandi rationem declamabatur, tandem eius amor, præcipue, quæ platonica philoſophumena ſequebatur, ſe animis inſinuavit. Ubi vero eclecticum philoſophandi genus invaluit, patentes magis illi apertæ portæ, magnusque honor & pretium ſtatutum eſt. Tandem infelix illa nox ingruit, in qua omnes literæ, tantum non extinctæ ſunt, & quicquid genui-

genuinam eruditionem ſapiebat, horrendis ignorantiæ & barbariei tenebris ſepultum eſt; inter Græcos paucis ariſtotelicæ philoſophiæ cultoribus ſuperſtitibus, & in monaſteriis conſervato Platonicorum recentiorum philoſophandi genere. Etſi enim nec iſtis temporibus, quæ a ſec. VII. crepuſculum ſatis ſentiebant, ingenia magna deerant, ita tamen temporum infelicitate & paupertate premebantur, ut ad priſtinum philoſophiæ nitorem exſurgere nequiverint. Tandem circa ſec. XI novum philoſophorum genus ortum eſt, quod ſcholaſticum appellari ſolet, quod in Ariſtotelis quidem verba juravit, omnem tamen ſanam & philoſophiæ & theologiæ rationem corrupit, & ab omni ingeniorum cultu vacua, inſano philoſophandi modo animos detinuit. Donec tandem meliores ſenſim revocarentur literæ, & per diſperſos ex capta Conſtantinopoli Græcos ſemina eruditionis, & philoſophiæ quoque in occidentem perferrentur, quæ tandem ad reſtituendum philoſophiæ honorem cultumque ſuum felicem occaſionem exhibuerunt. Hæc itaque ſecundi periodi hiſtoriæ philoſophicæ facies eſt, qua exhibetur

HISTORIA PHILOSOPHIÆ A NASCENTE MONARCHIA ROMANA AD LITERARUM IN OCCIDENTE RESTAURATIONEM,

& quidem:

APUD ROMANOS,
ante conſtitutam monarchiam, ubi
difficulter initio græca philoſophia admittebatur,
admiſſa tandem & exculta alumnos habuit
Pythagoricos
Academicos veteres
medios
Stoicos
Peripateticos
Epicureos
Pyrrhonicos
ſub invaleſcente monarchia, ubi præter viros doctos multos philoſophi floruerunt
Pythagorici
Platonici
Eclectici ſive Platonici recentiores
Peripatetici
Cynici
Stoici
Epicurei
Sceptici.
APUD ORIENTALES, ſive Aſiaticos.

APUD JUDÆOS poſt reditum ex captivitate, ubi peculiaris philoſophiæ ratio excutienda apud
Judæos reduces
Samaritanos
Judæos Ægypti incolas
Palæſtinam incolentes, & in varias ſectas Phariſæorum, Sadducæorum, Karaitarum, Eſſenorum, diviſos.
Judæos poſt deſtructa Hieroſolyma diſperſos deditosque ſtudio tum Talmudico, tum Cabbaliſtico, ad ſec. X.
a ſec. X. ad noſtra tempora.

APUD SARACENOS, de quorum ſtudio philoſophico inquirendum
ante legem Islamiticam latam
ſub Muhamedis auſpiciis
ſub familia Abbaſidum.

APUD CHRISTIANOS, & quidem
a nato Servatore ad ſec. VII.
ante erectam ab Ammonio Sacca ſcholam eclecticam, florente ſecta Eclectica.
a ſeculo VII. ad reſtaurationem literarum, ubi ſec. XI. exorti ſunt Scholaſtici, in tres ætates diviſi.

Tertia periodus.

§. XIX. Tandem poſt graves tenebras, quibus omnis eruditio & philoſophia ſepulta jacuit nova lux exorta, & ſcientiis nitor ſuus reſtitutus eſt. Et hic tertia eaque ultima philoſophicæ hiſtoriæ periodus exoritur. Quæ & debilia prima conamina, & reſtitutam cum religionis puritate philoſophiam veterem per varias ſectas iterum excultam, & nova philoſophandi genera exhibet, tandemque meliorem & ad veritatem eruendam aptiorem philoſophandi modum, qui in nullius magiſtri verba jurando ex omnibus eligit, quæ ſe maxime probant, veritatemque ex ipſa rei natura ratione duce per accuratam meditationem eruit, cultum exponit, qui a magnis viris adhibitus poſt Baconis Verulamii conatus tanta philoſophiæ incrementa peperit uno ſeculo, quanta per tot annorum millia non habuit. Nam & Indorum philoſophia aliquatenus emendata eſt, & meliori culta habitu: unde & appendicis loco de exotica philoſophia, præſertim Sinenſium, quæ tantum ab aliquo tempore ſtrepitum excitavit, quædam hæc noſtra tractatio referet. Ita vero ſe ſiſtit tertia hæc periodus, qua depingitur

HISTORIA PHILOSOPHIÆ A RESTAURATIONE LITERARUM AD NOSTRA TEMPORA,

& quidem

Primi conatus reſtituendæ philoſophiæ
Virorum de externo philoſophiæ habitu reſtituendo, ſollicitorum,
Platonicam philoſophiam revocantium
Peripateticam ſectam ornantium.

Novi

Novi labores veterem philoſophiam revocantium,
Peripateticam, tum
Scholaſtico, tum
domeſtico & genuino habitu productam
Pythagorico-Platonico-Cabbaliſticam
Parmenideam
Ionicam
Stoicam
Democritico-Epicuream.
Novam philoſophandi viam tentantium,
Scepticorum recentiorum
Moſaicorum & Chriſtianorum
Theoſophicorum
Syncretiſtarum.
Omnem tandem philoſophiam recipientium.
Reſtauratio philoſophiæ eclecticæ, quæ
& magnos viros de ea immortaliter meritos exponit
& per omnes philoſophiæ diſciplinas philoſophorum labores enarrat,
Appendix vero *philoſophiam exoticam*,
Aſiæ & Americæ incolarum recitat. [n]

Et hac quidem via incedentes, quicquid ad philoſophiæ origines, incrementa & mutationes pertinet diligenter exquiſitum pro virium modulo referemus, ubique tamen ad cautiones ſupra poſitas attenti: adducturi etiam ex reliquarum ſcientiarum hiſtoria, quicquid lucem tractationi fœnerabitur, unde obſervationes paſſim adjicientur.

n) Tabulas hiſtoriam philoſophicam deumbrantes paſſim videas, & conſulendæ præcipue quam cel. J. JAC. SYRBIUS *philoſophiæ primæ* præfixit, ven. C. A. HEUMANNUS *Act. phil. vol. I. p. 262.* inſeruit, & clar. J. J. FEURLINUS in *tabulis philoſophicis Tab. I. II. III. IV.* delineavit. His ante ſeſquiſeculum exemplum præivit GVILIELMUS CANTERUS, qui ejusmodi ſciagraphiam Philoſophorum STOBÆI *Eclogis* a ſe editis præfixit.

HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ
PERIODUS PRIMA
A mundi naſcentis origine ad initia monarchiæ Romanæ.

PARS PRIMA
DE PHILOSOPHIA BARBARICA.
LIBER PRIMUS
DE PHILOSOPHIA ANTIDILUVIANA.

CAPUT PRIMUM.
DE PHILOSOPHIA BARBARICA IN GENERE.

§. I.

Vocis, barbarus, origo,

Philoſophiam barbaricam enarraturi, ne in voce incerti hæreamus, quid per barbaros intelligendum ſit, prius exponendum eſt. Vocem vero ipſam ex aliena lingua Græcis receptam eſſe, inter eruditos facile convenit, etſi difficile, dicere, unde originem habeat. Certe ſi viris magnis, quique linguarum exoticarum notitia inclaruerunt, ſtandum eſt, illa ab Arabibus deſumta eſt, apud quos bar, deſertum notat, unde Bar Broje, vel Bnai-baro filium deſerti indicare, hocque nomen, voci, barbarus, occaſionem dediſſe, ABRAHAM ECHELLENSIS notavit, [a] & jam antea magnus SCALIGER monuit, [b] qui tamen & hoc addit, ſolos Numidas legitima voce Arabica El barbar, quod apud eos murmur ſignificat, nominari, quippe hoc eis objectum eſſe ab Arabibus propterea quod inculto utantur ſono. Nec procul ab hac ſententia eſt DRUSIUS, qui obſervat, [c] בַּר Chaldæis eſſe locum incultum & ſylveſtrem, adeoque inconditum & agreſte dicendi genus innuere. Alii cum Scaligero ab Arabica radice ברבר, quæ murmur ſignificat, inconditam orationem hominis peregrini, qui e judicio aurium noſtrarum murmurat potius,

a) Apud cel. ISAAC. DE BEAUSOBRE *Hiſt. du Manicheiſme P. II. l. I. ch. 2. p. 19.* qui & ipſe in hanc ſententiam concedit.

b) *Exercit. LI. contra Cardan. p. m. 185*

c) *L. II. q. 17.* apud PFEIFFERUM *Quinq. Exot. N. T. p. 943. Dubior. vexat.*

potius, quam loquitur, derivatam cupiunt: [d] nec alii in excogitanda vocis hujus origine ingenioſi, ut ſolet in etymologicis fieri, eſſe deſinunt. [e] Nos, cum incerta hæc omnia ſint, fruſtra & otioſe quoque ingenia iſtis torqueri putamus, adeoque eis non immoramur, illud notaſſe contenti, ad aſperitatem ſoni & horridam quandam oris elocutionem vocem ab Ægyptiis, teſte HERODOTO, [f] acceptam, Græcos retuliſſe, & dedecoris quaſi cauſa barbaros appellaviſſe, qui difficulter, aſpere, & duriter loquerentur, [g] cum Græcis ore rotundo muſa loqui dederit. Quæ tamen vocis ſignificatio tandem omnes illos denotavit, qui ignotam auribusque infuetam linguam loquebantur: ſic ut barbarus eſſet, quisquis Græca lingua non uteretur. [h]

§. II. Nomen itaque vitii hæc vox, barbarus, fuit, a lingua tamen ad mores tandem traducta fuit, barbarusque dictus eſt, qui ab eruditionis cultu alienus erat: unde docte obſervatum eſt viris eruditis, barbaras gentes opponi doctis, barbarumque cum imperito idem dicere. Hoc ſenſu TACITUS Britannos veteres, monumentis gentis ſuæ hiſtoricis deſtitutos, barbaros vocat: [i] & CICERO [k] gentes doctas a barbaris diſtinguit. VELLEJUS vero ſtudiis rudem & ſermone barbarum conjungit, [l] quo ſenſu humanitatis ſtudiis opponitur, quibus humani ingenii decor excolitur. Unde facile conjicere licet, dum omnes gentes, qui Græci non eſſent, barbaras illi dicerent, hoc ad literarum potiſſimum ſtudia, quæ ab his gentibus modulo Græco non exculta erant, relatum eſſe. Id quod vel ex iſtis apologiis patet, quos primi eccleſiæ chriſtianæ doctores, faſtui philoſophorum Græcorum opponebant. Cum enim hi domeſtica ſua philoſophia maxime turgerent, & chriſtianam diſciplinam tanquam barbaram contemnerent, in philoſophiæ barbaricæ defenſionem ita deſcenderunt viri optimi, ut inter barbaras gentes initia & origines diſciplinarum a Græcis cultarum deprehendi oſtenderent, adeoque fruſtra illis ingenii barbariem & incultum bonis literis animum objici demonſtrarent. Hoc vel una TATIANI oratio contra Græcos evincit, quæ vel ſola inſcriptione indice, eo tendit, ὅτι οὐδὲν τῶν ἐπιτηδευμάτων, οἷς Ἕλληνες καλλωπίζονται, Ἑλληνικὸν, ἀλλὰ ἐκ βαρβάρων τὴν ὕρεσιν ἐσχηκός, *quod nihil eorum, quibus Græci gloriantur, apud ipſos natum, ſed omnia a barbaris inventa ſint:* & in ipſo limine odium Græcorum erga barbaras gentes teſtatur, verborum ſive ſermonis elegan-

A lingua ad mores tradu-cta ſignifica-tio.

d) PFEIFFER. *l. c. p. 944.*

e) Confer. BECMANNI *Orig. L. L. p. 287.* & lexicorum etymologicorum conditores, VOSSIUM, MARTINIUM aliosque, etiam FABRUM & CELLARIUM ad eum.

f) *L. II. p. 67. Barbaros vocant Ægyptii omnes, qui non ipſorum lingua utuntur.*

g) Ita STRABO *l. XIV.*

h) Vid. OVIDIUS *Triſt. l. V. el. 10. v. 37.* & luculentus locus *1 Cor. XIV, 11.*

i) In *vita Agricolæ c. IX.*

k) *pro Milone c. 11.*

l) *L. VII. c. 73.* plura dabit cl. LAM. BOS in *animadverſ. ad ſcriptores quosdam latinos, c. II. p. 12.* & qui per omnes vocis hujus ſignificationes eleganter & copioſe digreditur cel. HEUMANNUS *Act. philoſ. vol. II. p. 204. ſqq.*

elegantiam contra eas ſuperbe jactantium, nihil tamen præclari, quo barbaros ſuperaverint, præſtantium. [m]

Eruditionis elegantia barbaris denegata,

§. III. Non denegabant quidem Græci omnem eruditionis ſpeciem barbaris, ſed græcanicorum ſtudiorum elegantia capti, a ſimplici & ab omni artis cultu remota eruditionem excolendi ratione, quæ ingeniis Græcis in libera republica viventibus inviſa fuit, longius recedentes elegantiam Græcæ eruditionis barbaris opponebant. Unde CLEMENS ALEXANDRINUS omnem eruditionem in barbaram atque Græcam dividit, & ex his unam eligendam eſſe monet. [n] Et hoc ad ipſam quoque philoſophiam, quæ animum ab ignorantia & barbarie maxime liberat, traductum eſt; Græci enim artificioſa philoſophandi methodo uſi, cum apud barbaras gentes ſimplici traditione ſapientiæ præcepta propagari cernerent, hanc philoſophiam non eſſe rati, immo modum quoque proponendi, ipſumque barbararum gentium ſermonem ad philoſophandum ineptum eſſe, ſibi jactantius perſuadentes, [o] qui eloquenter de rerum natura & moribus hominum differebant, cum contemtu de barbarica philoſophia locuti ſunt, &

& philoſophia

ipſam quoque philoſophiam ipſis denegarunt. Id quod præter alios fecere Epicurei, ipſo magiſtro contendente, ſolos Græcos poſſe philoſophari: [p] quod quidem magnopere non miramur. Epicuro enim ad libertatem philoſophicam reſpicienti & ſuperſtitioni populari ſuam philoſophiam opponenti, qua & Deum & providentiam ex ſuo ſyſtemate ejiciebat, philoſophia barbarica, a ſacerdotibus tantum exculta, & ad divinitatis cultum potiſſimum relata placere non potuit. Aliter tamen Plato, qui cum apud Ægyptios arcanam diſciplinam didiciſſet, & inter Italicos quoque philoſophiæ ſcientiis eſſet excultus, non ſemel ad barbaricam philoſophiam non modo provocavit, ſed quoque monente CLEMENTE ALEXANDRINO, [q] non negat, ea, quæ ſunt præſtantiſſima, ſe mutuum accepiſſe & mercatum quaſi a barbaris, ideoque in Ægyptum veniſſe: putatque etiam inter barbaros eſſe philoſophos, & *in convivio* laudat barbaros, ut qui philoſophiam inſigniter exercuerint. Cujus teſtimonia plura attente dialogos

idem tamen facientibus barbaris erga Græcos.

Platonis legenti occurrent. [r] Nec ipſi barbari huic Græcorum ſuperbiæ cedebant, ſed quod in omnia alia iret, Græcæ philoſophiæ ratio, quam barbarica, pueros eos in philoſophia putabant. Unde Plato in Timæo ſapientiſſimum Solonem introducit diſcentem a barbaro, cujus nota vox: Ἕλληνες ὑμῆς ἀεί παιδές ἐςε· γέρων δε Ἕλλην ἐδεὶς, ἃ γαὲ ἔχετε μάθημα χρόνω πολίον. *Vos Græci ſemper eſtis pueri, ſenex autem nullus eſt Græcus, diſciplinam enim nullam habetis canam.* [s] Qua in perſvaſione maxime

m) Paria apud ATHENAGORAM, THEOPHILUM, CLEMENTEM ALEXANDRINUM paſſim occurrunt.

n) *Stromat. l. I. p. m. 299.*

o) Hanc ſuperbiam Græcorum mox in limine caſtigat Tatianus.

p) CLEM. ALEXANDRINUS *Strom. l. I. p. 302.*

q) *l. c. p. 303.*

r) Vid. *in Phædone.*

s) Repetit hæc CLEMENS ALEX. *l. c.* erat tamen revera tunc philoſophia inter Græcos in incunabulis.

xime confirmabantur, cum viderent, Græcorum doctiſſimos, & philoſophorum antiquiſſimos vel genere barbaros, vel a barbaris eruditos. Quod ut probet CLEMENS, [t] Tuſcum fuiſſe Pythagoram, Phrygem Antiſthenem, Orpheum Thraca, Homerum Ægyptium, Thaletem Phœnicem, & hunc atque Pythagoram, Platonem item atque Democritum cum Chaldæorum, Magorum & Ægyptiorum ſacerdotum præſtantiſſimis converſatos & ab iis eruditos fuiſſe. Et hinc illa vetus contentio: an philoſophiæ origines a barbaris gentibus derivandæ ſint? id quod plerique veterum eccleſiæ doctorum magno fervore aſſeruerunt. Cum enim ad priſcam Hebræorum gentem oculum intenderent, & ex ejus & aliorum Orientis populorum traditione Chriſtianam religionem egregie vindicari poſſe crederent, quin & Platonicæ theologiæ exiſtimatione abrepti, hanc ex barbarica philoſophia ea hauſiſſe ſibi perſuaderent, quæ proxime ad Chriſtianam fidem accedunt; multa animi contentione & adhibita, quam afferre modo poterant, eruditione barbaricam philoſophiam fontem eſſe omnis ſapientiæ apud Græcos cultæ aſſerebant. Qua in quæſtione, ut plerumque fieri ſolet, ambigua a certis & definitis diſtincta non ſunt, multaque dicta, quæ ſcopum non feriunt. Quod ſi enim philoſophiæ propria ſignificatio pro norma fuiſſet adhibita, ſi diſtinctum fuiſſet, inter eruditionem & cognitionem rerum a vulgo diverſam, & inter philoſophiam, ſi philoſophandi initia ab incrementis & formali habitu fuiſſent ſeparata, ſi modus tradendi ſapientiam per auctoritatem parentis & magiſtri a philoſophandi methodo accurata & meditatione cuncta per cauſas & principia ſua inquirente fuiſſet ſegregatus, facile tota controverſia in λογομαχίαν abitura evanuiſſet. Gentes enim barbaras de nulla ſapientiæ cognitione fuiſſe ſollicitas, & de nulla vel divina vel humana re cogitaviſſe, quis aſſerere audeat? Quisquis vero barbaricæ philoſophiæ indolem perdidicit, fatebitur, eos ſimplici potius cognitione, quam ſcientifica, quod ajunt, meditatione veritatem indagaſſe, & traditione potius, quam demonſtratione ad poſteros propagaviſſe, Græcis, ubi a ruditate morum primum emerſerunt, in id contendentibus, ut veri atque boni principia inveſtigarent, in ejus cauſas inquirerent, & ex fontibus deductas veritates certa & ratiocinandi legibus adſtricta methodo aliis proponerent. Quod ut demum verum philoſophiæ nomen meretur, ita, quousque Græcis illud ante omnes gentes alias debeatur, facile intelligere ſinit, & quid barbaris gentibus adſcribendum ſit, ubi philoſophiæ origines quærendæ, in apricum profert. Nec, niſi nos omnia fallunt, prudentiorum inter Græcos alia mens fuit: id quod egregie colligi poſſe credimus ex inſigni ORIGENIS loco, [u] qui *contra Celſum* Epicureum diſputans, & barbaricam Chriſtianis originem objici præter rem contendens, ait: *Merito non vituperat originem barbaricam, quandoquidem in ipſo ſermonis initio laudat barbaros*

hinc quæſtio: an philoſophia a barbaris?

t) *l. c. p. 302.* conf. TATIANUS *l. c.*

u) *L. I. p. m. 5.* edit. Hœſchel.

baros, ut inventores dogmatum. Addit, his judicandis confirmandisque ac ad virtutem exercendis barbarorum inventis Græcos præcellere. Hoc igitur in defensionem Christianismi ex ipsius adversarii scriptis rapimus, quando verum est, hominem exercitatum disciplinis Græcanicis, si ad eum accedat, non solum approbare veritatem, sed ad meditationem applicare animum, & si quid deesse videatur, suppleturum Græcanicis ratiocinationibus, ad astruendam Christianæ religionis veritatem. Ex quo loco manifestum est, disciplinarum fere omnium & philosophiæ quoque origines inter barbaras gentes non immerito quæri, rectam tamen philosophandi rationem meditatione & ratiocinatione constantem ante Græcos vix inter gentes quærendam esse. Quæ ut ab Origene philosophiæ historiam probe intelligente conceduntur, ita veritatem nobis exhibere non nisi pertinaciter negandam, sequens philosophiæ barbaricæ loquetur historia.

* *

CAPUT SECUNDUM.
DE PHILOSOPHIA ANTEDILUVIANA.

§. I.

Philosophiæ origines

Philosophiæ origines scrutaturis, non homo tantum a sapientissimo creatore ad imaginem suam conditus sed & spiritus cœlestes, quos angelos, id est, legatos Dei sacræ paginæ nominant, occurrunt, qui ut intellectu admodum illustri præditi sunt, ex voluntate rerum conditoris, ita inter philosophos primum locum apud eos occupant, qui ne in hac historiæ parte ullum iter intentatum relinquant, ad astra surgunt, sedesque cœlestium spirituum sollicitant, philosophiam aliquam extramundanam nobis commendantes. Etsi enim de angelorum natura, conditione & sapientia pauca immo fere nihil ratio nobis dictitat, sed vetustissima tantum traditione & levi quadam conjectura nititur, quicquid sine revelatione de angelis dici potest: nihilominus, cum cogitationibus suis nec modum nec limites eruditi ponerent, supposita magna angelorum ex scriptura S. sapientia, nescio quam inde philosophiam angelorum exsculpserunt. Accessit vero opinioni extra oleas per se jam vaganti error scholæ Pythagorico-Platonicæ, adhibitos in condenda rerum natura angelos ad formandas creaturas, unde ad peritiam physicam concluditur. Qui homines, si attendissent, totam dæmonologiam alienæ cognitionis esse, nec habere philosophiam quæ de iis dicat; si recte expendissent, per philosophiam non creaturæ divinioris perfectionem naturalem, sed acquisitum per rationis rectum usum sapientiæ habitum intelligi, ejusmodi nugis in ipso historiæ philosophicæ atrio curiosos non fuissent remorati. Eadem vero non tantum ratio est, illorum, qui malos dæmonas inter sapientiæ humanæ conditores referunt, sed & absurditate istam vincit. Hos si homines audias, δαίμων, quasi δαήμων a rerum scientia dictus est, cujus specimen jam inter veteres ecclesiæ doctores

quæsitæ apud angelos,

& dæmonas malos

LACTANTIUS [x] attulit, cui aſtrologia & aruſpicina & auguratio inventum dæmonum ſunt: [y] immo non tantum huic malo ſpirituum, e cœleſti, quæ horum hominum phraſis eſt, [z] academia ejectorum generi magnam naturæ ſcientiam vindicant, errore populari late pervagante; ſed & callidiſſimum veteratorem totum humanum genus aggredi audentem & ex priſtina ſapientiæ poſſeſſione dejicientem, in neſcio quem philoſophum dialecticum mutant, artificioſa differendi calliditate protoplaſtos miſere decipientem. [a] Quæ omnia ut vel primo intuitu tanquam calx ſine arena mire concidunt, ſi, quid philoſophia ſit, cogitetur, quæ a naturalibus ratiociniis multum differt; ita quam abſurde iſta afferantur, vel per tranſennam rem intuenti produnt. Nec majoris ponderis ſunt, quæ PP. quidam, Platonicas de dæmonum natura nugas edocti, ſomniarunt, angelos damnatos *ad filias hominum de cœlo ruentes eas materias quasdam bene occultas, & artes plerasque non bene revelatas prodidiſſe, & metallorum operta nudaviſſe, & ingenia herbarum traduxiſſe, & incantationum vires promulgaviſſe, & omnem curioſitatem usque ad ſtellarum interpretationem deſignaviſſe.* Ea enim omnia ſi ſimpliciter negantur, per ſe corruunt. Nam ſupponunt, non probant, eam philoſophiæ naturalis peritiam in dæmonibus, de qua tamen quæritur. Nec dubium eſt, omnes has nugas deſumtas ex ſcholis hæreticorum orientis, quos in pſeudo-philoſophia ſua mira de geniorum artibus & ſcientiis ſomniatos eſſe, ipſorum ſyſtemata facile evincunt, ſuoque tempore apertius probabitur. Illi enim ut deliramentis ſuis auctoritatem adderent, vaticinium Enocho ab antiquitate tributum affinxerunt, unde omnia illa ſomnia prorepſerunt, indigna, quæ multis refutentur. [c] Inde vero quid de philoſophia beatorum ſentiendum ſit, liquet; eam enim hoc potiſſimum fundamento exſtruxerunt aliqui, quia in cognitione philoſophica, præſertim univerſæ naturæ ἰσαγγελίαν beatis a Servatore promiſſam quærunt: [d] nam eodem fundamento ſtantque caduntque, & præter rationis & revelationis indicia affirmantur: quæ beatitatem in intuitione Dei ponentia, aliam longe beatis occupationem aſſignant. Et hæc certe non ex iſtis limpidis fontibus, ſed ex turbidis Stoicorum gentilium, immo hæreticorum quoque, lacunis hauſta ſunt. Illi enim [e] beatorum in eo potiſſimum ſortem felicem prædicabant, quod *nova luce gau-*

item apud beatos.

x) Præivit PLATO in *Cratylo*, ſecutus eſt more ſuo LACTANTIUS *l. III. c. 15. Inſt. div.*

y) *Ib. l. II. c. 17.* conſentiente CLEM. ALEXANDR. in *eclog. p. 808.*

z) Ita HORNIUS *Hiſt. phil. l. I. c. 2. p. 11.*

a) In hoc argumento mire ſibi placet, & inanes more ſuo argutias nectit HORNIUS *l. c.*

b) TERTULLIANUS *de cultu fœmin. l. I. c. 2.* conf. FABRICIUS *Codic. Pſeud-epigraph. V. T. T. I p. 168. ſq.* ubi aliorum PP. verba afferuntur.

c) Conf. GROTIUS ad *Ep. Jud. v. 14.* quique mentionem fecere libri Enochi laudati FABRICIO *l. c. p. 199. ſeqq.*

d) Vid. laudati *Act. philoſ. vol. I. p. 758. ſqq.*

e) Vid. SENECA in *conſolationibus* paſſim, præſertim ad Marciam *c. 23.* quod & Platonicis aſſignat HORNIUS *l. c. p. 23. 24.* cujus tamen adducta loca id non evincunt.

dentes, vicinorum ſiderum meatus doceantur, nec ex conjecturis, ſed ab omnium ex vero peritis in arcana naturæ libenter ducantur, & ſciſcitantes cæleſtium cauſas a domeſtico interprete erudiantur: Horum vero multi ad Demiurgi, id eſt rerum naturalium conditoris dæmonis locum animas elatum iri, [f] vel ſidera contemplanda inhabitaturos ſomniabant. [g] Nobis, ut has nugas rejiciamus, ſufficit, objectum philoſophiæ eſſe felicitatem acquirendam, quam & boni ſpiritus, & beatæ animæ jam poſſident, qua vero mali ſpiritus penitus excluduntur: unde apud eos philoſophia locum habere nequit.

Rudimenta prima philoſophiæ.

§. II. Inter homines itaque relictis cœleſtibus & inferis ſedibus philoſophiæ origines quærendæ ſunt. Quæ, ſi prima naſcentis fœtus ſtamina & formam aliquam rudiſſimam conſideres, cum intellectu humano ejusque uſu nata eſſe cenſeri ſuo modo poteſt, ne tamen philoſophiam talem, qualem hodierna nobis ingenii cultura exhibet cogitemus, ſed philoſophiæ prima rudimenta, & aliqualem rerum divinarum & humanarum ex rationis meditatione & experientia cognitionem, quam philoſophiam empiricam vir quidam doctus [h] non inepte dixit, intelligamus. Hic iterum in omnia alia abeunt, qui primum humani generis parentem, Adamum non tantum in integritatis ſtatu perfectiſſima philoſophiæ cognitione imbutum fuiſſe, ſed & poſt miſerandum lapſum relictos priſtinæ ſapientiæ igniculos meditatione ac longa experientia ad magnam philoſophiæ cognitionem excitaviſſe contendunt. Quorum ut longum agmen eſt, quod apud alios [i] nominatum conſulere poteſt, cui ad hæc otium eſt, ita plerique iisdem argumentis utuntur, quæ jam inter veteres SUIDAS [k] expoſuit. Nos unius verba afferimus, quia breviora ſunt, & rem luculenter exprimunt, & libellus rarus eſt, indeque auctor inter ceteros plerisque non nominatus: OTTO ſcilicet HEURNIUS, [l] qui hac de re ita: *Adamum non ante lapſum tantum arbitramur ſapientem, prudentem, omnisque doctrinæ genere ornatiſſimum fuiſſe; verum etiam a lapſu rudem, adumbratam, involutamque eorum cognitionem retinuiſſe; quam poſtea exili hoc divinitatis lumine, quod reſtibile ſibi relictum erat, evolvere conatus eſt: omnesque ejus poſteri nixi ſunt, & nitentur, donec cœlum fatalem motuum numerum evolverit. Etenim peccato in tenebricoſum oblivionis ergaſtulum conjectus, inſcitiæque denſa caligine obſeſſus, in ſumma verſabatur rerum ignorantia. Veruntamen retinens ſemina quædam ſuæ divinitatis, rerumque maximarum dulci recordatione, quaſi igniculis accenſus perpetuo intelligendi ſciendique deſiderio flagrabat. Atque hinc maximo*

Adamus an perfectus philoſophus?

f) Ita Valentiniani, de quibus ſuo loco.

g) Vid. JAC. THOMASIUS *de Manetis dogmate, de loco animarum poſt mortem Tom. I. hiſt. ſap. & ſtult. a filio editæ c. V. p. 56. ſeqq.*

h) *Act. philoſ. vol. I. p. 760.*

i) GUNDLING. *hiſt. philoſ. mor. c. VII. §. 1. p. 591. ſeqq.* & imprimis FABRICIUM in *Cod. Pſeudep. V. T. vol. I. p. 8. ſeqq.*

k) Voce *Adam T. I.*

l) In *antiquitatibus philoſophiæ barbaricæ*, libello *Lugd. Bat. 1600.* 12. edito *l. I. p. 7.*

ximo cum labore & ſtudio multa perſcrutatus eſt, recuperavitque ſenſuum ope, in ea primum incumbens, quæ ſenſibus erant obvia, deinde occultiora ſola mente cognoſcibilia, ratione colligens. Nec in dubium cadit, quin filios ſuos plurima a ſe inventa docuerit, longa namque cum illis vixit ſocietate. Hactenus Hornius, cui magiſtros in ſententia hac præeuntes, Judæorum doctores adjungere poſſemus, niſi illi indigni eſſent, quorum fabulæ audiantur. Nos vel unico argumento uſi, totam diſputationem facile conficere poſſemus, omnium ſcilicet artium & diſciplinarum ſyſtemata, multis ſeculis Adamo poſteriora eſſe, & cum naſcentis originis rudem præ ſe faciem ferant, impoſſibile eſſe, ut ex relictis in anima Adami amiſſæ ſapientiæ igniculis, uſu & meditatione excultis tanta ſcientiarum lux, quantum iſti volunt, exorta ſit. Fruſtra enim per omnem philoſophiam barbaricam, philoſophiam ſcientifica ratione excultam deprehendemus, quam tamen didiciſſe, ſuosque docuiſſe Adamum, iſti viri docti clamitant. Sed ut omnia lectoris examini pateant, afferamus, quæ pro philoſophia Adami, immo, ſi hos audis, πανσοφίᾳ plerumque afferuntur argumenta, & quid roboris illis inſit, ſine antiquitatis præjudicio expendemus.

Argumenta pro philoſophia Adami,

§. III. Duplici ſcilicet nomine magnus, immo ſi dicendum, quod res eſt, maximus mortalium omnium, philoſophus Adamus ex horum ſententia dicendus eſt, tum ſupernaturali ſapientiæ lumine, quo ex divina imagine ornatus erat, colluſtratus, tum poſt lapſum, reſiduis amiſſæ lucis igniculis longo uſu & meditatione ad inſignem cognitionis philoſophicæ perfectionem perductis expolitus. Et in ſtatu quidem perfectionis paradiſiaco fulgentiſſimo ſapientiæ & ſanctitatis ornatu radiaſſe, ipſis ſacris oraculis præeuntibus, negare poteſt nemo. Sapientiam vero hanc eo nomine indignam putant, niſi ille, qui Deo ſimilis erat, omnium rerum naturam atque receſſus perſpexerit: nec habuiſſe locum errorem, ignorantiam, inadæquatas ideas, quæque aliæ cognitionem noſtram ſufflaminant difficultates, & intellectus morbi; non imperaviſſe intellectui ſeducendo peſſima præjudicia, quæ ex ſancta voluntate oriri non potuerint. Poſt lapſum amiſiſſe quidem lucem ſapientiæ congenitam, remanſiſſe tamen priſtinorum bonorum recordationem, & exortum ex ſenſu amiſſæ felicitatis, vehemens deſiderium priſtinam ſapientiam recuperandi. Quare adhibita meditatione, & contemplatione per tot annorum decurſum, accedente experientia novam lucem & eruditionis in genere, & philoſophiæ in ſpecie Adamo fuiſſe enatam. His pro univerſa Adami philoſophia adductis adduntur alia, quibus ſingularum diſciplinarum philoſophicarum notitia non caruiſſe evinci debet. Phyſicam enim ejus eruditionem inde probari ajunt, quod adductis ex voluntate creatoris ad Adamum omnibus animalibus, nomen cuilibet impoſuerit, quod naturam ejus accuratiſſime exprimeret, & in eorum naturam ita inſpexerit, ut ſociam ſibi inter ea convenientem reperiri negaret. [m] Et hujus ὀνομαστοθεσίας veſtigia, naturam animantium exprimen-

m) Ita jam EUSEBIUS *Præpar. Ev. l. XI. c. 6.* & SUIDAS *l. c.*

tis hodienum deprehendi magni in veteribus linguis viri contendunt. [n] Eandem vero nomina imponendi notitiam magnam logicæ peritiam inferre, ex veteribus jam asseruit EUSEBIUS. [o] Addunt, quibus ista placent, [p] imaginem Dei cum perfecta cognitione habentem, artem quoque ratiocinandi habuisse; literas ipsumque sermonem humanum invenisse, docuisse suos quædam, methodique non fuisse ignarum; immo cum Eva & serpente dialectice satis disseruisse. Mathesεos peritiam in Adamo probare vestes pellesque ferinas mechanices specimen, casam tentoriumque extructum architecturæ opus, observatos siderum motus & divisa tempora astronomiam, & quæ his sunt similia. [q] Philosophiam moralem exercitia pietatis institutumque in familia divinum cultum demonstrare, de officiis hominum apud suos prudenter pieque disseruisse. Gubernavisse porro familiam prudenter, & ad promovenda vitæ commoda prudentiam œconomicam, sine qua misere vixisset, adhibuisse. Tandem his omnibus adjiciunt, libros eum sine dubio scripsisse, quibus tanto labore diuturnoque usu partam sapientiam, ne oblivioni traderetur, posteris reliquerit. Etsi enim aperte falsi & suppositi sint, qui protoplastæ affinguntur libri, ejusque nomine circumferuntur, esse tamen hos subreptitios fœtus luculentum testimonium, extitisse suo tempore veros libros, quorum titulis traditionis fide receptis, & temporis injuria deperditis falsi isti & commentitii potuerint surrogari.

Refutantur. §. IV. Speciem aliquam hæc prima fronte præ se ferunt, accuratius examen non sustinent. Quæ enim de sapientia Adami ante lapsum concreata dicuntur, recte quidem se habent, ad exsculpendam vero philosophiam nihil valent. Consistebat enim sapientia protoplastorum in cognitione Dei & sui ipsius & in efficaci atque practica notitia earum rerum, quæ ad suam felicitatem in concreata justitia sitam necessaria habebant: quæ hominem quidem sapientem, & ad consequendum veræ felicitatis finem aptis mediis intellectus & voluntatis instructum, non vero philosophum, eo sensu, quo in historia philosophica sumitur efficiunt: ut nihil dicamus, non definitum esse, an hanc lucem Adamus ex naturali scientia an ex divina revelatione habuerit? quod posterius familiare, quod cum Deo in integritatis statu primi homines habuere, commercium satis innuit. Præcipue vero expendi sedulo cupimus, artes & scientias, etiam in philosophia comprehensas, ignorantiam hominum, indeque ortam admirationem, causam præcipuam philosophiæ supponere, alias vero necessitatibus humani generis, quales mathematicæ sunt, inservire, omnes ad tollendam intellectus humani ignorantiam comparatas esse, & multorum annorum experientiam atque meditationem, immo si rem recte ponderemus,

n) Ita magnus BOCHARTUS *Hierozoici l. I. c. 9.* qui plurima congessit hebræa animalium nomina ut probaret, quod certa ratione nitantur ex natura rei petita.

o) *l. c.*

p) CORN. DIET. KOCH. in *Polyhist. Log. c. 6.*

q) Conf. *Obs. Hal. T. I. obs. 19.*

remus, etiam opinionum diverſitatem ſupponere. Quæ omnia, uti ipſam artium & ſcientiarum hiſtoriam teſtem habent omni exceptione majorem, ita aſſertam Adami in ſtatu paradiſiaco panſophiam funditus evertunt. Dimetienda itaque Adami ſapientia eſt ex fine, & talis ſtatuenda eſt, qualem divina benevolentia & ſapientiſſimum conſilium in condendo ad felicitatem homine poſtulat, qualemque reſtaurari reſtituta per gratiam divina imagine, revelatio docet: ad quam philoſophiæ cognitionem requiri, nemo temere affirmaverit. Concidente vero philoſophia Adami ante lapſum, concidit quoque ea, quæ poſt lapſum ei tribuitur, quamque in memoria priſtinæ ſapientiæ, vel reſuſcitata recordatione fundari ſupra audivimus. Quod ſi protoplaſtum accurata meditatione & longævitatis beneficio philoſophicas veritates inveniſſe, poſt erosque docuiſſe aſſerere quis velit, illum prius probare oportet, Adamum poſt lapſum magna rerum omnium ignorantia obrutum, multisque neceſſitatum & ærumnarum depellendarum curis preſſum, amariſſimoque pœnitendi & ad Deum redeundi exercitio quotidie occupatum, aptum fuiſſe ad inveniendas omnis generis ſcientias, præſertim philoſophicas & animum etiam eo applicuiſſe, atque ab aliis occupationibus, quibus recens, qua obruebatur humanum genus, maledictio mitigari debebat, adeo fuiſſe vacuum, ut philoſophiæ ſpeculationibus indulgere poſſet. [r] Quod ſi vero generalis philoſophiæ cognitio Adamo neganda eſt, quid de ſpecialibus diſciplinis ei tribui ſolitis dicendum ſit, facile exiſtimari poteſt. Quæ enim pro phyſica ejus ſcientia affertur ὀνοματοθεσία, nondum rem conficit, cum non tantum ex quorundam nominum ſignificatione, ſæpe contorta longiusque in gratiam ὑποθέσεως quæſita, quæ cum natura beſtiarum convenire dicitur, phyſica cognitio non queat inferri, ſed & omnis illa, de primæva lingua diſputatio incertiſſima ſit, fruſtraque hodie inde argumentum ſumatur: & præterea nomina ex aſſe naturis animantium reſpondiſſe, aſſumatur potius in textum, quam ex eo eruatur; in quo divinus hiſtoricus nihil aliud narrat, quam adducta eſſe hoc fine ad Adamum animalia, ut intellecta eorum conditione nomine ſuo inſignita repudiaret, in conſortium vitæ non recipienda. Alias textus difficultates, alibi expendendas tacemus. Porro a naturali differendi facultate verumque a falſo diſcernendi aptitudine, ad artificialem logicam, ab extruendi caſulam miſeram peritia, ad architecturam, a neceſſitate familiam regendi ad œconomiam & politicam philoſophicam concludere, idem eſt, ac quadrata miſcere rotundis, & ſic rudem plebeculam & ruſticam quoque gentem intrudere philoſophantium choris. Virtutis vero præcepta & ſapientia nec Adamo, nec patriarcharum cuidam deneganda ſunt, cave vero artificialem intelligas, vel etiam naturalem. Prophetam enim Adamum fuiſſe, & habuiſſe cum Deo converſationem, qua divina voluntas ad reſtituen-

r) Conf. ven. J. FR. REIMMANNI *Hiſt. liter. antidiluv. p. 53.* Cl. MICH. LILIENTHAL. *Obſerv. ſel. IX. p. 258.* cel. FEURLINUS *l. citando.*

reſtituendam felicitatem, lapſu ejus amiſſam, ei manifeſtabatur, & peculiari revelatione tradebatur, aperta ſacrarum literarum veſtigia produnt, & recte viris doctiſſimis [s] obſervatum eſt. Unde in tradendis pietatis præceptis, & parænetica excitandæ & commendandæ virtutis methodo Adamum ſedulum fuiſſe, omnino veriſimillimum eſt. Quæ tamen omnia ad iſtam Adami philoſophiam nihil faciunt. Miramur vero merito, viros graves & non obeſæ naris ad libros Adami potuiſſe provocare, non ignaros, ſcribendi artificium primævis humani generis originibus longe eſſe recentius atque poſterius, nec indiguiſſe eo ætatem hominum primam, annorumque longævitatem ad conſervandam veritatum, inutilibus ſpeculationibus nondum in infinitum numerum auctarum, ſed ad ſolam tuendam æternam & temporalem felicitatem provide reſtrictarum traditionem oralem abunde ſuffeciſſe. Nec aliunde tota illa librorum adamiticorum caterva orta eſt, quam ex ingeniis Judæorum, ad nugas has ineptam ſuæ genti gloriam conciliaturas proclivium. [t] Quæ quo loco philoſophia Adami habenda ſit, luculenter docent. Plura cupienti alii viri docti, [u] qui id prolixius confecerunt, adeundi ſunt.

Dijudicanda ex dictis ſunt, quæ auctor *Hiſtoriæ criticæ philoſophiæ*, de origine ejus *T. I. l. I. c. 1. p. 2.* dixit, illam cum ipſis mundi natalibus ortum ſuum accepiſſe, & virilem ejus virtutem inter ipſa adoleſcentis pueritiæ veſtigia apparere. His ſplendida verborum pompa prolatis hæc potiſſimum ratio additur, homines omni tempore cogitaviſſe, meditatosque fuiſſe; magnificum orbis noſtratis ædificium ita perſtrinxiſſe oculos, ut elegantia & ordine rerum naturalium excitati, Dei conditoris magnificentiam & divinitatis veſtigia ubique deprehenderent. Ita utilitate & jucunditate operum naturæ infinitorum illectos, admiratione matre, in cauſas inquiſiviſſe eorum, quæ cum delectatione viderant: & hinc ortam eſſe philoſophiam. Eleganter hæc & ſpecioſe dicuntur, miſere tamen cohærent. Quod ſi enim admiratione matre philoſophia genita eſt, hominibus in cauſas rerum, quas admirabantur, inquirentibus, non cum ipſo ortu humani generis philoſophia effloreſcere potuit. Requirebat enim temporis ſat amplum ſpatium, ut meditatione & experientia magiſtris tandem ad aliquam cognitionem pervenirent. Nec ea primorum ſeculorum conditio fuit, quæ noſtratium, ubi philoſophi, otioſis & curioſis plerumque naturæ ſpeculationibus intenti, hunc omnis vitæ ſuæ ſcopum habent, ut excogitatis ingenii luſibus & effictis hypotheſibus rationem eorum redderent, quæ ignoraſſe videri nolunt: unde & ad ſolam philoſophiam naturalem auctor ſatis inaccurate philoſophiæ origines reſtringit. Sed ea primorum homi-

s) DAVID KNIBBE *Hiſt. prophet. l. II. c. 1. ſeqq. Acta philoſ. vol. I. p. 772. ſeqq.*

t) Conſulantur doctiſſimorum virorum J. A. FABRICII *Codex Pſeudepigraphus V. T. T. I. p. 2. ſeqq. & T. II. p. 1. ſqq.* JO. CHR. WOLFII *Bibl. hebræa T. I. p. 110. T. III. p. 69. T. IV. p. 771.*

u) Cel. FEURLINUS duabus diſſ. *de philoſophia Adami. Acta phil. l. c.*

hominum actio fuit, ut præsentis vitæ miseriam levarent, æternæ reparandæ viam ingrederentur: quæ occupatio parum temporis ad philosophandum reliquit. Confundit itaque auctor temporum nostrorum rationem cum vetustissima humani generis conditione, & aliqualem atque empiricam operum naturæ cognitionem, cum scientia philosophica: id quod vix in viro demonstrationum physicarum perito ferri posset, satis docto, quam immensus plurimorum annorum labor sit, primis hominibus circa alia omnia occupatis, sine ulla probabilitate tribuendus, multorum hominum experientiam congerere, ut inde aliqualis operum naturæ & causarum ejus notitia emergat; nisi ipse auctor neglecta definitione philosophiæ seductus, ipse sibi hæc retia tetendisset, in quæ in ipso historiæ suæ philosophicæ vestibulo incautus cadit. Verum hoc viro docto, dum eloquentiæ laudem avidius sectatur, in hoc opere sæpius accidit.

§. V. Evicta, Adamum non fuisse philosophum, omnemque de protoplastæ philosophia cogitationem imaginariam tantum esse, sententia; iisdem prorsus argumentis idem de Adami filiis Caino atque Abele dici & evinci potest. Et hunc quidem, moribus placidum & ad meditationes aptiorem, inter philosophos referri vix videas, insanum tamen nugis ingenii veteratorii auctoritatem conciliandi studium librum nomini ejus suppositum. [x] Illum vero non philosophum tantum, sed & omnis philosophiæ sectariæ conditorem facit GEORGIUS HORNIUS. [y] Ait enim: philosophiam in duas sectas sciissam filiorum Dei & hominum, sive Sethi & Caini, infensissimo propagatam fuisse in alterutram animo. Hanc Cainiticam sectam rationem corruptam principii loco habuisse, cum qua quod minus consentire videbatur, audacissime exploserit. Cætera φυσικῶς cognoscentes, ad curam & voluptatem, velut bruta ventri obedientia retulisse, ut plane Epicuri philosophia jam tum in animis hominum radices egerit: inde gigantum, sive, atheorum & Epicureorum sectam ortam esse, corruptricem philosophiæ sobriæ, præsertim, quæ in vita civili consistit. Quam parum vero hæc, præter nihil recte sonantia verba, dicant, quilibet intelligit, qui divini historici narrationem considerat attente, quippe qui de Caino non alia refert, quam animi malitia Deo displicuisse, odiique in fratrem concepti fructum fuisse fratricidium. Quæ si philosophum faciunt, si in Epicuri hortos relegandus est, quisquis cupiditatum habenis laxatis Dei timorem cultumque negligit, & in atheismo practico securitatis & impietatis

Philosophia Cainis & Abelis.

x) *De virtutibus planetarum & omnibus rerum mundanarum virtutibus.* Conf. TH M. BANGII *Cælum Orient. Exerc. II. Qq. 5. p. 123.* FABRICIUS *Cod. Pseudepigr. V. T. T. I. p. 112.* J. CHR. WOLF. *Bibl. hebr. T. I. p. 346.*

y) *Hist. philos. l. I. c. 9. p. 50.*

tatis ſolatia quærit; non ſufficiet hortus Epicuri, ſed aperiendæ ſunt ad recipiendam omnium gentium & ætatis ſceleratorum copiam portæ mundi. Ita enim quo quis eſt ſceleratior, eo erit philoſophiæ impiæ aptior: qui ratiocinandi modus juvenili quidem Hornii ingenio condonandus, rejiciendus vero eſt, tanquam puerilis & ne ullam quidem veriſimilitudinem generans. Nec felicius a condita a Caino urbe, & inventis ad colendam terram inſtrumentis ad Caini architecturæ & mechanices cognitionem concluditur: nam quæ neceſſitate & experientia magiſtra inveniuntur, artis præcepta & philoſophiam non poſtulant, & incertum eſt, an non DEUS ipſe qui ad colendum agrum hominem ex paradiſo ejecit, inſtrumenta ad hunc laborem neceſſaria ei revelaverit? Verum in ejusmodi abſurdas ſententias neceſſario incidunt, qui neglecta accurata philoſophiæ definitione ſine hoc duce in ampliſſimis philoſophicæ hiſtoriæ campis oberrant.

Philoſophia Sethi.

§. VI. Poſt Abelem Caini perfidia trucidatum vera DEI cognitio cultusque a fratricida neglectus per Sethum in familia Adami propagatus eſt. Hunc inter philoſophos non ſolum referunt philoſophiæ antediluvianæ patroni, ſed & tanquam æthereum ſolem exortum una cum patre opera ſapientiam excoluiſſe contendunt, maxime vero illam partem, quæ relictis terris, ipſa ſidera, eorumque *πάθη καὶ συμπλώματα* ſcrutatur, in qua ſapientia plane inſignem & admirandum doctorem evaſiſſe volunt. [z] Quæ ſententia non nudius tertius enata eſt, ſed a Judæorum ſuperbia & hæreticorum impoſtura originem cepit, & Græculorum mendaciis aucta & propagata eſt. Nativitatem enim debet JOSEPHO, qui de filiis Sethi, parentis doctrinæ innutritis refert: [a] *diſciplinam rerum cœleſtium, & ornatum earum primitus illos inveniſſe. Et ne dilaberentur ab hominibus, quæ ab eis inventa videbantur, aut, antequam venirent ad cognitionem, deperirent, cum prædixiſſet Adam exterminationem rerum omnium, unam ignis virtute, alteram vero aquarum vi ac multitudine venturam: duas facientes columnas aliam quidem ex lateribus, aliam vero ex lapidibus, ambabus, quæ invenerant, inſcripſiſſe, ut etſi conſtructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens præberet hominibus conſcripta cognoſcere, ſimul & quia lateralem aliam poſuiſſent; quæ tamen lapidea permanet hactenus in terra Siriada.* Hanc narratiunculam Judæorum in antiquitatibus gentis ſuæ ornandis mire ſtrenuorum, non pro vera tantum & fide digna receperunt Græci, Euſtathius, Malala, Glycas, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus, Nicetas, & Græculorum mendacium fere quilibet, ſed & fabulis auxerunt, Sethumque literarum & ſcripturæ inventorem, nominum aſtris impoſitorum, menſiumque & hebdomadum annique partium obſer-

z) Ita HORNIUS *l. c. l. I. c. n. p. 58.* viam illi præeunte OT. HEURNIO *antiq. barbar. l. I. p. 8. 9.*

a) *Lib. I. Antiq. Judaic. c. 2.*

obſervatarum, auctorem fecerunt, & aſtronomiam omnemque ſcientiam ab angelo in cœlis raptum edoctum fuiſſe, poſt infauſtum Manichæorum doctorem Fauſtum [b] ſomniaverunt. [c] Qui ſi ſuæ fidei relinquerentur, prudenter factum eſſet, Græca enim fide illa & narrantur & creduntur; viros vero doctos manus ejusmodi fabulis dediſſe, ferri vix poteſt. Non enim res ipſa in contrarium tantum clamat, cum obſervationes aſtronomicæ in illo temporis, quo Sethiani filii & nepotes vixerunt, ſpatio & ruditate non potuerint eo perduci, ut doctrinæ rationem obtinerent: ſed & ſequentium temporum obſervationes cœleſtes ſua ruditate infantiam multo juniorem produnt. Nec obſtat Joſephi fides, qui ut, Judæorum more, omnia rapit, quæ gentis ſuæ antiquitati inſervire poſſe putat, ita vel incerto nugantium rumore deceptus, vel errore inductus eſt, ut Ægyptias ſtelas, quibus antiquiſſimi Ægyptii ſuæ gentis origines & opiniones hieroglyphica ſcriptione incidebant, cum hoc Sethiano monumento, Sethumque patriarcham cum Setho rege vel Soth ſive Typhone confunderet. [d] Ad lapidem Sethia enim ESAIÆ reſpexiſſe vix probabile eſt. Quicquid vero illud eſt, quo Joſephus in errorem inductus eſt, cadit omnis narratio vel hoc argumento, quod nullum ex antiquitate argumentum ad eam vel leviter corroborandam adduci queat. Nec in ſacris gentis Hebrææ originibus quas divinus ſcriptor Moſes pandit, vel leviſſimum ejus occurrit veſtigium: quo duce, diſcimus, revelatione ductore a parentibus edoctos verum Dei cultum & cognitionem propagaviſſe Sethianos poſteros.

§. VII. Et hinc conjectura quoque vero non abſimilis fieri poteſt, de ſtudiis inter utramque familiam, Sethi & Caini eorumque poſteros florentibus. Hos enim Cainiticas vias impigre prementes in laxandis cupiditatum frenis, & abutendo ad malas artes ingenio fuiſſe ſtrenuos, primi mundi hiſtoria apud hiſtoricum ſacrum teſtatur. Qua ratione vero ingenium ad inſerviendum voluptati, & crudelitati adhibuerint, dici haud facile poteſt. Narrant quidem ſacræ paginæ, Jubalem patrem fuiſſe omnium con-

Scholæ Cainitarum & Sethianorum.

Jubal & Thubalcain.

b) S. AUGUSTINUS *l. IX. contra Fauſt. c. 3.*

c) Loca veterum excitavit diligentiſſimus FABRICIUS *Tom. I. Cod. pſeudepigr. V. T. p. 148.*

d) Veroſimilis conjectura eſt Scaligeri & Dodwelli, reſpexiſſe Joſephum locum Manethonis apud SYNCELLUM *p. 40.* ubi teſtatur, *ſe profeciſſe ἐκ τῶν ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ κειμένων δ' λῶν ἱερᾷ διαλέκτῳ καὶ ἱερογραφικοῖς γράμμασιν κεχαραγμένων ὑπὸ Θωὺθ τοῦ πρώτου Ἑρμοῦ. Ex columnis in Seriadica terra ſitis ſacraque lingua & hieroglyphicis literis inſcriptis a Thot primo Mercurio.* Seriadicam itaque terram in Ægypto quærendam, & hinc Joſepho labendi occaſionem enatam, quod librum Σώθεως ibi memoratum & ex his ſtelis excerptum a Manethone, pro Sethiano fœtu habuerit. Conf. *Obſ. Hal. T. I. obſ. 19. p. 294.* FABRICIUS *l. c. p. 150.* & quos laudat. Unde mirandum KORTHOLTUM in tr. *de orig. & progreſſu phil. barb. §. 5. p. 9.* dubium hæſiſſe, an hæc fabula rejicienda ſit.

contrectantium citharam & organum, Thubalcainum vero Lamechi ex Zilla filium malleatorem fuiſſe & fabrum in cuncta opera æris & ferri: unde illum Muſices, hunc armorum & inſtrumentorum ad gloriam bellicam acquirendam pertinentium inventorem fuiſſe non alienum prorſus a veritate videtur. Non tamen inde inferre licet, philoſophicæ cognitionis & meditationis beneficio ad ejusmodi inventiones fuiſſe delapſos; ſed vel caſu vel experientia ducente, ut in omni artium origine factum eſt, ad ejusmodi inventiones vel producendas vel expoliendas perveniſſe judicandum eſt; unde etiam ruditas in utroque inventionis genere colligi, & quam longe a philoſophica inventione remota ſit, exiſtimari poteſt. Inventorem tamen artis chemicæ hic nobis exſculpſit eruditiſſimus BORRICHIUS,[e] qui ut arti a ſe commendandæ & contra adverſarii inſultus vindicandæ auctoritatem adderet, ad Thubalcainum initia hiſtoriæ artis hujus refert, eo argumento inductus, quod ferri ærisque metalla, illa Thubalcaini magiſteria inveniri, fingi, formarique nequeant, ni ratio prius cognoſcatur, minerarum naturas inveſtigandi, coquendi, purgandi, ſegregandi; quæ univerſa reperire, non niſi divini ingenii eſt, reperta autem proſequi fabri cujusvis proletarii: quanquam igitur hodie metallurgi etiam in chemicis parum exerciti metalla ex mineris permiſtis facile excoquant magiſtro viam præeunte, neceſſe tamen, primum inventorem magiſtrumque chemicum fuiſſe: Et id ipſum Vulcani fabulam velle, quem omnis in auro & argento & ære operationis, & quæcunque ignis actionem recipiunt auctorem veteres dixere, teſte DIODORO SICULO.[f] Sumit vero ſibi vir doctiſſimus, quod probandum prius erat, illam quidem, quam Thubalcainus invenit, ferrum tractandi & æra poliendi artem talem fuiſſe, quæ multorum experimentorum repetitione ſine meditatione philoſophica inveſtigari nequiverit, cujus rei contrarium multa, quæ hodie inter artifices quotidie fere occurrunt, exempla probant, eos caſu ſæpe ad inventionem quandam ſine prolixa ingenii in eam prius ſollicite exque principiis phyſicis inquirentis meditatione delabi. Etſi omnia illa, quæ textus ſacer de hac re ſcribit, ita in ſe comparata ſunt, ut de aliqua inventione philoſophica vix aliquis cogitaverit, niſi præjudicio antiquitatis occæcatus artium origines inveſtigari non poſſe ſibi perſuadeat, ſi ad magnum quendam canæ vetuſtatis heroëm non referantur. Imo, cum לטש, qua voce ſcriptor ſacer utitur, polire & ornare indicet, non male nonnulli colligunt, Thubalcainum non tam artes fabriles inveniſſe, quam polituram & elegantiam rebus fabrilibus addidiſſe. Usque ad hunc Lamechi filium enim omnibus inſtrumentis fabrilibus caruiſſe Adamum & filios in condendis

e) In docto dialogo *de origine & progreſſu artis chemicæ, quo* CONRINGIUM in libro *de hermetica veterum Ægyptiorum medicina* ſibi refutandum ſumſit.

f) *Lib. V. Biblioth.* conf. JO. HENR. HEIDEGGERUS in *Hiſt. Patriarch. P. I. exerc. VI. §. 10. ſeqq. p. 213. ſeqq.*

dis vicis, ædificiisque & colendo agro ſedulos vix credi poteſt. Ut taceamus, quod ſupra jam meminimus, dubium eſſe, annon rerum ad vitæ humanæ uſum & commoda ipſis jam protoplaſtis ex deliciarum horto expulſis abſolute neceſſariarum inventionem, alias non niſi longo temporis tractu, uſu & tentaminibus deprehendendam, Deus ipſe revelaverit? Verum de eo viderint alii, qui in humanarum artium origines inquirunt.

§. VIII. Sethi vero poſteris, [g] qui parentem habuere divina revelatione gaudentem, propheticam magis quam philoſophicam ſcholam habuiſſe, inque ea, quæ de vero Dei cultu & ſperanda amiſſæ felicitatis per ſemen mulieris reſtitutione pia parentum traditione & divina revelatione acceperant, docuiſſe, ex ſacris literis conſtat. [h] Ad hoc unum neceſſarium omnia retuliſſe, huic fundamento pietatis præcepta inædificaſſe, Noachi, ex hac ſchola diſcipuli exemplo conſtat. Habuiſſe quoque inter ſe prophetas, peculiari cum Deo conſuetudine & revelatione gaudentes, Enochi exemplum probat, quem ex iſta revelationis luce fuiſſe vaticinatum D. JUDAS [i] afferit. Qui itaque & hunc divinum virum ſanctiſſima quidem vita, non vero ſpeculationibus philoſophicis immortalitatem conſecutum inter philoſophos antediluvianos referunt, non alio fundamento nituntur, quam apocrypho illo Henochi fragmento, quod ab otioſo Judæorum ingenio excogitatum & ab hæreticis auctum & in rem ſuam traductum eſt, in quibus nugis recenſendis patientia lectoris non abutemur. [k] Non denegamus quidem ſanctiſſimis viris præter revelationis lumina, naturalis quoque cognitionis lucem, ſed reſtringenda ea eſt ad vitæ rationes & circumſtantias, in quibus verſabantur. Agriculturæ enim & rei paſtoritiæ deditos fuiſſe, Noachi, Abrahami, Iſaaci & Jacobi exempla produnt, in quo vitæ genere experientia & uſu ea didicerunt, quæ ad emolliendam vitæ miſeriam, & parandas commoditates requirebantur: qua praxi rerum naturalium multiplicem experientiam habuiſſe recte concluditur, philoſophiam vero ita naturalem excoluiſſe male inde infertur. Nec ratiocinandi artem aliam habebant, quam quæ lux rationis congenita tradebat, unde & de Logica quadam patriarcharum artificiali fruſtra cogitatur. [l] Multos tamen paralogiſmos evitabant, animo a præjudiciorum inſania per diviniorem ſapientiam præmunito, & luce majori per revelationem colluſtrato. Quæ

Sethi poſteri.

Enoch.

g) Non tamen omnes Sethianos ſapientes & pios, Caini poſteros omnes ſtultos & impios fuiſſe recte monet Cl. HEUMANNUS *act. Phil. Vol. I. p. 784.* ſed hic a potiori denominationem accipimus.

h) *Gen. IV. 26. & Comment. ad h. l.* HEIDEGGER *l. c.*

i) *v. 14.*

k) Collegit pleraque de hoc Henochiano fragmento B. FABRICIUS *Cod. Pſeudepigraph. V. T. T. I. p. 160 ſeqq.*

l) Adeoque & libri & bibliothecæ eorum rejiciendæ, quas exſtruxiſſe ſibi viſus eſt JOACHIMUS JUSTUS MADERUS in diſſ. *de ſcriptis & bibliothecis antediluvianis.*

ut veritates magis ad æternam felicitatem quam ad humanam facientes exponit, ita in quo ſapientiſſimorum virorum ſtudium ſapientiæ verſatum ſit, docet. [m] Nec objici poteſt, veriſimile non eſſe, viros prudentes, graves, longaque multorum annorum experientia tum rerum naturalium uſu gaudentes, tum civilem ſocietatem excolentes, de cauſis naturalibus nihil diſſeruiſſe vel de principiis juſti & honeſti nullam ideam habuiſſe, nec de iis ad ſuos fuiſſe locutos: hæc enim nemo, facile aſſeruerit. Verum cadunt ea quoque in hominem, qui philoſophiæ limina nunquam ſalutavit, nec ideo mox philoſophi exſculpendi ſunt, quia aliquas veritates philoſophicas ſimplici cognitione aſſecuti ſunt. Placent verba QVINTILIANI: [n] *Hæc quæ velut propria philoſophiæ aſſerunt, paſſim tractamus omnes. Quis enim non de juſto, æquo ac bono, modo non vir peſſimus, loquetur? Quis non etiam ruſticorum aliqua de cauſis naturalibus quærit? Nam verborum proprietas & differentia, omnibus, qui ſermonem curæ habent, debet eſſe communis.* Plura de patribus antediluvianis nec ipſæ ſacræ origines narrant, unde & quo minus plura addamus, (verba ſunt HORNII [o] ſolito prudentioris) *facit ipſius hiſtoriæ obſcuritas, quæ tam longe ab omnium hiſtoricorum ævo remota fuit, ut vel nihil, vel falſa vel incerta prodiderint.*

m) Conf. *Acta philoſ. vol. I. pag. 771. ſeqq.*

n) in *proœm. Inſtit. Orat.*

o) *l. c. c. XI. p. 59.* De Henocho tamen aſtronomiæ auctore infra c. VII. dicetur, ubi de Atlante.

LIBER

LIBER SECUNDUS
DE PHILOSOPHIA BARBARICA POST DILUVIUM.

CAPUT PRIMUM.
DE PHILOSOPHIA VETERUM HEBRAEORUM.

§. I.

Philoſophia Hebræorum quomodo ſpectanda.

Inquiſivimus præcedente libro in origines philoſophiæ, eamque tenuibus admodum principiis exortam & in rudi atque empirica veritatum ad humani generis felicitatem pertinentium cognitione conſtitiſſe deprehendimus. Unde & philoſophos noſtro dicendi modo, & accurata ſignificatione nominis antediluvianos non reperiri evictum eſt. Jam luſtranda ſunt tempora poſt diluvium, & per omnes barbaras nationes ſcrutandum, qua ratione de philoſophia meruerint, quibus ſententiis innutriti fuerint, quamque apud eos ſyſtematum dogmaticorum rationem deprehendere liceat. Inter barbaras vero gentes Hebræis antiquitate nullam eſſe priorem origines eorum in ſacris pandectis conſervatæ produnt. Hebræorum vero nationem uſque ad tempora Babylonicæ captivitatis jam conſideramus, ubi eorum inter barbaras gentes mentio facienda eſt: nam quæ in hoc populo philoſophia poſt captivitatem Babylonicam fata habuerit, ſuo ea loco narranda ſunt, quando de Judæorum philoſophia dicendum erit. Unam enim Judæ tribum ex captivitate reducem, reliquos, qui ex gente Hebræa remigraverunt, junctos ſibi habuiſſe, & uno Judæorum nomine complexam eſſe, ſatis notum exiſtimamus. Antequam vero de magnorum in Hebræa gente virorum philoſophia, quæ iis plerumque tribui ſolet, differimus, pauca quædam præmonenda ſunt, ne incauti offendamus atque in errores labamur. Scilicet cavendum maxime eſt a falſo, quem plurimi viri docti, de patriarcharum inter Hebræos philoſophia loquentes, ſibi formarunt philoſophiæ conceptu. Legentes enim in ſacra gentis hujus hiſtoria, emicuiſſe inter eam viros ſapientiſſimos, multaque prudentiæ & cognitionis laude inclytos, noſtri temporis eruditionem & philoſophiam ſibi concipiunt, hancque ideam veterum Hebræorum ſapientibus affingunt, & Græciæ, immo, noſtri ævi, philoſophiam ad canam iſtam antiquitatem referunt. Quod quam abſurdum ſit, quilibet videt, qui ſeculorum vetuſtiſſimorum longe aliam, quam recentiorum, rationem fuiſſe, cogitat, & hæc ad iſta referri non poſſe, palpat, hiſto-

hiſtoria id per omnes gentium antiquiſſimarum circumſtantias, teſtante. Porro & hoc accurate tenendum eſt, non certius meliusque judicium de priſcorum Hebræorum ſapientia fieri poſſe, quam ex monumentis illis, quæ vel ipſi vel ipſorum poſteri reliquerunt, quæque divinæ revelationis theſaurorum cuſtodes nobis conſervavit divina providentia. Domeſticis enim teſtibus fides multo magis danda eſt, quam alienigenis. Illi enim & gentis ſuæ fata atque conditionem ex monumentis magna cura a majoribus conſervatis ſcire potuerunt, hi & iſtis ſubſidiis deſtituti rumores incertos plerumque ſecuti ſunt, & de gentis ſemper ſibi ſoli relictæ parumque cum aliis gentibus converſantis circumſtantiis ideas ſibi ſæpiſſime falſas & erroneas effinxerunt. His præmiſſis & oraculis ſacris, uti decet, ducibus adhibitis, de Hebræorum ſapientia judicium fieri poteſt, ſatis certum. Novimus enim teſtibus ſacris paginis, magna inter Hebræos veteres ingenia extitiſſe, ſummosque inclaruiſſe viros, qui inſolita cognitionis veri atque boni luce non tantum gaviſi ſunt, ſed & practicam ejus rationem ita tenuerunt, ut efficaci modo cuncta ad ſuam ſuorumque felicitatem referrent. Sapientes itaque inter Hebræos priſcos fuiſſe, immo ceterarum gentium magnis viris ſapientiores, omnino affirmamus, nec diffitebitur, qui conditionem ſapientiæ illam, quæ in ſacris literis patriarchis & doctoribus Hebræorum tribuitur, cum aliorum gentium barbararum ſapientia ſine perſonæ reſpectu & præjudicio contenderit: vel cum Græcanica quoque magnorum virorum philoſophia comparaverit. Quæ etſi vera ſunt atque certiſſima, non confundenda tamen eſt Hebræorum ſapientia cum philoſophia proprii nominis & ſignificationis. Quod ut planum fiat, probe obſervandum eſt, duplici lumine ſapientiam Hebræorum veterum fuiſſe gaviſam, revelationis & rationis: Utriusque conditio recte expendenda eſt. Revelationem divinam in hac gente fuiſſe, & peculiari cum Deo converſatione atque lucis extraordinariæ communicatione ſapientes gaviſos eſſe, ſacra oracula manifeſtant, & de Noacho, [a] Abrahamo, [b] Iſaaco, [c] Jacobo, [d] Joſepho, [e] Jobo [f] aliisque ad Moſen usque, Hebræorum ſapientium principem teſtantur. Unde & prophetarum nomen ab ipſo divinitus inſpirato vate illis tribuitur, & recte tributum eſſe inde evincitur, quia peculiari cum DEO conſuetudine gaviſi, lumen revelationis extraordinarium acceperunt, quo futurorum fatorum nubes ita diſpellebantur, ut ea coram viderent & prænuntiarent, quæ oculis humanis atra nocte occultabantur. Inde vero magna potiſſimum illa ſapientia ortum ſuum habuit, quæ illuſtriori origine coruſcans, radios ſuos ad poſteritatem transmiſit, æternum-

a) *Geneſ. VI. 12. ſeqq.*

b) *Gen. XII. ad XXII.* conf. WITSIUS *œconom. fœd. l. IV. c. 3. §. 2. ſeqq. p. 588. ſeqq.* certe ab ipſo numine propheta dicitur *Gen. XX*, 7.

c) *Gen. XXVI*, 2. *ſeqq. Ebr. XI.* 20.

d) *Gen. XXVIII*, 12 *ſeqq. XLIX*, 2. *ſeqq.*

e) *Gen. XXXVII*, 1. *ſeqq. L*, 23. *Ebr. XI*, 22. quod JUSTINUS quoque agnoſcit *l. XXXVI. c. 2.*

f) Originem enim ab Hebræis accepiſſe, tota hiſtoriæ ejus ratio ſuadet. conf. SPANHEMII *Hiſtoria Jobi.* Revelationem ejus divinam diſce ex *cap. XXXVIII — XL.*

numque nomen fecit Hebræorum ſapientibus. Revelatio vero & prophetia quia fontes primarii Hebrææ ſapientiæ fuerunt, eos alium in locum, quam inter philoſophos reponendos eſſe, neceſſario conſequitur. Multum tamen divina hæc lux, ad purganda, illuſtranda & evehenda rationis lumina, quibus, ut & reliqui homines, colluſtrabantur, contulit. Pietatis enim, atque timoris Dei pleni a magna præjudiciorum caterva immunes manebant, nec ad tot errores viam inveniebant, quam poſteriorum temporum malitia, obſtinatio, fallaciæ atque fraudes, & immenſa ſciendi ea, quæ ſciri & cognoſci vel plane non vel difficulter poſſunt, cupido aperuerunt. Accedebat multorum annorum, quibus vivebant, experientia, optima rerum magiſtra, qua temporis & conditionis ſuæ beneficio intellectum eorum, etiam, quod ad rationis lucem attinet, valde fuiſſe purgatum & emendatum, omnino concedendum eſt. Hoc itaque nomine inter prudentiſſimos antiquitatis homines referendi ſunt. Qualis vero iſta prudentia fuerit, & ad quem præcipue finem & objectum iſtam rationis perfectionem adhibuerint viri magni ex vitæ genere, quo utebantur, non vero ex noſtris conjecturis definiendum eſt. Erant vero patriarchæ veteres ad Joſephum usque paſtores, qui œconomica vivendi ratione magnam inter populos, inter quos vivebant, auctoritatem acquiſiverant: ad hunc itaque ſcopum prudentiam ſuam adhibuerunt, & de otioſis ſpeculationibus minime ſolliciti agreſte vitæ genus prudentia ſua excoluerunt, & emendaverunt, familiamque ſuam provida ratione augere & felicitatem ejus tueri ſategerunt. Cujus poſtea egregium in Jacobo patriarcha exemplum deprehendimus, qui paſtorali prudentia ad augendum gregis numerum feliciſſime uſus eſt. Jacobi filius Joſephus,[g] & poſt eum Moſes, David, Salomo, Daniel reipublicæ moderandæ, & vel legibus inſtruendæ, vel ſapienter ordinandæ, vel feliciter gubernandæ adhibiti ſunt. Id quod magna illos prudentia effeciſſe, magnorumque inter imperantes, legislatores & conſiliarios regios nomen adeptos eſſe, ſacra refert hiſtoria. Quæ tamen extraordinario imprimis & revelato lumine eos in gerendis arduis rebus fuiſſe adjutos, narrat, unde magna illa facinora, quæ immortale eis in adminiſtranda republica nomen pepererunt, non omnia & ſola prudentiæ naturali & experientiæ adſcribenda ſunt. Reliqui, qui proprio magis nomine vates dicuntur, in erudiendo populo, in tradenda divina voluntate, in ordinando cultu divino, in inſtituendis ad hunc ipſum ſcopum diſcipulis, ſedulos fuiſſe, ſapientiamque ſuam ad hunc finem adhibuiſſe, tota ſcholarum prophetarum apud Hebræos hiſtoria teſtatur. In his itaque ſtudiis excultis ſapientia quoque naturalis horum hominum quærenda eſt. Ita vero patres familias quidem prudentiſſimos & experientiſſimos, legislatores, imperantes, & conſiliarios prudentiſſimos, eccleſiæ doctores eruditiſſimos inter Hebræos invenimus, non vero philoſophos, niſi hanc vocem ad omnem omnino erudi-

g) *Pſalm. CV, 17.*

eruditionem, notitiam & experientiam extendere, & inter philoſophos referre velimus omnes, quotquot ad vitæ, quod excolunt genus prudenter accedunt, & ingenium ſine arte excolunt: quem vocis philoſophiæ abuſum, omnia miſcentem & turbantem ex hiſtoria philoſophica ſupra jam rejiciendum eſſe monuimus. Et hæc accurate prius tenenda ſunt, quam ad ipſam patriarcharum inter Hebræos philoſophiam contemplandam acceſſerimus. Quæ ſi probe ponderantur & pro norma in judicando de illa adhibentur, evitabimus facile errores, in quos plerique, minus accurato ſapientiæ Hebrææ conceptu decepti, inciderunt, & de præſtantiſſimorum & illuſtrium in hac gente virorum philoſophia recte judicabimus. Inter eos vero cum ſapientia & prudentia eminuerint vel inter philoſophos certis ex cauſis relati ſint Noachus, Chamus, Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, Joſephus, Moſes, Salomo, Daniel & Jobus, de his omnibus ſingulatim dicemus, ita tamen, ut ſcopi noſtri memores, ea tantum attingantur, quæ ad philoſophiam eorum dijudicandam pertinent. Reliqua enim hiſtoricis familiarum ſacrarum enarranda relinquimus.

Philoſophia Noachi affirmata,

§. II. Emergente ex diluvii fluctibus humano genere, primus vitæ humanæ in priſtinum ordinem redigendæ auctor fuit Noachus, gentilium quoque fabulis, ſi conjecturis credendum in tanta rerum canitie incertiſſimis, commendatus. [h] Ille itaque inter philoſophos Hebræos apud eos chorum ducit, qui ſapientiam veterem noſtro modulo metiuntur. Cujus aſſerti rationem ſi cupis, eos ad varia ſapientiæ Noachiticæ capita provocare audies. Vitæ enim morumque innocentiam in ea primum obtinuiſſe locum, fata filiorum prædixiſſe, ſimulque illuſtrem ſapientiæ partem de regni divini œconomia prodidiſſe monent. Contendunt porro, demonſtraviſſe, naturæ receſſus ſibi patere, pura animalia ab impuris ſeparando, pabulumque, quo ſingula animantium genera in arca aleret, ſeligendo & convectando. Ex ipſa vero arcæ ſtructura intelligi, mathematicarum rerum artisque architectonicæ eum non fuiſſe rudem. Ita B. JO. FRANC. BUDDEUS,[i] & Hebrææ philoſophiæ patroni alii. [k] Addunt,[l] quibus iſta placent, Noachum cum cerneret, tot animalia per ſemeſtre ſpatium in arca nutriri conſueto pabulo, tot modis inter ſe differente non poſſe, nec locum ad illud recondendum haberet, liquore artis chemicæ beneficio parato, & ad vitam viresque omnium animalium efficaciſſime conſervandas apto potiſſimum uſum eſſe. Quod vero Noachum inter primos philoſophos numerare hos viros doctos jubet, compendium illud eſt juris naturæ, quod

h) HEURNIUS *antiq. phil. barb. l. I. p. 11. ſeqq.* HUETIUS *Demonſtr. Ev. Pr. IV. c. 10. §. 6. p. m. 154. ſeqq.*

i) In *Hiſtoria philoſophiæ Hebræorum c. I. §. 6.* quibus cum quædam oppoſuiſſet cel. HEUMANNUS *Act. philoſ. vol. II. p. 7. ſeqq.* mentem declaravit, ita ut propius ſaniori ſententiæ accederet in *annotationibus ſecundæ editioni adjectis.*

k) HEURNIUS *antiq. phil. barb. l. c.* HORNIUS *Hiſt. philoſ. l. II. c. 1. p. 60 ſeq.*

l) EDM. DICKINSON. *Phyſ. vet. & ver. c. XX. §. 7. ſeqq.*

quod ſeptem præceptorum Noachiticorum titulo dudum inter Judæos pervulgatum eſt,[m] & recentiori quoque ætate a doctiſſimo SELDENO erudito commentario illuſtratum.[n] Sunt autem præcepta illa ſeptem, ſequentia 1. עבודה זרה, de cultu extraneo, ſive alio, præter unum verum Deum non colendo. 2. על ברכת השם de benedictione nominis, ſive, extollendo & prædicando nomine divino 3. על שפיכות דמים de effuſione ſanguinis, ſive humano ſanguine non effundendo, & occidendo homine. 4. על גילוי עריות de revelatione turpitudinum, ſive evitanda omnis generis impuritate & ſcortatione. 5. על גזל de furto. 6. על הדינים de judiciis, ſive regimine forenſi ac obedientia civili. 7. על אבר מן החי de membro animalis viventis non comedendo. Ex his præceptis ſex priora Adamo a Deo fuiſſe lata & revelata, ſeptimum Noacho divina revelatione expoſitum, hisque alia poſtea per patriarchas acceſſiſſe, donec tandem in perfectam decalogi formam coaluerint. Quam Judæorum traditionem non omni deſtitui fundamento viri docti contendunt atque defendunt. [o]

§. III. Nihil tamen in his omnibus eſt, quod nos Noachum philoſophorum choris intrudere cogit. Et recte quidem morum innocentia & practica ſapientiæ ratio in viro maximo aſſeritur, eam vero non ex philoſophiæ præceptis ſed ex divina virtute revelationis ope habebat & demonſtrabat. Sentiuntque id ipſi viri docti, qui vaticinia Noachi adſtruunt, & de regno Meſſiæ vaticinatum eſſe concedunt. Illa enim prophetam fuiſſe Noachum omnino evincunt, quem egiſſe & ſacræ literæ teſtantur, & ipſi Judæorum magiſtri aſſerunt. [p] Ex revelationis itaque lumine ſapientiam ſuam Noachus hauſit, & divina colluſtratus luce ea effecit, ad quæ peculiari divino mandato deſtinabatur. [q] Inde vero ratio conſtat, quo modo impura animalia ab impuris ſeparare potuerit. Qui enim futurum diluvium, qui conſervandas animalium ſpecies, qui modum evadendi univerſalem cataclyſmum Noachum edocuit, qui introducendorum certo numero & genere animalium purorum æque ac impurorum illi auctor fuit, cur non & idem Noachum quæ pura ſint ex iſtis animalium generibus, quæ impura docuerit? Non urgebimus in præſentia, quæ poſt JO. SPENCERUM, [r] *negata.*

m) Vid. *Gemar. Babylon. tr. Sanhedrin, c. VII. §. 5. f. 56.* quam ſecuti ſunt magiſtrorum Judaicorum alii, conf. quos laudat FABRICIUS *Cod. pſeudepigr. V. T. T. I. p. 268. ſeqq.*

n) *de I. N. & G. juxta diſciplinam Ebræorum, vid. l. I. c. 10.*

o) Egit id B. BUDDEUS, contra peculiarem ipſi hac de re oppoſitam diſſertationem, in *Hiſt. Eccleſ. V. T. T. I. pag. 194 ſeqq.*

p) *Seder Olam Rabba c. XXII. p. 58.* ed. Jo. Mayeri, qui locus manifeſtum facit, antiquiſſimos Judæorum iſtam jam veritatem perſpexiſſe, eſſe primos homines inter prophetas referendos.

q) Id ex *Gen. VI, 13.* patet. Unde ad Judæorum nugas non deſcendendum eſt, qui eum ex Adami & Enochi libris profeciſſe contendunt. vid. CAPPELLUS *Opp. poſthum. p. 369.*

r) *De legibus Hebræorum ritualibus l. I. c. VII. ſ. I. p. 119.* ed. Cantabrig.

JOANNES CLERICUS [s] contendit, Moſen per *πρόληψιν* hujus diſcriminis, poſt octingentos fere annos in lege Judæorum introducti facere mentionem; ſed id unum monemus, nondum definitum eſſe, an natura animalium, vel voluntate ſapientiſſimi legislatoris illud diſcrimen nitatur. [t] Quicquid autem horum eſt, certum eſt, quod CHRYSOSTOMUS [u] jam prudenter monuit: *Deum, quæ præceperat, eundem & ſcire manifeſte feciſſe.* Architecturæ primum atque egregium ſpecimen arcam a Noacho extructam fuiſſe viris doctis in ejus delineatione ingenioſis non negabimus, [x] etſi artem ſeculi noſtri juſto plus ingenio in iſtis excogitandis & delineandis indulgere facile quis ſibi perſuaſerit: ſed inventio & delineatio arcæ ipſum Deum auctorem habet, adeoque ad ipſum Noachum ſuomet ipſo ingenio talia effingentem referri nequit: qui etſi ideam a Deo depictam recte efformavit, ideo tamen non magis philoſophus evadet, quam fabrorum lignariorum quilibet, qui magiſtri ideam ſiſtere ipſo opere novit. Quæ vero pro chemicæ artis peritia afferuntur, conjecturæ, ſomnia ſunt atque nugæ, ad quas dilabi eo minus neceſſe eſt, quo magis aliæ rationes ſuppetunt, quæ manifeſte nos docent, abunde fuiſſe omni animantium generi in arca ſatis ad hoc ampla pabuli copiam. [z] Nec firmiora ſunt, quæ pro juris naturalis conditore Noacho afferuntur. Nam & Judæorum recens nimis teſtimonium, in antiquitatibus traditionum ſuarum miris mendaciis incruſtandis & ornandis ingenioſorum nihil apud providos rei judices probat, & ſi admittamus, revelationi divinæ, non principiis rationis excultis adſcribit, nihilque ad effingendam Noachi philoſophiam moralem adfert. Nec magnopere contendemus illa Noacho nota non fuiſſe; nam prima humanæ conſcientiæ principia ſunt, & natura nota, & ipſis protoplaſtis a Deo revelata; nihil tamen hoc in præſenti quæſtione probat, quæ non de naturali principiorum juris naturæ notitia, per primam animi culturam facile haurienda, multo minus de parentum ex divina revelatione diſcentium traditione, & peculiari quodam (quale ſeptimum præceptum eſt,) inſtituto, ſed de cognitione philoſophica, ex principiis rationis veritates juſta conſequentia deducente, inſtituitur: quam Noacho circumſtantiæ omnes denegant. Relinquendus itaque inter ſapientiſſimorum vatum choros, & eximendus eſt ex philoſophorum caterva Noachus. Infirmiori multo ſtant talo reliqua, quæ de Noachi eruditione putidorum mendaciorum architecti Arabes narrant, quibus vel recitandis tempore & otio abuteremur: legant illa & rideant, qui cupiunt apud cel. FABRICIUM.

s) Comm. *ad Gen. VII, 2.*

t) Vid. quæ objicit SPENCERUS. *l. c. p. 116.* ſeq. MARSHAM *Can. Chron. Sec. IX. p. 213.* & regerit ad Clerici objectiones cel. SCHEUCHZERUS in ſplendidiſſimo *Phyſicæ S.* opere, *T. II. p. 276. ſeqq.* ed. lat. qui tamen nec ipſe negat non omnium animalium eſu interdictorum rationes dari poſſe.

u) *Homil. XXIV. in Geneſ.*

x) Vid. SCHEUCHZERUS *l. c. T. I. p. 37. ſeqq.*

z) Conf. IDEM. *l. c.* cl. ANDR. OTT. GOELICKE *Hiſt. med. univ. Per. I. §. 14. p. 46. ſeqq.*

CIUM. [a] Unum addimus, impudentem impoſtorem ANNIUM, [b] Pſeudo-Beroſo ſuo tribuiſſe mentionem magnæ ſapientiæ philoſophicæ Noachi, quam & libris complexus ſit, & alios docuerit. Nam poſt egreſſum ex arca ſuos jam antea edoctos theologiam & ſacros ritus cœpiſſe erudire humanam ſapientiam. Et quidem multa naturalium rerum ſecreta mandaviſſe literis: docuiſſe item aſtrorum curſus, & diſtinxiſſe annum ad curſum ſolis, & duodecim menſes ad curſum lunæ, qua ſcientia prædixerit illis ab initio, quid in anno & cardinibus ejus futurum contingeret: ob quæ illum exiſtimaverint divinæ naturæ eſſe participem. Quæ utrum fabuloſius ſint excogitata, an impudentius aſſerta, haud facile quis dixerit: certe nugatoris ingenio, ad ſuæ ætatis ideam antiquiſſima tempora inſolenti audacia effingentis talia relinquenda ſunt. Quam enim is fidem mereatur, nemini ignotum eſt, in orbe literato vel primas notitias haurienti, [c] unde iis refutandis, non immoramur.

§. IV. Parente Noacho inter philoſophos relato, filios in ejus ſchola edoctos ad eandem dignitatem evehi mirum non eſt. Semo enim artem temporum rationes ediſſerendi tribuunt, & arcanum intercalationis inveniſſe aſſerunt Judæi. [d] Immo ſi Græcos audis, omnem & cœleſtem & terreſtrem philoſophiam homines docuit. Ingreſſum enim orientis transmarinam regionem, illic habitaviſſe, & accepiſſe a Deo gratiam ſapientiæ, & inveniſſe artem aſtronomiæ METHODIUS narrat, additque, politicis non minus ſcientiis excelluiſſe: primum enim optimam reipublicæ formam inveniſſe, & Nimrodum ex diſciplina Semi regnare didiciſſe: [e] immo a Semo, quem cum Melchiſedeco eundem faciunt, [f] leges datas humano generi. Quin immo medicus quoque Semus fuiſſe librumque obſervationibus medicis plenum reliquiſſe, ſi hos homines audis, [g] cenſendus eſt. Verum hæc prolatis auctorum ſuorum teſtimoniis mox corruunt, & mendacem Judæorum atque Græculorum nationem arguunt: qui ad ſui temporis ideas vetuſtiſſimorum hominum rationes ridicule compoſuerunt, & in excogitandis libris ſuppoſititiis ad conciliandam genti ſuæ, apud imperitos auctoritatem ad inſaniam usque fuere diligentiſſimi. Nihil enim horum, quod vel umbram habeat leviſſimam, in ſacris gentis Hebrææ originibus deprehenditur. Non minorem fabularum catervam de Chamo deprehendimus, variis ſcientiis philoſophicis, ſi ſuperis placet, exornatum. Ex hujus prophetia profeciſſe atque didiciſſe immortalitatem animarum Pherecydem, olim jam Iſidorus hæreticus jactavit. [h] Hunc notitiam rerum phyſica-

Philoſophia Semi.

Chami.

a) *Codic. pſeudepigraph. V. T. T. I. p. 241. ſeqq.*

b) *l. III. p. m. 24.*

c) Conf. FABRICIUS *Biblioth. Græc. vol. XIV. p. 211. ſeqq.*

d) R. ELIEZER *in capitulis c. 8.*

e) Vid. SCIPIO SGAMBATUS *archivor. V. T. T. I. p. 165.*

f) Vid. BOCHARTUS *Geogr. S. P. II. l. II. c. 1.* FABRICIUS *Cod. pſeudepigr. V. T. T. I. p. 284.*

g) SGAMBATUS *l. c.* WOLFIUS *Bibl. Hebr. T. I. p. 1084.*

h) apud CLEM. ALEXANDR. *l. VI. Strom. p. 642.* de re ipſa dicetur ſuo loco.

ficarum, & naturæ univerſæ ab Adamo ad Noachum traditione perlatam ad res profanas & noxias inſtinctu dæmonum derivaviſſe, curioſasque ex ea maleficiorum artes atque præſtigias ac magicas ſuperſtitiones audacter inſtituiſſe, docuiſſeque poſteros ſuos, ut ſacra illa cultura divini nominis derelicta vel elementa hæc, vel ignem, vel aëreos dæmones venerarentur & colerent, fuſe tradit JOANNES CASSIANUS. [i] Unde & magiæ auctorem fuiſſe, & ab angelis malis hanc artem edoctum, veteribus quibusdam creditum eſt: aliis hanc ſcientiam ad ſurreptum patri librum de magia naturali referentibus. [k] Quæ quoque cauſa eſt, cur Chami academiam, malis artibus effloreſcentem, in Perſide, Chaldæa, Ægypto, & Græcia quoque diſciplinam ejus extendiſſe, & inter plures Zoroaſtres primum & præcipuum fuiſſe doctis quoque viris placuit. [l] Præcipuo vero nomine Chamum inter philoſophos referendum eſſe contendunt, qui recentibus antiquitatis nomen & auctoritatem conciliare cupiunt, quod artis chemicæ potiſſima cultura, immo, ſi illos audis, nomen quoque ab illo derivandum ſit. [m] Nihil tamen in his omnibus invenimus, quod non ſomnia otiantium ſine veritatis ſpecie ingeniorum præ ſe ferat. Ut enim omnes iſti libri vetuſtiſſimis viris magnis tributi ſuppoſitionem manifeſte ſapiunt, & Judæorum atque hæreticorum ingeniis debentur; ita & Chami libros magicos & philoſophicos nemo, vel levi veritatis ſpecie commendare ſeſe, deprehendet: unde illa omnia ſimpliciter negando refutari poſſunt, cum ne levi quidem argumento queant probari. Artis vero chemicæ origines ad Chamum referre, argumento a nomine ducto & leve nimis eſt, & linguæ quoque Arabicæ, unde nomen hauſtum eſt, adverſum: [n] totaque aſſertio nititur præjudicio antiquitatis nimis abſurdo, tam nobilem artem primis rerum inventoribus neceſſario notam fuiſſe. Multo vero abſurdius ad Alchemiæ arcana illa omnia referuntur, Chamoque myſteria hactenus humanis ingeniis impervia mutandorum metallorum adſcribuntur. Dudum enim viris doctis obſervatum eſt, ante Julium Firmicum, [o] vel Æneam Gazæum [p] quorum ille Conſtantini M. temporibus vixit, hic ſec. V. inclaruit, nullam apud auctores veteres alchemiæ extare notitiam, fierique mentionem. [q] Reliqua enim omnia, quæ pro ejus antiquitate afferuntur, fictiis

i) *L. VIII. Collat. c. 21. Sereni Abb.* unde ea repetiit FABRICIUS *l. c. p. 294.*

k) Ibid. conf. BUDDEUS *Hiſt. eccl. V. T. T. I. p. 208.* BAYLE *Dict. T. I. art. Cham. p. 131.*

l) SGAMBATUS *l. c. p. 156.*

m) Conf. BORRICHIUS *de orig. art. chemicæ p. 16. ſeqq.* & ante eum HORNIUS *Hiſt. Phil. l. III. c. 5. p. 150.*

n) Arabes enim, unde nomen ad nos tranſiit, vocem non per ח, ſed per כ ſcribunt אלכמיה, derivatam a כמי occultare, unde ars occulta dicitur, obſervante magno BOCHARTO *Geogr. S. P. I. l. IV. c. 1. p. 234.* qui de hoc argumento eleganter & docte commentatur.

o) Ita SCALIGER, BOCHARTUS *l. c.* HERM. CONRINGIUS *de Hermet. Ægypt. veter. medicina c. III. p. m. 20.*

p) FABRICIUS *Bibl. Gr. vol. VI. p. 808.*

q) Refert quidem SUIDAS, T. III. art. χημεία Diocletianum libros a veteribus *de auri ac argenti chemia* conquiſitos cremaviſſe,

tiis nituntur libris, quibus ſpeciem & colorem fruſtra inducunt, qui contendunt, deperditos veros libros horum fingendorum occaſionem dediſſe. Nam ita petunt id, de quo quæritur, & ſupponunt veram librorum ejusmodi exiſtentiam, quam in dubium vocare tot rationes, & univerſæ eruditionis vetuſtiſſimæ conditio jubet. Relinquendus itaque Chamus artis hujus amatoribus, qui ut fumos venantur, ita & in quærendis theſauris, & expiſcandis magnis artis ſuæ inventoribus carbones inveniunt.

Philoſophia Abrahami.

§. V. Ex Noachi per Semum poſteris magnus ille Hebrææ gentis heros Abrahamus ortus eſt, quem inter viros ſanctiſſimos peculiari amicitiæ & conſuetudinis genere Deo junctos nemo non numerat, qui ſacræ hiſtoriæ non prorſus imperitus eſt. Quo major vero viri maximi tum vivi fuit inter gentes, quibuſcum vivebat, dignitas & auctoritas, tum mortalitati erepti fama & exiſtimatio, eo majori veri ſpecie eum inter vetuſti orbis philoſophos referri debere contenderunt viri doctiſſimi. [r] Qui ut opinioni ſuæ ſpeciem concilient, ad teſtimonia potiſſimum veterum provocant, Abrahamo in Chaldæorum diſciplina erudito, magnam ſideralis ſcientiæ & oneirocriticæ [s] cognitionem tribuentium. Nam quod literas ſacras inveniſſe dicitur, id ad noſtrum inſtitutum non pertinet. [t] Teſtes vero ſcientiæ philoſophicæ ab Abrahamo excultæ producuntur imprimis JOSEPHUS atque PHILO inter Judæos doctiſſimi. Horum ille ad BEROSUM provocat, [u] Abrahami ſuppreſſo nomine mentionem facientis, his verbis: *Circa decimam poſt diluvium ætatem virum quendam apud Chaldæos vixiſſe, ſumma cum integritate morum & dignitate, rerum quoque cœleſtium cognitione præditum. In Ægyptum poſtea deſcendentem cum Ægyptiis diſputaviſſe, & quicquid de rebus ac placitis ſuis diſputarent, id omne reſpuiſſe, ac ab omni veritate alienum demonſtraſſe; Quo factum, ut in quotidianis congreſſibus tanquam ſapientiſſimum nec ſingulari tantum intelligendi vi præditum, ſed etiam ad perſuadendum aliis, quicquid probandum ſuſcepiſſet, potentiſſimum admirarentur.* Ita arithmeticam eos atque aſtrologiam prolixe ac liberaliter docuiſſe, quibus in artibus ante ipſius adventum, Ægyptii hoſpites

viſſe, ne Ægyptii ex tali arte amplius opes ſibi compararent, neve pecuniarum copia freti Romanis in poſterum reſiſterent. conf. LECLERC *Hiſt. med. p. 768.* Sed quam exiguum judicium & fides Suidæ ſit, ſatis notum eſt.

r) Hi multi ſunt, inter quos videndi ISAAC PEYRERIUS *Syſtem. Præadam. l. III. c. VIII. p. 161.* LUDOV. CRESOLLIUS in *Myſtagogo l. I. c. 14. p. 284.* VOSSIUS *de ſectis c. I. §. 7* & filius, *de LXX. Interpret. p. 365.* THEOPH. GALE *Philoſ. univerſ. l. I. p. 22.* & *court of the gentiles T. I.* cujus ſummam exhibet BASNAGE *Hiſt. des Juifs T. III. ch. 17. p. 421.* ſeqq. ed. recentiſſ. alios nominat *B.* BUDDEUS *Hiſt. Eccl. V. T. T. I. p. 401.* ſeqq.

s) SUIDAS *in* Ἀβραάμ.

t) Conf. FABRICIUS *Cod. pſeudepigr. V. T. T. I. p. 341.* & quos laudat.

u) *Antiqq. Judaic. l. I. c. 8. 9.* eadem fere repetit EUSEBIUS *præp. Evang. l. IX. c. 16.* conf. MAIMONIDES *de idololatr. c. 1. §. 5.* & PETRUS LAMBECIUS in *prodromo hiſtor. literar. p. 48.*

tes omnino ac peregrini fuerint. Alter vero PHILO [x] ſpeciali magis ratione philoſophiam Abrahami enarraturus, refert: *Innutritum Abrahamum delirio Chaldæorum, qui ſiderali ſcientia exercitati omnia tribuentes ſtellarum poteſtatibus & motibus, a quibus credebant diſpenſari mundi potentias, quæ conſtant ex numeris eorumque proportionibus, venerati fuerint res viſibiles, non percipientes inviſibilia & intelligibilia, ſcrutantes illarum tantum ordinem: atque ita e ſolis, lunæ, ſtellarum erraticarum fixarumque circuitu conſenſuque rerum cœleſtium atque terreſtrium mundum ipſum exiſtimaverint Deum: tandem vero poſt altum ſomnum aperto mentis oculo animadvertiſſe quod prius non viderat, præeſſe mundo gubernatorem &c. Proinde vale dicto Chaldæis migraviſſe e magna mundi civitate in minorem aliam, ut facilius videret mundi præſidem. - Poſtquam itaque ſolum vertit, extra mundum & ſenſibilem eſſentiam aliam naturam intelligibilem percipientem, eum vix potuiſſe in ſerenitate pura cernere, qui prius latuerat: Deum itaque ſuam naturam ei oſtendiſſe: ſicque pro aſtrologico & meteorologico Chaldæorum placitis innutrito, quod ſonat Abram, factum eſſe ſapientem.* Hos ſecuti ſunt alii, inter quos ALEXANDER POLYHISTOR [y] aſtrologiam & Chaldaicam diſciplinam non tenuiſſe tantum ſed & inveniſſe & Phœnices prius docuiſſe tradidit; ut aliorum prolixas hac de re diſputationes taceamus. His recentiores Judæi alia adjiciunt, & cabbaliſticæ doctrinæ parentem atque doctorem Abrahamum conſtituunt: ut alias nugas his deteriores & magis inſipidas taceamus. [z] Etſi vero magna animi fiducia hæc a viris doctis afferuntur, ita tamen comparata ſunt, ut ægre ſibi fidem apud eos concilient, qui plus requirunt, quam teſtimonia aliquot veterum ſcriptorum, nec ſatis rem inſpicere valentium, nec volentium. Cuncta enim ad Joſephi & Philonis auctoritatem tandem redire, nemo non videt. Quæ enim ex Beroſo affert Joſephus, nec genuina eſſe ſatis certum eſt, nec de Abrahamo loqui, demonſtrari poteſt: & quæ Alexander ex Eupolemo narrat, cum deperdita ſint, & fragmenta tantum male cohærentia & ſervata ab Euſebio exhibeant, qui ad fidem rebus ſacris ex profanis conciliandam non ſemper judicii ſatis & diligentiæ attulit, veritatis cupido non faciunt ſatis. Joſephi vero atque Philonis auctoritas in hac re exigui eſt ponderis. Uterque enim Judæus cum eſſet, & notiſſimo gentis ſuæ præjudicio cæcutiret, omnemque Græcorum ſapientiam ab Hebræis ad gentes dimanaſſe, erroneo eruditionis, qualem apud Græcos ſuo tempore ſuſpiciebant, conceptu deceptus crederet, ſapientiam vero maximo viro ſingularem in ſacris literis tribui cerneret, ad id delapſus eſt, ut ab eo Chaldææ ſcientiæ placita ad Ægyptios translata eſſe ſomniaret, tacentibus ſacris pagi-

x) Libr. *de Abrahamo Opp. p. 360.* edit. Pariſ. & Francof.

y) In libro *de Judæis* apud EUSEBIUM *Præp. Ev. l. IX. c. 17.* qui ad Eupolemum provocat.

z) Collegit eas diligentiſſimus FABRICIUS *Cod. pſeudepigr. V. T. T. I. p. 341. ſeqq.*

paginis, & quibus mandatum Dei [a] de numerandis ſtellis cœli ridicule ad probandam Abrahami ſcientiam ſideralem adducitur. [b] Imprimis vero eis, qui naſum habent, fictitios hos philoſophiæ Abrahami natales Philo prodit, quando eam ad Pythagoricas ideas tam aperte effingit, & a ſenſibilibus ad intellectualia ita transfert, acſi in Pythagoræ ſchola fuiſſet educatus vir ſummus, ab iſtis ingenii otioſi nugis merita removendus. Quod quidem Philoni ſolenne eſt, cuncta gentis ſuæ ad ejusmodi explicationes obtorto collo trahere, & condonandum etiam, methodo gentis, inter quam vivebat, id probante; non debebat vero viros cautos atque doctos eo movere, ut temere fidem Judæo nugatori adjicerent. Cadente vero Joſephi & Philonis fide, qui in affingenda vetuſtis Hebræorum ſapientibus, Græcanica philoſophia ſtultam gentis ſuæ ſuperbiam produnt, ad doctores eccleſiæ, incautius in hæc retia incidentes, & ea ſine examine critico admittentes, quæ barbaricam philoſophiam ſuper Græcam evehunt, dignitati ſcilicet Chriſtianæ religionis obſtetricatura, fruſtra provocatur. Nec tamen alia pro Abrahami philoſophia afferuntur, cui ea quam maxime contradicunt, quæ de Ægyptiorum philoſophia ſuo loco obſervabimus, quæ ad alios longe auctores refertur. Quod ſi puriſſimos ſacræ hiſtoriæ fontes conſulimus, longe alia erat patris fidelium ſapientia, quam philoſophica & aſtronomica. Ille enim divini fœderis notitia donatus, inque explicandis in familia ſua ejus beneficiis diligens, de ſpargenda promiſſi ſeminis cognitione maxime occupabatur. [c] Nec Ægyptii cum alienigena, a moribus ſuis abhorrente, tantopere coaluiſſe ullo modo videntur, ut is profeſſorem aſtronomiæ, a primis regni initiis excoli cœptæ apud illos ageret. [d] Id quod [e] quidem doctiſſime probat celeberrimus JOANNES LAMIUS in eruditiſſimo *de recta Chriſtianorum, in eo quod myſterium divinæ Trinitatis attinet, ſententia*, opere, [f] mirum vero videri queat, viro judicii & eruditionis copia florenti ea non ſuffeciſſe, quæ viri doctiſſimi contra fidem auctorum pro philoſophia Abrahami adductorum pridem monuerunt. Quam cautum enim oporteat eſſe illum, qui libris veterum hodie non extantibus apud alios Judæos præcipue adductis decipi non vult, & quam incerta omnis ea fides ſit, de qua judicare ſecundum regulas artis criticæ non licet, virum doctiſſimum non latet. Nec probabiliter admodum a genere & patria Abrahami, in qua ſideralis ſcientia docta fuit, ad philoſophiam Abrahami con-

a) *Gen. XV, 5.*

b) AUG. PFEIFFER. *Panſoph. Moſaic. c. X. §. II. p. 368.* Rectius cel. SCHEUCHZERUS *Phyſ. S. T. I. p. 68. penetraſſe hic illuminatis a Deo oculis Abrahamum, quo naturalis oculus, tum paucas adhuc cœli ſtellas noſcens penetrare non potuit.*

c) Conf. HERM. WITSIUS *Oeconom. fœder. l. IV. c. III. p. 588. ſeqq.*

d) Conſulendus omnino cel. BASNAGE qui *Hiſt. Jud. l. III. c. 19. §. II. p. 489.* multa ſobrie & egregie hac de re monet.

e) Male tamen inde abſurdum Præadamitarum ſyſtema incruſtat IS. PEYRERIUS *Syſt. theol. l. III. c. 8. p. 161.* quem vide & ride.

f) *Florentiæ 1733. 4.* edito *l. I. c. II. p. 2. ſeq.*

concluditur. Nam ſupponitur falſo, communem fere omnibus, qui honeſte educarentur, aſtrorum ſcientiam in iſta regione fuiſſe: Suo enim loco probabitur, certo hominum generi iſtam ſcientiam potiſſimum curæ cordique fuiſſe, & certos ad illam excolendam viros reges aluiſſe, id quod ipſe vir eruditiſſimus ex H. DODWELLO *ff* recte obſervat. Ex horum vero hominum claſſe fuiſſe Tarachum, Nahorem vel Abrahamum, demonſtrari nequit, immo ſine ulla probabilitatis ſpecie aſſeritur. [g] Quod vero pro cabbaliſtica Abrahami eruditione Judæi garriunt, libro Jezirah ei tributo, neminem movebit, niſi qui recutitorum more omnem veri ſpeciem fidemque ejuraverit. Eos enim ad veritatis fundamenta atque hiſtoricæ fidei gradus in mendaciis impudenter effingendis minime reſpicere, ſuo loco probabitur.

Philoſophia Iſaaci.

§. VI. Ex ſchola Abrahami philoſophica Iſaacus prodiiſſe creditur paternæ eruditionis hæres atque ſucceſſor. Non enim dubium eſſe concludunt, philoſophiæ inter patriarchas Hebræos architecti, [h] quin Abrahamus, quas artes peregrinis tradebat, earum filium ſuum ignarum eſſe noluerit. Cujus, ut præter ſolam conjecturam ratio quoque aliqualis afferatur, provocant ad ſacrum hiſtoricum, qui narrat, [i] egreſſum eum in agrum circa veſperam לשוח, quæ vox cum tacita mentis oratione, & murmure quodam aliquid meditari ſignificet, colligunt inde, per ſpatioſi campi vireta & fruticeta ambulaviſſe, ut initio meditationis ab oratione facto (nam orare, vox frequenter ſignificat) meditaretur in philoſophia, ſive ex operum naturæ contemplatione ſapientiam ſibi acquireret. Adduntur alia, futilia revera vixque referri digna: quæ pro cabbaliſtico Iſaaci ſtudio harum rerum patroni afferunt. [k] Quæ omnia tamen miſera ſunt, & ad ornandam tantum hypotheſin efficta. Cum enim Abrahami philoſophia incertiſſimo, immo nullo fundamento nitatur, fruſtra ab ea ad ſapientiam Iſaaci philoſophicam concluditur. Cujus magnum & ad ſapientiam compoſitum animum divinæ prophetiæ luce colluſtratum fuiſſe, & religionis patriarchalis præceptis imbutum ſacræ literæ teſtantur, de ejusmodi eruditione vero tacent. Hinc colligi poteſt, qualis illa meditatio fuerit, quam rure inſtituit Iſaacus: ſcilicet, ut ex textus circumſtantiis recte infertur, de inſtanti matrimonio ſollicitus, rogavit numen, ut ita eveniret, quemadmodum data poſteris Abrahami promiſſio de benedicto ſemine ex illis oriundo poſtula-

ff) *Append. ad diſſert. Cyprian. §. 24.*

g) Provocat quidem vir eruditiſſimus ad PHILONEM *de nobilitate*, ſed quo loco ejus teſtimonium habendum ſit, ſupra jam dictum eſt. Certe ſi Eupolemo & Alexandro Polyhiſtori non credendum, quod ipſe concedit, cur Philo majorem fidem mereatur, adulteratæ hiſtoriæ Hebrææ toties reus, non apparet.

h) HORNIUS *Hiſtor. philoſ. l. II. c. 10. p. 114.* BUDDEUS *Hiſtor. phil. Ebræor. §. XI.* DICKINSON. *Phyſ. vet. & vera c. 19. §. 5. p. 412.*

i) *Gen. XXIV, 63.*

k) REUCHLINUS *de arte cabbaliſtica l. I.* conf. SGAMBATUS *Archiv. V. T. p. 197. ſeqq.* cel. WOLFIUS *Bibl. Hebr. Vol. I. p. 622.*

ſtulabat. Plura qui addunt, ſui ingenii cogitationes textui ſacro intrudunt.

§. VII. Quod vero philoſophiæ Hebræorum patrocinium in Iſaaco non invenitur, in Jacobo certiſſime inveniri ſibi perſuadent viri doctiſſimi; non ad frivolas MENOCHII ratiunculas a cute molli ingenium docile & philoſophiæ aptum argutantis, [l] ſed ad artificium potius paſtorale, quo virgis variegatis conceptiones ovium variegatarum adjuvit provocant,[m] inque eo neſcio quam profundam phyſicorum arcanorum cognitionem inveniſſe ſibi videntur. Nobis vero etiam hæc fruſtra pro phyſica Jacobi eruditione afferri non immerito videntur. Etſi enim non negamus, magnam imaginationis vim circa fœtus eſſe, experientia multis exemplis eam comprobante, naturaque ipſa tot nævis, monſtrisque productis confirmante: qua tamen ratione illa naturæ miracula producantur, & efficiantur, multa quidem hactenus diſputata ſunt inter philoſophos acutiſſimos, parum tamen inde promota eſt cognitio phyſica: quæ non Ariſtotelicorum tantum argutiunculis, nihil, quod aliquid recti nos doceat, dicentibus [n] non juvatur, ſed nec magnorum noſtræ ætatis virorum conjecturis ita aucta eſt, ut ſolide declaratum ſit, quî brutorum phantaſia, parens tam mirabilium effectuum, ſit, quomodo idea rei conceptæ ex cerebro ad uterum & hinc ad fœtum tranſire queat per nervos, qui meri ſunt fibrarum cerebri medulloſi faſciculi? qua ratione artificioque illi colores & figuræ efformentur? qua ratione deformetur corpus in ipſo oculo dudum immo forte in prima creatione formatum? & quæ aliæ difficultates in arduo argumento occurrunt. Quæ cum magnos viros & in naturæ arcanis detegendis ſumma perſpicacia præditos cogantur fateri:[o] *Se hæc cum ignorantiſſimis neſcire; eſſeque hic incultum agrum, terram incognitam, ad quam quidem penetrarunt obſervationes, ſed nulla pene ratiocinia ſolida, naufragium paſſis in ipſo portu facultatibus formatricibus, archeis, viribus plaſticis, quæ mera ſunt vocabula, prætereaque nihil:* quis quæſo vel per ſomnium cogitabit, ea in ipſa ſcientiarum phyſicarum infantia perſpecta atque nota fuiſſe Jacobo paſtoritiam vitam excolenti? cum in tanta naturalis ſcientiæ luce unam hic experientiam allegare liceat. Quod ſi itaque naturæ opus fuit, experientia aliquid horum addiſcere debuiſſe Jacobum, merito ſtatuendum eſt. Neque tamen ad naturæ opus & mirabilem ſæpe efficaciam tota res reſtringi poteſt, alias a quovis paſtore quoque

Philoſophia Jacobi.

l) *de republ. Hebræor. l. VII. c. 1. q. 2.* quæ pro adſtruenda Jacobi artium liberalium ſcientia repetit LAMBECIUS *Prodr. hiſt. lit. l. I. p. 53.* exploſa merito ſunt B. BUDDEO *l. c. §. 9.*

m) SGAMBATUS *l. c. p. 199.* FR. VALLESIUS *de phil. S. c. II. p. m. 138. ſeqq.* HORNIUS *l. c. p. 114.* & alii multi, videndi apud HEIDEGGERUM *Hiſt. patriarch. P. II. ex. XV. §. 19. p. 434. ſeqq.* FABRICIUM *Cod. Pſeudep. T. I. p. 436. Acta Phil. vol. II. p. 19.*

n) Expendantur ea, quæ doctiſſimus VALLESIUS *l. c.* attulit plena vocibus nihili, & principiorum incertiſſimorum.

o) Conf. cel. SCHEUCHZERI *Phyſ. S. T. I. p. 87.* conf. HUARTI *ſcrutin anim. c. XXII. p. 698. Act. philoſ. vol. II. p. 20.*

effici poſſet, quod tamen experientiam refragantem habet, tentaminibus ſæpe fruſtrantibus. Unde nec ad experientiam ſolam, quæ tamen ipſa quoque Jacobum non mutaret in philoſophum phyſicum, ſed ad ſingularem potius divinam voluntatem & benedictionem totum miraculum referendum eſt. Pie itaque non minus, quam docte vir quidam celeberrimus, & in his literis ſummus: [p] *Digitus hic Dei eſt, in natura per vias nobis incognitas operantis, πολυδαίδαλος ars.* Acceſſiſſe ſane hic imprimis benedictionem divinam patet ex adlocutione angeli Jacobo benedicentis,[q] & confeſſione ipſius Jacobi, [r] qui non ſibi, induſtriæ ſuæ, & artificio adhibito, ſed Deo adſcribit felicem eventum. Cetera, quæ de ſtudio Jacobi cabbaliſtico a Judæis eorumque ſequacibus afferri ſolent, [s] non moramur: quo enim loco habenda ſint, ex iis, quæ de aliis hujus commatis ſupra diximus ſatis liquet.

Philoſophia Joſephi.

§. VIII. Inter Jacobi filios ſapientiæ laude maxime emicuit Joſephus, prorex Ægypti: cui variis argumentis philoſophiæ tum theoreticæ tum practicæ cognitio aſſeritur. In quo præeuntem ſibi habuerunt viri docti JUSTINUM, [t] qui ſcribit: *Joſephi excellens ingenium veritos fratres, clam interceptum peregrinis mercatoribus vendidiſſe: ab iis deportatum in Ægyptum, cum magicas ibi artes ſolerti ingenio percepiſſet: brevi ipſi regi percharum fuiſſe; nam & prodigiorum ſagaciſſimum fuiſſe, & ſomniorum primum intelligentiam condidiſſe, nihilque divini juris humanique ei incognitum viſum fuiſſe.* Nec argumentis quoque deſtituuntur, qui prudentiſſimo principi philoſophiæ cognitionem vindicant. Provocant enim ad ipſius divini vatis teſtimonium, [u] afferentis: *mandatum Joſepho a Pharaone, ut doceret principes ejus pro beneplacito & ſenes ejus in ſapientia inſtitueret.* Addunt non improbabile videri, hanc ob cauſam juſſu Pharaonis in matrimonium duxiſſe ſacerdotis Heliopolitani filiam, ut arctior inter Joſephum ac ſacerdotes, qui erant philoſophi Ægyptiorum, intercederet amicitia. [w] Inde factum eſſe, ut Mercurii nomine Joſephus omnis eruditionis & philoſophiæ auctor apud Ægyptios celebraretur, [x] doctrinamque ejus in ſcholis atque academiis traditam veræ philoſophiæ placita ad poſteros propagaviſſe. [y] Inde habuiſſe Ægyptios: mundum habere principium, animamque eſſe immortalem; inde factum, ut medicæ artis peritus parentis demortui corpus medicis condendum tradiderit: magnam vero prudentiam practicam in adminiſtrato feliciſſime tanto regno, inque remediis contra famem internecinam allatis enituiſſe: ſicque inter civilis &

p) Doctiſſimus SCHEUCHZERUS *l. c.* qui omnino conſulendus eſt.

q) *Gen. XXXI, 12. 13.*

r) Ib. *v. 7. 8. 9.*

s) Vid. REUCHLINUS *de arte cabb. l. I.* FABRICIUS *Cod. Pſeudepigr. V. T. T. I. p. 436.*

t) *Lib. XXXVI. c. 2.*

u) *Pſalm. CV, 21. 22.* vid. HORNIUS *l. c. c. X. p. 116.*

w) BUDDEUS *Hiſt. phil. Ebr. c. I. §. 9.*

x) HORNIUS *l. c.*

y) Conf. FABRICIUS *Cod. pſeudepigr. V. T. T. I. p. 760.* qui Lambecium, Galeum, Sgambatum hujus ſententiæ patronos nominat.

& domeſticæ philoſophiæ doctores ſummo loco eſſe reponendum. Nihil tamen cuncta hæc ad rem faciunt fruſtraque, ſi rem recte æſtimemus, afferuntur. Juſtino enim, vel Pompejo Trogo potius, unde ſua excerpſit, in hiſtoria Judæorum mire nuganti fidem nullam eſſe, & incerta traditione deceptum omnia miſcuiſſe, vel primo intuitu patet: nec major ejus auctoritas in hac re, quam Rabbinorum, qui proregem Ægypti in profeſſorem philoſophiæ mutare non erubeſcunt. [z] Sancti vero vatis teſtimonium contra ipſam rei naturam & argumentum affertur. Nam negari quidem nequit, Joſephum, divina revelatione artem interpretandorum ſomniorum edoctum, quæ ad philoſophiam inepte traducitur, cum futuram immanem famem prædixiſſet, a Pharaone præfectum fuiſſe, totius regni adminiſtratorem, omnibus, qui terris regiis præerant, eosque ab ipſius nutibus & imperio pependiſſe. Verum id ad præſens, quod urgebat Joſephus, inſtitutum, fami levandæ potiſſimum oppoſitum referendum eſt, quod præfectos regios edocere, & qua ratione prudenter inſtituenda ſit annonæ cura & adminiſtratio, illis tradere Joſephum omnino oportebat. Inde vero nulla conſequentiarum arte evinci poteſt, artium & ſcientiarum etiam philoſophicarum præcepta, quæ in parentis domo, vitæ paſtorali dedita non didicit, nec ſervitio in Ægyptio preſſus diſcere ibi potuit, eum regios præfectos principesque regni docuiſſe. Intelligi vero & adumbrari per Mercurium Triſmegiſtum Joſephum, facilius afferitur, quam probatur, & falſo nititur præjudicio, omnes canæ vetuſtatis magnos viros, ad ſacram hiſtoriam & nationis Hebrææ heroës referendos eſſe, quod eruditionem virorum illuſtrium cetera magnam mire contaminavit. Initia enim & origines hiſtoriæ Ægyptiæ intuenti manifeſtum erit, longe ante tempora Joſephi Mercurium, ſi quis unquam fuit, reponendum eſſe, immo incertiſſima eſſe omnia, quæ de illo traduntur. Nec certiora ſunt, quæ ab uxore Joſephi, ſacerdotum principis filia, argumenta petuntur. Nondum enim definitum eſt, fuiſſe Potipharem ſacerdotum principem, cum vox ab hiſtorico ſacro adhibita magis gubernatorem aliquem vel ex præfectis regiis unum indicet. Quod ſi etiam concedamus, Potipharem fuiſſe ſacerdotem, non melius tamen inde concluditur philoſophia Joſephi, quam ex connubio mercatoris cum filia medici, notitia ejus artis ſalutaris. Quas vero academias inſtituiſſe Joſephus & philoſophiam a ſe traditam doceri in illis juſſiſſe dicitur, nullibi exiſtunt, niſi in ingeniis otioſis, quæ non vident, doctrinas iſtas, quas audacter Joſepho adſcribunt, diu jam ante Joſephum per Ægyptum increbuiſſe. Id quod etiam de medicæ artis peritia judicandum eſſe, vel ipſe locus textus ſacri prodit, qui medicos hujus artis peritos tum extitiſſe memorat. Magnam vero in adminiſtrando regno prudentiam habitaviſſe in animo Joſephi, negari non debet, & in conſervanda regni annona ejus egregium ſpecimen dediſſe, omnino concedendum eſt. Inde vero

z) KIMCHI *Comm. ad Pſalm. CV*, 22. qui conſediſſe illos circum eum diſcipulorum inſtar nugatur.

politicum theoreticum non felicius exſculpere licet, quam ex magnis regnorum adminiſtratoribus ſumma prudentiæ laude conſpicuis profeſſorem politices. Nec ad hanc prudentiam humana inſtitutione, ſed peculiari lumine divino pervenit, quo nomine ex ſapientium humanorum numero merito excluditur. Eſto itaque, Joſephum virum fuiſſe ſapientiſſimum, & prudentiæ civilis egregium ſpecimen, [a] eſto, eximendum eum numero & conditioni fratrum, vitam agreſtem ſine magna animi per eruditionem humanam cultura colentium: [b] inde tamen Joſephus nunquam in philoſophum mutabitur. [c]

Philoſophia Moſis aſſerta.

§. IX. Nemo tamen inter veteres Hebræos majori ſcriptorum veterum atque recentiorum conſenſu inter philoſophos relatus eſt, quam magnus populi Iſraëlitici dux atque legislator Moſes. Qui cum magnis animi dotibus eniteret, maximaque inter ſuos auctoritate polleret, inter divina ingenia, quæ ad immortalem gloriam philoſophia quoque evexit, numeratus eſt. Nulla enim philoſophiæ pars atque ſcientia eſt, quam non Moſi tribui, & in qua non primas partes ei deferri videas. Nec noſtræ tantum ætatis viris doctis multæque eruditionis laude inclytis hæc opinio placuit, [d] ſed inter veteres etiam eccleſiæ doctores unanimis fere fuit hæc ſententia, in Moſe reſediſſe omnis philoſophiæ ſupremum & perfectiſſimum apicem. Inter quos CLEMENS ALEXANDRINUS ſine hæſitantia narrat: [e] *Cum eſſet ætate grandior, arithmeticam & geometriam, rhythmicam & harmonicam, & præterea medicinam ſimul & muſicam doctum eſſe ab iis, qui erant inſignes inter Ægyptios, & præterea eam, quæ traditur per ſymbola philoſophiam, quam in literis oſtendunt hieroglyphicis. Aliam autem encyclopædiam docuiſſe, tanquam puerum regium Græcos in Ægypto: didiciſſe autem literas Ægyptiorum, & rerum ſcientiam cœleſtium a Chaldæis & ab Ægyptiis. Eupolemum autem in libro de Judææ regibus dicere, Moſen primum fuiſſe ſapientem, & grammaticam primum tradidiſſe Judæis.* Eandem cantilenam canunt JUSTINUS MARTYR, [f] ORIGENES [g] aliique. Qui, ut fieri ſæpius ſolitum, PHILONEM Judæum habuere ducem. Is enim cum philoſophiæ in Ægypto excultæ origines inter gentem ſuam quæreret, ait: [h] *Confeſtim acceſſiſſe aliunde præceptores, quosdam ultro venientes a præfecturis Ægypti proximis, alios magnis præmiis invitatos ex Græcia: absque eis numeros,*

a) Huc ea referenda, quæ PHILO de eo habet in *βίῳ πολιτικοῦ*. Sitarchum & ædilem Ægypti ideo quis recte vocaverit.

b) SPENCER. *de LL. Ebr. ritual. l. I. c. 6. p. 61.*

c) Inde dijudicanda EYBONIS HOPPE diſſ. *de Philoſophia Joſephi Helmſt. 1706.*

d) Magnum eorum agmen eſt, quorum multos excitavit B. FABRICIUS *Codic. pſeudepigr. V. T. T. I. p. 826.* quibus addendi D. G. MOLLERI diſſ. *de Moſe philoſopho.* MAJI diſſ. *de philoſophia Moſis Sel. Exerc. T. I. n. 10.* & quos alios nominant *Acta philoſ. vol. I. p. 24. ſeqq.*

e) *Stromat. l. I. p. 343.*

f) *q. 25. ad orthodoxos.*

g) *adverſ. Celſ. l. I. p. m. 14. ſq.*

h) *de vita Moſis p. m. 604.* conf. CORN. ADAMI in *Exerc. exegetic. Gron. 1712. 4. Ex. II. p. 95.*

ros, & geometriam, universamque musicam, rhythmicam, harmonicam, sive contemplativam, sive per instrumenta vocesque promentem se variis modis accepisse ab Ægyptiis doctoribus: & insuper occultam philosophiam descriptam literis hieroglyphicis: reliquas liberales artes Græcos docuisse, ex propinquis autem regionibus evocatos Assyrios suas literas, Chaldæos sideralem scientiam. Unde & alibi: [i] Μωσῆι φιλοσοφίας ἐπ' ἀυτὴν φθάσας ἀκρότητα, καὶ χρησμοῖς τὰ πολλὰ καὶ συνεκτικόταται τῶν τῆς φύσεως ἀναδιδαχθεὶς, ἔγνω δὴ, ὅτι ἀναγκαιότατόν ἐσιν ἐν τοῖς οὖσιν, τὸ μὲν εἶναι δραστήριον ἄιτιον, τὸ δὲ παθητόν. *Moses summum philosophiæ fastigium assecutus & oraculo de præcipuis naturæ arcanis edoctus, animadvertit duo esse in rebus necessaria, alteram causam agentem alteram patientem.* Et ex horum schola postea magna illa philosophiæ Mosis existimatio ad sequentia tempora incautius fidem adhibentia dimanavit. Non est animus ea omnia proferre, quæ pro hac sententia incrustanda afferuntur; leviora pleraque sunt, quam ut prolixum examen mereantur: dabimus tamen argumentorum summam, ut qui caute in hoc cognoscendo argumento incedere cupiunt, rationes ipsi subducere, propriisque videre oculis queant. Ita vero rationes exponunt, qui Mosen sibi faciunt philosophorum maximum, ut 1. ad difertum sacrarum paginarum testimonium provocent, quo Mosen edoctum esse in omni sapientia Ægyptiorum ait Stephanus protomartyr. [k] 2. Ad disciplinas speciales philosophiæ descendentes, Logicæ artis peritiam eo nomine extollunt, [l] quod non tantum EUSEBIO [m] dicatur σοφὸς νομοθέτης καὶ διαλεκτικός, sed etiam a vetustissima Hebræorum traditione tredecim regulæ hermeneuticæ Mosi tanquam auctori adscribantur; quæ ab auctore magnum inter eos nomen adepti sint. Quas regulas, ne lectori sapientiam hanc Mosaicam invidere voluisse videamur, hic apponemus. [n] Sunt vero:

I. *Leve & grave*, (a minori ad majus)
II. *Comma æquale.*
III. *Constitutio principii ex unico scripturæ loco, & ex duobus scripturæ locis.*
IV. *Generale & speciale.*
V. *Speciale & generale &*
VI. *Generale & speciale, iterumque generale.*
VII. *Generale egens speciali, & speciale egens generali.*

VIII.

i) *De mundi opificio p. m. 2.*

k) *Actor. VII*, 22. conf. WITSIUS *Miscell. S. T. I. l. I. c. 7. §. 13. seqq. p. 47.* & quos laudat ven. WOLFIUS in *Curis philolog. ad h. l. T. I. p. 1109. seq.*

l) MOLLER *l. c. §. 9. p 21.*

m) *Præpar. Evang. l. XI. c. 6.*

n) Ex orali traditione primus consignaviisse visus est Judæis R. Ischmaël, de quibus videndus ven. WOLFIUS *Bibl. Hebr. T. II. p. 849. T. III. p. 624.* add. LEIDEKKER *de Rep. Hebræor. l. XI. c. 1.* JO. JULII STRUVII *rudimenta Logicæ Ebræor. Jen. 1697. 4.*

VIII. *Cum aliquid ſub generali contentum excipitur a generali ad docendum aliquod ſingulare de iſto generali.*
IX. *Cum aliquid ſub generali contentum excipitur ad imponendum aliud onus, quod convenit cum ipſius ratione.*
X. *Quando aliquid ſub generali contentum excipitur ad imponendum aliud onus, quod cum ipſius ratione non convenit.*
XI. *Quando aliquid ſub generali contentum excipitur ad arguendum de re plane nova.*
XII. *Res quæ diſcitur ex ſua ipſius ſignificatione, & res quæ diſcitur ex fine ſuo.*
XIII. *Duo loca ſcripturæ ſibi invicem repugnantia.*

Has regulas Moſen a Deo accepiſſe contendunt Judæorum magiſtri, ne quilibet legem pro ingenii ſui lubitu explicaret, hancque interpretandæ legis rationem didiciſſe in monte Sinai. 3. Mathematicarum diſciplinarum ſcientiam in Moſe reſediſſe ſummam, ex conditione philoſophiæ Ægyptiæ, a patriarchis ſcientiis mathematicis auctæ colligi poſſe, cum geometriæ, arithmeticæ, aſtronomiæ laude Ægyptia natio maxime inclaruerit, nec una harum diſciplinarum ſine altera eſſe queat. [o] Inde vero 4. concludunt, Moſen propter arctiſſimam mathematicæ & metaphyſicæ ſcientiæ connexionem, hujus quoque abſtractionibus mentem habuiſſe refertiſſimam; Deum enim ex natura cognoviſſe & triplici cognitionis via ejus exiſtentiam fuiſſe aſſecutum: immo ipſum Deum ad majorem metaphyſicæ perceptionem fores ei quaſi aperuiſſe, quando ſe אהיה vocavit Ex. III, 14. [p] 5. Nullum vero majus præſidium philoſophiæ Moſaicæ ab his viris doctis petitur, quam quod a peritia ejus chemica derivari ſolet. Hic enim non e trivio eruditi, ſed magni viri, & artis medicæ atque chemicæ longe peritiſſimi [q] non ſine pertinacia contendunt, Moſen artis hujus arcanis in Ægypto innutritum magnum ejus ſpecimen in vitulo aureo cremato per ignem & potabili facto edidiſſe. Ipſe enim Moſes narrat, ſe fuſtuliſſe vitulum aureum, quem Iſraëlitæ, curante Aarone fecerunt, & combuſſiſſe igne, & comminuiſſe eum in pulverem, & ſparſum in aquam potum dediſſe filiis Iſraël, quæ in legis repetitione eodem fere modo exponit. Hic, contendunt non ſuffeciſſe vituli fuſionem, ſive auri transfuſionem ex quadrupedis forma. Scopum enim Moſis fuiſſe totalem deſtructionem idoli, ne ex reſidua maſſa novum idolum fingendi cupido eos invaderet. Neque ſuffeciſſe

o) Addunt tabernaculi a Moſe erecti ſtructuram, ſpecimen architecturæ Moſaicæ.

p) Ita MOLLERUS *l. c. §. II. p. 27.*

q) Præter Theologos DICKINSONUM *in Phyſ. vet. & vera c. XX. 4.* PFEIFFER. *Dub. vex. Cent. II. l. 2. p. 248.* Medicos nominamus inclyti nominis OLAUM BORRICHIUM *de orig. & progr. artis Chem. p. 47. ſq.* D. SENNERTUM *de Chymicorum cum Ariſtotelicis conſenſu p. 46.* WOLF. WEDELIUM *Exerc. Medico - philolog. Dec. IX. exc. I.* ERN. STAHLIUM *exper. p. 606.* J. JAC. SCHEUCHZERUM *Phyſ. S. T. I. p. 248.* ut Commentatores ad h. l. plerosque taceamus.

ciſſe limaturam auri, qua in ſubtiliſſimos pulviſculos vertitur, facile in unam maſſam refundendos: hos enim pulviſculos, utut ſubtiliſſimos, protinus cadere ad aquæ fundum propter ſpecificam ſuam gravitatem, qua ſe habet ut 19 ad 1. Nec ſcopum tangere diductionem in laminas & lævigationem, proceſſum operoſum nimis & longum pro integro vitulo grandioris molis. Reſtare itaque reſolutionem chemicam & quidem per viam ſiccam, id eſt per ignem, & non per viam humidam, id eſt, per menſtrua corroſiva ſalina, quæ inſtar veneni inteſtina corrodentis fuiſſent. 6. Univerſæ vero phyſicæ ſcientiæ fontes apud Moſen hodienum quærendos eſſe, omnes illi clamant, qui coſmogoniæ Moſaicæ hiſtoriam pro clave univerſæ naturalis ſcientiæ habent. [r] 7. Philoſophiam moralem in Moſe locum habuiſſe ſummum, ut evincatur, provocant ad inſignes virtutes in ſanctiſſimo viro conſpicuas, ad leges reipublicæ & eccleſiæ Iſraëliticæ prudentiſſime conſtitutas, ad regiminis rationem per quadraginta annos magno populi emolumento feliciſſime obſervatam, quam fontem omnis profanæ prudentiæ fuiſſe, indeque Moſen omnium magnorum inter gentiles hominum nominibus celebrari contendunt. [s] Adjiciunt Judæi & qui horum ſacris enutriti in ejusmodi nugis jucunditatem quærunt, Moſen intra quadraginta dies, quo in monte reſidens cum Deo converſatus eſt, præter legem ſcriptam, oralem quoque, ſive traditionem, quæ Cabbala illis dicitur, accepiſſe, hancque philoſophiam arcanam ſelectos ex omni Iſraële viros docuiſſe, & ita myſteria hæc ad poſteros propagaviſſe: quo de figmento ſuo loco amplior dicendi occaſio enaſcetur. [t] Quin nec hic nugarum ſatis eſt, ſed provocant etiam panſophiæ Moſaicæ aſſertores ad libros a Moſe præter eos, qui ſacris pandectis inſerti leguntur, conſcriptos, & injuria temporis deperditos, ex quibus Plato & Pythagoras ſua hauſerunt. Cujus teſtem laudant EUSEBIUM [u] mentionem facientem variorum Moſis theologicorum & philoſophicorum dogmatum, & inter alia de immortalitate animæ, quæ Judæis tradiderit. [x] Libros vero ſuppoſititios Moſis nomen præ ſe ferentes non moramur.

§. X. Demonſtratam ita eſſe non Moſis tantum, ſed omnium Hebræorum philoſophiam facile his ſibi perſuadent, qui rationes omnes non accurate expendunt: nos & hic caute incedendum eſſe, rati, ad examen vocabimus rationes allatas. Ubi ante omnia probe obſervandum eſſe monemus, Philonem, quem omnium teſtium de philoſophia Moſaica vidimus antiquiſſimum, & Philonis ſimiles Judæos totius fabulæ architectos fuiſſe. Prodit

Moſis philoſophia negata.

r) Amos Comenius, Bayerus aliique ſuis infra locis recenſendi.

s) Inter hos eminere illuſtrem P. D. HUETIUM in eruditiſſimo *Demonſtrationis evangelicæ* opere notius eſt, quam ut multis exponatur.

t) Ubi hiſtoria Cabbalæ explicanda ejusque origines indicandæ.

u) *Demonſtr. Ev. l. III. c. 2.*

x) Ita nugatur SANDIUS *Nucl. hiſtor. eccleſ. l. I p. 131.* ut fidem ſomniis ſuis conciliet.

Prodit vero Philo incogitantiam ſuam, quando non ſolum ad ideam philoſophiæ Pythagorico-Platonicæ Moſen effingit, & encyclopædiæ ſuo tempore florentis curſum viro divino affingit, ſed & ex Græcia advocatos eſſe viros doctos, in Græcanicis artibus excellentes nugatur eo tempore, quo maxima ruditas Græciam oppreſſit, Orpheum enim, etſi tempora ejus incertiſſima ſunt, ad Moſis ætatem non attingere certum eſt: ab eo vero Græcarum ſcientiarum incunabula vetuſtiſſima derivari, ſuo loco dicetur. Philonem vero dum more ſuo exſcribit Clemens Alexandrinus, quo loco horum teſtium fides habenda ſit, liquet. Illum enim cum doctoribus eccleſiæ reliquis, qui tanto conatu pro Moſis philoſophia ad guſtum & ideam Græciæ efficta pugnarunt, ſapientiæ conceptu falſo deceptum ſuperbiaque Judæorum ſuæ genti omnis ſapientiæ profanæ origines vindicantium deceptum ea ſine examine critico pro cauſa ſua, quam tuebatur, arripuiſſe, quæ poſſeſſionem ſapientiæ Judæis & Chriſtianis vindicarent, luculentum hoc ſpecimen eſt: [y] unde merito omne hoc argumenti genus, quod a PP. teſtimonio pro philoſophia Moſaica afferri magno apparatu ſolet, rejiciendum omnino eſt. Nec ſuſtinent cauſam, quæ pro ſapientiæ cultu Moſis apud Ægyptios ab eruditis afferuntur. [z] Supra enim obſervatum eſt, vocem ſapientiæ latiſſimæ ſignificationis apud veteres eſſe, & non tantum philoſophiæ ſtudium, ſed omnes omnino artes & ſcientias deſignaſſe, quæ apud veteres floruerunt. Et hoc quoque ſenſu a protomartyre vox uſurpatur: illas enim artes atque ſcientias Moſes in Ægypto edoctus eſt, non quas Græcia poſt multa demum ſecula excoluit, quod his hominibus videtur, ſed quas tum temporis Ægyptii excolebant. Conſtabat vero ſcientiarum Ægyptiacarum circulus exiguis tum limitibus, ut ſuo demonſtrabitur loco: & præter ſacrum ſermonem & literas, quæ parum ſapientiæ involucris ſuis tegebant, aſtronomiæ primam tantum notitiam, arithmeticam & geometriam continebat, teſtante DIODORO SICULO, qui notanter addit: *Muſicam eos in totum reſpuiſſe ut noxiam, & quæ homines effeminaret.* Quod ſi admittimus, Philo merito mendacii arguendus eſt, qui in muſices cognitione Moſen excelluiſſe putavit, quoniam ea in ſcholis Pythagoricis, quas Philo ſequebatur, eximium locum occupabat. Nec eſt in tota eruditionis Moſaicæ, qualem ſe illa exhibet in libris a divino viro conſcriptis, facie aliquid quod Ægyptiam originem referat. Quæ itaque illa ſapientia fuerit, in qua in ſpem regni educatus fuit Moſes, ex circumſtantiis educationis ejus, judicandum eſt; ſcilicet ut ſtrenuus ingenio & corpore, prudentia & fortitudine excelleret, unde recte Ezechielus poëta tragicus eum loquentem ita inducit: [a]

Τες-

y) Philonis teſtimonii fidem jam elevavit B. BUDDEUS *Hiſt. Phil. Hebræor. l. c.*

z) Legendus eſt, qui multa egregia monet J. HENR. URSINUS *de Zoroaſtre, Mercurio & Sanchun. l. II. Sect. 9. p. 193.*

a) Apud CLEMENT. ALEX. Stromat. *l. 3. p. m. 345.* conf. URSINUS *l. c.* qui plura urget, falſam hanc ſapientiæ ideam jugulantia.

Τροφαῖσι βασιλικαῖσι καὶ παιδεύμασιν
Ἁπανθ' ὑπισχνεῖθ', ὡς ἀποσπλάγχνων ἐῶν·
Victum regium & disciplinam scientiarum
Accepi non aliter, quam si natus forem.

Regia enim illa disciplina ad hunc scopum collineavit ut scientiis encyclicis innutritum ingenium adolesceret, & in spem regni excoleretur. Unde non quidem ingenii acies, & aptitudo ad magnas res ei cum JOANNE CLERICO [b] deneganda, non tamen ultra temporis sui modulum eruditio ejus extollenda est. Logicam peritiam nec apta legum dispositio, quam laudat Eusebius, probat, revelata enim est ab ipso Deo tota legis ratio Mosi in monte Sinai, quæ ad ejus ingenium propterea referri nequit: nec regulæ illæ hermeneuticæ demonstrant, quæ Mosis ætatem atque nomen frustra præ se ferunt, cum multo recentiores sint, a Judæorum magistris eo potissimum tempore exsculptæ, quo infinitæ inter eos de sensu atque interpretatione legis dissensiones exoriebantur, quas haud obscure respiciunt, & ita originem suam produnt: nec aliud quoque, quatenus sanæ sunt, comprehendunt, quam quod quemlibet leviter ad textum aliquem attendentem oculum ferit: unde ipsi Judæi: *ab illis tredecim modis non dari ullum hominem, qui dissentiat, esseque promtos & expeditos in ore omnium.* Artis itaque opus non esse, sed naturalem intellectus lucem comprehendere, recte concluditur. Mathematicarum disciplinarum principia, qualia illa apud Ægyptios docebantur, Mosi quidem deneganda non sunt, cavendum tamen, ne nostri seculi mathematicum intelligamus. In ipsa enim infantia illas disciplinas tum fuisse versatas, suo loco demonstrabitur, & ruditas atque paupertas observationum mathematicarum, etiam sequiorum temporum probat. Unde non plus sciviſſe Ægyptios, nec plus docuisse discipulos, & inter eos Mosen, quam quæ ad vitæ necessitates atque commoditates requiruntur, recte infertur. Ea vero nec mathematicum nec philosophum constituunt. Tabernaculi vero ideam cum a Deo acceperit, sine ratione inde pro ejus architectonica cognitione argumentum ducitur. Ridiculum vero est, quod pro metaphysica ejus scientia affertur. Uti enim Mosen Deum tum ex rationis, tum ex revelationis lumine cognovisse nemo negat, ita omnis ea cognitio metaphysicum non facit, sed communis est omnibus utrumque lumen recte adhibentibus: unde etiam Moses Dei unitatem, quam tantopere genti suæ inculcavit, non argumentis metaphysicis, sed demonstratione virtutis divinæ in populo Israëlitico mirifice se manifestantis comprobavit. Quæ porro pro chemica ejus peritia afferuntur, talia sunt, ut, si quoque viris doctis concederemus, intellexisse Mosen arcanam methodum auri potabilis, nondum tamen inde colligi posset peritia philosophica. Experientia enim totum proces-

b) In *Judicio quorundam theologorum Batavorum super Hist. crit. R. Simonii*, quem hoc nomine refutavit WITSIUS *Miscellan. S. T. I. l. I. c. 7. p. 44. seqq.*

ſum diſcere potuit, quæ philoſophiæ titulum nondum meretur. Neque tamen eam præ ſe fert certitudinem illa demonſtratio, quam medici iſti celeberrimi de chemico Moſis artificio exhibuiſſe videri volunt. Plus enim in textu vident, plusque ex eo eruunt, quam in eo præjudicio antiquitatis chemicæ non faſcinati oculi videre poſſunt. Priori enim Exodi loco non aliud ipſe Moſes refert, niſi: *ſumſiſſe vitulum, igneque combuſtum comminuiſſe in pulverem, & ſparſiſſe in aquam, potumque dediſſe filiis Iſraël.* Altero vero Deuteronomii ait: *Peccatum veſtrum, nempe vitulum, tuli, & igne illum combuſſi, & contudi eum molendo, idque bene, donec pulvis fieret tenuis, abjecique pulverem ejus in torrentem, qui e monte defluit.* Plana hic & ſimplicia omnia, ſi verba Moſis ſine commentario inſpiciamus; ſumſiſſe idolum, Moſen, liquefactumque inque maſſam unam coalitum contundendo redegiſſe in ſubtiliſſimum pulverem, eumque abjeciſſe in rivum illum, ex quo bibebant Iſraëlitæ. Nulla hic calcinatione philoſophica opus erat ad redigendum in pulverem aureum idolum, ſed naturali modo cuncta ſine artificio peragi poterant. Nec evincunt quicquam, quæ viri doctiſſimi pro incruſtanda ſententia ſua afferunt. Urgent ſcopum Moſis fuiſſe, totalem deſtructionem idoli; verum ea, redacto in pulverem facillime diſpergendum vitulo, effici facillime potuit. Imprimis rem eo confici putant, quod aurum in ſubtiliſſimas particulas limatura reſolutum, mox fundum petat, & ita potandum Iſraëlitis, a Moſe exhiberi nequiverit; verum hoc πρῶτον ψεύδος eſt, quod totam chemiæ Moſaicæ fabulam nobis conſtruxit: potu ſimul hauſtum eſſe ab Iſraëlitis aurum illud, quod tamen gratis ſupponitur. Nihil enim in textu dicit Moſes amplius, quam in eam aquam, quam potus cauſa ex torrente hauſerunt Iſraëlitæ ſe abjeciſſe, ut ſcilicet, quoties haurirent, peccati memoria per pulverem in fundo reſidentem excitata pœnitentiæ neceſſitatem inculcaret. Nec magno adeo tempore opus erat; quo argumento tamen diductionem in laminas & lævigationem, qua facillime in pulverem fundum non petentem potuiſſet comminui, improbabilem reddere contendunt viri celeberrimi: non cogitantes, proceſſum ſuum philoſophicum longius adhuc tempus requirere, quam mora Iſraëlitarum patiebatur. Nec combuſtio quoque urgeri nimis poteſt, cum vox שרף, qua Moſes utitur, non tantum redactionem in cineres, ſed colliquefactionem pro ratione ſubjecti, cui additur, indicet.[c] Eximendus itaque ex chemicorum quoque albo Moſes, ſuæque genti in omnem aliam diſciplinam a maximo viro formandæ & hujus artis ignaræ reſtituendus eſt.[d] Tandem legis quoque Moſaicæ perfectionem non negamus, civitatis formam atque regiminis ab eo introduci præſtantiam ultro fate-

c) Unde de coctione metallorum adhiberi jam monuit AVENARIUS. *h. v.* exprimitur ea voce etiam calcis aduſtio, aquæ quoque calidæ, vid. Lexicograph. paſſim.

d) Ita etiam CONRING. *ad Hermet. medicin. l. I. c. 3.* BAYLE *Dict. T. I. art. Aaron not.* B. GUNDLING. *Hiſt. phil. mor. c. VII. p. 63. Acta philoſ. vol. II. p. 29.* Abſurdiora ſunt, quæ pro chemica Moſis peritia ab unguento ſacro argumentatur DICKINSONUS *Phyſ. vet. l c. §. 4. p. 475. ſeqq.*

fatemur, verum Moſi eam vati divinitus edocto, omnemque legem & conſtitutionem a ſummo legislatore accipienti adſcribimus, qui nec dux proprie populi, nec legislator proprie dictus dici poteſt, ſed miniſter potius Dei ſummi regis, qui peculiari regiminis forma, theocratiam recte appellant viri docti, populum divinum rexit, & ſalutaribus legibus a Deo ipſi revelatis inſtruxit. Hæc decebant vatem, qui typus eſſe debebat maximi prophetæ; hæc conveniebant magnificis, quas Deus gentem Iſraëlis ducebat, viis, hæc maximum virum Moſen faciunt, non vero inter philoſophos ei locum aſſignant. Quæ denique pro adſtruenda cabbalæ auctoritate a Moſe repetenda nugatores recutiti garriunt, uno argumento retunduntur, recentiorem multis ſeculis eſſe cabbalam Moſe. Id quod ſuo loco cum accurate nobis probandum ſit, hic prolixe exponere opus non eſt: nec multum quoque juvat philoſophiæ Moſaicæ aſſertores, cum ipſi Judæi tradant, immediata Dei revelatione illum cuncta iſta accepiſſe. Ficulneum vero eſt, quod Sandius urget, ex deperditis ſcriptis Moſis ad gentes delatas eſſe doctrinas quasdam: multa enim falſa ſupponuntur, & ſine idoneo argumento aſſeritur, iſtas doctrinas naturali rationis luce non innotuiſſe gentilibus, nec extare in ſcriptis Moſis hodie extantibus, & perveniſſe amiſſa iſta ſcripta ad Pythagoræ Platonisque notitiam. Sed his ſomniis refutandis prolixus labor impendi non debet, ſua enim mole corruunt.

Scholæ prophetarum non philoſophicæ.

§. XI. Poſt Moſis tempora magnos nobis viros, judices & prophetas Iſraëlis memorant ſacri commentarii; nec tamen aliud de iis narrant, niſi prudentiam regnandi, artesque quibus populum duræ cervicis refrenaverunt. Vatum vero divina luce colluſtratorum ratio qualis fuerit, ex ipſis ſacris literis diſcendum quoque eſt, quas qui ſequitur, philoſophos exſculpere non poteſt. Inſtituerunt quidem ſcholas, & congregatis ibi diſcipulis præſederunt, cave tamen philoſophorum collegia ſomnies, & ad noſtri temporis ideam antiquiſſimam Hebraicarum ſcholarum faciem effingas, quod poſt delirantes Judæos facit ALTINGIUS,[f] Prophetæ enim erant viri divinarum rerum ex Dei revelatione periti, & de iis ad populum verba facientes, haud raro tamen de futuris quoque vaticinantes: adhibitis vero hymnis & muſica rerum divinarum notitiam, ſanctosque pectoris motus augebant & excitabant:[g] & ad hæc dona in ſcholis prophetarum diſcipuli pie præparabantur. Hæc in ſacris oraculis edocemur, quæ collegia philoſophica nobis non delineant. Falluntur itaque, qui Joſuam artis bellicæ præcepta didiciſſe, conjiciunt;[h] ſcholasque prophetarum in urbibus Kiriath - Jearim & Ramata in Gilead[i] in collegia academica & ſcholas philoſo-

e) Conferendus SAM. PUFENDORFIUS *de habitu religionis Chriſtianæ ad vitam civilem §. 12. p. 34. ſeqq.* Quæ vero in hanc rem SPENCERUS *l. I. de legibus Hebræorum ritualibus* affert, examinanda ſunt.

f) *In hiſtor. academ. Ebræar.* quæ in *heptade orat. academicarum primo loco* extat. *p. 281.*

g) WITSIUS *de prophetis & prophetia l. I. c. I. Miſcellan. SS. T. I. p. 2. ſeqq.*

h) BRAUNIUS *Selectis S. l. V. ex. I. §. 7.*

i) *1 Sam X, 5. XIX, 18. 2 Reg. II. 3. 5.*

loſophicas convertunt, & quæ alia ſunt Judæorum deliria, quibus ſibi imponi paſſi ſunt viri docti, quibus nihil in antiquis magnificum eſt, niſi ad ſeculorum noſtrorum ideam effictum. Non denegamus quidem Iſraëlitarum genti eruditionem, cujus laude florentes viros inter eos vixiſſe Ethanis, Hemanis, Dardæ atque Chalcolis exemplis conſtat: [k] ſed eruditionis eam conditionem tum fuiſſe, ſemper recordandum eſt, quæ a poſteriorum ſeculorum, Græciæque genio, qui nobis quoque ideam philoſophiæ formavit, multum diſtaret. [l] Verſabatur ſcilicet eruditio Hebrææ gentis tum in revelationis divinæ explicatione, tum in doctrinæ moralis cultu, quæ ex liquidis divinorum oraculorum fontibus hauſta, dicendi genere magnifico, ſublimi, emblematico, ſententiisque atque παροιμίοις pleno proponebatur: ſuisque legibus aſtricta, certum poëſeos genus a noſtro longe diverſum produxit. Ex horum eruditorum numero David fuit, cujus odas ſacras recte intuiturus egregium eruditionis Iſraëliticæ ſpecimen inveniet, fruſtra tamen quæret philoſophum. Recte accuratus harum rerum judex THOMAS BURNETIUS: [m] *Notum eſt in diſciplinis mathematicis aut philoſophicis nunquam præcelluiſſe hanc gentem, neque in cæterarum artium ſtudiis, aut id genus ullo humani ingenii eximio fœtu. Unde illud acerbe dictum ab Apollonio, Judæos ἀφυεςάτους εἶναι τῶν βαρβάρων· καὶ διὰ τοῦτο μηδὲν εἰς τὸν βίον ἕυρημα συμβεβλῆσθαι μόνους. Barbarorum eſſe ineptiſſimos, ideoque ſolos illos nullum inventum vitæ utile peperiſſe. Quæ autem apud ipſos erant ſcholæ atque academiæ priſtinæ, non tam ad encyclopædiæ ſtudia, ut ſolent hodie, formatæ & compoſitæ erant, quam ad religionis inſtituta & dona prophetica imbibenda. Nulla enim gens per terrarum orbem, nullus populus tantum abundabat prophetis ac viris cœleſti ſpiritu tactis, quantum Judæi: ut ipſi ſolo & climati vis aliqua divina inhærere videretur.*

Philoſophia Salomonis.

§. XII. Præmittenda hæc fuerunt atque præmonenda, ut de Salomonis regis ſapientia tantopere in ſacra hiſtoria deprædicata, & totius orientis ſapientiæ prælata rectius judicium fieri, queat. Hunc enim inter ſapientiſſimos orientis homines primum locum obtinuiſſe, ſacer nobis narrat hiſtoricus his verbis: [n] *Conceſſit Deus Salomoni ſapientiam, & prudentiam amplam & capaciſſimum animum, perinde ac arenam, quæ eſt in litore maris. Ita ut excelleret ſapientia Salomonis omnium qui eum anteceſſerant, ſapientiam, ſimulque omnem ſapientiam Ægypti: quin cunctis hominibus ſapientior fuit, etiam ipſo Ethan Eſraita, & ipſo Heman, & Challol, atque Darda filiis Mahol: fuitque nomen ejus in omnibus gentibus circumquaque celebratum. Loquutus etiam eſt ter mille parabolas, & carminum ejus fuerunt quinque ſupra mille. Diſſeruit etiam ſapien-*

k) *1 Reg. IV, 31.*
l) Conf. BUDDEUS *Hiſt. eccl. V. T. T. II. p. 276. ſeqq.* GUNDLINGIUS *Hiſt. phil. mor. c. VII. p. 78. ſeq.*
m) *Archæolog. philoſ. l. I. c. 7. p. 362.*
n) *1 Reg. IV, 29. ſeqq.*

pienter de lignis, a cedro, quæ eſt in Libano, usque ad hyſſopum, quæ progerminat ex pariete; ſimulque diſſeruit de animantibus, de volucribus, de reptilibus atque piſcibus. Ita ut venirent, ex cunctis populis auditum ſapientiam Salomonis, ex omnibus etiam regibus orbis, ad quos fama ſapientiæ ejus pervenerat. Hactenus ſcriptor ſacer, qui ſapientiæ orientalis magnitudine omnes ſui temporis ſapientes Salomonem ſuperaſſe tradit. Quæ ſufficiunt ad tuendam populi divini gloriam. Ea vero non contenti Judæorum magiſtri adeo de Salomonis ſapientia ineptiunt, ut Ariſtotelem ſua ex ſcriniis Salomonis expilaſſe, affirmare non erubuerint. [o] Et ferri potuiſſet hoc in populo, apud quem ſuperbia cum ignorantia certat; viros vero doctos recentiorum temporum pari modo in devia defeciſſe, & ſi verum fateri velimus, inſaniviſſe, ferri vix poteſt. Inter Britannos enim, THEOPHILUS GALEUS, [p] vir doctiſſimus, & antiquæ eruditionis notitia ſingulari inſtructus ſed inſano antiquitatis præjudicio præpeditus ex Salomonis ſchola putat accepiſſe Pythagoram & Platonem philoſophiam ſymbolicam, Stoicos Ethicam, Hippocratem medicinam, Ariſtotelem hiſtoriam animalium, Theophraſtum plantarum. Omnes vero abſurditate vincit, ex Jeſuitarum ſodalitio JOANNES PINEDA, [q] qui ut in deſcribenda polyhiſtoria Salomonis eſt diſertiſſimus, ita Salomonem facit *eloquentia admirabilem, in poëſi atque muſica clariſſimum, dialecticum ſubtiliſſimum, obſcuriſſimorum ænigmatum propoſitorem & expoſitorem acutiſſimum, pulcherrimarum parabolarum compoſitorem ſapientiſſimum, hiſtoriæ peritiſſimum, Aſtronomum ſummum, coſmographum, geographum, hydrographum & architectum abſolutiſſimum, phyſiologum profundiſſimum, naturæ ſcriptorem & ſcrutatorem diligentiſſimum, medicinæ principem, magiæ naturalis ſcientiſſimum, civilis doctrinæ conſultiſſimum, œconomiæ atque ethicæ præceptorem dexterrimum, theologum naturalem & ſupernaturalem optimum maximum, profeſſorem ſapientiæ publicum.* Quæ & alia de academiis & ſcholis Salomonis philoſophicis, quæ auctor affert, ita comparata ſunt, ut merito patientia & miſericordia lectoris exoranda ſit. Qui tamen ſodalem invenit, qui veſtigia ejus ſtrenue calcaret. [r] Quorum inſaniam etſi evitarunt, qui hæc ad tuſſim & gravedinem movendam quam ad aſſenſum impetrandum aptiora judicarunt, ipſi tamen ex adducto ſcripturæ loco magnam naturalis ſcientiæ cognitionem, & abſolutam orientalis eruditionis ideam ſibi in Salomone effinxerunt: [s] & aſtronomiæ, magiæ naturalis, & philoſophiæ practicæ ſummam cognitionem ei tribuerunt: ducem nacti inter veteres Euſebium. [t]

Facile

o) Dicetur de eo ſuo loco. Conferatur interim FABRICII *Codex pſeudepigr. V. T. T. I. p. 1019. ſeqq.*

p) *Phil. gener. §. 8. p. 23.* conf. *Acta phil. vol. II. p. 33.*

q) *De rebus Salomonis libris VIII. Mogunt. 1613.* f.

r) CAR. DE GROBENDONCQ. *de ortu & progreſſu ſpiritus politici* vid. *Act. philoſ. vol. II. p. 36.*

s) BUDDEUS *Hiſt. phil. Hebr. §. 14.* HORNIUS *Hiſt. phil. l. II. c. 13. p. 132.*

t) apud ANASTASIUM *Quæſt. XXXIX. in ſcriptur.*

Facile tamen ex iis, quæ in antecedentibus de Hebræorum ſapientia & eruditione diximus, de his omnibus judicium fieri poteſt. Seducti ſcilicet boni viri idea noſtri temporis, qua ad univerſalem eruditionis circulum omnium iſtarum diſciplinarum notitia requiritur, cum legerent, ſapientia Salomonem alios omnes ſuæ ætatis reges ſuperaviſſe, ad id delapſi ſunt, ut crederent, polyhiſtoris conſummatiſſimi perſonam exhibuiſſe Salomonem, inque omnibus iſtis diſciplinis humana ſorte majorem eruditionem poſſediſſe, quæ ad encyclopædiam hodie requiruntur. Quod quam abſurdum ſit, & ſubvertendæ omni cognitioni veteris hiſtoriæ aptum, in limine jam indicavimus, & a turpi hoc præjudicio lectorem præmunivimus. Ut itaque rectius de Salomonis ſapientia tantis encomiis celebrata judicium fieri queat, recte & attente ad verba ſcriptoris ſacri reſpiciendum eſt, ne aliena a mente ejus concipientes nobis ipſis fraudi ſimus. Scilicet ſapientia Salomonis comparatur, cum ſapientia ſui temporis, isque virorum inter principes orientis celeberrimorum anteſignanus fuiſſe, eosque multis paraſangis ſuperaſſe recte aſſeritur. Quod ſi hoc ad eruditionis orientalis faciem, qualis ea inter viros principes exculta fuit, referendum eſt, ſponte ſua ſequitur, decipi magnopere, qui noſtræ ætatis ſcientias orientis populis ignotas Salomoni affingunt, vel encyclopædiam Græcam in Salomonea ſapientia invenire ſibi videntur. Non itaque metaphyſicus, phyſicus, geographus & quid non? Salomo cenſendus eſt, nec inventio eárum rerum illi tribuenda, quæ poſteriorum temporum felicitati reſervatæ longe alios natales acceperunt: quales ſunt pyxis nautica [u] & circulatio ſanguinis, [*] reliqua etiam inventa anatomica. * Quibus Salomoni tribuendis non ſufficit, quadam ſimilitudine verborum noſtrorum temporum inventiones in vetuſtiſſimo rege adumbratas videre, ſed ſine hypotheſeos ſtudio & præventione oportet rem ipſam cernere, quod admodum verendum, ut fieri cum probabilitate queat. Longe alia quoque fuit ſapientiæ conditio, quam a numine exoravit ſibi Salomo, quaque cœleſti munere beatus inter omnes ætatis ſuæ reges magnosque heroas excelluit, ſi ipſa ſacra oracula conſulamus. Illis enim ſi habenda eſt, quæ ipſis debetur, fides, ſapientia Salomonis in prudentia regnandi, & intellectu divinis radiis colluſtrato ad juſtitiam adminiſtrandam, populumque ita regendum, ut animo & facultatibus felix floreat & incrementa capiat, conſtitit, bonique a malo diſcrimina maximum regem edocuit. Hanc ſapientiam a Deo ita exoravit, ut dari ſibi peteret [y] *cor docile, ut populum judicare poſſit & diſcernere inter bonum & malum.* Hæc ſapientiæ ratio uti maxime practica fuit, & ſplendidiſſimo hoc

u) NIC. FULLERUS *Miſcell. S. l. IV. c. 19. p. m. 605.* qui tamen non aliam rationem affert, quam Salomonem omnia naturæ miracula, adeoque & vim & uſum magnetis tenuiſſe, & cum Tyriis communicaſſe. conf. WITSIUS *Miſc. S. T. II. ex. XIII. §. 24. ex. XIV. §. 42.*

x) CORN. BONTEKOE *de vita hum. P. II. §. 10.* conf. PASCHIUS *de inventis nov-antiquis c. VI. §. 3. p. 311.*

y) *1 Reg. III, 9. 10. 11.*

hoc nomine digna, ita quam maxime tantum regem decuit, qui, ut honos conſtaret populo Deo dilectiſſimo, ſapientia reliquos reges debebat antecellere. Non itaque ſapientia Salomonis omnibus omnino orientis ſapientibus præferenda eſt, ſed regio axiomate effulgentibus, vitæ ſcilicet, non ſcholæ natis: id quod diſerte ſacræ paginæ teſtantur, [z] afferentes, Salomonem ſapientia inter reges parem non habuiſſe. Nec obſtat, Salomonem a ſcriptore ſacro diſerte dici ſapientia ſuperiorem fuiſſe, omnibus Ægyptiis & Orientis populis. Supra enim jam obſervatum eſt, eruditionem Ægyptiorum longe alia facie enituiſſe, quam eam, quæ a Græcis exculta eſt & ad Romanos & ab his ad nos tranſiit, quamque viri docti inconſiderate Salomoni adſcribunt. Illorum enim temporum, in rudimentis ſcientiarum & artium, quas hodie excolimus, verſantium eruditione & a parente non indocto innutritum & divino habitu ad inſignem ἀκμὴν perductum fuiſſe Salomonem, recte ex his verbis colligitur, male vero infertur, excoluiſſe noſtras literas, & philoſophiam tenuiſſe. Quod ſi eruditionis Salomoneæ conditionem propius inſpicere libet, adeundi ſunt libri ipſius hodienum ſuperſtites, in quibus & cogitationum ad mores animumque hominis vera ſapientia emendandos facientium uberrima ſeges, & dicendi atque more orientalium figurata oratione fingendi egregium artificium, & eloquentiæ ſuis legibus adſtrictæ exempla pulcherrima deprehenduntur. Adjicimus his ductu ſacri codicis [a] felicitatem in ſtruendis & ſolvendis ænigmatibus, [b] quæ ſapientiæ ſpecies cum apud veteris orientis principes magno encomio prædicaretur, & non ſine ingenii quoque vanitate excoleretur, Salomoni quoque, qui profunditatem & linguæ ſuæ, & animi humani divina luce edoctus erat, data fuit, & in illa ita excelluit, ut æmulationem vicinarum gentium atque regum excitaret. Dabimus itaque, mores hominum egregie depinxiſſe, deque vanitate pariter atque felicitate hominum ſapienter differuiſſe; non negabimus, regias diſciplinas ad miraculum edoctum omnes ſuæ ætatis reges antecelluiſſe: nihil tamen hoc omne ad ſeculorum poſteriorum ideam eruditionis Salomoni affingendam facit, nec mutabitur Salomo in philoſophum: præcipue cum non ſola rationis luce, ſed præcipue extraordinario divino lumine colluſtratus ad hoc ſapientiæ culmen evaſerit. Et tenendum id quoque de ſcientiis mathematicis, quæ Salomoni non alia ratione adſcribi poſſunt, quam illorum temporum conditio permittit, quibus in infantia adhuc eas fuiſſe, ſcientiarum mathematicarum hiſtoriam non ignorantibus conſtat. Unde fruſtra eſſe lateremque lavare merito judicandi ſunt, qui a templo Salomoneo omnis architecturæ civilis perfectionem & elegan-

z) 2 *Paralip. I, 11. 12.* conf. GLASSIUS *Philol. S. p. 1226. edit. recent.*

a) 2 *Paralip. IX, 1.* mira hic narrant Judæi, vid. LIGHTFOOT. *Opp. T. II. p. 527.* & quæ refert GLYCAS *Annal. p. 183.* apud FABRICIUM *Cod. Pſeudep. T. II. p. 1031.*

b) Hiramum Tyri regem ita quoque a Salomone tentatum ænigmatibus & mulctatum pecunia, cum ſolvere non poſſet, narrat JOSEPHUS *Antiq. Jud. l. VIII. c. 2. p. 267. contra Appion. l. I. p. 1042.* conf. HIERONYMUS *ad Magnum oratorem.*

elegantiam fluxiſſe ſibi perſuadent. [c] Qui dum inevitabiles nodos in explicandis ſacri textus delineationibus obvios ſecant magis, quam ſolvunt, quam feliciter Auguſti ævi ars architectonica ad Salomonis ſeculum referatur, ſatis produnt. Maxime tamen ad ornandam de Salomone fabulam facere viris doctis, qui hæc tuentur, videntur, diſſertationes Salomoni de omnibus rebus naturalibus adſcriptæ. Nam ea, quæ ſcriptor ſacer refert, diſſeruiſſe eum de omnibus arboribus, plantis herbisque, Judæi Salomonis ævo recentiores, & Græcorum philoſophandi methodo innutriti, [d] de diſſertationibus phyſicis intellexerunt, unde non JOSEPHUS [e] tantum Salomonem de natura rerum omnium philoſophatum fuiſſe ſcriptum reliquit, ſed & auctor libri ſapientiæ, [f] Græcæ quæ apud Ægyptios florebat, philoſophiæ alumnus; multis verborum phaleris in hunc ſenſum depinxit: *Etenim veram τῶν ὄντων ſcientiam ipſe mihi dedit, qua mundi conſtitutionem & vim elementorum, initium finem & medium temporum, ſolſtitiorumque viciſſitudines, tum permutationes tempeſtatum, atque annorum circulos & ſtellarum diſpoſitiones, ac naturas animalium, beſtiarum affectus, ventorum impetus, ratiocinationes hominum, plantarum differentias, radicum virtutes intelligerem.* Quibus verbis ut philoſophiæ Græcæ Alexandriæ excultæ gnarus facile perſpiciet, Hebræum regem ad Græcanicæ philoſophiæ effigiem adumbrari, [g] ita, quo potiſſimum ex fonte illa perſuaſio de Salomonis ſapientia Græcæ philoſophiæ adeo conformi orta ſit, luculenter docet. Male tamen hæc omnia ad ejusmodi diſſertationes phyſicas referri, eruditionis Salomoneæ ratio facile evincit. Quæ cum figurato & emblematico dicendi genere quam maxime Orientis more enituerit, quid aliud de ea ſcriptor ſacer dicere intendit, quam ab omni plantarum genere ſimilitudinem duxiſſe, & metaphoris elegantiſſimis omnem rerum naturalium pulchritudinem argumentis moralibus applicantibus diſſeruiſſe? Cujus ut nobile exemplum eſt Canticum canticorum, inſigni ſpecimine eruditionem Salomoneam adumbrans, ita recte intellexit SIRACIDES, qui eleganter & appoſite de Salomone: [h] *Quam ſapiens in*

c) VILLALPANDUS *l. II. Iſagog. in Ezech. c. 13.* LEONH. CHR. STURMIUS *Sciagraphia templi Hieroſolym. Lipſ. 1694. 4.* cel. J. JAC. SCHEUCHZERUS *Phyſic. S. T. II. p. 50. ſeqq.*

d) Notabilem locum R. SCHEM TOBH BEN JOSEPH affert JO. BUXTORFIUS *ad librum Coſri P. I. p. 32.* qui legendus eſt. Patet enim inde faſtus Judaicus, qui fabulæ de philoſophia Hebræorum parens fuit. Putat inſulſus Judæus Apella, auditores Salomonis ejus diſſertationes & libros in ſuas linguas convertiſſe, indeque omnem ſapientiam ad gentes dimanaviſſe. Scripſiſſe vero libros phyſicos injuria temporum deperditos: conf. cel. WOLF. *Bibl. Hebr. T. I. p. 1050.* Et ex confictis his libris phyſicis ſuppoſititii illi fœtus orti ſunt, qui magiæ ſecreta Salomoni tribuunt; de quibus præter WOLFIUM & SGAMBATUM videndus FABRICIUS *Cod. pſeudepigr. V. T. p. 1050. ſeqq.*

e) *Antiquit. Judaic. l. VIII. c. 2.*

f) *c. VII, 17. ſeqq.*

g) Demonſtravimus id in diſſ. *de veſtigiis philoſophiæ Alexandrinæ in libro ſapientiæ*, quæ inſerta eſt *Miſcell. Berolin. T. VI.*

h) *Cap. XLVII, 16. 17. 18.* Recte & hoc obſervatum AUCTORI *Hiſt. crit. philoſophiæ T. I. c. V. §. 6. p. 191. ſeq.*

in juventute tua factus es, qui fluminis instar repletus fuisti intelligentia. Animus tuus terram omnem operuit, & allegoriis ænigmaticis implevit. Nomen tuum procul permanavit in insulas, paceque tua fuisti gratiosus. Te miratæ sunt regiones propter carmina & proverbia simul & allegorias & interpretationes. Quæ descriptio omnino eruditionem Salomoneam exhaurit, philosophiæ vero Salomoneæ architectis aperte contradicit: nec dogmaticum fuisse philosophum maximum regem patitur. Alia vero via eaque prorsus contraria Salomonem non inter philosophos quidem dogmaticos, scepticos tamen retulit doctissimus JACOBUS FRIDERICUS REIMMANNUS, [i] aliis indignantibus, [k] & nescio quam labem sapientissimo regi aspergi querentibus, quæ tamen a se amoliri conatus est vir clarissimus. [l] Putat scilicet, Salomonem in depingenda gravissimo sermonis genere vanitate id potissimum voluisse, ut nihil in rebus humanis certum stabileque, & scientiæ veræ generandæ indeque solidæ felicitati parandæ inveniri aptum demonstraret, ut ita mens ad unam veram solidamque, quæ in Deo residet, felicitatem evehatur. Quæ ratiocinandi ratio in se quidem diversissima est a scepticismo Græciæ, nec adeo impia, qualem viri docti extimuerunt, vehementer tamen veremur, ut menti Salomonis scopoque dissertationis ex asse respondeat. Si enim tota Ecclesiastis connexio & συνάφεια consideretur, patebit non de incertitudine cognitionis intellectus humani, sed de vanitate voluntatis humanæ sermonem sapientissimo regi esse, idque demonstrare, omnia, quæ in mundo sunt, etsi magnifica & decipiendis humanis desideriis apta, vana esse & inania, & ita cito peritura, ut infinitum voluntatis humanæ desiderium æterno bono sine fine fruendi explere, & animum tranquillum reddere nequeant. Semper enim tales adjici circumstantias quæ mentem excruciant. Inde ad summum bonum potiundum & diligendum adjiciendum animum, & ita hujus vitæ rebus fruendum, ne tranquillitas animi turbetur. Quæ ut totum libri Ecclesiastis argumentum exhauriunt, ita qua ratione scepticismi nomen proprie mereantur, non liquet, in verbo tamen pugnam esse facile largimur. [m]

* Vix elegantius exemplum allegoricæ methodi, qua per totum fere orientem eruditi usi sunt, quaque Salomonem excelluisse demonstravimus, occurrit, quam quod pulcherrimam senectutis descriptionem Eccles. XII, 2. exhibet, & illustre specimen est sapientiæ Salomoneæ qua omnes sui temporis sapientes superavit. Ait enim: *Memento creatoris tui, in diebus*

i) *Obs. Halens. Tom. VIII. obs. 13. §. 7. p. 339.*

k) J. C. BOECKMANN. duabus differt. Wit. 1710. R. H. ROLLIUS diss. *Salomo non Scepticus.* FABRICIUS *Cod. pseudepigr. V. T. T. II. p. 1059.* & *Syll. Scr. de V. R. C. c. XXXIII. p. 483.* ARN. WESENFELD *T. I. Ex. subsecis. T. I. sect. 1. 2. T. II. sect. 2.* J. FR. BUDDEUS *thes. de atheismo c. I. §. 5. p. 12.*

l) In *Historia atheismi c. II. p. 33.* & in *Catalogo critico Bibl. Reimann. p. 620.*

m) vid. FABRICIUS *l. c. Acta philos. vol. II. p. 50.*

juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent. Antequam tenebrescant sol & lumen, & luna & stellæ, & revertantur nubes post pluviam. Commovebuntur custodes domus, & nutabunt viri fortissimi, & otiosæ erunt molentes in minuto numero & tenebrescent videntes per foramina. Et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris & obsurdescent omnes filiæ carminis: Excelsa quoque timebunt, & formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes. Antequam rumpatur funiculus argenteus & recurrat vitta aurea, & centeratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam. Sunt vero in hac elegantissima senectutis humanæ pictura multa, quæ mediocri attentione facile possunt intelligi, sol & lumen enim rationis lucem internam, lunam & stellas sensus externos, nubes post pluviam catarrhales affectus subinde apud senes redeuntes, custodes domus artus, brachia & crura, molentes in minuto numero dentes senibus pauciſſimos, fores in platea clausas oris impotentiam, obsurdescentes filias carminis aures difficiliores, amygdali florem canitiem significare, aperta fere similitudinis ratio comprobat. Sunt vero & alia in hac pictura, quæ interpretum, præcipue eorum, qui ex arte anatomica lucem conciliare conantes, medicam physicamque peritiam attulerunt ingenia exercent, cum dubii hæreant, quam ratione hoc ænigma feliciter solvant. In quo negotium sibi facessiverunt præter interpretes ad h. l. peculiaribus dissertationibus ex theologis eruditissimus WITSIUS *Misc. SS. T. II. exerc. 6. p. 164. seqq.* & SAL. HOTTINGERUS in *Biographia physico-sacra*, seu diss. *de vita, hujus natura, essentia, intervallis seu ætatibus, cumprimis de incommodis senii Tig. 1706.* ex medicis vero celeberrimus WEDELIUS *dissert. med. phil. dec. III. exerc. III. de morbis senum Salomoneis*, & doctissimus vir, OTTO PHILIPPUS PRAUNIUS, Poliater Campidonensis, ex cujus dissertatione eleganti msc. qua *physico-anatomica analysis cap. XII. Ecclesiastis sistitur, vivaque senii mortisque imago delineatur, & inventis novis anatomicis illustratur*, potiora excerpsit & suis additis exposuit in *Physica S. T. II. p. 1046. seqq.* celeberrimus J. JAC. SCHEUCHZERUS. Quorum cogitata & diversas vias, quas ad accendendam obscuro ænigmati lucem, iniverunt referre, a scopo nostro nimis alienum est. Illud vero omnino monendum e re nostra est, viros doctissimos, qui non exiguam ingenii & eruditionis præstantiam in hoc argumento demonstrant, recentiora inventa anatomica, quæ canæ antiquitati ignota, nostris demum temporibus detecta esse, non negant, Salomoni solæ allegoriæ beneficio fretos tribuere, & ad nostræ ita ætatis ideam vetustissima illa tempora exigere, unico hoc præjudicio ductos: nota fuisse Salomoni omnia naturæ arcana, & inventa etiam recentiora, etsi difficultates ipsi sentiant sæpe insuperabiles. Inde per vittam auream, sive aureum liquorem, mox cere-

cerebrum, mox veſiculam biliariam, in ictero colore aureo per totum corpus bilem diffundentem ; mox vitalem liquorem ſanguineam maſſam, vinculis ſuis a corpore ſe ſenſim ſolventem: per hydriam ad fontem fractam mox hepatem, mox atrophiam ex lymphæ defectu oriundam , mox ventriculum ſuo tono deſtitutum, mox cor ex ciſterna chyli ſanguinem hauriens; per rotam puteo impoſitam circulationem ſanguinis, vel renes quoque, ductus urinarios & veſicam; per funiculum argenteum, ductum thoracicum chyliferum ab inventore Pecquetianum dictum, intelligunt. Erudite quidem & ſpecioſe, ſed ut verum dicamus, ſine ratione admodum probabili. Unde enim evincemus , Salomoni regi iſta anatomica inventa ita fuiſſe nota, ut tam appoſite ad recentiſſimarum obſervationum mentem alluderet? Senſit hanc difficultatem experientiſſimus PRAUNIUS, eamque tollere hunc in modum conatus eſt: Regem ſapientiſſimum cœlitus omnem rerum naturam edoctum potuiſſe per ſacrificia quotidie & magno numero mactari ſolita ſibi comparare œconomiæ animalis notitiam, & Levitas ipſos, dum celeri manu operationes ſuas , alter pontifici ſanguinem altari aſpergendum afferendo , alter exercitata manu abdomen ſecando abſolvebant, dictarum partium uſum & ſtructuram detegere, certe deglubendo toties ab inteſtinis & reticulo adipem, motum illorum periſtalticum cordis, immo & curſum chyli ad receptaculum, & per ductum ipſum thoracicum obſervare. Quæ adducta ratio, an nodum ſolvat, expendant , qui cogitare non recuſant: phyſicam Salomonis cognitionem cœlitus natam, ex male intellecto loco chronici ſacri ortam , nullum habere fundamentum; ad ſacrificia a ſacerdotibus & Levitis peragenda regem non admiſſum, tamque operoſam & feſtinam in tot pecudibus mactandis, loco incommodo & alieno, ſacerdotum manum fuiſſe, ut de curioſa partium internarum ſtructura detegenda, quæ tot virorum oculatiſſimorum iterata tentamina toties fruſtrata eſt, donec eam ſucceſſiva diligentia & patientia detegerent, curioſi eſſe nequiverint: Nec probabile eſſe, ejusmodi inventa tot ſeculorum uſu a ſacerdotibus corroborata ita potuiſſe excidere hominum memoriæ , ut nullum eorum veſtigium hodie ſuperſit. Senſit difficultates has acutiſſimus SCHEUCHZERUS, iisque victus prudentiſſime pronuntiavit: Nolle ſe contentionis ferram reciprocare cum illis , qui prætendunt , Salomonem non adeo peritum fuiſſe anatomicum, cui cognitæ fuerint partes maxime reconditæ ſeculo elapſo in lucem protractæ: comparaſſe in genere corpus hominis vivens & agonizans cum puteo , qui tamdiu ſit uſui , quamdiu rota integra eſt & mobilis, hydria non rimoſa, funes fortes, machinæ omnes ad hanc ſtructuram pertinentes partes bene coordinatæ, ſuis functionibus peragendis aptæ, ſed inutilis rota confracta , cado hiulco, fune diſrupto. Quæ egregie & ex vero dicta eſſe , inde confirmamur , quia in allegoriis explicandis omnes circumſtantiæ nimis premendæ non ſunt, ſed ad ſcopum tantum metaphoræ reſpiciendum eſt: qui cum eſſet Salomoni, ſenii incommoda & morbos deſcribere , ſufficiebat ſapientiſſimo regi partium viſibi-

lium, ſaltem notiſſimarum machinæ humanæ defectus allegorico ſermonis genere denotare, reſpectu non habito ad internam & reconditam illam humani corporis diſpoſitionem, quæ nudius tertius demum cultri anatomici beneficio detecta eſt. Id quod ſine anatomicorum myſteriorum cognitione fieri potuit. Quæ ut prolixius explicare nobile exemplum philoſophiæ Salomoni fruſtra aſſertæ afferendum poſtulavit; ita quam cautos nos eſſe oporteat, ne noſtri temporis eruditionem vetuſtiſſimo ævo tribuamus, luculenter docent.

Philoſophia Danielis.

§. XIII. Poſt Salomonem inter ſapientes Iſraëlis, qui philoſophis accenſeri ſolent, numeratur Daniel, quem liber ejus nomine inſignitus refert, [n] inter eos fuiſſe, quos rex Babylonis juſſit magiſtrum palatii ex ſanguine regio ortos ſibi eligere pueros omni vitio carentes, & formoſos, & intelligentes in omni ſapientia, & peritos ſcientiarum & tenentes artium principia, quique facultatem haberent in palatio regio miniſtrandi, docti linguam Chaldæorum. Cum enim quatuor electi eſſent, inter quos Daniel principatum duxit, contulit eis Deus facultatem cognoſcendi, & intelligentiam in omni literatura, & ſapientiam: Danieli præterea vim exponendi viſum & ſomnia: ſic ut non invenirentur inter omnes eis pares, & reperiret eos rex decuplo excellentiores omnibus magis & ſophis, qui fuerunt in toto ejus regno. Ex hoc ſacræ hiſtoriæ teſtimonio, magnam quatuor viris iſtis & imprimis Danieli fuiſſe eruditionem, & inſtitutos non tantum fuiſſe, ſed & profeciſſe egregie in omni diſciplinarum Chaldaicarum ſtudio recte conficitur. Quoniam vero Chaldæorum eruditionem, ad noſtrorum temporum modulum exigunt, profeſſorem philoſophiæ, omnibus naturæ artisque myſteriis ad miraculum excultum ex Daniele exſculpunt viri docti [o] & vetus illud de ſapientia Hebræorum præjudicium etiam in magni hujus viri hiſtoriam intrudunt. Ut vero & in hujus ſapientis hiſtoria inoffenſo pede incedamus, ea, quæ nobis ſacer codex de eo narrat, probe tenenda, & ad ejus temporis rationes exigenda ſunt. Hoc vero certiſſimo duce facem præferente, certum eſt, Danielem inter illos ſanctos viros fuiſſe, qui peculiari immediatæ revelationis beneficio magnum ſapientiæ cœleſtis habitum & futurorum quoque cognitionem acceperunt: quo nomine inter prophetas omnino referendus eſt, etſi liber ejus, hiſtoriæ magis quam vaticinii formam referens inter hagiographa a veteribus Judæis relatus ſit; qui dum ideo Danielem ex numero ſacrorum vatum excludunt, more ſuo pueriliter nugantur. [p] Porro, prudentia politica

n) *c. I, 4. 17. 18. 19.*

o) HORNIUS *Hiſt. phil. l. V. c. 20. q. 264. ſ.* qui ſcholas ab eo inſtitutas philoſophiæ docendæ cauſa aſſerit.

p) Vid. WITSIUS *de prophetis l. I. c. 19. §. 18. ſq. T. I. Miſc. SS. p. 248.* HUETIUS *Demonſtr. Ev. Prop. IV. p. m. 278 ſeqq.* H. PRIDEAUX *Hiſt. V. T. & Jud. T. I. l. III. p. 164.* & quos nominat GEIERUS *proleg. ad Com. in Daniel.* Ipſe vero Salvator prophetam nominat *Matth. XXIV, 15.* & JOSEPHUS *Antiq. Jud. l. X. c. 12.* unde patet, eo tempore de hac re non eſſe dubitatum.

litica in magno Babylonii regis regno non habuiſſe parem, & ob hanc cauſam regio conſilio præfectum fuiſſe, quod ita conſiliis inſtruxit, & per longum temporis ſpatium rexit, ut maxima inde nominis ejus inter Chaldæos atque Medos eſſet exiſtimatio, magnaque ille apud reges Darium atque Cyrum gratia efflorescceret. Addendum & hoc, Danielem prudentia & intelligentia inanes Chaldæorum magorum & aruſpicum artes ſuperaſſe: Cum enim divina virtute interpretandi ſomnia & revelandi futura polleret, quam nugatores Chaldæi & aſtrologi affectabant quidem & jactabant, neque tamen poſſidebant, mirum non eſt, reges ipſos de infinitis paraſangis ſuperante doctrinam Chaldæorum eruditione Danielis fuiſſe convictos. Nec dubium eſt, cum ad diſciplinam regni attemperaretur ingenium ejus a magiſtro palatii, legiſſe & intellexiſſe libros Chaldæorum & magorum, omnemque eruditionis Chaldaicæ literaturam tenuiſſe. Nihil enim horum eſt, quod non ſacris paginis & circumſtantiis Danielis ex aſſe conveniat. [q] Nec magnopere repugnabimus, architectonices peritum fuiſſe Danielem, eo ſcilicet gradu, quo tum temporis efflоruit; neque enim hoc ab ejus charactere & officio quod geſſit, magnopere abhorret, etſi JOSEPHO, [r] in his, quæ gentis ſuæ gloriam augent, nimis ſuſpecto, non facile fides adhibenda, qui narrat, egregium atque nobile palatium Danielem in arce Suſan (vel quod editi codices referunt, Ecbatanæ Medorum,) extruiſſe. Referendus itaque Daniel inter divinos vates, inter conſiliarios prudentia ad miraculum inſtructos, inter eruditos orientis principes: nihil hoc omne ad philoſophiam viri maximi exſculpendam facit, quæ ex his omnibus non poteſt probari, niſi fruſtra ſupponas, eruditionem illius temporis noſtro ævo fuiſſe ſimilem. Longe aliam enim ſapientiæ Chaldaicæ tum fuiſſe faciem, ſuo loco videbimus. Nec ſi eam quoque vere philoſophicam ſupponeremus, tribui ea poſſet Danieli, quoniam ad regias diſciplinas, miniſterio regis inſervituras manifeſte eius inſtitutio reſtringitur; & ob eam cauſam rex ipſe Danielem & ſocios examinaviſſe traditur: [s] cetera vero reſpiciunt ad ſupernaturalem vaticinandi & ſomniorum interpretandorum ſcientiam, qua longiſſime hariolos & aſtrologos Daniel ſuperavit. Quæ ſi probe teneamus, facile judicabimus, quam incerto fundamento & inani nitantur, qui ita de Danielis eruditione differunt, ut noſtri ævi encyclopædiam ei tribuant: id quod LIBANUS fecit, qui ſapientiam c. I. v. 4. memoratam refert ad philoſophiam naturalem, ſcientiam ad philoſophiam rationalem, grammaticam, rhetoricam, logicam; diſciplinam ad philoſophiam moralem; quem HECTOR PINTUS & CORNELIUS A LAPIDE [t] ſecuti ſunt, Ariſtotelicum diſciplinarum philoſophicarum circulum Danieli tribuentes. Provide magis ac probabiliter magnus GROTIUS, [u] cui ſapientia eſt lex Moſis, ſcientia monita de moribus re familiari

q) Conf. BUDDEUS *Hiſt. phil. Ebr. §. 15. H. E. V. T. T. II. Per. II. ſect. 5. p. 825. ſeqq.*

r) *l. c.* PRIDEAUX *l. c.*

s) *c. I, 17.*

t) *ad h. l.* conf. GEIER. *Comm: ad h. l.*

u) *ad h. l.*

miliari & civili, disciplina artes metiendi, numerandi & historiæ cognitio. Hæ enim uti regiæ disciplinæ sunt, quæ ad magnum in civili prudentia virum requiruntur, ita inter Chaldæos tum temporis efflоruerunt; etsi hoc quoque ex istis verbis probari nequeat, quæ, recte monentibus interpretibus, [w] nil nisi eruditionis omnimodam copiam indicant.

Philosophia Hebræorum exspirans.

§. XIV. Ita Hebrææ gentis sapientes ab ipsis ejus originibus ad illud usque tempus consideravimus, quo nomen cum captivitate Babylonica extinctum est. Duro enim servitutis jugo pressa Hebræa natio, cum a regibus Assyriæ per colonias varie dispergeretur, nunquam in pristinam formam coaluit. Una enim Judæ tribus, cum parte Ephraimitarum ex septuaginta annorum exilio redux, reliquos, qui Israëlitico sanguine creti ex terris peregrinis ad avitas sedes redierunt, ita junctos sibi habuit, ut uno Judæorum nomine tota postea natio, cujus pars olim hoc tantum nomine insignis erat, comprehenderetur. Et mutata quoque cum reditu populi ingenii morumque atque literarum facies: etsi enim non deerant viri sancti divinoque lumine colluстrati, qui diviniores literas, genti huic creditas propagarent, mature tamen prophetiæ lumen desiit, studiumque patriæ legis corruptum, & alia prorsus facies avitæ sapientiæ plane dissimilis introducta est. Quæ ut ab antiquissimis temporibus, quibus philosophia barbarica comprehendi solet, remotiora sunt, ita melius suo loco, ubi de philosophia Judæorum ex instituto agetur, dicentur. Est tamen vir sapiens, ad barbaros omnino referendus, qui cum plerorumque opinione sanguini Hebræo ortum debuerit, inter Hebræos philosophos plerumque referri solet.

Philosophia Jobi asserta.

§. XV. Est is Jobus, cujus historia peculiari scripto consignata & in divinis pandectis nobis conservata est. Quemadmodum vero incertissimæ sunt viri sancti origines, & subobscura tota ejus historia, [x] ita & libri ejus natales certiori historiæ luce non colluстrantur. Alii enim [y] Hebrææ gentis propaginem, & ex primis Abrahami nepotibus fuisse contendunt, alii inter Arabes locum ei faciunt; aliis ante diluvii ætatem vixisse placet, alii ad Babylonicæ captivitatis tempora rejiciunt: fuerunt etiam, qui Jobum unquam extitisse negarent, [z] totumque libellum parabolam esse, ad exponenda patientiæ inter adversitates exercendæ, & tentationum superandarum præcepta sapienter a quodam revelatione divina gaudente viro pio conscriptam assererent. Quæ ut definire & lites has componere nostrum non est, ita hoc unum certum de Jobo existimamus, incerta & obscu-

w) MALDONATUS, SANCTIUS GEIERUS *ad Dan. I, 4.* BUDDEUS *H. E. V. T. T. II. p. 866.*

x) Fatente ipso cel. FR. SPANHEMIO in *idea H. E. V. T. p. 41.* quo tamen nemo diligentior fuit & felicior in accendenda Jobi historiæ luce, edita *historia Jobi* elegantissima *Lugd. Bat. 1672.*

y) Vid. quæ affert SPANHEMIUS *Hist. Jobi c. V. seqq.*

z) MANTUANUS *de patientia l. II. c. 14. p. m. 74.* Opp. ed. Antw. cel. H. VON DER HARD pec. programmate hanc opinionem asseruit.

obſcura eſſe omnia. Et hæc quoque præcipue cauſa eſt, quæ cautos libri ſapientiſſimi lectores inducere debuiſſet, ut, ignari rerum Jobi, in exponendis iis a conjecturis abſtinerent, & ea tantum traderent, quæ literis conſignata tempus nobis non invidit. In alia vero omnia abeunt viri docti, & præcipue Jobum inter philoſophos barbaros primi nominis reponunt. Varias vero hujus aſſerti rationes afferri videas. Qui enim generali ratione virum ſanctum philoſophorum choris immiſcent, hoc potiſſimum argumento utuntur, quod is inter Arabes principem locum fuerit tuitus, magnumque nomen adeptus ſit. [a] Supponunt enim viri docti, qui ea aſſerunt, inter vetuſtiſſimos Arabas viguiſſe eximiam philoſophiæ culturam. Alii ad hiſtoriam de eo conſcriptam provocant, in qua ſpecimina non tantum philoſophiæ deprehendunt plurima, ſed & teſtimonia haud vulgaria: putant enim, ei non tantum ſapientiam philoſophicam tribui, ſed ſcholas quoque philoſophicas, quas primus aperuerit. [b] Inde encomia ei tributa, inſignis philoſophiæ doctoris, cui neque antiquior, neque doctior, neque ſublimior ex tota antiquitate opponi poteſt: [c] philoſophi profundi ac acuti, & quæ aliæ laudes ſunt, quibus mactatus fuit. Inde dictum ſcriptumque de philoſophia Jobi; inde commentariis ejus lux accenſa philoſophica. [d] Æquum itaque eſt, ut rationes quoque audiamus, quibus Jobum inter philoſophos referendum eſſe ſtatuunt viri eruditi. Hic vero dialectica primas tenet. Ejus enim ita peritum Jobum fuiſſe contendunt, ut non tantum artificiali diſputandi methodo cognatos erudiverit; ſed cum his poſtea quoque in arenam deſcendentibus feliciſſimis & doctiſſimis congreſſibus conflixerit; cumque perpetuis paralogiſmis luſerint, eos egregie convicerit. Amicos fuiſſe opponentes, ipſum autem reſpondentem. Quod diſputandi genus Jobum reperiſſe, AMBROSIO [e] jam placuit, immo, HIERONYMO [f] judice, omnes leges dialecticæ Jobus propoſitione, aſſumtione, concluſione determinat, quin & rationem ſolvendi vitioſa argumenta oſtendit. Quæ opinio tanta eſt, tamque certa apud CASSIODORUM, ut hanc potiſſimum dialecticæ artis originem magna fiducia profanis contemtoribus opponat. Ait enim: [g] *Ubi ſunt, qui dicunt artem dialecticam a ſcripturis ſanctiſſimis initium non cepiſſe? ſingula in Jobo plena ſunt ænigmatibus, propoſitionibus, & quæſtionibus ſacris.* Hos ex recentioribus plurimi ſecuti ſunt, inter quos RAPH. VOLATERRANUS [h] quatuor diſputandi genera in Jobi libro detexiſſe ſibi viſus

a) SPANHEMIUS *l.c. c. IV. §. 16. p. 124.* Illuſtris LUDEWIGIUS diſſ. *de phil. rat. inter Arabes & Turcas §. V. p. 14.*

b) HORNIUS *Hiſt. philoſ. l. V. c. 9. p. 284. ſeq.*

c) Ibid. TH. GALEUS *Phil. gen. l. 1. c. I. §. 9. p. 23.*

d) B. MAJUS *diſſ. de philoſ. Jobi diſp. Sel. T. I. n. 9.* conf. SERPILII *perſonalia Jobi P. VII. Perſ. Scr. biblic. p. 381. ſeqq.*

e) *de officiis l. I. c. 12.*

f) *ad Paulin.*

g) *Divin. Lect. c. VI p m. 452.*

h) *Anthropolog. l. X. p. 370.*

viſus eſt dialecticum, quod ex probabilibus procedit, ſophiſticum ex apparentibus; tentativum, multis quæſtionibus & interrogationibus conſtans, & demonſtrativum, quod veritatem, quæſtionem definiendo, demonſtrat. Alios, [i] ne nimii ſimus, tacemus. Nec dialecticum ſolum, verum etiam phyſicum conſummatum fuiſſe, libri Jobi, ſi viros eruditiſſimos audis, teſtatur argumentum. Quod magni VERULAMII verbis [k] potiſſimum enarrare placet, quia is non tantum omnia concinne breviterque complexus eſt, ſed & magna merito viri de philoſophia naturali immortaliter meriti eſt auctoritas. Ita vero: *Si quis eximium illum Jobi librum diligenter evolverit, plenum eum & tanquam gravidum naturalis philoſophiæ myſteriis deprehendet. Exempli gratia, circa coſmographiam & rotunditatem terræ, illo loco: qui extendit aquilonem ſupervacuum, & appendit terram ſuper nihilum. Ubi penſilis terra, polus arcticus, & cœli convexitas in extimis, haud obſcure inſinuantur. Rurſus circa aſtronomiam & aſteriſmos, illis verbis: Spiritus ejus ornavit cœlos, & obſtetricante manu ejus eductus eſt coluber tortuoſus. Et alio loco: nunquid conjungere valebis micantes ſtellas plejadas, aut gyrum arcturi poteris diſſipare? ubi immota configuratio ſtellarum fixarum paribus intervallis ſemper inter ſe diſtantium, elegantiſſime deſcribitur. Idem alio loco, qui facit arcturum, & oriona, & hyadas, & interiora auſtri. Ubi iterum innuit depreſſionem antarctici poli, eamque deſignat nomine interiorum auſtri, quia auſtrales ſtellæ noſtro hemiſphærio non cernuntur. Circa generationem animalium: Annon ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum coagulaſti me. Circa rem metallicam, habet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt, in quo conflatur: ferrum de terra tollitur, & lapis ſolutus calore in æs vertitur.* Hactenus Verulamius. Poteramus hæc inſigniter augere, & loca plurima libri Jobiani indicare, in quibus luculenta phyſicarum rerum cognitionis veſtigia ſibi deprehendiſſe videntur naturæ ſcrutatores diligentes: ſed inſtituti ratio obſtat; dabit tamen qui hæc accuratius noſſe, & elegantiſſima rerum naturalium eruditione illuſtrata legere cupit, diligentiſſimus naturæ interpres JO. JACOBUS SCHEUCHZERUS multa egregia. Ille enim peculiari libro vernacula edito, *Jobi phyſicam ſacram* [l] ita enarravit, & quæ ad hanc philoſophiæ partem in iſto libro reſpicere ſibi videbantur, adductis recentiſſimis ἐυρήμασιν copioſe atque docte expoſuit, ut probaret Jobi librum recte nuncupari ſcholam phyſicam, immo theologiæ naturalis compendium. Quæ poſtea omnia fere ſplendidiſſimo *phyſicæ ſacræ* operi [m] inſeruit, & elegantiſſimis ſchematibus æri inciſis illuſtravit. Phyſicæ ſcientiæ quoque aliqui chiromantiam adjiciunt, ejusque patronum Jobum fuiſſe contendunt. [n] Tandem ſcepticæ phi-

i) Vid. HORNIUS *l. c. p. 284.* STANLEJVS *Hiſt. phil. orient. l. III. c. 2. p. 1171.* ed Olearii.

k) *de augm. ſcient. l. I. p. m. 59. T. I. opp.*

l) *Hiobs Natur-Lehre Tigur. 1721.*

m) *T. II. p. 656. ſeqq.*

n) Vid. HORNIUS *l. c. p. 285.*

philoſophandi rationis quoque Jobum eſſe aſſeclam omnium antiquiſſimum nonnullis viſum eſt, [o] quippe qui vexatiſſimum problema: an & quare Deus viris bonis aliquid mali evenire patiatur, diſputatione publica diſcuſſerit: nec poſſe dici aliquid magis ſcepticum, quam cum ait: [p] *Sapientiam & ſcientiam non reperiri in terra viventium, eamque occultam eſſe ab oculis viventium &c.*

Jobi philoſophia negata.

§. XVI. Etſi vero omnia hæc ſatis ſpecioſe dicuntur, & ornantur quoque haud proletaria eruditionis ſpecie, aſſenſum quoque ſcriptorum nobiliſſimorum nacta ſunt: attamen, ſi ad regulas illas criticas, quibus providum cautumque hiſtoriæ philoſophicæ cultorem ſupra munivimus, attendatur, comparata ſunt, ut aſſenſum iis dare, Jobumque philoſophorum vetuſtiſſimorum numero addere, immo principem facere, a nobis impetrare non queamus. Quæ ut veritatis hiſtoricæ ſtudioſo, & antiquitatis præjudicium ejuranti probemus, præmonendum eſt: incertum eſſe, an Jobus ipſe hunc librum conſcripſerit, nec ne? nolumus quidem hic referre argumenta, quibus viri acuti [q] demonſtrare ſatagunt, ſerius multo, quam ipſe Jobus vixit, librum hunc exaratum eſſe, & conſcriptum ab aliquo, qui commentarios aliquos a Jobi amicis editos ad manus habuit: quem tamen virum θεόπνευστον fuiſſe nemo dubitat, qui ſacrum canonem admittit; ſive is Moſes, ſive Salomo ſive alius fuit, quorum prius HUETIUS, [r] poſterius HARDUINUS [s] defendit, incertum & improbabile utrumque eſt: illud tamen notari & expendi meretur, eſſe locutiones aliquas & circumſtantias quoque, quæ recentius tempus ſapiunt, quam quod viri docti Jobo conſtituunt: inter quas nomina quoque iſta, quæ ſtellarum configurationibus imponuntur, non inepte retuleris. Hæc ſi jungantur incertitudini & obſcuritati, quæ in tota hiſtoria Jobi explicanda ſe exhibet, mirandum eſt, viros nec obeſæ naris, nec antiquiſſimorum temporum ignaros tam confidenter potuiſſe de philoſophia Jobi definire, & recentiorum temporum inventa, viro divino ſine hæſitantia adſcribere, leviſſimis quibusdam probabilitatis veſtigiis ductos, & illis locis perſuaſos, in quibus libri ſcriptor, veteri hiſtoria, quam quidem negari non poſſe putamus, ad conſignandum divino ductu librum optimum, uſus, ſe ad temporis ſui eruditionem attemperavit. Et hinc potiſſimam rationem deſumendam eſſe cenſemus, cur ad aſtronomica quædam atque phyſica auctor digitum intendat, quæ iſta ætate, qua Jobus vixiſſe his viris doctis, ex quorum ὑποθέσει jam diſputamus, videtur, iſta quidem ratione modoque incognita fuere. [t] Deinde quam obſcurus difficilisque liber ſit, quasque tenebras Arabicæ linguæ veſtigia, & dictio poëtica in hoc libro paſſim obvia interpretibus objiciant, ſacrarum

o) Ven. J. FR. REIMMANNUS *Obſ. Hal. Lat. T. VIII. obſ. XIII. §. 3. p. 332.*

p) *c. XXVIII, 12. 13.*

q) WITSIUS *Miſcell. S. l. I. c. 16. §. 28. p. 176.* SPANHEMIUS *l. c. c. 16.* BUDDEUS *Hiſt. phil. Ebr. §. 10.*

r) *Demonſtr. Evang. Prop. IV. p. m. 226.*

s) In *Chronolog. V. T. p. 533.* conf. SERPILIUS *l. c. c. 1. & c. 7.*

t) Conf. *Acta philoſ. vol. II. p. 54.*

linguarum peritis abunde notum eſt; unde, quando viri docti recentioris philoſophiæ placita in eo invenire contendunt, prius attendendum illis eſt, ea, quæ ibi ſe videre credunt, revera ita indicata eſſe, ut dubium nullum ſit, non aliud intendiſſe & ſignificaviſſe ſcriptorem ſacrum. [u] Immo & hoc præmonendum, ſcopum viri θεοπνεύστου, quisquis etiam librum conſcripſit, minime fuiſſe, ut philoſophiæ vel rationalis vel naturalis myſteria panderet, ſed ut nobiliſſimo argumento, difficillimum problema, cur & quomodo bonis viris mala accidant, illuſtraret, & vias divinæ ſapientiæ in tentandis, purgandis & erigendis piorum animis exponeret. [x] Cui fini conſequendo cum argumenta a natura petita adhibenda eſſent, quid quæſo opus erat ſcriptori ſacro ad arcana iſta naturæ obſcuriſſima reſpicere, vel philoſophiæ quoque rationalis ſpecimina dialogiſtica methodo tradere? His præmiſſis ad ea quæ pro philoſophia Jobi afferenda viri eruditi afferunt, facile reſponderi poteſt. Quod enim a loco, ubi habitavit Jobus, deſumitur argumentum, ficulneum prorſus eſt. Nam non incertiſſimum tantum eſt, an Uz illa, qua habitavit Jobus, Arabiæ regio ſit? ſed & ipſorum Arabum teſtimonio [y] conſtat, gentem hanc ante Islamiſmum, Muhamedisque tempora ſeverioribus diſciplinis caruiſſe, ut ſuo loco ex inſtituto demonſtrabitur: committuntque circulum qui Arabicæ philoſophiæ antiquitatem Jobi exemplo incruſtant, & ex illa tamen Jobi philoſophiam probant. Quando vero Eliphaſi Themanitæ ad Jobum allocutio: erudiviſti multos, [z] ita explicatur, ut philoſophicas ſcholas Jobus habuiſſe dicatur, meram id ſapit δουλείαν τῆς ὑποθέσεως; fruſtra enim id, de quo quæritur, ſupponitur, edoctum fuiſſe philoſophiam Jobum, immo ipſo textu refragante, qui longe aliam erudiendi methodum fuiſſe ſanctiſſimo viro afferit; additur enim: *confirmaſti manus remiſſas, labentem erexerunt tui ſermones, & genua procumbentia roboraviſti:* quibus verbis ſollicita viri divini diligentia in conſolandis erigendisque tentatis & afflictis exponitur. Nec certiora ſunt aut firmiora, quæ pro dialectica Jobi afferuntur; quæ enim, quæſo conſequentiæ vis & demonſtratio: dialogi afferuntur in libro Jobi, argumentantur collocutores, objiciunt, reſpondent, refutant, demonſtrant, ergo artis dialecticæ non tantum regulas didicerunt, ſed ejus antiquiſſimi quoque doctores fuerunt. Quæ concludendi ratio ſi admittenda eſt, omnes omnino ſcriptores inter philoſophos rationales numerandi ſunt, qui unquam de rebus quas tractandas ſuſceperunt, in ſcriptis ſuis ratiocinati ſunt: immo eo usque augendus logicorum philoſophorum numerus, ut quicunque rationis naturalibus principiis & ingenii ἐφυίας ſubſidiis

u) Hæc laudatiſſimi SCHEUCHZERI *phyſicam ſacram* percurrenti multis exemplis plana fient, ille enim varias nominum interpretationes afferre non neglexit.

x) Unde & generale contra philoſophiam Jobi argumentum necti poteſt, habuiſſe Jobum quæ ſcivit ex divina revelatione, & ita numero philoſophorum eſſe eximendum.

y) ABULPHARAJUS *Hiſt. Dyn. IX. p. 101.*

z) *Cap. IV, 3.*

ſidiis inſtructus bene & conſequenti modo ratiocinari poteſt, dialecticus dicendus ſit, etſi regulas logicas nunquam didicerit. Scilicet confundunt viri docti rationis uſum & exercitium naturale cum artificiali philoſophiæ rationalis cultura, & ab iſta ad hanc perperam concludunt. Id quod veteribus eccleſiæ doctoribus facile condonari poteſt, quos inadæquatos immo falſos de philoſophia conceptus habuiſſe, & propter cauſam ſuam, quam tuebantur, omnes philoſophiæ origines ad viros ſanctos eccleſiæ patriarchalis rapuiſſe, ſuo loco demonſtrabitur: in recentioribus vero, ab hoc præjudicio liberis ferri vix poteſt. Et eadem quoque de naturali ſcientia Jobi dici poſſunt. Non negamus vulgarem aliquam aſtronomiæ, immo etiam rerum naturæ cognitionem, in iſto libro deprehendi: verum plus vident viri doctiſſimi, quam alii iſto præjudicio, eſſe librum Jobi perfectiſſimam phyſicam ſacram, non occupati videre poſſunt. Nam quæ ipſis auctoris verbis indicantur, ita comparata ſunt, ut ab iis, qui leviter ad res cœli & terræ attendunt, ſine ſpeculatione phyſica vel aſtronomica, facile cognoſci queant; qualia illa eſſe, quæ Verulamius affert, nemo non videt. Nec melius hujus rei atque apertius ſignum, quam diſſenſus interpretum in explicandis iis locis, quibus recentiſſima phyſices inventa comprehendi ſomniant. Id quod ipſe doctiſſimus SCHEUCHZERUS candide fatetur; [a] *non eſſe mirum, hic ut alibi diſſentire in interpretanda phyſicâ Jobi ſacra commentatores, eſſe enim ſtilum pientiſſimi viri laconicum ſimul & meteoricum:* cujus ipſe hoc loco luculentum exemplum exhibet. Unde miramur, virum acutum eo tamen prolapſum, ut quæcunque recentiorum placita verbis Jobi accommodari quocunque modo poſſe cerneret, [b] ibi magnum philoſophum inveniret: Quam incertam interpretandi rationem haud ſemel ipſe prodidit, quando ſuam interpretationem ita orditur: *intelligi per hoc poteſt; videtur Jobus oſtenſurus; hæc ex communi interpretatione ſignificant*, & quæ his ſunt ſimilia; & tamen in egregio hoc phyſicæ Jobi ſacræ commentario ita Jobum diſſerentem de natura introduci videas, ac ſi in Galilæi, Carteſii, Newtoni, & maximorum aliorum noſtræ ætatis naturæ interpretum ſcholis edoctus fuiſſet. Quæ interpretandi ratio, etſi ad meditandam DEI magnificentiam illuſtratis naturæ operibus ex detectis ejus recentiſſima ætate myſteriis, plurimum valet, ad mentem tamen ſcriptoris aſſequendam parum efficit, & manifeſto laborat vitio illatæ textui ſacro lucis, & adſcriptæ ſententiæ, quam interpres habuit. Cujus qui luculentum exemplum cupit, & quam incerta ſit ratio, noſtræ ætatis lumina textui Jobiano inferendi, legat modo, lector præjudicio non præpeditus, quæ pro generationis humanæ modo *c. X, 8 - 12.* deſcripto exponendo ex recentiſſimorum anatomicorum obſervationibus, doctiſſime quidem & eleganter, ſed, ſi quid judicamus, præter rem afferuntur. [c] Quæ vero de chiromantia Jobi cognita

a) *Phyſicæ S. T. II. p. 673.*

b) Fatetur ipſe *l. c. p. 811. ſubſiſtendum eſſe vel in traditionibus vel eruditis eruditorum interpretum conjecturis.*

c) SCHEUCHZERUS *Phyſicæ S. T. II. p. 680. ſeq.*

gnita dicuntur, uti male intellectis verbis ſacri ſcriptoris nituntur, ita leviſſima ſunt, & leviſſimæ artis, philoſophiæ nomine indignæ amatoribus relinquenda. Nec quæ pro ſcepticiſmo Jobi afferuntur, valida ſunt, immo ex ipſa forte clariſſimi auctoris mente, non de tali ſcepticiſmo, qui in philoſophia conſiderari ſolet, intelligenda. Loquitur enim ſcriptor θεόπνευστος de ſapientiæ origine a ſolo Deo oriunda & in ſolo Deo habitante, adeoque de ſcientia divina, quam Jobus demonſtrat in terris non poſſe detegi ſatis atque perveſtigari: Unde capitis vigeſimi octavi initio, ſapientiæ humanæ in detegendis terrenis induſtriam exponit, ei vero verſiculo duodecimo arcanam Dei in regenda & conſervanda eccleſia ſua & probanda ea ſub afflictione ſapientiam ad retundendam oblocutionem amicorum ſuorum opponit. [d] Quæ omnia ad ſcepticiſmum Jobi demonſtrandum nihil faciunt. His prolixius immorari neceſſe fuit, quoniam non ſpecioſum magis argumentum habent philoſophiæ patriarchalis architecti, quam quod a Jobi philoſophia deſumunt, quam vero fundamento deſtitutam eſſe ſatis luculenter, niſi fallimur, demonſtratum eſt.

d) Conf. J. G. PASCH *de variis modis trad. moralia p. 704.*

* *

CAPUT SECUNDUM.

DE PHILOSOPHIA CHALDÆORUM.

§. I.

Philoſophia Chaldæorum antiquiſſima.

Poſt Hebræos, quorum philoſophiam, ſive ſapientiam potius, attento hactenus perluſtravimus oculo, inter orientis nationes, Chaldæorum gens omnium occurrit antiquiſſima, apud quam eruditionis illud genus floruit, quod philoſophiæ nomen, ſi ſignificatio nimis non premitur, ſibi arrogavit. Etſi enim Ægyptii cum Chaldæis de antiquitate certabant, [a] & Chaldæam coloniam eſſe Ægyptiacam contendebant, hincque ſe parentes quoque & magiſtros eſſe omnis eruditionis, cujus fama Chaldæi emicabant, jactabant, veterum tamen teſtimoniis [b] & originibus, quoque antiquiſſimarum gentium conſentientibus, regnum Babylonicum, cujus pars Chaldæa fuit, ante Ægypti monarchiam effloruit, & eruditionis aliquid a Chaldæis ad Ægyptios tranſiit, certe utraque gens in ea excolenda, propriis magiſtris uſa

a) Stolida Ægyptiorum commenta & contentiones recitat POMPONIUS MELA *de ſitu orbis l. I. c. 9. p. m. 21.* ed. Gronov. PLINIUS *Hiſt. nat. l. V. c. 9.* Ex recentioribus HEURNIUS *de philoſ. barb. l. II. c. 13. p. 196.* URSINUS *de Zoroaſtre, Mercurio, & Sanchuniatone Ex. II. ſect. 2. p. 80. ſeqq.*

b) Contrarium evincere conatus eſt cel. CAMP. VITRINGA *ad Jeſ. XLVII, 12. T. II. p. 623.* ſed rationes meram ὑπόθεσιν ſapiunt, Babylonios fuiſſe coloniam Ægyptiorum, certe Cuſchitas ſive Arabas Ægypto vicinos, unde ſua hauſerint. conf. PERIZON. *orig. Bab. c. V. p. 5. 6.*

uſa eſt, ut ita Chaldæi Ægyptiis nihil debeant. [c] Antiquiſſimam itaque ſapientiæ culturam apud Chaldæos fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Fabuloſa quidem ſunt, & non admittenda quæ Chaldaicæ ſapientiæ doctores de antiquitate ſua jactarunt. Cum enim Alexander M. victo Dario, Babylone eſſet potitus, rogavit Ariſtoteles, [d] expeditione Aſiatica ad promovenda philoſophiæ ſtudia uſurus, Calliſthenem, qui Alexandrum ſequebatur, ut de antiquitate Chaldaicæ ſapientiæ certiora ipſum edoceret. Tum vero Chaldæi contendebant, ab initiis obſervatorum ſiderum ad captam Babylona fluxiſſe annos 470000. [e] Calliſthenes vero Alexandri favore uſus, ad Ariſtotelem obſervationes miſit Babylone repertas, per nongentorum atque trium annorum ſupra mille decurſum factas. Quæ ſi ab anno Julianæ periodi 4383. quo capta ab Alexandro urbs Babylon eſt, retrogrediendo numerantur, in annum incidunt periodi Julianæ 2480. Neque tamen huic tempori, quod ad diluvii fere ætatem aſſurgit, [f] fides ſua conſtat. Obſervatum enim viris doctis eſt, [ff] nihil eſſe in Chaldaica aſtronomia antiquius æra Nabuchodonoſoris, quæ incipit demum anno 3967. periodi Julianæ, & ab hac æra Chaldæos ſuas obſervationes computaviſſe, qua ſi antiquiores ullas habuiſſent, vix fieri potuiſſe, ut earum non meminiſſet Ptolomæus, [g] a quo prima memorata obſervatio incidit in annum primum Merdochai Babyloniæ regis, qui eſt æræ Nabonaſſareæ vigeſimus ſeptimus. Quam invictam difficultatem non tollunt, quæ ex Sothica periodo forte a Chaldæis adhibita afferuntur: nam nec ita tempus coincidit. [h] Unde vel obſervationum antiquitatem a Chaldæis prætenſam falſam vel Porphyrii, illa referentis fidem ſubleſtam eſſe oportet. [i] Nec tacendum, Epigenem [k] apud Babylonios annorum tantum 720. obſervationes ſiderum coctilibus laterculis fuiſſe inſcriptas, docuiſſe, qui minimum vero, Beroſum & Critodemum, 480. annorum. Quare merito Chaldæi ridendi ſunt, qui tot annorum myriadas obſervationibus ſuis tribuunt. Rectеque jam olim LACTANTIUS dixit, [l] *eos, aſſerentes quadraginta ſeptu-*

c) Id quod Ægyptiorum & Chaldæorum hiſtoriam percurrenti luculenter patebit: conferendus vero DIODORUS SICULUS *l. II.*

d) Refert hæc PORPHYRIUS apud SIMPLICIUM *Comm. in l. II. Ariſt. de cœlo p. 123.* ed. Par. 1544.

e) CICERO *de divinatione l. I.* LACTANTIUS *Inſt. div. l. VII. c. 14.*

f) Diluvio in annum P. J. 2365 poſito.

ff) MERSENNO *Qq. in Gen. V, 1. p. 444.* MARSHAM. *Canon. chron. l. IV. ſec. XVII. p. 504.* STANLEJUS *Hiſt. phil. or. P. I. c. I. p. 111. Hiſt. phil.*

g) *l. IV. c. 6. 7.*

h) Conf. CLERICUS *Indic. philolog.* in *Hiſt. phil. orient.* Stanleji voce *Sothicus.*

i) Poſterius placet DODWELLO *Append. ad Cyprian. diſſert. §. 23.* & VITRINGÆ *ad Jeſaiæ XLVII, 12. T. II. p. 624.*

k) Apud PLINIUM *l. VII. c. 56.* conf. cel. LAMIUS *de SS. Trinit. l. I. c. 2. p. 5.* Etſi vero magnopere contendere nolimus locum PLINII eſſe corruptum in numeris, quod aſſerit cl. JAC. PERIZONIUS *Orig. Babylon. c. I. p. 9.* cum & DIODORUS majorem numerum indicet; patet tamen, male cohærere Chaldæorum traditiones de antiquitate ſua, & quod ipſe jam vidit Diodorus, minime eſſe credibile. conf. JO. FRID. SCHROEERI *Imper. Babylon. & Nini Sect. I. §. 3. p. 16. ſeqq.*

l) *Inſt. div. l. VII. c. 13.*

ſeptuaginta millia annorum monimentis comprehenſa ſe habere, delirare; & quia in eo ſe non poſſe argui putaverint, liberum ſibi credidiſſe, mentiri. His itaque nugis etſi fidem dare non licet, [m] antiquitas tamen eruditionis Chaldaicæ negari nequit. Danielis enim tempore adulta jam ætate fuiſſe, ex hiſtoria viri in Chaldaica eruditione optime inſtituti diſcitur: & ARISTOTELE antiquorum monumentorum fide edocto teſte, [n] Ægyptiis antiquiores ſunt magi. Illi vero cum Moſis tempore admodum eruditionem ſuam excoluerint, Chaldæorum eruditio ſupra Moſis ætatem evehenda eſt. Et certiora etiam de antiquitate philoſophiæ Chaldaicæ, qua voce univerſa gentis eruditio comprehendenda eſt, niſi omnem de eorum philoſophia tractationem ex hiſtoria philoſophica ejicere volumus, ſtatui forte poſſent, ſi, quæ de Belo, & Zoroaſtre traduntur, dubiis non eſſent ſubjecta plurimis, ut poſt hæc videbimus: unde ſufficit obſervaſſe, non eſſe gentem in hac noſtra hiſtoria Chaldæis antiquiorem, etſi certas ei origines aſſignare nequeamus. Chaldaicæ vero philoſophiæ hiſtoriam dum pandimus, ſpecialiori ſignificatione vocem, Chaldæa, ſumimus, qua regio eſt Babylonici regni. Referente enim STRABONE, [o] *ſeparatim attributa eſt in Babylonia habitatio philoſophis indigenis, qui Chaldæi vocantur: Eſt autem & quædam tribus Chaldæorum, & regio Babyloniæ, ab illis culta vicina & Arabibus & mari, quod Perſicum appellatur.* Et hæc ratio eſt, cur philoſophia Chaldaica a Perſica & Arabica diſtinguenda ſit.

Difficultates in hiſtoria phil. Chaldaicæ.

§. II. Quemadmodum vero, quo antiquior eſt hiſtoria, eo obſcurior atque incertior eſſe ſolet; ita etiam cum hiſtoria philoſophiæ Chaldæorum comparatum eſt. Gens enim antiquiſſima adeo remota eſt a temporibus iſtis, quibus res humani generis in acta relata ſunt, ut vel ſola vetuſtas, monumentis, unde hauriri debet notitia de philoſophia Chaldæorum, longæ major, cauſam incertitudinis excitare queat apud providum & cum cautione in ea re verſantem animum. Nec quæ porro nobis ſuperſunt monumenta, ex ipſius gentis actis hauſta ſunt, vel ab ipſis Chaldæis profecta, ſed alienis nationibus maxime Græcis, debentur, quorum ingenium ad orientalem iſtam eruditionem non ſatis aptum fuit, & animus peſſima conſuetudine exterorum placita cum ſuis comparandi præoccupatus, & fides in referendis exterorum rebus ſæpiſſime vacillans. Etſi enim iſta natio a Beroſo res Chaldaicas edocta dicitur, quod in ſequentibus monebitur, nec ejus tamen ſcripta ſuperſunt, nec fragmenta talia, ut ex iis veritati pro-

m) Ridendus itaque ISAACUS PEYRERIUS, qui in *Syſtem. Præadamitico* inſulſo hoc commento, ad ineruſtandam Præadamitarum fabulam uſus eſt, *l. III. c. X. p. 173.* inſulſior in eo, quod Abrahamum perfectum aſtrologum fuiſſe putat. Nec audiendus HEURNIUS, qui *Orig. phil. barb. l. I. p. 22.* putat, annos lunares intelligendos, qui retrograda computatione numerati in ipſum initii mundi punctiſtitium incident.

n) apud LAERT. *l. I. ſ. 8.*

o) *Lib. XV. p. 508.* conf. CLERICUS *l. c. v. Chaldæa.*

propiora de disciplina Chaldaica disci queant. Accedit arcana docendi ratio, qua usi eruditi Chaldæorum, intra familias suas placitorum suorum mysteria servabant, nec ad populum aliter, nisi symbolica methodo usi, ex more totius fere orientis loquebantur. Unde quæ ad nos dimanarunt, non tam certa docentium fide & traditione, quam meris iisque sæpe levissimis multisque præjudiciis fultis conjecturis nituntur. Inde tot contradictiones, tamque incerta de rebus & doctrina Chaldæorum traditio, tanta obscuritas, ut in his tenebris palpandum magis, quam recte incedendum sit. Accessit vero alia eaque pernicioſior pestis. Efflorescente enim circa tempora nati Salvatoris certo quodam philosophorum orientalium genere, mira ingenii prurientis & lascivientis, ut sunt Asiæ incolæ, somnia protrudente, accidit, ut leviſſimi simul atque audaciſſimi homines, quo auctoritatem sibi suisque placitis circa res divinas maxime versantibus, conciliarent, ea pro vetustissimæ sapientiæ reliquiis venderent, & Chaldæorum atque Persarum philosophiam esse magna fiducia mentirentur. Cui rei a Zoroastris, quem auctorem orientalis philosophiæ apud Chaldæos & Persas excultæ, vel, si mavis, theologiæ ferri in sequentibus audiemus, fama auctoritatem conciliaturi, libros excogitabant, sub hujus aliorumque etiam philosophorum Chaldaicorum nomine in vulgus sparsos, & pro genuinis fœtibus extrusos, quibus nugas suas incautis propinabant pro Zoroastris, Chaldaicis, Persicis antiquissimis doctrinis. [p] Id e re sua esse ratum aliud philosophorum genus, quod Ægyptum patriam habuit, & Pythagoræ atque Platonis placita stultissimo consilio cum omnis generis dogmatibus conciliare studuit, dum antiquitatis canitiem, venerationem suis philosophumenis conciliaturam sectatur, istos quidem philosophos orientales spurios oppugnavit & rejecit, [q] illis tamen non melius suam philosophiam Chaldæis atque Persis suppositit; paremque in fingendo & supponendo audaciam exercuit. [r] Inde factum est, ut, cum illorum deliria, qui philosophiam orientalem jactabant, inter placita hæreticorum caput efferrent; horumque nugæ qui syncretisticam istam philosophiam excolebant, successione doctrinali in cathedris Alexandrinorum & Athenienſium propagarentur, maloque eventu etiam in ecclesiam introducerentur, plena ubique Chaldaicorum & orientalium placitorum essent omnia, licet pauciſſima genuina fuerint, & ab ipsis antiquorum Chaldæorum doctoribus profecta. Id quod mire turbat historiam philosophiæ Chaldaicæ, &, si fatendum, quod res est, eam ad liquidam certamque notitiam perducere non permittit. Nec recentiorum quoque diligentia plus lucis huic historiæ philosophicæ parti illatum est. Vel enim ad difficultates non attendunt, & veteribus sine examine critico fidem adhibent, vel suppositis libris & testimoniis

p) Id suo loco prolixius probabitur, conferatur interim PORPHYR. in *vita Plotini c. 16. p. 118.* ed. Fabricii.

q) vid. PLOTINUS *contra Gnosticos.*

r) Et hoc quoque latissime probabitur, ubi horum hominum historiam, quæ maximam partem historiæ philosophiæ gentilis sub Monarchia Romana occupat, explicabimus.

moniis eorum, qui ex hæreticis, patribus & eclecticis philoſophis Chaldaica & Zoroaſtrea crepuerunt, decepti nugas recentiores pro vetuſtiſſimis doctrinis recipiunt: vel Arabum tandem recentiorum fide uſi, qui domeſticos theſauros ex cana antiquitate ſibi ſuperſtites eſſe gloriati ſunt, ea proferunt, [s] quæ fallaciſſimæ & nugaciſſimæ nationis impoſturam perſpicienti fidem extorquere nequeunt. Facile itaque, quid de OTTONE HEURNIO, [t] CHRISTIANO KORTHOLTO [u] aliisque viris doctis, qui in hoc ſtadio cucurrerunt, expectandum ſit, judicari ex dictis poteſt. Nos itaque certam providamque hiſtoriam rationis philoſophandi ſecuturi, certiora non promittemus, nec admittemus quoque, quam quæ teſtium fides permittit: nec conjecturas pro demonſtrationibus, qui malus quorundam mos eſt, venditabimus.

Chaldæorum philoſophia quæ fuerit?

§. III. Fidem vero ſacrorum oraculorum, quæ de Chaldæorum rebus nobis certiſſima narrant, tum veterum quoque ſcriptorum ſecuti, de Chaldæis ſequentia diſcimus:

Religio vel potius ſuperſtitio.

I. Philoſophos Chaldæos fuiſſe gentis quoque Babyloniæ ſacerdotes, qui populum de rebus divinis docebant, legesque ceremoniarum, fas ſacrorum, jus religionum interpretabantur, [w] idemque fere præſtabant, quod Magi apud Perſas, unde Chaldæi & Magi plerumque conjunguntur, [x] & a multis quoque confunduntur. In quo imprimis peccarunt Græci hiſtorici, qui ad antiquiſſimorum Babyloniorum tempora non ſatis attendentes, ſtatum theologiæ & philoſophiæ gentis hujus ſecundum ea potiſſimum tempora nobis enarrarunt, quibus ſub Perſarum imperium natio conceſſit. [y] Tum enim Chaldæis Magi additi, utrique tamen hominum generi ſua peculiaria munera credita ſunt. Sed de Magis ſuo loco dicendum eſt: nos hic Chaldæos ſectantes in variis potiſſimum cultus divini religionibus, voluntateque Deorum explicanda, eos ſedulos fuiſſe colligimus, adeoque non tam ad philoſophorum choros, quam ſacerdotum catervam referendos eſſe judicamus. Inde magna eorum fama atque exiſtimatio, adeo ut ſapien-

s) Hanc potiſſimum viam ingrediendam ſibi rati ſunt, viri celeberrimi & in Arabum ſcriptis verſatiſſimi, EDUARDUS POCOCKIUS & THOMAS HYDE, quos alii ex noſtratibus ſecuti ſunt.

t) Cujus libellus rarus titulo: *Antiquitatum philoſophiæ barbaricæ* prodiit *Lugd. Bat. 1600. 12.* multaque erudite cumulat, ſed ſine judicio, ſine ordine, ſine perſpicuitate.

u) Cujus tr. *de origine, progreſſu & antiquitate philoſophiæ barbaricæ* lucem vidit Jenæ 1660. 4. Heurnianis lucubrationibus non melior. conf. GUNDLING *Hiſt. phil. mor. c. I. §. 8. p. 15. Act. phil. vol. II. p. 175.*

w) Diſerte hoc teſtatur DIODORUS SICULUS *l. II. p. 81.* ἱερέας Βαβυλώνιοι καλεῖσι Χαλδαίους. additque, eum locum in Republica ſua obtinuiſſe, quem in Ægypto ſacerdotes.

x) SOTION apud LAERT. *l. V. ſ. 6.* APULEJUS in *Apolog. p. m. 204.* ed. Scriver. PLATO in *Alcibiad. I.*

y) Eleganter hoc obſervaverunt, eruditiſſimi viri ADAM TRIBBECHOVIUS *de philoſoph. morali inter barbaros c. IV. p. 33.* & ISAAC DE BEAUSOBRE *Hiſt. de manicheiſme l. I. ch. 4. T. I. p. 317.* Chaldæi enim imagines divinas colebant, Magi nullas habebant. Conſtituta tamen ſub Perſarum imperio Monarchia, juncti Chaldæi magis, unde veteres Chaldæi a junioribus diſtinguendi ſunt.

pientiſſimi circa religionem cultumque Deorum inter omnes gentes haberentur. Id quod probat oraculum vetus a JUSTINO [z] & EUSEBIO [a] relatum, his verbis:

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον ἠδ' ἀρ ἑβραῖοι
Αυτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἀγνῶς.
Soli Chaldæi ſapientiam ſortiti ſunt, & Hebræi,
Pure colentes Deum regem per ſe genitum.

Quod ſi vero ipſa Chaldæorum religio conſideretur, vaniſſimis ſuperſtitionibus corrupta, & abominanda idololatria plena apparebit. Id nos ſacræ literæ docent, [b] qui Abrahamum ideo ex Chaldæa evocatum referunt, quem ante hanc vocationem ſuperſtitionibus patriis corruptum, & divina demum vocatione his ſordibus ereptum nonnulli [c] contendunt. Illud certum eſt, Chaldæorum religionem, Arabum ſuperſtitionibus maxime affinem fuiſſe [d] ſive Arabum colonia fuerint, quod quibusdam placet, [e] ſive inde ſua petierunt, hosque opinionum de rebus divinis auctores habuerint: Arabum vero vetuſtiſſimorum, de divinis ſententias ſuperſtitione & idololatria omnes fere nationes ſuperaſſe, ſuo loco probabitur. Ex his vero facile colligi poteſt, quæ eruditionis, vel ſi mavis, ſapientiæ ratio apud hos homines fuerit. Antiquiſſima enim gentium vetuſtiſſimarum hiſtoria edocemur, ſacerdotes, pontifices, cultusque divini miniſtros, apud Aſſyrios, Perſas, Ægyptios, Arabes, Æthiopas, immo apud Gallos quoque, Britannos, Germanos atque Scythas, nec non apud Hetruſcos fuiſſe homines callidiſſimos, qui religione ad nutum imperantis utebantur, ad ducendam plebem, quo ille vellet; eos itaque publicæ deceptionis & impoſturarum ſacrarum auctores merito nominaveris. [f] Nec putamus hæc adeo ignorata eſſe lectori, ut operoſe ex omnium gentium hiſtoria res notiſſima probari opus habeat. Nos inſtituti memores de Chaldæis hæc recte dici, inde probamus, quod DIODORO SICULO referente, [g] divinatione futura prædicere, ac auguriis ſacris, & incantationibus mala avertere ab hominibus & bona afferre, auguria inſuper ſomniaque & prodigia interpretari conſueverint. Cujus exempla paſſim in hiſtoria ſacra & profana occurrunt. Refert enim hiſtoria DANIELIS, [h]

z) In *Par. ad gent. p. m. 12.* ed. Pariſ.
a) *Demonſtr. Evang. l. III.*
b) *Joſ. XXIV, 2.*
c) Ex veteribus PHILO & MAIMONIDES, ex recentioribus multi. vid. CHEMNIT. *Exam. Conc. Trid. P. I. p. 134.* aliter tamen JOSEPHUS *antiq. l. I. c. 7.* & Judæorum plerique quorum, ut & Græcorum hac de re. fabulas collegit FABRICIUS *Cod. Pſeudepigr. V. T. T. I. p. 336. ſeqq.* & quos nominat.
d) Conferendus SPENCERUS *de LL. Hebr. ritual. l. II. c. I. p. 280. ſeqq.* OWENUS *Theologum. l. III. c. 4. §. 8. p. 184.* DE BEAUSOBRE *l. c.*
e) Conf. PERIZONIUS *in Orig. Babyl. c. IV.* VITRINGA *ad Jeſ. XIII. XXIII.* JO. FR. SCHROEER. in *Imperio Babylonis & Nili. §. 13. ſeqq. p. 44 ſeqq.*
f) Conf. cl. WACHTERUS *Elucidar. Cabbaliſt. p. 6.*
g) *l. c.*
h) *c. II, 1. ſeqq.* conferendus locus JES. *XLIV, 36.* & quæ doctiſſimus VITRINGA *ad h. l.* erudite monuit.

rege ſomnio divinitus immiſſo turbatum convocaviſſe hariolos, & aſtrologos, & præſtigiatores, & Chaldæos, ad interpretandam ſomnii ſignificationem; nihil tamen eos potuiſſe. Eos vero incantamentis non ſidera tantum, ſed & ipſos Deos in obſequium trahere poſſe, ſibi & aliis perſuaſiſſe, memorabili exemplo Marci Antonini, in anguſtias cum exercitu redacti, & ſiti fere enecati, miraculoſo vero imbre liberati probatur, quam liberationem gentiles carminibus Chaldæorum adſcripſere. Inde CLAUDIANUS [i]

Chaldæa mago ſeu carmina ritu
Armavere Deos: ſeu, quod reor, omne tonantis
Obſequium Marci mores potuere mereri.

Et hinc, referente LAMPRIDIO, [k] *cum Marcomanis bellum inferre vellet, quos Antoninus pulcherrime profligaverat, dictum eſt a quibusdam per Chaldæos ac Magos Antoninum Marcum id egiſſe, ut Marcomani populo Romano ſemper eſſent devoti atque amici, idque factum carminibus & conſecratione.* [l] Plura in re ſatis nota non cumulamus, ſufficiunt enim hæc, ut diſcamus, magnos impoſtores fuiſſe Chaldæorum ſapientes, ſuamque eos ad hunc unum ſcopum eruditionem traduxiſſe, ut populo imponerent, & religionis freno compeſcerent. Non mirandum itaque Chaldæos favore regum ſuorum uſos fuiſſe nomenque ſortitos eſſe celeberrimum, [m] quanta enim in exiſtimatione ſacerdotes & religionis antiſtites apud omnes gentes ſemper fuerint, hiſtoria vetus innumeris teſtatur exemplis.

Divinatio ex ſideribus.

§. IV. II. Nihil vero in hac arte Chaldæorum, (ſapientiæ nomen enim non meretur) antiquum magis atque prius, quam futura prædicere, & fatorum nexum curioſo hominum explicare animo. [n] Ita enim cum humano animo comparatum eſt, ut in futurorum fatorum ſeriem inſpicere, & quæ ſibi eventura optat, præſcire gaudeat: imprimis vero orientis populos hac curioſitate in furias ſæpe dolis ſacerdotum atque vatum actos conſtat. Ut vero impoſturæ inde nectendæ frenisque in ſervitium principis pro populo ſtruendis auctoritas fidesque accederet, & reverentia quoque tribueretur, animusque ſuperſtitione in obſequium regis miteſceret, ſiderum obſervationes, & aſtrologia ab initio regni Aſſyrii exculta, in ſubſidium vocata ſunt. Etſi enim exigua eorum notitia in rebus cœleſtibus & ſidereis ſine dubio fuit, fidem ea de re facientibus obſervationibus ſequen-

i) In *VI. Conſul. Honor.*

k) In *Heliogabalo c. 9.*

l) Etſi vero hanc ſuperſtitionem a ſe alienam eſſe ipſe Marcus in *libros de ſe ipſo l. I. §. 6.* aſſerit; certum tamen eſt, Arnuphim magum in exercitu imperatoris fuiſſe, unde facile colligi poteſt, ad militum animos capiendos illum inter exercitum ſervatum fuiſſe. Certe quas illi homines artes jactaverint, inde diſcere licet.

m) Exiſtimationem Chaldæorum & ſapientiæ famam præcipue propter ceremoniarum & divini cultus ſcientiam percrebuiſſe obſervavit jam RHODIGINUS *Antiq. Lect. l. XVI. c. 4. p. 590.*

n) DIODORUS *l. c.*

quentium temporum, quæ aſtronomiæ ſcientiam tum demum rudimentis ſuis eripuerunt: certum tamen eſt, & unanimi veterum teſtimonio conſtat, Chaldæos non proprio tantum Marte in ſiderum curſus inquiſiviſſe, [o] & inter gentes omnes, ſi non primos, certe inter primos fuiſſe, qui ad motus curſusque aſtrorum attenderunt; [p] ſed & regio ſtipendio enutritos omnibusque muneribus ſolutos, [q] aſtrorum contemplationibus in patentiſſimis Babyloniæ campis vacaviſſe. [r] Inde factum ut, quod primo nationis inter Aſſyrios peculiaris moxque ſectæ nomen erat, [s] tandem artis fieret vocabulum, & Chaldæus, idem diceret, quod Aſtrologus. [t] Nec dubium quidem eſt, varias de ſiderum curſu, & configurationibus obſervationes collegiſſe, quas laterculis inſcriptas Calliſthenem Babylone inveniſſe & ad Ariſtotelem miſiſſe ſupra memoravimus: adhibita tamen omnis illa ſideralis eruditio ad aſtrologiæ apoteleſmaticæ & judiciariæ auctoritatem ſtabiliendam. Quod qua ratione ab his hominibus factum ſit, quasque rationes inierint, ut in erigendis thematibus genethliacis, prædicendis tempeſtatibus, referandisque futurorum nexibus, fidem invenirent, luculenter ediſſerit SEXTUS EMPIRICUS, [u] & poſtea quoque dicetur. Hanc artem, is ait, *σεμνοτέροις κοσμοῦντες ὀνόμασιν οἱ Χαλδαῖοι, Μαθηματικοὺς καὶ Ἀστρολόγους σφᾶς αὐτοὺς ἀναγορεύουσιν· ποικίλως μὲν ἐπηρεάζοντες τῷ βίῳ, μεγάλην δὲ ἡμῖν ἐπιτειχίζοντες δεισιδαιμονίαν, μηδὲν δὲ ἐπιτρέποντες κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον ἐνεργεῖν, magnificis ornantes elogiis & nominibus, ſeipſos Mathematicos appellant atque Aſtrologos, vitæ humanæ multis modis non parvam afferentes injuriam & in nobis magnam ſtruentes ſuperſtitionem, neque quicquam permittentes agere ex recta ratione.* Eadem Favorinus apud GELLIUM [x] & STRABO quoque teſtantur. Et hinc factum eſt, ut arti leviſſimæ & vaniſſimæ nomen a primis ejus cultoribus hæreret,

o) PHILO *de ſomn. Opp. p.573.* CICERO *de div. l.I.* STRABO *l.XV.*

p) Vetus inde controverſia, an aſtrologiam Aſſyrii & Chaldæi ab Ægyptiis didicerint vel Ægyptii ab his, edocti forte ab Abrahamo. Argumenta quæ pro Ægyptiis faciunt in compendio enarravit MATTH. RADERUS & JO. FREINSHEMIUS ad CURTIUM *IV. 10. 4.* quæ Aſſyriis inventionis gloriam vindicant. G. J. VOSSIUS *de ſcientiis mathemat. c. XXX. §.5. p.129. ſq.* quos vide.

q) ARRIAN. *Exped. Alex. VII. 16.*

r) *Principio Aſſyrii, ut ab ultimis auctoribus repetam, propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, cum cœlum ex omni parte patens atque apertum intueretur, trajectiones motusque ſtellarum obſervaverunt.* CICERO *de divinat. l.I.* conf. STRABO *l. VI.*

s) Contradixiſſe enim ex Babyloniis alios vaniſſimæ Chaldæorum ſectæ & STRABO *l. c.* auctor eſt, & LUCRETIUS *l. V.* canens. *Ut Babylonica Chaldæam doctrina refutans aſtrologorum artem contra convincere tendit.* conf. VOSSIUS *de theol. gent. l. II. c.47. p. m.563.*

t) Conf. NIC. FULLERUS *Miſc. SS l.I. c.16. p.m.110. ſeqq.* edit. Londin.

u) *Lib. V. ſ.2. p.338.* ed. Fabric.

x) *Lib. XIV. c.1.* qui de origine hujus philoſophiæ Chaldaicæ eleganter: *id præſtigiarum atque offuciarum genus commentos eſſe homines æruſcatores, & cibum quæſtumque ex mendaciis captantes, atque eos, quoniam viderent, terrena quædam inter homines ſita, cœleſtium rerum ſenſu atque ductu moveri, inde credidiſſe, omnia rerum humanarum & parva & maxima, tanquam ſtellis atque ſideribus evincta duci & regi.*

& Chaldæi dicerentur aſtrologi, qui huic genti originem minime debebant, ſed in Chaldaica tantum prædicendi ex aſtris ſcientia periti videri volebant.[y] Quorum tamen impoſtura & deceptrices artes ita publicis ſpeciminibus confuſæ & in pudorem datæ eviluerunt, ut M. Popillio Lænate & Cnejo Calpurnio Coſſ. C. Cornelius Hiſpallus prætor edicto *Chaldæos intra decimum diem abire ex urbe atque Italia juberet, levibus atque ineptis ingeniis, fallaci ſiderum interpretatione, quæſtuoſam, mendaciis ſuis caliginem injicientes.* [z] Nec id apud Romanos [a] tantum factum, apud quos Pomponio & Rufo Coſſ. SC. Mathematicis, Chaldæis & ariolis aqua & igni interdictum eſt; [b] ſed ipſe Alexander M. referente DIODORO,[c] primum quidem aliqua reverentia erga Chaldæos ductus poſtquam Anaxarchum philoſophum audiviſſet, ſic fuit immutatus animo, ὥϛε καταφρονῆσαι μὲν πάσης μαντικῆς, μάλιϛα δὲ τῆς παρὰ Χαλδαίοις προτιμωμένης, *ut omne divinationis genus, maxime vero illud, quod apud Chaldæos in pretio eſt, contemſerit.* Et ex his dictis judicium fieri poteſt, num Chaldæi nomen ſapientis vel philoſophi meruerint, nec ne? Sane ſi cum veritatis ad felicitatem conſequendam comparatæ ſtudio impoſtura confundenda non eſt, Chaldæi quoque ex philoſophorum veri nominis numero ejiciendi ſunt, vel primis tantum philoſophiam deguſtaſſe labris cenſendi. [d]

Traditio parentum ad filios.

§. V. Poſſunt hæc ſufficere, ad demonſtrandam veteris philoſophiæ Chaldaicæ indolem iis, quibus animus antiquitatis præjudicio faſcinatus non eſt: ut tamen accuratius ejus maleſanam conditionem inſpiciamus, obſervandum eſt III. conſtitiſſe philoſophiam Chaldæorum non in libero & cauto rerum divinarum & humanarum examine ad principia rationis adhibito, ſed in nuda traditionum a parentibus acceptarum propagatione ad poſteritatem, quæ majorum placita ſumma cum reverentia accipiebat. Non hic argumenta aſſertorum allata, non rationes expenſæ, non dubia allata, non difficultates ſublatæ ſunt, & ita per trutinata & ponderata rerum momenta ad veritatis cognitionem itum eſt; ſed alia prorſus via electa, & admiſſum ſine examine pro vero, quicquid præcepti inſtar injungebat majorum reverentia. Quod quidem ita aſſerit DIODORUS SICULUS, [e] ut Chaldæos laudandos exiſtimet, *qui quoniam parentibus utuntur magiſtris, plenius omnia diſcant & iis, quæ docentur, majorem fidem habeant:* quibus poſtponit Græcos, *qui non parentum doctrinam imitantur, ſed ipſi ſua ſponte in diſciplinarum ſtudia pro libitu incumbunt, & de maximis ſcientiis inter ſe altercantes, dum novis ſemper opinionibus ſtudent, incertos diſcipulos reddunt, animumque eorum per*

y) Vid. VOSSIUS *de ſcient. math. p. 129.* FULLER. *l. c.* STANLEJUS *H. phil. P. XIII. ſ. I. c. 7. p. 119.*

z) VALER. MAXIMUS *l. I. c. 3.*

a) Vid. DIO *in hiſt. Aug.* SVETON. in *Tib. & Vitellio.* LIPSIUS *Excurſ. ad Tacit. Annal. II. 32. p. 785.*

b) Vid. PITHOEI *Collatio legum Moſaic. & Rom. tit. 15.*

c) *Lib. XVII. p. 622.*

d) RHODIGIN. *l. c.*

e) *l. c.*

per omnem vitam dubium, nulla certa ſententia, errare compellunt: nihil tamen horum prudenti rerumque intelligenti lectori perſuadebit, quippe quæ ita ſe habent, vt omnem prorſus ſanae philoſophiæ rationem corrumpant. Non enim ad verum philoſophum illud tantum requiritur, ut veritatis a ſe inventæ & detectæ ſummam exponat, ſed oportet quoque rationes addere, quibus aſſertorum certitudo conſtet, ſine quibus philoſophi nomine nemo dignus eſt. Et quot, quæſo, per hanc traditionis viam, rejecto examine, irrepent, errores? quanta ſubnaſcentur ſupponendarum falſarum opinionum pericula? quam cæcus efformandus eſt animus? quantumque augendæ & ad perfectiorem cognitionem perducendæ veritati ponitur impedimentum? Unde vel hoc ſolo nomine philoſophia Chaldæa, & omnis fere barbarica, quod traditiva fuit, nomen atque dignitatem veræ philoſophiæ tueri nequit. Neque tamen id mirandum eſt. Cum enim ad decipiendum ducendumque ex lubitu populum tota Chaldæorum ſapientia, tantis encomiis celebrata collinearet, non potuit aliud ejus fundamentum exponi, darique ratio alia, præter emolumentum & voluntatem eorum, quorum intererat, ita vel aliter ſtatui, vel in patriis erroribus & præjudiciis detineri. Verum hæc myſteria erant, paucis propalanda & non initiatis ſedulo abſcondenda, quod aliter fieri non potuit, niſi, ut pulſa omni examinandi licentia illud ſacroſanctum reciperetur, & ad poſteros propagaretur, quicquid ad rerum ſacrarum & publicarum gubernacula ſedentibus ſtatuere populoque perſuadere e re ſua videbatur. Quod ut omni philoſophiæ barbaricæ commune eſt, ita hic ſemel indicari neceſſe fuit, ut de ejus conditione accuratum judicium fieri, & falſæ ſapientiæ larva detrahi poſſit.

Studium celandi dogmata, & diſciplinæ arcanæ.

§. VI. Accedit IV. magnum, quod a Chaldæis adhibitum fuit, ſtudium, dogmata ſua celandi, & non niſi initiatis, vel qui ex ſua familia & domeſtici erant, revelandi, quod tantopere veræ philoſophiæ contrarium eſt, & cum ſerio veritatem non tantum cognoſcendi, verum etiam propagandi ſtudio conſiſtere nequit. Refert enim DIODORUS, [f] non omnes promiſcue docuiſſe, more Græcorum, ſed intra certas familias ſe continuiſſe, quæ id nominis peculiari jure obtinebant, ita ut filius eam a patre ſcientiam acciperet, ſicque arcana ratione placita Chaldaica propagarentur. Acceſſit præter illa methodus proponendi ſymbolica & ænigmatica, quæ placita gentis miris involucris tegebat, & arcanum ita tradendi modum reddebat difficillimum: id quod Chaldæi quidem cum omnibus veſtuſtiſſimis populis commune habuerunt, quibus nihil ſolennius fuit, quam ſacra dogmata impenetrabili allegoriarum & ſymbolorum velo obducere: parum tamen inde commendantur, cum ſupra evictum ſit, iſtam rationem philoſophandi veritati vehementer eſſe inimicam. Nemo tamen hoc mirabitur, qui cogitaverit, quod ſupra monuimus, ad arcana imperii ejusmodi philoſophantium genera pertinuiſſe, & religionis cuſtodes fuiſſe, quam

f) l. c.

quam ita effingerent, ut ratio ſtatus imperantis requirebat. Nam ad hunc ſcopum obtinendum omnia obſcuranda tantisque nebulis obducenda erant, vt pro lubitu, & prout gentis, imperantis, vel etiam ſacerdotum commoda efflagitarent, allegoriæ beneficio poſſent mutari, neque tamen ſubodorari fraudem populus ad obſequium prorſus cœcum aſſuefactus, qui ſimplici impoſtorum aſſerto, tanquam divinis eloquiis fidem habebat. Quod eleganter perſtrinxit JUVENALIS his verbis [g].

Chaldæis ſed major erit fiducia: quicquid
Dixerit aſtrologus, credent a fonte relatum
Ammonis, quoniam Delphis oracula ceſſant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.

Chaldæorum eruditio philoſophiæ nomine indigna,

§. VII. Patet ex his, quæ larga manu attulimus, tales fuiſſe Chaldæorum ſapientes, quos ex philoſophorum numero merito ejiciet, quisquis philoſophiæ pretium ſtatuere novit. Quicquid enim eruditionis, quam more temporis ſui atque gentis ìpſis non denegamus, apud eos floruit, ſuperſtitionem religione peſſime abuſam, vanamque & ad impoſturam adhibitam artem ſapit. Objicient quidem, qui antiquiſſimorum temporum veneratione ducuntur nimia, laudes atque famam, quam Chaldæi per omnes fere terras obtinuere, ita ut Chaldæis omnis eruditionis genus paſſim tribuatur, & HESYCHIO, interprete [h], Chaldæi ſint γένος Μάγων πάντα γινωσκόντων, genus Magorum omnium diſciplinarum peritorum: Objicient PHILONEM [i] aſſerentem, *mentem Chaldaica diſciplina inſtructam diſſerentem in mundo de rebus naturalibus, & iis, quæ in ſublimi fiunt, efficaces obequitare potentias, tanquam cauſas; & ſimul atque Chaldaico inſtituto, quaſi transfuga migravit agnoſcere ſe evehi & gubernari a vectore cujus viſionem percepit.* Nihil tamen omne illud ad ſtabiliendam Chaldæorum philoſophiam facit. Non negari quidem poteſt, inter orientis populos magnam fuiſſe eruditionis Chaldaicæ laudem, verum illa ex eo potiſſimum fonte profluxit, quod viderent homines a veritatis propriis meditationibus inquirendæ labore alieniores, & ad admiranda πατροπαραδοία a pueritia aſſuefacti, reges atque principes, quorum in hoc hominum genere conſervando magnum verſabatur commodum, illos magni facere, publicorumque onerum & vectigalium immunitatem, victum præterea & honorem concedere: obſcuro itaque allegoriæ velo eorum dogmata audientes non tamen intelligentes, in cœlum evehebant, quæ aſſequi non poterant, magnamque dictis obſcuriſſimis ſapientiam adſcribebant:

Omnia enim ſtolidi magis admirantur amantque
Inverſis quæ ſub verbis latitantia cernunt. [k]

Philo

g) *Satyr. VI. v. 552. ſeqq.*
h) *V.* Χαλδαῖοι, LAERT. in *proœm.*
i) *De nominum mutatione p. 1046.*
k) LUCRETIUS *l. 1.* conf. cel. WERENFELSIUS *de Logomach. erudit. c. VI. Opp. p. 520. 595.* Recte & ex vero TACITUS

Philo vero, ineptiarum Pythagorico-Platonicarum egregius magiſter, ſuæ ſectæ præjudicio, Chaldaica Zoroaſtrea, Hermetica, Orphica eſſe, quæcunque ſomniabat, manifeſte ſuas nugas Chaldæis ſine calculo adſcripſit non magis audiendus, quam cum Abrahamum ejusdem Chaldaicæ, ſive Pythagoricæ potius inſaniæ doctorem putat, vel Moſen Platonica loquentem & præcipientem inducit. Abjiciendum itaque hoc præjudicium eſt, nec magnifice de hominibus ſentiendum, qui præter antiquitatis nomen nihil habuere admiratione dignum, & in propaganda falſa religione & juvandis imperantium artibus omnes fere conatus & labores ſuos poſuerunt. Quod cum viderit doctus hiſtoriæ philoſophicæ criticæ auctor, [l] miretur aliquis, viſos ipſi eſſe hos homines ingenii excelſi animique minime mercenarii, eruditionis divinæ, natos inter media eruditionis lumina, qui a curis hujus vitæ vacui, omnem ſapientiæ curam impenderunt. Qua ratione enim, veritatis ſtudium ſecundum voluntatem imperantium, non ſecundum rei circumſtantias inſtitutum, philoſophiæ nomen merebitur? qua ratione magnorum ingeniorum famam & celebritatem tuebuntur, apud quos poſt Deum memoria res erat omnium ſanctiſſima, & maxime venerabilis, qua ſine examine a parentibus tradita & admiſſa conſervabantur? Tales enim hos philoſophos fuiſſe, vir doctus concedit. Adeo multum differt, egregiis verborum lenociniis facta veterum ſtudiorum deſcriptio, a critica eruditionis antiquæ hiſtoria, quæ non referre tantum obiter, ſed expendere quoque debet, quæ a veteribus & qua ratione dicantur.

Nobis non licet eſſe tam diſertis
Qui Muſas colimus ſeveriores.

Verum hæc obiter monuiſſe ſufficiat, ne auctoritas elegantis libelli apud imperitos dictis obſtet.

§. VIII. Quemadmodum vero inter Babylonios eruditi, ſive σοφοὶ, a populo diſtincti erant, Chaldæorumque nomine peculiari e regione petito inſigniebantur, voce πολυσήμῳ cum aliis, quas habet, ſignificationibus non confundenda: ita inter ſe ſectis quoque & opinionibus differebant. Opponit quidem & præfert Græcis Chaldæos ideo DIODORUS, [m] *quod barbari iisdem ſemper inhærentes, quæ a parentibus acceperunt, firmiter ſingula percipiant, & miſſa novandi cupiditate in iisdem perſeverent doctrinis; Græci vero ex arte lucrum captantes novas condant ſectas, & de maximis theorematibus diſceptantes, faciant, ut diſcipuli dubitent, animique eorum per totam vitam fluctuent, nec ulli rei aſſentiri queant.* Non tamen id eo rapiendum eſt, quaſi nullas habuerint inter ſe ſectas Chaldæi,

Sectæ Chaldæorum.

CITUS *in Agricola c. XXX. Omne ignotum pro magnifico eſt.* conf. *Otium Vindel. Mel. I. p. 102. ſeq.*

l) *Hiſtoire critique de la philoſophie T. I. l. I. ch. 1. §. 2. p. 14.* qui etiam, dum *§. 4. p. 16.* horum hominum methodum allegoricam laudat, manifeſte prodit, ſe ad veræ philoſophiæ characteres non attendiſſe.

m) *l. c.*

dæi, opinionibus & dogmatibus differentes, ſed de modo docendi propagandique doctrinas ſuas intelligendum eſt, qui ita inſtituebatur, ut quod cujuslibet ſectæ conditori placuiſſet, a ſectatoribus conſtanter teneretur, filiique traditionibus patrum firmiter adhærerent, nec ad alia ſectæ alterius placita deficerent. [n] Sectas enim inter Chaldæos fuiſſe STRABO diſerte teſtatur, [o] *complures*, ſcribens, *eorum iisdem de rebus, ut in ſectarum fieri ſolet diverſitate aliter atque aliter ſtatuiſſe:* item, *fuiſſe inter eos, qui e natalibus hominum eventura iis vaticinari ſe profiterentur, a ceteris non probatos.* Ex quibus verbis colligere licet, genethliacorum peculiarem fuiſſe ſectam hosque non probaviſſe, qui alia via vaticinandi artem ſuſcipiendam eſſe ſtatuerent. Narrant porro PLINIUS [p] & STRABO [q] in diverſis Aſſyrii regni regionibus & præcipuis urbibus peculiares fuiſſe ſcholas, Hippareni, urbe Meſopotamiæ, unde Hipparenorum ſecta; Babylone, unde Babylonii; Orchoës Chaldæorum oppido, unde Orcheni; Borſippes, alia Babyloniæ urbe Apollini & Dianæ, quod ferunt ſacra, unde Borſippeni dicti ſunt. Neque has loco tantum & collegiis, in his urbibus a regibus erectis, diſtinctas ſectas fuiſſe probabile eſt, PLINIUS enim diſerte Orchenos *tertiam Chaldæorum doctrinam* vocat, innuens dogmatibus fuiſſe diverſos: an vero duæ ſectæ Orchenorum & Borſippenorum in erroris luto de principiis ἀντιπάλοις bono & malo hæſerint, inque hoc orientis dogmate a ſe diſſenſerint, quod vir quidam doctiſſimus [r] conjicit, non facile equidem quis dixerit. Falli enim SALMASIUM, [s] qui Orchenos dictos putat, quaſi אור כהניא ſacerdotes lucis ſive ignis, quod cultu divino, more Perſico, ignem proſequerentur, inde conſtat, quod ex adductis veterum locis luculenter patet, ab urbibus, ubi ſedem fixerant, has ſcholas Chaldæorum philoſophorum nomen accepiſſe, Orchenosque dictos ab Orcha ſive Orchoë. Fabulæ enim Judæorum & Muhamedanorum de Abrahamo in Ur (quam cum Orchoë eandem faciunt viri quidam docti [t]) in ignem ob denegatum igni cultum conjecto & ſervato merito exploduntur; [u] & evincendum prius eſt, in regno Babylonico ante Perſarum imperium ignis cultum viguiſſe. Aliam vero eruditorum Chaldæorum diſtinctionem exhibet vaticiniorum DANIELIS liber, [w] ubi variæ nobis ſectæ narrantur, חרטמים, אשפים, מכשפים & כשדים, inter quos ultimi Chaldæi ſunt, quo nomine, quid ſignificetur ſupra jam expoſitum eſt. Quid vero per tria priora genera intelligatur, interpretibus non æque conſtat.

n) Conf. STANLEJUS *Hiſt. philoſ. P. XV. p. 1120.*

o) *l. XVI. p. 509.*

p) *Hiſt. nat. l. VI. c. 26.*

q) *Lib. XVI. p. 509.*

r) S. Rev. JO. CHRIST. WOLFIUS in *Manichæiſmo ante Manichæos §. VII. p. 47.*

s) In *præf.* libri *de annis climactericis.*

t) HYDE *de relig. vet. Perſ. c. II. p. 75.* præeunte VOSSIO *de idololatria l. II. c. 64. p. m. 648.*

u) HYDE *l. c. p. 44. 71.* VOSSIUS *l. c.* HEIDEGGER. *Hiſt. patr. P. II. ex. I. p. 25.* FABRICIUS *Cod. Pſeudepigr. V. T. T. I. p. 344.*

w) *I, 20. II, 2 27. IV, 4.*

ſtat. Si enim Judæos conſulimus, Hhartumim ſunt magi rerum naturalium periti, vel qui theoreticam ſcientiam colebant; Aſchaphim, qui ſcientiam activam colebant, vel etiam ſapientes ac pii; qui allegorico dicendi genere myſticam ſapientiam docebant; licet & alii medicos hic vel aſtrologos intelligant; Mechaſchephim, revelatores vel præſtigiatores, qui artibus illicitis futura prædicebant. Rationes hujus explicationis non addimus; leve enim eorum pondus eſt, a ſolis ſcilicet etymologiis deſumtum: legi vero poſſunt, apud STANLEJUM, [x] GEIERUM, [y] BUDDEUM [z] aliosque. Nos ponderatis omnibus circumſtantiis nihil hac de re certi dici poſſe putamus; et hæc pleraque præjudiciis interpretum niti exiſtimamus; qui, prout Chaldaicam ſapientiam animo conceperunt, ita voces ignotas in ſuas partes rapuerunt. Hoc ex ſupra dictis manifeſtum eſt, & ex ipſo quoque ſacro textu patet, fuiſſe omnes has ſectas circa vanas & malas artes atque præſtigias occupatas, & aperte falſum præjudicium prodere, qui philoſophiam theoreticam, practicam & myſticam ab iis cultam contendunt: etſi præfracte negare nolimus, eos ſcientiæ ſpeciem conciliata nugis ſuis auctoritate præ ſe tuliſſe, & eruditorum principes fuiſſe habitos. Nec multum certiora ſunt, quæ ex alio ſcripturæ S. loco apud JESAIAM vatem [a] de excidio regni Babylonici vaticinantem de his Babyloniorum ſectis dicuntur. Ait vir ſanctus, DEI nomine: *Ego is ſum, qui irrita facit ſigna vatum, & divinos inſanos reddit, qui ſapientes retrorſum agit, & ſcientiam eorum infatuat.* Putat enim eruditiſſimus CAMPEGIUS VITRINGA, [b] בדים ſignificari homines vitam agentes ſolitariam, ſeque commercio publico ſubducentes, & vacantes contemplationi rerum divinarum: eosdemque eſſe, qui recentiore uſu vocis Chaldæi dicuntur, quod nomen cum olim eſſet gentis, & hoc ſolo ſenſu occurrat apud ſcriptores ſacros, qui ante exilium Babylonicum vixerunt, poſtmodum uſurpari cœpit, de ſophis illius gentis, qui rerum divinarum & ſcientiæ futurorum ſtudium profitebantur, & publicis muneribus ſoluti huic ſoli contemplationi, præcipue vero aſtrologiæ judiciariæ vacabant, & ex ea fata gentium & hominum definiebant. קוסמים Divinos, ſive divinatores ſpeciem feciſſe ſectæ, quæ ex commercio cum dæmone aut ſpiritibus defunctorum eandem futurorum prænotionem jactabant, & DIODORO teſte, expiationibus, ſacrificiis, & aliis quibusdam incantamentis futura prænoſcebant, & mala averruncabant. חכמים Sapientes eſſe vates politicos, homines in ſchola mundi dextre verſatos, ingenii σοφιστικοῦ acumine præditos, longo rerum uſu & experientia exercitatos, conſiliarios regis, qui absque ſubſidio τῆς μαντικῆς de futurorum eventibus ex his ipſis principiis ſolebant præſumere. Quæ ſapientum Chaldaicorum explicatio ingenioſa quidem eſt, textuique ſatis apte reſpondet, unde tamen probetur, præter generalem eruditionis Chaldaicæ notitiam, quæ tamen apud Diodorum

x) *Hiſt. phil. P. XIII. c. 10. p. 1120.*
y) *Com. ad l. c. Danielis p. 102. ſeqq.*
z) *Hiſt. Eccl. V. T. T. II. Per. II. Sect. V. §. 13. p. 867.*
a) *Cap. XLIV, 26.*
b) *Ad h. l. T. II. p. m. 573. ſeq.*

dorum in ſectas non dividitur, non habet: in eo tamen melior eſt, interpretamentis Judaicis, quod omnem Chaldæorum ſapientiam in religionis cultu, aſtrologia & divinatione conſtitiſſe, & ex his vaniſſimis artibus omnem eruditionem gentis conflatam fuiſſe recte ſtatuit. Nec certiora nos dare audemus, conjecturasque noſtras de his ſectis orbi erudito obtrudere, quæ eadem facilitate negantur & deſtruuntur, qua affirmantur, & exſtruuntur. Illud unum probabile judicamus, ea, quæ de phyſica Chaldæorum ſcientia traduntur, non ad rerum naturalium cognitionem, ſed ad magicam herbarum & lapidum notitiam referenda eſſe. Tales enim libri phyſici, Zoroaſtri apud Chaldæos tribuebantur, quos ſæpius citat PLINIUS: [c] & hanc naturalis ſcientiæ partem, quæ magiæ inſervit, a Chaldæis Democritum edoctum eſſe illis placuit, qui tales libros philoſopho in ſanis naturæ contemplationibus verſatiſſimo ſupponere auſi ſunt. [d] Etſi enim hi libri ſuppoſiti ſunt atque ficti, patet tamen inde, rectеque infertur, apud Chaldæos Perſasque ejusmodi præpoſterum naturæ ſtudium artibus malis inſerviens viguiſſe: id quod tota eruditionis Chaldaicæ facies confirmat. Noſter hic eſt cl. CLERICUS. [e]

Conditor philoſophiæ Chaldaicæ Zoroaſter,

§. IX. Chaldaicæ philoſophiæ auctor atque conditor Zoroaſter magno veterum conſenſu dicitur. Quo major vero ejus fama, eo incertior & inſuperabilibus difficultatibus ſubjecta hiſtoria: de quo, recte monente cel. FABRICIO, [f] *tam multa & pugnantia inter ſe traduntur, ut illa dijudicare* (addimus, vel enarrare ſolum) *atque revocare ad examen, res majoris ſit operæ, quam pretii.* Etſi vero multam viri docti, qui recentiori ætate in res Zoroaſtris inquiſiverunt, & in his imprimis, qui peculiari tractatione hoc egerunt, FRANCISCUS PATRICIUS [g] JOANNES JESSENIUS, [h] HENRICUS URSINUS [i] & qui reliquos eruditione, & copia vicit, THOMAS HYDE, [k] lucem afferre obſcuriſſimæ Zoroaſtris hiſtoriæ conati ſunt, [l] fatebitur tamen, quisquis tempus in hoc argumento enodando conſumere non ſubterfugiet, poſt difficillimum omnium circumſtantiarum examen, nihil afferri poſſe, quod veritatis cupidum ſatiare, & aliqua certitudinis, vel ſaltem probabilitatis ſpecie hiſtoriam Zoroaſtris explicare queat: id quod ingenue faſſi ſunt viri docti; [m] & quidem recte. Nam & hoc momentum in hiſtoria philoſophica

cujus hiſtoria incertiſſima & obſcuriſſima.

c) PLINIUS *l. XXXVII. c. 10.*

d) Videndus præ ceteris PLINIUS *Hiſt. nat. l. XXX. c. 1.* ubi magiæ hiſtoriam pandit. Plura de his Democrito ſuppoſitis libris ſuo loco afferentur.

e) *Indic. in H. Phil. Or.* STANLEJI *v. Phyſicus.* conf. FABRICIUS *Bibl. Gr. vol. I. p. 246. 247.*

f) *l. c. p. 243.*

g) Qui peculiarem diſſertationem *de Zoroaſtre* præmiſit oraculis ejus a ſe editis.

h) In *Zoroaſtre*, vid. *Act. Erud. Lat. Suppl. T. II. p. 469. Act. Phil. vol. II. p. 183.*

i) Qui doctum ſed hodie rarius obvium librum de *Zoroaſtre, Hermete Trismegiſto & Sanchuniatone* edidit *Norimb. 1661. 8.*

k) In *Hiſtoria religionis veterum Perſarum Oxon. 1700. 4.*

l) Alios de Zoroaſtre ſcriptores laudant *Acta Philoſ. vol. II. p. 183.*

m) BAYLE *Dict. T. IV.* tit. *Zoroaſtre p. 555.*

ca habet, noſſe, quæ ſciri nequeant, & quæ incerta ſint atque dubia, a certis diſtinguere. Unde exorandus nobis lector eſt, ut patienter ferat ſi non niſi conjecturas & opiniones eruditorum afferimus in medium, & ipſe incertus a nobis dimittitur: melius enim eſſe putamus, incertitudinis rationes exponere, quam leves conjecturas pro veritatibus certis obtrudere. Nec mirandæ quoque hæ tenebræ, tanta enim canitie gravis eſt Zoroaſtris hiſtoria, quam a primis humani generis generationibus poſt diluvium multi repetunt, tantusque monumentorum, unde hauriri notitia de Zoroaſtre debet, defectus & penuria, ut non poſſint non omnia, quæ de celeberrimo hoc philoſophiæ orientalis conditore dicuntur, eſſe incertiſſima. Accedit, pleraque, quæ nobis narrantur, vel a Græcis profecta eſſe, qui inſulſo præjudicio, orientalem eruditionem ſuæ fuiſſe ſimilem religionemque illorum populorum cum ſua poſſe comparari, occupati, in referendis orientalium gentium rebus, quæ ad religionem & eruditionem ſpectant, miſere cœcutiverunt: vel deberi Perſarum quidem, ſive Arabum potius teſtimoniis, qui domeſtica eaque antiquiſſima monumenta jactantius crepantes, mira de Zoroaſtre, fiducia huic populo ſolenni, referunt; longiſſime tamen ab antiquiſſimis iſtis temporibus non remoti tantum ſunt, ſed & illis placitis & religione diſſimiles, & in effingendis vetuſtiſſimis monumentis fabulisque ad conciliandam ſuæ genti auctoritatem, fœcundiſſimi; vixeruntque eo tempore, quo quidlibet audendi, fingendi nugandique libera & æqua poteſtas fuit: unde quam fidem mereantur, facile rationes iniri poſſunt. Nec aliud porro de Zoroaſtre evenit, quam quod de omnibus artium & ſcientiarum inventoribus eveniſſe indubitata veterum monumenta teſtantur. Scilicet fabulis pleraque involuta ſunt, & ita obſcurata, ut veræ circumſtantiæ cognoſci & ad liquidum deduci non queant. Cujus rei multiplex ratio atque cauſa eſt. Vivebant magni illi viri illis temporibus, quibus magna ignorantia premebantur gentium pleræque: has ex ruditate eripere, & ad uſum rationis moresque humanos traducere ſatagebant, in hoc operam ponebant ſuam, ut introducta religione, & artibus atque ſcientiis ingenia ad humanitatem aſſuefacta miteſcerent, ſocietates felicius coirent, imperia obſequio firmarentur, gentium incrementa lætius exſurgerent. Ita vero magnis beneficiis populos ſibi devinciebant, qui, ut erant ſuperſtitione correpti, viros hos, divinas ad faciendam ſibi fidem & auctoritatem conciliandam præ ſe ferentes origines, ad aſtra extulerunt, resque eorum ita poſteritati tradiderunt, ut majora humanis ingeniis feciſſe, altiorique origine fuiſſe viderentur, hincque tota eorum hiſtoria fabulis incredibilibus conſpurcata eſt. Nec deerant homines aſtuti, qui commodis, quæ ex hac populorum manſuefactione in rem publicam, & in ſua emolumenta redundabant, permoti paria audebant, & ut nomen ſibi atque fidem conciliarent, vetuſtiſſimorum heroum nomina ſibi arrogabant, ſcriptis ſuis eorum nomina præfigebant, ſicque canis temporibus recentiorum temporum fœtus callidiſſimo conſilio ſuppo-

Cauſæ incertæ hiſtoriæ conditorum & inventorum artium & ſcientiarum.

 nebant,

nebant, id quod innumeros poſtea errores, & incertitudines in horum virorum hiſtoria peperit. Nec parum ad has tenebras augendas contulit populorum orientalium de magnis iſtis viris contentio, quorum quilibet ſibi illos vidicans, quicquid ad cauſam ſuam tuendam & ornandam aptum viſum fuit, tanquam ex tripode dictum tradidit, & ad poſteros tranſmiſit. Tandem & ſacerdotum veterum populorum aſtutia incertitudines has ad ſummum apicem perduxit. Populi enim veneratione, qua erga viros ſibi cariſſimos & utiliſſimos majoribus ſuis ducebatur, abuſi, nugas ſuas & ingenii vaferrimi commenta omnia ad iſtos heroas referebant, ſicque iis, quæ vel ſtulta curioſitas excogitavit vel ſuperſtitio commendavit, vel commodi ratio ſuaſit, ſub tantorum hominum celebritate maximam auctoritatem conciliavere, ita vero effecerunt, ut quid genuinum ſit, quid ſuppoſititium & fictum, dignoſci nequeat, cum per horum impoſtorum manus ad nos, tanquam per canalem, veterum hiſtoria pervenerit. Ea his difficultatibus preſſa cum ad recentiorum virorum doctorum manus perveniſſet, illi medicinam afferre rati, ingenii potius conjecturas, quam regulas ſanæ ratiocinationis ſecuti ſunt, & hypotheſibus ſine fundamento, vel levi tantum ſpecie excogitatis eas ſuperſtruentes, omnibusque eruditionis & ingenii viribus ornantes tantopere incautos a regia via ſeduxerunt, ut rectam ſemitam difficulter repeterent. Inde in tot varias & pugnantes inter ſe, de primis artium & ſcientiarum inventoribus & doctoribus ſententias diſceſſum eſt, inde tot abſurdæ opiniones enatæ, quas viris doctis placere potuiſſe miraretur quis, niſi experientia doceret, nihil tam abſurdum eſſe, quod non veriſimilitudinis ſpecie ſe illis commendet, quorum hypotheſibus inſervire aptum eſt. Quæ omnia non Zoroaſtris modo, ſed & aliorum magnorum nominum in ultima antiquitate celebratiſſimorum, Mercurii imprimis illuſtrare poſſemus, niſi ſuo loco exempla afferenda eſſent, unde hanc facem vel ideo hiſtoriæ philoſophiæ barbaricæ præferre neceſſarium viſum fuit, ut, qua via incedendum ſit, cauto lectori pateat. Sed ad Zoroaſtrem revertimur, placita eruditorum veterum pariter atque recentiorum de eo breviter enarraturi.

Zoroaſtris nomen unde?

§. X. Zoroaſtris nomen, quod a Græcis ita expreſſum eſt, qui tamen ante Pythagoram illud ignoraverunt, [n] quid ſignificet inter eruditos non convenit; etymologiæ enim plerumque incertæ ſunt, præſertim ex linguis alienis deducendæ, quæque ad primam ætatem exſurgunt. Ex veteribus Dinoni & Hermodoro apud LAERTIUM ἀϛροθότην, [o] aſtrorum ſacerdotem, magno BOCHARTO ἀϛροθεάτην, [p] ſiderum contemplatorem;

n) CLEMENS ALEXANDR. *Strom. l. I. p. 304.* male itaque URSINUS *l. c. p. 12.* Platoni primam inter Græcos Zoroaſtris mentionem adſcribit. Poſt Platonem vero multi, Antiſthenes apud SUIDAM Ariſtoteles, Hermippus, Hermodorus & Eydoxus, quorum teſtimonia ſervavere PLINIUS *l. XXX. c. 1.* & LAERT. *l. I. ſ. 2.*

o) *Lib. I. ſ. 8. conf.* MENAGIUS *ad h. l.*

p) *Geogr. S. P. I. l. IV. c. 1. p. m. 233.*

rem; aliis [q] amicum ignis, fictorem occulti ignis, HYDEO [r] obryzum vel pravum aurum significat: nobis optimum videtur fateri ignorantiam in nomine nimis vetusto. Nec certiora sunt, quæ inter eruditos disputari solent unus Zoroaster fuerit, an plures? Quæ quæstio non heri demum enata est, sed PLINII tempore jam eruditos detinuit, qui non negat, [s] *non constare, unus Zoroastres fuerit, an postea & alius.* Nec concordant inter se de numero eorum, qui hoc nomen sortiti sunt. Patet enim ex loco quodam ARNOBII, [t] etsi varie ab interpretibus accepto, [u] illo jam tempore plures numeratos fuisse Zoroastres; ita enim: *Age nunc veniat qui super igneam Zonam, magus interiore ab orbe Zoroastres, Hermippo ut adsentiamur auctori. Bactrianus & ille conveniat, cujus Ctesias res gestas historiarum exponit in primo; Armenius Hosthanis nepos, & familiaris Pamphylus Cyri.* Ex his enim verbis, quatuor Zoroastres exsculpit NAUDÆUS, [x] tres SALMASIUS, [y] duos URSINUS, [z] sine causa forte dissentientes, cum plures Zoroastres veteres omnino enumerent. Nam narratur illis 1. Chaldæus sive Assyrius, qui fulmine percussus periit; [a] 2. Bactrianus, quem Bactrianæ regem Nino æqualem, ab eoque victum & interfectum JUSTINUS [b] memorat; 3. Persa, [c] Clementi Alexandrino Medus, Magorum & Chaldaicæ disciplinæ inter Persas auctor. 4. Pamphylius, vulgo dictus Er, sive Erus Armenius, cujus meminit PLATO [d] & quem dictum quoque fuisse Zoroastrem contendit CLEMENS, [e] quique revixisse dicitur VALERIO MAXIMO [f] & MACROBIO. [ff] 5. Proconnesius PLINIO memoratus, qui, *ante Hosthanem paulo diligentiores ponere Zoroastrem alium Proconnesium*, monet. [g] Hujus animam ex corpore, quoties vellet, discessisse, atque rediisse, SUIDAS memorat. [h] Adjiciunt his, sextum, qui Pythagoram Babylone Zoroastrem præceptorem habuisse asserunt. [i] Quemadmodum vero in hoc Zoroastrum numero sine dubio nimia fuit antiquitas, dum alii viri magia celebres hoc magi omnium antiquissimi nomine insigniti sunt, id quod vel de Bactriano, qui alibi [k] Oxyartes fuisse

Zoroaster unus an plures?

q) HOTTINGER. *Hist. orient. p. 365.* KIRKCHER. *Obel. Pamph. l. I. c. 2. §. 1.*

r) *l. c. p. 310.*

s) *l. c.*

t) *Adv. gentes l. I. n. 36. p. m. 36.* ed. Guil. Canteri.

u) Variæ hujus loci interpunctiones varium quoque sensum viris doctis præbuere, quorum conjecturas lege apud STANLEJUM *Hist. phil. P. XIII. Sect. I. c. 2. p. 112.*

x) *Apologie pour les grands hommes accusez de Magie c. VIII. p. m. 91.*

y) *Exercit. Plinian. p. 855.*

z) *l. c.*

a) SUIDAS in *Zoroastres T. II. p. 15.*

b) *l. I. Hist. c. 1. 9.*

c) LAERT. *l. c.*

d) *de republica l. X.*

e) *Strom. l. V. p. 598.*

f) *l. I. c. 8.*

ff) In *Somn. Scipion.*

g) *Lib. XXX. c. 1.*

h) In *Aristeas T. I. p. 323.*

i) APULEJUS in *floridis.* De ipsa fabula hac dicetur in Pythagoræ historia: conf. BAYLE *l. c.*

k) Apud DIODORUM SIC. *l. II. p. 66.* conf. BOCHART. *Phaleg. l. IV. c. 1. p. 232.* & quæ ad negandum Zoroastrem Bactrianum affert STANLEJUS *l. c. p. 112.*

fuiſſe dicitur, de Pamphylio, quem Erum fuiſſe indicavimus; & de Proconneſio, quem Ariſteam fuiſſe conſtat, [l] recte dicitur; ita facile credi poteſt, gentes has Aſiaticas, de patria celebratiſſimi inter orientales viri inter ſe æmulas, ſibi Zoroaſtrem vindicaſſe, ſicque plures ex uno fuiſſe enatos; nec a veritatis ſpecie abludit abuſos Zoroaſtris nomine alios, in his artibus valentes, ut ſibi nomen atque famam conciliarent. Unde de reducendo hoc Zoroaſtrum numero ſolliciti fuere viri docti; inter quos multi quatuor, alii duos, poſt GOROPIUM BECANUM vero THOMAS HYDE [n] unum tantum Zoroaſtrem, Perſa - Medum fuiſſe ſtatuunt, quem ſecuti ſunt noſtra ætate viri celeberrimi JO. FRANC. BUDDEUS [o] ISAACUS DE BEAUSOBRE [p] & HUMFR. PRIDEAUX. [q] Quemadmodum vero de numero diſſentiunt eruditi, ita incerti quoque feruntur, quis ſub Zoroaſtris nomine lateat? Inventi enim ſunt multi inter Chriſtianos, qui Chamum, Noachi filium ſub Zoroaſtris larva tegi putarent, [r] qui hoc potiſſimum argumento ducuntur, quod Chamus magiæ princeps & inventor veteribus habitus ſit, & peſſimam artem ad gentes poſt diſperſionem propagaſſe dicatur. Quæ fabula etſi celeberrimis viris placuit, [s] recte tamen rejicitur, cum non tantum totum de magia Chami commentum nugis Judæorum & hæreticorum originem debeat, ſine teſte, ſine calculo prolatis; ſed circumſtantiæ quoque, quas de Zoroaſtre Græci & Arabes narrant, nec tempori nec perſonæ Chami conveniant, ſic, ut recitaſſe abſurdam ſententiam, ſit refutaſſe. Et eodem argumento, doctorum eccleſiæ veterum opinio cadit, qui vel Nimrodum, vel Miſraimum, vel Aſſurem, vel Abrahamum ex Zoroaſtre exſculpunt: [t] nihil enim habent, quo ſententiam vel levi colore inducant, præter temporis antiquitatem & nominis celebritatem, ex qua miſere ad eandem ſubjecti unius perſonam concluditur. Nec audiendus eſt HORNIUS, [u] cui Zoroaſter Bileam, Moſi memoratus, eſſe videtur; nam & hæc opinio nullam veri ſpeciem habet, præter magiæ profeſſionem, quæ utrique adſcribitur, quæ fecit, ut plures celebres magi cum Zoroaſtre confunderentur. Immo nec illuſtris HUETII ſententia [w] adjiciendum calculum meretur; qui non levi eruditionis ſpecie contendit, ſuppoſititiam eſſe Zoroaſtris perſonam, cui etſi vera ſubſit Moſis perſona, falſam tamen ipſam eſſe, & tot figmentis conſutam,

Zoroaſter quis fuerit?

l) SUIDAS *l.c.* vixit temporibus Crœſi & Cyri.

m) URSINUS *l.c. p.33.*

n) *De rel. vet. Perſ. c. XXIV. p.308.*

o) *Hiſt. Eccl. V. T. T.I. p. 438.*

p) *Hiſt. du Manicheiſme T.I. p. 318.*

q) *Hiſt. S. & prof. connexæ T.I. p. 212. verſ. Germ.*

r) PSEUDO - CLEMENS *recognit. l. IV. c. 25.* conf. FABRICIUS *Cod. Pſeudepigr. V. T. T.I. p 299. in not.*

s) ATH. KIRCHERO *in arca Noë*, SCIPIONI SGAMBATO, in *archiv. V. T.* CLERICO *Hiſt. de la Medecine p. 9.*

t) Vid. quos nominat FABRICIUS *Bibl. Græc. vol.I. p.243.* conf. HUETIUS *Dem. Evang. Prop. IV. c. 5. p. m. 90.*

u) *Hiſt. philoſ. l. II. c. 6. p. 80.* cujus rationes frivolæ ſunt.

w) *Demonſtrat. Evang. l.c.*

tam, de qua nihil certi cognitum aut literis proditum. Quam ſententiam inde ornat, quod diſcrepantes de Zoroaſtre ſententiæ conciliari non queant, niſi iſta hypotheſi, famam de Moſe genuiſſe apud orientales Zoroaſtrem, quem Sinam, Perſam, Medum jactaverint, ex ignorantia geographiæ, patriam Moſis, quam Æthiopiam putaverint, ſuo loco non reperientes. Nomen & fabulam de Zoroaſtre ex igne prodeunte genuiſſe hiſtoriam Moſis cum Deo ex rubo ardente colloquente converſati: magiæ inventionem adſcriptam Zoroaſtri, quod Moſes prodigiis ſuis totum Ægyptum implens & conturbans ſummus & omnium celeberrimus magus haberetur. Immo ipſam magiam non γοητικὴν, ſed cultus divini ſcientiam a veteribus habitam, Moſen veras origines naturæ, & rationes cultus divini docentem prodere: Sicque & in ceteris, quæ de Zoroaſtre referuntur, a Græcis & Arabibus fabulis ad Moſis hiſtoriam applicandis verſatur auctor ingenioſiſſimus, cujus eruditionem & fingendi ad ornandam hypotheſin artem atque ingenium laudes, judicium deſideres. Quod ſi enim hac ratione, ex levi longiusque quæſita circumſtantiarum conciliatione inferre liceat, easdem fuiſſe perſonas, quibus eadem convenire videntur, eadem probabilitate largiendum eſt Arabibus Zoroaſtrem fuiſſe Eliam, vel alium virum celebrem, immo per omnem hiſtoriam pro lubitu mutabuntur ita res vetuſtæ, ut quo quis eſt ingenio fæcundior, eo incertiorem reddat hiſtoriam. Id quod de Arabibus [x] quoque notandum, qui vel Eliæ ſervum, vel Jeremiæ diſcipulum, vel Eſræ miniſtrum effingunt. Ut taceamus eos, qui eundem cum Mithra, Oſiride, aliisque gentium numinibus ſine ratione faciunt. [y] Tandem ne quid fabuloſæ incertitudinis deſit, de tempore quoque quo Zoroaſter vixiſſe fertur, in diverſiſſimas ſententias apud veteres & recentiores itum eſt. PLINIO enim referente [z] Eudoxus, qui magiam inter ſapientiæ ſectas clariſſimam utiliſſimamque intelligi voluit, Zoroaſtrem ſex millibus annorum ante Platonis mortem fuiſſe prodidit. Sic & Ariſtoteles. Hermippus, qui de tota ea arte diligentiſſime ſcripſit, tradidit, ipſum quinque millibus annorum ante Trojanum bellum fuiſſe. Quæ mentiendi & fingendi impudentia ipſi Plinio ſuſpecta fuit, miranti, duraſſe memoriam artemque tam longo ævo commentariis non intercidentibus, præterea nec claris nec continuis ſucceſſionibus cuſtoditam; inque bello Trojano tantum de ea arte ſilentium fuiſſe, primumque commentatum de ea arte Oſthanem. Sed & reliqua legenda ſunt, quibus ſuperſedere potuiſſet, ſi veras temporum rationes ſciviſſet, ad hanc annorum vetuſtatem mundi initiis non ſurgentibus. Sed videntur, qui talia nobis obtruſere, decepti fuiſſe com-

Quando vixerit?

x) HERBELOT. *Biblioth. Orient. voc. Zoroaſtre.* FABRICIUS *l.c.* qui tamen cum HUETIO *l.c.* perperam dicit, POCOCKIUM *ad Abulpharajum p. 147.* Zoroaſtrem eundem facere cum Hyſtaſpe. Non enim Zoroaſtrem, ſed Guſtaſphum Hyſtaſpem a Cyro tertium eſſe putat.

y) KIRCHER. *Ædip. Ægypt. p. 216.* nugarum ejusmodi egregius architectus.

z) *l. XXX. c. 1.*

commentitiis Chaldæorum obſervationibus ſideralibus, quibus tantam ætatem adſcripſiſſe Chaldæos ſupra obſervatum eſt. Nam non magiæ tantum ſed & aſtrologiæ inventorem Zoroaſtrem fuiſſe unanimi ore conſenſerunt. Parcius tamen & moderatius ex veteribus alii. Xanthus enim Lydius apud LAERTIUM [a] a Zoroaſtre usque ad Xerxis tranſitum ſexcentos annos enumerat, niſi hic in numero erratum ſit a librariis; [b] certe apud SUIDAM [c] annis tantum quingentis bello Trojano prior fuiſſe dicitur. Aliorum, qui vel Chamum, vel Nimrodum, vel Aſſurem fuiſſe contenderunt, opiniones præterimus, colligi enim poſſunt, ex ætate illa, qua magni illi homines vixerunt. In tam vario itaque & immani de Zoroaſtre diſſenſu difficile eſt ſolida ſectanti, aliquid certi ſtatuere, contentosque nos eſſe oportet, ſi aliquali conjecturarum probabilitate in tam cimmeriis tenebris palpare nobis liceat. Et Zoroaſtrem quidem aliquem fuiſſe, cum Chamo, aliisque priſcæ vetuſtatis heroibus non confundendum, qui obſervandorum rituum, cultusque deorum atque ſpirituum arcani, quem magiam veteres dixere, auctor fuerit, vix ambigendum videtur, niſi toti veterum ſcriptorum choro, & univerſali eorum conſenſui contradicendum eſt: in eo enim unanimi ore Græci pariter atque Arabes concordant. Utrum vero plures Zoroaſtres fuerint, an unus, in tanta vetuſtiſſimorum monumentorum confuſione & contradictione difficulter conjecturis determinari poteſt. Quod ſi tamen in re adeo incerta aliquid dicendum eſt, hoc probabile nec rejiciendum temere, putamus, exſtitiſſe Zoroaſtrem Perſo-Medum, Darii Hyſtaſpis temporibus inclareſcentem, cui magiæ apud Perſas introductio, Magorumque religionis reformatio, ſcripta quoque, quæ ſub Zoroaſtris nomine ambulant, tribui ſolent. In hoc enim Græcorum pariter atque Arabum teſtimonia facile conciliari poſſe, capite ſequente, ubi de hoc Perſarum Zoroaſtre dicendum erit, de Perſis philoſophis acturis, demonſtrabimus. Præter hunc vero Zoroaſtrem, alium fuiſſe hujus nominis Perſa vetuſtiorem, & apud Babylonios introductæ vel ſaltem auctæ ſcientiæ ſideralis & magicæ auctorem, evincere nobis videntur, tot veterum teſtimonia, quæ propter aliquas Arabum aſſertiones, rejicere omnesque falſi arguere temerarium eſt, adque evertendam omnem veteris hiſtoriæ veriſimilitudinem aptiſſimum. Neque enim ſcriptores Arabes, etſi patria monumenta crepant, unice audiendi ſunt, qui, judice, literarum harum peritiſſimo POCOCKIO [d] de Zoroaſtre, ſive Zaraduſtho *fabulas prolixas, inanes & quæ recenſeantur, indignas*, enumerant. Immo ex ipſis Arabibus hæc confirmari poſſunt. ELMACINUS enim, [e] non inſtitutam a Zoro-

a) *Lib. I. ſ. 2.*

b) Id quod contendit MENAGIUS *ad h. l.* pro ἑξακόσια auctoritate duorum MSS. ponens ἑξακισχίλια. Paria habet PLUTARCHUS de Iſide & Oſiride.

c) In *Zoroaſter.* conf. BOCHARTUS *l. c.*

d) *Specim. Hiſtor. Arab. p. 147.* de qua re dicetur quoque poſtea.

e) Apud STANLEJUM *l. c. P. XIII. p. 113. P. XIV. p. 160.* idem monente POCOCKIO in *ſpecimine Hiſt. Arab. p. 147.*

Zoroaſtre Perſa, ſed reſtitutam Perſarum ac Magorum religionem aſſerit, in varias antea ſectas diviſam, EUTYCHIUS vero Alexandrinus in annalibus [f] Arabicis diſerte duos Zoroaſtres nominat, unum Nachori tempore, regnante rege Tachmurt, florentem, auctorem religionis Sabæorum, alterum Samardii Magi regno viventem, qui magorum religionem condidit, ædibus igni dicatis, qui idem eſt cum illo Zoroaſtre, quem Darii temporibus floruiſſe Arabes volunt. Quæ Arabum teſtimonia etſi parum auctoritatis nobis habere videntur, habebunt tamen pondus apud eos, qui hujus gentis fide unum nobis Zoroaſtrem effingunt. Nec a veri ſpecie alienum, virum quendam magni ingenii apud veteres Babylonios rituum divinorum & ſideralis ſcientiæ initia poſuiſſe, & ita conſtituiſſe, ut ſuperſtitio inter Chuſitarum progeniem late effloreſcens arcana myſteriorum majora humanis viribus & peculiare cum diis commercium mentientium notitia fulciretur: hujus vero nomine uſum philoſophum Perſo-Medum ad reformandam patriam ſuperſtitionem animum applicuiſſe. Certe obſervationes Chaldæorum ſiderales hujus ætatem longe ſuperant, quorum ſi primus auctor unanimi veterum conſenſu Zoroaſter, fuerit, is a Perſarum philoſopho neceſſario diſtinguendus eſt. Reliquos vero Zoroaſtres non moramur, quos vel inſtituti ſimilitudine, vel arcanæ doctrinæ ratione, vel comparatione cum celebratiſſimo antiquitatis viro ad augendam nationis, unde oriundi erant, gloriam, vel obſcuriſſimæ hiſtoriæ confuſione enatos eſſe, profundius rem expendenti erit probabiliſſimum. Ætatem vero atque tempora vetuſtiſſimi illius Zoroaſtris certa figere, immo vel probabili ſaltem conjectura deſignare, impoſſibile putamus, adeo ubique monumenta fide digna vel deficiunt vel ſibi contradicunt. Illud unum certum eſt, ſi aſtrologiæ inter Chaldæos cultæ Zoroaſter auctor eſt, valde antiquum eum eſſe, & ad adoleſcentiam imperii Babylonici referri debere, in qua ſidera jam obſervata fuiſſe veteres produnt.

Vita Zoroaſtris incerta.

§. XI. Non minori difficultate laborant, quæ de Zoroaſtre referuntur vitæ circumſtantiæ. Cum enim perſonæ inter ſe, quod vidimus, confunderentur, & antiquitatis res fabulis in majorem ſpeciem augerentur, ad incredibilem adeoque humana conditione majorem rationem exaltatæ, fieri non potuit, ut non incertiſſima evaderet tota Zoroaſtreæ vitæ hiſtoria. Nec alia via hic tutius incedi poteſt, quam ut ea, quæ ad Perſam referri debent, vel ſaltem probabilius poſſunt, a reliquis ſecernantur; verum in hoc non exiguus & tantum non fruſtraneus labor eſt. Dabimus tamen eorum, quæ de Medo-Perſa a Græcis & Arabibus referuntur, poſtea hiſtoriam, ubi de eo ſermonem inſtituemus. An ad hunc vel ad Chaldæum referendum ſit, quod PLATO ait, [g] fuiſſe Oromazis filium, incertum eſt; hoc vero certum, ſi Zoroaſter hac appellatione mactatus fuit, non parentem ejus hoc nomine fuiſſe indicatum, ſed virum innuere quem humanis

 majo-

f) *T. I. p. 63. 263.* conſentit ABULPHARAJUS apud HERBELOTUM *Bibl. Orient. p. 931.*

g) In *Alcibiade primo.*

majora præſtitiſſe credebant, ad divinitatem relatum, Deique ita filium vocatum eſſe. Videbimus enim in ſequentibus, Oromaſden boni Dei, ſive principii boni apud Perſas nomen eſſe. Ita enimgenios, ſive deorum filios magnos viros putabant veteres, id quod de Hermete, Pythagora, aliisque docet hiſtoria philoſophica. Refert etiam PLINIUS, [h] riſiſſe Zoroaſtrem eodem die, quo genitus eſſet, atque eidem cerebrum palpitaſſe, ut impoſitam repelleret manum, futuræ præſagio ſcientiæ. Hanc hauſiſſe a præceptore Azonace, [i] meditatumque totis viginti annis in altiſſimis montibus caſeo ſolo victitaſſe, [k] tandemque evaſiſſe aſtrologiæ atque magiæ primum in hac gente auctorem. [l] Precatum quoque, ut igne cœleſti conſumtus obiret, & monuiſſe Aſſyrios, ſuum cinerem conſervarent, ſic enim regnum illis perpetuum manſurum. [m] Addunt his, qui Zoroaſtrem Bactrianum cum Aſſyrio eundem faciunt, Zoroaſtrem Magiæ præſidio fultum, præſidium ſibi regnumque Bactrianum faſcinatis barbarorum animis comparaviſſe, diuque tenuiſſe inconcuſſum. Denique cum Nino Nimrodi filio viribus imparem, artibus & inferorum ſubſidio ſuperiorem congreſſum ſuccubuiſſe; creditum quoque in pugna cecidiſſe, vivum tamen mox apparuiſſe, captumque atque ad triumphum reſervatum cœleſti igni conflagraviſſe. Hactenus Zoroaſtreæ hiſtoriæ conditores, [n] de quibus ex vero atque accurate divus CHRYSOSTOMUS; [o] *Figmenta ſunt, quæ de Zoroaſtre atque Zamolxe circumferuntur, omnia. Qui hiſtoriam de rebus eorum ſcripſerunt, magni fuerunt artifices qua mendaciorum, qua elegantiæ orationis.* Ex diſputatis enim hactenus ſatis, quam incerta hæc omnia immo ἀσύσατα & inter ſe pugnantia ſint, conſtat. Nam quæ de naſcentis Zoroaſtris prodigiis referuntur, riſum certe puerorum excitant, quaſi, ſi verum eſſet, id divinitatis ſignum eſſet, nec naturali vi factum. Quæ vero de Bactriano regno occupato narrantur, DIODORI SICULI bellum Nini Bactrianum cum cura exſequentis [p] auctoritate refutantur, qui Oxyartis meminit, non Zoroaſtris, cui melior fides habenda, quam Trogo, vel Theoni Sophiſtæ, qui etiam ejus meminit. [q] Certe ex putidis lacunis ex quibus Eudoxus & Hermippus millia illa ſex annorum, quibus antiquitatem Zoroaſtris exſtruxerunt, ſua hauſerunt, defumta ſunt. Nec mortis genus, niſi conjectura nos fallit, aliunde excogitatum eſt, quam quod veteres gentiles fulmine tactos deos evadere crederent. [r] Quod ſatis prodit auctor *Recognitionum Cle-*

h) *Lib. VII. c. 16.*
i) *Lib. XXX. c. 1.*
k) *Lib. XI. c. 42.*
l) JUSTINUS *l. I. c. 2.*
m) SUIDAS *l. c.* id de Perſa CEDRENUS prodidit, notante STANLEJO *l. c. p. 115.*
n) Fuſe & eleganti ſermone Zoroaſtream hiſtoriam enarrat JOANNES BISSELIUS *illuſtrium ruinarum Dec. I.*
o) De *S. Babyla Martyre.*
p) *Lib. II. c. 6.*
q) In Progymnaſm. *de compar.* apud URSINUM *l. c. p. 18.* adde ARNOBIUM *l. I. p. 6.*
r) Vid. URSINUS *Analect. S. vol. I. l. II. c. 28.*

Clementis [s] quando narrat, *Miſrajimum a gentibus Zoroaſtrem nominatum, a parente Chamo magicæ artis diſciplinam edoctum, volentem Deum haberi, ſcintillas quasdam ex ſtellis produxiſſe, & hominibus oſtentare cœpiſſe, quo rudes & ignari in ſtuporem miraculi traherentur: cupientemque augere de ſe hujusmodi opinionem, ſæpius iſta molitum fuiſſe, usque quo ab ipſo dæmone, quem importunius frequentabat, igni ſuccenſus concremaretur. Homines vero exſtructo ſepulchro ad honorem ejus tanquam amicum Dei ac fulminis ad cœlum vehiculo elevatum adorare auſos eſſe, & quaſi vivens aſtrum colere. Hinc enim & nomen ejus Zoroaſter, hoc eſt, vivum ſidus, appellatum eſſe, ab his qui poſt unam generationem Græcæ linguæ loquela fuerant repleti. Hoc denique exemplo, etiam nunc multos eos, qui fulmine obierint ſepulchris honoratos, tanquam amicos Dei colere.* Qui locus etſi ſomnia Judæi Alexandrini, philoſophiæ, quæ Ægyptum ſec. II. & III. detinuit, placitis innutriti, [t] & Chriſtianis ſacris accedentis nobis exhibeat, opinionem tamen gentilium, præſertim orientalium, in quarum eruditione non leviter verſatum fuiſſe recognitionum & Clementinorum opus ſatis produnt, eleganter enarrat, ex qua id non ſine probabilitate conficitur, vel extinctum igni cœleſti Zoroaſtrem ad divinitates relatum fuiſſe, vel ſaltem id finxiſſe Aſſyrios Perſasque, apud quos ignis cultus ſummus fuit. Et ex hoc figmento explicanda ſunt obſcura Arnobii verba ſupra allata, cui, ſuper igneam zonam venire, interiore ab orbe Zoroaſter, dicitur.

§. XII. Magiæ præcipuum auctorem atque præceptorem Chaldæis Perſisque fuiſſe Zoroaſtrem, ex dictis conſtat, ſatisque luculenter PLINIUS veterum teſtimoniis nixus, aſſerit. [u] Cum vero duplex veteribus magia ſit, alia θεϱγικὴ alia γοητικὴ, ut prolixius docebimus, ubi Alexandrinæ philoſophiæ placita exponemus, etiam hic in diverſas ſententias itum eſt. Alii enim, & inter hos imprimis Judæorum magiſtri, qui vel Chamum vel Miſrajimum Zoroaſtrem eſſe putant, malorum dæmonum artes & commercium intelligi, & eorum ope mirabilia patraſſe Zoroaſtrem ſtatuunt, quibus recentiori ætate nonnulli accefferunt. [x] Alii vero ab hac infamia Zoroaſtrem liberant, [y] & cum PLATONE, [z] ejus magiam nihil aliud fuiſſe niſi θεῶν θεϱαπείαν, peculiarem Deos colendi modum, contendunt. Nec tamen adeo a ſe diſſentiunt, ut non poſſint aliquo modo conciliari. Etſi enim illud certum eſt, magiam, quam Zoroaſter inveniſſe atque excoluiſſe dicitur, divini cultus ſpeciem ſingularem exhibuiſſe, unde etiam Perſarum reges inter reliquas regiæ diſciplinæ partes hanc Zoroaſtream magiam edocti ſunt, conſtitit tamen illa magia in invo- *Magia Zoroaſtris.*

 catione

s) *Lib. IV. c. 27.*

t) Conf. S. Rev. MOSHEMIUS *Syntagm. diſſert. ad H. E. pertinentium p. 174.*

u) *Loco ſæpius citato.*

x) URSINUS *l. c.* & quos laudat.

y) BAYLE *l. c. not. D.* prolixiſſime vero NAUDÆUS *Apologia magiæ accuſatorum c. 8. p. m. 91. ſeqq.*

z) In *Alcibiade I. p. m. 25.*

catione dæmonum bonorum, & provocatione operationis eorum, per peculiaria incantamenta, cultumque ſingularem, quibus rebus naturalibus ſupernaturalem vim addi dæmonumque bonorum potentias illis alligari credebant ſtatuebantque, non inepte docente FICINO, [a] *ſtatuis, lapidibus, herbis, certo ordine compoſitis dæmonas quodammodo includi, verbis autem ad cœleſtem quandam ſimilitudinem temperatis divinas quasdam dotes diſtribui, & id quidem providente Deo, ut quoties res ipſa poſtulat, rite poſſemus divinum auxilium invocare.* Unde & magia pharmaceutica ad hanc ipſam θεραπείαν relata fuit. Cultus itaque divinus, quem inſtituiſſe Zoroaſter dicitur, nihil aliud fuit, quam rituum illorum divinorum & arcanorum, ad efficienda mirabilia, & evocanda deorum auxilia, adhibitorum myſterium. Certe magiæ ope exercituum vires frangi, copias hoſtium deleri, & panicum iis terrorem immitti poſſe, veteres crediderunt, ut vel ex iis patet, quæ de Bactriano Zoroaſtre contra Ninum viribus magicis dimicante ſupra obſervavimus; & qualem magiæ effectum imbrem illum miraculoſum fuiſſe, qui Antonini exercitum internecioni eripuit, Romani a Chriſtianis ſacris alieni tradiderunt. Neque hic ſacerdotium, quo fungebantur magi apud Perſas, cum magia quæ peculiaris cultus divini eaque arcanior pars fuit, confundendum eſt, [b] cum inter ſe varie differant. Etſi vero bonis dæmonibus has artes adſcribebant orientales populi, facile tamen, quos genios invocaverint, & provocaverint, inde liquet: quæ cauſa fuit, cur potiſſimum ſancti eccleſiæ veteris doctores hanc theurgiam goëtiæ non haberent meliorem. Nec mirum, regem Perſarum hæc inſtituta Zoroaſtrea edoctum fuiſſe, cum enim pleraque, ſi non omnia, ad impoſturam populo faciendam collinearent, regia imprimis hac diſciplina, quo titulo eam mactat PLATO, [c] opus erat, regem inſtrui, ut inde ei arcana dominationis paterent. Eſt enim *ad ſuperſtitionem natura proniſſima barbarorum natio*, recte judicante PLUTARCHO, [d] *qua nihil melius multitudinem regit, quæ alioquin impotens, ſæva, mutabilis, ubi vana religione capta eſt, melius jam vatibus, quam ducibus ſuis paret.* [e] Quod ut omnibus fere temporibus eveniſſe, & apud plerasque gentes veteres uſu veniſſe, facile probari poſſet [f] ſi id ageremus; ita magicam diſciplinam apud Babylonios, quique hoc imperium poſtea occupaverunt, Perſas inſtrumentum dominationis arcanæ fuiſſe regique potiſſimum inſerviviſſe, vel ex ſacræ ſcripturæ locis ſupra adductis patet, & poſtea quoque monebitur, ubi de Perſarum magis diſſerendi locus erit. Certe varias & illicitas artes hanc diſciplinam Zoroaſtream continuiſſe, licet bonis dæmonibus, ſive, quod idem eſt, diis evocatis eas adſcripſerint, ex dictis liquet. Etſi vero Zoroaſter & aſtrologiæ &

a) In argumento *Cratyli p. m. 209.*
b) Recte hoc notatum cl. CLERICO *Indic. Philolog. ad Hiſt. philoſ. orient. Stanleji*, voce *Magus.*
c) *l. c.*
d) In *Sertorio.*
e) CURTIUS *l. IV. c. 10.*
f) Conf. URSINUS *l. c. Sect. VII. p. 56.*

& magiæ ſtudium ſuis commendavit & inſtituit, & utrumque ita ſororio vinculo junctum fuit, ut communem vaticinandi, & mirabilia vel prædicendi vel patrandi ſcopum habuerint, diſtincti tamen poſtea aſtrologi a magis, ut ſupra obſervatum eſt, unde ἐπαγγελείας διαφόρους οὔσας vocat ORIGENES. [g] Errant itaque, [h] qui ex magia Zoroaſtrea nobis cognitionem elementorum rerumque naturalium exſculpunt, & neſcio quam phyſices cognitionem vetuſtiſſimis magis tribuunt. Ceterum cum magiæ peculiaris genus fuerit pyromantia, & huic operam poſuiſſe Zoroaſtrem vir quidam doctus [i] conjicit, ſolitum ignes cœleſtes elicere, & afflatu tandem eorum interiiſſe, quod & Tullo Hoſtilio accidit: potuiſſe enim hoc cacodæmonis opera, vel divino permiſſu fieri, vel certe fingi, ut Moſi, ut Eliæ, prophetarum principibus quoquo modo faceret parem Zoroaſtrem, aut etiam ſuperiorem. Quæ tamen, cum ſolam illam traditionem, Zoroaſtrem ignes cœlitus evocantem fulmine periiſſe fundamentum agnoſcant, quam a teſtibus fide parum dignis profectam eſſe, evicimus, fruſtra dicuntur, nec cacodæmonis operationes temere advocandæ, cum ſola præſtigiatorum aſtutia artesque ſufficiant, ut, qualis Zoroaſtris diſciplina in hac re fuerit, explicari queat. Plura in tantis tenebris nonniſi extrema audacia conjicere licet.

§. XIII. Solent ad Zoroaſtrem ſcripta quoque quædam veluti auctorem referri, quæ antiquiſſimis temporibus jam tributa ei eſſe, PLINIUS [k] prodit, qui refert, *Hermippum Smyrnæum*, qui ſub Ptolomæis claruit, [l] *libro περὶ μάγων de tota arte magica diligentiſſime ſcripſiſſe, & vicies centum millia verſuum a Zoroaſtre condita, indicibus quoque voluminum ejus poſitis explanaviſſe.* Intercidit vero iſtud Hermippi opus. Superſunt tamen tituli, unde patet, aſtrologica, phyſica, magica, chemica atque politica ſive theologica ei tribui. Verum non tantum ſuppoſitionis omnia illa ſcripta ſuſpecta ſunt, ſed ſi quid eorum vel aliquid eis ſimile unquam extitit, ad Perſarum Zoroaſtrem antiquiſſimis Chaldæorum temporibus multo juniorem, ejusque affectas referendum eſt. Quare de iis agere hic quidem ſuperſedemus, amplius de iis tractaturi, ubi Perſarum ſapientia enarranda eſt. Interim conſulendi ſunt LAMBECIUS [m] & FABRICIUS. [n] *Scripta Zoroaſtri tributa.*

§. XIV. Præter Zoroaſtrem apud Aſſyrios Belus imprimis prædicatur inventor cultorque ſideralis ſcientiæ. De eo vero non minus obſcuriſſima fabularumque plena ſunt omnia, quæ referuntur. DIODORUM [o] ſi ſequimur, Belus quidam Neptuni Libyæque filius coloniam ex Ægypto Babylonem deduxit, poſitaque apud Euphratem ſede, ſacerdotes pro more Ægy- *Belus.*

g) Adverſus CELSUM *l. I. p. 25.*
h) ARNOLDUS in ſpicilegio ad Urſinum *p. 46.* & quos fuſe laudat *p. 50.*
i) URSINUS *l. c. p. 35.*
k) *l. c.*
l) Vid. JONSIUS *de ſcript. hiſt. philoſ. l. II. c. 9. p. 161.*
m) In *prodromo hiſtoriæ liter. p. 79.*
n) *Bibl. Græc. vol. I. p. 245.*
o) *Lib. I. p. 24.*

Ægyptiorum inſtituit, impenſis ac oneribus publicis ſolutos, quos Babylonii Chaldæos nominant; hi aſtra obſervaverunt, imitati ſacerdotes Ægyptios, qui phyſici ſunt atque aſtrologi. Huic [p] Belo, addit, filiam Semiramim templum media Babylone exſtruxiſſe, quod ſummæ erat altitudinis, in quo Chaldæi ſiderum contemplationi vacaverint, ortusque & occaſus accurate notaverint: quod templum adhuc durare Belumque fuiſſe inventorem ſideralis ſcientiæ PLINIUS [q] ſcripſit. Quæ quidem, viro cuidam docto [r] ſi in ſe ſpectentur, atque præſtruatur, Neptunum eſſe Chus Nimrodi patrem, Ægyptumque olim latius patuiſſe, atque ultra Rhinocoluram porrectam, quandam Arabiæ partem, in qua juxta Homerum Nyſa Bacchi patria, comprehendiſſe, veritati conſtare videntur: aperte tamen veterem Ægyptiorum jactantiam ſe ſolos omnibus terrarum orbis regionibus colonias dediſſe ſapiunt, [s] quam ſupra veritati non affinem eſſe jam monuimus; multaque præſtruunt, nondum evicta, immo aperte confuſas Græcorum mythologias cum barbararum gentium originibus produnt. Accedit admodum incertam redditam eſſe hiſtoriam Beli, eo, quod divinis honoribus mactatus eſt. Unde cum Baalis cultus apud Orientales fuerit communiſſimus. Vocabulum hoc appellativum eſſe, perinde ut Jovis, ut Deum denominaret, ſive ſolem, ſive aliud numen, multis viris eruditis placuit. [t] Jovis enim nomen Beli apud Græcos & Latinos plerumque addi conſtat, & Sanchuniathon auctor eſt, [u] Saturno tres in Peræa liberos natos Saturnum patri cognominem, Jovem Belum, & Apollinem. [w] Quibus & hoc addendum, plures Belos veteribus commemorari, Aſſyrium, Babylonium, Ægyptium Tyrium, ita ut incertum ſit, quid de Belo ſideralis doctrinæ auctore ſtatuendum ſit. Quodſi conjecturis tamen locus dandus eſt, non dubitandum putamus, fuiſſe aliquem inter Aſſyrios celeberrimum virum, qui attendendi ad ſiderum curſus primam occaſionem exhibuerit, vel hoc ſtudium inter hos populos ad certam diſciplinæ rationem promoverit, quoniam eam firmando imperio, & flectendis populorum orientalium ad cultum aſtrorum, & enatam ex eo ſuperſtitionem proclivium animis utiliſſimam videret; hunc ſcientia & auctoritate gravem poſt mortem inter numina relatum, divinoque cultu honoratum, vel tum demum Beli nomen, ſoli vel aliis diis tribui ſolitum, accepiſſe, vel Beli nomen antea jam datum inter divinos numinum titulos retuliſſe: alias tamen gentes vel æmulatione ductas ſibi hunc Deum vindicaſſe, vel alios viros bene meritos eodem nomine, in oriente ſatis frequenti donaſſe. Etſi vero hæc pro conjecturis tantum venditamus, ſua tamen iis conſtat veriſimilitudo. Nam ita facile

p) IDEM *l. II. p. 69.*

q) *Lib. VI. c. 26.* conf. SOLIN. *in Polyhiſt. c. ult.*

r) JO. FRID. SCHROEERO in *imperio Babylonis & Nini Sect. I. §. 23. p. 69.*

s) Unde & pro Ægyptiis hæc a Diodoro referuntur.

t) Vid. quos laudat SCHROEER. *l. c. p. 70. not. a.*

u) Vide quæ diximus in *Otio Vindelico Mel. III. p. 226. ſeq.*

w) Apud EUSEB. *de præpar. Ev. l. I. c. 10.*

cile conciliantur diverſiſſimæ veterum narrationes, & quæ Græci de ortu Beli ex mythologiis ſuis nugantur, lucem capiunt, ex relata ad Belum divinitate. Nec objici poteſt, quod eruditiſſimo VITRINGÆ, Belum Babyloniorum Deum, ad Belum Nini patrem, monarchiæ Babylonicæ primum conditorem referri non poſſe aſſerenti, placuit, [x] idololatriam orientalium longe diverſam fuiſſe a Græcanica, quæ illuſtres fato functos religioſe venerandos propoſuit. Scilicet orientalem idololatriam verſatam eſſe circa naturas cœleſtes aut infernas ſive ſubterraneas. Nam ut negari quidem non poteſt, naturas divinas, quas in elementis reſidere putarunt orientales, ab iis cultas eſſe, ſicque aëra, ſolemque veneratos eos eſſe [y] fruſtra tamen negatur, viros ſummos immortaliter de republica meritos ad aſtra non evectos & ad divinitatem relatos eſſe; [z] cujus contrariam ſententiam per omnem fere veteris orientalis theologiæ ambitum cernere licet, & de Perſarum quoque diis poſtea obſervabimus. Nec locum habere poteſt illa diſtinctio inter idololatriam orientalem atque Græcanicam, cum Græci hunc bene meritos divino cultu venerandi viros morem a barbaris acceperint, ut vetuſtiſſimorum Græcorum hiſtoria manifeſtum facit, & ex theogoniis Græcorum rei periti facile diſcent: unde & theogonia Beli apud Sanchuniatonem hanc ſententiam magis confirmat quam deſtruit. Significationes enim deorum & circumſtantiæ hiſtoricæ ſerius in phyſicas & philoſophicas rationes mutatæ ſunt, ubi philoſophi popularem religionem emendarunt. Quis vero iſte Belus fuerit, an Chamus, quod nonnemo contendit, an Ninus Nimrodi pater, an alius, id incertum eſſe, nec probabili ratione definiri poſſe putamus, adeoque incertiſſimas conjecturas aliis relinquimus.

§. XV. Recentior eſt, certiori vero notitia nobis notus Beroſus, ſive, ut Græcis dicitur Beroſſus. [a] De cujus ætate diſſentiunt quidem viri eruditi, quorum aliqui loco quodam TATIANI [b] adducti, Ptolomæi Philadelphi temporibus eum vixiſſe autumant. [c] Qui tamen ſi attendiſſent, ipſum Tatianum diſerte dicere, eum κατ' Ἀλέξανδρον γεγονότα, *Alexandri ætate fuiſſe*, [d] & meminiſſent, Beroſum, apud SYNCELLUM, ipſum referre, *Beroſus.*

x) *Ad Jeſaiam XLVI, 1. T. II. p. 601. ſeq.*

y) Videndus MAIMONIDES *de idololatria.* VOSSIUS *in theol. gentili.* CHERBURIUS *de religione gentilium*, alii. Unde recte monet HUETIUS, uni eidemque fabulari Deorum perſonæ diverſas adjunctas fuiſſe ſignificationes, unam phyſicam alteram hiſtoricam. *Dem. Ev. P. IV. c. X. §. 5. p. 153.*

z) Conf. SPENCER. *de LL. Hebr. rit. l. I. c. 3. p. 237.* & quos laudat.

a) Idem hoc ſonare ad בר הושע contendit JOS. SCALIGER *Obſ. ad Euſeb. p. 248.*

b) *Adv. Græcos c. 58. p. m. 171.* ed. Pariſ. & apud EUSEB. *Præp. Ev. c. XI. p. 493.*

c) VOSSIUS *de Hiſt. Græcis l. I. c. 13. p. 85. ſeqq.* quem exſcribit STANLEJUS *Hiſt. phil. P. XIII. Sect. I. c. 6. p. 117.*

d) Quod tamen ita interpretantur, extremis Alexandri temporibus natum fuiſſe, & ad Antiochi Θεοῦ tempora vitam produxiſſe.

re, circa Alexandri Macedonis tempora ſe floruiſſe [e] Manethone, qui ſub Ptolomæo Philadelpho vixit priorem, [f] dubio & vix ſano Tatiani loco, qui ſibi ipſi contradicit, excogitatis ſine fundamento conciliationibus medelam fruſtra afferre [g] non tentaſſent: [h] nec creditum fuiſſet beato JUSTINO MARTYRI [i] Sibyllam Cumanam hujus Beroſi fuiſſe filiam, in quo nominum & traditionis vetuſtæ confuſione deceptum fuiſſe virum ſanctum, quilibet videt: [k] Erat vero Beroſus hic Babylonius, Beli ſacerdos, qui progreſſus in Aſiam tandem in inſula & civitate Coo conſedit, ibique, teſte VITRUVIO, diſciplinam aperuit, Chaldæorumque genethlialogiam atque aſtrologiam tanto applauſu docuit, ut ob divinas prædictiones Athenienſes ei publice in Gymnaſio ſtatuam inaurata lingua poſuerint. Non tantum vero diſciplinas Chaldaicas Græcos primus docuit, ſed & hiſtoriam Chaldæorum edidit, & multas veteris ævi notitias conſervavit, editis *Chaldaicis* ſive *Babylonicis*. Quæ cum temporis injuria deperdita eſſent, præter fragmenta aliqua, quæ apud veteres ſcriptores paſſim inveniuntur, [l] repertus eſt audax impoſtor Monachus ANNIUS Viterbienſis, qui efficta veterum & inter hos Beroſi quoque monumenta pro genuinis orbi obtruderet, fraudem tamen ita manifeſte prodens, [m] ut mirandum ſit, fuiſſe viros eruditos, & in arte critica exercitatos, [n] qui impoſtoris mendaciis decipi ſe paſſi ſunt.

Chaldæi philoſophi alii.

§. XVI. Præter celeberrimos hos Chaldæorum ſapientes alii quoque paſſim narrantur, magis tamen magia, quam aſtrologia celebres. Meminit enim PLINIUS [o] præter Azonacem, Zoroaſtris præceptorem, Marmaridium Babylonium, & Zarmocenidam Aſſyrium, qui tamen ſoli nominantur, & quorum nulla exſtant monumenta. SUIDAS porro Zoromaſdren nominat, qui mathematica & phyſica ſcripſerit, & Teucrum Babylonium, qui de Decanis egerat: cujus hodie, ſub Zeuchi nomine quædam aſtrologica inter mſſc. feruntur, [p] quique in libris ſuis, multa admiranda congeſſiſſe PSELLO dicitur [q] ſunt quoque apud STRABONEM [r] Cido-

e) In *Chron. p. 14. 28.*

f) Idem *l. c. p. 40.*

g) Ita VOSSIUS *l. c.* ſatis operoſe, ſed ingenioſe magis quam veriſimiliter

h) Recte hoc notatum J. PERIZONIO in *Orig. Babylon. c. I. p. 14. ſeq. & in add. p. 333. ſeqq.* & SCHROEERO *l. c. §. 10. p. 39.*

i) *Cohortatione ad Græcos p. m. 39.* ed. Pariſ.

k) EX PAUSANIA enim in *Phocicis c. 12. p. 828.* diſcimus, Sabbam, Sibyllam Babyloniam, vel Chaldæam, Beroſi & Erymanthes filiam habitam fuiſſe. Idem refert SUIDAS in *Sibylla.* Forte de alio Beroſo hoc traditum eſt Syris & Chaldæis, quod de noſtro intellexit Juſtinus.

l) Collegit ea SCALIGER ad calcem libri *de emendatione temporum*, plenius tamen FABRICIUS *Bibl. Gr. vol. XIV. p. 175. ſqq.*

m) Conſulendi quos nominat FABRICIUS *l. c. p. 217.*

n) Quos IDEM *l. c.* nominat, quibus adjiciendus DIONYSIUS GOTHOFREDUS præf. *in antiquæ hiſt. auctores*, quem hoc nomine caſtigat VOSSIUS *de hiſt. Græc. l. I. c. 13. p. 87. ſeq.*

o) *Lib. XXX. c. 1.*

p) LABBEUS *Bibl. nov. mſc. p. 278.*

q) Vid. FABRICIUS *Bibl. Græc. vol. II. p. 517.*

r) *Lib. XVI. p. 509.*

Cidonas, Naburianus, Sudinus, Seleucus Seleucienſes, de quibus tamen, cum ignota & incerta nomina ſint, nihil dici poteſt. Adderemus Zabratum, a quo Pythagoram purgatum fuiſſe omnibus vitæ priſtinæ ſordibus, & edoctum, quarum rerum probos expertes eſſe oporteret, uti & phyſicam quidam referunt; quem Zaratum alii, Nazaratam Aſſyrium quidam nominant; niſi ſuo loco oſtendendum eſſet, fabulam eſſe totam illam Pythagoræ apud Babylonios inſtitutionem. Ejusmodi enim nugarum vetus hiſtoria tota plena eſt.

§. XVII. Horum virorum iisque ſimilium ſtudio effectum eſt, ut non exigua commendatione Chaldæorum philoſophia efferretur, quæ non tantum ab Orientalibus & Græcis, [s] verum etiam a Judæis [t] & Chriſtianis [u] maximopere commendata fuit. Ordo itaque & inſtituti ratio poſtulat, ut de Chaldaica philoſophia pluribus agamus. Quemadmodum vero Chaldaicorum philoſophorum hiſtoriam deprehendimus incertiſſimam, multisque tenebris obſeptam, ita Chaldaicæ philoſophiæ quoque hiſtoria non minus impedita eſt, caremusque iis monumentis, unde diſcere liceret, quæ Chaldæis philoſophis placita arriſerint. Scripſit quidem Beroſus teſte JOSEPHO [x] *de aſtronomia & de philoſophumenis Chaldæorum*, qualia etiam Democrito [y] atque Juliano [z] tribuuntur: verum ea injuria temporis deperdita ſunt, & pauca nobis Græcorum diligentia ſervavit. Non exigua quidem apud Arabes paſſim inveniuntur; ex quibus ſua decerpſerunt, POCOCKIUS, HOTTINGERUS, HYDEUS, TRIBBECHOVIUS, BEAUSOBRIUS alii; verum quam exigua ipſis fides habenda ſit, vel ex ætate, qua vixerunt, ab antiquiſſimis iſtis temporibus longiſſime remota, & ſuppoſititiis, ad quos provocant, veterum ingenii fœtibus, facile judicari poteſt. Extant quidem *Oracula* Zoroaſtri tribui ſolita, ex quibus aliquod philoſophiæ Chaldaicæ compendium nobis exſtruxerunt HEURNIUS, PATRICIUS, STANLEJUS. Verum ea, ſi genuina eſſent, ad Zoroaſtrem juniorem ſive Perſo-Medam rectius referri, & quicquid de iis traditur, νοθείας maxime ſuſpectum eſſe, & aperta fraudis ex ſcholis Alexandrinæ philoſophiæ profectæ veſtigia præ ſe ferre, [a] capite ſequenti, ubi commode de iis magis dicendi locus erit, demonſtrabimus. Contentos itaque oportet nos eſſe ſi a recentioribus commentis decipi nolimus, iis, quæ veteres ætate propiores, & fide poſterioribus ſuperiores de Chaldæorum placitis nobis reliquerunt, etſi illa ſatis quidem ſint pauca atque tenuia. Commode vero, pauca illa, quæ veteres de Chaldaicis placitis nobis tradiderunt, in tres

Chaldaica philoſophia incerta.

s) DIODORUS *l. II. p. 69.*

t) PHILONIS & JOSEPHI loca ſupra laudavimus.

u) Præſertim a CLEM. ALEXANDRINO, TATIANO aliisque.

x) Contra *Appion. l. I. c. 12.*

y) Cujus λόγον Χαλδαϊκὸν memorat LAERTIUS.

z) SUIDAS v. *Julianus.*

a) Idem de PSELLI *Chaldaicorum dogmatum expoſitione*, ut opus ſuum de dæmonibus vocat, aliisque Platonicorum libris de doctrinis Chaldaicis tenendum.

claſſes diſpeſcemus, quarum prima Chaldæorum doctrinam de Deo, & cultu ejus arcano ſive magia; ſecunda, doctrinam de mundi generatione rebusque naturalibus; tertia doctrinam de aſtrologia & eventibus ſiderum exhibebit.

Chaldæorum doctrina I. de Deo.

§. XIIX. De Deo ejusque cultu ita Chaldæos tradidiſſe referunt:

I. *Eſſe Deum omnium regem, parentemque, cujus providentia univerſorum ordo atque ornatus factus eſt.* Hanc doctrinam recte Chaldæis adſcribi difertum non tantum DIODORI SICULI teſtimonium[b] probat, ſed & vetuſtis monumentis edoctus tradidit EUSEBIUS: [c] & a veteri oraculo ſupra §. III. laudato iis tribuitur. Nec ratio dari poteſt, quomodo arcanus deorum cultus, qualis apud Chaldæos viguit, immo publica quoque deos colendi ratio ſine hac doctrina conſiſtere potuerit. Etſi enim ad ſpiritus cœleſtes utrumque cultus genus referendum eſt, neceſſario tamen ſupponendus eſt, fons omnium ſpirituum, Deus ſupremus, cujus eſſentiam per univerſum mundum tanquam animam diffuſam eſſe ſicque omnes mundi partes ſpiritus continere magnos, & quo nobiliores illæ partes ſunt, ſpiritus quoque habere præſides nobiliores & majores, ex iſta anima mundi divina decerptos, non Chaldæa tantum, & Ægyptus, ſed univerſus fere gentiliſmus vetuſtiſſimus credidit. Et hic genuinus omnis idololatriæ fons eſt, poſtquam prima ejus rudimenta, quæ plebeja fuere, & a cultu divino virorum de republica maxime meritorum ortum traxerunt, rationibus philoſophicis a ſapientibus orientalibus emendata ſunt. Quem ſi clavem theologiæ Chaldaicæ adhibemus, facile nobis, quæ de divino cultu iis ſpiritibus tribuuntur, intelligere licet. Male itaque hanc Chaldæorum doctrinam vel intellexit PHILO, [d] vel a LIPSIO [e] & BUDDEO [f] impietatis notam ex ejus teſtimonio Chaldæis inurentibus intellectus eſt, quando inter alia: *Chaldæi præ ceteris nationibus elaboraſſe videntur artem aſtronomicam & genethliacam, terrena ſublimibus, & cœleſtia coaptando terreſtribus, tanquam ratione muſica oſtendentes rerum concentum pulcherrimum, per iſtos univerſi partium affectus mutuos, disjunctarum quidem locis, ſed cognatione non item. Hi ſuſpicati ſunt mundum, quem videmus, aut ipſum eſſe Deum ſolum, aut eam, quæ inſit, univerſalem animam, ἐν ἀυτῷ θεὸν περιέχονται τὴν τῶν ὅλων ψυχὴν, quam ubi ſub nomine fati & neceſſitatis conſecrarunt, ſumma impietate repleverunt vitam humanam, perſuaſam, quod præter hæc, quæ videntur, nulla ſit rerum cauſa alia, ſed ſolis, lunæ, ſtellarumque curſus tam bona quam mala diſpenſent ſingulis.* In quibus verbis Philo vidit quidem aliquid, quod recte Chaldæis tribuitur, habitum Deum pro univerſi anima, per omnes mundi partes ſe diffundente, male tamen id ad ipſas mundi partes retulit, mun-

b) *Loco* ſæpius *citato.*
c) *Præp. Ev. l. IV. c. 5.*
d) *de migratione Abrahami p. m. 415. ſeqq.*
e) *Phyſiol. Stoic. l. II. diſſ. 10. p. m. 182.* qui tamen Stoico ſenſu minus recte hæc Chaldæis tribuit.
f) *De Spinociſmo ante Spinozam §. 20.* conf. tamen *theſ. de Atheiſmo c. I. §. 8. p. 16.*

mundum & aſtra imprimis Deum habita fuiſſe putat, cum potius ſpiritus illi cœleſtes, quos his mundi partibus præſidere putabant, & ex quorum providentia & influxu ſidera regi, & mirabilem illum ſuperiorum & inferiorum concentum, neceſſitatemque fatalem oriri credebant, a Deo ſummo emanatione quadam vel, ſi mavis, modificatione animæ mundanæ (quo ſenſu enim acceperint, incertum,) derivandi ſint, eumque ſupponant. Unde ab atheiſmi labe Chaldæos liberare nulli dubitamus, licet argumentum illud, quod pro eorum cauſa defendenda ex oraculis Chaldaicis, deſumunt viri eruditi, [g] leve admodum ſit, quoniam genuina ea non eſſe in confeſſo eſt. Non negamus tamen impietatem hanc doctrinam non ultimam tegere, & veritatem unius Dei in injuſtitia detentam ab iis eſſe, quod D. Paulus queritur. Non tamen inde mox Spinoziſmus exſculpi poteſt, cum erroneus hic de Deo conceptus idololatriam magis, quam atheiſmum genuerit. Ceterum ad hunc ſummum Deum Baalis cultum eos retuliſſe, nec alium intelligi poſſe per Jovem Belum a Chaldæis cultum, ex ſupra dictis conſtat. Etſi enim Belum regem prima Chaldæorum ſuperſtitio divino honore coluit, factum tamen eſt poſtea, ut ſapientum emendatione, quæ de Belo rege tradebantur, ad Deum ſummum ab illis referrentur; qua ratione ea, quæ de Baale Deo in ſacris literis referuntur, cum veterum traditionibus facile conciliari poſſunt [h] & ratio reddi, cur Deus nomen Baalis, quod ſua ſignificatione dominum notat, abhorruerit.

II. Poſt Deum, eſſe ſtatuebant Chaldæi, ſecundum genus deorum, ſequens dæmonum, quartum heroum. Hæc Chaldæis veterum monumentis uſus tribuit EUSEBIUS. [i] Quod ſi oracula genuina eſſent, luculentius hos deos dæmonas & heroas deſcribere poſſemus: diſtribuunt enim illa ſpiritus, in intelligibiles, intellectuales fontes, principia, deos certæ zonæ, alios nulli aſtrictos, angelos & dæmonas. Verum ipſa hæc diſtributio νοθείας ſuſpecta facit oracula. Nomina enim, immo res ipſa, qua nomina nituntur, ex Platonicorum recentiorum, ſive Alexandrinorum ſchola deſumta ſunt, apud quos, jam ante C. N. in Ægypto hæc de ſpiritibus doctrina invaluit teſte libro Sapientiæ, ut alibi demonſtravimus. [k] Nec ita ideis abſtractis aſſuefacta fuit orientalis philoſophia, ſed notionibus potiſſimum corporeis alligata, quæ indoles ejus hanc diſtributionem plane reſpuit. Non improbabile tamen, in varias claſſes eos Chaldæos diſtribuiſſe, id quod ratio theurgiæ quoque poſtulat. Summum enim univerſi regem in luce inacceſſibili habitare, nec adiri poſſe niſi mediantibus ſpiritibus mediatoribus univerſi fere orientis dogma fuit, non in Ægypto modo, ut

II. De dæmonibus.

g) Ven. JO. CHR. WOLFIUS *de atheiſmi falſo ſuſpectis S. II. §. 5. p. 23.* conf. J. F. REIMMANNUS *Hiſtor. Atheiſmi c. VI. p. 71. ſeqq.* qui recte teſtimonium ex oraculis petitum rejicit.

h) Conf. doctiſſimus SELDENUS *de Diis Syris Synt. II. c. 1. p. m. 194.* VITRINGA *ad Eſ. XLVI, 1.* & alii multi.

i) *Præp. evang. l. IV. c. 5.*

k) In diſſ. *de veſtigiis philoſophiæ Alexandrinæ in libro Sapientiæ. Miſcell. Berolin. T. V.*

JAMBLICHUS [l] expoſuit, ſed & apud Chaldæos, Perſas, Indosque occurrens, ut ex iis patebit, quæ de harum gentium theologia in ſequentibus dicentur. Difficile tamen definire, quas claſſes conſtituerint: quas licet nominent PORPHYRIUS, JAMBLICHUS, PSELLUS, quique ex hoc hominum genere alii pneumatologiam Chaldaicam ſe tenere jactaverunt: æque ſuſpecti tamen ſunt fraudis & impoſturæ, ac hæretici Chaldaica myſteria crepantes, & neſcio quas æonas, ſive ſpiritus ex ineffabili & inacceſſibili profunditatis divino abyſſo emanantes, jactabundi proferentes: utrique enim antiquiſſimis Chaldæis theologiam ſuam ſuppoſuiſſe, ſuo loco luculenter demonſtrabitur. Cavendum itaque, ne recentiora placita vetuſtiſſimis temporibus ſupponamus, & incertæ conjecturæ ſuſpectæque traditiones ſuo loco relinquendæ ſunt.

III. De Dæmonibus malis.

III. Præter hos deos veros, qui bona vera conferunt, dari, aſſeruerunt Chaldæi, genus quoddam dæmonum natura deceptorium, multiforme, quodque ſpecies deorum & geniorum ac animarum mentitur, quique vere ſunt *ἀντίθεοι*. Hanc doctrinam Chaldaicam eſſe non tantum JAMBLICHUS [m] contendit, ſed & PORPHYRIUS [n] & PROCLUS paſſim, [o] & ex noſtris ARNOBIUS, [p] qui jubet: *Chaldæos cum barbaris reliquis interrogare, qui in interioribus viderunt, & cognoverunt hæc artibus, ut diſcant gentes, quisnam ſit unus Deus, vel ſub eo, qui plurimi qui deos ſe fingant, & humani generis imprudentiam ludant. Hos eſſe antitheos, qui ſæpius obrepant pro accitis, eſſe autem hos quosdam ex materiis craſſioribus ſpiritus, qui deos ſe fingant, neſciosque mendaciis & ſimulationibus ludant.* In hoc vero dogmate varia iterum in theologiam gentilem irrepſiſſe, ex quo miraculorum Chriſti, & diſcipulorum malos dæmonas catervatim ejicientium fama per univerſum terrarum orbem percrebuit, vel inde colligi poteſt, quod totam ſuam theurgiam miraculoſæ huic divini Servatoris potentiæ, ad ſiſtenda reipublicæ Chriſtianæ incrementa, & fulciendam, quæ ruinam minitabatur, religionem gentilem, hi homines oppoſuerint. Nec multum huic ſententiæ repugnat, Chaldaica hæc eſſe, & Chaldæis accepta ab his hominibus referri: eos enim fraudem nullam in ejusmodi argumento pertimuiſſe, ſuo loco manifeſtis exemplis probabitur. Neque tamen temere negandum eſt, præter ſpiritus bonos, vetuſtiſſimas gentes, & in his quoque Chaldæos, Perſas, Ægyptiosque malos ſpiritus materiæ craſſioris vehiculo malos factos admiſiſſe, & in iis depellendis theurgiæ quoque rituumque divinorum efficaciam poſuiſſe. Cujus exemplum nobis conſervavit PLUTARCHUS [q] qui refert: *Pythiadi uſu veniſſe, ut deſcenderet in opertum oraculi, velut invita, ut ajunt, & animo minime alacri. Statim autem in primis reſponſionibus apparuiſſe ex aſperitate vocis*

l) *de myſteriis Ægyptiorum Sect. VIII.*
m) *De myſter. Sect. III. c. 31. p. 102.* & GALE *ad h. l.*
n) Vid. *de abſtin. ſ. 45. 46.*
o) In *Alcibiade:* addi poteſt PSELLUS *de operatione Dæmonum.*
p) *Adv. gentes l. IV. p. m. 133.*
q) *De defectu oraculorum.*

vocis eam, inſtar navis vento impulſæ, non ſuſtinere vim ſpiritus, & repletam fuiſſe alio & malo ſpiritu. Ejusmodi quoque malos ſpiritus dari, vel ex traditione lapſi humani generis, per malum genium ſeducti cognoſci potuit, vel ex ipſo illo ſyſtemate quod in his terris regnabat, lucem & tenebras ſibi opponi atque invicem pugnare, ad poſteriorem enim cum materialia relata ſint, neceſſario inde fluebat, ſpiritus materia craſſiori indutos malos eſſe bonisque adverſantes. Et hæc quoque in Chaldæa viguiſſe, ea quæ ſacræ literæ paſſim de vitandis veneficis referunt, præſertim in hiſtoria Bileami, ſatis produnt. Qualia vero Chaldæorum de his malis dæmonibus & antitheis ſententia fuerit, deficientibus monumentis fide dignis nos quidem ignoramus.

IV. Hæc ad interiorem ſine dubio diſciplinam apud Chaldæos pertinebant, quos myſteria ſua non niſi initiatis propalaſſe, arcani diſciplina per omnem orientem culta probat. Quod publicam de divinis doctrinam attinet, ſolem, lunamque & aſtra reliqua Deos venerabantur, & imprimis erratica ſidera colebant Chaldæi. Id res veteres & imprimis cultum ſolis apud gentes has & vicinas inſpicienti erit certiſſimum, & vel ex ſolo JOBI, [r] Chaldææ, ut videtur, valde vicini loco luculenter colligi poteſt, & hos potiſſimum Chaldæorum deos eſſe DIODORUS [s] & HERODOTUS [t] referunt. Nec magnopere refragabimur viro docto, [u] qui per Belum apud JESAIAM, ſolem, per Nebo, lunam, Deos Chaldæorum celeberrimos intelligit, modo id recte explicetur. Lunam enim alio quoque nomine Nergal dictam a Babyloniis ac Meſopotamenis, & ab Aſſyriis ſub Veneris cœleſtis nomine cultam eſſe admodum probabile eſt: [x] nec alia eſt regina Beeltis, de qua cum Belo Babyloniæ gentis auctore loquentem inducit Nebucadnezarem fragmentum Abydeni apud EUSEBIUM. [y] Verum hanc quidem divinitatis rationem ſideribus his cœleſtibus datam eſſe apud plebem, dubium nullum eſt; aliter tamen ſapientes, qui maximam DEI emanationis partem, ſive animæ mundanæ nobiliſſimum primumque ſpiritum hiſce ſideribus præſidere & in iis habitare ſtatuebant, ut ex iis, quæ ſupra jam monuimus conſtat. Nec aliter in his Aſſyrii reliquique harum regionum populi, [z] quam aliæ orientis gentes, apud quas usque ad extremos orientis ipſiusque Americæ terminos [a] hic cultus ſolis & lunæ, ab antiquiſſimis primisque nationibus forte traductus penetravit. Et huc quoque referenda ſunt, quæ de tribus idolis apud Aſſyrios tradit MACROBIUS,

IV. Doctrina publica de divinis.

r) *Cap. XXXI, 27.* ad quem locum conſulendi interpretes & JO. OWENUS *theologum l. III. c. 4. p. m. 182. ſqq.*

s) *l. c.*

t) *Lib. I. c. 181.*

u) VITRINGAE *T. II. Comm. p. m. 601. ſeqq.*

x) Vid. IDEM *ad c. X, 10. p. 271.*

y) *de præp. Ev. l. IX. p. 456.* conf. TH. HYDE *de rel. vet. Perſ. c. 2. p. 67.*

z) Conferre juvabit, quæ hac de re eruditiſſime differit JO. SELDENUS *de Diis Syris Proleg. c. 3. p. 25. ſqq.* qui etiam *p. 35.* formulam juramenti Aſſyrii per ſidera affert.

a) Conf. KIRCHER. *Oedip. Ægypt. P. I. p. 406. 421.*

BIUS, [b] ſoli dicatis, Adadi, Adonidis & Jovis Heliopolitæ. Caute tamen in numinibus orientalium referendis audiendi ſunt Græci: illi enim præpoſtero, peregrina numina cum ſuis comparandi ſtudio ſeducti, veras rationes iſtorum numinum miſere conturbaverunt, magnasque nobis excitaverunt tenebras. Unde etiam de reliquis diis, quæ apud AMOSUM [c] & LUCAM [d] occurrunt, Moloch, Chiun & Remphan, quibus ſidera apud has nationes culta eſſe, eruditi ſtatuunt, [e] nihil afferimus, cum pleraque ex hac ipſa confuſione facta ſint incertiſſima; nosque non hiſtoriam religionis Chaldaicæ, ſed philoſophiæ ſcribamus. Hoc certum eſt, reliquas quoque ſtellas, imprimis Zodiaci a Chaldæis cultas eſſe, cujus ratio philoſophica ex ſemel poſito principio deſumi poteſt. Aërem tamen & terram utrum Deos coluerint, incertum dubiumque admodum, etiamſi id aſſerant JULIUS FIRMICUS [f] & MACROBIUS. [g] Uterque enim ſimilitudine & comparatione cum diis Græcorum deceptus eſt. [h]

V. Magia. §. XIX. Ex hac theologiæ Chaldaicæ conditione atque conſtitutione duplex illa diſciplina exorta eſt, qua Chaldæi per univerſum fere orbem habitatum celebres fuere magia atque aſtrologia; de utraque itaque quædam dicenda ſunt. Et quod ad magiam quidem attinet, eam cum goëtia atque commercio immundorum ſpirituum non confundendam eſſe, atque in cultu arcano Deorum, ſive ſpirituum bonorum, poſt ſummum Deum poſitorum, conſtitiſſe, ſupra jam adductis veterum teſtimoniis monuimus. Semper vero magia iſta in arcanis habita eſt, donec tandem mutato omni cultus hujus ratione ad alios Aſiæ populos, & poſt Chriſtum natum ad ſacerdotes pariter atque philoſophos per Aſiam & Ægyptum diſperſos tranſiret, apud quos magiæ diſciplina famoſiſſima fuit. Inde vero ratio patet, cur pauca de magiæ natura atque conſtitutione dici queant, quæ probabili fide poſſint ad Chaldæos referri. Quicquid enim novimus, vel Platonicorum vel Alexandrinorum potius philoſophorum, vel Chriſtianorum in eorum ſcholis educatorum, vel Judæorum quoque, & inter hos MOSIS MAIMONIDIS [i] imprimis relationibus debentur, qui cum immenſo temporis ſpatio ab hoc Chaldæorum ævo diſtent, & præjudicio faſcinati fuerint, ſui temporis magiam eſſe eandem cum magia vetuſtiſſimorum Chaldæorum, facile inde perſpici poteſt, quam incerta ſint, quæ de ea traduntur omnia. Unde pauca tantum delibabimus. Et initio quidem atque

I.) Monemus, Magiæ vocem, Perſiæ quidem proprie deberi, etſi a Medis ea ad Perſas translata doctiſſimo CLERICO videatur, qui etiam putat, Medorum linguam Chaldaicæ affinem fuiſſe, dictumque Magum, ὑπὸ

b) *Saturnal. I. c. 21. 23.*

c) *Cap. V, 26.*

d) *Cap. VII, 43.*

e) Videndi quos laudat cel. WOLFIUS *Cur. exeg. & phil. in N. T. T. I. p. 113. ſeqq.*

f) *De errore profan. relig. p. 2.*

g) *l. c. c. 28.*

h) Conf. CLERIC. *Ind. philol.* in STANLEJI *Hiſt. philoſ. orient.* voce, aër, & terra.

i) *Moreh Nebhochim l. III. c. 37.*

ὑπὸ τοῦ מוג, unde מג diſſolvens, vires frangens, quod magiæ ope vires exercituum frangi poſſe crederentur: [k] quæ cum incertiſſimis conjecturis nitantur, noſtra non facimus, ſed ſuo loco relinquimus: res tamen ſive ſcientia magica ante devolutum ad Perſas Babyloniorum imperium certe efflоruit, niſi omnia veterum teſtimonia, a PLINIO [l] præſertim excitata, & ſupra quoque adducta ſimul rejicere velimus. Immo mature & ante conditam Perſarum monarchiam ad alios quoque populos magica ars transmigravit. [m] Magia vero quod ſupra jam tetigimus, in cultu divino ita conſtitit, ut & deorum arcanus cultus, & commercium cum diis, & modus eos placandi ſimul comprehenſus fuerit, unde HESYCHIO auctore Μάγον τὸν ἀπατεῶντα, φαρμακευτὴν, τὸν θεοσεβῆ, καὶ θεόλογον, καὶ ἱερέα οἱ Πέρσαι οὕτως λέγουσι, quod ne ad ſolos Perſas referamus, idem HESYCHIUS auctor eſt, qui Χαλδαίους, interpretatur γένος μάγων πάντα γινωσκόντων, *genus magorum omnium diſciplinarum peritum.*

II.) Magia vero, ſi citatos auctores ſequimur, duplex eſt, alia naturalis, alia theurgica. Naturalem magiam eam volunt, quæ contemplatur virtutes omnium rerum cœleſtium & ſublunarium, ſcrutaturque earum ſympathias, & mutua earum applicatione inuſitatos effectus edit. Quod qua ratione perficiatur, fide doctiſſimi Judæi, MOSIS MAIMONIDIS [n] qui hæc ex Chaldaicis libris ſe hauſiſſe profitetur, referemus. Tria ſecundum eum, magiæ genera ſunt, quorum primum verſatur circa plantas, animalia & metalla, alterum in deſignatione temporis, quo illa peragenda ſunt, tertium in geſtibus & actionibus humanis ad hunc finem ſuſcipiendis. Ubi tamen quædam genera interdum conjunguntur, interdum ſolitarie fieri poſſunt, pleraque autem conjunguntur.

III.) Quia vero apud Chaldæos magiæ ſtudium cum aſtrologia arctiſſime connectebatur, inde nullum opus magicum ſine ſiderum operatione perfici poſſe auctumabant: indeque volunt Talismanes, ſive imagines illas magicas & arcanas inventas eſſe, ſub certis conſtellationibus in varios uſus ſive averruncandi ſive prædicendi cauſa conflatas, [o] quæ tamen an tantam ætatem, ac vult GAFFARELLUS, qui ad Chaldæos refert, ferant, alibi diſpiciendum eſt, & inquirendum, an Theraphim ejusmodi imagines fuerint, quod a noſtro inſtituto alienum prætermittimus. Theurgicæ magiæ officium, ſi JAMBLICHO [p] credimus, in averruncandis malis ſpiritibus, & com-

k) *l. c.* voce *Magus*, ubi tamen aliam quoque etymologiam vocis hujus affert.

l) *Lib. XXX. c. 1.*

m) Legendus luculentus locus LUCIANI in *Macrobiis T. II. p. m. 818.* qui magos vocat γένος μαντικὸν· καὶ θεοῖς ἀνακείμενον, ridendi potius, quam laudandi cauſa, more ſuo.

n) *l. c.*

o) Legendi quos nominat V. C. PETRUS FRID. ARPE *de Talismanibus p. 8. ſeqq.* & FABRICIUS *Bibliograph. antiq. c. XII. p. 433. ſeqq.* Talismanes averruncandis malis, Theraphim vaticiniis adhibita ſunt.

p) *l. c.* quocum PORPHYRIUS περὶ ἀποχῆς, PSELLUS etiam *de dæmonibus* conferendi.

commercio cum bonis eorumque provocatione conſtitit. Ubi tamen non negamus, talia proferre Jamblichum, quæ, dubia ſunt, an ad tam canam vetuſtatem referri queant? multaque recentiora ingenia ſapere, quæ in oraculis eorumque interpretibus ea de re dicuntur. Verum has nugas ignorari, parum philoſophiæ intereſt. Nobis ſufficit inde didiciſſe, fruſtra eſſe, qui ſub hac Chaldæorum magia philoſophiæ naturalis myſteria latitare ſibi perſuadent.

VI. Aſtrologia.

§. XX. Altera, in qua Chaldæorum eruditio inclaruit, ſcientia eſt aſtrologia, in qua ſiderum motus, ortus atque occaſus obſervando, primos excelluiſſe, ſupra idoneis teſtibus probavimus. Quemadmodum vero duplex ſiderum obſervandorum ratio eſt, una, quæ motus, legesque ſiderum, quaſi notat, juſtamque τῶν μετεώρων notitiam exhibet, inde Aſtronomia dicta; altera, quæ ἀποτελέσματα ſive effectus ſiderum, eorumque cauſas in res inferiores influentes enarrat, aſtrologia apoteleſmatica dicta; ita Chaldæi non tam primum, quam ſecundum genus excoluerunt, niſi quatenus aſtrologia aſtronomiæ ſcientiam, calculos & obſervationes ſupponit, quas ſedulo conquiſiviſſe ſupra indicavimus, & ad Ariſtotelem a Calliſthene miſſas monuimus. [q] Enumeranda itaque & hæc doctrina paucis eſt, ut pateat, quibus fundamentis ea ſcientia, quæ tantum nomen Chaldæis peperit, nitatur. Quodſi ea ſummatim comprehendamus, quæ magnum olim inter mathematicos nomen PTOLOMÆUS [r] prolixe, SEXTUS EMPIRICUS [s] autem brevius, ſed, ut ſolet, nervoſe explicat, ad hæc potiſſimum capita tota Chaldæorum aſtrologia reduci poteſt:

I. Terrena conſenſionem habent cum cœleſtibus, & ex eorum influxibus ea ſemper innovantur.

II. Septem ſtellæ, quas alii planetas, ipſi interpretes nominant, tenent rationem cauſarum agentium in unumquodque eorum, quæ in vita accidunt, adjuvant autem partes zodiaci.

III. Zodiaci circulus dividitur in duodecim animalia, unumquodque autem animal in triginta partes, pars in ſexaginta minuta. [t]

IV. Animalium zodiaci alia ſunt maſculina, alia fœminina, [u] & alia qui-

q) Hoc magno SCALIGERO jam notatum *præf. in Manilium.*

r) Vid. VOSSIUS *de ſcient. math. c. XXXVII. §. 9. 10. p. 205.*

s) *Adv. Math. l. V. p. 339. ſeqq.* edit. Fabricii.

t) Paria habet DIODORUS *l. II. p. 83.* CENSORINUS *c. 8.* & alii. Hinc dictæ hæ ſtellæ מזרות JOB. *XXXVIII, 32.* quæ vox *2 Reg. XXIII, 5.* occurrit מזלות, id eſt ſtellæ præcipuæ, quare eos DIODORUS vocat Κυρίους τῶν Θεῶν, conf. CLERICUS *l. c. v. Mazzaloth.*

u) Vult quidem SEXTUS, hæc a Chaldæis deſumſiſſe Pythagoreos, quibus unitas maſculini dualitas fœminini generis & ſic porro dicitur. vid. ARISTOT. *Metaph. l. I. c. 5.* MEURSIUS *de Denario Pythagorico c. 3.* verum cum hæc Chaldæorum ſimpliciori ſtudio contraria videantur, Sextusque recentiores tantum Chaldæos ſive aſtrologos conſuluerit, rectius hæc a Pythagoreis ad aſtrologos tranſiiſſe dicuntur. conf. FABRICIUS *ad h. l. not. Q.*

quidem bicorporea, alia vero non: alia tropica, alia fixa: habentque adjuvantem naturam ad generandos maſculos & fœmellas.

V. Signa, quæ in unaquaque genitura ad productionem apoteleſmatum dominatum obtinent, ſunt numero quatuor, & vocantur cardines. *

VI. Sunt vero cardines, horoſcopus, medium cœlum (μεσουράνημα) occidens, (δύσις) ſubterraneum (ὑπογαῖον) medio cœlo oppoſitum.

VII. Horoſcopus eſt ſignum, quod contingit oriri eo tempore, quo perfecta eſt nativitas; medium cœli quartum ab eo ſignum; ſubterraneum, quod medio cœlo eſt ex diametro oppoſitum; occidens, ſignum, quod orienti oppoſitum.

VIII. Uniuscujusque horum cardinum ſignum præcedens vocatur declinatio, quod autem ſequitur, ſucceſſio.

IX. Quod antecedit ſignum, quod eſt in horoſcopo conſpicuum exiſtens, eſt mali dæmonis; quod eſt autem poſtea, ſequens id, quod eſt in medio cœlo, boni dæmonis: quod autem præcedit id quod eſt in medio cœlo, inferiorem partem, vocatur unica ſors & Deus. Quod antecedit occaſum, eſt otioſum ſignum & principium mortis; quod autem eſt poſt occaſum nec eſt conſpicuum, pœnam & malam fortunam: quod quidem e diametro oppoſitum eſt malo dæmoni. Quod antecedit ſignum ſubterraneum, bonam fortunam, quæ ex diametro ſita eſt ex adverſo boni dæmonis. Quod ſuccedit ſigno, quod eſt ex adverſo medii cœli verſus orientem, vocatur Dea, ex diametro Deo adverſum. Quod horoſcopum ſequitur, dicitur otioſum. Quod ut clarius intelligatur ſequenti ſchematiſmo exponemus:

 X. Stel-

x) Conf. SCALIGER *ad Manilium p. 298.* FABRICIUS *l. c. not. V.*

X. Stellæ non eandem vim habent, ad male vel fecus faciendum, ſi conſiderentur in cardinibus, & in ſucceſſionibus & in declinationibus, ſed alicubi efficaciorem, alicubi vero minus efficacem.

XI. Unicuique parti humani corporis attributum aliquod ſignum eſt, quocum habet conſenſum & afficitur. [y]

XII. Stellarum aliæ ſunt beneficæ, aliæ maleficæ, aliæ denique communes: Beneficæ ♃ & ♀, maleficæ ♂ & ♄, communis ☿ quæ cum beneficis benefica cum maleficis malefica.

XIII. Aliæ ſtellæ beneficæ vel maleficæ ſunt, prout eſt alia atque alia habitudo aut aſpectus.

XIV. Stellarum præcipuæ ſunt ſol & luna; minorem autem vim habent ad eventuros effectus quinque reliquæ.

XV. Eædem ſtellæ majorem vim habent, aut quod ſint in propriis domibus, aut in altum elationibus, aut terminis, aut quod aliquæ ab aliquibus ſtipentur ſatellitibus; aut quod inter ſe aſpiciant, & inter ſe certas ſuſcipiant figuras, aut quod ſint in cardinibus.

XVI. Solis domus eſt leo, Lunæ cancer, Saturni capricornus & aquarius, Jovis ſagittarius & piſces, Martis aries & ſcorpius, Veneris taurus & libra, Mercurii gemini & virgo.

XVII. Stellæ delectantur in altum elationibus, exiguam autem vim habent in abjectionibus ſeu depreſſionibus.

XVIII. Stellæ inter ſe aſpiciunt & inter ſe conveniunt, ut quæ apparent in figura triangula aut quadrata.

XIX. Apoteleſmata vel ſunt ſimpliciora vel accuratiora. Simpliciora, quæ fiunt ex ſimplici ſigno vel ſola vi ſtellæ; accuratiora, quæ fiunt per concurſum & multorum contemperationem.

XX. Decani vel facies planetarum [z] referuntur ad zodiacum, primus decanus eſt planeta cujus eſt ſignum, ſecundus alter planeta & ſic porro.

His potiſſimum theſibus ars illa apoteleſmatica Chaldæorum, quam Teu-

y) Eleganter hæc explicat MANILIUS *l. II. v. 456.* his verſibus:

- - Aries caput eſt ante omnia princeps,
Sortitus cenſusque ſui pulcherrima colla
Taurus, & in geminis æqualia brachia ſorte
Scribuntur connexa humeris, pectusque locatum
Sub cancro eſt, laterum regnum ſcapulæque leonis
Virginis in propriam deſcendunt ilia ſortem,
Libra regit clunes, & ſcorpius inguine gaudet,
Centauro femora accedunt, capricornus utrisque
Imperat in genibus, crurum fundentis aquarI
Arbitrium eſt, piſcesque pedum ſibi jura repoſcunt.

z) Multa de horoſcopis & decanis Platonici recentiores garrierunt, ſine dubio veteribus, uti ſolent, ingenii ſui ἐυρήματα adjicientes. Vid. JAMBLICHUS *de myſt. Sect. VIII. c. 4. p. 160.* & quos GALEUS *ad h. l.* nominat. Ex recentioribus conferendus SALMASIUS *de anno Climacterico*, & poſt eum alii.

Teucer Babylonius ſcriptis tradidit, [a] pluresque expoſuerunt, [b] comprehenſa eſt. Ex his ſequitur, quod poſtea SEXTUS vehementer impugnat, omnia fato fieri, quod fatum ab hac ipſa Chaldæorum doctrina Chaldaicum & ſidereum vocari ſolet, itemque aſtrologicum, & cum Platonis, Stoicorum aliorumque ſententia de fato non confundi debet. Unde & HORATIO dictum Babylonii numeri. Nihil enim fieri in terrenis per ſe, ſed omnia ab aſtris regi placebat; quæ opinio a Chaldæis ad alias quoque gentes digreſſa eſt, qua de re, ne nimii ſimus, conſulendus eſt VOSSIUS. [c]

§. XXI. Præter hanc, per aſtrologiam vaticinandi rationem, alias quoque divinandi artes Chaldæis tribuit DIODORUS SICULUS, [d] nempe per aves, ſomniorum prodigiorumque interpretationes, & quæ pertinent ad haruſpicinam. Unde facile credi poteſt MOSI MAIMONIDI [e] ea hariolorum genera, quæ Deuteron. XVIII, 10. 11. memorantur, inter Chaldæos quoque fuiſſe reperta. Somniorum quoque interpretandorum ſcientiam antiquiſſimam fuiſſe, ex ſacris literis conſtat, etſi ridendus ſit PHILO, [f] qui Abrahamo inventionem tribuit; & inter Babylonios fuiſſe, qui ei peculiarem operam ponerent, ex Danielis hiſtoria liquet: immo extiſpicia quoque apud Chaldæos celebrata eſſe, ex EZECHIELIS loco [g] conſtat. Multum tamen obſcurarunt Græci notitiam horum vaticinandi generum, dum ſuis vocabulis a vaticiniorum Græcorum modis deſumtis orientales vaticinandi conſuetudines deſcripſerunt. Eas vero tenebras diſpellere, nec loci & inſtituti, nec otii noſtri eſt. *VII. Divinationes aliæ.*

§. XXII. Ceterum, licet in ſiderum rationibus obſervandis multum temporis & induſtriæ Chaldæi poſuerint, pauciſſima tamen conſtant, fereque nihil de obſervationibus eorum, vel etiam de opinionibus aſtronomicis ſupereſt. Ex Beroſo nobis conſervaverunt PLUTARCHUS [h] & VITRUVIUS, [i] lunæ defectum accidere, obverſa nobis parte ignis experte, id quod hic latius explicat. Tradidit quoque Beroſus, referente SENECA, [k] igni deletum iri terrena, quando omnia ſidera in cancrum convenerint, inundationem vero paſſura, ſi ſub capricorno id fiat. Tandem terram ſcaphæ ſimilem eſſe & concavam dixiſſe Chaldæos, DIODORUS auctor eſt. [l] *VIII. Opiniones aſtronomicæ.*

§. XXIII. Tandem & de mundi generatione & ortu Chaldæi audiendi ſunt, cum archæologiæ philoſophicæ, & hiſtoria coſmogoniæ nobilem hiſtoriæ philoſophicæ partem abſolvant. Et hic quidem DAMASCIUM *IX. Coſmogonia.*

a) Vid. IDEM *ad Solin. p. 491. & præf. libri cit.*

b) Aſtrologos veteres editos, ineditos, deperditos recenſet FABRICIUS *Bibl. Græc. vol II. p. 494. ſeqq.*

c) *De theologia gentili l. II. c. 47. p. m. 563. ſeqq.*

d) *l. c.*

e) *Lib. III. Moreh nebhochim c. 29.*

f) Apud SUIDAM v. *Abraham.*

g) *Cap. XXI, 12.*

h) *De placit. philoſ. l. II. c. 29.* & EUSEBIUS *præp. l. XV. c. 51.*

i) *Lib. IX. c. 4.*

k) *Quæſt. natur. l. III. c. 29.*

l) *l. c.*

non audiendum esse,[m] mundi generationem ex mente Chaldæorum negantem, vel ex uno DIODORO discipotest, licet facile credendum sit, quod addit, mundi naturam eos facere æternam, nec initium generationis nec finem habere; nam hæc aliter placere non poterant genti revelatione destitutæ: mundi tamen formam, ordinem & ornatum a divina providentia constitutam esse non negabant. Quod qua ratione factum sit, ex BEROSI Babylonicis nobis conservavit SYNCELLUS,[n] ubi cosmogoniam Chaldæorum more vetustissimo ἀλληγορικῶς Φυσιολογεισθέντα ita exponit: Tempus fuisse, quo cuncta tenebræ & aqua erant: & in illis animantia portentosa, & sub variis naturæ speciebus & formis visu mirandis vitam ac lucem accepisse, quorum imagines in Beli templo appensæ sint: Istis omnibus mulierem, cui nomen, Omoroca, præsidere; his constitutis Belum redeuntem mediam divisisse mulierem, & ex ejus quidem parte terram ex alia cœlum composuisse, ac inde necem animalibus illatam. Hæc allegorice de natura mundi dicta esse addit: universa quippe mundi mole ex humida materia compacta, & animantibus ex ea formatis, Deum istum caput suum abstulisse, tum corpus in terram delapsum alios deos terræ commiscuisse, ac inde formatos homines, ea de causa intellectu & divina mente præditos; Belum insuper, quem Jovem interpretantur, mediis tenebris dissectis terram & cœlum ab invicem divisisse, & mundum ordine composuisse, animantibus lucis vim non ferentibus extinctis. Belum vero desertam quidem regionem at feracem conspicatum, deorum cuipiam proprium sibi caput amputare præcepisse, & stillanti ex se sanguini terram admiscere ac homines & animantia, quæ aërem sustinerent efformare. Ipsum tandem astra, solem, lunam, & alios quinque planetas perfeciſſe. Quæ cosmogonia propter allegoriam, ut sunt omnes veterum de ortu mundi doctrinæ obscurissimæ & densissimo allegoriæ velo obductæ, subobscura est, satis tamen vestigia primævæ traditionis de ortu mundi, ex chao a Deo producti, & semina rerum continentis prodit, & aperte animum humanum ex Deo emanasse innuit, & alium deum ad formandum mundum adhibitum docet; quæ opinio, usum summum Deum in condendo mundo alio Deo, creationis auctore sive Demiurgo per omnes fere gentes, orientales etiam Indos percrebuit. Et hæc quidem de philosophia Chaldæorum.

m) In fragm. msc. περὶ ἀρχῶν apud CUMBERLAND *de Cosmog. Sanchuniath. p. 280.*
n) In *Chronico p. 28.*

CAPVT

CAPVT TERTIVM
DE PHILOSOPHIA PERSARVM.

§. I.

Obſcuritas & incertitudo H. P. Perſarum.

Poſt Chaldæos apud Perſas philoſophiæ hiſtoria perquirenda eſt, ad quos cum imperio diſciplina quoque Chaldaica tranſiit. De qua tamen ita dicere, ut veritatis cupido ſatis fiat animo, admodum difficile eſt. Quæ enim de Perſarum philoſophis, religione & philoſophia ſcimus, vel Græcis debemus, vel Arabibus: a neutris talis narratio expectanda, quæ non multa obſcuritate & incertitudine laboret. Et Græci quidem Perſarum imperio ſubinde preſſi multam habuere occaſionem res, religionem & placita hujus gentis cognoſcendi; ſæpius enim cum eruditis hujus nationis converſati, aulæque regis præſentes coram in ea inquirere potuerunt, quæ a curioſo rerum peregrinarum perquiri ſolent. Verum inveterato erga Perſas odio ducti ſinceritatem ſubinde in relationibus ſuis de rebus Perſicis deſiderari paſſi ſunt: & ſtolido ſua tantum & patria inſtituta adamandi ſtudio ſeducti, levius & ſiniſtrius, quam par eſt, de barbaræ gentis inſtitutis locuti ſunt. Quibus cum accederet inconſultus mos peregrinas res, mores, ſacra atque diſciplinam cum ſuis comparandi, & conciliandi, domeſticisque vocibus exprimendi, facile ex his colligitur, quantis difficultatibus obnoxium ſit, ex Græcorum relationibus de rebus Perſarum judicare. Cujus exempla cum poſtea de doctrinis Perſarum acturis occurrant, ea jam affere, remque peritis veterum actorum ſatis notam fuſius illuſtrare ſuperſedemus. Quod ad Arabas attinet, multam quidem iis fidem tribuunt viri in his literis magnæ eruditionis POCOCKIVS, PRIDEAVX, BEAVSOBRE & qui omnium diligentiſſime in religionem veterum Perſarum inquiſivit THOMAS HYDE, eo quod hi non tantum ſectas Perſarum, quorum regiones incolebant, inter ſe habuerint, ſed & libros Perſarum ſacros atque claſſicos,quales ſunt, liber Sad-der, Zendaveſta, & his ſimiles, inſpexerint, & ita ex domeſticis fontibus narrationes ſuas hauſerint. Verum tempus, mores, conſuetudinem & præjudicia Arabum, ad quos laudati viri provocant, ſollicite expendenti non minores difficultates occurrunt, nec levior contra fidem eorum hiſtoricam ſuſpicio oritur. Ut enim taceamus, homines ex nationis genio leves & ſuperficiaria eruditione gaudentes, adeoque ad tam arduum rerum obſcuriſſimarum, & temporum canitie atque ſqualore fere extinctarum examen non ſatis aptos, tanto temporis intervallo a temporibus, quibus Perſarum religio, doctrina & imperium invaluit, fuiſſe remotos, ut ad conſtituendum idoneum rerum harum teſtimonium vel hoc uno argumento videantur inepti: peſſima illa, quæ poſt Muhammedis tempora ad Arabas quoque tranſiit conſuetudo, res

ſuas

ſuas magnifice augendi, & fraudibus atque mendaciis, librisque ad antiquitatis ſpeciem & auctoritatem effictis & ſuppoſitis commendandi, ſicque Judæorum pariter atque Chriſtianorum favorem certe apud illos auctoritatem placitis ſuis conciliandi mire omnia conturbavit, & veritatis ſtudioſo ſuſpecta reddidit. Id quod nemo negaverit, qui Arabum, ſive Saracenorum hiſtoriam & libros ſine præjudicio perlegit, & inſulſas fabulas canæ vetuſtatis ſitu obductas ſibi pro antiquiſſimis hiſtoricis veritatibus propinari animadvertit. De qua re cum ſuo loco adhuc dicendi occaſio ſe offerat, hic prolixiores non ſumus. Ferendum itaque ægre non eſt, ſi tantis viris ſola Arabum fide nobis de antiquiſſimis Perſarum rebus luculentas hiſtorias narrantibus fides ægre detur, illique ad naturam gradusque fidei hiſtoricæ non ſatis attendiſſe credantur. Id enim a doctiſſimo HYDEO potiſſimum factum eſſe, illumque lectionis exoticæ amore occupatum apud Arabas certiſſimas veritates vidiſſe, quæ aliis conjecturæ leviſſimæ, & traditiones ſuſpectæ videntur, indigeſtam quoque admirandæ lectionis molem accurato judicio non digeſſiſſe, & ipſa libri eruditiſſimi inſpectio docet, & magnis viris, rem ſine præjudicio & admiratione eruditionis inſolitæ & peregrinæ æſtimantibus recte judicatum eſt. [a] Nobis itaque, qui cauti incedimus, hancque nobis legem tulimus, ut, qua ratione, qua fide, quo probabilitatis gradu aliquid dicatur narreturve, accurate prius expendamus, antequam ei calculum adjicimus, ignoſcendum eſt, ſi magnis viris manus non dàmus, niſi ea, quæ Arabum fide proferunt, ſolidioribus quoque teſtimoniis probent, & vel Græcorum conſenſu, vel rei veriſimilitudine aliunde petita roborent. Certe providus lector in cohibendo atque ſuſpendendo aſſenſu etiam in hac hiſtoriæ philoſophicæ parte circa Arabas, exemplo virorum, [b] quibus magna judicii vis fuit, verſabitur, nec latius fidem extendet, quam teſtium conditio patitur. Ita enim demum critica philoſophiæ hiſtoria obtinebitur.

Conditor philoſophiæ Perſicæ Zardusht.

§. II. Introductæ, vel reſtauratæ potius & emendatæ inter Perſas philoſophiæ pariter atque theologiæ auctor communi veterum conſenſu Zerdusht ſive Zardusht, [c] quem & alii Arabes Zaraduſſt nominant, [d] dicitur, unde Græcorum Zoroaſter plerisque effictus videtur. Cujus nominis ſignificatio, non negantibus viris in veteri Perſarum lingua exercitatiſſimis, incerta quidem eſt, nec ipſi HYDEO in Perſica lingua inventa, [e] probabile tamen putant, & ex reliquarum linguarum Orientalium conſenſu

Ejus nomen.

conjiciunt, amicum ignis hoc nomine indicari: certe recentiori ætate Indorum

a) Magnifice paſſim hunc librum laudari videas. Vid. *act. erud. 1701. p. 405. Nouv. de la rep. des lettres 1701. art. 3. Fevr. Mars. Bibl. Thomaſ. P. III. p. 211. ſeq.* Neque tamen ſine cenſura dimittitur, vid. BAYLE *Dict. T. IV. art. Zoroaſtre not. F. p. 558.* LEIDEKKER *de vario reip. Hebr. ſtatu l. V. c. 1.* Accurate vero de eo judicat cel. MOSHEMIVS *Hiſt. Chriſt. antiq. Sec. I. P. II. c. I. §. 2. p. 70.*

b) BAYLE *l. c.* MOSHEIM ad CVDWORTH. *p. 248. n. 38.* BVDDEVS *H. E. V. T. T. II, p. 1052.*

c) HYDE *de relig. vet. Perſ. p. 340.*

d) POCOCK. *Specim. hiſtor. Arab. p. 148.*

e) *l. c. c. XXIV. p. 310.* conf. HERBELOT. *Bibl. Or. p. 16.*

dorum quidam Zoroaſtreis placitis adhærentes ita vocem interpretati ſunt.[f] Quæ ſignificatio virum quendam doctiſſimum permovit, [g] ut crederet, non perſonæ proprie, ſed religionis nomen fuiſſe, quod ſcilicet iis datum ſit, qui peculiari ratione ignis cultum inſtituerint atque celebraverint, ſicque cauſam putat patere, cur tot Zoroaſtres veteribus memorentur, immo ipſe Abrahamus patriarcha Zoroaſter Arabibus dicatur, [h] quod ignis cultor peculiaris ipſis viſus ſit. Quam conjecturam ſuo loco relinquimus, quia præter ſolam eamque incertiſſimam ſignificationem nominis, nulla re confirmatur, & nos ſupra alias easque magis probabiles rationes vidimus, cur plures Zoroaſtres fuiſſe, veteribus creditum ſit. Nec minori ſententiarum varietate de ætate Zoroaſtris Perſarum philoſophi certatur. *Ætas.* Etſi enim ſatis certum atque evidens eſt, falli eos, qui ad prima Aſſyriæ monarchiæ tempora eum referunt, ſive quod plane efficta ſint, quæ de antiquo illo Zoroaſtre referuntur, quod viris eruditis placuit, qui unum tantum Zoroaſtrem fuiſſe contendunt, [i] ſive quod alium longe virum vetuſtiſſimæ diſciplinæ orientalis auctorem tangant, ab hoc Zardushto ætate, patria, doctrina, longe diverſum, qua ratione Græcorum narrationes omnium facillime cum Arabum, Perſarum & Indorum relationibus conciliari poſſunt: de hoc tamen Perſarum doctore & religionis potius quam philoſophiæ reformatore, ejusque ætate eorum teſtimonia differunt: Auctor enim eſt AGATHIAS, [k] Perſas ſui temporis eum æqualem feciſſe Hyſtaſpis. Sub Guſtasfo floruiſſe ISMAEL ABVLFEDA aſſerit, [l] hunc Guſtasfum vero Cyri avum fuiſſe, Cyrum autem eſſe Hebræis, qui Perſis Azdshir Bahan dicitur, id quod POCOCKIO non placet, [m] qui Hyſtaſpen potius a Cyro tertium, & per Adzshir Ahaſverum pium denotari putat. Cambyſis atque Samardii ſive Smerdis magi æqualem facit EVTYCHIVS, [n] quocum conſentit G. ABVLPHARAIVS, [o] ut aliorum ſententias taceamus. Etſi vero hæc ad liquidum deduci non poſſe putamus, recte tamen inde infertur, ultra Darii Hyſtaſpidis tempora non aſſurgere ejus ætatem, [p] etſi in tanto ſcriptorum diſſenſu non ita demonſtrari queat, ut ſcrupulus nullus ſuperſit. Nec minori diſſenſu de patria Zardushti ſcriptores loquuntur. Sinam enim *Patria.* recentiores Perſæ apud Indos degentes faciunt; Franco vero patre natum id eſt, homine ad occaſum genito, Caramaniæ incolæ, [q] id quod de Perſidis regione ad occaſum ſita intelligi poteſt. Ex Græcis CLEMENS ALE-

XAN-

f) Referente HENRICO LORDIO mercatorum Britannorum eccleſiaſte in India, hiſt. *de la religion de Benjens.* conf. BEAVSOBRE *Hiſt. Manich. T. I. p. 163. not. 4.*

g) IDEM *l. c.*

h) Conf. FABRICIVS *Cod. Pſeudepigr. V. T. T. I. p. 349. ſeqq.*

i) HYDE *l. c. c. 24.* PRIDEAVX *Hiſt. Jud. V. T. T. I. l. IV. p. 212.* DE BEAVSOBRE *Hiſt. de Manicheiſme T. I. l. II. c. 1. p. 162.*

k) *Lib. II.* conf. HVETIVS *demonſtr. Evang. Prop. IV. c. 5. p. m. 90.* ed. rec. BAYLE *l. c.*

l) In *Hiſt. c. de Perſ.* apud POCOCK. *ſpecim. hiſt. Arab. p. 146. 147.*

m) *l. c. p. 147.*

n) In *Annal. Alexandrin. T. I. p. 263.*

o) *Dynaſt. V.*

p) HYDE *l. c. p. 298.*

q) HVETIVS *l. c.*

XANDRINVS [r] Medo-Perſam facit, quem ſequitur SVIDAS.[s] Quod ſi Arabum Perſarum monumenta ſequentium auctoritate ſtandum eſt, tempore Cyri in provincia Aderbijan quæ Media eſt, natus eſt, & ſi celebri Perſarum libro Sad-der, credendum, gente Perſa fuit; in hoc enim libro majores ejus nominibus Perſicis memorantur, pater vero Purshaſp, mater, ex urbe Rey, Doghdu dicitur. [t] His parentibus ignobilibus, ſi Arabum fidem & narrationes ſequimur, ortus miraculoſam nativitatem & infantiam habuit, quæ tamen, cum nugaciſſima Orientalium ingenia manifeſte prodant, & plerumque de impoſtoribus novam religionis faciem introducentibus ad conciliandam auctoritatem atque fidem ſoleant prædicari, hic non referemus. [u] In juventute porro, non tantum orientalium doctrina eruditum, ſed & inter Iſraëlitas a propheta quodam miniſterio adhibitum, ſicque & veri Dei notitia imbutum fuiſſe Arabes magno conſenſu tradunt.[x] Quis tamen ille propheta fuerit, inter ipſos non convenit. ABVLPHARAIO[y] enim Elias, BVNDARI diſcipulus Jeremiæ, [z] ABV MVHAMED MVSTAPHÆ Ozeir id eſt Eſdras fuiſſe dicitur: quorum ultimum ſuo calculo adprobat HYDEVS, [a] medium tanquam rationibus chronologicis magis aptum HVMPHR. PRIDEAVX eligit, [b] qui Danielem intelligi poſſe putat, etſi hæc ſententia ſatis longum vitæ Danielis ſpatium requirat. Apud hunc prophetam didiciſſe, porro tradunt, præcepta purioris religionis, ſceleſto tamen aliquo facinore maledictionem meritum, lepram pœnam acceptiſſe. Quæ tamen omnia non incertiſſima tantum eſſe, ex auctorum ſuorum atque teſtium conditione ſatis patet, ſed & in cauto rei examine ſe non ſatis probare nobis videntur. Eo enim tempore, quo Arabes hi ſcriptores commentarios ſuos exaraverunt, in id maxime conniſi ſunt non tantum legis Islamiticæ aſſertores, ſed & veteris religionis, quam a Zoroaſtre inſtitutam crepabant, quæque magianiſmo abſolvebatur, cultores, ut apud Iudæos & Chriſtianos ſuis placitis, religioni, traditioni fidem facerent & auctoritatem quovis modo conciliarent. Quem in finem, non excogitati tantum & ſuppoſiti libri vetuſtiſſimis religionis ſuæ antiſtitibus, quod ſupra jam monuimus, [c] ſed ex Iudæorum quoque hiſtoria multa in arva ſua ab iis derivata ſunt. Id quod imprimis in Zoroaſtris hiſtoria factum eſſe, non obſcuris veſtigiis deprehendere eſt, produntque male cohærentem fidem ipſi harum hiſtoriarum architecti, ſic ut mirum videri queat, viros acutos fidem ſine examine ejusmodi narratiunculis dare potuiſſe, niſi præjudicium venerationis exoticæ eruditionis, multo ſudore acquiſitæ judicium

Vita.

r) *Stromat. l. I. p 304. 334.*
s) *Lex. T. II. art. Zoroaſter p. 15.*
t) HYDE *l. c.*
u) Quibus volupe eſt, tempus atque otium his nugis perdere, apud HYDEVM *l. c.* affatim reperient harum quisquiliarum.
x) *Ibid. c. 24. p. 213.*
y) *l. c. p. 54.*
z) HYDE *l. c.*
a) *p. 314.*
b) *l. c. p. 213.*
c) Hæc per totum orientem, imo inter Chriſtianos quoque uſitata fuiſſe, multis in hiſtoria philoſophica & Chriſtiana exemplis conſtat, ſæpiusque a nobis ſuis locis notabitur. Conferendus interim acutiſſimus MOSHEMIVS *de cauſis ſuppoſitorum libror. vol. diſſ. H. E. p. 217. ſeqq.*

dicium occœcaviſſet. Supra enim jam indicatum eſt, in libro Perſarum ſacro, eoque ſi vera nobis tradunt Arabes, publico & vetuſtiſſimo Sad-der, omnes Zardushti majores ad atavum usque Eſpintamanum recenſeri Perſici nominis & originis, ſic ut recte inde concluſerit doctiſſimus, &, dum hæc ſcribimus, orbi literato noſtræque amicitiæ acerbo fato ereptus BEAVSOBRIVS, [d] falli eos, qui Iudæum fuiſſe Zerdushtum crediderint. Et tamen omnes fere, qui ex Arabibus de ejus origine & nativitate ſcribunt, in eo conſentiunt, ex Palæſtina fuiſſe ortum, [e] unde neceſſario ſequitur, natione & religione, antequam ad ſectam magorum deficeret, Iudæum fuiſſe. Nec, niſi hæc ſtatuamus, ratio dari poteſt, unde tantam, quantam Arabes jactant, veteris teſtamenti, & imprimis pſalmorum Davidis cognitionem hauſerit? ſatis enim notum eſt, & ex ipſa lege Iſraëlitarum conſtat, & vetitum fuiſſe huic genti commercium cum aliis nationibus, & ſuo quoque ingenio vehementer ab eo abhorruiſſe, ſic ut nullam veri habeat ſimilitudinem, Zardushtum prophetæ alicujus Iſraëlitici fuiſſe ſervum & ſimul diſcipulum, niſi ejusdem originis & religionis fuerit. Quæ omnia cum luculenter evincant, male cohærere omnia, quæ ex Perſarum libris Arabes referunt, & contradictione evidente inter ſe committi, ita ſuſpicionem ſuppoſitionis juſtam quam maxime confirmant; certe, iſtis Arabum relationibus veritatis cupido animo fieri minime ſatis, evincunt. Neque tamen negamus fieri potuiſſe, ut impoſtor quædam ab Iſraëlitis dura circa ea tempora inter Babylonios captivitate preſſis & ex ea ſuperſtitibus didicerit, vel aliquam doctrinas Magorum emendandi occaſionem nactus fuerit, licet, quid potiſſimum expiſcatus ſit, dici non poſſit. Ex dictis vero porro dijudicandum eſt, quod adjicitur, [f] *a talis prophetæ miraculis ſtimulatum fuiſſe, ad ſimilia patrandum, & proinde multis aſtutiis ſtuduiſſe promto ingenio, & forti imaginatione, & naturali audacia, & confidentia adjutum, nam ſi non fuiſſet audax & intrepidus, totius nationis religionem ſuo modo reformare non tentaturum fuiſſe.* Non recordantur enim viri docti, qui ita rationes inſtituunt, ſe ejus ſervitium & diſcipulatum ad Danielem vel Eſram retuliſſe, quorum neuter miraculis inclaruit. Interim nec ingenium verſipelle dolisque aptum, nec præſtigias a vaferrimo homine religionis mutationem & celebrem ſectam meditante editas negamus, licet pro certo affirmare non audeamus, quod ex BVNDARI refert HYDEVS, [g] in arte præſtigiatoria verſatum, res quaſdam miras populo oſtendiſſe, quas miracula ſua vocaverit: ex his fuiſſe quod ſupinus jacuerit, dum bipondium æris liquefacti ſuper ſinum ejus fuſum fuerit, æs vero ſuper ſinum ejus granatim concretum nullum ei damnum intulerit; item aliud, quod ignem manu tenuerit, & manus ejus non fuerit combuſta, & in cujuscunque manum dederit, non fuerit combuſta. Immo multa ſi non pleraque mera commenta atque mendacia eſſe, quæ de ſtupendis ejus

d) *l. c.*
e) HYDE *l. c.* PRIDEAVX. *l. c.*
f) HYDE *l. c. p. 312.* PRIDEAVX *l. c. p. 214.*
g) *lb. p. 311.*

miraculis ex libro: *Schâhnâma-nesr* IDEM [b] recitat, facile, qui naſum habet, ſubodolfaciet. Ut vero auctoritatem ſibi conciliaret, primum in deſertis atque montanis ſeceſſum quæſiviſſe, unde inexpectatus prodiret, & ſe quaſi divinitus miſſum Perſis oſtenderet, porro referunt, additque ABV MVHAMED MVSTAPHA, [i] librum compoſuiſſe in duodecim tomos diviſum, ſcriptos in coriis taurinis, quales ſingulos totidem vituli portare poſſent, ſcriptumque hunc librum literis aureis fuiſſe, regi Guſtasfo offerendum. Ita præparatus, ut aſtute rem ſuam ageret, non tam novæ religionis auctor, quam veteris Magorum reſtaurator atque reformator videri voluit. Ea enim ante hæc tempora apud Medos atque Perſas invaluerat, ſed cum internecione magorum, qui poſt Cambyſis mortem imperium ſibi vindicaverant, valde turbata & tandem non penitus deleta erat, aſtrorum cultu totam Perſidem occupante, regeque Dario ei addicto. Ut itaque nationi ad avita placita pronæ ſe attemperaret, eorumque ſibi animos conciliaret, ita magorum ſyſtema incruſtavit, ut ſibi proprium eſſet, & peculiari ratione id effingeret; novus ita reformator religionis futurus. De qua magorum ſententiæ mutatione & Zoroaſtreo ſyſtemate poſtea quidem prolixius dicemus, hic tamen ordinis gratia ſummatim tantum notamus, duobus capitibus, ſi relationibus Arabum, præcipue ABVLFEDÆ & SHAHRISTANII [k] ſtandum eſt, ejus ſyſtema conſtitiſſe uno, quod duobus principiis bono & malo ſibi invicem oppoſitis tertium idque ſuperius præfixerit, a quo duo illa producta & creata fuerint, lux quidem effectus ſummi creatoris, & tenebræ, neceſſaria ſequela lucis, quæ ex ejus privatione ortæ ſint: altero, quod deſtructa idololatria, cultuque aſtrorum abolito, igni ſacro, hactenus in collibus paſſim culto, templa erigi juſſerit; quem in finem cœleſti doctrina erudiendum in cœlum raptum ſe impudenter mentitus eſſe dicitur, & cum Deo ex flamma colloquente ſermones miſcentem revelationes accepiſſe. Ita enim ignis cultui apud Perſas dudum introducto ſe quam maxime attemperabat. Sic ſcena inſtructa, in Media, quæ nunc Aderbijan dicitur, in urbe Xiz, vel, quod alii volunt, Ecbatanæ primum prodiit, [l] in qua Smerdis magi patria magianiſmi aſſeclæ plures adhuc fuiſſe videntur, ibique cœleſtes revelationes novamque avitæ religionis faciem prodidit. Ibi vero rebus ſuis compoſitis in Bactriam commigravit, Perſidis provinciam ad orientem maxime ſitam, ibique in urbe Balch quæ eſt ad littora Oxi fluminis in finibus Perſidis conſedit. Ibi vero Hyſtaſpes, Darii pater, rebus præerat, qui, etſi Darius filius extinctis magis ad aſtrorum cultum defecerat, priſtinam tamen magorum religionem retinuerat: & apud eundem ita præſtigiis ſuis aditum ſibi paravit, ut nova ejus doctrina atque inſtituta publice reciperentur. [m] Addunt his, qui magna de hoc

b) *Ib. p. 319.*
i) Apud EVNDEM *l. c.*
k) Vid. POCOCK. *ſpecim. hiſtor. Arab. p. 147.* HYDE *l. c. c. 22. p. 294. ſeqq.*
l) Bundari, Abu Jaafar Tabarita apud HYDE *l. c. c. 24. p. 313. ſeqq.* GOLIVS *not. ad Alfragan. p. 207. 227.* PRIDEAVX *l. c. p. 214.*
m) IDEM apud HYDE *l. c. p. 316.*

hoc impoſtore ſomniant, in confinibus Indiæ verſatum ad Brachmanas excurriſſe, & ab eis mathematicas, aſtronomicas atque phyſicas doctrinas accepiſſe, ſicque arcana diſciplina innutritum, eas ſcientias ad magos reducem non ſine ſtupore & admiratione omnium docuiſſe, ſicque maximum mathematicum atque philoſophum ſui temporis evaſiſſe, immo factum inde eſſe, quod magi ab eo eruditi arcana naturæ inſpexerint, ut ſupernaturali lumine vique aliqua divina & arcaniori multa patrare poſſe crederentur, & ii qui malis artibus mira ſe effecturos promitterent, magorum nomen uſurparent, cui poſtea infamis ſignificatio inde adhæſit. [n] Verum & hæc non ſatis firmo ſtare talo vel inde conjici poteſt, quod tota illa de Brachmanum eruditione mathematica atque phyſica traditio a Græcis ex ſuæ eruditionis facie aliarum gentium doctrinam inepte metientibus excogitata videatur, ut in ſequentibus latius exponetur; ubi de philoſophia Indorum differemus, eamque longe aliam fuiſſe, audiemus, quam quæ ſpeculationibus intellectus abſolvitur. Nec, cujus fide iſta narrantur, AMMIANVS MARCELLINVS, [o] hæc ad Zoroaſtrem, quem ex Chaldæorum, non Indorum, arcanis ſcientiæ magorum multa addidiſſe, aſſerit, refert, ſed ad Hyſtaſpem prudentiſſimum Darii patrem; qui *quum ſuperioris Indiæ ſecreta fidentius penetraret, ad nemoroſam quandam venerat ſolitudinem, cujus tranquillis ſilentiis præcelſa Brachmanorum ingenia potiuntur: eorumque monitu rationes mundani motus & ſiderum, purosque ſacrorum ritus, quantum colligere potuit, eruditus, ex his quæ didicit, aliqua ſenſibus magorum infudit.* Sed ut ad Zardushtum revertamur, is in Bactria novo religionis ſyſtemate formato & confirmato, tandem ad regiam aulam Suſam, contendit, ibique tanta aſtutia novam theologiam regi Dario commendavit, ut is in partes ejus ſecederet, regemque miniſtri maximam partem ſequerentur, id quod trigeſimo Darii anno accidiſſe referunt [p]. Etſi vero pertinaciſſimos adverſarios Sabæos id eſt aſtrorum cultores experiebatur, ita tamen novum ſyſtema impoſtoris invaluit, ut publice reciperetur, & religionem Perſarum publicam abſolveret. Unde *magicam religionem apud Perſas & Parthos & Bactros, & Choraſmios & Sacas & Medos aliasque multas gentes barbaras vigere*, ſuo quoque tempore LVCIANVS [q] notavit: & exorto quoque Muhamede ea adhuc ſuperfuit, cujus nova religio etſi hanc pepulit, hodienum tamen inter Perſas & Indos Zoroaſtreæ diſciplinæ atque religionis affeclæ, teſtibus viris doctis, qui has regiones perluſtrarunt, inveniuntur. * Poſtquam ita novis acceſſionibus in ipſa regia inſtitutum ſuum Zarduſthus auxit, rediit in urbem Balch, ubi ſe in Pyreo ſive templo igni ſacro dicato archimagum conſtituit, & regia potentia in rebus ad novam religionem & magorum ordinem pertinentibus regnavit, immo & finitimos reges in partes ſuas pertrahere anniſus

n) PRIDEAVX *l.c. p. 221.*
o) *Lib. XXIII. c. 8.*
p) HYDE *l.c. c. 24.*
q) In Longævis *T. II. p. m. 818.*

ſus eſt, verum magno ſuo malo. Cum enim Argaſpem, regem Scytharum orientalium aſtrorum cultui vehementer addictum in partes ſuas pertracturus regia Darii auctoritate & potentia uteretur, violentiam perhorreſcens Scytha exercitu Bactriam invaſit, Darii exercitum fruſtra ſe ei opponentem fudit, & Zardushtum cum omnibus ſacerdotibus templi patriarchalis interfecit, reliquis quoque templis hujus inſtituti deletis. [r] Quem tamen Darius novo collecto exercitu repreſſit, acieque fregit, templa diruta reſuſcitavit, & palmarium templum igni dicatum magnifice ex cineribus iterum exſtruxit, quod inde Azur Guſtaſp, ignis templum Darii Hyſtaſpidis vocatum eſt. Immo archimagi munus ipſum poſtea geſſiſſe, ex eo colligi poteſt, quod referente PORPHYRIO, [s] in ſepulchri titulo magorum magiſtrum ſe vocari juſſit. Et hæc quidem potiora ſunt, quæ de Perſarum Zoroaſtre, Arabum potiſſimum fide, novimus; quæ enim Græci de eo narrant, ita inter ſe pugnant, & cum aliis viris antiquis celeberrimis confuſa male cohærent, ut nihil inde colligi queat, quod vel exigua veri ſpecie ſe commendet. [t] Quo loco vero Arabum teſtimonia habenda ſint, ſupra jam oſtendimus. Nec levem facit ſuſpicionem Græcorum de his Zoroaſtris Perſæ inſtitutis, fortunaque ſub Dario Hyſtaſpe ſilentium, cum tamen non eo tantum tempore Perſarum res Græcis notiſſimæ fuerint, ſed & poſtea Alexandro M. Perſidem occupante monumenta Perſarum in manus Græcorum pervenerint. Difficile itaque eſt, ex hiſtoria hac Zoroaſtrea ea eligere, quæ vero videntur proxima, cum multa, ad faciendam magianiſmo fidem & auctoritatem contra Islamiſmum & Chriſtianiſmum valde circa ſcriptorum horum tempora invaleſcentem, ſine dubio efficta ſint. Nobis ſi in his tenebris conjecturis locus eſt atque lux aliqua, dubium quidem non videtur, in Perſide impoſtorem quendam fuiſſe, qui adhibito Zoroaſtreo nomine, vel in Perſia jam uſitato, vel ab alio antiquiſſimo inter Babylonios philoſopho mentito, novam religionis per aſtrolatriam mire tum mutatæ faciem introduxit, ignisque cultum Perſis admodum ſacrum nova ratione inſtruxit, præſtigiisque ad ſtuporem & admirationem populi excitandam uſus magnam ſibi in hac gente auctoritatem conciliavit, magorumque ſectam & ſyſtema validiſſime evexit: nihil enim in his eſt, quod non probabilitate ſua ſe commendet: nec magnopere refragabimur eis, qui artis medicæ, [u] cultusque deorum arcani, aliarumque partium eruditionis orientalis gnariſſimum fuiſſe perhibent, modo ea non ad normam encyclopædiæ Græcæ, ſed ad modum doctrinæ orientalis exigantur: nam his potiſſimum artibus & temporis ac patriæ ſuæ eruditione ſe eos plerumque commendaſſe, qui novas ſectas & religiones condiderunt, hiſtoriæ veteris & recentioris monumenta loquuntur.

Reli-

r) HYDE *l. c.*
s) *De abſtinent. l. IV. p. 156.*
t) Conf. omnino BAYLE *Dict. T. IV. art. Zoroaſtre p. 555. ſeqq.*
u) HYDE *l. c. p. 300.* hinc ſuppleri & emendari poteſt DAN. LE CLERC. *Hiſt. de la Medecine l. I. ch. 5. p. 9.*

Reliqua vero quæ tanta fiducia Arabes memorant, cur inter fabulas numeranda eſſe exiſtimemus, rationes adductæ ſatis produnt. Et inde etiam judicium fieri poteſt, quid de magnificis elogiis ſentiendum ſit, quæ ejus eruditioni, præſertim in philoſophia tribuuntur. Uti enim nomen Hakim, id eſt, ſapientis per totum orientem, tam inter Muhamedanos, quam Sabios, [x] recte ei tribui poteſt, qui in orientis eruditione magnum nomen adeptus eſt; ita nugantur, qui cum Græcis [y] omnem ſui ſeculi & nationis eruditionem ei tribuunt, quam ei non convenire, illa quæ de magorum inſtitutis poſtea dicentur, ſatis evincunt. Rectius APVLEIVS [z] *antiſtitem omnis divini arcani* nominavit. Facile tamen concedi poteſt, Zoroaſtrem hunc Perſam aſtronomiæ gnarum fuiſſe, quo nomine eum magnopere laudat aliisque præfert doctiſſimus Tartarorum princeps VLVGH BEIGH. [a] Hanc enim philoſophiæ partem in hac gente viguiſſe ſupra vidimus; unde patet, neceſſarium non fuiſſe Zardushto, ad Brachmanas digredi, ſideralis ſcientiæ diſcendæ cauſa, cum domi habuerit, unde ea diſceret, quæ inſtituto ſuo convenire judicabat. Multo minus ii audiendi ſunt, qui revelationes divinas habuiſſe, & de Meſſia vaticinatum fuiſſe, nugivendulis Arabibus fidem habentes, contendunt. [b]

* Si recentioribus itinerariorum ſcriptoribus TEVENOTO, SANSONIO, TAVERNIERIO, LORDIO credendum, illi, qui hodie inter Perſas antiquæ magorum religioni adhærent, Gavri vel Gafri, id eſt, infideles nominantur, & in ſuburbio Aſpahami, ab ipſis Gaurabad dicti, degunt, & viliſſimis ſervitiis deſtinantur. Plerique tamen in Carmaniæ provincia habitant, omnium Perſidis provinciarum peſſima, unde hunc tantum eis locum conceſſit Muhammedanorum zelus & invidia, ubi religionis ſuæ cultum exercent. Eorum enim placitis vehementer inviſi ſunt, unde multa miſeræ genti perferenda. Quæ injuria quosdam permovit, ut in Indiam confugerent, ubi Suratæ, Bombajæque refugii locum invenere. Referuntque qui hæc nobis tradunt, & in his OVINGTONVS apud H. PRIDEAVX l. c. pag. 231. integris eos moribus vivere, Deum ſolum adorare, ad ſolem vero orare, ignemque colere, deteſtari idololatriam, ſtatuere reſurrectionem & judicium extremum: Zoroaſtrem vero prophetam Moſe non minorem habere & colere, per quem Deus ipſis legem atque voluntatem ſuam patefecerit. Aliter tamen, qui prius in eadem opinione fuit, cel. MOSHEMIVS, qui in humaniſſimis ad nos literis ita: *Scio nunc, certisque Orientalium teſtimoniis docere poſſum, inter ignicolas ſeu Guebros & veros Zoroaſtris diſcipulos multum intereſſe. Diſcipuli germani Zoroaſtris Jazidiani appellantur, a voce Jazed Perſica, quæ Deum ſignificat. Habitant illi, qui ſummo Muhammedanis odio ſunt,*

x) HYDE *l. c. c. 24. p. 312.*
y) SOLIN. in *Polyhiſt. c. I.* SVIDAS in *Magi, Aſtronomia, Zoroaſter.* conf. *auct. recogn. l. IV. c. 27.*
z) *Florid. l. II.*
a) Apud HYDE *l. c.*
b) IDEM in *præf.* conf. PRIDEAVX *l. c. p. 230.*

ſunt, in remotiſſimis rupibus & montibus & duo illa numina Zoroaſtris adhuc colunt: verum principium bonum non quod veteres ſolebant, Oromasden hodie vocant, ſed Jezdan i. e. abſolute Deum, malum vero Ahrimen in hunc usque diem nominant. Nihil horum inter Guebres reperitur, qui a Muhammedanis tolerantur. Lucem mihi prætulit hiſtoria Tamerlanis infenſiſſimi tam ignicolarum, quam Zoroaſtrianorum hoſtis.

Libri Zardushto tributi

§. III. Tribuuntur huic Zardushto varii libri, quos partim in ſolitudine verſatus compoſuiſſe, & quod ſupra diximus, coriis taurinis inſcripſiſſe dicitur, partim archimagus conſcripſiſſe fertur. Inter illos non celebrior aut auctoritate præſtantior eſt libro, ab impoſtore in ſolitudine compoſito, quo religionem novam expoſuiſſe, eumque ita regi obtuliſſe ab orientalibus narratur. Hunc *Zendaveſta*, & brevius *Zend* nominant, hacque voce, quam ab ipſo Zardushto derivant, ignitabulum alias indicant, quem titulum ideo feciſſe fertur, quod excitando amoris divini igni lectio & meditatio hujus libri deſtinaretur. Hunc in duas partes diviſit, quarum prior liturgiam & ſacrorum publicam formulam in templis igni dicatis hodienum ſolennem comprehendit, altera præcepta religionis continet, vitæque atque officiorum rationem ita præſcribit, ut ad hanc, tanquam divinam normam omnis actio componi, & juxta eam dijudicari debeat. [c] Hunc librum, apud eos, qui inſtituta Zoroaſtris hodienum ſequuntur, ſacrum, & divinum, tantæque auctoritatis, quantæ apud Chriſtianos ſacra oracula, vel apud Muhammedanos Alcoranus ſunt, e cœlo ſe accepiſſe Zardushtus contendiſſe fertur, & revelationes divinas in eo maxime jactaſſe. Ejus exemplum Perſica lingua atque literis conſcriptum hodienum in templis omnibus huic ſectæ addictorum cuſtodiri fides itinerariorum refert, quæ addunt, ſacerdotes ex eo particulam diebus feſtis populo prælegere. [d] Ejus exemplum nactus vir in his literis apprime verſatus THOMAS HYDEVS, editionem promiſit, modo eſſet, qui ſumtus faceret; ſed mortalitatis exuvias depoſuit, deſiderio & conſilio editionis fruſtratus. Id quod magnopere dolendum eſt, ex eo enim non tantum præſentem horum hominum ſtatum & religionem diſcendi copia enata fuiſſet, ſed facilius quoque de integritate libri judicium potuiſſet fieri. Ejus quidem compendium aliquod liber itidem ſacer, Perſis *Sad-der* dictus, exhibet, cujus ſummam exponit HYDEVS, [e] in quo auctor ita in proœmio hunc Zardushti librum commendat:

Zerâtusht attulit religionem rectam
Nemo debet in hac religione eſſe remiſſus,
Quia Deus ei dedit Veſta-va-Zend,
Unde religio ejus in mundo celſa evaſit.

Zendaveſta,

Verum

c) HYDE *l. c. c. 25. 26. p. 331. ſqq.* HENR. LORD. *l. c.*

d) IDEM *l. c. c. I. p. 25.*

e) Is ante ducentos annos a Perſa quodam veteris linguæ rituumque peritiſſimo ex ſcriptis Zoroaſtris collectus & carmine expreſſus, ab HYDEO latina proſa Hiſtoriæ religionis veterum Perſarum adjectus eſt. Eum ſuppoſitionis reum agit EVSEBIVS RENAVDOTIVS apud BEAVSOBRIVM *l. c. p. 162. not. 3.*

Verum cum æque incerta ſit libri hujus auctoritas, [f] ex eo parum ponderis pro adſtruenda hujus libri ſinceritate & antiquitate accedit. Nec inde recte colligit HYDEVS [g] libri antiquitatem, quod apud EUSEBIVM [h] liber titulo: τῆς ἱερᾶς συναγωγῆς τῶν Περσικῶν memoretur; ex libro *Sadder* enim ejusque proœmio patet, in hoc libro non tam dogmata divina, de Deo rebusque ad eum pertinentibus, quam leges & præcepta contineri. Ait enim:

Omnis rei faciendæ & quoque non faciendæ
Explicatio eſt in hoc centi portali, o chariſſime.

Recte itaque diverſam fuiſſe eam collectionem, quam Euſebius citat, inde colligit eruditiſſimus FABRICIVS. [i] Difficulter itaque de hujus libri auctoritate definiri poteſt, quem viri eruditiſſimi pro genuino Zardushti fœtu habent, [k] aliis diſſentientibus, [l] vel judicium cohibentibus. [m] Nec nos certiora dare audemus, non tamen moroſe refragabimur illuſtri HVETIO, [n] qui, etſi ex falſariorum incudibus profectum eſſe, ſtatuat, vetuſtiſſimum tamen eſſe putat. Neque tamen ſupra Euſebii ætatem referendum putamus, ſed circa ea tempora, quibus Iudæi & Chriſtiani inter Perſas habitaverunt, illorumque libri ſacri his lecti ſunt, a ſacrorum Zoroaſtreorum antiſtitibus ita caute & non ſine ingenti aſtutia effictum, ut & lingua incognita veteri, & charactere quoque ignoto, quem Zundicum vocant, [o] exararetur, & non temere cuiquam ex vulgo proderetur, plerisque compendio libri Sadder contentis; ut ita libro auctoritas accederet, & impoſtura atque ſuppoſitio detegi non poſſet. Quæ quidem pro conjecturis tantum vendimus, ſed talibus, quæ ratione non deſtituuntur. Narrant enim non Arabes tantum, [p] ſed &, qui librum ipſum viderunt, [q] deprehendi in eo multos pſalmos Davidis regis, narrari hiſtoriam conditi mundi eodem modo, quemadmodum apud Moſen, & paria cum hiſtorico ſacro referri de diluvio, Abrahamo, Ioſepho, Salomone, vocarique novam religionem, religionem Abrahami, eo quod priſtinam puritatem religionis, quæ Abrahami tempore floruerit, reformatione ſua reſtituerit. [r] Et hæc quidem Iudaicam originem impoſtoris probare contendit cum Hydeo HVMPHR. PRIDEAVX, [s] nobis autem librum ſuppoſititium prodere videntur. Supra enim evicimus ex ipſo libro Sadder, fruſtra eſſe, qui Iudæum fuiſſe atque ſervitio prophetæ occaſionem nactum libros ſacros expilandi contendunt: quod ſi itaque

f) Supponit enim genuinam originem Zoroaſtrei libri, auctorque nimis a temporibus noſtris remotus eſt.

g) Non diſſentiente HVETIO *l. c. p. m. 90.*

h) *Præp. evang. l. I. p. 42.* conf. FABRICIVS *Bibl. Gr. vol. I. p. 65.*

i) *Ibid. p. 252.*

k) HYDEVS, PRIDEAVX, DE BEAVSOBRE *ll. cc.*

l) HVETIVS *l. c.*

m) FABRICIVS *l. c.* BVDDEVS *Hiſt. eccleſ. V. T. T. II. p. 1057.*

n) Ibid.

o) Conf. ATH. KIRCHERVS *Oedip. Ægypt. T. II. P. II. p. 539.*

p) Apud POCOCK. *ſpecim. hiſt. Arab. p. 148.*

q) HYDEVS *l. c.*

r) IDEM *p. 338.*

s) *l. c. p. 255.* ubi obiter notamus confundi Brahama, Deum Indorum, cum Abrahamo. Illum enim conditorem mundi denotare ſuo loco demonſtrabitur.

que hoc inter figmenta referendum eſt, ratio dari non poteſt, unde tot furta in libros ſacros a Zardushto commiſſa ſint, cum ſatis conſtet, quanta cura ſervaverit, & ab oculis gentilium remotum cuſtodiverit codicem ſacrum Hebræa natio. Nec oſtendi atque probari poteſt, Darii Hyſtaſpidis tempore Perſas religionem ſuam ad Abrahamum retuliſſe, ſed id ſequioribus & recentioribus demum temporibus factum eſt, ex quo Iudæi per totum Orientem usque ad Indos & Sinas diſperſi ſunt, & Muhamediſmus per omnes orientis populos diffeminatus fuit, quæ utraque religio Abrahamo gloriata eſt. Nihil itaque a vero admodum abſimile ſtatuit, qui contendit, ad fraudem Iudæis & Chriſtianis, (forte etiam Muhammedanis) faciendam a ſacerdotibus magianiſmi valide ejus collabeſcentis ruinis ſe opponentibus, librum, adſcito antiquitatis fuco & externo charactere oppoſitum eſſe. Certe Zoroaſtri ipſi adſcribere, audax nimis eſt, longeque incertiſſimum, nec ex eo fide dignum teſtimonium, cum dubiæ auctoritatis ſit, deſumi poteſt. Diſtinctus vero liber eſt in duodecim tomos, librosque viginti & unum, & in portas ſive capita ſectionesve centum.

Scripta Zoroaſtris alia.

§. IV. Præter hunc librum, magnam ſcriptorum copiam Zoroaſtri Græci tribuunt, ſive quod collectionis a Zardushto in ſolitudine factæ libri titulique multi fuerint, ſive quod celebri nomini multa fuerint ſuppoſita. Præcedenti enim capite jam ex Plinio narravimus HERMIPPVM SMYRNAEVM de tota arte magica diligentiſſime ſcripſiſſe, & vicies centum millia verſuum a Zoroaſtre condita indicibus quoque voluminibus ejus poſitis explanaviſſe, idque magis ad Zoroaſtrem Perſam, quam Chaldæum pertinere monuimus. Etſi vero facile HYDEO [t] credamus, Zoroaſtrem nihil carmine ſcripſiſſe, ſed proſa mera, patet tamen inde, vetuſtiſſimis temporibus varia ſcripta Zoroaſtreo nomini fuiſſe ſuppoſita. Certe aſtrologica, phyſica, magicaque atque chemica, politica & theologica ſcripta ei tribui, collectis veterum narrationibus prolixe exponunt literatiſſimi viri PETRVS LAMBECIVS [u] & IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, [x] quorum uterque cum accurate de ſcriptis Zoroaſtreis egerit, lectorem merito ad hos fontes remittimus, ne juſto fiamus prolixiores. [y] Quemadmodum vero amiſſa ſunt ea omnia, ita dubium non eſt, quin tam celebri nomini pleraque ſint ſuppoſita. Ita enim non Zoroaſtri tantum, ſed & Hermeti, Orpheo aliisque magnis viris canæ antiquitatis accidit, ut libris ad eorum mentem & doctrinam a ſectarum ſuarum alumnis compoſitis ipſorum nomina præfigerentur: idque etiam cum Zoroaſtre in magorum ſecta eveniſſe nulli dubitamus. Cum enim ex hac ſecta ſacerdotes fuerint, qui & divinum cultum tum publicum tum arcanum conſervabant, & natura majora efficere ſe poſſe, jactabant, & aſtrologia apoteleſmatica ſibi nomen, famam, opes & auctoritatem conciliabant, facile inde rationes ſubduci poſſunt, unde libri illi aſtrologici, phyſici,

t) *l. c. p. 340.*
u) *Prodr. hiſt. liter. p. 79 ſq.*
x) *Bibl. Græc. vol. I. p. 246.*
y) Conferendus SVIDAS voce *Zoroaſtres T. II. p. 9.*

ſici, theologici ortum ſuum habuerint. Neque tamen omnes ad hos auctores referendi ſunt, ſed abuſi quoque varii impoſtores Zoroaſtreo nomine ad conciliandam nugis ſuis auctoritatem. Inter hos Gnoſtici ſunt, qui apocalypſes Zoroaſtris ſe habere gloriati ſunt, in quibus maxime Adelphius & Aquilinus talia jactarunt. Hos enim fraudis & ſuppoſitionis tota Platonicorum ſchola, & imprimis Plotinus, [z] Amelius, & præ ceteris PORPHYRIVS convicerunt, qui ipſe refert, [a] eviciſſe ſe, quod confictæ illæ eſſent atque ſpuriæ. Unde miramur, eruditiſſimum BEAVSOBRIVM [b] hanc ſententiam admiſiſſe, evidens eſſe, quod iſtæ revelationes librum Zend, textum ſcilicet ſacrum placitorum Zoroaſtreorum continuerint. Si enim genuinum fœtum Zoroaſtris Gnoſtici habuiſſent, [c] alia longe ratione Platonici, qui Zoroaſtrea maximi faciebant, eos refutaſſent, & ſibi potius ſuæquæ ſcholæ illa vindicaſſent, quemadmodum in afferendis λογίοις ſive oraculis Zoroaſtris fecerunt.

§. V. Hæc λόγια ſive oracula, quæ cum revelationibus iſtis quidam perperam confundunt, [d] magnum olim hodieque nomen conſecuta ſunt, cum fragmenta ex iis quædam ad nos pervenerint, lecta olim & eximie laudata a Platonicis recentioribus ſive Alexandrinis philoſophis, Zoroaſtrem tamen nominetenus non laudantibus. Ea enim tanquam pretioſiſſimum vetuſtiſſimæ ſapientiæ theſaurum & divinas voces receperunt, ſuisque commendaverunt, commentariis quoque illuſtraverunt, id quod de Porphyrio, Iamblicho, Proclo conſtat, ut alios taceamus. [e] Neque tamen integra, qualia Platonici legerunt, ad nos pervenerunt, ſed ſexaginta tantum verſus, neque illi integri cum ſcholiis GEMISTI PLETHONIS primum editi, [f] & a IACOBO MARTHANO latino ſermone expreſſi ſunt, quos nova verſione & notis ſuis pariter atque MICHAELIS PSELLI auctos repetita editione ornavit IO. OPSOPOEVS. [g] Longe tamen pleniorem collectionem inſtituit FRANCISCVS PATRICIVS, qui verſus trecentos viginti tres oraculorum ex Platonicorum commentariis, Procli ſcilicet, Hermiæ Olympiodori, Syneſii, Simplicii Damaſcii & Nicephori collegit, verſus dimidios vel ſingulos apud hos auctores repertos pro argumenti affinitate conjunxit, latine vertit, & in undecim ſectiones diviſos præfixa de Zoroaſtre diſſertatione græce & latine in *nova de univerſis philoſophia* edidit, [h] repetitos poſtea ab HENRICO RANZOVIO, [i] PETRO LAMBECIO [k] atque THOMA STANLEIO [l] cui eruditas notas & utiliſſimum *indicem philologicum* adjecit IOANNES CLERICVS.

Oracula Zoroaſtris.

z) *Enn. II. l. 9.* ubi prolixe contra Gnoſticos diſputat.
a) In *vita Plotini c. 16.*
b) *Hiſt. Manich. T. I. l. I. c. 6. p. 314.*
c) Libros Zoroaſtris apocryphos ſe habere jactabant quoque Prodici Gnoſtici diſcipuli apud CLEM. ALEXANDRIN. *Str. l. I. p. 304.*
d) Conf. FABRICIVS *l. c. p. 247.* not. BEAVSOBRE *l. c. p. 314. ſ.*
e) Conf. FABRICIVS *l. c.*
f) A LODOICO TOLETANO *Pariſ. 1538. 4.*
g) Ad calcem *Sibyllinorum Paris. 1589.* & curaSERVATII GALLÆI *Amſtelod. 1689. 4.*
h) *Ferrar. 1591. fol. Ven. 1593.*
i) *Hamburg. 1593. 8.*
k) In *prodromo hiſt. liter. p. 97. ſqq.*
l) *Hiſt. philoſ. fine p. 1176. ſqq.*

CVS. Etſi vero egregie de philoſophica hiſtoria, ut multis aliis nominibus, ita hac quoque collectione Patricius meruit, dolendum tamen, quod ſcriptores, unde iſtos verſus depromſit, raro & negligenter citaverit, unaque ſerie deſcripſerit, quæ diverſis in locis ſcriptisque ab eo obſervata divellenda erant, nec jungi debebant, ut taceamus verſus non ſatis emendatos, mutilosve, vel auctorum quoque verbis interpolatos; unde lector acutus facile judicabit, ſenſum ex argumenti indole in ſe ſubobſcurum, haud raro non recte fluere, aquamque inde lectoribus ſæpe hærere.[m] Magna vero de auctoritate horum oraculorum Zoroaſtreorum ſive Chaldaicorum controverſia inter eruditos multusque diſſenſus eſt. Quidam enim Platonicorum jactantia inducti ea non tantum pro Chaldaicæ ſapientiæ reliquiis, verum etiam pro Zoroaſtreæ philoſophiæ theſauris receperunt, iisque ingens pretium ſtatuerunt, inter quos imprimis FRANCISCVS PICVS fuit, qui ſe integra atque Chaldaica habuiſſe gloriatus eſt,[n] nimia credulitate fraudeque vendentis ſine dubio deceptus. Eadem fere tuetur OTTO HEVRNIVS,[o] qui meliori ea ſtilo expolire, & puriore latinitate induere conniſus, ſenſum perperam intellectum ſæpe corrupit & inquinavit, & quæ inter ſe non cohærent, una ſermonis ſerie ex fragmentis hinc inde collectis miſere & abſurde interdum enarravit.[p] Aliter prudentiores atque cautiores & in his viri celeberrimi THOMAS STANLEIVS,[q] IO. CLERICVS,[r] IO. ALBERTVS FABRICIVS,[s] aliique, qui non negant quidem ex Chaldaicis vel Perſicis de verbo ad verbum deſcripta & translata non eſſe, multa enim aperte ſtilum Græcum redolent, verbaque adhibentur philoſophiæ Græcæ præcipue Pythagorico-Platonicæ propria: putant tamen Chaldaicam vel Zoroaſtream doctrinam in iis hinc inde latere, ac veſtigia in iis deprehendi priſcæ philoſophiæ orientalis, licet ab aliquo Græcanicæ philoſophiæ gnaro libere translata ſint græce, indeque multa Græcæ philoſophiæ vocabula irrepſiſſe. In id ſtudium enim philoſophos quosdam orientalis philoſophiæ peritiſſimos incubuiſſe, ut orientalia monumenta Græca redderent, ut de Beroſo accepimus,[t] eum ſcripta Chaldæorum philoſophica in Græciam intuliſſe, & Iulianum, Chaldæum philoſophum theurgica oracula aliaque ejusdem ſcientiæ arcana Græcis verſibus edidiſſe.[u] Tandem & tertia criticorum ſententia acceſſit, qui hæc oracula non tantum Zoroaſtri ſuppoſita, ſed a Græcanicæ quoque philoſophiæ cultore poſt C. N. efficta orbique philoſophico obtruſa contendunt, argumentum ſententiæ ſuæ ex ſtilo Græco in Platonicorum recentiorum ſcholis nato & adulto, rebusque in iis contentis manifeſte tempora juniora proden-

m) Conf. STANLEIVS *l. c. p.* 1177. CLERICVS *præf. not.* FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p.* 249.

n) In epiſtola ad Ficinum ſcripta, quæ extat inter opera Joannis Pici *p.* 249.

o) *Antiq. barbar. philoſ. l. II. p.* 124. inſcripſit ea; *Zoroaſtri Bactrianorum regis ac principis Magorum oracula magica ſincera.*

p) Conf. STANLEIVS *l. c.*

q) *l. c.*

r) *l. c.*

s) *l. c.*

t) Diximus hac de re capite præcedente.

u) SVIDAS, in *Iulianus T. II. p.* 123.

dentibus, & in philoſophia orientali ignotis accerſentes. Quæ ſententia magnos viros eosque κριτικωτάτους auctores atque aſſeclas habet, ex quibus præcipue PETRVM LAMBECIVM, [x] THEOPH. SPIZELIVM, [y] IO. HENR. VRSINVM, [z] THOMAM HYDEVM, [a] THOMAM BVRNETIVM, [b] & noſtræ ætatis viros celeberrimi nominis, IO. FR. BVDDEVM, [c] ISAACVM BEAVSOBRIVM, [d] IO. LAVRENTIVM MOSHEMIVM [e] nominamus. Etſi vero fœtum ſuppoſititium eſſe omnes agnoſcant, auctorem tamen detegere nequeunt, niſi quod LAMBECIVS [f] putet, Iulianum theurgum, de quo modo diximus, & cujus θεουργικὰ τελεστικὰ λόγια δι' ἐπῶν SVIDAS [g] memorat, totam fabulam inſtituiſſe, ipſumque oracula hæc primum confinxiſſe: floruit vero ſub M. Antonino. [h] Nos omnino fatemur, ancipitem eſſe, & obſcuram totam, quæ de his oraculis inſtituitur, diſceptationem, cum nec ii quidem fontes nobis ſatis noti ſint, unde ea hauſit Patricius, ut iis conſultis rectum de ſingulis verſibus eorumque ſenſu & auctoritate judicium inſtitui queat, ſic ut fere impoſſibile ſit, ſenſum eorum, ſine accommodatione allegorica, planum atque non impeditum eruere. Omnia itaque ad conjecturas redeunt, quæ, ſi noſtra quoque de his oraculis opinio explicanda eſt, eo tendunt, ut 1. certum putemus, fuiſſe ſeculo poſt C. N. primo vel ſecundo jam ejusmodi oracula inter homines, quæ Zoroaſtri tribuebantur, ſive eum auctorem referre credita fuerint, ſive ad ejus diſciplinam ab orientalibus compoſita. In excerptis enim ex NICOLAI DAMASCENI vita λόγια Ζωροάστρου bis citantur [i] quo loco conjectura Lambecii ſatis refellitur. Nec 2. ad Gnoſticos, poſt Adriani imperatoris tempora Zoroaſtrea dogmata & oracula jactantes, ea referri poſſe exiſtimamus, quod VRSINO viſum fuit, [k] ſupra enim jam ex Porphyrio audivimus, Platonicos Gnoſticorum fœtus ſuppoſititios fortiter repreſſiſſe, qui tamen hæc oracula maximi fecerunt. 3. Obſervandum & hoc eſt, a Platonicis non Zoroaſtris oracula dici, ſed vel λόγια ἱερὰ vel Χαλδαϊκὰ, immo nec PLETHONEM collectorem primum dixiſſe Zoroaſtris oracula, ſed Zoroaſtrea tantum, [l] id eſt doctrinam ad mentem Zoroaſtris comprehendentia, unde & Zoroaſtreorum & Platonicorum dogmatum compendium conſcripſit: [m] valdeque

x) In *prodrom. hiſtor. liter. p. 94.*

y) *De re literaria Sinenſ. Sect. VI. p. 86.*

z) *De Zoroaſtre, Hermete & Sanchun. ex. I. ſect. 8. p. 56. ſeqq.*

a) *De relig. vet. perſ. c. XXXII. p. 386.* qui hæc quoque oracula ſe editurum promiſit.

b) *Archæol. philoſoph. c. IV. p. 349.*

c) *Hiſt. Eccleſ. V. T. Per. I. ſect. 3. §. 22. p. 442.*

d) *Hiſt. de Manich. T. I. l. I. c. 6. p. 315.*

e) In *notis ad* CUDWORTHI *Syſtema intellectuale p. 340. n. 54.*

f) *l. c.*

g) *l. c.*

h) Confer. quæ de eo habet FABRICIVS *l. c. p. 251.*

i) In *excerptis Peireſcianis a* VALESIO editis *p. 460.* ubi hiſtoria Croeſi a Cyro rogo deſtinati & miraculo liberati narratur, & adjicitur, Perſas λόγια Ζωροάστρου in mentem revocaſſe, & exinde ſanxiſſe juxta oracula Zoroaſtris, ne cadavera cremare, neve ignem contaminare liceret. Quæ cum fabulam prodant, incertum jam tum rumorem de oraculis Zoroaſtris circumlatum fuiſſe docent.

k) *l. c.*

l) In prima enim editione præfixus titulus: Μαγικὰ λόγια τῶν ἀπὸ τοῦ Ζωροάστρου Μάγων. vid. FABR. *l. c. p. 248.*

m) Exhibet id FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. XIV. p. 137.* hoc titulo.

nobis videtur probabile, Picum primum fuiſſe, qui vendentis impoſtoris fraude deceptus Zoroaſtri ipſi tribuerit. Imprimis vero 4. notandum eſt, non vocabula tantum in his oraculis apparere, ſed res quoque in orientalium ſcholis ignotas, & inter Græcorum præcipue Pythagoreo-Platonicorum ſubſellia enatas, qualia ſunt principia illa divina, ſeriesque & ordines ſubſtantiarum ſpiritualium, intelligibilia, intellectualia, ideæ, & quæ his ſunt ſimilia: immo talia in his oraculis dogmata reperiri, quæ ante C. N. in Academia vel plane non vel alio modo audiebantur atque tradebantur. [n] In his maxime notabile dogma eſt de trinitate in divinis, quod hoc, quo in oraculis apparet, modo ornatum Platonica Alexandrinorum philoſophorum ſchola eo tempore ita comſit, effinxitque, quo omnium religionum ſyncretiſmum meditabatur, & imprimis Chriſtianorum ſacris ſe, quantum pote, accommodabat, ut ruenti gentiliſmo ſuppetias ferret. Facileque eſſet, ſi id ageremus, plerorumque dogmatum in his oraculis contentorum paralleliſmum in ſyſtemate philoſophiæ Alexandrinæ oſtendere. Quibus omnibus ſi 5. jungimus effrenem impudentiam horum hominum, ſuppoſititiis fœtibus, piaque, quam putabant, fraude rebus ſuis ſubveniendi, & inſano ſyncretiſmo ſuo auctoritatem adſcitis vetuſtiſſimorum philoſophorum nominibus conciliandi, non parum ponderis habere nobis videtur ea ſententia, quæ philoſophorum Alexandrinorum alicui, ante conditam Plotini ſcholam viventi, ſuppoſititium fœtum adſcribit, & oracula hæc circa ea tempora enata eſſe conjicit, quibus Hermetica, Sibyllina & hujus furfuris alia mendaciorum pater ad ſiſtendam religionis Chriſtianæ fortunam & incrementa orbi obtruſit. Neque tamen improbabile videtur, circumlatas eſſe in oriente ſacras quasdam ſententias Zoroaſtri tributas & ſub ejus nomine venditas, quæ occaſionem forte tum Gnoſticis, tum Platonicis obtulere, ejusmodi ſcripta, & λόγια, Zoroaſtream doctrinam & myſteria præ ſe ferentia excogitandi & incautis obtrudendi, ſuasque nugas quas Chriſtianæ potiſſimum religioni opponebant, ita commendandi. Totum enim theurgiæ myſterium, quod Chriſtianorum miraculis hi homines opponebant, nativo Platonicorum colore in his oraculis adumbratum eſt. Quæ omnia jure tandem evincunt, Zoroaſtri Perſæ ea abjudicanda eſſe.

Hyſtaſpes. §. VI. Præter Zardushtum philoſophiæ inter magos maxime cultæ auctorem & promotorem conſtituit AMMIANVS MARCELLINVS [o] Hyſtaſpen; quem ſupra jam memorantem audivimus, cum ſuperioris Indiæ ſecreta penetraret, ad Brachmanum ſolitudines perveniſſe, & ab iis aſtronomiam & arcanum Deorum cultum edoctum, ſcientiam hanc magos iterum docuiſſe. Variant vero veterum de Hyſtaſpe narrationes. LACTANTIVS [p] enim Medorum regem & vatem antiquiſſimum facit, & præfatum, ait, ſublatum iri ex orbe nomen imperiumque Romanum, multo ante, quam illa Trojana gens conderetur. Quem tamen, ut haud raro ſolet,

n) Conf. omnino cel. MOSHEMIVS *l. c.*
o) *Lib. XXIII. c. 6.*
p) *Lib. VII. c. 15.*

ſolet, vel nominum confuſione vel falſa traditione deceptum eſſe, dubium non eſt. Rectius & Arabes, qui nobis Zoroaſtris hiſtoriam deſcripſerunt, [q] & ex Græcis AGATHIAS, [r] Zoroaſtris æqualem faciunt, Perſarum teſtimonio uſi, qui eum Darii patrem tradunt. Nec diſſentit HERODOTVS, [s] qui refert, eum ex Achæmenia Perſidis regione oriundum, filiumque Arſacis fuiſſe, ſomniumque de Dario primogenito ſuo, quo ei regnum portendebatur, ſermonesque de ea re Cyri & Hyſtaſpis narrat. Is itaque Cyri tempore vixit, & junctis cum Aduſio copiis, totam eam Phrygiæ partem, quæ Euxino ponto adjacet, ſubegit, regemque ejus captivum ad Cyrum adduxit. [t] Nec caret veriſimilitudine, Hyſtaſpem, etſi ducem, Magis tamen præfuiſſe, ſupra enim ex PORPHYRIO notavimus, Hyſtaſpis filium Darium ſepulchro inſcribi juſſiſſe, ὅτι μαγικῶν γένοιτο διδάσκαλος, id quod non tam magorum præceptorem, quam archimagum, ſive ſacrum pontificem notare, ſupra quoque monuimus. Ita enim rationes horum temporum exigebant, & multa veteris hiſtoriæ exempla probant, ſummæ rerum præfectos, religionis quoque cuſtodiam & ſacrorum munerum præfecturam ſibi ſervaviſſe, ut religionis capiſtro populum eo felicius refrenarent. Ceterum magi hujus vaticinia, vel incertam potius de iis traditionem apud primitivæ eccleſiæ doctores magnæ auctoritatis fuiſſe, ex iis, quæ viri docti a FABRICIO citati, de illis diſputaverunt, notum eſt. Verum ea alterius loci ſunt, ubi latius demonſtrandum eſt, inter apocrypha incautis patribus ſæpe præter rem deamata, iſta vaticinia referenda eſſe.

§. VII. Nemo tamen inter magos poſt Zoroaſtrem nomen atque famam magis extulit, quam Hoſtanes, ſive Oſtanes, quem & quidam Otanem dicunt. Hunc Zoroaſtris præceptorem a nonnullis exiſtimatum fuiſſe, capite præcedente monuimus, quam recte diſpiciant alii. [u] Certe Oſtanas vel plures fuiſſe, vel nomen celeberrimi magi toti ſectæ ceſſiſſe, ut Oſtanæ dicerentur, quod SVIDAE [x] placuit, vel ex uno DIOGENE LAERTIO patet, [y] qui *poſt Zoroaſtrem certa ſucceſſione magos fuiſſe Oſtanas & Aſtrampſychos, & Gobryas ac Pazatas, donec ab Alexandro everſum eſt Perſarum regnum* refert. Duos enim Oſtanas PLINIVS [z] quoque memorat, quorum unus Xerxis tempore floruit, alter Alexandri M. ætate non levem auctoritatem addidit magicæ profeſſioni. Antiquior tamen ille maximam in magica diſciplina celebritatem conſecutus eſt. Refert enim PLINIVS: *Primum, (ut equidem inveniatur) de magia commentatum Oſthanam, Xerxem regem Perſarum bello, quod is Græciæ intulit, comitatum ac velut ſemina artis portentoſæ ſparſiſſe obiter infe-*

Hoſtanes.

q) Apud HYDEVM & POCOCKIVM *ll.* ſupra *citatis*: Illius *c. 23.* de Hyſtaſpe agit.

r) *Lib. II. p. 58.*

s) *Lib. I. c. 209.*

t) XENOPH. *Inſtit. Cyr. l. VII.*

u) Paulo enim ante Zoroaſtrem poni refert PLINIVS *l. XXX. c. 1.*

x) Voce *Oſtanæ*, *T. II. p. 723.* niſi Suidas Laërtium, quem excerpit, male intellexit, & ex duobus Oſtanis ſectæ nomen fecit, quod ingenioſe conjicit KVSTERVS *ad h. l.*

y) *Lib. I. ſ. 2.*

z) *l. c.*

infecto quacunque commeaverat; mundo. Hunc maxime ad rabiem, non aviditatem modo ſcientiæ ejus Græcorum populos egiſſe. Inde etiam multa viri hujus fama magnumque nomen apud veteres, TATIANVM [a] TERTVLLIANVM, [b] ARNOBIVM, [c] MINVCIVM FELICEM, [d] AVGVSTINVM [e] aliosque. Et ſi vera refert SVIDAS, [f] poſt Zoroaſtrem ab hoc Oſtane inter Perſas Aſtronomia primum exculta eſt. Immo librum quoque chemicum ei tribui HYDEVS teſtatur, quem tamen inter ſuppoſititios fœtus referendum eſſe, ea, quæ de ætate artis chemicæ capite primo obiter monuimus, ſatis docent. Nec melioris commatis ſunt, quæ in EVSEBII Chronico Græco [g] referuntur. Democritum Abderitam phyſicum philoſophum in Ægypto initiatum ab Oſtane Medo, eo miſſo, ut Ægypti ſacris præſideret in templo Memphitico cum aliis ſacerdotibus & philoſophis. In his etiam fuiſſe Mariam quandam Hebræam ſapientem, & Pammenem, qui per ambages ſcripſit de auro & argento & lapidibus & purpura, quomodo etiam Maria: eosque proinde ab Oſtane laudatos eſſe, quod per multa eaque docta ænigmata artem celaſſent. Vt enim taceamus, nullibi legi Oſtanem in Ægyptum migraviſſe, & ſacerdotibus Ægyptiis præfuiſſe, ſola Democriti ætas, Oſtane multum inferior fabulam detegit. Iure itaque ſuſpecta hæc ſunt SCALIGERO, [h] ejus calculos probante doctiſſimo BOCHARTO, [i] tanquam a Panodoro Monacho in Euſebii textum intruſa: &, quod facile inde conjici poteſt, ad conciliandam arti alchemiſticæ auctoritatem & antiquitatem excogitata. Alia ſcripta Oſtani ſuppoſita nominat FABRICIVS. [k] Ceterum & Aſtrampſycho inter magos nomen fuiſſe, ex adducto Laërtii loco conſtat, [l] eique librum veterinarium de curatione aſinorum tribuit SVIDAS [m] & librum de interpretatione ſomniorum, quem hodienum inter ſcriptores oneirocriticos legimus. [n]

Magi.

§. VIII. Vt vero philoſophorum & philoſophiæ apud Perſas faciem plenius noſcamus, totus Magorum ordo conſiderandus eſt, ex quo ſapientes ſive eruditos Perſarum, quos philoſophos barbaros nominare ſolent, ortos fuiſſe univerſæ antiquitatis conſenſu conſtat. De quorum nomine & origine, ut plerumque in rebus vetuſtiſſimis & peregrinis ſolet fieri, incertæ quoque & diſſonæ inter ſe ſunt eruditorum conjecturæ. Nec enim, quid vox iſta antiqua Perſarum lingua ſignificet, definiri ſatis poteſt; alii enim ex Arabibus apud HERBELOTVM [o] & POCOCKIVM [p] ex voce Mikghoush

Ejus nominis ſignificatio.

a) *Adv. Græc. p. m. 155. ed. Pariſ.*
b) *De anima c. 57.*
c) *Adv. gentes l. I.*
d) In *Octavio.*
e) Contra *Donatiſt. l. VI. c. 44.*
f) Voce *Aſtronomia T. I. p. 360.* ubi ait, *eum cum Zoroaſtre ex genitura & motu cœli fata hominum naſcentium obſervare cœpiſſe & ab his didiciſſe Græcos & Ægyptios.*
g) *Lib. I. p. 43.*
h) *Ad h. l.*
i) *Geograph. S. P. I. l. IV. c. I. p. 235.*
k) *Bibl. Græc. vol. I. p. 92. ſeq.*
l) Conf. SVIDAS *v. Magi T. II.*
m) Voce *Aſtrampſychus T. I. p. 360.*
n) Vid. KVSTER. *ad l. c.* Suidæ. FABRICIVS *Bibl. Gr. vol. III. p. 409. vol. X. p. 491.* RIGALTIVS *ad Aſtrampſychum Artemidoro ſubjectum.*
o) *Bibl. Orient. p. 932.*
p) *Specim. hiſt. Arab. p. 146.*

Mikghoush vel Mijegoush, quod hominem brevibus auribus denotat, appellationem desumtam, sicque magorum nomen a facie conditoris sectæ βραχυώτου derivatum esse contendunt, quod ita accipit HVMPHR. PRIDEAVX, [q] ut credat, ex eo demum tempore, quo Smerdis Magus a Cyro auribus truncatus regno occupato extinctus & Magorum secta tantum non penitus eradicata est, infamiæ causa sectæ Magorum nomen hæsisse. Quæ tamen conjectura non ex eo tantum refellitur, quod testantibus Græcis atque orientalibus, Magorum nomen & institutum multo antiquius fuit Cyri & Darii Hystaspis temporibus, & sub Assyrio imperio jam efflоruit, ut capite præcedente ostendimus: sed & monente doctissimo & veteris Persarum linguæ callentissimo HYDEO [r] hæc vox Mikgoush hominem grandibus potius, quam brevibus auribus indicat. Unde aliis a murmure potius circa sacrificia adhibito Magos dictos esse supra docuimus. Quæ tamen omnia meræ conjecturæ sunt, levibus etymologiis nixæ, idque unum veritati consentaneum, Magum sive MOG esse vetustum nomen vel ex Media vel ex Perside oriundum, incertæ originis, quo ignis cultor & sacerdos innuitur, quam sententiam recte tenuerunt orientalium linguarum peritissimi viri ED. POCOCKIVS [s] & THOMAS HYDE. [t] Etsi vero vox apud Medos atque Persas domestica fuit, Magianismi tamen institutum & arcana cultus divini ratio, quæ eum potissimum absolvebat, inter Babylonios & Assyrios aliosque orientis populos ante Persarum imperium efflоruit, nisi omnia veterum testimonia insano ausu rejicere, eorumque universalem fidem frangere velimus. Qua de re cum præcedenti capite actum sit, dicta otiose non repetemus. Nos autem hic de Persarum tantum Magis solliciti, dum in eorum origines inquirimus, id ex iis, quæ de historia Zoroastris Persæ dicta sunt, notandum existimamus, impostorem hunc Magorum sectam non condidisse, sed eam diu jam conditam, & inter publicas Persidis religiones receptam jam viguisse, astrolatria Magianismum postea obscurante. Idque etiam Græcorum, præter Arabes, testimonia evincunt, qui Magos apud hanc gentem antiquissimis temporibus efflоruisse testantur: [u] etsi non audiendi sunt IBN PATRICK sive EVTYCHIVS ALEXANDRINVS, [x] & GEORGIVS EBNOL AMDI, [y] qui ab ipso Nimrodo Magorum institutum derivant. Alii Persarum & Arabum origines Magorum instituti ad quendam Keïomarathum referunt, [z] neque tamen dicere possunt, quis ille fuerit, cum alii ipsum Adamum intelligant, alii Noachum, HERBELOTVS [a] vero fundatorem Persicæ, vel Assyriæ potius monarchiæ; æque incerta omnes fide & traditione. Id quod etiam de magno Zervan

Origo Magorum.

q) *Hist. Iud. T. I. p. 128.*
r) *Hist. rel vet. Persar. p. 272.*
s) *l. c. p. 146.* qui hanc significationem ex Nomenclatore Arabico-Persico probat.
t) *l. c. p. 273.*
u) Apud PLINIVM *l. XXX. c. 1.* & LAERTIVM *l. I. s. 2.*
x) *Annal. Alex. T. I. p. 64.* qui tamen sibi ipsi contradicit, ut sæpius solet, quando *p. 263.* ait, Zoradashtum Samardii temporibus magorum religionem condidisse.
y) Apud POCOCK. *l. c. p. 148.*
z) HYDE *l. c. p. 161.*
a) *Bibl. Orient. v. Cajumarath p. 243.*

Zervan altero Magorum principe ſtatuendum, [b] ſub cujus nomine aliqui Noachum, alii Abrahamum latere putant. Si enim ea, quæ ex THEODORI MOPSVESTENI libris de Perſarum magia nobis ſervavit PHOTIVS, [c] genuinam Perſarum ſententiam referunt, Zarvam ſive Zervam non magis hominem indicat, quam Oromaſdes vel Arimanius, ſed principium aliquod divinum. Verum hæc ingeniis orientalium nugatoriis fidemque ex ementita antiquitate quærentibus relinquenda ſunt, quæ talibus otioſam arrogantiam paſcere ſolent, quale etiam illud eſt, quod P. BAYLE, refert, [d] Perſarum ſophorum quosdam ad Eliam origines ſuas referre, quod, niſi Muhammedana fabula eſt, ad magicam religionem profitentes non trahenda, intelligi debet de Elia propheta, apud quem Zardushtum ſerviviſſe narrant. [e]

Quod eorum munus?

Illud unum recte ex his omnibus confici poteſt, antiquiſſimam fuiſſe religionem & ſectam Magorum, quæ & ſacerdotium tenuit, & eruditionis inter ſuos cuſtos fuit, unde ratio patet, cur Græci atque Latini [f] per Magum mox ſacerdotem, mox philoſophum intelligant, quoniam apud Magos & ſacrorum ritus & arcana de diis eorumque cultu doctrina, & reliquarum quoque ſcientiarum cultura fuit. [g] Interdum tamen a Chaldæis, qui ſiderum eorumque vaticiniorum ſcientiam excolebant, diſtinguuntur, & illi potiſſimum intelliguntur, qui θεραπεία τῶν Θεῶν, ſacro deorum cultui & theurgiæ, in qua magiam potiſſimum conſtitiſſe ſuperiori capite oſtenſum eſt, vacabant, & ſomnia quoque interpretabantur. Quanquam non omnes Magi, (tales enim omnes ii vocabantur, qui Magorum ſanguine creti erant, diſciplina parentis traditione ad filios transmiſſa) ſed ii tantum qui ex Magorum familia & gente ſacerdotiis adhibiti erant, in hoc eruditorum

Societas.

Perſarum ſive philoſophorum numero cenſendi ſunt. [i] De his porro narrant: [k] auctos paulatim in amplitudinem gentis ſolidæ conceſſiſſe & nomen, villasque inhabitantes nulla murorum firmitudine communitas, & legibus ſuis uti permiſſos religionis reſpectu eſſe honoratos. Quo cum conſentit CLEMENS ALEXANDRINVS, [l] qui Magorum regionis, locis eminentioribus tribusque montibus in longiſſimo campo ordine ſitis ſeptæ meminit. Immo urbem Paſſagarda ad eos pertinuiſſe, SOLINVS [m] auctor eſt. Id quod tamen non de omnibus intelligi poteſt, cum per totam Perſidem ad fungendum ſacerdotio vacandumque ignis cultui diſperſi fuerint. Etſi vero non cultui tantum divino ſed & ſapientiæ conſervandæ & in populo propagandæ deſtinabantur, [n] peculiari tamen inſtituto ab omni naturali honeſtate abhorrente eam originem agnoſcebant, ut ex inceſto matris

b) HYDE *l. c. p. 34.*
c) *Codic. LXXXI. p. 115.* ed. Hœſch.
d) *Nouvel. de la republ. des lettres 1684. Mars p. 71.* conf. FABRICIVS *Codic. Pſeudepigr. V. T. T. II. p. 1077.*
e) ABVLPHAR. apud POCOCK. *l. c. p. 147.*
f) LAERT. *l. c.* CICERO *de div. l. I.* APVLEIVS *Apolog. p. m. 204. Otium Vindel. p. 235.*
g) Luculenter HESYCHIVS: Μάγον τὸν θεοσεβῆ καὶ θεόλογον καὶ ἱερέα οἱ Πέρσαι λέγουσι.
h) HERODOTVS *l. I. c. 107.* conf. BECMANN. *Or. L. Lat. p. 650.*
i) Conf. PRIDEAVX *Hiſt. Iud. T. I. p. 222.*
k) AMMIANVS MARCELLINVS *l. XXIII. c. 6.*
l) *Stromat. l. VIII. p. 632.*
m) *Polyhiſt. c. 55.*
n) LAERT. *l. I. ſ. 6.*

matris cum filio connubio generarentur. Quod etsi ipsa natura abhorrere videtur, & hinc non nemini [o] dubium & incertum visum fuit, attamen non Græcorum tantum Xanthis Lydii apud CLEMENTEM ALEXANDRINVM, [p] SEXTI EMPIRICI, [q] DIOGENIS LAERTII [r] aliorumque a MENAGIO [s] adductorum testimoniis, sed & Arabum fide [t] constat, qui in sacris Zardushti libris permitti matrem, sororem, filiam, in uxorem sumere referunt. Quas incestas nuptias non apud Persas, sed & alios orientis populos licitas fuisse, dudum viris doctis observatum est. [u] *Nativitas ex incestu.*

§. IX. Erat vero potissimum Magorum munus sacris præesse, sacrumque ignis cultum, quem religio magica quam maxime commendabat, precesque & sacrificia peragere. Cum enim duo rerum omnium principia statuerent, bonum lucis, & malum tenebrarum, de quo magicæ religionis articulo fundamentali postea latius differemus, ubi de theologia Persarum dicendum erit, proscripto idolorum cultu, quem astrolatrias assectæ vehementer urgebant, sacrum potissimum ignem, symbolum fontis omnium bonorum, lucis æternæ & primigeniæ colebant. Quam θεραπείαν ita Zardushtus emendavit, ut sacrum ignem a Magis in omnibus pyreis, sive ignis sacrariis servari atque studiose custodiri juberet, & hac ipsa ex causa Keblam [x] orientem constitueret. Nam coluerant prius quidem Persæ ignem, sed in collibus aris sub dio excitatis; ne itaque ignis sacer tempestatis injuria extingueretur, super aras has templa sive pyrea excitari jussit, iisque Magos præfecit. [y] Hincque in tres classes Magi divisi sunt [z] quarum prima inferiores sacerdotes cultus divini primam & infimam curam gerentes continebat, altera hos regebat, eisque ephororum instar præerat, tertia archimagum constituebat, qui toti Magorum familiæ atque ordini, tanquam summus pontifex, vel rex sacrorum præsidebat. Inde & tria templorum genera nobis enarrantur apud Persas obvia: erant enim ubivis locorum excitata oratoria, ubi liturgicæ preces populo prælegebantur, festisque diebus ex libris sacris particulæ quædam exponebantur. In his ignis sacer non in ara, sed in lampade conservabatur. Præter ea pyrea erant, sive templa publica, in quibus sacer ignis in aris studiose conservabatur, & a sacerdotibus minoris ordinis, ne extingueretur, custodia per vices redeunte observabatur: Magis majoris ordinis ad has aras preces & sacrificia peragentibus. [a] Et in his templis haud raro congregabantur, ut de vaticiniis, [b] somniorumque interpretationibus, quibus credulo populo im- *Cultus ignis Magis commendatus.* *Classes Magorum.*

o) Vid. *Bibl. Germanique T. XXIV. p. 57.* dubius quoque hæret BEAVSOBRIVS *l. c. p. 320.*

p) *Strom. l. I. p. 3.*

q) *Pyrrhon. hypotyp. l. I. f. 152. l. III. f. 205.* ad quæ loca videndus FABRICIVS.

r) *l. c.* vel Clitarchi potius.

s) ad *l. c.* LAERTII.

t) Apud POCOCK. *l. c. p. 147.*

u) Vid. FREINSHEM. *ad* CVRT. *VIII. 2.* TIRAQVEL. *leg. connub. l. VII. c. 30.* ALEXANDER AB ALEX. *gen. dier. l. I. c. 24.* immo jam EVRIPIDES *Androm. v. 173.*

x) POCOCK. *l. c.* Kebla vero est facies cœli ad quam orantes se vertunt.

y) HYDE *l. c. c. 8. 29.*

z) Ib. *c. 28. 30.*

a) Componit hæc cum templis nostris cathedralibus & metropolitanis PRIDEAVX. *l. c. p. 223.*

b) CICERO *de div. l. I. c. 41.* conf. AELIANVS *l. II. c. 17.* VALER. MAX. *l. I. c. 6.* STRABO *l. XVI.* PLINIVS *l. XXIV. c. 6.* COEL. RHODIGIN. *antiq. lect. l. XIII. c. 39. p. m. 513.*

ponebant, inter ſe colloquerentur, & de artificio hoc inter ſe convenirent. Tandem & ſummum pyreum templumque fuit, ſedes archimagi, quod hæc natio ad hæc noſtra tempora ſemper ſacro-ſanctum habuit, & itinere ſacro inviſere, haud aliter ut Muhammedani templum prophetæ ſui Meccæ, ſemel minimum in vita, inter neceſſaria officia retulit. Quod ſanctum templum, uti ſupra diximus, Zardushtus in urbe Balch excitavit, & Darius ab Argaſpe igne deletum reſuſcitavit, donec ſec. VII. Muhammediſmo in Perſide invaleſcente archimagus in provinciam Carmaniam ſecedere cogeretur, ubi ejusmodi pyreum omnibus ſuæ ſectæ ſacroſanctum habendum exſtruxit, quodque ſumma quoque hodienum religione inviſi a magianiſmi aſſeclis, recentiora itineraria teſtantur. Ut vero decenter pieque hoc ſacerdotium Magi ſubirent, ſeveris legibus conditor vel reformator ſectæ, ſi fides eſt recentioribus eorum relationibus, [c] qui cum his hominibus congreſſi ſunt, eos in officio continuit. Poſtulavit enim a ſacerdotibus, ut cultum precesque a ſe publica liturgia inſtitutas mutare non audeant, in nullius bona & facultates involent, mendacia evitent, cogitationes impuras ab animo arceant, a pollutionibus ſe præmuniant, injurias oblivíſcantur, populum preces cultumque divinum & rationes ſacrificiorum doceant, matrimonia dirigant iisque præſint, templa frequenter inviſant, librum ſacrum Zendaveſta memoria teneant, nec aliam pro lege divina, quam hanc ſuam habeant, nec eum corrumpere audeant, ſub pœna æternæ pœnæ. Archimagis vero ſummisque ſacrorum pontificibus præſcripſit, ut puri ſemper incedant, & polluti aliqua re ſe lavent; ut manuum ſuarum labore vivant; decimas tamen mercedem muneris a laicis accipiant; ut vanam gloriam & ambitionem fugiant, & facultates ſuas ad exercenda miſericordiæ opera adhibeant; ut prope templa habitent, ingreſſuri ne videantur; ut frequenter ſe lavent, menſæ munditiem ament, & ſacra facturi a conjuge abſtineant; ut alios in cognitione aſtrologiæ rerumque naturalium ſuperent; ut neminem timeant, præter Deum; ut forti & imperterrito animo peccatores reprehendant cujuscunque ſint muneris atque dignitatis; ut accurate falſas revelationes a veris diſtinguere norint; ut ſemper admirentur miſericordiam divinam, & ſe manifeſtationi gloriæ divinæ parent; ut ignem cœleſtem ſollicite cuſtodiant, donec terra igni erit conſumta. Hæ regulæ ſunt, quas Magorum ordini Zoroaſter præſcripſiſſe dicitur; quæ etſi non omnes queant videri genuinæ, ſuppoſitione in his gentibus præcipue circa ſacra frequentiſſime adhibita; nihil tamen habent, quod non indoli philoſophiæ moralis orientalium ſatis reſpondeat, &, ſi ſummam rei ſpectes, cum iis conſentiat, quæ de Magis ex veterum relationibus tradit LAERTIVS. [d] Is enim ex Clitarcho & Sotione refert: *Chaldæos circa aſtronomiæ rationes prædictionesque occupari: Magos deorum vacare cultui, ſacrificiisque ac precibus, quaſi ſoli ab iis exaudian-*

Officia Magorum.

c) Videantur, quos laudat AD. TRIBBETHOVIVS *de philoſoph. mor. apud barb. c. 20.* & ex eo BEAVSOBRIVS *l. c. p. 317.*

d) *Lib. I. ſ. 6.*

diantur; præterea de deorum ſubſtantia & ortu ſententias proferre, quos & ignem terramque & aquam eſſe arbitrentur. Signa ſtatuasque repudiare, & eorum imprimis, qui mares eſſe deos & fœminas dicunt, opinionem improbare. De juſtitia verba facere, impiumque arbitrare igni ſepelire, fas putare matri ac filiæ miſceri; divinationem præterea prædictionemque exercere, ſibi Deos adparere adſerentes; eosdem facierum ornamentis aurique uſu in veſtitu interdicere. His veſtem candidam, lectum humum, eſcam olus, caſeum, panemque cibarium eſſe, arundine pro baculo uti. [e] Et ſic quidem uno conditoris vel reformatoris potius inſtituto invicem juncti ſunt; narrant tamen orientales ſcriptores, in ſectas diviſos fuiſſe, quarum cum omnes in aſtruenda althanawiah convenerint, ſcilicet duo eſſe rerum principia lucem & tenebras, in partes abiiſſe videntur, quod alii principia iſta coæva, alii alterum altero poſterius ſtatuerint. [f] Qua ratione tamen plures ſectas emerſiſſe HYDEVS docet, [g] qui ſeptuaginta numerat. Forte id ad ceremonias magis & prædictionum atque incantamentorum modum, [h] quibus vacabant, quam ad ipſa ſententiarum divortia trahendum, vel de temporibus Zardushto ſuperioribus intelligendum eſt. Ab eo enim callidiſſimo conſilio Magorum ordo atque ſecta ita conſtituta eſt, ut ſententiarum unitate reverentiam atque auctoritatem, quam vaferrimus impoſtor eis efficaciter reparavit, tuerentur. Ea quoque ita gaviſi ſunt, ut ipſi Perſarum reges inſtitutis Magorum ſe inſtrui juberent, nec ad regium diadema acceſſus daretur, niſi arcana magicæ diſciplinæ prius edocto. [i] Vnde & ſemper Magorum prudentiſſimi in aula regia ſervati, & conſiliis arcanioribus adhibiti ſunt, [k] cujus cauſam præcedente capite expoſuimus. Certe nec Darium puduit, archimagi titulo ſuperbire, nec regium omnem ſanguinem, Magorum ordini ac ſanguini adſcribi, ratos, ita regiæ dignitati ex ſuperſtitione populi majorem auctoritatem acceſſuram. Duravit quoque per omnia ea tempora horum hominum auctoritas, quibus Perſarum imperium floruit. Eo vero per Alexandrum M. extincto multum eorum potentiæ deceſſit, non tamen extinctus ipſe ordo eſt, quem nec Heraclius, [l] valde ei infeſtus, ita extirpare potuit, ut non ad Muhammedis tempora ſupereſſent, a cujus tandem affeclis ad maris Indici ora & extremos Perſidis fines ejectos eſſe ſupra monuimus.

Sectæ Magorum.

Auctoritas.

e) Addendum & hoc, infectis, præcipue muribus infeſtos fuiſſe, eaque interfeciſſe PLVT. *de ira T. V. p. m. 532.* qui & inter Arabas & Æthiopas idem obſervari tradit, noſtris quoque moribus non abhorrentibus. Forte mures in tenebris degentes ob internecinum in tenebras odium averſati ſunt: licet ſola quoque impuritas murium naturalis ſufficiat.

f) POCOCK. *l. c.*

g) *l. c. p. 126.*

h) Conf. BEAVSOBRE *l. c. p. 321.* qui inter ſacras Magorum ceremonias baptiſmum ignis refert, de quo quædam memorat BENIAM. TVDELENS. *Itiner. p. 108.* Recte vero vir doctiſſimus dubitat, an de Perſis & non magis de Indorum quadam natione intelligendum ſit? nam refert mortuos in ignem projicere, immo magnates interdum vivos ſe igni comburendos devovere. Hoc vero a moribus Perſarum vehementer abhorret, apud quos lege vetitum igni ſepeliri, apud NIC. DAMASCEN. in *Excerpt. Peireſ. p. 460.* moribus vero Indorum receptum eſt. In eandem claſſem quis retulerit, quod CICERO *Tuſc. Qq. l. I. c. 45.* refert, neminem ex ſuis ſepeliviſſe, niſi abjectum prius & a feris laceratum.

i) Dictum hac de re *cap. præc.* CIC. *de div. l. I. c. 41.*

k) Vid. quos laudat STANLEIVS *Hiſt. phil. p. 1162.*

l) AGATHIAS *l. II.* conf. quos laudat SELDENVS *de Diis Syr. Synt. II. c. 8. p. m. 321.*

Philoſophia Perſarum obſcuriſſima.

§. X. Ex dictis conſtare, arbitramur, ſapientiam, qualem in barbarica philoſophia perquirimus, apud Perſas inter ſacerdotes ſive Magos, quærendam eſſe; qui cum religionis cuſtodes fuerint, ſacrasque doctrinas ſervaverint, ipſa Perſarum religio atque theologia conſideranda eſt, quidque de Deo, de origine, naturaque mundi præſentis, ejusque fine dixerint expendendum, annexis iis, quibus mores hominum dirigebant. In his enim omnem eorum ſapientiam conſtitiſſe, ex iis quæ de magis attulimus, & veterum teſtimoniis roboravimus, manifeſtum eſt. Ita vero difficilis obſcuriſſima, & innumeris ænigmatibus impedita eſt omnis de ſacra Perſarum veterum doctrina atque placitis tractatio, id quod plerumque in rebus vetuſtiſſimis, iisque maxime, quæ ad religionem antiquiſſimorum populorum pertinent, evenire ſolet, ut facilius ſit hunc labyrinthum ingredi, quam juſtum conſequi exitum. Cujus rationes, quæ ex teſtium potiſſimum conditione & defectu oriuntur, quia initio capitis hujus attulimus, providum lectorem, ad ea, quæ ibi dicta ſunt, caute attendere jubemus. Tentabimus tamen, quantum in denſis his tenebris palpari poteſt, ea exquirere, quæ veteres de Perſarum circa Deum resque ſacras placitis nobis referunt, neque ſolis Græcis mire ſententias confundentibus fidem habebimus, neque ſolos orientales ſcriptores ſubleſtæ fidei, fraudisque ſæpius ſuſpectos audiemus, ſed utrumque teſtium genus, quantum licet, comparabimus inter ſe, & ipſam probabilitatis rationem ita conſulemus, ut aliqua ſaltem veriſimilitudo inde enaſcatur. Sacram vero Perſarum philoſophiam expendentibus tempora ante Zoroaſtrem ſollicite diſtinguenda ſunt ab iis, quæ hunc impoſtorem religionis reformatorem nacta ſunt. Ab eo enim novam Perſarum religioni indutam fuiſſe faciem, ita ut Perſicæ philoſophiæ, vel religionis & theologiæ potius auctor haberetur, unanimi Græcorum pariter atque orientalium ſcriptorum conſenſu confirmatur. Quæ neglecta diſtinctio potiſſima cauſa fuit, cur tantus de Perſarum dogmatibus diſſenſus inter veteres & recentiores ſcriptores offendatur: prima multis tempora eorumque doctrinam cum Zoroaſtreis confundentibus. Adeo vero remota ſunt vetuſtiſſima illa tempora a noſtris, tantumque ubique monumenta deficiunt, ut impoſſibile ſit, vetuſtiſſimorum Perſarum ſententias ſacras recte enarrare: omnia enim, quæ paſſim traduntur incertiſſima ſunt, ſolisque conjecturis nituntur. Quia tamen certiora non habemus, his contentos nos eſſe oportet. Et hoc quidem non levibus tantum conjecturis, ſed univerſali fere veterum teſtimonio confici poteſt, Perſas ſolem, cœleſtemque illum ignem Deum veneratos fuiſſe, quo omnia animantur. Id quod omni quidem niſu a Perſis amoliri ſatagit, qui in theologia eorum ſanius exponenda omnem induſtriam adhibuit, THOMAS HYDEVS, [m] infeliciter tamen, ſi quid judicamus, & contra omnis antiquitatis fidem, quæ in teſtimonium contra eum produci poteſt. Quod cum erudite confecerit vir doctiſſimus PHILIPPVS A TVRRE, [n] qui

Dii Perſarum.

m) De relig. vet. Perſar. c. 4. p. 117. ſq.

n) In monum. veteris Antii p. 194.

qui argumenta quoque Hydei examinavit iisque ſatisfecit, lectorem brevitatis cauſa eo remittimus. Nec hæc ab univerſali orientis conſuetudine recedunt: in quo ſolem potiſſimum inter divinitates relatum eſſe magni viri GER. IOH. VOSSIVS, [o] IOH. SELDENVS [p] & EDVARD. HERBERTVS DE CHERBVRY [q] evidentibus rationibus & teſtimoniis demonſtraverunt. Immo inter Chaldæos & Aſſyrios ignis hujus cœleſtis, hincque omnis ignis cultum divinum fuiſſe, ſuperiori capite luculentis, niſi nos omnia fallunt, teſtimoniis confecimus. A quibus cum non imperium modo ſed & religio atque inſtituta ad Perſas tranſierint, facile inde conjici poteſt, cur Perſis vetuſtiſſimis ſolis, & qui eum repræſentare credebatur, ignis cultus recte tribuatur. Hunc vero Deum Mithræ potiſſimum nomine inſigniebant, eique Deos duos Hormasden, quem Græci Oromasden vocant, & Arhimanium adjungunt, [r] de quibus paulo poſt plenius dicemus, hic loci notaſſe contenti, hunc Mithram primum, ut recte HESYCHIVS, [s] apud Perſas Deum eſſe, conditorem atque parentem omnium rerum, quo nomine eum mactat apud PORPHYRIVM [t] Eubulus. Hinc in inſcriptionibus paſſim: DEO SOLI INVICTO MITHRAE, &, OMNIPOTENTI DEO MITHRAE. [u] Eſſe vero hunc Mithram Perſis ſolem, inde recte conficitur, quod teſte HERODOTO [x] & STRABONE, [y] ſolum e Diis ſolem Perſæ colant, atque equos ſacrificent. Ad quod alludit OVIDIVS. [z]

Solis cultus.

Mithras.

Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Plura, ubi alia nobis agenda ſunt, non cumulamus, ſed rei noſcendæ cupidum ad eos ſcriptores remittimus, qui arcana Mithræ ſacra apud Perſas ſolenni religione culti nobis enarrarunt. [a] Quæ cum ita ſint, dubitandum vix eſt, antiquiſſimos Perſas ſolem pro Deo coluiſſe: huncque Mithræ nomine indigitaſſe, cujus cauſas facile deprehendent, qui in origines idololatriæ veteris curioſius inquirent. Cum enim Deus pro mundi anima ab omni fere antiquitate, quæ ob traditionis primorum hominum propinquitatem Dei notitia carere non potuit, haberetur, ſolis vero, principis ſideris ſplendor, forma, calor, effectus admirationem merito excitarent, facile in has cogitationes dilapſi ſunt homines, ut putarent, magnam, eamque primam, omniumque præſtantiſſimam animæ mundanæ, id eſt, Dei ipſius partem in ſole reſidere. Quod quidem a plebis rudioris indole remotum aliquantum eſt, quæ ſidera omnia, præcipue vero ſolem ipſum

o) *De theol. gentili l. II. c. 2. p. 309.*
p) *De Diis Syris, paſſim, vid. p. 25. 36. 325.*
q) *De religione gentilium c. 4. p. 26. ſeqq.*
r) PLVTARCH. *de Iſid. & Oſirid.*
s) Voce *Mithra.*
t) *De antro nymphar. p. 118. ed. Rom.*
u) Vid. EZ. SPANHEMIVS *ad Iul. Cæſ. p. 144.* ANT. VAN. DALE *diſſ. IX. ad antiqua marmora p. 16. ſeqq.*
x) *Lib. I. c. 131.*
y) *Lib. XV.*
z) *Faſtor. l. I. v. 383.* Plura teſtimonia, Mithram ſolem Perſis eſſe congeſſit TH. GATAKER in *adv. miſcell. c. 21.*
a) Eos nominat FABRICIVS *Bibliogr. antiq. c. VIII. §. 12. p. 250. c. X. §. 10. p. 322.*

ipſum inter Deos ſimplici cultu retulit, prudentiorum tamen mentem ubivis populorum fuiſſe, facile, ſi id ageremus, probari poſſet. Et ita apud Perſas eveniſſe omnino veriſimile eſt, quorum illi, qui rudiori ingenio ultra viſibiles creaturas animum non extollebant, ſolem ipſum Deum credebant & venerabantur, quam vulgi religionem fuiſſe, tot veterum teſtimoniis evincitur; prudentiores tamen ſolem viſibilem imaginem, immo thronum potius atque ſedem potiſſimæ partis divinitatis, ſive ipſius Dei ſtatuebant. Et ſic conciliari poſſe putamus diſſenſum virorum eruditiſſimorum, ambigua acie, & adductis utrinque veterum locis pugnantium, utrum per ſolem ſupremus Deus apud Perſas intelligatur, an ei ſuperior ſit? Cujus prioris ſententiæ teſtimonia ſupra audivimus; poſterioris locum luculentum XENOPHONTIS [b] attulit vir ſummus IOH. LAVRENTIVS MOSHEMIVS. [c] Illa enim de vulgi ſententia, hæc de prudentiorum placitis loquuntur, qui non ſolum divinitatem in ſole, ſed in toto quoque mundo ejusque partibus habitantem, Iovem ſummum, Deumque maximum habuere. Et hinc quoque ratio dari poteſt, cur in laudato Xenophontis loco fulgura σημεῖα τοῦ μεγίστ Θεῦ *maximi Dei ſigna* vocentur: eo ſcilicet, quia teſte HERODOTO, [d] quo cum STRABO [e] conſentit, τὸν κύκλον πάντα τὸ ἐρανὸ Δία καλέοντες. *Omnem ambitum cœli Iovem nominant;* nempe quia per totum hunc circulum Deus, ignis ille divinus, [f] ſive anima mundana, diffuſus eſt, participantibus ex eo omnibus ſideribus, nullo tamen magis, quam ſole. Et eadem quoque ratio valet, cur apud vetuſtiſſimos Perſas ignis cultus tam ſacer fuerit atque tantis ceremoniis, ne pollueretur, cuſtoditus. Refert enim, quod ſupra jam obiter tetigimus, STRABO, [g] qui in his regionibus ipſe verſatus erat, *in Cappadocia eſſe magnam Magorum multitudinem, qui Pyrethi, i. e. ignis cultores dicantur: multa item Perſicorum Deorum* [h] *fana; haut cultro ſed ſtipite quodam mactare, velut piſtillo verberantes. Eſſe etiam Pyratheia quædam memoratu digna. Horum in medio aram eſſe, in quo cinis eſt multus: ignem autem inextinguibilem ſervare Magos, cotidie ingreſſos, per horæ ferme ſpatium accinere, faſciculum virgarum ante ignem tenentes tiaris laneis velari &c.* [i] Quæ etſi videntur ad Zoroaſtrea inſtituta, de quibus ſupra diximus, pertinere, certum tamen eſt ex adductis, ſacrum ignis cultum ante Zoroaſtrem inter Perſas viguiſſe, illumque adaptato religioni patriæ ſyſtemate, quod invenerat, philoſophico, ſolenniorem tantum, excitatis Πυραθείοις templisque & inſtitutis novis ceremoniis, quas hic Strabo explicat, ignis cultum fuiſſe. Certe ignem

b) *Lib. I. p. 65. 66.*

c) *Annot. ad* CVDWORTHI *ſyſtema intellectuale p. 328.*

d) *Lib. I. c. 131.*

e) *Lib. XVI.*

f) Poteſt his ratio quoque addi alia. Nempe Perſæ veteres nulla templa habebant, quod parietibus Deos includi nefas habebant, teſte CICERONE *de legibus l. II. c. 10.* hinc ſub patente cœlo orabant ad Deos ubique præſentes.

g) *Lib. XV.*

h) Hoc ex more Græcorum dictum eſt, Perſæ enim Pyrea, non vera Deorum delubra habebant.

i) Frudite has ceremonias illuſtrat IO. SELDENVS *de Diis Syris, Synt. II. c. 8. p. 317. ſqq.*

ignem ubique etiam in quotidiano uſu, ne polluerent, Perſæ cavebant, indeque Euphrates Perſa, apud DIOSCORIDEM [k] corpus ſuum cremari vetat, ne ignem inquinaret:

\- - Πῦρ δὲ μιῆναι,
Ἡμῖν τοῦ χαλεποῦ πικρότερον θανάτου.
\- - *Ignem polluere*
Nobis ipſa gravi morte amarius.

Mithræ nomen cur ſoli datum, vel ſummo potius Deo?

Vnde vero vel ſoli vel divinitati ſummæ, cujus ſedes atque imago ſol ſit, Mithræ nomen datum fuerit, difficulter definiri poteſt. Quæ enim vocis hujus origines a viris doctis SCALIGERO, [l] HYDEO, [m] RELANDO [n] aliisque [o] afferuntur, incertæ omnes ſunt. Quod ſi primæ vero popularis ſuperſtitionis & idololatriæ origines attenduntur, conjectura vero admodum ſimilis fieri poteſt, unde Mithras inter Perſarum deos nomen extulerit. Vetuſtiſſima enim monumenta ſcrutantibus ſatis notum eſſe exiſtimamus, populorum antiquiſſimorum deos non alios fuiſſe, quam magnos viros, principesque, conditores & auctores eorum, qui incultam & inhabitabilem terram colendi rationem oſtenderunt, a feris & latronibus quoque eam liberarunt, ad manſuetos & humanos mores homines deduxerunt, legibusque ac religione eos inſtruxerunt, ſicque tantis beneficiis ſuos auxerunt, ut eorum memoria ducti eis locum inter deos aſſignarent. Nec ignotum quoque iis eſt, qui antiqua placita excuſſerunt, magnis animis in ſole tanquam feliciſſimo loco Deoque proximo poſt mortem ſedem eſſe datam. Cum itaque Mithras nomen viri ſit, quo Perſæ ſæpius homines denotant, ſua probabilitate conſtat, Mithram primorum in hac gente hominum virum quendam fuiſſe, ut robuſtiſſimum, ita magna inter eos auctoritate, forte regia, valentem, qui purgatam a feris & latronibus regionem habitabilem fecit, legibus & inſtitutis egregiis ſuos adjuvit, tantisque gentem beneficiis ſibi obſtrinxit, ut poſt mortem ei divinos honores deferrent, animamque in ſolem tanquam cœleſtem paradiſum translatam collocarent. Quæ ſimpliciſſima idololatriæ ratio, qualem etiam in Belo rege ſupra vidimus, cum diſpliceret prudentioribus, qui philoſophari inceperunt, occaſio inde enata eſt, inſtitutum Mithræ cultum ad res naturales adplicandi, & principium ſummum Mithræ nomine inſigniendo, vel ſolem quoque inſtar Dei cultum hoc nomine indicando, manifeſtam ſuperſtitionis rationem emendandi. Quæ ſententia in ſe quidem multa veriſimilitudine ſe commendat, maxime tamen iis argumentis roboratur, quæ pro ea ornanda inſigni eruditione adjutus attulit vir in veterum arcanis perſpiciendis longe acutiſſimus, celeberrimus I. L. MOSHEMIVS, [p] cujus rationes ſummatim

k) *Anthol. III. c. 4.* Hinc quoque ratio derivanda, cur Perſæ cadavera non combuſſerint.

l) *De emendat. temp. l. VI. p. 588.* VOSSIVS *l. c. p. 133.* SELDENVS *l. c. p. 179.*

m) *De rel. vet. Perſ. c. 4. p. 67.*

n) *Diſſ. miſcell. P. II. p. 198.*

o) Conf. quos laudat S. Rev. MOSHEMIVS *ad* CVDWORTHI *Syſt. int. p. 326. not. 21.*

p) *l. c. p. 327. ſeqq. not. 23.*

tim tantum exhibebimus, ut lectori profundius rem meditandi inde occasio enascatur. Provocat is ante omnia ad imaginem Mithræ, [q] qualis apud Persas pingebatur, & in antiquis marmoribus occurrit, quæ nobis hominem validum, venatoremque exhibent. Pingebant enim Mithram, ut robustum virum, gladio cinctum, & tiara Persica tectum, qui tergo tauri insidet, feramque bestiam hanc comprimit, coërcet, ense conficit, additis canibus, qui taurum aggrediuntur: quæ omnia etsi ad rationes physicas veteres & recentiores referant, recte tamen ejusmodi explicationes tanquam serius excogitatæ, & simplicitati primæ rudissimi hominum generis non convenientes rejiciuntur. Deinde ad victimas vir sagacissimus provocat, Mithræ oblatas; equi enim deo huic sacrati erant, ut vel ex uno OVIDII loco, supra adducto, constat, nosque alia veterum testimonia ibidem adduximus. Cum itaque vetustissimi homines crederent, earundem rerum delectatione heroas inter sidera relatos duci, quibus delectati sunt in terris, equi Mithræ in venationibus dilecti etiam post fata dicati sunt; cum alias ratio dari nequeat, cur soli equos Persæ sacrificent? Tandem & ad mysteria Mithræ provocat, cum mysteriorum omnium institutio, si, non ex quæsitis sacerdotum interpretamentis, vel philosophorum accommodationibus, sed ex ipsis circumstantiis, modoque æstimentur, typica repræsentatio inventorum, fatorum, factorumque primorum regnorum conditorum sit, ideo introducta, ut beneficiorum memoria cultusque ideo his viris concessus divinus sacra reverentia conservaretur. Qualia etiam Mithræ instituta sunt, eaque octoginta pœnarum & suppliciorum generibus quasi præmunita, [r] quæ sufferre oportebat eum, qui sacra hæc intueri cupiebat, eo fine, ne sacra hæc profundius inspecta, si inter homines quosvis innotescerent, evilescerent, nec ad arcana dominatus possent adhiberi amplius, sed ii tantum admitterentur, qui per tot molestias & vexationes tandem ad ἐποπτίαν admissi fidem & prudentiam antistitibus probavissent. In his vero mysteriis pugnæ, certaminis & venationis genus quoddam, exhibitum est, & belli imago, strictis ensibus repræsentata, clypeo enim, lorica, gladio & hasta armati consecrati sunt, qui supplicia pertulerunt; [s] figuræ quoque ferarum antris illis, in quibus sacra Mithriaca peragebantur, adpictæ, [t] immo initiati quoque ferarum nomine insigniti, & eorum pellibus ac figura induti, quos ficta pugna, quam in veram mutavit Commodus, [u] venabulis ensibusque alii aggrediebantur. Quæ omnia ita vir doctissimus ornat & probat, ut omnino probabilissimum videatur, nihil aliud repræsentatum fuisse nisi Mithræ beneficia, ejusmodi bellis & venationibus populo Persarum præstita. Ceterum Mithram τριπλάσιον triplicem nominatum fuisse, ex veterum relatione constat. [x] Quæ denominatio miras inter eruditos conjecturas

Mithras τριπλάσιος dictus.

q) Vid. VAN DALE in *antiq. marm. diss. I. p. 18.*
r) MONTFAVCON. *Diar. Ital. c. 14. p. 201.* SELDENVS *l. c. c. 6. p. 170.*
s) IVLIVS FIRMICVS *de err. profan. relig. p. 414.*
t) PORPHYRIVS *ex Eubulo l. c.* & de *abstinent. l. IV. c. 16. p. 165.*
u) LAMPRIDIVS in *Commodo c. 9.*
x) Loca veterum adduxit CVDWORTHVS *Syst. int. c. IV. §. 16. p. 333.*

jecturas protulit, videndas apud VOSSIVM [y] SELDENVM, [z] CVDWORTHVM, [a] cui cum HVETIO [b] neſcio quæ trinitatis veſtigia in ea latere videntur. Etſi vero hæc ad triplicem ſolis faciem, qualem nobis, æque ut lunæ, depingunt veteres, referri poſſunt,[c] ex dictis tamen vero non abſimile videtur, triplex, quod genti ſuæ conditor exhibuit, beneficium, triplicemque, quo ſe conſpiciendum Mithras dedit formam, initio indicaſſe, nempe liberatæ a feris regionis, conditarum legum, introductæ religionis. Sed hæ conjecturæ ſunt, majora enim & certiora in tam cana vetuſtate expectari immo ne poſtulari quidem poſſunt.

§. XI. Præter Mithram Oromazdes & Arimanius ſumma numina celebrantur apud Perſas, ſibi invicem contraria, quorum illud omnis felicitatis bonorumque auctor, hoc malorum atque infelicitatis fons & origo dictum eſt. Et quod ad Oromaſden attinet, quem Perſæ Hormizdas nominant, nomen illud divinitati tributum (nam interdum quoque Iovem planetam indicat,) addito epitheto plerumque apud Perſas exprimitur; ut ejus character quaſi exprimatur, e.g. Hormizda Choda, Deus ſupremus.[d] Quam vero vox originem habeat, inutiliter diſceptari putamus; videnda autem varia vocis etyma apud ven. IO. CHR. WOLFIVM, [e] IS. BEAVSOBRIVM, [f] THOM. HYDEVM; [g] nos unum adjicimus, omnium probabiliſſimam videri eam derivationem, quam in his literis ſummus vir MAT. VEIS LA CROZE [b] protulit, qui luculenter demonſtravit, ἀγαθὸν δαίμονα, vi vocum Perſicarum indicari, quæ ſignificatio cum re ipſa egregie convenit, bonum enim Deum iſta voce indicaſſe & Græci & Orientales unanimi ore fatentur: Arhimanius vero HYDEO [i] vel impurum, vel ſeductorem ſignificat, talem enim ſub hac voce Perſæ dæmonem ſibi finxere, qui omnis mali & impuritatis auctor fuerit; utrumque, qua ratione philoſophi ſive theologi potius hujus gentis intellexerint, poſtea videbimus, & hic modo, ubi de avita Perſarum religione loquimur, notamus, cum vero videatur ſimillimum, Mithram fuiſſe virum de gente meritiſſimum inter deos relatum; idem quoque de Oromaſde & Arimanio conjiciendum eſſe, quorum ille princeps bonus, & inſigniter de prima Perſarum gente & ætate meritus, alter tyrannus bello, ac innumeris aliis malis homines vexans, perpetuisque cum bono principe pugnis & diſſidiis implicitus fuerit. Qua de re juvat viri maximi GODOFREDI GVILIELMI LEIBNIZII [k] conjecturam audire, quæ, ut eſt ab ingenio maximo, & profundiſſime penetrante profecta, ita mire rem hanc illuſtrat. Ait vero: *Conſideranti magnos*

Oromazdes & Arimanius.

Oromazdes quid ſignificet?

Arhimanius quis ſit?

y) *De orig. idol. l. II. c. 9. p. 131.*
z) *l. c. proleg. p. 31.*
a) *l. c. p. 333.*
b) *Qq. Alnet. l. II. c. 3.*
c) MOSHEM. *ad l. c. Cudworth.*
d) HYDE *l. c. p. 161.*
e) *de manichæiſmo ante Manichæos p. 59.*
f) *l. c. p. 169.*
g) *l. c.* alia vide apud WINDETVM *de vita funct. ſtatu p. 36.* CLERICVM *ad* STANLEIVM *Ind. philol.* voce *Oromazdes.*
h) Cujus annotationem hac de re inſeruit *l. c.* BEAVSOBRIVS.
i) *l. c.*
k) *Theodicée P. II. §. 138. p. m. 184. ſeq.* in cujus ſententiam conceſſit quoque ven. MOSHEMIVS *ad* CVDWORTHVM *p. 328.* & CASP. ABELIVS *in antiqq. Tent. c. I. §. 6. p. 22.*

gnos Aſiæ principes nomen Hormiſdæ geſſiſſe, Irmin vero ſive Hermin fuiſſe nomen Dei vel herois Celto-Scytharum, id eſt Germanorum, viſum fuit probabile, hunc Arimanium fuiſſe magnum aliquem conquæſtorem ab occidente Perſidem invadentem, qualis ſequioribus temporibus Chingis-Chan & Tamerlanes ab occidente venerunt: Sic ut Arimanius ab occidente boreali, id eſt ex Germania atque Sarmatia per Alanos & Maſſagethas in regiones Hormiſdæ cujusdam, magnæ Aſiæ regis irruerit, quemadmodum teſte Herodoto Scythæ fecerunt, tempore Cyaxaris regis Medorum. Hic itaque rex, qui populos ſuos ad mores mites traductos clementer rexit, & contra invaſiones latronis fortiter tuitus eſt, potuit apud eos pro bono Deo haberi, quemadmodum latro ſymbolum mali principii evaſit. Certe hæc probabiliſſima ſunt, patetque ex hac ipſa mythologia, duos hos principes diu inter ſe bella geſſiſſe, ita tamen ut neuter vinceret, ſed uterque partes ſuas tueretur, quemadmodum duo principia, inter ſe diviſum habent imperium mundi, ex hypotheſi Zoroaſtri tributa. Quæ conjectura, ſi cum iis, quæ ſupra de Mithra diximus, conjungatur, lucem vetuſtiſſimæ Perſarum religioni accendit: qui Hormiſdam ſive Oromaſden inter Deos quidem retulerunt, eumque cauſam fontemque felicitatis conſtituerunt, ad Arimanium vero omnis generis malum retulerunt, unde & hic a Perſis nunquam Deus, ſed malus potius dæmon vocatus eſt,[l] tantoque habitus odio, ut nomen Ahriman nunquam erecto ſitu, ſed ſemper inverſis literis ſcribant,[m] id quod, quam vehementer is Perſarum res afflixerit, luculenter prodit: & hinc fons omnis mali habitus, & ad eum origo mali ab illis relata eſt, qui rudem & plebejam ſuperſtitionem rationibus philoſophicis emendarunt & exornarunt.

Emendatio philoſophica religionis popularis apud Perſas.

§. XII. Hæc, quæ hactenus de antiquiſſimorum Perſarum religione diſputavimus, ad noſtrum quidem inſtitutum proprie non pertinent, qui non hiſtoriam religionum popularium, ſed philoſophiæ ſcribimus, præmittenda tamen fuerunt, quoniam ad hanc popularem religionem ii attenderunt, de quorum placitis in præſentia ſolliciti ſumus, quique ineptam idololatriam rationibus philoſophicis emendare ſunt aggreſſi. Illi enim cum viderent, divinitatis axiomata hominibus tributa ſenſim evileſcere, hominibus ſemper acutius videntibus, cumque nihil, quod altius rem rimanti faciat ſatis, in iſtis deprehenderent, ad dandam religioni faciem magis rationalem & philoſophicam ſe accinxerunt. Id quod tamen ita faciendum erat, ne populus patriæ religioni ſuperſtitioſe addictus offenderetur. Hinc ſervata antiqua nomina, ſervatus antiquus numinum colendorum mos atque ritus, ſervata quoad ſpeciem externam antiqua religio; mutatus vero ſenſus & ſignificatio, & quæ ab hominibus bene meritis orta erant numina in rationes phyſicas & metaphyſicas mutata ſunt. Id quod non inter Perſas modo factum eſſe, ſed inter omnes fere populos, in quibus philoſophica ingenia enituerunt, rebusque ſacris admota ſunt, eveniſſe, multis

l) Conf. BEAVSOBRE *l. c. p. 169.* *m*) HYDE *l. c.*

multis per hiſtoriam philoſophicam exemplis in poſterum conſtabit. Certe id a Magorum ſecta factum eſſe, religionis placita apud Perſas apte Zoroaſtrem ſcrutantibus apud veteres ſcriptores, planum fiet. Etſi enim, aſtrorum & idolorum cultus, de quo ſuo loco ex inſtituto dicetur, paulo ante Zoroaſtris tempora invaluiſſe dicitur, ſuperfuere tamen non tantum antiqui ignis cultores, id eſt, magicæ religionis aſſeclæ, ſed is quoque ignis cultus ante Magorum in imperio fraudes ubique invaluerat. De Magorum itaque ſyſtemate hic agendum eſt, quale id ante Zoroaſtrem effloruiſſe dicitur. Quorum mentem ita Græci Ariſtoteles, Hermippus, Eudoxus, Theopompus apud LAERTIUM [n] explicant: *duo eſſe ſecundum eos principia bonum dæmonem, & malum dæmonem: alterum ex his Iovem & Oromaſden, alterum Plutonem & Arimanium dici.* Quæ cum luculentius exponat PLVTARCHVS, [o] eum audiendum quoque eſſe putamus, qui ita: *Non unicam eſſe rationem, quæ contineat univerſum & dirigat, tanquam clavum aut fræna moderans: ſed cum permulta e bonis juxta malisque ſint confuſa, immo nihil hic natura ſincerum proferat, non eſſe unum aliquem promum, qui e duobus doliis res nobis veluti aliquem liquorem cauponis in morem diſtribuat atque miſceat; ergo a duobus principiis contrariis adverſisque duabus facultatibus, quarum altera ad dexteram & recta ducat, altera retrorſum avertatur atque reflectat, cum vitam eſſe mixtam, tum ipſum mundum ſi non univerſum, ſaltem eum, qui ad terram eſt, & lunæ ſubjacet, inæqualiter ferri, variisque & omnis generis motibus agitari.* Et mox: *Exiſtimant alii duos eſſe Deos, quaſi contrariis deditos artibus, ut bona alter, mala alter opera conficiat, alii, eum, qui eſt melior Deum, qui deterior dæmonem dicunt.* Addit etiam, *Zoroaſtrem melioris nomen Oromazam, pejoris Areimanium perhibuiſſe; illumque enunciaviſſe maxime ſimilem eſſe luci, hunc tenebris & ignorationi, medium horum eſſe Mithram, quæ cauſa ſit quod Mithram Perſæ mediatorem ſeu intermedium nuncupent.* In quibus verbis Plutarchus, ut ſolent Græci & Romani in rebus peregrinis ſæpius, Zoroaſtreum ſyſtema, cum doctrina Magorum antiquorum confudit. Et ita quidem Græci & in his quoque AGATHIAS; [p] qui cum Zoroaſtrea cum antiquioribus miſceant, certos nos hac de re non faciunt. Audiendi itaque Arabes, qui paſſim quoque de ea re ſcripſerunt. Inter eos ABVLFEDA refert: [q] *Perſarum Magorum antiquiores Ciumerthios dictos, religionem ſuperſtruxiſſe fundamento, venerationis lucis & fugæ tenebrarum: lucem Deum primum kadiman, antiquum ſeu æternum rerum omnium principium ſtatuiſſe, ac Yazdan vocaſſe, tenebras autem Deum creatum, tenebris ortum, Ahraman: ita duos eſſe illis rerum autores, Deum ſcilicet & diabolum, hanc eorum*

Magorum ſyſtema.

n) *Lib. I. ſ. 8.*
o) *De Iſid. & Oſir. T. II. p. m. 155.* damus vero verſionem Xylandri.
p) Apud MENAGIVM *ad l. c. Laërt.*
q) Apud POCOCK. *ſpecim. hiſt. Arab. p. 146.*

doctrinam fuiſſe uſque ad Zardushti tempora. Similia habet alius Arabum ſcriptor IBN SAHNA, [r] qui & ipſe ſtatuit, *Perſis vetuſtiſſimis duo principia placuiſſe, Deum æternum, quem vocaverint Yezdan, & alium, quem vocaverint Ahreman, & utrumque principium fuiſſe activum, & formativum ſui.* Alia Arabum loca præcipue Abulfedæ præterimus. Horum effata ſi cum Græcis conjungimus, in hoc potiſſimum eorum ſyſtema conſtitiſſe viris doctis [s] viſum eſt: Duo eſſe rerum omnium principia, lucem boni, tenebras mali fontem, utrumque effectum ſuum in mundo ſublunari producere, indeque in eo eſſe mixta bona malis. Bonum enim principium cum formare vellet mundum, neceſſario tenebras, quæ & ipſæ eſſentia activa & reali gaudebant, eum ingreſſas eſſe, ita ut bonum principium cauſa malorum ſit. Ita tenebras in mundi conditi opere ſequelam quaſi lucis fuiſſe, quemadmodum corporis umbra lucem ſequitur. Inter hæc duo principia perpetua bella eſſe, donec mundus deſtruatur, ubi victo malo dæmone bonus Deus mundum perfectiſſimum cum bonis omnibus in eo ſibi habiturus ſit, malo dæmone mundum malum cum malo ſibi ſervante. Et ita quidem Arabes, qui tamen non negant, circa cauſam mixtionis lucis & tenebrarum & liberationem lucis a tenebris, ſeu quod vocant, initii & reditus, in partes vetuſtiſſimos Magos ſeceſſiſſe, quia alii malum principium æternum, alii creatum putaverint: id quod tamen ita intelligendum eſſe monent, ut non tenebræ, quæ æternæ fuerunt, ſive materia, quæ ſemper extiterit, ſed malus dæmon, quem cum diabolo Chriſtianorum Abulfeda minus accurate comparat, ex tenebris ſive materia conditus dicatur. Ad hanc doctrinæ rationem adjeciſſe poſtea Zoroaſtrem tertium principium, duobus iſtis ſuperius. Et hæc quidem Arabes, quique ex recentioribus Arabes ſequuntur. Qui tamen cum multa ex ingenio ſuppleant, [t] quemadmodum Arabes ex Muhammediſmo veteribus Magis quædam manifeſte affricant, dubios nos de vera Magorum ſententia ante Zoroaſtrem ſinunt. Nam in hoc ſyſtemate, in quod vulgares patriæ deos, Oromasden & Arimanium receperunt, Mithræ, (quem tamen apud vetuſtiſſimos Perſas cultum & pro ſummo Deo habitum eſſe, ſupra evicimus) nulla datur ratio vel explicatio, nec tamen ullo modo videtur probabile, Magos vetuſtiſſimos princeps ſummumque patriæ numen neglexiſſe. Quam difficultatem non tollunt ea, quæ CVDWORTHO [u] placuerunt, & prima fronte eam tollere videntur: Oromaſden veteribus Magis fuiſſe ſummum Deum, ſub binis hiſce nominibus Mithræ & Oromaſdis latentem. Nam hæc aſſumit vir doctus, non probat, nec locus ille, quem ex PORPHYRIO affert; Deum ex ſententia Magorum,

ἐοικέ-

r) Apud HYDE *p. 163.*

s) HYDE ubi ſupra *p. 295.* POCOCK. *l. c. p. 146. ſeq.* PRIDEAVX *Hiſt. Iud. T. I. p. 185.* BEAVSOBRE *Hiſt. Manich. T. I. p. 170. ſq.*

t) Quo imprimis ea pertinent, quæ de materiæ natura activa & formatrice conjicit doctiſſimus BEAVSOBRIVS *l. c.* eam quidem ſententiam Platoni adſcripſit PLVTARCHVS *de Coſmogon. ex mente Timæi*, ſed Magorum eam mentem fuiſſe prius probandum erat.

u) *Syſtem. intell. c. IV. §. 16. p. 332.*

ἐοικέναι τὸ μὲν σῶμα φωτὶ τὴν δὲ ψυχὴν τῇ ἀληθείᾳ. [x] *ſimilem eſſe quoad corpus luci, quoad animam vero veritati*, eum quicquam juvat. Nam niſi prorſus ſenſu vacuam hanc Porphyrii orationem eſſe velimus, [z] anima & corpus non ad Deum, ſed ad hominem veritatis philoſophicæ ſtudioſum referenda ſunt, adeoque lux non corporea & veritas ſpiritualis DEI eſſentia intelligenda eſt: ut taceamus inde neceſſario, ſi verba ita interpretamur, ſequi, Deum Oromaſden componi anima atque corpore, quod tamen ipſe Cudworthus rejicit, & doctiſſimo quidem commentatori recte inde fluere videtur, nobis vero prius probandum aliunde eſſe cenſetur, Magis iſtam opinionem arriſiſſe. Niſi itaque futilia & incertiſſima plane ſunt omnia, quæ de primorum Magorum ſententia Arabes referunt, ut ſunt leves & in fingendo audaces; non aliter nobis hæc difficultas tolli poſſe videtur, quam ut ſtatuamus, Magos de ſummo Deo, more gentium barbararum non differuiſſe,&, cum Oromaſden ejus emanationem putaverint, ea ad Oromaſden retuliſſe, quæ patria religio Mithræ adſcribebat; Zoroaſtrem vero hanc confuſionem ſuſtuliſſe, aperteque, qua ratione tum bonus, tum malus dæmon, ortus ſit, ex ſummo omnium rerum parente, ſeu, quod refert LAERTIVS, [a] *quomodo Dii hi geniti fuerint*, explicuiſſe, ſicque philoſophicum principiorum divinorum ſyſtema condidiſſe. Subductis itaque omnibus rationibus, nobis tutiſſimum videtur, de veterum Magorum, Zoroaſtre vetuſtiorum, ſyſtemate modeſtam fateri ignorantiam.

Theologiæ Perſicæ ſyſtema Zoroaſtreum.

§. XIII. Ad Zoroaſtris itaque theologiam propius reſpiciendum atque accurate diſquirendum eſt, quas rationes ille ad explicandam rerum phyſicarum atque divinarum naturam attulerit. Verum & hic Ariadneo iterum filo opus eſt, ut ſalvum ex hoc labyrintho pedem efferre queamus, adeo inter ſe Græcorum atque Arabum narrationes diſſident, virisque doctis anſam præbent in contrarias de ſyſtemate Zoroaſtreo ſententias diſcedendi. Multi enim ſtatuunt, Zoroaſtrem duo ſumma omnium rerum principia poſuiſſe, Oromaſden lucis, Arimanium tenebrarum auctorem atque principem, quorum uterque per ſe & ab æterno extiterit, nec initium unquam habuerit: alii ab uno ſupremo Deo rerum omnium parente ortum ſuum trahere, & bonum illud & malum principium, deos ſive potius dæmones duos; quod ita alii referunt, ut putent, Perſas unum tantum numen veneratos fuiſſe, cui tamen adverſarius, eundem in modum, quemadmodum ſatanas in ſcriptura S. deſcribitur, obluctetur. Tertiam hanc ſententiam potiſſimum exornandam ſibi ſumſit THOMAS HYDE-

x) In *vita Pythag.*

z) Id quod contendit celeberrimus MOSHEMIVS *ad h. l.* Nobis verba Porphyrii rectum ſenſum fundere videntur, modo ad ſcopum philoſophi attendatur. Statuebat: ex mente Pythagoræ veritati ſtudendum eſſe homini philoſopho, hanc ex ſectæ ſuæ principiis in notionibus ſimpliciſſimis & puriſſimis quærebat. Inde monet, cum Deo ſimilis evaſurus ſit philoſophiæ ſtudioſus, quoad corporea lucem, tanquam omnium rerum puriſſimam, quoad intellectualia, veritatem, ſive τὰ ὄντως ὄντα ſectandam, ſicque finem philoſophiæ, ſimilitudinem DEI, quem lucem Magi dixerint, conſequi poſſe. Hæc niſi fallimur, & menti Porphyrii & ſyſtemati ſectæ conformia ſunt.

a) *l. c. ſ. 8.*

HYDEVS, [b] omni niſu ſatagens, ut, quantum poſſit, orthodoxis doctrinis hanc Perſarum religionem propinquam eſſe doceret, quem HVMPHR. PRIDEAVX [c] ſecutus eſt, & ſuo modo quoque BEAVSOBRIVS. [d] Quia vero hæc Zoroaſtrei ſyſtematis explicatio auctores alios non habet, quam Arabes Muhammedanos, qui ex ſuo ingenio res antiquiſſimas dijudicarunt, & cacodæmonem Iudæis atque Chriſtianis ereptum quaſi & ab eis emendicatum Zoroaſtreo ſyſtemati intruſerunt, merito hæc ſententia ab aliis exploditur. [e] Cum reliquis enim veterum teſtimoniis conciliari non poteſt, & quæ pro ea affert HVMPH. PRIDEAVX, ex lucis privatione ſatanam ortum eſſe, ſcholam recentiorem ſapiunt, a vetuſtiſſimarum atque barbararum nationum genio atque indole plane diverſam. Primam vero ſententiam quæ plerisque viris doctis placuit, imprimis exornandam & contra Hydeum defendendam ſibi ſumſit acutiſſimus vir PETRVS BAYLE. [f] Cujus rationes vel ea propter audiendas eſſe putamus, quoniam iis expenſis, quæ ſententia eligenda ſit, facilius judicari poteſt. Putat vero vir profundæ eruditionis & inſoliti acuminis, male ex ſententia Arabum independentium duorum principiorum ſyſtema a Zoroaſtre removeri 1) quia in eo conveniant Græci auctores, oppoſitum Græcis philoſophis, Ariſtotelicis imprimis & Stoicis ſyſtema Zoroaſtri placuiſſe; hos vero bonorum malorumque fontem ab uno Deo deduxiſſe, [g] adeoque ad duo neceſſaria principia derivandam eſſe Zoroaſtris ſententiam, quemadmodum eam PLVTARCHVS, [h] ſupra quoque nobis adductus explicuit. 2) Patere hoc quoque ex ratione inventi ſyſtematis quod vocari ita ſolet, dualiſtici, quæ ea ſola fuerit, ut ratio dari queat, quomodo malum exortum ſit, quod a cauſa bona ortum eſſe ſine maxima laborantis judicii difficultate dici nequeat. Hanc vero rationem evaneſcere, prioremque difficultatem redire, ſi diis duobus bono & malo aliud principium præponatur, ex quo illa duo orta ſint; quod ſemper ita primum illud principium fons mali ſtatuatur. 3) Nec objici ſatis poſſe, Græcos Perſarum non magis, quam aliorum barbarorum populorum doctrinas ſiniſtre cepiſſe; Arabes enim adhuc levioris conditionis eſſe, qui tanto temporis intervallo a Zoroaſtris ætate remoti ſint. 4) Et juſtam quoque eſſe ſupicionem, ſectatores Zoroaſtris ſub Muhammedanorum dominationis jugo gementes & ab iis abſurditatis objectione preſſos ita ſyſtematis horrorem emolliviſſe, & cum principium mali ſalva religione ſua rejicere non poſſent, ad id delapſos eſſe, ut utrumque principium ab uno ſummo Deo ortum ſtatuerent: hinc nec ipſum Hydeum negare, dari inter Perſas & Indos Dualiſtas, qui diaboli coæternitatem ſtatuant, eumque a ſe ipſo proceſſiſſe credant. Hæc magna confidentia BAYLIVS quem ſequitur, licet rationes ejus non omnes probet, eruditiſſimus

b) *c. XX. p. 161.*
c) *l. c. p. 215.*
d) *l. c. p. 173. ſeqq.*
e) Cel. MOSHEM. *ad* CVDWORTH, *p. 249. not. 38.*
f) *Dict. crit. T. IV.* art. *Zoroaſtre not. F.*
g) Hoc vero falſum eſſe, harum ſectarum hiſtoria ſuo loco docebit.
h) *De Iſide & Oſiride.*

ſimus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS. [i] Neque tamen hæ rationes, ſi recte expendantur, tales nobis videntur, ut in aſſenſum rapere attentum ſatis queant. Quod enim ad Græcos attinet, nec ipſe Bælius negat, in referendis barbararum gentium religionibus miſere hallucinatos fuiſſe, unde, quid potiſſimum eorum ſolorum teſtimonio effici queat, ignoramus. Neque tamen ita obſtare ſecundæ ſyſtematis Zoroaſtrei explicationi Græcorum teſtimonia putamus, ut hunc in modum nodus, qui ſolvi nequit, ſecandus ſit. Vti enim Græci apud LAERTIVM [k] & PLVTARCHVM [l] recte aſſerunt, in Zoroaſtrea religione duo principia poni, unum Oromaſden, lucis atque boni auctorem, alterum Arihmanium, tenebrarum atque mali fontem, ita ſatis produnt, non coæterna & a nullo alio principio dependentia eſſe, ſed, eſſe a ſummo Deo Mithra genita. Luculenter PLVTARCHVS: *Is Zoroaſtres melioris nomen Oromazam, pejoris Arimanium perhibuit, addiditque hoc enunciatum, de rebus ſub ſenſum cadentibus, illum maxime ſimilem eſſe luci, hunc tenebris & ignorationi. Medium horum eſſe Mithram, quæ cauſa eſt, quod Mithram Perſæ meſiten, id eſt mediatorem, ſeu intermedium nuncupant.* Addit porro: *Enim vero illi quoque multa de diis fabuloſa narrant, cujus generis eſt, quod referam: Oromazem natum eſſe ajunt e luce puriſſima, Arimanium e caligine, eos bellum inter ſe gerere: ſex deos feciſſe Oromazen, primum benevolentiæ, ſecundum veritatis, tertium æquitatis, reliquos ſapientiæ, divitiarum, & voluptatis quæ honeſta conſequitur, opificem. Arimanium totidem numero his adverſa efficientes. Deinde Oromazen ſe triplicaſſe, & a ſole tanto ſe intervallo removiſſe, quanto a terra ſol abeſt: ac cœlum ſtellis decoraſſe, unamque ante alias tanquam cuſtodem & ſpeculatorem conſtituiſſe Sirium: alios porro viginti quatuor deos condidiſſe & in ovo poſuiſſe; at totidem numero factos ab Arimanio ovum perforaſſe, hincque mala bonis eſſe permixta. Appetere porro fatale tempus, quo neceſſe ſit, peſte & fame ab his adducta Arimanium omnino perdi atque aboleri, terraque æquabili & plana facta, unam vitam unamque civitatem beatorum hominum univerſorum, unaque lingua utentium fore.* Eadem poſtea ex Theopompo probat. Ex quo loco manifeſtum eſſe putamus, & omnino notandum eſſe jubemus: Natos eſſe Oromazden & Arimanium, mediante Mithra, illum ex luce, hunc e caligine, lucem, ut umbra corpus, ſequente foreque tempus, ubi lux tenebras vicerit, cunctaque ad beatam lucis civitatem reditura ſint. Hæc quomodo ſyſtemati dualiſtico, quod duo independentia, coæterna & coæqualia principia ponit, convenire queant, nos quidem pervidere non poſſumus, cum tota illa coſmogonias Perſicæ ratio emanationem potius lucis & tenebrarum ex uno principio ad condendum mundum ſupponat. Quod & Hecatæus apud LAERTIVM [m] con-

i) *De manichæiſmo ante Manichæos* §. 10. p. 51.
k) *Lib. I. ſ. 8.*
l) *l. c.*
m) *l. c.*

confirmat, ſtatuere Magos, Deos eſſe genitos. Quod tantum abeſt, ut Arabibus ſcriptoribus contradicat, ut potius exacte ſatis, quoad ſumma referat ea, quæ illi tradunt. Cujus ut fidem faciamus, afferamus bona lectoris venia verba SHARISTANII apud HYDEVM, [n] ut cum PLVTARCHO queant comparari: *Zerdusht affirmavit lucem & tenebras eſſe duo principia ſibi invicem contraria, & ſic eſſe Yezdan & Ahreman, qui fuerunt initium eorum, quæ inveniuntur in mundo: ex eorum miſtione extitiſſe compoſitiones; & ex variis compoſitionibus productas fuiſſe formas. Et quod Deus, qui creavit lucem & tenebras, utriusque auctor unicus ſit, ſine ſocio, ſine pari aut ſimili: nec ad eum referenda ſit exiſtentia tenebrarum, ſicut dicunt Zervanitæ, ſed bonum & malum, integritas ac corruptio, puritas ac ſpurcities exiverunt ex miſtione lucis & tenebrarum, & niſi hæc duo commiſta fuiſſent, non extitiſſet mundus. Et hæc duo contra ſe invicem inſurgebant, & de victoria contendebant, donec lux vinceret tenebras & bonum malum: tum poſtea ſalvum evaſit bonum ad mundum ſuum, & divertebat malum ad mundum ſuum, & ſic fuit cauſa liberationis: Cumque Deus excelſus hæc duo temperaverat & miſcuerat ex ſuo arbitrio, eaque in ſua compoſitione viderat, tum inſtituit lucem ut originale quiddam, & indixit exiſtentiam ejus ut exiſteret, ſed tenebræ ſecutæ ſunt, ſicut umbra perſonam. Nam cum videret eas quodammodo exiſtere, ſed non realiter exiſtere, tum plane produxit lucem, & acquiſitæ ſunt tenebræ per conſequentiam: nam ex neceſſitate extitit contrarium, quippe cujus exiſtentia fuit neceſſaria, ſcilicet ut contingens in creatione, non autem ex prima intentione, ſecundum exemplum quod adduximus de perſona & umbra* Eadem fere alios Arabes, imprimis ABVLFEDAM tradere, confirmat POCOCKIVS.[o] Quæ nobis ſatis quoad rem ipſam cum Plutarchi narratione convenire videntur, etſi facile largiri quis queat Bælio, confuſe & obſcure ſua hic narrare Shareſtanium, ut plerumque Arabes ſolent. Erunt tamen omnia hæc nec adeo obſcura nec adeo confuſa & paradoxa, ſi ea ſyſtemaſtis Zoroaſtrei explicatio admittatur, quam in ſequentibus dabimus. Hactenus ea nobis ſufficiunt, ut oſtendamus, Græcos cum Arabibus in ſummo rei capite conſentire. Addimus his magni ponderis teſtimonium THEODORI MOPSVESTENI, qui in libro *de Perſarum Magia* [p] teſtatur, *Zarvam ſive principem omnium Deum, Hormiſdam & Satanam genuiſſe.* Theodorum autem res Perſarum ſcire accurate potuiſſe illis notum eſt, qui Neſtoriani epiſcopi vitam norunt. Cadente itaque palmario argumento acutiſſimi Bælii, reliqua ſimul concidunt: quicquid enim erit de fide Græcorum & Arabum, quicquid hi in gratiam partis emolliviſſe credantur, quæ omnia minime negamus, ſufficit tamen ad ſtabiliendam fidem utrorumque, conſentire illos in eo, quod Oromaſdes & Arimanius a primo ſummoque Deo geniti fuerint. Nec rationes metaphyſicæ, quas urget vir doctiſſimus, rem multum roborant. Vt enim taceamus, barbaras gentes earumque

n) *l. c. p. 299.* o) *l. c. p. 147.* p) Apud PHOTIVM *Cod. 81.*

que philoſophos abſtractionibus & præciſionibus mentalibus tanta ſubtilitate non fuiſſe uſos, ac ſcholaſticos, & recentiores philoſophos; illud dubium a Bælio motum ſatis tollit, quod tenebræ adeoque malum, quatenus tenebræ ſunt, neceſſaria tantum ſequela ortæ ſint, etſi materia tenebrarum ex Deo genita ſit. Id quod abſurdum quidem primo intuitu videri queat, quomodo tamen Perſæ intellexerint, poſtea luculenter patebit. Ceterum nec Hydeus, nec Pocockius, nec alius qui Perſarum in ea re cauſam agit, negat, inter eos ſectas fuiſſe, qui duplex illud principium varie explicuerint, immo fuiſſe, qui Dualiſtæ fuerint, HYDEVS ipſe fatetur; [q] forte & alii, Muhammedanorum & Chriſtianorum opinionibus propius accedentes, Arimanium in cacodæmonem mutaverunt; ſed de his nobis ſermo non eſt, ſed de ſententia Zoroaſtrea, quam huc potiſſimum tendere ex dictis liquet: Eſſe ſummum Deum, infinite bonum, qui ex ſe Oromaſden pariter atque Arimanium condiderit, & illi quidem lucem eum ex ſe genito dediſſe, huic vero neceſſaria ſequela tenebras accidiſſe, & hac ratione in condendo mundo ſublunari tenebras ita miſtas eſſe luci, ut neceſſario bona & mala inter ſe juncta ſint; redituram tamen ad fontem ſuum lucem, tenebris tandem conſumtis, ſicque purum tandem mundum reſtitutum iri. Hæc qua ratione intellexiſſe Zardushtus videatur, mox prolixius exponemus, id unum prius monentes, ita inſtituiſſe callidiſſimum hominem rationes ſuas, ut ſummum patriæ Deum Mithram, & Deos Oromaſden & Arimanium in ſuum ſyſtema transferret, rationibus philoſophicis ornaret, & ad ignem divino cultu honoratum potiſſimum reſpiceret. Hæc enim ex iis, quæ ſupra dicta ſunt, ſatis manifeſta ſunt, & quæ de ſpelunca Mithrea a Zoroaſtre inſtituta Eubulus apud PORPHYRIVM [r] narravit luculenter probant.

Zoroaſtrei ſyſtematis accuratior explicatio.

§. XIII. Sed, ut propius & plenius, quid de ſyſtemate Zoroaſtreo nobis videatur, exponamus, præmittenda quædam ſunt, quibus noſtra potiſſimum explicatio nititur, quæque haud invite nobis conceſſum iri, ſperamus. Scilicet monemus: 1. Mithram, ſive Deum ſummum, a Zoroaſtre præpoſitum fuiſſe Oromazdi & Arimanio, & utriusque factum eſſe parentem, ex quo geniti ſint, adeoque audiendos non eſſe, qui eum dualiſtici ſyſtematis conditorem faciunt: hæc enim ex diſputatis hactenus clara eſſe putamus. 2. Oromaſden pariter atque Arimanium genitum a Deo ſummo, mundi potiſſimum condendi cauſa, id enim & Plutarchus & Shareſtanius ſupra teſtati ſunt. 3. Oromaſden eſſe fontem ſpiritualium, Arimanium materialium ſubſtantiarum, illum lucis hunc tenebrarum ſymbolis adumbratum. Hanc enim nominibus hiſce ſignificationem Perſas ante Zoroaſtrem ita dediſſe, ut ſpiritum & materiam iſtis duobus numinibus adumbrarent, ex adductis quoque teſtimoniis conficitur. 4. Lucem vero ſive ignem potius ut a Perſis in genere, ſic a Zoroaſtre quoque ita pro divino fuiſſe habitum, ut ad divinam naturam accedere, ſolque imprimis

q) *p. 164.* r) *De antro nymphar.*

eam proxime referre crederetur. Hoc enim evincit cultus Mithriacus, & pyrea, de quibus omnibus ſupra dictum eſt. 5. Zoroaſtrem itaque ſe dominanti religioni accomodaviſſe proſcripta aſtrolatria & idolorum cultu, & ita quidem rationes provide iniiſſe, ut nec dualiſticum ſyſtema prorſus repudiaret, quod & Magis hactenus placuiſſe videtur, nec tamen immani abſurditate duo principia independentia & coæva admitteret, quibus ſalvis placita veterum Perſarum de mundi mutatione futura, & abolitione mali conſiſtere non poſſe, ſatis manifeſte perſpiciebat. 6. Zoroaſtrem principii per omnes fere gentes univerſalis: ex nihilo nihil fit aſſeclam fuiſſe. Etſi eum Hydeus & qui cum eo faciunt, [s] ſaniora eum ab Iſraelita vate edoctum, creationem & lucis & tenebrarum ex ESAIAE [t] vaticiniis didiciſſe credant, ſupra tamen, niſi fallimur, ex ipſo libro *Sadder* evidenter demonſtratum eſt, fruſtra hæc a recentioribus Arabibus, quorum fidem illi ſequuntur, jactari.Cum vero ex nihilo nihil nullo modo nullave ratione fieri poſſe crederet, & abſurdum ſyſtema duorum independentium principiorum ſuo modo evitare vellet, ad ſyſtema emanativum neceſſario delabi debuit, & ſtatuere, & lucem ſive, quæ lucis ſpiritualis natura conſtant, ſpiritualia, & tenebras ſive materiam tenebricoſam impenetrabilem, paſſivam ex Deo emanaſſe. 7. Vt vero & materiam ex ſubſtantia luce plena per emanationem derivare poſſet, & mali quoque originem, hactenus in Arimanio, id eſt, materia, quæſitam a Deo removeret, ita rationes inſtituere debuiſſe, ut illud quod materiæ qualitates luci bonoque adverſas conſtituit, quodque tenebras proprie nominavit non Dei culpa exſiſteret, ſed ſuæmet naturæ conſequentia ex luce, tanquam umbra ex corpore ortum videretur: id quod & Plutarchi locus ſuadet, & luculentum Shariſtanii teſtimonium evincit. Tandem & 8. ita ad materiam reſpexiſſe, ut illa, quoniam ex infinito lucis ſive DEI oceano orta eſt, abſorptis quæ eam ſepiebant, & penetrabant, tenebris, ſive victo Arimanio, in priſtinum fontem reduceretur. Illud enim & Græci & Arabes teſtantur, Oromaſden tandem victurum Arimanium, cunctaque tunc lucis & felicitatis in terra plena fore. Nihil in his omnibus eſt, quod non vel evidentibus teſtimoniis probetur, vel neceſſariis conſequentiis ex admiſſis a Zoroaſtre principiis fluat, & eandem doctrinam, quæ ut omni fere antiquitati, ita imprimis orientalem philoſophiam ſectantibus, (quales Cabbaliſtæ, Gnoſtici aliique hujus furfuris homines fuerunt) placuit, ſupponat, Deum eſſe ignem longe puriſſimum intellectualem, cujus potiſſimum ſymbolum & imago ignis ſolis ſit, hanc infinitam lucem, cum mundum condere vellet, ex ſe cuncta emanationis lege & ordine genuiſſe, ſicque tanquam univerſalem mundi animam cuncta regere & animare. Hæc ſi admittamus, uti admittenda eſſe omnia, quæ hactenus allata ſunt, ſuadent, Zoroaſtris ſyſtema figuratæ ſive allegoricæ, quam ſequebantur orientales, dictio-

s) PRIDEAVX *l.c. p. 215.* t) *Eſ. XLV, 5. 6. 7.*

dictionis velo remoto & philoſophico loquendi modo expreſſum his potiſſimum theſibus conſtat:

I. Ex nihilo nihil fit.

II. Ergo principium aliquod infinitum ab omni æternitate fuit, ex cujus ſinu omnia, quæ fuerunt vel ſunt, emanarunt atque genita ſunt.

III. Emanatio hæc & puriſſima eſſe debet, & ex perfectiſſimo & puriſſimo fonte orta, & activa maxime, omnisque motus, vitæ, calorisque cauſa efficiens.

IV. Ergo principium illud, ex quo omnia emanarunt eſt ignis perfectiſſimus, intellectualis, puriſſimus, cujus imago atque ſymbolum eſt ſolis ignis.

V. Ex hoc igne naturæ, abſolute & infinito, ſeque ipſum & omnia ſecum movente & animante, omnia entia neceſſario emanaverunt, tum immaterialia, tum materialia.

VI. Quoniam vero materia immaterialis & ſpiritualis entis naturæ e diametro contraria eſt, ſequitur inde, rerum ex igne illo primævo & divino ortarum duo eſſe principia ſubordinata, ſibi invicem natura adverſa, ſpiritum & materiam, Oromazden & Arimanium.

VII. Spiritus, quo propior eſt fonti ſuo, quoque minus longe a ſinu parentis effluxit, eo purior ignis eſt, ſicque lux lucem, ſpiritus ſpiritum emanando gignit, & ita recte aſſeritur, Deos eſſe genitos. Hicque theogoniarum priſcus ſenſus eſt.

VIII. Cum itaque ſpiritus ex infinito lucis intellectualis oceano emanaverint, merito lucidæ igneæve naturæ cenſentur.

IX. Quia vero lucidam igneamve naturam ſortiti ſunt, vim habent, movendi, fovendi, perficiendi, adeoque & boni ſunt, & Oromaſdes ſive principium & fons illorum, cauſa omnis boni & perfectionis eſt.

X. Quia ſol hujus principii lucidi proprietates quam maxime refert, ideo ſedes & thronus primarius lucis illius divinæ merito habendus eſt.

XI. Quo magis emanativa iſta principia a primo puriſſimo igne diſtant, eo magis ſua puritate, luce, movendi virtute & calore privantur.

XII. Cum vero in materia & lux, & movendi facultas, & calor deſiderentur, ſequitur inde, eam eſſe ultimum emanativum ex Deo, quod tanto intervallo a primo lucis fonte diſtat, ut tenebricoſum, iners, ſolidum & ſine motu ſit.

XIII. His qualitatibus non ex principii emanantis ſed ex emanationis natura oriundis debetur origo mali:

XIV. Inde conſtat, etſi Arimanius ſive materia ex Deo genita ſit, cur tamen nec malum, ab ea oriundum, nec tenebræ in ea exiſtentes ex Deo emanaſſe dici queant.

XV. Quoniam vero æternus & perfectiſſimus motus eſt in igne illo divino & intellectuali, neceſſario omnia, quæ ex illo igne fluxerunt, tan-

dem vi motus periodici ad hunc igneum fontem & oceanum redire, & in eum, quaſi abſorpta, reduci debent.

XVI. Non poteſt tamen materia, quatenus tenebricoſa, frigida, & ſine motu eſt, in hunc lucis puriſſimum fontem redire; neceſſe itaque eſt, ut in perpetuo motu & agitatione paſſiva, quæ a bono & lucido atque activo principio oritur & inſtituitur, tenebræ malumque ipſum perpetuo oppugnentur, minuantur, ſicque materia ſpirituali naturæ reddatur propior.

XVII. Poſt longiſſimum certamen tandem eveniet, ut ſublatis ex materia tenebris, victisque iſtis qualitatibus malis, materia tandem lucida & principio ſuo ſimilis reddita ad primum fontem redeat, & ea ab infinito lucis oceano abſorpta lux tandem omnia repleat, & infinitam felicitatem undique ſpargat.

Hæc potiora ſunt, quæ ſyſtema Zoroaſtris obſcuriſſimum illuſtrare, & præſuppoſitis illis, quæ adduximus, ſatis facere poſſe, ſumus certiſſimi. Nec objiciet quis voces nos adhibuiſſe ex Græcorum Pythagoreorum, Stoicorum & Platonicorum ſcholis hauſtas. Id enim ea tantum fini fecimus, ut notioribus vocibus luculentius & apertius ſenſum ſyſtematis in ſe obſcuri exponeremus. Res vero ipſa non in Pythagoræ tantum, Platonicorumque recentiorum & Stoicorum ſcholis, ſed apud Aegyptios & imprimis apud Cabbaliſtas longe celeberrima & κύριον δόγμα eſt. Vnde nova ratio pro ea deſumi poteſt. Pythagoram enim ex Aegypto, Aegyptios ab Orientalibus, Cabbaliſtas ab utrisque ſua accepiſſe, ſuis locis demonſtrabitur. Videbitur quoque ipſa hæc ſyſtematis Zoroaſtrei delineatio illis longe veriſimilior, qui Plutarchi locum cum ea comparantes, & generationem Deorum ibi enarratam cum placitis veterum hæreticorum, præcipue Gnoſticorum conferentes, quæ ex hoc ſyſtemate lucem capiunt, non ſine delectatione videbunt, qua ratione æones illorum hominum, demiurgus, & materiæ malique origo ex hoc ſyſtemate, quod Zoroaſtreum eſſe jactabant, orta & cum placitis Chriſtianis miſta fuerint. Immo ratio quoque patebit, cur Platonici recentiores qui ſyſtema emanativum tantopere deperierunt, Zoroaſtream ſapientiam, dimiſſo Platonis dualiſtico ſyſtemate, crepuerint, eamque in ſyncretiſticum ſuum ſyſtema receperint. Qui cum philoſophice magis hanc doctrinam exornaſſent, & cum aliis quas paſſim collegerunt, & ſuffurati ſunt, doctrinis conciliaſſent, illa potiſſimum doctrinæ ratio tandem enata eſt, quæ in Oraculis, ab his hominibus profectis exponitur, in quibus ſemina Zoroaſtrei ſyſtematis inveniri & veſtigia ſe manifeſtare non negamus, licet tantopere inventis ſyncretiſticis obſcurata, ut primam originem ægre referant. Et cum hæc quoque philoſophia non tantum poſt ſec. III. inter Chriſtianos, Aegypti & Aſiæ minoris incolas quam maxime invaleſceret, ſed & fuga Platonicorum ſec. VI. ad Choſroëm Perſarum regem Perſidi inferretur, " factum inde eſſe

x) Dicendum hac de re ſuo loco. Videndus interim SVIDAS *T. III.* voce Πρεσβὺς *p. 171.* AGATHIAS *l. II. p. 65.*

esse recte conjicitur, ut Zoroastrea doctrina Platonicis placitis accommodata corrumperetur, etsi antea sub Artaxare in concilio Magorum, imprimis consiliis & revelationibus Erdaviraphi Magi, sanctitatis laude celebris, esset restituta, [w] & in aula Saporis miraculis quoque confirmata crederetur. * Muhammedani enim & Christiani, illos homines fanaticos, qui Platonicorum somnia sequebantur, in istis regionibus foverunt; & hinc causa derivanda est, cur in recentioribus Persarum & orientalium de systemate Zoroastreo relationibus, tot Platonismi recentioris vestigia inveniantur, qualia quoque in ipso libro *Sadder* reperimus. Qui tamen ita Zoroastream doctrinam profert & enarrat, ut in rei summa eam explicationem, quam dedimus, haud leviter roboret. Eo enim potiora redeunt: 1. Esse Deum dominum unicum, sanctissimumque, cui nullus par sit, dominus potentiæ & gloriæ. 2. Hunc Deum mundum spirituum purorum & felicium prius condidisse: 3. post tria annorum millia Deum suam voluntatem misisse, sub specie lucis radiantis & fulgentis, quæ humana in forma apparuerit: Illam comitatam angelis septuaginta primi ordinis & lucis condidisse solem, lunam, stellas humanosque animos. Tum post alia tria annorum millia Deum infra lunæ orbitam condidisse inferiorem mundum, materia plenum, eique imperium in eo assignasse. Hactenus liber *Sadder*, qui recentiora quidem quædam manifesta sapit, vestigia tamen vetustæ traditionis quoque exhibet. Ceterum ex dictis hactenus conciliari quoque illi inter se possunt, qui disputant, an materia, sive tenebræ potius, sive Arimanius, per privationem lucis ortæ sint nec ne? quorum prius PRIDEAVX, [y] posterius BEAVSOBRIVS [z] tuitus est. Nam si illa admittamus, materia quidem, sive subjectum, ut scholasticorum more loquamur, non nuda privatio est, sed ex sinu summæ & infinitæ lucis emanavit; quia vero tanto intervallo a lucis fonte distat, & lucis proprietates amisit, tenebræ necessario ex lucis privatione secutæ sunt: Sicque materia corporis, tenebræ umbræ naturam sequuntur, quo simili Shariştanium utentem supra audivimus: hinc enim colligitur recte, mali naturam non in sola privatione consistere, sed positivum quid esse, etsi ex privatione lucis originem traxerit.

§. XIV. Iam ad reliqua Persarum theologiæ capita enarranda inoffenso magis pede progredi licet, quæ paucis explicabimus. Statuebant I. omnes imagines earumque cultum, statuas & sacella Deorum rejicienda esse, [a] inde Xerxes, Magis Persarum auctoribus templa Græciæ inflammasse, referente CICERONE, dicitur, *quod parietibus excluderent Deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera.* [b] Id quod astrola-

Deorum imagines & templa rejecta.

tra-

w) HYDE *de relig. veter. Persar. c. XXI.*

x) Conf. DE BEAVSOBRE *Hist. de manichéens T. I. p. 166.*

y) *l. c. p. 216.*

z) *l. c. p. 174.*

a) LAERTIVS *l. I. s. 9.* conferenda hic omnino sunt, quæ docte monet CLERICVS *Ind. Philol. ad* STANLEIVM v. *Statua.*

b) Nititur hoc dogma alio, quod Magis apud LAERTIVM *l. I. s. 7.* tribuitur, *Deos apparere, & plenum esse aërem simulacrorum* (εἰδώλων) *quæ cum e corporibus effluant, cum vaporum elevatione oculis acute cernentium inferantur*, quam sententiam

trarum idololatriæ potiſſimum oppoſitum eſt, quorum inſania poſt Magorum ſuppreſſionem ſub Smerdi Mago, quam maxime invaluiſſe orientalibus quoque ſcriptoribus traditur. Et hanc quoque mentem hodienum ſervant Magorum religionis apud Indos affeclæ, ut idola vehementer abhorreant. II. Neque tamen intermiſſus fuit Perſis cultus non ſolis tantum, ſed & lunæ atque aliorum ſiderum: Refert porro HERODOTVS: [c] *Vraniæ quoque ſacrificare, ſic nimirum ab Aſſyriis Arabibusque edoctos. Vocare autem Aſſyrios Venerem Mylittam, Arabes Alittam, Perſas Mithran.* In quibus verbis Herodoti Mithran cum Mithra, maris cum feminæ appellationem confundere eruditi, cum Dea Mithra a Deo Mithra diſtinguenda ſit; quorum numinum hoc quidem ad ſolem illud ad lunam referendum eſſe, tanquam uxorem ſolis nuper poſt IACOBVM MARTINIVM [d] monuit celeberrimus MOSHEMIVS. [e] Vnde patet Mithran Perſarum cum Venere Græcorum male confundi. Ratio quoque cultorum ſiderum facile perſpici poteſt, ſi expendamus, divinum illum ignem per totum cœlum diffuſum, ſive, Iovem, ut eſt apud HERODOTVM, [f] totum cœlorum circulum occupantem in his ſideribus a ſe animatis, quaſi reſidere, unde non tam ſideribus, quam cœleſti potius atque divino igni in iis habitanti cultum exhibuerunt. [ff] III. Animarum quoque immortalitas, & reditus ad vitam, Perſis, teſte Theopompo apud DIOGENEM LAERTIVM [g] placuit. Ea enim ex ſyſtemate Zoroaſtreo neceſſario ſequitur, cum divinæ lucis particula anima ſit, ſuo tempore & certa rerum periodo in Deum reditura, materia quoque, ex qua corpus componitur, a tenebris, morbis & aliis infirmitatis generibus liberata tandem & ad hunc fontem reducta. Vnde etiam, quæ de Paradiſo allegorice differunt, lucem capiunt. Ceterum an Magi migrationem aliquam animarum a corpore ſeparatarum ex uno planetarum ad alterum per ſeptem portas ſtatuerint, quod non nemo aſſerit, [h] quia fine auctore dicitur, incertum putamus, licet nec a principiis Perſarum nec ab aliarum orientalium gentium doctrinis magnopere abhorreat.

Summa oraculorum Zoroaſtris.

§. XV. Hæc Perſarum doctrinæ ſunt, quibus religio & theologia eorum potiſſimum abſolvitur. Poteramus nunc tractationi huic finem imponere, cum quæ de Perſis hic inde afferantur, incerta atque dubia ſi non plane fictitia & ſuppoſita ſint. Ne tamen curioſo lectori occaſionem præcidamus, de corruptelis Zoroaſtreæ doctrinæ altius meditandi, brevem hic ſiſtemus

tiam infra apud Thaletem & Democritum deprehendemus, quorum uterque apud orientales eam didicit. Fluit quoque prona conſequentia ex illo dogmate, Iovem toto cœli circulo comprehendi. Effluvia tamen materiæ, quæ iſta ſimulacra conſtituunt, cum Diis, qui iſtis veſtiuntur, ut apparere hominibus queant, non confundenda ſunt. Et hinc ratio petenda eſt, cur Magi angelos tanquam mediatores invocaverint. vid. HYDE *l. c. p. 346.* BEAVSOBRE *l. c. p. 61.*

c) *Lib. I. c. 131. p. 55.* Huc pertinet quod THEODORETVS *Hiſt. Eccl. l. V. c. 39.* refert, Magos a Perſis vocari τοὺς τὰ στοιχεῖα θεοποιοῦντας: *illa elementa enim ſidera eſſe*, recte obſervavit ad *h. l.* VALESIVS.

d) *Religion. des Gaulois l. II. p. 421.*

e) Ad CVDWORTHVM *p. 327.*

f) *l. c.*

ff) Conf. BEAVSOBRE *l. c. p. 165.*

g) *Lib. I. ſ. 9.*

h) *Hiſt. critique de la philoſ. T. I. p. 106.*

ſiſtemus conſpectum doctrinarum Zoroaſtrearum, quales a Platonicis finguntur, & tum a PLETHONE luculenter enarratæ ſunt, [i] tum in oraculis obſcure & confuſe, ob cauſas ſupra adductas adumbrantur. Plethonem vero facem obſcuris præferentem primum audiemus, qui hæc nobis Zoroaſtrea dogmata commendat.

I. Sunt Dii, & unus quidem eorum rex Iupiter, optimus, qui univerſis hiſce præeſt, & divinitate præſtat, ipſe ingenitus, & exiſtens ſemper, aliorum autem pater & opifex veterrimus.

II. Hujus filius antiquiſſimus ſine matre, Deus alter Neptunus, cui ſecundæ partes in gubernatione univerſi commiſſæ ſunt a patre, cœli etiam hujus generatio & creatio.

III. Hic diis ceteris ut ſubpræfectis utitur, fratribus ſupracœleſtibus, genitis ſine matre omnibus, olympiisque & tartareis quos ex Iunone Dea eductos e materia progeneravit. Tum intra cœlos aſtrorum cœleſtium genus, & naturæ noſtræ vicinos terreſtres dæmones. Idem ſoli, filio ſeniori, præfecturam cœli hujus & mortalium ſub eo generationem commiſit, & hanc quidem una cum Saturno, præſide Tartareorum Titanumque.

IV. Rerum noſtrarum curam gerunt Dii, vel ipſimet per ſe manus admoventes, vel per inferiorum miniſterium univerſe autem ſecundum Iovis legem omnia dirigentes.

V. Hinc nullius mali neque nobis neque alii cuiquam, bonorum autem ſoli ii cauſa ſunt unica.

VI. Præterea fato inevitabili & indeclinabili dependente a Iove, ſecundum id, quod fieri poteſt optimum, omnia faciunt evenire.

VII. Vniverſum æternum eſt, cum ſecundis & tertiis diis ex Iove prognatis, nec initium habuit unquam, nec habebit finem, & ex multis omnibus in unum quoddam coaptatum eſt.

VIII. Opifex, quæ potuere fieri optima, utpote optimus fecit, nullamque omnino intermiſit præſtantiam addere.

IX. Præterea immotum & eadem forma conſtans ſemper illud conſervabitur.

X. Animus noſter cognatus diis tempus omne in cœlo immortalis & æternus manet.

XI. A Diis vero in corpus hoc mortale vario tempore demittitur, ut cum illo communicet, ad harmoniam tuendam univerſi, & mortalia cum divinis communicantia in nobis & in ſpecie noſtra univerſum atque ita ipſum ſibimet connectant.

XII. Congruenter noſtræ cum Diis cognationi debitus vitæ noſtræ ſcopus ac finis eſt, honeſtum, ſive virtus. Ante omnia autem felicitas noſtra in immortali parte hominis ponenda, quam etiam naturæ humanæ nobiliſſimam Dii auctores noſtri eſſe juſſerunt.

Hacte-

i) Ejus *Epitomen dogmatum Zoroaſtris & Platonis* edidit optimus FABRICIVS, *Bibl. Græc. vol. XIV. p. 137. ſeq.*

Hactenus PLETHO; qui manifeſte ſcholæ ſuæ placita Zoroaſtri ſupponit; quædam tamen tangit Zoroaſtreo ſyſtemati non prorſus diſſona, quale eſt, deorum generatio, mundi creatio, origo boni, animæ humanæ ortus. Et ita quoque in oraculis occurrit, in quibus has potiſſimum doctrinas notandas & expendendas eſſe putamus.

I. Vnitas, dualitatem genuit, dyas enim apud eam ſedet & intellectuali luce fulgurat, Inde trinitas, & hæc trinitas in toto mundo lucet, & gubernat omnia. [k] Manifeſte in hac theſi Zoroaſtrea de tribus principiis doctrina, Mithra, Oromazde & Arimanio ad trinitatem Alexandrinæ ſcholæ, Chriſtianorum cauſa effictam detorquetur; id quod agnovit quidem doctiſſimus CVDWORTHVS, [l] qui hæc erudite confirmat, male tamen hanc Platonicorum recentiorum triadem cum Perſarum trinitate eandem putat. Rectius acutiſſimus & in detegendis philoſophorum ſententiis feliciſſimus IACOBVS THOMASIVS, [m] Zervam, ſive Mithram eſſe materiam primam, (melius dicimus ad evitandos conceptus Ariſtotelicos, ignem divinum, ex quo omnia emanarunt) eam utroque Deo bono & malo, Oromazde & Arimanio gravidam, a ſe ipſa videlicet, non Oromaſden ſolum, ſed & Deum malignum viſceribus effudiſſe, adeoque ſuperiorem utroque Deo Mithram. Vnde & rectiſſime eorum ſententiam rejicit, qui trinitatem Perſarum cum trinitate Chriſtiana miſere confundunt. [n]

II. Deus fons fontium omnium matrix continens omnia, unde generatio varie ſe manifeſtantis materiæ, unde tractus preſter inſiliens cavitatibus mundorum, incipit deorſum tendere radios admirandos. [o] Et hæc quoque Platonicis vocibus exprimuntur, non tamen male Zoroaſtrea referunt, quæ Deum fontem omnium, etiam materiæ, conſtituere, & emanatione lucis demiſſæ in inferiora radios ſpargi ſtatuere ſupra dictum eſt. Phraſin vero oraculorum ſuam quoque fecere Cabbaliſtæ, qui talia primogenito ſuo, Adamkadmon, tribuunt: Vtrique ex uno fonte.

III. Deus intellectualem in ſe ignem proprium comprehendens, cuncta perfecit & menti tradidit ſecundæ. Sic omnia ſunt ab uno igne progenita, patre genita lux. [p] Zoroaſtream ſententiam eſſe ſupra vidimus, quam vero Platonici mente ſeu hypoſtaſi ſecunda intruſa iterum in ſuas partes detraxerunt & corruperunt. Et huc omnia pertinent, quæ de mente intelligibilia & intellectualia vertigine impigra fontium & principiorum motorum producente dicuntur. [q] Auctor enim, quisquis ille fuit, totus ideis Platonicis captus Zoroaſtrea principia lucis per ſuos vortices motæ ad intelligibilia, νοητὰ καὶ νοερὰ applicat, ſive potius detorquet.

IV. Mens patris ſtriduit, intelligens indefeſſo conſilio, omniformes ideas,

k) *V. I. ſeqq.* STANLEI. *p. 178.*

l) *Syſtem. intellect. l. I. c. 4. p. 134.*

m) *De Perſarum & Platonicorum trinitate Hiſt. Sap. & Stultit. T. III. p. 68. ſeqq.*

n) MORNAEVS *de V. R. C. c. 6.* RHODIGIN. *Lect. l. VII. c. 14. p. 346.*

o) *V. 20. ſeq.*

p) *V. 25. ſeq.*

q) *V. 50. ſeqq.*

ideas, [r] (Iynges vocat, quæ quid ſint alibi docuimus [s]) *fonte vero ab uno evolantes exſilierunt, & diviſæ intellectualem ignem ſunt nactæ.* Tota quoque theſis Platonica, ſed orientali dicendi genere allegorico valde obſcurata. Nec Zoroaſter aliquid de ideis, quæ nimis artificioſum pro barbarorum genio ſyſtema ſapiunt, aliamque originem agnoſcunt. [t] Patet vero ex hac oraculorum ſectione, recentioribus Platonicis ideas fuiſſe emanationes ignis intellectualis peculiari hypoſtaſi donatas, nam intellectæ a patre intelligere & ipſæ dicuntur. Verum hæc alieni loci ſunt. Hecaten vero, Synochen & Teletarchas, ſectione quinta deſcriptos tales ſpiritus igneos intelligi formatrices rerum ſenſibilium, adeoque iyngum ſive idearum ſpecies eſſe, per quas res ſenſibiles ſive materia in formam componitur, patet ex v. 142. ubi dicitur

Οἱ δὲ τὰ ἄτομα καὶ αἰσθητὰ δημιεργῶσι
Καὶ σωματοειδῆ καὶ καταστεταγμένα εἰς ὕλην.

Hi vero individua & ſenſibilia efficiunt,
Et forma corporea veſtita, & ordinata ad materiam.

Forte hæc ſpiritus illos formatores rerum ſenſibilium, qui cum voluntate Dei ex mente Perſarum, ad producendum mundum ſenſibilem, deſcenderunt, referunt, junctis ideis Platonicis.

V. Anima exſiſtens ignis ſplendens vi patris immortalis manet & vitæ domina eſt, & tenet mundi multas plenitudines ſinuum. Mentem enim (νῦς) imitatur, ſed habet congenitum quid corporis. [u] Vehiculum ſive ὄχημα animæ Platonicum oraculum luculenter prodit, quod an unquam Zoroaſtri placuerit, incertum? Statuebant tamen tale quid orientales philoſophi ſeculi I. & II. ut videre eſt, ex ſyſtematibus Gnoſticorum, & Cabbaliſtarum, immo Manetis quoque: unde conjici poteſt, tale quid orientalibus quoque Zoroaſtris aſſeclis, ſi non ipſi Zoroaſtri, placuiſſe.

VI. Opifex qui fabricatus eſt mundum, erat ignis moles, qui totum mundum ex igne, & aqua, & terra & aëre omnia alente compoſuit. [w] Non hæc quidem a Zoroaſtreis plane diſſona, manifeſte vero quæ ſequuntur de canalibus materialibus per quos ignis diſtributus eſt, Alexandrinæ ſcholæ ſomnia produnt. Eadem de formatione cœli & ſiderum, qualem oracula exponunt, judicanda ſunt.

VII. Oportet te feſtinare ad lucem & patris radios,
Vnde miſſa eſt tibi anima multam induta lucem.
Mentem enim in anima repoſuit & in corpore depoſuit. [x]

Accommodavit ſe oraculorum auctor Zoroaſtreo ſyſtemati, ita tamen, ut

r) *V. 100. ſeq.*
s) In *Amœnit. litter. T. VIII.*
t) Vid. diſſ. noſtra *de numeris Pythagoræ, Amœn. lit. T. VII. p. 181. ſqq.*
u) *V. 145. ſeqq.*
w) *V. 164. ſeqq.*
x) *V. 215. ſeqq.*

Platonicam partium hominis diſtributionem non obliviſceretur, quæ in ſchola Magorum incognita fuiſſe videtur.

VIII. Non deorſum pronus ſis in nigricantem mundum,
Cui profunditas ſemper infidæ ſubſtrata eſt & hades,
Circumquaque nubilis ſqualidus, idolis gaudens, amens,
Præceps, tortuoſus, cœcum, profundum ſemper convolvens,
Semper tegens obſcurum corpus iners, & ſpiritu carens,
Et oſor lucis mundus & tortuoſa fluenta.
Sub quæ multi trahuntur. [y]

Deſcribit his auctor Arimanium, ſive materiam, ita tamen, ut dictionem & artem Græcæ ſcholæ redoleat.

IX. Quære animi canalem unde aut quo ordine
Servus factus corporis, in ordinem a quo effluxiſti
Iterum reſurgas. [z]

Hæc adeo luculenter Platonicam de deſcenſu animarum in corporis ergaſtulum hypotheſin produnt, ut ex qua ſchola oracula prodierint, vel ex hoc uno loco judicari queat.

X. Cogitatio igne fota primum habet ordinem,
Mortalis enim ignis proximus factus a Deo lumen habebit. [a]

Vt Zoroaſtreum videatur oraculum, ad cultum ignis Perſis ſolitum manifeſte alludit.

XI. Lunæ curſum & aſtrorum progreſſum ac ſtrepitum dimitte, ſemper currit opere neceſſitatis, aſtrorum progreſſus tui gratia non eſt editus.[b] Sequitur in his oraculum recentiores Platonicos, aſtrologiam rejicientes, quam tamen Zoroaſter & Magi tanti feciſſe dicuntur.

XII. Natura ſuadet eſſe dæmonas puros,
Et malæ materiæ gemina utilia & bona, &c. [c]

Tota hæc de dæmonibus tractatio, unde ſomnia de apparitionibus dæmonum originem habent, ſcholæ Alexandrinæ propria eſt, multumque a Magorum & Zoroaſtris placitis diſtat. Qualia & ſunt, nomina in ſacris vim arcanam habere, apparere ignem ſaltantem, vel dæmonem quoque terreſtrem. Talia quidem Proclo, Oſelloque viſa fuerunt Chaldaica, ſed ementita ab his hominibus, ut ſacris ſuis, concidentibus & exſpirantibus auctoritatem conciliarent.

Hæc

y) *V. 240. ſeqq.*
z) *V. 248. ſeqq.*
a) *V. 263.*
b) *V. 283. ſeq.*
c) *V. 295. ſeq.*

Hæc ſpecimina oraculorum Zoroaſtream philoſophiam promittentium ſatis docent, auctorem, quisquis fuerit, doctrinas quasdam inter orientales ſervatas ſuæ ſcholæ placitis ita applicuiſſe, ut Platonicorum ſcholam, præ orientali hæreticorum caterva, Zoroaſtris auctoritate gloriari poſſe, Platonemque cum eo convenire evincatur. Et hunc ſcopum horum oraculorum fuiſſe nulli dubitamus, indeque conjicimus, circa ea tempora congeſta fuiſſe, quibus philoſophia illa orientalis in Aſia & Ægypto caput extulit, & ex parte quidem a Platonicis rejecta, ex parte vero, more eorum ſyncretiſtico, intra ſuos limites recepta fuit, quod circa naſcentis ſalvatoris tempora ſenſim factum eſſe probabile eſt.

§. XVI. Philoſophiæ moralis apud Perſas magianiſmi hodierni aſſeclas capita hæc nobis narrantur: [d] colendam caſtitatem, honeſtatem, æquitatem, fugiendas voluptates, faſtum, vindictæ cupiditatem, & latrocinia. Amandum timorem, conſulendam in omnibus actionibus prudentiam, ut mala evitentur, bona eligantur. Diem cogitatione de Deo auſpicandam, amoremque ejus perpetuo fovendum. Orandum ad Deum vultu ad ſolem interdiu, ad lunam noctu converſo. Lucem enim eorum planetarum eſſe ſignum & teſtem lucis divinæ, malis dæmonibus tenebras depereuntibus. Nihil in his eſt, quod non vel naturalibus principiis rationis nitatur, vel inſtitutum Zoroaſtris ſupponat, adeoque & antiquis placere potuit. *Philoſophia moralis Perſarum.*

d) TRIBBECHOV. *de philoſ. mor. apud barbaros. l. c.*

* *

CAPVT QVARTVM
DE PHILOSOPHIA INDORVM.

§. I.

Fontes hiſtoriæ philoſophiæ Indorum.

A Perſis ad Indos philoſophiæ barbaricæ hiſtoriam perluſtraturi pedem promovemus, gentem vicinam, & ad quam ex Chaldæa atque Perſide philoſophia ſi quosdam audimus, [a] penetravit, quam tamen alii, uti aliarum gentium, ita imprimis Perſarum, magiſtram fuiſſe volunt. De cujus philoſophis magna apud veteres fama atque exiſtimatio fuit, adeo, ut, qui ſapientiæ, virtutis cultura ad juſtam indolem perductæ, præcepta inter Græcos diſcendi cupidi erant, neceſſarium ſibi ducerent, ad Indos excurrere, & ſapientiam gentis tanto ſtudio excultam atque cuſtoditam diſcere, id quod magnos inter Græcos philoſophos, Pythagoram, [b] Democritum, [c] Anaxarchum, [d] Pyrrhonem, [e] Apollonium [f] feciſſe, & ipſum Alexandrum M. India occupata non neglexiſſe, relationes variæ feruntur. Quo magis vero tota India & innumeri, qui in ea habitant, populi ab occidentis noſtri regionibus diſſita eſt, eo rariora quoque monumenta ſunt, ex quibus de harum gentium philoſophia hiſtoria certa hauriri poteſt. Acceſſerunt quidem Europæi ab aliquot ſeculis ad hos populos, & imprimis maritimorum populorum religionem atque placita ſatis curioſe excuſſerunt: parum tamen inde in hiſtoria philoſophiæ barbaricæ juvamur, tum quod regiones interioris Indiæ peregrinatoribus & miſſionariis, qui omnium maxime ad placita harum gentium attenderunt, non tam facilem acceſſum præbuerint, tum quod populi Indiæ magnam partem a placitis majorum deſciverint, & imprimis, quod vir quidam doctus eleganter monet, [g] ab eo tempore, quo Mogores rerum domini apud eos facti ſunt, alii plane facti fuerint, atque fuerunt alias. Nam nec ſatis antiquum illud ſermonis genus intelligunt, quo libri ipſorum ſacri exarati ſunt, nec dogmata antiqua ſatis aſſequuntur. In diverſiſſimas quoque ſententias ſacerdotes eorum de divinis diſtracti, magnam ſentiendi & ſtatuendi licentiam ſequuntur, id quod eo magis impune ab illis fit, quo magis apud eos arbitrium ſacrorum omne atque de religione decernendi auctoritas eſt. Id quod maxima facilitate fieri poteſt, quia pleraque eorum, quæ antiquas traditiones, hiſtorias atque dogmata comprehendunt, poëtarum allegoriis, ex more orientis, audaciſſimis, & vere inſanis depinguntur, quæ cum varios ſenſus admittant, homines invita plerumque Minerva nati ſacrisque & religioni ex ſanguinis potius

a) POSTELLVS *ad librum Iezirah.* OT. HEVRNIVS *antiq. phil. barb. l. II. c. 2. p. 140. ſeqq.*
b) APVLEIVS *florid. l. II.*
c) LAERT. *l. IX. ſ. 3.* & quos laudat MENAG.
d) LAERT. *l. IX. ſ. 61.* e) *Ibid.*
f) PHILOSTRATVS *de vit. Apoll. l. II. c. 41.*
g) Cel. MOSHEMIVS diſſ. *de creatione ex nihilo*, quæ eſt in CVDWORTHI *Syſtem. intellectuali* §. *25. p. 990.* præeunte THOM. BVRNETIO *Archæolog. philoſ. c. III. p. 347.*

potius jure, quam ingenii delectu præeſſe juſſi ad ſuos, ſenſus pro lubitu detorquent, & ea ſæpius de majorum placitis garriunt, quæ ipſi non intelligunt: immo a ſupponendi libros ſacros & vetuſtos fraude immunes non ſunt. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, ad recentiorum fidem & teſtimonia de philoſophia Indorum acturos provocare non poſſe. Et hæc quoque ratio eſt, cur de Indorum recentiorum placitis in fine potius totius tractationis, ubi de hiſtoria philoſophiæ exoticæ agendum eſt, plura dicere conſtituimus, quam hic recentiora veteribus ſine ordine, & cum magna confuſione miſcere. Veteres itaque, qui Indiam adeundi occaſionem habuerunt, indeque relationes aliquas reliquerunt, audiendi ſunt: id quod ab eo potiſſimum tempore factum eſt, ex quo Alexander M. everſo Perſarum imperio arma victricia Indiæ intulit, ſuosque, qui exercitum ſequebantur, de moribus & religione atque placitis Indorum curioſius ſollicitos eſſe juſſit. Ex eo enim tempore varia inter Græcos potiſſimum de Indorum moribus & placitis ſcriptis conſignata ſunt, inter quæ præcipue eminent ea, quæ diligentiſſimus STRABO, [h] PLVTARCHVS [i] atque ARRIANVS [k] nobis ſcripta reliquere, quos ſecuti ſunt PHILOSTRATVS, [l] APVLEIVS [m] PORPHYRIVS [n] & his ſimiles. Neque tamen eorum teſtimoniis ita ſtandum eſſe putamus, ut nulla dubitandi cauſa relinquatur. Non enim ipſi has gentes adierunt, ſed relationem eorum, qui apud Indos fuerunt, ſequuntur; quorum auctoritas cum ignota nobis ſit, facile quousque nobis fide laudatorum virorum eos ſequentium, ſtare liceat, perſpicitur. Patet enim ex relationibus hiſce, hos homines ad interiora gentis adyta non admiſſos eſſe, unde etiam in externis magis recenſendis, quam enarrandis internis, & exponendis horum hominum ſcitis occupati ſunt, mireque omnia inſulſo Græco more, orientalia cum ſuis comparandi ſuisque ex inſtitutis metiendi, corruperunt. Extant quidem inter veteres ſcriptores aliqui, qui ex inſtituto de Indiæ gentibus & philoſophis, Brachmanibus ſcripſerunt. In his potiſſimum eſt libellus *de gentibus Indiæ & Brachmanibus*, qui *hiſtoriæ Lauſiacæ* ſcriptori PALLADIO tribui ſolet, [o] cui tamen, rationibus temporum adjutus hunc libellum contra CAVEI ſententiam abjudicat CASIMIRVS OVDINVS. [p] Eadem fere refert libellus facundiſſimo Mediolanenſium epiſcopo S. AMBROSIO tributus *de moribus Brachmanorum*, qui vero cum eloquentiſſimi viri genium, linguam, judiciumque minime referat, inter libros ſuppoſititios recte relatus eſt a doctiſſimis familiæ Benedictinæ ſodalibus, qui egregiam operum ſancti doctoris editionem nobis dederunt, IACOBO DV FRICHE & NICOLAO NOVRY. Addendus his eſt tertius anonymus, *de Brachmanibus*, quam cum Palladio & Ambroſio tributis ſcriptis ſuperiori ſeculo edidit EDOARDVS BISSAEVS [q] Eques auratus,

h) Lib. XV. *i) De vit. Alexandri.*
k) De expedit. Alex. l. VII. & in Indicis.
l) In vita Apollonii. *m) Florid. l. II.*
n) De abſtinent. l. IV.
o) Vid. CAVE *Hiſt. litt. ſcr. Eccl. p. 241.* FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. IX. p. 10.*

p) De Script. Eccl. T. I. p. 911.

q) Londin. 1665. 4. Addi his poteſt, qui de Indis quoque quædam refert PSEVDO-ORIGENES *philoſophum. c. XXIV. p. 156. ſeq.* SVIDAS vero in *Brachmanes* Palladium deſcripſit.

ratus, & titulo Clarencii Rex armorum. Neque tamen multum horum ſcriptorum, quicunque illi fuerint, fidei tribuendum eſt. Conſcripti enim a Chriſtianis libri, tam aperte ad commendandam Chriſtianæ religionis præſtantiam, ſapientiam Brachmanum, eam imprimis, quæ de moribus agit, accommodarunt, ut cæcum eſſe oporteat, qui piam fraudem, iſtis ſeculis, quo illa conſcripta ſunt, frequentem & in laude poſitam non viderit. Cum Alexandro M. quoque (cujus colloquium cum Brachmanibus potiſſimum referunt) Indiæ ſapientes ita ſermones feciſſe, nugantur, ut & Græciæ mores, & ſectæ quoque Græcorum illis notæ fuiſſe dicantur, totaque diſceptatio tantum a ſimplici & nativa orientalium methodo abeat, quantum ſophiſtarum Græcorum concertationibus & diſſertationibus eſt ſimillima. Iudicium itaque & hic adhibendum eſt, & ita fides temperanda, ut teſtium conditionem, nunquam obliviſcamur. Recentiores enim, qui Indorum philoſophiam nobis deſcripſerunt, [r] cum veteres ſecuti ſint, hic non moramur, optamus vero, ut, quæ nobis recentiſſime ſpes facta eſt, [s] Indorum liber ſacer isque antiquiſſimus, *Vedam* dictus, qui legis divinæ inſtar ab Indorum ſacerdotibus ſervatur, & quam maxime occultatur, tandem publice edatur, ut meliori fide de Indorum religione atque placitis inde hiſtoria confici queat.

Philoſophi Indorum, Brachmanes.

§. II. Eſt vero Indorum quidem gens natura rudis, & non adeo magna ingenii felicitate prædita, aluit tamen a vetuſtiſſimis temporibus viros ſapientes, quos Græci ad ſuos mores & inſtituta componentes, philoſophos dixere. Eorum nomen Brachmanes eſt, & a habitu quoque corporis Græcis interdum Gymnoſophiſtæ dicuntur. Etſi enim nomen hoc non de omnibus ſemper Indiæ ſapientibus veteres adhibent, ſed de iis tantum, qui maximam corporis partem nudi inceſſerunt, invaluit tamen olim jam mos, ut omnes promiſcue Indiæ ſapientes Gymnoſophiſtæ dicerentur. [t] Brachmanum vero nomen unde ortum traxerit, ut in externis plerumque accidit, incertum eſt, neque definiri poteſt. Et ii quidem audiendi non ſunt, qui cum nugatore GVIL. POSTELLO [u] ab Abrahamo dictos eſſe, ejusque filios ex Ketura fuiſſe, in orientem dimiſſos ſomniant, indeque nomen & originem Brachmanum derivant. Nititur enim hæc opinio inſulſo, quod ſupra jam jugulavimus præjudicio, Abrahamum omnis eruditionis, & philoſophiæ quoque apud Orientales fontem fuiſſe, quod cum lepide probare contendat HEVRNIVS [x] ad cognoſcendam argumenti, quod affert, levitatem & ridenda inania ſomnia ipſe legendus eſt. Nec meliora ſunt, quæ pro etymo vocis indagando attulit GEOR-

Nomen Brachmanum unde?

GIVS

r) Inter eos videndi præ reliquis THOM. BVRNETIVS *Archæol. philoſ. c. III. p. 344. ſeqq.* P. BAYLE *Dict. T. I. art. Brachmanes & Gymnoſophiſtæ*, & qui omnium diligentiſſime de hac re egit B. FABRICIVS in diſſ. *de Brachmanibus*, quæ inſerta eſt *Syllog. Opuſcul. p. 333. ſeqq.*

s) Vid. *Lettres curieuſes & edifiantes Rec. XXI. p. 455. ſeqq.*

t) PORPHYR. *de abſtin. l. IV. §. 17. p. 167.* LAERT. *l. I. ſ. 1.* PLINIVS *l. VII. c. 2.*

u) *Ad librum Iezirah.* conf. ARNOLD. *ad* ROGER. *p. 2.*

x) *Antiquit. phil. barbar. l. II. c. 2. p. 140.* cujus ſomnia legiſſe vel recitaſſe, eſt refutaſſe.

GIVS HORNIVS, [y] absurdum enim est, vocis Indicæ ex aliis linguis constituere originem. Nomen vero cum varie efferatur, nam & Brachmæ, hodie vero Bahramæ & Braminæ dicuntur, vix spes est detegendi veram originem. Quodsi verum esset, quod SVIDAS [z] afferit, Brachmanum regem fuisse, qui ei regioni nomen dederit, & leges Brachmanum scripserit, & de ejusdem gentis republica, lingua vernacula; facile conjectura fieri posset, ab ejusmodi sectæ conditore Brachmanas nomen accepisse, id quod etiam eruditissimo FABRICIO [a] placuit, fuisse Brachmanum vel Brahmum philosophum Indicæ gentis, sectæ conditorem. Verum cum alii veterum sileant, & Suidas, quo auctore id didicerit, non addat, vehementer veremur, ne antiquam Indorum doctrinam, vel Suidas, vel quemcunque is secutus est, corruperit & male intellexerit. Suo enim loco docebimus, Indos hodiernos primam DEI infiniti emanationem, rerum omnium conditorem vocare Bituma, unde, docentibus meritissimis evangelii præconibus [b] apud Malabares, Braminæ nomen se accepisse jactant, ex cujus familia se esse ortos gloriantur. Cum itaque nomen, munusque a Brachmanibus veteribus acceperint Brahminæ recentiores, facile inde colligi potest, quæ potissimum nomini origo adscribenda sit. Etsi enim quidam hunc Birumam rerum conditorem mundique opificem inter homines numeraverint, [c] mythologico tamen dicendi genere, quod cum reliquis orientis incolis Indi quoque adamant, decepti hominem ex prima Dei emanatione, numineque, a Deo summo secundo, effinxerunt. Vnde recte conjecit doctissimus ARNOLDVS, [d] hunc Demiurgum intelligendum esse, Dei filium, qualem Cabbalistæ, Platonici aliique philosophi statuerunt, & emanationis systema, quod Deum animam mundi facit, requirit. Quemadmodum vero Gymnosophistæ communi Græcorum loquendi modo omnes Indiæ sapientes denotant, ita, accurate si loquendum est, Brachmanes certum tantum genus philosophorum Indorum sunt. Varias enim classes, vel si mavis, sectas philosophorum Indorum nobis veteres recitant, Megasthenes enim apud STRABONEM [e] duo eorum genera facit, quorum unum Brachmanes, alterum Germanes dicatur. PORPHYRIVS [f] autem Gymnosophistarum duas factiones facit, alteram Brachmanorum, alteram Samanæorum. Quod si CLEMENS ALEXANDRINVS [g] audiendus est, peculiaris & a Gymnosophistis distincta secta est, Semnorum, id est venerandorum: quia vero nomen Græcum est, deceptus fuisse videtur, nomenque aliquod venerationis vel sanctitatis causa (ut & hodie apud Indos accidit) datum, in proprium nomen convertisse.

Sectæ philosophorum Indorum.

y) *Hist. philos. l. II. c. 9. p. 105.*
z) Voc. *Brachmanes T. I. p. 454.*
a) *l. c.*
b) *Relationes Missionis Danicæ ad Malabaras P. I. p. 353.*
c) ABR. ROGER *Ianua gentilismi aperta P. II. c. 1. p. 226.*
d) *Ad h. l. p. 223.*
e) *Lib. XV. p. 822.* conf. IO. SCHMIDII diss. *de Gymnosophistis*, KORTHOLT. *de philos. barb. §. 27. sqq. p. 40.* BAYLE *l. c.*
f) *l. c.*
g) *l. I. Strom. p. 305.* conf. POSTER. *ad h. l.* SPENCER. *ad Orig. contra Cels. p. 19. 20.*

tisse. Sunt etiam qui Calanos nominant, [b] a Calano Gymnosophista, de quo postea dicendum erit.

Brachmanes qui fuerint?

§. III. Brachmanes vero, si hos porro audimus, quorum fide hæc constare supra diximus, [i] per generis successionem, non secus ac sacerdotium, hujuscemodi sapientiam admittunt, id quod hodie quoque apud Brahminos inter Indos observari constat. [k] Sunt itaque Brachmanes omnes unius generis ex unius patris uniusque matris origine omnes deducti, uti Bardesanis Babylonii fide, qui cum Indis conversatus est, & cujus tractatum *de philosophis Indiæ* deperditum esse dolemus, [l] refert PORPHYRIVS. Hi, quod porro narrat Megasthenes, *quam primum concepti fueruut, viros doctos curatores habuerunt, qui & matri & concepto accedentes, in speciem quidem incantando proli ac matri felicitatem conciliaverunt, sed revera quædam continentiæ præcepta dederunt, matres existimantes, quæ libenter eos audiant, eo feliciores proles futuras.* Refert porro: *ubi nati fuerint, alios atque alios curatores sortitos esse, & quo magis ætas adoleverit, tanto elegantiores magistros successisse philosophos istos ante urbem in luce degere, inter mediocrem ambitum, quo cingantur, auditori autem non licere nec loqui, nec screare, aut exspuere, alioquin diem illam cœtu excludi, ut incontinentem; & cum triginta sex annos sic vixerint in sua secedere, & laxius licentiusque vivere, sindonem induere, aurum in manibus & auribus moderate gestare, & carnibus vesci animalium, quæ hominum opera non adjuvant, ab acribus & condimentis abstinere, quam plurimas ducere uxores multiplicandæ prolis gratia.* Hæc Megasthenes, qui tamen de certo tantum Brachmanum genere intelligendus esse videtur: Referunt enim alii: [m] *Brachmanes sub regno non degere, neque cum aliis munus ullum obire, sed ex ipsis eos, qui philosophi sunt, alios in monte, alios apud fluvium Gangem habitare: ac montanos quidem pomis & lacte bubulo, herbis coagulato vesci, fluviales ex pomis victum comparare, quæ multa apud fluvium nascuntur, pomis deficientibus oryza cibo uti, aliud vero quidpiam degustare aut alimentum ex animatis vel omnino tangere, immunditiei extremæ atque impietati non dissimile apud ipsos haberi.* Alii alia addunt, & diversum vitæ genus apud eos cultum nobis referunt: quorum narrationes uti uno fasce comprehendimus, ita nobis Brachmanes sistuntur, ut durissimo vitæ genere usi, exercitia philosophica durissima subiisse, frugalitati & pietati studuisse, Deum hymnis celebravisse, contemtumque rerum fluxarum, voluptatum, aliarumque vitæ commoditatum exercuisse nobis deprædicentur. [n] Quod ad alteram philosophorum

b) HORNIVS *l. II. c. 9. p. 107.* ex Clearcho apud EVSEBIVM *præp. l. IX. c. 3.* qui tamen ipse fluctuat.

i) Megasthenes apud STRABONEM *l. c.*

k) ROGERIVS *l. c. c. I.*

l) Vid IONSIVS *de Scr. H. P. l. III. c. 10. §. 5.* conf. FRID. STRVNZIVS in *Histor. Bardesanis §. 3.*

m) PORPHYR. *l. c.* Hodienum vero inter Brahminas sectas esse, inter quas vetustarum harum vestigia deprehendantur, ex illis disci potest, quæ fuse affert ROGERIVS *l. c. c. II.*

n) Hæc fuse PALLADIVS & AMBROSIVS suppo-

rum Indorum claſſem attinet, quam SAMANAEOS dici ſupra ex PORPHYRIO notavimus: & quam cum Germanibus apud STRABONEM, qui & Sarmanes quibusdam dicuntur, eandem philoſophorum ſpeciem referre cum viris doctis [o] putamus, illi ex omni Indorum genere collecti fuerunt, & ex quibusvis, qui divinæ ſapientiæ ſe tradere voluerunt, conſtitere. In quorum collegium cum quispiam erat adſciſcendus, ad principes civitatis aut vici, cujuscunque fuerit, acceſſit, atque ibi bonis ſuis & facultatibus omnibus repudiatis atque ſupervacua omni corporis parte detonſa ſtolam accepit: atque ita nulla neque uxoris neque liberorum, ſi forte adeſſent, ratione habita, quaſi ad ſe nihil amplius pertineant, ad Samanæos receſſit: Regi liberorum educandorum, cognatis uxoris cura relicta. Refert porro, qui hæc narrat, Bardeſanes: eos extra urbem commoratos, totum diem in divinis colloquiis traduxiſſe, ubi domos & fana a rege extructa habuerint, in quibus œconomi conſtituti ſint, qui certam quandam mercedem ad convenientium alimentum a rege acceperint: [p] victum eorum ex oryza & pane & pomis & oleribus apparatum eſſe; cum ingreſſi in domum fuerint, ad tintinnabuli ſignum preces effundere; quod ubi fecerint, ſigno iterum dato miniſtros, ſingulis lance oblata, (duos enim ex eodem vaſe non comedere,) oryza ipſos paſcere, ſi quis varietatem aliquam requirat, olus aut pomorum quippiam apponi; quibus paſtos celeriter ad eadem loca reverti. Tanta autem & ipſos & Brachmanas in veneratione apud alios eſſe, ut rex quoque interdum ad eos accedat, rogetque ut pro ſtatu regionis Deum precentur, aut, quid agendum ſit, conſulant. Mira quoque de horum philoſophorum morte refert: Sæpe, ubi bene ſe habere conſpexerint, nullo malo urgente e vita decedere, re tamen aliis prænuntiata, nemineque prohibente; ſed mandata a ſuis accipientes corpus in ignem comburendum conjicere, æquiori animo a ſuis deſideratos. STRABO vero de Germanibus addit: eos honoratiſſimos eſſe, qui Hylobii [q] appellantur, ex eo, quod in ſylvis degunt, e frondibus & ſilveſtribus fructibus viventes, veſtem ex arborum corticibus habentes, vini & veneris expertes. Hos cum regibus de cauſis rerum interrogantibus per nuncios colloqui, [r] & per illos a regibus coli & placari. Meminit etiam Pramnarum, qui Brachmanibus oppoſiti, diſputando & altercando emineant, Brachmanum ſtudium naturæ atque ſiderum ridentes. Hos vel montanos, vel gymnetas, vel civiles fuiſſe; [s] modo in his omnibus unius ſectæ homines diverſas vitæ conſuetudines locaque ſectantes inter ſe non confuſi fuerint. Vnde, quicquid de his Indorum philoſophorum ſectis hactenus adduximus, caute accipiendum

Samanæi.

Prammæ.

ſuppoſititii, qui tamen ſophiſtico colore hæc omnia pingunt, fucumque inducunt ſimplicitati Indorum veterum adverſum.

o) RHODIGIN. *lect. antiq. l. XIII. c. 25. p. 712.* VOSSIVS *de Hiſt. Græc. l. IV. c. 17.* IONSIVS *de Scr. H. Phil. l. III, c. 10. p. 260.*

p) Hæc hodienum apud Brahminas obtinere teſtis eſt ROGERIVS *l. c. c. VI. p. 63. ſeq.* de veteribus videndus DIOD. SICVLVS *l. II.*

q) Tales in India ultra Gangem multi inveniuntur, qui Tallopoin dicuntur, id eſt monachi ſylveſtres.

r) Hujus exemplum eſt Dandamis, de quo poſtea.

s) Conf. IO. SCHMID. diſſ. *de Gymnoſophiſtis* §. 8.

eſſe putamus. Quam facile enim peregrinæ diſciplinæ inter ſe confundantur, & a diverſis diverſo intelligantur modo, hodierni temporis in his rebus veteribus multo accuratioris exemplis conſtat, & vel una Sinenſium hiſtoria locuples teſtis eſt.

Vitæ & philoſophandi ratio apud Indos.

§. IV. Poteſt ex adductis hactenus facies horum philoſophorum facile cognoſci, indeque judicari, ad vitam auſteram & ad ſupplantandas pravas animi cupiditates & corporeos affectus ſupprimendos, ducendamque vitam innocentem eos magis reſpexiſſe, quam ad Græcanicarum artium & ſcientiarum ſubtilitates. [t] Quod ſi enim ea, quæ laudati ſupra auctores de iis referunt, ſummatim comprehendamus, hæc de iis potiſſimum jactata ſunt:

I. Eos ad ſectandum virtutis exercitium & fugiendas voluptates ſocietatem & conſuetudinem hominum vitaviſſe, & vel in lucis, vel in campis, vel in ſpeluncis habitaviſſe, Samanæis certo fano addictis, quorum hoc PORPHYRIVS illud STRABO teſtatur, PALLADIVS vero addit, [u] *Brachmanum genus non propria voluntate ſocietati civili renuntiare, monachorum more, ſed hanc deſuper ſortem divinitus accepiſſe. Flumina propter Φυσικῶς ἐν γύμνοτητι natura nudos vitam agere, nec apud eos quadrupes ullum, neque ruſtici operis inſtrumentum, ferrumve aut ædificium eſſe, non ignem, panem aut vinum, neque quidquam ad opus neceſſarium, aut ad voluptatem conducens.* Eadem refert PSEVDO-AMBROSIVS, [x] & APVLEIVS quoque, [z] qui *eos* ait, *nec propagandæ vitis, nec inoculandæ arboris, nec proſcindendi ſoli peritos eſſe, non noſſe arvum colere, vel aurum colare, vel equum domare, vel taurum ſubigere, vel ovem capramve tondere vel paſcere.* Non omnes tamen ita ſolitudinem ſectatos fuiſſe, inde patet, quod conſiliis regum adhibiti eos interdum ſecuti ſint. Vnde hoc, quod ſupra diximus, confirmatur, varia horum hominum inſtituta fuiſſe, variosque mores, quemadmodum in hac gente hodienum fit.

II. Nec tamen ſoli hominum ſocietati & converſationi ſe ſubtraxiſſe dicuntur, ſed & voluptatibus bellum indixiſſe, vixiſſe victu tenui & valde parabili, agreſti & ſylveſtri, abſtinuiſſe a vino, & ab omnibus animalibus. Ita enim naturæ ſatisfieri putabant; lectum quoque non alium niſi humum pelleſve admittebant. [b] Quæ tolerantia uti maximum honorem eis, teſte, qui ad eos ab Alexandro M. miſſus erat, Oneſicrito apud STRABONEM [c] conciliavit, ita ſuperbia animum eorum ita corrupit, ut ad magnum regem vocati ire recuſarent, ſed juberent *ut ad ſe veniret, ſi quid aſſequi vellet, quod ab eis ageretur & diceretur.* [d] Quæ animi elatio ſatis prodit arrogantiam & ambitionem, magnam continentiæ laudem ſtudioſe ſectantem, ſeque

t) Omnium itaque optime cum Cynicis comparantur.
u) *p. 8.*
x) *p. 62.*
z) *Florid. c. 6. p. m. 348.*
a) Nearchus apud STRAB. *l. c.*
b) STRABO *l. c.*
c) *Ibid.*
d) Hæc fuſe & more Sophiſtarum perſequitur Palladius.

ſeque ita ſuper alios, immo ſuper ipſos reges efferentem ad hanc Gymnoſophiſtarum vitam multum contuliſſe. Qua in re Cynicis ſimiles ſunt.

III. Ad hanc ipſam vero animi continentiam referendum eſt, quod habitum depoſuerint, & nudi inceſſerint; unde toti philoſophorum Indorum genti Gymnoſophiſtarum nomen hæſit. Vbi tamen ſolent diſceptare eruditi, utrum nudi toto corpore inceſſerint, an levi tantum amictu tecti, vel etiam ſolis genitalibus velatis. [e] Oneſicritus enim refert, [f] qui eos convenit, ſe inveniſſe quindecim homines viginti ſtadiis ab urbe, alium in alio geſtu, vel ſtantem, vel jacentem, vel ſedentem nudum & usque ad veſperam immotum, poſtea in urbem diſcedentem. Paria a Palladio & Ambroſio memorari ſupra diximus. Megaſthenes [g] vero veſtem ex arborum corticibus habere, PHILOSTRATVS [h] lineam togam indutos eſſe teſtantur, & divus AVGVSTINVS genitalia velaſſe aſſerit. In hoc ergo veterum diſſenſu vix ſententiarum concordia ſponderi poteſt. Quod ſi tamen dicendum, quod probabilitate ſua ſe maxime commendat, ſtatuendum omnino eſt, quosdam inter hos philoſophos, qui ad majorem tolerantiæ & patientiæ philoſophicæ gradum ſe perveniſſe putabant, nudo corpore aëris injurias toleraſſe: etſi fieri potuerit, ut verenda occultarint. Talem enim nuditatem & inſtituti ratio poſtulabat, & regio calida permittebat, & ſemota ab arbitris in lucis & ſpeluncis commoratio admittebat; nec objici poteſt, honeſtatis eos meliorem rationem habuiſſe. Vti enim vita horum hominum auſtera magnam illis venerationem & auctoritatem conciliavit, ita contemtui vel decoris læſioni locum non permiſit. Id quod ſæpius ita evenit, hiſtoria Cynicorum Græcorum teſtante. Veri ſimillimum tamen videtur, plerosque philoſophorum Indorum levi & parabili amictu veſtitos fuiſſe, & imprimis toga pura & candida ſe ornaſſe, vel etiam pedibus tantum nudos inceſſiſſe. [i] Forte & ſectæ in hac nuditate ſervanda inter ſe diverſæ fuerunt. Certe ab iſto tempore philoſophos nudos hodienum inter Indos inveniri, recentiores, qui iſtas regiones inviſerunt, referunt. [k]

IV. Maxime tamen, duriſſimam, quam agebant vitam, probant ἀσκήσεις philoſophicæ a Gymnoſophiſtis ſuſceptæ, quas plerique de iis ſcriptores teſtantur. Referunt enim, quosdam nudos per totum diem ad æſtum ſolis tantum, ut nemo alius nudis pedibus in meridie terram calcare ſuſtineret, perdurare; & CICERO: *nudos ætatem agere & Caucaſi nives hyemalemque vim perferre ſine dolore*, quod tamen in his calidis regionibus non tam facile credendum, quam toleratus ſolis æſtus. Addit idem, *cum ad flammam ſe applicaverint, ſine gemitu aduri.* Id quod ſine calculo & fide dici facile quis crederet, niſi paria & vel graviora adhuc hodie quoque Indorum Braminas ſuſcipere teſtis nos oculatus docuiſſet

e) Rationes ex utraque parte congeſſit BAYLE *Dict. T. II.* art. *Gymnoſophiſte* not. *G. p. m. 653.*

f) Apud STRABONEM *l. c.*

g) *Ibid.*

h) *In vit. Apollonii. l. III. c. 15. p. 106.*

i) Ita Brachmanas deſcribit PHILOSTRATVS *l. c.* qui tamen levis teſtis eſt, ut ſuo loco docebimus.

k) MAFFEIVS *de rebus Indic. l. I. p. 24.* PET. DE LA VALLE *Itiner. P. III. p. 218.*

cuiſſet ROGERIVS. [l] Et ad has aſceſes duriſſimas illud quoque referendum eſt, quod PLINIVS [m] refert, *eos ab exortu ſolis ad occaſum perſtare contuentes ſolem immobilibus oculis; ferventibus arenis toto die alternis pedibus inſiſtere.* Miratur hic inſaniam horum hominum & ſtultam opinionem Deo placendi auctor doctiſſimus *hiſtoriæ criticæ philoſophicæ;* [n] nec negamus, incredibile & impoſſibile, certe ab omni ratione alienum videri, intentis oculis ſolem per totum diem intueri; neque tamen ea præter rem atque veritatem dici putamus, cum conſtet, hodienum inter Siamenſes, Sinenſes, aliosque Indiæ populos, eos, qui ad ſapientiæ gradum ſublimiorem adſpirant hoc exercitio, unum locum, præcipue in aëre intuendi ſe cruciare, teſtibus viris eruditiſſimis BERNIERIO [o] & KAEMPFERO. [p] Nec id adeo excors atque inſanum ex horum hominum ſcopo videri debet. Hi enim philoſophaſtri in ſenſuum ecſtaſi, & annihilatione, & qui inde ſequitur, animæ enthuſiaſmo ſummam ſapientiam quærunt. Ea vero per ejusmodi contuitionem unius loci punctive, præſertim ſplendentis quam maxime promoveri, experientia teſtatur, & Heſychiaſtarum quoque exemplo conſtat. [q] Nec dubitamus, Gymnoſophiſtarum quosdam inſano ambitionis œſtro percitos, ut non ſolum tolerantia inſuperabiles, ſed animi quoque dotibus divini viderentur, ejusmodi exercitia inſtituiſſe. Immo nec improbabile eſt, ita ſe ad divinationes præparaſſe, quibus vacaſſe ARRIANVS [r] tradit.

V. Singulare quoque eſt, quod de matrimonio Gymnoſophiſtarum laudati auctores referunt: Scilicet, *cum mulieribus eos non philoſophari, ne ſi improbæ ſint, aliquid quod efferri nefas ſit, in profanos efferant; ſi probæ viros relinquant. Nam qui voluptatem ac dolorem, vitam ac mortem æque contemnat, ſubditum eſſe alteri nolle: hujusmodi autem eſſe probum & probam.* Ex quo STRABONIS [s] loco ſimul patet, mulieres quoque, niſi prohibitæ fuerint, interdum ſimili inſtituto accedendi cupiditate flagraſſe. Refert ſane CLEMENS ALEXANDRINVS, [t] *neque Gymnoſophiſtas, nec qui dicantur Semni mulieribus uti, hoc enim præter naturam & iniquum eſſe exiſtimare, eaque de cauſa ſe ipſos caſtos conſervare: Virgines autem etiam eſſe mulieres, quæ Semnæ dicantur:* ſed eum inſtituti ſimilitudine vel deceptum, vel mores quorundam Chriſtianorum jam tum invaleſcentes confundentem audiendum non eſſe, ſupra jam monuimus. Vero magis accedit, etſi non extra omnem dubitationem poſitum, quod PALLADIVS [u] narrat: *Vxores eſſe ex altera parte Gangis verſus Indiam; ad uxores maritos Iulio & Auguſto menſe tranſire: illis enim hos menſes frigidiores, ſole verſus partes boreales elato*

l) *l. c. P. II. c. 17. p. 408. ſeqq.*
m) *Hiſt. nat. l. VII. c. 2.*
n) *T. I. p. 98.* qui tamen inter ſuos habet, quos miretur ſimilis inſtituti corpus cruciantis patronos, conf. BAYLE *l. c. not. A.*
o) *Voyages T. II. p. 127.*
p) *Hiſt. Iapan. T. I. p. 30.*
q) Conf. MOSHEIM. *Hiſt. Chriſt. p. 801. ſq.*
r) In *Indicis.*
s) *l. c.* t) *l. c.*
u) *l. c. p. 9.* Eadem refert PSEVDO-AMBROSIVS *p. 62.*

elato esse, qui & salubriores habeantur, magis extimulantes. Cum uxoribus quadraginta dies commoratos reverti: Postquam duos ex uxore vir genuerit, consortio ejus non amplius uti, sed æqualem semet ipsis numerum substituentes, in posterum abstinere. Si vero contigerit mulierem ex istis aliquam, sterilem evadere, ad ipsam quinque continuos annos virum transire, cum ea rem habentem: si vero non pepererit, ad eam commeare desinere: Idcirco nec numerosam eorum gentem esse, propter durum loci vivendi morem insitamque continentiam.

VI. Tandem ad masculam illam philosophandi rationem referri quoque potest contemtus mortis. Cum enim & vitam & mortem indifferenter habendam pronuntiarent, in id enisos fuisse, ajunt, ut & ipsam mortem, & mortis genus contemnerent. Qua de re Megasthenes dicto loco: [x] *nullum decretum philosophis istis esse, de morte sibi consciscenda, sed temerarios haberi, qui hoc in se admittant; ac natura quidem duros in vulnus vel præcipitium ferri, doloris impatientes, in profundum maris, doloris patientissimos strangulari, igneos in ignem detrudi.* Qui liberi ex corpore exitus ideo ab iis quæsiti sunt, quod stabilem ac veram animabus inter se post obitum vitam esse crediderunt. Vnde & testante Bardesane apud PORPHYRIVM, [z] amici quoque ac propinqui æquiori animo illos ad mortem dimiserunt, quam alii homines suos quisque cives in admodum longinquas peregrinationes: ac seipsos qui in vita superstites remanserint deplorarunt, illos beatos prædicarunt, quippe qui immortalem sortem jam receperint. Quæ incredibilia quidem videri queant, humanæ vanitatis & ambitionis vires non satis expendenti: exemplis tamen, inter quæ Calanus est, probantibus negari debent eo minus, quo magis constat, hodieque inter has gentes mulieres, marito orbatos spontaneo incendio obire, unde talem insaniam inter Indos non esse infrequentem patet.

VII. Tantam cum animi fortitudinem virtutisque robur Indorum philosophi præ se tulerint, mirum non est, magna eos floruisse auctoritate non apud plebem tantum, sed & apud ipsos imperantes, a quibus in consilium admissos, de regionis regnique felicitate ex vaticinandi arte consultos, &, ut precibus pro salute patriæ apud Deos intercedant, rogatos esse, supra docuimus. Hanc auctoritatem ut tueri possent, duplex illis præter affectatam continentiam duramque vitæ patientiam præsidium fuit. Vaticinandi enim facultas iis solis concessa fuit, refertque ARRIANVS, [a] *eos solos esse inter Indos divinandi peritos, neque cuiquam divinationem permitti, nisi sapienti viro. Vaticinari autem de temporibus anni, aut si qua publica calamitas immineat; de rebus privatis vero non vaticinari: sive quod divinationem ad res minores pertinere non putent, sive quod indignum credant circa minutiora hæc laborare.* Nobis verisimile videtur, hoc ideo factum esse, ut eo majori auctoritate imperantium consiliis ita adesse, suisque vaticiniis superstitionem populorum ad nutus imperantium

x) *l. c.* STRABONIS. z) *l. c.* a) *l. c.*

tium regere poſſent, quæ ſine dubio ratio fuit, cur regibus tam chari fuerint, tantisque ſumtibus nutriti. Alterum, quod auctoritatem illis conciliavit, fuit, quod cultus divinus omnis iis relictus erat: quem religioſe, ac pie exhibuiſſe, majoremque diei ac noctis partem hymnis ac precibus Diis dicaſſe PORPHYRIVS narrat. Quem cultum ſoli potiſſimum oblatum eſſe PHILOSTRATVS, [b] ait, *quem interdiu precentur, ut anni tempeſtates, quas circumvolutione ſua metitur, opportunas & propitias Indorum terræ mittat, veſperi autem radium orare, ne noctem moleſte ferat, eodem vero modo maneat, quo deductus eſt:* Id quod tamen non ad ſolem ſed ad numen in eo habitans pertinuiſſe, ratio theologiæ Gymnoſophiſtarum in ſequentibus explicanda ſuadet. Et huc etiam ſacrificia, quorum cura ipſis relicta erat, tendebant. His vero præſidiis & imperantibus charos ſe fecerunt, & populo venerabiles, adeo, ut quicquid ex rebus venalibus vellent, id gratis auferre liceret, & ad quoscunque accefferint, ſeſamino oleo eos perfuderint, gratisque enutriverint; omnisque domus divitum iis patuerit, usque in mulierum conclavia, ingreſſi autem in cœnæ & ſermonum communicationem adhibiti fuerint. [c] Forte & hoc auctoritatem auxit, quod vitæ continentia, laborisque patientia, cæli quoque, ſub quo verſabantur, clementia, ad ætatem multorum annorum pervenerint, niſi ſpontanea morte morbum præverterint. Magna enim canitiei ſemper veneratio adfuit.

VIII. Non tacendum quoque eſt, quod APVLEIVS [d] de his Indorum philoſophis memorat: *ſapientiam percolere tam magiſtros ſenes, quam diſcipulos minores: torporem quoque animi & otium odiſſe: igitur ubi menſa poſita, priusquam edulia apponantur, omnes adoleſcentes ex diverſis locis & officiis ad dapem convenire: magiſtros perrogare, quod factum a lucis ortu ad illud diei bonum fecerint. Hic alium ſe, commemorare inter duos arbitrum delectum, ſanata ſimultate, reconciliata gratia, purgata ſuſpicione amicos ex infenſis reddidiſſe; inde alium, aliquid meditatione ſua reperiſſe, vel alterius demonſtratione didiciſſe; denique cæteros commemorare: qui nihil habet adferre, cur prandeat, impranſum ad opus foras extrudi.* Hanc conſuetudinem cum & Pythagorei tenuerint, cauſam ſibi in ea inveniſſe viſus eſt G. HORNIVS, [e] ut ab his ad Indos delatam eſſe crederet. Nobis vero id vel eo nomine falſum eſſe videtur, quoniam horum philoſophorum inſtituta, ſi relationes veterum ſequimur, Pythagoreorum ætatem ſuperent. Majori veriſimilitudine diceretur, Pythagoram ab Indis didiciſſe, modo verum eſſet, quod biographiæ Pythagoreæ architecti jactant, iter Pythagoræ ad Brachmanas. Illud vero inter figmenta Platonicorum recentiorum referendum eſſe, ſuo loco

b) *l. c.*

c) STRABO *l. c.* non negamus tamen, ſuſpicionem hic enaſci, ne quid morum Cynicorum e Græcia in hanc hiſtoriam irrepſerit.

d) *l. c.* Conf. ALEX. AB ALEXANDRO *gen. dier. l. V. c. 21. p. m. 297.*

e) *Hiſt. philoſ. l. VII. c. 12. p. 375.*

loco demonſtrabimus: nec negamus, ex eadem cauſa nobis totum hoc examen actionum juventutis, Indis a Platonicis, in quorum caſtris Apulejus militabat, ſuppoſitum videri, ut auctoritate & fama Gymnoſophiſtarum, quæ inter Græcos maxima fuit, ſuis inſtitutis nomen & veneration-nem conciliarent: quem in finem PHILOSTRATVS [f] magnas fabulas de Indorum philoſophis contexuit.

IX. Et has quidem Philoſtrateas fabulas, quibus hiſtoriam philoſophiæ Indorum mira fingendi & mentiendi audacia contaminavit, tuto præterire nobis liceret, niſi ridendus nugator lectori, integram Gymnoſophiſtarum hiſtoriam cupienti, exponendus eſſet. Refert enim: *perveniſſe Apollonium ſuum ad Caſtellum ſapientium, ampliſſimis ſaxis communitum, in eo in nube eos habitaviſſe, viſibiles ſimul & inviſibiles prout voluerint, hancque nubem pro porta eſſe. Vidiſſe ſe ibi puteum, ex quo vapor cæruleus ad os putei fuerit ſublatus, ſole vero meridiano imminente, vaporem illum a radiis ſolaribus ſurſum attolli, iridis ſpeciem præbentem: puteum vero hunc ſacrum eſſe, juxta hunc puteum craterem igneum eſſe, eſſeque hunc puteum atque craterem Indis ad luſtranda peccata ab invitis commiſſa; hincque ſapientes puteum indicii, craterem veniæ vocare. Vidiſſe ſe quoque gemina dolia ex lapide nigro, quæ ſint imbrium atque ventorum. Atque id quidem, quod eſſe imbrium dicitur, ubi nimia ſiccitate India preſſa fuerit, apertum nubem emittere, atque terram univerſam humectare; ſin pluviæ fuerint nimiæ, occluſum cohibere easdem. Incidiſſe ibi in Græcorum numina, quibus Indi ſacrificant, ignemque ibi ſacris proſequi ritibus. Humi hos ſapientes dormire, herbis tamen humum ſternere, eos item in aëre ſublimes, duobus e terra ſublatos cubitis ambulare: ignem porro, quem a ſolis radiis petant, quanquam corporeus ſit, nec in ara tamen accenſum eos habere, nec focis aſſervare, ſed perinde ac radios qui a ſole & aqua refranguntur, ſublimem conſpici & in æthere fluctuantem. Vmbram quoque ſub dio viventes ſibi obducere, ne pluvia madeſcant. Comas nutrire, mitra alba caput redimitos, & nudos incedere: veſtibusque ornari, exomidum formam habentibus.* [g] *Linea vero veſte ad ſacra uti, quod linum ita terra ferat, ut ſi quis alius evellat, terra linum iſtud non dimittat. Poſtea lavatos & unctos, ut ſudore perfluerent ad templum acceſſiſſe coronatos, & in hymnos totos intentos; chori autem figura undiquaque conſiſtentes, & coryphæum Jarcham habentes, erectis baculis terram percuſſiſſe: illamque non alio modo quam maris fluctus ſeſe attollentem, duos ferme paſſus in aërem extuliſſe, ipſos interim cantilenam ceciniſſe: juvenemque advocatum qui Apollonii comites curaret, citius quam volucres celerri-*

f) In *vita Apollonii l. III. c. 13. p. 104. ſeqq.*

g) Inde patet, vel non totum corpus veſte texiſſe, vel interdum tantum, præcipue in ſacris obeundis. γυμνὸν βάδισμα enim, non nudis pedibus tantum, ſed corpore nudum incedere ſignificat, probante doctiſſimo OLEARIO *ad h. l.* conf. WOLF. *ad Orig. philoſ. p. 158.*

lerrimæ, profectum reverſumque fuiſſe. Sciviſſe hos ſapientes omnia, cenſuiſſe ſe Deos. Plura hujus generis affert, apud ipſum nugatorem legenda. Hæc vero curatius examinare & ſtupendæ audaciæ mendacia oſtendere, eſſet lectoris judicio non ſatis confidere: tam ſtrenue enim mentitur, fingit, refingit, mutat quadrata rotundis impoſtor, ut nec puerorum & anuum fidem mereatur, adeo omnia puerilibus ineptiis plena ſunt, quibus vel inſanus & ineptus Damis, vel, quod nobis videtur, exiguo judicio inſtructus Philoſtratus cauſam herois ſui, in cujus honorem fabulam totam inſtruxit, & Platonicorum quoque rem tueri, labantemque ſuperſtitionem, contra Chriſtianorum miracula confirmare, ſtultiſſimo auſu conniſus eſt. Qua de re tamen, cum ſuo loco ex inſtituto dicendum ſit, nihil amplius addimus. Nam ineptam mentiendi licentiam quæſito colore & excuſatione lenire, fruſtraneum & invita Minerva factum putamus. [b]

Buddas. §. V. Inter hos vero Indorum philoſophos viri quidem magnæ famæ & exiſtimationis enituerunt. Ex quibus BVDDAS eſt, quem apud Indiæ Gymnoſophiſtas dogmatis eorum principem tradi, & jactari, e latere ſuo virginem genuiſſe, teſtatur HIERONYMVS. [i] Hunc cum Budda, Manetis præceptore, cui Græcum nomen, Terebinthus, fuit, multi confuderunt, inter quos eſt TOLLIVS [k] notatus ideo doctiſſimo BEAVSOBRIO, [l] qui de hujus Terebinthi actis accurate agit, & fabulas ex perſonarum confuſione ortas detegit. Eandem confuſionem admiſit IACOBVS THOMASIVS. [m] Sunt vero de hoc antiquiſſimo Indorum philoſopho incerta omnia eaque longe pauciſſima, nec, quis fuerit, ſatis conſtat. Extitiſſe tamen aliquem inter Indos philoſophum, maximæ auctoritatis, qui peculiari religione populos inſtituerit, & ad faciendam ſibi fidem & auctoritatem conciliandam divinam originem & miraculoſam nativitatem jactaverit, probabile nobis facit conjectura viri ſummi & in detegendis antiquitatis myſteriis feliciſſimi MATVRINI VEISS. LA CROZE. Is obſervat, [n] celebratiſſimum apud Siamenſes idolum Sommonacodom, vocari etiam, Poutiſat, id eſt dominum Pouti: Pouti vero nomen cum Buddæ convenire, & apud Indos fere omnes diem indicare Mercurii, eum enim vocant Budda-varam, diem Buddæ, lingua Braminis ſacra. Cum vero iſte Sommonacodom cum celeberrimo Indiæ totius impoſtore Xaca idem ſit, probabile admodum eſſe, Buddam non alium eſſe, quam Sommonacodomum vel Xacam, quorum ille inter Siamenſes, hic apud Sinas & Iaponenſes divino cultu

b) Miramur itaque merito, eruditiſſimum PHILOSTRATORVM editorem, cujus doctrina & judicium poſt præmatura ejus funera orbi erudito laudantur, eo ſe adduci paſſum eſſe, ut auctoris ſui fidem ſalvam præſtiturus, inſanis mendaciis colorem quæreret. E. g. dolia illa duo, manifeſto furto ex HOMERI *Il. ω.* vel quæ in *Odyſſ.* habet de Æoli ἀσκῷ transſumta, qualia etiam de Lapponibus relata ſunt, fuiſſe vaſa, quæ temporum & tempeſtatum vices oſtenderent, qualia thermometra & barometra ſunt. Quaſi vel ea tum nota fuiſſent, & id diceret textus Philoſtrati. Ignem ex ſolis radiis etiam noctu in aëra ſuſpenſum (quo vix craſſius mendacium eſt ſibi ipſi contradicens) fuiſſe phoſphori genus, globo vitreo in aëre ſuſpenſo aſſervati. Quis enim talia cognoviſſe Brachmanas ſomniaverit?

i) *Contra Iovinian. f. 22. b.*

k) *Inſign. itin. Ital. p. 137.*

l) *Hiſt. de Manichéens T. I. p. 57. not. 4.*

m) *De Manetis dogmate, Hiſt. Sap. & Stult. T. I. art. I. c. 5. p. 57 ſeqq.* ubi confuſa quædam de Budda congeries invenitur.

n) *Hiſt. Chriſtianiſmi Indor. p. 645. ſeqq.*

tu honoratur: Quoniam vero ad recentiorem philoſophiam Indorum & Sinarum delapſis, de celeberrimo hoc inter eos impoſtore, cujus dogmata hodienum in his gentibus maxime celebrantur & foventur, ſermo erit inſtituendus, interim nobis lectoris patientia exoranda eſt, qui interea deſiderium apud laudatiſſimum virum explebit feliciſſime: id unum notamus, a CLEMENTE ALEXANDRINO [o] hunc Buddam peculiaris ſectæ inter Indos conditorem fieri, divinis honoribus affectum, id quod egregie cum ea ſententia conſpirat, quæ eum cum Sommonacodomo & Xaca eundem eſſe putat. Sommonacodomi nomen enim monachum ſylveſtrem notare, Codom cognominatum, quales Hylobii Gymnoſophiſtæ fuerunt, viris doctis harum regionum traditiones perquirentibus obſervatum eſt. Vnde hunc Buddam ſectæ inter Hylobios celeberrimæ conditorem fuiſſe recte conjicitur. Poſt hunc illi potiſſimum Gymnoſophiſtæ Græcorum laudibus celebrati ſunt, qui Alexandro M. ad Indos penetranti innotuerunt. Inter hos princeps fuiſſe dicitur DANDAMIS, quem Mandanin STRABO [p] nominat, quemque Gymnoſophiſtarum fortiſſimum & moderatiſſimum fuiſſe, magno animo & validiſſima eloquentia Alexandrum, cupiditatibus frena laxantem, corripuiſſe referunt PALLADIVS, AMBROSIVS & Anonymus *de Brachmanibus* ſcriptores. Etſi vero rerum gnaris evidentiſſimum eſſe putamus, totam illam Dandamidis diſſertationem cum Oneſicrito & reliquis regis legatis ipſoque rege confictam eſſe, & ad leges eloquentiæ ſophiſticæ compoſitam, id quod quæſitus in deſcriptionibus color, membrorum orationis ſibi oppoſitorum artificium, rationes philoſophicæ ex media Stoa & Cynoſarge deſumtæ, immo ex Chriſtianorum quoque doctrina mutuum acceptæ, ſectæ Græcorum, & imprimis Epicurea refutatæ, [q] aliaque ab Indorum circumſtantiis mire abhorrentia probant; fides tamen Oneſicrito, a rege ad hos ſapientes Indiæ miſſo, temere deneganda non eſt, ſcribenti, [r] *Mandanim ſibi ad eum vocato dixiſſe: ſummopere ſe Alexandrum laudare, quod in tanta adminiſtrandi imperii mole ſapientiam expetat, quem ſolum in armis philoſophantem viderit: ſibi veniam deberi, ſi per tres interpretes colloquens ſapientiæ ſuæ vim demonſtrare nequeat. Omnia itaque ejus dicta eo pertinuiſſe; eam eſſe optimam doctrinam, quæ voluptatem moleſtiamque animo eximeret; moleſtiam a labore differre, quod illa ei eſſet inimica, alter vero amiciſſimus. Ipſos corpora ad laborem exercere, ut mentes confirmentur, quibus motus ſedentur, & bona omnibus conſulendi publice privatimque facultas adeſſet; quomodo etiam nunc Alexandrum inſtituturi eſſent, ut & meliori recte obtemperare, & deteriorem reddere meliorem poſſit. Poſt hæc interrogaſſe, num talia etiam apud Græcos dicerentur? cumque reſpondiſſet ipſe* (Oneſicritus) *eadem Pythagoram docere ac jubere ab animalibus abſtinere, tum Socratem & Dio-*

Dandamis.

genem,

o) *Stromat. l. I. p. 305.*

p) *l. c.*

q) Eadem jam obſervavit CASAVBONVS vid. *Caſauboniana p. 13.*

r) *l. c.* STRABONIS.

genem, quem ipſe audiſſet: intuliſſe Mandanim: exiſtimare ſe, prudenter eos de cæteris rebus ſentire, in uno autem errare, quod legem anteponant naturæ; alias non puduiſſe, ſuo more nudos degere, & tenui victu eſſe contentos; cum ea optima domus quæ minimo apparatu indigeat. Et hæc quidem anſam dediſſe diſſertationibus a Palladio vel quisquis illam fabulam incruſtavit, Dandami affictis, ipſum argumentum ſatis prodit, ex quo tamen diſcere licet, animi continentiam & fortitudinem hunc philoſophum quam maxime ſectatum fuiſſe. *Calanus.* Eodem in grege fuit CALANVS, ex eadem gente philoſophus, vero nomine Sphines vocatus, ſed quod ſermone Indico Cale, pro, ſalve, ſalutans obvios compellaret, Calanus a Græcis dictus. Is cum Alexander M. ad Indos penetraſſet, & ad Gymnoſophiſtas legatum miſiſſet, quod chlamydem & cauſiam & crepidas indutum conſpexiſſet, riſu ſublato contumelioſe objurgatum juſſiſſe, ſi quid vellet audire, ut eo habitu depoſito, ſuper iisdem lapidibus nudus jaceret, STRABONI dicitur, qui addit, *Mandanim Calanum objurgaſſe, qui contumeliam culpans ipſe contumelioſe ageret.* Hunc Græci vehementer laudarunt, PHILO enim *omnium ejus ſeculi patientiſſimum* nominat, [s] & eruditionem ei tribuit: quam quidem ei negat CICERO, [t] eo tamen ſenſu, quo Græcorum ſapientiam eloquentia ornatam notat, quæ homini barbaro defuit. Ex quo loco recte conficitur, barbarorum horum ſapientiam Græcanicæ fuiſſe valde diſſimilem. Indis vero inviſus factus eſt, & vehementer ab eis vituperatus, quod ab Alexandro per Taxilum ſibi perſuaderi paſſus ſit, ut Alexandrum ſequeretur. [u] Hunc enim incontinentem & patriæ diſciplinæ deſertorem, menſæ Alexandri mancipium factum eſſe conquerebantur, & dolebant, quod relicta felicitate, quam ſe conſecutos eſſe cenſebant, alium dominum, quam Deum coleret. Vivicomburio tamen, cum morbum ex more ſectæ ferre turpe putaret, ſe ipſum extinxit, & cum in rogum ardentem aſcenderet, *o præclarum, inquit,* [x] *diſceſſum e vita, cum, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato, in lucem animus exceſſerit.* In cujus honorem Alexander M. poſtea certamina equeſtria, muſica & pugilatus inſtituit. [z] *Iarcha.* Tandem & IARCHAM Gymnoſophiſtarum principem nobis narrat Damis apud PHILOSTRATVM, [a] quem in aereo throno, aureis ſimulachris ornato vidit & cum eo collocutus eſt Apollonius. Quem ita fabulator depingit, ut alter Pythagoras fuiſſe videatur. Vnde quo loco habenda ſit ejus narratio, iis, qui naſum habent, facile liquet, nec lectorem nugis moramur, migrationem animæ Gangis in Iarcham, quam crepat PHILOSTRATVS, indicaturi: adeo inſulſe hypotheſi inſervit, Pythagorica inſtituta commendaturus. [b]

§. VI.

s) *Quod omnis probus liber Opp. p. 879.* ubi tamen epiſtolam Calani ad Alexandrum fictam eſſe, Græca eruditio, qua deſtituebatur Calanus, prodit.

t) *Tuſc. Q q. l. II. c. 22.*

u) STRABO & ARRIANVS *ll. cc.*

x) CICERO *de divin. c. 23.*

z) AELIANVS *Var. Hiſt. l. II. c. 41.*

a) *l. c.*

b) Nec ad excuſandas nugas Philoſtrati valet, quod B. OLEARIVS ad *h. l.* affert, ſymbolicam, ut ipſe Iarchas ait, ſtatuiſſe transmigrationem,

§. VI. Sed ad ipſa quoque Indorum dogmata tranſeundum eſt, quæ potiſſimum ſententiis de divinis, naturalibus & moralibus rebus abſolvuntur. Et quod ad ſacra quidem dogmata, ac de Deo divinisque doctrinam attinet, ſi ea conſulimus, quæ nobis veteres de Indorum philoſophia & theologia tradiderunt, hæc potiſſimum ſtatuerunt: *Doctrina philoſophorum Indorum.*

I. *Deum eſſe lumen, non quale quis aſpicit, aut qualis ſol vel ignis, ſed eſſe Deum λόγον, non articulatum ſermonem, ſed illum cognitionis, cujus ope occulta notitiæ myſteria cernantur a ſapientibus. Hoc lumen ſolos videre Brachmanas, quippe qui ſoli opinionum vanitatem, quæ eſt tunica poſtrema animæ, abjecerint.* Hæc PSEVDO-ORIGENES, [c] quo & ea collineant, quæ Dandamis apud PALLADIVM [d] habet, *Deum nunquam injuriam genuiſſe, ſed lucem, pacem, vitam, aquam, corpus humanum & animas, hunc dominum eſſe, & Deum ſolum.* Ex quibus locis apparet, Deum lucem intellectualem ſapientibus his viſum eſſe, adeoque ad ea prope accedunt, quæ Zoroaſtream ſententiam exprimere capite antecedente diximus. Id quod mire eam conjecturam confirmat, tranſiiſſe doctrinam Zoroaſtream ad Indos, & apud eos quoque, ſi non totam, certe ex parte radices egiſſe. Hanc vero ſententiam non leviter roborat, quod porro de Indorum theologia refertur, ſtatuiſſe: *De Deo.*

II. *Deum conditorem, & adminiſtratorem univerſi, illud pervadere: [e] eſſe λόγον [f] Deum corporeum & veſtitum extrinſecus corpore ſuo eodem modo, quo quis geſtat indumentum ex pellibus ovinis, ſed exuto, quo indutus eſt corpore, oculis fieri corporeum.* [g] Licet enim hæc a quibusdam ita accipiantur, ut putent, Indis videri Deum habere duplex corpus alterum, quod ad eſſentiam ejus pertineret, alterum quod extrinſecus ab eo aſſumeretur; [h] nihil tamen horum dicit PSEVDO-ORIGENES, ſed id tantum vult, Deum illos cenſere corporeum, corpore externo amictum. Id quod principium ſupra poſitum ita explicat, ut abſurditas doctrinæ, quæ ſe prima fronte offert, evaneſcat. Deum enim λόγον, id eſt ignem rationalem & intellectualem eſſe, cum dicerent, eumque per totum mundum tanquam animam permeare, & animare omnia ſtatuerent, neceſſario, Deum extra mundi ſphæram non eſſe, mundumque ejus corpus, non quoad eſſentiam, ſed quoad externum ambitum & veſtitum eſſe, inde ſequitur. Vnde ab illa quidem abſurditate abſolvendi ſunt Indi, Deum

nem, ſymbola hæc enim non ad figuratam orationem, ſed ad formam humanam variam, quam migrantes animæ induunt, quamque ſe exploraſſe ſæpius Iarchas jactat, pertinere, ex verbis PHILOSTRATI eorumque ſerie manifeſte cognoſcitur.

c) *Philoſophum. c. XXIV. p. 164.*

d) *l. c. p. 22.*

e) STRABO *l. c.*

f) Hunc λόγον cum Platonico λόγῳ, vel ſubſtantiali verbo Chriſtianorum non confundendum eſſe, vel inde patet, quod eum a Deo Indi non diſtinxerint, ſed Deum eſſe λόγον dixerint, ut & a corporeis conceptibus eum ſepararent, & rationem darent, quo modo ab anima mundi rationali cuncta generentur & adminiſtrentur. Vnde erravit ANONYMVS *de Brachmanibus*, qui *p. 94.* ita: *Verbum Deus eſt, hoc mundum creavit, hoc regit & alit omnia, hoc nos veneramur, hoc diligimus.* Nam ita peculiarem ὑπόςασιν ſtatuit, a qua ſententia Indi procul ſunt. Hincque dijudicanda quæ erudite *ad l. c.* affert eruditiſſimus WOLFIVS.

g) ORIGENES *l. c.*

h) WOLFIVS *ad h. l.*

eſſentia eſſe corporeum; recte tamen iis tribuitur: Deum eſſe animam mundi, id eſt, lucem intellectualem & rationalem, cujus agitatione, diſpenſatione motuque omnis lux, bonumque atque pax in mundo producantur. Quam ſententiam iis quoque tribuit AVCTOR *recognitionum Clementis*, [i] quæque, ſi cum Zoroaſtrea comparatur, valde illis affinis eſt. Sequitur inde,

De creatione & providentia.

III. *Deum, qui omnia creavit, & immortalem & munificum eſſe, qui omnibus de victu proſpicit, illum cernere omnia, nec latere eum quicquam.* Nam & hæc Dandamis Alexandro reſpondiſſe dicitur PALLADIO. [k] Vbi quidem non negamus, accommodaviſſe ſententias Chriſtianas auctorem Indis, ut ex ipſis phraſibus adhibitis ſatis patet: [l] nihil tamen, quoad rem ipſam, dicitur, quod non ex principio: lucem intellectualem & rationalem mundi animam eſſe, eum totum pervadentem, ſequatur. Nam & ita omnis mundi ambitus, ab iſta anima vivificatur, ut victum producat, & quia rationalis eſt, omnibus proſpicit, & quia in omnibus ejus partibus præſens eſt, nihil eam latere poteſt. Id quod ipſe PALLADIVS prodit, [m] Dandamin ita loquentem exhibens: *Ille Deus cauſam meam novit, & illum nihil latet; nam oculi ipſius ſunt omnes ſtellæ & ſol & luna;* ubi manifeſte ſedes divinitatis in his præcipue mundi partibus, quæ ſidera dicuntur, indicatur atque ponitur.

IV. Recte quoque inde infertur, *Deum hunc mundum creatum conſervare, regere, & alere omnia.* [n] Nam hæc quoque ex anima mundi neceſſario conſequuntur. Vbi tamen libera providentia a neceſſaria agitatione, vivificatione & commotione mundi, quæ ab anima mundi, ſecundum λόγον, id eſt, rationes ſibi inſitas & ſeminales producitur, probe diſtinguenda eſt: quam quia non intellexere ſcriptores laudati, miſere cum providentia Chriſtianorum confuderunt.

De anima.

V. Porro & hoc ex admiſſo ſemel animæ mundanæ principio fluit, quod Brachmanes ſtatuiſſe dicuntur: *Originem humanæ mentis eſſe cæleſtem, magnamque cum Deo habere cognationem; eam Deo eſſe genitam, ad eum, e corpore diſcedentem, iterum abire, tanquam ad Deum & creatorem ſuum, qui expectet animos, quos in mundum miſerit.* [o] Anima enim cum rationalis Indis viſa fuerit, non potuit non eſſe particula ignis illius rationalis, ſive animæ mundanæ, quæ omnes mundi partes animat. Quæ ſententia ita non inter Græcos tantum, ſed per univerſum fere orientem invaluit, ut mirum non ſit, ad Indos penetraſſe.

De judicio poſt mortem.

VI. Addunt vero auctores laudati, [p] Indis porro placuiſſe: *Expectare redeuntes animas Deum, ut, quæ vitam pie inſtituerunt, honoret ut Deus, illas vero, quæ non obediverunt, ejus legibus condemnet: omne enim juſtum judicium apud eum eſſe, & vitam æternam apud eum paratam eſſe, bonitate enim æterna omnium miſereri.* Quæ aperte Chriſtiano-

i) Conf. *Hiſt. critique de la philoſophie T. I. p. 100.*
k) *P. 31.*
l) Vid. imprimis *p. 39.*
m) *p. 31.*
n) Citati; qui ea ſæpius repetunt. STRABO *l. c.*
o) PALLADIVS *l. c. p. 31. ſeqq.*
p) *Il. cc.*

ſtianorum ſcholam redolent, & ab iis tranſſumta ſunt. Quoniam tamen non recentiorum tantum Indorum hæc opinio eſt, ſed & Zoroaſtreæ doctrinæ ſectatoribus apud Indos placuiſſe dicitur, non omnem hanc theſin Indis affictam credimus, admittit enim eam quoque ſyſtema emanativum, ab his theologis receptum. Cum enim redeuntes ad animarum oceanum, mundanam animam, animæ a corpore ſolutæ impiæ ſcelerumque ſordibus gravatæ, qualitatem amiſerint ignis puriſſimi, non ita arcte cum illa conjungi eas poſſe ſequitur, ut non in tenebris miſeriam tamdiu patiantur, donec multis periodis exagitatæ & purgatæ ad canalem, ex quo deſcenderunt, redierint. In quo iterum Zoroaſtrea placita ſatis exprimuntur. Forte & antiquiſſima de judicio divino univerſali traditio cum hominum primorum in omnes terras diſperſione, doctrinam rationis judicio in ſe ſatis probabilem gentibus his commendavit, & conſcientia facinorum conſervavit. Et ex hac ipſa quoque ratione animarum tranſitum in alia corpora Indis placuiſſe, facile credi poteſt, etſi ea, quæ VOSSIVS [q] affert, recentiores tantum tangat Indos.

VII. Patet hinc, cur *animam corpori ſuperſtitem, corpusque animæ indumentum* ſtatuerint, ſicque nuditatem excuſaverint, quod iis tribuit PSEVDO-ORIGENES. [r] Nam ut mundus Deo corpus & veſtimentum eſt [s] ita animæ corpus, ſententia apud multos inter Græcos quoque pervulgata. Vnde qua ratione exuenda ſit mortalitas, ut Dii homines fiant, quod de Dandamide dixere, facile intelligi poteſt. *De corpore.*

VIII. Addendum & hoc eſt, quod CLEMENS ALEXANDRINVS tradit: [t] *contemnere eos mortem, & ſperare παλιγγενεσίαν.* Quibus verbis vitæ reſtitutionem promitti, quilibet videt; num reſurrectionem, [u] valde hæremus, quam temporibus recentioribus demum poſt latiſſime propagatam Chriſtianam fidem inter hos populos percrebuiſſe putamus. Regeneratio vero illa nihil aliud eſſe videtur, quam periodica reſtitutio omnium rerum; quæ in ſyſtemate emanativo, ultima rerum & prima ſimul facies eſt, & ex eo neceſſaria conſequentia fluit. Quamque Indos olim credidiſſe vel inde probabile fit, quod ejusmodi periodica reſtitutio omnium rerum hodiernis quoque Indis placet, antiquiſſimo dogmate, quod per omnem fere orientem invaluit, ad hæc tempora conſervato. Qua de re dicemus ſuo loco. *De reditu ad vitam.*

IX. *Præter Deum hunc ſummum inferiora quoque Numina coluiſſe*, veteres teſtantur. [x] Et honore quidem divino Buddam cultum fuiſſe, ſupra notavimus. Inter reliquos vero Indiæ Deos a Græcis Bacchum potiſſimum Indiæ numen habitum fuiſſe conſtat, [y] quem a Nyſa Indiæ urbe, Nyſium *De Diis inferioribus.*

q) *De Philoſ. Sectis, l. I. c. 1. §. 6. p. 8.*

r) *l. c. p. 158.*

s) Videnda quæ eleganter & erudite differit venerabilis WOLFIVS *ad h. l.*

t) *Strom. l. III. p. 451.*

u) Ita quidem Dandamis apud PALLADIVM *l. c. p. 31.*

x) PHILOSTRATVS *vit. Apoll. l. III. c. 35. p. 127.*

y) CVRTIVS *l. VIII. c. 10.* ARRIANVS *l. V. p. 314.* alii, citati FREINSHEMIO ad *l. c.* Curtii.

Nyſium vocatum Græci tradunt, [z] & neſcio quas expeditiones ejus in Indiam commemorant. Quæ tamen levi omnia fundamento nituntur, [a] cum Græcis ſolenne fuerit, ſua numina cum peregrinis, malo conſilio, pejori eventu, confundere. Quod ſi emanativi ſyſtematis rationes perpendimus, facile admitti poteſt, Indis ſubalternantia quaſi numina culta eſſe; quæ emanationes ex Deo habitæ fuerint. Certe hodie apud Indos πολυθεότητα non alio fundamento niti, ſuo loco probabitur. His numinibus *non pecudes innocuas mactatas, nec delubra metallis argenteis incruſtata fundata, nec altaria auro & gemmis ſplendentia dedicata* ANONYMVS, [b] qui de Brachmanibus ſcripſit, retulit: tota enim divini cultus ratio ad animum traducta eſt, cum nemini ad Deum acceſſum concedi ſtatuerint, niſi illis ſolis, qui cupiditatum vinculis ſoluti fuerint. [c] Hinc commendata imitatio & amor Dei ſibi cognati; [d] hinc injuncta cura animæ, & corporis debellatio: [e] hinc celebratio Dei hymnis & cantilenis præſcripta, quæque alia ſunt in Dandamidis colloquio occurrentia: modo ea non ex Chriſtianorum ſcholis transſumta mutuo, Indis philoſophis ſuppoſita ſint. Quibus tamen paria, cum hodie quoque inter ſapientes Indiæ præcipi teſtes fide digni referant, [f] veriſimilitudine non prorſus caret, vetuſtioribus quoque temporibus ea Indis ſapientioribus placuiſſe. Nihil enim horum eſt, quod non ex admiſſo emanationis ſyſtemate ſequitur, & ex hoc ipſo fonte plurimis nationibus ſacroſanctum viſum fuit. Ceterum precantes lumina verſus cœlum loco orientis convertiſſe PALLADIVS [g] teſtatur. Sedem enim ignis intellectualis cælum eſſe, ſive, Iovem totum cæli ambitum occupare, totius Indiæ orientalis doctrina fuit.

De cultu Dei.

Naturalis philoſophia Indorum.

§. VII. Naturalis philoſophiæ cognitio apud Indos exigua fuit, nec negat Megaſthenes, quædam ex iis quæ de natura differunt, ſtultitiam eorum arguere, potentiores enim eſſe operibus, quam ſermone, fabulis pleraque confirmantes. [h] Ex quibus verbis ſuſpicio naſcitur, Græcos, qui Indos acceſſerunt, cum mythologicam mundi originem apud Indos narrari audiviſſent, ſenſum arcanum non eſſe aſſecutos. Hodienum quoque tota coſmogonia, more quidem barbaris receptiſſimo, & ad Græcos ipſos delato, apud Indos eſt allegorica. Cum itaque ſenſum fabularum ſacrarum non aſſequerentur, Græcanicas hypotheſes ad earum interpretationem adhibentes Græca dogmata phyſica ſibi in iis inveniſſe viſi ſunt. Inde non mirandum, quod addit Megaſthenes: *de multis in naturalibus cum Græcis ſentire, ut, quod mundus ſit ortus & interiturus, & ſphæricus; quod univerſarum rerum primordia diverſa ſint, mundi autem aqua; & præter quatuor elementa quinta quædam natura ſit, ex qua cœlum atque aſtra conſtent: terram in medio ſitam univerſi; de ſemine, de anima aliis-*

z) PHILOSTRAT. *vit. Apoll. l. II. c. 2. p. 51. c. 7. 9.* & OLEARIVS *h. l.*
a) Vnde contraria tuetur STRABO *l. XV. p. 687.*
b) ANONYMVS *p. 94.* PALLADIVS *p. 45.*
c) ORIGENES *l. c. p. 161.*
d) ANONYMVS *l. c.*
e) PALLADIVS *l. c. p. 17.* ORIG. *p. 165. ſ.*
f) Vid. *Proverbia & ſententiæ* BARTHROVHERRI apud ROGERIVM *l. c. p. 458. ſeq.*
g) *l. c. p. 8.*
h) STRABO *l. c.*

aliisque compluribus ſimilia eos dicere, texere etiam fabulas quasdam, quemadmodum Plato, de immortalitate animæ, & de judiciis, quæ apud inferos fiunt, & alia hujusmodi non pauca. Prodit enim ipſe Megaſthenes, Græcis hæc arridere, quos hujus interpretationis fabularum Indicarum auctores eſſe, adhibitæ doctrinæ, Græcum ingenium prodentes, qualis imprimis illa de quinto elemento eſt, ſatis loquuntur. [i] Non majoris itaque momenti habenda ſunt, quæ de placitis Indorum ſapientum naturalibus Damis apud PHILOSTRATVM refert, quæ aperte Græcam philoſophiam redolent, & ad faciendam ei auctoritatem excogitata ſunt. Narrat enim [k] ad interrogationes Apollonii Iarcham reſpondiſſe: *mundum compoſitum ex elementis quinque: aëre, terra, aqua, igne & æthere, ex quo Deos gigni fas ſit: quæ enim aërem trahunt mortalia eſſe omnia, quæ vero ætherem, immortalia atque divina. Omnia elementa ſimul extitiſſe; animal mundum eſſe, quod omnia animantia progignat; eſſe maſculæ ſimul & femineæ naturæ, ipſum enim ſibi miſtum patris matrisque vicem in producendis animantibus ſupplere, amoreque ferri ſui ipſius ardentiore, quam quo diverſa ſe mutuo complectuntur: mundi partes mentis, qua reguntur, ope, ſeſe ipſa accommodare rebus gignendis & naſcituris omnibus; ipſaque etiam mala, quæ ex nimiis ſolis ſunt ardoribus, anima mundi dirigente evenire. Gubernari vero mundi partes a Diis, qui in elementis ſint.* Quæ omnia aliquam quidem doctrinæ Indicæ ſpeciem habent, cum animam mundi fundamentum ponant, ad Pythagorea tamen placita tam evidenter compoſita & efformata ſunt, ut, quid ſibi iſta diſſertatione Iarchæ phyſica voluerit Philoſtratus, fabulæ hujus architectus, manibus palpari queat, ſcilicet, Pythagorea dogmata eſſe antiquiſſima, & a ſapientiſſimis Indorum recepta, Apollonium perfectiſſimum philoſophum. Ceterum Pythagoreum ſyſtema Indico quoad principia non admodum diſſimile eſſe, facile nobis perſuaderi patimur, tota tamen artificialis ejus ratio & concluſionum conſecutio ſcholam Græcam ſapit, & ab indole philoſophiæ barbaricæ eſt alieniſſima. Id quod etiam de dialectica peritia, quam Philoſtratus Indis tribuit, tenendum, adeo ubique ineptit. Siderum quoque obſervatorum ſtudium Indis philoſophis tribuit SOLINVS, [l] & *ſanctiori inter eos ſectæ*, CLEMENS ALEXANDRINVS. [m] Vnde & Damis jactat, *arcana ſtudia*, [n] *quibus aſtrologicis rebus & divinandi peritiæ animum adjecerint, & rerum inveſtigationem fuerint moliti.* Simile itaque cum Chaldæis atque Perſis inſtitutum, ſiderum ortus & conſtellationes ad divinandi artem & prædicendi futura ſcientiam adhibere, quæ nugæ ſemper in oriente magni factæ

i) Illuſtrabunt hæc quæ erudite attulit doctiſſimus PHILOSTRATI Commentator G. OLEARIVS *ad vit. Apollon. l. III. c. 24. p. 124. ſeqq.*

k) *l. c. l. III. c. 34. p. 124. ſeqq.*

l) *c. 60.*

m) *Stromat. l. III. p. 451.*

n) *l. c. c. XLI. p. 120.* Patet hinc, methodum arcanam his quoque philoſophis tribui, modo id non finxerit Philoſtratus, ut Indi evaderent Pythagorei. Suadet tamen hoc mythologica theologia.

factæ ſunt, ut & hodie in diebus ex ſiderum indiciis deligendis Indi ſunt ſuperſtitioſiſſimi.

Moralis philoſophia Indorum.

§. VIII. In nulla tamen philoſophiæ parte, ſi iis credendum eſt, quorum fide & narrationibus hactenus de philoſophia Indorum differuimus, Indorum philoſophia magis eminuit, quam in ea, quæ de moribus hominum præcipit. Ibi enim fortia, magna & ſublimia omnia; ſolam ſapientiam bonum eſſe; virtutem faciendam ſine lege; cupiditates frenandas, & auſteris exercitiis ſubjugandas; continentiam alendam, & quæ his ſimilia ſunt, de quibus amplæ illæ diſſertationes magnificis verbis agunt, quas cum Græcis Gymnoſophiſtas habuiſſe, PALLADIO, AMBROSIOque ſuppoſita ſcripta referunt. Sed in iis multum ex Græcorum ſcholis, præſertim ex Cynoſarge & Stoa mutuum ſumtum, multum ex Chriſtianis præceptis illatum eſſe, ſupra monuimus, & res ipſa loquitur. Et hodie quidem liber Indicus manibus omnium teritur, [o] in quo de moribus hominum, ſumta ab animalibus allegoria, per modum apologi, multa eleganter traduntur. Ejus *Kalila ve Damnah*, [p] titulus eſt, tantaque in oriente ejus exiſtimatio, ut ferant, Nuſchirvanum Perſarum regem, quem occidentales Choſroëm nominant, medicum ſuum ad Indos ablegaſſe, ut pretioſiſſimum librum, magna cura in bibliothecis regum Indorum cuſtoditum recuperaret; quem tandem acceptum in linguam Perſicam veterem transferri curaverit, unde cura eruditiſſimi Saracenorum principis Almanſoris in linguam Arabicam, & juſſu Naſſer ben Achmed in Perſicam recentiorem, etiam ligato orationis genere verſa ſit: nova quoque poſtea Arabica verſione confecta, [q] ex qua in Græcam quoque linguam tranſiit, & ex ea in Latinam, [r] immo Europæ quoque linguis Hiſpanica, Gallica, Italica, Germanica expreſſus eſt. [s] Cujus auctor Indorum quidam philoſophus PILPAY, vel quod periti malunt, BIDPAI, [t] conſcripto in gratiam regis alicujus Indorum, nomine Dapſchelin libro, ante duo amplius annorum millia ſapientiam Indorum commendaſſe dicitur. Fabulis enim lepidis & ingenioſis malitia fraudesque hominum in vita communi & in aulis exercitæ eleganter depinguntur. Difficile vero eſt, de libri antiquitate & auctoritate ſtatuere, & judicare, num ille ad delineandam Indorum veterum philoſophiam moralem adhiberi queat. Quod ſi enim clariſſ. ADAMVM EBERTI audimus, qui hunc librum multo ampliorem, quam ex Græcis habemus, ex Hiſpanico Latinum promiſit, falluntur, [u] qui hunc librum duo plus quam mille

o) Hiſtoriam literariam celebratiſſimi libelli lege apud FABRICIVM *Biblioth. Græc. vol. VI. p. 460. ſeq.* conf. HVETIVS *de fab. Romanenſ. origine p. 21. ſeq. Ven.* WOLFIVS *Bibl. Hebr. vol. I. p. 931. ſeq.*

p) Vocatur etiam Humajun nameh, id eſt, liber regius ſive auguſtus.

q) Prolixius hæc ediſſerit HERBELOTVS *Bibl. Orient. p. 113. 206. 456.*

r) Ex Codice Holſteniano titulo: *Specimen ſapientiæ Indorum veterum*, græce & latine edidit SEB. GODOFR. STARCKIVS *Berolin. 1697. 8. vid. Act. erud. 1697. p. 379. ſeqq.*

s) Vid. FABRICIVS *l. c. p. 465.*

t) HERBELOT. *l. c.*

u) Cujus de editione multum auctiore epiſtola extat in Novis literariis Lipſiæ vernacula editis 1725. *p. 365. ſeq.* ubi etiam argumentum libri breviter narratur.

mille annis ante Chriſtum natum ſcriptum eſſe afferunt, cum mentio in eo fiat S. Georgii, Simonis Magi, Turcarumque & Derviſiorum, Galeni Socratisque, immo Noachi, Salomonis & Pharaonis, quæ manifeſta ſuppoſitionis, & quidem non adeo vetuſtæ indicia ſint. Sed his obſtat, Choſrois ſec. VI. viventis tempore jam Perſice lectum, cura vero Almanſoris poſtea Arabica veſte indutum apparuiſſe, [w] unde recte concluditur, veſtigia illa recentiorum temporum, & forte etiam Chriſtianorum, ex manibus interpolatoris prodiiſſe, quas non ſemel librum paſſum eſſe, differentes admodum verſiones Arabicæ, Græcæ, & Europæis linguis factæ ſuadent. Nec abhorret a moribus Orientalium, apologis & hiſtoriolis atque fabellis ſtilo admodum ſublimi & allegorico morum præcepta tradendi, iſta ſcriptio. Quoniam tamen affectatam ingenii ſublimitatem manifeſte præ ſe fert, quæ a vetuſtiſſimorum temporum ſimplicitate quam maxime differt, & Perſarum potius de moribus differendi methodum, qualis poſt C. N. inter eos floruit, refert, quam Indorum priſcam ſapientiam, ſuſpicio inde nobis & conjectura fundamento ſuo non deſtituta enaſcitur, ingenii Perſici fœtum eſſe, cui ad auctoritatem conciliandam Indica origo adſcripta ſit; eumque, ut fuere Arabes atque Perſæ hujus generis ſcriptorum amantiſſimi, exemplo proſtante Roſario Perſico, magnam in hac gente auctoritatem atque famam nactum, a diverſis vero manibus interpolationem paſſum eſſe & augmentum accepiſſe: unde ab eo tanquam dubiæ fidei monumento abſtinemus, in delineanda Indorum morum doctrina: & Græcos ſolos audiendos eſſe putamus. Apud quos hæc potiſſimum morum præcepta Indis tribuuntur:

I. Vitam ac mortem æque contemnendam, hincque ſapientem nemini ſubditum eſſe velle. [x]

II. Hanc vitam habendam eſſe quaſi recens conceptorum hominum ſtatum, mortem vero partum in veram illam & felicem vitam, iis, qui recte philoſophati ſunt, & propterea multa exercitatione ad mortem ſe præparare ſapientem debere.

III. Nihil eorum, quæ hominibus accidere dicuntur, bonum vel malum eſſe, neque enim futurum, ut iiſdem e rebus alii moleſtiam alii gaudium caperent, ſomni ſimiles opiniones concipientes, utque iidem ex iisdem interdum angerentur, interdum immutati gauderent.

IV. Eam eſſe optimam doctrinam, quæ voluptatem moleſtiamque animo eximat, moleſtiam a labore differre, quod illa ei eſſet inimica, alter vero amiciſſimus.

V. Corpora ad laborem eſſe exercenda, ut mentes confirmentur, quibus motus ſedentur, ut bona conſulendi publice privatimque facultas adſit.

w) Simeon Sethi præf. apud STARCK. *l. c.* TENZEL. *Colloqu. menſtr. 1695. p. 710. 1697. p. 572.* FABRICIVS *l. c.*

x) Hæ & ſequentes theſes Indis a Megaſthene apud STRABONEM *l. c.* tribuuntur, & in Palladii & Ambroſii ſcriptis floſculis eloquentiæ ſophiſticæ ornantur. Ex his Indorum philoſophiam moralem quoque delineavit eruditiſſimus STOLLIVS *Hiſt. philoſ. mor. apud gentiles §. XVI. ſeq. p. 15. ſeqq.*

VI. Eam optimam vitam esse, quæ minimo apparatu egeat.

VII. Turpem esse corporis morbum & voluntaria fortique morte declinandum.

VIII. Contentum suis nulla re egere.

IX. Nullum diem dimittendum, nisi aliquod bonum facinus editum fuerit. [y]

X. Vanitatem, gloriæque vanam cupiditatem, tunicam esse animæ postremam, quæ abjicienda Deum visuro sapienti.

XI. Corpori inesse bellum, eoque plenum esse, idque ideo oppugnandum non aliter quam instructa in hostes acie.

XII. Omnes mortales a propriis consanguineis hostibus, ventre, pudendis, gula, ira, lætitia, dolore, cupiditate similibusque captivos detineri.

XIII. Soli autem patere ad Deum accessum, qui de his tropæum erexit. [z]

Ex quo præceptorum moralium specimine patet, homines hos ad domandos affectus, imitandum DEVM, exercendam patientiam & contemnendam mortem suam philosophiam reduxisse. Quæ tamen cum emanationis indeque oriundi enthusiasmi fundamentum supponat, externe magis nitet, quam sanis nititur principiis.

Serum Philosophia.

§. IX. Ad Indos SERES quoque, quos Sinas vel Sinenses hodie dicimus, pertinent, quos ab antiquissimo tempore philosophatos fuisse, relationes de amplissimo orientis imperio nos edocent. Quorum præcipuus philosophus Confucius tantam nostris temporibus celebritatem nactus est, quantam vix Græcorum philosophorum aliquis consecutus est. Nihil tamen hic de iis afferemus, sed omnia eo servabimus, ubi de philosophia Sinensium ex instituto dicendum erit. Omnia enim, quæ de hujus gentis philosophia nobis constant, recentissimis temporibus per eos, qui religionis Christianæ inter illam gentem plantandæ causa eo missi sunt, pervenere ad nos, & ex domesticis Sinensium monumentis desumta sunt, & arcte cum recentiori historia cohærent, ut difficile divelli illæso ordine queant. Nihil enim, quod ad eruditionem & philosophiam pertinet, antiqui scriptores de ista gente referunt, sed longævitatem tantum & artificium conficiendi serici laudant. Immo ἀθέους Σῆρες jungit Scythis, Afrisque Numidis aliisque gentibus tam religione carentibus, quam legibus CELSVS apud ORIGENEM. [a] Et DIONYSIVS [b] Ἔθνεα βάρβαρα Σήρων barbaram Serum gentem nominat. Quod etsi comparatis tantum Græcorum institutis dici facile largimur BVRNETIO: [c] incognitam tamen ut literaturam omnem, ita etiam philosophiam Sinarum veteribus fuisse, probat: quare & nos, quia veterum jam relationes sequimur, hic de ea nihil dicimus, suo loco tractanda servantes.

y) APVLEIVS *l. c.*

z) Quatuor hæc postrema præcepta Indis tribuit PSEVDO-ORIGENES *philosophum. c. XXIV. p. 166.*

a) *Lib. VII. p. m. 384.*

b) Περιηγ. *v.* 752.

c) *Archæol. philos. c. 3. p. 344.*

CAPVT

CAPVT QVINTVM
DE PHILOSOPHIA VETERVM ARABVM.

§. I.

Poſt Chaldæos, Perſas atque Indos Arabum natio a veteris hiſtoriæ ſcriptoribus maxime laudatur, & ingenii elegantia commendatur. Quæ ratio ita apud quosdam valuit, ut magnam fuiſſe philoſophiæ in hac gente cognitionem ſtatuerent. Ita tamen comparata ſunt omnia, ut incertiſſima inde reddatur omnis narratio. Et Arabibus quidem poſt Islamiſmum enatum eruditionem & philoſophiæ cultum placuiſſe, adeo non negamus, ut de Arabum iſtorum philoſophia juſtam potius tractationem inſtituere in animo habeamus. Verum ea ad hiſtoriam philoſophiæ medii ævi pertinet, ubi ex inſtituto ſatisque prolixe de ea agemus. In præſentia autem de vetuſtiſſimorum Arabum, in Arabia felici & deſerta (nam petreæ *& deſertæ* ratio vix habenda [a]) philoſophia agendum eſt, quam viri docti duplici potiſſimum argumento evincere conati ſunt. Nam de Arabum philoſophia varia ſpecimina exhibent, & imprimis Zabiorum religionem philoſophicis rationibus innixam in ſubſidium vocant. Vnde de utroque momento aliquid dicendum oſtendendumque eſt, nihil in ſe habere veritatis vel veriſimilitudinis, quicquid ad incruſtandam philoſophiam veterum Arabum viri docti erudite quidem, ſed ſine accurato examine collegerunt.

Arabum philoſophia aſſerta.

§. II. Quod itaque ad philoſophiam Arabum vetuſtiſſimorum affirmandam affertur, non teſtimoniis, uti par erat, ſed rationibus potiſſimum & conjecturis conſtat. Fatentur enim, qui in hac potiſſimum ſententia ſunt, Græcos nihil de philoſophia Arabum habere; ſed hos illis barbaros & indoctos eſſe, indeque inter populos eruditione non tinctos referri: [b] ipſos quoque Arabes ſcriptores [c] ſtatum ante Islamiſmum vocare ſtatum ignorantiæ; quod etſi non literis, ſed religioni oppoſitum videatur, adſcribere tamen ABVLFARAIVM Arabibus ingenia bonis artibus minus apta, a Deo ad ſtudia philoſophica non creata idonea. [d] Etſi vero hæc ita afferunt viri doctiſſimi, ut putent hæc non obſtare aſſertioni eruditionis & philoſophiæ inter veteres Arabas, eo quod Græci eos ſtuporis & ignorantiæ inſimulent, quorum mores ipſi incogniti ſunt; locorum vero atque climatis conditio talis in Arabia ſit, ut ingenia Muſis ami-

Rationes ejus aſſerti

a) Habitatores enim Arabiæ petreæ opponuntur veris Arabibus, vid. STANLEIVS *Hiſt. phil. P. XV. p. 1168.* conf. tamen quæ ex Pocockio monet CLERICVS *ad h. l.* voce *Arabia.*

b) VRSINVS *de Zoroaſtre Sect. VI. p. 137.* HORNIVS *Hiſt. phil. l. V. c. 9. p. 284.*

c) ABVLFARAIVS *Dynaſt. IX. p. 101.* ad quem locum videndus POCOCKIVS.

d) *Ib. p. 102.*

ca protuliſſe merito credantur: fatentur tamen cum ABVLFARAIO [e] nos certis hujus gentis memoriis deſtitui, & carere nos ſcriptoribus Arabum, qui de vetuſtiſſimæ gentis eruditione & philoſophia nos edoceant. Vnde ad rationes & conjecturas confugiunt, quas cum nemo elegantius ornaverit, & majori eruditione incruſtaverit, quam illuſtris fama & meritis IOH. PETRVS DE LVDEWIG, [f] æquum eſt, ut eum potiſſimum audiamus. Provocat is potiſſimum ad Pythagoram, quem in itinere literario philoſophiæ cauſa in orientem ſuſcepto ad Arabas quoque divertiſſe dicit PORPHYRIVS [ff] quique divinationes ex volatu & garritu volucrum, in quibus excelluerint Arabes, didiciſſe, quibusdam creditur. [g] Adducit porro Moſen, qui fugiens ex Aegypto in Arabia maluerit, quam alibi commorari. Qui vir divinus cum eruditus fuerit in omni ſapientia, non probabile eſſe, conjicit, eum inter barbaros & bardos, ſi omnes Arabiæ incolæ ſtupidi fuiſſent, otio langueſcere voluiſſe. Neque de literis Arabum dubitare nos ſinere gentis originem. Eos enim magno conſenſu ſe Abrahami poſteros eſſe dicere. [h] quod ſi itaque de philoſophia Abrahami clari teſtes ſint, quem, poſſe dici, lumen philoſophiæ ſemel accenſum apud poſteros extinxiſſe? tum maxime, ubi literas Abrahami ſibi ex eadem cauſa Arabas hodienum tribuere fide SHARISTANII [i] ſciamus, & ipſius Abrahami ſcripta in Arabia ſupereſſe dicantur. [k] Immo dicere auctorem libri Regum, ſapientiam Salomonis majorem fuiſſe, omnium orientalium ſapientia, filios vero hos orientis non alios niſi Arabas fuiſſe, indubitato iterum Arabicæ doctrinæ argumento. Porro ex eadem Arabia reginam Sabæam veniſſe, regem ſapientiſſimum audituram, conſtantem neque rationibus deſtitutam doctorum [l] eſſe opinionem: ſicque & Magos ab oriente venientes Arabas fuiſſe, argumentis non levibus a viris doctis evinci. [m] Tandem & fateri imprimis atque referre ABVLFARAIVM; [n] eruditionem Arabum ante Islamiſmum, cujus gloriæ potiſſimum ſtudioſi fuerint, hanc fuiſſe: *linguæ ſuæ peritiam, ſermonis proprietatem, carminum texturam, orationum compoſitionem, ſtellarum notitiam.* Inde enim Arabicæ philoſophiæ ſyſtema quinque tum diſciplinis abſolutum fuiſſe, evidens eſſe, Grammatica, Dialectica, Poeſi, Rhetorica, Aſtronomia. Hactenus vir illuſtris, qui hæc omnia eleganti eruditione ornat.

Refutantur. §. III. Etſi vero hæc ſpecioſo orationis habitu ſe egregie commendant, & non ſine magna veriſimilitudine dici videntur, propius tamen conſiderata, & ad lapidem Lydium critices artis atque hiſtoriæ veteris examinata, fundamento deſtituuntur. Quod ut luculenter doceamus, præmonendum eſt, non ſtupidi ingenii & ad omnem literarum elegantiam inepti Arabas vete-

e) *l. c.* conf. POCOCK. *ſpecim. hiſt. Arab. p. 2.*

f) In diſſ. quæ *hiſtoriam philoſophiæ rationalis apud Turcas* exhibet, *Hal. 1691.*

ff) In *vita Pythagoræ ſ. II. p. 14. ed.* Kuſteri.

g) SCHEFFER. *de philoſ. Ital. c. V. p. 30.* conf. PHILOSTRATVS in *vita Apoll. l. I. c. 14.*

h) HOTTINGER. *Hiſt. Orient. l. I. c. 3. p. 57.*

i) POCOCKIVS *l. c. p. 54.*

k) Vid. STANLEIVS *Hiſt. phil. P. XV. l. III. c. 2. p. 1170.*

l) BOCHARTVS *Geogr. S. l. II. c. 26. p. 151.*

m) GROTIVS *ad Matth. II, 1.*

n) *l. c.*

veteres habendos esse, quos in linguæ suæ cultu, in divinandi & somnia interpretandi prætensa peritia, in sideribus observandis, & imprimis in ænigmatibus artificiose struendis & solvendis nomen habuisse, negari nequit. [o] Verum hæc omnia ad philosophiam inter Arabas probandam plane nihil efficiunt; omnes enim illas artes, si modo nomen mereantur, ad nugas potius, superstitionis causa excogitatas, & ad ostentandum ingenium, quam ad veritatem excolendam & emendandum animum facere, rerum peritus & partis studio non impeditus judex facile pronunciabit. Quæ vero alia illis adscribuntur, frustra finguntur. Nam quod ad Pythagoram attinet, ejus iter in orientem quam maxime dubium esse, suo loco evidenter probabitur, nec, si illud admitteremus, alia didicisset Pythagoras, quam quæ iter Arabas tunc florebant, superstitionis & nugarum, scientias, quas impostor, perquirebat. [p] Mosis vero sapientiam frustra huc advocari, ex illis patet, quæ capite primo de ejus conditione diximus: nec Mosis viri sancti apud Iethram occupatio ea fuit, ut philosophiæ mysteriis innutriret Arabas, sed ut soceri familiam DEI veri cognitione & cultu instrueret, oves pasceret, gregemque nutriret, sicque bonum patrem familias, & prophetam sive doctorem sacrum se præstaret: id quod ipse in commentariis innuit, de lectionibus philosophicis ne per somnium quidem cogitat. Eadem ratio est illorum, quæ ab Abrahami philosophia petuntur, argumentorum, cum supra ostensum sit, philosophiam Abrahami inane Iudaici fastus & arrogantiæ commentum esse, quod nulla probabilitate se commendat. Nec sequitur, si quoque philosophiam Abrahami concederemus, Arabas ab ea non defeciisse, vel extinctum ejus lumen fuisse, cum veræ religionis notitia, quam tamen ubivis locorum, ubi versatus est sanctissimus vir, apud Arabas prorsus extincta & in detestabilem idololatriam mutata sit. Vt taceamus omnem, quam Arabes recentiores jactant, originem ab Abrahamo incertissimam esse, & ab his hominibus circa tempora nascentis & adolescentis Muhammedismi excogitatam, ut more Muhammedanorum, Iudæorum & Christianorum, Abrahamum fidei suæ parentem jactantium, non minori antiquitate suas nugas & errores esse homines crederent. Et sic quoque responderi potest ad ea, quæ de regina Arabiæ, & de Magis orientis natum Christum adorantibus afferuntur. [q]

§. IV. Scilicet REGINAM AVSTRI, ad magnum Israëlitarum regem Salomonem venientem, ut sapientiam ejus audiret, non ex Meroë, quod ex Iosepho contendit GROTIVS, [r] sed ex Sabæa regione Arabiæ fuisse *Regina austri.*

o) Arabas excogitasse aruspicinam refert THEODORETVS *serm. I.* & somnia interpretatos & ex thure vaticinatos fuisse PORPHYRIVS *l. c.*

p) Id nec ipse Porphyrius negat, ad quem KVSTERVS videndus. Add. SCHEFFER. *de philos. Ital. c. V. p. 30.*

q) Addi his posset argumentum, quod pro antiquitate philosophiæ Arabicæ ex Jobo desumitur. Etsi enim tanquam probabilitate non carens concedi potest, Jobum fuisse ex Arabiæ regionibus, supra tamen *c. I.* ostensum est, nihil ex ejus historia pro philosophia Arabica concludi posse, nec ejus consanguineos Zabios fuisse. Vnde dijudicanda, quæ GVNDLINGIVS *Hist. phil. mor. c. IV. p. 26.* post LVDEWIGIVM habet.

r) Ad *Matth. II, 1.*

fuiſſe, facile ſummo viro SAMVELI BOCHARTO aſſentimur, [s] rectèque ei calculum alios viros doctiſſimos adjeciſſe concedimus. An vero filia regis Hodhai fuerit, ex gente Homeritarum, ſectæque Zabiorum addicta, quod nobis Arabes narrant, incertum eſſe, nec facile admittendum ex teſtium conditione perſpicitur. Nec negari poteſt, inter eruditas, orientis feminas referendam eſſe; ita enim a ſacro hiſtorico nobis illa depingitur, ut in arte ſtruendorum ænigmatum, qua ſe tum temporis magnis impenſis in concertationes ejusmodi factis exercuiſſe reges & principes orientis veteres teſtantur, excelluiſſe appareat. [t] Nihil tamen horum aliquid valet ad philoſophiam Arabum demonſtrandam. Nec certiora ſunt, quæ DE MAGIS EX ORIENTE HIEROSOLYMAM ET BETHLEHEMVM venientibus pro ornanda philoſophia Arabum afferuntur, in quibus compilandis nec lectoris nec noſtro otio abutendum eſſe putamus. Concedi enim facile poteſt, quod viri docti contendunt, licet de eo dubiis adhuc argumentis diſceptetur, eos ex Arabia veniſſe, Sabatæa thura cum auro & myrrha, Arabiæ fructus afferentes. Neque enim eos philoſophos fuiſſe inde probari poteſt, cum ex ſacri hiſtorici narratione nihil aliud queat colligi, niſi eos ſidera obſervaviſſe, & eorum notitia non prorſus caruiſſe: id quod Arabibus non denegari poſſe ſupra conceſſimus, parum tamen ad eorum philoſophiam affert. Quam nec illa eruditionis Arabicæ imago, quam ABVLFARAIVS affert, probat, cum manifeſtum ſit, & a POCOCKIO [u] aptiſſimo harum literarum judice, evidenter demonſtratum, omnem hanc eruditionem ad linguæ ſuæ culturam & eloquentiam pertinere; immo nec de vetuſtiſſimis Arabibus hiſtoricus Arabs loquitur, ſed de iis, qui aliquot ſeculis Islamiſmum anteceſſerunt: illorum enim memoriam plane intercidiſſe, ſupra fatentem audivimus.

Magi ex oriente.

Zabiorum philoſophia.

§. V. Alterum, quod ad incruſtandam Arabum vetuſtiſſimorum philoſophiam affertur argumentum, ex Sabianiſmi ſive ZABIORVM hiſtoria petitur. Hæc enim ſecta ſub adoleſcentis Muhammediſmi tempora caput extollens, omnemque idololatriæ ſpeciem exhibere viſa cum principiis quibusdam philoſophicis niti videretur, argumentum inde petitum eſt, ad Arabibus vetuſtiſſimis philoſophiam quandam tribuendam. Quod tamen, etiamſi omnia, quæ de ſecta hac traduntur, veritati eſſent conſentanea, hiulcum prorſus eſt, & *ἀνακόλεθον*, quoniam non philoſophiam, ſed turpiſſimam omnique rationis principio contrariam idololatriam & ſuperſtitionem illa produnt. Sed nec ipſa ſectæ ætas, nec teſtes, qui de ea afferuntur &, quorum fide potiſſimum ſtandum eſt, examen criticum ſuſtinent. Concedunt enim viri doctiſſimi, qui in hujus ſectæ hiſtoria illuſtranda, quam maxime operam ſuam poſuerunt, & quos reliqui fere omnes exſcripſerunt HOT-

s) Geograph. S. P. I. l. II. c. 27. p. 152. ubi argumentis multis & magna eruditione id evincit, veriſimilitudinem certe ex ſua parte eſſe demonſtrat.

t) Exempla ejusmodi ænigmatum a regina auſtri Salomoni propoſitorum affert GLYCAS *Annal. p. 183.* quæ repetiit FABRICIVS *Cod. Pſeudepigr. V. T. p. 1031.* ſed ea ingenium fidemque Græculi ſapiunt.

u) Hiſt. Arab. p. 150.

HOTTINGERVS, [x] POCOCKIVS, [y] HYDEVS, [z] & qui imprimis ad ornandam de ſcopo atque inſtituto legum Moſaicarum hypotheſin hiſtoriam Zabianiſmi adhibuit eruditiſſimus IOANNES SPENCERVS,[a] neque a Græcis, neque a Latinis hujus ſectæ mentionem fieri, Sabii enim in veteris eccleſiæ orientalis hiſtoria commemorati, qui Semi-Iudæi & Semi-Chriſtiani dicuntur fuiſſe, & Ioannis Baptiſtæ diſcipulos ſe jactarunt, frequentesque hodienum eſſe dicuntur in urbe Baſſora ad Tigris ripam juxta viciniam maris Perſici, [b] non confundendi ſunt cum hac ſecta Zabiorum [c] ſed id omne, quod de Zabiorum religione narratur, deberi Arabibus, ex quibus ſua hauſit celebris Iudæorum doctor R. MOSES MAIMONIDES, [d] qui ut omnes ſcripſerunt poſt Muhammedem, qui in lege ſua omnium primus Zabiorum meminit; [e] ita nec fide nec tempore, quo vixerunt, ad tam amplam, quantam quidem fingunt, ſectæ antiquitatem evincendam ſufficiunt. Referemus tamen ea, quæ laudati viri de ſectæ hiſtoria & doctrina ex ſcriptoribus narrant, & noſtram modeſte adjiciemus ἐπίκρισιν, ea tamen, quæ de legibus Iſraëlitarum Zabianiſmo oppoſitis, inter viros doctiſſimos diſputata ſunt, non allaturi, cum inſtitutum noſtrum non tangant, & facile ex his, quæ de ſectæ antiquitate diſputaturi ſumus, de iſta hypotheſi judicium fieri queat. Et quod ad nomen quidem Zabiorum attinet, varias ejus ſignificationes nobis viri docti enarrant, variamque originem ſtatuunt. [f] Sunt tamen duæ ſententiæ, quæ reliquas probabilitate antecedunt, & indicari merentur. Vna eſt præſtantiſſimi, & in notitia rerum Arabicarum verſatiſſimi POCOCKII, [g] qui Zabios a צבא, quod exercitum cœleſtem, ſive ſidera notat, dictos putat, eo quod Zabiorum religio potiſſimum in colendis cæli ſideribus verſata ſit. Alteram poſt magnum SCALIGERVM [h] multi viri docti, & in his SPENCERVS [i] quoque amplexi ſunt, qui putant, eſſe nomen Chaldæorum, ab Arabico צבין, ſive vento Apeliote, ſic dictorum, quaſi orientales dicas. [k] Quæ ſignificatio eo potiſſimum argumento nititur, quod Zabii ad Chaldæos origines ſuas referant, immo Sabium Sethi filium, Adami nepotem ſectæ ſuæ parentem faciant, ſcriptoresque Arabes nomen iis & originem Chaldaicam frequenter tribuant. Nobis utrumque incertum videtur, & meris conjecturis innixum. Quod ſi enim per Zabios omnes illi intelligendi ſunt, qui inter vetuſtiſſimas orientales gentes ſidera cæleſtia cultu divino proſecuti ſunt, id quod nonnullis ex Arabibus pla-

Zabiorum nomen.

x) *Hiſt. Orient. l. I. c. 8. p. 170.*
y) *l. c. p. 138.*
z) *Hiſt. relig. vet. Perſar. c. 3. p. 57.*
a) *De LL. Hebræor. ritualibus l. II. c. 1. p. 178.* ed. rec.
b) LE MOYNE *varia ſacra p. 685.* HVETIVS *Demonſtr. Ev. Pr. IV. c. 4. p. m. 74.* ed. rec.
c) RICH. SIMON. *Bibl. crit. T. I. c. 12. p. 171.* FABRICIVS *Cod. Pſeudepigr. V. T. T. I. p. 28.* I. C. WOLF. *Bibl. Hebr. P. I. p. 113. not. K.*
d) *Moreh Nebhochim. P. III. c. 29.*
e) *Sur. II.*
f) POCOCKIVS, HOTTINGERVS, SPENCERVS *ll. cc.*
g) *l. c. p. 139.*
h) Ep. ad CASAVBONVM *p. 482.*
i) *l. c. p. 278.*
k) GOLIVS *not. in Alfergan. p. 251.* ABVLFARAIVS *Hiſt. Dynaſt. IX. p. 194.* & quos laudat POCOCKIVS *l. c.*

placet, & ex Chriſtianis quoque aliqui viri docti [l] admiſerunt, non tam peculiaris ſectæ dicendum eſſet, quam potius univerſæ idololatriæ nomen; verum huic obſtat, Zabiorum nomen, tanquam proprium ſectæ nomen adhiberi, & tum Muhammediſmo, tum Iudaiſmo & Chriſtianiſmo, immo Magianiſmo quoque, ſive ignis cultui, de quo capite tertio diximus, opponi. Quod ſi in his tenebris, quibus tota Zabiorum hiſtoria premitur, [m] aliquid lucis conjecturis aſſequendum eſt, illud nobis non omni probabilitate carere videtur, Zabiorum ſectam, medio, quod audiemus, ævo ex colluvie Gentiliſmi & Iudaiſmi conflatam, cum peculiare religionis inter Arabas genus conſtitueret, [n] ut & ipſa inter reliquas ſectas, nomine ſuo celebres, nomen & auctoritatem conciliaret, non tantum vetuſtiſſimam originem ſplendidiſſime mentitam ſibi arrogaſſe, ſed conditorem quoque ſectæ Sabium, Sethi filium effinxiſſe, [o] ut ita nomine ab eo derivato reliquas ſectas & ipſam quoque Iudæorum antiquitate vincere videretur. [p] Orientales enim vocatos eſſe vix perſuaderi poteſt, cum Magianiſmi ſectatores, Zabiis potiſſimum oppoſiti, tumque temporis inter Muhammedanos florentes non minus orientales fuerint, & in provinciis Aſiæ ad orientem ſitis vixerint, qui tamen nunquam Zabii dicti ſunt. Quicquid vero originis Zabiorum nomen habet, quod cum Sabæorum nomine, (quo certam Arabum nationem indigitari vel ex illo VIRGILII [q] verſu notum eſt:

Omnis Arabs, omnes tergum vertere Sabæi.)

non confundendum eſſe, viris doctis facile largimur, origo certe eam antiquitatem non habet, quam vel Arabes, ab ipſis ſectæ hujus hominibus edocti, referunt, vel qui Arabibus fidem habent, credunt. Diximus enim Zabios ipſos ad Sethum ejusque filium originem ſuam referre, quam alii inter eos Noacho tribuunt, & Abrahamum in hac hæreſi fuiſſe pertinaciter contendunt. [r] Aliter EVTYCHIVS Arabs, [s] gentis ſuæ traditionibus uſus, ad Zorodashtum Perſam, vel Chaldæum potius, Perſa longe antiquiorem, religionis Zabiorum originem retulit, regnante in Perſia rege Tachmurt, quem Tachurith nominat ELMACINVS.[t] Addit tamen Eutychius, autumare nonnullos, primum religionis Zabiorum auctorem fuiſſe Græcum quendam nomine Iunan (Iavanum ſine dubio intelligit) Iearakliuſi filium, cujus ſedes fuit Alyas, at juxta alios Alzaithuna, quæ condita eſt in Athenarum regione. Græcos autem primos hanc ſententiam amplexos eſſe, deque aſtrorum ſcientia ac orbium cœleſtium motu libros multos conſcri-

Origo Zabiorum.

l) POCOCK. *l.c.* LE MOYNE *Var. Sacr. p. 685.*

m) Candide hoc fatetur SPENCERVS *l.c. Sect. II. p. 279.*

n) Recte hoc SPENCERVS notat, non nationis ſed religionis & ſectæ nomen fuiſſe. *p. 278.*

o) Arabum teſtimonia produxit POCOCKIVS *l.c. p. 138.*

p) Objicit contra Hottingerum SPENCERVS *l.c.* & ante eum CASAVBONVS *ep. 247.* ſcribi non per ב ſed per ש. Sed hoc leve eſt, literæ enim unius organi facile inter ſe permutantur. Nec confundendus eſt Saba, Chuſi filius, Chami nepos, cum Sabio illo fictitio Sethi filio, quem ſuæ ſectæ auctorem faciunt. POCOCK. *l.c. p. 138.*

q) *Æneid. l. VIII. v. 706.*

r) POCOCK. *l.c.* & quæ de Abrahamo *c. l.* attulimus.

s) *Annal. Alex. T. I. p. 63.*

t) apud STANLEIVM *l.c.*

ſcripſiſſe. Famam quoque eſſe, illum, qui primus Sabiorum religionem inſtituit, ex eorum numero fuiſſe, qui turri Babelis extruendæ adfuerunt. Fruſtra tamen hæc omnia dicuntur, & ad faciendam tantum ſectæ ex mendaci originis traditione auctoritatem excogitata ſunt. Si enim ſecta Zabiorum tanta canitie gaviſa fuiſſet, ſcriptoribus veteribus, Græcis potiſſimum non manſiſſet indicta, immo in ſacris literis digitus ad eam intenderetur: Nec juvat multum, quod SPENCERVS [u] ad expediendum ex hoc errorum labyrintho lectorem ſufficere putat, filum, Zabiorum religionem ſimpliciter & quaſi materialiter ſpectatam, a Chaldæis & Babyloniis antiquis originem duxiſſe, & multis annis Abrahami ætatem antevertiſſe: id quod vir doctus tum ex teſtimoniis Arabum, Zabiorum religionem antiquiſſimam eſſe teſtantium, tum ex concordantibus Chaldæorum & Zabiorum doctrinis probat. Quemadmodum enim Arabum teſtimonia parum in hoc argumento valere ſupra oſtendimus, ita nec convenientia Chaldaicorum dogmatum cum Zabianis multum evincit. Non negamus, id quod ſupra nos pluribus adſtruxiſſe meminimus, Chaldæos ſidera coluiſſe, illisque numina quædam, tanquam partes animæ mundanæ præfeciſſe, nec ignoramus, late ſe hanc ſuperſtitionem per omnem terram diffudiſſe. Verum, ſi quæſtio accurate formatur, non de eo diſceptatur, an cultus ſiderum ſpiritu aliquo præſide animatorum ſit antiquiſſimus, ſed num eum Zabii ita a Chaldæis & Babyloniis acceperint, ut hi ſectæ Zabiorum parentes atque auctores dici queant? Quod nemo affirmaverit, qui cogitat, Zabiorum ſectam non in hoc uno conſtitiſſe, ut ſidera cœleſtia coleret, ſed peculiare ſyſtema cultus hujus ſibi effinxiſſe, in ſequentibus delineandum, quo a reliquis ſectis diſtingueretur. Hoc vero, probandum eſt, Chaldæis atque Babyloniis placuiſſe, ſi concedendum eſt, materialiter Zabios eſſe antiquiſſimos, id eſt, ſyſtema Zabianum inter iſtas gentes antiquiſſimas reperiri. Hoc vero probari non poſſe, ipſe, quo fuit acumine, SPENCERVS ſatis intellexit, faſſus, Zabiorum nationem & religionem formaliter ſpectatam vel quatenus a ſectis aliis, doctrinis & ritibus quibusdam ſibi peculiaribus diſtincta ſit, recentiorem multo eſſe. Hoc enim ſi eſt, & non niſi doctrinas quasdam univerſales erroresque late ſe diffundentes cum Chaldæis & Babyloniis vetuſtiſſimis communes habet, qua ratione Zabianiſmum canis iſtis temporibus materialiter extitiſſe dici poteſt? Nam ſi conſenſus quarundam communium doctrinarum ſufficit ad probandam antiquitatem alicujus non ſyſtematis ſolum, ſed & ſectæ, recentiſſimas ſectas vetuſtiſſimis ſeculis adſcribere erit facillimum. Hiſce vero demonſtratis, omnia concidunt, quæ pro incruſtanda Zabianiſmi antiqui fabula, & quæ illa nititur, legum Moſaicarum oppoſita ratione dicuntur: licet negari nequeat, ſiderum cultum ſyſtematis emanativi fundamento nixum magnam religionis gentilis, (qui cum Helleniſmo, [x] Patribus quibusdam memorato, non eſt confunden-

u) *l. c. Sect. II. p. 279.*

x) Debetur hæc diſtinctio EPIPHANIO, qui *adv. hær. l. I. c. 4. p. 5.* Pauli verbis uſus, prima mundi tempora in barbariſmum ab Adamo

dus, [y] cum uterque peculiarem idololatriæ ſpeciem exhibeat) partem fuiſſe, & reſpexiſſe quoque ſanctiſſimum Numen in condendis legibus Iſraëliticæ theocratiæ, præter alia & majora ad gratiæ fœdus ejusque œconomiam pertinentia, ad vitandas idololatriæ Iſraëlitis notæ viſæque occaſiones. Verum hæc alibi ex inſtituto excutienda ſunt, excuſſaque a viris [z] doctiſſimis, quorum ſcrinia expilamus.

Zabiorum ætas.

§. VI. Quæ cum ita ſint, certiora ſequentibus nihil aliud probant, quam recentiorem eſſe Zabiorum ſectam, cum aſtrolatris veterum non confundendam, ejusque origines ultra naſcentis Muhammedaniſmi tempora non multum eſſe extollendas. Vidit hoc elegantiſſimæ doctrinæ vir IOH. SPENCERVS [a] faſſus: veriſimile eſſe, gentem & religionem hanc nominaliter ſpectatam, h. e. quatenus Zabiorum nomine notam: recentem eſſe admodum, nec Muhammedis tempora ſuperare. Addit rationes, quæ omnino rem conficiunt: Nullam hujuſce gentis in Græco vel Romano aliquo auctore paulo antiquiori inveniri mentionem; nec facile in libro aliquo ante ſeculum Alcorani ſcripto gentiles aliquos eo nomine notatos inveniri: ABV IOSEPH ASCHAEVM vocare [b] Charanæos, noſtro tempore Zabios dictos; Recitare MVHAMMED BEN ISAAC peculiari *de Zabiorum ritibus* libro apud HOTTINGERVM [c] hiſtoriam, ex qua tempus cognoſci queat, quo Zabii dicti ſunt, cum antea populus hoc nomine notus in Harran & circumjacentibus locis repertus non fuerit. Putatque vir acutus, Alcoranum [d] primam nominis occaſionem dediſſe, hanc appellationem ſectæ vel ex orientis, quem incolebant, regione, vel ex ſiderum cultu orientalibus frequenti & uſitato imponentem. Quæ etſi conjecturæ ſunt, ut nec ipſam illam hiſtoriolam pro vera venditare audet, patet tamen ex adductis his ratiociniis atque argumentis, Zabios qua tales, recentiorem fuiſſe ſectam: cujus tamen ætatem paulo altius extollendam eſſe vel inde colligitur, quoniam tanquam hoc nomine jam notorum Alcoranus meminit. Quod ſi itaque rationes omnes ſubducimus, quæ de origine & ætate Zabiorum iniri poſſunt, nobis quidem veriſimile videtur, antiquiſſimam colendorum ſiderum conſuetudinem, quæ iuxta ignis cultum ſive Magianiſmum, in Perſiæ Indiæque regionibus, ab antiquiſſimo tem-

mo ad Noachum, ſcythiſmum, a Noacho ad Serugum, helleniſmum & judaiſmum ab Abrahamo ortum dividit; & in barbariſmo morum feritatem, in ſcythiſmo cultum mundi partium, in helleniſmo imaginum cultum obtinuiſſe putat. Quæ diſtinctio tamen meras argutias redolet, rectèque PETAVIO *ad h. l.* diſplicuit. Inde tamen, qui hiſtoriam idololatriæ ſcripſerunt, anſam acceperunt diſtinguendi inter ſabaiſmum, ſive ſiderum cultum & helleniſmum, ſive heroum demortuorum cultum, vid. OWENVS *theologum. l. III. c. 4. p. 181.* quæ tamen diſtinctio quoque accurata non eſt: cum & Orientales magnos viros inter Deos retuliſſe exemplo Beli conſtet.

y) Id quod accidit SPENCERO *l. c. p. 280.*

z) Scriptores qui hac in arena deſudarunt, nominant venerandi viri IO. CHR. WOLFIVS in *Manichæiſmo ante Manichæos* & M. CHR. PFAFFIVS in *diſſ. prælim. ad Spenceri librum de LL. Hebræorum ritualibus*, ubi tamen ſcriptores, qui de Sabiis Semi-Chriſtianis agunt, non confundendi ſunt.

a) *l. c. p. 280.*

b) HOTTINGER *Hiſt. Orient. p. 165.*

c) *Ib. p. 168.*

d) *Sur. II. Qui crediderint, & qui judaizant & Chriſtiani & Zabii, quisquis crediderit in Deum, & diem extremum, & fecerit bonum, illis merces eorum apud Dominum eorum, neque erit timor.*

tempore viguit, ex eo tempore variis ſuperſtitionibus & doctrinarum abortibus auctam fuiſſe, ex quo non Iudæi tantum in orientalibus Aſiæ regionibus toties diſperſi inter gentiles habitaverunt, ſed & Chriſtianorum caſtra in tot ſententiarum divortia ſciſſa ſunt, tot hæreticorum gregibus ab iis ſecedentibus mirumque religionum chaos protrudentibus. Quæ hominum genera cum orientalis philoſophiæ ſyſtemati emanativo, dualiſtico tamen modificato certo modo aptato adhærerent, & in varias ipſi ſectas diſcederent, tota Aſia per abortus humani ingenii in Chriſtianæ, Iudaicæ Magianæ & gentilis religionis ſectis ſe prodentes, in religiones plurimas abiit: unde & ſiderum cultores ad conciliandum ſectæ ſuæ nomen & auctoritatem, novum ex his omnibus religionis genus conflarunt, adſcitaque de rebus Iudæorum & Chriſtianorum hiſtoria ſacra, novum ſyſtema veteribus ignotum condiderunt, & ex variis lacunis hauſtum abſurdiſſimis doctrinis replerunt. Qua ratione ſemel inita cum quodlibet ingenii ſomnium, etſi inſanum & abſurdum, ſalva ſecta admitti poſſet, & quicquid ad enthuſiaſmum & fanaticiſmum, temperamento Aſiaticarum gentium accommodatum facere poterat, locum haberet, mirum non eſt, ſectam hanc per totum orientem ſuos aſſeclas habuiſſe. Et inde rationem petendam eſſe judicamus, cur, quod recte obſervat Spencerus, doctrinæ Zabiorum inter ſe non cohæreant, vixque ullam cognationem habeant. Non enim ita uni conditoris ſyſtemati, ut aliæ ſectæ, adhærebant, ſed quicquid a reliquis ſectis ſiderum cultu & peculiaris religionis ſpecie ſe ſeparaverat, hac ſecta comprehenſum fuit. Non mirandum itaque eſt, inveniſſe viros doctos in Zabianiſmo veſtigia Chaldaiſmi, id eſt, cultus ſiderum, Iudaiſmi, Cabbaliſmi, Gnoſticismi & Platoniſmi: nam & placita Chaldaica ſemper in oriente obtinuerunt, & Iudæorum natio poſt diſperſionem veterem & recentiorem in his regionibus habitavit; Cabbaliſtæ vero, Gnoſtici & Platonici, cum haud pauca ex orientalis philoſophiæ lacunis hauſerint, quæ in his regionibus tum temporis viguit, facile erat, ut ex impuris his fontibus deteſtabilis Zabianiſmi ſentina conflueret. Cum vero hæ ſectæ omnes in oriente ante Muhammedis tempora viguerint, & adoleverint, conjici inde poteſt, maturius quoque & aliquo tempore ante Islamiſmum originem Zabiorum eſſe quærendam: in ea enim tempora quadrat, quod egregie & appoſite ad rem monet SPENCERVS: *gentes tum prope omnes, antiquos religionum limites dimovendi & ſacra omnia miſcendi pruritu & libidine æſtuaſſe:* Id quod Iudæorum & Manetis exemplis probat & totius Aſiæ hiſtoria ſacra ac profana loquitur. Et ſic ratio dari poteſt omnium, quæ de Zabianiſmo diſceptantur, eaque conciliari, quæ a viris doctis ſibimet oppoſita ſunt. Chaldæorum enim ſententias atque doctrinas in Zabianiſmo inveniri, mirum non eſt, cum ea dogmata oriens ſemper retinuerit; & Zabianiſmum Magianiſmo oppoſitum fuiſſe credibile eſt, cum uterque poſt C. N. in oriente caput altiſſime extulerit: Hiſtoria-

e) SPENCER. *l. c.* reliquique fere omnes, qui de Zabiis diſputarunt.

rum vero veteris teſtamenti a Zabiis allegatarum nominumque ſanctiſſimorum patriarcharum ſibi vindicatorum expilata Iudæorum cáſtra, & veteres traditiones in oriente tum ubivis invaleſcentes, quæ ad ſanctos hos viros non Zabianiſmi, ſed & Magianiſmi & aliarum religionum origines referebant, in cauſa erant. Sicque in hanc ſectam quicquid religionum erat colluviei, ſimul confluxit, mire ad hoc attemperatis Arabum ingeniis, levibus & ex populis atque nationibus diverſis confluentibus, unde & nomen Arabibus adhæſit, [f] conſtantibus. Fruſtra itaque pro ſectæ antiquitate ex laciniis veterum religionum ſurreptis huicque centoni aſſutis dimicatur, eaque a viris cautis recte rejicitur. [g]

Zabiorum libri.

§. VII. Egregie vero hæc de Zabiis ſententia confirmatur ex libris περιέργοις, qui olim Zabiorum doctrinam referentes in hac gente circumferebantur, quique non Hermeti tantum & Ariſtoteli, ſed ipſi quoque Setho, atque Abrahamo tribuebantur. [h] De his libris MAIMONIDES oculatus teſtis refert, [i] hiſtorias nugaces & Alcorani fabulis ſimiles de patribus antiquis Adamo, Setho, Noacho, Abrahamo continuiſſe, dogmata de dæmonibus, idolis & ſtellis, ceremonias in vineis & agris obſervandas, cultus inſuper actus, idololatris illis orientis eorumque vicinis in uſu ſolenni poſitos. Non abutemur vel lectoris vel noſtro quoque otio in recenſendis nugatoriis ſcriptis, conſulant, qui hæc noſſe cupiunt, vel MAIMONIDEM, vel ex noſtis HOTTINGERVM [k] atque STANLEIVM, [l] qui plura dabunt. Id unum notamus, inter hos libros duos jactatos fuiſſe, reliquis præſtantiores, unum *de cultu Nabathæorum*, ſive is religionis cultum, ſive terræ colendæ rationem ſuperſtitioſam denotet, de quo diſceptant viri docti: [m] quemque tempore Thomæ Aquinatis ex antiqua verſione Latina legit occidens titulo: *de Agricultura Aegyptiorum*: alter Iſaaci Zabii *de Zabiorum gente & moribus.* Omnes vero iſtos libros aperta ſuppoſitionis veſtigia præ ſe ferre, ex iis, quæ de eorum argumento abſurdo & ſuperſtitionibus Zabiorum pleno Maimonides refert, palpari poteſt. Nec de auctoribus diu anxie quærendum, [n] num Iudæi fuerint, gentiliſmo, vel Chaldæi Græci vel Arabes Iudaiſmo leviter tincti? ex ſectæ enim conſtitutione patet, homines ei addictos ex gentiliſmi ſive Chaldaiſmi & Iudaiſmi, opinionibus peculiarem ſectam conflaſſe, ſic ut neceſſe non ſit, præter Zabios ipſos, alios excogitare harum nugarum architectos. Tempus quoque horum librorum ad origines & adoleſcentiam ſectæ recte referri, ex hiſtoria ejus apparet. Eo enim animo effictos fuiſſe, ut ſectæ naſcenti & caput extollere cupienti fidem & auctoritatem conciliarent, res ipſa loquitur: id quod

f) POCOCK. *l. c. p. 33.*

g) Paucis multa dixit CLERICVS *Ind. philol. ad* STANLEII *Hiſt. phil. or.* v. *Sabæi.*

h) POCOCKIVS, SPENCERVS, STANLEIVS *ll. cc.*

i) *Moreh nebhoch. P. III. c. 29.*

k) *Hiſt. Orient. p. 176.*

l) *l. c. p. 1171.*

m) Prius Spencero, poſterius Clerico placet, forte utrumque recte: nam de cultu Deorum etiam per Theraphim in colendis agris, plantandis vineis &c. præcepiſſe librum, ex Maimonide patet.

n) Quod facit SPENCERVS *l. c. ſect. III. p. 282.*

quod potiſſimum ſub incunabula ſectæ fieri debuit. Eo vero tempore mos in oriente fuit receptiſſimus, ut vetuſtiſſimis viris ſapientibus libri ad faciendam opinionibus fidem ſupponerentur. Cujus teſtes habemus tot libros apocryphos viris ſanctis ab hæreticis affictos, [o] tot libros ſpurios antiquiſſimis philoſophis Zoroaſtri, Hermeti, Orpheo, hisque ſimilibus ſuppoſitos, in quibus mira audacia protrudendis adeo ſedula fuit tota Aſia, ut vix ſectam invenias, quæ non pia hac fraude uſa ejusmodi dolis res ſuas augere atque commendare ſtuduerit. Inde enim tot ſuppoſititii libri inter Chriſtianos, Iudæos, Perſas, Magianiſmi aſſeclas & ſectas atque hæreticos tantum non omnes, quos paſſim enarrari videas. [p] Et id ipſum artificium a Zabiis quoque adhibitum eſſe, eo minus eſt dubitandum, quo magis totum eorum argumentum ad adſcribenda patriarchis deliramenta ſua, & hinc commendandas ingenii nugas reſpexit. Qua tamen lingua primo conſcripti ſint, in tantis rei tenebris dici nequit: certe in Arabica lingua primum non conſcriptos, ſed poſtea tantum in eam translatos fuiſſe, MAIMONIDES teſtatur: notum autem gentem Arabum ante Muhammedem literarum ſtudia non excoluiſſe, ipſumque pſeudo-prophetam, quique eum ſecuti ſunt, duces ex Ommiadarum familia omnibus literis internecinum bellum indixiſſe, donec Abbaſidarum familia bonis literis honorem & cultum redderet. Et his demum temporibus arcanos illos libros Zabiorum, ſive Perſarum, ſive illi Coptarum, ſive Syrorum aliarumve gentium lingua ſcripti fuerint, in Arabicum ſermonem translatos fuiſſe, credibile eſt.

Syſtema Zabiorum.

§. VIII. Sed, ut, quæ dicenda ſunt, abſolvamus, doctrina quoque Zabiorum enarranda, & imprimis ſyſtema eorum philoſophicum, vel quaſi tale, conſiderandum, quo tanquam fundamento reliqua omnia nituntur. Dogmata vero, quæ Zabiis tribuuntur, aliter nobis enarrari non poſſunt, niſi qualia nobis Arabes & Iudæi, qui inter Arabas vixerunt, depingunt. Eos vero ſuſpectos teſtes eſſe ſupra obſervavimus, fide Muhammedanorum & Iudæorum valde vacillante, cum, quod non nemo [q] recte obſervat, diſputationis æſtu abrepti aliquantum ſupra veritatem narrationes ſuas auxerint; vix enim credibile eſt, ſectam inter Iudæos, Chriſtianos, Muhammedanos, Magianos viventem, eorumque perpetuis inſultibus expoſitam, adeo inepta, turpiaque deliramenta, qualia imprimis MAIMONIDES [r] iis tribuit, in publico divino cultu admiſiſſe. Nec inſtituti quoque noſtri eſt, prolixam delirantis ſuperſtitionis apud Zabios obſervatæ faciem depingere: haurient ea, quibus volupe eſt, gentium ritus & ceremonias ſacras noſſe, vel ex Maimonide, vel ex iis, qui ex recentioribus ejus fidem ſecuti ſunt. Paucis ea memoramus, quæ ſyſtemati Zabiano tanquam fundamento innituntur. Placuiſſe ſcilicet dicitur Zabiis: Stellas eſſe Deos, ſed

o) Vid. cel. MOSHEM. *de cauſis librorum ſuppoſitorum in vol. diſſ. H. E. illuſtr. p. 221. ſeqq.*

p) Vid. FABRICIVS *Cod. Pſeudepigr. V. & N. T. & Bibl. Græc.* paſſim.

q) STANLEIVS *l. c. P. III. c. 4. p. 172.*

r) *l. c. l. III. c. 8.*

ſed ſolem Deorum ſummum, quippe qui inferiorem & ſuperiorem orbem regat. Colendos eſſe Deos, imprimis planetas, duplici cultu quotidiano & menſtruo. Qui tamen cultus ita a Rabbino deſcribitur, ut nihil in eo inveniatur, quod vel modicam rationem ſapiat, plura ſint, quæ attentis ſuppoſitionis ſuſpecta videri poſſunt. [s] Addunt, nonnullos eorum malos dæmonas ſub hircorum forma coluiſſe, comediſſe ſanguinem, quem tamen abominabantur, tanquam cibum dæmonum, quibus arctius ita conjungerentur & cum iis converſarentur: coluiſſe ſolem orientem, & quæ alia ſunt, quibus leges leviticas Deum oppoſuiſſe tot viris doctis viſum eſt. Quæ tamen omnia incerta eſſe, nec ipſe Maimonides negat, nec a prudenti rerum cenſore negabitur, certe vera mixta falſis aperte videntur. Verum hæc parum momenti in hiſtoria philoſophica habent; altius vero expendenda ſunt, quæ de ipſo ſyſtemate eorum, cui tota ſectæ religio tanquam fundamento ſuperſtructa fuit, Arabes ſcriptores & ex his recentiores, Angli imprimis POCOCKIVS, HYDEVS, PRIDEAVX referunt. Cuncta vero ex relatione SHARESTANII, haud ignobilis inter Arabas ſcriptoris, eo redeant, [t]

I. Duas eſſe Zabiorum ſectas, cultores ſacellorum & cultores ſimulachrorum.

II. Commune utrique ſectæ fundamentum eſſe, opus habere homines mediatoribus, qui inter ipſos & Deum medii intercedant.

III. Hoc fungi officio ſubſtantias ſpirituales puras, quæ oculis ſubjectæ non ſunt.

IV. Quoniam vero iſti ſpiritus mediatores cerni haud queant, eſſe deinde opus aliis inter eos & ſubſtantias iſtas inviſibiles mediatoribus viſu perceptibilibus.

V. Tales mediatores viſibiles eſſe ex mente illius ſectæ ſacella, & ex hujus, ſimulachra.

VI. Sacella eſſe eorum cultoribus ſeptem planetarum corpora, hæcque eſſe ſubſtantiarum ſpiritualium ſeu intelligentiarum habitacula, quæ eodem illis loco ſint, quo animabus noſtris corpora.

VII. Eſſe itaque corpora aſtrorum viventia, rationalia ab intelligentiis animata.

VIII. Hæc ſidera Dominos & Deos eſſe, Deum autem ſupremum Dominum Dominorum.

IX. Planetarum igitur domos & manſiones, ortus, occaſus, conjunctiones, juxta figuras convenientes & diſcrepantes, ſecundum naturas eorum diſpoſitas obſervandas eſſe.

X. His planetis dies, noctes, horas dividendas, formas, perſonas, & regiones aſſignandas eſſe.

XI. Re-

s) Hoc ex Arabibus jam oſtendit POCOCKIVS *l. c. p. 147.*

t) Apud eundem *l. c. p. 139.* quocum conferendus R. IOSEPH ALBO *fundam. fidei l. III. c. 8.* MAIMON. *l. c. c. 29.*

XI. Recte his obſervatis ſigilla ſive Talismanes, [u] incantamenta & orationes confici poſſe illis convenientes.

XII. His mediis ab iis accipi poſſe, quæ ab eorum effectu & influxu pendeant, recteque ita & formulis debitis orantes voti damnatum iri, miraque ita teleſmatum & incantationum ope perfici poſſe.

XIII. Secundum ſimulacrorum cultores vero, ſimulacra ideo neceſſaria eſſe, quod illa ſæpius ab oculis continua ortus ac occaſus viciſſitudine ſubducta lateant, cum mediatore ſemper viſibili ſibi opus ſit.

XIV. Simulacra itaque ſubſtituenda, quibus mediantibus ad ſacella accedant, ut ſacellorum ope ad intelligentias, intelligentiarum ad Deum ſupremum.

XV. Simulacra itaque juxta figuram unicuique e ſeptem illis ſacellis propriam conflanda eſſe, e metallo cuivis planetæ peculiari, obſervatis inſuper dierum, horarum, graduum, minutorum, aliarumque ad influxus benignos eliciendos neceſſariarum circumſtantiarum momentis, adhibitis ſigillis, indumentis, ſuffitibus, orationibus, incantamentis cuivis ſideri gratis.

XVI. Simulacra hæc eſſe vicarios reſpectu Deorum iſtorum cœleſtium, inter quos & homines mediatorum officio funguntur.

Præter hanc doctrinæ rationem tribuitur quoque illis ab ABVLFEDA: [x] faciem inter orandum polum arcticum verſus obvertere ſolitos; ter quotidie orare, ante ortum ſolis, juxta meridiem, ad veſperam; jejunium illis eſſe triginta dierum, aliud novem, aliud ſeptem; afferere ipſos: ſceleratorum animas poſt novies mille ſeculorum cruciatum in gratiam cum Deo redire; abſtinere a fabis allioque; victimas totas igni comburere, nihil earum comedere. Narrat quoque SHARESTANIVS, [y] ſectam eſſe apud ipſos HARBANISTARVM, qui Deum & unum & plures ſtatuant, unum ſcilicet eſſentia, plures, quatenus ſe pluribus individuis viſu perceptibilibus, velut planetis, immo hominibus quoque terreſtribus indat, in quibus ſe manifeſtet, ac perſonam induat, citra tamen unitatis eſſentiæ ſuæ corruptionem, eum corporibus cœleſtibus a ſe creatis mundum inferiorem tradidiſſe regendum, eſſe corpora ea patres, elementa matres, compoſita natos. Poſt periodum 36425. annorum abſolutam omnes animantium ſpecies interituras, ac deinde renovatum iri, natura univerſi, in ſingulis terræ climatibus bina uniuscujusque ſpeciei paria de novo producente, atque ita ſeculum ſeculo continuo ſuccedere, nec aliam dari reſurrectionem. Et hæc quidem de Zabiorum ſyſtemate Arabes, ex quibus valde corroborantur ea, quæ de Zabianiſmi origine & conſtitutione ſupra diximus. Sunt enim in his multa apertiſſima aſtrologiæ Chaldaicæ, qualem ſupra delineavimus veſtigia, quæ cum a SEXTO EMPIRICO [z] nobis ex eodem fundamento atque

Harbaniſtæ, Zabiorum ſecta.

[u] Conf. cl. PETR. FRID. ARPE *de Talismanis & amuletis p. 15.*

[x] Apud POCOCK. *l. c. p. 144.*

[y] *Ibid.*

[z] *Lib. V. adv. math. p. 337. ſeqq.*

atque ſyſtemate deſcribantur, dubium non eſt, Chaldaiſmum, eo tempore, quo ſcripſit Sextus, quodque ab hujus ſectæ initiis non adeo diſſitum eſſe probabile eſt, receptum primam toti Zabiorum ſyſtemati materiam ſuppeditaſſe. Nititur enim utrumque emanatione animæ mundanæ, vel diſtributione potius partium ejus per corpora cœleſtia, maxime planetas, earumque influxu in res inferiores. Acceſſit vero doctrina de mediatore vel Iudæis vel Chriſtianis ſurrepta; & doctrina de angelis mediatoribus, quæ in philoſophia orientali magnam auctoritatem habuit, indeque ad Cabbaliſtas & Alexandrinos philoſophos, itemque ad hæreticos, æonas inde effingentes, tranſiit. Ratio itaque aperta patet, unde Zabianum ſyſtema conflatum ſit, & manifeſtum, non ſufficere quasdam priſcæ idololatriæ & ſuperſtitionis reliquias in eo reſtantes, ut ipſum ad vetuſtiſſima tempora referatur. Accurate itaque non verſantur, qui omnem veteris ævi idololatriam atque ſuperſtitionem, cui ſanctiſſimas leges ſuas Deum oppoſuiſſe contendunt, Zabianiſmi nomine inſigniunt, cum aliquam tantum ejus partem, temporum malitia ad hæc media ſecula conſervatam exhibuerit. Qua in re cum Spencerus maxime peccaverit, quid in erudita ejus tractatione deſiderandum ſit, vel mediocriter attento eſt in propatulo. Ceterum ex hujus quoque ſyſtematis ſumma patet, cur Zabii aſtrologiæ ſideralique ſcientiæ ſe dederint: cum enim ſumma totius religionis in cultu ſiderum verſaretur, par erat, ut ad ea attenderent, ortus occaſusque notarent, & conſtellationum momenta ad influxum ſiderum conſequendum neceſſaria obſervarent. Vnde ex Zabiorum ſecta Thebet Ebn Korra, Albategnius, aliique in ſiderali ſcientia magnum nomen conſecuti ſunt.

Magi Arabiæ. §. IX. Etſi vero ignorantiæ & inſcitiæ Arabes ante tempora legis Islamiticæ accuſent Muhammedani, iisque philoſophiam denegaſſe Deum ABVLPHARAIVS [a] dixerit, non id tamen ita intelligendum eſt, quaſi viros eruditos inter ſe non habuerint. Fuiſſe enim etiam vetuſtioribus temporibus Arabiæ ſuos ſapientes, eruditionis orientalis cognitione præſtantes, vel inde colligi poteſt, quod PLINIVS [b] in Arabia Magos memoret, atque Hippocum Arabem Magum nomine appellet. Nec dubitandum, Arabas, linguæ ſuæ culturæ deditiſſimos, & in proverbiis, adagiis atque παροιμίοις verſatiſſimos hanc linguæ ſuæ elegantiam, proprietatem & ubertatem, poëſeos quoque, quam excolebant, dulcedinem ad emendandos mores adhibuiſſe, ſicque in morali philoſophia, modo tamen orientali & exoterico, non fuiſſe plane rudes. Hoc licet deficientibus vetuſtiſſimorum Arabum ſcriptis demonſtrari nequeat, eſt tamen, quod non leviter hanc ſententiam *Lokmann.* roborat, fabulæ ſcilicet Arabicæ, quæ LOKMANNO ſive Lukmanno tribuuntur, [c] quas cum interpretatione Latina & notis edidit de literatura Arabica meritiſſimus THOMAS ERPENIVS. [d] Magnæ tamen hiſtoriam Lok-

a) *Dynaſt. IX. p. 101.* & apud POCOCK. *ſpec. hiſt. Arab. p. 2.*
b) *Lib. XXX. c. 1.*
c) Titulo *Al-Amthal.*
d) *Lugd. Bat. 1615. 1636. 1656.* conf. FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 400.*

Lokmanni hujus tenebræ ſepiunt. Quod ſi enim Arabas ſcriptores conſulas, magna hujus Lokmanni celebritas eſt, laudaturque Lukmannus in Corano, [e] cui ſapientia a Deo data, & de quo mira fabulantur Arabum poëtæ: [f] Huncque Hiobi ſororem aviam habuiſſe jactat BEIDAVIVS. [g] Verum alii iique accuratiòres inter Arabes, hunc Lokmannum Alcorano memoratum a Lukmanno mythologo diſtinguunt, [h] eumque multis ſeculis antiquiorem faciunt, Davidis vel Ioſiæ quoque regis æqualem, quorum veſtigia premit HERBELOTVS. [i] Alias Arabum traditiones brevitatis cauſa præterimus, legendas apud HOTTINGERVM. [k] Non tamen inter omnes de fide Arabum in hac relatione conſtat, unde in diverſa ſententiarum divortia de Lokmanno itum eſt. Quidam enim nominum ſimilitudine inducti vel poëtam veterem Alcmannum, [l] vel Aſſaphum quoque prophetam ſub hoc nomine latere conjiciunt, cum Arabes Perſam quidem, ſed Iudæum religione fuiſſe tradant, quos tamen ficulneo niti argumento demonſtravit IO. IACOBVS SCHVDTIVS. [m] Alii virum doctum & ſapientem fuiſſe inter Arabes vetuſtiſſimos concedunt, ita tamen, ut ex ejus potius ſermonibus iſta fabularum collectio facta, quam ab ipſo auctore conſcripta ſit. [n] Tandem nec defuerunt, qui Lukmannum cum Æſopo eundem eſſe putarent, & crederent, eum hoc nomine in Arabica fabellarum quarundam verſione fuiſſe inſignitum. Quam ſententiam poſt IAC. GOLIVM, [o] STEPHANVM CLERICVM [p] & HVETIVM [q] SCHVDTIVS quoque & AVG. PFEIFFERVS [r] adoptarunt, improbante quidem celeberrimo FABRICIO: [s] Quam tamen acutiſſimus & de philoſophiæ hiſtoria meritiſſimus Gœttingenſium doctor CHRIST. AVG. HEVMANNVS [t] poſt Hottingerum ita ornavit, ut B. BVDDEI [u] aliorumque aſſenſum meruerit. Obſervant enim viri docti Æſopi apud Græcos & Lokmanni apud Arabas eandem dari deſcriptionem; utrumque fuiſſe ſervum, ventre grandi, ore voraci, ingenio elegantiſſimo: nec nomen Lokmanni a voracitate deſumtum, aliam originem habere, Æſopo κατ' ἀντονομασίαν hoc nomine inſignito. Floruiſſe utrumque circa medium ſeculum quartum millenarii poſt conditum mundum quarti. Nec aliud pati fabularum Æſopicarum & Lokmanniarum in quibusdam concordiam; inter triginta & ſeptem enim Arabicas fabulas, quæ Lokmanno tribuuntur, eſſe aliquas, quæ non idem tantum argumentum, ſed & eadem verba cum Æſopicis præ ſe ferant, quas ex Æſopicis deſumtas & easdem eſſe neceſſe ſit, cum Æſopicæ fabulæ diu ante Lokmannianas innotuerint; hæque verſionem illarum Arabicam exhibeant, quales invaleſcente inter Ara-

e) *Sur. XXXI.*
f) Vid. POCOCK. *l. c. p. 36.*
g) Apud HOTTINGERVM *Hiſt. Orient. l. I. c. 3. p. 68. ſeq.* ubi prolixe de Lokmanno agitur.
h) Vid. POCOCK. *l. c.*
i) *Bibl. Orient. v. Lokmann.*
k) *l. c.*
l) RAVIVS apud HOTTINGER. *l. c.* IOB. LVDOLFVS *ad Hiſt. Æthiop. p. 53.*
m) *Comp. Hiſtor. Iud. p. 88.*
n) Vid. HERBELOT. *l. c.*
o) *Ad Grammat. Erpenii p. 189.*
p) *Q q. S. p. 325.*
q) *De fabulis Romanenſ. p. 11.*
r) *Crit. S. c. XVI. p. 415.*
s) *Bibl. Græc. l. c.*
t) *Act. Philoſ. vol. II. p. 278. ſeqq.*
u) *Obſerv. ad Hiſt. phil. c. III. §. 18. p. 59.*

bas eruditione confectas esse ex historia Saracenica constat. Nos in tanto sententiarum divortio certum quid promittere non audemus, non negamus tamen, hanc sententiam magna se probabilitate commendare: viderique Lokmanni nomen, Muhammedo commendatum ideo præfixum, ut fabulis fama & existimatio accresceret, quod apud Arabas fuit maxime solenne. Non tamen inficiandum est, omni exceptione non carere argumentum, quod ex convenientia fabularum Æsopicarum & Lokmannianarum desumitur: quia facile evenire potuit, ut ex Æsopicis paucæ quædam a collectore Lokmannianarum fabularum ob argumenti similitudinem interserentur, cujusmodi interpolationes inter Arabas non insolitas fuisse constat. [w] Nec omni probabilitate destitutus erit, qui asseruerit, nullum unquam Lokmannum extitisse, sed cum Lokmanni nomen inter Muhammedanos eruditione & sapientia celebraretur, auctorem anonymum, fabularum diversarum ex orientis & occidentis mythologis collectorem nomen tantum ornandi tituli causa præfixisse, qualia exempla historia literaria complura nobis servat. [x] Feruntur quidem sapientissimi quidam morum canones, quos moribundus Lokmannus filiis suis tradidisse dicitur. [y] I. Non ultra rebus mundanis adhærendum esse, quam vitæ brevitas patitur. II. Serviendum esse Deo ea contentione, quæ felicitas propria requirit. III. Laborandum esse propter vitam futuram, ejusque durationem considerandam. IV. Vitandum esse ignem, ex quo, ubi semel quis inciderit, non patet reditus. V. Peccare audenti expendendum esse, an vires sufficiant, ad ignem infernalem & iram Dei ferendam. VI. Peccaturo quærendum esse locum, ubi a Deo non videatur. Verum ea vel Muhammedanum vel plane Christianum ingenium sapiunt, nec ullo modo probari potest, inter Persas Arabasve vetustissimos tantam morum doctrinæ ἀκρίβειαν viguisse. Quod si cum Arabibus [z] quis contenderit, religione Iudæum fuisse, & ex oraculis sacris vel Iudæorum conversatione habuisse, ei recte opponitur, quod supra in pari casu de Zoroastre observavimus, adeo & legis jussu & morum discrepantia abhorruisse Iudæos ab aliis nationibus, ut neminem ad sua sacra & religionis notitiam admitterent, qui proselytus factus non esset; qualem cum Lokmannum fuisse probari nequeat, merito ejusmodi præcepta suspectæ ætatis & fidei sunt. Quicquid vero de Lokmanno est, sunt tamen fabulæ hæ specimen non inelegans, morum doctrinam inter Arabas non penitus jacuisse neglectam, etsi illa magis ad popularem docendi rationem, quam ad philosophicam referenda sit, quam non prius quam sub Abbasidarum imperio Arabum natio excoluit.

w) Exempla suppositionum hujusmodi in antecedentibus adduximus.

x) Exemplum dabit sapientia Salomonis, regi sapientissimo ficto libro tributa.

y) Ex GALLANDII *collectione* adducit eos cel. STOLLIVS *Hist. phil. moralis inter gentes* §. *9. p.* 7.

z) GOLIVS *præf. edit. Erpenii.*

CAPVT

CAPVT SEXTVM
DE PHILOSOPHIA PHOENICVM.

§. I.

Phœnices philoſophiæ promicondi crediti.

Reſtant inter Aſiæ gentes, quæ in barbararum numero ponuntur, Phœnices, de quorum philoſophia adhuc agendum eſt, &, quid de natura rerum ſtatuerint, diſpiciendum. Nominis enim celebritate per totum fere orbem noti, etiam hanc famam tulerunt, ut antiquam ſapientiam recondidiſſe, & ex hac natione prodiiſſe crederentur, qui ſaniora de rebus naturalibus principia introducerent. [a] Ad oras enim maris mediterranei ſiti, cum Chanaan ab Iſraëlitis occuparetur, tantæ multitudini locum non invenientes magnam partem e terra ſua mari exules ſe commiſerunt, quæſituri ſedes alio ſub ſole calentes: quod eo facilius fuit exequi animoſæ & induſtriæ genti, quo magis & mare apertum, & navigationis peritia, & portus ſecuri, & alia, quæ terra ad hanc rem commodabat, hoc conſilium juvabant. [b] Inde vero factum, ut non tantum per innumeras colonias diſperſi, patriam eruditionem per maritima nobiliſſimarum mundi partium ora ſpargerent, ſed & divini mercatores, quo nomine eos appellat LVCIANVS, [c] crederentur, quibus cum multa negotia cum omnibus fere mundi partibus intercederent, occaſio iis enata fuit, non merces tantum manuum, ſed & ingenii cum aliis commutandi. Imprimis vero in magna gloria literarum inventionis & ſiderum, navaliumque ac bellicarum artium apud veteres fuiſſe, teſtis eſt PLINIVS, [d] qualia ſcilicet ſtudia & coloniæ toties deducendæ, & commercium per omnem terrarum orbem navigationis beneficio inſtituendum requirebant. Et hinc quoque factum eſt, ut teſte PORPHYRIO [e] numerorum & proportionum, ſive, rationum Arithmeticarum ſtudioſiſſimi dicerentur. Inde vero liquet, hanc aſtronomiæ atque arithmeticæ diſciplinæ gloriam non aliter intelligendam eſſe, quam prout inſtitutum atque ſcopus Phœnicum patitur: qui cum ad ſidera propter navigationem, ad numerorum rationes vero propter mercaturam, attenderent, id non alia ratione fecerunt, quam nautæ atque mercatores hodienum facere ſolent: quos ut nemo inter philoſophos numerat, cui ſanum ſynciput eſt; ita nec propter hæc Phœnices ſtudia inter philoſophos referendi ſunt: nuganturque, qui numeros philoſophicos, inventum Italicum, Pythagoram apud Phœnices didiciſſe contendunt, quam fabulam alibi jam jugulatam, [f] ſuo loco proſcribemus. Caute itaque de eruditione

a) Scriptores de philoſophia Phœnicum nominat cel. HEVMANNVS *Act. philoſ. vol. II. p. 188. ſeq.*

b) Diligenter & magna cum eruditionis laude in hoc argumento verſatus eſt, vir in his literis ſummus SAM. BOCHARTVS *Geogr. S. P. II. l. I, c. 2. p. 367. ſeqq.*

c) In *Toxari T. I. p. m. 594.*

d) *Lib. V. c. 12.*

e) *De vita Pythag. ſ. 6. p. 9.* ed. Kuſteri. STRABO *l. XVI. p. 718.*

f) *Amœnit. liter. T. VII. p. 158. ſeqq.*

ne & philoſophia, omnibusque ſtudiis Phœnicum [g] ſtatuendum eſt, ſemperque cogitandum, fuiſſe eos θειοτέρους ἐμπόρους *celebriores magnosque mercatores, qui non in Pontum, neque ad Mœotidem usque aut Boſporum tantum navigarunt, verum quaquaverſum Græcum ac barbarum mare emenſi ſunt, omnemque oram & omne littus, perſcrutati in annos ſingulos extremo demum autumno in ſuam patriam reverſi ſunt; compluresque eorum caupones atque ſalſamentarios fuiſſe.* Nam ex luculento hoc LVCIANI [h] teſtimonio patet, omne eos tempus mercaturæ atque navigationi impendiſſe, domi reliquo tempore artibus ſellulariis & illiterato vivendi genere contrito, nec vitæ inſtitutum permiſiſſe, ut multam philoſophiæ ſpeculationibus impenderent operam. Quanquam viros excitatioris ingenii inter illos fuiſſe negari nequit, quibus cum celebratiſſima εὑρήματα tribui ſoleant, de iis jam accuratius diſpiciendum eſt.

Moſchus Phœnicum philoſophus.

§. II. Inter illos vero Phœnices, qui philoſophando æternum nomen meruiſſe dicuntur, MOCHVS vel MOSCHVS primus eſt, tum antiquitate, tum inventionis celebritate. Ille enim Sidone oriundus, phyſiologus fuiſſe, & nobiliſſimum ſyſtema atomiſticum inveniſſe Poſidonio dicitur, a quo STRABO [i] SEXTVS EMPIRICVS [k] & IAMBLICHVS [l] acceperunt, qui addit, cum diſcipulis ejus, prophetis Phœnicum, aliisque iſtius gentis hierophantis converſatum fuiſſe & ſacris ab iis myſteriis initiatum Pythagoram. Quoniam vero Phœnicius quidam ſcriptor, Mochus de rebus Phœnicum ſcripſiſſe veteribus [m] traditur, eum viri docti conjecerunt, cum Moſcho, naturæ interprete, eundem eſſe. Et hinc diſceptatio, num Moſchus vel Mochus verum ejus nomen fuerit? vel quod eodem recidit, num Moſchus & Mochus eundem virum innuant? Cujus diſceptationis cauſa in varia lectione locorum eorum veterum, quæ de eo loquuntur, quærenda eſt. Mochum enim Moſcho præferunt tanquam rectius ponuntiatum nomen BOCHARTVS, [n] VOSSIVS, [o] & poſt hos alii, [p] variam ejus originem afferentes; cum e contrario Moſchum rectius dici SELDENVS, [q] CASAVBONVS [r] aliique tueantur. Et hunc Moſchum laudati viri cum Mocho hiſtorico eundem eſſe nulli dubitant. Alii vero, & inter veteres quidem THEODORETVS, inter recentiores EDMVNDVS DICKINSONVS [s] SELDENVS & HVETIVS [t] ſub Moſchi perſona Moſen latere in Phœnicia nomen adeptum, & coſmologiæ rationes explicantem, ſibi perſuadent, quibus tamen alii non aſſentiuntur; [u] adeo

g) *De Phœnicibus eorumque ſtudiis & inventis* diſſ. dedit ven. DAVID. BAIERVS *Ien. 1709.*
h) *l. c.* conferendus STRABO *l. c.*
i) *l. c.*
k) *Adv. Phyſ. l. I. p. 621.* ed. Fabr.
l) *Vit. Pyth. c. 3. ſ. 14. p. 10.* ed. Kuſt.
m) ATHENAEVS *l. III. c. 36. p. 126.* IOSEPHVS *Antiq. Iud. l. I. c. 14.* TATIANVS *p. 128.* conf. VOSSIVS *de Hiſt. Græc. l. III. p. 390.*
n) *Geogr. S. P. II. l. 2. c. 17.*
o) *l. c.*
p) REINESIVS *app. ad librum de lingua Punica p. 72. app. diſſ. rar.* GRAEVII. MENAG. *ad Laërt. l. I. ſ. 4. p. 4.* FABRICIVS *l. c.*
q) *De I. N. & G. ſecundum diſcipl. Ebr. l. I. c. 2.*
r) *Ad l. c.* ATHENAEI.
s) *Phyſic. vet. & ver. c. 2. p. 11.*
t) *Demonſtr. Evang. Pr. IV. §. 8. p. 53.*
u) SCHEFFER. *de Philoſ. Ital. c. V. p. 20.* KVSTERVS, *l. c.* MOSHEM. *ad* CVDWORTH. *c. I. §. 10. p. 14.*

adeo incerta & obſcura ſunt, quæ de Phœnicio hoc philoſopho diſputantur, omnia, nec facile certa ſententia dirimenda. Quod ſi tamen conjecturis locus eſt, facile crediderimus, Mochi Moſchique nomen idem prorſus eſſe, & diverſam tantum Phœnicii Græcique oris pronuntiationem diverſam quoque lectionem nomenque effeciſſe. Ita enim a Græcis ſæpius factum eſſe, ut orientalia nomina ſua lingua corrupte pronuntiarent, plurima exempla probant, & ſupra quoque in Zarduſtho Perſa exemplum vidimus. Vtrum vero hiſtoricus & philoſophus eadem perſona fuerint, nobis quidem non liquet. Id unum conjecturam fovet, differre homines, quod phyſiologo tempus tribuatur ante Trojanum bellum, quo cano tempore res Phœnicum commentariis deſcriptas eſſe, credibile non eſt. Nec impoſſibile duos unius nationis & nominis viros fuiſſe, quorum unus philoſophiam, alter hiſtoriam patriæ coluerit. Moſen vero qui ex Moſcho faciunt, nominis tantum ſimilitudine nixi, ſine dubio decipiuntur; nec Moſes atomiſticæ philoſophiæ conditor dici poteſt, qui coſmogoniam longe aliter narrat [x] nec opus phyſicum multis libris conſtans, quod Phœnicio Moſcho ſive Mocho phyſiologi nomen peperit, conſcripſit: [y] unde hæc opinio, quam falſus ſine dubio conceptus de philoſophia Hebræorum Græcæ ſimili peperit, quamque Huetius ideo ornavit, ut hypotheſi ſerviret, recte a viris doctis rejecta eſt.

§. III. Nihil tamen in hiſtoria philoſophiæ Phœniciæ memorabile magis, quam quod Mochus ſive Moſchus iſte inventor fuiſſe dicatur ſyſtematis atomiſtici, quod ἀπὸ Μώχου τινὸς ἀνδρὸς Φοινικος καταγομένου dixit Poſidonius in phyſico opere, [z] quem laudant STRABO & SEXTVS EMPIRICVS. [a] Inde enim argumentum pro hoc ſyſtemate ab antiquitate capiunt viri docti, putantque, ab hoc Phœnicio ad plerosque philoſophos Græcos ſyſtema atomiſticum, quale poſtea Leucippus & Democritus abſolverunt, dimanaſſe. Hoc ut evincat, non ſine multis cognitionis hiſtoriæ philoſophicæ veteris præſidiis, omnem lapidem movit doctiſſimus Anglus RADVLPHVS CVDWORTHVS. [b] quæ res cum in hiſtoria philoſophica momentum trahat, expendi meretur: niſi enim antiquam eſſe doctrinam probetur, facile Poſidonii teſtimonium, tot ſeculis a Mochi temporibus diſtantis rejici poteſt, cum ignoretur, unde hanc traditionem Poſidonius hauſerit: & plerique veterum a Leucippo & Democrito atomos inter principia ſyſtematis phyſici primo recepta eſſe tradant. [c] Hoc itaque telum ut retundat Cudworthus, 1. provocat ad allatum Strabonis & Sexti locum, Mocho ſive Moſcho Sidonio inventionem atomorum tribuentem. 2. Pythagoram per monadas, putat, intellexiſſe atomos illos, quos in itinere & mora apud Phœnicios a diſcipulis Mochi didicit; quoniam Ecphantus

An inventor ſyſtematis atomiſtici fuerit?

x) Conferendus CLERICVS *Bibl. Choiſie T. I. p. 75. ſeq.*
y) Conf. cel. MOSHEMIVS *l. c.*
z) Vid. LAERT. *l. VIII. ſ. 140.*
a) *Il. cc.*
b) *Syſt. intell. c. I. §. 9. p. 14. ſeqq.*
c) Teſtimonia veterum ipſe recitat CVDWORTHVS *l. c. §. 6. p. 9. ſeqq.*

tus declaraverit,[d] monadas Pythagoræ esse corporeas, & ARISTOTELES dixerit, [e] Pythagoreis monadas suas habere magnitudines. 3. A Pythagora a Phœnicibus edocto ad Empedoclem systema hoc atomisticum transiisse, contendit, apud quem natura nihil aliud sit, præterquam compositio & secretio rerum mixtarum, id est, coagmentatio & discretio particularum: eundem vero ex minoribus corpusculis elementa composuisse, & ea minima posuisse. 4. Nec Anaxagoræ homœomerias aliud esse, nisi atomorum doctrinam, sed a mente conditoris systematis atomistici diversam & corruptam. 5. Eandem ex hac doctrinæ atomisticæ successione sententiam foviisse Ecphantum, Xenocratem, Heraclitum, Diodorum, Metrodorum: ex quibus prolixe & adductis veterum testimoniis illustratis tandem infert, eos, qui ad Democritum vel Leucippum etiam systematis atomistici inventionem referunt, ita intelligendos esse, fuisse hos primos, qui proscripta mente divina, ex solis atomis mundi generationem atque naturam rerum deduxerint. Etsi vero hæc non sine insigni eruditionis apparatu dicta sunt, valde tamen verendum, ut attento ad rem ipsam lectori fidem faciant. 1. Supponit enim Cudworthus, quod initio probandum erat, Posidonii testimonium fide dignum esse, Moschumque atomorum doctrinam introduxisse: ad quod afferendum antiquiori & fide digniori testimonio opus est, quam Posidonii Stoici, cujus fidem ipse Strabo atque Empiricus in dubium vocant, nec CICERO ei multum tribuit, [f] qui de hoc præceptore, quædam eum comminisci, confidenter pronuntiat. Quod vero imprimis probe ponderandum putamus, & Posidonii fidem suspectam facit, illud est, quod modus philosophandi per hypotheses & principiorum systemata, quem ab introductis atomis philosophi secuti sunt, indoli philosophiæ barbaricæ, quæ tota traditiva simplex nudisque assertis constans fuit, adversa sit, & aperte ingenium Græcanicum sapiat. Adjicit his acutissimus harum rerum judex THOMAS BVRNETIVS, [ff] in Phœnicia Sanchuniathonis philosophia nullam occurrere mentionem aut memoriam dogmatis atomistici, licet de rerum ortu & mundi primordiis diserte agatur, ubi maxime de hujusmodi principiis tractandi locus esset: unde conjicit hoc dictum fuisse a Posidonio aut negligenter, aut per invidiam, ut inventi laudem ab auctore recente in antiquiorem rejiceret. 2. Nec multum valet, quod porro fundamenti loco ponitur, Pythagoram a Moschi discipulis systema atomisticum didicisse. Suo enim loco probabimus, Platonicorum recentiorum, quorum fidei & narrationi talia debemus, scopum in condenda historia Pythagoræ non alium fuisse, quam ut magistrum omnes philosophos celebritate & fama super ceteros elatos præceptores habuisse, sicque omnium præstantissimum philosophum evasisse, orbi persuaderent, quem in finem non dubitarunt, falsa, incerta, atque dubia

d) Apud STOBAEVM *Eclog. phys. l. I. c. 13. p. 27.*

e) *Metaphys. l. XIII. c. 6.* conf. GASSENDVS *ad l. X. Laërt. T. V. Opp. p. 70.*

f) *Lib. I. de fato: Quædam etiam Posidonius, pace magistri dixerim, comminisci videtur.*

ff) *Archæol. philos. c. VI. p. 360.*

dubia pro certis admittere, & quæ ſcopo inſerviebant, fingere. Vnde quo loco Iamblichi narratio habenda ſit, liquet, quam & ſuſpectam eſſe, nec probare id, quod intendit Cudworthus, ſuo loco, ubi de itineribus Pythagoræ ex inſtituto agemus, patebit. Nos hic ad retundendam Cudworthi aciem hoc unum addimus: non dicere Iamblichum, quod Pythagoras atomiſticum ſyſtema a Mochi diſcipulis didicerit, ſed quod cunctis initiis Phœnicum ſacrorumque ceremoniis a prophetis & hierophantis Phœniciæ illius ſucceſſoribus initiatus ſit. Vnde manifeſtum eſt, orientalem magis ſuperſtitionem, etſi id neget Iamblichus, quam philoſophiam naturalem didiciſſe, ſi quoque concedamus, inter Phœnices eruditionis cauſa verſatum Pythagoram. Concidunt itaque potiora fundamenta, quæ pro atomiſtico ſyſtemate a Mocho Phœnicio repetendo a Cudwortho afferuntur; nec 3. multum habet præſidii, quod a ſcholæ Pythagoreæ doctrina de monadibus ſumitur argumentum. Exponetur enim alio loco luculentius, ſcholam Italicam, quique ex ea orti ſunt, ſtatuiſſe: materiam dividuam ſemper eſſe in fluxu, ſemperque modificari, & ex mixtione materiæ oriri varias generationes; quod cum a ſyſtemate atomiſtico mixtionem particularum individuarum atque minimarum, qualitatibus deſtitutarum ſupponente differat, in excolenda doctrina atomiſtica eos non verſatos fuiſſe evincit. Oſtendeturque ſuo loco prolixius: Monadas Pythagoræ non fuiſſe corporeas, quam ſententiam Ecphanto, tanquam inventori, tribuit STOBAEVS, & quæ Ariſtoteles aliique de veteribus dixere, per conſequentiam potius imputata fuiſſe, quam ab iis admiſſa: quamquam & magnitudo alio ſenſu ab Ariſtotele monadibus Pythagoræ tribuitur. Id quod etiam de Empedocle valet, cujus minima cum Anaxagoræ particulis ſimilaribus facilius, quam cum atomis Democriti componuntur. Sicque de reliquis quoque philoſophis oſtendi poſſet, eos admittendo particulas quasdam inter principia naturalia a ſyſtemate atomyſtico longe abiiſſe, niſi id a noſtro ſcopo longius abiret, nosque, ubi ſeries tractationis ad philoſophiam Italicam pertinget, accuratius de his diſputandi occaſionem nacturi eſſemus. Interim conſulendus eruditiſſimus Cudworthi interpres, qui hæc multa doctrinæ elegantia & judicio cuncta illuſtravit. Ex dictis itaque omnibus has rationes ſubducimus, ſuſpectum eſſe & incertiſſimum, quicquid de ſyſtemate atomiſtico a Mocho Phœnicio invento traditur. Nec quæ ad rationes has, quas poſt Burnetium ſuas quoque fecit PETRVS BAYLE, [g] ab eruditiſſimo GOTTFRIDO-OLEARIO [h] regeruntur, tanti ponderis nobis eſſe videntur, ut ab hac ſententia, quam hactenus defendimus diſcedamus. Nam quod regerit, Poſidonium virum gravem & integerrimorum morum fuiſſe, nihil ad rem facit, cum eo potiſſimum nomine ejus teſtimonium rejiciatur, quod tanto a Moſchi tempore intervallo diſtet, ut ad teſtimonium fide dignum

g) *Dict. T. III.* art. *Leucippe, not. A.*
h) *Diſſ. II. de principiis & philoſ. Heracliti §. II.* quæ eſt in *Hiſt. philoſ.* STANLEII *P. IX. c. VI. S. I. p. 856.*

dignum ſolus ineptus ſit. Nec qui atomiſtici ſyſtematis inventionem Leucippo & Democrito tribuunt, de nomine atomus tantum, quod vir doctiſſimus putat, loquuntur, quod Phœnices alia lingua uſi adhibere non potuerunt: ſed de ipſa hypotheſi rerum ortum ex particulis minimis individuis, qualitate omni ſpoliatis & inani, mundi ſyſtema condente. Miramur vero improbare acutiſſimum virum Burnetii argumentum ab indole philoſophiæ barbaricæ petitum, quæ ſyſtematis per principia & concluſiones formati typum reſpuit. Non enim illo argumento eripitur veteribus rationis uſus, ſed negatur modus ratiocinandi & philoſophandi ſyſtematicus, quem in traditiva philoſophia non obtinuiſſe, ipſe agnoviſſet, qua fuit in veteri hiſtoria philoſophica eruditione vir beatus, niſi contrariam ſententiam ſibi defendendam propoſuiſſet: certe Burnetii argumentum quilibet admittet, qui barbaricam philoſophiam intus & in cute cognovit. Nec negavit Burnetius ante Leucippum & Democritum per modum ſyſtematis philoſophatos fuiſſe Pythagoram, Thaletem, Anaxagoram, ſed Græcanicis ingeniis eam philoſophandi rationem expreſſis verbis adſcribit, barbaris vero denegat: quos philoſophiam excoluiſſe, adeoque ſine principiis inter ſe connexis non ratiocinatos fuiſſe, & traditionis auctores deductis ex principiis concluſionibus dogmata inveniſſe quando objicitur, luditur voce philoſophia; eam enim pro ſimplici rerum naturalium cognitione ſumtam barbaris adeo non denegat Burnetius, ut potius deamatæ hypotheſeos præſidium apud eos quærat; ſed dum quæſtio eſt de hypotheſi quadam ſpecioſis excogitata ratiociniis, quæ ad explicanda naturæ phænomena adhibetur, ſcopum adducta non feriunt, & probandum prius eſt, talem fuiſſe philoſophiam barbaricam. Tandem Sanchuniathonis coſmogoniam ſyſtemati corpuſculari favere magis, quam adverſari, tuetur vir doctiſſimus, ita tamen, ut lucem potius ex Græcanicis ei inferat, quam ex ea eruat. Cuncta enim eo redeunt: omnia apprime in atomos conſpirare. Quod ubi etiam concederemus, nihil aliud inde ſequeretur, quam Phœniciam coſmogoniam ex atomiſtico ſyſtemate poſſe explicari, non vero, illud in Sanchuniathonis verbis contineri: quisquis enim illa leget, (oculis vero lectoris ea hoc capite ſubjiciemus) & hypotheſeos præjudicio occupatus non erit, facile videbit, principia Sanchuniatonis ab atomiſticis longe differre, & multo magis veterem, quam ex traditione ſuo modo ſervabat, coſmogoniæ habitum tueri. Quæcunque itaque corpuſcularis philoſophiæ dignitas ſit, fruſtra ei auctoritatem a Phœnicum philoſophia conciliari, luce meridiana clarius patet.

Cadmus. §. IV. Præter Moſchum ſive Mochum CADMVS præcipue inter Phœnices propter eruditionem celebratur, Agenoris regis, ſi Græcis credimus, filius; ſi Phœnices audimus, regiæ culinæ præfectus, vel quod vult BOCHARTVS [i] magiſter ſatellitum, qui cum Harmonia tibicine aufugiens, mira fata habuit, & delatus in Græciam coloniam condidit. Mira ſunt, & obſcuriſſima, quæ de eo tradunt mythologi, nec nobis enarranda, ſed quærenda

i) *Geogr. S. P. II. l. I. c. 20. p. 488. ſeqq.*

renda apud alios, qui Græcorum fabulas explicuerunt. [k] Nec quoque anxie inquirendum nobis eſt, Ægyptius, quod vult MARSHAMVS, [l] an Sidonius fuerit? quod cum plerisque tuetur BOCHARTVS; [m] & recte quoque, ſi veteres audiendi ſunt; vel quid veritatis hiſtoricæ in fabulis his lateat? Legant, qui hæc a noſtro inſtituto aliena noſſe cupiunt, quæ ex melioris notæ ſcriptoribus diligenter de Cadmea hiſtoria collegit vir celeberrimus, IO. FR. BVDDEVS, [n] & quæ acute, ut ſolet, conjecturis aſſecutus eſt magnus BOCHARTVS. Illud unum notandum nobis eſt, haberi Cadmum auctorem literarum Græcarum, quas in Mœotiam delatus Thebis conditis ex Phœniciis literis effinxit, quod a magnis viris ita demonſtratum eſt, [o] ut non audiendus ſit IOSEPHVS, [p] contendens, literas Græcas Cadmo eſſe multo recentiores, nec Steſichoro danda fides, ad Palamedem Græcarum literarum inventionem referenti, quem quatuor tantum adjeciſſe alii teſtantur. Licet vero hoc certum eſſe videatur, inter philoſophos tamen Cadmus numerandus non eſt, qui non philoſophica ſpeculatione vel hieroglyphica arte literas invenit, ſed delatas ab Aſſyriis ad Phœnices, Græciæ intulit, orique Pelasgorum accommodavit. Vnde mire fallitur FRANCISCVS IVNIVS, [q] & qui eum ſequitur GEORGIVS HORNIVS, [r] contendentes: *Thebis extructis arcem Cadmeam erexiſſe, & ſcholas inſtituiſſe, quas de ſuo nomine Cadmeas nominaverit. Earum poſtea tantam exiſtimationem fuiſſe, ut omnes ſcholæ eo nomine inſignitæ ſuccedentibus temporibus academiæ dicerentur.* Supponuntur enim hæc fruſtra atque nituntur precaria hypotheſi: literarum introductum uſum ſcholas philoſophicas requiſiviſſe; quas a viro militari, prædonum vel ſi mavis exulum manu alienas terras poſt longos errores & varia bella, quæ fabulæ de dentibus ſerpentis ſeminatis, indicant, quærente & occupante inſtitutas fuiſſe, omni prorſus veriſimilitudine & veterum quoque teſtimonio deſtituitur. Nec academiæ nomen a Cadmo, ſed Hecademo originem duxiſſe, ad hiſtoriam philoſophiæ academicæ, Platonisque delati demonſtrabimus. Viderint etiam viri docti, qui plerasque fabulas Græcorum pari modo a Phœnicibus per hunc forte canalem, ad Græcos perveniſſe contendunt, & ex Phœniciæ linguæ ſignificatione argumentum petunt, quo fundamento id faciant. [s] Nobis hæc ingenium quidem ſapere, non vero veriſimilitudinem gignere videntur, quæ ſolis verborum nominumque explicationibus absque hiſtoriæ præſidio dicuntur. Vnde ab incertis conjecturis in hiſtoria Phœnicia abſtinemus.

k) Videndus in compendio NATAL. COMES *Mytholog. l. VIII. c. 23. p. 98. ſeq. lib. IX. c. 14. p. 1007. ſeqq.*

l) *In can. chron. ſect. IX. p. 122.*

m) *l. c. c. 19. p. 486.*

n) *Hiſt. eccleſ. V. T. T. I. Per. II. ſ. II. §. 18. p. 989. ſeqq.*

o) Laudat eos FABRICIVS *Bibl. Gr. vol. I. p. 147.* add. MONTFAVCON. *Palæograph. Græc. l. I. c. 23. p. 147.*

p) *Contra Apion. l. I. p. 1034.*

q) *De academia.*

r) *Hiſt. philoſ. l. III. c. 4. p. 149.*

s) Fecerunt id S. BOCHARTVS in *Geographia S.* EDM. DICKINSON. *in Delphis Phœniciſſantibus*, recuſis *T. I. Opp. ad hiſt. & phil. ſpect.* TH. CRENII, & IO. CLERICVS in *notis ad Heſiodum.*

Reliqui ſcriptores Phœnices deſiderati.

§. V. Sed nec reliqua, unde philoſophiæ Phœniciæ doctrinæ hauriri poſſent, certiora ſunt, deficientibus nobis monumentis, quæ res Phœnicum nobis enarraverunt. Scripſerunt quidem hiſtoriam Phœniciæ præter Sanchuniathonem Theodotus, Hypſicrates, & Mochus, quorum libros Chætus vel Lætus potius, Græce tranſtulit; [t] meminit etiam Hieronymi Aegyptii, Phœnicis hiſtorici TERTVLLIANVS, [u] & Heſtiæus quoque laudatur, ſed dolendum, injuria temporum hos commentarios nobis ereptos eſſe; cum enim gentis hujus origines tradiderint, credibile eſt, eos, more veterum de coſmogonia traditiones tetigiſſe: idque ſuadet IOSEPHVS, qui cum de diluvio & ante diluvianorum longævitate ſermonem inſtituiſſet, [x] addit: Μῶχός τε καὶ Ἑξιαῖος, καὶ πρὸς αὐτοὺς ὁ Αἰγύπτιος Ἱερώνυμος οἱ τὰ Φοινίκικα συνταξάμενοι, συμφωνοῦσι τοῖς ὑπ' ἐμοῦ λεγομένοις. *Mochum atque Heſtiæum & Hieronymum Aegyptium, cum dictis a ſe conſpirare; dicitque Hieronymum ſcripſiſſe* ἀρχαιολογίαν *Phœnicum.* Verum, licet res forte naturales ortumque ſaltem earum tetigerint, nihil inde lucis nobis ex deperditis promittendum eſt. Vnus Sanchuniathon non tam nobis relictus eſt, quam exigua quædam fragmenta ab EVSEBIO atque THEODORETO ſervata, quæ, ſi modo genuina ſunt, Phœnicum de rerum ortu & generatione ſententiam enarrant. Quod argumentum cum in philoſophia barbarica non exigui momenti ſit, prolixius de eo diſſerendum, & quid rei ſit, quamque fidem mereatur expendendum eſt.

Sanchuniathon.

§. VI. Quis vero SANCHVNIATHON fuerit, quæque nobis documenta reliquerit priſcæ de coſmogonia traditionis apud Phœnicios, docet nos EVSEBIVS, [y] qui ipſe audiendus eſt: *Res autem Phœnicias*, inquit, *Sanchuniatho quidam memoriæ prodidit, vir antiquiſſimus, quemque ante Trojana tempora floruiſſe, ſummaque cum diligentiæ tum veritatis laude Phœnicum hiſtoriam ſcripſiſſe teſtantur. Hujus opera omnia Philo, non Hebræus ille, ſed Byblius, ex Phœnicum idiomate Græcam in linguam converſa vulgavit. Ejusdem quoque meminit is, qui noſtra memoria opus illud adverſum nos mendaciis fraudibusque textum conſarcinavit, dum libro quarto ipſum hujus teſtimonii ſui prædicatione commendat. Rerum, inquit is, ad Iudæos pertinentium hiſtoriam Sanchuniatho Berytius ſumma fide conſcripſit, quippe quæ cum eorum locis atque nominibus apprime conſentiat, cum præcipua rerum illarum capita ab Hierombalo quodam Ievi Dei ſacerdote accepiſſet. Hoc illius opus Abibalo regi Berytiorum dedicatum non modo rex, ſed etiam ii, quorum apud ipſum erat, de ſcriptorum veritate cognoſcere, omnes comprobarunt. Atque iſtorum quidem ætas Trojanis temporibus antiquior proxime ad Moſen ipſum accedit, ut ex Phœniciæ regum ſerie quivis cogno-*

t) Vid. SCALIGER *ad fragmenta Beroſi Abydeni* in calce *op. de Emendatione temporum*, BOCHARTVS *Geogr. S. P. II. l. II. c. 17. p. 861.* VOSSIVS *de Hiſtor. Græc. lib. III. p. 379.* IONSIVS *de Script. hiſtor. Philoſ. l. III. p. 336.*

u) In *apologet. c. 19.*

x) *Antiq. Iud. l. I. c. 4.*

y) *De præp. Evang. l. I. c. 9.*

cognoſcere poteſt. Hic igitur Sanchuniatho, qui Phœnicia lingua veterem hiſtoriam, partim ex ſingularum urbium actis, partim ex templorum monumentis coagmentatam ſingulari veritatis ſtudio perſcripſit, Semiramide, quam Iliacis temporibus vel antiquiorem vel æqualem fuiſſe memorant, apud Aſſyrios regnante vixit. Idem Porphyrii teſtimonium affert THEODORETVS [z] Euſebius vero Philonis quoque Byblii teſtimoniis in ſequentibus utitur, quibus ait: *Sanchuniathonem virum imprimis eruditum cum operam in rerum plurimarum ſtudia poſuiſſet, cumque gentium omnium hiſtoriam jam usque a prima univerſi molitione noſſe vehementer optaret, præcipuam quandam in perveſtigandis Taauti rebus diligentiam adhibuiſſe, quod ſatis intelligeret, omnium, qui lucem hanc adſpexerant, eum literas principem inveniſſe, ac commentariorum ſcribendorum auctorem fuiſſe. Ab illo autem auſpicatum eſſe, quem ab Aegyptiis Thoyth, ab Alexandrinis Thoth nominatum Græci Hermetem, id eſt, Mercurium appellaverunt.* Addit quoque in ſequentibus, eum in arcana quædam Ammonæorum volumina incidiſſe, quæ ex interioribus templorum penetralibus protracta, perſcrutatus ſit, indeque ea hauſerit, quæ in commentariis ſuis retulit. Ex hac Porphyrii relatione magnum veteris hiſtoriæ & coſmogonias præſidium ſibi inveniſſe viſi ſunt viri eruditiſſimi, & inter hos, qui maxima eruditione Sanchuniathonis res illuſtrarunt SAMVEL BOCHARTVS [a] & PETRVS DANIEL HVETIVS. [b] Supponunt vero laudatiſſimi viri, Porphyrii relationem eſſe veram, Philonemque illum Byblium libros Sanchuniathonis genuinos ex Phœnicia lingua in Græcam tranſtuliſſe; putantque Sanchuniathonem ab Hebræis, & ſacris quidem Moſis commentariis accepiſſe, quæ in hiſtoriam ſuam retulit. Hunc enim Thooti ſive Hermetis larva tegi ſibi aliisque multo labore perſuadere conatur Huetius. Præſidium ſententiæ quærunt, quod Sanchuniathon a Ierumbalo ſacerdote Dei Iao commentaria acceperit. Cum enim Iao Deus Græcis Iudæorum numen indicet, [c] quod ex Iehova expreſſum conjicitur, concludunt inde, Ierumbalum ex Iſraëlitarum natione fuiſſe, & eſſe Ierumbalum eundem cum Gideone, quem Ierubbaal cognominatum Iudicum hiſtoria teſtatur. [d] Qua in opinione veteres quosdam anteceſſores habuere: [e] nec objici poſſe putant, Gedeonen, non fuiſſe ſacerdotem, cum gentilis homo eum habuerit pro ſacerdote, qui ex hoſtium ſpoliis conſtituit Ephod in urbe ſua. De tempore quoque non dubitant, Trojano excidio fuiſſe priorem, cum indubitatis annalium Phœniciorum & ſeriei regum Phœniciæ teſtimoniis nitatur; concedunt tamen, Porphyrium ἀνισορησίας vitio Semiramidis tempora cum his confudiſſe. Hactenus viri docti, qui Porphyrianæ vel Philonianæ quoque relationi fidem habendam eſſe putant. Non defuerunt autem alii, qui ſuſpectam

z) *De curand. Græcor. affection. ſerm. II. p. m. 493.*

a) *Geogr. S. P. II. l. II. c. 17. p. 855. ſeqq.*

b) *Demonſtr. Ev. Pr. IV. p. 50. ſeq. 70. ſeq.*

c) DIODOR. SIC. *l. I. p. 59.* MACROBIVS *Saturnal. l. I.*

d) *Cap. VII, 1. VIII, 35.*

e) SVIDAS *v.* ἱεροβάαλ *T. II. p. 99.*

utriusque fidem esse argumentis non contemnendis ostendisse sibi visi sunt. Illustris enim SCALIGER jam monuit, non potuisse ad antiqua ista tempora referri Sanchuniathonem, qui Tyri conditi tanquam rei jam antiquæ meminit, ad quæ tamen BOCHARTVS [f] respondit: Tyri nomen commune fuisse multis urbibus in Phœnice, fierique Palætyri mentionem in commentariis IOSVAE, [g] annis fere ducentis antequam in vicina insula conderetur famosa illa Tyrus. Quæ tamen non satisfecere omnibus, præsertim EDVARDO STILLINGFLETO, [h] qui non negat quidem in libris Iosuæ innui Tyrum, sed illam non nisi ut altum præcipitemque tum temporis scopulum sine incolis & hominibus esse considerandam, ex qua Oscus originem trahere non potuerit, qui ausu ingenti maris fluctibus, referente Sanchuniathone, se credidit: unde infert doctissimus præsul, non aliam intelligi posse Tyrum, quam quæ paulo ante excidium Iliacum exstructa sit, sicque tempora Sanchuniathonis non conspirare. Addunt his alia non minus gravia, qui in expendenda Sanchuniathonis historia & fide peculiarem operam posuerunt HENRICVS VRSINVS, [i] ANTONIVS VAN DALEN, [k] & HENRICVS DODWELLVS, [l] qui alios quoque adstipulantes habuerunt. [m] Cum enim celeberrimorum horum virorum industria in eo versaretur, ut suppositicia esse illa Sanchuniathonis commentaria demonstrarent, provocarunt potissimum ad silentium auctorum omnium, qui ante hunc Philonem Byblium, qui Adriani ævo vixisse dicitur, scripserunt, & ne γρὺ quidem de Sanchuniathone meminere. Accedunt ἀσύζατα plurima, & temporum rationibus non convenientia: Abibalum fuisse Hierami regis patrem, monent, qui Saulis atque Davidis temporibus vixit, adeoque Ierumbaalem cum Gideone non eundem posse dici. Vixisse secundum Porphyrium, Sanchuniathonem ante tempora Trojana, regnante inter Assyrios Semiramide: Trojam vero captam A. M. 2767. Semiramim vixisse A. M. 1996. [n] Esse alia quoque in excerptis ex Sanchuniathone, quæ extra controversiam sint recentiora, quibus tamen enarrandis, ne justo prolixiores simus, supersedemus. In tanto sententiarum inter viros eruditione & judicio accurato summos dissensu difficile putamus, certi quid statuere, nec extra controversiam poni posse Sanchuniathonis historiam, præsertim, cum ἀσύζατα illa chronologica, ad objectiones Dalenianas & Dodwellianas responsuri rejiciant in interpretem Philonem vel etiam in excerpentem hæc commentaria Porphyrium. Non negamus tamen, non ita solida nobis videri, quæ pro Sanchuniathone afferuntur: cum silentium tot scriptorum, qui tam nobilis & antiqui scriptoris mentionem facere poterant & debe-

f) *loco* supra *citato.*

g) *Cap. XIX, 29.*

h) *Orig. SS. l. I. c. 2.*

i) *De Zoroastre, Trismegisto & Sanchuniathone Ex. III.*

k) Pec. diss. quæ adjecta est diss. *super Aristea.*

l) *Duabus epistolis* lingua Anglicana editis, quarum compendium exhibent *Acta erudit. T. II. Suppl. p. 512.*

m) Conf. VOSSIVS *de Hist. Græc. l. I. c. I.* CONRING. *de Medic. Hermet. c. I. p. 5.* RICHARD. SIMON *Bibl. crit. T. I. c. 9.* cui respondit *Diarium Trivoltinum, Ian. 1714. p. 68.*

n) Conf. WITSIVS *Ægyptiac. l. III. c. I. §. 15. p. 200.*

debebant, omnino ſcrupulum moveat atque ſuſpicionem excitet, fraudem in tota illa re ſubrepſiſſe: licet præſtare nolimus, quod Dodwellus conjicit, Philonem illum Byblium neminem eſſe alium, quam Philonem Herennium, eumque hæc Sanchuniathonis commentaria finxiſſe ad refutandos Ioſephi contra Apionem libros, nomenque confinxiſſe & detorſiſſe e Sonchide, Saite, ſacerdote Ægyptio PLVTARCHO [o] memorato. Nec multum probat nominis Ierumbaal cum Gideone convenientia, quæque alia de libris ſacris a Sanchuniathone inſpectis afferuntur; illam enim vel potuiſſe effingi, ut fides commento accederet; vel talem non eſſe, qualem laudati viri in hariolando juſto oculatiores videre ſibi perſuadent, recte monetur. Quod ſi etiam ἀσύγατα in toto illo fragmento reperiri conceditur, & Philoni interpolationis fraus adſcribitur, [p] corruit tota ejus fides: quis enim præſtabit, non confinxiſſe totum, qui interpolare auſus eſt? Et, ſi verum fatendum, totam Sanchuniathonis hiſtoriam commendavit atque credibilem fecit falſa perſuaſio, ſacram coſmogoniæ hiſtoriam a Moſe traditam iſto Sanchuniathonis fragmento confirmari. Quæ non tantum Euſebio & Theodoreto, ut fuere patres eccleſiæ veteris in ejusmodi re nimis creduli, ſed & recentioribus & imprimis magno GROTIO [q] & HVETIO impoſuit. Qui ſi ad ea attendiſſent, quæ in deducenda naſcentis orbis hiſtoria poſt enarrata mundi geniti principia Sanchuniathon ille attulit, facile ingentem diſſenſum obſervaviſſent, & palpaviſſent, quo callido conſilio juratus Chriſtianorum & ſcripturæ S. hoſtis Porphyrius Sanchuniathonis coſmogonia ad evertendam oraculorum ſacrorum fidem & roborandam ſuperſtitionem uſus fuerit. Nec nos multum movent, quæ objicit [r] πάνυ GVNDLINGIVS: non probabile eſſe, Patres ſcriptum, quod totum fictum eſſet, paſſos eſſe ſibi obtrudi a Porphyrio inimico Chriſtianæque religionis deriſore. Nam hæc ad eam tantum opinionem refutandam valent, quam Vrſinus fovit, & Sanchuniathonem & Philonem in fraudulento Porphyrii ingenio enatum eſſe; non vero ad eam, quæ Philoni ſuppoſitionem tribuit. Quam parum quoque judicii & artis criticæ patres attulerint in dignoſcendis ſcriptis ὑποβολημαίοις, præſertim ubi adſtruendæ veritati religionis Chriſtianæ inſervire poſſe putabant, in eorum ſcriptis verſatum latere nequit. Quibus omnibus una ratiocinii lance comprehenſis & ad fidei hiſtoricæ trutinam examinatis non negamus, valde ſuſpectam nobis videri Philonis Byblii, quisquis ille fuerit, fidem; nec carere veriſimilitudine eam ſententiam, quæ ſtatuit, effinxiſſe illum totum illud opus, ut haberent gentiles, quæ ex domeſticis quaſi teſtibus Moſi opponerent, & ad roborandam ἀθεότητα adhiberent. Id quod ipſe ſubolfecit EVSEBIVS, [s] qui fatetur: Τοιάυτη μὲν αὐτῶν κοσμογονία, ἀντικρὺς ἀθεότητα εἰσάγουσα. Hujusmodi a Phœnicibus mundi ortus ponitur, qui omnem plane divinitatem exterminat: Quod vere

o) De *Iſid. & Oſiride.*
p) IVRIEV *Hiſt. crit. des dogmes P. III. c. 5. p. 432.*
q) De *V. R. C. l. I. §. 16. p. m. 38.* ed. Elzevir.
r) *Hiſt. phil. mor. c. VIII. §. 2. p. 108.*
s) *l. c.*

re dictum esse in sequentibus demonstrabimus. Conjicimus tamen auctorem cosmogoniæ Sanchuniathonis non totam effinxisse, sed materiam accepisse ab antiquis cosmogoniis Græcorum, quæ paria passim tradunt, indeque supposita origine Phœnicia, totam fabulam incrustasse. Verum hæc non nisi pro conjecturis venditamus, sacra enim hæc non aliter constant: momentum tamen non leve habere quilibet paulo prudentior ultro largietur. Quod si vero concedendum sit, esse omnia ista a Sanchuniathone, esse versa a Philone, multa tamen omnia difficultate & incertitudine laborant. Eleganter doctissimus WITSIVS: [t] *Sed undecunque sua habuerit Sanchuniathon, quis Sanchuniathonem habet? quicquid ille sua, i. e. Phœnicia lingua scripsit, illud omne pridem periit. In Græcum quidem sermonem Philo, non Iudæus ille Alexandrinus, sed gentilis aliquis Byblius Adriano σύγχρονος transtulit. At, quis dicet, qua fide? qua peritia? Sed neque Philonis illius quicquam supereſt, nisi ἀποσπασμάτια apud Eusebium & si quem forte alium, ubi inter multas fabulas vera aliqua quasi per nebulam deprehendas.* Addi his posset, excerpta deberi Porphyrio, jurato rerum Christianarum hosti, cujus fides suspecta non esse non potest.

Systema cosmogoniæ Phœniciæ.

§. VII. Supposita vero Sanchuniathonis æque ac Philonis Byblii fide & integritate, ita cosmogoniam Phœnicum, quamvis eam ex commentariis Thooti sive Hermetis desumtam esse nobis Philo persuadere cupiat, exponit fragmentum illud nobis servatum, ut has potissimum positiones exhibeat:

I. Principium hujus universi fuit aër tenebricosus, & spiritalis sive spiritus aëris tenebrosi, & chaos turbidum atque caligine involutum.

II. Hæc infinita fuere, multoque tempore ignara termini.

III. Vbi vero spiritus propriorum principiorum amore exarsit, factaque est inde commixtio, huic nexui nomen factum, desiderii sive cupidinis: hocque principium creationis omnium rerum fuit.

IV. Spiritus hic non cognovit suam generationem.

V. Ex connexione autem ejus spiritus, prodiit Mot.

VI. Mot autem limum nonnulli, alii aquosæ mixtionis putredinem esse volunt.

VII. Hinc factum est seminium omnis creaturæ, & omnium rerum creatio.

VIII. Inde orta certa animalia sensu carentia, ex quibus facta sunt animalia intelligentia prædita, quæ vocata sunt Zophasemin, id est, cæli contemplatores, in figuram ovi conformata.

IX. Post Mot autem sol, luna, stellæ & reliqua sidera illuxere.

X. Aëre vehementer illuminato per igneum & vehementissimum calorem terræ marisque, enati sunt venti & nubes, unde magnæ effusæ pluviæ.

XI.

t) *Ægyptiac. l. III. c. I. p. 201.*

XI. Aquæ hæ ſegregatæ & calore ſolis ſuo loco depulſæ, in aëre denuo concurrentes ſuo conflictu tonitrua & fulgura effecerunt.

XII. Hoc ſonitu animantia excitata & territa ex limo, quaſi ex ſomno, proſilierunt, & eruperunt tam ex terra, quam ex mari, mas & fœmina.

Hactenus generalia coſmogoniæ principia, quibus poſtea additur, quomodo ex vento, Colpia nominato, & muliere Baau, id eſt, nocte, primogeniti homines nati ſint, ex quorum generatione Phœnices tandem deſcenderint. Mirum vero, quam diverſas interpretationes hoc ortus mundi ſyſtema paſſum ſit. Veteres enim, quos diximus, & cum his recentiores nonnulli, inter quos GROTIVM [u] merito nominamus, magnam cum ſyſtemate Moſaico convenientiam ſe inveniſſe rati, non dubitarunt, Sanchuniathonem, non ex Aegyptiis, ſed Hebræis potius annalibus ea ſurripuiſſe, & ita Moſaicam geniti mundi hiſtoriam fabulis Phœnicum, more gentis, intertextam, exhibuiſſe. Aſſerere enim in hoc ſyſtemate Sanchuniathonem, æque ac Moſen, tenebras atque ſpiritum, duo primæva rerum condendarum principia: amoris ſignificationem apud Moſen eſſe in מרחפת, vi ſcilicet a Deo materiæ indita, μώτ vero ימוט, unde Græcum μόθος, eſſe תהום abyſſum jam commotam: & quia vox מרחפת proprie incubitum columbæ ſuper ovum ſignificet, ideo in iſto limo animantia, id eſt, ſidera, ut in ovo fuiſſe: hinc ovi mundani traditio, & ovorum progenies Dii Syri, id eſt aſtra. Sanchuniathonis vero noctem βάαν, eſſe eandem cum Moſis בהו, ventum autem, qui ibi dicitur κολπία, eſſe קל־פי־יה, vox oris Domini, ſive DEI. Ingenioſam atque eruditam eſſe hanc ſyſtematis Phœnicii explicationem magno viro, a quo profecta eſt, facile largimur, invita tamen veritate factam eſſe, & ideo tantum excogitatam, ut Moſes & Sanchuniathon in concordiam redigerentur, ex ipſa principiorum ſerie facile pateſcet. Includit Phœnicius, ſi illius eſt, philoſophus, ſpiritum materiæ, facitque eum tenebricoſum, eique infinito infinitum & ſine termino chaos adjungit: Spiritus hic nec ſui nec alterius rei generationisve conſcius eſt, partemque ſui cum animalibus intelligentibus, id eſt, ſideribus, vel, quæ ſtellis præſident, intelligentiis communicavit: Cupido, ſive generationis principium activum alterum, non extra in materiam inductum vel inpreſſum, ſed interna natura in materia eſt comprehenſum. Verbo & ſpiritus ille & chaos in uno ovo comprehenſi exhibentur, quod totum ſive univerſum repræſentabat. Quis hic præjudicio non occupatus Moſen cum Sanchuniathone conſpirare aſſerat, & non multo magis ingens intercedere diſcrimen, quod poſtea notabimus, animadvertat? Cautius itaque alii, qui ſatis perſpexerunt, Moſaica hic fruſtra in ſubſidium vocari, atomiſticum ſyſtema advocant, idque ſatis luculenter a Sanchuniathone exprimi judicant. [x] Poni ob oculos materiam confuſe disjectam, quæ tenebroſa

u) *l. c.* quem ſequitur CVDWORTHVS *Syſtem. intellect. c. I. §. 22. p. 27.* recte improbante venerabili interprete.

x) B. G. OLEARIVS *diſſ. II. de philoſ. Heraclit §. 2. in Hiſt. phil.* STANLEII *P. IX. c. XV. p. 658. ſeq.*

tenebroſa propterea vocetur. Eandem ob ſubtilitatem & mobilitatem aërem ſpirabilem, flatum, ſpiritum, & uno verbo, potiora ejus attributa complexo chaos turbidum & caliginoſum vocari. Chaos vero & atomos idem nonnullis eſſe. Reliqua omnia, quæ enarrantur, apprime in atomos ſeu minima corpuſcula, competere. Nullis terminis cohibitos & vagabundos longiſſimo tempore circumvolitaſſe, amore vero poſtremum, hoc eſt motu, quo ſe invicem nitebantur, coaluiſſe. Materiam vero, (quæ ſpiritus proprie dictus eſſe nequeat, cum συμπλοκὴ, miſtio ei tribui non queat,) ita coaleſcentem Mot produxiſſe, hoc eſt maſſam illam, omnium rerum ſemina complexam, ex qua illa ſuo ordine poſtmodum educta fuerunt, quam limum & aquoſæ mixtionis corruptionem Philo interpretatur, quod mixturæ terraqueæ ea ſimillima videretur, ſicut & Moſes eandem ob cauſam modo terram, modo aquam, molem iſtam appellaſſe videtur. Ab ingenio hæc quoque ſe commendant, cum Phœniciis vero non conſpirant, nec probabilia ſunt, adeo contortam ad hypotheſin interpretationem ſapiunt. Diſtinguuntur a Sanchuniathone materia hoc chaos ejusque ſpiritus tenebroſus, non vero ſunt eadem, vel ſpiritus affectio chaos. Multum quoque ex mente veterum inter chaos & atomos intereſt, nec dari poteſt ex concurſu atomorum ratio ortorum ſiderum intelligentia præditorum, niſi ſpiritus a chao ſive materia diſtinguatur, quod in ſyſtemate atomiſtico fieri nequit. Vt taceamus, ſimplicitati veterum coſmogoniarum, ex quibus hæc deſumta eſt, ſive vera ſit, ſive ſuppoſititia & ad modum earum excogitata, hanc explicationem repugnare. His itaque rejectis, ſupereſt tertia de hoc ſyſtemate opinio, quam multa eruditione exornavit RICHARDVS CVMBERLANDVS, [y] ſuamque fecere, celeberrimus MOSHEMIVS, [z] & viri doctiſſimi, qui ex Anglis hiſtoriam univerſalem condiderunt. [a] Obſervant, viri magno judicio præditi, recte judicaſſe EVSEBIVM, Phœnices ſoli, lunæ ac ſtellis divinitatem attribuiſſe, iisque ſolis rerum omnium ortus interitusque cauſam aſſignaſſe: ponique ab iis hujusmodi mundi ortum, qui omnem plane divinitatem exterminet: totumque ſyſtema eo tendere, ut Ægyptiorum & Phœnicum idololatria commendetur: cum Zophaſemin illi, nihil aliud ſint niſi planetæ ſtellæque fixæ, animabus præſidentibus præditæ, quibus cultum divinum exhibuerunt. Spiritum illum caliginoſum non poſſe eſſe Deum, cum hic ſpiritus nihil aliud dicat, niſi fœcundum aërem turbido rudi & indigeſto chao incluſum; hæc bina principia omni initio & fine carere: hunc ſpiritum materiæ inhabitantem & incluſum illis Deum eſſe; ex cujus copulatione ſive deſiderio jungendi ſe cum materia omnis creationis initium ductum ſit. Poſtquam ſpiritus ille in materiam æternam ſeſe inſinuavit, & eam pervaſit, extitiſſe in ea cœcum quendam impetum, ad ea ex ſeſe parienda, quæ creata jam exiſtunt. Nec ſpiritum illum ratione & conſilio egiſſe, ignoraſſe enim, quæ fierent, nec cognoviſſe τὴν ἀυτοῦ κλίσιν, ea, quæ genuit, vel copulatione ſua cum materia effecit, cuncta ut ita cœco fato facta ſint. Ex conjugio ſpiritus &

y) In libello Anglico: *Review of the Coſmogonia of Sanchuniathon.*

z) Diſſ. *de creat. ex nihilo §. 26. p. 992. ſyſt. int. Cudw.*

a) *Introduct. a l'hiſt. univerſelle p. 49. ſeqq.*

& chaus natum Mot, limum quendam, hunc ſolem, lunam, ſtellas procreaviſſe; ſidera poſtea calore & virtute ſua homines generaviſſe, & animalia. Rectiſſime hæc dicta eſſe, fatebitur, quisquis mediocri attentione hoc ſyſtema conſideraverit: quod totum eo tendit, ut ex uno univerſo & principio aliquo activo, etſi bruto, & nihil intelligente, & paſſivo ſive chao aquoſo & limoſo omnia conſtitiſſe, & æternis fati legibus atque motu producta tandem in ordine mundi viſibilia apparuiſſe exponat. Vnde ſequitur, Deum non alium eſſe, quam animam mundanam, chaos informantem, & tandem motu ſuo neceſſario, fatali & interno formam hanc producentem. Quæ opinio a Stoicis philoſophico ornata habitu in Græcia poſtmodum caput erexit, in antiquis tamen coſmogoniis hinc inde reperitur, & apud Ægyptios quoque invaluit. Vnde conjectura firmatur, callidum Sanchuniathonianæ fabulæ architectum, mutuo accepto ex veteribus coſmogoniis Stoico ſyſtemate, ſeque illi cum temperamento jungentem atque accommodantem illud nominibus quibusdam Phœniciis pinxiſſe, & ſuppoſitam antiquiſſimo viro in originibus ſacris deteſtabilem impietatem affricuiſſe, domeſtica quaſi Iudaicis oppoſiturus. Quod omnino Porphyrio, tantopere hæc commendanti placere debuit.

§. VIII. Etſi vero Sanchuniathonianam hanc coſmogoniam vetuſtiſſimorum Phœniciorum non eſſe, credibile eſt, facile tamen concedimus, hunc in modum per coſmogonias fabulis involutas Phœnices de origine mundi fuiſſe philoſophatos, ſed more barbaro: quas an ab Ægyptiis acceperint, incertum eſſe, fruſtraque diſputari deficientibus monumentis putamus: nam quæ SVIDAS [b] de Sanchuniathone habet, ſcripſiſſe eum *de Hermetis phyſiologia* & *Ægyptiacam theologiam*, nihil aliud eſſe videntur, quam quæ ex Sanchuniathone nobis excerpta dedit Euſebius; ea enim a Thoote vel Thoauto Ægyptiorum theologo accepiſſe traditur: quæ nullo loco habenda eſſe demonſtravimus. [c] Nec *myſtici & reconditi libri* ſuperſunt, quos apud Phœnicios inſpexiſſe indeque phyſiologiam didiciſſe Pherecydem Syrum tradit itidem SVIDAS, ſuſpectus negligensque in ejusmodi rebus teſtis. Ceterum Phœnicibus ingenium non defuiſſe viri magni, quos hæc terra aluit, quique in philoſophia celebre nomen ſibi pepererunt, probant, quorum aliquos nominat STRABO, [d] dubiumque non eſt, inter tot homines, qui mercatoriæ peritiæ laude excellebant, fuiſſe, qui ad philoſophiam ſe componerent. Verum hoc poſterioribus demum temporibus factum eſt, ubi Græci philoſophari, id eſt ſyſtemata condere cœperunt, quæ tempora cum antiquiſſimis quæ in hiſtoria philoſophiæ barbaricæ conſiderantur confundi non debent, & longe alia ſe demonſtrabant indole atque guſtu.

Phœnices ad philoſophiam non inepti.

b) In *Sanchuniathon. T. III. p. 274.* quod affirmat etiam CVDWORTHVS *l. c. p. 375.* præter rem ideo a cel. notatore reprehenſus.

c) In *Pherecydes T. III. p. 592.*

d) *Lib. XVI.* conf. BVRNETIVS *l. c.*

* *

CAPVT SEPTIMVM
DE PHILOSOPHIA AEGYPTIORVM.

§. I.

Ægyptii antiquiſſima natio, ſapientiæ laude inclyta.

Ex oriente ad meridiem in perluſtranda barbararum gentium philoſophia progreſſis, primi ſe Aegyptii oculis offerunt, vetuſtiſſima natio, quæque primam originis inter omnes gentes gloriam ambitioſe affectavit, & a ſe tanquam a fonte omnem ſapientiam dimanaſſe jactavit, unde gentium philoſophantium primi habiti quibusdam [a] ſunt, a quibus ad Chaldæos, reliquosque Aſiæ incolas ſapientiam & eruditionem diffuſam usque in extremam Indiam penetraſſe contendunt. Quod quidem præjudicium ſupra jugulavimus, falſumque eſſe demonſtravimus, Chaldæos atque Perſas ſua ab Aegyptiis accepiſſe, de Indis vero ſuo modo, ſi non de antiquiſſimis temporibus intelligatur, recte aſſeritur, eos Aegyptiorum fluenta in ſua arva derivaviſſe, coloniis veterum Aegyptiorum per orientem diſperſis. [b] Vnde recte obſervatum eſt viris eruditiſſimis originis Aegyptiacæ in doctrinis atque ceremoniis Indorum hodienum multa reperiri veſtigia: id quod ad hos homines tractationis ordine delato pluribus probare non obliviſcemur: Ceterum longe antiquiſſimam gentis non durationem modo ſed & eruditionem fuiſſe inter omnes conſtat, & ex iis pateſcet, quæ de eruditionis atque ſapientiæ Aegyptiacæ conditore Thooto in ſequentibus dicemus. Multumque facit ad commendandam gentis vetuſtiſſimæ ſapientiam, quod non tantum magni philoſophi, qui inter Græcos celeberrimum nomen conſecuti ſunt, quales fuere, Orpheus, Pythagoras, Thales, Democritus, Plato, aliique Aegyptios diſciplinæ cauſa adierunt, & a prophetis ſive ſacerdotibus Aegyptiorum ſapientiam & philoſophiæ myſteria accepiſſe plerisque creduntur: ſed & ipſe Hebræorum dux & doctor, vir maximus Moſes in omni Aegyptiorum ſapientia eruditus fuiſſe, [c] hæcque ſapientia Salomonis regis tempore jam celebratiſſima fuiſſe, in ſcriptura S. [d] dicitur. Mirum itaque non eſt, tum inter veteres eccleſiæ doctores, [e] philoſophiæ

a) MACROBIVS *Somn. Scip. l. I. c. 19. Saturnal. l. I. c. 14.* & imprimis Apollinis oraculum apud EVSEBIVM *præp. Evang. l. IX. c. 10.* his verbis:

Αἰπεινὴ γὰρ ὁδὸς μακάρων, τρηχῆατε πολλὸν,
Χαλκοδέτοις τὰ πρῶτα διοιγομένη πυλεῶσιν
Ἀτρέμπιτοι δὲ ἔασσιν ἀθέσφατοι ἐγγεγαῦιαι,
Ἃς πρῶτοι μερόπων ἐπ' ἀπείρονα, πρῆξιν ἔφηναν
Οἱ τὸ καλὸν πίνοντες ὕδωρ Νειλώτιδος αἴης.

Ardua & innumeris divum eſt via conſita ſaxis,
Ac primum e valvis rigido ſtridentibus ære
Panditur; hinc cæci ambigno diſcrimine calles,
Quos fructu immenſo primi docuere nepotes
Niliaco undantes potant qui gurgite lymphas.

Plures laudat ven. WOLF. ad ORIGEN. *philoſoph. p. 46.*

b) Cel. M. V. LA CROZE in luculenta *Chriſtianiſmi Indorum hiſtoria* paſſim: cui add. ven. MOSHEM. *ad Cudworth. ſyſt. int. c. IV. §. 18. p. 377.*

c) *Act. VII, 22.*

d) *1 Reg. IV, 30.* de utroque loco ſupra *c. I.* dictum eſt.

e) IVSTINVS *Qq. & reſp. 25. p. 406.* CLEMENS ALEXANDRINVS *Strom. l. I. p. 302.* PSEVDO-ORIGENES *philoſophum. c. II. p. 46.* aliique.

phiæ barbaricæ immenſum pretium ſtatuentes Aegyptiacam ſapientiam extolli; tum inter recentiores fere plerosque magna de ea ſentire atque dicere, ſic ut ignoremus, an ante HERMANNVM CONRINGIVM [f] quis auſus fuerit, exiſtimationi philoſophiæ Ægyptiacæ ex inſtituto & peculiari tractatione detrahere, cui cum tam vehementer contradictum fuerit, [g] teſtimonium id eſt, philoſophiæ Ægyptiacæ famam atque celebritatem altiſſimas in mentibus eruditorum radices egiſſe.

Difficultates in hiſt. philoſophiæ Ægyptiacæ.

§. II. Fecit hæc ſapientiæ, vel, ſi mavis, eruditionis Ægyptiacæ, & præſertim religionis, vel theologiæ, fama, ut certatim quidem viri graves atque eruditi inter veteres & recentiores in ea illuſtranda operam atque diligentiam ponerent; cave tamen ita in apricum productam Aegypti literatæ hiſtoriam putes, ut non denſiſſima incertitudinis & contradictionis nocte prematur apud eos, qui lucem his tenebris accendere conati ſunt. Quæ res difficillimam & fere inſuperabilem facit hiſtoriæ philoſophicæ apud Agyptios inveſtigationem, cauſasque atque fontes habet facilius detegendos quam ſobria cautaque ratione vitandos. Quos enarrare noſtra eo magis intereſt, quo magis multum refert in hiſtoria philoſophica, ſcire unde incertitudo oriatur, quibus prematur difficultatibus, quo usque ea ſuperari queat, quidve incertum relinquendum & ubi aſſenſus ſit ſuſpendendus? Cauſæ vero incertiſſimæ hiſtoriæ non tantum philoſophiæ, ſed & theologiæ & religionis, (quæ in barbaricæ philoſophiæ hiſtoria ob rationes ſupra laudatas quam maxime conſideranda eſt,) hæ imprimis notandæ ſunt. I. Et primam quidem tantarum tenebrarum in hiſtoria philoſophiæ & theologiæ Aegyptiacæ deprehendi ſolitarum cauſam ab ipſius antiquitate repetendam exiſtimamus. Non enim iis demum ſeculis enata eſt, quibus homines res geſtas atque memorabiles in literas retulerunt, & quibus illi vixerunt, qui teſtes adhibendi ſunt, nosque de rebus Aegyptiorum ſacris & profanis docuerunt: ſed ad canæ vetuſtatis ævum origines ſuas refert, quibus Thoot, vel Hermes hanc ſapientiam primus inveniſſe, ſuoque ævo tradidiſſe dicitur. Tum vero non artes tantum atque ſcientiæ verſabantur in incunabulis & ſola traditione propagabantur, nec literis quicquam mandabatur: ſed vetuſtas quoque omnia fabulis replevit, incertiſſimas traditiones effecit, monumenta illa, quæ Thootus ſtatuiſſe, ſuamque eruditionem poſteris tradidiſſe dicitur, everſa, ſicque de antiquiſſimis illis temporibus nihil nobis relictum eſt, præter incertiſſimas conjecturas. II. Eadem vero temporum injuria innumeris terras gentesque Aegypti mutationibus ſubjecit, inundationibus diſſipavit, veteresque migrare colonos coëgit; bellis peregrinarum gentium jugo & cum eo moribus quoque, ritibus, conſuetudinibus & placitis ſubjecit; ad mutatam toties rationem ſtatus publici regni, potiſſimas doctrinas toties immutavit, colonias peregrinas, earumque traditiones inter inquilinos plantavit

f) In libro *de Hermetica Ægyptiorum veterum & Paracelſica recentiorum medicina.*

g) Ab OLAO BORRICHIO, cujus hac de re ſcripta infra nominabimus.

atque miſcuit, & quæ aliæ fuere, uti omnium regnorum, ita imprimis Aegypti, teſtante hiſtoria, viciſſitudines; quæ non potuere non & religionem & placita atque doctrinas gentis Ægyptiæ quam maxime adulterare; qui viciſſitudinum politicarum effectus cum plerisque, qui hiſtoriam Ægypti nobis reliquerunt, intacti manſerint, mirum non eſt, & ipſas doctrinas, non advertentibus auctoribus, inter ſe variis temporibus diſſenſiſſe, & ſcriptores variorum ſeculorum res enarrantes diverſa & diſſonantia tradere, vix unquam concilianda. III. Accedit modus proponendi arcana dogmata hieroglyphicus, reconditisque imaginibus conſtans. Qui cum obſcuriſſimis ænigmatibus cuncta reconderet, nec quæ requirebatur, clavem aliis, niſi qui initiati erant, traderet, ea tandem amiſſa penitus, & temporis injuria deperdita occaſionem exhibuit ita vetuſtiſſimorum Ægyptiorum placita explicandi, prout cuilibet commodum eque re ſua erat. Ita ſcilicet, quot capita, quot collegia, quot ſectæ erant, tot ſenſus obſcuriſſimarum & non intelligibilium imaginum, tot explicationes auctoribus hieroglyphicarum notarum ignotæ excogitabantur. IV. ſæpiſſime vero id accidiſſe, concedet ultro, qui cogitaverit, non unam unius populi totiusque terræ Ægyptiacæ religionem, ſententiam atque doctrinam fuiſſe, ſed invicem multum diſſonaſſe. Eleganter & admodum luculenter id notavit doctiſſimus MOSHEMIVS, cujus verba, cum rem mirifice illuſtrent; pace viri celeberrimi, noſtra facimus: [b] „Inter nos, ait, qui certis „utimur doctrinæ formulis, quibus omnes alligantur ſacrorum miniſtri, „ex unius urbis religione plerumque de totius provinciæ ſacris judicium „ferri poteſt. At ejusmodi ſymbolis & formulis nullus erat inter antiquos „Deorum cultores locus, nec omnes ſacerdotes iisdem adſtricti erant de re„bus divinis (etiam naturalibus) ſententiis. Quocirca fieri non poterat, „quin in uno populo multæ eſſent de re ſacra opiniones, aliterque Theba„ni, Saitanique ſacerdotes, aliter Memphitani docerent.“ Hæc acutiſſimus vir, dignus, qui & in ſequentibus, quibus multam lucem dictis accendit, legatur. Nam cuilibet ad res Aegyptiorum attendenti, diverſiſſimasque & inter ſe diſſonas relationes atque explicationes, quas Herodotus, Diodorus Siculus, Plutarchus aliique de doctrinis Ægyptiis afferunt, expendenti, luculento teſtimonio patebit, innumeras fuiſſe ſententias a ſe invicem abeuntes, nec caruiſſe Ægyptum minus, quam alias regiones, ſectis multum inter ſe diſſidentibus, cum alias tot diverſiſſimarum ſibique ſæpe contradicentium ſententiarum & opinionum ratio dari nequeat. V. Multum vero mutationis paſſa eſt ſapientia ſive eruditio Ægyptiaca, ex quo peregrini reges magnis exercitibus Ægyptum invaſerunt, urbes diripuerunt, colonias deduxerunt, & pleraque immutarunt, tranſeuntibus ſenſim in mores victorum victis. Imprimis vero magnam mutationem philo-

b) In *annot. ad* CVDWORTHI *ſyſt. intellect. c. IV. §. 19. p. 415. ſeqq.* ubi magno judicio paucis paginis plura & ſolidiora de religione & theologia Ægyptiorum afferuntur, quam in magnis voluminibus, quæ nobis obtruſit ATH. KIRCHERI audacia.

philoſophiæ atque theologiæ Ægyptus ſenſit, poſtquam Alexander M. rerum in Ægypto potitus eſt, & coloniam, excitata Alexandria urbe, Græcam deduxit, eamque gentibus peregrinis & ἀλλοτρίοις locupletavit. Ex eo enim tempore in populo ex Aſiaticis, Græcisque coloniis cum Ægyptiis mixto, cum literarum ſedes Alexandriæ conſtitueretur, longe alia, quam antea fuit, theologiæ & philoſophiæ facies enituit. Cum enim plerique patriæ ſuæ decreta & opiniones ſequerentur, factum eſt, ut orientalis philoſophiæ, paucis ante C. N. ſeculis late per Aſiæ provincias vagantis ſomnia etiam in Ægyptum irreperent: immo Iudæorum quoque, famam atque nomen Alexandriæ ſub Ptolomæorum imperio ſibi acquirentium dogmata ipſis regibus, & eruditionis principibus viris innoteſcerent: præcipue vero Græcanicæ ſectæ, & inter eas præcipue Pythagoræ atque Platonis ſcholæ caput erigerent. Has tamen omnes ſententiarum & ſectarum cohortes religioni & placitis regni accommodare neceſſe erat, niſi ſacerdotum collegia & genus irritabile vatum tanquam crabrones in ſe incitare vellent philoſophiæ atque theologiæ in Ægypto novi conditores & interpretes. Inde vero mira diverſitas, & longe alia religionis atque doctrinæ in Ægypto facies, quam antea fuit, qualem tandem, quæ ſumma rerum philoſophicarum potita eſt, Alexandrina Platonicorum ſchola, poſtea exhibuit, & IAMBLICHVS potiſſimum in notiſſimo, de myſteriis Ægyptiorum libro expoſuit. Qua de re cum ſuo loco ex inſtituto dicendum ſit, plura, ubi alia agenda ſunt, non cumulamus. V. Auxit vero mirum in modum hanc ſententiarum atque doctrinarum diverſitatem, conditio ſacerdotum, de quibus poſtea ſermonem inſtituemus, quæ talis fuit, ut imperio, & rationibus imperantium ſeſe accommodaret. Hinc ut requirebat regis atque imperii ratio & utilitas, doctrina inſtituta & ad populum ſuperſtitioſum, & nullo examine traditiones ſacerdotum expendere auſum, auctoritatique verſipellium impoſtorum collum ſubdere aſſuefactum delata eſt. Quod eo facilius fieri potuit, quo magis non tantum a ſacris libris adytisque arcebantur non initiati, ſed & hieroglyphica docendi ratio quælibet mediocri ingenio prædito exſculpendi occaſionem ſubminiſtrabat. Quod ſi quis celſiori ſpiritu uſus, & ſacra ipſa intus inſpiciendi cupidus, huic conſilio animum applicabat, & ſacerdotibus ſe adjungebat, tot ille vexationibus, ſuppliciis, aliisque exercitationibus triſtiſſimis, moleſtiaque laboris tanta obruebatur, ut non niſi exercitatiſſimus, cujusque fidei & dexteritati tuto res concredi poſſet initiaretur. Ita vero in arcanis myſteriis latebant omnia, quique ſemel admiſſus erat ἐπόπτης, ita religione impediebatur, ut nihil de arcanis iſtis effutire auderet. Quæ ſi recte cogitamus, & arcanam hanc Ægypti diſciplinam attente expendimus, ancipites nos fere faciunt, an unquam eſotericæ arcanæque Ægyptiorum doctrinæ innotuerint? certe inde concludendum, non niſi incertiſſimis conjecturis conſtare omnia, quæ de doctrinis Ægyptiacis ad nos pervenerunt. VI. Multum vero auxerunt has difficultates Græci ſcriptores, quorum relationibus tamen pleraque debemus, quæ nobis de Ægyptiorum opinionibus, atque dogma-

dogmatibus innotuerunt. Illi enim infano, quod ſupra jam atro carbone notavimus, conſilio, res Ægyptiorum ſacras atque dogmata cum domeſticis ſuis comparantes, inepte, deos Ægyptiorum & theogoniam eorum cum ſuis numinibus atque fabulis permiſcuerunt, levique animadverſa ſimilitudine v. g. Oſirin cum Iove, Typhonem cum Plutone, Amenthen cum Hade idem eſſe putarunt, ſicque ima ſummis quadrata miſcuerunt rotundis, ut attentus cautusque rerum Ægyptiacarum ſcrutator in labyrintho hoc filum, quod educat, non inveniat. VII. Attulerunt quoque multum ad hanc confuſionem augendam Græci philoſophi, qui in Ægypto fuere, ibique arcanam philoſophiam didiciſſe gloriati ſunt. [i] Illi enim cum peculiaria ſyſtemata conderent, ſectarum, quas moliebantur, capita evaſuri, doctrinis ſuis ex Ægyptiaco nomine auctoritatem atque fidem conciliarunt: licet & exigua didicerint in Ægypto, & proprii ingenii cogitata potius Ægyptiacis commixta, auditoribus & ſectatoribus propinaverint. Hoſpitem eſſe oportet in philoſophia Pythagoræ & ſcriptis Platonis, qui id ignoret: quam male vero id factum ſit, tum cognoſcimus, quando Orphei, Pythagoræ, Thaletis, Platonis aliorumque doctrinas tot capitibus inter ſe diſſidentes comparamus, qui tamen omnes in Ægypto ſua hauſiſſe gloriati ſunt. VIII. Nec multum promittendum ſibi eſt a recentioribus Ægyptiacæ doctrinæ interpretibus. Cum enim obſcuriſſimas veterum traditiones & præcipue ſymbolica illa & mythologica monumenta, quæ naufragium evaſerunt, & ad nos pervenerunt, ſequerentur, & ad momenta hactenus explicita non, prout debebant, attenderent, miras nobis exſculpſerunt Ægyptiacorum myſteriorum explicationes, ita inter ſe diſſentientes, ut quantum a veritate abſint, ſi alia non eſſent, vel ex his ſolis circumſtantiis & quæſitis recentioribus εὑρήμασι præſidiis conſtet. Quæ enim non inventio recentior tributa eſt Ægyptiis, quæ in aſtronomia, chemia, reque medica ſingularia illis non tributa ſunt, & de his in mira ſententiarum divortia diſceſſum eſt? Cujus ut exemplum luculentum afferamus, ea potiſſimum lectori in mentem revocamus, quæ intra ſeculi unius ſpatium de menſa Iſiaca ſcripta atque diſputata ſunt. * Tandem IX. has difficultates in cognoſcendis veteris Ægypti doctrinis atque placitis auget mira ſcriptorum de illis inopia, & imprimis deſiderati teſtes domeſtici. Et Sanchuniathonem quidem phyſiologiam Hermeticam & Ægyptiacam theologiam ſcripſiſſe ſupra [k] ex SVIDA obſervavimus, quam parum vero auctoritatis ei tribui queat, ſupra quoque vidimus. Chæremon quoque, ſacerdos Ægyptius, *Hieroglyphica* [l] & *res Ægyptiacas* literis commiſit; Manetho ** vero Ægyptius res ſacras pariter atque profanas gentis ſuæ diverſis libris expoſuit. Aſclepiaden porro in ſacris Ægyptiorum exercitatiſſimum ſcripſiſſe *hymnos in Deos Ægyptiorum & de omnium religionum conſenſu* aliaque huc pertinentia, refert

Scriptores de philoſophia Ægyptiorum.

i) Vid. IAMBLICHVS initio operis *de Miſteriis Ægyptiorum.*

k) *Cap. VI. §. 8.*

l) Vid. ERASMVS *Adag. feſtina lente p. m. 351.* laudat hunc Chæremonem PORPHYRIVS *περὶ ἀποχῆς l. IV.* contemnit STRABO *l. XVII.* qui ignarum & oſtentatorem eum vocat. Videndus de eo VOSSIVS *de Hiſt. Græc. l. II. c. I. p. 164. ſeq.*

fert SVIDAS. [l] Laudantur insuper veteribus Hecatæus *de Ægyptiorum philosophia*, [m] & Palæphatus de eodem argumento, [n] ut Horum Apollinem taceamus infra nominandum. [o] Verum hi omnes temporis injuria, & forte fatali bibliothecæ Alexandrinæ, in qua Ægyptiacæ sapientiæ thesauri sine dubio reconditi fuere, incendio perierunt, adeoque paucæ reliquiæ inter Græcos, qui hos libros adhuc viderunt, vel fragmenta habuerunt, quærendæ sunt. Recentiores etsi multi sunt, qui rebus Ægypti lucem affundere, & imprimis dogmata Ægyptiaca illustrare aggressi sunt, [p] parum tamen a plerisque præsidii ex supra dictis rationibus sperandum est, quoniam varia præjudicia ad hoc opus attulerunt: id quod imprimis de ATHANASIO KIRCHERO viri docti observarunt: [q] multum tamen lucis attulit IOANNES MARSHAMVS, [r] cujus tamen lapsus correxit H. WITSIVS. [s] Alios de re literaria Ægyptiaca bene meritos [t] suo loco nominabimus.

* Pertinet hæc mensa Isiaca inter reliquias veteris Ægypti hieroglyphicas, quas tempus miro fato nobis conservavit. Inciderat enim in manus fabri alicujus, e quibus confringendam & conflandam eripuit Petrus Bembus, qui ab eo pretiosum Ægyptiacæ sapientiæ monumentum ære redemit. Ab eo Dux Mantuæ Vincentius accepit, inter cujus suppellectilem, urbe Mantua a Cæsareis occupata, 1630. anno cum reliqua præda direpta ita evanuit, ut nemini de ea aliquid amplius innotesceret. Tandem ab Archiatro Ducis Sabaudiæ detecta, thesauris heri antiquis illata est. Ea vero elegantissimis figuris æri insculptis auroque distinctis superbiens luculentum exemplum exhibet sapientiæ Ægyptiacæ nullis eruditorum laboribus ita explicandum, ut non fœcundis ingeniis materia abunde superfit, longe alia inde exsculpendi. Kircherus enim, ænigmatum hieroglyphicorum interpretationes ad res sacras & religionis referens, nescio quæ mysteria sibi detexisse visus est, religioni Christianæ proficua. LAVRENTIVS vero PIGNORIVS, qui eruditum commentarium de ea scripsit, quem ANDREAS FRISIVS auctiorem edidit *Amstelod. 1669.* philosophiæ moralis atque politicæ præcepta in ea detexisse sibi visus est. Immo, quod mireris, OLAVS RVDBECKIVS in *Atlantide P. II c. 11.* Calendarium Runicum exsculpsit, & IO. FRID. HERWARTVS in *admirandis ethnicæ theologiæ mysteriis, Monachii 1626. 4.* editis, magnetis pyxidisque nauticæ naturam & admirandos effectus usumque in re nautica in illa mensa adumbrari, orbi

l) *T. II.* voc. *Heraiscus p. 67.* de hoc Asclepiade, qui ex secta philosophorum Alexandrinorum fuit, dicetur suo loco. Ex secta de ejus scopo judicandum. conf. PHOTIVS *Cod. CCXLII.*

m) Vid. VOSSIVS *l. c. l. IV. c. 3. p. 438. seqq.*

n) SVIDAS v. *Palæphatus T. II. p. 8.* VOSSIVS *l. c. l. III. p. 395.*

o) IAMBLICHVS *de mysteriis Ægyptiorum* occurret suo loco, liber vero ARISTOTELI tributus *de mystica Ægyptiorum philosophia*, qui editioni Casaub. in fine ex versione IAC. CARPENTARII adjectus est, suppositicius est. Conf. FABRIC. *vol. II. p. 162. seq.*

p) Potiores enarrat cel. C. A. HEVMANNVS *Act. philos. T. II. p. 190.*

q) Vid. judicia eruditorum ab HEVMANNO *l. c.* allata.

r) In *Canone Chronico.*

s) In *Ægyptiacis.*

t) In his est ven. REIMMANNVS in *antiquitatibus literariis Ægyptiacis*, conf. *Acta phil. T. II. p. 684.* ACOLVTHI vero laborem prævertit mors, vid. HEVMANN. *Poecil. T. II. l. 4. p. 546.* & SICHARDI quoque. vid. *Memoires de missions de la C. de I. dans le Levant. T. V. p. 204.*

orbi literato perſuadere voluit. Erudite & conquiſitis ſpecioſis argumentis & Pignorium & Rudbeckium viros doctiſſimos, & Kirchero eruditione atque judicio longe ſuperiores, argumentum excuſſiſſe non negamus; ex diverſiſſimis tamen de ſignificatione hieroglyphicarum harum imaginum opinionibus ſole meridiano clarius eſt, fruſtraneum eſſe laborem, qui in interpretandis ſolvendisque his ænigmatibus conſumitur; cum prout quis magis eſt ingenio fœcundus, & a cognitione veterum rerum non imparatus, eo facilius ſibi ſtruit explicationem non incommodam, ſed ſui potius ingenii luſibus, quam veritate nixam. Quæ cum ita ſe antiquiſſimis temporibus habuerint, qui potuit fieri aliter, quam ut ſacerdotes Ægyptiaci, callidiſſimi homines, naſcentis Ægypti monumenta hieroglyphica a nemine intellecta, ita interpretarentur, ut quicquid vellent, & rationibus ſuis principiisve conſonum eſſet, ex iis exſculperent, ſicque doctrina Ægyptiorum, quæ in his imagunculis ſervari credebatur, mire variaret. Cum enim in Ægyptiaco monumento Lapponum characteres, & ultimi Septentrionis monumenta in Memphiticis non ſine eruditione & quadam ſpecie invenerit Rudbeckius, quæ quæſo monſtra opinionum non potuere in iis detegere homines vaferrimi, qui ad perſuadendas plebi ſuas nugas non eruditione, ſed auctoritate & charactere ſuo tantummodo opus habebant. Conf. quæ prudenter monet MORHOFIVS *Polyhiſt. lit. T. I. l. I. cap. 13. §. 5.* add. WAGENSEILIVS *Comment. de rep. Norimberg. pag. 85.* Ceterum ſi aſſenſum merentur, quæ B. FABRICIVS *Menolog. pag. 24.* non ſine veri ſpecie conjicit, imagines has hieroglyphicas referre duodecim ſigna Zodiaci, menſesque Ægyptiorum, res levis & exigui argumenti occultatas mira myſteria promittere, ſed corvos deludere hiantes, prodit.

** Cum Manetho unus fuerit ex Ægyptiis ſacerdotibus, quibus eruditio gentis commiſſa fuit, indictus plane in hiſtoria philoſophica dimitti nequit, præcipue cum non ſemel apud veteres ſcriptores ejus fiat mentio. Virum vero hujus nominis ſapientia ſumma præditum apud Ægyptios floruiſſe teſtis eſt AELIANVS *de Animal. lib. X. cap. 16.* patria an Dioſpoli vel Sebennytide oriundus fuerit, ſuo jam tempore dubitavit SVIDAS in *Manethon. T. II. pag. 490.* quamquam in proœmio operis ſui apud SYNCELLVM *pag. 40.* ſe vocat, ſacerdotem & notarium ſacrorum penetralium per Ægyptum, genere Sebennitam, Heliopolitanum, conf. MARSHAM. Προκατας. *Can. chron. pag. 2.* unde audiendus non eſt MENAGIVS *ad Laert. lib. I. ſ. 10.* qui duos inde viros exſculpit. Vixit ſub Ptolomæo Philadelpho Ægypti rege, & Græcanicam eruditionem doctus fuiſſe dicitur IOSEPHO *lib. I. contra Apion. pag. 1039.* Cum vero & in Ægyptiaca eruditione fuerit verſatiſſimus, & ex hierogrammateων numero, quibus ad ſacros & arcanos libros gentis aditus patuit, facile inde colligi poteſt, Manethonem non ultimum eruditorum ſidus fuiſſe, & potuiſſe de Ægyptiorum rebus multa egregia docere. Optandum itaque eſſet, ut ſupereſſent libri, quos Græca lingua *de rebus & religione Ægyptiorum* conſcripſit,

ſcripſit, inter quos, præter *tres libros Ægyptiacorum*, quos ex ſacris Hermetis columnis confecit, & de quibus VOSSIVS *de hiſtor. Græcis lib. I. cap. 14. pag. 89.* & MARSHAMVS *l. c.* videndi, fuere quoque *Liber ſacer*, in quo de Theologia Ægyptiorum egerat, & *de antiquitate & pietate*, ſive *de priſcis & religioſis Ægyptiorum ritibus* commentarius, *epitome* quoque *phyſica* & alia, LAERTIO *lib. I. ſ. 10.* SVIDAE *l. c.* EVSEBIO *de præp. lib. II. cap. 1.* memorata, unde cuncta digeſſit & more ſuo diligentiſſime enarravit præſtantiſſimus FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. pag. 494. ſeqq.* Hi enim libri ſi extarent, non tantum de hiſtoria Ægypti, ſed etiam de Diis eorum, a quibus fabuloſam gentis originem deducit, de ritibus, placitisque theologicis, melius conſtaret. Non diffitendum tamen, ita cum circumſtantiis hujus viri eſſe comparatum, ut difficili cautoque hiſtoriæ veteris ſcrutatori non parum ſuſpectus videatur. Dicitur enim EVSEBIO *l. c.* hiſtoriam ſuam atque theologiam eruiſſe *ex columnis in Seriadica terra poſitis, quibus ſacra dialecto ſacræ erant notæ inſculptæ a Thoot, primo Mercurio, poſt diluvium vero ex ſacra lingua in Græcam notis ibidem ſacris verſæ fuerunt, interque libros in adyta Ægyptia relatæ ab Agatho dæmone, altero Mercurio patre Tat, unde ipſe ait libros ſcriptos ab avo Mercurii Trismegiſti.* Videbimus vero in ſequentibus, non intellecta a quoquam ſacra illa ſigna, a primo eruditionis Ægyptiacæ auctore columnis inſculpta, & illa quoque in ſacris adytis repoſita fuiſſe commentaria, quibus illuſtrata a ſequentium temporum theologis ferebantur. Erant itaque omnia illa monumenta in poteſtate ſacerdotum, vaferrimi, quod probatum dabimus, hominum generis, & ad decipiendam plebem nati factique, qui de ſacris his & venerandis monumentis ea recitabant, quæ ſectæ ſuæ placebant. Duplex itaque merito contra Manethonis fidem ſtruitur argumentum. Nam incertum eſt, an vetuſtiſſimos illos libros & hieroglyphica ſigna ex mente conditorum intellexerit, quod in tanta eorum vetuſtate credi vix poteſt; & ſi potuit verum ſcire, dubium admodum eſt, an dicere vel ſcribere verum voluerit, fraudibus hierophantarum Ægyptiorum malaque fide diu jam notis. Multum vero auget hanc ſuſpicionem, quod fragmenta, quæ ex opere ejus hiſtorico apud IOSEPHVM, EVSEBIVM, AFRICANVM, SYNCELLVM obvia cum temporum & hiſtoriarum rationibus atque dynaſtiis Ægyptiorum, quales reliqui hiſtorici enarrant, non conveniant, id quod præſtantiſſimi viri SCALIGER, PETAVIVS, MARSHAMVS, VSSERIVS, qui in temporum rationibus enodandis verſati ſunt, obſervarunt. Accedit, ipſum Manethonem faſſum eſſe, ſe ἐκ τῶν ἀδεσπότων μυθολογουμένων quædam addidiſſe, vid. IOSEPHVS *l. c. pag. 1052.* Fidem itaque Manethonis dum elevant viri judicio prædíti, nominati FABRICIO *l. c. pag. 496.* quibus addendus VRSINVS *de Zoroaſtre ex. II. ſ. 4. pag. 99.* præter rem ideo notatus OLAO BORRICHIO *de ortu & progreſſu Chemiæ pag. 65. ſq.* etſi hoc ad hiſtoriam potiſſimum pertineat, quis quæſo apud eum in incertioribus, qualia ſunt

placita primorum Ægyptiorum de religione, magnam fidem requirat? Quod ſi ei fidendum haud facile eſt, qui inter ipſos gentis ſapientes magnam celebritatem conſecutus eſt, & ad monumenta arcana aditum habuit, quid quæſo fidei illis tribuendum, qui remotiores occaſione, tempore, natione a rebus Ægyptiis de alienis narrationes contexuerunt? Vnde incertitudo hiſtoriæ philoſophiæ Ægyptiæ mire illuſtratur & confirmatur. Verum ſi quæ ſperanda eſſet ex Manethonis ſcriptis notitia rerum & doctrinarum philoſophicarum, omnia illa tamen nobis temporum injuria eripuit, nec nobis relicta alia præter ejus *apoteleſmatica*, ſive *de viribus & effectis aſtrorum libri ſex*, *editi* a IACOBO GRONOVIO *Lugd. Batav. 1698. 4.*

Auctor ſapientiæ Ægyptiacæ Theut, Hermes, ſive Mercurius.

§. III. Auctor ſapientiæ Ægyptiorum magno veterum conſenſu THEVT, vel THOYT, quem Alexandrini Thoot, Phœnices Taaut nominaverunt, varia oris in uno nomine pronuntiatione. Eum Græci unanimi fere conſenſu HERMETEM, Latini dixerunt MERCVRIVM. Obſcuriſſima vero celebratiſſimi hujus viri magnisque difficultatibus impedita eſt hiſtoria. Nam & ipſa antiquiſſima, quo vixiſſe dicitur tempora ſitu & ſqualore obducta omnem nobis, quæ certa eſt, eripuerunt notitiam, & quæ ab iis ad poſteritatem demanarunt traditiones adeo inter ſe variant, tamque lubrico innituntur fundamento, ut, quo quis tuto conſiſtat, non inveniat. Multum vero impediorem fecit Theuti ſive Thooti hiſtoriam Græcorum ineptus mos, mythologiam ſuam cum peregrinarum gentium fabulis conciliandi. Cum enim ab Ægyptiis audirent, Thoytem omnis eruditionis, ſcripturæ, artiumque reliquarum omnium inventorem atque auctorem fuiſſe; eaque de Mercurio ſive Hermete apud ipſos dicerentur, unum eundemque eſſe virum magnum rati, totam fabularum de Mercurio congeriem ad Thoytum Ægyptiorum retulerunt. Cumque Græci ſumma rerum per Alexandrum M. potirentur, & Ægyptii ad eruditionem Græcanicam ſe componerent, ipſum hoc præjudicium ad Aegyptios quoque ſacerdotes tranſiit, qui, non parum inveniſſe, quod religionem ſuam juvaret, ſi Græcorum Hermetem ſuæ religionis & ſapientiæ conditori applicarent, & cum eo componerent, ſibi viſi, nugas Græcas ſuis inventis auctas & commixtas ita amplexi ſunt, ut eas totas intra ſacram mythologiam receperint. Horum vero hominum, qualis Manetho fuit τῆς Ἑλληνικῆς μετεσχηκὸς παιδείας, ut vocatur IOSEPHO, [u] traditionibus pleraque debent ſcriptores, qui de Hermete nobis conſtruxerunt narrationes, quæ, quam fidem mereantur, ex dictis abunde liquet. Difficile itaque, immo, ſi dicendum, quod res eſt, impoſſibile eſt, Hermetis Aegyptii veram hiſtoriam ex fabulis eruere, & ſignificationem narrationum mythologicarum certam explicare: quod qui ſpondent, tanto promiſſores hiatu nihil dignum præſtant. Non detinebimus itaque lectorem fabularum de Mercurio Græcarum atque Latinarum recitatione, quas qui legere vult, apud LILIVM GYRALDVM [x] vel NATALEM

[u]) *Contra Apion. l. I. p. 1059.*

[x]) *Hiſt. Deor. l. IX.*

LEM COMITEM [y] aliosque mythologiæ veteris interpretes abunde inveniet, unde ſitim extinguat: ſed ea potiſſimum eligemus, quæ propius ad Aegyptiacæ ſapientiæ hiſtoriam pertinent, & quadam probabilitate ad eam referuntur. Et initio quidem omnino notandum eſt, CICERONEM [z] quinque Mercurios enumerare, quorum tres Græci ſunt, *quartus*, inquit, *Nilo patre natus, quem Aegypti nefas habent nominare: quintus quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur interemiſſe, ob eamque cauſam Aegypto præfuiſſe, atque Aegyptiis leges & literas tradidiſſe. Hunc Aegyptii Thoyth appellant, eodemque nomine anni primus menſis apud eos vocatur.* Quibus verbis antiquiſſimum Aegyptiorum Mercurium intelligi, a Cicerone vero cum Mercurio Arcade confundi recte notavit IOANNES MARSHAMVS, [a] notabili exemplo, qua ratione Græci & Latini peregrinas hiſtorias cum ſuis male comparaverint. Hunc vero Mercurium fuiſſe ex Deorum Cabirorum numero, Iovis filiorum, qui in oriente Cabiri dicti ſunt, ſive id potentes ſive ſocios denotet, & quibus templum Memphi vetuſtiſſimum fuiſſe HERODOTVS [b] tradit, veteres referunt. Adeo vero incerta & inter ſe diſſonantia ſunt omnia, quæ viri docti de his Diis Cabiris diſputant, [c] ut inde lux hiſtoriæ Mercurii accendi non queat. Diis tamen magnis miniſter tantum Mercurius fuiſſe dicitur, & Sanchuniathoni, [d] ſi genuina ſunt, quæ ei tribuuntur, ſcriba Saturni, vel, quod refert DIODORVS, [e] Oſiridis, filii Saturni. Vnde conjicere eſt, Thoythum apud primum aliquem Aegypti regem miniſterio functum, a conſiliis fuiſſe, addit enim DIODORVS: *Oſirim cum Mercurio omnia communicaſſe, ejusque conſilio maxime uſum fuiſſe, illumque in honore ante omnes habuiſſe, cum eſſet perſpicacis ingenii in excogitandis humanæ vitæ commodis.* Addit porro: *Eum primum communem loquelam articulatim diſtinxiſſe, & rebus multis nomine deſtitutis nomen indidiſſe; literas inveniſſe; Deorum cultus & ſacrificia ordinaviſſe; primum aſtrorum ordinem vocumque harmonias & naturas obſervaviſſe; palæſtræ inventorem fuiſſe, lyræ & oleæ.* Quibus verbis Diodorus quidem Græcum Mercurium cum Ægyptio in quibusdam miſcet: ſatis tamen innuit, quod ipſi Ægyptii conſtanti traditione aſſerunt, omnia inventa eſſe a Mercurio: leges imprimis adjicit CICERO & AELIANVS. [f] Imprimis vero literarum inventionem ei tribuunt PLATO [ff] & Sanchuniathon quoque, quod etſi dubitanter aſſerit PLINIVS [g] facile tamen credi poteſt, ſi de hieroglyphicis notis, ex quibus poſtea literæ efformatæ ſunt, intelligas, iſtis enim Mercurii primi temporibus:

y) *Mythol. l. V. c. 5. p. m. 439.*
z) *De nat. Deor. l. III.*
a) *Canon. Chronic. Sec. I. p. 35.*
b) *Lib. III. c. 37.*
c) Videndi VOSSIVS *de idololatr. l. II. c. 57. p. 228.* TOBIAS GVTHBERLETHVS *de myſt. Deorum Cabirorum.* RELANDVS diſſ. *de Diis Cabiris T. I. diſſ. ſelect. T. I, p. 94.* quosque alios laudat FABRICIVS *Bibliogr. antiquar. p. 240.*
d) Apud EVSEB. *præp. l. I. c. 9.* e) *Lib. I.*
f) *Hiſt. an. l. XIV. c. 34.*
ff) In *Phædro* & *Philebo* qui tamen de literis intelligit, conf. MARSHAM *l. c. p. 37.*
g) *Lib. VII. c. 56.*

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, & ſaxis tantum volucresque feræque
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas. [b]

Sicque componi atque conciliari inter ſe poſſunt, qui Aſſyriis literarum inventionem tribuunt, & qui Ægyptiorum Hermetem ejus auctorem faciunt. Præter hæc multa alia de eo referunt ſcriptores, hic ubi certa vel veriſimilia ſaltem ſectamur, non afferenda, cum inanes certe obſcuriſſimas & non intelligibiles Græcorum fabulas exhibeant. Hæc vero incertitudo, varietas & obſcuritas narrationum de Thoytho ſive Hermete Ægyptiorum occaſionem obtulit viris non obeſæ naris, omnem prorſus eis fidem detrahendi dubitandique an unquam Mercurius Ægyptiorum extiterit? Id quod nonnullis accidit, ſibi perſuadentibus, Mercurium hunc non fuiſſe humani ſanguinis, ſed vel dæmonem aliquem, vel occultam quandam naturæ vim iſto nomine denotatam. [i] Imprimis erudite & diligenter in hoc argumento verſatus eſt IOH. HENRICVS VRSINVS, [k] qui adhibita omni induſtria evincere conatus eſt, meras fabulas redolere, quicquid ut de antiquis Ægyptiorum Diis & ſemideis regibusque, ita de utroque Mercurio narratur. Expunctis enim ex albo non regum tantum, ſed rerum ipſarum Diis atque ſemideis primorum Ægyptiaci regni temporum actum eſſe putat de utroque Mercurio. Quapropter illud demonſtrandum ſibi ſumſit: non abnuendum quidem eſſe, reges aliquos gentesque ante diluvium eam poſſediſſe terram, quæ multis poſt ſeculis Ægyptus appellata fuerit: quinam vero illi in Ægypto aut alibi gentium reges, quove nomine fuerint? hoc æterna nocte abſconditum latere, nec aliam nobis ſupereſſe notitiam, quam quæ in ſacris commentariis traditur, Caini progeniem tyrannidem exercuiſſe, miſſisque longe lateque coloniis, urbibusque conditis orbem occupaſſe. Tot ergo Deos tot ſemideos gentium reges ab obitu conſecratos fuiſſe, eſſeque abortus humani ingenii, conceptos e ſemine primigeniæ veritatis, ſcilicet ex hiſtoria primorum hominum in ſacris pandectis memoratorum: nec aliunde, quam ex hoc fonte Ægyptiorum reges Deos & ſemideos ortos eſſe, & primum Pana fuiſſe mundi ſpiritum omnem univerſi molem agitantem, cum hoc conjunctos ſeptem planetarum præſides, hisque ſucceſſiſſe duodecim reges, propter beneficia & artes inventas, virtutesque Deorum choris inſertos; qui non alii ſint, niſi duodecim Cainiticæ ſtirpis rami, Moſi memorati. Hanc vero idololatriam mature & ex Patrum teſtimonio Seruchi tempore exortam, & ad Chaldæos atque ab his ad Ægyptios per colonias diſſeminatam, aſtrolatriam fundamentum habuiſſe, animabus regum optime meritorum inter ſidera ſede poſita. Poſt exitum vero Iſraëlitarum ex Ægypto in cōndendis fabulis certaviſſe Ægyptios cum Aſſyriis & Phœnicibus & a Pſammeticho

b) LVCAN. *l. III. v. 222. ſeqq.*

i) Conf. CONRINGIVS *de Hermetica Medicina c. VII.* qui tamen concedit, in utramque partem de hac re diſputari poſſe.

k) De *Zoroaſtre, Mercurio & Sanchuniath. Exerc. II. Sect. 2. p. 80. ſeqq.*

meticho natas vel renatas fabulas, regnantibus poſtea Ptolomæis, ut deformes pupas fingi, pingi & poliri cœpiſſe, hincque novas quotidie & ſibi invicem contrarias explicationes genitas fuiſſe. Initium igitur harum fabularum ponendum eſſe in tempora regis Menis, cui primus Ægypti legislator Mnevis videatur ſuppar; qui Menes rudes & brutos Ægyptios ad humanam cultus victusque rationem traduxiſſe legitur: medium collocandum eſſe, in tempora Pſammetichi, quibus ſacerdotes in poliendo fabularum opere curam poſuerunt, ex occaſione ſuſcepti cum aliis gentibus, Græcis præcipue, de antiquitate certaminis; finem fuiſſe ſub Ptolomæo Philadelpho & ſucceſſoribus, quo tempore ſtudium fabulas has pigmentis ornandi maxime fervebat: hasque fabulas juſto iræ divinæ & excœcationis judicio fidem, ab aliis gentibus riſu exagitatam, apud Ægyptios inveniſſe. Hactenus vir eleganter doctus, cujus rationes, ex libro rarius obvio ideo adducendæ erant, quod non leve eruditis viris pondus habere viſæ ſunt. Nec negari poteſt, non docte tantum, ſed & probabiliter diſputari hæc omnia; nec magnopere urgebimus, pauliſper ſibi acutiſſimum virum contradicere, quod virtutis & meritorum cauſa inter Deos relatos primos Ægypti reges ſtatuit, quos ex peſſima Caini progenie tyrannidem propagante derivavit. Sed concedemus utraque, quod ajunt manu, Deos iſtos & ſemideos genuiſſe ſuperſtitionem, nec alios fuiſſe, niſi primos reges principesque de populo bruto & rudi bene meritos. Nec ea quoque præfracte inficiabimur, quæ de ornatis a ſacerdotibus his fabulis earumque ætate dicuntur, etſi fundamentum præter conjecturas aliquas non habeant: Conſequitur tamen inde, hiſtoriam fabuloſam Ægypti, veram hiſtoriam ſupponere, nec eſſe iſtos Deos & ſemideos mera ingenii ineptientis, quod tamen vir clariſſimus contendit, ſomnia, ſed reges & principes, ex more ſeculi divinitate donatos, licet incertum prorſus ſit, an duodecim Caini poſteros indicent, quippe qui non in ſolum Ægyptum, quod hic fruſtra ſupponitur, ſed in omnem fere terram habitabilem diſceſſerunt. Quod ſi vero homines magni & potentes fuerunt, quæ ratio eos forte inter Deos Cabiros retulit, cur non paria dici queant de Mercurio? & cur non ſtatuere nobis liceat: fuiſſe Mercurium, ſive Thoythum magni ingenii hominem, celſiſſimo cuidam & antiquiſſimo terrarum Ægypti regi ad conſilia adhibitum, qui & artes atque inventa ad regnum colendum, terras emendandas, ſocietatemque tuendam excogitavit, vitamque utilem & commodam docuit; & primas quoque ingenii notas, inſculptis more vetuſtiſſimo imaginibus in ſaxa & columnas invenit? Eumque ob maxima in eam gentem merita inter ſemideos relatum, accedente ſacerdotum ingenio ad Græcam eruditionem (ut in Manethone obſervavimus) ſe accommodante mythologica veſte, ut ita loquamur, amictum, tandem confuſis Græcorum & Ægyptiorum traditionibus hanc, quam habemus, de Mercurio traditionem peperiſſe? Nihil enim in hac opinione eſt, quod non ipſo Vrſini fundamento nitatur, & rationem rerum antiquiſſimarum non inter Ægyptios tantum, ſed & omnes

veteres

veteres gentes obſervatam ſupponat adeoque fidem mereatur. [l] Et ita neceſſe non eſt, negare, quod unquam talis apud Ægyptios vir fuerit, quod contra totius Ægypti atque Græciæ & Latii fidem pertinacius contendere, omnem veterum rerum fidem evertere, & univerſalem hiſtoriæ pyrrhoniſmum inducere eſt. Ex his vero altera, quæ de Mercurio inter eruditos viget, opinio dijudicari poteſt, quæ alium longe hominem quam Ægyptium ſub iſto nomine latere putat, & vel ad Adamum, vel, quod KIRCHERO placuit [m] ad Henochum, vel ad Joſephum Ægypti proregem, [n] vel ad Canaanum quoque quod IO. CHR. KRIGSMANNVS [o] & magnus BOCHARTVS [p] judicarunt, Mercurium refert; qui cum præter leves quasdam conjecturas nihil quod opinionem magnopere juvet, adducant, quædam vero ſint, quæ ſi hos homines putes fuiſſe Mercurium, cum traditione veterum de Mercurio componi nequeant, audiendi non ſunt. Majori vero veriſimilitudine Mercurium in Moſis hiſtoria quæſiverunt viri docti, & inter hos, qui hypotheſi ſuæ ita quam maxime inſervivit, illuſtris PETRVS DANIEL HVETIVS, [q] cujus rationes ita ornavit celeberrimus C. AVG. HEVMANNVS, [r] ut ſumma probabilitate hanc ſententiam ſe commendare, non dubitet, licet largiatur, Huetii deductionem ſolidam non eſſe. Supponit vero vir eruditiſſimus tanquam indubitatum: miracula a Moſe Iſraëlitas ex Ægypto educente patrata, magnam ei famam conciliaſſe; ipſique opinionem apud Ægyptios comparaviſſe viri divini. Hincque infert: ſi Moſes & Mercurius omnium celeberrimi in Ægypto viri fuerint, & de hoc narrata illi ita conveniant, ut non alteri convenire queant; ea vero quæ Mercurio tribuuntur, de Moſe Ægyptiis neceſſario innotuerint, nec latere potuerint, magno inde veriſimilitudinis gradu concludi poſſe, ſub Hermetis larva magnum prophetam Moſen latere. Narrari vero de Mercurio: literas inveniſſe, Nilum habuiſſe parentem, geſſiſſe virgam, præſtigiatoremque fuiſſe. Moſen vero eſſe inventorem literarum, artisque ſcriptoriæ, nec eſſe librum antiquiorem Pentateucho Moſis; Moſen porro ex Nilo extractum a regis filia educatum, virga magna miracula patraviſſe. Hæc cum Ægyptiis nota fuerint, dubitari non poſſe, quod & Artapanus apud EVSEBIVM [s] aſſeruit, Mercurium quoque non alium eſſe niſi Moſen. Erudite prorſus, nec ſine ingenio hæc dici, non negamus, nondum tamen, quantum nos quidem judicamus, ad eam ſententiam ſuo veriſimilitudinis gradu ponendam ſufficiunt. Concedi enim poteſt, miracula Moſis famam apud Ægyptios meruiſſe, nec negari debet, præſtigiatorem forte eum habitum,

l) Putabant ſcilicet, bonos dæmonas in magnis viris habitare, hincque eos poſt fata Deos fieri credebant. Id quod de Oſiride & Iſide PLVTARCHVS diſerte tradit. Ait enim: *ὁ μὲν γὰρ Ὄσιρις καὶ ἡ Ἶσις ἐκ δαιμόνων ἀγαθῶν εἰς Θεοὺς μεληλάλαξαν. Iſis & Oſiris ex bonis geniis in Deos tranſiverunt.* Hanc enim opinionem univerſus fere mundus vetus tenuit.

m) *Oedip. Ægyptiaco p. 67. 79. 114.*

n) TH. GALE in *philoſ. gen. p. 15. ſeq.* SCIP. SGAMBATVS *Archiv. V. T. p. 205.*

o) *Conjectan. de Germanicæ gentis origine ac conditore Hermete Triſmegiſto.*

p) *Geogr. S. P. I. l. I. c. 2.*

q) *Demonſtrat. evang. Pr. IV. c. 4. p. 73. ſeqq.*

r) *Acta philoſoph. T. II. p. 687. ſeqq.*

s) *De præp. evang. l. IX. c. 27.*

tum, non videmus tamen, cur non ea quoque, quæ pro convenientia Moſis cum Hermete adducuntur, in alio quoque viro, apud Ægyptios celebri, evenire potuerint. Nam cur non ad Nili oras alius genitus fuerit? cur non virgam geſſerit alter? cur non præſtigiatorem egerit, quorum terram Ægypti plenam fuiſſe ex ipſa Moſis hiſtoria colligitur? Sed nec in iis, quæ in applicatione argumenti afferuntur, certiora deprehendimus. Non diſputabimus jam, quam verum ſit: artem ſcribendi ante Moſis tempora non excogitatam fuiſſe, illumque primum omnium characteres literarum inveniſſe, primumque librum ſcripſiſſe: hæc enim in hiſtoria literaria excuti debent, & hic aliena ſunt, & niſi fallimur, vel ſola Sinenſium hiſtoria teſte refutantur, quæ ut ſupra Moſis ætatem aſſurgit, ita characteres Fohianos multo antiquiores eſſe memorat. Illud unum in præſentia monemus, fruſtra hæc a viro longe doctiſſimo afferri, cum non de inventione literarum artisque ſcribendi, ſed de hieroglyphicarum imaginum ſermo ſit: hanc vero ſacram pingendi rationem, quam Thoytho Ægyptii tribuunt, a Moſe inventam & introductam fuiſſe, qua, quæſo, veriſimilitudine probabitur? Nihil hujus rei in ſcriptis viri divini, nihil in Ægyptiorum commentariis, qui iſtius ſcribendi modi ætatem inundationes Ægypti anteceſſiſſe, adeoque Moſaicis temporibus longe ſuperiorem & vetuſtiorem fuiſſe tradunt. Nilo vero patre natum Mercurium pro Moſe habere non licet. CICERO enim [t] hunc diſerte diſtinguit a Thoyto, de quo ſermo eſt, aitque Ægyptios nefas habere eum nominare; unde ineffabile hoc nomen neſciri fatetur MARSHAMVS, [u] niſi ſit Siphoas, quem alterum Mercurium dici poſtea monebimus. Ille vero non filius Nili fuiſſe, ſed Nilus rex Thebanorum ei ſucceſſiſſe traditur: unde fruſtra quoque inde argumentum petitur. Nec multum nos morari debet vel caduceus Mercurii, vel aliæ fabulæ de Mercurio circumſtantiæ, quæ cum Moſaicis convenire putat Huetius. Supra enim vidimus, fruſtra eas & inepte ex mythologia Græca deſumtas & Ægyptiis ſemideis applicatas fuiſſe, ex quo literaturæ Græcæ ſtudioſi facti Ægyptii regibus ex Græcia oriundis moribus atque placitis ſe accommodaverunt. Tandem præſtigiæ ſive artes magicæ, quæ Hermeti tribuuntur, nonniſi velo mythologico nobis obductæ narrantur, quo remoto cum longe alia lateant, non tam leges naturæ, quam captum vulgi ſuperantia, male ea cum miraculis divinis per Moſen perpetratis comparantur. Verum omne hujus opinionis fundamentum evertit Stephanus protomartyr, qui diſerte Moſen in omni ſapientia Ægyptiorum eruditum fuiſſe tradit. [x] Cum itaque ſapientia Ægyptiaca Mercurium utrumque, unum inventorem, alterum reſtauratorem, habuerit, in ea vero Moſes eruditus præceptores nactus ſit, neceſſario ea cum inventore & reſtauratore ſuo longe antiquior Moſe reputanda eſt. Quare nulli dubitamus, opinioni

t) *Loco* ſupra *laudato.*
u) *Canon. chron. p.* 37.

x) Recte hoc jam monuit TH. BVRNETIVS *Archæol. philoſoph. l. I. c. 8. p.* 382.

ni huic, quæ olim nobis quoque placuit, [y] paulo plenius examinatis rei circumſtantiis nuntium mittere.

Mercurius alter.

§. IV. Præter hunc Hermetem ſive Mercurium, quem primum nominant, ALTER quoque non minoribus beneficiis Ægyptum ſibi devinciens celebratur. Hunc enim Manetho [z] diſerte diſtinguit a primo, ſcribens ad Ptolomæum Philadelphum *περὶ τῆς ἑρμηνείας τῶν ὑπὸ τοῦ δευτέρου Ἑρμοῦ βιβλίων, de interpretatione librorum Mercurii ſecundi;* eumque facit filium Agathodæmonis; in laterculo tamen regum Ægypti [a] vocatur trigeſimus quintus rex Siphoas, qui & Mercurius dictus eſt, filius Vulcani: quod forte utrumque vel adulationem, vel mutandi in Deos bene meritos homines ſtudium, cauſam habet. Non minori vero gradu de bonis literis, artibusque omnibus meruiſſe, quam primum Mercurium, Manetho porro tradit. *Ex ſtelis* inquit, *in terra Seriadica poſitis* (Syringas ſubterraneas AMMIANO MARCELLINO [b] memoratas intellexiſſe Manethonem VALESIVS [c] & MARSHAMVS [d] non inepte putant) *ſacra dialecto & hierographicis literis a Thoth Mercurio primo exaratis ſecundus Mercurius Agathodæmonis filius, Tati pater, ex ſacra illa lingua tranſtulit literis hieroglyphicis in libros, quos in adytis templorum Ægyptiorum repoſuit.* Et ad hunc potiſſimum Mercurium artes, geometria, arithmetica, theologia, & quicquid ingenium apud Ægyptios ornavit, relata ſunt: qui cum ita priſtinam eruditionem reſtituerit, vel emendaverit potius atque adauxerit, TRISMEGISTVS [e] vocatus eſt. Hunc Mercurium Moſe paulo juniorem EVSEBIVS [f] conſtituit, quod tamen cum iis, quæ in actis apoſtolorum de ſapientia Ægyptiorum Moſis tempore adulta jam & inter regias diſciplinas relata dicuntur, conciliari non poteſt, & omnino vetuſtior fuiſſe ſtatuendus eſt, ſi vera ſunt, quæ de reſtitutis literis & eruditione a Mercurio hoc ſecundo revocata & ex antiquis monumentis eruta Ægyptii referunt. Neque enim ſecundum hunc Hermetem cum primo inter fabulas cum VRSINO [g] referendum putamus, modo tempora resque recte concilientur, facile & non ſine veriſimilitudine inter ſe cohærentes. Vero ſcilicet ſimillimum eſt, in primis illis & antiquiſſimis temporibus hominem fuiſſe magni ingenii, qui prima artium ad vitæ neceſſitatem & commoditatem neceſſariarum rudimenta excogitavit, & imprimis cogitationes imaginibus & ſymbolis, (quæ vetuſtiſſima ſcribendi & ſenſa animi prodendi ratio hodienum apud Sinas a primis illis ſeculis

y) In *Hiſt. philoſ. Germ. opere T. I. p. 167.*

z) Apud SYNCELL. *p. 40.*

a) *Ib. p. 124.* conf. MARSHAM. *Can. chron. p. 240.*

b) *Lib. XXII. c. ult. Sunt Syringes ſubterranei quidam & fluxuoſi receſſus, quos, ut fertur, periti rituum vetuſtorum, adventare diluvium præſcii, metuentesque ne ceremoniarum obliteraretur memoria, penitus operoſis digeſtos fodinis per loca diverſa ſtruxerunt, & excifis parietibus volucrum ferarumque multa genera ſculpſerunt, & animalium ſpecies innumeras, quas hieroglyphicas literas appellarunt.* Studio vero iſtos receſſus effoſſos eſſe, figmentum eſt ſacerdotum, ad faciendam fidem rebus ſuis, & probabile, terræ motibus atque cataclyſmis iſta monumenta defidiſſe.

c) *Ad h. l. p. 232.*

d) *Can. chron. p. 39.* conf. WITSIVS *Ægyptiac. l. II. c. 5. §. 4. p. 92.*

e) SYNCELLVS *l. c.*

f) Apud MARSHAM. *l. c. p. 241.* Ita etiam AVGVSTINVS *de Civ. Dei l. XVII. c. 37.*

g) *Loco* ſupra *laudato.*

culis viget) in parietibus, columnis ſaxisque, cum Ægyptus papyri ſive bibli adhibendi rationem nondum teneret, deſcripſit, cujus rationes ſatis probabiles in antecedentibus attulimus. Cum vero inundationes atque eluviones aquarum, quas accidiſſe Manetho refert, terræ motus, bella item & irruptiones vicinorum vetuſtiſſimos Ægyptios in diſſitas terras, ipſamque, uti videtur, Indiam diſſiparent, & monumenta iſta, ſignis ſymbolisque legum, morum artiumque præceptorum ſuperbientia everterent, ruinisque cumularent, tota priſca Ægyptiorum ſapientia fere oblivione ſepulta fuit. Ejusmodi enim calamitates veteri Ægypto obtigiſſe, Manetho atque HERODOTVS [b] teſtes ſunt, & imprimis notandum, quod prior refert, ſub Bocho rege hiatum ad Bubaſtin contigiſſe, indeque multos periiſſe: rupto quoque Nili aggere pleraque diluvio obruta fuiſſe; inde enim, qua ratione veteres illæ ſtelæ & lapidea monumenta terra ſubruta & recondita ſint, intelligere eſt. Succeſſit poſtea Ægypto alius populus aliique coloni, qui cum peregrinis moribus etiam peregrina placita atque religionem Ægypto intulerunt. Inter hos cum ingenio & calliditate emineret vir quidam genere & dignitate atque auctoritate conſpicuus, qui deſertas ſcientias non ſine detrimento reipublicæ manere poſſe intelligebat, is animum applicuit ad introducendas inter novos colonos artes & ſcientias, quas vel ipſe invenerat, vel aliunde didicerat. Cum vero Ægyptiorum priſcam eruditionem Thoytho ſive Mercurio adſcribi fama eſſet, ut auctoritatem rebus a ſe inventis & introducendis adderet, eas ad illum retulit: & cum ex ruderibus protraherentur & e terra paſſim effoderentur monumenta ignotis tum characteribus & imaginibus neſcio quam ſapientiam promittentia, qualia Thoythum erexiſſe ab antiquiſſimo tempore fama fuerat; in rem ſuam ea ita convertit novus Ægyptiacæ eruditionis reſtaurator, ſeque inventa, præcepta, leges, & quæque alia tradebat apud populum ex columnis his Mercurialibus deſumſiſſe, jactabat, ſicque veterem eruditionem ſe reſtituiſſe gloriabatur; id quod eo facilius fieri potuit, quo magis nemo erat, qui ignotas imagines intelligebat, quoque major primi Mercurii fama apud omnes increbuerat. Et ex his columnis placitorum ſuorum ſummam hauſtam eſſe, ita populo perſuaſit, ut monumentorum iſtorum reliquias ſacroſanctas habendas in templis reponeret, & libros conficeret, ex iſtis, prout jactabat, Hermeticis ſtelis compoſitos, quos ideo Hermeticos appellatos eſſe conſtat, in quibus ea tradidit, quæ ſcopo ejus, rebusque, quibus iſto conſilio inſerviebat, conveniebant, & rationibus regni expediebant. Quæ cum ita inſtituiſſet, mirum non eſt, populum & antiquitatis admiratione captum & novo beneficio delinitum atque devinctum, hunc alterum Hermetem vocaviſſe, Triſmegiſti nomine appellaviſſe, & de reſtituta veteri Ægyptiaca eruditione ſibi gratulatum eſſe. Neque in hoc uno callidiſſimi viri conſilium atque prudentia enituiſſe putanda ſunt, ſed inſtituit quoque, ad vin-

b) *Lib. II. c. 82.* conf. quæ congeſſit MARSHAM *l. c. p. 45.*

ciendos religione, quæ plus apud populos valet, quam vis & imperium, animos, & formanda eorum ingenia, ut ita imperio ſe ſubderent & ſervituti aſſueſcerent, prout e re imperii & imperantis futurum eſſet, ſacerdotum collegia, quibus ſacra illa monumenta commendavit, librosque in templorum adytis conſervatos & repoſitos interpretandos commiſit, qui ut ingenio & arte atque calliditate pollebant, ita inſtituto hoc ſummis reipublicæ viris ipſique regi inſervire poterant. Nihil in hac tota Hermeticorum inſtitutorum explicatione, quam calculo ſuo probat, & eleganter exponit celeberrimus MOSHEMIVS, [i] eſt, quod non partim hiſtoriæ fide & veterum traditione, partim conjecturis non frivolis, ſed rerum apertiſſimis circumſtantiis munitis nitatur, adeoque magnam ſecum habeat veriſimilitudinem. Nec dubitabunt quicquam, qui hiſtoriam religionum artiumque inventarum, magnorumque virorum, qui earum primi auctores fuerunt, norunt; nam deprehenduntur ſimilia non in Aegypto tantum, ſed & in toto Oriente, atque Occidente; ubi eadem fabula mutatis ex re circumſtantiis ſæpiſſime acta eſt. Et his melius eſt acquieſcere, quam fabularum ad augendam ſpeciem & famam atque auctoritatem excogitatarum rationes frigidas & non cohærentes operoſe & ſine veri ſpecie corradere.

Libri Hermetici.

§. V. Hæc de Hermete utroque, altero Aegyptiacæ ſapientiæ atque eruditionis conditore, altero reſtauratore hiſtoria, multos libros peperit, & apud veteres & apud recentiores magnam celebritatem & auctoritatem conſecutos. Diximus enim in antecedentibus, columnas Hermeticas e terra in Aegypto paſſim erutas in ſacrariis templorum conſilio Hermetis ſecundi repoſitas fuiſſe, tanquam ἀρχέτυπα ſapientiæ Hermeticæ. Vnde conſtat, hanc ſcribendi rationem & animi cogitata atque ſapientiæ præcepta tradendi morem eſſe antiquiſſimum, [k] & inter Aegyptios, immo alias quoque nationes, uti Sinenſium exemplo liquet, longe vetuſtiorem modo ſcribendi per literas, quas figuras illas arcanas peperiſſe veriſimile eſt. Eruta vero hæc monumenta & a ſacerdotibus Aegyptiis tanquam oracula cuſtodita, & pro fontibus omnis ſapientiæ habita fuiſſe, [l] inde patet, quia Græci philoſophi, qui ad Aegyptios ſapientiæ diſcendæ cauſa profecti ſunt, profeciſſe ex iis dicuntur, id quod de Pythagora & Platone affirmat IAMBLICHVS, [m] & de Democrito, furti ideo æque ac Plato, accuſato CLEMENS ALEXANDRINVS. [n] In quo ambitionem faſtumque ſacerdotum Aegyptiorum, veteribus ſæpius notatum jure animadvertas, qui etſi ſatis norant, nec ſe iſtas imagines intelligere, & precariis tantummodo interpretationibus venditare, nec alienigenas ad earum intelligentiam acquirendam adſpirare poſſe, cum tamen Græciæ philoſophos magna ſapientiæ fama inclareſcere viderent, de furtis ex ſtelis Hermeticis impudenter conqueſti ſunt. Ex his porro ſtelis Mercurius ſecundus magnum librorum numerum conſcripſiſſe dicitur.

i) Ad CVDWORTHI *ſyſt. int. c. IV. §. 18. p. 377. ſeqq.*
k) Conf. HVETIVS *l. c.* HOLSTEN. *ad vitam Pythag. p. 67.* quosque nominat FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 73.*
l) Conſulendi ex veteribus, quos laudat TH. GALE *ad* IAMBLICHVM *de myſter. Ægypt. p. 185.*
m) Conf. VRSINVS *l. c. p. 80. ſeq.*
n) *Stromat. l. I. p. 303.*

citur. Refert enim IAMBLICHVS: *Principia universalia Mercurium tradidisse duabus voluminum sive librorum myriadibus*, vel ut Manetho, *librorum sex chiliadibus quingentis & viginti quinque supra tres myriadas*. Iamblichi incredibilem hunc numerum librorum trabale mendacium esse, VRSINVS [o] contendit, sed immerito, nam Seleucum & Manethonem auctores allegat, & alii quoque scriptores succinunt. Ita enim IVLIVS FIRMICVS: [p] *Mercurius Ægyptius conscripserat viginti millia voluminum de variis substantiis & principiis & potestatum ordinibus cœlestium, quæ aliæ atque aliæ traditæ fuerant, in quibus astrologia & theologia Ægyptiorum explicabantur, quas artes docuerat Aesculapium & Anubium.* Quicquid tamen statuendum est de auctore tanti numeri librorum, incredibilem esse quilibet videt. Vnde medicinam testimonio veterum quæsiverunt multi, quos laudant diligentissimi viri THOMAS GALE [q] & IO. ALB. FABRICIVS: [r] quorum uterque mavult causam rejicere in numerorum figuram, errore corruptam, quam cum Genebrardo atque HORNIO [s] intelligere papyri folia, vel cum BOCHARTO [t] στοίχους sive versus. Nec putet quis, quod Galeo placuit, breviores tantum λόγους fuisse, quales sunt, qui hodienum de Hermete circumferuntur, eumque imitantur: cum libri illi integras tractationes de rebus philosophicis comprehendisse dicantur, quæ nec στοίχοις nec λόγοις comprehendi solent. Sed ex ipsa relatione Iamblichi atque Firmici petenda est ratio. Nam περὶ ὅλων, quod affirmat Iamblichus, id est de universalibus principiis, quæ prima causa sit, utrum intellectus, an aliquid supra, an cum alio vel aliis, utrum corporea ac incorporea sit, &c. de variis substantiis, ut ait Firmicus, & principiis potestatum ordinibus cœlestium non isto prisco tempore in Aegypto disputatum est, sed recentiori ævo, postquam sub Græcorum imperio Græcanica, imprimis Pythagoræ & Platonis philosophia, curiose de his differens invaluit. Vnde ex ipso argumento horum librorum manifestum est, non potuisse intelligi libros ab ipso Mercurio conscriptos, sed illi, ut nomen & auctoritatem consequerentur, suppositos, præfixo Hermetis nomine, ut Christi quoque & Apostolorum nomen libris apocryphis præfixere hæretici. Quod qua ratione evenerit, ipse IAMBLICHVS narrat: Ita enim librum de mysteriis Aegyptiorum auspicatur: *Deus eloquentiæ præses Mercurius olim recte existimatus est sacerdotibus omnibus esse communis, quique ad veram de diis scientiam præit, unus idemque est in universis. Quare & nostri majores suæ sapientiæ inventa illi dedicabant, omnia propria commentaria Mercurii nomine inscribentes.* Prodit hic impostoram Iamblichus, qui non negat, ambitionem fraudemque sacerdotum Hermeti libros suos adscripsisse: unde, ex qua officina *libri mille de Diis cœlestibus, centum de Diis empyriis, totidemque de Diis ætheriis*, quorum alibi memi-

o) *l. c. p. 119.*

p) *Lib. II. Mathes.* conf. FABRIC. *Bibl. Græc. vol. I. p. 76.*

q) Ad IAMBLICH. *de myst. Ægypt. sect. VIII. c. 1. p. 293.*

r) *l. c.* s) *Hist. phil. l. I. c. 6.*

t) *Geogr. S. P. II. l. I. c. 15.* apud FABRIC. *l. c.*

nit, [u] prodierint, facile conjici poteſt. Nec credibile, ante jactatam Hermeticam philoſophiam a Platonicis in Aegypto & Aſia verſantibus, tantum Hermeticorum librorum numerum proditum fuiſſe; plerosque enim libros, quos laudant ſub Mercurii nomine veteres, vel qui hodie quoque ſuperſunt, aperte iſtam ſcholam ſapere, Alexandrinæ Platonicorum ſectæ vel mediocriter gnarus ſentiet. Nec magnopere juvat, quod, objectionem prævidens reſpondet IAMBLICHVS, [x] *ſcripta, quæ ſub Mercurii nomine circumferuntur, continere quidem Mercurii opiniones, licet lingua ſæpe utantur Græcorum philoſophorum, a viris enim philoſophiæ peritis translata eſſe ex lingua Ægyptiaca;* nam de ſolis vocibus atque phraſibus ſermo non eſt, ſed de doctrinis in ſcholis Græcorum philoſophorum & quidem ſerius, enatis, quales ſunt, quas Iamblichus in hac ſectione prolixe refert, quæ adeo a genio & indole philoſophiæ barbaricæ differunt, ut non niſi credulis imponere queant. Nam ſi vera ſunt, quæ veteres & ipſe Manetho de libris vetuſtiſſimis Mercurii tradunt, fuerunt illi γενικοῖ, qua voce eos hic appellat, [y] quemadmodum ſtelas primi Mercurii Deorum ſtemmata continuiſſe auctor eſt MARTIANVS CAPELLA. [z] Vtrumque forte, ſi conjecturas ſequi licet, recte; nam vetuſtiſſimam barbarorum theologiam in generationibus Deorum ſive θεογονίαις mythologicis quam maxime occupatam fuiſſe, ex omnium fere populorum priſcorum religionis hiſtoria manifeſtum eſt. Hanc theologiam ſymbolis ἀῤῥήτοις καὶ ἀδήλοις adumbratam cum ſacerdotes non intelligerent, quilibet iis, prout ſymbola & imagines iſtæ facillime patiebantur, talem ſignificationem ſubjiciebat, qualis illi placuit; hincque tot libri Hermetici, tot explicationes diverſæ, tot φιλοσοφούμενα ab indole priſci ævi admodum abhorrentia, præcipue ex eo tempore, quo Græci in Aegypto philoſophati ſunt, & Aegyptii ſe ad ingenium Græcorum ab elegantia diſciplinarum commendatum compoſuerunt, quod a Pſammetichi temporibus demum accidiſſe Herodotus teſtatur. Vidit hoc EVSEBIVS, qui notabili ſententia monet: [a] ſacerdotes, qui inſecuti ſunt, τῶς περὶ Θεῶν μύθως ἐπ' ἀλληγορίας καὶ Φυσικὰς διηγήσεις τε καὶ θεωρίας ἀνάγεσθαι, *ea quæ de Diis ficta ſunt, ad allegorias & explicationes atque ſpeculationes naturales traduxiſſe.* Facile itaque, quid de his libris Hermeticis, quos vel veteres memorant, vel recentiores ei tribuunt, hodieque ex impoſtorum officina circumferuntur, ſtatuendum ſit, judicare licet, quos prolixius recenſere eo facilius ſuperſedere poſſumus, quo magis enituit in iis copioſe & accurate enarrandis πολυμαθεσάτῳ FABRICII diligentia, [b] ad quem merito lectorem remittimus. Ibi enim *de Poemandro*, ſive *ſermone de natura rerum & creatione mundi*, quem a Poemandro edoctum ſe Hermes refert, *de Aſclepio*, & *Iatromathematicis*, quæque alia hodie Hermetis nomen præ ſe ferunt, & edita ſunt, [c] multa doctiſſime cumulantur.

u) *Sect. VIII. c. 2.*
x) *l. c. c. 4. p. 160.*
y) Apud SYNCELLVM *l. c. p. 40.*
z) *Lib. II.* conf. MARSHAM. *l. c. p. 243.*
a) *De præpar. l. I. c. 9.*
b) *Bibl. Græc. l. I. c. 7. 8. 9. vol. I. p. 46. ſeqq.*
c) Editionem poſt alios debemus FRANC. PATRICIO in *nova de univerſis philoſophia Ferr. & Ven. 1591. fol. Lond. 1628.*

tur. His omnibus aperta ſuppoſitionis fraudisque a Platonicis & pſeudochriſtianis admiſſæ veſtigia ineſſe, jam obſervavit ISAACVS CASAVBONVS, [d] quem ideo temeritatis accuſat RAD. CVDWORTHVS, [e] qui putat, non idem de Aſclepio judicium fieri poſſe, quam de Poemandro; certiſſimeque immixta eſſe his libris quædam, veterem Aegyptiorum ſententiam referentia, quosdam ex iis veram Ægyptiorum doctrinam referre: cum alioquin omnes ſtatim ſpreti & abjecti fuiſſent, nec ullam fidem auctoritatemque nacti eſſent, niſi Hermetica ſacerdotibus Aegyptiorum ſatis cognita continuiſſent. Qua in opinione Cudworthi illud quidem admitti facile poteſt, veteratorem, qui hos libros conſarcinavit, & Hermeti ſuppoſuit, aliqua immiſcuiſſe, quæ ab Aegyptiis Hermeti tribui ſolebant, ut ita famam nugis ſuis fidemque conciliaret: [f] hoc vero probandum prius eſt, antequam pro his libris inde argumentum nectitur, Aegyptios his libris aliquid fidei detuliſſe, eosque pro Hermeticis recepiſſe. Recte enim notavit MOSHEMIVS [g] vir ſummus, hoc quidem a Platonicis & hæreticis, non parum præſidii rebus ſuis in ejusmodi libris quærentibus, factum eſſe, ab Aegyptiis vero illis tantum auctoritatis tributum eſſe, id Cudwortho & ſequacibus eſſe probandum. Addimus nos his: fieri potuiſſe, ut hi libri, vel qui hujus commatis olim fuerunt obtruſi, in Aegypto eo tempore, quo Iamblichus ſcribebat, aliquam habuerint fidem: verum eo tempore Aegyptiaca philoſophia tota a priſtino habitu & conſtitutione ſua defecit, & a philoſophis, orientalia, Aegyptiaca & Platonica dogmata fœdo ſyncretiſmo more ſuo miſcentibus vehementer fuit corrupta. [h] Ex quorum hominum in ſupponendis magnis ævi priſci viris libris ſtudioſiſſimorum & ingenioſiſſimorum officinis ejusmodi fœtus adulterinos prorepſiſſe, longe eſt veriſimillimum: præcipue ubi Chriſtiani incautius in hæc retia incidentes ab iis decipi ſe paſſi ſunt.

§. VI. Continuiſſe hæc Hermetica ſcripta ea inventa, quibus humanum genus, & præcipue gentem Aegyptiacam locupletavit Hermes Triſmegiſtus, patroni eorum gloriantur. Quos ſi audimus, alter hic Mercurius omnes vere artes partim reparavit, partim invenit. Tribuitur enim ei inventio literarum, non hieroglyphicarum, quod inepte ei tribuit KIRCHERVS, [i] primum Mercurium cum ſecundo confundens, ſed grammaticarum, unde & grammaticæ quoque originem ei tribuit PLATO. [k] His addunt, pleraque inventa mathematica, arithmeticam & numeros, geometriam, pondera & menſuras, horarum & menſium & zodiaci diſtributionem, reliquamque aſtronomiam & aſtrologiam, muſicamque & medicinam: ut lyram, talos, palæſtram taceamus, quæ ad noſtram tractationem non referuntur. [l] Pleraque hæc tradit PLATO ita ſine dubio in Aegypto eruditus, ubi cuncta

Inventa Hermetis.

d) Exerc. Anti-Baron. Ex. I. diatr. X. p. m. 51. ſeqq.
e) Syſt. intell. c. IV. §. 18. p. 375.
f) Concedunt hoc docti viri CONRINGIVS *de Hermet. Med. c. IV.* MOSHEMIVS ad *l. c. Cudworth.* FABRICIVS *l. c. p. 38.* *g) l. c.*
h) Conferendus omnino CONRINGIVS *l. c.* qui hactenus dicta mire illuſtrat, quemque ſruſtra in hac cauſa BORRICHIVS oppugnavit.
i) Oedip. Ægypt. T. III. p. 47.
k) In Philebo.
l) Loca veterum laudavit FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 80. ſeqq.*

ęta artis initia ad Hermetem relata fuiſſe, ſupra vidimus. Nihil tamen in hac quoque re certi ſtatui poteſt, cum omnia meras conjecturas redoleant: quæ ſi audiendæ ſunt, non aliter characterum literarum auctor Mercurius fuiſſe videtur, niſi quatenus eorum uſum inter Aegyptios hactenus ignoratum introduxit;[m] unde tamen male ad grammaticam artem concluditur. Geometriam vero non Mercurium ſecundum, ſed ejus anteceſſorem, Mœrim, inveniſſe, effoſſi ſtagni & pyramidum altiſſimarum excitatarum gloria celebrem, teſtis eſt DIOGENES LAERTIVS,[n] ut taceamus PLATONEM[o] afferere, Aegyptios non literarum tantum inventionem, ſed & numerorum, & numeri computationum, & geometriæ & aſtronomiæ inventionem, talorumque & alearum ludos tribuere priſco cuidam Deo, ſive dæmoni, id eſt, more loquendi Aegyptiaco, magno viro a dæmone afflato vel inhabitato, cui nomen fuit Theut; hunc Aegypti regem Thamum, qui Thebis Aegyptiacis habitabat, acceſſiſſe, & inventiones aperuiſſe. Theut vero cum primo Mercurio convenire, non cum ſecundo, ſupra obſervatum eſt. Qui cum hieroglyphicas figuras, non grammaticas literas inveniſſe dicatur, patet inde, quam diſſona & contradicens ſibi Aegyptiorum de inventione artium traditio ſit. Medicinam quidem ab Hermete inventam, & diſcipulo Aeſculapio traditam fuiſſe, Aegyptii jactaverunt,[p] illud vero ad Mercurium primum retulerunt, cujus tamen inventa periiſſe non negant. Qui vero pro hoc aſſerto, præter exempla etiam libri afferuntur, Hermetem auctorem præ ſe ferentes, Galeni jam ætate ſuſpecti fuere, & merito a CONRINGIO[q] & DANIELE CLERICO[r] rejecti, qui merentur, contra ſtrepitus Borrichianos audiri. Illud ſane certum eſt, valde traditiones de inventione medicinæ apud Aegyptios diſſidere: Alii[s] enim non Hermeti, ſed Api Aegyptio indigenæ, priusquam veniret Io in Aegyptum, inventionem tribuunt, & Iſidem quoque apud DIODORVM[t] medicamentorum multorum inventricem prædicant, qui honor & Horo contigit.[u] Et illud quidem facile largiri poſſumus, eas artes a primo Mercurio inventas, a ſecundo reſtitutas eſſe, quas neceſſitas dictavit, regionis ſitus promovit, utilitas commendavit, quales fuiſſe geometriam, architecturam vulgarem, numerosque, poſtea dicemus; ſed ut gloriam a Græcis ſuæ genti vindicatam, ſibi jactantius aſſeruerunt Aegyptii, hominum vaniſſima natio; ita dum has literas Mercurio ſuo tribuerunt, prorſus eos ineptiiſſe, nec audiendos eſſe, ex dictis ſatis conſtat, & in ſequentibus prolixius demonſtrabitur.

Doctores eruditionis & ſapientiæ in Ægypto.

§. VII. Ab his auctoribus atque conditoribus ſapientiæ Ægyptiacæ, omnis eruditio ad poſteros propaganda tradita eſt hominibus, qui ſacerdotes atque prophetæ vocati ſunt, interdum etiam hierophantæ. Quorum inſti-

m) Eo enim tendit narratio PLATONIS in *Phædro p. m. 315.*

n) *Lib. VIII. ſ. 11.* conf. MENAGIVS *ad Laertium lib. I. ſ. 10.*

o) *l. c.*

p) PLINIVS *l. VII. c. 56.*

q) *l. c. c. IV. ſeqq. p. 31. ſeqq.*

r) *Hiſtoire des la Medecine P. I. l. I. ch. 5. p. 9. ſeqq.*

s) Apud CLEMENT. ALEXANDRIN. *Strom. l. I. p. 307.*

t) *Lib. I.*

u) Videnda quæ de Iſide, Horo, Æſculapio affert CLERICVS *l. c. ch. 6. 7. 8.*

inſtitutio ſine dubio ad ipſum Hermetem referenda eſt, cum ad populos iis, quibus inſtituebat, præſidiis regendos omnino neceſſarii fuerint. Hos Θεοσεβέες περισσῶς ἐόντες μάλιστα πάντων ἀνθρώπων *omnium mortalium longe, religioſiſſimos habitos* teſtatur HERODOTVS, [x] unde in ſumma apud Ægyptios exiſtimatione fuerunt. Cujus rei cauſam non ineleganter detexit CLEMENS ALEXANDRINVS, [y] qui ait, *barbaros eximie ſemper honoraſſe ſuos legislatores & præceptores, Deos ipſos appellantes. Bonas enim animas ſupercœleſti loco relicto ſuſtinuiſſe venire in hunc tartarum, & corpore ſuſcepto malorum omnium, quæ & generatione contrahuntur, fuiſſe participes affirmant, humani generis curam gerentes, quæ & leges tulerunt, & philoſophiam prædicarunt, qua majus bonum ad hominum genus nunquam venit vel veniet, quin etiam*, addit, *genus Ægyptium diligentiſſime illos inter Deos retulit.* Hæc de primis artium inventoribus intelligenda quidem ſunt, & ea confirmant, quæ ſupra retulimus: ſimul tamen docent, credidiſſe Ægyptios, in antiſtitibus ſuis quique religionem (nam hæc illa philoſophia) docuerunt, reſidere bonos dæmonas: id quod ipſi ſacerdotes populo perſuaſerunt, gloriati, *unum eundemque Deum ſapientiæ præſidem eſſe omnibus communem, &* τὸν αὐτὸν ἔν ὅλοις, *in unoquoque eundem eſſe.* [z] Quæ res effecit, ut non tantum ſacerdotes hominibus aliis majores & diviniores crederentur, ſed & alii, interiori admiſſione ab illis honorati, divinitate participes facti crederentur. Id quod de Dario Perſarum rege, Xerxis patre, teſtatur DIODORVS: [a] *eum cum ſacerdotibus Ægypti familiaritatem iniiſſe, & theologiæ ipſorum, rerumque in ſacris voluminibus annotatarum participem factum, vitæ eorum ſe attemperaviſſe: propterea eum tantum honoris conſecutum eſſe, ut ſuperſtes adhuc divi appellationem promeruerit.* Hinc apud reges magna auctoritate valuerunt, immo ad thronum adſpirandi occaſio illis enata, & ſacerdotium cum imperio interdum conjunctum fuit, ut eo melius religio dominationi inſerviret. Diviſi vero in varios ordines fuere, quos poſtea nominabimus, & referente Chæremone [b] *unicuique ſymbolum fuit inſigne ejus ordinis, quem in ſacris ſortitus erat. Officium vero a regibus injunctum* [c] *Deorum cultus & ſapientiæ ſtudium.* Addit Chæremon [d] *renunciantes omni occupationi & negotiationibus humanis per totam vitam contemplationi rerum divinarum ſe tradidiſſe: Inter ſimulacra Deorum ſemper verſatos fuiſſe; ex habitu gravitatem, inceſſum æquabilem, aſpectum ſtabilem, riſum rarum, manum ſemper intra veſtem. Multum illis ſermonem de retinendis moribus patriis. Noctem deſtinaſſe ad cœleſtium obſervationem, aliquando ad purificationem, diem ad Deorum cultum, quotidie ter quaterve illos hymnis*

x) *Lib. II. c. 37.* y) *Stromat. l. III. p. 303.*
z) Apud IAMBLICHVM *initio libri citati.*
a) *l. c. p. 83.*
b) Apud PORPHYR. *l. IV. de abſtin. §. 6.*
c) IOSEPH. *contra Apion. l. I. p. 1069.*
d) *l. c. §. 7. 8.*

hymnis celebrantes, mane & veſperi, ipſo meridie & poſt meridiem. Reliquum tempus in ſpeculationibus arithmeticis geometricisque occupatos fuiſſe, ſemper aliquid elaborantes atque invenientes, περὶ τὴν ἐμπειρίαν, in experimentis verſatos. Ad gravitatem hanc atque auctoritatem conſervandam, maxime adhibuerunt munditiem. Eam enim circumciſionis ab Ægyptiis præcipue ſacerdotibus adhibitæ cauſam fuiſſe, teſtis eſt HERODOTVS: [e] qua ex cauſa etiam raſerunt totum corpus [f] ne quid ſordis hæreret. Vnde & qui intimiorem admiſſionem quærebant, circumcidi ſe patiebantur, id quod Pythagoræ in Ægypto accidit. [g] Eundem in finem, teſte Chæremone, lavabant ſe frigida ter unoquoque die, a lecto, ante prandium, & ubi dormitum ibant. Immo adeo in munditie ſcrupuloſi erant, ut pocula ahenea, ex quibus bibebant, ſingulis diebus ſtudioſe extergerent. [h] Veſtis geſtata linea, & calcei byblini, [i] aliam enim veſtem vel calceos induere, nefas. Vinum alii omnino non biberunt, alii parciſſime deguſtarunt; pane neutiquam uſi purificandi temporibus, aliis cum hyſſopo conciſum comederunt: oleo multum abſtinuerunt, vel pauxillum tantum cum oleribus adhibuerunt. [k] Immo piſces quoque illis guſtare illicitum HERODOTVS [l] tradit, qui addit, *Ægyptios fabam in terra ſua nec omnino ſerere, nec ſponte provenientem comedere, aut coctam in eſcam diſtribuere: quin immo ſacerdotes eam ne aſpicere quidem ſuſtinere, arbitrantes haud mundum eſſe legumen.* Quam victus rationem Pythagoram in ſcholam traduxiſſe ſuo loco demonſtrabitur. Tandem ſacerdoti Ægyptio una tantum uxor licita, cum alii, quot voluerint, nupſerint, teſte DIODORO. [m] His, quos verbis veterum deſcripſimus ſacerdotibus ſacræ philoſophiæ, id eſt, theologiæ & religionis a Mercurio inſtitutæ cura demandata fuit: refertque Chæremon apud PORPHYRIVM: [n] *vere philoſophari prophetas, & hieroſtoliſtas, & hierogrammateos, & horologos: turbam autem reliquorum ſacerdotum paſtophororum, neocororum, & Diis ſubminiſtrantium, purificari quidem ſimiliter, ſed non tam accurate, nec cum tanta continentia.* Nemo tamen accuratius & prolixius Ægyptiorum ſacerdotum munera & officiorum genera modumque omnem, quo Hermetica diſciplina apud eos obſervabatur, tradidit, quam CLEMENS ALEXANDRINVS, cujus locum, etſi prolixiorem ideo ipſis celeberrimi inque antiquitatis hiſtoria verſatiſſimi doctoris, totum damus, ut tractatio noſtra plena ſit atque certa. Ita vero ille: [o] *Ægyptii peculiarem quandam philoſophiam exercent; illam maxime oſtendit ſacra eorum proceſſio. Primum enim procedit cantor, ex muſi-*

cæ

e) Lib. II. c. 37.

f) Chæremon *l. c.* §. 7. hinc MARTIALI *L. XII. ep. 29.* vocantur:

- - - Linigeri calvi, ſiſtrataque turba.

g) CLEMENS ALEXANDRIN. *l. I. Strom. p. 302.*

h) HERODOTVS *l. c.* *i) Ibid.*

k) Chæremon *l. c.* paria a Therapeuticis obſervata eſſe ſuo loco monebimus.

l) Lib. II. c. 37.

m) Lib. I. p. 51.

n) l. c. §. *8.*

o) Stromat. l. VI. p. 635. unde hunc locum adduxit etiam LAMBECIVS *Prodr. hiſt. lit. p. 135.* MARSHAM *l. c. p. 241.* CVDWORTH. *Syſt. int. c. IV. §. 18. p. 379.* CONRING. *de Hermetica Medicina c. VI. p. 55.*

cæ ſymbolis unum aliquod geſtans. Dicunt illum ex libris Mercurii duos ſumere debere, quorum unus hymnos, alter regiæ vitæ rationes continet. Poſt cantorem procedit horoſcopus, in manu habens horologium & palmam, aſtrologiæ ſymbola. Hunc oportet ſemper in ore habere aſtrologicos Mercurii libros, qui ſunt quatuor, quorum unus eſt de ordine inerrantium ſtellarum, quæ apparent, alius de coitu & illuminatione ſolis & lunæ, reliqui de illarum ortu. Deinde procedit ſcriba ſacrorum, pennam habens in capite & in manibus librum ac regulam, in qua eſt & atramentum ad ſcribendum, & juncus, quo ſcribunt. Illum oportet ſcire ea, quæ hieroglyphica vocantur, coſmographiam, & geographiam, & ordinem ſolis & lunæ, & quinque planetarum & chorographiam Ægypti, & deſcriptionem Nili, & deſcriptionem apparatus ſacrorum, locorumque eis conſecratorum, & menſuras, & quæcunque in ſacris ſunt neceſſaria. Poſtea ſequitur ſtoliſtes, cubitum juſtitiæ tenens, & calicem ad libandum. Hic omnia noſcit, quæ ad diſciplinam pertinent, & victimarum ſigillationem, ſunt autem decem libri, qui ad Deorum ſuorum honorem pertinent, & religionem Ægyptiacam continent: nempe de ſacrificiis, de primitiis, de hymnis, de precibus, de pompis, de diebus feſtis, & hujusmodi aliis. Poſt omnes procedit propheta, hydriam aperte gerens in ſinu, quem ſequuntur, qui panes emiſſarios portant. Hic ut præfectus ſacrorum libros decem ediſcit, qui ſacerdotales vocantur, nempe de legibus, de Diis, de univerſa ſacerdotum diſciplina. Propheta etiam apud Ægyptios vectigalium diſtributioni præeſt. Sunt ergo XLII. libri Mercurii admodum neceſſarii, qui continent omnem Ægyptiorum philoſophiam, & diſcuntur ab iis quos diximus. Sex reliquos ediſcunt paſtophori, pertinentes ad medicinam, nempe de anatomia, de morbis, de inſtrumentis, de medicamentis, de oculis, & poſtremo de mulieribus. Qui locus, quales ſacerdotes Ægypti fuerint, quæ muneris ratio, quæ pompa & apparatus, luculenter deſignat. Non videntur tamen hæc omnia vel ipſum Hermetis inſtitutum vel priſca ejus tempora exhibere, ſed juniora eſſe, & ſuccedentibus temporibus variis Prophetarum, qui religionis præſides fuerunt, curis & inventionibus locupletata tandem in hunc, quem deſcribit Clemens, apparatum coaluiſſe. Nam & veterum religio ſimplicior fuit, neque tanta pompa conſtans, & libri hi Mercuriales in quibusdam manifeſte Græcanicam ſapientiam ſapiunt, quæ poſt Alexandrum M. demum in Ægypto invaluit. Ex quo tempore Ægyptiacam philoſophiam & theologiam hujusmodi habitum acquiſiviſſe, omnino veriſimile eſt. Certe niſi loca & tempora hiſtoriæ Ægyptiacæ diſtinguamus, mira in tota philoſophia Ægyptiorum nos turbabit confuſio. Ceterum in variis Ægypti urbibus ejusmodi ſacerdotes fuerunt, refertque PORPHYRIVS, [p] Pythagoram ſacerdotes quærentem, ab Heliopolitis, in quos primum inciderat, Memphin, tanquam ad ſeniores fuiſſe ablegatum,

p) *De vita Pythag. ſ. 8. p. 12.* ed. Kuſteri.

Memphi eodem prætextu dimiſſum ad Dioſpolitas acceſſiſſe. Narrat tamen STRABO, [q] qui hæc loca ipſe inviſit, *ſe, cum in Ægypto eſſet, Heliopoli magnas quidem conſpexiſſe domos, quas olim inhabitarunt ſacerdotes, qui & philoſophi & aſtronomi fuerint: ſed tunc temporis illum ordinem ac id ſtudii genus defeciſſe, adeoque ne unum quidem monſtrari ſibi potuiſſe priſcorum illorum ſtudiorum & exercitiorum antiſtitem. Tantum ſacrificulos quosdam ibi fuiſſe, qui peregrinis ſacrorum ſuorum ritus exponerent.* Qui Strabonis locus non levem nobis movet ſuſpicionem, jactantius iſta, quæ ex horum hominum ineptorum narratiunculis hauſit Clemens, ſacrificulos tradidiſſe, ut Græcis non tantum pares ſed ſuperiores quoque Ægyptios eſſe demonſtrarent. Nam quæ ambitio & enata inde contentio Ægyptios vexaverit, ſupra jam indicavimus, multisque exemplis conſtat, totam vero iſtam narrationem propter hunc ſolum finem allatam eſſe, ut evinceretur, barbaris Græcos ſuam eruditionem debere, ipſa ſermonis apud Clementem ſeries demonſtrat. Hoc ſane certum eſt, atque ex hoc Strabonis loco liquido conſtat, eos, qui de hac ſacerdotum Aegyptiacorum eruditione & philoſophia nobis teſtimonia retulerunt, non fuiſſe teſtes αὐτόπλους, ſed habuiſſe ex traditione leviſſimi hominum generis, ſacrificulorum, ſolis inaniſſimis ritibus Aegyptiacam diſciplinam ſibi vindicantium. Inter hos, de quibus hactenus diximus, ſacerdotes archiprophetam Sonchidem, Pythagoræ præceptorem laudat CLEMENS ALEXANDRINVS, [r] & Sechnuphidem Heliopolitam Platonis, & Conuphidem Eudoxi magiſtrum.

Methodus docendi arcana apud Ægyptios.

§. VIII. Talis conditionis atque generis cum ſacerdotum Aegyptiorum ordo fuerit, facile inde colligitur, methodum quoque, qua ſapientiam a ſe cuſtoditam cum aliis communicabant, non fuiſſe vulgarem & omnium cognitioni promiſcue patentem, ſed arcanam & reconditam. Ita enim ſollicite ſua myſteria occultabant, ut nemo ea propius inſpicere valeret, niſi qui poſt ſatis longam explorationem, an ſcopo ſuo convenienter acturus eſſet, ab ipſis admittebatur. Quod qua ratione ab iis factum ſit, jam enarrandum eſt. Fundamentum vero omnis methodi atque diſciplinæ arcanæ, quæ in Aegypto viguit, poſuere ſtelæ Aegyptiacæ. Primum enim conditorem eruditionis Aegyptiacæ inventa ſua, leges, atque præcepta columnis incidiſſe, & figuris atque emblematibus ab animalibus aliisque naturæ rebus deſumtis adumbraſſe, ſupra jam obſervatum eſt. Multum in hoc inſtituto valuiſſe rationem veritatum ſublimium ad conſervandam earum auctoritatem atque prudenter & caſte ſervandam traditionem, ſymbolis tanquam velo obductarum, plerique viri docti ſibi perſuadent. [s] Quibus præiverunt Platonici Alexandrini, qui eandem cauſam adhibitæ diſciplinæ methodique arcanæ afferunt. Ita enim IAMBLICHVS: [t] *Ægyptii ipſam univerſi naturam Deorumque operationem imitantes, myſti-*

q) *Lib. XVII.*
r) *Strom. l. I. p. 131.*
s) Ex plurimis videndi eruditiſſimi viri RAD. CVDWORTHVS *Syſtem. intell. c. IV. §. 18. p. 368. ſeqq.* & IAC. BASNAGE *Hiſt. de Juifs T. III. ch. 18. §. 21. p. 464. ſeqq.*
t) *De myſter. Ægyptior. Sect. VII. c. I. p. 150.*

myſticarum quoque & latentium abſconditarum notionum imagines quasdam in ſymbolis conficiendis oſtendunt; quemadmodum & ipſa natura rationes occultas in formis apparentibus, quaſi ſymbolis exprimit, & ipſa Deorum operatio idearum veritatem delineat in imaginibus conſpicuis. Cum igitur intelligant ſuperiora omnia delectari inferiorum conformitate, & per imitationem, quam poſſunt, maximam cupientes iſta replere bonis; merito ipſi quoque religionis ſymbolicæ rationem, Diis congruam adinvenerunt. Frigide vero hæc dici & præter omnem veriſimilitudinem excogitatis argutiis nihil, quod rei eſt, dicentibus, quis non videt? & longe aliam cauſam canæ antiquitati convenientiorem ſubeſſe, quis non palpat? Vt igitur veritati propiora ſectemur, obſervandum, quod ſupra jam tetigimus, primam vetuſtiſſimorum temporum conſuetudinem per plures gentes fuiſſe, ea quæ duratura in ævum, & memoriæ dicanda erant æternæ, ſaxis, lapidibus, columnis incidere, ne temporis injuria perderentur, & memoriæ exciderent. Talia vero cum eſſent, quæ Mercurius primus invenerat, certe cum talia eſſe, ſibi perſuaderet, ſive religionem, ſive mores, ſive ſtatum politicum formaverint, (de eo enim nihil conſtat) ſtelis atque lapidibus ea inſcribebat. Et cum rudem atque brutum, quod ſupra quoque monuimus, populum ad humanitatis ſenſum cultumque ſacrum pariter atque politicum traducere vellet, elegit docendi genus facile, & rudiſſimis ingeniis adaptatum, per imagines atque ſymbola præcepta ſacra atque politica populo explicandi. Nam hanc quidem methodum ſymbolicam, modo recte inſtituatur, apprime ad tarda & rudia ingenia docenda adhiberi poſſe, & ratio atque experientia dictitant, & magnorum virorum, immo maximi doctoris IESV exemplo conſtat. Vnde recte, ex noſtra quidem ſententia, negavit, acutiſſimus CVDWORTHI interpres [u] ſymbola Aegyptiorum hunc in finem, ut doctrinæ obſcurarentur, inventa fuiſſe. Præter hanc vero docendi per ſtelas morem alia ratione religionis potiſſimum in Aegypto conditores in docendis ſacris verſati ſunt. Cum enim hoc potiſſimum principio in ſacris conſtituendis uterentur, quod poſtea illuſtrabimus, univerſalem mundi ſpiritum non modo in maximis & ſplendidiſſimis mundi partibus, præcipue in ſideribus habitare, ſed & magnos viros, ſummis beneficiis homines ſibi devincientes, maximeque meritos ab ejusmodi divina particula, ſive genio bono inhabitari; non paſſi modo ſunt, ut illi viri magni inter Deos numerarentur, & divino cultu honorarentur, ſed ut arcana quoque hæc religionis ratio maneret, nec vileſceret, ſi populus homines olim mortales coli animadverteret, multis fabulis & præcipue theogoniis eorum hiſtoriam occultaverunt. Cujus rei teſtem ipſam antiquiſſimam Aegypti hiſtoriam advocamus, quæ tota Deorum & ſemideorum fabulas nobis narrat, primosque Aegypti reges mythologico habitu ornatos & inter Deos relatos nobis exhibet. Qua de re cum ſupra jam verba fecerimus, prolixius dicere opus non eſt. Et ita quidem ante Aegypti vetuſtiſſimæ everſionem,

u) *l. c. p. 370, not. 38.*

cataclyſmos, aliasque calamitates eveniſſe omnino probabile eſt. Poſt iſtas vero, quas Aegyptus paſſa fuit mutationes, cum ſtelæ defoſſæ eruerentur, monumenta reſidua ſitu ſqualentia tanquam ſacræ reliquiæ conſervarentur, & Mercurius ſecundus novam religionis reſtitutæ & renovatæ faciem introduceret, iſtæ imagines eo potiſſimum fine adhibitæ ſunt, ut illis nova religio & eruditio adumbrari crederetur. Hinc tanquam ſacra monumenta ſtudioſe conſervata, & in templorum ſacrariis repoſita fuiſſe, ſupra probavimus. Hæc deinde cum ſacris fabulis conjuncta novum religionis introductæ populo commendandæ præſidium exhibuerunt. Cum enim Aegyptiaca religio in eo potiſſimum verſaretur, ut ex ſupra jam detecto principio reges atque ſummi imperantes, divinitatis participes crederentur, & poſt mortem Dii haberentur, omnino cura agenda erat, ut ab inſpectione arcana hujus principii vulgus arceretur, ne omnis religio evileſceret, ſi pateret, eam ad homines mortales revera referri. Qua propter antiquæ fabulæ de Diis auctæ & ſtudioſe cuſtoditæ, & ſacerdotum potiſſimum ordini explicatio earum ut & ſacrarum imaginum credita eſt, qui ut ab arbitrio imperantis pependit, ita dum vita lauta commodaque ex dominantis religionis conſervatione fruebatur, in id omnes nervos intendit, ut ſacra hæc omnibus, quibus licebat, mediis, conſervarentur, & venerationi populi commendarentur. Quem in finem inſtitutæ tot ceremoniæ, tamque ſplendidus cultus publicus introductus eſt, animis vulgi iis, quæ oculos feriunt, capi plerumque ſolitis. Vt vero ipſi quoque ſacerdotum ordini neceſſaria ad hunc ſcopum accederet auctoritas, literarum ſtudia ab iis exculta ſunt: id quod duplici ratione conſilia iſta adjuvit. Nam & ita prudentiores & ſapientiores ſacerdotes a populo habiti ſunt, talesque, quibus ſapientiam poſſidentibus potiſſimum habenda fides; & medium ita inventum eſt, profundius inter populum meditantes, & de rationibus his ſollicitos ab arcanis his, quorum regi & ſtatui publico tantum intererat, caute avocandi. Callidiſſimi enim homines, ut ingenia altiora diverterent, ſacrorum horum atque myſteriorum explicationes philoſophicas excogitabant, & ad cauſas rerum phyſicas referebant, quicquid in ſacris fabulis & imaginibus occultatum ferebatur. Quod cum variis modis ſacerdotes inſtituerent, præcipue ex quo a Græcis per ſyſtemata de rebus naturalibus differere didicerunt, mirum non eſt, diverſiſſimas ſacrarum illarum figurarum explicationes apud PLVTARCHVM aliosque inveniri. Quæ tamen eo magis occultabantur, ne cum religione ſacerdotium quoque, quod tantis vitæ commoditatibus inſerviebat, evileſceret. Et ex his jam ampliſſimus campus patet, in quo Ægyptiorum ſacerdotum gens fraudes & impoſturas ſuas exercuit, & ratio excultæ diſciplinæ arcanæ veriſimilis poteſt depromi. Ex quibus omnibus jam ſua ſponte fluit, fruſtra eſſe, qui vetuſtiſſimarum imaginum hieroglyphicarum, & fabularum ſacrarum ſenſus exponere geſtiunt. Quemadmodum enim priſca ſignificatio præter tenues quasdam conjecturas periit, ita ſacrificuli Ægyptiaci ſui ingenii

genii ſomnia, vel ea, quæ ſtatus atque imperii arcana poſtulabat ratio, imprudenti populo obtruſerunt, & ſelectis tantum ingeniis, multisque vexationum & moleſtiarum exercitiis probatis, ea prodiderunt, quibus tutæ & exploratæ fidei homines in ſuam regnique fraudem non abuſuros eſſe, certo noverant. Qui vero fontes diſciplinæ arcanæ non ad ſolos Ægyptios referendi ſunt, ſed & ad reliquos orientis populos mutatis circumſtantiis pertinent. [x]

§. IX. Verum ne ſolis conjecturis ducti hæc dixiſſe videamur, ipſa arcana methodus atque diſciplina Aegyptiorum ex veterum teſtimoniis adumbranda eſt. Eam vero apud hanc gentem viguiſſe, adeo tralatitium eſt, & in vulgus notum, ut prolixe probare opus non ſit. Vno ORIGENIS [y] rerum Aegypti maximopere gnari, teſtimonio conficiemus. Ita vero is adverſus Celſum: *Hic mihi Celſus æque videtur ſapienter agere, ac ſi aliquis in Aegyptum profectus, in qua terra viri ſapientes ex inſtitutis & præſcriptis patriis multum ſuper rebus illis philoſophantur, quæ pro divinis inter eos habentur, quum rudes interea & illiterati fabulas tantum nonnullas accipiant, quibus, tametſi ſenſum earum haud aſſequantur, vehementer capiuntur & delectantur; Celſus inquam haud ſecus mihi videtur inſtituere, ac ſi homo ejusmodi, qui Ægyptios quidem adiit, at cum nullis verſatus eſt, niſi rudibus & indoctis hominibus, a ſacerdotibus vero de arcanis & reconditis myſteriis ſuis haud eruditus eſt, gloriaretur tamen & prædicaret, imbibiſſe ſe omnia, quæ ad Ægyptiorum theologiam & religionem pertinent.* Sed & reliqua legenda ſunt, quæ ſequuntur, remque mire illuſtrant. Alia veterum loca & teſtimonia qui cupit, inveniet ea apud CVDWORTHVM [z] aliosque, qui de arcana hac Aegyptiorum methodo tradiderunt. Qua ratione vero fabularum & mythologiæ ſacræ curam habuerint, nemo luculentius docebit, quam PLVTARCHVS, qui in tractatu *de Iſide & Oſiride* multa Aegyptiacæ theologiæ & eruditionis placita cumulavit, ex qua ſola tractatione iis, quæ modo diximus, lux clariſſima affundi poteſt. Acceſſere vero hieroglyphicarum imaginum picturæ, quas ad imitationem veterum ſtelarum efficiebant, quarum reliquias menſa Iſiaca, Harpocratis imago & quæ alia ejusmodi ſunt, nobis exhibent. Harum imaginum explicationem HORVS APOLLO [a] dediſſe dicitur, certe hoc titulo libellus hodienum exſtat, qui morales potiſſi-

Probatur veterum teſtimoniis.

Horus Apollo Hieroglyphicorum ſcriptor.

x) Conf. quæ egregie monet cel. MOSHEMIVS *ad* CVDWORTHVM *p. 369.*

y) *Lib. I. p. 11.*

z) *l. c. p. 368.*

a) Hori nomen apud Ægyptios celebre cognomen fuit Apollinis, unde pro ſole ponitur: de quo Ægyptiorum Deo videndus PLVTARCHVS *de Iſid. & Oſir.* Varia vero ei ſcripta tribuuntur, & inter ea potiſſimum libellus *de hieroglyphicis Ægyptiorum*, cujus elegantem editionem nobis dedit DAVID HOESCHELIVS, de qua diximus in diſſ. *de meritis viri celeberrimi in Græcas literas.* Hunc ex Ægyptiaco in Græcum tranſtulit *Philippus* quidam, non valde antiquus, ut ex vocibus Græco-barbaris colligere eſt, quas interdum adhibet. Quis vero ille Horus Apollo fuerit, quem libellus auctorem refert, incertum. Hœſchelii conjecturam rejicit, qui diligenter de Horapolline commentatur, FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 88.* conjicientis eſſe Horapollinem Grammaticum Phenebytidem, cujus meminit SVIDAS. Probabile vero eſt, libellum ex recentiorum Ægyptiorum libris excerptum ad priſcum illum Horapollinem relatum eſſe, ut a magno & divino viro, more Ægyptio, auctoritas accederet. Vnde quam parum fidei mereatur patet.

tiſſimum ſignificationes harum ſacrarum imaginum recludit : easque noſtra ætate viri ingenioſi augere , & arcanos magis ſenſus eruere conati ſunt, [b] irrito, niſi fallimur, & fruſtraneo labore , cum nec ipſi ſemper ſacerdotes Aegyptii eos deprehenderint, & pro cujusvis ingenio quodlibet ex iſtis imaginibus exſculpatur. Nec hoc ſolum abſcondendi ſtudium abſolvebat, ſed ſacri quoque libri in templorum adytis ſervabantur, præfixo, uti ſupra ex Iamblicho notavimus, Hermetis nomine. Hos nemo inſpiciebat, niſi ſacerdos, immo, nec omnibus promiſcue ſacerdotibus acceſſum ad hæc ſacra patuiſſe, ſed majoris tantum ordinis, ex Chæremone ſupra adduximus. Hac potiſſimum arte facillimum erat, quæcunque vates & ſacerdotes volebant, & ipſorum emolumentum vel regni quoque & imperantis utilitas poſcebat, populo tanquam ex libris ſacris & divinis deſumta, perſuadendi. Neque enim peregrinorum quisdam ad hæc ſacra admittebatur, & ſi regis commendatione id fieri neceſſe erat, multis iisque moleſtiſſimis ἀσκήσεσιν ita fatigabatur, ut facile a propoſito deſiſteret. Imprimis vero in hoc caſu circumciſionem exigebant, ut Pythagoræ exemplo probatum dedimus: quæ cum a reliquis populis valde eſſet contemta & deſpectui habita , ita peregrinos arcuit , ut unum tantum exemplum Pythagoræ noverimus, qui hanc diſciplinam peregrinus ſubire, quam arceri, maluit. Nec ita ſatis, ex callidiſſimorum hominum ingenio, obſepta & recondita Ægyptiorum myſteria fuere , ſed adhibitus quoque arcanus ſacerque ſcribendi modus. Refert enim CLEMENS ALEXANDRINVS: [c] *eos qui docentur ab Ægyptiis, doceri primum Ægyptiarum literarum viam ac rationem, quæ vocatur epiſtolographa, id eſt, epiſtolis ſcribendis apta; ſecundo ſacerdotalem, qua utuntur ſcribæ ſacri, ideo* ἱερογραμματεῖς *dicti ; ultimam autem hieroglyphicam, id eſt ſacram, quæ inſculpitur, ſcripturam: cujus una quidem eſt per prima elementa* κυριολογικὴ, *id eſt, proprie loquens, altera vero ſymbolica, id eſt , per ſigna ſignificans. Symbolicæ autem una quidem proprie loquitur per imitationem, alia vero ſcribitur , quaſi tropice ; alia vero ſumitur allegorice , per quædam ænigmata.* Quæ poſtea Clemens exemplis illuſtrat. Quis quæſo per denſiſſimum hoc velum Ægyptiaca placita perſpecturum ſe ſperet? & quis non fraudes & impoſturam ſacerdotum latere credat ? quis non ſacrum philoſophiæ nomen indigne his hominibus tribui, nec veros ſenſus Ægyptiacæ ſapientiæ, niſi ſtultitia & impietas potius dici mereatur, certe deprehendi poſſe ſtatuat ? & quis non inde magnifice de Ægyptiorum philoſophia ſentire deſinat?

Obſervationes generales de philoſophia Ægyptiaca.

§. X. Plenius id pateſcit, ubi propius ad conſiderationem philoſophiæ & theologiæ Ægyptiorum accedentes, ejus partes atque diſciplinas tum generali examine expendimus, tum ſpeciales doctrinas excutimus. Veterum enim narrationes ſecuti obſervamus :

I. Totam

b) De IO. PIERII VALERIANI, KIRCHERI, PIGNORII, MACARII, CHIFLETII, MASENII ſcriptis hanc in rem vid. FABRIC. *loc. cit. pag. 90. 91.*

c) *Strom. l. V. p. 555.* PORPHYR. *de vita Pythag. n. 12. p. 15.* ed. Kuſt.

I. Totam philoſophiam & theologiam præcipue ad ſacerdotum commoda & auctoritatem conſervandam & augendam, & ad rationes imperii politici tuendas quam maxime collineaſſe, hinc potiorem & arcanam ejus partem fraudis & impoſturæ eſſe ſuſpectam. Aut enim toti in eo, quod hactenus prolixe diſputavimus, & teſtimoniis veterum roboravimus, fallimur, aut in aperto eſt, fraudulenter egiſſe ſacerdotes Ægyptios. Si enim veram ſapientiam docere fuiſſent conati, eam tot latebris non abſcondiſſent, cum omnium interſit de divinis & humanis rebus recte erudiri. [a] Alia tamen omnia judicanda de Ægyptiis, qui multa quidem cum oſtentatione philoſophiam & religionem mentiti ſunt, intra velum tamen impietatem fraudesque habuere reconditas. Nec quis hic objiciat, quod Platonici, ejusdem furfuris homines, pro diſciplina arcana defendenda afferre ſolent, vulgi ingeniis veritates philoſophicas & imprimis metaphyſicas, captum ejus ſuperantes non eſſe propalandas, ne abutantur: de Deo enim & religione recte erudiri omnium intereſt. Nec recondiderunt tantum myſteria ſua plebi, ſed omnibus, qui ſacerdotes non erant, & imprimis peregrinis, qui ſapientiæ tantopere celebratæ diſcendæ cupidi ea noſſe deſiderabant. Vnde longe alias latuiſſe cauſas, quam quas præ ſe ferebant, facili conjectura colligitur. Vidit id *auctor quæſtionum & reſponſionum ad orthodoxos*, quæ inter S. IVSTINI opera edi ſolent, [e] qui luculenter: τῶν Αἰγυπτίων τότε ἡ σοφία τὰ τῆς πλάνης ὑπῆρχε διδάσκεσα διδάγματα. *Ægyptiorum eo tempore* (quo Moſes vixit) *ſapientia impoſturæ tradit diſciplinas.* Quod ut contra objectionem: aſtronomiam, aſtrologiam & geometriam tamen divinum vatem in Aegypto didiciſſe, tueatur, addit in reſponſione: *Aſtronomiam & aſtrologiam & geometriam apud Ægyptios habitas fuiſſe diſciplinas vulgares & humiles, in honore autem & pretio fuiſſe, quæ vocantur literæ hieroglyphicæ, atque in adytis atque abditis locis non cuivis ex vulgo, ſed eximiis tantum & delectis traditæ ſint.* Vbi eleganter impoſtura arcanis diſciplinis, quas a vulgaribus recte diſtinguit, tribuitur, hieroglyphicis non ex mente veterum, quam forte recentiores ignorabant, ſed ex ingenii fraudisque commentis explicitis. Hinc non dubitavit EVSEBIVS [f] has explicationes vocare *recentiorum ſophiſmata*, de quibus ne per ſomnium quidem veteres cogitarint.

Relata tota philoſophia ad imperii & ſacerdotii commoda.

II. Patet inde, quid de philoſophia Aegyptiorum, quatenus mathematicas diſciplinas complectitur, ſtatuendum ſit? Geometriam enim apud eos viguiſſe, contra veterum teſtimonia negari non poſſe, concedimus: an invenerint, quod multi contendunt, noſtrum non eſt diſpicere, & hactenus concedi quoque poteſt. [g] Verum multum illi decipiuntur, qui geometriam ſubli-

Scientiæ in Ægypto excultæ. Geometria.

d) Recte itaque arcanam methodum inter characteres falſæ philoſophiæ retulit doctiſſimus HEVMANNVS *Act. philoſ. vol. I. p. 222. ſqq.*

e) *p. 406.*

f) *De præparat. l. III. c. 7. p. 98. 99.*

g) Videnda, quæ collegit VOSSIVS *de ſcientiis mathem. c. XIII. p. 48. ſeq.* & BVRNETIVS *archæolog. philoſ. c. VIII. p. 378.* conf. LAERT. *l. I. ſ. 11.* & MENAG. *ad h. l.*

ſublimiorem inter Aegyptios floruiſſe ſibi perſuadent, nam hi non modo luculento *auctoris Qq. & reſponſ. ad orthodoxos* teſtimonio refelluntur, quod geometriam intra diſciplinarum vulgarium limites cogit, & ita ſatis prodit, magis occupatam fuiſſe in dimetiendis & definiendis agris, quorum terminos auctus Nilus quotannis confundebat, [b] quam in theorematibus definiendis & ſolvendis: ſed &, fruſtra eſſe, convincuntur, eo quod philoſophi Græci, qui in Aegyptum philoſophiæ diſcendæ cauſa profecti ſunt, levia geometriæ inventa ibi non didicerunt, ſed proprio Marte & ingenio domi excogitaverunt. Pythagoras enim ex Aegypto redux, virtutem lateris oblongi in triangulo rectangulo ad cætera comparati, tandem meditatione aſſecutus, inventionem hecatombe dignam putavit. Thales quoque, qui geometriam in Aegypto didicit, inventa circuli & trianguli deſcriptione, gaudio emotus bovem immolaſſe dicitur. [i] Recte inde infert vir quidam acutiſſimus: [k] Cum hæc ſimpliciora pulchra licet & perutilia in geometria barbarica non repererint, fruſtra quis in ea quæſiviſſet theoremata magis operoſa, methodosque analyticas, quæ poſteris innotuere: & quas Græcorum ingeniis, in hac materia præclaris, potiſſimum debemus. Idem de aſtronomia Aegyptiorum judicium eſto: cujus etiam inventionem plerique veterum Aegyptiis tribuunt, [l] & ab iis ad Babylonios traductam tradit DIODORVS, [m] cum alii a Babyloniis ad Aegyptios perveniſſe, hosque ab Abrahamo edoctos eſſe, contendant: [n] perperam forte utrumque, cum veriſimillimum ſit, ſtudii per ſe, expoſito aſtrorum ſplendore, vetuſtiſſimis gentibus commendabilis prima elementa quamlibet per ſe inveniſſe, qua ratione recte uſus CICERO, [o] utrumque populum jungit: *Ægyptii & Babylonii*, inquit, *in patentium camporum æquoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi cœli officere poſſet, omnem curam in ſiderum cognitione poſuerunt.* Concedamus vero tantiſper hanc gloriam Aegyptiis; quæ inde concludetur philoſophica inquiſitio? Obſervarunt ſtellarum ortus & occaſus, zodiaci partes & planetarum aſpectus; non negamus; verum id in uſus genethliacos, & ad rationes aſtrologicas. Attenderunt ad æquinoctia & ſolſtitia; verum ad anni rationes definiendas. Temporum conditiones ex ſideribus dijudicarunt; verum ut agriculturæ inſervirent. Quis in his omnibus philoſophiam quærat? quam ad mathematicas ſcientias primi ex Pythagorea ſchola adplicuere, in qua Eudoxus hypotheſes motuum cœleſtium primus excogitavit. Vtemur eodem argumento, quod de geometria uſi ſumus: Thales, qui in Aegypto fuit, primus celebratur, qui eclipſin ſolis futuram prædixit. [p] Hæc ſi in Aegypto non didicit, ſed proprio marte invenit, quam miſera Aegyptiorum aſtronomia

Aſtronomiæ.

b) HERODOTVS *l. II.* SERVIVS *ad Eclog. III. Virg.*
i) Vtrumque probabitur ſuo loco.
k) BVRNETIVS *l. c.*
l) PLATO in *Epinomide.* ARIST. *metaph. l. I.* LAERT. *l. c.* MANILIVS *aſtron. l. I.* & SCALIGER. *ad h. l.*
m) *l. c.*
n) IOSEPH. *l. I. c. 9.* quem refutat & multa huc affert rem illuſtrantia cl. IO. LAMIVS *de SS. Trinit. l. I. c. 3. p. 8. ſeq.*
o) *De divinat. l. I.*
p) PLIN. *l. II. c. 13.* CICERO *l. c.* aliique ſuo loco nominandi.

mia fuerit, liquet. Neque objiciat quis, DIODORVM paſſim obſervationes Aegyptiorum circa res cœleſtes tanquam accuratas laudare: hoc enim comparate ad alias gentes intelligendum eſſe, recte monuit BVRNETIVS,[q] qui non ſine probabilitate tamen addit, quædam eos de ſyſtemate mundi, per traditiones magis, quam rationes philoſophicas, cognoviſſe, v. g. cum lunam appellarunt αἰθερίαν γῆν, & τὸς ἀςέρας πῦρ εἶναι, modo id, quod teſte tantum PROCLO[r] ſcimus, non falſo Aegyptiis tribuatur. Poſt Aſtronomiam muſicam inveniſſe Hermetem DIODORVS tradit, uti ſupra indicavimus; hincque tonos is in acutum, medium gravemque dividendi, lyramque trichordem inveniendi occaſionem habuiſſe dicitur. Quod ſi modo verum eſt, (nam gentes plerasque, imprimis Aegyptios ſuis heroibus omnium artium & ſcientiarum inventionem ex ambitione & gloriæ affectatione tribuiſſe, notum eſt) de initiis tantum primisque fundamentis muſicæ artis intelligendum eſſe, ipſa traditio innuit. Invenit enim, (quod ſuo loco teſtimoniis probabimus) Pythagoras rationes harmoniæ ex malleorum ictibus in officina ferraria. Has ergo in longa per orientem peregrinatione, vel, ſi eam tanquam incertam non admittimus, in mora tamen in Aegypto, etſi intimiorem admiſſionem nactus, non didicit, unde popularem tantum fuiſſe patet. Quæ quoque ratio eſt, cur apud DIODORVM[s] Aegyptii dicantur viros ab exercenda muſica arcuiſſe, quod animos emolliret. *Muſica.*

III. Magnum præterea nomen Ægyptii, ſi multos audis, conſecuti ſunt in arte medica: cujus inventio ad magnos Ægypti viros referri ſolet. Etſi enim, invitis Ægyptiis, Græcis & Latinis artis ſalutaris inventionem tribui Hermeti, quod multis[t] placuit, non contemnendis argumentis evicit CONRINGIVS, [u] ad quem non reſpexiſſe DANIELEM CLERICVM[w] merito miramur, & a ſuppoſititiis recentioris ætatis libris fruſtra argumentum ſumi putamus; certum tamen eſt, Ægyptios ad ſemideos ſuos, artis ſalutaris initia retuliſſe. Imprimis vero ob hanc rem celebratiſſimum Iſidis nomen apud Ægyptios fuit, a qua filium Horum ſive Apollinem medicinam didiciſſe, remediisque ſuis immortaliter de hominibus meritum fuiſſe tradit DIODORVS.[x] Vnde & de Apolline OVIDIVS[y] *Medicina.*

Inventum Medicina meum eſt, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

Imprimis vero Aeſculapium nomen apud Ægyptios propter merita in rem medicam, celeberrimum conſecutum fuiſſe, notius eſt, quam ut multis probari opus ſit. Quicquid vero de his Ægyptiacæ medicinæ inventoribus per fabulas, ut ſunt origines rerum apud veteres ſemper hoc velo obductæ, dicitur, ita comparatum eſt, ut plane nihil, quod veri ſitientibus faciat ſa-

q) *l. c. p. 380.*
r) In *Tim. Platon. l. I. p. 45.*
s) *l. c.*
t) Vid. FABRICIVS *Bibl. Gr. vol. I. p. 82.*
u) *De Medicina Hermetica c. II. p. 2. ſeqq.*
w) *Hiſtoire Medicin. l. I. ch. 5. p. 11. ſeqq.* ubi criticum traditionis recentioris examen merito deſideres.
x) Conf. IDEM *l. c. ch. 6. p. 15. ſeqq.*
y) Metamorph. *l. I.*

tis, exhibeat, nec dici queat, quis arti ſalutari inter veteres Ægyptios manum primus admoverit? Veriſimile tamen videtur, magnos Ægypti viros, qui formandis & curandis rudium Ægyptiorum animis & corporibus curam ſuam addixerunt, non imparatos etiam ab omni artis ſalutaris notitia & experientia fuiſſe. Celeberrimos enim priſci orbis viros hac quoque ratione ſuorum ſibi animos devinxiſſe, & æternum nomen meruiſſe, ex inductione exemplorum, facile probatum dare poſſemus, ſi id ageremus. Hæc vero licet concedamus, parum tamen præſidii ſunt illis, qui neſcio quos magnos medicos ex Aegyptiis nobis exſculpunt. Vti enim prima artis rudimenta, quæ non tam theoria & ſyſtemate aliquo, quam experimentis conſtant, illis innotuiſſe, ex ipſa rerum ſerie & inventionis a primis elementis incipientis conditione colligitur; ita magis προφυλακτικὴ quam θεωρητικὴ fuit: & quidem adjuta quam maxime incantationibus remediisque magicis, ut inter omnes fere gentes veteres uſu venit. [z] Interim non negamus, ab antiquiſſimis temporibus apud Aegyptios medicinam in uſu fuiſſe, appellata ideo regione ipſa Aegypti pharmacorum ferace; apud HOMERVM: [a]

\- - Τῇ πλεῖσα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα - - -

Cujus rei veritatem adſtruit ipſum ſacrorum voluminum teſtimonium, medicorum mentionem faciens, qui in Aegypto Iacobi patriarchæ corpus, juſſu proregis Ioſephi aromatibus condiverunt; ut taceamus, quæ poſteriorum ſunt temporum, Chryſippum Cnidium, Pythagoram, Democritum, Eudoxum, & imprimis Orpheum atque Onomacritum medicinæ notitiam in Aegypto hauſiſſe. [b] Narratque HERODOTVS [c] ſua ætate medicinam apud Aegyptios ita fuiſſe diſtributam, ut ſingulorum morborum medici fuerint, non plurium, itaque omnia fuiſſe medicis referta; alios enim ocularios, juvandis oculis conſtitutos, alios capiti, alios dentibus, alios alvi partibus, alios morbis occultis. Perſuadet etiam locus CLEMENTIS ALEXANDRINI de ſacerdotibus Aegyptiacis, ſupra adductus, ex ſacerdotum gregibus quibusdam curam medicinæ commendatam fuiſſe, refertque LAERTIVS [d] Platonem in Aegypto ægrotantem a ſacerdotibus curatum fuiſſe: eratque hoc paſtophororum munus; licet etiam ſcribæ ſacri videantur medicam artem exercuiſſe. Nihil tamen hæc omnia ad commendandam philoſophiam Aegyptiorum faciunt; nam legimus quidem corporibus ſecandis operam Aegyptios impendiſſe, ſed id non ad cognoſcendam humani corporis fabricam, quod tamen fundamentum eſſe debet artis ſalutaris rationali modo excolendæ, ſed ad condendi cadavera curam referendum eſt. Quod quam parum apte cognitionem medicam atque phyſicam

z) Conferendus H. CONRINGIVS *l. c. c. VIII. p. 72. ſeqq.*

a) *Odyſſ. l. IV.*

b) Videndi de his hiſtoriæ Medicinæ ſcriptores CLERICVS, GOELICKIVS, SCHVLZIVS, & quæ infra ſuis locis afferentur.

c) *Lib. II.*

d) *Lib. III. ſ. 6.* ubi tamen modus, quomodo curatione marina ſanitati reſtitutus fuerit, notandus eſt.

ſicam Aegyptiorum juverit, ex iis videre eſt, quæ habet PLINIVS, [e] cauſasque cur tam parum profecerint, eleganter exponit CONRINGIVS, [f] dignus, qui hac de re legatur. Nihil vero magis ineptam & a philoſophia alienam medendi Aegyptiis adhibitam rationem prodit, quam magicæ incantationes, herbæque ſacræ, luſtrationes & quæ alia ſunt, remediis naturalibus juncta. Non licebat enim in Aegypto medicis ex artis & rationis regulis medicamenta præſcribere; ſed, teſte DIODORO [g] *medicinam ex lege ſcripta faciebant, & per multos ab antiquo medicos illuſtres concinnatam applicabant. Si leges, quas ſacri codicis lectio tradebat, ſecuti ægroto ſanitatem reddere nequibant, culpa vacabant, & impunes abibant; ſin contra præſcriptum egiſſent, capitis judicium ſubibant. Nam medendi rationem longo temporis uſu obſervatam, & ab optimis artificibus ordinatam paucos ingenio & ſolertia ſuperaturos legislator cenſuit.* Ita Diodorus: ex cujus verbis patet, non licuiſſe medicis, rationem & experientiam in medendo duces ſequi, ſed ad eam potiſſimum medendi formam & præſcriptum fuiſſe obligatos, quod ſub Hermetis nomine ſacerdotes commendabant. Illi vero non naturalem tantum vim, ſed & ſupernaturalem magicamque efficaciam advocabant, & imprimis herbis tales effectus adſcribebant; quos qui cognoſcere cupit, eum, ne nimii ſimus, ad PLINIVM [h] ablegamus, miraturum, quam egregie Aegyptii in his rebus ineptiverint. Non fallemur itaque, ſi a medicina Aegypti empirica philoſophiam probari non poſſe judicamus. Nec meliora ſunt, quæ pro artis chemicæ apud Aegyptios cultura patroni ejus afferunt. Vt enim, quæ inter doctiſſimos viros HERMANNVM CONRINGIVM & OLAVM BORRICHIVM diſputata ſunt, mittamus, [i] cum inſtitutum noſtrum excedant, hoc unum omnem aſſerti hujus vim deſtruit, indubitatam certamque artis mutandi metalla, mentionem ante Conſtantini M. ætatem non reperiri. [k] Nam quæ contra monet Borrichius, in incendio Alexandrino veterum hac de re libros periiſſe, frigida ſunt, & principium petunt. Moſis vero vituli idololatrici combuſtionem hanc ſententiam nihil juvare, ſupra capite primo

e) *Lib. XI. c. 13.*

f) *l. c. c. X. p. 89. ſeqq.*

g) *Lib. I. c. 28.* *h*) *Lib. XXX. c. 2.*

i) Ediderat HERM. CONRINGIVS, æternum Germaniæ decus, *de Hermetica Ægyptiorum vetere, & Paracelſicorum nova medicina*, librum unum, *Helmſt. 1648. 4.* ad quem juſſu Friderici III. Danorum regis reſpondebat vir doctiſſimus, OLAVS BORRICHIVS Medicus Regius in diſſ. *de ortu & progreſſu Chemiæ Hafniæ 1668. 4.* cui cum reſponderet CONRINGIVS *in apologetico brevi*, iteratæ libri ſui in duas partes diviſi editioni adjuncto, *1669. 4.* repoſuit multa BORRICHIVS in prolixiore opere: *Hermetis Ægyptiorum & Chemicorum ſapientiam ab H. Conringii animadverſionibus vindicatam, exhibente Hafn. 1674. 4.* De qua lite horum duumvirorum, quos pauci intra Germaniam eruditione & lectione veterum ſuperaverunt, varia eruditorum fuere judicia. Et iſto quidem tempore cauſa Borrichii plerisque eruditorum potior Conringiana viſa fuit, vid. MORHOF. *Polyhiſt. lit. T. II. l. II. P. I. c. 4. p. 167.* nondum enim pati poterat orbis, antiquitatis præjudicium ſectæque ſtudium abjici. Vbi vero ſerenior lux hominum mentibus affulſit, & præjudiciorum catervæ ejici cœperunt, potiores merito CONRINGIO partes delatæ ſunt, vid. MOLLER. *homonymoſcop. P. II. c. 2. §. 16. p. 257.* BVRNETIVS *archæolog. philoſ. c. VIII. p. 381.* N. H. GVNDLINGIVS *Hiſt. philoſ. mor. c. I. §. 2. p. 8. Acta philoſoph. vol. II. p. 683. ſeqq.* Ceterum monemus lectorem, nos primam Conringii editionem adhibuiſſe, quæ ad manus erat.

k) Ante Zoſimum enim Panoplitam, Syneſium, Olympiodorum, Æneam Gazæum indubitatos ſcriptores alios, qui hujus artis meminerunt, non invenias. Conf. BVDDEVS diſſ. *an Alchemiſtæ in republica ſint tolerandi? §. 11. p. 517. ſeq.*

jam demonſtravimus. Fruſtra itaque hæc ars ad Hermetem refertur, & neſcio quæ philoſophia inde exſculpitur. Claudamus hanc de Medicina Aegyptiaca & naturali quoque philoſophia tractationem verbis MORHOFII, [l] qui tamen in caſtris Borrichii contra Conringium militare, quam propriam rationem audire maluit, ita ſcribentis: *De his omnibus nullum formari ſolidum judicium poteſt, quandoquidem certis principiis illa comprehendi non poſſunt, cum omnia fabularum tenebris ſint involuta, & imagines illæ* (unde notitia phyſica Aegyptiorum colligitur, [ll]) *nullam nobis lucem per ſe affundant. Ideoque potius ad ſuperſtitiones philoſophicas referam, quam ad veram rerum naturalium ſcientiam, quæ e certis principiis deducenda eſt, non fabulis aut imaginum coloribus delineanda.*

Aſtrologia apoteleſmatica.

IV. Præter has ſcientias maxime dediti fuere Ægyptii aſtrologiæ judiciariæ. Supra enim jam CLEMENTEM ALEXANDRINVM narrantem percepimus, inter quadraginta duos libros ſacros, Mercurio adſcriptos, quatuor fuiſſe, qui Aſtrologiam complexi ſint, & in quibus illi ex ſacerdotum ordine ſtudium operamque ſuam poſuerint, qui horoſcopi vocati ſunt. Hos ad genituras attendiſſe; & ex ſiderum poſitione & aſpectibus judicaſſe, ex hoc loco palam eſt. Quam aſtrologiam Chaldæos, primos colonos Ægyptiorum, in terras alienas tranſtuliſſe, & ab Ægyptiis ſacerdotibus edoctos ad aſtrologiæ famam perveniſſe tradit DIODORVS, [m] quam tamen opinionem capite ſecundo hujus libri tanquam vero minus ſimilem rejecimus, pronumque eſt, credere, gentem ſuapte natura ſuperſtitioni quam maxime deditam, in hoc ſtudium incubuiſſe. Videtur tamen aſtrologia apud Ægyptios a Græcis, qui ſub Alexandro M. eam a Babyloniis didicerant, & in Ægyptum cum eo deſcenderant, ad eum habitum compoſita fuiſſe, prout inter Græcos poſtmodum viguit: quod in aliis quoque diſciplinis accidiſſe ſupra probavimus.

Magia.

V. Cum aſtrologia magia apud veteres conjuncta fuit, ex qua ſcientia cum *ſumma literarum claritas & gloria antiquitus & pene ſemper petita fuerit*, obſervante PLINIO, [n] mirum non eſt, Ægyptios ad artes vanas & religionis ſpeciem obtinentes natura pronos quam maxime ei invigilaſſe. Vetuſtiſſimam tamen Magorum ſectam apud Ægyptios fuiſſe, ipſa ſacra Moſis refert hiſtoria, [o] quæ, quales impoſtores hi homines fuerint, nobis luculenter deſcribit. Inter hos vero magiæ ſectatores Iannen & Iambren fuiſſe, celeberrimos Ægypti præſtigiatores, ex veteri Iudæorum traditione ſcribit divus PAVLVS: [p] quos ſe Moſi objeciſſe, & arti per Moſen ſuperatæ ſuppetias ferre voluiſſe, veteres miris circumſtantiis referunt: quorum de his Ægypti Magis narratiunculas, ut & Iudæorum

l) *l. c. p. 169.*

ll) Hæc ipſe MORHOFIVS, alia in diſſ. *de metallorum mutatione ſect. X. p. 279.* ſecutus, ſibi dicta habeat, & IAC. TOLLIO, MICH. MAIERO aliisque, qui in hieroglyphicis Ægyptiorum figuris arcana chemica ſcrutati ſunt.

m) *Lib. I. p. 51.*

n) *Lib. XXX. c. 1.*

o) *Exod. IV. ſeqq.* Qui per Chamum filiumque Mizraimum magiam in Ægyptum perveniſſe credunt, nituntur fabulis Rabbinorum, videndis apud FABRICIVM *Cod. Pſeudepigr. V. T. T. I. p. 297. ſeqq.*

p) *2 Tim. III, 8.*

rum traditiones enumerant viri docti paſſim, [q] & imprimis, qui potiora collegit B. FABRICIVS, [r] quos adeat, qui hæc curioſius rimari cupit. Nos hoc unum addimus: Numenio philoſopho Pythagoreo apud EVSEBIVM [s] eſſe Iannen & Iambren Ægyptios ἱερογραμματεῖς, electos, ut Moſi reſiſterent, ac graviſſimas calamitates ab illo in Ægyptum advectas coram omnibus depellerent: & Artapanum apud EVNDEM [t] vocare ἱερεῖς ὑπὲρ Μέμφιν ſacerdotes ſupra Memphin. Quod, qua traditione acceperint, dici quidem non poteſt, probabile tamen admodum eſt. Nam ad ejusmodi arcanas diſciplinas ſacerdotum genus neminem admiſiſſe, qui ex ſuo ordine non eſſet, ſupra oſtendimus; & præſtigiarum plenum fuiſſe & ad decipiendum natum factumque docuimus. Facitque Numenii traditio, fuiſſe eos ſacros ſcribas, ſuſpicionem, eos magicam iſtam impoſturam mediantibus characteribus & imaginibus hieroglyphicis exercuiſſe. Hoc enim horum hominum officium fuiſſe, ut ſacras literas excolerent, atque arcanas imagines adhiberent, ſupra notavimus. Videantque, qui in vaniſſimæ artis & nugivendulæ impoſturæ origines & hiſtoriam inquirunt, an non ab his hominibus imaginum, & characterum a Magis adhiberi ſolitarum apparatus ex hoc fonte profluxerit? Certe apud eos ejusmodi imagines magicæ magno in honore habitæ ſunt, admiſſo ſemel principio hoc: partium animæ mundanæ ſive dæmonum plena eſſe omnia. Hinc influxus eorum in iſtas imagunculas artibus magicis provocatus eſt, quam hieroglyphicis myſteriis comprehendebant,

Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.

Talem imagunculam fuiſſe Harpocratis ſtatuam exiguam, quam erudito commentario illuſtravit illuſtris GISBERTVS CVPERVS, [u] facile credi poteſt: publice enim cultam fuiſſe, vix ob exiguitatem credi poteſt, videturque ab aliquo amuleti inſtar geſtata fuiſſe, qualem morem a ſe obſervatum & *Mercuriolum inter libellos conditum ſervatum* refert APVLEIVS, [x] & inter Ægyptios obtinuiſſe pluribus docet cl. PETR. FRID. ARPE. [y] Et huc pertinent, quæ curioſus harum rerum apud veteres indagator GILBERTVS GAVLMINVS, [z] de hieroglyphica hac Ægyptiorum magia affert, habuiſſe in adytis doctrinæ ſuæ Magos Ægyptiacos cuique animali ἰδιόμορφον numen conceſſum, cujus ope in hoc animalis genus nihil non potuerint: inde magiam murum, ſerpentum, leonum in Babylonicis IAMBLICHI memorari, quæ per hæc ſimilis formæ στοιχειώματα exercebantur. Et hinc rationem deſumendam putat, cur Iannes & Iambres, ceterique Ægypti præſtigiatores ſerpentes quidem, ranasque Moſis

q) Plerosque nominavit ven. WOLFIVS *Cur. exeg. & philol. in N. T. ad h. l. T. III. p. 521.*

r) *l. c. p. 813. ſeqq.*

s) *De præp. l. VIII. c. 8.*

t) *l. c. l. IX. c. 27.*

u) Multa in hac diſſertatione afferuntur rem Ægyptiorum literariam & theologicam illuſtrantia. Primam Harpocratis ſignificationem hominem indicare, primis regibus Ægypti ſanguine junctum, ſive plane filium, quod PLVTARCHVS ait, ratio Ægyptiacæ religionis dubitare non patitur.

x) *In Apologia.*

y) *De Talismanibus & amuletis p. 7.*

z) *Ad vitam Moſis l. I. c. II. p. m. 262.*

ſis imitari ſimilesque producere potuerint, pediculum vero non item: quia hæc magia in perfecta animantia tantum aliquid valuerit, cum ejusmodi inſectorum nullum ἰδιόμορφον numen illis fuerit. Nos hæc ſuo quidem loco relinquimus, & quædam recentioribus vel Iudæorum, quos libenter ſequitur Gaulminus, vel Platonicorum quoque in ejusmodi artibus magnam famam quærentium traditionibus magis, quam Ægyptiorum placitis deberi, ſuſpicamur: adducenda tamen hæc fuerunt, ut conſtaret, conjecturam illam, hieroglyphicas imagines ad magiam averruncandosque malos dæmones adhibitam eſſe, non eſſe hodie natam, ſed olim jam eruditis placuiſſe. Illud certum magiam & aſtrologiam Ægyptios junxiſſe; recte enim obſervat PLINIVS: [a] *Magiæ & medicinæ natæ additas eſſe e religione vires & artes mathematicas.* Quando vero in Ægypto invaluerit incertum; Moſis certe tempora ſuperat; unde de reſtitutis in Ægypto artibus magicis intelligenda, ſi vera ſunt, quæ canit AVSONIVS: [b] quod Petoſiris:

Atque Magos docuit myſteria vana Nechepſos. [c]

De theologia Aegyptiorum.

§. XI. Sed ut propius ad cognoſcendas Ægypti doctrinas, quatenus per velum ab invidis ſacerdotibus obductum licet, accedamus, theologia imprimis Ægyptiorum, & placita circa religionem, quæ potiſſimam philoſophiæ, ſive eruditionis potius Aegyptiacæ partem abſolvunt, conſideranda ſunt. Priusquam vero hoc fiat, præmonenda quædam ſunt, ſine quibus feliciter in difficili hoc itinere progredi nobis non licebit. Scilicet

Monita generalia.

I. Fuiſſe duplicem theologiam.

I. ex iis, quæ in ſuperioribus differuimus, repetendum probeque notandum eſt, duplicem theologiam apud Aegyptios fuiſſe, unam vulgarem, alteram arcanam & reconditam, cujus myſteria ad vulgus emanare non patiebantur, ſed ſacerdotibus ſolis, neque his omnibus, ſed CLEMENTE ALEXANDRINO teſte, [d] iis tantum τοῖς κριθεῖσιν εἶναι δοκιμωτάτους ἀπό τε τῆς τροφῆς, καὶ τῆς παιδείας καὶ τοῦ γένους, *qui judicati fuerant probatiſſimi, & educatione, & doctrina, & genere.* Præterea notandum eſt, quod ſupra quoque ὡς ἐν παρόδῳ tetigimus, isque ipſe eccleſiæ doctor addit, illis, qui ad regnum perventuri erant, hæc myſteria patuiſſe, refertque PLVTARCHVS, [e] *eum, qui e bellicoſis rex creatus eſſet, ſtatim ſe ſacerdotibus dediſſe, ac philoſophiæ participem factum fuiſſe, pleraque fabulis occultantis ac ſermonibus, obſcura veritatis indicia & argumenta habentibus:* id quod per ſphingas ante templum collocatas innui putat, quas doctrinam, quæ de Deo eſt, ænigmaticam, & obſcuram eſſe, ſignificaſſe, alio loco CLEMENS [f] tradit. Ex his vero ſequitur, ad rationes theologiæ Aegyptiacæ reconditas & arcanas potiſſimum attendendum eſſe, easque, quantum conjecturis & collatis veterum teſtimoniis licet, ita ex-

a) *Lib. XXX. c. 1.*
b) *Epiſt. XIX.*
c) Fuiſſe hunc regem ex ſacerdotum genere veriſimiliter judicat, multaque de ejus ſcientia magica & aſtrologica affert MARSHAM *Can. chron. p. 477. ſeqq.*
d) *Strom. l. V. p. 566.*
e) *De Iſid. & Oſirid.*
f) *l. c. p. 561.*

expendendas, ut tum regi atque imperio, tum ſacerdotum ordini, rationibus quoque philoſophicis vulgarem religionem ornanti attemperabatur.

II. Non putandum eſt, totius Aegypti unam eandemque fuiſſe theologiam; ſed diſſenſiſſe, ſi non in primis ſacrarum doctrinarum fundamentis, in iis tamen, quæ inde conſequuntur, quæque ad conſtituendam religionem pertinent, ſacerdotum collegia per univerſam Aegyptum diſperſa. Quod luculenter illuſtrat magnus CONRINGIVS [g] ex facinore Tentyritarum in Ombios, quorum his adorare crocodilum, illis interficere mos fuit, de quo IVVENALIS: [b]

II. Variam fuiſſe Ægypti theologiam.

Summus utrinque
Inde furor vulgo quod numina vicinorum.
Odit uterque locus, quem ſolus credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit.

Hanc vero diſſenſionem non ad vulgi tantum religionem pertinere, publicumque Aegyptiorum cultum tangere, quos non ſimiliter Deos eosdem colere præter Iſin & Oſirin jam monuit HERODOTVS, [i] ſed & valere de placitis ſacerdotum vel una PLVTARCHI *de Iſide & Oſiride* tractatio nos convincit, in qua, quot veterum ſcriptorum Aegyptiacorum de his aliisque Aegyptiorum numinibus explicationes diverſæ afferuntur, tot teſtimonia ſunt, quam male inter ſe ad eandem ſententiam doctrinæ Aegyptiorum ſacræ queant componi, quamque diverſa placuerint diverſis. [k]

III. Tempora quoque theologiæ Aegyptiacæ probe diſtinguenda ſunt. Prima enim regni ſecula alios ſine dubio videre Deos, alia coluere numina, quam ſequentia, ſi adſenſum fabulis datum & explicationes earum reſpicias. Prima enim tempora in colendis magnis viris occupata, ubi ſerius acceſſerunt ingenia philoſophica, emendata ſunt, & rationes excogitatæ a ſtupenda idololatriæ inſania religionem magis purgantes. Imprimis vero per incurſiones & irruptiones gentium peregrinarum multum theologia Aegyptiaca mutata eſt. Factum id imprimis, ubi Cambyſes ex Perſide in Aegyptum magno cum exercitu profectus jugum populo impoſuit, ex eo tempore enim Perſarum de divinis principia apud multos invaluiſſe, ex iis, quæ de Oſiride & Typhone & eorum arcana explicatione poſtea referemus, recte colligitur. Poſt Perſas Græcorum ſub Alexandro & ſucceſſoribus imperium invaluit, & Græca quoque eruditio ad Aegyptios perlata & philoſophia introducta eſt. Dici non poteſt, quantum hæc regiminis mutatio ad mutandam quoque Aegypti religionem & doctrinas ſacras attulerit. Non enim victi tantum in mores & ſenſus victoris ſenſim traducebantur, ſed Græci quoque numina Ægyptiaca ſuis cum Diis comparantes, illisque Græcorum Deorum nomina imponentes occaſionem dedere, utramque religionem miſere confundendi. Quod ubi vidit

III. Tempora theologiæ Ægyptiacæ eſſe diſtinguenda.

g) *De Hermet. Medic. c. XII. p. m. 123.* conf. MOSHEM. *ad* CVDWORTH. *p. 366.*
b) *Satyr. XV.*
i) *Lib. II. c. 42.* conf. MARSHAM. *Can. chron. Sec. IV. p. 62.*
k) Conf. PIGNORIVS *in menſ. Iſiac. p. 2.*

vidit ſacerdotum genus, homines verſipelles, & de rerum ſuarum antiquitate mente occupati, confirmaverunt Græcos in iſta opinione, ut ita & victorum religio ab ipſis deſcendiſſe videretur, & ad aucupandam imperantium gratiam religionem in ejus uſus verterent. Et quoniam Græcis iſto tempore philoſophia ſumma ſapientia habita eſt, ideo ſacerdotes, qui ſapientiæ antiſtites videri volebant, Græcanicam philoſophiam edocti more Græcorum philoſophari inſtituerunt. Hinc nova religionis facies, ad principia phyſica & metaphyſica applicata, quæ cum antiquis doctrinis ad ſalvandam religionem regni publicam miro ſyncretiſmo compoſita, novam doctrinis Ægyptiorum ſacris intulerunt confuſionem. Nec hoc ſolum fuit, ſed & invaleſcentis ſcholæ Pythagorico-Platonicæ ſtudium omnia univerſi orbis religionum ſyſtemata ope allegoricæ methodi conciliandi & confundendi, ita theologiam Ægyptiam a prima facie deformavit, ut cauto & attento lectori perſuaderi non queat, eam eſſe theologiam Ægyptiorum veterum, quam hi homines v. g. IAMBLICHVS in notiſſimo de ea libro, proferunt, atque explicant. Tantis itaque atque tot diffidiis cum theologia Ægyptiorum vallata ſit, quis quæſo certi quid a viris doctis, qui tantopere de ea diſputarunt, expectet? & quis miretur, in tam diverſas plerosque ſibique oppoſitas ſententias diſcedere, ut vel ex iis videre eſt, quæ eleganter hac de re differit IACOBVS BASNAGIVS, [l] quæque MARSHAMO & SPENCERO oppoſuit WITSIVS. [m] Nobis itaque ſola conjiciendi poteſtas relicta eſt.

Theologia Ægyptiorum exoterica.

§. XII. His ſuppoſitis & præmiſſis, ſi I. de theologia exoterica, qualis in religione Ægypti publica viguit, judicandum eſt, fœdiſſimam in ea ſuperſtitionem ab omni ratione alienam regnaſſe, nemo in veterum libris adeo hoſpes eſt, ut ignoret. Et laudatur quidem Ægyptiorum in colenda atque tuenda religione ardor, quo omnes fere populos ſuperaverunt; unde Ægyptios HERODOTVS [n] vocat θεοσεβέας περισσῶς μάλιστα πάντων ἀνθρώπων *religioſiſſimos omnium hominum.* Aliter tamen ſacræ literæ, [o] ubi myſtica ſcortatio, qua fœdiſſima idololatria & ſuperſtitio innui ſolet, Ægypto tribuitur, hæcque ad abominabilem ejus faciem deſignandam Sodomæ jungitur. Nam non omnis tantum generis numina apud gentes barbaras recepta, immo a Græcis quoque adorata cum Diis Ægyptiorum conciliata & culta, ſed & præter Deos, heroas, magnos viros, & his ſimiles, omnis generis beſtiæ, & alia quoque creaturarum genera conſecrata ſunt. Quod adeo in vulgus notum eſt, ut otio lectoris vel noſtro abutendum non ſit, ad latius hoc probandum, & ſufficit una IVVENALIS ſatyra [p] mordaciſſima:

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat

Pars

l) Hiſt. des Juifs T. III. c. 17. & 18. ubi oppoſita ſyſtemata de Ægyptiorum theologia enumerat.
m) In *Ægyptiacis*, luculento libro.
n) Hiſt. l. II. c. 37.
o) Apoc. XI, 8.
p) Sat. XV.

Pars hæc; illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibin.
Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci,
Dimidio magicæ reſonant ubi Memnone chordæ,
Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piſcem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam:
Porrum & cepe nefas violare, ac frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis,
Numina.

Paria paſſim occurrunt, unde portenta Magorum cum Ægyptiorum in eodem genere dementia junxit CICERO. [q] Quæ ſuperſtitio in contemtum omnem Ægyptiorum religionem adduxit, & aliquando Romæ adeo inviſa fuit, ut *Serapidem, Iſidem & Harpocratem cum ſuo Cynocephalo, Capitolio prohibitos, id eſt, curia Deorum pulſos, Piſo & Gabinius Coſſ. non utique Chriſtiani, everſis etiam aris eorum, abdicaverint, turpium & otioſarum ſuperſtitionum vitia cohibentes*; [r] Tiberius autem, referente SVETONIO, [s] *externas cæremonias ritusque Ægyptios compeſceret, coactis qui ſuperſtitione ea tenebantur, religioſas veſtes cum inſtrumento omni comburere.* Vidit hanc peſtem, qui tamen ad arcanos Ægyptiorum ſenſus, & reconditam diſciplinam reſpiciens, nihil a ratione alienum, aut fabuloſum, aut a ſuperſtitione profectum inter Ægyptiaca ſcita deprehendit, PLVTARCHVS, [t] monens, *Ægyptiorum plerosque colentes ipſa animalia, & tractantes tanquam Deos, non ſannis modo & irriſioni totam pene ſacrorum objeciſſe rationem, ſed & vehementem animis ingeneraſſe opinionem, quæ infirmis atque ſimplicibus meram inducit ſuperſtitionem, vehementiores autem atque audaciores ad negandum Deos belluinasque cogitationes propellit.* Plura non cumulamus, hauriet, qui plura ſitit affatim apud HERMANNVM WITSIVM [u] & RADVLPHVM CVDWORTHVM: [x] nec enim hæc a quopiam negata ſunt, qui ad res Ægyptiorum ſine præjudicio attendit. De cauſis vero cultarum inter numina Ægyptiaca beſtiarum tantopere viri docti inter ſe diſſentiunt, ut facilius ſit, tot inter ſe diſcordes ſententias enarrare & refellere, quam veram eligere. Neque inſtituti noſtri ratio patitur, ut in hoc argumento prolixe verſemur. Legant, qui hæc noſſe cupiunt, quæ elegantiſſimus BANIERIVS [y] & vir ſummus IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS [z] doctiſſime de hac re commentati ſunt; quorum hic probabiles ſatis rationes adducit, & a primorum religionis Ægyptiacæ inventorum conſilio, beſtias humano generi, colendæque regioni neceſſarias utilesque commendandi, numina illa beſtiarum imaginibus per univerſam Ægyptum culta inventa; noxia vero animalia ex Typhonis cultu Perſicis doctrinis de principio mali immutato, religioſe coli, ne no-

q) *De officiis l. I.*
r) TERTVLLIANVS *apolog. c. 6.*
s) *c. 36.* t) *de Iſid. & Oſiride.*
u) *Ægyptiac. l. II. c. 4. p. 83. ſqq.*
x) *Syſtem. intell. c. IV. §. 18. p. 361.*
y) Pecul. tract. *Hiſt. de l'Academie des inſcriptions T. VI. p. 116. ſqq.*
z) *Ad* CVDWORTHVM *l. c. §. 19. p. 418. ſeqq.*

ceant, introducta, & a ſequioris ætatis hominibus multa ex confuſione & ſyncretiſmo religionum addita eſſe, veriſimiliter conjicit. In eo tamen conſideratius attendentes facile conſpiraturos eſſe, credimus, non unam tantum, ſed plures cauſas introducti beſtiarum cultus apud Ægyptios fuiſſe, easque non ſolum a conjecturis noſtrorum temporum, verum etiam ab explicationibus ſacrificulorum, abſurditatem philoſophicis rationibus emollientium, diſtinguendas eſſe. Imprimis ad priſca tempora attendendum eſt, quibus cum magni viri ad colendam terram, firmandumque imperium & mitiores mores rudiſſimos homines religione aſſuefacerent, & quaſi adigerent, beſtiarum quoque cultus iisdem rationibus ſtatus ſervire juſſus eſt; [a] qui, cum poſtea in ſententiarum divortia diſcederet Ægyptus, varius quoque & inter ſe diſſidens factus eſt, adeo ut, quod uno loco interficiebatur animal, altero coleretur, unde non ſemel atrocia inter Ægyptios bella exorta ſunt. Quæ cum riſum atque ſannas exterorum excitarent, illæ poſtea rationes philoſophicæ excogitatæ ſunt, quas veteres paſſim pro explicanda abſurdiſſima ſuperſtitione afferunt.

Theologia Aegyptiorum arcana.

§. XIII. Verum hæc in vulgus tradebantur, & ad externam religionem pertinent: quibus in arcana diſciplina aliud ſignificatum fuiſſe, dubitari nequit. Hinc II. de theologia Ægyptiorum arcana diſpiciendum eſt, & inquirendum attentius, quid de rebus divinis docuerint. Verum hic quoque non exigua ſcriptorum eſt diſcordia, quorum aliqui nefandæ aſtrolatriæ reos faciunt, omnemque Dei veri notitiam iis negant, [b] alii vero de ſummo numine caſtius tradidiſſe contendunt. Inter illos principem locum ducit EVSEBIVS, [c] qui Chæremonis teſtimonio ad probandam ſententiam utitur: Ægyptios non alios Deos agnoſcere, præter hunc mundum aſpectabilem, ejusque partes atque ſidera. Locus extat in epiſtola PORPHYRII ad Anebonem prophetam Ægyptium, quam IAMBLICHI libro *de myſteriis Ægyptiorum* præmiſit THEOPHILVS GALEVS, ubi ita philoſophus: *Chæremon certe atque alii multi nihil quicquam agnoſcunt, ante mundum hunc aſpectabilem, nec alios Ægyptiorum in ipſis ſuorum ſcriptorum exordiis ponunt Deos, præter vulgo dictas planetas, & zodiaci ſigna, & ſtellas, ſimul cum his in conſpectum venientes, & ſectiones Decanorum & horoſcopos. Quique fortes ac duces nuncupantur, quorum nomina & procurationes ortusque ſimul & occaſus futurorumque ſignificationes in Almenichiacis continentur. Quippe videbat enim, qui ſolem univerſi architectum eſſe dicerent, ab illis non ea tantum, quæ ad Oſiridem Iſidem pertinent, ſed etiam quicquid ſacrarum fabularum erat, partim in ſtellas & earum conſpectus, occultationes occurſusque devolvi, partim in lunæ modo creſcentis modo ſeneſcentis varietatem, partim in ſolis curſum, vel in nocturnum diurnumque hemiſphærium, vel in ipſum Nilum fluvium;*

a) Confer quæ eleganter de hac re commentatur PLVT. *de Iſid. T. II. p. m. 170.*

b) Vid. quos nominat ven. REIMMANNVS *Hiſt. Atheiſmi Sect. II. c. I. p. 51. ſeqq.* ad. BAYLE *Reponſe au queſtions d'un provincial T. II. c. 107. p. 415. Contin. des penſées ſur les cometes T. I. p. 116. ſeq. T. II. p. 495.*

c) *De præpar. l. III. c. 4.*

fluvium; cuncta denique in res naturales, nihil in corporea mole carentes viventesque naturas ipsorum interpretationes conferri. Atque Ægyptiorum plerique id, quod in nostra voluntate est & potestate positum, ex siderum motu suspensum esse voluerunt; cuncta necessitatis, quod fatum appellant, sic tanquam inexplicabilibus quibusdam vinculis nescio quo pacto constringentes. Sed & ipsis quoque Diis fatum annectunt, quos interim uti fati solos vindices in templis, in statuis aliisque ejusmodi venerantur. Hæc Porphyrius, de quibus ita Eusebius: *hæc manifeste declarare, ne arcanam quidem ipsam Ægyptiorum theologiam præter cœli stellas tum quæ constantes & fixæ, tum quæ errantes vulgo nominantur, alios ullos Deorum collocasse, immo nec corporis expertem aliquem hujus universi architectum statuisse, nec rationi effectrici, sed uni tantum aspectabili soli ejus molitionem attribuisse.* His addit alio loco, [d] ubi Phœniciam Sanchuniathonis cosmogoniam ex Ægypto haustam explicat, *Ægyptios in maximorum Deorum loco eos omnes habuisse, qui res ad vitam agendam necessarias invenissent, quique beneficium aliquod in genus humanum contulissent: eos nimirum, quos sibi plurimorum auctores bonorum esse persuaderent, divinis affecisse honoribus.* Quia vero satis norat, Ægyptios hos Deos ad causas naturales referre, addit: *ut profecto his omnibus argumentis, egregiam istam mirabilemque physiologiam, nihil usquam vel leviter attigisse veritatis, nihil quod divinitatem sapiat invexisse, sed coactitiam & ementitam potius sibi honestioris explicationis speciem aliunde mendicatam obtendisse, manifesto teneamus.* Alio loco [e] ad Philonem Byblium provocat, qui postquam dixisset, Ægyptios regum suorum nomina universi hujus elementis, ac quibusdam eorum, quibus divinitatem ipsi tribuebant, imposuisse, addit: *naturales porro Deos solem, lunam, reliquasque stellas inerrantes, cum elementis ac ceteris cum iisdem affinitate junctis solos ex omnibus agnovisse, ut mortales quidem alios, alios autem immortales haberent.* Parum ab his abeunt, quæ ex Manethone & Hecatæo, de philosophia Ægyptiorum refert DIOGENES LAERTIVS, [f] *Materiam principium fuisse rerum: solem ac lunam Deos esse alterumque Osirim alteram Isim apellatos.* His testimoniis usi viri graves, inter gentes atheas Ægyptios referre non dubitant, statuuntque non alios Deos admisisse, præter sidera, hominesque inter Deos relatos. His tamen alii, & inter hos, qui maxime non sine magna eruditione Ægyptiorum causam egit, eruditissimus CVDWORTHVS [g] se opponunt, contendentes, Eusebium seduci se a zelo suo passum fuisse, ut ab Ægyptiis admissum negaret, quod alio loco iis tribuebat, summum numen. Monetque vir ille celeberrimus IAMBLICHVM [h] dudum ad istas objectiones Chæremonis respondisse, innuentem, *eum, & quotquot alii tangunt causas rerum mundanarum primas, principatus tantum infimos*

d) *Lib. I. c. 9.*
e) *Lib. III. c. 4.*
f) *Lib. I. c. 10.*
g) *Syst. intell. c. IV. §. 18. p. 371. seqq.*
h) *De myster. Aegypt. sect. VIII. c. 4. p. 160.*

deſcribere, & qui de planetis tractant, particulares tantum diviſiones oſtendiſſe. Nec Ægyptios dicere, omnia naturalia eſſe, nam vitam animalem atque intellectualem a naturali diſcernere, non ſolum in mundo, ſed etiam in nobis, & credere, mentem ac rationem per ſe exiſtere. Hæc poſtea prolixe probat, & tum ex libris quos Hermeticam diſciplinam atque doctrinam comprehendere putat, tum aliis quoque teſtimoniis munit. Inter ea quam maxime conſiderandus eſt PLVTARCHVS, qui in libello ſæpius nobis laudato, *de Iſide & Oſiride*, hoc fundamentum ſtruit: Ægyptios ſupplicaſſe Numini ſummo τῷ πρώτῳ Θεῷ, rituumque Iſiacorum hunc fuiſſe ſcopum ait; *primi rerum domini, ac ſola mente percipiendi cognitionem Dei;* hunc principem Deorum Ægyptiis numen obſcurum & occultum vocari. Poſt hæc ad HORI APOLLINIS[i] teſtimonium provocat, IAMBLICHVMque jungit, & imprimis urget, etiam in populari religione tot minoribus Diis unum ſummum fuiſſe præfectum, Hammona, quem Græci cum Iove comparaverunt: & indicatum in inſcriptione illa, qua templum Saide Ægypti oppido condecoratum fuit, *Ego ſum omne, quod exiſtit, eſt, & erit, meumque peplum nemo adhuc mortalium detexit.* Quæ inſcriptio uti materiæ ex partibus congeſtæ convenire nequeat, ita non nimis a Moſaica remota cl. viro videtur, id quod etiam B. OLEARIO[k] placuit. Nam contendit, & Platonicis quoque effatis cumulatis probat, Deum τὸ πᾶν dici. Multam in his omnibus eruditionem profudit magis, quam adhibuit, vir πολυμαθέστατος, veremur tamen, ut in his omnibus nervum, quem requirit ejus demonſtratio, lector cautus rerumque gnarus inveniat. Quocunque enim loco fides Euſebii habenda eſt, quæ tanquam teſtis non ſufficientis conſiderari non debet, illud certum eſt, totam viri laudatiſſimi reſponſionem niti explicationibus Platonicorum recentiorum, qui philoſophumena ſua ſerius in Ægyptum transtulerunt, & ad antiqua theologumena Ægyptiaca adplicuerunt.[l] Hæc principia recentiora eſſe ſuo loco ex inſtituto probabitur; hic vel id obſervaviſſe ſatis eſt, ejusmodi ſubordinationes, quales Ægyptiis adſcribit IAMBLICHVS, ignoratas fuiſſe Ægyptiis priſcis, & ab his hominibus ex orientis doctrina, quæ circa ſalvatorem natum viguit, receptas ſyſtemati ſuo ſyncretiſtico, quod Ægypto obtrudebant, & pro Ægyptiaco haberi cupiebant, illatas eſſe. Id quod luculenter demonſtrari poteſt, ex iis, quæ DIODORVS de theologia Ægyptiorum veterum habet, quæ cum his Platonicorum explicationibus non cohærent. Idem de Plutarcho judicium eſto; qui vidit quidem aliquid, vel legendo quoque aſſecutus eſt principiorum Ægyptiacorum; ſed dum arcanos ſenſus non ex illorum opinione ſed ex Græciæ placitis Platonisque, quem in theologumenis adamabat, mente ſectabatur, & inter diverſiſſimas explicationes dubius hærebat, falſus eſt & alios fefellit, dum Ægyptios

i) *Lib. I. c. 61.* male tamen locum hunc Cudworthum intellexiſſe demonſtrat ven. MOSHEMIVS *p. 390. not. 92.*

k) Diſſ. *de rebus geſtis Pauli in urbe Athen. §. XVII. p. 20. ſeq.*

l) Monet etiam hoc MOSHEM. *l. c. p. 392. not. 101.*

ptios perſonatos & Græcanica eruditione atque induſtria exornatos exhibuit, id quod recte in eo notavit VOSSIVS [m] & poſt eum WITSIVS. [n] Nec Saithana inſcriptio Deæ Neith id, quod vult CVDWORTHVS, probat, cum & Dea ſit, adeoque ſummum primumque numen denotare nequeat, & peculiaris provinciæ Dea fuerit, quæ ad ſummum & univerſale numen adplicari nequit: ut alias rationes, quæ hoc teſtimonium evertunt, taceamus, quas eleganter atque doctiſſime, more ſuo, enarravit celeberrimus MOSHEMIVS. [o] Etſi vero his Cudworthi argumentis pondus ineſſe illud, quod præ ſe ferunt, non putemus, in priorem tamen ſententiam nude acceptam non deſcendendum, ſed ex utraque aliquid tenendum, & ad tempora diverſa theologiæ Ægyptiacæ attendendum eſſe exiſtimamus, ut, quæ veriſimiliter Ægyptiis ſententia tribuenda ſit, perſpicere queamus. Vt vero rationes pateant, diſtincte, quæ veteres fide digni referunt, explicanda, & tum demum allegoricæ Ægyptiorum doctrinæ applicanda ſunt.

Vetuſtiſſima Ægyptiorum doctrina de Diis.

§. XIV. III. Vetuſtiſſima itaque Ægypti tempora reſpicientes, Deos offendimus ex hominum genere natos atque mortales, qui cum magnis beneficiis, maximo ingenio excogitatis, inventisque utiliſſimis, Ægypti vetuſtiſſimæ incolas affeciſſent, Dii habiti ſunt. Hæc ex iis, quæ ex Euſebio retulimus, clara ſunt, & ſupra jam probata. Recte itaque infertur: Oſiridem fuiſſe talem magnum regem, Iſin ejus uxorem, Horum filium, Typhonem fratrem, ſicque & circa alia quoque numina Ægyptiaca eſſe ſtatuendum de ratione divinitatis illis attributæ. [p] Non tamen adeo rudes & ab omni ſenſu alieni putandi ſunt priſci illi homines, ut Deos ſibi fingerent tales, qui nil niſi mortalitatem præ ſe ferrent. Sed latebat in hac deificatione, alia opinio: maximos hos viros divinæ naturæ fuiſſe participes. Cum enim homines rudes & ſimplices viderent, ingenia eorum ſua immenſe ſuperare, mirarenturque, vitæ moleſtias utiliſſimis inventis & inſtitutis eſſe levatas, divinum in iis genium, vel potius partem divinitatis, quæ omnibus rebus ineſt, reſidere, adeoque eos, depoſitis mortalitatis exuviis, ad priſtinas ſedes ipſumque Deum rediiſſe, & cœleſtibus choris inſertos credebant. Id quod ſupra jam Plutarchi teſtimonio probatum dedimus, monentis, Oſirin & Iſin ex bonis dæmonibus in Deos commutatos eſſe; his enim verbis clare innuitur, hos homines, bono genio inhabitante & e corpore diſcedente Duce, ad Deos tranſiiſſe. Nec ratio dari poteſt fabuloſæ hiſtoriæ Ægyptiorum, eorumque primorum regum ex Deorum & ſemideorum numero, niſi hæc explicatio admittatur: quæ tanto magis veritati ſimilis eſt, quo magis non inter Ægyptios ſolum, ſed inter omnes quoque gentes idololatras ea deprehenditur. His, prout debent, admiſſis, ſequitur prona conſequentia, admiſiſſe vetuſtiſſimos Ægyptios divinum quid, ſive numen aliquod per univerſum mundum diffuſum, cujus partes ſive effluvia (nam qua ratione id intellexerint in tanta antiquitate rei & monumentorum

m) *De idololatr. gent. l. I. c. 5.*
n) In *Ægyptiacis l. II. c. 1. §. 22. p. 89.*
o) *l. c. p. 398. ſeqq. not. 123.*
p) Conf. CLERIC. *Bibl. univ. T. III. p. 12.*

rum defectu, definiri non poteſt,) in magnis his viris reſederint, & ad quam vel in quam depoſita mortalitate magnæ animæ redierint. Ex his vero patet, priſcos Ægyptios non ab omni numinis ſenſu fuiſſe remotos, ſed potius numen per univerſum diffuſum admiſiſſe. Magna tamen probabilitate creditur, eos hoc numen non recte cognoviſſe, incertumque eſt, an vim hanc divinam peculiari exiſtentia gaudere crediderint, nec ne? Vnde porro concluditur

IV. De mundi partibus, quas divina vi regi & animari videbant, idem, quod de magnis viris crediderunt, ſtatuiſſe, ineſſe in iis maximam numinis partem. Qua in opinione eo magis confirmabantur, quod viderent, a ſideribus, & præcipue ſole atque luna & planetis maximam ad terræ fœcunditatem, quæ in Ægypto magna ſemper fuit, redundare utilitatem, magnaque ea ſapientia regi, pulcherrimoque ordine ferri. Inde non quidem ſolem, lunam ſtellasque ipſas vel reliquas etiam mundi partes Deos eſſe putabant, ſed divina tamen virtute animatas, vel, ut clarius rem eloquamur, magnos genios, dæmonaſve qui divinæ eſſentiæ potiores partes eſſent, in illis habitare, eas animare, & eſſentialem iis effectum largiri. [q] Legat DIODORVM de veterum Ægyptiorum religione diſſerentem, qui hæc probabilitate non deſtitui, negat, & videbit, non ſolum ſolem, lunam, & ſtellas, Deos eſſe habitos, ſed creditas quoque naturas hominibus præſtantiores & nobiliores, ſeu dæmonas; hos dæmonas humanis corporibus concluſos inter homines ſæpe numero commorari, his vero relictis ad ſidera & aſtra proficiſci. Cum enim ſtatuerint ſpiritus vel naturas nobiliores ad aſtra redeuntes, ſedemque divinitatis repetentes, neceſſario inde ſequitur, in iſtis magnis mundi partibus eos Deos habitantes credidiſſe. Cumque Oſirin, Iſinque reliquosque regionis ſuæ magnos homines, magnos dæmonas fuiſſe crediderint, qui ad ſidera redeuntes numini iterum juncti fuerunt, hinc ratio quoque patet, cur Oſirin ſolem, Iſin lunam & ſic porro, eſſe putaverint, quia in magnis & ſplendentibus his ſideribus numinis per univerſum diffuſi potiorem partem, qua & reges ſuos participes factos credebant, commorari, vel eſſentiali forte vinculo junctam eſſe ſtatuerunt. Et hinc cultus ille ſiderum pariter atque dæmonum ortus eſt, quem apud veteres Ægyptios viguiſſe DIODORVS teſtis eſt. Hacque explicatione ſuppoſita, ratio dari poteſt, cur non alios, præter ſidera mundique partes, hominibus quoque non exceptis, Deos agnoſcerent, quod ex Chæremone annotavit Euſebius. Nam cum Deus per univerſum mundum diffuſus, his potiſſimum ſideribus ineſſe crederetur, nec ab illis ſeparata natura, diſtingueretur, plebs ſine dubio ſidera iſta, divina natura animata Deos eſſe credidit. Ex quibus omnibus, non ſine veriſimilitudine, niſi fallimur, diſputatis, patet, errare eos non minus, qui omne prorſus numen vetuſtiſſimis Ægyptiis ignoratum eſſe contendunt, quam qui orthodoxam de Deo ſen-

ten-

q) Paria veteres Sinas ſtatuiſſe ſuo loco dicetur. Cum vero a veteribus Ægyptiis coloniæ in Indiam migraſſe veriſimile ſit, confirmatur inde non parum conjectura de veteris Ægypti theologia.

tentiam eis tribuunt, vel numen ſuper omnia in profundo & impenetrabili lucis ſuæ abyſſo habitans, iis agnitum cum Iamblicho aliisque Platonicis & Cudwortho contendunt. Nam numen illis non aliud fuit, quam ſpiritus ille per omnes univerſi partes diffuſus, cujus divinitas in cœli aſtris quam maxime cernitur, quemque in illis habitare, ut animam in corpore, eaque divinis operationibus capaces efficere, crediderunt. Vnde neceſſario ſequitur, hoc numen extra univerſum non eſſe quærendum, nec ab eo ſeparandum; quæ ſententia etſi non facit Ægyptios atheos, ab impietate tamen proxime abeſt. Et ſic quidem vetuſtiorum temporum theologiam docuiſſe nobis veriſimile eſt.

Emendata rationibus philoſophicis theologia Ægypti.

§. XV. V. Propagatam hanc de divinis traditionem ad poſteros in Ægypto eſſe, non eſt, quod dubitemus; quo magis enim rationis uſus cultus eſt, eo magis divina virtus & providentia, quæ in adminiſtratione hujus univerſi, manifeſtis indiciis deprehenditur; ab attentis, ad hanc rem animis agnoſci debuit. Qui cum ſuperſtitionem priorum temporum abſurdam & injuriam in Deum cernerent, quem tamen ſupponi animadvertebant, ad rationes philoſophicas, delapſi ſunt, & accuratius divinitatis principiorumque rerum omnium ſyſtema condiderunt. Et huc ea referenda putamus, quæ ex Plutarcho aliisque hujus generis ſcriptoribus Cudworthus aliique viri docti referunt. Hi enim, cum negari non poſſe viderent, eſſe numen aliquod, cujus infinita potentia in toto univerſo eluceret, & tamen a parentibus & majoribus traditione accepiſſent, per univerſum numen hoc diffundi, hanc elegerunt ſententiam: eſſe hoc numen principium aliquod infinite potens, quod tanquam ſpiritus vel anima per omnes univerſitatis partes commearet, eas penetraret, iisque adeſſet, atque ſecundum naturam ſuam, neceſſariis legibus regeret. Ex quo ſequebatur, cuncta, quæ vitam ſpiritumque trahunt, activaque aliqua vi gaudent, ex eo oriri, & in id reditura eſſe, id eſt, particulam illam divini ſpiritus, qui illis ineſt, ex hac mundi anima decerptam in eam redire. Hanc opinionem ut Ægyptiis philoſophantibus fuiſſe probemus, non provocabimus ad dialogum Aſclepianum, Iamblichum, Proclumque, qui Aegyptiacas doctrinas ſyſtemate ſuo emanativo corruperunt, ſed ad ipſum PLVTARCHVM, qui Aegyptiorum libros conſuluit. Is non tantum Deum ſive ſummum numen, Oſiridis ſymbolo indicatum apud Deam, quam naturam univerſi paſſivam, eſſe, poſtea demonſtrabimus, degere & verſari ait, ſed & totam de Oſiride & Iſide fabulam ita phyſicæ explicationi applicat, ut primam, principem & præſtantiſſimam naturam in materia habitare eique formas imprimere contendat. Ad eundem ſcopum tendit HORVS APOLLO, [r] qui per anguem integrum depingi monet non regem tantum *παντοκράτορα*, quem monarcham vocamus, ſed & *τοῦ παντὸς κόσμου τὸ διηκὸν πνεῦμα*, *ſpiritum*

r) In *Hieroglyphicis l. I. c. 64. p. 69.* ed. Hœſchel. Loci obſcuritatem notavit cl. MOSHEMIVS *ad Cudworth. p. 390.* Qui tamen, ſi ita, prout fecimus, explicitur, tenebras non habet.

tum, qui per univerſum orbem permeat. Quibus verbis Aegyptiorum philoſophumena ſatis apte exprimuntur. Requirebatur vero ad ſyſtema hoc efformandum, principium quoque paſſivum, in quo habitaret ſpiritus ille, quod formaret, id eſt, formas rerum imprimeret, quod moveret, quodque naturali ſua diſpoſitione recipiendis quidem & generandis rebus aptum eſſet, non tamen ipſum eas efficeret, deſiderio tamen principii activi teneretur, & ſic arctiſſimo & connubiali quaſi & inſolubili vinculo ei jungeretur. Et hoc quidem principium in materia, quam naturam univerſi paſſivam eſſe putabant, quæſiverunt: quæ materia cum in ſe mali ſive imperfectionis ſemina habeat, enata inde Aegyptiis occaſio de origine mali ex materia diſputandi, ex quo Perſarum hac de re Theologumena in Aegypto nota eſſe cœperunt. Adjectum tum his duobus principiis, tertium, malum, utrique infenſum, ſeque iis opponens, eorum opera dilanians, malique omnis cauſa. Hoc ſyſtema philoſophicum, a ſubtilioribus ingeniis conditum, non tamen a ſolis Græcis, [s] cum longe antiquius ſit, accommodandum erat religioni κρατοῦντι, patriisque traditionibus. Quæ ut obſcuræ & in omnes partes verti aptæ erant, ita egregiam occaſionem præbuere prudentioribus hæc pro Aegyptiacis venditandi. Oſiridis enim regis ſymbolo principium illud activum, divina in mundo anima delineabatur, Iſidis vero ea naturæ pars, quæ formas recipit ſive materia; malum contra perfectionem principii formantis obluctans Typhonis imagine expreſſum; formarum impreſſionem & productionem Orus filius indicavit. Ita vero hiſtoria antiqua commode interpretamentis philoſophantium reſpondebat. Cum enim absque dubio Oſiris rex maximus Aegypti fuerit, qui cum uxore Iſide regnavit, a fratre vero Typhone trucis & rebellis ingenii viro perpetuis bellis impetitus fuit; [t] Oro filio ei repugnante, regiamque familiam & thronum defendente & propagante; facile in his inveniebant, quæ ſyſtemati ſuo applicarent. Conjecturam hæc non meram ſapere, ſed veterum interpretationibus niti, PLVTARCHVM conſulenti patebit. Is enim diſerte: *Eſt ergo Iſis naturæ ea pars, quæ quaſi fœminea omnes in ſe recipit ortus, tanquam nutrix quædam & omnium commune receptaculum. Huic Iſidi a natura inſitus eſt amor primæ omniumque principis, & præſtantiſſimæ naturæ, quæ eſt bonum. Hoc ea deſiderat atque perſequitur, & portionem a malo ſibi obtingentem fugit atque repellit. Cum enim ſit receptaculum & ſubjectum utriusque, ſua tamen ſponte ſemper vergit ad melius.* Hæc in ſequentibus latius diducit, & quid Typhon, quid Oſiris, quid Iſis, quid Horus in hac explicatione phyſica ſignificent, perſequitur. Multa huc ex Platonis ſchola traduxiſſe Plutarchum non negamus, fallique etiam, ex iis, quæ diximus, concludimus, quando Platonicos de ente ſummo, idea & materia conceptus Ægyptiis affingit, quales ſerius longe & caput demum extollente Platonica

s) Quod contendit WITSIVS *l. c. p. 89.* Sed ſyſtema de duobus principiis antiquius eſt.

t) Conf. Abbas BANIER diſſ. *ſur le Typhon. T. VI. Hiſt. de l'Academie des inſcriptions p. 162. ſeq.* MOSHEM. *l. c. p. 247.* & ipſe PLVTARCHVS *l. c.*

ca philoſophia Ægyptus tenuit. Attamen hoc inde recte confirmatur, Oſirim animam mundi ſive Deum per totum mundum diffuſum, Iſin naturam receptricem formarum, Typhonem malum quod ineſſe materiæ credidere orientales, tum ſignificaſſe, cum theologia Ægyptiorum philoſophicis rationibus ornaretur. Cave tamen hæc Platonico ſenſu intelligas, ſed ex Oſiride & Iſide, id eſt utroque principio activo & paſſivo una rerum univerſitas ſive natura animata compoſita, ex Ægyptiorum horum ſententia, cenſenda eſt. Et hinc ratio patet, cur apud ATHENAGORAM [u] Iſis dicatur, *ex qua ſint omnia, & per quam ſint omnia*, & cur MACROBIVS dixerit: [x] *Iſin vel terram eſſe, vel naturam rerum ſubjacentem ſoli.* Nec aliud vult inſcriptio in templo urbis Saidis reperta: *Ego ſum omne, quod exiſtit, eſt & erit, meumque peplum nemo adhuc mortalium detexit;* [y] nam quæ hic Deæ Neith adſcribuntur, in aliis Ægypti terris Iſidi attribuuntur, hinc celebris illa inſcriptio Capuana [z]

TE TIBI
VNA QVAE
ES OMNIA
DEA ISIS

AERRIVS BALBINVS V. C.

Non neſcimus aliter viſum fuiſſe multis viris doctis de Iſide ſtatuere, & per eam vel ſummum rerum omnium parentem, vel univerſum hoc animatum intelligere, nec moroſe refragabimur contendenti, diverſas fabulæ de Oſiride & Iſide in Ægypto fuiſſe explicationes philoſophicas; & teſtimonia adduci poſſe, aliter rem explicantia. Verum ut hi omnes Platonici ſunt, adeoque ſuo ſyſtemati convenienter incertam & obſcuram fabulam explicuerunt; ita vehementer veremur, ut qui per Iſin univerſum, vel totam naturam animatam intelligendam eſſe contendunt, rationem cohærentem de Iſide & Oſiride dare queant. Interim præter conjecturas hic non aliud majus quærendum eſſe, quilibet videt, unde facile patimur, ut in obſcuriſſimæ rei explicatione quilibet ſenſu ſuo abundet. Patet vero ex dictis hæc valde accedere ſi non plane Spinoziſtico ſyſtemati, Stoico tamen non multum melioris notæ. Qui enim animam mundi Platonico ſenſu intelligunt, illi valde falluntur, & poſteriora Ægypti tempora, ubi iſta explicatio ex Platonis ſchola hauſta Alexandriæ viguit, cum mediis temporibus confundunt, id quod in lectione Cudworthi more ſuo Platonicos ſequentis probe notandum eſt. De Platonicorum vero Ægyptiorum opinionibus de Deo dicendum eſt ſuo loco. Plura in re obſcura addere, & incertiſſimas conjecturas, nullo niſi ingenii fertilioris luſibus, fundamento nixas ſequi ſupervacaneum eſt. Hoc unum addimus, dum Typhonem mali in materia verſantis imaginem Ægyptii fecerunt, eundemque ideo ſacrificiis & victimis placarunt, colligendum inde eſſe, eos, qui has rationes philoſo-

u) *Legat. pro Chriſtianis c. 19. p. 86.*
x) *Saturnal. l. I. c. 17. p. 272.*
y) Conf. CVDWORTH. *l. c. pag. 398.* & MOSHEM. *ad h. l.*
z) Vid. MARQ. GVDIVS ad PHAEDRVM *l. III. fab. 19.*

loſophicas excogitarunt, non tam materiæ impotentiam, inertiam & alias proprietates, in quas Platonici cauſam mali in materia rejecerunt, intellexiſſe, quam principium aliquod malum quod materia abutitur, ſive illud ſit anima quædam bruta mali cauſa, qua ratione Platonem quoque explicat PLVTARCHVS [a] ſive ſpiritus quidam malus, quod forte a Perſis, poſt eorum irruptiones in Ægyptum acceperunt; quorum prius Plutarchus ſectatur, [b] qui ex eo, quod Typhonis potentiam tandem conterendam ſtatuant Ægyptii, concludit: mixtam eſſe hujus mundi originem atque compagem ex contrariis facultatibus, ſed quarum non ſint æquales vires, meliore prævalente & deteriorem, non tamen funditus, abolituro: nobis poſterius ex Perſarum diſciplina transſumtum probabilius videtur; ita tamen ut cum diabolo Scr. S. non confundatur. [c] Certiora in tantis tenebris, ubi palpare, videre eſt, ab aliis expectamus. Noſter eſt celeberrimus MOSHEMIVS. [d]

Trinitas Ægyptiorum.

§. XVI. VI. Reſtat, ut de trinitate, quam in divinis ab Ægyptiis cognitam, quidam ſtatuunt, paucis dicamus. Hanc ſententiam exornandam ſumſere FRANCISCVS FLVSSVS CANDALLA, [e] HANNIBAL ROSSELVS, [f] & qui omnem fere Ægyptiorum ſuperſtitionem ad myſteria Chriſtianorum inepto & audaci conſilio tranſtulit ATHANASIVS KIRCHERVS. [g] Adeo vero infirma & ficulnea ſunt Kircheri argumenta, ut ea recitaſſe, ſit refutaſſe. Provocat is partim ad hieroglyphica, in quibus globus alatus ſerpente fœtus trinitatis ſignum eſſe illi videtur, partim ad Hermetica fragmenta, in quibus non Dei tantum patris, ſed & mentis, immo conſubſtantialis verbi mentionem fieri aſſerit; hæcque Hermetem tum ex traditione majorum, Cananæa ſtirpe oriundorum, habuiſſe, tum ab Abrahamo *συγχρόνῳ* didiciſſe contendit. Quæ quam miſera ſint, quis non videt? omnia enim illa ſcripta Hermetis, ad quæ provocat, conficta & ſuppoſititia eſſe, ſupra demonſtravimus, & adeo in vulgus notum eſt, ut nemini his noſtris temporibus, quibus accuratius de libris *νοθείας* ſuſpectis diſquiri ſolet, fucum facere queant, niſi Kircheriano ingenio ſimilis fuerit. [h] Clariora tamen ſe inveniſſe viſus eſt CVDWORTHVS, [i] in IAMBLICHO, [k] quem Mercurio ſuo adſcribere putat tres perſonas in Deo, ſive tria rerum omnium principia, poteſtate atque gradu inter ſe diverſa, primo unum ſimpliciſſimum numen, a quo omnis alieniſſima eſſet diſtinctio, cui nomen dedit, Eicton: tum perfectiſſimam mentem, quæ omnem, qua pollet, cogitandi vim in ſemet ipſam converteret; vocabulum ejus Emeph, denique illam, quæ omnia, nulla cauſa alia interveniente, finxit naturam, cujus varia pro diverſis ejus facultatibus nomina Phtha, Ammon,

a) *De pſychogonia ex mente Timæi.*
b) *De Iſid. & Oſir. T. II. p. m. 257.*
c) Ita BASNAGE *Hiſt. des Juifs T. III. ch. 19. p. 485.* qui putat ex traditione de ſeducto a diabolo humano genere fabulam de Typhone enatam eſſe.
d) *l. c. p. 246. not. 34.*
e) Edidit is *Mercurii Pœmandrum 1575. Gr. & Lat.*
f) In Comm. in *Pœmandrum. Crac. 1585. Col. 1630.*
g) In *Sphinge Myſtag. P. II. c. 3. Obeliſco Pamphilio P. III. p. 400. & Gymn. hieroglyph.*
h) Exploſit Kircheri ſomnia WITSIVS *Ægyptiac. l. II. c. 5. p. 91.*
i) *Syſtem. intellect. c. IV. §. 18. p. 412. 413.*
k) *De myſteriis Sect. VIII. c. 3. p. 158. ſeq.*

mon, Oſiris, ſint. [l] Addit vir doctus, ſecundam illam perſonam, quæ hunc orbem fabricata eſt, Ægyptios Cneph quoque vocaſſe, & autumaſſe, ex hoc numine Phtha eſſe procreatum. Vidit vero ipſe Cudworthus, hæc cum ſcholæ Pythagorico-Platonicæ placitis convenire, quoniam vero eos pro aptis de religione Ægyptiorum judicibus habuit, neceſſario ab illis ſeductus & lapſus eſt. Nam hos homines inſano conſilio religiones totius mundi in unum ſyſtema conflandi, & noxio ſyncretiſmo omnia miſcendi, omnium gentium præcipue orientalium & Ægypti doctrinas vehementer adulteraſſe, iisque ſua placita ſuppoſuiſſe, quis eſt, qui ignoret? Illi vero cum Chriſtianis affines videri voluerint, trinitatem quoque aliquam affectarunt, eamque excogitatis principiis quibusdam metaphyſicis exornarunt, & veteribus ſuppoſuerunt. Vnde quam inepti in hoc argumento teſtes ſint, facile quilibet intelligit. Vidit præterea in Iamblicho Cudworthus, quod alius non viderit, nec unquam Iamblicho in mentem venit. Is enim non de ſummis divinitatis principiis, ſed de Diis æthereis, empyreis & cœleſtibus, quos alterum ordinem, poſt Deum ſummum noëtarcham vocat, & ſi recte numeres, non tres ſed quinque Deos memorat, qui rerum apparentium opificio duces præſint, quosque minores alii ſequantur. Ex quibus a cel. MOSHEMIO [m] luculenter demonſtratis videre eſt, hypotheſios ſervitio deceptum virum doctum, non attentis ſatis ad Iamblichi verba reſpexiſſe oculis, trinitatemque vidiſſe, quam nemo Ægyptiorum unquam ſomniavit. Propiora & ad trinitatem aliquam referri apta habet PLVTARCHVS [n] qui ita Ægyptiorum mentem explicat: *Præſtantior atque divinior natura e tribus conſtat, eo, quod mente cernimus, & materia, & quod ex his compoſitum mundus dicitur. Ac Plato quidem primum illud ideam, exemplar patremque nominat: materiam matris, nutricis, ſedis, & regionis ortuum capacis vocabulo notat; quod ex utroque conſtat, prolem ortumque nominare ſolet. Ægyptios autem probabile eſt, triangulorum pulcherrimo in primis comparaſſe univerſi naturam; qua comparatione etiam Plato videtur uſus. - - - Conſtat id triangulum tribus lateribus - - intelligendum autem eſt, linea ad rectum angulum alteri inſiſtente, marem, baſi feminam, ſubtendente prolem utriusque repræſentari, & Oſirin eſſe principium, Iſin receptaculum, Orum effectum.* Non prorſus inepte [o] etſi Platonicis rationibus, tum temporis Ægyptiis ignotis nimis atque temere attemperatum. Sed quam longo hæc intervallo a Chriſtianorum trinitate diſtant? Succurrit tamen aliud quoque, quod ad ſanctiſſimum myſterium propius accedere videtur, Hermeticæ doctrinæ placitum, quod nobis CYRILLVS ALEXANDRINVS [p] ſervavit. Is ita: *Ait etiam Hermes ſermone tertio ad Aſclepium;*

l) Videndi de his Ægyptiorum Deorum nominibus quos fuſe laudat cel. WOLFIVS *de manichæiſmo ante manichæos c. 15. p. 74. 75.*

m) *Ad l. c. Cudworthi.*

n) *De Iſid. & Oſir. T. II. p. m. 161.* conf. WITSIVS *Aegypt. l. II. c. 5. p. 95.* PETAVIVS *dogm. theol. T. II. l. II. c. 2.*

o) Forte ex ſacerdotibus Ægyptiorum quidam ita inſtituerunt, poſtquam Græcorum philoſophiam didicerunt.

p) *Lib. I. adv. Iulian. p. 35.*

pium; fieri non poteſt, ut in rudes & non initiatos hæc myſteria efferantur, ſed mente audite: Vna erat tantum lux intellectualis ante lucem intellectualem, & eſt ſemper mens mentis clara & illuſtrans, nec aliud quicquam erat, quam hujus unitas ſemper in ſe ipſa exiſtens, ſemper ſua ipſius mente, & luce & ſpiritu omnia complectitur. Videtur enim his verbis in una luce divina & intellectuali tria principia, mentem, lucem, & ſpiritum ſtatuere. Recte tamen ubi hæc verba intuemur, patebit, tria hæc principia tanquam emanationes internas divinæ & ineffabilis lucis delineari, & ita ſummo numini, tria ſubordinari principia emanativa. Quæ ſententia, Deum aliis præfigens, omnino non Platonica tantum eſt, id quod docte probavit MOSHEMIVS, [q] ſed &, quod idem vir celeberrimus monet, Iamblichi, qui paria fere Aegyptiis tribuit, ætate ſuperior. Etſi enim Hermeticam doctrinam, vel quod idem eſt, Aegyptiorum genuinam theologiam hæc non referre, ex iis, quæ ſupra de principiis divinis ex mente Aegyptiorum diſputavimus, abunde patet; ſapit tamen illam Aegyptiacam doctrinam, quæ Platonicis in Aegypto caput extollentibus, tandem invaluit, & quæ libros illos Hermeticos, patribus paſſim laudatos peperit. Cujus cum genuina propago fuerit doctrina Iudæorum Cabbaliſtica, ut ſuo loco evidentibus argumentis demonſtrabimus; lux inde affulget obſcurioribus Pſeudo-Hermetis verbis. Cabbaliſtæ enim in arbore Sephirothica, quæ genealogiam emanationum divinarum exhibet, non præponunt tantum omnibus ſephiris, id eſt luminibus intellectualibus Orhaënſoph, lucem intellectualem infinitam, unam, in ſe ipſa exiſtentem, ſed etiam triada ſuperiorum ſephirarum, antequam luminibus inferioribus fulguraret, ſub ea conſtituunt, coronam, ſapientiam, prudentiam, quæ, ut emanarunt ex infinito lucis divinæ oceano, ita certo modo eas lux infinita ſub ſe & in ſe comprehendit. Quæ ut dictis a Pſeudo-Hermete aptiſſime congruunt, ita ſatis produnt, eadem ex ſchola cum Hermetica illa, tum Cabbaliſtica prodiiſſe, nec hæc genuinam Aegyptiorum mentem referre, niſi prout ſub Græcorum ſenſim imperio ad Orientalia & Platonica φιλοσοφούμενα tandem reformata fuit. Hæc tamen licet ita ſe habeant, certo tamen ſenſu πολυθεότης cum principio, Deum eſſe omnia, eſſeque animam mundi informantem, ſtare poteſt, nec negamus, Aegyptios veteres non plures Deos ſive potius dæmonas magnos ſtatuiſſe. Verum illi non emanationes ſed partes omnia conſtituentis Dei ſunt, ſicque Deus ille, ſive mens univerſum permeans, in omnibus materiæ partibus eſſentialiter & formaliter, non emanative tantum eſt, id eſt, ut Græco more loquamur, ſenſu Stoico non Platonico, quem perperam ſequitur Cudworthus. Hincque tota illa Deorum Aegyptiacorum ſeries & fabularum congeries, ex admiſſo ſemel hoc principio, facile explicanda. Ita vero non tres tantum, ſed innumeri Dii inter Aegyptios, forte hac de re inter ſe diſſidentes quærendi ſunt.

§. XVII.

q) *Ad* CVDWORTH. *c. IV. §. 25. p. 734. n.*

§. XVII. VII. Reliqua, quæ de Ægyptiorum theologia extant, ex dictis facili labore poſſunt intelligi. Dæmonas enim ſtatuiſſe, ſupra indicatum eſt, qui quoque locum habere poſſunt, ubi anima mundana admittitur, cujus partes ſunt. Hos genios ſive Deos hominibus apparere, æternosque eſſe docebant: [r] ita enim ortus ex anima mundi divina poſtulabat. Immo & apparere interdum hominibus credebant, quod ſacerdotum inventum fuiſſe videtur, ut eo magis ſomniis ſuis fidem apud plebem credulam invenirent. Et hinc varia quoque inſtituta ſacrificia, & expiandi Deos rationes atque modi excogitati, de quibus, cum ad noſtrum inſtitutum, quod in doctrinas philoſophicas Ægyptiorum inquirit, non pertineant, dicere prolixius ſuperſedemus. Addendum & hoc, quod DIOGENES LAERTIVS veteres de theologia Ægyptiorum ſcriptores ſecutus refert: [s] Statuas & fana fabricanda eſſe, quod ignorent effigiem Dei; id quod ad imagines animalium ab Ægyptiis cultas referendum eſt. Illis enim Deos præſentes eſſe, animasque beatas & divinas in eas ſtatuas migraſſe, credebant. Quod occaſionem præbuit vitæ Apollonii architecto [t] narrandi, Apollonium leonem mitem juſſiſſe in templo Leontopolitano collocandum, quod rex Amaſis in illa bellua vagaretur; indeque congregatos ſacerdotes Amaſidi ſacra feciſſe, belluamque torque & vittis redimitam in interiorem Ægyptum miſiſſe: Quæ enim doctiſſima annotatori monenda viſa ſunt, Apollonium φιλανθρωπίας tantum ſymbolum Ægyptiorum oculis objicere voluiſſe, quibus in more poſitum fuerit, Deorum & heroum naturam, indolem, virtutes ſacris hujusmodi ſymbolis repræſentare imitandaque proponere, adeo contorta ſunt, & ab evidenti verborum Philoſtrati ſignificatione aliena, ut ad excuſandam tantum Apollonii vel Philoſtrati inſaniam excogitata eſſe, quilibet videat, unde ea non moramur.

Dæmonologia Aegyptiorum.

§. XVIII. Poſt Deum resque divinas de anima quoque notandæ ſunt Ægyptiorum doctrinæ, de quibus non minus, quam de illis, viri docti vehementer diſſident. Et I. immortalitatem quidem animarum Ægyptios credidiſſe certum eſt, nec negatur ab ullo, adeo, ut teſte HERODOTO, [u] primi fuiſſe dicantur, qui dicerent, animam eſſe immortalem. Quod tamen, invita veritate, dici vel ſola nos Hebrææ gentis, in qua iſta veritas ſemper viguit, hiſtoria docet, & ex univerſali fere conſenſu veteris orbis demonſtrari poteſt. [x] Nec aliter patitur principium ſemel admiſſum materiam, ſive naturam ſpiritu divino per omnia diffuſo animari: inde enim ſequitur, animam quoque ex æterno hoc ſpiritu animave ortam æternam & immortalem eſſe. Quoniam vero quæ immortalia ſunt, æternum durant, inde animam quoque nunquam interituram, ſed æternum victuram autumabant. Hinc refert DIODORVS: [y] Ægyptios bonorum virorum obitum lachrymis

Doctrina Ægyptiorum de Deo.

r) DIODOR. *l. I. c. 13*, conf. MARSHAM. *Can. chron. Sec. IV. p. 52.*

s) *Lib. I. ſ. 10.*

t) PHILOSTRATVS in *vita Apollonii l. V. c. 42. p. 225.* Addendus DIODORVS qui *l. I.* refert, placuiſſe Ægyptiis, Deos apparere hominibus in ſacrorum animalium formis.

u) *Lib. II. c. 123.*

x) Conf. cel. IOACH. OPORINI eruditus liber *de immortalitate mortalium.*

y) *l. c.*

mis non fuiſſe proſecutos contra felicitati eorum applauſiſſe, ὡς τὸν αἰῶνα διατρίβειν μέλλοντες καθ' ᾅδὸ μετὰ τῶν ἐυσεβῶν, *eo quod in altera vita cum piis æternum victuri eſſent;* dignaque ſunt, quæ de more ſepeliendi apud Aegyptios idem DIODORVS refert, quæ eo tendunt, ut probata defuncti vitæ innocentia in publico judicio, Dii rogentur, ut in piorum contubernium recipiatur. Et hæc quidem Aegyptiis placuiſſe, ſatis certum eſt. II. Magna vero controverſia agitatur, unde ex mente Aegyptiorum animæ immortales in corpus deſcendant, quemve in locum demigrent corpore ſolutæ? Adeo enim hic diſcrepant veteres atque recentiores, ut difficile ſit, veram ex his Aegyptiorum ſententiam eruere. In locum eas deferri, quem Amenthes Aegyptii dicunt, Græci ᾅδην, PLVTARCHVS [z] teſtis eſt, qui monet: *locum ſubterraneum, in quem putant animas ferri poſt mortem, vocari Amenthen, quod nomen ſignificet, accipientem & dantem.* Qua explicatione Græcorum fere opinionibus de ſtatu animæ poſt mortem Aegyptias aſſimilat. Quæ cum vel campos elyſios & felicitatis ſedes, vel infernales pœnas mortuorum animis aſſignaverint, ſequitur inde, ſi Aegyptiorum Amenthes idem eſt, in vita altera apud dominos meliores, quæ Socratis vox fuit, illis animabus locum eos aſſignaviſſe; & huc ea quoque tendunt, quæ de more ſepeliendi Aegyptiorum ex Diodoro retulimus. His addi poteſt PORPHYRII [a] teſtimonium, qui ex Euphanto refert: *Aegyptios exanime cadaver efferentes, ita mortui hominis verbis Deos eſſe deprecatos: Sol omnibus imperans, vosque Dii univerſi, qui vitam hominibus largimini, me accipite, & Diis æternis contubernalem futurum tradite.* His enim verbis clare innuitur, animas ad ſolem purgandas, indeque ad Deos æternos & immortalitatis ſedem deferri. Aliter tamen de Ægyptiorum in hac re ſententia HERODOTVS, [b] qui narrat, docuiſſe illos: *exoleſcente corpore animam ſubinde in aliud animal, quod naſcitur, immigrare, atque ubi per omnia ſe circumtuliſſet, terreſtria, marina, volucria, rurſus in hominis corpus, quod gigneretur, introire, atque hunc ab ea circuitum fieri intra annorum tria millia.* His conſentit teſtimonium, Hecatæi apud LAERTIVM [c] τὴν ψυχὴν καὶ ἐπιδιαμένειν καὶ μετεμβάινειν, *animam & perdurare, & tranſire in alia corpora.* Paria habet AENEAS GAZAEVS, cujus verba in *Theophraſto* [d] ejus ipſa conſulenda ſunt. Et huc facit etiam cultus animalium, qui hanc metempſychoſin animarum ſupponit, ut ex iis videre eſt, quæ §. præcedente ex Philoſtrato retulimus. Hæc adeo pugnare inter ſe videntur viris doctis, ut de conciliatione deſperent, merenturque imprimis expendi ea, quæ acutiſſimus MOSHEMIVS dignus in hoc argumento judex, prudenter monet: Neutram ſententiam tanquam ab Aegyptiis non admiſſam rejiciendam eſſe, diſſenſiſſe inter ſe Aegypti ſacerdotes, variasque tenuiſſe

z) *De Iſide & Oſiride T. II. p. m. 145.*
a) *De abſtinentia l. IV. § 10. p. 157.*
b) *l. c. c. 123.*
c) *Lib. I. ſ. 10.*
d) ſive dialogo *de reſurrect. mortuorum p. 14.*

nuiſſe ſententias, & ita fruſtraneo labore defungi, qui omnes, quæ Aegyptiis adſcribuntur doctrinas inter ſe conciliare contendunt. Eſſe itaque veriſimile in doctrina de ſtatu animarum poſt mortem ſacerdotes Aegyptiorum in varias opiniones diſceſſiſſe; & alios quidem migrationes & circuitus animarum per varia corpora ſtatuiſſe; alios bonorum virorum animas a longis his erroribus liberaſſe, & in Deorum ſtatim conſeſſus deduxiſſe. Alios rurſus, aſcendere ad ſtellas vagas defunctorum mentes, in iisque purgari, ut dignæ fiant Deorum conſuetudine, decreviſſe. Alios, locum quendam ſubterraneum decedentes excipere animos, præcepiſſe. Nihil in his omnibus eſt, quod non ſuo modo admitti queat, & indubitatum eſſe, ex ſupra diſputatis pateat, non unam doctrinæ regulam, eandemque opinionem per omnia ſacerdotum collegia in Aegypto obtinuiſſe. Vnum tamen, quod objici poteſt, non celamus: patere ex ſolenni ſepeliendi ritu, quem ſupra adduximus, non privatas eas opiniones fuiſſe, ſed publicas. Nos, ſi conjecturis (ad eas enim omnia redire, modeſte fatemur) locus eſt, conciliandi diverſas veterum de Aegyptiacis de ſtatu locoque animarum poſt mortem doctrinis narrationes rationem aliquam ſupereſſe non diffitemur, modo ad ipſa principia Aegyptiaca attendatur, nec rationibus Platonicis, quæ maximopere cognitionem veteris philoſophiæ Agyptiacæ impediunt, tenebræ inducantur. Animas nempe Aegyptiis ex univerſi anima decerptas adeoque immortales viſas eſſe, ſupra monuimus. Evincit hanc Aegyptiisque vindicat ſententiam doctrina de Deo, anima mundi, ex qua omnia, in qua omnia ſunt, in quam omnia reditura ſunt. Inde neceſſe eſt animas tandem ad Deos redire. Quoniam vero anima corpori alligata variis modis inquinatur, diverſam in Deum redeundi rationem eſſe, neceſſe eſt, ita ut, qui bene vixerint citius, qui male, ſerius ad fontem unde decerptæ ſunt, redeant. Omnibus tamen purgatione opus eſt, quam iſta metempſychoſi abſolvi, omnes fere ejus doctrinæ patroni crediderunt. Bonorum itaque animæ faciliori circuitu a levioribus ſordibus liberatæ, ad æthereas ſedes, ipſaque aſtra, ſolem imprimis, ſedem primariam Deitatis elevatæ, in Deum redeunt, & nobiliores atque feliciores habitationes cum Diis inter ſidera ſortiuntur. Malorum longiſſimis periodis excruciatæ & in deteriora corpora detruſæ, longas ita malitiæ atque ſcelerum pœnas trahunt, donec a ſordibus liberatæ principio ſuo, Deo jungantur. Hæc primo illi principio: Deum fontem eſſe omnium rerum, ad quem reditura ſunt omnia, conformia eſſe, quilibet videt. Atque eadem quoque effatis atque narrationibus veterum conſonant. Nam viros bonos virtutisque alumnos in Deorum conſortium recipiendos eſſe, ex hac hypotheſi ſequitur, & quidem breviori μετεμψυχώσεως periodo, & feliciori conditione: malos vero ad longas periodos & cruciatus damnari. Vtraque & bona & mala anima migrat, ſed diverſo loco, modo, tempore & fato. Τόπος ὑποχθόνιος vero, quem Amenthen vocari Plutarchus tradit, idem eſt, qui Græcis ἅδης dicitur, ille ipſe in æthere locus, ubi animæ ſortis novæ le-

ges ex vita prius acta expectant, & ex fati decreto novas viciſſitudines ſubeunt. Et ita quidem non cohærere tantum de Aegyptiorum placitis narrationes veterum putamus, ſed conſentanea ea quoque ſunt illis, quæ Aegyptiis doctrina proxime accedunt, Pythagoræ & Stoicorum placitis. Quorum ille metempſychoſin in Aegypto didicit, & illi quoque viros bonos & ſapientes ſubjecit, quos tamen non diis tantum jungi, ſed Deos fieri & in Deum reduci ſtatuebat, eodem, quo Aegyptii more & ſenſu: hi vero, poſt mortem animas ex divina mundi anima decerptas inter ſidera, vel in æthere quoque collocabant, donec purgatæ redirent, in univerſalem animam, indeque novis corporibus inſererentur. Id quod quidem ab Aegyptiorum mente aliquantum longius, quam Pythagoræ ſententia, abit, & μετενσωμάτωσις magis quam μετεμψύχωσις eſt, illuſtrat tamen opinionem Aegyptiacam, dum oſtendit, qua ratione animæ ex eſſentia divina decerptæ, poſt funera in loco aliquo commorari, & iterum in corpora venire queant. Ceterum Herodoti narrationem ex vulgi potius traditione quam ſacerdotum doctrina ſumtam non accuratam eſſe, adeoque non nimis premendam, ex collatis reliquis teſtimoniis fit veriſimile, certe ad impiorum magis fata, quam piorum pertinet. Cum enim teſte DIODORO[e] Aegyptii pœnas & præmia vitiorum & virtutum admiſerint, in animarum quoque revolutione neceſſario diverſitatem fatorum admittere debuerunt. Quæ cum omnibus fere, qui metempſychoſin ſtatuerunt, placuerit, & animarum migratio cum purgationibus animæ præmiisque atque pœnis poſt mortem conjuncta fuerit, recte inde concluditur, inter Aegyptios easdem doctrinas ſine contradictionis ſpecie jungi potuiſſe.

Doctrina Ægyptiorum de mundo. Materia æterna.

§. XIX. Poſt Deum & divina, animamque, quæ ex Deo eſſe credita fuit, de mundo ejusque ortu quoque differuere Aegyptii, quorum phyſiologia & coſmogonia jam explicanda eſt. Et I. quidem materiam eos æternam cenſuiſſe, nec unquam factam aut creatam, dubio apud eos carebit, qui ea, quæ ſupra de Iſide diſputavimus, recte expenderit. Sive enim per Iſidem univerſum hoc, quod videmus, totumque complexum tum materiæ, tum ſpiritus eam animantis, adeoque univerſam naturam rerum animatam intelligamus, ſive materiam tantum recipientem ſemina principii activi, Oſiridis, ſpiritus mundi per eam diffuſi, & in ea formam rerum eſſentialiter producentis, quæ Plutarchi & quos ſequitur explicatio eſt, Iſin, æternam, id eſt materiam nunquam conditam, ſed ab æterno in conjugio Oſiridis, id eſt principii activi connubio neceſſario & eſſentiali fuiſſe agnoſcendum eſt. Ita enim omnia, quæ Aegyptii φιλοσοφοῦντες de Iſide tradunt, poſtulant. Nec dubium in antiquiſſima Aegyptiorum religione idem obtinuiſſe, ubi creationis materiæ ne veſtigium quidem apparet. Poſtquam vero Aegyptii philoſophari inceperunt, hanc materiam omnino ſuppoſuerunt, & pro primo rerum principio admiſerunt, id quod diſerte teſtantur, Manetho, & Hecatæus apud LAERTIVM: [f] Φάσκειν τὸς Αἰγυπτίους, ἀρχὴν μὲν εἶναι τὴν

[e] *Lib. I. p. 61.* [f] *Lib. I. ſ. 10.*

τὴν ὕλην εἶτα τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ἐξ αὐτῆς διακριθήναι. *Principium rerum fuiſſe materiam, & ex ea deinceps quatuor elementa diſcreta fuiſſe.* Nec aliud poſtulat tota coſmogonia, qualis ea a Diodoro deſcribitur, & mox adducetur. Falluntur itaque, qui Ægyptios creationem mundi ex nihilo ſtatuiſſe ſibi perſuadent, minus recte intellecto IAMBLICHI [g] loco decepti. Quæſiverat ſcilicet PORPHYRIVS ex Anebone: num Ægyptii materiam agnoſcant, nec ne? an corpora prima qualitatibus prædita? tum genitamne ponant materiam, an ingenitam? Et tum ea Chæremonis verba addit, quæ ſupra adduximus, quæque Ægyptiis mundi generationem ex materia ſine interventu mentis alicujus tribuunt. Ad hanc quæſtionem IAMBLICHVS reſpondet: *Materiam quod attinet, Deus eam produxit, dividendo materialitatem ab eſſentialitate, hancque materiam accepiſſe opificem Deum vitalem, ex ea ſimplices ſphæras fabricaviſſe, ipſius vero quod erat extremum, (ſive reſiduum) ad corpora generabilia facienda tranſtuliſſe.* Vrget hæc CVDWORTHVS, [h] Platonicos, ut ſemper ſolet, ſecutus. Provocat inſuper, qui in eadem ſententia eſt LIVIVS GALANTES, [i] ad Hermetis libros; EDMVNDVS DICKINSONVS [k] vero, ad ipſam phyſiologiæ Ægyptiacæ conditionem, quæ univerſæ materiæ principium attribuit. Nihil enim in his omnibus eſt, quod accuratius examen ſuſtineat. Et Iamblichi quidem locus adeo diſtat a creatione ex nihilo, ut ſatis pateat, viros doctos, qui eum pro hac doctrina allegant, verborum obſcuritate ſeductos, ad ſyſtema Platonicorum Alexandrinorum non attendiſſe. Non enim quæſtio erat Porphyrio: materia creata ſit nec ne? ſed an genita ſit? quæ quæſtio illud, ex quo genita eſt, ſupponit. Ad eam vero ita Iamblichus ſuæ ſectæ principiis innixus reſpondet: Deum materiam ex ſua eſſentia produxiſſe, ſive genuiſſe, & ita per emanationem a ſua eſſentialitate ſeparaviſſe. Quam doctrinam hujus ſcholæ aſſeclis placuiſſe, eosque ſtatuiſſe, materiam ab æterno ex Deo emanaviſſe, ſuo loco demonſtrabimus. [l] Adeo vero hoc abhorret a creatione ex nihilo, ut peſtilentiorem potius errorem foveat, quam is eſt, qui materiam Deo mundi architecto, adjungit. Addendum vero & hoc eſt, genuinam hanc opinionem Ægyptiorum veterum non eſſe, ſed mutatam eſſe hanc phyſiologiam a Platonicis in Ægypto caput extollentibus, ut ita ſyſtemati emanativo, quod in orientali philoſophia tum temporis florebat, ſe accommodarent, unde fruſta ex horum hominum ſuis nugis vetera decreta accommodantium teſtimoniis de hac re judicatur. Hermetis vero librorum cur nullum pondus in hac re ſit, ex ſupra dictis conſtat. Nec quæ vult Dickinſonus, ex illo ſequitur, quod materia ἀρχὴ dicatur; nam quæ a Diodoro dicuntur, fuiſſe τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν ὅλων σύστασιν, *mundum quidem initium habuiſſe*, dicunt, *non* vero *materiam*, apud Laërtium autem ἀρχὴ non pro initio, ſed pro principio ex quo

g) *De myſter. Aegyptior. Sect. VIII. c. 3. p. 159.*
h) *Syſt. intell. c. IV. §. 18. p. 392.*
i) *Comparat. Theol. Plat. p. 237. ſeq.*
k) *Phyſic. vet. & verae c. XII. p. 198.*
l) Legendus, qui de his eleganter commentatur ven. MOSHEMIVS in diſſ. *de creatione ex nihilo, inſerta* CVDWORTHI *ſyſt. intellect. p. 982. ſeq.*

Materiæ inditus ſpiritus æternus.

ſunt omnia, ſumitur, qua ratione omnis nervus argumenti a Dickinſono adhibiti laxatur. II. Materiæ tamen ſpiritum æternum per omnes materiæ partes eſſentialiter diffuſum adjunxiſſe, ex iis repetendum eſt, quæ ſupra [m] de theologia Ægyptiorum diximus. Etſi enim negari nequit, & Chæremonem & Diodorum Siculum in exponenda Ægyptiorum theologia, non meminiſſe mentis alicujus, cujus ope & fabricatione mundus productus ſit; notum tamen eſt iis, qui veterum coſmogonias curioſo & attento oculo perluſtrarunt, vetuſtiſſimos theologos in condendis ortus rerum ſyſtematibus cauſam efficientem, præſuppoſuiſſe, & ad materiæ tantum formationem attendiſſe. Idque apud Ægyptios quoque factum eſſe, vel ex ſolo indiſſolubili Oſiridis & Iſidis vinculo & matrimonio conſtat, quo & materia & ſpiritus ſimul conjunguntur. Quod ſi ea certa eſſent, quæ ex PORPHYRIO adducit EVSEBIVS [n] ipſa hieroglyphica Ægyptiorum theologia hoc confirmaret. Refert enim: *τὸν δημιουργὸν ſive effectricem rationem ab Aegyptiis Cneph appellari, & configurari humana ſpecie, colore cæruleo, eoque nigricante, cingulum ac ſceptrum manu tenentem. Huic in capite regium ex penna galericulum eſſe, quod ejusmodi ratio abdita fere obſcuraque lateat, ſummoque labore inveniri vix poſſit, eademque vitæ fons ac regina cum ſit, tum vero intelligente quodam ac ſpirituali motu creetur, quem maxime penna illa in capite ſita referat.* Hunc Deum porro ovum ex ore effudiſſe narrant, ovum vero illud mundum interpretantur. Quod ovi ſymbolum mundum repræſentare, ex veterum coſmogoniis conſtat. Negari tamen nequimus, ſuſpectam eſſe Porphyrii fidem, qui Ægyptiorum veterem doctrinam rationibus Platonicis adaptavit. [o] Loquitur enim de Demiurgo, quem ſummo numine inferiorem ponit theologia Platonica, ignorat Ægyptiaca vetus. Accedit, quod PLVTARCHVS [p] refert ſolos ex populis Ægypti Thebanos Deos nullos mortales colere, verum Deum illum Cneph, quem venerarentur, & ortus & interitus expertem ducere. Ex hoc enim Plutarchi teſtimonio conſtat, hunc Deum tantum ad Thebanos pertinere, nec ex eo poſſe concludi ad religionem totius Aegypti, quam in fingendis Diis inſaniviſſe ex hoc loco pulchre demonſtratur. Hinc viris doctis qui inter Britannos *hiſtoriam univerſalem* condere cœperunt, [q] occaſio enata fuit diſtinguendi inter religionem ſuperioris & inferioris Aegypti, quarum regionum hæc idololatria merſa fuerit, illa Thebanorum ex præceptis ſobrie magis ſtatuerit. Quod quidem ineptum non eſt, cum plus ſemel oſtenderimus, variaſſe admodum in diverſis locis religionem Aegyptiorum, ad explicandum tamen coſmogoniæ negotium nihil affert, quia non quæſtio eſt, quis Aegypti populus abjecto *πολυθεότητος* præjudicio melius de Deo ſenſerit, ſed quid religio theologorum ſive philoſophantium de ortu rerum ſtatuerit, a quo argumen-

m) §. 14. 15.
n) *De præpar. ev. l. III. c. 11.*
o) Conf. IDEM *l. I. c. 10.* & quæ de hoc Deo habet THOMAS GALEVS *ad* IAMBLICHVM *de myſter. Aegypt. pag. 301.*
p) *l. c.*
q) *p. 61.* Præivit CVMBERLAND. in *Coſmogon. Sanchuniath. p. 12. ſeq.*

gumento Cneph ille tutiſſime rejicitur, quia, pulchre monente MOSHEMIO, [r] incertum eſt, num ſummum per illum numen Thebani intellexerint, cum plures æternos Deos ſtatuere potuerint.

§. XX. III. Ex connubio vero Iſidis & Oſiridis mundum genitum eſſe & productum, Aegyptiorum theologis placuit. Num is Orus filius ſit, [s] nec ne? in incerta & obſcura re non diſputabimus. Mundum certe Dei filium eſſe antiquiſſima omnium fere gentium traditio fuit. [t] Nec deſunt veterum teſtimonia, ex quibus id probatur, inter quæ, ne nimii ſimus, vel unum SIMPLICII [u] locum notari velimus, in quo philoſophus pro æternitate mundi contra Ioannem Philoponum diſputans, Moſaicam de natura rerum a Deo producta hiſtoriam fabuloſam traditionem ex Aegyptiorum commentis natam vocat. Obſervatque CVDWORTHVS [w] eadem ex cauſa illum, qui Ptolomæum ſcholiis illuſtravit, ideo Aegyptios perſtrinxiſſe, quod ſoleant perpetuo de mundi generatione & ortu verba facere. Quare etiam thema aſtrologicum natalis mundi ex opinione Aegyptiorum expoſuit IVLIVS FIRMICVS. [x] Non diſſimulabimus tamen, quod ex DIODORO [y] objici poteſt, eum diis cœleſtibus, ſoli, lunæ, ſtellis ἀΐδιον γένεσιν æternam generationem tribuere: Quod tamen relative tantum, ad Deos illos mortales, de quibus poſtea diſſerit, intelligendum eſt, quibus ea numina opponit, quæ cum ipſo mundo ſunt orta & genita: quibus generationem tamen ad indicandum eorum ortum adſcribit. *Mundi productio.*

IV. Qua ratione vero mundum genitum crediderint, omnium optime ex DIODORO [z] diſcere eſt, qui ab Aegyptiis id accepit. Etſi enim expreſſis verbis hanc coſmogoniam Aegyptiis non tribuit, & EVSEBIVS quoque, ubi eam ex Diodoro repetit, Græcis eam aſſerit, apparet tamen ex ſerie hiſtoriæ Diodori, illum hanc coſmogoniam tanquam ab Agyptiis ad reliquas gentes & Græcos quoque translatam conſideraſſe; unde eum recte audiendum putamus. Ita vero ille: *Cum primum res univerſæ exiſtere cœpere, unius vultus fuiſſe cœlum ac terram, permixta eorum natura. Poſteaquam diſceſſiſſent a ſe iſta corpora, mundo contigiſſe eum, quem nunc videmus, ordinem, aërem autem perpetui motus factum compotem. Hujus quod maxime erat igneum ad ſublimia loca evectum, quippe cum ſurſum tendat ob levitatem talis natura: eademque de cauſa ſolem & cæteram ſiderum multitudinem manſiſſe in perenni vertigine: quod vero cœnoſum & turbidum, cum humida concretione uno ſubſidiſſe in loco vi gravitatis. Sed hoc quoque cum volutaretur in ſe verſareturque continuo, ex humidis mare, ex ſolidioribus edidiſſe terram, ſed lutoſam mollemque valde. Hanc vero, ut primum, qui ſoli adeſt, ignis collucere cœ-* *Modus generationis rerum.*

r) Ad CVDWORTH. *p. 567. n. 8. 9.*
s) KIRCHER. *Oedip. Ægypt.* & alii conf. CVDWORTH. *p. 364.*
t) IDEM *paſſim, vid. p. 627.*
u) In *Ariſtot. Phyſic. l. I. f. 268.*
w) *Syſt. intell. c. IV. §. 18. p. 411.*
x) *Præf. l. III. Aſtronomic. Divini illi viri atque omni admiratione digni Petoſiris Necepſoque, quorum prudentia ad ipſa ſecreta divinitatis acceſſit, etiam mundi genituram divino nobis ſcientiæ magiſterio tradiderunt* conf. *ib. c. I.*
y) *Lib. I. c. 13.*
z) *Ibid.*

perit, coaluiſſe, tum vero cum fermentaretur ſumma facies, intumuiſſe pluribus in locis humentia, inque iis putredines extitiſſe, tenuibus pelliculis circumdatas. Cumque ad eum modum ex calore fœta impleta eſſent, quæ madebant, iis fœtibus adveniſſe alimentum noctibus ex circumfuſa nebula, diebus vero eos ab æſtu conſolidatos. Poſtremo cum ad ſui plenitudinem veniſſent ii fœtus peruſtaque atque rupta ita eſſent membranarum involucra, enatas apparuiſſe omnimodas animantium formas. Horum alia plurimum ſortita caloris ad loca ſupera abiiſſe, facta volucria. At quæ de humente natura traherent plurimum, ea quoque ad locum perlata cognatum ſibi dicique natantia. At tellurem, cum & ab æſtu ſolis & a ventis magis magisque induruiſſet, ad poſtremum non ſuffeciſſe gignendis majoribus animantium, ſed ea ex mutuo coitu cœpiſſe gigni. Hæc Diodorus, cui ſuccinit MACROBIVS. [a] V. Non vero mundum tantum genitum affirmabant Aegyptii, ſed & corruptioni obnoxium eſſe, teſtibus Hecatæo & Ariſtagora apud LAERTIVM. [b] Quod qua ratione futurum ſit, ſacerdos Aegyptius apud PLATONEM [c] exponit, exitum rerum duplicem ſtatuens, per aquam & ignem, ex veteri, uti videtur traditione, quæ per multas gentes cataclyſmos & incendia prædicens pervagata eſt. [d] Periodica tamen ea rerum omnium deſtructio Ægyptiis viſa eſt, ita *ut poſt certas temporum vices conflagratio hujus univerſi fiat, eamque mox conſequatur inſtauratio omnia reſtituens diſcreta ſimilitudine nihil a prioribus differentia*, quam Stoicorum ſententiam, Aegyptiorum quoque doctrinam fuiſſe ORIGENES [e] inter Aegyptios ſtudiis innutritus aſſerit. Qui rerum omnium exitus, Stoicis placitis conformis mire confirmat ideam theologiæ Aegyptiacæ, qualem exhibuimus, cum ex iſta Dei & materiæ unione, qua univerſum ſive rerum naturam conſtituunt, iſti cataclyſmi, incendia & reſtaurationes mundi periodicæ conſequantur.

Mundi figura & partes.

§. XXI. Reliqua jam Aegyptiorum de natura hujus univerſi placita enarraturi VI. obſervamus, ſtatuiſſe eos: Mundum ad ſphæræ ſimilitudinem eſſe rotundum, ſtellas ignem eſſe, quarum temperata commiſtione cuncta in terris naſcantur. Lunam deficere, cum in terræ incidit umbram; Eſſe eam ætheream terram. Priora veteres ſecutus Aegyptiis LAERTIVS, [f] poſterius PROCLVS [g] tribuit: nec probabilitate ea carent, eædem enim doctrinæ ad eos tranſierunt, qui apud Aegyptios philoſophiam didicerunt, præcipue ad Pythagoram, quos tamen proprio marte atque ſuomet ingenio has veritates poſtea excoluiſſe, & ita rudimenta diſciplinæ Aegyptiacæ perfeciſſe, dubium non eſt. In inveſtigatione enim cauſarum rerum naturalium Aegyptios adeo felices, ut Græcos, non fuiſſe, vel hoc argumento conſtat, quod ſacerdotes Aegypti tempore Hero-

a) *Saturn. l. VII. c. 16.* conf. GROTIVS *de Ver. R. C. l. I. §. 16. p. m. 43. ſeq.*
b) *Lib. I. ſ. 10.* c) *In Timæo.*
d) Vid. BVRNET. *theor. tellur. l. III. p. 175. ſeqq.* HVETIVS *Qq. Alnet. l. II. c. 21. p. m. 228. ſeqq.*
e) *contra Celſum l. V. p. m. 252.*
f) *l. c.*
g) In *Timæum Plat. l. I. p. 45.*

Herodoti, quo tamen eruditio Aegyptiaca valde adolevit, de cauſis incrementi Nili nihil reſciverint, id quod etiam STRABO [b] refert, id non ſine ratione miratus, cum ſacerdotes curioſius referrent in ſacros libros & confirmarent, quæ ſubtilioris aliquid haberent cognitionis. Alia ineptientis phyſicæ cognitionis apud Aegyptios ſpecimina præterimus notata CONRINGIO. [i] Cauſam vero exiguorum in ſcientia naturali profectuum, præter diſciplinam illam arcanam, quæ quam maxime ſtudiis naturalibus obeſt, merito retuleris in ſuperſtitionem, quæ Aegyptum tenuit, quæque opinionibus magicis & aſtrologicis impedimento fuit, quo minus cauſæ naturales veræ detegerentur. Magicas enim & aſtrologicas vires ſupernaturales rebus naturalibus Aegyptios adſcripſiſſe, ſupra jam demonſtravimus & indubitatis exemplis evicit CONRINGIVS. [k] Hæc cum ſacerdotum emolumentis quam maxime poſſent accommodari, ſanctiſſime ſervata ſunt, & retentus a cauſarum naturalium inſpectione populus, ut eo fortius atque efficacius ſuperſtitionis freno regeretur.

§. XXII. Ex terra ad cœlum ejusque ſidera tranſeuntes, doctiora & φιλοσοφικώτερα apud Aegyptios non invenimus. Aſtronomiam excoluiſſe, ſupra conceſſimus, rudimentis tamen initiatos tantum fuiſſe, probavimus. Demonſtrant id placita aſtronomica & aſtrologica Aegyptiorum, hodie apud veteres paſſim obvia. In his eſt: ſeptem ſtellarum præcipuas eſſe ſolem atque lunam; minorem autem his vim habere ad eventuros effectus quinque reliquas. Quam ob cauſam Aegyptii regi quidem & dextro oculo ſolem aſſimilant, reginæ autem atque ſiniſtro oculo lunam: lictoribus ac ſatellitibus quinque ſtellas, reliquo autem populo alias inerrantes. [l] Quæ quam miſera ſint, & plebis ingeniis aptiora quam philoſophorum, *Aſtronomia.*

Et pueris notum & qui nondum ære lavantur.

Maxime vero verſabatur aſtronomia Aegyptiorum in diſtributione ſtellarum inerrantium & præcipue zodiaci. Quam cum enarraverit IVLIVS FIRMICVS [m] lectorem has nugas ſciendi cupidum ad eum ablegamus. Singulis ſcilicet zodiaci ſignis tres decanos præfecerunt; Sunt autem decani magni numinis & poteſtatis, per ipſosque proſpera omnia ac infortunia decernuntur. Addit idem: *Necepſo Ægypti potentiſſimus imperator, optimus quoque aſtronomus per ipſos decanos omnia vitia valetudinesque collegit, oſtendens, quam valetudinem quis decanus efficeret, quia una natura ab alia vincitur, unusque Deus ab altero. Ex contrariis itaque naturis contrariisque poteſtatibus, omnium ægritudinum medelas, divinæ rationis magiſteriis adinvenit. XXXVI. itaque decani omnem zodiaci circulum poſſident, ac per XII. ſignorum numerum Deorum ſeu decanorum hæc multitudo dividitur.* Sed & reliqua apud eum legenda ſunt,

b) *Lib. XVII.*
i) *De Hermet. Medicina c. XII. p. 132.*
k) *Ibid. c. XI. p. 104. ſeqq.*
l) SEXT. EMPIRIC. *adv. math. l. V. ſ. 31. p. 343.*
m) Vid. *præf. libri IV.* ubi ſe omnia Ægyptiorum myſteria perquiſiviſſe gloriatur

ſunt, ex quibus manifeſtum eſt, hypotheſin, ſidera a Diis numineque peculiari habitari regique, fundamentum fuiſſe totius aſtrologiæ apoteleſmaticæ; illam vero niti principio de anima mundi per univerſas ejus partes diffuſo & permeante. Hincque ratio petenda eſt, cur aſtrologiæ judiciariæ pretium tantum ſtatuerint Ægyptii, cujus ſummam cum ſupra de Chaldæis verba facientes retulerimus, hic ubi eadem vere dicenda ſunt, actum non agimus, ſed lectorem ad MANETHONIS apoteleſmatica remittimus. Eadem quoque ratio fuit iatromathematicorum, ut ex iis videre eſt, quæ Hermetis nomine ſub hoc titulo ſuppoſita ſunt, hodieque extant. Ex quibus conficitur nullas obſervationes aſtronomicas, nullos calculos, nullas hypotheſes ingenioſe excogitatas apud Ægyptios quærendas eſſe. [n] Qua de re ſupra quantum ſatis eſt diximus. An vero genethliacam, & apoteleſmaticam artem Chaldæi ab Ægyptiis acceperint, ex iis, quæ in genere de hac quæſtione diximus, dijudicandum eſt: Hoc vero notandum, Chaldæorum rationes, PTOLOMAEO *περὶ τῶν ὁρίων* diſſerenti, id eſt, de finibus planetarum ad utriusque gentis diſciplinam terminatis, ſimpliciores eſſe & magis perſuaſibiles. [o]

Philoſophia moralis Ægyptiorum.

§. XXIII. Tandem ad moralem quoque Aegyptiorum philoſophiam accedendum eſt, & diſpiciendum, quid de ea docuerint? Illam duplicem fuiſſe, unam vulgarem, alteram myſticam & arcanam, ex ſupra dictis conſtat. Cum enim inter libros Mercurio tributos, quos ſacros cuſtodiebat ſacerdotum turba, fuerint, qui de legibus, de Deorum cultu, & de univerſa ſacerdotum diſciplina egere, dubium non eſt, quod de moribus & diſciplina ſacerdotum ea continuerint, quæ ad eorum *θεοσέβειαν*, quam iis tribuit Herodotus requirebantur. Verum ea nobis invidit myſteria ſua occultans ſacerdotum ſuperbia. Idem judicium eſto, de *ἐκλογισμῷ βασιλικῆς βίβ*, qui liber in ſacra proceſſione ſolebat præferri, & qua ratione Moſen regias diſciplinas edoctum fuiſſe, capite primo notavimus. Nam & hunc nobis invidia hujus gentis librum ejusque notitiam eripuit, ut non habeamus, quæ de arcana morum doctrina dicenda ſint. Quod ad vulgarem doctrinam de moribus attinet, ea apud Aegyptios jejuna quoque fuit, & generalibus tantum notitiis, omnibus fere populis communibus conſtans. Eos enim, ut ex oratione defuncti ad Deos PORPHYRIVS [p] notat, divino atque cœleſti conſortio dignos judicarunt, qui Deos eos, quos ſibi parentes commonſtrarunt, pie coluerunt, quam diu in hoc ſeculo vixerunt; & illos, qui corpus eorum genuerunt, ſemper honoraverunt; aliorum hominum occiderunt neminem; neque eos depoſito defraudarunt, nec aliud quippiam inexpiabile malum admiſerunt. Addit: quæ edendo vel bibendo vel alio modo ventre peccavit, in ventrem culpam conjectam, eumque corpore exemtum in fluvium ideo projectum eſſe. His adjici poſſunt alia: exponere infantes, habitum nefas, [q] mulierem violare liberam graviter puni-

n) Conf. BVRNET. *Archæol. c. VIII. p. 380.*
o) Conf. MARSHAM. *Canon. chron. p. 480.*
p) *De abſtinent. l. VI. §. 10.*
q) PHILO *de legibus ſpecial. p. 794.*

punitum, ut & adulterium; [r] lege cautum, utramque manum præcidi illis, qui monetam adulterarent, aut nova pondera ſubſtituerent, aut ſigilla ſimularent, etiam ſcribis, qui falſas tabulas exararent, aut ementitas ſyngraphas obtruderent. Vt ſcilicet quisque ea corporis parte lueret, qua in legem peccaſſet, & damno irreparabili commonefactos alios ab ejusmodi facinore deterreret. [s] Quæ omnia, ſi quoque ita obſervata ſunt, ac relatum de Aegyptiis eſt Græcis ſcriptoribus, [t] communia tantum naturalis juris officia exhibent. Nec pauca ſunt, quæ maculam Aegyptiorum doctrinæ morali contrahunt: permiſſa licentia ducendi ſorores, ſive per alterutrum parentem, ſive per utrumque cognatas, majores pariter & minores æqualeſve; ne gemellis quidem exceptis. [u] Furta ſi non permiſſa, [x] certe levi pœna punita; quarta parte furi relicta ex furto, [z] & quæ his ſunt ſimilia. Ex quibus omnibus de tota Aegyptiorum ſapientia tantopere omni tempore jactata diſputatis, quam exigua ea fuerit, veroque philoſophiæ nomine indigna, antiquitatis præjudicio non impeditus facillime judicio colliget.

* *

CAPVT OCTAVVM
DE PHILOSOPHIA AETHIOPVM.

§. I.

Hiſtoria philoſophiæ Æthiopicæ obſcura & incerta.

Poſt Ægyptios circa meridiem contemplandi nobis occurrunt Æthiopes, vicini Ægypto, & ſi veteres quosdam audimus, ſapientiæ quoque ſtudio inclyti. Exigua tamen ut in genere regionum illarum, quæ Æthiopiæ atque Libyæ nomine comprehenduntur, hiſtoria eſt, deficientibus monumentis hiſtoricis fide dignis; [a] ita etiam de philoſophia Aethiopum pauca conſtant, eaque omnia ita comparata ſunt, ut non levem dubitationis cauſam excitent, an non omnia ea, quæ de Aethiopum philoſophis narrantur, conficta ſint, & in ingenio eorum, qui Apollonii Tyanenſis vitam conſarcinaverunt, nata? cujus ſuſpicionis cauſas ſatis graves poſtea enarrabimus. Accedit, paucas iſtas narrationes, a Græcis, quibus eas debemus, more ſuo vehementer confundi & miſceri cum Aegyptiacis, tum propter vicinitatem, tum propter inſtitutorum ſimilitudinem, tum propter uſum nominis. Notum enim eſt iis, qui veterum monumenta excuſſerunt, Aegyptum nominatum eſſe, quicquid terrarum, a Nili fontibus ad oſtia ejus jacet, [b] qua ratione & Aethiopes hoc nomine compre-

r) DIODORVS *l. I.* s) *Ibid.*
t) Conf. omnino WITSIVS *Ægyptiac. l. II. c. 6. p. 37. ſeqq.* u) PHILO *l. c.*
x) GELLIVS *l. XI. c. 18.*
z) DIODOR. *l. I. p. 50.*

a) Deficiunt ex DIODORI SICVLI hiſtoria illi libri, quibus res Æthiopum tetigit.
b) Vid. PHILOSTRATVS *vit. Apollon. l. III. c. 20. p. 110.* & quæ ad hunc locum notavit, doctiſſimus OLEARIVS,

prehenſi ſunt. Etſi enim utrique populo, more veterum, magna fuit de antiquitate controverſia, cum Aegyptii ſe primos mortalium affererent, e contrario Aethiopes contenderent, eos, qui ſub meridie habitant, primos a terra fuiſſe editos, quia ibi calor ſolis intenſior efficacius operatur ad naturalium generationem, ſi rationes tamen & auctoritatem veterum conſulas, Aegyptiorum coloniæ in Aethiopiam egreſſæ ſunt. Id quod magnus BOCHARTVS [c] ex ipſius MOSIS [a] teſtimonio probat, referentis, Miſraim, Aegypti conditorem genuiſſe Ludim, Aethiopas, additque: multa utrique genti fuiſſe communia, circumciſionem, [e] ſtudium circa ſepulchra plurimum, habitumque & ceremonias, [f] colorem nativum & criſpos capillos, [g] & ſimilia. Nec aliter veteres, qui non raro Aegyptum vocantes Aethiopiam intellexerunt, unde Aethiopes quoque *Aegyptini* vocantur apud FESTVM, id eſt, Aegyptiacæ originis. Certe Aethiopas qui ex Aegypto advenere *Automolas* vocari, teſtis eſt POMPONIVS MELA. [b] Et hæc ratio eſt, cur ſapientes Aethiopum Aegyptiorum γυμνοὶ vocentur, EVSEBIO [i] & PHILOSTRATO [k] quod male notat eruditiſſimus SCHEFFERVS, [l] non Gymnoſophiſtas, ſed philoſophos alios Aegyptiorum intelligi contendens, cum de nudis Aethiopum philoſophis laudatis auctoribus omnino ſermo ſit. Sunt tamen, quod hic non ἀτόπως obſervamus, qui Aethiopas Indorum coloniam putant, inter quos ex veteribus ſunt EVSEBIVS [m] & PHILOSTRATVS. [n] Inter fabulas vero eam traditionem recte reponit vir magnus, & de rerum Aethiopicarum hiſtoria meritiſſimus IOBVS LVDOLFVS [o] quam inde enatam putat, quod ab Arabibus audiviſſent Græci, Aethiopas a mari Indiæ, hoc eſt, rubri maris partibus Aethiopiæ proximis in ſedes iſtas veniſſe, quod verum ſit, de Abyſſinis. Nempe mare Indiæ cum fluvio Indo, ob magnitudinem, mare vocato, confudiſſe. Quæ obſervatio inde confirmatur, quod Indiæ populi longe veriſimilius credantur fuiſſe coloniæ Aegyptiorum quam quod ex India in meridiem populi deſcenderint, id quod ſupra jam obſervavimus. Quod ideo notandum eſt, ut de origine philoſophiæ Aethiopum accuratum judicium fieri queat.

Origines Æthiopicæ eruditionis & philoſophiæ.

§. II. Indis enim non coloniam tantum Aethiopum, ſed & ſapientiam originem debere, Iarchas Gymnoſophiſtarum apud Indos antiſtes Apollonio diſerte tradidit [p] narravitque, Athiopas Gangi regi obnoxios fuiſſe, poſtea vero, quam regem iſtum interfecerint, nec ceteris Indis puros fuiſſe habitos, neque terram iſtis, ut ſubſiſterent conceſſiſſe, inde coloniam exiiſſe. Fabulam vero eſſe, quam vel ipſe Apollonius incruſtavit, ut ſomniorum ſuorum & jactantiæ patrocinium inveniret, quod AENEAS GAZAE-

c) *Geogr. S. P. I. l. IV. c. 26. p. 307.*
d) *Geneſ. X, 13.*
e) HERODOTVS *l. II. c. 104.*
f) DIODORVS *l. III.*
g) STRABO *l. XVII.*
h) *De ſitu orbis l. III. c. 10.*
i) *Adv. Hieroclem. c. 31. p. 453.* ed. Olear.
k) *l. VI. c. 5. ſeqq.*
l) *De philoſ. Ital. c. IV. p. 17.*
m) *In chronico n. CCCCII.*
n) *Vit. Apoll. l. IV. c. 11. p. 246. c. 16. p. 254.*
o) *Comment. ad hiſtor. Æthiop. p. 63.*
p) PHILOSTRATVS *l. III. c. 20.*

GAZAEVS [q] ei objecit, vel PHILOSTRATVS, quique ei auctores fuere, vitæ Apollonii conſarcinandæ invenerunt, male cohærens, dignisque teſtimoniis deſtituta ſatis prodit narratio. Rectius illi, qui Aegyptios colóniarum in Aethiopia parentes faciunt, & cum illis Aegyptiaca quoque inſtituta atque eruditionem ad Aethiopas tranſiiſſe tradunt. Narrat enim DIODORVS, [r] *plurima utrique genti fuiſſe communia: reges pro Diis habere, ſtatuarum formas & literarum characteres, cœtum ſacerdotum ſimillimum habere ordinem apud utramque gentem. Pure ſe gerere omnes, qui ad Deorum cultum accedunt, & pariter tonderi, & ſimiles ferre tunicas, ejusdemque figuræ ſceptrum in aratri formam, quo etiam utuntur reges: & pileos oblongos &c.* Addi poſſent communes Dii Iupiter Hammon, Hercules, Pan, Iſis, Meroë referente PLINIO [s] & STRABONE, [t] niſi conſtaret, admodum confuſe & ſine accuratione verſatos fuiſſe Græcos & Romanos in deſcribendis numinibus peregrinis, nominibus Deorum ſuorum. Hoc certum eſt, pleraque tum religionis tum eruditionis capita Aethiopas cum Aegyptiis habuiſſe communia, & ſapientiæ antiſtites, æque ut in Aegypto ſacerdotes fuiſſe eandemque docendi methodum hieroglyphicam tenuiſſe. Vnde ſequitur, vel Aegyptios ab Aethiopibus eruditionis ſemina accepiſſe, id quod contendit LVCIANVS, [u] qui magnam huic genti ſapientiam tribuit, vel Aegyptiis illos ſapientiam debere, quod veriſimilitudini propius eſt, cum eruditionem Aegyptiorum antiquiſſimam & domeſticam fuiſſe, præcedenti capite demonſtratum ſit. Quisquis igitur ſapientiæ Aethiopicæ hiſtoriam noſſe cupit, ad Aegyptiacam attendat neceſſe eſt, in quibus magnam deprehendet convenientiam, quam ipſe Apollonius, vel potius vitæ & fabulæ ejus architecti, ſui immemores ipſi alicubi prodiderunt. [x]

Facies philoſophiæ Aethiopicæ, & quidem ratione philoſophorum.

§. III. Audiendi tamen hi homines ſunt, & cognoſcendum, quid de Aethiopum ſapientibus nobis narrent. Hos enim, etſi ſapientia ſuperentur ab Indis, ſuperare tamen eruditione Aegyptios contendunt. De his vero ita: [y] *habitare Gymnoſophiſtas, modicum aliquem collem, non longe a Nili ripis. Veſtitu vero eodem fere uti, quo apricantes Athenienſes. Arbores in illa præfectura perpaucas eſſe, lucumque non adeo magnum, in quo de rebus communibus acturi conveniant. Sacella vero non unum illis, ut Indis, ſed aliud in alia collis parte, atque ea omnino cura adornata, qua apud Aegyptios eſſe feruntur. Colere autem maxime Nilum, quem fluvium terram ſimul & aquam eſſe arbitrentur. Et tugurio quidem aut domo nihil indigere ſub dio degentes. Tantæ auctoritatis fuiſſe, ut homicidæ non niſi ab iis expiato in patriam reverti licuerit,* [z] *adverſus quos homines ſatis duri fuerint. Habuiſſe eos præfectum principemve, natu*

q) *In Theophraſto p. 23.*
r) *l. c.* s) *Lib. VI. c. 29.*
t) *Lib. XVII.*
u) *De Aſtrolog. T. III. p. m. 254. ſeq.*
x) *Lib. VI. c. 19.* ubi Apollonius Gymnoſophiſtas Æthiopum reprehendit, quòd Deorum ſimulacra ridicula & abſurda faciant. Id vero non Indicum ſed Ægyptiacum eſt.
y) *l. c. c. 6. 7. p. 235.*
z) *Ibid. c. 5. p. 234.*

inter eos maximum: [a] *egiſſe arbitros, inter viros prudentes;* [b] *ſacris tempus meridianum impendiſſe.* [c] Hæc PHILOSTRATVS, qui adeo contemtim de iis loquitur, ut ſatis appareat, qua fini totam iſtam diſſertationem inſtituerit, ſcilicet, ut heroi ſuo, cujus gratia fabulam inſtituit, auctoritatem conciliaret. Ita vero imprudens ſophiſtarum more, in omni illa oratione & deſcriptione veterum apud Aethiopas ſapientum verſatur, ut ſi non omnia ex nugaci ingenio fluxiſſe cenſenda ſint, certe pleraque ad inanem eloquentiam ſcholæ magis quam hiſtoriæ & veritati adaptatam oſtentandam, & ad incruſtandam jactantiam Platonicorum ex Apollonio heroëm ſibi fingentium, qui Ieſu Nazareno Chriſtianorum Deo poſſit opponi, ſcripta & conficta eſſe appareat; adeo nihil in tota orationis ſerie cohæret, & ita veriſimilitudinis leges in fingendo violatæ ſunt, ut fraus quoque palpetur manibus, & merito rideatur. [d] Fatemur itaque, parum nos omnibus iſtis relationibus tribuere, nec inde aliud poſſe colligi, niſi ſapientes Aethiopiæ, nudo fere corpore ob intenſiſſimum caloris æſtum vixiſſe, ſacerdotio more Aegyptiorum fuiſſe functos, peculiaria collegia aluiſſe; habuiſſe diſcipulos; magnaque auctoritate inter ſuos valuiſſe. Hæc enim ceteris quæ ab aliis auctoribus narrantur, conſona ſunt. Aſtrologiæ quoque operam poſuiſſe inque eo ſtudio excelluiſſe LVCIANVS [e] auctor eſt. Refert etiam LAERTIVS: [f] *Gymnoſophiſtas ac Druidas obſcure ac per ſententias philoſophatos eſſe; illos mortis quoque eſſe contemtores.* Quod, etſi non additum ſit, an de Indorum vel Aethiopum Gymnoſophiſtis intelligendum ſit, videtur tamen ænigmatica atque hieroglyphica docendi methodus, quæ a Laërtio tangitur, prodere, de Gymnoſophiſtis meridiei, id eſt, Aegypti ſive potius Aethiopiæ, eſſe intelligendum. Refert enim de Aethiopibus SEXTVS EMPIRICVS. [ff] Ichthyophagos inter eos defunctos in paludes abjicere, piſcibus eſcam futuros.

Ratione doctrinæ.

§. IV. Pluſcula, quam hæc ſunt, de Aethiopum quoque philoſophia haud extant, eaque, niſi fallimur, incerta & obſcura omnia, cujus cauſa partim in docendi ratione hieroglyphica ab Aegyptiis transſumta, partim in regionis ſitu pauciſſimis acceſſæ quærenda eſt. Et I. de Diis rebusque divinis ita ſtatuiſſe dicuntur, ut quidam, qui ad zonam torridam habitant, nonnullis exiſtimentur athei. Ita ſcilicet STRABO. [g] Non tamen hæc ita intelligenda ſunt, quaſi nullius numinis ſenſu tacti fuerint: ſed opponitur id moribus ceterorum Aethiopum, quos Deorum numina Aegyptiaco more ſub variis imaginibus coluiſſe, ſupra monuimus. [h] Et magis hæc nobis arridet conjectura, quæ G. I. VOSSIO [i] placuit, quam ea, quam ſuam fecit IO. ALB. FABRICIVS, [k] ideo atheos vocatos, quod *ſolem fuerint execrati, & dum oritur & dum occidit, ut ipſis agrisque peſtiferum,* refe-

De Diis.

a) *Ibid. c. 10. p. 238.* *b*) *Ibid. c. 13. p. 251.*
c) *Ibid. c. 14. p. 252.*
d) Tale illud eſt: arborem voce virginea juſſu Theſpeſionis Gymnoſophiſtæ Apollonium ſalutaſſe. *c. 10. p. 239.*
e) *l. c.* *f*) *l. I. ſ. 6.*
ff) *Pyrrh. Hypotyp. l. III. c. 24. ſ. 227. p. 184.*
g) *l. XVII. p. 779.*
h) Idem de Thebanis Ægyptiorum ſupra obſervavimus.
i) *De idololatria gent. l. I. c. 1. p. 6.*
k) *Bibliograph. antiq. c. 8. §. 3. p. 229.*

referente STRABONE. Videturque notitia de iis adeo manca & imperfecta fuiſſe, ut proprie, quid de Deo ſenſerint, peregrini cognoſcere non potuerint. Alios, refert idem STRABO, [l] *putare Deum eſſe unum immortalem, alterum mortalem, immortalem quidem eum, qui rerum omnium cauſa ſit, mortalem vero apud eos incertum eſſe, & nomine carere, ſed frequentius eos, a quibus beneficium acceperunt, & reges pro Diis habere.* Quo ſenſu vero hæc dicta voluerint, in tanta rei obſcuritate, dici quidem non poteſt, videtur tamen hæc theologia ab Aegyptiis accepta eſſe, qui & immortalem & mortales Deos coluerunt. Et fortaſſe Deus ille mortalis ille ipſe eſt, quem ſub Typhonis nomine Aegyptii reformidaverunt, principium mali, quod cum tandem a bono & immortali principio vincendum ſit, mortale omnino dici potuit. Quicquid vero illud eſt, hoc dubitari nequit, Aethiopas in colendis Diis fuiſſe religioſiſſimos, adeoque ab atheiſmo remotiores: unde HOMERO [m] Iupiter cum univerſis Diis eorum conviviis interfuiſſe dictus eſt:

Ζεῦς γὰρ ἐπ' Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.

Quod ſi Iudæis fides danda, magna Aethiopibus ſe exhibuit occaſio de Deo rebusque divinis magis ſobrie philoſophandi: Refert enim Artapanus apud EVSEBIVM: [n] Palmenothen Aegypti regem male erga Iudæos affectum, filiam ſuam ſuperioris Aegypti regi deſpondiſſe, eam ſterilem, Moſem Iudæum adoptaſſe, hunc optimis inſtitutis virili in ætate imperium fundaſſe; unde ei Aegyptii ſub Mercurii nomine divinos honores deſignaverint: Regem vero, Chenephrem virtuti Moſis invidentem bellatum miſſiſſe adverſus Aethiopes, tanquam in certiſſimum interitum; verum rem aliter cecidiſſe, gloriamque ex illo bello retuliſſe; terræ cultum per boves Nacheroti oſtendiſſe, immiſſoque ſicario interemto ad Arabiæ toparcham aufugiſſe. Similia habet IOSEPHVS, ex quibus GEORGIVS HORNIVS conjicit: eos a Moſe ſanioris ſapientiæ aliquid hauſiſſe. Verum hæc aperte Iudæorum ſomnia redolent, ſilentio ab ipſo viro ſancto in hiſtoria ſua prætermiſſa, adeoque etiam a nobis ſilentio prætereunda.

§. V. II. Poſt Deum de anima quoque philoſophatos eſſe PHILOSTRATVS [o] narrat, quod immortalis ſit: qua in re, ſi vera ſunt, quæ ille tradit, ab Ægyptiorum doctrina non diſceſſerunt. Vnde etiam transmigratio animarum eis placuiſſe dicitur PHILOSTRATO. [p] Qui quidem, ut hypotheſi inſerviat. Indum philoſophum afferentem inducit, dogma hoc accepiſſe Agyptios, vel Aethiopas ab Indis. Fruſtra tamen & contra veteris hiſtoriæ fidem, quæ Aegyptios ætate Indis præponit: niſi velis hæc intelligere de temporibus illis, quibus Aethiopes Aſiatici in Aegyptum irruerunt, & Sabacon Aethiops reges Aegypti pepulit. [q] Quo *De anima.*

l) *l. c. p. 822.* conf. STOBAEVS *Serm. 42.*
m) Ιλιαδ. α'.
n) *Præp. Ev. l. IX. c. 18. 23. 27.*
o) *l. c.*
p) *Lib. III. c. 19. p. 109.*
q) EVSEB. *in Chron. n. CCCCII.*

tamen tempore demum dogma iſtud in Aegypto invaluiſſe, nunquam probabitur. Vnde miramur acutiſſimum MARSHAMVM [r] nugaci & fabuloſo Philoſtrati teſtimonio uſum eſſe pro adſtruenda Aethiopum ex India origine. III. De natura quoque idem PHILOSTRATVS [s] refert, Gymnoſophiſtas Aethiopum philoſophatos eſſe, non multum a Platonicis in Timæo ſententiis diverſa. Verum & ea fides Philoſtrati incerta facit, licet veriſimile ſit, in delineanda rerum generatione eos veſtigia Aegyptiorum preſſiſſe. IV. Præcipue vero ob aſtrologiæ atque aſtronomiæ ſtudium inventum laudantur. Refert enim LVCIANVS. [t] *Primum Æthiopes hujus artis rationem mortalibus tradidiſſe: in cauſa vero fuiſſe partim gentis ejus ſapientiam, nam ceteris quoque in rebus Æthiopes reliquos homines ſapientia antecellere, partim regionis quam incolunt, opportunitatem; propterea quod apud eos perpetua ſit cœli ſerenitas, tranquillitasque; neque patiantur anni mutationes, ſed eadem temperie vivant. Itaque cum primum vidiſſent lunam non ſemper eodem vultu apparentem, ſed varia ſubinde ſpecie & in aliam atque aliam verti formam, viſam eſſe illis eam rem admiratione atque diſquiſitione dignam. Deinde cum inquiſiſſent, reperiſſe hanc eſſe earum rerum cauſam, quod lunæ non eſſet lumen proprium, ſed a ſole mutuatum. Inveniſſe autem & reliquarum ſtellarum motus, harum, quas nos errones appellamus, naturamque earum ac poteſtatem, & effectus quos unaquæque præſtet, nominibus quoque inditis, non illis utcunque viſum eſſet, confictis, ſed qua notæ rerum eſſent. Hæc in cœlo perſpexiſſe Aethiopes; mox Aegyptiis finitimis artem imperfectam tradidiſſe. Aegyptios vero diuinandi rationem, quam ab illis dimidiatam acceperant, in majus provexiſſe. Ac non multo poſt Libyos quoque hanc artem eſſe aggreſſos.* Parum tamen iſtis tribuit G. I. VOSSIVS, [u] quia tot ante Lucianum ſeculis aliter traditum fuit. Nobis fruſtra hæc diſputari videntur; cum probabile ſit, gentem non unam, ſed plures inter veteres obſervatorum ſuomet ingenio & induſtria ſiderum gloriam ſibi vindicare poſſe: adeoque neque Babylonios, neque Aegyptios, neque Aethiopes laude ſua eſſe privandos. Nam quod Voſſius regerit, non omni ex parte recte ſe habet. Veteres enim ante Lucianum Africæ incolis aſtronomiæ inventionem tribuiſſe, ea quæ de Atlante rege fabulæ narrant, luculenter evincunt. [x] V. Tandem & moralem philoſophiam ſapientes Aethiopum excoluiſſe dicuntur. Refert enim LAERTIVS [y] *eos per ænigmata atque ſymbola docuiſſe: colendos Deos nihil mali faciendum & exercendam fortitudinem; mortem quoque contemnendam eſſe.* Verum hæc ἐξωτερικῶς ab iis dicta ſunt, & ad populum: quæ inter ſe de rebus moralibus differuerint, ignota ſunt. Habet quidem PHILOSTRATVS [z] non inelegantem Theſpeſionis Gymnoſophiſtarum prin-

De natura.

De ſideribus.

De moribus.

r) *Canon. chron. Sec. XIII. p. 335.*
s) *Lib. VI. c. 22. p. 264.* t) *l. c.*
u) *De Scientiis mathemat. c. XXX. §. 15. p. 134.*
x) Ideo Æthiopibus Lucianum inventionem aſtronomiæ tribuiſſe jam notavit FABER. in *Lexic. v. Atlas.*
y) *Lib. I. ſ. 6.*
z) *Lib. VI. c. 10. p. 238. ſeq.*

principis orationem, in qua de philoſophia morum aliqua multa, eaque egregia occurrunt: Miraculorum aut artium magicarum oſtentatione nihil opus eſſe ad veritatem; frugalitatem eſſe magiſtram ſapientiæ & veritatis, philoſophiam inculcare, quod ſqualidum humi jacere oporteat, nudumque; id quod ex labore non veniat, neque carum neque jucundum putandum eſſe, jactantiæ faſtuique non indulgendum, a ſomniorum viſionibus abſtinendum, quæ e terra ſublatos extollunt &c. Verum ſi fatendum, quod res eſt, omnis ea oratio in ſchola Sophiſtæ efficta, calamiſtratam & affectatam Græcorum rhetorum artem adeo redolet, ut in teſtimonium adduci non mereatur.

§. VI. Ceterum Atlantem Libyæ populos ob inventionem culturamve ſcientiæ, quæ circa ſidera contemplanda verſatur, maxime celebres feciſſe, jam innuimus; qui cum cœleſtem hanc philoſophiam maxima induſtria excoluiſſe dicatur, inter Africæ primarios & celeberrimos philoſophos numeratus eſt. [a] Tanta vero Atlantis antiquitas eſt, ut, quando vixerit, incertiſſimi hæreant, qui Græcæ mythologiæ reconditos explorare ſenſus ſatagunt. Notat enim EVSEBIVS *in Chronicis*, Atlantem Promethei fratrem Aſtrologum, ob eruditionem diſciplinæ cœlum ſuſtinere dictum circa annum CCCLXXIX Abrahæ, ſecundum alios circa annum CCCCXXX. floruiſſe, quo pacto Ioſepho poſteriorem & Moſis temporibus ſupparem fuiſſe conſequitur. Addit tamen; alios dicere, fuiſſe ætate Cecropis, nonnullos ante Cecropem annis LX vel XC. quæ nec ipſa ſatis conſtant, cum Atlas Antæi pater fuiſſe dicatur, qui Herculi æqualis fuit, is vero multo poſterior Cecrope. Longe antiquiorem faciunt qui Atlantem cum Enocho eundem putant, eundemque parentem & inventorem ſideralis ſcientiæ faciunt. Id quod jam e veteribus factum eſt, EVSEBIVS [b] enim ex EVPOLEMONE *de Iudæis* refert: *Abrahamum, cum aſtronomiam & alias ſcientias doceret Heliopoli, affirmaſſe, Babylonios earum inventionem Ericho tribuiſſe, & illum Aſtrologiæ primum inventorem fuiſſe; Græcos Atlanti tribuere inventionem aſtrologiæ; eundem autem eſſe Atlantem cum Enocho.* Putatque eruditiſſimus BOCHARTVS; [c] factum forte inde eſſe, ut a Pœnis Atlas dictus ſit Duris vel Dyris, ab Arabibus Enoch Idris, cognata voce. Conceſſerunt in hanc ſententiam recentiores alii, & inter hos DRVSIVS. [d] Quod quidem propter rationes chronologicas rejicit VOSSIVS, [e] & LAMBECIVS, [f] non tamen ita rem ipſam refellentes, cum mythologiarum apud Græcos ſcriptores tempora maxime confuderint, varias perſonas miſcuerint, ſicque inſolubiles in explicandis fabulis nodos nexuerint, quod cum in Atlantis quoque fabula factum ſit, mirum non eſt, chronologiam hujus viri diffidere. Neque tamen Atlantem Henochum fuiſſe inde concludi poteſt. Quæcunque enim de Henocho mathematicarum diſciplinarum, imprimis vero aſtro-

Atlas.

a) AVGVSTIN. *de C. D. l. VIII. c. 9.*
b) *Lib. IX. Præp. evang. c. 4.*
c) *Geograph. S. P. I. l. II. c. 13. p. 101.*
d) Diſſ. *de Enocho* §. *XVII.*
e) *De ſcient. mathemat. c. 31. §. 19. p. 135. ſeqq.*
f) *Prodrom. hiſt. literar. p. 133.*

aſtrologiæ, inventore dicuntur, & recentioribus occaſionem dedere, eum cumMercurio quoque vel Oſiride, comparandi, [g] Arabum potiſſimum fabulis debentur, quæ parum fidei merentur. Et ſi exploratum eſſet, Enochum primum aſtrorum contemplationem homines docuiſſe, quod tamen præjudicium de patriarcharum eruditione profana & Græcis ſimili, quod ſupra jugulavimus, ſupponit; non tamen hoc, recte judicante B. FABRICIO, [h] impedit, quo minus apud Phryges poſtea Cannacus & apud Mauritanos Atlas idem facere, atque hic exinde merere potuerit, ut cœlum humeris ferre diceretur. Non errabimus itaque, ſi Atlantem ab aliis in ſideralí ſcientia celebribus viris diſtinguimus. Fabulam vero de Alante Promethei fratre ac filio Iapeti, qui uxorem Plejonem Oceani filiam habuit, ſeptemque ex ea filias ſuſcepit, a Iove, ut contra inſidias Orionis tutæ eſſent, inter ſidera receptas, Plejades hodie quoque cognominatas, quique ob denegatum hoſpitium obverſo Meduſæ capite in montem hujus nominis mutatus obriguit, prolixe hic enarrare, inſtituti noſtri non eſt, conſulendique mythologiæ Græcæ ſcriptores, & in his, qui diligenter res Atlantis collegit NATALIS COMES. [i] Illud modo de hac fabula monemus, videri omnino veriſimile, fuiſſe inter Libycos populos, rudes alios & adeo feros, [k] ut nulla arte miteſcere potuerint, regem Atlantem ad confinia maris litora late regnantem, qui in excelſis Mauritaniæ montibus, qui hodienum Atlantis nomen gerunt, & adeo excelſi ſunt, ut de iis cecinerit VIRGILIVS: [l]

Oceani finem juxta, ſolemque cadentem
Vltimus Aethiopum locus eſt, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum:

ſideribus obſervandis vacaverit, filiasque forte habuerit, eidem ſtudio innutritas. Atlanti enim aſtrorum ſcientiam inventam & excultam Græci & Latini conſtanter tribuunt, ut videre eſt ex Phrygum theologia apud EVSEBIVM [m] & VIRGILIVM, [n] qui eleganter:

- - Cithara crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit, quæ maximus Atlas,
Hic canit errantem lunam, ſolisque labores,
Vnde hominum genus & pecudes unde imber & ignes.

Et probabile quoque eſt, ob inſignem, prout in tam rudi populo & naſcentis artis rudimentis facile eſſe licuit, peritiam, dictum fuiſſe bajulum cœli, quod cœlum quaſi fulcro ſuſtineat, unde & in architectonica arte telamonum nomen ortum conjicit VOSSIVS: [o] etſi hæc omnia a monte Atlante potuerint derivari. Nec adeo improbabile, Atlantem, Plejadibus in navigationibus maxime attendi ſolitis a ſe primum obſervatis filiarum nomen indidiſſe, quas poſtea Græci amplius ſapere volentes, in rationes aſtromomicas mutaverunt. Sed in re incerta conjecturarum ſatis eſt.

g) KIRCHER. *Oedip. T. I. p. 67.*
h) *Cod. Pſeudepigr. V. T. T. I. p. 217. ſeqq.*
i) *Mytholog. l. IV. c. 7. p. 329. ſeqq.*
k) STRABO *l. XVII.*
l) *Aeneid. l. IV.*
m) *De præpar. l. III. c. 2.*
n) *Aeneid. l. I.*
o) *l. c. §. 18. p. 435.*

CAPVT

CAPVT NONVM.

DE PHILOSOPHIA CELTARVM, SIVE GALLORVM, BRITANNORVM, GERMANORVM ET SEPTENTRIONALIVM GENTIVM.

§. I.

Ordo tractationis.

Perluſtratis Aſiæ atque Africæ regionibus atque populis, & explorato eo philoſophiæ genere, quod iis tribui plerumque ſolet, in Europam tandem pedem promovemus, exploraturi, quæ antiquiſſimis, qui Europam inhabitaverunt, populis placuerit, ſapientia, quæ eruditionis rerumque ad Deum, naturam rerum, atque homines pertinentium, notitiæ facies, qui ſapientiæ antiſtites fuerint. In hac vero nobiliſſima mundi parte præter Romanos alienigenas, Græcosque, de quibus poſtea dicendum, Celtarum gens plerasque terras occupavit, & ab extremis ſeptentrionis angulis ad occidentem verſus colonias emiſit, iisdem fere vitæ inſtitutis, & religionis quoque haud diſpari facie notabiles. Vnde Celtarum nomine non Scythiæ tantum populi, quidam, quique ad Danubium & in Pannonia habitaverunt, ſed Germani quoque, Galli, Britannique, immo & Hiſpaniæ populi comprehendi ſolent. [a] Qui tamen, poſtquam in peculiares nationes regionibus occupatis diſtincti fuerunt, inſtitutis quoque magis facti ſunt diſſimilis.[b] Vt igitur ordini conſulamus, hoc quidem capite Britannorum, Gallorum atque Germanorum, iisque ad ſeptentrionem vicinas nationes, ſimilitudine eruditionis inter ſe magis junctas contemplabimur, in ſequentibus de populis magis ſub ſeptentrione ſitis acturi.

Incertitudo hiſtoriæ philoſ. Celtarum.

§. II. Tantis vero difficultatibus & inſuperabili fere obſcuritate & incertitudine laborat Celtarum hiſtoria, ut, quid inde certi & ſupra exiguum veriſimilitudinis gradum ex noſtra tractatione promittere queamus, non habeamus: quæ malumus modeſte fateri, quam incertas more ſolenni conjecturas pro certis veritatibus lectori obtrudere. Nec miranda quoque eſt hæc obſcuritas atque incertitudo, rebus vetuſtiſſimorum horum populorum adeo a noſtris & Romanorum quoque temporibus remotis, ut non levis inde difficultas exoriatur, vel a noſtris moribus vel a Romanorum teſtimoniis notitiam certam hauriendi. Non conſuli poſſunt, quod tamen ad certam rerum Celticarum notitiam & pernoſcendam gentis hiſtoriam ſacram & literariam quam maxime requiritur, monumenta gentis ampliſſi-

ma

a) Vid. RVDBECK. *atlant. p. 62. Bibl. Germanique T. XXVII. p. 34.* & quæ docte ibi hac de re monentur. Græci tamen Celtarum nomine Gallos tantum Germanos & Britannos intelligunt.

b) Celtas Germanos quoque atque Britannos veteribus Græcis ſignificaſſe MENAGIVS *ad* LAERT. *l. I. ſ. 3.* ex veteribus recte notavit. Conf. DIO CASSIVS *l. XXXIX.* quique de Celtarum philoſophia egerunt.

ma domeſtica, quæ non tam temporis injuria, ut apud alias gentes factum, nobis eripuit, quam populorum horum ſtudium ſua celandi invidit. Non inventus enim inter Gallorum Germanorumque eruditos, qui gentis ſuæ hiſtoriam, inſtituta & opiniones ſcripto conſignaret, cum omnia ita celaverint, ut ſcribendi res ſuas conſilium omni, qua poterant, arte ſupprimerent. Refertque, qui Gallorum eruditos ipſe vidit IVLIVS CAESAR [c], *apud eos non fas eſſe, res & doctrinas ſuas literis mandare, cum in reliquis fere rebus publicis privatisque rationibus Græcis literis utantur*: id quod de temporibus ſuis Cæſar intellexit, cum in antiquioribus nullum artis ſcribendi uſum habuerint. Additque, *id ſibi duabus de cauſis inſtituiſſe videri; quod neque in vulgus diſciplinam efferre velint, neque eos, qui diſcunt, literis confiſos minus memoriæ ſtudere.* Forte id omne ad gentium harum indolem referendum eſt, quæ cum armis tantum ſtuderent, ſcribendi artem parum ad vitæ ſuæ inſtituta facientem neglexerunt. Galli enim literas pingendique artem teſte STRABONE [d] circa annum demum ab V. C. 165. a colonia Græcorum Maſſilienſi didicerunt. Multo vero ſerius hanc artem acceperunt Germani, qui TACITI [e] tempore *literarum ſecreta viri pariter atque fœminæ ignorarunt;* quod licet de literis amatoriis forte intelligendum viris doctis largiamur, ignotum tamen ſimul literarum in ſcribendo uſum involvit. Nec enim literis atque annalibus rerum a majoribus geſtarum memoriam conſervaverunt, ſed Bardorum carminibus, quibus geſta majorum fortia celebrarunt. [f] Cum itaque non hiſtoriam tantum gentis, ſed & doctrinam ſapientum memoria tantum tenuerint, facile, quam parum ad exterorum aures pervenerit, inde colligi poteſt. Nec veriſimile, illos, qui memoriæ mandarunt doctrinas a ſapientibus acceptas, Latinis Græcisque eas narraviſſe, cum ſacrum ſilentium omnibus injunxerint, maledictionibus ſine dubio & malis ominibus ſuperſtitioni, ut ſileret, imperantes. Ex his jam judicandum eſt, quid de iſtis monumentis Græcorum & Latinorum tenendum atque judicandum ſit, quorum teſtimoniis in deſcribendis Celtarum rebus atque philoſophia ſtandum eſt. Illi enim, qui nobis res eorum, præcipue quæ religionem & eruditionem concernebant, narrarunt, incertis tantum rumoribus uſi, militum, qui cum iis bella geſſerunt, vel ad fines cum illis converſati ſunt, vagis traditionibus narrationes ſuas plerasque ſuperſtruxerunt, nec niſi vulgaria & communia cognoverunt. Ipſe Iulius Cæſar, etſi Gallorum victor, & curioſus rerum inter populos victos explorator, de dogmatibus Gallorum pauca & præter exoterica quædam, fere nihil comperit, & quod in commentaria ſua referat, habuit. Mirandum itaque non eſt, eos, qui ex Græcis & Latinis de rebus, dogmatibus, moribusque Gallorum Germanorumque ſcripſerunt, aniles fabulas & nugaciſſima commenta pro veritatibus exploratis venditaſſe. Cujus rei fidem facient, quæ SOLINVS, [g] PLI-

c) *De bello Gallico l. VI. c. 13.*
d) *Lib. IV. p. 181.*
e) *De Morib. Germ. c. 19.*
f) STRABO *l. c. p. 190.* ATHENAEVS *l. VI. p. 154.*
g) *Cap. XXV.*

PLINIVS [h] POMPONIVS MELA, [i] GELLIVS [k] ex Latinis, HERODOTVS, [l] atque STRABO [m] ex Græcis de Celtis fabulas retulerunt, quas concinne & luculenter comprehendit vir doctiſſimus, qui *de Celtis* eruditam epiſtolam Ephimeridibus *Bibliothecam Germanicam* exhibentibus inſeruit, [n] dignus, qui legatur. Immo ipſi Cæſari id eveniſſe, ut vagis & incredibilibus rumoribus deceptus fabulas commentariis ſuis interſereret, [o] merito mirandum. Accedit his omnibus, populos Celtarum, qui præter Gallos, Germanos atque Britannos, Thraces quoque Baſtarnas, Getas, Dacos, Illyrios, Ligures, aliasque Scythiæ nationes comprehenderunt, & initio unam linguam, eosdem mores, unam religionem habuerunt, poſtea, invicem diſſenſiſſe, & in varios mores atque opiniones abiiſſe, ex quo cum vicinis gentibus vel bellis vel negotiis mixti, earum conſuetudinibus ac opinionibus ex parte ſe attemperaverunt. Id quod vel uno Gallorum atque Germanorum exemplo probari poteſt, qui Cæſaris Tacitique temporibus valde inter ſe differebant, Gallis a Græcis cultiorem vitæ morumque habitum accipientibus. *A Græcis enim Maſſilienſibus Gallos & uſum vitæ cultioris, depoſita & manſuefacta barbarie, & agrorum cultus, & urbes mœnibus cingere didiciſſe: tunc & legibus, non armis vivere, tunc & vitem putare, tunc olivam ſerere conſueviſſe, adeoque magnum & hominibus & rebus impoſitum fuiſſe nitorem, ut non Græcia in Galliam emigraſſe, ſed Gallia in Græciam translata videretur*, IVSTINVS [p] ex Trogo refert. Ita vero non parum res, doctrinæ, opiniones Celtarum mutatæ ſunt, & recentiora illa tantum Græcis & Latinis innotuerunt, unde non poteſt non maxima vetuſtiorem Celtarum hiſtoriam caligo premere. In qua ſi incedere non licet, palpandum nobis eſt, & cum cura examinandi teſtes, nec aliter illis danda fides, quam prout criticæ hiſtoricæ fidei regulæ patiuntur. Quod ſi feciſſent, qui de rebus Celtarum, Gallorum Germanorumque atque Scytharum ſcripſerunt, vel qui eruditam quoque Celtarum hiſtoriam enarraverunt, [q] tot fabulis, totque incertis narrationibus de majoribus noſtris non premeretur hiſtoria gentium harum. Verum neglecto critico examine, veritas quoque neglecta eſt ſæpiuſcule, nec ii quoque, qui antiquitates veteres, Latinas, Hetruſcas, Gallicasque ad illuſtrandam Gallorum veterum religionem attulere, inoffenſo pede & ſine lapſu inceſſerunt. [r] Optandum itaque eſt, ut, qui cautam & ad artis criticæ regulas exactam Celtarum hiſtoriam nobis promiſit, [s] eruditiſſimus, PELLOVTIERIVS, quem honoris & amicitiæ cauſa nominamus, nobis tandem, quæ diu doctiſſime collegit & digeſſit, liberaliter exhibeat.

h) *Lib. VI. c. 17. l. VII. c. 2. l. IV. c. 12.*
i) *Lib. II. c. 1. 2. l. III. c. 3.*
k) *Lib. IX. c. 4.*
l) *Lib. I. c. 216. l. IV. c. 26.*
m) *Lib. IV. p. 198. 200. l. VII. p. 298. l. XI. p. 513.*
n) *Tom. XXVII. p. 38. ſeqq.*
o) Vid. *l. VI. c. 26. ſeqq.*
p) *Lib. XLIII. c. 4.*
q) Enarrantur in *Collectaneis criticis hiſtoriæ Germanicæ linguæ inſervientibus vol. I. p. 323. ſeqq.* adjici vero poſſunt, quos laudavimus in *ſupplementis ad hiſt. phil. Germanico idiomate editam p. 95.*
r) Iudicium hoc valet de erudito MARTINII opere *de la religion des Gaulois.*
s) Vid. *Bibliotheque Germanique T. XXIX. pag. 236.*

Celtæ eruditos habuere.

§. III. Tentabimus tamen, an vadum invenire queamus, quo consistere,& aliquid, quod veritatis studioso aliquo modo faciat satis, detegere nobis liceat. Nam barbararum quidem gentium instituta & doctrinam quærimus, quæ scientiis & artibus neglectis,[t] in bellandi & venandi exercitio maximam partem consenuerunt: judicio tamen sensuque, præsertim circa res morales, usi sunt egregio, præferendi in multis nugantibus Græcis & Latinis. Nec adeo ab eruditione imparati fuere, ut non sui generis & modi sapientes aluerint, scholas instituerint, atque eruditionem Celticam propagaverint, licet alia ea facie enituerit, quam Græca atque Romana. Sapientium enim virorum, qui religioni, moribusque populi præfuerunt, & eruditionis inter has gentes cultæ promicondi fuerunt collegia inter Gallos, Britannos & Germanos fuisse, Græci & Romani, qui eos viderunt, rerumque harum gentium curiosi circumstantias eorum exploraverunt, testantur.[u] Qui licet diversam a Græcis & Romanis sapientiam excoluerint, digni tamen sunt, qui amplius considerentur, & quæ ratio eruditionis, morum, atque doctrinæ horum hominum fuerit, exploretur. Modo nos hic philosophiam proprie dictam non venari, accurate teneatur.

Druidæ Celtarum philosophi, vel potius, eruditi.

§. IV. Vocantur vero, Gallorum, Britannorum atque Germanorum eruditi Druidæ, nomine quidem famoso, sed incertæ dubiæque originis. Alii enim a quercu, Græcis δρῦς nominata, deducunt,[x] incommoda & improbabili etymologiæ ratione, ex aliena lingua derivatæ; alii a Saxonico Dry, vel Germanico substantivo Druhtin,[y] quod Dominum notat, sic ut virum divini cultus supremique Domini studiosum indicet, deductum nomen cupiunt. Quæ omnia sunt incertissima, illa tamen præ reliquis se commendat opinio, quæ Druidarum nomen ab antiquissimo apud Celtas & Britannos vocabulo, Deru, quod quercum denotat, derivatum contendit.[z] Ad querceta enim Gallorum atque Germanorum Druidas conventus sacros habuisse, roboraque tanquam sacra & divina coluisse, veteres uno ore testantur. Vetustissimum vero inter Celtas omnes Druidarum institutum ordinemque fuisse, veterum testimoniis, qui eorum, tanquam rei vetustissimæ meminerunt, evincitur: inter quæ maxime notabile est Aristotelis & Sotionis apud DIOGENEM LAERTIVM,[a] quod Celtarum atque Galatarum Druidas Persarum Magis, Babyloniorum Chaldæis, Indorumque Gymnosophistis jungit. Cum enim Celtarum gens antiquissima fuerit, dubium non est, quin semper sacerdotes atque eruditos inter se habuerint: Ex quo vero Celtarum populo originem duxerint, difficile dictu putamus, cum monumenta nobis horum populorum desint. Quod si tamen conjecturis

Nomen unde?

Antiquitas.

t) Conf. CHR. CELLARIVS diss. *de initiis cultioris Germaniæ §. XVIII. seqq. p. 14. seqq.* & quæ erudite dixit ven. PELLOVTIERIVS *Lettre II. sur les Celtes Bibl. Germ. T. XXIX. art. 13. p. 206. sqq.*

u) IVLIVS CAESAR, TACITVS, STRABO, alii.

x) PLINIVS *l. XVI. c. 44.* conf. quos laudat ven. WOLF. *ad* PSEVDO-ORIGENES *philosophum. p. 169.*

y) Vid. PALTENIVS in SCHILTERI *Glossario Teut. p. 212.*

z) DICKINSON. *Delph. phœnicisſ. p. 188.* MARTIN. *l. c. T. I. p. 176.* quanquam, si audiendus est cl. KEYSLERVS *Antiq. sel. Sept. & Celt. p. 37.* Hiberni dicant Draoithe, magum, incantatorem; unde vocem formatam esse V. C. contendit.

a) *Lib. I. s. 2.* conf. ORIGEN. *adv. Celsum. l. I. p. 14.*

cturis locus eſt, Germanos a Gallis Britannisque diſtinguendos putamus. Ex ſeptentrione enim cum verſus occidentem Celtarum nationes colonias dimiſerint, Germani ante Gallos obtinuiſſe merito creduntur. Qui cum ſemper ſacerdotes ſuos eruditosque habuerint, illi cum Gallorum atque Britannorum eruditis non confundendi ſunt. Verum de his poſtea agendum erit. De Gallorum vero atque Britannorum Druidis, qui priores fuerint, & alterius gentis eruditis originem præſtiterint, quæſtionem a viris doctis diverſis ſententiis agitatam dirimere non audemus. Pro Britannis enim diſertum ſtat teſtimonium CAESARIS [b] afferentis: *Diſciplinam in Britannia repertam atque inde in Galliam translatam eſſe exiſtimari, & nunc, qui diligentius eam rem cognoſcere velint, plerumque illo, diſcendi cauſa proficiſci.* Huic teſtimonio ſuffultæ variæ narratiunculæ de fundatore & ſucceſſione Druidum apud Britannos, quas cum inſtitutum noſtrum excedant, recenſere ſuperſedemus. [c] Et hoc potiſſimum fundamento nixi viri doctiſſimi inter Anglos multa de Britannorum Druidibus, in inſula Mona ſedem primariam habentibus diſſeruerunt, [d] quæ curatius excutere hujus loci non eſt. Pro Gallis vero TACITVS, [e] Britannos ex Galliis derivans & PLINIVS [f] faciunt. Quam utramque ſententiam ita conciliare conatur IACOBVS MARTINVS, [ff] ut ſtatuat, Druidarum inſtitutum cum Gallorum colonia in Britanniam quidem transmigraviſſe, obſoletum tamen multis mutationibus inter Gallos, ex Britannorum, ubi purum ſervatum erat, moribus inter eos fuiſſe reparatum. Quæ omnia meras conjecturas, exigua probabilitate nixas ſapiunt, nec certiora quoque expectanda, immo ne poſtulanda quidem ſunt, cum Britannorum origines incompertas eſſe, candide jam faſſus ſit TACITVS. [g] Ante Cæſarem enim nihil de Britannorum rebus innotuit, novusque is orbis quaſi viſus eſt. [h] Vidit tamen conjectura aliquid TACITVS, qui Germanicam originem ex corporis habitu concludit; nam a ſeptentrione progreſſos eſſe omnes illas gentes iis notum eſt, qui gentium origines ſcrutati ſunt. Vnde, ſi quid in re obſcuriſſima & incertiſſima conjiciendum eſt, veriſimile videtur, ex una potiſſimum origine & Germanorum & Britannorum & Gallorum Druidas fluxiſſe, & unamquamque harum gentium peculiares ſuos eruditos ſacerdotesque habuiſſe, inſtituto eorum a majoribus, quibus originem debebant, accepto. Certe qui Cæſaris teſtimonio militant, non expendunt, vagum rumorem incertamque famam atque traditionem apud ipſum imperatorem diſerte innui, qui diſciplinam ait Druidarum in Britannia repertam exiſtimari. Facile tamen largimur, Britannos hac in re nihil a Gallis accepiſſe, cum ad Iulii Cæſaris tem-

b) *Lib. VI. c. 14.*

c) Conſulendus, qui erudite & copioſe *de Druidis* diſſeruit cl. IO. GEORGIVS FRICKIVS pec differt. *Vlmæ 1731. 4.* edita: qui copioſe ſcriptores enumerat.

d) IO. SELDENVS in *Analectis Anglo-Britann. Opp. vol. II. T. II. p. 861. ſeqq.* IO. TOLANDVS Spec. crit. *de religione atque eruditione Celtarum*; HENR. ROWLANDS *de antiquit. nat. & hiſt. inſulæ Angleſegæ ſ. Monæ priſcæ ſedis Druidarum* vid. *A. E. T. IX. ſuppl. p. 412. ſeqq.*

e) In *Agricola c. XI.*

f) *Lib. XXX. c. 1.*

ff) *l. c. T. I. p. 12.*

g) *l. c.*

h) FLORVS *l. III. c. 10.*

An ex Pythagoræ disciplina.

tempora sibi solis vixerint. Quicquid vero illud est, quod de origine Druidarum ancipiti alea disceptatur, illi certe turpiter falluntur, qui a Pythagora Druidarum institutum derivant. Quod e veteribus DIODORO SICVLO, [i] AMMIANO MARCELLINO, [k] VALERIO MAXIMO, [l] PSEVDORIGENI [m] placuit, quos magnus recentiorum numerus secutus est, [n] qui si ætatem Pythagoræ expendissent, & cogitavissent, non sufficere levem aliquam hujus vel illius doctrinæ concordiam & similitudinem ad probandam unius ab altera originem, antiquissimum Druidum institutum non ad multum recentiora Pythagoræ tempora retulissent: ut taceamus, dogma illud de animarum migratione, & arcanam disciplinam, quorum utrumque apud Druidas viguit, & aliis quoque gentibus in usu fuisse, & longe abesse a placitis Pythagoreis. Forte addent alii, probabilius videri, quod ex Alexandro Polyhistore CLEMENS ALEXANDRINVS [o] refert: Pythagoram Gallos potius audivisse, & Druidarum discipulum fuisse, quod & BVRNETIO, [p] placuit. Nobis id probabile non est, cum ex Cæsare discamus, Druidas exteros in disciplinam non admisisse, sed arcanam suis servavisse; & ipsa opinio ex falso intellecta Druidarum hypothesi tantum orta sit. Sed de hac re suo loco dicetur ex instituto.

Druidum munus & auctoritas.

§. V. Quale vero munus, quæ auctoritas, quæ docendi ratio & quæ his sunt similia, apud Druidas viguerint, nemo luculentius explicuit, majoremque etiam ob enatam res has cognoscendi occasionem, spectatamque veritatem & dexteritatem, fidem meruit, quam IVLIVS CAESAR, [q] quem ipsum loquentem lectori exhibere, quam nostris verbis ejus narrationem referre, malumus. Ita vero disertissimus imperator: *Druidæ rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur: ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit: magnoque ii sunt apud eos honore. Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt, & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hereditate, de finibus controversia est, iidem decernunt, præmia pœnasque constituunt; [r] si quis aut privatus aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima; quibus ita est interdictum, ii numero impiorum atque sceleratorum habentur; iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus præest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit; at, si sunt plures partes, suffragio Druidum adlegitur: nonnunquam etiam*

i) *Lib. V.* *k*) *Lib. XV. c. 9.*
l) *Lib. II. c. 6.*
m) *Philosophum. c. XXV. p. 170.*
n) Nominatos lege apud WOLFIVM *ad l. c. Orig.* & imprimis apud doctissimum FRICKIVM *l. c.* §. *15. p. 18.*
o) *Stromat. l. I. p. 304.*
p) *Archæol. philos. p. 341.* MARTINVS ita quoque *l. c. p. 184.* & FRICKIVS *l. c.*
q) *De B. G. l. VI. c. 13. 14.*
r) Paria fere habet STRABO *l. IV. p. 302.* qui cum Cæsare conferendus.

iam de principatu armis contendunt. Ii certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, conſidunt, in loco conſecrato. Huc omnes undique, qui controverſias habent, conveniunt, eorumque judiciis decretisque parent. Druides a bello abeſſe conſueverunt, neque tributa una cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis & ſua ſponte multi in diſciplinam conveniunt, & a propinquis parentibusque mittuntur. Magnum ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur: itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent; neque fas eſſe exiſtimant, ea literis mandare, quum in reliquis fere rebus publicis privatisque rationibus (Græcis) literis utantur. Hæc de Gallorum Druidibus Cæſar, fide omnino dignus, qui hos homines ipſe vidit & convenit, ſubacta victoriis Gallia. Non addimus, quæ de Germanorum Druidibus alii ſcriptores referunt, quoniam diſtinguendos eos ſuo modo putamus, de iis poſtea dicturi. Id potius lectori expendendum commendamus, eadem fere, quæ apud barbaras hactenus gentes de ſacerdotibus eorum arcanisque hujus hominum generis obſervavimus, apud Druidas quoque reperiri. Auctoritas maxima, atque tanta, ut de eo quod jus atque fas ſit, ſoli judicare potuerint; controverſiis arbitri adhibiti, decreta & judicia tanquam divina habita, præmia pœnæque ex eorum arbitrio conſtitutæ, adeoque totius reipublicæ forma, ſi bellum excipis, ab iis gubernata. Ad hæc ſacrificia ab illis peracta, & publica & privata, diſcipulorum animi diſciplina arcana innutriti, eruditio omnis iis ſolis ſervata: fas jusque interpretandi religiones penes eos ſolos. Quis non hic ſacerdotum artificia ad imperii arcana attemperata & artificioſe adhibita, manibus palpet? Finge ducem gentis vel imperatorem, ad horum hominum nutum conſilia ſua non formantem; an non is & ſacrificiis interdictis, & religionum ſuperſtitioſa malisque ominibus mentem plebis excitante interpretatione, & irarum Deorum comminatione, & diſcipulorum quorum animis imperabant, rebellione ab his hominibus ſuperabitur? Vnde non inviti in hanc deſcendimus ſententiam, Druides magnos potius fuiſſe impoſtores, quam philoſophos, qui dum omnem reliquam gentis ſuæ turbam ſub ignorantiæ jugo artibus ſuis continuerunt, ſuo honori, exiſtimationi, commodoque unice litaverunt.[s] Torquibus enim auratis veſtitos fuiſſe, magnaque ſuperbia animum corpusque extuliſſe veteres[t] referunt, teſtanturque, hac via ad ſummam inter Gallos dignitatem & exiſtimationem perveniſſe. Quæ ut veræ philoſophiæ characteribus e diametro ſunt contraria, ita, quid de eorum philoſophia in genere judicandum ſit, produnt. Verum de eo poſtea uberius, ubi de methodo, dogmatibus & philoſophia Druidum dicendum erit. Ceterum hoc addendum quoque eſt, non viros tantum, ſed & feminas habuiſſe,

Pſeudo-philoſophi.

s) In alia omnia abit MARTINVS *l. c. T. I. p. 182.* & cl. FRICKIVS *l. c. p. 29.* Miramur tamen viros doctos magnifice de philoſophia Druidum ſentire potuiſſe, quæ tamen, qualis fuerit ignoratur.

t) STRABO *l. IV. p. 302.* imagines Druidum ex operibus anaglyphis ex agris erutis depingit MARTINVS *l. c. T. I. p. 212, 217.* & ex eo cl. FRICKIVS *l. c. p. 25.*

buiſſe, diſciplinæ ſuæ ſocias, quæ vaticinandi potiſſimum & diris devovendi [u] arte inclaruerunt.

Druidum claſſes.

§. VI. Non unius tamen generis Druides fuere, ſi Græcos porro & Latinos audimus, ſed in tres claſſes inter ſe diviſi ſunt, quos ita deſcribit AMMIANVS MARCELLINVS: [w] *Studia laudabilium doctrinarum inchoata per Bardos & Eubages, & Druidas. Et Bardi quidem fortia virorum illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt: Eubages vero ſcrutantes ſumma & ſublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos Druidæ ingeniis celſiores, ut auctoritas Pythagoræ decrevit, ſodalitiis adſtricti conſortiis, quæſtionibus occultarum rerum altarumque erecti ſunt, & deſpectantes humana pronuntiarunt animos immortales.* Eadem fere habet STRABO, [x] qui trium quoque harum claſſium meminit, quos vero Ammianus Eubages vocat, Vates nominat, ſacrificiorumque & cultus divini curam iis commiſſam fuiſſe, & cauſas naturales curæ habuiſſe narrat. Vnum enim nomen eſſe, quod Romanorum forte pronunciatione corruptum fuit, recte conjicit CLVVERIVS [y] Druidæ vero univerſæ eruditionis Celticæ promicondi habiti ſunt. Videnturque hæ Gallorum eruditorum claſſes, quadam ſubordinatione ſibi invicem ſucceſſiſſe, ut Bardi infimo eruditionis generi dediti, Vates ſacrificiis & divinationibus ex rebus naturalibus [z] (quod DIODORVS [a] aſſerit, & verba Ammiani volunt) præfecti, Druidæ vero gubernandis totius gentis conciliis, adminiſtrandæ juſtitiæ, erudiendæ juventuti, arcanisque imperii moderandis deſtinati fuiſſe videantur. Ex quibus patet, Druidum nomen mox generale fuiſſe, omnemque eruditorum inter Gallos atque ceteros Celtas ordinem fuiſſe complexum, mox vero ſpeciali ſignificatione peculiarem claſſem indicaviſſe. Præter hos Semnotheorum meminit DIOGENES LAERTIVS, [b] quod nomen tamen apud alios ſcriptores non invenitur, niſi quod Indorum Brachmanes, uti ſupra innuimus, Semni quoque CLEMENTI ALEXANDRINO dicti ſint. Vnde conjecerunt viri docti, & in his IO. GALESIVS in erudita obſervatione ad Laërtii locum, [c] vocem corruptam eſſe a librariis, textum Laërtii non intelligentibus, poſitumque Semnotheorum nomen loco Samnitarum. Memorari enim apud STRABONEM [d] mulieres Samnitas, ſapientiæ nomine celebres, & Baccho ſacras, quæ in inſula Galliæ vicina apud Deum ſacrificiis aliisque cultus divini ceremoniis expient homines. Audacior tamen hæc videtur obſervatio, quamvis eruditione & ingenio non deſtituta; tum quod mulieres ſacrificia curantes Druidum choris immiſcet,

u) Legenda, quæ de inſula Mona a Romanis oppugnata & Druidarum diris defenſa habet TACITVS *Annal. l. XIV. c. 30.* qui recte fanaticum agmen vocat. conf. LAMPRIDIVS in *Alexandro p. m. 324.*

w) *Lib. XV. c. 9.*

x) *loc. cit.*

y) *German. antiq. p. 163.*

z) Morum cenſores fuiſſe notat MARTIN. *l. c. p. 173. ſeq.*

a) *Lib. V. Sunt vates magnæ apud eos exiſtimationis; hi ab auſpiciis & victimarum extis de futuris prædicunt, omnemque plebem dicto audientem habent.*

b) *Lib. I. ſ. 2.*

c) Eam MENAGIVS *ſuo comm.* inſeruit.

d) *loc. cit.*

miſcet, ubi de viris philoſophis Laërtio ſermo eſt, tum quod duram admodum emendationem textus ſupponit. Vnde facilius in eam deſcendimus ſententiam, Laërtium Eubagum, ſive potius Vatum nomen, quod divini cultus miniſtros indicavit, ſignificatione Græca & communiori exprimere voluiſſe. [e] Illud certe a probabilitate abhorret, nomen Græcum vetuſtiſſimo Gallorum inſtituto datum eſſe. Cum Druidæ inter eos viguerint, antequam Græca lingua per Maſſilienſes inter eos nota facta eſt. Quæ hic habet MARTINVS, [f] ex dictis lucem capiunt. Refert quoque DIDORVS, [g] Saronidas theologos & philoſophos Gallorum vocari. Non tamen hoc peculiaris claſſis nomen eſſe videtur, ſed idem dicere, quod Druides, quos a quercubus nominatos ſupra monuimus. Σαρωνὶς enim, interprete HESYCHIO quercum notat, cuius cortex hians & convolutus eſt. Dryſidarum vero nomen apud AMMIANVM cum Druidum voce coincidit.

§. VII. Qua docendi methodo uſi ſint Druides, ex Cæſaris narratione ſupra jam ex parte audiuimus. Ita ſcilicet docendi modum inſtituerunt, ut arcanis, quas ſibi & imperantibus fovebant, rationibus attemperaretur. Duplex ſcilicet ille fuit, publicus vulgarisque, atque arcanus. In publica quidem docendi via populum duxerunt, ſacrificiorum rationes explicuerunt, religiones, cultusque divini modum interpretati ſunt, divinationes ediderunt, & imprimis in conciliis populi publicis jus diſceptantibus reddiderunt. Ex doctrinis ſuis eas tantum propalantes, quæ ad virtutem excitandam, metumque mortis ſuperandum facere credebant. Aliter tamen in arcana methodo, qua juventus & ipſa concurrens, ac in diſciplinam conveniens, & a propinquis parentibusque miſſa erudiebatur. Ibi nefas, aliquid ex diſciplina in vulgus efferre, vel literis mandare; & juventus ſacro ſilentio per multos annos in diſciplina arcana detenta, ne myſteria propalarentur. [h] Attemperatæ quoque arcanæ diſciplinæ reliquæ circumſtantiæ. Propoſita doctrina in verſibus, quos juventus magno numero ediſcere tenebatur. [i] Nihil hic apertis verbis, ſed allegoriarum velo obducto expoſitum, vnde Δρυίδας αἰνιγματωδῶς ἀποφθεγγομένους φιλοσοφῆσαι, ſcripſit LAERTIVS, [k] innuens, tantis allegoriarum involucris & ſententiarum obſcuriſſima brevitate doctrinam propoſitam eſſe, ut vix ſolvi ænigmata hæc niſi ab initiatis poſſent. Et ut ſacer quoque doctrinæ horror accederet, non in triviis ſcholæ habitæ, non in campis & comitiis philoſophatum, ſed, quod refert POMPONIVS MELA, [l] *clam & diu vicenis annis in ſpecu aut in abditis ſaltibus.* Hinc ignota aliis, qui non ad interiora admittebantur, Druidum dogmata, qua de re eleganter poëta; [m]

Solis noſſe deos, & cœli numina vobis
Aut ſolis neſcire datum: nemora alta remotis
Incolitis lucis.

Methodus Druidum duplex.

Mirum

e) Conf. RVHNIVS *ad l. c. Laert.*
f) *L. c. T. I. p. 177.*
g) *L. V. p. 308.* h) *L. VI. c. 14.*
i) *Ibid.* k) *L. I. ſ. 6.*
l) *L. III. c. 2.*
m) LVCANVS *L. I. Pharſalic. v. 427. ſeqq.*

Mirum itaque non eſt, Romanos atque Græcos candide fateri, ſibi ignorari, quæ eorum doctrinæ ſint. Faſſus id eſt MELA, clam nobiliſſimos gentis ab iis doceri multa in ſpecubus & abditis ſaltibus: unum ex iis quæ præcipiunt, in vulgus effluxiſſe. Idem LVCANVS loco adducto, nec CAESAR, qui propius homines cognovit, aliud, præter immortalitatis dogma, de illis retulit, etſi fateatur, quod & reliqui referunt, [n] *multa de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac poteſtate diſputare & juventuti transdare.* Quæ omnia probe ponderari, & cum iis, quæ de aliarum gentium barbararum ſapientibus & ſacerdotibus, & arcanis doctrinæ eorum rationibus in antecedentibus diximus, accurate comparari cupimus; ita enim ſine præjudicio attendentibus manifeſtum erit, ad fraudes & impoſturam totam horum philoſophorum, (ſi hoc nomine appellandi, qui ἀφιλοσόφως docuerunt) diſciplinam comparatam fuiſſe, & ſapere ideo antiquitatis præjudicium laudes, quæ his hominibus tribui plerumque ſolent. Viderunt hoc Romani, qui imprimis ſacrificiis [o]

- quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Heſus,
Et Taranis Scythiæ non mitior ara Dianæ

quæ apud Druidas vigebant, offendebantur. Teutati enim, quem ſuum Mercurium eſſe dixere Romani, Heſo, quem cum Marte comparant, & Tarani, quem Iovem, quaſi tonantem, eſſe volebant, humanis hoſtiis litatum eſſe apud Gallos, veteres teſtantur. [p] SVETONIO [q] enim teſte, Auguſtus *religionem apud Gallos immanitatis diræ civibus interdixit, &*
Druides ſublati. *Tiberii Cæſaris principatus* [r] *Druidas Gallorum, & hoc genus vatum medicorumque ſuſtulit, & Claudius,* [s] *quod reliquum erat, penitus aboleuit.* Quæ omnia, quantam ſapientiam apud eos tandem Romani deprehenderint, evincunt.

Reliquorum Celtarum philoſophi. §. VIII. Celtarum nomine non Gallos tantum, ſed Germanos quoque, aliosque populos ſeptentrionem verſus habitantes comprehenſos fuiſſe, ſupra monuimus, notavimusque, ex his demum regionibus Galatas, Gallosque & Britannos etiam progreſſos fuiſſe, qua de re antiquitatum patriarum ſtudioſi paſſim; & in his imprimis, qui ex ſeptentrione omnis fere terræ habitationem, religionem, imperiumque exiviſſe multo labore & ingenti volumine contendit OLAVS RVDBECKIVS [t] differunt, nos vero rem notam demonſtrare ſuperſedemus. Pertinet itaque Germanorum reliquarumque per Cimbriam, Daniam, Sueciam, Norwegiam habitantium gentium communi fere, linguæ, religionis & traditionis vinculo inter ſe colligatarum

n) STRABO, MELA, AMMIANVS *ll. cc.*
o) LVCANVS *l. c.*
p) Dicetur hac de re prolixius infra, ubi de theologia Gallorum ſermo inſtituetur.
q) In *Claudio c. 25.* SENECA in *Apocolocynthoſi.* VICTOR in *Claudio.* CASAVBONVS. *ad l. c. Suetonii.*
r) PLINIVS *L. XXX. c. 4.*
s) SVETONIVS *l. c.* Lucius idem, Sec. II. in Anglia tentavit. Manſerunt tamen immanitatis veſtigia ad media ſecula usque, Vid. cl. FRICKIVS *l. c. p. 54.* & quos laudat.
t) In ingenti *Atlantidis ſive Mannheim* opere, *p. 60.*

rum hiſtoria quoque ad noſtrum inſtitutum. Eos vero cum Gallis valde conſpirare, & ejusdem generis philoſophos atque theologos habuiſſe, nemo rerum Celticarum paulo peritus inficiabitur. Nec obſtat CAESAR, [u] qui aſſerit: *Germanos multum a conſuetudine Gallorum differre, nam neque Druides habere, qui rebus divinis præſint, neque ſacrificiis ſtudere, deorum numero eos ſolos ducere, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur, Solem & Vulcanum & Lunam.* Quo Cæſaris teſtimonio inductus SAM. SCHVRZFLEISCHIVS, [x] Druides Germanis & vicinis Germaniæ populis fuiſſe negavit. Nam Cæſarem deceptum fuiſſe, relatione eorum, quorum fide iſta in commentarios ſuos referebat, dubium non eſt, cum reliqui ſcriptores, qui de rebus Germanorum retulerunt, eos paris generis, poteſtatis & dignitatis ſacerdotes habuiſſe, unanimi fere ore teſtentur, unusque TACITVS [y] atque STRABO ex Latinis & Græcis ad refutandam falſam opinionem ſufficiant. Nec ita defendi poteſt Cæſar [z] quod nomen Druidum Germani quidem non habuerint, rem tamen ipſam, ſacerdotes ſcilicet pari auctoritate, munere atque officiis functos inter ſe foverint, quia non tantum Druides, ſed omne ſacerdotium Germanis denegavit. Vnde recte Cæſari hac in re fidem derogari, inſtituta inter Gallorum & Germanorum comparatione docte demonſtrarunt cl. HECHTIVS, [a] & CHRIST. AVGVSTVS FABRETTVS. [b] Quorum argumenta, ne nimii ſimus, non repetimus, hoc vero adjicimus, inter has gentes Celticas, præſertim eas, quæ verſus ſeptentrionem habitaverunt, tres claſſes eruditorum fuiſſe, quemadmodum apud Gallos: Quarum prima continuit eos, qui Diar, Drottar, vel Drotnar, etiam Trulindur vocabantur, qui populo jus dicebant, religiones interpretabantur, ſacrificiis præerant, & ita ſacram atque profanam rem publicam curabant: horum duodecim peculiare collegium conſtituerunt, quod dignitate proximum rege vel duce fuit. Altera claſſis vates comprehendit, Wiſendammen, Spæmann vel Tyrſpakur vocatos, genus hominum fatidicum, inter quos & mulieres receptæ ſunt. Hi populum de futuris fatis edocebant, & eventus rerum bonos, vel malos interpretabantur: qui plus valebant apud populum, quam inter proceres, forte ob ancipitem dubiamque artem & fallendi ſtudium. Tertia claſſis comprehendit Scaldos, qui poëtæ erant Celtarum, regique in conviviis, in militia, in pugna aderant, cantibusque magnorum heroum facinora deprædicabant, quæ Carmina poſtmodum memoriæ tradebantur, ſicque hiſtoria patria ſine ſcriptis conſervabatur: unde etiam admodum gratioſi & in magna auctoritate apud reges fuerunt. Quæ omnia, ut ex teſtimoniis domeſticis probavit Vir eruditiſſimus, FABIANVS TOERNERVS, [c] eloquentiæ publicus apud Vpſalienſis doctor, ita mire

u) L. VI. c. 21.

x) De veterum inſtitutis Druidum Opp. hiſtor. polit. p. 832.

y) De moribus Germanorum, c. 6. ſeqq.

z) Cl. FRICKIVS *de Druidibus p. 23.*

a) Germ. ſacr. & liter. p. 38.

b) Diſquiſ. *an Germani Cæſaris Tacitique temporibus Druides habuerint, Biblioth. Lubec. T. III. p. 24. ſeqq.*

c) Diſſ. *de Poëſi Skalldorum Septentrionalium Vpſal. 1717. 8.* Conf. *Critiſche Beytræge zur Hiſtorie der deutſchen Sprache Vol. I. p. 105. ſqq.*

confirmant ſententiam, Druidum inſtitutum atque claſſes a Celtis ſeptentrionalibus ad eos, qui verſus occidentem diſceſſerunt, demum tranſiiſſe, & falli Cæſarem, qui Germanis Druidas fuiſſe negat. Nec ignota hæc TACITO [d] qui de Germanorum, ipſi ſatis notorum, ſacerdotibus refert: *Neque animaduertere, neque vincire, neque verberare quidem, niſi a ſacerdotibus permiſſum: non quaſi in pœnam vel ducis juſſu, ſed velut Deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt. Sortes publicas curare ſacerdotem civitatis, precatum Deum, cœlumque ſuſpicientem; ſic ex equis ſacerdotem cum rege vel principe civitatis auſpicium capere; Silentium in conciliis gentis imperari per ſacerdotes, quibus & coërcendi jus ſit.* Hæc & alia TACITVS, apud ipſum quærenda, quæ conſona ſunt inſtitutis Druidum apud Gallos. Ex his enim patet, apud Germanos eandem juris exercendi auctoritatem habuiſſe ſacerdotes, quam Druidæ apud Gallos habuerunt. Non vero juris tantum dicundi populique in religione cultuve deorum erudiendi auctoritatem habuiſſe, ſed & de vaticiniis diſpoſuiſſe, religionesque interpretatos fuiſſe, tot fatidici atque fatidicæ inter Germanos & ſeptentrionales populos probant. De quibus cum ſingulari diſſertatione lectu digniſſima multa, & alibi vix obvia collegerit eruditiſſimus & de antiquitatibus patriis meritiſſimus vir IO. GEORGIVS KEYSLERVS, merito lectorem in re ad noſtram tractationem proprie non pertinente ad eum ablegamus. Nec de Scaldis [f] atque Bardis, ſive poëtis gentium Celticarum [g] plura dicere inſtituti ratio patitur, quærenda apud eos, qui artis poëticæ hiſtoriam critice expoſuerunt. [h] Illud vero propius ſcopum noſtrum ferit, ſacerdotes Germanorum atque reliquorum Celtarum religionem quam maxime curaſſe, cultui divino præfuiſſe, & allegorico dicendi & fingendi genere theogonias Deorum explicuiſſe. Quæ ut exacte cum Gallorum Druidibus, eandem officii rationem & methodum arcanam atque allegoricam tenentibus conveniunt, ita hos ab illis ætate & origine majoribus ea accepiſſe perſuadent. Referunt enim, qui de moribus Celtarum egerunt, in lucis ſacra eos feciſſe, ſilvas quæſiviſſe, & imprimis quercubus præcipuum cultum exhibuiſſe, quod eas præſentia ſua Deos dignari crederent: [k] unde ingentia adhuc inter nos robora priſtinæ ſuperſtitionis monumenta oſtenduntur. Sed de his curioſius diſquirere alterius loci eſt. Alterum ſacerdotum apud Celtas, ſive Druidum munus fuiſſe, fabularum divinarum explicationem, elegantia, quæ hodienum ſuperſunt, Eddarum monumenta probant. Eſt enim Edda apud Hyperboreos veteres,

d) C. 5. 6. 7. 10. 11.

e) Edidit elegantiſſimam diſſ. *de mulieribus faeidicis veterum Celtarum gentiumque ſeptentrionalium, ſpeciatim de Druidibus fœminis, volis, genis, alrunis &c.* inſertam *ſelectis antiquitatibus ſeptentrionalibus atque Celticis p. 371. ſeqq.*

f) Præter Tœrnerum cl. DAV. KOELERVS peculiarem *de Scaldis* diſſertationem dedit.

g) Bardos parafitas non fuiſſe, quod vult VALESIVS *ad* AMMIAN. *l. XV. c. 10.* recte docet GVNDLINGIVS *Hiſt. phil. mor. c. 6. p. 49.* quem vide.

h) Conf. MORHOF. *Unterricht von der deutſchen Sprache p. 256. ſeqq. 272.*

i) TACITVS *de mor. Germ. c. 9.* CLAVDIANVS *de Stilic. l. I. v. 228.* Multa ex veteribus loca huc facientia adducit cl. KEYSLERVS *antiq. Celt. p. 60. ſeqq.*

k) IDEM *l. c. p. 65.*

res, mythologia, hoc eſt theologiæ vetuſtiſſimæ Celticæ ſyſtema & complexus, quo illarum gentium de Diis, creatione, ſtatuque hominum poſt mortem opiniones variis fabulis, theogoniis & fictionibus in uſum poëtarum depinguntur. * Cujus poſtea ſpecimina lectori curioſo exhibebimus, ubi de theologia harum gentium dicendum erit. Non itaque, ut ex deductis ſatis luculenter patet, Druidum inſtitutum ad ſolos Gallos vel Britannos reſtringendum eſt, ſed Germanis gentibusque hyperboreis, qui verſus ſeptentrionem, ad Scythiam usque extendebantur, indeque quibusdam Celto-Scythæ dictæ ſunt, [l] vindicandum, a quibus cum coloniis Celtarum, qui verſus occidentem digreſſi ſunt, ſine dubio ad Galatas & toto diviſos orbe Britannos dimanavit. Conradum enim Celtem fruſtra eſſe, quando afferit: [m] pulſos a Tiberio Druidas in Germaniam conceſſiſſe, atque ſub Carolis, Arnolphis & Ottonibus Chriſtianam religionem interpretantes totam Hercyniam occupaſſe, dicta hactenus manifeſte evincunt.

* Eddæ nomen atque titulus cum antiquitatem rei jam innuat, ea vero plerisque ſcriptoribus, Celticarum atque hyperborearum rerum profundiori cognitione deſtitutis indicta & ignorata ſit, pauca de illa eo magis hic adjicienda ſunt, quo magis Eddæ iſtæ maxime notabile monumentum philoſophiæ vel theologiæ potius gentium ſeptentrionalium ſunt, unde veterum populorum in his ſedibus commorantium opiniones & placita cognoſci poſſunt. Eſt vero Edda, definiente STEPHANO STEPHANIO in *not. ad Saxon. p. 17.* fons & fundamentum fabuloſum, unde veteres gentis Islandicæ Rythmiſtæ obſcuras rerum appellationes & copioſos poëticæ elegantiæ modos exſtruxerunt. Differt vero a Scalda, quæ elegantiam conſtructionis poëticæ atque rythmum & genera carminum proſequitur, cum e contrario Edda mythologiam ſeptentrionalium populorum, ex qua veteres Rythmiſtæ, quorum in gratiam Edda conſcripta fuit, fabulas, inventiones, verba copiamque dicendi, tanquam ex theſauro Mythologico, vel cornu copiæ quodam poëticæ hauſerunt. Vnde recte eam cum Natalis Comitis Mythologia comparavit OLAVS WORMIVS in *Ep. ad* THOMAM BARTHOLINVM, vid. *Epp. Medic. hujus Cent. I. ep. XC. p. 376.* Poëſis enim horum populorum non minus, quam Aſiaticorum tota allegorica, fabularis, atque figurata eſt. Quod ſatis prodit, recte eos conjicere, qui has gentes ex Aſiæ provinciis ſeptentrionalibus ad has ſedes delatas eſſe, & orientalia Aſiæ placita, qualia imprimis inter veteres Perſas, Scythas, Hyperboreosque deprehenduntur, his regionibus intuliſſe ſtatuunt. Id quod egregio SNORRONIS, de quo dicendum eſt, in *prologo Eddæ recentioris* loco, *c. 3.* probavit cl. ARNKIEL in *religione gentili Cimbrorum c. II. § 13. ſeq.* ubi ait: *Odinum, cui tota fere borealis theologia debetur, ex Aſia in terram aquilonis, quæ nunc Saxonia apellatur,*

l) Conf. RVDBECKIVS in *Atlantide p. 62. ſeqq.*

m) Vid. IO. RELLICANVS *not. in Cæſar. p. 40.* Dicitur id ſine teſtibus.

(Cherſoneſum Saxo-Cimbricam, intelligit) *profectum, illic per annos multos vixiſſe, deinde in Reidgotolandiam* (Iutiam ſive Daniam) *migraſſe, illique filium ſuum Skioldum præfeciſſe, ac inde tandem in Suithiold*, id eſt, Sueciam, *cui rex Gylfus tunc præerat, progreſſum eſſe.* Quæ recte VERELIO, RVDBECKIO aliisque ex Suecorum eruditis opponuntur, qui cum gentibus omnem quoque literaturam ac religionem gentilem, ex Suecia in ceteras regiones dimanaſſe operoſe contendunt. Sed ut ad Eddam, de qua noſtra oratio digreſſa eſt, redeamus, de ejus vocis etymologia, ipſis ſeptentrionis criticis, MAGNO OLAVO, GVDMVNDO ANDREAE, PAVLO PETROQVE RESENIIS, IOH. MOLLERO, incerta nihil movemus, hoc unum adjicientes, vocabulum hoc matricem, ataviam, proſapiamve probabiliter ſignificare, eo quod vel mater & atavia ſit verborum rerumque copia; vel quod aviæ & ataviæ fabulis ejusmodi ſolari nepotes ſoleant. Vnde errarunt, qui Eddam, quæ in aliquibus locis nomen mulieris eſt, feminæ alicujus ſcriptis illuſtris, chemiæque peritiſſimæ, & in philoſophantibus numerandæ adeptis nomen eſſe contendunt, quem errorem in Ioh. Lud. Hanemanno notavit IOH. MOLLERVS in *Homonymoſcopia P. I. c. 1. §. 5 p. 11. ſeq.* Libri enim mythologici titulus eſt, & collectionem fabularum Septentrionis exhibet, paucarum quidem ex ingenti deperditarum numero conſervatarum, quæ vero antiquitatis vetuſtiſſimæ veſtigia aperte præ ſe ferunt. Duplex vero hodie extat inter Danos, Suecosque Edda, vetus & recentior. Illa adeo obſcura & conjecturis diverſiſſimis ſubjecta eſt, ut recentiores poëtæ Islandici eam ipſi non ſatis intelligant. Cujus cauſam præter ipſam fabularum antiquitatem, & hiſtoriæ in iis comprehenſæ obſcuritatem, in linguæ veteris Runicæ ignorantiam & disjecta tempore exorientis Chriſtianæ religionis monumenta iſta vetera, ex quibus laciniæ tantum quædam ſuperſunt, non inepte retuleris, certe Codices inter ſe varie differre, & non ſatis cohærere, ex iis, quæ edita ſunt a RESENIO, patet, ſi comparentur cum illis, quæ ex Codd. Mſc. Sueciæ excerpſit & Atlantidi ſuæ inſeruit OLAVVS RVDBECKIVS. Adſcribitur vero Edda iſta vetuſtior SAEMVNDO SIGFVSONIO, gente Islando, paſtori quondam parœciæ Odde, in parte Islandiæ meridionali, qui circa annum 1114. ſcripſiſſe, & anno 1133. obiiſſe quibusdam dicitur. Is ab eruditionis fama, frode, id eſt, ſapiens, eruditus, polyhiſtor dictus eſt. In illuſtriſſimis enim Germaniæ & Italiæ ſcholis & academiis a puero innutritus omnium ſeculorum monumenta hiſtorica, regnorum Daniæ, Sueciæ, Norwegiæ, immo Germaniæ quoque atque Angliæ excuſſit, & inde Eddam ſuam congeſſit. Qua de re conferri poſſunt, ubi occaſio fert, quæ RESENIVS & GVDMVNDVS ANDREAE locis infra laudandis de hoc viro afferunt. Patet vero ex dictis: odas has in Edda antiquiore comprehenſas non ipſum Sæmundum confinxiſſe, quod viſum fuit HVETIO *de fab. Romanenſ. p 98.* ſed ex monumentis vetuſtiſſimis collegiſſe, adeoque ea theologiam borealium gentium antiquiſſimam exhibere: & veriſimile eſt, Sæmundum traditiones atque narrationes *πατροπαραδότας*

δότες ſimul conſuluiſſe, ita enim memoriam veterum odas iſtas nobis apud Celtas conſervaviſſe ſupra obſervavimus, & ab ipſo Snorrone, recentioris Eddæ auctore notatum eſt. Conſtat vero vetuſtior illa Edda tribus partibus, Voluſpa, quod mulieris fatidicæ nomen eſt, & gentium borealium philoſophiam complectitur antiquiſſimam, ut RESENIVS inſcripſit: Havamaal, id eſt, ethica Odini, & Runa Capitula, ſeu Magia Odini. De quibus tamen, cum prolixioribus nobis eſſe non liceat, conſulendos velimus, viros doctiſſimos, qui ex ſeptentrione Eddæ hujus memoriam conſervarunt, poſtea laudandos. Altera Edda, recentior, congeſta ex antiquiore a SNORRONE STVRLAESONIO Islandiæ Nomophylace, A. C. 1215. ſermone patrio & in duas partes diſtincta eſt, quarum prima fabulas theologiæ borealis mythicæ ſeptuaginta & octo, altera autem onomaſticon alphabetico poëticum complectitur. Vtraque inter libros manu exaratos cum diu jacuiſſet, PETRVS IOH. RESENIVS I. V. D. Ethices Prof. Publ. Præſesque urbis Hafniæ regius, tandem nobile antiquitatis borealis monumentum cum orbe erudito communicavit: & tum Eddam antiquam, cum verſione Latina STEPHANI OLAI Parochi in Islandia orientali ejusque ac GVDMVNDI ANDREAE ſcholiis, tum Snorronis recentiorem, cum verſione Danica, & Latina, a MAGNO OLAI confecta, additis variis lectionibus & notis exegeticis, edidit *Hafniæ 1665. 4.* ubi etiam, quæ hic paucis diximus, prolixius in præfatione expoſuit. Quoniam vero liber inter exteros rariſſimus eſt, conſuli poſſunt, qui in compendio de eo egerunt, cl. IOH. MOLLERVS *in Iſagog. ad hiſtor. Cherſoneſi Cimbricæ P. II. c. I. §. 4. p. 5. ſeq.* & in *Hypomnemat. ad* ALB. BARTHOLINI *librum de ſcriptis Danorum p. 405. ſeqq.* & imprimis cl. MAGNVS BERONIVS Vpſalienſis Profeſſor, in eruditis diſſertationibus, *de Eddis Islandicis ſeu veterum Septentrionalium Mythologiis Vpſal. 1735. 4* editis. Ceterum notavit cel. RVDBECKIVS in *Atlantide c. XXII. §. 2. p. 540.* Snorronem in compluribus locis verum poëticarum fabularum ſenſum fugiſſe, id quod non miramur quidem, cum in omni fabuloſa theologia veterum id eveniat, ut veros ſenſus interpretes non ubique aſſecuti ſint, valde tamen veremur, ut Rudbeckius hypotheſeos amore corruptus ubique veros ſenſus aſſecutus fuerit; & certe non exiguam fidem Islandici ſcriptores merentur, qui non ſolo ingenio ducti, ſed traditionibus majorum adjuti, mythologiam Septentrionis explicuerunt. Mancam tamen editionem Reſenianam eſſe, ex Codd. mſc. patet, unde novam editionem merito optat cl. KEYSLERVS. *Antiq. Sept. & Celtic. p. 20.*

§. IX. Verum properandum tandem eſt ad ipſam philoſophiam Celtarum, qualis apud Gallos, Germanos atque ſeptentrionales populos viguit, enarrandam. Quæ res quam difficilis ſit, ex iis, quæ ſupra de monumentorum Celticorum defectu deque doctrinæ methodo apud Druidas arcana diximus, abunde colligi poteſt. Nam refert quidem CAESAR: [n] *Multa* *Philoſophia Celtarum.*

n) *L. VI. c. 14.*

Multa de ſideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate diſputare, & juventuti tradere, nihil tamen harum doctrinarum, quod compererit, refert, cujus cauſam explicat POMPONIVS MELA: [o] *clam eos docere mundi terræque magnitudinem & formam, motus cœli ac ſiderum, ac quid Dii velint; unum ex iis, quæ præcipiunt in vulgus efflux iſſe, æternas eſſe animas, vitamque alteram ad manes. Vtrumque dogma ideo tantum vulgaviſſe, ut forent ad bella meliores, & ad virtutem excitarentur, metu mortis neglecto* Explorabimus itaque, quantum licebit, Celtarum myſteria, contenti futuri, ſi quædam aliqua veriſimilitudine eruere queamus.

Doctrina de Deo.

§. X. De theologia vero Celtarum, & quæ iſta nitebatur, religione Gallorum, Germanorum, atque ſeptentrionalium populorum acturis I. vulgi religio ab eruditorum placitis diſtinguenda eſt. Quos, etſi populum in idololatria quam maxime confirmarunt, paulo tamen melius ſapuiſſe, & in arcana doctrina ea tradidiſſe, quæ a craſſiſſimis populi erroribus diſſidebant, omnino judicandum eſt. Quod vero popularem Gallorum religionem attinet, multum eam nobis deformarunt Græci & Latini, inepto numina peregrina cum domeſticis ſuis Diis comparandi & conciliandi ſtudio, quod veram rationem Gallicorum numinum vehementer corrupit. Quod non ſatis cogitarunt, qui recentiori ætate ex monumentis Romanis inter Gallos inventis nobis religionem veterum Gallorum deſcribere conati ſunt. [p] Quod ſi tamen Latinos atque Græcos ſcriptores, cum de Gallis nobis alii non ſuppetant, conſulimus, Theutates, Heſus & Taranes ab iis culti ſunt, & humano ſanguine illis litatum eſt. Id quod ſupra LVCANVM referentem audivimus, & LACTANTIVS [q] quoque confirmat. Theutatem vero Mercurium eſſe, Heſum Martem, Taranim Iouem, Latini nobis perſuadent, quorum loca congeſſit GER. IO. VOSSIVS, [r] fruſtraneo tamen conatu, cum cuilibet genti propria numina fuerint. Et perſuaſit quidem ſibi ELIAS SCHEDIVS, [s] perſuaſitque etiam CVDWORTHO, [t] Theutatem ſummum Celtarum numen fuiſſe, & ſupremum Deum indigitaſſe: nihil tamen affert, quod conjecturam vel mediocriter fulciat, & eadem probabilitate vel majori etiam Romanorum opinio admitti poſſet, Mercurium ſuum unanimi fere ore Theutatem eſſe, pronuntiantium, vel MARTINI [u] Plutonem inde exſculpentis: quæ omnia incertiſſima eſſe, vel ex eo colligitur, quod propria & domeſtica conditio Deorum Gallorum nobis ignoretur. Idem fere de Heſo ſive Aeſar Gallorum Deo tenendum eſt, quem laudatum Benedictini inter Gallos ſodalitii membrum ſummum omnium Deum ſignificaſſe, [w] contendit. Cujus rationes frivolas & exiles cum merito exploſerit cel. MOSHEMIVS, [x] lectorem ad eum dimittimus. Nihil enim eorum, quæ affert,

o) *L. III. c. 2.*
p) IAC. MARTIN. *religion de Gaulois. T. I.*
q) *L. I. c. 21.* r) *De idololatr. l. I. c. 35. p. 262.*
s) *De Diis German. Synt. I. c. 12. p. 291.*
t) *Syſtem. intellect. c. IV. §. 27. p. 545.*
u) *l. c. l. III. c. 3. p. 15. ſeqq.*
w) *Ibid. l. II. c. 2. p. 257.*
x) Ad CVDWORTHI *Syſt. intell. p. 546. ſeq. n. 37.*

affert, vel mediocrem verisimilitudinis umbram habet. Aliter certe CAESAR, [y] aliique qui Martem hoc nomine coli putarunt, qui summus DEVS esse nequit. Nec certiora nos dare audemus, candide fassi, frustraneum nobis laborem suscipere eos videri, qui veram Gallorum mentem de Diis detegere se posse jactant. Erat enim teste CAESARE, theologia hæc in arcanis, nec ad vulgus efferebatur. Vnde & falsè Druidas hoc nomine ridet LVCANVS, [z] cujus versiculos hac de re supra adduximus. Quod si tamen conjecturæ locus est, videtur opinio de Deo, tanquam anima mundi, per totum mundum omnesque ejus partes diffuso, quæ totum fere orbem antiquum fascinavit, Gallos quoque occupasse. Magnis enim mundi partibus, tum sideribus, tum lucis, arboribus, saxis numina præesse cum crediderint Germani, de Gallis facile idem conjiciendum est, apud quos tot statuæ, tot aræ, tot luci religione verendi colebantur, ut in hac hæresi fuisse, facile persuadeant. Laterem itaque lavant, qui Gallos veteres puriorem de Deo opinionem prius tenuisse, sibi aliisque persuadere satagunt, & tum demum religionem corrupisse volunt, ubi cum aliis gentibus consuetudine uti cœperunt. [a] Nihil enim solidi argumenti a viris doctis affertur, quo sententiam roborent. Quod ad Celtas Germanos attinet, quibus boreales nationes merito jungimus, CAESAR [b] quidem de iis ita: *Germani neque Druides habent, qui rebus divinis præsint, neque sacrificiis studeant, Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur, solem & Vulcanum & lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt.* Verum hoc comparate tantum, & ex parte forte de quibusdam Celtarum Germanorum populis intelligendum esse, [c] supra jam monuimus, nisi plane incerta dubiaque relatione deceptus est. Refert enim TACITVS: [d] *Germanos nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrari: lucos ac nemora consecrare, deorumque nominibus appellare secretum illud quod sola reverentia vident.* Et addit quidem: *Deorum maxime Mercurium colere, cui certis diebus, humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placare, partem Svevorum & Isidi sacrificare;* monet vero ipse, *peregrina sacra esse, & signa habere, advectæ religionis;* unde rectè concluditur, ad fines tantum Germaniæ a vicinis populis quibusdam Germanorum peregrina hæc numina adhæsisse. Neque tamen audiendos putamus, qui Celtas in doctrina de Deo adeo puræ mentis sensusque fuisse existimant, ut πολυθεότης inter populi tantum errores numeranda sit. [e] Aliud enim magna Deorum caterva apud Germanos & septentrionales populos suadet, cui non plebs tantum, sed imprimis sacer-

y) *Lib. VI. c. 17.* z) *L. I. v. 406.*
a) Vid. cl. FRICKIVS *l. c. p. 35. seq.*
b) *Lib. VI. c. 21.*
c) Ita quidem P. HACHENBERGIVS *German. med. diss. VIII. p. 178.* & cl. GOD. HECHTIVS *German. S. P. I. c. 3. 4. p. 3. seq.*
d) *De mor. German. c. 9.*
e) Vid. FRICKIVS *l. c.* & quos laudat.

ſacerdotes religionibus ſerviverunt. [f] Non enim ſolem tantum & lunam, ſed Odinum quoque, Thoronem, Tuiſconem, Mannum, Fream, Heſones, Deasque Ardoinam, Aventiam, Nehalenniam & magnum præterea numerum aliorum Deorum topicorum cultum eſſe inter Germanos & Hyperboreos, ex Eddis, earumque commentariis conſtat, & a viris doctis, qui de harum gentium Diis egerunt, prolixe oſtenſum eſt. [g] Cujus cultus ratio duplex notanda eſt. Nam primos gentium harum conditores atque reges in Deorum numerum relatos eſſe, mythologiæ luculenter docent, quod eo facilius fieri potuit, quod magni reges vivi adhuc dii haberentur, id eſt, vulgaribus hominibus præſtantiores & excelſiores, cujus ſpecimina paſſim RVDBECKIVS [h] produxit. Altera vero ratio inde derivanda eſt, quod univerſum hoc divino numine animari, & animæ hujus divinæ partes ſive dæmonia maxima grandibus potiſſimum mundi partibus adeſſe easque inhabitare crederent. Id quod vel ex ſolo cœleſtium luminum cultu, immo ex reverentia quoque, quam lucis atque ſaxis prægrandibus exhibuerunt, concludi poteſt. Quod latius demonſtrare proclive eſſet, niſi limites noſtræ tractationis migraret. Vno tamen eoque luculento loco rem illuſtrare, non abs re erit, adducto a cel. KEYSLERO, [i] ex legibus Canuti regis Daniæ & Angliæ potentiſſimi. Ita enim inter alia: *Adorationem barbaram pleniſſime vetamus. Barbara eſt autem adoratio, ſive quis idola (puta gentium divos) ſolem, lunam, ignem, profluentem, fontes, ſaxa, cujusque generis arbores lignaque coluerit.* Videmus enim ex his, quæ potiſſimum Germanis & ſeptentrionalibus populis numina fuerint, & cur idola ſive imagines non habuerint, quia non in ſtatuis, ſed in mundi illis partibus divinitatem habitare putabant. Dæmonia enim robora, lucos, ſaxa inhabitare, ex *mythologia LXX.* SNORRONIS patet. Nec alia ratio eſt, cur oracula a ſaxis edi poſſe ſomniarent, quam quod divinitatis aliquam partem iis ineſſe crederent. [k] Quæ ſi, ut magna veriſimilitudinis ſpecie nituntur, admittantur, facile Cæſar atque Tacitus in concordiam redigi poſſunt, [l] & religio Celtarum ſeptentrionalium, Germanorum, & Gallorum, quæ priſcis temporibus una fuit, amice inter ſe conſpirat; quæ enim apud Gallos numina, eorumque ſtatuæ, aræ, templaque detecta ſunt, peregrinis religionibus advectis debentur. Habebant enim Celtæ aras quoque; ſed diverſiſſimas ab iis, quæ ante idola ſtabant, intra muros templorum: ſed in lucis apertisque campis erectæ ſaxeis tantum molibus conſtabant, quales hodienum in noſtra Germania paſſim videntur. [m] Verum de his prolixius diſpu-

f) Se miniſtros Deorum & eorum conſcios jactaſſe refert TACITVS *l. c. c. 10.*

g) Scriptores, qui de Diis Celtarum, Germanorum & gentium arctoarum ſcripſere, magna copia nominat IO. MOLLERVS in *Iſag. in hiſt. Cherſ. Cimbr. P. II. c. 1. §. 4. p. 5. ſeqq.* cl. KEYSLERVS quoque conſpectum operis *de Diis veterum Celtarum gentiumque ſeptentrionalium* inſeruit *Antiq. Celt. p. 297. ſeqq.*

h) In *Atlantide.*

i) *l. c. p. 18.*

k) Conf. IDEM *l. c. p. 21.*

l) Videndus MARTINVS *libro citato*, qui tamen ad hanc temporum religionis Gallorum diſtinctionem non ſatis attendit.

m) Vid. KEYSLERVS *l. c. p. 44.*

diſputare, hujus loci non eſt. Ex his jam facili negotio judicari poteſt de quæſtione: an Celtæ veteres atheiſmi rei ſint? id quod ex CICERONIS oratione pro M. Fontejo IVSTINO, [n] & PAVSANIAE [o] quoque teſtimonio adſtrui tentatum eſt. Nam has gentes religionibus potius, quæ CAESARIS [p] vox eſt, ſive ſuperſtitionibus [q] quam atheiſmo deditas fuiſſe, ex adductis liquet, nec citati auctores Gallos, de quibus proprie loquuntur, hoſtes deorum aliter vocant, quam quod modum Deos in ſtatuis colendi, a quo Celtæ abhorrebant, ſpernerent, & religionem Romanam contemnerent, cui tamen poſt colonias Græcas inter Gallos habitantes, & victorias Romanas manus quoque dederunt. Abſolvenda itaque ab hac macula eſt gentium antiquiſſima, [r] nec tamen adeo in vindicanda ejus religione inſaniendum, ut ſolis, lunæ & ignis numine atque cultu trinitatis adorandæ veſtigia coluiſſe cum PHILIPPO CLVVERIO [s] nugemur.

§. XI. II. Ad theologiam Celtarum vaticinandi quoque ſtudium referendum eſt, quod Druidibus curæ fuiſſe, præſertim iis, qui Vates dicti ſunt, ſupra demonſtravimus. Qua in arte imprimis inter Gallos mulieres Samnitas, ſive inſulæ Senæ in mari Britannico celebres fuiſſe, ſupra quoque, ubi de Semnotheis dictum eſt, obiter notavimus. [t] Inter Germanos eandem divinandi artem quam maxime viguiſſe, locuples teſtis TACITVS [u] eſt, referens, auſpiciorum & ſortium obſervantiſſimos fuiſſe Germanos, apud quos miniſtros Deorum, & voluntatis eorum conſcios ſe ideo ſacerdotes jactaverint. Præcipue autem notabile eſt, ſequiorem ſexum apud Germanos vaticinandi habitu pollere, creditum fuiſſe; quem ideo numinis inſtar venerati ſunt. Narrat ipſe TACITVS: [x] ex mente Germanorum, *ineſſe aliquid ſanctum & providum feminis Druidis, & vidiſſe ſe Velledam, diu apud plerosque numinis loco habitam, ſed & olim Auriniam & complures alias veneratos eſſe, non adulatione, nec tanquam facerent Deas.* Magnam vero mulierum fatidicarum apud Germanos copiam & exiſtimationem fuiſſe, ea probant, quæ de Halirunis, (qualem Velledam modo dictam fuiſſe, quæ inter Druidas feminas valde celebrata fuit, maximaque auctoritate inter Germanos floruit, TACITVS alio loco [y] luculenter innuit,) apud veteres occurrunt, quæque doctiſſimus KEYSLERVS erudita commentatione illuſtravit. [z] Hanc vaticinandi facultatem ex variis rebus, præcipue vero ex ſanguine captivorum interfectorum ex eadem doctrina de Deo, ſive numinibus potius per naturam rerum diffuſis derivandam eſſe, non inepte conjicitur. Ita enim ſe magno numine ferri Deoque repleri,

Doctrina de divinatione.

n) *Lib. XXIV. c. 6.* o) *Lib. X. p. 648.*

p) *Lib. VI. c. 16.* conf. MARTIN. *l. c. Tom. I. pag. 77. ſeqq.*

q) Conf. v. c. CHR. FRID. AYRMANNI diſſ. *de cultus idololatrici apud veteres Germanos origine & incremento.*

r) Conf. ven. REIMMANN. *Hiſt. atheiſmi c. XLIII. p. 304.*

s) *German. antiq. l. I. c. 29.*

t) Conferri de iis merentur, quæ diſputat KEYSLERVS *l. c. p. 450.*

u) *l. c. c. 10.* conf. ORIG. *philoſoph. c. XXV. p. 170.* qui tamen divinationem Pythagoream ex numeris illis tribuendo fallitur.

x) *l. c. c. 8.*

y) *Lib. IV. c. 61. 64.* conf. KEYSLERVS *l. c. p. 473. ſeqq.*

z) *l. c. p. 456. ſeqq.*

Deorum conſilia noviſſe, ſicque commercium cum Diis ſive dæmonibus lucos, quercus, ſaxa inhabitantibus habere jactabant. [a] Et huc omnis magia veterum Celtarum referenda eſt, & derivandæ inde aniles fabulæ, quæ de ſagis faſcinantibus, de conventu earum in monte Bructerorum, de ephialte & quæ alia veterem ſuperſtitionem redolent, credulam plebeculam hactenus terruerunt. In quarum origines cum eleganti eruditione inquiſiverit ſæpius ex merito nobis laudatus KEYSLERVS, [b] ejus obſervationes eo magis lectori legendas commendamus, quod non exigua inde hiſtoriæ Druidum, & religioni Celtarum lux affulgeat, quæque veſtigia reliquerit, non ſine voluptate cognoſcatur. Ceterum ex admiſſis his divinationibus ſequitur, Celtas credidiſſe, numina rerum humanarum cura tangi, vel quod

De fato. magis cum ipſorum doctrina de Deo cohæret, per numen illud per univerſum diffuſum ita omnia coordinari & diſponi, ut ejus ratio & leges, quas ſequitur, amici illi Deorum, Druides, cognoſcere queant. Vnde fatum magis aliquod, quam providentiam, eis placuiſſe, non ſine ratione conjicimus. Sicque egregie arma impoſturæ ſubminiſtrabat religio, ita enim ſuperſtitioſiſſimæ genti, quæ ſacerdotes & vates numinis inſtar eſſe, Deoque repleri, teſte TACITO [c] credidit, vaferrimi homines, quicquid volebant, perſuadebant facillime, [d] inde vero dona & emolumenta maxima reportabant, qua ratione Velledam honoratam fuiſſe idem hiſtoricus notat. Quæ conjectura, fatum aliquod neceſſarium veteribus Celtis placuiſſe, confirmatur egregie iis, quæ rerum antiquarum ſeptentrionalium periti hac de re memorant. Refert enim verba Brynolfi STEPHANIVS: [e] *Fatum univerſus ſeptentrio & ſtoicam de neceſſitate opinionem magno affirmavit conſenſu; contra quam nec res, nec conſilium nec humana virtus ulla quicquam poſſet. Hinc adeo omnium heroum in extremis vitæ periculis unanimis vox, qua præſentem ſtatum ſolarentur; nec qui morti deſtinatus eſt, fugere, nec non deſtinatus morti addici poteſt.* Et hanc cuilibet præſcriptam ex conſilio Deorum vel naturæ potius neceſſitate ſortem legemque cum altera de immortalitate animæ & vita reditura felicique apud manes conditione præcipuum contemnendæ mortis incitamentum habuiſſe pulchre demonſtravit BARTHOLINVS. [f]

De dæmonibus. §. XII. III. Ex hac de Deo doctrina porro colligitur: Celtas dæmonas admiſiſſe, eosque ſpiritualis naturæ ſtatuiſſe, atque præfeciſſe mundi partibus. Nam & hoc neceſſario ſequitur, ubi Deus pro mundi anima habetur: & ſupra audivimus, eos roboribus, ſaxis, lucis, cavernis & his ſimilibus numina præfeciſſe. Nec ex alia doctrina tot ſuperſtitiones veterum Celtarum, imprimis inter ſeptentrionales populos, derivandæ ſunt. Quas cum

a) Ita Voluſpæ, ſive Volvæ apud Danos numinum commercia, & futurorum præſcientiam jactabant, de quibus conſulendus BARTHOLIN. *Antiq. Dan. p. 685. ſeqq.* & OL. BERONIVS *de Eddis, p. 27. ſeq.*

b) *l. c. p. 490. ſeqq.*

c) *ll. cc.*

d) Conf. CICERO *de divinat. l. I.*

e) In *notis ad Saxon. l. I. p. 53.*

f) *De cauſis contemtæ a Danis adhuc gentilibus mortis l. III. c. 1.* conf. ARNKIEL *Cimbriſch. Heidenthum. p. 249.*

cum interdixerint veteres eccleſiæ Chriſtianæ leges apud ſeptentrionales, recte inde infertur, tales de dæmonibus opiniones veteribus Celtis inſedisse. Ita enim, referente in his rebus eruditiſſimo KEYSLERO: [ff] *Omni diligentia inquirat rex & epiſcopus, ne exerceantur errores, & ſuperſtitio ethnica, uti ſunt incantationes & artes magicæ, item ſi quis per aërem dæmoniaco itinere feratur, ſi ingenios locorum credat, quod tumulos aut flumina inhabitent, excubiæ nocturnæ ad exploranda fata, abjuratio Dei & ſanctæ eccleſiæ, ut in tumulis opes inveniant, aut alio modo diteſcant, vel quæſita reſciſcant. Item ſi quis tentet lemures & tumulicolas excitare.* Hæc maleficia cum inter Obotomal referantur, id eſt, crimina capitis ſupplicio luenda, non immerito credimus, ſatis profunde in animos veterum horum populorum penetraſſe. Pertinet & huc, quod in concilio Rotomagenſi [g] interdictum eſt, cum dæmonum turba, in ſimilitudine mulierum transformata certis noctibus equitare ſuper quasdam beſtias, & in eorum conſortio eſſe. Quæ etſi medio potius ævo, quam vetuſtiſſimis temporibus convenire, ex teſtimoniis his queat colligi, recte tamen concilium Anquirenſe monuit, hanc ſuorum temporum ſuperſtitionem, veterem paganorum errorem eſſe, cum aliquid divinitatis aut numinis extra unum eſſe Deum arbitrentur. [h] Nec abludit ab his mythologia borealis, ubi in *Edda antiquiori* [i] Voluſpa

Tunc denuo occuparunt Dii omnes tribunalia
Sanctuli deaſtri, conſiderantes
Quinam deberet nanos dominus creare
Ex Brimeri ſanguine & blaviis cruribus.

Nanos enim hos non homines puſillæ ſtaturæ, ſed certum geniorum genus eſſe, ex his viri docti colligunt, quod Parcæ, Norner dictæ, quas numina de vita hominis diſponentia eſſe credidere, partim ex Alforum, qui genii certi generis ſunt, partim ex Dwergorum, id eſt, nanorum ſtirpe oriundi dicantur. [k] Recenſet quoque Voluſpa, [l] varia geniorum genera:

Noër & Nidi, Nordri & Sudri,
Auſtre & Veſtre, Althioſur Dualin.

Quæ claſſes dæmonum etſi ſubobſcuræ ſint, ad varias tamen præfecturas mundi, quæ iis creditæ putabantur, referendas eſſe, recte ſtatuitur. [m]

Quicquid humus, pelagus, cœlum mirabile gignit,
Id duxere Deos, colles, freta, flumina, flammas.

Noër & Nidi enim a novilunio & decreſcente luna, reliquos a quatuor mundi cardinibus denominatos fuiſſe STEPHANVS OLAI notavit,

ff) *l. c. p. 89.*
g) Apud BVRCHARDVM *l. l. c. 94. §. 44.* conf. IDEM *l. c. p. 90.*
h) Citati. REGINO *c. 364. p. 345.*
i) *Stroph. IX.*
k) Conf. ARNKIEL. *Cimbr. Heidenthum c. XVI. §. 2. p. 94.* BERONIVS *de Eddis §. IX. p. 39.*
l) *Stroph. XI.*
m) PRVDENTIVS *adv. Symmach.*

quocum GVDMVNDVS ANDREAE ad hunc Eddæ locum conferendus eſt. Dæmones vero in bonos malosque diſtinxiſſe, ex SNORRONIS *Edda* quoque colligitur, quæ bonos genios Luiſalfor, id eſt, candidos, malos Daukalfor nigros vocat. Quæ opinio inter Saxones quoque obtinuit, qui ante Caroli M. tempora præter Finnum & Sibam, bonos genios, alium quoque atrum victimis placaverunt, quem Tybilenum vocatum fuiſſe, GEORGIVS FABRICIVS [n] obſervat. Slavi quoque malum deum ſua lingua Diabol ſive Zeerneboch, id eſt, nigrum deum appellant, ut alios Celtarum populos, malum dæmonem colentes, ne noceat, prætereamus, indicatos a cel. WOLFIO. [o] Ex his qualis potiſſimum doctrina de ſpiritibus Celtis placuerit, quæ fundamenta ſuperſtitionis ægre per Chriſtianam religionem deletæ, poſuerint, perſpicitur.

De ortu mundi & hominum.

§. XIII. IV. Theologiæ barbaricæ nobile prorſus caput eſt coſmogonia, quæ plerumque in theogoniam a priſcis theologis mutata eſt. Idem quoque apud Celtas factum, unde doctrina eorum de ortu mundi non niſi ex mythologia Celtica & ſeptentrionali diſci poteſt. Et Galli quidem Druides quid de mundi origine cenſuerint, incertum eſt. Refert quidem multa PLINIVS [p] de ovorum anguinorum genere, inter Gallos Druidis propter incantamenta celebri, quæ non ex cortice tantum æſtimanda, ſed mundi potius ortum ex ovo in iis quærendum eſſe, qualem Aegyptios aliosque populos ſignificaviſſe ſupra indicavimus, contendit IACOBVS MARTINVS. [q] Sed in gente tam vetuſta peregrinarum gentium placita fruſtra ad explicationem doctrinæ ejus domeſticæ afferri ipſa nos convincit ratio: nec hæc ullo teſtimonio conſtant, unde iis non inhæremus. Accedamus itaque ad mythologias veteres Celtarum & Septentrionalium, quæ multa de mundi hominumque origine fabulantur. [r] Vbi tamen non levis difficultas atque incertitudo inde oritur, quod coſmogonia cum theogonia confundatur, id quod recte obſervavit OLAVS RVDBECKIVS, [s] vel potius, quod coſmogonia per modum theogoniæ exprimatur. Verum hæc communis omnium theogoniarum proprietas, vel vitium potius eſt, ideo admiſſum, ut origines rerum majores viderentur. Afferemus tamen ea, quæ ad hanc potiſſimum doctrinam pertinentia in *Edda* dicuntur, ut antiquarum inter majores noſtros doctrinarum facies vel aliquo modo appareat. Supponebant vero Ymerum ante ſecula viventem, & nihil cum eo præter ingens ſpatium. Ita enim Voluſpa: [t]

Mane erat ſeculorum, cum Ymerus habitavit,
Erat nec arena, nec mare, nec refrigerantes aurulæ
Terra reperta eſt nusquam, nec in alto cœlum.
Hiatus ingens erat ſpatii, & gramen nullibi.

Ex

n) *Origin. Saxon. l. I. p. 62.* conf. HACHENBERG. *German. med. diſſ. VIII.* conf. quæ affert VOSSIVS *de idololatr. gent. l. I. c. 35. p. 280. ſeqq.*

o) *De manichæiſmo ante manichæos §. XXV. p. 100. ſeqq.*

p) *Lib. XXIX. c. 3.*

q) *La religion des Gaulois T. II. p. 107.* quem ſequitur FRICKIVS *l. c. p. 47. ſeq.*

r) Audivit horum aliquid TACITVS *de mor. Germ. c. 2.*

s) *Atlantid. c. XXII. §. 2. p. 541.*

t) *Stroph. III.*

Ex quibus verbis patet, & Deum ante ſecula condita & mundi originem credidiſſe veteres ſeptentrionales, Deoque adjunxiſſe chaos, quod Ginnunga gap vocant, id eſt profundum. [u] Tum ſolem & lunam & ſtellas conditas, & tum terram atque gramen producta *Edda* canit. [x] Ita tamen, ut in perſonas mundi partes, more theogoniarum conditoribus communi, mutentur. His hominis creatio ſubjungitur, narrando: Cum ad littus oceani ambularent filii Borei, inveniſſe ligna duo, ex quibus creaverunt Mannum; primus ei ſpiritum indidit, alter vitam, tertius auditum & viſum, & vocatus fuit Mannus iſte Aſchus, mulier autem Emla. Inde ſexus maſculinus ortum traxit. Habitatio autem iis tributa fuit ſub terra in ejus meditullio. Hi autem in medio terræ Aſgardiam exædificarunt, eam incoluit Atinus cum ſtirpe ſua, ex qua ſtirpes noſtræ ortum ſuum trahunt. Et refert quidem hæc RVDBECKIVS [y] ad tertium mundi ſeculum, quo deleto humano generi ſucceſſere Noachidum filii; primo enim Ymo dormienti, ex *Eddæ* fabula, quendam ex ejus corpore ſudorem manaſſe, & ſub axilla ſiniſtra marem atque fœminam prodiiſſe; ſeculo ſecundo, in ſanguine occiſi gigantis genus humanum ſubmerſum fuiſſe, excepto Bergelmero, cum uxore in navi periculum evadente. Tertio itaque ſeculo iſtam creationem Manni & Emlæ, a tribus Noachi filiis factam, id eſt, electionem regis, per Mannum indicati, vindicandam eſſe. Multum tamen veremur, ut RVDBECKIVS, qui manifeſte τῇ ὑποθέσει δελέυει, ſenſum fabulæ recte interpretatus ſit. Mannum enim apud Germanos primum hominum ſignificaſſe, TACITVS [z] auctor eſt, referens: *Celebrare Germanos carminibus antiquis*, (mythologias has tangit) *Tuiſtonem Deum terra editum, & filium Mannum originem gentis conditoresque.* Et ipſa quoque Voluſpa [a] ex Asko & Emla totum genus humanum derivat, & qua ratione vitam animamque & rationem acceperint, enarrat:

Donec tres venerunt ex illo agmine
Præpotentes & amabiles Aſæ ad domum quendam,
Offenderunt in littore miſeros,
Askum & Emlam omni conatu deſtitutos,
Animam nec poſſidebant, rationem nec habebant,
Nec ſanguinem, nec ſermonem, nec faciem venuſtam,
Animam dedit Odinus, rationem indidit Hoenerus,
Loedur ſanguinem addidit & faciem venuſtam.

§. XIV. Cognoſcimus ex adductis Celticæ theologiæ reliquiis, quæ gentibus hiſce de mundi & humani quoque generis origine, ſententia animis inſederit. Eodem vero labore ſimul V. opinionem eorum de anima hominis intelligimus, quam ab Odino accepiſſe, rationem vero indidiſſe Hoenerum ex allatis Eddæ verbis apparet. Sequitur inde, animam ab iis habitam fuiſſe divinæ originis, rationalem atque immortalem. Et hoc κύριον omnium

De animæ immortalitate.

u) Conf. BERONIVS *l. c. p. 37.*
x) *Stroph. IV. & V.*
y) *loc. cit. p. 542.*
z) *loc. cit.*
a) *Stroph. XVII. XVIII.*

omnium Celtarum, cum Gallorum, tum Germanorum & ſeptentrionalium populorum fuiſſe, & Græci & Latini & vetera hyperborea monumenta teſtantur. CAESAR enim diſerte: [b] *Hoc imprimis volunt perſuadere: non interire animas.* Eadem de Gallis MELA: [c] *Vnum ex iis quæ præcipiunt, in vulgus effluxit, videlicet, ut forent ad bella meliores, æternas eſſe animas.* Idem etiam VALERIVS MAXIMVS [d] & STRABO [e] aſſerunt. Et id fabulæ omnes ſeptentrionales de vita futura, de quibus poſtea dicemus, evincunt. Immo de vita ſenſuque animæ, ſupra ingenia barbara philoſophatos interdum eſſe, ex hiſtoria a cl. KEYSLERO adducta [f] colligitur. Et hæc quidem dubio carent, nec ambigendum quoque eſt, an æternum duraturas animas ſtatuerint. Illud enim adducti teſtes omnes uno ore loquuntur, teſtanturque ideo Celtas, Gallos, Germanos, atque ſeptentrionales hanc de immortalitate animæ doctrinam in vulgus exire paſſos eſſe, ut ad virtutem metu mortis neglecto incitaret, & forent populi ad bella meliores. Id quod tanto quoque cum fructu factum eſt, ut non aliæ gentes inveniantur, qui majori animo mortem contemſerint, quam Galli, Germani, ceteræque Celticæ originis nationes. Nam non ſolum de Gallis memorat VALERIVS MAXIMVS, [g] *pecunias eos mutuas, quæ apud inferos redderentur, dare ſolitos, quia perſuaſum habuerint, animas hominum immortales eſſe: ſed & alacrem & fortem Cimbrorum & Celtiberorum philoſophiam* laudat, *qui in acie exultarent, tanquam glorioſe & feliciter vita exceſſuri; Thracum item nationem, quæ natales hominum flebiliter, exequias cum hilaritate celebrat, eo quod feliciorem ac beatiorem finem vitæ reperit.* Id quod de Hiſpanis, qui & ipſi Celtarum colonia fuere, prædicat SILIVS ITALICVS [h]

Prodiga gens animæ, & properare facillima mortem;
Namque ubi tranſcendit florentes viribus annos
Impatiens ævi ſpernit noviſſe ſenectam,
Et fati modus in dextra eſt.

Talem mortis contemtum miranda fortitudine, quæ exemplum vix inter alias gentes invenit, demonſtratum plurimæ hiſtoriæ veterum Germanorum, Cimbrorum, Danorum, Sueonum, loquuntur, quorum aliquas notatu digniſſimas adduxit cl. KEYSLERVS, [i] ſed & plures attulit, cauſasque has, quas adduximus ſcrutatus eſt BARTHOLINVS, [k] qui de ea re conſulendus eſt. Eo vero usque mortis contemtum urgebant, ut ſoluto in riſum ore, per ſummam doloris diſſimulationem ſpiritum redderent, qualia exempla laudatus KEYSLERVS [l] collegit. Quæ vero ratio fuerit, qua de immortalitate animæ perſuaſi mortem adeo læti oppeterent, non eodem modo ſcriptores tradunt. Nam, CAESARE [m] narrante credidere

non

b) *Lib. VI. c. 14.*
c) *Lib. III. c. 2.*
d) *Lib. II. c. 6.*
e) *Lib. IV.*
f) *Antiq. Sept. & Celtic. p. 129.*
g) *Lib. II. c. 6.* h) *l. I.*
i) *Antiq. Celtic. & Septentr. p. 129. ſeqq.*
k) *De cauſis contemtæ apud Danos mortis.*
l) *l. c. p. 131.*
m) *Lib. VI. c. 14.* ita etiam DIODORVS *l. V.*

non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios. Quibus verbis aperte Gallis metempſychoſis dogma tribuitur. Nec aliter LVCANVS, [n] qui eleganter:

An metempſychoſin crediderint?

Vobis auctoribus umbræ
Non tacitas Erebi ſedes Ditisque profundi
Pallida regna petunt; regit idem ſpiritus artus
Orbe alio longæ, canitis ſi cognita, vitæ
Mors media eſt. Certe populi quos deſpicit Arctos,
Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus, haud urget leti metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis: & ignavum redituræ parcere vitæ.

Alii tamen non in alia corpora migrationem, ſed vitam potius poſt mortem, ad manes, quæ POMPONII MELAE [o] ea de re vox eſt, Celtas ſtatuiſſe, & inepte eam explicuiſſe Romanos contendunt, vel deceptos quoque volunt falſa hypotheſi, Gallos accepiſſe metempſychoſin per Zamolxin a Pythagora, quem errorem AMMIANVS [p] & *auctor philoſophumένων* [q] ORIGENIS erraverunt, in eo vehementer decepti, quod Pythagoræ Druidum antiquorum ætatem tribuant, & eandem animarum migrationem iis placuiſſe aſſerant, quod tamen falſum eſſe, ex comparatione utriusque doctrinæ patet. [r] Vt igitur migrationis animarum abſurditatem a Celtis removeant, omnibus viribus agunt, viri doctiſſimi, PHILIPPVS CLVVERIVS [s] ESAIAS PVFENDORFIVS, [t] & ex noſtræ ætatis viris eruditis IACOBVS MARTINVS [u] IOH. GEORGIVS FRICKIVS, [x] SIMON PELLOVTIERIVS. [y] Argumentorum, quæ pro ſua ſententia afferunt, ſumma hæc eſt: 1. aſſerere MELAM, Gallos credidiſſe vitam ad manes, id eſt, apud vita functos, non vero meminiſſe tranſmigrationis, quam DIODORVS, CAESAR, LVCANVS ex male intellecta & confuſa cum Græcorum placitis immortalitate animorum demum effinxerint. 2. Referre, quod & nos ſupra retulimus, VALERIVM MAXIMVM, [z] mutuam dediſſe Gallos pecuniam, quæ in altera vita redderetur, id quod in migratione animarum locum non habet. Addi 3. his poſſunt ceremoniæ, quæ apud Gallos, Germanos & arctoas gentes in ſepeliendis cadaveribus obſervabantur. Refert enim de Gallis CAESAR: [a] *omnia quæ vivis cordi fuiſſe arbitrantur in ignem inferre, etiam animalia*, id quod etiam POMPONIVS MELA [b] HERODOTVS, [c] TACITVS [d] & VALERIVS MAXIMVS [e] narrant, omnia quæ in vivis cara fuere, fuiſſe ſimul

n) *Loc. ſupra cit. v. 457.* *o*) *l. c.*
p) *l. XV c. 9.*
q) *c. XXV. p. 170.*
r) Conf. OBRECHT. *de philoſ. Celt.* §. *11.* ET PVFENDORF. *de Druid. c. 6.*
s) *German. antiq. p. 219.*
t) *l. c. p. 61. 62.*
u) *La religion des Gaulois T. II. p. 220.*
x) *De Druidibus §. 21. p. 45.*
y) *Biblioth. Germanique T. XXIX. p. 221.*
z) *l. II. c. 6. n. 10.*
a) *l. VI. c. 21.* *b*) *l. c.*
c) *l. IV. c. 93.*
d) *c. 27.* *e*) *l. c.*

ſimul vel combuſta vel ſepulta. Id quod inter Danos quoque teſte SAXONE GRAMMATICO, [f] & inter Scythas, referente HERODOTO [g] obtinuit. Cujus cauſa alia non fuit, quam quod ad manes, id eſt, inter defunctorum animas & in altera vita uſum juxta eos illæ res præſtent. Nos in dubia controverſia, imprimis in tanta veterum Celticarum rerum obſcuritate, arbitri judicisque quidem partes nobis non ſumimus, dirimi tamen facile litem poſſe putamus, ſi id mente recolamus, quod in ſimili quæſtione: an Ægyptii transmigrationem ſtatuerint, ſupra expoſuimus. Iisdem enim argumentis quæſtio oppugnata & negata eſt, iisdem reſponderi poſſe putamus. Notum enim ex univerſali metempſychoſeos hiſtoria, eos, qui animarum transmigrationem ſtatuerunt, vitam tamen ad manes ſimul ſtatuiſſe, & in ἅιδη animas collocaſſe, unde in animas deinde redierint, donec per plures migrationis periodos purgati ad Deorum prorſus concilia & beatas ſedes admitterentur. Et eadem ſine dubio multorum Celtarum opinio fuit, qui defunctis & a corpore ſeparatis animabus ſedem quidem atque vitam apud manes aſſignabant, redire vero aliquando in vitam & alia corpora putabant. [h] Id quod ex *Eddæ antiquioris* teſtimonio appoſite probat cel. KEYSLERVS, [i] ubi Sigrunda Helgonis uxor dolore exſtincta, cum marito iterum nata fuiſſe dicitur. Ad quod argumentum retundendum fruſtra objicit cl. FRICKIVS. [k] Eddam utramque frivolis nugis ſcatere. De hoc enim quæſtio non eſt, nec id quisquam negabit, nugari mythologiam in iſtis Eddis comprehenſam; ſed id tamen, de quo quæritur, inde evincitur, inter dogmata, quæ iſtæ fabulæ ſupponunt, & quæ veteribus placuiſſe inde fluit, etiam iſtam animarum migrationem fuiſſe. Addendum vero & hoc, quod ſupra quoque de Aegyptiis monuimus, veriſimillimum eſſe, non idem omnibus Celtarum populis de ſtatu animarum poſt mortem placuiſſe, ſed alios animarum in alia corpora poſt certa tempora reditum admiſiſſe, alios illis alienas ſedes apud manes aſſignaviſſe: quam ſententiam eruditiſſimo quoque KEYSLERO [l] placuiſſe videmus. Quod ne ſola conjectura ducti aſſeruiſſe videamur, ipſe POMPONIVS MELA, [m] quem altera, quæ hæc negat, pars potiſſimum arbitrum conſtituit, audiendus eſt, qui de Getis quidem ſcribens, ſed ob communes per tractus omnes Hyperboreos doctrinæ & habitationis ſucceſſionem de Celtis quoque, Cimbris, Danis, Sueonibus aliisque arctois gentibus intelligendus ſcribit: *Getæ ad mortem paratiſſimi: id varia opinio perficit; alii redituras putant animas obeuntium: alii, etſi non redeant, non extingui tamen, ſed ad beatiora tranſire: alii, emori quidem, ſed id melius eſſe quam vivere.* Quam Melæ relationem optime in Celtas quadrare, ſicque facile diſſentientes opiniones conciliari poſſe, non immerito putamus, certe iis facili labore

f) *l. VIII.*
g) *Ibid. c. 71.*
h) In eandem ſententiam concedit doctiſſimus PELLOVTIERIVS *Bibl. Germ. T. XXIX. p. 222.*
i) *l. c. p. 117.*
k) *l. c. p. 45.*
l) *l. c. p. 116. ſeqq.*
m) *l. II. c. 2.*

bore perſuadebimus, qui Celtarum atque Scytharum res plerumque convenire norunt.

§. XV. Sed ut Celtarum porro theologiam VI. de ſtatu animarum poſt mortem excutiamus, obſervandum eſt, geminum feciſſe ſtatum defunctorum, flagitiis (inter quæ perjuria, aſſaſſinia & adulteria maxima reputata ſunt) deditorum, & fortiter atque cum virtute obeuntium. Illis abitum ad tartara decreverunt, ubi venenati fluminis Naſtrandi fluctibus obruendi & Stygii draconis Nidhuggeri, viperinis morſibus dilaniandi forent. Quæ in *Edda antiquiori*" miris fictionibus depinguntur, & exornantur, & cruciatus a dracone Nidhoggur, qua voce genium malum, damnatos lacerantem, deſignaſſe videntur, perferendi exponuntur. Beatorum ſedes duplex illis erat, pie enim, juſte ac temperanter vitam traducentibus, curiam & palatium in Gimle paratum eſſe, ſole clarius, auro tectum, voluptatibus plenum tradebant.[o] Illi vero qui in bello fortiter occubuerunt, locum capere dicebantur in Valhalla, hoc eſt aula cæſorum: ibi ludebant, poculis indulgebant, palæſtram exercebant, iisque voluptatibus exſatiabantur, quibus in vita delectati erant[p]: unde tantus ruendi in mortem furor, tanta genti armis tantum vacanti, ferocia mortisque contemtus. Vt vero religio opinioni accederet, fabulabantur, in Valhalla Odinum bellatorem Deum adeſſe, & cum eo defunctos in bello vivere. Odini enim Dei ſumma veneratio apud ſeptentrionales fuit, quem ideo non plane inepte cum Marte comparaverunt, & generali quoque nomine Heſum vocavere. Ceterum in hac Valhalla voluntaria morte defunctis locum aſſignabant, ad evitandam enim turpem captivitatem, vel ſenium torpens de ſcopulo ſe præcipitaſſe Hyperboreos, SOLINVS,[q] MELA[r] aliique referunt. Et in hac Valhalla variis deliciis defunctos frui nugabantur, non diſſimili figmento, quale Muhammedani de paradiſo fovent. Quæ tamen, cum inſtitutum noſtrum non tangant, prolixius exponere non licet, ubertim tamen haurire poteſt lector ex iis, quæ KEYSLERVS[s] de hac re copioſe & erudite collegit.

De conditione animarum defunctorum hominum.

§. XVI. VII. Durare vero hanc beatorum vitam ſtatuebant usque ad Ragnarockur, ſive Deorum crepuſculum. Illud vero nihil aliud ſignificat, quam exitium deorum & exuſtionem mundi. De interitu itaque mundi, quid placuerit Celtis jam expendendum eſt. Vidit vel audivit potius de eo aliquid STRABO,[t] qui refert, Druidas animas interitus expertes ſtatuere, item & mundum, aliquando tamen ignem & aquam ſuperatura: minus recte tamen mentem Celtarum percepiſſe, vel ex ipſis ejus verbis poteſt colligi, quæ incendia & eluviones abſurdo ſenſu ad mundi interitum ſimul jungunt. Mirum vero eſt, ex Græcis & Romanis neminem præter Strabonem aliquid hujus doctrinæ retuliſſe, cum tamen mythologia harum

De mundi interitu.

n) *Stroph. XXXVI. XXXVII.* conf. BERONIVS *l. c.* §. *13. p. 44. ſeqq.*
o) *Ib. Stroph. LVIII.* BERONIVS *l. c. p. 46.*
p) *Edda P. I. Myth. XXXIII. XXXVII.*
q) *c. 16.*
r) *l. II. c. 12.*
s) *l. c. p. 127. ſeqq.* qui etiam prolixe de Odino
t) *Loco ſupra laudato.*

gentium prodat, celebre ipſis hoc dogma fuiſſe: quod fuſe mythologia Eddæ perſequitur, & in hiſtoria theologiæ Celticæ omnino expendi meretur. Statuebant ſcilicet, canente Sibylla: ſolem tunc nigreſcere, tellurem in mari ſubmerſum iri, diſparituras ſtellas, ignemque in totam orbis machinam deſævituram. Verba Voluſpæ [u] ipſa afferemus, ut cum Græcorum placitis & traditionibus queant conferri:

Nigreſcit ſol,
Immergitur mari tellus,
Diſpareſcunt e cælo
Serenæ ſtellæ,
Sævit ignis
Sub ſeculi extremitatem,
Lambit aſcendens flamma
Ipſum cælum.

Hæc non ſine ingenti fragore fatiſcentis machinæ eſſe eventura, eodem cantu Sibylla monet, additque ſigna præitura: Fenrin lupum lunam devoraturum, convolutum iri anguem midgardicum, quo circulos cœli intelligunt; auditum iri latratus canis infernalis; [x] Tunc quidem Deos & imprimis Odinum cum his monſtris, ſed infeliciter pugnaturum, [y] ingentem vero malorum peſtem, bella, parricidia, inceſtus, & immaniſſima flagitia præceſſura, ætatemque talem, quam poëta [z] barbaram, enſeam, ventoſam, ferinam vocat. Nihil vero magis notandum in hac mundi ἐκπυρώσει, quam quod Deos ipſos hæc ruina involuet. Ita enim Voluspa: [a]

Tum evenit Hlinæ
Dolor ſecundus,
Quando Odinus prodit
Ad dimicandum cum lupo
Occiſorque Belæ
Candidus cum Surdo;
Tum Triggæ
Cadet maritus.

Alia ibi occurrentia tacemus. [b] Hæc vero accurate conſideranda & cum Stoicis doctrinis comparanda eſſe, rerum peritus facile intelliget. Non enim ovum ovo ſimilius eſt. Ita enim SENECA [c] Tragœdus:

Cæli regia concidit,
Certos atque obitus trahet
Atque omnes pariter Deos
Perdet mors aliqua & chaos.

Ex his enim rite expenſis manifeſtum eſſe putamus, principium illud de Deo per totum mundum diffuſo, cujus partes dæmones ſint, in toto mundo

u) *Stroph. LII.*
x) *Stroph. XXXVIII. XXXIX. XLV.*
y) *Stroph. XLIX.* z) *Stroph. XLIII.*
a) *Stroph. XLIX.*
b) Conf. BERONIVS *l. c. p. 49.*
c) In *Herc. furente.*

do habitantes quod ſupra theologiæ Celticæ fundamentum eſſe aſſeruimus, recte a nobis ad explicandas doctrinas Celtarum ſacras eſſe adhibitum; adeoque eundem in modum, ut de Stoicis, debere intelligi, ut omnia, etiam Dii in Deum redeant. Hinc nova quoque prout & in Stoa, mundi renaſcentis poſt incendium facies aſſerta, agri ſua ſponte dabunt frumenta, nec ſatione opus erit, duo homines Leichtraſer & Lif, mas & fœmina, e tanta clade reliqui, novum mundum novis iterum coloniis ditabunt, Solis filia viam repetet matris, Dii tantis malis ſuperſtites, convenient in Ida-Campo, beati innumeris fruentur gaudiis. [d] Afferuntur etiam de judicio extremo quædam, [e] ſed ea tempore naſcentis Chriſtianiſmi ſuppoſita non ſine ratione ſuſpicatur cl. KEYSLERVS. [f] Plura de hac ſeptentrionis coſmogonia facile dici poſſent, ſed vela contrahenda ſunt, ne nimii ſimus, dicta enim abunde ſufficiunt, ut hæc cum Orientalium & Græcorum coſmogoniis comparari queant. Quæ omnia dum profundiori meditatione expendimus, atque recordamur, quod ſupra jam notavimus, Odinum ex Aſia in ſeptentrionis partes digreſſum hanc religionis traditionem attuliſſe, confirmamur vehementer in ea ſententia, tōtam hanc mythologiam deberi traditionibus orientalibus, quæ cum primis gentium verſus ſeptentrionem migrationibus, quicquid etiam contendat RVDBECKIVS, in arctoas, & ex his in Germanicas aliasque occidentales terras delatæ ſunt.

Aſtronomia Druidum.

§. XVII. Satis diu prolixeque de theologia Celtarum diſpicientes nos detinuere fabulæ ſeptentrionales; quæ de philoſophiæ Celticæ partibus reliquis ſuperſunt, breviora ſunt & paucis abſolventur. Nam *de ſideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, deque rerum natura* Gallorum Druidas philoſophatos eſſe CAESAR, [g] refert, quid vero tradiderint, incertum eſt, atque cum ipſi condiderint, nos latet, & jam PLINII [h] ætate deſiderabantur, qui inter Gallos & Hiſpanos de ſiderum exortu aliquid tradidiſſent. Vnum hoc CAESAR [i] notavit, *ſpatia eos omnis temporis non numeris dierum, ſed noctium finire, & dies natales & menſium & annorum initia ſic obſervare, ut noctem dies ſubſequatur.* Id quod etiam in antiquis Germanorum, & Anglorum monumentis paſſim obſervatur. [k] Referri quoque ad philoſophiam Celtarum poteſt, quod Druidas medicos dixerit PLINIVS, [l] qui tamen medicinam magicam magis, quam phyſicam excoluiſſe videntur. Certe hoc ſuadent ea, quæ PLINIVS alio loco [m] de viſco a Druidis non ſine magna ſuperſtitione adhibito narrat. Illud enim remedium univerſale illis fuiſſe, & ad fœcunditatem adhibitum, immo contra venenum quoque datum teſtatur, & alibi etiam contra comitialem morbum, & ulcera exhibitum eſſe, ait. Id quod in ſuperſtitionem usque ad recentiora tempora abiiſſe eleganti epiſto-

Medicina Druidum.

d) KEYSLERVS *l. c. p. 121.*
e) Vid. BERONIVS. *l. c. §. XVI. p. 51.*
f) *Ibid. p. 126.* g) *l. VI. c. 14.*
h) *l. XVIII. c. 25.* conf. HOTTOMANNVS *ad l. c. Cæſaris.*
i) *l. VI. c. 18.*
k) Conf. KEYSLERVS *l. c. p. 197.*
l) *l. XXX. c. 1.*
m) *l. XVI. c. 44. l. XXIV. c. 4.*

la docuit KEYSLERVS. [n] Meminit quoque alius medicaminis a Druidis in uſum vocati PLINIVS, [o] cujus nomen, ſelago, quamque herbam ſabinæ ſimilem eſſe monet; & ab iis ſuperſtitioſis ceremoniis collectam contra omnem perniciem uſurpatam, ait. Certe ex his, quæ arcanam iſtam naturalis ſcientiæ Druidum cuſtodiam effugerunt, manifeſte apparet, quam miſera totaque ſuperſtitione & magicis opinionibus corrupta fuerit. Recte itaque cum Melampodis medicina eam comparavit DANIEL CLERICVS, [p] & hoc quoque nomine Druides e philoſophorum albo delentur, anicularum & medicaſtrorum choris inſerendi.

Philoſophia moralis Celtarum.

§. XVIII. Tandem & philoſophiam moralem Druidas excoluiſſe STRABO [q] diſerte teſtatur, exotericas tamen atque paræneticas tantum diſſertationes fuiſſe non eſt, quod dubitemus. Vnde ex vita eorum de morali doctrina judicandum eſſe exiſtimamus, cujus ſummam hanc tradit LAERTIVS: [r] *Deos eſſe colendos, nihil mali faciendum, fortitudinem exercendam.* Nec fortaſſe plura requiſita ſunt a gentibus, qui totam vitam ſuam in armis conſumſerunt: Vnum notaſſe juvat, immortalitatis animæ dogma totam fere vitæ duræ, & voluptatibus adverſæ, qua Celtæ eminuere, rationem peperiſſe. Hinc enim non fortitudo tantum & contemtus mortis, ſed armorum etiam ſtudium, huic vero inſerviendo parata reliqua omnia: juventutis exercitatio, ſera venus, proſcriptæ voluptates, matrimonia caſta, victus agreſtis, veſtitus incomtus, domicilia humilia, venatio in pace. [s] Tantum poteſt ſpes futuræ vitæ ad roborandos animos & firmanda corpora.

* *

CAPVT DECIMVM
DE PHILOSOPHIA ETRVSCORVM ET ROMANORVM VETERVM.

§. I.

Etruſcorum philoſophia.

Poſt Gallos Etrusci & Romani nos invitant, homines magna nominis celebritate incluti, quos in philoſophorum albo inter gentes barbaras numerari hinc inde videas. Eorum itaque populorum dogmata, quæ ad philoſophiam barbaricam referri poſſunt, expendenda ſunt. Etruſcorum vero res, quatenus Romanorum hiſtoriam ætate ſupergrediuntur, incertiſſimæ ſunt, parumque quod veri ſitientem ſatiet, deprehenditur. Perluſtrandæ tamen exiguæ reliquiæ ſunt, quæ paſſim occurrunt. Et DIODORVS SICVLVS quidem teſtis eſt, [a] Tuſcos naturæ cognoſcendæ diligenter ſtuduiſſe; nihil tamen, quod ſpecimen ejus nobis exhibeat, affert, viden-

n) Pec. diſſ. *de Viſco Druidum l. c. p. 304.*
o) *l. XXXIV. c. 11.*
p) *Hiſt. de la Medecine l. I. ch. 9. p. 29.*
q) *l. c.* *r*) *l. I. ſ. 10.*
s) Prolixe de his TACITVS *de mor. Germ.*
a) *l. V.* φυσιολογίαν ἐξεπόνησαν ἐπὶ πλεῖον.

denturque ea, quæ de antiqua hac gente apud hiſtoricos ſuperſunt, de ſuperſtitione magis & levitate, quam rerum naturalium cognitione teſtari. Celebrantur enim Etruſci imprimis propter inventa auguria, quæ ſe ad Romanos tranſmiſiſſe gloriabantur. [b] Cujus diſciplinæ Tagen quendam monſtratorem in Etruriæ partibus emerſiſſe ſubito viſum e terra, eos fabulari, monuit AMMIANVS MARCELLINVS, [c] quod & OVIDIVS [d] tangit his verſibus: *Studium rerum naturalium.*

Indigenæ dixere Tagen, qui primus Etruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

Qualis vero ars ea fuerit, ex Romanorum auguriis diſci poteſt ab Etruſcis tranſſumtis, ex quibus qui naſo non caret, facile ſubolfaciet, ad impoſturas fraudesque omnem vatum Etruſcorum artem rediiſſe. Id quod ipſis Romanorum legatis, de invento in Tarpejo colle humano capite Etruriæ celeberrimum vatem Olerium Calenum conſulentibus egregie patuiſſe narrat PLINIVS. [e] Ex quibus recte, niſi fallimur, colligitur, notitiam illam naturalium, quæ Etruſcis tribuitur, in divinandi ex rebus naturalibus peritia conſtitiſſe, meramque fuiſſe impoſturam & ſuperſtitionem, unde jam ARNOBIO [f] *genitrix & mater ſuperſtitionis* Etruria dicta eſt.

§. II. Etſi vero hoc negari non poſſe videtur, ſapuiſſe tamen Tuſcos populos in doctrina de Deo rerum conditore mundique ab eo origine, quibusdam viſum eſt. [ff] Et de Deo quidem ſatis orthodoxe ſtatuiſſe videntur CVDWORTHO. [g] Cujus ſententiæ præſidium potiſſimum ex SENECA [h] arceſſit, qui poſtquam de coloribus fulminum, (in quorum interpretatione Etruſcos excelluiſſe DIODORVS [i] auctor eſt) quædam dixiſſet, Etruſcos quidem a philoſophis diſtinguit, quos de natura rerum non philoſophare, ſed ſuperſtitiones nectere probe norat, illorum vero ita mentem explicat: *Fulmina, dicunt, a Ioue mitti, & tres illi manubias dant. Prima, ut aiunt, monet & placata eſt, & ipſius conſilio Iouis mittitur. Secundam mittit quidem Iuppiter, ſed ex conſilii ſententia. Duodecim enim Deos advocat. Tertiam manum idem Iupiter mittit, ſed adhibitis in conſilium diis, quos ſuperiores & involutos vocant, quæ vaſtat & includit* &c. Quæ ubi, prima ſpecie erronea videri, monuiſſet, addit: *hoc ſecutos eſſe: ad coërcendos animos imperitorum ſapientiſſimos viros judicaſſe inevitabilem metum, ut ſupra nos aliquid timeretur. Vtile fuiſſe in tanta audacia ſcelerum aliquid eſſe, adverſum quod nemo ſibi ſatis potens videretur. Ad conterrendos itaque eos, quibus innocentia niſi metu non placet, poſuiſſe ſuper caput vindicem, & quidem armatum.* Poſtea & hoc addit: *Ne hoc quidem crediderunt, Iovem, qualem in Capitolio & in cæteris ædibus colimus, mittere manu fulmina, ſed eundem, quem nos, Iouem intelligunt, cuſtodem rectoremque univerſi, animum ac ſpiritum, mundani hujus operis dominum & artificem.* Non negamus *Doctrina de Deo.*

hæc

b) Conf. THOM. DEMPSTERVS *ad* ROSINI *Antiq. Roman. l. III. c. 8. 9. 11. p. m. 276.*
c) l. XXI. *d) Metamorph. l. XV. v. 558.*
e) l. XXVIII. 2.
f) l. II. adv. gentes.
ff) AVTEVRS *de l'hiſtoire univerſelle p. 139.*
g) Syſtem. intellect. c. IV. §. 25. p. 538. ſeq.
h) Nat. Quæſt. l. II. c. 41. *i) l. c.*

hæc pro afferenda recta de Deo opinione apud Etruſcos militare, prima fronte; propius tamen conſiderata non multum hanc viri docti ſententiam juvare fatendum eſt. Nam ut taceamus, non obſcure prodere Senecam, ad incutiendum malis metum hanc de Iovis conſilio immiſſis fulminibus doctrinam aſtute excogitatam eſſe, cum naturæ neceſſitate & legibus non conſilio eveniant; Dei ideam is Etruſcis attribuit ſtoicam: addit enim: *nomen ei omne convenire; Fati, providentiæ, naturæ, mundi.* Sic ut Deus hic nihil aliud ſit, niſi *totum quod videmus, totum ſuis partibus inditum & ſe ſuſtinens vi ſua*, ut ipſe fatetur. Idem Etruſcis quoque viſum eſſe, aſſerit. Vnde peſtilentiſſimus error merito Etruſcis transcribendus eſt. Modo SENECA hypotheſi ſcholæ ſuæ non inſerviverit, ejusque opiniones veteribus Etruſcis ſine fundamento non tribuerit. Quod hodie diſcernere impoſſibile, poſtquam Tagetis, Labeonis Antiſtii atque Terquitii libri de diſciplina Etruſcorum [k] perierunt, ſicque ex ipſis gentis fontibus ſapere & judicare nobis non licet.

Quo ſenſu Deum crediderint?

§. III. Quod ſi tamen, ut in gentium vetuſtiſſimarum rebus aliter fieri nequit, conjecturis locus eſt, non a vero abhorrere nobis videtur: de Deo ad mentem Stoæ Etruſcos ſenſiſſe, eumque pro anima mundum penetrante, ſpirituque, ex quo ſunt nata omnia, parteque univerſi habuiſſe; nam hic error omnem fere ſeptentrionalem & occidentalem terram pervaſit. Et perſuadent hoc quoque ea, de generatione ortuque mundi ejusque interitu docuiſſe dicuntur. Servavit enim SVIDAS [l] nobis anonymi Tyrrheni ſive Tuſci coſmogoniam, in qua ait: *opificem rerum omnium Deum duodecim annorum millia univerſi hujus creationi impendiſſe, resque omnes in duodecim domos ita dictas diſtribuiſſe: ac primo millenario feciſſe cœlum & terram, altero feciſſe firmamentum illud, quod appareat, idque cœlum vocaſſe; tertio mare & aquas omnes, quæ ſunt in terra; quarto luminaria magna ſolem & lunam, itemque ſtellas: quinto omnem animam volucrum, & reptilium & quadrupedum, in aëre, terra, & aqua degentium. Videri itaque primos ſex millenarios ante formationem hominis præteriiſſe, & reliquos ſex millenarios duraturum eſſe genus hominum, ut ſit univerſum conſummationis tempus duodecim millium annorum.* Quæ ſatis quidem cum Moſaica hiſtoria creationis, ſi temporis durationem demas, congruere videntur, [11] intus tamen conſiderata, nihil aliud dicunt, quam quod Stoa præcepit, quæ mundum ſucceſſivis periodis ortum eſſe ſtatuit. Vnde acute collegit cel. MOSHEMIVS [m] materiam hic, quæ Demiurgo formandam ſe præberet, ſupponi, ſicque creationem ex nihilo, ex hac coſmogonia non poſſe exſculpi. Id quod vel ex ſupra dictis neceſſario conſequatur, ubi ex Seneca demonſtravimus, ſtoicam de Deo ſententiam Etruſcis placuiſſe, quæ omnino materiam

Origo mundi.

k) Conf. DEMPSTERVS *l. c.* TH. BVRNETIVS *Archæolog. philoſ. c. II. p. 342.*

l) *V.* Τυῤῥήνια *T. III. p. 519.*

[11]) Forte tamen inde νοθείας ſuſpicionem quis foveat.

m) Diſſ. *de creat. ex nihilo §. 28. Syſt. int.* CVDWORTHI *p. 995.*

teriam Deo coævam ſupponit. Mirandum itaque non eſt, easdem mundi converſiones, in anno magno futuras, a Tuſcis tributas eſſe mundo, quæ placuerunt quoque Stoicis. Refert enim PLVTARCHVS: [n] *cum tempore Marii mirabile in cœlo prodigium eveniſſet, nempe claro & ſereno cœlo vox tubæ acutæ & lugubris, ut obſtupeſcerent & cohorreſcerent ejus magnitudine omnes: Etruſcos ſapientes mutationes in aliam ætatem & genus hominum, mundique quandam converſionem portendi hoc oſtento, prædicaviſſe. Eſſe enim iis octo univerſim genera, vita & moribus inter ſe diverſa; unicuique autem præfinitum eſſe a Deo certum temporum numerum, qui magni anni periodo limitatur.* Quæ omnia ſi inter ſe debito jungantur nexu, mundi ſyſtema Stoico non abſimile, etſi barbarum adeoque rationibus philoſophicis non politum & exornatum, ad quæ gens ſuperſtitioni dedita parum attendiſſe videtur, Etruſcis arriſiſſe, fit veriſimillimum. His jam præſuppoſitis lux aliqua afferri poteſt controverſiæ recentiſſime inter πολυμαθέστατον LVDOVICVM BOVRGVETVM, Profeſſorem Neocomenſem, cujus eruditioni, tot veterum rerum lumina debemus, & elegantiſſimum ANNIBALEM OLIVIERIVM multa doctrina & humanitate de ſenſu monumentorum aliquot Etruſcorum agitatæ. Dederat [o] enim vir in deperditis linguis eruendis feliciſſimus explicationem duorum monumentorum, pro Etruſcis hactenus habitorum, ad illuſtriſſimum SCIPIONEM MAFFEIVM Veronenſem, inque ea interpretationem quoque tentaverat figurarum & inſcriptionis ænei monumenti, quod SPONIVS [p] & MONTFAVCONIVS [q] jam attulerunt. In eo Oſiridem & Iſidem, ſive ſolem & lunam, Apollinem & Cybelem fœcunditati granorum præſides exprimi ex habitu figurarum, ſignisque fructuum adjectorum collegerat: & juxta hanc interpretationem ex lingua non Etruſca, ſed Pelaſga, inſcriptionem explicuerat, quæ alia ejusmodi poſtea ſecuta ſunt. [r] Hæc lecta & laudata cl. OLIVIERIVS [s] ſibi dubia videri faſſus eſt, non ſolum ob monumentum æneum, eo tempore, quo hoc ſcriptum eſſe BOVRGETVS contenderat, nondum uſitatum, ſed ex ea quoque cauſa, quod Romuli tempore numina Ægyptiorum Romæ nota & culta fuiſſe, difficulter ægreque probari queat, cum Romani admodum peregrinos Deos abhorruerint, & imprimis Ægyptiaca numina vetuerint. Nos hanc quidem litem, ubi difficilius eſſe putamus, interpretationem dare, quam oppugnare, noſtram non facimus, nec negamus, dubium adhuc nobis videri, num Pelaſga ſive veteri Latina, an Etruſca ſit inſcriptio? Quicquid tamen illud eſt, de quo viris doctiſſimis & in his literis verſatiſſimis ſcrupulum non movebimus, certum tamen putamus eſſe Iſidem & Oſiri-

Mundi interitus.

An Etruſcis Iſis & Oſiris noti.

n) In *Sylla T. IV. p. m. 126.* ubi & reliqua legenda ſunt.

o) *Bibliotheque Italique T. III. art. 8. p. 174. ſeqq.*

p) *Miſcell. Er. ant. p. 87.*

q) *T. I. P. I. p. 105. Tab. LIII.*

r) *Biblioth. Italique T. XIV. art. 1.*

s) Pec. ſcripto: *Spiegazione di alcuni monumenti degli antichi Pelaſgi, traſportata dal Franceſe con alcune oſſervazioni ſovra i medeſimi Piſaur. 1735. 4.*

Oſiridem exhiberi, hoc enim modius & ſiſtrum & flos loti manifeſte docent. Vnde conjicimus paulo ſerius, & quidem circa ea tempora, quibus Ægyptus Magis peregrinis patuit, vel ejus quoque coloniæ varie diſſipatæ ſunt. Oſiridis & Iſidis notitiam atque doctrinam ad gentes Hetruſcas & Pelaſgas perveniſſe. Ea vero cum, ut in antecedentibus probavimus, hypotheſin hanc adumbraverit, eſſe Deum ſpiritum mundi, materiamque ab eo penetrari, mirandum non eſt, hujus hypotheſis ſymbola in his terris inventa eſſe, cum, quod in præcedentibus vidimus, ea Etruſcis placuerit ſententia, quam Ægyptii ſub Iſidis & Oſiridis ænigmate fovebant.

Romanorum veterum philoſophia.

§. IV. Præter Etruſcos Romani, non ſolum imperii magnitudine immortalem poſt reipublicæ incrementa feliciter promota famam conſecuti ſunt, ſed in ipſa quoque naſcentis imperii origine ſapientiæ laudem ſunt adepti. Ita enim conſtituta fuit respublica, ut philoſophiæ ope id factum eſſe, quidam ſibi perſuaderent. Cum enim initia tanto imperio darent homines multi quidem, ſed viles & generis agreſtis, non diffitente Romanæ hiſtoriæ parente LIVIO, [t] fundamentum tum in armis & virium robore quæſitum eſt. Quod cum diu ſuſtineri ita non poſſet, niſi legibus vinculum accederet, alter poſt Romulum rex Numa Pompilius creatus eſt, quem inclyta juſtitia religioneque ea tempeſtate celebrem, & conſultiſſimum virum, ut in illa quisquam ætate eſſe poterat, omnes divini atque humani juris fuiſſe, hiſtoria Romana teſtatur. [u] Is ex tot hominum ingenio, moribus, religione, cupiditatumque inclinatione diverſiſſimorum multitudine conflatam temere civitatem legibus inſtruxit, religionem docuit, mores emendavit, ſicque animos in unum vinculum tanta arte ſociavit, ut inde dignus habitus fuerit, [x] qui inter philoſophos numeraretur, & magni philoſophi diſcipulus crederetur, inſtituta quoque ejus atque diſciplina philoſophica fuiſſe viderentur. Quæ opinio cum momentum aliquod in hiſtoria philoſophica trahat, expendenda eſt, & num philoſophia fundamenta tanto imperio jecerit expendendum. De philoſophiæ vero apud Romanos ſtudio, quod poſt aliquot demum ſecula radices apud Romanos fixit, ſuo, ubi debemus, loco, accuratam inſtituemus tractationem, hic enim origines tantum philoſophiæ barbaricæ, quæ Græcæ ſcilicet opponitur, inter gentes Italas quærimus. Quæ enim de Sabinorum, Aboriginum Latinorum philoſophia, & translatis a Græcis ad has gentes per Æneam philoſophiæ ſtudiis HORNIVS [y] dixit, ea ita comparata ſunt, ut ne levem quidem veriſimilitudinem habeant, & refutationem non requirant, adeo philoſophiæ nomine ſcriptor minus accuratus abutitur.

§. V.

t) *Lib. I. c. 8.*

u) LIVIVS *l. I. c. 18.* PLVTARCHVS in *Numa T. IV. Opp. p. m. m.* reliquique hiſtoriæ Romanæ ſcriptores fere omnes. OVIDIVS *de Ponto l. III. eleg. 3.*

x) Præter Romanos veteres, quorum meminit LIVIVS & PLVTARCHVS huic opinioni adſtipulati ſunt HORNIVS *Hiſt. phil. l. IV. c. 3. p. 232.* & IAC. WINDETVS *de vita funct. ſtatu ſect. V. p. m. 92.* etſi ille dubius hæreat. CLEMENS quoque ALEXANDRINVS apud EVSEBIVM *præp. ev. l. IX. c. 3.* Pythagoricum fuiſſe & Moſaica doctrina nixum leges Romanis dediſſe aſſerit.

y) *l. c. p. 234. ſeq.*

§. V. Vt vero inter philoſophos numeraretur Numa, præter diſciplinam religionis atque legum, quam apud Romanos introduxit, effecit potiſſimum ſimilitudo inſtitutorum cum diſciplina Pythagoræ. Cum enim celeberrimus iſte philoſophus in inferiori Italiæ parte ſcholam erexiſſet, ab eo ad Numam tantam diſciplinæ ſapientiam dimanaſſe ipſis Romanis perſuaſum fuit, eo quod Numæ ſapientiam non alio fonte, niſi hoc, ad Sabinos & Latinos pervenire potuiſſe crederent. Quæ tamen opinio non uno nomine ipſis rerum Romanarum ſcriptoribus abſurda recte viſa eſt. Et eleganter quidem LIVIVS:[z] *Auctorem doctrinæ ejus, quia non extat alius, falſo Samium Pythagoram edunt: quem Servio Tullio regnante Romæ, centum amplius poſt annos*, (& forte poſt plures, incerta enim Pythagoræ ætas eſt,) [a] *in ultima Italiæ ora circa Metapontum Heracleamque & Crotona juvenum æmulantium ſtudia cœtus habuiſſe conſtat. Ex quibus locis, etſi ejusdem ætatis fuiſſet, qua fama in Sabinos aut quo linguæ commercio quemquam ad cupiditatem diſcendi excivisſet? quove præſidio unus per tot gentes diſſonas ſermone moribusque pervenisſet?* Quod accuratum Livii judicium apud eos tanto majus pondus habet, qui Italiæ veteris in tot diverſiſſimos populos diviſæ conditionem norunt. Putat vero PLVTARCHVS, Pythagoræ nomen, quod pluribus commune fuiſſe ſuo loco probabimus, [b] confundendæ præceptoris Numæ perſonæ cum Samio philoſopho occaſionem dediſſe, & videri regis inſtitutionem aut barbaro cuidam Pythagoræ præſtantiori adſignandam, aut non Pythagoram philoſophum quinque ætatibus Numa poſteriorem, ſed Pythagoram Lacedæmonium intelligendum eſſe, qui in Olympico certamine Olympiade decima ſexta, cujus anno tertio Numa rex conſtitutus fuit, ſtadium vicerit, & in Italia oberrans atque cum Numa congreſſus, ei in conſtituendo regno ſocius fuerit, cujus Pythagoræ doctrina effectum ſit, ut Romanorum inſtitutis multa Spartana ſint admixta. Non tamen probabilitate multa ſe hæc opinio commendat, cum prius evincendum ſit, Pythagoram iſtum, quem pugilem fuiſſe veteres tradunt, humani divinique juris cujus ſcientia eminebat Numa, fuiſſe conſultiſſimum, illumque in Italia oberraſſe, & tandem Numæ ſe in regno conſtituendo ſocium præbuiſſe. Quod ut hiſtoria tacet, ita quam exigua hujus traditionis fides ſit, prodit. Multo itaque propius ad veritatem accedit LIVII judicium, a quo ipſe PLVTARCHVS diſcedere non audet: *Numam ſuopte ingenio temperatum virtutibus animum habuiſſe, inſtructumque non tam peregrinis artibus quam diſciplina tetrica & triſti veterum Sabinorum, quo genere nullum quondam incorruptius fuit.* Sed ut ipſam Numæ philoſophiam pernoſcamus, in quo eam ſitam fuiſſe traditio referat, expendendum eſt, & examinandum, quibus rationibus Numam philoſophum fuiſſe, probare, qui hæc contendunt, audeant?

Numa rex an Pythagoræ diſcipulus

z) *loc. cit.*

a) Ante XLIII. Olympiad. & poſt LIV. Olympiad. Pythagoram natum non fuiſſe ſuo loco demonſtrabitur.

b) Vbi de Pythagoræ hiſtoria agendum erit.

Numæ philoſophia aſſerta.

§. VI. Argumentis vero, ſi Romanos audimus, his potiſſimum utuntur, ut I. ad religionem a Numa inter Romanos introductam provocent. [c] Prudentiſſimus enim rex exaſperatum populum ad pacem traducere, negotium non parvi laboris eſſe intelligens, a religione auxilium petiit, & ferocem bellique cupidam multitudinem ſacrificiis, pompis & choreis, quæ majeſtati delectationem adderent, delinivit; nonnunquam terrores a Diis oblatos, ſpectraque geniorum prodigioſa renuncians animos ſuperſtitione captos dejecit. Quæ res, monente PLVTARCHO cum primis effecit, ut ſapientiam diſciplinamque ſuam Numa Pythagoræ conſuetudine paraſſe videretur. Nam & hujus philoſophiæ magna pars in congreſſu cum Diis & ſtudio religionis conſumebatur. Sed II. artes quoque easdem, ad conciliandam ſibi auctoritatem, adhibuiſſe, quas Pythagoras adhibuit, monent; Vt enim ille femur aureum oſtendit, aliisque portentis uſus dicitur, ita & Numam Deæ cujusdam, ſeu Nymphæ, amorem, congreſſusque ſecum occultos, & cum Muſis conſuetudinem prætendiſſe, & pleraque vaticinia Camœnis accepta retuliſſe ajunt. III. Docuiſſe Romanos unam ſummo cultu venerari Tacitæ nomine; ut Pythagoricum ſilentium referret, atque commendaret. IV. Præterea leges de ſimulachris poſitas germanas eſſe Pythagoreis placitis: Pythagoram enim principium rerum non ſenſile, aut motui obnoxium, ſed inviſibile, interitus expers, ſoloque intellectu perſpici quod poſſet, eſſe ſtatuiſſe: Numam Romanis uſu effigiei alicujus Divum, quæ hominis aut animalis cujuscunque formam haberet, interdixiſſe: neque priſcis illis temporibus fuiſſe apud illos vel pictam ullam Dei imaginem vel fictam; ſed primis centum atque ſeptuaginta annis, etſi templa ædificaſſent, atque ſacras ædes exſtruxiſſent, nullum tamen omnino ſimulacrum efformaviſſe; nempe eo, quod & nefas eſſet præſtantiora deterioribus aſſimilare, neque Deum aliter quam ingenio attingi poſſe cenſerent. V. Sacrificiorum quoque ritus Pythagoricæ religioni proxime accedere; facta enim eſſe ſine ſanguine, & plerumque farina, libatione, rebusque viliſſimis conſtitiſſe. Adduntur his alia: VI. Sacerdotii Veſtalium, totiusque de igne perpetuo, quem eæ cuſtodiebant, ritus auctorem Numam eſſe, eumque cuſtodiæ cauſa perenni igni Veſtæ templum circumdediſſe, quod rotundum ab eo inſtructum ſit, non ut terræ, quaſi ea Veſta eſſet, ſed ut univerſi figuram exprimeret, in cujus medio ignem collocatum Pythagorei cenſent, eumque Veſtam & unitatem appellant, terramque neque immobilem neque in medio circumferentiæ ſitam autumant, ſed in orbem circum ignem ferri. [d] VII. Adjicitur his, Numam cœleſtia attigiſſe, temporumque rationes emendaſſe, menſesque ad curſum ſolis pariter & lunæ correxiſſe. VIII. Philoſophiam quoque moralem Pythagoreorum inſtar ſobriam commen-

c) Adducimus rationes a PLVTARCHO *l. c.* allatas, utimur vero verſione XYLANDRI.

d) Refutavit hanc explicationem EZECH. SPANHEMIVS *de Veſta & Prytan. Græc. T. V. theſ. Græv. p. 688.* contendens, Veſtam ſignificare terram, in cujus centro ignis contineatur. conf. CHERBVRI *de relig. gent. c. X. p. 97.* qui ignem omnia vivificantem denotare contendit.

mendaſſe: & quemadmodum Pythagorici noluerint, ut obiter quisquam in tranſitu Diis ſupplicaret: ſed ut domi prius mente ad hoc præparatus adoratum veniret; ita Numam cenſuiſſe: debere cives nihil rerum ſacrarum vel videre, vel audire obiter & neglectim: ſed vacantes ab omnibus aliis rebus, cultui Deorum, tanquam maximo negotio animum intendere. Et ne quid philoſophiæ Numæ deſit, IX. præcepta quoque Numæ Pythagoricis multis fuiſſe germana atque ſymbolica affirmantur. Nam ut ille juſſit ſupra chœnicem non ſedere, ignem gladio non prorutare, peregre abeuntes non retroſpicere, Diis ſuperis impari numero ſacrificare, inferis pari; quorum omnium ſenſum clam vulgo habuit: ita & Numæ quædam inſtituta rationem habere arcanam: cujus generis ſint: Diis non libandum ex vite non putata, neque litandum ſine farina, adorantem in orbem ſe circumagere, & ſedere peractis precibus debere. Horum priorum duo enim videri docere, aliquam pietatis partem in moribus cicurandis quaſi, & ad manſuetudinem componendis poſitam eſſe. Converſionem autem inter precandum, motum univerſi exprimere, vel quod vero propius eſt, quoniam Deum templa ad ſolem orientem ſpectant, eum, qui precatur, inde ſe in orbem convertere, dum ad Deum redeat, eoque voti ſui perfectionem indicare. Quod autem precibus peractis ſedere juſſit, augurii vim habere, quia bonorum vota certa ſint ac firma futura, &c. Satis hæc poterant videri ad efformandam ideam aliquam philoſophiæ Numæ; ſed ne quid demonſtrationi deſit, additur his X. quemadmodum Pythagorici nihil ſcriptis mandaverint, ſed ſuam doctrinam memoria & inſtitutione iis, quos dignos judicarent, absque literarum officio tradiderint: ita & Numam libros ſacrorum, vivum quidem docuiſſe, & eorum intelligentiam ac uſum ſacerdotibus tradidiſſe, ſecum vero ſepeliri juſſiſſe, exiſtimantem, non recte arcana inanimata literis committi. Et fuiſſe Valerium Antiatem auctorem, duodecim libros de ceremoniis, totidemque alios Græco ſermone de philoſophia conſcriptos cum Numa terræ mandatos fuiſſe. Quæ cum quadringentis abhinc annis elapſis vehementibus imbribus tumulo aperto vi inundationis ejicerentur, librique ejecti a Pætilio prætore legerentur, apparuiſſe, quod fuerint Pythagorici, nefasque putatum, ut ea, quæ in libris continerentur, multitudini innoteſcerent, ita factum, ut libri in comitium allati ac combuſti ſint. [e] XI. Tandem ut nihil ad philoſophiam Numæ requiri poſſe amplius cenſeatur, ad ingenium quoque atque mores Numæ provocatur; fuiſſe enim cum natura compoſitis ad omnem virtutem moribus, tum vero diſciplina tolerantia, ſtudioque ſapientiæ adhuc manſuetiorem redditum, ejectis ex animo non iis modo, quæ apud omnes pro vitiis habentur, pravis animi affectionibus, ſed vi etiam & cupiditate, quæ apud barbaros laudi dantur: eam fortitudinem veram eſſe judicantem, qua appetitus ratione coërcentur. Et ne temporis rationes obſtent, XII. contendunt tandem [f] philoſophiæ Romanæ patroni

e) LIVIVS *l. XL. c. 29.* PLINIVS *l. XIII. c. 13.* LACTANT. *l. I. c. 22.* AVGVST. *de C. D. l. VIII. c. 5.* PLVTARCHVS *l. c.* *de la philoſophie T. III. p. 7.*

f) *Hiſtoire critique*

troni, Numam non modo ſed & Pythagoram optimam diſciplinam a Sabinis hauſiſſe, indeque etſi diſpari tempore vixerint, parem tamen & ex unq fonte hauſtam diſciplinam ſuis commendaviſſe.

Negata. §. VII. Ingenio hæc quidem non deſtitui, veritate tamen, quilibet rem recte ponderans, facile comprehendit. Quemadmodum enim in oſtendendis doctrinarum fontibus non ad ſolam aliquam earum convenientiam reſpiciendum eſt, ſed demonſtrari debet, qua ratione ortum ſuum ex aliis dogmatibus habuerint: ita nunquam probari poteſt, Pythagoram cum Numa ex eodem fonte hauſiſſe, & Sabinæ diſciplinæ alumnum utrumque fuiſſe. Et Numam quidem partem eorum, quæ de religionibus conſtituit, a Sabinis, inter quos vixerat, quique hac in re celebres erant, hauſiſſe, eaque optimo ingenio uſum ad rempublicam ordinandam & emendandam feliciter applicuiſſe, non negabimus: Pythagoram vero ad Sabinos penetraſſe, ne illi quidem affirmant, qui tamen nullum fere angulum orbis habitabilis omittunt, quem Pythagoram religionis cauſa non perreptaſſe contendunt. Reliqua vero conformitas inter Numæ & Pythagoræ inſtituta vel aperte ſapit hypotheſin, & tanta violentia ad partes ea trahit, ut præjudicio non impedito ſe ſtatim prodat: vel communis ea eſt & cuivis ratiocinanti facile obvia, nec ſingulari fonte opus habet. Religione enim populum manſuefacere omnium fere legislatorum ars fuit, quemadmodum & divina portentis jactata auctoritas non Pythagoram ſolum, ſed plerosque veteris orbis magnos viros, qui imperia & respublicas fundarunt, in partes traxit. De Deo ſileri eo magis Numæ imperandum erat, quo magis novæ religioni conducebat, in rationes ejus politicas non inquirere. Nullis vero ſimulachris Deum colere, non Pythagoræ, ſed Perſarum quoque inſtitutum fuit, idque paulo altius ratione utenti per ſe obvium: quæ ratio etiam de ſacrificiis valet. Quæ vero de Veſtæ templo deque ſymbolis Numæ afferuntur Pythagoricis ſimilia, apertæ nugæ ſunt, ab iis effictæ, qui fabulæ veteri fidem conciliare ſatagebant, eadem enim facilitate, qua afferuntur, negantur quoque. Scripta vero ſua abſcondere non alia ratio, quam arcana diſciplina, imperio quam maxime inſervitura, quæ per omnem orbem apud veteres gentes percrebuit, Numam juſſit, inque eo non ſolum Pythagoram, ſed plures magnos viros ſocios habuit. Interim magnum virum, & legislatorem prudentiſſimum, Numam fuiſſe [g] adeo non negamus, ut facile in PLVTARCHI ſententiam concedamus, præferendum eſſe Lycurgo legislatorum fere principi. Verum hæc virum quidem prudentem conſtituunt, qua ex cauſa quoque CICERO [h] ei ſapientiam conſtituendæ patriæ, & PLVTARCHVS [i] prudentiam civilem recte tribuunt; non vero philoſophum faciunt. Nec hic ſcopus erat Numæ, qui magno ingenio, diſciplina & miris artibus multitudini apte non cohærenti uniendæ ſe accommodans,

g) Conf. CICERO *de orat. l. III. p. m. 287.* qui enim, *de Orat. II.* Pythagoræ recte præfert.

h) *loc. cit.*

i) *loc. cit.*

modans, practica magis disciplina, quam theoreticis meditationibus fundamenta religionis & imperii jaciendo ita reipublicæ se attemperavit, ut quod fortuito concursu coaluerat, ratione & arte compositum, & firmis coaptatum vinculis perpetuum duraret. Ex quibus, quid de Romanorum vetustissimorum philosophia censendum sit, colligere quivis potest. Nec diu quoque Numæ disciplina viguit, animis Romanorum ferocibus aptis magis ad arma atque bella, quam ad pacis & religionis artes; sed sub Tullo Hostilio ab optimis institutis recedi cœptum est. Qui Romanorum genius tantas radices egit, ut post aliquot secula cum Græci philosophi legati Romam venirent, & de philosophia differerent, illi corrumpendis juvenum animis nati viderentur, matureque domum remitterentur: qua de re historiam philosophiæ apud Romanos persequuturi suo loco, quantum par est, fusius dicemus.

* *

CAPVT VNDECIMVM

DE PHILOSOPHIA SCYTHARVM, THRACVM ET GETARVM.

§. I.

Philosophia Scytharum,

Perlustravimus hactenus universum pene mundum habitatum, gentesque omnes, quæ barbaræ Græcis dictæ sunt, qualis philosophia, quæque doctrina de rebus divinis & humanis apud eos fuerit, exquirentes. Sola nobis restat Scythia, quæ olim generali nomine, quicquid terrarum versus septentrionem continebatur designavit; postea vero ubi Celtia a Scythia distincta est, gentes tantum hyperboreas ad extremos Europæ angulos sitas, & tum hujus tum Asiæ partem incolentes indicavit. Cum itaque capite nono, ubi de Celtica philosophia egimus, eos quoque populos consideraverimus, qui terras septentrionales versus occasum Celtiamque vergentes occuparunt, atque Celto-Scythæ dicti sunt, quod eamdem cum Celtis doctrinæ originem & traditionem habuerunt; restant nobis Scythæ hyperborei, Europæ atque Asiæ limites occupantes, [b] de quorum philosophia dispiciendi necessitatem ordinis ratio nobis imponit.

indole naturæ potius quam ingenio & arte conspicua.

§. II. Fuisse vero Scythas, quique generali hoc nomine continentur populos septentrionales ingenio quidem rudes & arte atque disciplinis vere barbaros, vitæ tamen innocentia atque moribus integerrimis cum paucis comparandos, omnes uno ore scriptores testantur. Ita enim elegans quidam inter Romanos historicus. [c] *Nullum scelus apud eos furto gravius; quippe sine tecti munimento pecora & armenta habentibus quid salvum*

a) Conf. quæ observat OL. RVDBECKIVS in *Atlantide p. 62. 63.* aliique passim.

b) Conf. STRABO *l. VII.* POMPONIVS MELA *l. II. c. 1.*

c) IVSTINVS *l. II. c. 2.*

ſalvum eſſet, ſi furari liceret? Aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt. Lacte & melle veſcuntur; lanæ iis uſus ac veſtium ignotus: & quanquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur: Hæc continentia illis morum quoque juſtitiam edidit, nihil alienum cupientibus. Paria LVCIANVS, [d] CVRTIVS, [e] STRABO, [f] HERODOTVS, [g] ARRIANVS, [h] quique alii morum apud Scythas meminerunt, teſtantur. Quod quidem facile concedi poteſt, cum defuerit nationibus his, durum atque pauper vitæ genus excolentibus, occaſio vitiorum, quæ luxuriam & avaritiam gignere plerumque ſolent. Nihil tamen omne illud ad faciendum Scythis locum in hiſtoria philoſophica affert. Nam non philoſophiæ beneficio, ſed naturæ quadam bonitate & occaſionis ad ſcelera defectu hæc morum apud eos integritas invaluit. Id quod probe notavit IVSTINVS [i] qui ſupra adductis hæc addit: *prorſus ut admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Græci longa ſapientium doctrina præceptisque philoſophorum conſequi nequeunt; cultosque mores incultæ barbariæ collatione ſuperari. Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quam in his cognitio virtutis.* Forte tamen in his teſtimoniis admirationi peregrinarum rerum aliquid datum, & Scytharum virtus nimis laudibus elata eſt. Feritatem enim populorum horum cum bella cruenta ab iis geſta teſtentur, & immanis mos, ſacrificia hoſtiis humanis peragendi prodat; recte inde intelligitur, nondum ibi habitaviſſe virtutem, ubi ignorata illis gentium aliarum ſcelera exulaverunt. [k] Quicquid tamen horum eſt, certe philoſophos ex Scythis exſculpere, idem eſt, ac informe ſaxum mutare in ſtatuam. Audiendus itaque non eſt ALEXANDER AB ALEXANDRO, [l] qui apud Scythas Agrippeos, Abios & Calvos philoſophos enumerat, qui ſacri habiti ſint. Nationes enim cum philoſophorum ſectis vel theologorum collegiis confunduntur, Abios enim nomadicum hominum genus inter Scythas eſſe, STRABO [m] & TERTVLLIANVS [n] nos docent. A quibus diverſi qui a Strabone πολισαὶ καὶ κλίσαι dicti ſunt, quoniam vicatim & oppidatim cœperunt habitare, quos tamen ideo φιλοσοφῶντας dici a SCALIGERO, [o] merito mireris. Nihil enim, quod philoſophiam referat, præter vitæ innocentiam, quam STRABO in iis laudat, habuerunt; & a recta vocis ſignificatione recedunt, qui ob hanc morum integritatem magnos ex Scythis philoſophos exſculpunt. [p] Nam & illi Scytharum, qui apud Græcos in magna fuerunt exiſtimatione, id quod Anacharſidi, Abaridi & aliis contigit, non propter philoſophiam atque eruditionem famam atque nomen conſecuti ſunt, ſed ὅτι ἐθνικόντινα χαρακτῆρα, ἐπέφαινον εὐκολίας, καὶ τε-

λειό-

d) In *Toxari T. I. p. m. 590. ſeqq.*
e) *l. VII. c. 8.* *f*) *l. c.*
g) *l. IV.* *h*) *l. IV.* *i*) *l. c.*
k) Conferenda cum his quæ eleganter differit cl. PELLOVTIERIVS *Bibl. Germ. T. XXIX. p. 224. ſeqq.*
l) *Genial. dier. l. IV. c. 13. p. m. 214.*
m) *l. c.*
n) *De præſcriptionibus c. 42.*
o) In *Elencho Trihæreſii c. XX. p. m. 149. 150.*
p) *Hiſtoire critique de la philoſophie T. I. l. I. c. I. §. 2. pag. 38. ſeqq.*

λειότητος, καὶ δικαιοσύνης, [q] *quod gentilitium quendam characterem facilitatis, perfectionis ac juſtitiæ præ ſe ferrent.*

§. III. Etſi vero philoſophos ex Scythis effingere non licet, meretur tamen theologia harum gentium attentionem, quæ quo magis canam antiquitatem ſapit, eo majus quoque momentum trahit. Non enim expertes fuiſſe notitiæ de Deo, deque creatione mundi, inde concludi poteſt, quod ABARIM *oracula Scythica* & *theogoniam* ſcripſiſſe, & ICESIVM *de myſteriis* librum reliquiſſe veteres memorent. [r] Nihil tamen eorum ad nos pervenit, conjici tamen ex iis, quæ capite nono de theogoniis & mythologia ſeptentrionalium populorum verſus occidentem divertentium diximus, poteſt, ſimilia quoque apud Scythas orientem verſus habitantes obtinuiſſe. Ex Aſiatica enim Scythia iſtos populos occidentem verſus exiiſſe ſupra probavimus. Mature tamen vitæ ratio vaga & incertum vivendi genus hæc extinxiſſe videntur, unde & tam pauca de harum gentium religione apud ſcriptores reperiuntur. [s] Illud vero admodum ſimile, religionem cultumque Dei apud Scythas ab orientalium placitis & dogmatibus valde fuiſſe diverſum, quem cum tandem relinquerent, & orientalium religioni accederent Scythæ, qui in Aſiam irruptionem fecere, ἐς τὸ αὐτῶν ἔκλιναν σέβας τὴν πάτριον ἀθεΐαν ἀφέντες, *ad cultum eorum inclinarunt, patrio numinis contemtu relicto*, ut habet NICEPHORVS GREGORAS. [t] Quod non ita intelligendum eſt, ut nonnulli acceperunt, [u] Scythas fuiſſe atheos, nullumque Deum agnoviſſe: ſed vult id tantum hiſtoricus, eos, relicto contemtu religionis, qualis apud orientales vigebat, tandem mutatis moribus Aſſyriorum numina recepiſſe. Deos enim admiſiſſe Scythas, gravi oratione Anacharſis apud PLVTARCHVM teſtatus eſt. [x] Præter Deum animæ quoque immortalitatem credidiſſe Scythas, inque eo conſenſiſſe cum Celtis & reliquis verſus ſeptentrionem habitantibus populis, ſupra jam ex parte dictum eſt. Spes enim vitæ poſt mortem, & altera vitæ ſedes bellicoſiſſimas has gentes faciebat. Qua de re ex ore Trajani eleganter IVLIANVS imperator [y]: *Sunt Getæ omnium, qui usquam ſunt bellicoſiſſimi, non tantum ob corporis robur, ſed propter eam, quam eorum animis defixit opinionem, qui apud ipſos colitur, Zamolxis. Non enim ſe mori, ſed in alias ſedes transferri exiſtimantes paratius id faciunt, quam cum iter aut peregrinationem ſuſcipiunt.* Id quod etiam confirmat HERODOTVS [z] referens, ſperare moribundos, perventuros ſe ad Zamolxin. Ex quibus patet, vitam alteram Scythas poſt mortem credidiſſe. An vero animarum migrationem ſtatuerint, ex obſcu-

Theologia Scytharum.

ris

q) STRABO *l. c.*
r) CLEMENS ALEX. *adm. ad gent. p. 42. ſ.* an vero, quod hic traditur, Sauromatæ Scytharum populus, enſi ſacrificaverint? doctiſſime exponit PELLOVTIERIVS *Bibl. Germ. T. XXIX. p. 215.*
s) Conf. BVRNET. *archæol. phil. c. II. p. 341.*
t) *l. II. Hiſt. Rom. p. m. 18.* ed. Wolf.
u) REIMMANN. *Hiſtor. Atheiſmi c. VIII. §. 5. p. 80.*
x) *In convivio T. I. p. m. 286.*
y) In *Cæſaribus.*
z) *l. IV. p. 280.*

ris veterum relationibus ſatis certo definiri nequit. Nobis veriſimillima videtur POMPONII MELAE relatio, [a] qui luculenter: *Quidam feri ſunt, & ad mortem paratiſſimi, Getæ utique. Id varia opinio perficit: alii redituras putant animas obeuntium; alii, etſi non redeant, non extingui tamen, ſed ad beatiora tranſire; alii, emori quidem, ſed id melius eſſe quam vivere.* Ex his vero opinionibus contemptus mortis & gaudia ad ſepulchra quæ & MELA & VALERIVS MAXIMVS [b] de Thracibus Getisque referunt. Ita enim apud populos bellicoſos doceri intererat.

Abaris Philoſophus.

§. IV. Inter Scythas hyperboreos magnum apud Græcos nomen ſibi peperit ABARIS, inter ſapientes, ſive philoſophos tanto conſenſu numeratus, ut inter celeberrimos Pythagoræ diſcipulos referretur. Quod tamen Pythagoreorum ſtudium in Abarim mire hiſtoriam ejus turbavit. Fatetur enim ipſe ex horum hominum numero IAMBLICHVS, [c] *quod Pythagorei proni ſint ad fidem adhibendam talibus, qualia de Ariſtæo Proconneſio & Abaride hyperboreo μυθολογούμενα, per fabulas atque commenta referuntur: & quotquot alia ſunt generis ejusdem. Omnibus enim hujusmodi adhibere aſſenſum: multa quoque & ipſos comminiſci, ſaepeque talium, quæ fabuloſa videntur, mentionem facere, tanquam nihil non credentes, quod ad Deum refertur.* Ex qua candida confeſſione, quam ſubleſta fides horum hominum ſit, manifeſtum eſt, qui dum fundamentale quaſi dogma a magiſtro conſtitutum receperunt, *περὶ θεῶν μηδὲν θαυμαστὸν ἀπιστεῖν, μηδὲ περὶ θείων δογμάτων, nulli divino vel operi mirando vel dogmati fidem denegandam eſſe;* [d] fraude, fallaciis, & mendaciis philoſophicam hiſtoriam miſere conſpurcarunt. Fuiſſe vero fertur Abaris Scytha hyperboreus, filius Scuthi, [e] Apollinis hyperborei ſacerdos, θαυματοῦργος. Mirabilia enim multa de eo memorantur. Quod ſi enim, ſi Diis placet, fides eſt mythologis, accepit ab Apolline ſagittam, [f] mirabilem, in templo Apollinis repoſitam, ut ea ad ſuperandas in longa peregrinatione itineris difficultates uteretur. Vectus itaque ea per invia quæque flumina, lacus, paludes, montes, & alia id genus, ac præterea eadem ſagitta, luſtrationes peregit, peſtemque depulit, atque arcuit ventos ab urbibus, quæ opem ejus implorabant, id quod Lacedæmone & Cnoſſi factum eſſe contendunt. [g] Et hac quoque ſagitta, per aëra in Græciam delatum eſſe mentiuntur. [h] Cum enim, referente HARPOCRATIONE, [i] & SVIDA [k] lues univerſum popularetur orbem, Apollo conſulentibus oraculum Græcis barbarisque reſpondit, Athenienſes omnium nomine vota facturos. Multis vero gentibus ad eos legatos mittentibus, etiam Abaris hyperboreus legatus

a) *l. II. c. 1.*
b) *l. II. c. 6.*
c) In *vita Pythag. n. 138. p. 116. f.* edit. Kuſteri.
d) IDEM *l. c. n. 148. p. 125.* & in *Protreptico Symb. IV.*
e) SVIDAS in *Abaris T. I. p. 3. ſeq.*
f) Hanc ſagittam, referunt mythologi, Apollinem in hyperboreo monte defodiſſe, cum Cyclopas interfeciſſet, qui fulmen Iovi fecerant, quo Aeſculapius erat interfectus. Sed poſtquam Iupiter ignoviſſet filio, ſagittam ipſam vento ad Apollinem perlatam cum frugibus, quæ eo tempore naſcebantur. vid. HYGIN. *Poët. Aſtron.* VALESIVS *ad Harpocrat. p. 83.*
g) IAMBLICHVS *l. c. n. 91.* PORPHYR. *vit. Pythag. n. 29. p. 35.* ed. Kuſt.
h) SVIDAS *l. c.*
i) In *Abaris*, *p. 5.* k) l. c.

gatus veniſſe traditur: Sagitta divina vero vecto nomen peperit, ut ἀιθροβάτης, *aërambulus* vocaretur. [l] Ad Græcos itaque delatus, mirabilibus ſuis, cum & ſacrorum eſſet peritiſſimus, & ariolus celebris, [m] magnam auri ſummam corrogavit, quam Deo Apollini, in hyperboreo templo conſecraret. Tranſeunti autem, narrant, per Italiam, viſum eſſe Pythagoram Deo, cujus erat ſacerdos ſimillimum, & propterea ſagittam Pythagoræ reddidiſſe, quam iter ingreſſurus e templo ſumſerat, ut ea ad ſuperandas in tam longinqua peregrinatione itineris difficultates uteretur. Pythagoram autem rei inſolentia minime commotum, nec cauſam, cur daretur, percontatum, Abaridi ſeorſim ab arbitris abducto, aureum ſuum femur oſtendiſſe, & ita fidem feciſſe, quod non male feciſſet; hortatumque eſſe, ut illic loci maneret, & emendandis, qui ſe ipſis oblaturi erant, ſociam ſibi præſtaret operam, aurum vero, quod collegerat, communicaret cum familiaribus. Cum itaque apud ipſum maneret, phyſicam & theologiam in compendium redactas illi tradidiſſe, & loco extiſpicii, quod per ſacrificia fieri ſolet, divinationem per numeros docuiſſe, immo & alia ſtudia Abaridi convenientia cum illo communicaviſſe. Hactenus IAMBLICHVS, [n] qui & alio loco, ſui quaſi immemor, tradit, [o] Abarim congreſſum cum Pythagora, cum hic a Phalaride captivus detineretur, plures ei quæſtiones maxime ſacras propoſuiſſe, de ſimulacris, de religioſiore Dei cultu, de providentia, de rebus tum quæ cœlo continentur, tum quæ in terris paſſim verſantur, & ſimilibus aliis. Phalarim vero in utrumque ira exarſum acerbe invectum eſſe, Abarim autem Pythagoræ gratias egiſſe, & edoctum ab eo, quod a cœlo pendeant reganturque omnia, ex iis, quæ Dæmonum quorundam operatione immittuntur, Phalaridi perſuadere conatum eſſe, dari divinam providentiam, quæ omnem hominum expectationem & vim longe ſuperet. Reliqua quæ de diſſertationibus Pythagoræ philoſophicis coram Phalaride & Abaride narrat, cum prolixiora ſint, apud ipſum IAMBLICHVM legenda ſunt. Quod ſi porro Abarideæ fabulæ incruſtatoribus fides danda, ad Trajanos quoque diſceſſit, & paratum ex oſſibus Pelopis, Palladii ſimulacrum eis vendidit: [p] tandemque ad ſuos rediens, quod SVIDAS [q] habet, ſagitta mirabili ex Græcia in Scythiam reductus eſt, poſtquam candore, ſinceritateque atque bonitate animi Græcos ſibi devinxiſſet. [r] Et hæc quidem nobis tanquam certiſſima hiſtoriæ facta narrant, Abaridis fabulæ commentatores; adeo ſe tamen turpiter dant, ut mentiendi & fingendi audacia manibus palpari queat. Id quod vel ex ſolis temporum rationibus demonſtrari poteſt, quæ adeo male in Abaridis hiſtoria cohærent, ut vel hoc ſolo argumento tota narratio ſuſpecta fiat. Accidiſſe enim luem illam, cujus occaſione Abaris in Græciam miſſus eſt, Olympiade tertia, non ſolum HIPPOSTRATVS apud HARPOCRATIONEM [s] & SVIDAS [ſſ] auctores

l) IAMBLICHVS & PORPHYR. *ll. cc.*
m) EVSEBIVS *Chronic. n. MDLXVIII.*
n) *l. c. n. 92.* & PORPHYRIVS quoque *l. c.*
o) *n. 215. ſeq. p. 175. ſeqq.*
p) FIRMICVS MATERNVS *de errore profanar. relig.* SCALIGER. *ad* EVSEB. *chron. n. MCDLIV.*
q) *l. c.*
r) STRABO *l. VII.*
s) *l. c.*
ſſ) *l. c.*

res ſunt, ſed & feſtum Proëroſiarum evincere videtur, quod ante arationem pro univerſis Græcis aliisque populis ab Athenienſibus propter avertendam famem & luem fieri ſuetum Olympide V. obſervatum jam eſt. [t] Alii tamen ſerius, & Pindarus quidem temporibus Crœſi Lydorum regis, [u] alii Olympiade vigeſima tertia vixiſſe Abarim contendunt, alii IAMBLICHI & PORPHYRII narrationibus fidem habentes, qui cum Phalaride congreſſum referunt, in hujus tyranni tempora Abarim reponunt, [x] ubi tamen, cum Pythagoram quoque conveniſſe in aula Phalaridis narretur, difficilis inde de ætate Phalaridis & Abaridis quæſtio atque controverſia inter doctos Britannos enata eſt; [y] quam diſcutere hujus quidem loci non eſt, illud tamen inde notandum e re præſenti eſt, Phalarim tyrannidem non exercuiſſe ultra 28. annos, nec minus annis 16. cædemque ejus non priorem fuiſſe Olymp. LVII. 4. quæ BENTLEII ſententia eſt, nec poſteriorem Olymp. LXIX. 1. quod DODWELLO placuit. Quamcunque ſententiam eligas, quæ potiſſimum Pythagoreorum relationibus nitatur, non conſtabit illa, cum occaſione, quam mittendi Athenas Abarim cauſam Scythis fuiſſe veteres tradunt. Ita vero corruit etiam traditio FIRMICI, qui eum Palladii fabricatorem ponit, & ita temporibus longe vetuſtioribus aſſerit: corruunt etiam temporum notationes apud EVSEBIVM, qui cum Pindaro quidem regni Crœſi initiis adſcribit, mox tamen ad Olympiadem LXXXII. 4. refert. Nec in tanto diſſenſu certi quid definiri poſſe putamus, miramur tamen viros doctiſſimos, qui de Phalaridis & Abaridis temporibus acerbe inter ſe contenderunt, tantum fidei commentis Iamblichi & Porphyrii, & his ſimilium dare potuiſſe, cum non tantum ipſi Platonici fateantur, ſcholam ſuam a commentis in hoc argumenti genere non abhorrere, ſed & manifeſtum ſit, nihil in tota narratione cohærere, cum ipſe Iamblichus mox [z] Agrigenti, in aula Phalaridis Abarim cum Pythagora congreſſum narret, mox [a] in eo loco, ubi ſcholam inſtituit, ab eo edoctum eſſe tradat. Et cum horum hominum ſtudium, omnes antiquitatis canæ viros mirabiles, hariolos, ſacerdotes, magos in diſciplinam Pythagoræ trahendi, ſicque herois ſui famam & auctoritatem augendi in vulgus notum ſit, facile omnes, qui rem recte ponderant, exigui & vere nullius momenti eorum fidem eſſe, concedent. Veriſimiliter itaque ad tertiam Olympiadem Abaridis ætas nobis referri videtur, quod ſi admittamus, vera ejus hiſtoria a nugis & fabulis, quibus ea referta eſt, facili negotio diſcerni poteſt. Hæ enim tam inconditæ & inſulſæ ſunt, ut nec HERODOTVS [b] eas pro veris nar-

t) Scholiaſt. ARISTOPHAN. in *equit. p. 331.* SVIDAS in *προσποσίοις T. III. p. 183.* & in *ἐφεσιῶν. T. II. p. 29.*

u) Apud HARPOCRAT. *l. c.* POTTER *archæol. Græc. p. 389.*

x) Conf. BAYLE *Dict. v. Abaris not. D. E. T. I. p. 4. ſeq.*

y) Inter celeberrimos viros RICHARDVM BENTLEY, CAROLVM BOYLE, HENRICVM DODWELLVM, WOTTONVM aliosque quorum ſcripta enumerat FABRICIVS *Bibl. Græc. l. II. c. 10. Vol. I. p. 405.* Eminent inter hæc diſſertationes BENTLEII & DODWELLII de *Phalaridis epiſtolis.* Potiora momenta quoque congeſſit BAYLE *l. c.* qui quosdam recentiorum errores de ætate Abaridis detegit.

z) n. 216.

a) n. 92, 93. *b) L. IV. c. 36.*

narrare, nec IAMBLICHVS ſine præfamine licentiæ mentiendi orbi obtrudere auſus fuerit. Nec difficile eſt, fontes ejusmodi fabularum detegere, ſi modo ad ea tempora attendamus, quibus veriſimiliter Abaris vixit. Cum enim iſtis temporibus ſuperſtitio philoſophiæ cultu nondum expugnaretur, inventi ſunt impoſtores plurimi, qui divina oracula, atque inſpirationem prætendebant, peculiaria cultus divini genera inſtituere ſatagebant, & miracula ſe edere poſſe jactantes, regiones atque urbes a peſte, fame aliisque malis luſtrationibus & incantationibus liberare promittebant, callidiſſimis præterea præſtigiis ſuperſtitioſæ plebi illudentes. Quem in finem per orbem vagabundi oberrabant, homines auro emungebant, & neſcio quam diviniorem ſapientiam cariſſime vendebant. Teſtes ex multis erunt atque exemplum dabunt, quos Abaridi jungit IAMBLICHVS [c] Empedocles Agrigentinus, Epimenides Cretenſis, & ipſe, qui tantopere extollitur Pythagoras, id quod ad horum virorum hiſtoriam delapſi ex inſtituto probabimus, & vel ſola cognomina probant; Empedocles enim ἀλεξάνεμος, ventorum depulſor, Epimenides Catarthes, ſive expiator dictus eſt: nec ineleganter obſervat ARTEMIDORVS, [d] ſomnium vaticinandi facultatem objiciens animo, prædicere vitam vagabundam & itinera, διὰ τὸ τὸς μάντεις περινοστεῖν, *eo quod vates vitam errabundam agant.* Talem vero Abarim fuiſſe omnes vitæ ejus circumſtantiæ, quæ ulla probabilitate veræ videntur, ſuadent. Percurrit enim non Græciam tantum, ſed Italiam quoque, & vaticinandi facultatem jactavit, [e] luſtratisque regionibus & urbibus oracula præſcripſit, [f] morbis verbis & incantationibus mederi promiſit, [g] & miris præſtigiis artibusque illuſoriis popellum ad corradendum aurum detinuit. Et huc ipſam ejus ſagittam referimus, niſi potius omnis illa narratio, quod multi veterum [h] contendunt, inter fabulas referenda ſit. Non enim ſine omni veriſimilitudine credi poteſt, præſtigiatorem hunc ejusmodi ſagittam populo oſtendiſſe, qua opinione vulgi majora & mirabilia effecit, ſicque divina jactavit & impudenter mentitus eſt: qualia ſæpius & apud veteres & noſtris temporibus facta eſſe, multis exemplis probari poſſet, [i] & Iacobi Aymari virga divinatoria egregie illuſtravit PETRVS BAYLE. [k] Hæc cum fabulis poſtea augerentur, tota Abaridis hiſtoria in mythologiam & inanes nugas mutata eſt, adeo ut Heraclides, teſte PLVTARCHO [l] integrum libellum de ejusmodi μυθολογημένοις Abaridis conſcripſerit. Hæc Herodoti jam tempore ad fallendos magis pueros quam delectandos viros narrabantur. Poſtquam vero Platonici recentiores aliique hujus furfuris homines inter gentiles philoſophos e re ſua & gentilis ſuperſtitionis eſſe rati ſunt, Pythagoram aliosque veteres hujus generis philoſophos, theologos, hariolos, præſtigiatores divinis IESV CHRISTI diſcipulis, θαυματέργοις

c) *n. 136.* PORPHYR. *l. c. n. 29.*
d) *Oneirocrit. l. III. c. 21.*
e) CLEM. ALEXANDRIN. *Strom. l. I.*
f) APOLLON. *mirabil. hiſtor. c. 4.*
g) PLATO in *Charmide.*
h) Vid. imprimis HERODOTVS *l. c.*
i) Conf. BAYLE *l. c. not. B.*
k) *l. c. not. H.*
l) *nomodo aud. poëta.*

τέργοις opponere, & miracula eorum ad deprimendam gloriam miraculorum Chriſtianorum jactare, ut vel paria & majora etiam gentiles theologos potuiſſe edere vulgus crederet, vel Chriſtiana quoque, ut iſta gentilium theologorum mendacia & fraudes eſſe prudentiores putarent, Abarideæ quoque fabulæ ornatæ multumque auctæ & ad excitandam imprimis Pythagoreo-Platonicis auctoritatem imprudentiſſimis mendaciis excultæ ſunt. Id quod recte Celſo objecit ORIGENES[m] hac de re legendus, qui quam inſipide Abaris Ieſu noſtro opponatur, eleganter oſtendit. Ex dictis hactenus colligi quoque poteſt, qualia ſcripta fuerint, quæ Abaris conſcripſiſſe dicitur; inter quæ *oracula*, *Scythica* inde dicta, nominat SVIDAS, & laudat APOLLONIVS,[n] item καθαρμὸς, & *nuptias fluvii Hebri, & Apollinis adventum ad Hyperboreos*, denique *theogoniam* quoque. Quorum tamen omnium nihil noſtram ætatem attigit, & ſine jactura omnia deſiderantur.[o] Patet enim ex iis, quæ de Abaride diſſeruimus, indignum eſſe, qui, inter philoſophos veri nominis referatur, cum impoſtor potius dicendus ſit. Ex hoc uno vero de pluribus hujus generis, qui adhuc in hiſtoria philoſophica occurrent, judicium fieri cupimus.

Anacharſis. §. V. Meliori ingenii animique charactere enituit, Scytharumque gentem ſapientiæ nomen dediſſe evincit ANACHARSIS itidem Scytha, Gnuri[p] filius, Caduitæ, quem alii Saulium vocant, Scytharum regis frater, matre Græca natus, ex illorum Scytharum genere, qui Nomadici ob vitam vagam, & errabundam dicuntur.[q] Is ſapientiæ ſtudium tyrannidi præferens, ad Græcos, quod eorum linguam calleret,[r] a rege miſſus Athenas venit Olymp. XLVII. anno primo, & in Toxarim conterraneum incidit, qui eum ad Solonem adduxit, hominem, tunc quidem, Græcorum præſertim Athenienſium ſapientiſſimum, a quo totius Græciæ ſapientiam diſcere poſſet.[s] Ad cujus ædes cum veniſſet, teſte Hermippo unum ex familiaribus juſſit nuntiare Soloni, Anacharſin adeſſe præ foribus, ut illius conſpectu & hoſpitio, ſi fieri poſſet, frueretur.[t] Puer hæc intus Soloni renuncians, hoc reſponſum retulit: in propriis regionibus atque patria hoſpites fieri. Anacharſis vero introgreſſus, dixit: modo ſe eſſe in patria, decere itaque eum, hoſpites facere. Quam mentis ſagacitatem & dexteritatem adeo Solon admiratus eſt, ut non continuo tantum illum admiſerit, ſed & maximæ amicitiæ vinculis ſibi devinxerit: ſenſitque Solon, qui tum legibus civitatem moderabatur, nec ſapientiæ cognitionem, nec virtutis ſenſum Scythæ deeſſe. Quare optimis eum artibus inſtituit, nobiliſſimorum hominum amicitias ei conciliavit, tantamque ei comparavit auctoritatem, ut notante Theoxeno, ſolus ex barbaris jure civitatis ab Athenien-

m) Adv. Celſ. l. III. p. m. 131. *n) ll. cc.*

o) Conf. FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. I. p. 10. ſeqq.*

p) Daucetæ, apud LVCIAN. in *Scytha T. I. p. m. 347.*

q) LAERT. *l. I. ſ. 102.* SVIDAS in *Anacharſis T. I. p. 186.*

r) LAERT. *l. c.* aliter tamen LVCIANVS *l. c.* qui, barbarum ob ſermonem a nemine intellectum domum remigrare conſtituiſſe, narrat.

s) IDEM *l. c. p. 350.*

t) LAERTIVS *l. c.* paulo aliter LVCIANVS *l. c.* qui a Toxari adductum eſſe refert.

nienſibus donaretur. [u] Anacharſis vero Solonis admiratione & amore captus, nunquam ab ejus latere diſceſſit, & omni ſapientia practica & civili, qua pollebat Solon, ab eo imbutus eſt. [x] Quam cum more gentis ſuæ virtute conſummata temperantia, juſtitiaque perfeciſſet, [y] mirum non eſt, barbarum hominem Græcis non diſplicuiſſe. Alebat enim & animum fortem, atque virtute ſubactum, & ingenium elegans, quod pulcherrimis apophthegmatibus & præceptis, quæ LAERTIVS [z] recitat, demonſtravit, dignis quæ legantur, cum nobis non liceat eſſe tam prolixis, ut ea exponamus omnia. Vnum attuliſſe ſufficiat atque alterum: Vitem, dixit, uvas tres ferre, primam voluptatis, ſecundam ebrietatis, tertiam mœroris. Rogatus, quomodo quis abſtemius fieret, ſi turpes, inquit, ebrioſorum motus ſibi ante oculos ponat. Mirari ſe dixit, qui fiat, ut qui mentiri vetant, in cauponum tabernis mentiantur &c. Quæ cum viri hujus ſobrietatem, prudentiam atque ceteras virtutes nativo colore referant, inter fabulas Græcas merito numerandum eſt, quod Græci narrant, [a] a Periandro ad convivium ſeptem ſapientum invitatum, corona ex floribus, hedera & lauru acceſſiſſe, & more Scytharum plurimum bibiſſe, præmiumque bibendi ſibi popoſciſſe, quod primus eſſet inebriatus. Tales enim fabellas Græci, Athenienſes imprimis, ad excuſandam vitæ licentiam & voluptates affatim excogitarunt. Athenis vero relictis, [b] magnam orbis partem Anacharſis peragravit, & ſapientiæ ſtudio indefeſſo animi auxit divitias, tandemque in patriam, ſuo tamen malo remeavit. Cum enim Cyzici, Helleſpontum transfretans, feſtum matris Deorum celebrari vidiſſet, eadem ſacrificia, ſi ſalvus domum perveniſſet, ſe in patria inſtituturum, profeſſus eſt. Redux itaque Hylleam ſe ſubduxit, & ſacra hæc peregrino habitu atque ceremoniis perfecit. [c] Id quod Scythis, peregrina ſacra & ceremonias abhorrentibus ita diſplicuit, ut a rege Saulio ſagitta confoderetur, quem fratrem fuiſſe, quidam ſuſpicantur. [d] Alii in venatione hanc cædem factam contendunt, quod Græcorum mores, ritus & inſtituta in patria introducere molientem Scythæ ferre non potuerint. Qui cum animam efflaret, dixiſſe dicitur: ſeſe ſapientiæ & diſciplinæ cauſa tutum in Græcia, ejus invidia in patria jam perire. [e] Laudatur vero non tantum ob ingenii elegantiam & virtutem animi, ſed & dicendi genus forte atque maſculum, unde proverbio occaſionem dedit: Scythicus ſermo. [f] Nec medicinæ cognitione deſtitu-

u) LVCIANVS *l. c. p. 354.*

x) Conf. PLVTARCH. in *Solone.* LVCIAN. in *Anachars. T. I. p. 722. ſeq.*

y) STRABO *l. VII. p. 301.* CLEM. ALEXAN. *Strom. l. I. p. 308.* qui barbaræ philoſophiæ ſummam in his ejus verbis ponit: *mihi indumentum eſt lana, cœna autem lac & caſeus.*

z) *l. c. p. 103.* & Commentatores ad *h. l.*

a) PLVTARCHVS in *convivio ſept. ſapientum.* AELIANVS *V. H. l. II. c. 41.* ATHENAEVS *l. X. p. 437.* tota enim fabula de convivio iſto a Græcis conficta eſt: ad quod attendendum in *Hiſt. crit. philoſ. T. I. p. 341.* ne aliena affigantur viro ſapienti.

b) Id poſt Solonis mortem factum eſſe LVCIANVS in Scyth. *l. c.* conjicit.

c) CLEMENS ALEXANDRINVS *admon. ad gent. p. 14.*

d) Conf. HERODOT. LAERT. LVCIANVS *l. c.* STANLEIVS *Hiſt. philoſoph. P. I. p. 89.*

e) LAERTIVS *l. I. ſ. 102.*

f) Ita quidem IDEM *l. c. ſ. 101.* aliam tamen proverbio ſignificationem vindicant SVIDAS & ATHENAEVS, quorum, cum aliorum explicatione,

ſtitutum fuiſſe, teſtatur, quod de Scytharum diæta ac medicina multa liberaliter fertur diſſeruiſſe. [g] Ex quibus omnibus recte tandem colligimus, non philoſophum quidem, ſapientem tamen atque eruditum virum Anacharſim fuiſſe, & practicam magis atque civilem quam theoreticam ſapientiam, cultumque Deorum, ad feliciter capeſſendas forte imperii, quod ſperabat habenas, a Græcis didiciſſe, & exercuiſſe. Scripſit more ſeculi ſui carmine heroico, *de legibus Scytharum*, item *de victus frugalitate*, & *de re bellica*, [h] quæ tamen omnia temporis injuria interciderunt. [i] Dicitur etiam inveniſſe fomites, anchoram item & figuli rotam, [k] quod tamen alii rectius negant, [l] & fortaſſe ad introductum tantum inter Scythas uſum referendum eſt. Imagines ejus paſſim occurrunt. [m] Epiſtolæ vero, quæ eidem tribuuntur, Sophiſtarum ſcholam redolent. [n]

Toxaris.

§. VI. Eodem, quo Anacharſis tempore floruit, vixitque Athenis TOXARIS Scytha, non claris quidem parentibus, ut ille, ortus, ſed tanto tamen ſapientiæ diſcendæ ſtudio inflammatus, ut deſiderio viſendæ Græciæ relictis domi uxore, & filiis infantibus, Athenas conceſſerit. Vbi cum Solonem ſapientiæ laude inclutum offenderet, ei adhæſit, tantoque ejus amore captus eſt, ut perpetuo illi ad latus eſſet, omnique diſciplinarum, quales ab Archonte hoc excolebantur, genere erudiretur. Tanta autem virtutis ejus, & imprimis candoris atque amicitiæ commendatio apud Solonem fuit, ut cariorem haberet neminem: erat enim *Φιλόκαλος ἀνὴρ, καὶ ἐπιτηδευμάτων Φιλομαθὴς τῶν ἀρίστων*, quo elogio elegantiſſimarum ſcientiarum atque optimarum artium ſtudium in eo laudat LVCIANVS [o] qui etiam ejus in colenda amicitia fidem vehementer extulit. [p] Non tamen cum Anacharſi in Scythiam rediit, ſed Athenis commoratus ibi vivere deſiit, poſtquam experti medici nomen atque famam conſecutus eſſet. Quæ tanta inter Athenienſes fuit, ut, referente LVCIANO [q] inter heroas Aeſculapianos poſt mortem referretur; quoniam is feminæ cuidam tempore peſtis in ſomnio adſtitiſſe viſus fuit, & conſuluiſſe, ut angiportus vino conſpergerent, a contagio liberandi, & effectus ſomnio quoque reſpondit liberatis a peſtilentia Athenis. [r] In cujus rei memoriam nivei coloris equus ad ejus monumentum quotannis immolatus eſt, ferebaturque nonnullos febre labo-

ne, ſententiam refert MENAGIVS *ad h. l.* ERASMVS *Chiliad. III. p. m. 432.*

g) PLVT. *in conviv. ſept. Sapientum T. I. p. m. 291. 301.* fatemur tamen non exigua ſpecie conjecturam hanc ſe commendare, quæ putat, omnes hos ſermones Plutarchum effinxiſſe. Quod etſi concedimus, hoc tamen certum eſt, ad perſonarum characterem attendere debuiſſe, unde hoc ſaltem ſequitur, Anacharſin medicinæ non fuiſſe imperitum. Vnde medicis veteribus a FABRICIO *Bibl. Græc. Vol. XIII.* enumeratis adjici poteſt.

h) LAERT. *l. 1. ſ. 101.*

i) conf. FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. I. p. 771.*

k) LAERTIVS, SVIDAS *ll. cc.* STRABO *l. VII. p. 303.*

l) Rota enim figuli HOMERO jam memoratur, & anchora jam Argonautæ uſi ſunt, vid. STRABO *l. c.* SENECA *ep. 90.* et quæ ex veteribus affert MENAGIVS *ad l. c. Laërtii.*

m) In LAERTIO Wetſtenii, & in IAC. GRONOVII *theſauro Græc. antiq. T. II. tab. XXXV.*

n) Edidit EILHARDVS LVBINVS *Baſ. 1660. 8.* conf. FABRICIVS *Bibl. Gr. Vol. I. p. 418.*

o) In *Scytha T. I. p. 343. ſeqq.* cui notitiam hujus viri debemus.

p) In *Toxari T. I. p. 590. ſeqq.*

q) *l. c. in Scytha.*

r) Conf. FABRICIVS *Bibl. Gr. Vol. XIII. p. 438.* DAN. LE CLERC *Hiſt. de la Medecine l. II. c. 4. p. 90.*

laborantes ab eo ſublevatos eſſe. Tantum valuit perſuaſio de medici hujus peritia, ut ſuperſtitio poſt mortem illum mederi putaretur. Statua vero & monumento atque coronis ſepulchrum ejus honoratum eſt.

§. VII. Omnes tamen celebritate atque auctoritate apud Scythas vicit ZAMOLXIS, Geta, quem philoſophiæ apud Scythas atque Thracas conditorem faciunt, [s] & ex hujus diſciplina non Druidas tantum, [t] ſed & Pythagoram multa hauſiſſe, & imprimis animorum immortalitatem & migrationem didiciſſe quidam contendunt. [u] Aliter tamen Pythagoræ aſſeclæ, & in his ejus vitæ conſarcinatores IAMBLICHVS [x] atque PORPHYRIVS, [y] quibus adſtipulatur PSEVDO-ORIGENES, [z] qui contendunt, Zamolxin fuiſſe Pythagoræ ſervum, [a] & cum eo in Ægyptum profectum, poſtquam ſermones Pythagoræ percepiſſet, manumiſſum, atque ad Getas reverſum leges ipſis tuliſſe, & ad fortitudinem ſuos populares fuiſſe hortatum, dum iis animæ immortalitatem perſuaſit. Hincque etiam Galatas omnes & Thraces & alios multos barbarorum liberos ſuos ſic inſtituere, ut credant, animam interitus expertem eſſe, mortuisque ſuperſtitem manere; adeoque mortem iis non eſſe pertimeſcendam, ſed firmato animo periculis occurrendum. Cum itaque Getas hæc docuiſſet, legesque illis præſcripſiſſet, maximum Deorum apud eos habitum eſſe. Quæ narratio vel hac ſola ex cauſa ſuſpecta eſt, quod doctrina de immortalitate animæ, & vita ejus poſt obitum apud ſeptentrionales gentes longe vetuſtior ſit temporibus Pythagoræ, ut in præcedentibus evicimus, adeoque a Pythagora per Zamolxin ad Getas pervenire non potuerit. Et obſervavit jam HERODOTVS [b] Zamolxin Pythagora longe antiquiorem videri, id quod etiam ETYMOLOGVS [c] atque SVIDAS [d] ſequuntur: mirandumque Zamolxin tamen HERODOTO Pythagoreum vocari. [e] Nec nos multum hic movet Græcorum aſſertio, Zamolxin Pythagoræ ſervum faciens: ea enim a Pythagoræ admiratoribus orta STRABONEM, LAERTIVM & PSEVDO-ORIGENEM ſecurius fidentes in aſſenſum traxit. *Illos vero Zamolxin vindicare Pythagoræ, quid mirum*, recte ait, VOSSIVS, [f] *cum id ad Pythagoræ laudem pertineat?* Supra enim jam obſervavimus, hos nugivendulos omnes magnos antiquorum ſeculorum viros divinitate donatos Pythagoræ vel doctores vel diſcipulos feciſſe, ut heroi ſuo laudem atque gloriam conciliarent. Vnde quoque ſine neceſſitate duos Zamolxas exſculpendos non eſſe putamus, quorum unus antiquiſſimus Thracum legislator

Zamolxis.

&

s) LAERT. *l. I. ſ. 1.* VOSSIVS *de ſectis philoſ. c. III. §. 1. p. 19.*

t) ORIGENIS *philoſophum. c. XXV. p. 170.*

u) Ita quidem Hermippus apud IOSEPHVM *l. 1.* contra Apionem, cujus tamen fidem recte ſuſpectam facit IO. SCHEFFERVS *de phil. Italica c. IV. p. 15.*

x) *n. 173. p. 146.*

y) *n. 14. p. 16.*

z) *l. c.* Conſentiunt STRABO *l. VII.* LAERTIVS *lib. VIII. ſ. 2.* SVIDAS in *Zamolxis Tom. II. pag. 2.*

a) Stigmate notatum ſervi indicia habuiſſe refert PORPHYRIVS *l. c.*

b) *Lib. IV. c. 95.*

c) Vid. MENAG. *ad l. c. Laërt.*

d) *loc. cit.*

e) Loquitur nempe ex communi traditione, quæ etiam ven. WOLFIO *ad l. c. Pſeudo-Orig.* placuit,

f) *loc. cit.*

& theologus, alter Pythagoræ ſervus fuerit, [g] quæ veterum teſtimonio deſtituuntur. HELLANICVS vero in *barbaricis inſtitutis*, tradit, [h] fuiſſe quendam Græcum, qui Getis in Thracia degentibus τὰς τελετὰς, arcanum Deorum cultum oſtenderit, dixeritque, neque ſe moriturum, neque ſuos aſſeclas, ſed omnia bona habiturum. Cum hæc dixiſſet, domum ſubterraneam exſtruxiſſe, & ex Thracum oculis ſe ſubduxiſſe, ibique vixiſſe; a Getis vehementer deſideratum. Quarto autem anno ſubito iterum apparuiſſe, ſicque ſummam apud Getas fidem inveniſſe. In qua narratione falſum omnino eſt, Zamolxin Græcum fuiſſe, & teletas ex Græcia ad Thraces pertuliſſe, nam Zamolxin Getam omnes fere veteres faciunt, & ex Thracia arcanum cultum atque myſteria ad Græcos pertulit Orpheus. Qua ratione vero immortalitati & reviviſcendi ſpei fidem fecerit, veriſimilitudine non caret, & paria fraudis ſpecimina paſſim vetus hiſtoria nobis enarrat, qualem etiam in Pythagoræ hiſtoria deprehendemus. Illud dubio caret, doctrinam hanc, animas non interire, ſed poſt vitam apud manes feliciter actam redire in corpora, auctore potiſſimum Zamolxi invaluiſſe, quem in ea cum Pythagora ὁμόψηφον laudat IVLIANVS. [i] Et hæc forte cauſa fuit, cur Zamolxin inter ſumma numina Scythæ retulerint. Alii [k] enim, eos Saturnum in Zamolxi coluiſſe, alii [l] Herculem conjiciunt, eumque per Gebeizin indicatum eſſe putant. [m] Mortuos vero ad Zamolxin tranſire Getæ credebant, eosque redituros perhibebant, & ideo in funeribus propinquorum convivabantur, more per totum fere ſeptentrionem communi. [n] Certis quoque feſtorum ſolennitatibus legatos per ſortem electos qui ad Zamolxin irent, in aërem projectos & haſtarum cuſpidibus exceptos atque ita trucidatos fuiſſe, HERODOTVS tradit, quod a barbaro Scytharum atque Thracum more ſacrificia humana peragendi non abhorret. Ceterum Druidas ex Zamolxidis diſciplina prodiiſſe, quod PSEVDO-ORIGENES affirmat, [o] veriſimile non eſt, niſi forte id de ſacerdotibus ſeptentrionalium intelligatur. Qualem vero philoſophiam tradiderit Zamolxis Getis ſuis, haud facile dixeris, ſi negetur, fuiſſe ex diſciplina Pythagoræ. Quanquam enim IORNANDES [p] eum miræ eruditionis philoſophicæ fuiſſe dicat, & Gothos ſapientiores ſemper extitiſſe Græcisque pene conſimiles aſſerit, inepte tamen inde concluditur, Thracum & Getarum philoſophiam fuiſſe Græcanicæ ſimilem. Ex iis enim quæ de Anacharſi atque Toxari diximus, patet, moralem magis partem vivendo quam meditando eos expreſſiſſe: reliqua dogmata vero ad vitæ inſtitutum, quod arma & vitam duram atque pauperem exhibebat, fuiſſe attemperata.

Diceneus. §. VIII. Præter hos alii quoque apud Scythas celebrantur viri ſapientiæ & philoſophiæ laude incluti, inter quos præter ZERBAM a IORNANDE

g) Ita VOSSIVS *l. c.*
h) Apud Etymologum & SVIDAM *ll. cc.*
i) In *Cæſaribus.*
k) HERODOTVS *l. c.* conf. MENAG. *ad l. c. Laërt.*
l) PORPHYR. *l. c.*
m) Conf. MENAGIVS *l. c. Biblioth. Germanique T. XXIX. p. 221.*
n) SVIDAS *l. c.*
o) *loc. cit.*
p) De rebus *Geticis l. II. p. 26.* ed. Lindenbrog.

NANDE [q] imprimis commendatur DICENEVS, qui non tantum ingenio philoſophico valuit, ſed & populares ſuos philoſophiam rationalem, naturalem & moralem docuit, & ſideralis quoque atque civilis ſcientiæ præcepta eis tradidit. Fuit vero ille coævus regi Bœrebiſtæ, qui Syllæ atque Iulii Cæſaris temporibus vixit: unde conjici poteſt, eum Græcam philoſophiam ſero in his regionibus introduxiſſe. Licet enim gentibus his rudis plerumque ſenſus tribuatur, recte tamen monuit CVRTIVS: [r] *quosdam eorum ſapientiam cepiſſe, quantamcunque gens capit ſemper armata.*

§. IX. Peragravimus ita totum terrarum orbem, omnesque gentes barbaras, &, quæ apud eas philoſophia viguerit, quantum in obſcuro argumento & monumentorum defectu licuit, diſpiciendi ſtudium atque diligentiam adhibuimus. Ex omnibus vero, dictis hactenus, conſtare putamus, philoſophiam barbaricam a Græca & a vera definitione philoſophiæ longe abire. Verſata eſt ea enim præcipue in doctrina de Deo & divinis, de anima humana, de mundi generatione & ortu, de ſiderum contemplatione, reliqua ad vitam magis, quam meditationem referebantur. Nec philoſophandi ratio ea fuit, quæ a Græcis adhibita eſt, & quam adhiberi res poſtulat, ut deductis ex principiis concluſionibus veritas eruatur, ſed traditio omnem paginam abſolvit, & quæ majoribus, vel magnis in his gentibus viris placuerunt, ſimplici fide admiſſa, & a ſacerdotibus transmiſſa ad poſteros ſunt. Qui cum impoſturam, fraudes, artesque alias ad fulciendam ſuam & imperii auctoritatem adhibuerint; patet ex his omnibus, recte a nobis ea dicta eſſe, quæ initio hujus tractationis de philoſophia barbarica pronunciavimus. *Epilogus libri.*

q) loc. cit. *r) Lib. VII. c. 8.*

HISTORIAE PHILOSOPHICAE PERIODI PRIMAE,

A mundi naſcentis origine ad initia monarchiæ Romanæ,

PARS SECVNDA, *DE PHILOSOPHIA GRAECORVM.*

LIBER PRIMVS, DE INFANTIA PHILOSOPHIAE GRAECAE.

CAPVT PRIMVM. DE PHILOSOPHIA GRAECORVM FABVLARI.

§. I.

Origines philoſophiæ Græcæ.

NUnc ad Græcos accedendum eſt, populum ſapientiæ atque artium ſtudio ab ipſis fere gentis incunabulis inclytum, & apud quem ſedem tandem philoſophia invenit exoptatiſſimam, poſtquam cognitionis divinarum & humanarum rerum a barbaris ad eum ſemina delata eſſent. Confluebat enim Græcorum natio antiquiſſimis iſtis temporibus ex variis coloniis, Ægypti, Phœniciæ, Thraciæ, aliarumque gentium, quibus viri prudentes præerant, qui non ſolum agreſtem hominum vitam politicis inſtitutis emolliebant, ſed & religionis ac cultus Deorum vinculo quaſi cicurabant, & quæ in patria de rebus divinis & humanis audiverant, ita novis populis tradebant, ut ſacrarum potiſſimum doctrinarum freno in ordinem redigerentur. Vnde diſpar initio philoſophiæ Græcorum antiquorum ſacræ facies fuit. Cum enim Danaus & Cecrops Aegyptii eſſent, Cadmus ex Phœnicia coloniam deduceret, Orpheus Thraciam patriam haberet, non aliter evenire potuit, quam ut theologia iſtarum gentium ad Græcos perferretur; quæ cum potiorem & præſtantiorem barbaricæ omnisque antiquæ philoſophiæ conſtituerit, ſerius ad rerum humanarum & naturalium contemplationem hominibus delapſis, neceſſario in diverſas opiniones excrevit. Id quod in antiquiſſimæ philoſophiæ Græcæ hiſtoria quæ mythologica fuit, ante omnia attendendum eſſe cenſemus, nam inde de ſenſu fabularum & theogoniarum varie

varie judicandum, & ad hoc momentum quam maxime reſpiciendum eſſe, quilibet videt, & res ipſa atque Græcorum origines loquuntur. Ægyptium enim hominem, Phoroneum, apud Græcos cultum Deorum inſtituiſſe, notant CLEMENS ALEXANDRINVS [a] & ARNOBIVS, [b] & religionem ab Ægyptiis ad Græcos translatam fuiſſe HERODOTVS [c] tradidit: Cecrops quoque Athenarum conditor, homo Ægyptius, teſte PAVSANIA, [d] & EVSEBIO [e] primus de Iove ſummo philoſophatus eſt. Orpheus vero religionem Græcam cultus divini ceremoniis & præceptis formavit, unde ejus initia ad eum ab ARISTOPHANE [f] & EVRIPIDE [g] referuntur; qui cum Thrax eſſet, idcirco religio, referente NONNO [h] θρησκεία nominata eſt. Cadmus vero Phœniciis traditionibus uſus, Thebanos iisdem fere ſacris innutrivit. Ex quibus jam ſequitur, in eruenda philoſophiæ mythologicæ hiſtoria ad conditorum patriam quam maxime reſpiciendum eſſe, & laterem lavare, qui de uno doctrinarum ſacrarum apud Græcos ſyſtemate in fabulari philoſophia comprehenſo cogitant, vel theologiam gentium, unde iſtæ coloniæ deductæ ſunt, negligunt. Et hanc quoque cauſam fuiſſe probabile eſt, cur viri ingenii altioris & excitatioris, ad capeſſenda ſapientiæ præcepta ad barbaros, præcipue ad Ægyptios excurrerint, [i] quoniam hos fontes in Græcorum arva derivatos, & mythologico ſenſu obſcuratos conſulendos eſſe judicabant: qui tamen, cum levem inde eruditionem reportaſſent, ſuomet ingenio & proprio marte philoſophari incipientes tandem ad veras philoſophiæ rationes pervenerunt: adjuti libertate Græcæ nationis & curioſitate gentis innata, ipſa regiminis forma iſtam libertatem, quam apud barbaros ſervitus populorum & ſacerdotum auctoritas ſuppreſſerat, fovente. Et ex his jam de initiis philoſophiæ apud Græcos judicandum, & quæſtio quoque, ſupra jam excuſſa illuſtranda eſt, an & quo ſenſu Græci barbaris philoſophiam debeant? id quod de initiis tantum philoſophiæ, quæ potiſſimum res divinas continuit, intelligendum eſt: unde theogoniæ quoque potiorem fabularis philoſophiæ partem apud Græcos conſtituunt. Acceſſere poſtea ad animos religione emollitos prudentiæ politicæ præcepta, magnis viris in id incumbentibus, ut legibus rempublicam ordinarent, & prudentiſſimis monitis populum ſimul inſtituerent. Et ſic philoſophia politica inter Græcos exorta eſt, quæ cum fabulari infantiam Græcæ philoſophiæ conſtituit.

§. II. Ex his vero, quæ de initiis philoſophiæ Græcæ diximus, prima fronte apparet, non nuda facie expoſita dogmata populo rudi & ad meditationes atque capiendas doctrinas, præcipue ſacras minus apto, ſed fabulis

Initio Græca philoſophia fabularis fuit.

a) *Admonit. ad gentes p. m. 28.*
b) *Lib. VI. adv. gentes p. m. 187.* ed. Canteri.
c) *Lib. II.*
d) In *Arcadicis.*
e) In *Chronico.*
f) In *ranis.*
g) In *Rhoeſo.*
h) In *Collect. & exegeſ. hiſtor. St. I.* ad calc. Nazianzeni.
i) Conferendus, qui luculenter per omnes fere artes & diſciplinas hæc oſtendit DIODORVS SICVLVS *Hiſt. l. I.* cujus locum exhibet EVSEBIVS *Præp. Ev. l. X. p. 480. ſeqq.*

lis obvelata & ita obſcuriſſime propoſita fuiſſe. Cujus conſilii rationes ex circumſtantiis Græcorum, originem capiente tunc populo, derivandæ ſunt. Ex diverſis enim coloniis Græcos coaluiſſe monuimus: omnes vero illæ ex ejusmodi regionibus ortæ erant, ubi arcana docendi methodus, imprimis circa ſacras doctrinas obtinuit. In Ægypto enim præ reliquis regionibus hanc conſuetudinem viguiſſe, nec Thraces vel Phœnices ab ea alienos fuiſſe, immo per omnes fere gentes barbaras fuiſſe admiſſam, ex hiſtoria philoſophiæ barbaricæ fuſe a nobis enarrata palam eſt. Tranſiit itaque ad Græcos eadem tegendi doctrinas ſacras conſuetudo, præcipue cum rationes validiſſimas gentis conditores haberent, arcanam hanc per fabulas docendi methodum conſervandi, & quæ domi ἀλληγορικῶς didicerant, eodem modo tradendi & propagandi. Scilicet res eis erat cum populo rudi, agreſti, fero, rationum philoſophicarum ad mitigandum animum, & emolliendos mores incapaci & impatienti. Vt itaque respublica ſuis vinculis cohæreret, animique miteſcerent; id quod domi majores feliciter adhibuiſſe noverant, in conſilium verterunt, & doctrinas ſacras atque religionem fabulis complexi ſunt. Qua de re eleganter STRABO: [k] *fieri non poteſt, ut mulierum & promiſcuæ turbæ multitudo philoſophica oratione excitetur ducaturque ad religionem, pietatem & fidem: ſed ſuperſtitione ad hoc præterea opus eſt; quæ incuti ſine fabularum portentis nequit. Etenim fulmen, ægis, tridens, faces, angues, haſtæque Deorum thyrſis præfixæ fabulæ ſunt atque tota theologia priſca. Hæc autem recepta fuerunt a civitatum auctoribus, quibus veluti larvis inſipientium animos terrerent.* Id & alio loco, quem brevitatis cauſa non exſcribimus, monet, legislatorum & moderatorum civitatum hunc fuiſſe morem utilitatis cauſa, ut voluptatem fabula excitaret, voluptas diſcendi cupiditatem. Alia tum veterum [l] tum recentiorum [m] imprimis magni VERVLAMII [n] teſtimonia tacemus. Ratio itaque ex his manifeſta eſt, cur in mythologica Græcorum theologia infantiam philoſophiæ in hoc populo ponamus. In his enim fabulis ſapientiam a primis fabularum conditoribus, (a quibus inania poëtarum figmenta ſeparanda ſunt) propoſitam fuiſſe dubitabit, qui rem recte expendit, nemo. Quos vero ſenſus & ſignificationes habuerint, id profecto dicere opus arduum & difficile, & in quo exitum non ſperaveris; adeo obſcura ſunt, ut tota mythologia eſt, omnia, nec nos poſt tot virorum doctorum conjecturas hic, ubi alia agimus, non repetendas, [o] certiora promittere atque dare audemus. Afferemus tamen conjecturas noſtras, ut altius hac de re cogitandi inde lectori ſubnaſcatur occaſio. Et I. quidem certa

k) *Lib. I.*

l) PLVTARCHI *de audiendis poëtis*, ARISTOT. *Met. l. I. c. 2.*

m) BVRNET. *Archæol. philoſ. c. IX. p. 408.* & quos laudant BVDDEVS *Anal. philoſ. diſſ. II. p. 46. ſeqq.* & CHR. ESCHENBACH. *diſſ. Academ. I. §. 3. p. 3. ſeqq.*

n) Præf. libri *de ſapientia veterum.*

o) Conferenda ſunt, quæ de fabularum ſenſu differunt B. BVDDEVS *l. c.* & in *præfat.* & P. TOVRNEMINE *memoires de Trevoux Tom. VI. p. 83. ſeqq.*

certa atque indubitata dare impossibile est, cum veterum historiarum, doctrinarum, morum, aliarumque circumstantiarum, quibus tota Græcorum mythologia nititur, ignorantia nos teneat, sicque clavis ad reseranda hæc adyta perierit. II. Fabulas Græcas non unam omnes originem habere, unamque doctrinam respicere, sed ex variis populis ad Græcos delatas variam quoque e diversa origine significationem accepisse ex dictis clarum est. Campus hic se nobis aperiret amplissimus, ostendendi, qua ratione fabularum Græcarum aliæ Phœniciam, aliæ Ægyptiacam, aliæ orientalem originem referant, si id ageremus, & liceret nobis esse prolixis: Satiabunt vero desiderium, qui hæc nosse cupiunt iis, quæ viri docti passim, & imprimis vir summus SAMVEL BOCHARTVS [p] & IOANNES CLERICVS [q] speciminis loco protulerunt. III. Probabile est, fabularum Græcarum primam originem & significationes ad gentium unde Græcæ coloniæ exortæ sunt, historiam pertinere, id enim collatio ejus cum mythologia Græca attentum facile potest convincere. IV. Vti vero ab antiquissimo tempore mos fuit, recte monente PLINIO, [r] *referendi bene monentibus gratiam, ut tales numinibus adscribamus;* ita dubium quoque non est, id quod in barbarica mythologia accidisse supra sæpius vidimus, etiam in Græcorum mythologia evenisse, ut magni heroës, summorum beneficiorum meritis inclúti, dæmonio peculiari vique numinis obsessos se esse hominum agrestium atque rudium turbæ persuadentes, inter Deos referrentur, eorumque historiæ fabularum involucris tegerentur, augustiori habitu ita incrustatæ, ut veneratio populi eo facilius sequeretur. Quod ut accurate attendenti miram lucem accendit, ita tamen ad natales fabularum respiciendum quoque est, nec ad unam hypothesin, uniusque forte gentis historiam trahenda sunt omnia. Qua in re a magnis viris peccatum est, qui omnem fabularum sensum obtorto plerumque collo ad historiam sacram referunt, [s] non feliciores RVDBECKIO [t] qui non minore ingenii fœcunditate usus omnem mythologiæ Græcæ significationem in Sueciæ theologia atque historia invenit. V. Non diu tamen hanc fabularum inter Græcos significationem durare potuisse, populi ingenium curiosum & indagandis arcanis significationibus inhians, persuadet: cui cum arcana cultus divini ratio & τελεταὶ ob Orpheo potissimum institutæ, ac reliqua mysteria introducta, quæ diu inter Græcos viguerunt, resistere satis non possent, ut non superstitio tandem detegeretur, & evilescceret, ingeniis libere philosophari incipientibus: aliam rei medelam attulere philosophi, & ad res naturales fabulas applicuerunt; unde jam DIONYSIVS HALICARNASSENSIS [u] monuit, Græcorum fabulas quasdam utiles hominibus esse, ὅτι οἱ μὲν ἐπιδυκνύμενοι τὰ τῶν Φύσεων ἔργα δι' ἀλληγορίας, *quod aliquæ opera naturæ sub allegoriis continent.* Et in eo non tantum Stoicorum industria valuit, ut ex eorum scri-

Observationes generales circa interpretationem fabularis philosophiæ.

p) In immortali *Geographiæ. S.* opere.
q) in notis *ad Hesiodum.*
r) *Lib. II. c. 17.*
s) Cujus memorabile exemplum est illustris HVETIVS in *demonstratione Evangelica.*
t) In *Atlantide.*
u) *Lib. I. antiq.*

ſcriptis ad nos delatis videre eſt, [x] ſed antiquiſſimorum quoque theologorum labor præcipuus fuit, ut mundi ortum atque generationem allegorico ſenſu obvelarent, quæ docendi ratio nobis theogonias Græcorum peperit, ab Ægyptiis, Phœnicibus, Thracibus, aliisque orientis quoque populis ad Græcos delatas & imitatione expreſſas. [y] VI. Quoniam vero more omnibus fere antiquis populis communi; doctrinæ mythologicæ omnisque eruditio carminibus comprehendebatur, & ita poëſis cuſtos erat totius fabularis ſapientiæ: [z] accidit inde, ut poëtæ audendi fingendique licentia uſi, fabulas pro ingenii fœcundioris & ſæpe luxuriantis modulo expolirent, mutarentque, ſicque poſtea non modo fabulæ in infinitum augerentur, ſed & antiquæ mutatæ, tantis atque tot circumſtantiis deformarentur, ut prima veſtigia ægre appareant. Et tunc variæ ſignificationes acceſſerunt, & vel morum habita ratio, vel calamitatum ſolatia quæſita, vel etiam delectationi & ingenio oſtentando multa ſcripta atque ficta ſunt. Id quod vidit, quem ſupra laudavimus DIONYSIVS HALICARNASSEVS, qui de fabulis Græcorum ait, *quasdam humanarum calamitatum habere rationes, alias terrores animarumque perturbationes a nobis depellere, opinionesque parum honeſtas deſtruere; alias alterius cujuspiam utilitatis cauſa fuiſſe inſtitutas.* Et has potiores cauſas mythologiæ Græcæ eſſe, nemo in his rebus verſatus temere negabit. Dedit earum plures eruditiſſimus TOVRNEMINIVS, [a] nec rejicimus eas, ad conſtituenda tamen doctrinarum ſyſtemata parum eæ faciunt, & ſerius quoque mythologiæ veterum acceſſerunt: unde eas non moramur, ſed lectorem ad elegantiſſimæ eruditionis virum dimittimus. Hæc enim ſufficiunt, ut demonſtrari queat, obſcuriſſimam eſſe & inſuperabili difficultate laborare philoſophiam Græcorum fabularem. Quare ad certiora & planiora properantibus longa in iis & inutilis mora trahenda non eſt, & ingeniorum felicitati atque imaginationis fertilitati hæc ænigmata, quæ tot viros doctos noſtra ætate in diverſiſſimas ire ſententias coëgerunt, relinquenda ſunt.

Prometheus.

§. III. Primus inter Græcos, qui philoſophiam, reliquasque artes & ſcientias tradidiſſe fertur, & in fabulari hiſtoria commendatur PROMETHEVS eſt, Iapeti filius, de cujus rebus magna inter mythologiæ Græcæ ſcriptores diſſenſio, major inter viros eruditos de ſenſu fabulæ contentio & opinionum diverſitas eſt. Et fabulam quidem de Prometheo omnem enarrare, noſtri inſtituti non eſt; legi illa poteſt, apud veteres HESIODVM, [b] OVIDIVM [c] aliosque, ex quibus pleraque recentiores mythologiæ Græcæ interpretes collegerunt, & in his quoque illuſtris HVETIVS, [d] & ante eum NATALIS COMES. [e] Nos, quæ ſcopum noſtrum

x) SALLVSTIVS *de Diis*, PHVRNVTVS *de natura Deorum*, in TH. GALEI *opuſculis mythologicis*, quos ex recentioribus magno ingenio ſecutus eſt BACO DE VERVLAMIO.

y) Legendus hic præreliquis BVRNETIVS *l. c.*

z) Hinc *poëſis philoſophica*, cujus fragmenta collegit HENRICVS STEPHANVS.

a) *loc. cit.*

b) *Op. & Mer. v. 46. ſeqq.*

c) *Metamorphoſ. l. I.*

d) *Demonſtr. Ev. Prop. IV. c. 8. §. 7. p. 114. ſeqq.*

e) *Mytholog. l. IV. c. 6. p. m. 313. ſeqq.*

ſtrum propius tangunt, tantum conſideramus, & ea expendenda ſumimus, quibus inter primos ſapientiæ conditores Prometheus refertur. Narrat vero fabula, Promethea hominem finxiſſe, & portiones ex elementis ſingulis captas ſuo operi admiſcuiſſe: atque pro ipſorum elementorum temperamentis non ſolum vires ſingulis corporibus addidiſſe, ſed etiam motus animorum & mores. In quo tamen opere effingendo, Iovis, quem ſacrificio decepiſſe dicitur, ira, igne privatus eſt, quem mortalibus eripuit; Prometheus vero Minervæ auxilio aſcendit in cœlum, ibique ferula ad currum ſolis accenſa, ignem in terras reduxit. Quod furtum cum Iupiter punire vellet, Pandoram e luto compoſitam cum vaſculo omnibus malis incluſis gravi munus Prometheo miſit, qui cum rejiceret, a Mercurio Iovis juſſu ad Caucaſum montem adductus, & in ſpelunca vinctus, addita quoque aquila, quæ jecur illius aſſidue renaſcens laniaret ac deglutiret: tandem ab Hercule ex vinculis liberatus eſt. Hactenus fabula; in cujus vero ſenſu atque ſignificatione eruenda multum ſe torſerunt interpretes, incerti, quis ille Prometheus fuerit. Quidam [f] enim nullum unquam hujus nominis hominem extitiſſe contendunt, ſed, vi nominis, ingenii humani vim & ſolertiam a Deo hominibus conceſſam ad inveniendas artes & levandam vitæ primorum hominum agreſtis miſeræ & inopis moleſtiam intelligi contendunt. Alii certum quidem hominem denotari non negant, ſed quem magnum antiquitatis virum ſignificet, incerti ſunt, Adamum enim, quidam hic deprehendiſſe ſibi viſi ſunt, alii Noachum, [g] & Magogum πολυμαθέστατος BOCHARTVS. [h] Moſis vero hiſtoriam etſi ſatis corruptam, in Promethei fabula latere, more ſuo contendit HVETIVS. [i] Qui tamen omnes non alias rationes afferunt, quam quæ pluribus ſcientiarum conditoribus communes ſunt, & tanta arte fabulæ circumſtantias trahunt, fingunt, reducuntque ad hypotheſin, ut eodem negotio atque labore Fohium Sinenſium literarum parentem, vel alium magnum antiquitatis virum quam Noachum vel Moſen exſculpas. Nec nos fabulæ ſenſum recludere poſſe contendimus, dicemus tamen, quæ non ſine veri aliqua ſpecie afferri poſſe nobis videntur. Supponimus nempe ſenſum atque ſignificationem fabularum primum pertinuiſſe ad hiſtoriam, & tum demum a philoſophis ad philoſophica argumenta eas fuiſſe applicatas: idque etiam in Promethei fabula eveniſſe, conjicimus: cujus hiſtoria ad rationes philoſophicas attemperata, multum ita obſcurata fuit. Quidam enim ex veteribus tradunt, Prometheum Deucalionis patrem ex Ægypto fuiſſe oriundum, & Oſiridis regis conſiliarium: [k] eum

f) Ex veteribus IVLIANVS *Orat. VI. p. 182.* PLOTINVS *Enn. IV. l. 3. c. 14. p. 383.* NICEPHORVS *ad Syneſ. de inſomniis p. 403.* Ex recentioribus RHODIGIN. *antiq. lect. l. VII. c. 19. p. 253.* AVG. STEVCHVS EVGVBINVS *de perenni phil. l. IX. c. 4.* NATALIS COMES *l. c. p. 321.* qui TZEZEM laudat.

g) Prius MADERO *de Biblioth. antediluv.* poſterius ERASMO FRANCISCI *ad l. V. Carniolæ* VALVASSORIS placuit. Conf. FABRICIVS *Cod. Pſeudepigr. V. T. T. I. p. 8. 261.* idem conjecerunt KECKERMANNVS & CHYTRAEVS.

h) *Geograph. S. P. I. l. I. c. 2. p. 13.*

i) *loc. cit.*

k) Conf. BVDDEVS *H. E. V. T. T. I. p. 476.*

eum vero eruditionis, iſtis quidem temporibus rariſſimæ, fama celebrem fuiſſe, recte monet CICERO, [l] qui ſcribit: *Nec vero Atlas ſuſtinere cœlum, nec Prometheus affixus Caucaſo, nec ſtellatus Cepheus cum uxore, genere, filio traderetur, niſi divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulæ traduxiſſet.* Mittimus ea, quæ de Prometheo Scytharum rege, in vincula conjecto a Scythis, quod Aquilæ fluvii inundationibus, quibus populi victus inopia obruebantur, mederi non potuerit, Hercule poſtea detorquente fluvium in mare, & Prometheum liberante, ſcripſit HERODOTVS, id quod alii ad Ægyptum referunt. [m] Non itaque absque veriſimilitudine hinc colligimus, virum quendam mentis excelſæ ingeniique ſupra vulgus elati, ex Ægypto, vel quod alii volunt, ex Scythia ad Græcos delapſum, artium & diſciplinarum rudimenta iis tradidiſſe, bellorum vero fato in captivitatem ductum ægre fuiſſe liberatum, & curis cor exedentibus ereptum. Falluntur enim ſine dubio viri eruditi, qui Prometheum pro inventore primo omnium ſcientiarum habent, cum id ad Græcos tantum referendum ſit. Ad hos enim ſine dubio pertinent, quæ de inventis Promethei habet elegantiſſimus tragœdus AESCHYLVS: [n]

Commiſtiones pharmacorum protuli,
Omnes quibus levantur ægritudines,
Modosque multos vaticinandi reperi:
Quæ ſint putanda vera dixi ſomnia,
Quæ ſint viarum ſigna, quæ ſint omina:
Tum diligenter, qui volatus dexteri
Sint, quæ ſiniſtræ nominentur alites,
Quis ſingulorum victus & benignitas
Inter ſe, odiumve primus ipſe reperi.
Tum qualia exta ſint, colores qui Deis
Grati magis videntur immortalibus.
Bili decora forma, quæ fibrisve ſit.
Oſtendi ego quo ſacra ritu convenit
Imponere aris, urere atque victimas
Artemque feci ex his ego mortalibus.
Hæc nota feci, quæ fuere incognita,
Hæc ſic habent: quid proferam quod commoda
Educta per me ſunt humi latentia
Ferrum vel argentum, vel aurum vel quis æs,
Ni mentiatur, repperit? quis me prior?
Nemo profecto ni velit mentirier.
Vt cuncta dicam, pluribus ne te morer,
Artes repertæ quæque ſunt Promethei.

Et, paulo poſt literarum quoque elementa componere homines docuiſſe domos-

l) *Tuſc. Qq. l. V.* m) Conf. NAT. COMES *l. c. p. 328.* n) In *Prometheo vincto.*

domosque ædificare miſellam turbam aſtrorumque ortus & occaſus, & numerum ſophiſmatum tradidiſſe canit:

ἐς τε δὴ σφὶν ἀντολὰς ἐγὼ
Ἄστρων ἔδειξα πάς τε δυσκρίτους δύσεις.
Καὶ μὲν ἀριθμὸν ἔξοχον σοφισμάτων
Ἐξεῦρον αὐτοῖς, γραμμάτων τὲ συνθέσεις,
Μνήμην θ' ἁπάντων μεσομήτορ' ἐργάτιν.

Alias inventiones, quas porro refert, tacemus. Ex his vero ſatis patere putamus, Prometheum varias artes ad vitæ humanæ ſocietatem colendam perquam neceſſarias Græcis tradidiſſe, literas a Cadmo inventas introduxiſſe, & forte metallorum conflandorum modum ignisque in hunc finem uſum manifeſtaviſſe; [o] præterea vero rationem obſervandorum ſiderum ad vaticinia inde haurienda edocuiſſe, & religionem primum ordinaſſe: & ita animos rudiſſimorum hominum formaviſſe, ut alter hominum conditor dici meruerit. Nihil enim horum eſt, quod non fabulæ ſatis reſpondeat: Reliquæ vero ejus circumſtantiæ, quid ſignificent, difficulter conjecturis exponi poteſt. Dicemus tamen, quod nobis hac de re in mentem venerit. Supra audivimus, veterum quosdam referre, Prometheum ex Ægypto in occidentem delatum Oſiridis regis conſiliarium fuiſſe. Oſiridem vero non modo per Hermetem artes & diſciplinas reperiſſe, ſed & ob magna beneficia inter cœlites relatum Deum habitum eſſe, Iovemque ſæpe veteribus deſignare, ſuo quoque loco, ubi de Ægyptiorum philoſophia actum eſt, demonſtratum dedimus. Cum itaque fabula dicat, Iovem ob ignis furtum & doloſa munera Mercurium juſſiſſe vinculis ligare Prometheum; conjicimus inde, Prometheum ab Oſiride inventionum, quas mire occultaſſe ſupra docuimus, factum participem, cum præter rationem atque utilitatem Ægyptiorum regis peregrinum populum novis artibus & ſcientiis erudiret, per Mercurium, (quem Oſiridis quoque ſummum conſiliarium fuiſſe ſupra quoque oſtendimus) captum, cum doloſis & contemtis muneribus fruſtra regem placere tentaſſet, in carcerem durum conjectum, mirisque ærumnis atque cruciatibus dies noctesque vexatum fuiſſe, cuſtoditum forte a potenti quodam miniſtro vel præfecto regis Ægyptii, quo interfecto ab Hercule ex vinculis tandem liberatus eſt. Nihil horum eſt, quod non fabulæ circumſtantiis exacte reſpondeat, [p] & priſcorum temporum conditioni congruat: pro conjectura tamen hanc explicationem fabulæ Promethei tantum venditamus, & lubenter quemvis ſuo ſenſu abundare patimur: id unum certum exiſtimamus, explicationes philoſophicas

o) Ignem primum ex ſilice provocandi modum homines Prometheum docuiſſe, vel oſtendiſſe, qua ratione ex ſolis radiis accendi queat, vix credibile. Prius enim ante Prometheum in uſu fuiſſe, neceſſitas hominum igne non carentium ſuadet, alterum iſtis temporibus nondum notum fuiſſe, credibile eſt. Vnde probabilior ſententia BOCHARTI & HVETII ignis uſum in metallurgia denotari: eum enim in Ægypto notum fuiſſe conſtat.

p) Quasdam fabulæ circumſtantias diſſonare, quamcunque de ſignificatione ejus opinionem elegeris, eo minus mirandum, quoniam Titanum, Vulcani, Prometheique res inter ſe confuſæ & commixtæ ſunt.

fabulæ hujus ſerius fuiſſe excogitatas, ita enim cum omnibus fere fabulis eveniſſe, prudentes mythologiæ veteris exploratores facile conjicient, cum tanta acumina phyſica & metaphyſica in priſco orbe, in quo hæ fabulæ primum enatæ ſunt, quæri non debeant. Vnde quæ Platonici de Promethei atque Epimethei fabulis garriunt, ineptæ nugæ miſere fabulæ accommodatæ eſſe recte cenſentur.

Linus. §. IV. Poſt Prometheum Theologiæ inter Græcos introductæ præcipuus auctor celebratur LINVS. Tres vero hujus nominis apud veteres celebres ſunt, unus Chalcidenſis, Pſamates & Mercurii vel Apollinis & Terpſichores ſive Vranies & Amphimari filius; [q] alter Iſmenii Thebanus, quem philoſophum nominat SVIDAS, [r] & tertius Linus Narciſſus. [s] Primus vero hic conſiderandus eſt, qui inventionibus non tantum muſicis, ſed & meditationibus philoſophicis, ſi veterum dictis fides eſt, inclaruit. Is enim primus chordæ uſum vice filorum e lino in cithara invenit, ideoque ab Apolline interemtus ac Thebis ſepultus dicitur, unde threnodia illa, qua mors ejus deflebatur λίνος dicta eſt, ſolennis Ægyptiis, Phœnicibus, Cypriis, aliisque. [t] Inter theologos vero Græcos eum referendum eſſe, non ex eo tantum conſtat, quod cultum, qui Saturno deferebatur, ex quorundam opinione [u] introduxit, ſed potiſſimum ideo, quia, referente LAERTIO, [w] ſcripſit κοσμογονίαν, ἡλίȣ καὶ σελήνης πορείαν, καὶ ζώων καὶ καρπῶν γενέσεις, *de mundi generatione, ſolis item & lunæ curſibus, animalium quoque & fructuum generationibus*, qui & initium operis Lini affert hoc verſu:

Ἦν ποτέ τοι χρόνος οὗτος, ἐν ᾧ ἅμαπαντ' ἐπεφύκει,
Tempus erat, quo cuncta ſimul ſunt condita quondam.

Id quod tamen PAVSANIAS [x] negat, qui contendit, neque hunc Linum, neque alterum Iſmenii filium aliquid ſcripſiſſe, ſaltem nihil ætatem tuliſſe: in quo vero alii veterum & in his SEXTVS EMPIRICVS [y] diſſentiunt, qui Linum inter eos referunt, qui ante Homerum verſibus ſcripſerunt. Laudatur vero hic Linus tum propter inventos ῥυθμὸς καὶ μέλη, [z] tum propter adplicatas literas a Cadmo ex Phœnicia allatas, dialecto & impoſitis nominibus; tum propter inventum carmen lyricum. [a] Tanta certe ejus in poëſi atque cantu peritia enituit, ut plurimos haberet diſcipulos, & inter eos celeberrimos totius antiquitatis homines Herculem, Thamyrin & Orpheum; quorum Hercules, cum cythara canere diſceret, & ingenii tarditate diſciplinam non aſſequeretur, Linum plagis caſtigantem, cithara magiſtrum interfecit, referente DIODORO & PAV-SA-

q) SVIDAS *T. I. v. Linus. p. 449.* PAVSANIAS in *Bœoticis.* conf. MENAG. *ad* LAERT. *l. I. ſ. 4.* NAT. COMES *Mythолog. l. IV. c. 10. p. 351.*

r) *loc. cit. v. Linon.*

s) EVSTATHIVS *ad Iliad. 6. p. 1223.*

t) Conf. quos ex veteribus laudat FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 96.* diſtinguit vero hunc, quem carminis elegiaci auctorem facit, a noſtro NAT. COMES *l. c.*

u) THEOPHILVS *ad Autolyc. l. III. p. 397.* ubi tamen de eo dubitat ven. WOLFIVS *h. l.*

w) *Lib. I. ſ. 4.* *x*) *loc. cit. pag. 767.*

y) *Adv. mathem. l. I. ſ. 204.*

z) DIODORVS SICVLVS *l. III. p. 140.*

a) SVIDAS *loc. cit.*

SANIA, [b] quod vero, quoniam iis non consentit, quæ de Lino ab Apolline interfecto veteres tradunt, alii de Lino Ismenii intelligunt. Quia vero Linus non carmine tantum more seculi res Deorum scripsit, sed & cosmogoniam, quæ præcipuam philosophiæ vel theologiæ potius partem tum absolvebat, tradidit, ideo, teste LAERTIO [c] inter septem Græciæ sapientes numeratus est ab Hippoboto. Quam vero theologiæ rationem tenuerit Linus, hodie, deficientibus ejus scriptis definiri nequit, quæ enim DAMASCIVS [d] & Platonici forte alii [e] illi tribuerunt, ob hominum audaciam, sua dogmata veteribus supponendi, suspecta sunt. Ceterum neque VOSSIVM [f] audiendum esse, qui nullum unquam Linum fuisse putat, nec CLVVERIVM, [ff] qui Adamum, Zoroastrem & Linum eundem esse conjicit, veterum de Lino consentiens traditio docet.

§. V. Lini discipulus fuisse fertur ORPHEVS, sapientium inter Græcos antiquos virorum celeberrimns, & præcipuus eruditionis atque religionis Græcorum auctor. Qui eo magis enarrandus nobis est, quo magis eundem fere apud Græcos locum obtinet, quem apud Chaldæos Persasque Zoroaster, apud Indos Buddas, apud Ægyptios Thootus sive Hermes obtinuit. Quicquid enim sacræ atque profanæ eruditionis apud Græcos veteres effloruit, id vel ab Orpheo inventum, vel ab eo introductum inter Græcos esse, veteres communi voce tradunt. Cum quoque theologiam non ritibus tantum & ceremoniis condidisse, sed & philosophico systemate delineavisse feratur, omnino tanquam præcipuus mythologicæ philosophiæ inter Græcos doctor reputandus est. Etsi vero veteres satis diligentes fuerunt, in enarrandis Orphei rebus atque dogmatibus, dolendum tamen est, ea omnia hodie desiderari, nec supersesse, quæ Herodorus, Epigenes, Sando Hellanici filius, Apollonius Aphrodisiensis, Pherecydes Atheniensis, & ex Platonicis recentioribus Serapion Alexandrinus, Syrianus & Proclus in Orphei dogmata commentati sunt. [g] Nec quæ temporis injuriæ erepta ad nos pervenerunt, talia sunt, ut fides secure iis dari queat. Accidisse enim Orpheo, quod omnibus sapientiæ atque eruditionis gentilis conditoribus accidit, ut multa ejus nomini supponerentur, & doctrinæ a variis hominibus ex diversis sectis atque opinionibus oriundis excogitatæ ad eum auctoritatis & fidei conciliandæ gratia referrentur, in sequentibus demonstrabimus. Quam itaque in rebus doctrinisque Zoroastris, Mercurii & similium virorum celebratissimorum enarrandis adhibuimus providentiam atque cautionem, ea nec in excutiendis Orphicis negligenda est, nisi turpiter falli vel fallere velimus.

Orpheus.

b) *Il. cc.*
c) *l. I. s. 42.*
d) DAMASCIVS περὶ ἀρχῶν, cujus excerpta debemus ven. WOLFIO *T. III. Anecdot. Græcor.* Is vero: ὁ γὰρ ἐστιν ἕν τι, ἀλλὰ πάντα ἓν, ὡς Λῖνός τε ἔλεγε καὶ Πυθαγόρας.
e) Vid. IAMBLICHVS *de vit. Pyth. c. 28. n. 139. p. 118.*
f) *De arte poëtica p. 78.*
ff) *German. antiq. l. I. c. 24. p. 206.*
g) Conferendus de his omnibus diligentissimus FABRICIVS *Bibl. Gr. vol. I. p. 110. seq.*

An Orpheus extiterit?

§. VI. Antequam vero ipſam Orphei hiſtoriam atque dogmata exponimus, excutienda quæſtio eſt, an unquam Orpheus quidam fuerit nec ne? Primus, qui quæſtionem negavit, CICERO [b] eſt, qui tamen Ariſtotelis auctoritate utitur: hunc ſecuti ſunt ex recentioribus GERARDVS IOANNES VOSSIVS, [i] PETRVS DANIEL HVETIVS, [k] & NATALIS ALEXANDER, [l] a quibus non multum alienus eſt IO. CLERICVS [m] & IO. HENR. VRSINVS, [n] qui Davidem regem ſub Orpheo latere putat. Quos tamen viros doctos audiendos non eſſe recte judicarunt alii: [o] ita enim rationes ſubductæ nobis perſuadent, omnino fuiſſe Orpheum Græcanicæ theologiæ atque religionis parentem. Et quod quidem Ciceronis teſtimonium ab Ariſtotele petitum concernit, id quidem ita viri docti enervant, ut contendant, Ariſtotelem non negaſſe, fuiſſe Orpheum, ſed tantummodo, fuiſſe poëtam: nobis vero, id invitis Ciceronis verbis fieri, manifeſtiſſimum videtur. Ait enim Romanæ eloquentiæ parens: *Orpheum poëtam docet Ariſtoteles nunquam fuiſſe, & hoc Orphicum carmen Pythagorici ferunt cujusdam fuiſſe Cecropis. At Orpheus, id eſt, imago ejus, ut vos vultis ſæpe in animum meum incurrit.* Quibus verbis Epicureos refutat, facta ab exemplo inductione, qui ab anticipata DEI notione, & imagine menti obverſante, argumentum pro ejus exiſtentia accerſebant, iisque opponit exemplum Orphei, qui nunquam fuit, & cujus tamen imago in mentem ſæpe incurrit. [p] Quamvis vero, Ariſtotelem (in cujus ſcriptis tamen hodie fruſtra quæritur) & Ciceronem in ea fuiſſe ſententia negandum non ſit, parum tamen id facit ad deſtruendum totius pene antiquitatis conſenſum, quæ in eo concordat, fuiſſe Orpheum Thracem, & vixiſſe in Græcia. Hoc Græci & Latini, poëtæ, hiſtorici, philoſophi teſtantur, PLATO, [q] DIODORVS SICVLVS, [r] & poſt hos magna, etiam ex doctoribus Chriſtianis, & ex ſchola Pythagoræ & Platonis caterva. Immo Ægyptii, ſi DIODORO [s] fides eſt, in ſacris commentariis Orphei nomen retinuerunt, eum ducem conſtituentes illorum, qui doctrinæ addiſcendæ cauſa ex Græcia in Ægyptum profecti ſunt. Nec ORIGENES, [t] cui Celſus Orpheum, tanquam virum ſine controverſia ſancto afflatum ſpiritu, objecit, & Salvatori prætulit, Orpheum extitiſſe negat, ſed criminatur, quod Deos fecerit ἀνθρωποπαθεῖς. Immo ipſa doctrina Orphica, myſteria in Græcia introducta, & ipſi libri Orpheo ſuppoſiti locum non habuiſſent, ſi nunquam vixiſſet Orpheus, cui ſupponi potuiſſent. Alia in re manifeſta non cumulamus: ſed id modo monemus, ficulneum eſſe, quod VOSSIVS addit; nomen Orphei eſſe ab Arabico Arifa, quod ſcire notat,

b) *De nat. Deor. l. I.*
i) *De poëtica arte c. 13.*
k) *Dem. Evang. Prop. IV. c. 7. §. 19. p. 129.*
l) *H. E. V. T. c. 8. p. 357.*
m) *Bibl. ſelect. T. XXVII. P. II. art. 4. p. 434.*
n) *Analect. SS. l. IV. p. 219. ſeqq.*
o) BVRNET. *Archæol philoſ. l. I. c. 9. p. 414. ſqq.* CVDWORTH. *Syſt. intell. c. IV. §. 14. p. 341. ſeqq.* & cel. MOSHEMIVS *ad h. l.* BVDDEVS *Obſ. Hal. T. VI. obſ. 29. §. 4. p. 307. ſeq.* OLAVS BORRICHIVS *de poëtis diſſ. I. §. 17.* FABRICIVS *l. c.* alii.
p) IDEM obſeruat MOSHEMIVS *l. c. n. 7.*
q) *De Rep. l. X. p. 521.*
r) *Lib. IV. c. 25. p. 221.*
s) *lib. I.*
t) *Adv. Celſum.* paſſim. vid. *l. VII. p. m. 370. 378.* edit. Hœſch.

tat, unde Arif, ſive Orpheus, ſciens, eruditus. Hæc enim concludendi ratio ſi valet, omnes celebres antiquitatis viros facile e rerum natura tollere quivis mediocri ingenio & linguarum peritia præditus poterit.

§. VII. Dubio itaque carere exiſtimamus, vixiſſe Orpheum: quis vero fuerit, quam originem agnoverit, quæque perpetraverit, adeo fabulis more veterum involutum eſt, ut quid certi afferamus, vix habeamus. Recitabimus vero mythologiæ narrationem, [u] ut, quid veritatis ſubſit, conjecturis aſſequi tentare poſſimus, monentes ante omnia, Orpheum hunc Thracem, cum aliis hujus nominis non confundendum eſſe. [x] Ex Thracia oriundum fuiſſe, plerique veterum referunt, de parentibus diſſentiunt, aliis enim Apollinis & Calliopes filius, pleriſque Oeagro patre natus dicitur, & ad tempora ante-Trojana refertur, quæ in Ioſuæ atque Iudicum ætatem incidunt. [y] Is patriis ceremoniis cultui & theologiæ innutritus, tradente DIODORO SICVLO [z] in Ægyptum profectus eſt, & multa ibi didicit, ita, ut tum initiationum & theologiæ peritia, tum poëmatum & melodiarum artificio præſtantiſſimus haberetur. Ita ſcientiis & religionis notitia auctus ad Græcos pervenit, rudemque & incompoſitam multitudinem triplici artis & ingenii ſubſidio in ordinem, & ad rationem redire coëgit. Tanta enim canendi peritia excelluiſſe, dicunt, ut fluvii ad ejus cantum firmarentur, aves advolarent, ſaxa, ſylvæ & venti auſcultarent, mare ſedaretur, omneque rerum anima deſtitutarum genus in admirationem & amorem raperetur. Id quod eleganter expreſſit HORATIVS: [a]

Orpheus quis fuerit?

Aut in umbroſis Heliconis oris
Aut ſuper Pindo gelidove in Hæmo
Vnde vocalem temere inſecutæ
Orphea ſylvæ.
Arte materna rapidos morantem
Fluminum curſus celeresque ventos
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere ſylvas.

Et in hunc finem lyram ſeptem chordarum quoque invenit & adhibuit. Quæ fabulæ tegumenta nihil aliud volunt, quam feros & indomitos Græcorum animos ab Orpheo, ut audirent & attenderent, emollitos fuiſſe, & in obſequium tractos. Quem in finem fabularum quoque dulcedinem more antiquo adhibuit, ſicque muſica harmonia convocatos & audiendi avidos jucundis narrationibus pavit, ut in admirationem cultumque verſa attentio prudentiſſimo viro occaſionem dederit, fabularum delinimentis legum atque religionis cultum introducendi. Deos enim tum colere, eorum iram fabulis enarra-

u) Conferendi mythologi paſſim, & ex iis NAT. COMES *mythol. l. VII. c. 14. p. 764. ſeqq.* pleraque de eo quoque collegit & inſtituto ſuo aptavit HVETIVS *l. c.* add. LAMBECIVS *prodr. hiſt. lit. p. 168 ſqq.*

x) Fuit alius Crotoniates, vid. SVIDAS *T. II. v. Orpheus Crot. p. 719.* qui auctor carminis de argonautis dicitur: unde Orpheus Argonautis adnumeratur; ſed male.

y) Conf. HVETIVS *l. c.* qui tamen, ut hypotheſi inſerviat, mire omnia torquet & confundit.

z) *Lib. IV. c. 25.*

a) *Carmin. l. I. Od. XII.*

enarrare, & felicitatem eorum, qui Deorum amicitia fruerentur, deprædicare cœpit, ſicque muſica, fabulis & religionis arcano cultu feros homines ratione uti docuit, & ad id quod jus fasque eſt, tenendum atque obſervandum adegit. Id quod HORATIVS jam vidit, qui de hac theologorum veterum prudentia luculenter: [b]

Sylveſtres homines ſacer interpresque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres rapidoſque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
Saxa movere ſono teſtudinis & prece blanda
Ducere quo vellet. Fuit hæc ſapientia quondam
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis
Oppida moliri leges incidere ligno.

Præter hanc animos ſibi conciliandi moresque ita fingendi artem ſcientiæ medicæ peritia effloruiſſe [c] non ex eo tantum veriſimile eſt, quod plerique magni viri canæ vetuſtatis artis ſalutaris beneficio, docente artis medicæ hiſtoria, ſibi homines devinxerint, ſed Orpheus quoque diſciplinas in Ægypto didicerit, ubi iſta ars inter arcanas ſcientias relata fuit, ut ſupra vidimus. Ex hac vero artis medicæ peritia omnium optime ea explicanda ſunt, quæ de mirabili muſicæ Orphicæ peritia fabula narrat: [d] eum mortua, quam impenſe deperibat, Eurydice, ad inferos cum cithara deſcendiſſe, & mirificam lamentationem ceciniſſe, ita ut excitaret

Et Diti lacrymas, & morti denique finem [e]

faceret. Plutone enim placato ac Proſerpina, obtinuiſſe, ut Eurydice cum ipſo in lucem rediret, ea tamen lege, ne prius reſpiceret, quam ad ſuperos perveniſſet. Quod cum non obſervaret, uxorem amiſiſſe. Si quis enim fabulæ ſenſus eſt, nimium non torquendus, [f] illud innuere videtur, Orpheum tanta medendi peritia inſtructum fuiſſe, ut deploratæ ſanitatis homines ipſamque cariſſimam uxorem jam cum morte luctantem revocaret in vitam. Mortis vero, qua vivis ereptus eſt genus, varie veteres narrant: [g] quidam enim fulmine tactum periiſſe perhibent, quod ideo excogitatum videtur, quia fulmine tacti credebantur divinitatis participes facti. [h] Alii poſt mortem Eurydices cæterarum mulierum conjugium ſpreviſſe, narrant, multisque hominibus diſſuaſiſſe mulierum connubium, quod cum ægre illæ ferrent, ab illis per ſimulata Liberi patris ſacrificia fuiſſe diſcerptum. PAVSANIAS [i] ob abductos ex Thracia ſecum viros multos indignatas Thracum feminas eum diſcerpſiſſe refert; alii a Baccho, cujus laudes canere neglexe-

b) *De arte poët.*
c) Pluribus id probat DAN. CLERICVS *Hiſt. medic. l. I. c. 10. p. 33. ſeqq.* qui tamen non ſatis accurate homines & tempora diſtinguit.
d) Mythologi paſſim. vid. OVIDIVS *Metamorph. l. X.*
e) MANILIVS *Aſtronom. l. V.*
f) Quod faciunt, qui per Euridicen juſtitiam, per inferos placatos, perturbationes animæ ſedatas intelligi eum NATALI COMITE *l. c. p. 771.* contendunt.
g) Collegit ea NAT. COMES *l. c.*
h) Hac de re ſupra, ubi de Zoroaſtre.
i) *in Bœoticis.*

neglexerit, furorem immiſſum mulieribus; alii, a Venere amore feminis immiſſo, dum de Orpheo certarent, eum laniatum tradunt; alii vero ex doloris de amiſſa uxore impatientia violentas ſibi intuliſſe manus perhibent. Quæ incertæ narrationes illud certum habere videntur, Orpheum violenta morte ſublatum fuiſſe; quod ſi conjecturæ locus eſt, poſitos effreni licentiæ limites, & imprimis cohibitos vagos concubitus irarum tantarum cauſam fuiſſe, non abſurde colligi poteſt. Poſt mortem caput in fluuium Hebrum dejectum cum lyra in Lesbum delatum eſſe, ibique oracula fudiſſe,[k] atque ſtatua & urna poſita honoratum,[l] lyram inter ſidera relatam mythologi narrant, quæ id docent, magnam auctoritatem atque famam Orphei tantopere de humano genere meriti, etiam poſt funera extitiſſe. Quæ tamen non obſtitit, ut non tantum παιδεραστίας,[ll] ſed & magiæ, immo atheiſmi accuſaretur: quibus tamen ſceleribus non polluiſſe ſe Orpheum, admodum veriſimile eſt. Nam concubitu vago aliisque feris moribus abrogandis & emendandis eum invigilaſſe, ſupra jam oſtendimus. Eum vero fuiſſe μαγεῦσαι δεινὸν, quod Aegyptius aliquis apud PAVSANIAM[m] de eo & Amphione prædicat, & de origiæ crimine ſive goëtia intelligendum eſſe recentiores quidam[n] contendunt, vel ad theologiæ Orphicæ rationem & cultum Deorum arcanum referendum eſt, qui magiæ nomine apud veteres, ut ſupra demonſtratum eſt, inſigniebatur: vel ad ſanandi modum junctis incantamentis, carminibusque pertinet, quem veteres Medici ad augendam admirationem & ſuperſtitionem plebis adhibuere, & Orpheum quoque in uſum vertiſſe, vel ſola fabula de uxore carminibus in vitam revocata perſuadet: ut alias rationes prætereamus, fuſe a NAVDAEO[o] allatas. Caput enim ejus poſt mortem divinaſſe, inter ſplendida antiquitatis de viris magnis mendacia referendum eſt.[p] Vtrum vero ſpinoziſmo vel atheiſmo faverit Orpheus, poſtea, ubi de theologia Orphei dicemus, commodus magis diſpiciendi locus erit.

§. VIII. Non vero ſuo tantum nomine per omnium ora volitavit Orpheus, ſed imprimis propter inſignia in Græcos merita, introductis religione, artibus & diſciplinis, quibus mores feros ad humanitatem reduxit, immortalem famam honoremque conſecutus eſt. Quod ſi enim Græcos audimus, nulla fere ſcientia eſt, quam Græci Orpheo non debeant, adeo ut γράμματα καὶ σοφίην inventa ei tribuat epigramma vetus:[q] quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi literarum apud Græcos conditor fuerit; *Inventa ab Orpheo.*

k) PHILOSTRAT. *Heroic. c. V. §. 3. p. 703. & vit. Apollon. l. IV. c. 14.*

l) PAVSAN. *in Bœot. p. 586. ſq.* conf. quæ diximus in *Otio Vindelico Melet. III. p. 241.*

ll) OVIDIVS *Metamorph. l. X. v. 83.*

m) In *Eliacis poſter. p. 505.*

n) MART. SCHOOCKIVS apud FABRIC. *Bibl. Græc. vol. I. p. 131.*

o) *Apologie pour les grands hommes ſupçonner de magie c. IX. p. m. 110. ſeqq.*

p) Pertinet hoc ad oraculorum fraudes, quas in hoc oraculo Lesbico adhibitas fuiſſe oſtendit ANT. VAN DALE diſſ. II. *de Orac. gent. p. m. 293.* ad quæ, quod reſpondit BALTVS in hiſtoria *de ſilent. Oraculorum paganiſmi P. II. c. 7. p. m. 78.* verſ. Lat. leve eſt, & teſtimoniis veterum contrarium. Non enim ſacerdotes oraculi, ſed caput Orphei vaticinatum eſſe PHILOSTRATVS teſtatur.

q) Apud FABRICIVM *Bibl. Græc. Vol. I p. 130.*

erit; illas enim Græcos Cadmo debere, ſupra oſtendimus; ſed vult poëta, omnis generis eruditionem Orpheum apud Græcos introduxiſſe: licet hæc quoque ad ſapientiam carminibus expreſſam extendi queant. Certe poëſeos præſtantia Orpheum celeberrimum inter Græcos nomen conſecutum eſſe DIODORVS SICVLVS [r] notavit. Muſicæ præſtantia non habuiſſe parem, jam dictum eſt; addendum hoc, lyram ſive citharam ſeptem chordis inſtruxiſſe, qui enim quatuor chordarum lyram ei tribuunt, veterum teſtimoniis refutantur. [s] Cum muſica carminis pangendi peritiam non poſſedit tantum, ſed & carmen hexametron, teſte ANTIPATRO SIDONIO [t] invenit, & in epopœia omnes ante eum, referente PAVSANIA [u] ſuperavit. Sideralem porro artem ad Græcos tranſtulit & doctrinam vetuſtiſſimis veriſimiliter theologis non inauditam ex Ægypto in Græciam attulit, ſtellas perinde ut noſtram terram inhabitari, de quo dogmate Orphico infra dicemus. Medicinam non tantum exercuiſſe, ſed ita quoque perdidiciſſe, ut deſperatos morbos curaret, in antecedentibus monuimus: his adjiciendum eſt, veriſimillimum eſſe, adjunxiſſe medicinam Orpheum ſacris ceremoniis, & herbis, more Orientalium, vim quandam magicam inſcribendo, & muſicæ quoque vim ſalutari arti conjungendo, illud medicinæ genus inter Græcos introduxiſſe, quod diu ante ipſum in Oriente viguiſſe ſuperiori libro demonſtravimus, quodque magicum fuit. Ejus nos ſatis convincit PAVSANIAS, [x] qui refert, in ſumma auctoritate Orpheum fuiſſe οἷον πιστευόμενος ἐυρηκέναι ἔργων ἀνοσίων καθαρμοὺς, νόσων τε ἰάματα, καὶ τροπὰς μηνιμάτων θείων, *quod crederetur malarum actionum expiationes, morborum curationes, & iræ divinæ placationes invenisse:* ubi curationes morborum, & καθαρμοὶ ideo junguntur, quod illæ ſine his fieri nequibant. Et huc referendum quoque eſt, quod PLINIVS [y] habet, *primum eum de herbis aliquid curioſius prodidiſſe.* Eadem de aſtrologia inter Græcos per Orpheum introducta judicanda eſſe exiſtimamus. Quemadmodum enim divinationes ex ſideribus cum theologia & arcanis ritibus atque cultu Deorum conjunxere orientales gentes, & Ægyptii quoque, ut ſupra dictum eſt; ita Orpheus quoque ex Ægyptiorum diſciplina ſacris ſuis arcanis hanc partem addidit, & Græcos aſtrologiam docuit, ſiderum cognitione, quod modo monuimus, inſtructus. Qua de re notabilis apud LVCIANVM [z] locus occurrit, qui ita: *Græci nec ab Aethiopibus, nec ab Aegyptiis, de aſtrologia quicquam inaudiverunt, verum illis Orpheus Aeagro Calliopeque prognatus primus iſta monſtravit: non ille quidem admodum dilucide neque rem clare docuit, ſed* εἰς γοητείην καὶ ἱερολογίην, [a] *ad artem goëticam ſive magicam & ſacros ritus cultumque, qui ejus ſcopus erat* (διανοίη). *Nam conſtituta lyra orgia inſtituit, ſacras-*

r) *l. IV. c. 25. p. 227.*
s) Vid. HVMFRED. PRIDEAVX *ad Epoch. marmor. p. 198. ſeq.*
t) *Anthol. l. III. p. 388.*
u) *l. c. p. 768.* x) *l. c.*
y) *l. XXV. c. 2.* conf. DAN. CLERICVS *loco ſupra laudato.*
z) *De Aſtrologia T. III. p. m. 257. ſeq.*
a) Græca ipſa inſpicienda ſunt, incommode enim hæc verba tranſtulit ERASMVS.

crasque cantiones decantavit. Sed & reliqua legenda sunt, etsi sophisticam scholam argumento colorem quærentem sapiant. Nec videmus, quo argumento hoc neget VOSSIVS, [b] LAERTII auctoritate motus, qui narrat, plerisque videri primum Thaletem astrologiæ vacasse, & solis defectus conversionesque prædixisse. [c] Nam quod putat, quia orgia obscura sunt, & incertum, qualia fuerint, ideo hoc falsum esse, nihil ad rem facit; cum hoc sufficiat, divinationes ex astris, partem orgiorum ab Orpheo institutorum fuisse: Laërtii vero testimonium non obstat, qui de rationibus astronomicis & observationibus sideralibus a Thalete in Græcia introductis, non de divinatione ex astris, qualis in Orphicis sacris viguit, intelligendus est, quam Orpheus ex Oriente vel Ægypto in Græciam transtulit. [d] Omnium tamen maxime celebritatem inter Græcos consecutus est Orpheus introductis mysteriis & theologia: quam cum ita ordinaret, ut populo superstitionis freno subacto miranda videretur, & arcanis ceremoniis magna & divina sponderet, vehementer Græcos in admirationem rapuit, quæ tantopere animos occupavit, ut sacra illa arcana atque mysteria diu apud Græcos vigerent, magnisque solemnitatibus, sacra Bacchi, Hecates, Eleusinia, Panathænea, Thesmophoria ejusque generis alia celebrarentur, de quibus, quia extra oleas vagari non licet, consulendi sunt, qui Græcorum sacrorum historiam enarrarunt. [e] Quorum tamen non arcanas tantum circumstantias, sed & significationes enarrare, opus arduum & difficile est, nec ad magnam verisimilitudinem conjecturæ perduci possunt, quoniam & initiatos tantum sacroque silentio impeditos ad ἐποπτίαν admiserunt, & arcana quoque dogmata, non nisi sacerdotibus patuerunt, qui, ut erant homines astutissimi, ita sacris istis explicationem tribuerunt, ut ratio circumstantiarum postulabat variam. Vnde laterem lavare nobis videntur, qui Platonicorum recentiorum explicationibus [f] fidem tribuentes, eorum interpretationes pro veris horum sacrificiorum significationibus nobis obtrudunt. Quam mala enim horum hominum omnia ad sua dogmata roboranda & syncretismum stabiliendum rapientium fides sit, nemo est, qui ignorat.

§. IX. Vsus vero est, ut ex dictis colligere est, Orpheus modo docendi arcano, fabulisque & allegoriarum velo obscurato. Cujus rei ratio ex ejus circumstantiis hactenus enarratis facile peti potest. Erat enim ex Thracia oriundus; Hyperboreorum vero sacra allegoricis traditionibus constitisse, & arcana methodo fuisse propagata, suo loco audivimus. [ff] In

Disciplina arcana Orphei.

b) *De scient. mathem. c. XXXII. §. 8. p. 145.*

c) Dicetur hac de re suo loco, ubi de Thalete.

d) Chemiæ peritiam Orpheo tribuit OL. BORRICHIVS *de orig. & progressu Chemiæ p. 84.* qui vero Argonauticam expeditionem eam artem indicare, illique Orpheum interfuisse putat, quod utrumque falsum est, meritoque exploditur.

e) Inter eos imprimis consulendus est MEVRSIVS in *Græcia feriata* & IOH. POTTERVS *Archæolog. Græc. l. II. p. 246. seqq.* alios nominat IOH. ALB. FABRICIVS *Bibliograph. antiq. c. X. §. 9. p. 320. seqq.*

f) Inter Pythagoræ assecias tales explicationes jam tentavit Arignote, vid. SVIDAS *T. I. v. Arignote p. 320.* FABRICIVS. *Bibl. Græc. Vol. I. p. 509.*

ff) Conferendus, qui hæc probat CLEMENS ALEXANDRINVS *Stromatum l. V. p. 567. seq.* nec

Aegyptum poſtea delatus τὰ μυθολογέμενα, quod DIODORVS [g] teſtatur, didicit, arcanæque ſapientiæ atque imprimis dogmatum ſacrorum factus particeps, modum occultandi dogmata fabulis, & hieroglyphicis literis, & obſcurando myſteriorum recondito ſenſu populum ab interiori ἐποπτίᾳ arcendi affecutus eſt: & diſciplinam ſacerdotum arcanam inſpexit. Hanc ut ad Græcos delatus religionis cultu introducto adhiberet, non uno argumento commotus eſt. Res ei erat cum hominibus feris, religionis morumque ſeveriorum diſciplina nondum ſubactis, cum populo ad eas doctrinarum veritates, quibus imbuere eos cupiebat, capiendas nec diſpoſito ſatis, nec diſciplinæ quoque patiente. Eum itaque ad commodandas aures allicere, & fabularum dulcedine illaqueare atque quaſi capere oportuit. Ne vero religio conculcaretur & quod omnibus patuiſſet, evileſceret, arcana ſacra inſtituit, teletasque ſuas commendavit, & ſeverioris diſciplinæ atque præparationis ſepe ita munivit, ut non niſi erectiora & idonea admitterentur ingenia. Et hinc tota diſciplina Orphei arcana derivanda eſt, quæ totius theologiæ ſyſtema allegorico habitu more theogoniarum ſcriptoribus communi propoſuit, & ſacra dogmata de Deo & mundi origine hieroglyphico ſermone recondidit. Cujus exempla pluſcula protulit CLEMENS ALEXANDRINVS [h] ut probaret, *ſapienter Orpheum ſymbolicæ interpretationis genus inſtituiſſe, ut conferat, ad rectam theologiam, & pietatem, & judicandam ingenii ſolertiam, & veritatis exercitationem, & ad oſtendendam ſapientiam: docuitque ſacra lingua vocatam fuiſſe aquam bedy, mare zaps, terram chthon, ſolem plectrum, animam omnia continentem ſphinx, morbum cnaxzbi*, & alia, quæ ibi affert multa, qualia EPIGENES in *libro de poëſi Orphica*, τὰ ἰδιάζοντα παῤ Ὀρφει, *ea quæ propria fuerunt Orpheo*, exponens collegit & expoſuit. Hæc ut rite adhiberentur, myſteria inſtituit, initia tradidit, orgia atque τελέτας inter Græcos introduxit, iisque per multos gradus ſapientiæ ſacræ candidatum præparavit, donec perficeretur, ſacro ſilentio vehementer injuncto. Sacra ſcilicet iſta dicta ſunt myſteria, ſacrorum operatio μύησις, cujus finis, (unde τελέται dicta ſunt,) perductio animæ ad inſpectionem primarum veritatum. [i] Horum, ſi Platonicos audimus, quinque gradus erant, quos ita OLYMPIODORVS enumerat: ἐν τοῖς ἱεροῖς ἡγοῦντο μὲν αἱ πάνδημοι καθάρσεις; εἶτα ἐπὶ ταύταις αἱ ἀποῤῥότεραι· μετὰ ταύτας, συνάσεις, καὶ ἐπὶ ταύταις μυήσεις· ἐν τέλει δε ἐποπτίαι. *In ſacris præcedebant publicæ purgationes; deinde has excipiebant aliæ reconditiones; poſt has aggregationes; tum ſequebantur initiationes; ad extremum inſpectiones.* In quibus gradibus explicandis diligens fuit Plotini ſchola, ita tamen, ut non omnia ad Orphei ætatem referri debere conſtet. Hoc indubium eſt, ad eluendam a peccati

nec ad Orpheum referri debent myſteria Thracum, quæ Zamolxidi deberi ſupra demonſtravimus. Quem cum pro ſervo Pythagoræ habeat ſine ratione CVDWORTHVS *Syſt. int. c. IV. §. 18. p. 341.* fruſtra nodos quærit in ſcirpo.

g) l. c. *h) l. c. p. 569. ſeqq.*

i) Aliter Platonici, qui τὸ τέλος ſtatuunt, perductionem animæ ad illum ſtatum, in quo fuit, antequam corpus ingrederetur. Sed hæc ſcholam Alexandrinam ſapiunt, non Orphei adyta.

cati ſordibus & purgandam animam, antequam ad myſteria inſpicienda admitteretur, varias purgationes fuiſſe adhibitas, hinc requiſita prius peccatorum confeſſio, & excluſi profani atque ἄλιτροι publica præconis voce: [k] caſtimonia ad certum tempus indicta, humicubitiones exercitæ, abſtinentia a cibo imperata, & alia σκληραγωγίας, atque ſeveriſſimæ diſciplinæ inſtituta rigidiſſime exacta, & imprimis diligentiſſime caveri ſolitum, ne arcana hæc τοῖς ἀμυήτοις ſive profanis innoteſcerent: unde, qui hoc ſilentium violaret, vel curioſos in hæc ſacra oculos contorqueret, impune non tulit. [l] Per hos vero gradus purgatus & præparatus ab hierophantis, myſtisque epoptes factus, & interiori doctrina initiatus eſt. Cujus diſciplinæ arcanæ, quæ originem inter Græcos ad Orpheum refert; veſtigia apud veteres ſcriptores plurima occurrunt, & imprimis Platonici recentiores diligenter de ea commentati ſunt, quorum loca, ne prolixe afferamus, otium nobis fecit eruditiſſimus ISAACVS CASAVBONVS,[m] qui præter alios hac de re conſulendus eſt. Nec una myſteriorum ratio, ſed varia, ſine dubio ab Orpheo & diſcipulis inſtituta eſt, probantibus id tot ſacris arcanis inter Græcos & finitimos populos introductis, inter quæ Cereris atque Bacchi ſolennitate reliquis nobiliora fuerunt. Qualia vero illa omnia fuerint, quas ſignificationes & doctrinas obvelaverint, incertiſſimum eſſe putamus. Quæ enim ad detegendos Orphicorum ſacrorum ſenſus arcanos erudite & copioſe congeſſit ANDREAS CHRISTIANVS ESCHENBACHIVS,[n] omnia fere Platonicis recentioribus accepta debet, qui tamen, cum non tam veteres philoſophos interpretati ſint, quam iis ſua cogitata & philoſophemata ſuppoſuerint, indigni & inepti in hac re arbitri ſunt.[o] Verbo, idem de Orphei arcana doctrina tenendum eſt, quod de Aegyptiorum diſciplina hieroglyphica ſupra monuimus; hæc enim illius parens fuit. Vtrum vero arcana hæc docendi methodus| non per fabulas modo & allegorias rudem plebem ad formandos mores ducens, ſed totius religionis ſummam oculis hominum non initiatorum ſubducens, philoſopho digna ſit, nec ne? prolixius diſputare loci hujus non eſt, & ex iis, quæ de Orientalium arcana diſciplina ſupra diximus, judicium hac de quæſtione ſanum facile fieri poteſt. Et laudant quidem non veteres modo, & inter hos Patres quoque plerique, in hac diſciplina arcana etiam in eccleſia innutriti, præcipue CLEMENS ALEXANDRINVS, [p] hanc docendi rationem, ſed & recentiores ideo magnopere Orpheum extollunt, inter quos vehementer eum commendat THOMAS BVRNETIVS. [q] Nos Orpheo prudentiæ & eruditionis laudem non denegamus, nec inter feros & inconditi ſenſus homines allegoricam methodum uſu caruiſſe putamus, ſacrorum tamen arcanorum rationes, non

k) Neronem ideo poſt cædem matris ad ſacra Eleuſinia accedere non auſum refert SVETONIVS *in Ner. c. 34.*

l) Exemplum habes apud LIVIVM *l. XXXI.* Ideo etiam noctu peragebantur hæc myſteria pleraque.

m) *Exercit. Antibaron. XVI. n. 43. p. m. 391. ſeqq.*

n) In *Epigene de Poëſi Orphica, ſive in priſcas Orphicorum carminum memorias libro commentario Norimbergæ 1702. 4.*

o) Conſentit cum his vir ſummus IOH. LAVR. MOSHEMIVS *ad* CVDWORTHI *Syſt. intell. c. IV. §. 17. p. 349. n. 40.* *p*) *l. c.*

q) *Archæol. philoſ. c. IX. p. 407. ſeqq.*

tam ad excitanda altiora ingenia, quod contendit CICERO, quam ad ducendos populi animos, firmandam ſuperſtitionem, & fovendam impietatem reſpexiſſe, conſideratis omnibus eorum circumſtantiis probabile judicamus: & multiplices quoque fraudes in iis adhiberi ſolitæ ſuſpicari id jubent. Nec nos multum juvant ea, quæ de veritatibus metaphyſicis, theologicis & naturalibus in iis reconditis philoſophi imprimis Platonici afferunt: quo loco enim ea habenda ſint, in ſimili argumento aliquoties jam diximus, & has accommodationes fuiſſe, ut tolerabilior fieret ſuperſtitio, evicimus, ſic ut otioſe ea repetere opus haud ſit. Immo ea talia eſſe, ut magnifice de Orphei religione ſentiri nemo æquus debeat, poſtea, ubi de dogmatibus Orphei agemus, demonſtrabimus.

Scripta Orphei.

§. X. Effecit magna hæc, quam conſecutus eſt Orpheus, fama, ut carmina complura Orphicorum nomine ad eum referrentur, eique tanquam auctori tribuerentur: quorum pleraque quidem, præter exigua fragmenta paſſim apud veteres ſcriptores, qui ea excerpſere, ſuisque ſcriptis inſeruere, occurentia, [r] intercidere, [s] quædam ad nos pervenerunt, inter quæ ſunt *Argonautica*, *carmen epicum*, *hymni LXXXVI.* & *de lapidibus eorumque virtutibus præcepta*, quæ junctim edidit vir doctiſſimus ANDREAS CHRISTIANVS ESCHENBACHIVS; [t] quorum hiſtoriam cum more ſuo diligenter enarraverit nunquam ſine acerbo luctu nobis memorandus præſtantiſſimus FABRICIVS, [u] hauriet lector ex libro in hiſtoria philoſophiæ literaria maxime neceſſario, quantum ſatis erit. De his omnibus vero magna inter eruditos controverſia eſt, an ad Orpheum, tanquam auctorem, referri queant? Quidam enim Orpheum plane nihil ſcripſiſſe affirmant, contenduntque, auctoritatis gratia & ad faciendam ſuis ſcriptis fidem Orphicorum nomen præfixiſſe veteres, eodem ſtratagemate uſos, quod in Zoroaſtris & præcipue in Hermetis ſcriptis ſupponendis adhibitum fuiſſe ſupra obſervavimus. Nec argumentis quoque deſtituuntur, qui ita rationes ſubducunt: provocant ad HERODOTVM, [x] Homerum atque Heſiodum omnium antiquiſſimos poëtas ſtatuentem, & ad ARISTOTELEM, [y] Orphica carmina in dubium vocantem: imprimis vero veteres teſtantur, fatentes, Pythagoræ ejusque diſcipulis omnia illa carmina deberi, quæ ſub Orphei nomine inter veteres celebratiſſima fuerunt. Cecropi enim Pythagoreo homini tributa fuiſſe CICERO [z] auctor eſt, aliique Onomacrito ejusdem familiæ philoſopho tribuunt, [a] SVIDAS quædam ad Theognetum, Theſſalum, alia ad Timoclem, Syracuſanum, quæ-

r) Multa ex Orphicis occurrunt apud PROCLVM; TZEZEM, aliosque, quorum quædam collegit HENRICVS STEPHANVS in *Poëſi philoſoph. p. 78. ſq.* pauciora Orphicorum editioni inſeruit ESCHENBACHIVS.

s) Eorum titulos enarrat FABRICIVS *l. c. Vol. I. p. 120.* & peculiari ſcripto ESCHENBACHIVS, titulo: *Epigenes de poëſi Orphica*, de quo ſupra. Qui tamen meras ſæpe conjecturas ſequitur.

t) Traject. 1689. 12. adjecit editor H. STEPHANI notas & ſuum commentarium.

u) *l. c. p. 112. ſeqq.*

x) *c. LIII. p. 109.*

y) *De anima.*

z) *Loco ſupra laudato.*

a) Vid. FABRICIVS *l. c. p. 129.*

quædam ad Zopyrum Heracleota refert. [b] Alios ex Pythagoreorum ſchola, in qua Arignote quoque Pythagorica, duoque Orphei juniores memorantur, Camarinæus & Crotoniates, enarrat ὁ πάνυ FABRICIVS. [c] Diſſentiunt tamen ab his, qui veterum auctoritate, & in his CLEMENTIS ALEXANDRINI, ATHENAGORAE, IVSTINI & doctorum eccleſiæ aliorum, item DIODORI SICVLI, ipſiusque CICERONIS, Orpheum quædam ſcripſiſſe contendunt, [d] & ad conſtantem Pythagoreorum traditionem provocant, quæ aſſerit, Pythagoram ex Orphei libris, libellum celebrem, cui titulus: ἱερὸς λόγος fuit, concinnaviſſe: certe, ſi quoque ſtatuatur, Pythagoram nihil ſcripſiſſe, referendum eſſe librum hunc ſacrum vel ad Cecropem vel ad Thelaugen Pythagoræ filium, antiquiſſimos homines, qui ex Orphicis ſua transſumſerint. Perquam vero difficile eſt, in hac controverſia arbitri partes ſumere; & tamen ab ea quæſtione & lite rite diremta, totum, quod de Orphei dogmatibus ferendum eſt, judicium dependet. Nec hic certitudine infallibili pugnari poteſt, ut ſunt vetuſtiſſima omnia, ſed ad conjecturas cuncta quidem redeunt, non tamen fallaces & nudas, ſed magno veriſimilitudinis gradu nixas. Scilicet conſideratis non iis tantum, quæ integra habemus, ſed imprimis reliquiis ac fragmentis illis Orphicis, quæ paſſim apud veteres, tanquam reſiduæ ex naufragio tabulæ reperiuntur, non unius omnia atque ejusdem generis eſſe, fatebitur, quisquis ſobrie atque caute attendit & rem probe ponderat. Quædam enim, quæ pro Orphicis ab antiquis eccleſiæ doctoribus adducuntur, ita comparata ſunt, ut fraudem atque ſuppoſitionem, ſaltem interpolationem, manifeſte prodant, & recte monente CVDWORTHO, [e] qui exemplum quoque attulit, hebetis ingenii & obtuſi homo vocandus ſit, qui ea Orphei eſſe cogitaverit. Nec improbanda conjectura VV. cll. C. A. ESCHENBACHII [f] & IO. LAVR. MOSHEMII, [g] qui a Iudæo quodam, forte ab ipſo Ariſtobulo quædam profecta eſſe conjiciunt. Is enim Iudæorum, eorum imprimis, qui in Aegypto gentilem philoſophiam didicerunt, mos fuit, ut ejusmodi fraude rebus gentis ſuæ apud gentiles auctoritatem conciliarent, & credibile eſt, Ariſtobulum, qui hujusmodi oraculum aliquod Orphei in opere ad Ptolomæum Aegypti regem exarato, affert, [h] ita apud regem rebus populi ſui conſulere voluiſſe. Nec minus ſuſpecta ſunt, quæ ex Orphicis referunt Platonici recentiores. Illorum enim inſtitutum, ſuo loco accurate probandum, fuit, non tantum totius fere terrarum orbis religiones & dogmata corradere, & maleſano conſilio in unam religionem confundere, ſed & nugis ſuis, fraude ac ſuppoſitione fidem conciliare, & hunc in finem omnes magnos antiquitatis viros ſuis ſubſelliis vindicare. Quod conſilium tot nobis ex hac officina libros ſpurios peperit, ut non poſſit non cauto lectori ſuſpectum eſſe, quicquid veteribus hi homines tribuunt.

Vnde

b) Conf. ib. CVDWORTH. *Syſtem. intell. c. IV. §. 7. pag. 342.* *c*) *l. c.*
d) Loca indicat CVDWORTHVS *l. c.*
e) *l. c. p. 348.*
f) In *Epigene de poëſi Orphica p. 148.*
g) *Ad l. c. Cudworthi, n. 37.*
h) Apud EVSEBIVM *præpar. evang. l. XIII. c. 12.*

Vnde parum auctoritatis deferendum esse, patet, Orphicis a Platonicis passim jactatis, quibus ea in deliciis fuisse, MARINVS [i] refert. Etsi vero ex Iudæorum, Platonicorum, Christianorum & hæreticorum officinis talia multa prodiisse nemo temere negaverit; inficiandum tamen haud est, Platonis, Diodori aliorumque veterum temporibus lecta esse quædam, quæ jam tum temporis ad Orpheum relata sint, & ex quibus illi sua, quæ ex istis referunt, hauserint. An vero ad ipsum Orpheum referri queant, difficulter definiri quidem potest, majori tamen verisimilitudine negari, quam affirmari posse censemus. Non enim antiquissimis tantum istis temporibus scribendi sapientiæ præcepta mos nondum invaluit, sed &, quod probe notandum esse existimamus, methodus ἀπόῤῥητος Orphei obstitit, quo minus scriptis sacra sua traderet. [k] Quantam enim industriam in occultandis sacris dogmatibus posuerit, supra satis luculenter demonstratum est. Probabile tamen est, quædam, quæ pro Orphicis inter veteres venditabantur, Orphica dogmata continuisse, & ab hierophantis atque epoptis, ad quos orali traditione pervenerant, fuisse scriptis consignata, eaque Orphicorum nomine insignita, quod Orphei doctrinam referrent. Hæc postea propter doctrinæ Orphicæ celebritatem, quam inter Græcos consecuta est, variis scriptis ab ejus disciplinæ hominibus fuisse aucta, non est, quod dubitemus, cum semper magistri præcepta illi jactaverint. Cujus luculentum testimonium est, quod ea dogmata, quæ in poësi hac Orphica, etiam, ubi indubitata ætate supra Salvatoris tempora ascendit continentur, adeo inter se discrepant, ut impossibile sit, ea ex uno præcipientis ore calamove, vel ab unius systematis assectis fuisse profecta, & hæc dogmatum discordia necessario plures auctores atque conditores Orphicorum fuisse, evincat. Noster hic est acutissimus MOSHEMIVS. [l]

Incertitudo doctrinæ Orphicæ.

§. XI. Colligi ex dictis potest, quam difficile sit, de dogmatibus Orphei, & imprimis de totius doctrinæ ejus systemate aliquid tradere, quod verum sitienti faciat satis. Cum enim non doctrinam δημώδη, sed ἀπόῤῥητον Orphei cognoscere, tractatio nostra postulet, tam densum illa velum obducta habet, ut non facile quis penetrare queat. Et cum, quod satis diximus, Orphei scriptum genuinum nullum superfit, quæque feruntur, Orphica ob dictas causas adeo incerta sint, & dubia, ut ad quem potissimum referri debeant, anceps hæreat judicium, sperari quoque & promitti certa non possunt, nec aliud dari, quam quod sub Orphei nomine olim circumferebatur. Vt tamen verisimilitudinem & fidei historicæ leges, quantum licet, sectemur, ea potissimum consulemus, quæ scriptores veteres Orpheo propiores illi tribuerunt, quemadmodum Thaletis, Anaxagoræ, Pythagoræ aliorumque virorum in philosophiæ theatro maxime conspicuorum dogmata ea esse, probabili ratione nixi credimus, quæ a veteribus iis tribuuntur, etsi scripta eorum interciderint, vel plane nihil de suis dogmatibus in literas

i) In *vita Procli c. XXVI. p. 61.*

k) Eandem causam fuisse, cur Pythagoras nihil scripserit, suo loco probabimus.

l) l. c. p. 344. not. 20.

ras retulerint. Platonici tamen recentiores, philoſophique illi, qui ex Ægypti ſcholis prodierunt, ſuſpecti quam maxime ſunt, quod vel ſua Orpheo ſuppoſuerint, vel ſaltem ſomniis ſuis Orphica ab antiquis accepta adulteraverint & interpolaverint: unde non niſi ſobrie atque caute audiendi ſunt. Id quod etiam de cl. ESCHENBACHIO, qui in interpretandis Orphicis hos homines nimia fiducia ſecutus eſt, aliisque hujus generis, qui eadem via inceſſerunt, tenendum eſt. [m] Immo, cum probatum dederimus, a variis hominibus Orphica carmina compilata eſſe, ſequitur inde, impoſſibile eſſe, ejusmodi ſyſtema doctrinæ Orphicæ exhibere, quod ubique cohæreat.

§. XII. Duo vero primaria doctrinæ Orphicæ fuiſſe capita, veteres tradunt, quorum unum theologiam ſive doctrinam de Deo & divinis tradidit, alterum phyſiologiam & coſmogoniam exhibuit. Multa vero Orpheum de Diis docuiſſe, tota Græcorum religio, quæ ex hujus viri fontibus omnis fere dimanavit, teſtatur: quicquid enim fabularum de Diis Græcia mentitur, quicquid rituum ſacrorum & myſteriorum inſtituit, illud omne ad Orpheum olim referebatur. Nec negarunt hoc veteres philoſophi, ſed indignati ſunt potius, doctrinam de Deo fabulis Orphicis corruptam fuiſſe, quam ob rem a Nemeſi divina punitum, diſcerptum obiiſſe putat ISOCRATES. [n] LAERTIVS [o] vero memorabili ſententia, poſtquam Orpheum Thracem inter philoſophos antiquiſſimos relatum a quibusdam eſſe dixerat, addit: *Equidem is, qui de Diis talia commentus eſt, an philoſophus appellandus ſit, neſcio. Quo enim nomine appellandus is eſt, qui Diis omnem humanam perturbationem & affectus adfricando, non pepercerit; eaque, quæ raro a quibusdam hominibus turpiter perpetrantur.* Patres, qui πολυθεότητος auctorem Orpheum faciunt, prætermus, [p] ne juſto ſimus prolixiores. Negari itaque nequit, in theologia exoterica polytheiſmum Orpheum introduxiſſe, & idololatriæ inter Græcos turpiſſimæ occaſionem dediſſe. Neque tamen Orpheus tam exiguæ doctrinæ atque judicii fuiſſe cenſendus eſt, ut adeo deſipuerit in tradenda doctrina diviniore; ſed πολυθεότης illa ad fabularem iſtam, qua rudem populum deliniebat, methodum referenda eſt. Cum enim, omnia ex Deo emanaſſe, pro primo rerum ortarum principio adhibuerit, ut in ſequentibus probabimus, & ita rebus omnibus divinam originem adſcripſerit, mutavit ſpiritus, partesque mundi naturales mythologica methodo uſus, in Deos, eosque colendos populo commendavit, cum ſummum DEVM ab illis attingi poſſe deſperaret. Qua ratione non meruiſſe, ut *divino afflatus ſpiri-*

Theologia Orphica.

an idololatrica?

m) Inter hos etiam CVDWORTHVS *l. c.* eſt: & hac fere via etiam B. BVDDEVS obſ. *de phil. Orphica*, *Obſ. Hal. Lat. T. VI. Obſ. 29.* & ex parte quoque BVRNETIVS *l. c.* inceſſerunt. Num ad hunc lapidem quoque offenderint EBELINGIVS in *Archæologiis Orphicis* & SYMPHORIANVS CAMPEGIVS, in *Theologia Orphica*, judicent, qui legerunt.

n) In *laudat. Buſirid. p. m. 543.* edit. H. Wolfii.

o) *Lib. I. ſ. 5.* Eandem abſurditatem & impietatem eodem argumento Orpheo objicit ORIGENES *contra Celſ. l. I. p. m. 14.*

p) Loca quædam eorum adduxit CVDWORTHVS *l. c. p. 345.*

ſpiritu Celſo dicatur, nemo quidem negaverit, an vero excuſandus ſit, dubius hæret, & in mitiorem partem inclinat BVRNETIVS. [q] Monet is, aliter fieri non potuiſſe illo, quo vixit ævo, eoque cum populo: a rudimentis incipiendum fuiſſe in omni diſciplina; a ſuperſtitione ad caſtam religionem progrediendum fuiſſe. Neque tamen Deorum aras humanis ſacrificiis, neque animalium ſanguine conſperſiſſe; non finxiſſe Deos forma humana; referre IVSTINVM, [r] pœnituiſſe erroris Orpheum ante vitæ finem, omnisque in Deum aut homines contumeliæ; mores impuros ei tributos eſſe, ex opprobriis Chriſtianorum levi fama accepta gentilibus in vituperiis ſuis objicientium. Quas tamen rationes leves admodum eſſe, vel mediocriter ad rem ipſam, de qua quæritur, attentus, intelligit. Cur non enim caſtam populo facile ſequaci & in admirationem laudemque viri atque obſequium inde præſtandum rapto de Deo religionem propoſuit? cur divinitatem in tot partes diſpeſcuit? cur non mente ſola, quod ſimpliciſſimum & naturæ humanæ convenientiſſimum eſſe, ipſa ratio dictitat, numen colendum eſſe docuit, & tot myſteriorum ſuperſtitiones tradidit? cur removit arcana methodo populum a veritate, cujus tamen intererat, rectius doceri? &, ſi profani eſſent, philoſophicis rationibus, non vero inanibus ceremoniis purgari? Verum non attendit BVRNETIVS, aliam fuiſſe ſuperſtitionis ab Orpheo introductæ rationem, quod ita ſyſtema emanativum ad fingendum Deorum cultum talem ſufficere pulchre videbat, qualem quæſita & obtenta auctoritas conditoris, & conſervatio politica ſacrorum ab eo inſtitutorum poſtulabat. Quare e re ſanctiſſimæ religionis noſtræ eſſe putamus, ut arcana gentilis religionis, ejusque *βδελύγματα* recte cognoſcantur, quæ excuſare, tenebras eſt comparare cum luce. Orpheum erroris pœnituiſſe, fide caret, nec incerta & ſuſpecta Iuſtini traditio ſufficit. [s] Mores tam malos non fuiſſe, quales ei objiciuntur, credibile quidem eſt, nec tamen hoc vituperium Chriſtianis imputandum eſt, cum pæderaſtiæ culpam ipſi, quod ſupra retulimus, gentiles ſcriptores ei exprobrent.

Capita potiora theologiæ Orphicæ.

§. XIII. Propius vero atque intus reſpicienda eſt theologia Orphei, ut quid celeberrimo primoque fere inter Græcos theologo placuerit, diſcamus. Vtemur vero, ubi alia non ſuppetunt, Orphicis carminibus, quæ paſſim apud veteres ſuperſunt. His, reliquisque veterum teſtimoniis conſultis, is, qui Orphicorum auctor fuiſſe dicitur,

De natura Dei.

I. Deum ſummum eſſe, qui omnium rerum auctor eſt, omnia in ſe continet, omnibus providet, & quoad naturam univerſo ſimilis figura eſt, quam ei mentem de Deo tribuit IAMBLICHVS. [t] Qui cum Pythagoræ & ſequacium de Deo doctrinam Orphicæ ſimillimam fuiſſe tradit, totam ſcholæ ſuæ catervam ſibi conſentien-

q) *l. c. p. 411.*

r) *De Monarchia Dei p. 103. ſeq.* Vbi tamen ſuppoſitionem facile odorari quis poteſt, pars enim eſt *libri ſacri* a Pythagoreis ſuppoſiti, & quidem a Iudæo quodam interpolati, quod docte obſervat ESCHENBACHIVS *de Poëſi Orphica pag. 143. ſeqq.*

s) EVSEBIVS *de præp. l. XIII.* conf. HVETIVS *Demonſtr. Ev. Pr. IV. c. 8. §. 19. p. 130.* ESCHENBACH *l. c.*

t) *De vita Pythag. c. 28. n. 151. p. 127.*

tientem habet. Ita enim SYRIANVS,[u] PROCLVS hujusque furfuris alii.[x] Nec negandum, PLATONEM [y] ipſum in ea fuiſſe ſententia, alludere Pythagoreas opiniones ad placita Orphica. Parum tamen, ſi fatendum, quod res eſt, pro Orpheo ita lucrabimur, cum ſcholæ Pythagoreæ mos ſua veteribus philoſophis ſupponendi, & veneranda antiquorum nomina ſibi præter rem vindicandi, in vulgus notus ſit. Ad aliud itaque teſtimonium provocat, qui Orphei cauſam magna induſtria tuetur, doctiſſimus, CVDWORTHVS, [z] nempe TIMOTHEI chronographi, qui brevem Orphicæ diſciplinæ ſummam, in *Coſmopœia ſua* olim exhibuit, quam CEDRENVS [a] & EVSEBIVS [b] integram, & ex his alii, [c] expoſuerunt, in qua apertam DEI conditoris mentionem facit, ejusque nomen, conſilium, lucem, vitæ largitorem eſſe, ens eum ſummum inviſibile eſſe ſtatuit, ex cujus potentia, quam nemo concipere poteſt, omnia incorporea & corporea facta ſint. Addit: Ὁ δὲ αὐτὸς Ὀρφεὺς ἐν τῇ αὐτῇ, βίβλῳ συνέταξεν, ὅτι, διὰ τῶν αὐτῶν τριῶν ὀνομάτων μιᾶς θεότητος τὰ πάντα ἐγένετο καὶ αὐτὸς ἐϛι τὰ πάντα. *Idem Orpheus in eodem libro ſcripſit, a tribus iſtis nominibus, una vero natura divina omnia facta eſſe, Deumque ipſum eſſe omnia.* Bene vero nobiſcum egiſſet Timotheus, ſi totum carmen Orphicum, vel fragmentum ſaltem illud, ad quod provocat, integrum deſcripſiſſet, ut quis verborum ſenſus ſit, quis auctoris ſcopus, quæ verborum integritas, facilius judicari poſſet. Verum obſervavit accurate ESCHENBACHIVS, Timotheum ordinem, quem auctor hujus theogoniæ tenuerat, non fideliter ſervaviſſe, & non alium in finem hæc conſignaviſſe, quam ut perſuaderet lectoribus ſuis, Orpheum jam docuiſſe, trinitatem in una eſſentia creaſſe omnia, quod CEDRENVS ſub finem indicat; tum etiam, ut oſtenderet, Orpheum, dum mundi creationem doceret, a Moſaicis traditionibus parum, aut nihil diſcrepare; ideoque ea tantum ex Orphica theogonia hic inde decerpſiſſe, quæ aliquo modo huic fini ſervire poterant, ceteris, & rem ipſam concernentibus, neglectis. Parum itaque fidei, immo plane nihil, tribuendum eſt homini veterum dicta ad firmanda ſua detorquenti, qui inter Græcos recentiores, leviſſimi ingenii homines mos receptus, ſemper tamen hiſtoriæ philoſophicæ exitialis fuit. Conſulenda itaque ſunt ipſa, quæ reſtant, Orphicorum carminum λείψανα, inter quæ quod PROCLVS [d] ſervavit, quia inſigne eſt, & de ortu rerum ex mente Orphei diſſerturis lucem accendet, ex STEVCHI EVGVBINI verſione hic apponemus, Græca vero apud PROCLVM & ex eo apud recentiores quosdam [e] legenda lectori commendamus. Ita vero:

Fuerunt intra Iovem cum univerſo
Aetherea vaſtitas, & cœli præclara ſublimitas,

u) SVIDAS in *Syrianus T. III. p. 410.*
x) Affert eorum teſtimonia CVDWORTH. *Syſtem. intell. l. c. p. 346.*
y) In *Cratylo p. 264.*
z) *loc. cit.*
a) In *Chronographia p. 46.*
b) In *Chronicis.*
c) ESCHENBACH. *l. c. p. 87. ſeqq.* CVDWORTHVS *l. c. p. 346. ſeq.*
d) *Comm. in Timæum p. 95.* conf. ESCHENBACH. *l. c. p. 71.*
e) EVNDEM *l. c.* CVDWORTH. *l. c. p. 348.*

Immenſique maris & telluris inclytæ latitudo
Oceanusque ingens, depreſſaque tartara terræ,
Fluminaque & pontus ſine fine, & cetera cuncta.
Immortales omnes beati diique de æque,
Quæ fuerint exorta, & quæ ventura ſequuntur,
Hæc in ventre Iovis rerum compage manebant.

Aliud non minus memorabile fragmentum nobis ſervavit auctor libri *de mundo*, & ejus interpres APVLEIVS, dignum, quod hic quoque apponatur:

Primus cunctorum eſt, & Iupiter ultimus idem.
Iupiter & caput, & medium eſt, ſunt ex Iove cuncta,
Iupiter eſt terræ baſis & ſtellantis Olympi.
Iupiter & mas eſt, eſtque idem nympha perennis.
Spiritus eſt cunctis: validusque eſt Iupiter ignis.
Iupiter eſt pelagi radix; eſt lunaque ſolque.
Cunctorum rex eſt; princepsque & originis auctor.
Namque ſinu occultans, dulces in luminis auras
Cuncta tulit, ſacro verſans ſub pectore curas.

Paria fere leguntur apud EVSEBIVM [f] & CLEMENTEM ALEXANDRINVM, [g] ex quibus patet, varie iſtas reliquias & fragmenta a veteribus congeſta fuiſſe; res tamen omnis eo redit: Continuiſſe Iovem ſive ſummum Deum in ſe omnia, omnibus ortum ex ſe dediſſe; & tanquam hermaphroditum omnia ex ſe genuiſſe, & ex ſua produxiſſe eſſentia; Spiritum eſſe univerſi, qui omnia regit, vivificat, eſtque

Vnica vis, dæmonque unus, qui cuncta gubernat.
Omniaque hæc unus regali in corpore claudit.

Ex quibus neceſſario ſequitur omnia in eum reditura. Hæc Orphica fragmenta ubique loquuntur, nec aliud voluerunt Orphicorum dogmatum oſtentatores, quando magna confidentia Deum τὸ πᾶν, [h] vocarunt. Et ex his de theologia Orphica judicium formandum eſt. De qua ut mentem quoque noſtram modeſte exponamus, primo, non negamus, valde nobis hæc quoque carmina ſuſpecta eſſe propter illos, qui eorum fragmenta nobis conſervaverunt. Hos Platonicos recentiores, ſive Alexandrinos fuiſſe, loca eorum adducta teſtantur. Demonſtrabimus autem ſuo loco luculenter, inter alia, quæ veteribus, imprimis Pythagoræ & Platoni fruſtra & invita Minerva affinxerunt, fuiſſe quoque dogma, de producta materia ex ipſo DEI gremio, quod ideo aſſumſerunt, ut propius ad Chriſtianos accederent, & abſurditatem duplicis principii evitarent. Quis itaque nobis teſtis erit, non ab hujus ſyſtematis fautoribus pleraque carminum horum fragmen-

f) *De præpar. l. III. c. 9.*
g) *Stromat. l. V.*
h) Conf. CVDWORTH. *l. c. p. 355. ſeqq.* cujus veſtigia ſecuti ſunt auctores *Hiſtoriæ univerſalis. p. 73. ſeqq.*

fragmenta fuiſſe conficta & ſuppoſita? quis interpolatoris manus paſſa non eſſe, cum multa in iis tam egregie cum Platonicis ſequioribus conſpirent, nos faciet indubios? Fatemur itaque non inviti, valde nobis in definienda Orphici de Deo dogmatis ſumma aquam ex hac cauſa hærere. Non tamen, ſecundo, inficiamur, veriſimile non eſſe, omnia iſta carmina plane nihil quod ad Orphica tempora & doctrinam referri queat, continere, ſed omnino probabile eſt, ſi non ipſum Orpheum, certe Orphicam doctrinam eo collineaſſe, ut Deum eſſe omnia, inque eo omnia contineri, exque ejus eſſentia omnia orta eſſe, & naturam atque vitam accepiſſe, ejus quoque ſpiritu moveri, formari & gubernari omnia traderet. In hoc enim κυρίῳ δόγματι conſpirant omnia, quæcunque de Orpheo apud veteres traduntur. Nec putamus temere hoc quenquam inficiari poſſe, niſi luculentioribus in contrarium argumentis inſtructum, quæ forte fruſtra conquiruntur. Nondum tamen ita de mente Orphicorum de Deo ſatis certi ſumus, cum variam celebre iſtud dogma ſignificationem admittat, quæ quoque in cauſa fuit, cur Platonicorum ſequiorum in modum illud explicuerit, & ſaniorem ei adſtruere ſenſum magna induſtria laboraverit CVDWORTHVS, [i] alii vero, & inter hos IO. FR. BVDDEVS [k] Orpheum inter Spinoziſtas ante Spinozam retulerint, putantes, eum Deum atque mundum confudiſſe, & per Deum non intellexiſſe aliud, niſi mundum hunc totum, Deumque quaſi modificatum; alii tandem, inter quos eminet celeberrimus MOSHEMIVS [l] media via incedentes, a Spinozæ quidem impietate Orphicam theologiam liberent, emanativum vero fuiſſe, & res omnes ex ſinu DEI ita deduxiſſe, ut eſſentiam, naturam, ortum ex eo acceperint, ſicque membra DEI ſint, contendant. Etſi vero difficile eſt in tam incertis rei monumentis & teſtimoniis certum aliquid ſtatuere, ultimam tamen ſyſtematis Orphici explicationem reliquis præferendam eſſe, non una ratione adducti fatemur. Quemadmodum enim ſaniori interpretationi, quam coëgit in ordinem ingenioſiſſimus CVDWORTHVS, repugnant ipſa fragmenta, ſi ſine commentariis Platonicorum, mire ea detorquentium, conſiderentur; ita a Spinozæ ſyſtemate mundi origo & productio atque formatio talis, qualis in theogonia Orphica deſcribitur, quæque cum Spinozæ hypotheſi, unicam tantum eſſe ſubſtantiam, ejusque duas modificationes æternas, conſiſtere non poteſt, Orphicam theologiam ſatis manifeſte, niſi fallimur, diſtinguit: ſicque ſyſtema emanativum remanet, quod eo tutius atque probabilius Orpheo tribui poteſt; quo magis id per omnem fere Orientem veterem pervagatum fuiſſe, ſuperiori libro vidimus. [m] Ex Oriente vero ad ſeptentrionales perveniſſe ſuo quoque loco docuimus. Vnde fons quoque patet, ex quo Orpheus hanc de Deo doctrinam hauſerit? domi enim ſacris jam innutritum fuiſſe, ſupra oſtendimus. Quia ve-

i) *l. c. p. 353.*

k) *Hiſt. eccl. V. T. T. I. p. 1077. theſ. de atheiſmo c. I. §. 9.* add. LOESCHER *prænot. contra atheiſmum §. 5. p. 4.*

l) Ad *l. c.* CVDWORTHI *n. 58. p. 357.*

m) Conf. ABR. HINCKELMANNVS. in *detectione fundamenti Bœhm. p. 84. ſeqq.*

ro in Ægyptum deſcendit Orpheus, ubi iſta doctrina, Deum & chaos in principio unum fuiſſe, Deumque ex ſe mundum produxiſſe, eumque tanquam animam informare, regere, & vivificare, recepta fuit, (id quod ſupra quoque demonſtraſſe meminimus) patet ex eo, qua ratione ad juſtam formam habitumque Orpheus theologiam ſuam iſto modo perduxerit. Veriſimillimum itaque putamus, tradidiſſe Orpheum, vel Orphicam theologiam potius, cum ab ipſo Orpheo nihil, quod indubitatum ſit, nobis reſtet, de Deo ſequentia:

Syſtema Orphicum de Deo & mundi origine.

I. Deum ante mundum conditum cum chao infinite copulatum fuiſſe & ita conjunctum, ut omnia continuerit, quæque fuerunt, ſunt, & futura ſunt, in eo fuerint recondita, ſicque omnes naturas ab æterno in eo latuiſſe.

II. Expuliſſe vero Deum hunc ex ſinu ſuo materiam, resque omnes, certo tempore, & ſic Deos Deasque ſolem, lunam, ſtellas, omniaque quæ ſunt, ex eo effluxiſſe.

III. Participare itaque omnia, per emanationis leges ex DEI eſſentia, eſſeque DEI partes & membra, & nihil eſſe, quod divinitatis expers ſit.

IV. Ineſſe itaque partibus mundi divinitatis quoque partem, easque pro Diis merito haberi.

V. Eſſe Dei eſſentiam, quæ ex eo effluxit, in omnibus rebus præſentem, eamque vim unicam & præſidem eſſe mundi, quæ omnia gubernat.

VI. Cum itaque omnia non tantum ex Deo ſint, ſed & in Deo, infinitos dari Deos.

VII. Hos Deos colendos eſſe, quia ad ſummum Deum latentem, inviſibilem & cognitu impoſſibilem humana natura pertingere non poteſt.

VIII. Non tamen fingendam eſſe Dei formam aut imaginem, cum per univerſum diffuſus, imaginem ejus univerſum tantum referat.

IX. Quia ex Deo omnia ſunt, ideo cuncta, quæ ex eo emanaverunt, in eum reditura eſſe, hancque fore beatitudinis ſummam, quam poſt mortem Dei cultores conſecuturi ſint.

X. Dari vero multas purgationes, luſtrationesque, ut purior reddita anima ad fontem ſuum, unde emanavit, redire queat. Hisque inſervire myſteria, & Ὀρφεωτελέτας.

Hanc ſyſtematis Orphici de Deo rationem ſi admittimus, fragmenta illa, ſi Platonicas παρερμηνείας tollimus, mire inter ſe concordant, & de tota theologia & ſyſtemate ſacro Orphei veriſimilis reddi poteſt ratio, ſicque differentes veterum relationes conciliari. Reliqua, quæ diſſentiunt, ex iis eſſe, cogitandum eſt, quæ a diverſi temporis, opinionis & ſectæ hominibus Orphicis doctrinis aſſuta fuiſſe ſupra monuimus. Sed tempus eſt, ut reliqua quoque theologiæ Orphicæ capita excutiamus.

Trinitas Orphica.

§. XIV. II. Non unum vero tantum numen agnoviſſe Orpheum, contendunt theologiæ Orphicæ interpretes, ſed & hanc Dei unitatem non obſtitiſſe, quo minus trinam eſſe ſimul judicaret divinitatem, tresque in uno

uno numine naturas revereretur. Id quidem afferunt, & religioni Chriſtianæ non leve præſidium inveniſſe ſibi videntur, recentiorum multi [n] & inter hos imprimis ATHANASIVS KIRCHERVS [o] & PETRVS DANIEL HVETIVS, [p] quibus haud obſcure pollicem premit CVDWORTHVS. [q] Præiviſſe his TIMOTHEVM chronographum & CEDRENVM ſupra jam diximus. Non aliis tamen argumentis pugnant viri docti, quam quæ ex Platonicorum recentiorum ſcholis deſumta ſunt. Provocant ad Amelium, qui teſte PROCLO [r] tres opifices rerum omnium, mentesque in divinitate per Orphei Phanen, Vranum & Cronum intelligi contendit: & ad DAMASCIVM, qui retulit, [s] Orpheum feciſſe Deum τρίμορφον, triplicis formæ. Id vidiſſe putant Timotheum, qui trinitatis myſterium in Orphica theologia deprehendit. Hæc vero quam levia ſint, & ab omni veriſimilitudine aliena, ignotum ei eſſe non poteſt, qui paulo attentius adducta teſtimonia conſiderat. Quæ ex Platonicorum ſchola profecta cum ſint, & Platonicam trinitatem poſt C. N. demum hunc in modum habitumque, qualis illis placuit, excogitatam, innuant, aperte recentiorum temporum inventa antiquiſſimo Orphei ſeculo ſupponunt: immo potius Orphicis contraria ſunt, cum juxta Orphica carmina Deus δημιεργος rerumque conditor a Deo ſummo non differat, id quod ipſe agnovit Amelius: in trinitate vero Platonica creatio univerſi menti δημιεργῷ ſummo Deo minori tribuatur: ex quo, quam parum Platonica teſtimonia & interpretationes hanc opinionem juvent, manifeſtum eſt. Patebit vero ex iis, quæ de coſmogonia Orphica dicturi ſumus, Phanen, Vranum & Cronum ad ſummum DEVM referri non poſſe. Quæ vero nugatur Timotheus, conſilium, lucem, vitam, quæ Orphica in Deo ponunt, trinitatem perſonarum ſive naturarum divinarum innuere, ineptienti Græculo condonanda ſunt, a viris vero prudentibus & doctis ſequenda non item. [t]

§. XV. III. Præter Deum alios quoque ſpiritus, dæmonas & heroas Orpheum ſtatuiſſe, illisque mundum repleviſſe, Platonici afferunt. Inter quos imprimis PROCLVS [u] certos numeros angelorum, heroum & dæmonum ſtipatores Dei enumerat. Nec ſexum in ſpiritibus his diſplicuiſſe Orpheo, ex eo probare ſatagunt, quod ἱεροὶ γάμοι non ultimum theologiæ Orphicæ caput conſtituerint. Et deſcribenda eſſet tota horum philoſophorum dæmonologia, ſi ea omnia enarranda eſſent, quæ ab iis Orpheo tribuuntur. [w] Parum vero in his omnibus veriſimilitudinis invenitur. Quam mali enim teſtes in tali cauſa ſint, ſæpius jam monuimus, nec moneri ſatis poteſt, adeo ſub antiquitatis prætextu incautis imponunt. Et ſpiritibus quidem mundum repleviſſe Orpheum, ab ejus theologia & admiſ- *De ſpiritibus.*

n) Conf. quos laudat NAVDAEVS *Apol. pro magiæ accuſatis c. 9. p. m. 115.*
o) *Oedip. Ægypt. p. 150. 194.*
p) *Qq. Alnetan. l. II. c. 3.*
q) *l. c. p. 353.*
r) *in Tim. p. 95.*
s) Vid. WOLF. *Anecd. Græc. T. III. p. 252, 253.*
t) Conf. MOSHEM. *l. c. p. 360. n. 51.*
u) *Lib. V. in Tim. Plat.*
w) Conferri poteſt, qui potiora collegit ESCHENBACHIVS *l. c. p. 57. ſeqq.* qui tamen incautus ab his hominibus decipitur.

admiſſo ſemel principio: Deum eſſe omnia, & ex Deo omnia, Deum ineſſe omnibus, non abhorret, & ſupra jam obſervavimus, hanc cauſam πολυθεότητος ab Orpheo introductæ fuiſſe. Verum hæc vetuſtiſſima doctrina, quæ dæmonum omnia plena eſſe ſtatuit, quamque inter barbaros didicerunt Græci Thales, & Democritus; cum Platonicorum doctrina de dæmonibus confundenda non eſt, quæ tot gradus, miniſteria & ordines otioſo effinxit ingenio, ut haberet, quod Chriſtianis opponeret. Replere vero hos ſpiritus mundum, & adeſſe potioribus mundi partibus tanquam præſides, uti Hyperboreis, ex quibus oriundus fuit Orpheus, placuit, ita Orpheo quoque non diſplicuiſſe, tota ejus theogonia innuit, quæ non magis commodam interpretationem admittit, quam ſi naturæ partibus ſpiritus præſides adjunxiſſe ſtatuatur. [x] Quicquid vero illud eſt, quod, deficientibus monumentis & indubitatis teſtimoniis, nudis conjecturis definiri ſatis non poteſt, ſacræ illæ nuptiæ fruſtra, niſi fallimur, ad Platonicorum ſequiorum placita adplicantur, & per mares intelliguntur ſpiritus ἐνιαίως, per feminas, δευτέρως καὶ ὑφημένως agentes. Hæ enim nugæ ideo tantum inventæ ſunt, ut popularis religio, quæ ſexum in divinis admittebat, quæque a prudentioribus, præſertim poſt exortam Evangelii lucem ridebatur, in tolerabiliorem & magis philoſophicum ſenſum detorqueretur, & ſic abſurdiſſimo dogmati color induceretur philoſophicus: qua in re non Stoici tantum mire arguti fuerunt, ſed inter barbaros jam inventi ſunt, qui ita religioni populari apud prudentiores ſubvenirent. [y] Quæ tamen argutiæ Orphico ſyſtemati non conveniunt, in quo nuptiæ illæ potius ad principia naturalia, eorumque conjunctiones a Deo Demiurgo factas; forte etiam ad emanatarum rerum copulationem & conſpirationem in producendis aliis ex ſe emanativis trahenda ſunt. Hanc enim ſexus ſignificationem in ſyſtemate emanativo eſſe ea probant, quæ ſuo loco de ſyſtemate Cabbaliſtico, quod emanationis doctrinam omnium optime & clariſſime exhibet, dicentur. Et ex his etiam judicari poteſt, num veriſimile ſit, quod in carminibus quibusdam Orphicis Deo tribuitur, eſſe eum ἀῤῥενοθήλην marem atque feminam. Etſi enim ſyſtemati Orphico conſentaneum eſt, Deum non tantum cauſæ efficientis locum atque parentis perſonam in condendo mundo ſuſtinuiſſe, ſed & ex ſe ipſo & ex ſuo quaſi ventre, (quo ſimili carmina utuntur) res omnes tanquam matrem genuiſſe; ipſa tamen denominatio atque philoſophandi modus tam aperte Alexandrinas cathedras Platonicorum, ſapit, ut veriſimile non ſit, hæc ab ipſo Orpheo fuiſſe profecta, ſed Platonica magis eſſe: id quod eleganter quoque confirmat cl. MOSHEMIVS [z]

§. XVI.

x) Hanc philoſophandi rationem plerasque barbaras theogonias tenere, ex iis, quæ de barbarica philoſophia diſſeruimus, manifeſtum eſt.

y) Dictum hac de re ſupra, ubi de Ægyptiorum theologia actum, conf. *Amœnit. lit. Tom. VIII. p. 326. ſeqq.*

z) *l. c. p. 350. n. 43.* Ex dictis vero manifeſtum quoque eſt, falli CLEMENTEM ALEXANDRINVM *Strom. l. V. p. 724.* qui ex hac Dei appellatione concludit, Orpheo placuiſſe creationem ex nihilo.

§. XVI. Alterum, quod philoſophiam Orphicam abſolvit caput, in explicanda origine & natura rerum conditarum, verſatur & phyſiologiam Orphicam continet. Eam Orpheus, vel quisquis auctor fuit philoſophiæ Orphicæ, allegorico theogoniæ velo obduxit, ut impoſſibile ſit, totam allegoriam denudare, & claram doctrinæ Orphicæ exhibere notitiam. Accedit, quod ſub manibus Platonicorum & Chriſtianorum quoque theogonia Orphica, accommodationes ad doctrinas eorum proprias paſſa, ita adulterata fuerit, ut ſincerum a falſo, genuinum atque nativum ab adſcititio diſtingui vix queat. Id quod imprimis de illa theogoniæ Orphicæ interpretatione intelligendum eſt, quam TIMOTHEVS chronographus ex Orpheo dedit, & ſervavit CEDRENVS,[a] quippe quæ adeo Moſaicæ coſmogoniæ accommodata eſt, ut auctoris ſcopum manibus palpes. Conferendus itaque eſt ATHENAGORAS,[b] qui non contemnendum nobis fragmentum theogoniæ Orphicæ reliquit, ex quibus veterum relationibus ita ſe habuiſſe theogonia Orphica videtur:

Theogonia Orphica, rerum ortum tradens.

I. Incomprehenſibilis quidam & ſummus omnium rerum priorque & creator omnium, ipſius etiam ætheris & omnium quæ in æthere ſunt, conditor fuit. Hæc Timotheus Orphica eſſe, ex illis quæ ſuo tempore circumferebantur carminibus collegit: manifeſte tamen Orphicam ſententiam Moſaicæ doctrinæ ita attemperavit, ut, Deus ante materiam fuiſſe, hæcque ab eo ex nihilo producta eſſe, videretur. Id quod Orphicæ doctrinæ de Deo adverſum eſſe, ex iis, quæ ſupra de theologia Orphica diximus, manifeſtum eſt. Secundum eam enim Deus quidem ab omni æternitate fuit, verum, ut ita dicamus, materia gravidus, quam in ſe continebat. Ex quo patet, Deum & materiam, juxta Orpheum ita unum conſtituiſſe, ut hæc in illo tamdiu lateret, donec ex ſinu ejus expelleretur: quo poſteriori effluxu a Stoico quidem ſyſtemate Orphicum diſtinguitur, quod emanationem materiæ ex eſſentia Dei ſupponit, illo tamen multo non eſt melius, Deumque & materiam certo modo confundit, etſi diſtinguere videatur.

II. In rerum initio primum exhibitus eſt æther, a Deo factus & diſpoſitus (δημιουργηθείς). Huic adjacebat hinc & illinc chaos, & nox dira tenuit omnia, & occultavit, quæ ſub æthere erant. Ita SVIDAS[c] prima rerum oriundarum principia ex Orphicis refert, quocum & alii conſentiunt, æthera & chaos, pro principiis ab Orpheo habita fuiſſe. Adjungit tamen, vel præmittit his, ex mente Orphei, tempus SIMPLICIVS,[d] poſt quod æthera & ingens chaos productum eſſe afferit; quo videtur intelligi, æthera & chaos fuiſſe ſimul: Id quod BVRNETIO quidem non placet, qui ſublunaris tantum mundi fabricam in iſta theogonia referri, & cum rerum univer-

a) *loco ſupra citato.*
b) In *legat. pro Chriſtianis p. m. 18.* ed. Pariſ.
c) In *Orpheus T. II. p. 719.* qui ex libro περὶ Θεογνωσίας ſe deſumſiſſe refert. Theogoniam vero intelligendam eſſe ex CEDRENO *l. c.* & MALALA *Hiſt. Chron. p. 88.* ubi eadem excerpunt, patet. conf. KVSTER. *ad h. l.*
d) In *l. IV. phyſic. auſcult.*

verſitate confundi putat: nobis tamen aliter videtur, quia mundi hujus viſibilis, & imprimis terræ productionem ex aqua vel limo in ſequentibus demum theogonia Orphica refert. Vnde per tempus hoc, ſalvo Orphico ſyſtemate, nihil aliud intelligi poteſt, quam in Deo & æthera & chaos tanquam duo rerum conditarum principia abdita latuiſſe, & ex eo demum producta fuiſſe: qua ratione tempus atque DEVS in rationis tantum ſigno differunt, modo philoſophandi veteribus non ignoto.

III. Ex duplici hoc principio, æthere & chao, eorumque complexu ingens quoddam ovum productum eſt, quod nocti, tertio principio Demiurgus excludendum tradidit. Et in hoc theogoniæ Orphicæ narratores, etiam Platonici, PROCLVS aliique, conſentiunt,[e] nec abludit a vero, Orpheo placuiſſe, ortum omnium rerum eſſe ex ovo. Vetuſtiſſima enim doctrina fuit, mundum ovo aſſimilari, eundemque generationis atque ortus modum eſſe. Qua de opinione imprimis audiendus eſt PLVTARCHVS, qui ait,[f] *doctrinam ſacram & Orphicam non tantum ovum gallina facere antiquius, ſed velle etiam, ut omnium rerum ortum & antiquitatem complectatur;* addit quoque paulo infra, *in Orgiis, Bacchicis, ideo conſecratum ovum fuiſſe,* ὡς μίμημα τοῦτο τὰ πάντα γεννῶντος καὶ περιέχοντος ἐν ἑαυτῷ, *quod ſymbolum & imitatio eſſet ejus, quod omnia genuiſſet, & in ſe contineret.*[ff] Num vero ovum hoc tantum terram noſtram deſignet, cujus teſta cœli a veteribus habiti ſint, quod operoſe contendit, hypotheſi ſuæ inſerviens THOMAS BVRNETIVS,[g] diſquirere præſentis loci non eſt; ſufficit enim nobis, in theogonia Orphica ovum altius relatum fuiſſe, ad ipſa naſcentis mundi univerſi initia, niſi concordis antiquitatis teſtimonium levibus conjecturis detorquere velimus.

IV. Excluſo ovo, cum in duas partes diſcerperetur, levior atque ætherea pars ſurſum lata eſt, craſſiore ſubſidente; quæ cum diverſæ naturæ eſſent, Demiurgus vim divinam addidit vinculumque, quibus iſta jungerentur. Miris hæc theſis obſcuritatibus involuta eſt, cum quia Orphicæ diſciplinæ conditor, allegoria ſatis obſcura & abſurda hæc prodidit, tum quia Platonici recentiores mundum ſuum intelligibilem & ſenſibilem infarſerunt, & allegoricam Orphei theogoniam ita ſuis philoſophumenis adplicarunt, ut videretur idem dicere voluiſſe, quod ſcholæ Alexandrinæ inter Platonicos placuit. Scilicet, ex diſrupto ovo ortum fuiſſe animal monſtroſum, Orphica theogonia refert, draconis imaginem referens, quod adnatum ſibi habebat caput alterum leonis, & inter hæc duo, medium Dei vultum. Hocque Herculem & Chronum dictum fuiſſe, humanum vero vultum, Phanetem. Mirifice hic tum in ipſa doctrina Orphica referenda, tum in ea explicanda veteres atque recentiores ſe torquent. Proclus enim, reliquique Platonici ex ovo demum prodiiſſe animal hoc monſtroſum, divina

e) Conf. omnino, quæ affert ESCHENBACHIVS *l. c. p. 93. ſeqq.*

f) *Qq. Conviv. l. II.*

ff) conf. MACROBIVS *Saturn. l. VII. c. 16.* ATHENAGORAS *l. c.*

g) *Theor. tellur. l. II. c. 10. p. 156.*

vina virtute præditum tradunt, ejusque parentes æthera & chaos agnoſcunt. ATHENAGORAS vero aliter refert, ſtatuiſſe Orpheum: aquam eſſe principium omnium rerum, ex aqua ortum accepiſſe Ilyn, ſive lutum, his parentibus ortum eſſe animal draconem, cui adnatum erat caput leonis, corpus vero medium continebat faciem Dei, Herculis aut Chroni dicti; ab Hercule natum eſſe ovum immenſæ magnitudinis, quod dum foveretur, vim paſſum a genitore ſuo ex attritione in duas partes diſſiluiſſe, & ſuperiorem quidem in cœli formam perfectam eſſe, inferiorem delapſam terram conſtituiſſe. Hactenus Athenagoras. Quem veterum diſſenſum ut tollat cl. ESCHENBACHIVS, [b] utramque relationem admittit, & ita locum habere putat, ut adhibita Platonicorum diſtinctione inter mundum intelligibilem & ſenſibilem, utrumque ab Orpheo, ex ovo deductum fuiſſe ſtatuat. Scilicet *νοητὸν κόσμον*, qui complexus eſt idearum omnium demiurgicarum, a mente illa divina ſumma profectarum Phaneta Orphei eſſe; hunc ut produceret, ovum finxiſſe Orpheum, ex abſtractis cauſis & principiis ortum & excluſum; æthere, chao & nocte; & ita ortum habuiſſe Phaneta, ſive mundum intelligibilem: *αἰσθητὸν κόσμον*, ad exemplum veræ *εἰκώνος* etiam ex ovo producendum fuiſſe, ſed alio parente, nempe ipſo Phanete, ſive mundo intelligibili, ideis demiurgicis a ſumma mente inſtructo; ad id adumbrandum hunc Deum variis animalium capitibus inſignitum finxiſſe Orpheum, ſecundum Athenagoram draconis, leonis & ipſius Dei, ſecundum Proclum:

Κριῦ καὶ ταύρε ὄφιος χαροπῆτε λέοντος.

Ei duplex nomen dediſſe, Herculis & Chroni, ut virtutem vivificam, & principium operans, ex quo omnia, indicaret, ſicque mundus ſenſibilis intelligibili, duobus quoque principiis ortum ſuum debenti, reſponderet, & ita patrem atque matrem illa principia in utroque mundo referrent. Sicque Proclum de *νοητῷ*, & Athenagoram de *αἰσθητῷ κόσμῳ* differentes amice inter ſe conſpirare, & eandem Orphei doctrinam genuinam referre. Adeo vero a coſmogonia veterum hæc differt explicatio, adeo contorta & ad Platonicorum recentiorum *ἐυρήματα* invito Orpheo accommodata eſt, ut aſſenſum plane non mereatur. Quicquid enim tradit, nugas olet ſcholæ Eclecticæ, ſupra veterum ingenium ſapientis, & ejusmodi mundum intelligibilem, in otioſo cerebro enatum Orpheo ſupponentis. Nec conſiſtere poteſt hæc explicatio cum doctrinæ ſyſtemate, quod tradunt Orphica carmina, quia illud, Deum non omnibus tantum ex ſe ortum dediſſe, ſed ea quoque vi ſua atque divina virtute continere, ſtatuit, & ſummo Deo diſpoſitionem omnium rerum demiurgicam tribuit: ut cuncta ex Ioue & in Ioue ſint. Ad quod cum Platonici interventum alterius ex divinis principiis, *κόσμε νοητε*, ſive mentis ideis divinis plenæ requirant, ſicque a ſummo Deo hoc principium quo mundus ſenſibilis animatur, removeant, interpretationem Platonicam Orphica coſmogonia recipere nequit. Abſurdum quoque eſt, æthera & chaos ad mundum intelligibilem referre: tantumque ab-

b) *l. c. p. 95. ſeqq.*

eſt, ut ovum ex abſtractis cauſis ortum & excluſum, mira ingenii luxuriantis intemperie ſibi effinxerint, & in metaphyſicis notionibus præſidium quæſiverint veteres, ut potius de mundo illo intelligibili nihil dixiſſe cenſendi ſint. Certe ut theogonias omnes, ita Orphicam quoque ad rerum conditarum ortum pertinere, univerſalis earum harmonia ſatis prodit. Mittamus itaque nugas Platonicorum, cum tota theogoniæ Orphicæ ratio jubeat, illam de ortu rerum, quæ ex Deo emanarunt, omnium intelligere. Etſi vero difficile eſt, ex diſſentientibus veterum relationibus certum quid haurire & eruere, aliqua tamen ita comparata ſunt, ut non omnis veriſimilitudo deſit, mentem Orphicorum ita explicari poſſe. Qua de re ut conjecturas quoque noſtras explicemus, 1. præſupponimus, de rerum univerſi origine in hac theogonia ſermonem quidem eſſe, ita tamen, ut ad ortum rerum viſibilium, terræque, oceani atque cœlorum quam maxime reſpiciatur. 2. Monemus theologum hunc non tam de tempore, quam de modo ortus rerum omnium in univerſo mundo ſollicitum fuiſſe, unde non nimis premenda exiſtimamus, quæ de animalis τριμόρφῳ ex ovo, vel ovi ex animali origine diverſo traduntur, cum hæc diverſis auctorum interpretationibus nitantur. 3. Ex allatis certum eſſe putamus, ex mente Orphei duo rerum omnium, in univerſitate comprehenſarum ex ſinu DEI prodiiſſe principia, activum unum, alterum paſſivum, æthera & chaos. Illi lucis, huic tenebrarum naturam tribuiſſe Orphica, ex Timotheo colligi poteſt, qui ex Orphica theogonia refert: terram ſub tenebris inviſibilem jacuiſſe, lucemque, quæ æthera perruperit, illuſtraſſe univerſum mundum. Lux itaque illa, qua æther turgebat, principium illud activum atque formativum fuit, quod Demiurgus ex ſe materiæ craſſiori indidit, ut mundus formaretur. 4. Gravidam itaque tanto DEI molimine rerum univerſitatem, quam propter generationis modum, & agitationem animæ mundanæ cum veteribus fere omnibus ovo aſſimilavit, tandem per leges motus agitatam, duplicem vim ſuſtinuiſſe, agitantis divinæ virtutis, quam Herculem nominavit, & temporis, juxta motus leges materiam formare juvantis, quod Chronon dixit; ſicque ſeparatas eſſe partes æthereas & leviores, unde cœli formarentur, a craſſioribus, ex quibus terra ſubſedit. 5. Materiam vero ex qua ab iſtis principiis cuncta formata fuerint, dictum in modum, fuiſſe aquam, & enatantem ex ea limum. 6. Deum vero his intime præſentem, quæ ex eo effluxerunt, ita continuiſſe vi atque eſſentia ſua, ut inde aſpectabilis mundus eniteret, unde & Phanes dictus eſt, non quod, quum adhuc nihil eſſet, primum ex infinito apparuerit; [i] ſed quod ita mundum in aſpectum produxerit, & ei formam viſibilem dederit. 7. Eſſe itaque, quia & cœli & terra, & omnes univerſi partes ex Deo iſto modo effluxerunt, & partes DEI ſunt, divinæ eſſentiæ particulam in illis, adeoque Deos illas eſſe. Nihil in hac coſmogoniæ interpretatione eſt, quod non principio, quod Orpheo tribuitur, ex Deo emanaſſe omnia, exacte conveniat, & theo-

i) Ideo Deum Phanes dictum eſſe LACTANTIVS judicat *div. inſtit. l. I. c. 5.*

theogoniam Orphicam exhauriat, eamque in luce clara ponat: unde illam tamdiu amplectendam esse putamus, quousque certiora nobis ex fontibus non suspectis exhibeant, qui ab his dissentiunt.

V. Vt vero generationem rerum porro explicet theogonia Orphica, addit: [k] Terræ, quæ jam Dea prodierit, mistum cœlum, & genuisse ex ea fœminas, Clothon, Lachesin, Atropon, mares vero centimanos, Cottum, Gygen, Briareonta, & Cyclopes Brontem, Steropem, Argum, quos etiam vinctos in tartarum præcipitaverit, quum se regno pellendum a filiis intellexisset. Intelligi per hos cœli terræque liberos partes mundi, elementa, reliquaque, quæ hunc mundum constituunt, dubio caret, ordine cosmogoniæ ita requirente; unde audiendi Platonici non sunt, qui nescio quos dæmonas ex iis fingunt, ex mundo intelligibili productos; licet verisimile sit, vim illam animamve divinam, quæ partibus mundi ex Orphei sententia inest, quæque Iupiter ipse est, junxisse illis theogoniæ auctorem, unde Phanetem atque Herculem ad indicandam lucis, virtutisque divinæ efficaciam & operationem vocavit. Quid vero tota illa Deorum progenies significaverit, admodum difficulter, & non nisi levibus ex conjecturis dici potest, & a theogoniarum scriptoribus varie intellectum fuisse, ex earum consideratione manifestum est, unde lectoris potius ingenio eorum interpretationem relinquimus, hoc unum clavis instar addentes, miscuisse veterum theogoniarum scriptores historias veteres cum confusa admodum, ut res erant ingenii isto tempore in incunabulis quasi versantis, rerum naturalium genitarum notitia, quod nomina ex vetustissimis historiis transsumta luculenter produnt. Id quod ab Orpheo quoque, vel quisquis est, Orphicæ theogoniæ conditor, factum est; etsi præstare nolimus, quod PAVLVS PEZRONIVS [l] contendit, & ad labefactandam quoque Cudworthi hypothesin admisit eruditissimus BASNAGIVS, [m] tres illos Deos Orphei, tres Celtarum sive Gallorum reges fuisse, quorum Vranius a cœlestium observationum studio ita vocatus sit, qui nupserit sorori Titææ, quæ terram apud Celtas significat; & per Bosphorum in Thraciam delatus, terram istam sibi subjecerit, indeque in Græciam & insulam Cretam excurrerit, relictoque imperio fratri usque ad Hispanos & Afros pertigerit, divino post mortem a Græcis quoque honore mactatus. Saturnum vero filium ejus Chronum dictum, primum ex Titanibus regem fuisse, qui uxore Rhea in matrimonium accepta parenti bellum intulerit, imperiumque sublato patre obtinuerit, superato quoque Titane, Vranii filio natu majore. Credant hæc, qui velint, & fidem, quam possunt, adjiciant, vel respuant; nobis perinde est; cum satis sit, annotasse, antiquissimas historias theogoniis, etiam Orphei, immistas insuperabiles obscuritates peperisse.

§. XVII. Reliqua, quæ de naturalibus rebus Orpheo tribuuntur dogmata, clariora sunt, & explicatione prolixa non egent. Placuit scilicet, *De fine mundi.*

k) ATHENAGORAS *l. c.*

l) Antiquité de la nation & de la langue des Celtes pag. 50.

m) Hist. des Iuifs T. IV. c. 4. p. 50. seqq.

cet, teſte PLVTARCHO, [n] CLEMENTE ALEXANDRINO [o] & PROCLO, [p] conflagraturum mundum & novum ex hoc incendio exorturum. Quod dogma uti toti fere antiquitati præſertim orientalibus & ſeptentrionalibus populis arriſit, ita ab Orpheo quoque a Thracibus ſuis & Ægyptiis tranſſumtum eſt, & neceſſaria conſequentia ex emanativo ſyſtemate fluit, quod per ejusmodi ἐκπύρωσιν materiam ita exurit & purgat, ut redire ad ſuum fontem queat; ex quo poſtea alius iterum mundus oritur. Ita enim carmen Orphicum: [q]

Πάντα τά δε κρύψας, κἄθις ἐς πολυγηθὲς
Μέλλεν ἀπὸ κραδίης, πολυθέσκελα ῥέζων.

Quæ prius occuluit dulces in luminis oras,
Divino depromta ſinu ſermone reducet.

Qui verſus magnam cum Stoico dogmate ſimilitudinem habent, ſive enim mundum Dei partem cum Stoicis facias, ſive emanationem ex Deo cum Orphicis, periodica ſemper occurret iſta conflagratio & reſtauratio, reconditis rebus omnibus in ſinum DEI, & nova generatione ex eo iterum expulſis.

De ſideribus. §. XVIII. Aſtronomiæ non tantum gnarum fuiſſe Orpheum, ſed tradidiſſe quoque Græcis, ſupra ex LVCIANO notavimus, refertque SVIDAS, [r] fuiſſe carmen inter Orphica, quod de aſtronomia cecinerit. Nihil tamen ejus ſupereſt. Servaverunt tamen veteres nobis memoriam duorum dogmatum Orphicorum maxime memorabilium, quæ, Orpheum non ex trivio philoſophum fuiſſe, teſtibus recentiorum aſtronomorum, virorum magnorum, obſervationibus, docent. Narrat ſcilicet PLVTARCHVS, [s] ex mente Pythagoreorum *quamlibet ſtellam eſſe mundum, & eſſe hoc inter dogmata Orphica, quæ quodlibet ſidus mundum faciunt.* Quod utrum ad omnes ſtellas ex mente Orphei referendum ſit, an ad ſolas errantes, dubium eſt: & BVRNETIO [t] quidem poſterius placet, nec, ſi quid judicamus, immerito. Πύρινα τὰ ἄστρα enim cum Pythagorei ſtatuerint, qui doctrinas has aſtronomicas ex Orphicis acceperunt, fieri non potuit, ut totum ex qualibet ſtella fixa mundum facerent, quem ſolis inſtar igneam dixere. Animatas tamen ſtellas omnes eſſe, ex ſyſtemate Orphico neceſſario ſequitur, & commune eo tempore dogma fuit. Placuiſſe vero Orphicæ aſtronomiæ conditori: iſtum errantium ſtellarum mundum terram in ſe continere, cum aëre in infinito æthere ſuſpenſam, quod Heraclides & Pythagorei alii quoque tenuerunt, tum PLVTARCHVS [u] atque STOBAEVS [x] teſtantur, tum dogma inter Orphica receptum de luna habitabili & inſtructa ſupellectile tam naturali quam artificiali evincit. Ita enim carmen Orphicum, quod nobis ſervavit PROCLVS: [y]

Μήσα

n) *De defectu Oraculorum.*
o) *Stromat. l. V. p. 549.*
p) In *Timæum l. II. p. 99.* *q*) *l. c.*
r) *l. c.* *s*) *De placitis philoſoph. l. II. c. 13.*
t) *l. c. p. 412.*
u) *l. c.*
x) *Eclog. phyſic. l. I. p. 54.* ed. Cant.
y) In *Tim. l. IV. p. 283.*

Μήσατο δ' ἄλλην γαῖαν ἀπείρατον, ἣν τε σελήνην
Ἀθάνατοι κλήζουσιν ἐπιχθόνιοι δέτε μήνην
Ἣ πολλ' ἔρε' ἔχει, πολλ' ἄστεα, πολλὰ μέλαθρα.

Altera terra vaga eſt, quam ſtruxit, quamque Selenem
Dii vocitant, nobis nota eſt ſub nomine lunæ;
Hæc montes habet, ac urbes, ædeſque ſuperbas.

Et ex hac Orphei ſchola celeberrima doctrina ad Pythagoreos & Ionicos, Eleaticos, Platonicos aliosque magnos philoſophos dimanavit, donec hæreſeos ſtigmate notaretur, quod tamen non obſtitit, quo minus noſtra ætate a magnis in ſcientia ſiderali viris revocaretur, qua de re dicendum eſt alibi. [z]

§. XIX. Quæ de anima docuerit philoſophia Orphica, ex dictis colligi poteſt. Animam enim cum Thraces pariter atque Ægyptii immortalem, & poſt mortem corpori ſuperſtitem fecerint, idem Orpheo arriſiſſe, qui ex Thracia & Ægypto philoſophiam ſuam in Græciam attulit, recte infertur. Probat vero id quoque, quod DIODORVS SICVLVS refert, [a] fuiſſe Orpheum primum, qui impiorum in inferno pœnas, & piorum in pratis Elyſiis felicitatem introduxerit. Etſi enim hæc ad fabulas Græcas de ſtatu animarum poſt mortem ἐν ᾅδῃ reſpiciunt, quas in Græcia Orpheum introduxiſſe Diodorus vult, ſupponunt tamen illæ animæ immortalitatem. Vnde riſit olim [b] Philippus Orphei ſacerdotem, admodum pauperem, jactantem, beatos fore poſt mortem omnes, qui ipſius ſacris initiati eſſent, objiciendo: *Cur igitur, fatue non ſtatim moreris? ut paupertatem tuam & miſeriam tandem deſinas plorare?* Nihil tamen novi in eo invenit Orpheus, ſed quod domi & in Ægypto didicerat, Græcis ita tradidit, ut cum admiſſo ſemel ſyſtemate conſpiraret. Quodſi enim omnia, & animæ quoque, ex Deo emanarunt, neceſſario inde ſequitur, eas non interire, donec in Deum fontem ſuum reſorbeantur. Et hanc quoque animæ immortalitatem atque beatam poſt mortem conditionem poſuiſſe Orpheum fundamentum philoſophiæ moralis, non eſt quod dubitemus. Qualis tamen ea fuerit, deficientibus philoſophiæ Orphicæ monumentis non ſuſpectis, explicari non poteſt. Tranſtulerunt quidem plurima ſua ad Orpheum Platonici, quam ſuſpectos vero ſe reddiderint, aliquoties vidimus. Animam corpore tanquam ergaſtulo clauſam eſſe, per mortem demum liberandam, Orphicum dogma eſſe PLATO refert, [c] quod ſi admittendum eſt, qua ratione mores formaverit, & a corporis commercio animam abduxerit, ex Platonicis philoſophumenis [d] colligi poteſt. Verum hæc quoque conjecturis tantum definiuntur: earum vero de Orphica philoſophia ſatis ſuperque eſt.

De anima.

De moribus.

§. XX.

z) Conf. FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. I. p. 132. ſeqq.*
a) *l. I. p. 86.*
b) In *Laconicis apophthegm. T. I. p. m. 394.*
c) In *Phædro.*
d) Conf. FICINVS in *argum. ad l. IX.* PLOTINI, ESCHENBACHIVS *l. c. p. 185.*

Muſæus. §. XX. Inter diſcipulos Orphei celebritate nominis alios ſuperavit MVSAEVS Philoſophus & ἐποποιὸς Athenienſis, Eumolpi ſecundi atque Selenes filius. [e] Filius quidem Orphei veteribus quibusdam dicitur, [f] verum id de intima admiſſione diſcipuli ſupra modum dilecti intelligendum eſſe, IVSTINVS MARTYR [g] prodit, qui *ſcripſiſſe* ait, *ad filium ſuum Muſæum, & reliquos genuinos auditores.* Vnde audiendus non eſt SVIDAS, qui Orpheo antiquiorem fuiſſe contendit: [h] ad eum enim carmen Orpheum ſcripſiſſe veteres tradunt. [i] Diſciplinæ Orphicæ innutritum fuiſſe, inde conſtat, quod arcanum deorum cultum ab Orpheo inventum ad perfectionem, quam poſtulabant illa myſteria, perduxerit, teletasque ita commendaverit, ut inter Græcos maxime colerentur, urbesque & regiones totæ expiari ſic poſſe crederetur. [k] Certe Eleuſinia ſacra Cereris eum auctorem agnoviſſe, veterum traditio fuit. [l] Præceptoris enim veſtigiis inſiſtendo non tantum vaticinatum fuiſſe, ſed & theogoniam ſcripſiſſe, χρησμοὶ ei tributi, & theogonia LAERTIO [m] laudata innuunt: quanquam minus accurate ab eo primus dicatur fuiſſe, qui theogoniam ſcripſerit; niſi hoc de carmine forte intelligas, quo Orphei theogoniam primus complexus eſt. Aſtronomiæ vero peritum idem facit LAERTIVS, qui eum ποιῆσαι σφαῖραν πρῶτον ait; id quod vel ita intelligi poteſt, quod primus ſphæram cœleſtem compoſuerit, vel quod primus carmine ſphæram expoſuerit; quod tamen utrumque incertum eſt; Atlantem enim ſphæram primum reperiſſe tradit DIODORVS SICVLVS, [n] alii vero Anaximandro tribuunt. [o] Forte Laërtius carminis titulo deceptus eſt, quod *de Sphæra* ſub Muſæi nomine olim circumferebatur, eique ſuppoſitum fuit. Idem forte dicendum eſt, *de præceptis curandorum morborum*, quæ Muſæo adſcribuntur, quanquam ARISTOPHANES [p] jam eorum meminerit: illud vero recte inde colligitur, Muſæum more theologorum & philoſophorum veterum medicinam quoque exercuiſſe: [q] quæ qualis fuerit, ſupra, quantum ſatis, declaratum eſt. [r] Scripta vero quæ Muſæo a veteribus tribuuntur, præter unum *hymnum in Cererem* in Lycomidarum gratiam concinnatum ſpuria eſſe, & tanto afficta viro, obſervavit PAVSANIAS, [s] cujus fraudis Onomacritus reus agitur, quem effingentem oracula Muſæi ἐν ἐπαυτοφώρῳ a Laſo Hermioneo, primo muſices ſcriptore, [t] deprehenſum ejecit Athenis Piſiſtratus. Idem de epico carmine *de amoribus Heri & Leandri* dicendum

e) SVIDAS in *Muſæus T. II. p. 578.* qui tamen filium Euphemi facit, diſſentientibus de parentibus Muſæi veteribus, vid. MENAG. *ad* LAERT. *l. I. ſ. 3.*

f) Vid. quos laudat FABRICIVS, *Bibl. Græc. Vol. I. pag. 102.*

g) *Cohort. ad Græcos p. 15.* conf. SERVIVS *ad l. VI. Aeneid. v. 667.*

h) Idem de CLEMENTE ALEXANDRINO judicandum, qui Orpheum Muſæi diſcipulum fuiſſe ait. *Strom. l. I. p. 332.*

i) IVSTINVS *l. c.* EVSEB. *præp. l. XIII.* εὐχὴ quoque Orphei πρὸς Μουσᾶιον.

k) Vid. Scholiaſtes ARISTOPHAN. *in ran. p. 171.*

l) Conf. MEVRSIVS *de ſacris Eleuſin. c. 2.*

m) *l. I. ſ. 3.*

n) *l. III. p. 193. l. IV. p. 283.*

o) PLINIVS *l. VII. c. 56.*

p) *l. c. Act. IV. Sc. 2.*

q) Alias ſupponi in fraudem non potuiſſet.

r) Conf. LE CLERC. *Hiſtoire de la Medecine l. I. ch. 10. p. 34.*

s) In *Atticis, p. 47.* & in *Meſſeniacis p. 287.*

t) Videndi de eo quos laudat FABRICIVS *l. c. p. 102.* in nota.

dum eſt, niſi alius Muſæus, multo recentior auctor ſit. " Certe antiqui illius Muſæi non eſſe, nemo criticorum hodie dubitat. [x] Nihil vero magis Muſæum Orphicæ diſciplinæ alumnum prodit, quam, quod LAERTIVS de eo refert, docuiſſe: ἐξ ἑνὸς τὰ πάντα γενέσθαι, καὶ εἰς ταυτὸν ἀναλύεσθαι; *ex uno omnia facta eſſe, & in idem reſolvi.* Panditur enim iſto dogmate verum ſyſtematis emanativi principium, & fundamentum quoque omnium theogoniarum; quod Orpheo placuiſſe in antecedentibus demonſtravimus, & ex hac diſcipuli ejus doctrina recte quoque probatur. Ceterum quatuor ex uno Muſæos nobis confingit IO. MEVRSIVS [y] ſine neceſſitate, cum omnia, quæ de eo traduntur, commode ad unum queant referri. Muſæum vero plane non extitiſſe, ſed nomen eſſe mythologicum dum contendit GERARDVS IOANNIS VOSSIVS [z] mera conjectura, ut in Lino & Orpheo, ductus, antiquitatis teſtimonio contradicit; quemadmodum & illuſtris HVETIVS adeo nulla probabilitate ſub Muſæi perſona Moſis hiſtoriam latere contendit, [a] ut ſententiam ejus recitaſſe, ſit refutaſſe. Facile enim ita tota hiſtoria antiqua pervertetur, miſcebunturque ima ſummis & quadrata rotundis. Obiit Phaleris honoratus ab Athenienſibus inſcripto in tumulo epigrammate, quod refert LAERTIVS. Filium habuiſſe dicitur, EVMOLPVM, *Eumolpus.* quem & jam ante Homerum ἐποποιὸν fuiſſe, & patris veſtigia ſecutum *teletas Cereris & explicationem myſteriorum* ſcripſiſſe SVIDAS teſtatur: [b] quæ tamen alii Eumolpo alicui ſeniori adſcribunt: [c] Ea ab *Eumolpicis* Muſæi, ſive *præceptis ad Eumolpum tertium filium ſuum*, SVIDAE quoque memoratis diſtinguenda eſſe recte monuit ὁ πάνυ FABRICIVS. [d]

§. XXI. Poſt triumviros hos, de quibus hactenus dictum eſt, celebratur quoque inter Græciæ theologos THAMYRIS, Odryſis Thraciæ ab *Thamyris.* Arſia vel Arſinoa, vel potius Agriopa nympha natus, poſtquam ex Philammone gravida, ubi fruſtra ejus connubium appetiviſſet, ex Græcia in Thraciam confugerat. [e] Is ubi adoleviſſet, non corporis tantum forma præſtantiſſimus, ſed ingenii quoque dotibus mirum in modum ita exornatus fuit, ut omnium admirationem conſequeretur. Præcipue vero muſices atque carminum peritia ita excelluit, ut eum, licet peregrinum, Scythæ regem facerent, ſi modo Cononi apud PHOTIVM [f] hæc narranti fides eſt. Ingenii itaque præſtantia elatus, cum in ludis quoque Pythicis victoriam reportaſſet, auſus eſt ipſas Muſas provocare in certamen, & convitiis proſcindere, propoſita conditione, ſi viciſſet, ſe velle cum omnibus congredi, ſin victus fuiſſet, ſe illorum arbitratu pœnas ſubiturum. [ff] Congreſſæ

u) Præter hunc enim Athenienſium vatem, Muſæum quoque Thebanum, & alium Epheſium memorat SVIDAS *l. c.* & Grammaticum juniorem alii.

x) Vid. CASAVB. *ad Laërt. l. c.* & quos excitat FABRICIVS *l. c. p. 105.*

y) In *Bibl. Attic. & Attic. Lect. l. II. c. 19.*

z) *De Poët. c. XIII.*

a) *Dem. Ev. Pr. IV. c. 8. §. 18. p. 128.*

b) In *Eumolpus T. I. p. 897.*

c) Vid. FABRICIVS *l. c. p. 38.*

d) *Ib. p. 103.*

e) APOLLODORVS *l. I. p. 10.* DIODORVS *l. III. p. 201.* EVSTATHIVS in *Homer. iliad. β'.* Conon apud PHOTIVM *Cod. CLXXXVI. p. 221.* ed. Hœſch. NATALIS COMES *Mythol. l. VI. c. 14. p. m. 619. ſeqq.*

f) *l. c.* reliqui enim veteres hoc tacent.

ff) PAVSANIAS in *Meſſenicis p. 322.*

greſſæ itaque cum illo Muſæ cum facile cantu atque carmine viciſſent, viſum eripuerunt,

Et cantum, citharamque viro rapuere ſuperbo. [g]

Addunt alii, eum temeritatis pœnas apud inferos dediſſe. [h] Fabulæ verum ſenſum hominis in canendi lyra & pangendi carminis peritia alios ſuperantis ſuperbiam & contemtum aliorum male poſtea punitum indicare, facile largimur. An vero cum aliis certaverit, & viſum ideo amiſerit, quod ſuperatus hanc temeritatis pœnam ſubierit, merito ambigitur, oculis enim morbi vitio captum fuiſſe veriſimiliter narrat PAVSANIAS. [i] Nec tamen fabulæ ſenſum exhaurit, quod TZETZES tradit, [k] poëmata ejus periiſſe, ideoque a Muſis excœcatum tradi: certaviſſe enim cum Muſis & inferiorem diſceſſiſſe, omnes veteres, quotquot fabulæ meminerunt, aſſerunt, notumque eſt apud veteres poëtas & muſicos ejusmodi certamina publica fuiſſe uſitatiſſima; [l] forte, ſi conjiciendum aliquid eſt, Thamyri in ejusmodi certamine victo publico arbitrorum judicio facultas canendi ſublata, isque obſcuræ vitæ generi addictus fuit, cum prius in omnium oculis verſaretur. Sunt quoque, qui veneris maſculæ impietatem Thamyrin inveniſſe tradunt. [m] Scripſit vero teſte TZETZA coſmogoniam, quam a theogonia, ſive theologia, quam SVIDAS [m] narrat, non diverſam fuiſſe, recte BAYLIVS [n] conjecit, cum mundi generationem ficta Deorum genealogia tradere veteres poëtæ ſoliti fuerint. Tradit quoque PLVTARCHVS, [o] Thamyrin bellum a Titanibus adverſus Deos geſtum tanta orationis concinnitate, tantaque modulationis ſuavitate compoſuiſſe, ut nullum poëma videri potuiſſet præſtantius. [p] Sed & hoc poëma quod a theogonia diverſum omnes [q] faciunt, ab ea non diſtinguendum eſſe, ipſum argumentum ſuadet. Bellum enim Titanum nobilem partem theogoniarum conſtituiſſe, ex fragmentis illarum paſſim extantibus & ab HENRICO STEPHANO [r] collectis, & ex ipſo quoque HESIODO notum eſt; unde hoc de bello Titanum carmen pars theogoniæ fuiſſe merito creditur. Quod certius & facilius judicaremus, niſi omnia celeberrimi poëtæ & theologi tempus nobis eripuiſſet.

Amphion.

§. XXII. Eundem in cenſum referendus eſſe videtur AMPHION in mythologia [s] Græcorum propter canendi artem celebratiſſimus, Iovis & Antiopes filius, qui ob affinitatem cum Tantalo modulos a Lydio edoctus fuit, primusque tres chordas addidit tetrachordo a ſuperioribus muſicis invento.

g) HOMERVS *l. c. v. 565.*

h) PAVSANIAS *l. c. p. 362.*

i) *Lib. IV. p. 363.*

k) *Chiliad. VII. hiſt. 108.* cujus verſus quoque exhibuit FABRICIVS *Bibl. Gr. vol. I. p. 240.* & vehementer reprehendit NATALIS COMES *l. c. p. 620.*

l) Exemplo eſſe poſſunt certamina Homeri & Heſiodi, Cercopis & Heſiodi, Aeſchyli & Sophoclis.

m) APOLLODORVS *l. c.* BAYLE *Dict. T. IV.* art. *Thamyris, not. B. p. 342.* Ad Orpheum hanc infamiam quosdam retuliſſe ſupra diximus. Alios; qui auctores nefandi criminis habiti ſunt, nominat SVIDAS in *Thamyris, T. II. p. 164.*

m) *l. c.* n) *l. c.*

o) *De muſica T. II. p. m. 551.*

p) Ita NATALIS COMES *l. c.* quem male Plutarchi teſtimonium adducere, præter rem reprehendit PETR. BAYLE *l. c.* modo antecedentia Plutarchi verba expendantur.

q) Vid. FABRICIVS *l. c.*

r) In *Poëſi philoſophica.*

s) Vid. NAT. COMES *Mythol. l. VIII. c. 15. p. 889. ſeqq.*

vento. [t] Vnde lyram a Mercurio accepiſſe ſeptem nervis inſtructam mythologi tradiderunt, alii quoque muſices antiquæ inventorem faciunt, tantaque artis peritia excelluiſſe narrant, ut non tantum homines, ſed & ſaxa ac feras cantu moverit, [u] immo muſices efficacia murum excitaviſſe, quo Thebæ munirentur: [x] tandem vero ob contumelias in Deos immiſſa peſte una cum tota domo extinctum fuiſſe. Cui fabulæ vix alius ſenſus ſubeſt, quam Amphionem non canendi tantum arte & muſices præſtantia, ſed ingenii quoque amœnitate & ſapientia ita excelluiſſe, ut rudes Thebanorum animos, artis ſuavitate & eloquentiæ atque prudentiæ præſtantia coëgerit in unum coire, mœnibus urbem cingere, & in officio perſiſtere. Eadem enim via, qua Orpheus, inter Græcos verſatum in Ægyptum deſcendiſſe, magiamque edoctum ad Græcos rediiſſe narrat PAVSANIAS: [y] unde in eandem philoſophorum vetuſtiſſimorum claſſem referendus eſt, qui introducta religione, (quæ ad magiam referri ſolita fuit vetuſtiſſimis temporibus [z]) & in uſum quoque vocata arte muſica, feroces animos ad civiles mores revocarunt. Id quod pulchre vidit IVLIANVS imperator, qui in epiſtola quadam, cujus partem nobis ſervavit SVIDAS, [a] *tria laudat, quæ eum muſicæ inventorem effecerunt: tempus ſive otium, Dei ſpiritum ſive divinas ingenii dotes, & amorem* ὑμνῳδίας, *id eſt*, ut ipſe explicat, *philoſophandi per hymnos.* Addit enim: *Veterum plerosque hæc tria conſequi ſtudentes, nec quicquam aliud requirentes non ſimulate philoſophatos fuiſſe.* Dubium itaque non eſt, Amphionem ſeveritatis antiquæ & philoſophiæ, quam inter Thebanos cultam veteres [b] extollunt, auctorem fuiſſe. Moſen vero ſub Amphionis fabula latere, mirabili perſpicacitate vidit HVETIVS, [c] ſibi in tanta veterum res detorquendi audacia & licentia relinquendus.

§. XXIII. Tandem & MELAMPVS inter veteres Græciæ theologos & philoſophos nobis enarrandus eſt, non minori inter veteres magnos viros, Trojani belli tempora ſuperantes [d] fama illuſtris. [e] Is Amythaonis & Aglaiæ filius Argivus, tanta ingenii ſolertia & acumine polluit, ut proverbio locum dederit. Hæ animi excellentiſſimi dotes mature a Melampode ſtudio & induſtria auctæ ſunt. Cum Phœnicibus enim, qui in Græciam delati novas ſedes quærebant, converſatus, theologiam illam *Melampus.*

t) ARISTOCLES *de muſica l. I.* Ita vero in concordiam redigi poſſunt veteres, qui lyram Mercurii quatuor chordas habuiſſe tradunt, cum Amphioni donaretur. Adjecit enim reliquas, & ſeptem chordis cecinit, vid. HORATIVS *l. III. Od. 11.* conf. cel. GOD. OLEARIVS *ad* PHILOSTRATI *icones l. I. c. XI. p. 779.*

u) HORATIVS in *arte v. 394.* PHILOSTRATVS *l. c.*

x) *Ib.* CLEMENS ALEXANDR. *Protrept. p. 1.*

y) In *Eliacis poſterioribus.*

z) Inter theologos quoque referendum Amphionem eſſe, præter mitram, qua ornatum veteres pingebant, ut Orpheum tiara, prodit etiam quod PHILOSTRATVS addit: ᾄδει τὴν γῆν, ὅτι πάντων γενέτειρα γῆ μήτηρ. Hoc vero argumentum erat coſmogoniarum.

a) In *Amphion. T. I. p. 153.*

b) IVSTINVS *l. VII. c. 5.* qui ideo Epaminondam ſummum philoſophum vocat.

c) *Dem. Ev. Prop. IV. c. 8. §. 21. p. 134.*

d) Vid. BAYLE *Dict. T. III.* art. *Melampus p. 367. ſeq. not. H.*

e) *Melampode & Pollete indiget;* de re perceptu difficili, vid. MARINVS *vit. Procli c. 10.* SVIDAS in *Melampus T. II. p. 520.* SYNESIVS *de inſomniis pag. 154.*

ſive theogoniam didicit, arcanaque dogmata edoctus, & myſteriis tum inſtitui ſolitis initiatus eſt, [f] quæ poſtea Græcos iterum docuit, quæ cauſa eſt, cur myſteria Cereris ad eum auctorem a quibusdam referantur. Alii tamen ab Ægyptiis in Græciam transtuliſſe ſancita Baccho ſacra, fabuloſas de Saturno & præliis gigantum narrationes, & univerſam fabularem hiſtoriam de amoribus Deorum, tradunt, [g] ex quibus manifeſtum fit, Melampodem allegoricum theologiæ & coſmogoniæ tradendi ritum a barbaris ſive Phœnicibus, ſive Ægyptiis, forte ab utrisque acceptum ad Græcos transtuliſſe, idque præſtitiſſe, quod in alio Græciæ populo & loco Orpheum feciſſe ſupra tradidimus. [h] Ex iis enim de Melampode quoque judicium fieri debet. Acceſſit ad hanc theologiam vaticinandi donum, quo ita polluiſſe dicitur, ut avium cantus intelligeret, & inde futura prædiceret; [i] augurem enim atque vatem, quæ duo jungi olim ſolebant, [k] exhibuit, & inter primos veterum relatus eſt, qui vaticinandi facultate excelluerunt. [l] Denique & artis medicæ cognitionem mirabilem, more iſtis temporibus ſolenni theologiæ & vaticinandi arti junxit, [m] & ex conſuetudine theologorum atque medicorum veterum remediis non tantum naturalibus, ſed & magicis, incantationibus, atque expiationibus ſacris, [n] uſus eſt, ut ita ex remediorum naturalium effectibus religioni atque myſteriis introductis auctoritas atque veneratio accederet. [o] Quam medendi artem in curandis Prœti Argivorum regis filiabus, furore uterino [p] correptis, (quod tamen alii de fœminis Argivorum narrant) ita feliciter exercuit, ut eis purgatis tum ſacra myſteriorum expiatione tum naturali ellebori uſu, (quod inde melampodium dictum eſt) [q] rationis & ſanitatis atque pudoris quoque & caſtitatis uſum redderet, pactus ideo ſibi & fratri partem regni, quam quoque accepiſſe dicitur. Tanta vero ob hanc ejus eruditionem & beneficia, quibus Argivos ſuos ſibi devinxit, ejus fama fuit, ut poſt mortem templo, ſacrificiis & feſto anniverſario ejus memoria celebraretur. [r] Extat hodie ſcriptum Melampodis de *divinatione ex palpitationibus membrorum*, ſed id recentioris hominis eſt. [s]

Theogoniarum ſcriptores.

§. XXIV. Præter enumeratos coſmogoniarum ſcriptores, qui figurato dicendi genere rerum ortum & theologiam quoque gentis ſuæ enarrarunt,

f) HERODOTVS *l. II. c. 49.* quem tamen ideo carpit PLVT. *de mal. Her. T. III. p. m. 512.*

g) DIODOR. SIC. *l. I. c. 96. p. 61.* CLEMENS ALEXANDRIN. *protrept. p. 10.*

h) Recte TERTVLLIANVS in *Apologetico*: *Orpheus Pieriæ, Muſæus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Bœotiæ, initiationibus homines obligaverunt.* Ita enim omnia conſtant, quæ de myſteriorum auctoribus dicuntur.

i) Qua ratione linctus a ſerpentibus quos vivos ſervaverat, hanc facultatem acquiſiverit, narrat APOLLODORVS *l. I. p. 47.* cujus verba leguntur quoque apud BAYLE *l. c. not. E.*

k) EVSTATHIVS *ad Iliad. α'. p. 36.*

l) Vid. CICERO *de legibus l. II.*

m) Conf. LE CLERC. *Hiſt. de la medecine P. I. l. I. c. 9. p. 27. ſeq.* cl. SCHVLZIVS *Hiſtor. medic. Per. I. ſect. I. c. 1. §. 22. p. 88.*

n) Sacrificiis, verſuum incantamentis, herbarum magicarum uſu, balneis ſacris & his ſimilibus purgationes iſtæ fiebant, conf. CLERIC. & ita quoque Melampodem inſtituiſſe refert PAVSANIAS *l. VIII. p. 253.*

o) Varie res refertur ab APOLLODORO *l. II. p. 85.* SERVIO in *Eclog. VI. 48.* PAVSANIA *l. c.* aliis.

p) Huic enim morbo narrationes veterum optime conveniunt, vid. VIRGIL. *l. c.*

q) DIOSCORID. *parabil. l. IV. c. 181.* CLERIC. *l. c.*

r) PAVSANIAS *l. I.* in fine.

s) FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 98.* CLERIC. *loc. cit.*

rarunt, plures inter veteres poëtas fuere, qui in hunc cenſum referendi ſunt. Scripſerunt enim theogonias Pherecydes, & Epimenides, de quibus poſtea dicendum, item Antiphon, [t] Dromocrides [u] aliique, [x] quorum tamen ſcripta cum interciderint, dici non poteſt, qua ratione ſeriem ortarum rerum, quam iſtis carminibus deſcribebant, ordinaverint. Servavit tamen nobis ARISTOPHANES [y] ejusmodi coſmogoniæ deſcriptionem, quam ab antiquis theologis mutuum accepiſſe dubium non eſt. Eam, quia cum reliquis conferri meretur, lucemque dicendis affert, hic Romano ſermone, brevitatis cauſa, tantum apponemus. Ita vero: *Ariſtophanes.*

Chaos erat primum, & nox, Erebusque niger & Tartarus ingens:
Neque terra, neque aër erat, neque cœlum, in immenſis ſinubus Erebi
Nox alis nigris primum parit ovum ſubventaneum;
Ex quo revoluto aliquo tempore, emerſit gratus amor,
Radians tergo aureis alis, ſimilis aëris turbine.
Hic autem miſtus atro chao, qua erat Tartarus,
Edidit genus noſtrum, & primum adduxit in lucem.
Neque enim Deorum genus ante fuit, quam commiſcuit omnia amor,
Commiſſique unis aliis prodiit cœlum & oceanus
Et terra, omniumque Deorum beatorum genus immortale.

Perplacet hæc theogonia THOMAE BVRNETIO, [z] quæ omnium ei videtur ordinatiſſima & conſummatiſſima; ex chao enim noctem & tartara, ex his cœlum & æther, terram Deos hominesque derivari, quæ ſuæ de rerum ortu hypotheſi ita applicat, ut hæc vetuſtiſſimorum philoſophorum mentem exprimere videatur. Chaos nempe primum diviſum fuiſſe in duo corpora, aut duos orbes; corpus ſuperius fuiſſe noctem, ſcilicet aërem caliginoſum & turbidum radiis ſolis impenetrabilem; inferius fuiſſe tartarum & abyſſum; noctem gravidam itidem peperiſſe geminos, ex una parte terram, ex altera cœlum ſive æthera; nempe aërem illum turbidum & caliginoſum; cum actione ſubtilioris alicujus ſpiritus, qui totum permeabat, purgatus fuiſſet, ſedimentum depoſuiſſe infra in ſuperficie tartari, ubi terram conſtituerit; & tenuiores ipſius partes ſurſum enitentes æthera conſtituiſſe, ſive cœlum ſublunare: hoc eſt purioris aëris regionem illam, quam vapores & atmoſphæra terræ non attingunt: & denique in hac terra genus hominumque deumque ethnicorum promicuiſſe. Verum, ut nihil dicamus, de ipſo, quem ſibi vir acutiſſimus finxit, rerum genitarum ordine, & ortu, nec exhaurit ille hanc antiquam coſmogoniam, in qua avi illi, cujus gratia Ariſtophanes ſerium hoc argumentum comœdiæ immiſcuit, quamque ex ovo excluſam atro chao miſtam omnia formaſſe dicit, potiores coſmogoniæ partes adſcribuntur: [a] nec in hac coſmogonia,

t) IRENAEVS *l. II. c. 19.*
u) FVLGENTIVS *Mythol. l. II. c. 17.*
x) Conf. FABRICIVS *Bibl. Gr. vol. I. p. 378.*
y) In *avibus v. 694. p. m. 384.*
z) *Theor. tellur. l. II. c. 7, p. 130. ſeq.*

a) Ariſtophanem ideo vetuſtiſſimorum atheorum ſyſtema recitaſſe, qui chaos ſine lege & ordine commotum principium rerum fuiſſe ſtatuunt, contendit CVDWORTH, *Syſtem. int. c. III. §. 17. p. 117. 118.*

ignis, hominum, beſtiarum ortus indicatur, & aves divinæ originis eſſe dicuntur, & ante omnia conditæ: quæ omnia ſatis produnt, Ariſtophanem [b] veterem coſmogoniam, undecunque eam acceperit, ſcenæ adaptaſſe, & joci ludique cauſa, ut aves de ortus ſui atque natalium origine jactantes lepide loquentes introduceret, ea confinxiſſe, quæ ad coſmogoniam hanc proprie non pertinent, certe mancam atque mutilam eſſe, hanc coſmogoniam, ex aliis theogoniis, quæ integræ ad nos pervenerunt, manifeſtum eſt. Inter has nobiliſſima ſine dubio eſt, quam elegantiſſimo Græcorum poëtæ Heſiodo debemus, quippe quæ integra ad nos delata eſt: quare ei inter veteres theologos & phyſiologos locum denegari non poſſe exiſtimamus.

Heſiodus. §. XXV. HESIODI vitam atque fata prolixe deſcribere, inſtituti noſtri non eſt, faciunt id, qui poëtarum veterum hiſtoriam excutiunt, & nobiliſſimi poëtæ vitam deſcribunt, quorum narrationes [c] non ineleganter collegit & vitam Heſiodi expoſuit LILIVS GYRALDVS, [d] qui videndus. Ætatem ejus curioſe excutere hujus loci non eſt, aliis eum Homero anteponentibus, aliis ſtatuentibus, Homero fuiſſe ſupparem, annis tamen aliquanto juniorem. Certe uno tempore floruiſſe, inde evincitur, quod ex unanimi fere veterum traditione cum Homero de principatu in arte poëtica contendiſſe, [e] & obtenta victoria tripodem in monte Helicone poſuiſſe dicitur, [f] quanquam certamen illud, quod hodie fertur, totum forte confictum eſſe viris doctis negandum non eſſe putemus. [ff] Inter hujus vero poëtæ poëmata; quorum nitidam editionem cl. IO. CLERICO [g] debemus, celebratiſſimum Θεογονίας carmen eſt, in quo originem Deorum γεννητῶν, ſive potius partium mundi magnorumque virorum ortus & natales allegorico generationis Deorum habitu exponit, laudatus ideo multis veterum, a quibusdam vero ideo vituperatus. Narrat enim LAERTIVS [h] finxiſſe Pythagoram: vidiſſe ſe animam Heſiodi apud inferos vinculis adſtrictam columnæ æreæ, tridentemque propter ea, quæ de Diis finxerit; itemque, [i] Xenophanem Colophonium in elegiis ſuis & Iambis perſtrinxiſſe ea, quæ Heſiodus de Diis ſcripſerat: cum e contrario Stoici, & in his principes ſectæ Zeno atque Chryſippus hanc theogoniam interpretati fuerint, eamque, ut & Orphei, Muſæi aliorumque fabulas ad rerum naturam, teſte CICERONE [k] accommodaverint. Alios theogoniæ interpretes recenſet FABRICIVS, [l] qui hiſtoriam literariam poëtæ celeberrimi diligenter enarrat, qui etiam de aſtrologia, quam Heſiodo quidam veterum tribuunt, [m] videndus eſt. Quæ vero de medica Heſiodi eruditione apud

b) Conf. cel. MOSHEIM *ad h. l. Cudworthi not. f.*

c) Conf. SVIDAS in *Heſiodus T. II. p. 18.* TAN. FABER *abregé de la vie de Heſiode.*

d) *De poëtar. hiſt. dialog. II.*

e) Vid. HENRIC. DODWELLVS *de cyclis Græcorum diſſ. III.* qui certamen ad *Olymp. XXIX.* refert.

f) GELLIVS *l. III. c. 11.*

ff) Conf. FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 371.*

g) *Amſtelod. 1701. 8.*

h) *Lib. VIII. ſ. 21.*

i) *Lib. IX. ſ. 18.* SEXT. EMPIRICVS adv. *Mathemat. l. I. ſ. 289.*

k) *De nat. l. I. c. 36. & l. II.*

l) *l. c. p. 378.*

m) PLINIVS *l. XVIII. c. 25.* Scholiaſtes ARATI *ad. v. 255.* Ὑποκείμενα εἶναι ATHENAEVS quoque *l. XIII. v. 491.* monet. Recte veteres ἀστρονομοῦντας καθ' Ἡσίοδον mathematicis opponunt.

apud PLVTARCHVM [n] dicuntur, nihil aliud evincunt, quam Heſiodum ab ea cognitionis phyſicæ parte non imparatum fuiſſe, quæ victus & diætæ rationes exponit: cujus veſtigia paſſim in ejus carminibus deprehenduntur. Qui etiam ex poëmate, quod *opera & dies* inſcribitur, perfectum ethicæ atque œconomicæ opus exſculpunt, [o] antiquitatis præjudicio impediti, quid ad philoſophiam moralem & œconomicam pertineat, non expendiſſe videntur.

§. XXVI. Theogoniæ itaque Heſiodeæ potiſſimum ratio habenda ejusque argumentum excutiendum eſt. In quo tamen difficillimus labor ponitur. Nam & ipſa genealogiarum iſtarum conditio admodum obſcura eſt atque impedita, & dum ab aliis abit Heſiodus, vix intelligi poteſt, quid iſta Deorum generatione ſibi velit. Deinde recte quoque reprehendit in Heſiodo BVRNETIVS, [p] ejus theogoniam admodum confuſam eſſe, quoniam bis orditur a chao, proſequiturque rerum familiam ordine poëtico magis, quam philoſophico: nempe recenſet primo res inferiores, chaos, terram, tartara; deinde res ſuperiores chaos, noctem, æthera, & amorem utrisque communem. Multa quoque fictionis cauſa addidit, ex ſolo poëtæ ingenio, res poëtica elegantia exornante profecta, quæ ad ipſum theogonias ſyſtema, vel mundi ortum atque hiſtoriam non pertinent; & videtur quoque Heſiodus diverſos theogoniarum auctores ſecutus talia conflaviſſe in unum, quæ ex mente auctorum ſuorum diverſa ſunt, nec ſatis inter ſe cohærent. Deſinemus itaque mirari, ſi in explicanda theogonia Heſiodea aqua nobis hæreat, nec talis obſcuro argumento lux queat affundi, quæ omnes tenebras diſpellat. Ita vero theogoniam ſuam ordinat Heſiodus, abjectis iis, quæ ornatus cauſa adjeciſſe recte putatur, & inter figmenta poëtica recenſenda ſunt: [q]

Theogonia Heſiodea.

I. Initio & ante omnia chaos fuit. [r]

II. Poſtea tellus extitit, & tartara tenebricoſa in receſſu terræ ſpatioſæ.

III. His adfuit amor, pulcherrimus inter immortales Deos.

IV. Ex chao erebus, nigraque nox editæ ſunt.

V. Ex nocte porro æther & dies prognati ſunt, quos peperit, ubi concepiſſet, crebro amore mixta.

VI. Tellus primum genuit parem ſibi, cœlum ſtelliferum, montes altos, atque pelagus.

VII. Poſtea cum cœlo concumbens, peperit oceanum.

VIII.

n) In *convivio ſeptem ſapientum.*

o) HEINSIVS in *Introd. in Heſiodi opera & dies*, quem ſecutus eſt BORRICHIVS, recte utrumque notante & ad *αὐτοψίαν* provocante celeberrimo STOLLIO *Intr. in Hiſt. lit. P. II. c. 5. §. 66. P. III. c. 6.*

p) *Theor. tellur. l. II. c. 7. p. 129.* conf. *Hiſtoire univerſelle p. 79.* MOSHEIM *ad* CVDWORTHVM *p. 281. n. 57.*

q) Haud obſcure prodit id ipſe HESIODVS, *v. 26. ſeq.* canens:

Ποιμένες ἄγραυλοι, κακ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἷον
Ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα
Ἴδμεν δ' εὖτ' ἐθέλωμεν ἀληθέα μυθήσασθαι.

Paſtores in agris pernoctantes, mala probra, ventres ſolum
Scimus mendacia multa dicere veris ſimilia
Scimus etiam, quando volnerimus, vera loqui.

r) *v. 115. ſeqq.*

VIII. Filios porro & filias; & poſt hos natu minimum Saturnum.

IX. Porro genuit & Cyclopes ſuperbum cor habentes Bronten, Steropen & Argen, fulminum fabricatores.

X. Alii rurſus e tellure & cœlo prognati ſunt tres filii magni, Cottus, Briareus, Gygesque.

XI. Filii vero ex tellure & cœlo prognati ſuo parenti ab initio infenſi erant, & occultabantur in terræ latebris.

XII. Terra filios contra patrem animans Saturnum ad ulciſcendam parentis contumeliam commovit.

XIII. Saturnus inſidiatus patri falce demeſſuit genitalia, & abjecit pone.

XIV. Guttas cruentas ſuſcepit terra, & circumvolutis annis produxit Errinnyas & gigantes & nymphas.

XV. Ex reliquis projectis in pontum, ſpuma alba orta in qua puella innutrita, quæ in Cypro tandem prodiit, hanc homines Aphroditen, i. e. Venerem nominant.

XVI. Venerem comitatus eſt amor, & Cupido.

XVII. Cœlus objurgans filios Titanas vocavit, & proterviæ ultionem prædixit.

XVIII. Nox peperit fatum, Parcam, & mortem, & ſomnum & agmen ſomniorum, poſtea quoque Momum & ærumnam, Heſperidesque & Parcas tres, & Nemeſin.

XIX. Poſtea fraudem enixa eſt, & amicitiam & inimicitiam, ſenium & contentionem.

XX. Contentio peperit laborem moleſtum, oblivionem, prælia, ſtrages, mendacia, perjuria.

XXI. Pontus genuit Nereum veracem & juſtum, aliosque filios & filias, ex quibus tota tandem Deorum fabularium generatio orta eſt.

XXII. Ter mille vero ſunt Oceani & Tethydos filiæ totidemque filii.

XXIII. Thea ſolem magnum, lunam, auroramque peperit.

XXIV. Styx peperit, Oceani filia, Zelum & Nicen, & robur, atque vim, qui ſemper apud Iovem ſedem habent.

XXV. Phœbe ex Cœi lecto peperit Latonam, Aſteriamque & hæc Hecaten, quam Iupiter Saturnius ſuper omnes honoravit, quæ & honores diſtribuit.

XXVI. Rhea compreſſa a Saturno peperit Veſtam, Cererem, & Plutonem, Neptunum & Iovem Deorum patrem atque hominum.

XXVII. Saturnus vero iſtos deglutiebat, quod audierat ſibi fatale eſſe, a filio proprio domari.

XXVIII. Rhea vero Iovem filium natu minimum enixa, ex conſilio parentum terræ cœlique eum recondit in Creta inſula, in antro.

His veſtigiis tota Heſiodi incedit theogonia, cui plerasque Mythologiæ Græcæ

Græcæ fabulas immiſcuit, totumque Deorum & Dearum atque heroum chorum in theatrum quaſi produxit.

§. XXVII. Secutum fuiſſe in hac theogonia condenda Heſiodum veteres theogoniarum ſcriptores dubium non eſt, & facile ex collatis Phœnicum & Aegyptiorum itemque Orphei, Muſæi aliorumque vetuſtiſſimorum theologorum inter Græcos theogoniis evincitur; [s] Ordinem tamen eum inſtituiſſe, manifeſtum eſt, quem carminis decor requirebat, ſcopusque in eo totam fabularem Deorum hiſtoriam enarrandi patiebatur: quæ cauſa ſine dubio eſt, cur admodum confuſa atque obſcura ſit iſta theogonia, & ab aliis diſſentiat, ut pervertiſſe magis veterum de ortu rerum narrationes, quam exornaſſe merito cenſeatur. Itaque ipſi Heſiodeæ theogoniæ lucem accendere tentaturi, neceſſarium putamus de theogoniarum interpretationibus obſervationes quasdam generales hic afferre, eaque quæ paſſim viri docti, & in his, qui theogoniis intelligendis maximam lucem accenderunt, Viri ſummi THOMAS BVRNETIVS [t] & IOH. LAVRENTIVS MOSHEMIVS [u] attulerunt ita vocare in ſubſidium, ut nobiliſſima vetuſtiſſimæ philoſophiæ pars ex tenebris, ſi non omnibus, denſiſſimis tamen, extrahatur, & veterum de rerum ortu philoſophemata clara fiant. Obſervanda itaque eſſe non præter rem cenſemus ſequentia: *Obſervationes generales de Theogoniis.*

I. Theogoniarum ſcopus & ratio, quam veteres theogoniarum conditores ſecuti ſunt, ante omnia attendenda eſt. Illi enim cum inter barbaras gentes vetuſtiſſima traditione de rerum generatione atque ortu quædam inaudiviſſent, & metaphorico dicendi genere traditiones patrum ſubobſcuras accepiſſent, coſmogoniam mundi clarius, quam acceperant, enarrare non potuerunt, & accedentibus ingenii proprii fictionibus, cum ad commendandas traditiones πατροπαραδότας plura addidiſſent, rem in ſe obſcuram & ſupra captum ingenii humani in ſcientiarum pueritia verſantis, ita reddiderunt implicitam & difficilem, ut dubium non ſit, theogoniarum ſcriptores ipſos non omnia intellexiſſe, quæ de hac re tradiderunt. Hoc qui negat, eum theogoniarum veterum reliquias nunquam inſpexiſſe oportet, adeo enim intricata, confuſa & obſcura ſunt omnia, ut Oedipo opus habeant. *Obſcuræ ſunt.*

II. Ex collatis tamen veterum theogoniis illud dubio omni caret, prima earum principia eo tendere, ut rerum naturalium generationem & ortum deſcribant. Habuerunt ſcilicet vetuſtiſſimi philoſophi & theologi mundum hunc pro Deo, ejusque partes inter Deos retulerunt. Quod enim PLATO [x] olim dixit, *ſidera* θεὸς ὁρατὸς καὶ γεννητὸς *Deos natos* & *Coſmogoniam deſcribunt.*

s) Primos quidem Heſiodum & Homerum fuiſſe, qui Græcis theogoniam fecerunt, & Diis cognomina dederunt, affirmat HERODOTVS *l. II. c. 53.* cui recte Orpheum & Muſæum opponit EVERARD. FEITHIVS in *Antiqq. Homer. l. I. c. 1. p. 3.* & CLERICVS *ad Heſiod. p. 3. 37. ſeq.* non diſſentiente MOSHEMIO *ad Cudw. p. 181.*

t) *Theor. tellur. l. II. c. 7.*

u) *l. c. p. 226. 281. 599.* & paſſim.

x) In *Timæo c. 18.*

& aſpectabiles eſſe, terramque, interprete CHALCIDIO [y] *antiquiſſimam & eximiæ dignitatis Deam, ex eorum numero, qui intra mundi ambitum continentur, Deorum;* id inter barbaros quoque obtinuiſſe ſupra oſtendimus. Ab Ægyptiis vero atque Phœnicibus id ad Græcos delatum, occaſionem dedit coſmogoniam in theogoniam mutandi, & initia naſcentis mundi, ficta deorum generatione adumbrandi. Id quod recte obſervatum eſt, viris doctis, [z] coſmogoniæ hiſtoriam inter theogoniarum fabulas quærentibus; modus tamen hic adhibendus, nec omne illud, quod in theogoniis occurrit, ad hunc unum ſcopum rapiendum eſt. Hoc enim ubi fit, contortis ubique veterum opinionibus & aſſutis ingenii interpretamentis veram theogoniarum rationem corrumpi neceſſe eſt.

Ortum rerum omnium, & hujus mundi confundunt.

III. Intelligi hoc melius poteſt, animusque ea de re certius convinci, ſi probe obſervetur, antiquos theogoniarum ſcriptores, univerſitatis rerum hiſtoriam cum ortu mundi hujus haud ſemel confudiſſe, & admiſſis primis rerum omnium principiis, earumque poſito ortu ad naſcentis terræ & quæ adjacent mundi partium hiſtoriam digreſſos fuiſſe; qua ratione non potuit non hiatus in deſcribenda univerſitatis origine oriri; unde ſequitur, non omnia nimis premenda, & ad leges mechaniſmi, quas hodie ad magnam accurationem perduxit naturæ interpretum ſolertia, tanta ſubtilitate expendenda eſſe, quanta ſolent, qui inter veteres ingenii ſui inventis gloriam quærunt, vel hypotheſi ſemel deamatæ & admiſſæ inſervire cupiunt. Qua in re varie a viris doctiſſimis peccatum eſt, ſuas inventiones vetuſtiſſimis philoſophis nimis confidenter obtrudentibus, cujus exemplum eſſe poteſt, qui tamen magna cum eruditione in hoc argumento verſatus eſt, THOMAS BVRNETIVS.

Religionem vulgi cum placitis philoſophicis conciliant.

IV. Magis adhuc attendendum eſt ſedulo, theogoniarum ſcriptores vetuſtiſſima quidem philoſophorum placita phyſica de rerum initiis atque generatione in ſua arva derivaviſſe, & pro ſuis adſciviſſe, ſed religionem quoque vulgi cum hac theologia naturali ſive phyſiologia in unum quaſi corpus redegiſſe, & ita conciliaſſe, ut fabulas de antiquis heroibus ſive Diis gentium veterum imprimis Græcorum, cum phyſicis temporum illorum ſcitis componerent, & ita religionem vulgi, cum religione philoſophica in concordiam redigerent. Non attendiſſe ad ea cenſendus eſt, quæ ſupra de antiquiſſimorum inter Græcos philoſophorum & theologorum, Orphei, Muſæi, Lini & ſimilium docendi & religionem propagandi ratione diximus, qui hæc negat. Ea enim dicta mirifice illuſtrant & comprobant.

Diſſentiunt inter ſe.

V. Factum vero ex hac ipſa cauſa eſt, ut theogoniarum conditores inter ſe diſſentirent. Cum enim de rerum naturalium placitis præſertim iſta ætate, ubi philoſophia adhuc in cunis quaſi vagiebat, variæ eſſent ſententiæ, & vetuſtiſſimæ traditiones variis interpretationibus explicarentur, non

y) In *Comm. in Timæum p. 248.* Plura huc pertinentia attulit CVDWORTHVS *Syſt. intell. c. IV. §. 14. p. 263. ſeqq.* & MOSHEMIVS *ad h. l. not. 7.*

z) BVRNET. *l. c. p. 128.* CVDWORTH. *Syſtem. intell. c. IV. §. 14. p. 260. ſeqq. §. 32. p. 599. Hiſt. univerſelle p. 75.* MOSHEM. *ad l. c. Cudworthi.*

non potuere non, quæ illis inædificabantur theogoniæ inter ſe diverſæ eſſe, & varie rerum ortum referre. Idem de vetuſtiſſimis carminibus, quæ antiquiſſimorum heroum res canebant, credendum eſt; quæ varia fuiſſe, & deorum iſtorum acta varie retuliſſe, fragmenta hodie obvia ſatis docent. Cum itaque & hæc cum naturæ interpretatione conjungerent theogoniarum auctores, neceſſario accidit, ut illi inter ſe varie diſſentirent. Qua de re qui convinci cupit, fragmenta veterum theogoniarum inter ſe componat, & luculenta obſervationis hujus exempla inveniet. Quæ cum ita ſe habeant, palam eſt, fruſtra agere, qui theogonias veteres ad unum tantum ſyſtema phyſiologicum adplicant, & iisdem ubique fundamentis inniti putant, ſed excutiendum eſt prius, quibus dogmatibus phyſicis illi adhæſerint, vel ſaltem quæ in ea gente phyſiologia fuerit recepta. Aliter enim doctrinam de natura rerum Perſas, aliter Aegyptios, aliter Phœnices, aliter Græcos inſtituiſſe, neminem latere poteſt, qui mediocri attentione ea, quæ hucusque diſcuſſimus, legerit.

Multa fingunt licentia poëtica.

VI. Nec vero illud quoque ſine attentione prætereundum eſt, ſcripſiſſe theogoniarum auctores omnes oratione ligata, & carminibus argumentum nobile expoſuiſſe. Cujus potiſſima ratio fuit, quod antiquiſſimi theologi ad commendandam vulgo religionem & ſapientiam divinæ poëſeos elegantia uterentur, quo ſcilicet verborum dulcedine, & fabularum jucunditate animi, a triſtioribus & ſeverioribus ſapientiæ præceptis abhorrentes caperentur, & imprimis allegoriarum beneficio, reconditæ doctrinæ ita propagarentur, uti res illorum temporum atque circumſtantiæ poſtulabant. Cujus rei vel unus Orpheus, & quæ de eo dicta ſunt, ſatis nobis teſtimonio eſſe poteſt. Effecit vero hic ſcribendi modus, ut multa ab auctoribus theogoniarum immiſcerentur, quæ ad fictionem tantum carminis pertinebant, & magnificum quendam decorem fabulæ acquirebant. Quo imprimis referendæ ſunt proſopopœiæ frequentes in theogoniarum carminibus occurrentes, affectus, qualitates animi & his ſimilia in perſonas mutata, & actiones inanimatis rebus adſcriptæ. [a] Quæ omnia niſi ab ipſo theogoniæ vel coſmogoniæ potius argumento ſeparentur, miram obſcuritatem & confuſionem pariunt, nec facile ſenſus theogoniarum, & nati mundi ſyſtema erui poteſt.

Difficiles & incertæ ſunt earum interpretationes.

VII. Manifeſtum ex his omnibus eſt, certitudinem in explicandis theogoniarum veterum ſignificationibus & quæ inde confici ſolent ſyſtematibus promitti non poſſe, & majores eſſe difficultates, quam quæ, adhibita licet non mediocri attentione & induſtria, tolli omnino queant. Id quod probe expendendum eſt, ut non tantum modeſtiam adhibeamus, & diſſentientium in tam obſcuro argumento opiniones & interpretationes, nimis noſtris confiſi, non contemnamus, ſed majorem quoque veriſimilitudinis

a) Exemplum exhibent, *v.* 223. *ſeqq.* theogoniæ Heſiodeæ, ubi nox fraudem, amicitiam ſenium, litem, laborem, oblivionem &c. peperiſſe dicitur. Quos animi affectus in naſcentis mundi initiis inter perſonas refert Heſiodus, cum non niſi mali originem inter homines primigenios ſe efferentis & ex materiæ qualitate oriundi indicent. Talia inter Orphica etiam occurrunt.

gradum non quæramus, quam res ipſa patitur. In qua ad quandam rei notitiam ſuis veriſimilitudinis gradibus nixam ut perveniamus, ea in Græcorum theogoniis probe excutienda eſſe putamus, quæ 1. ad univerſitatis rerum ortum & prima rerum omnium exordia, 2. ad naſcentis mundi ſive globi potius terraquei, cœlique ortum, 3. ad origines magnorum heroum, inter Deos relatorum, quorum acta theogoniis illata religionem popularem cum placitis philoſophorum conciliandi occaſionem dederunt, referenda ſunt, & quæ 4. a poëtis addita ſunt ingenii fabulæve cauſa. Ex his enim theogonias conſtare, vel una, quæ nobis integra ſupereſt, Heſiodi fabula de Deorum ortu docet. Reſpiciemus itaque ad ſyſtema phyſiologicum inter Græcos veteres receptum, & quæ hiſtoria vetus ſuggerit, vocabimus in ſubſidium, tentaturi, an afferre aliquid queamus, quod obſcuriſſimo theogoniarum argumento lucem aliquam fœneretur, ſaltem doctioribus anſam exhibeat, luculentiora & meliora afferendi.

Principia earum generalia.

VIII. Faciunt rerum omnium ortum chaos & noctem omnes fere theogoniarum ſcriptores: id quod longa inductione probari poſſet, niſi ex ſupra dictis eſſet evidentiſſimum. Cum enim omnium per univerſum orbem philoſophorum ſententia, ex nihilo nihil fieri poſſe ratione ipſa dictante, pro certo ſtatueret, nec principium in ſe luculentum & veriſſimum, recte applicaret, ad materiam ſcilicet rerum magis, quam ad cauſam efficientem reſpiciens, chaos æternam & materialem quaſi cauſam omnium rerum fecerunt. Chaos vero quid illis ſit, nemo elegantius expreſſit OVIDIO, qui luculenter: [b]

Chaos & nox.

Quid chaos?

Ante mare & terras & quod tegit omnia, cœlum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigeſtaque moles,
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

Sunt,[c] qui per chaos aquam intellexiſſe, eique rerum omnium ortum adſcripſiſſe theogoniarum ſcriptores contendunt; ſed hoc accurate intelligendum, nec de oceano, ſive aqua, quam elementum quartum conſtituerunt, accipiendum eſt, ſed de aquoſa & limoſa, ſive turbida materiæ, omnes ſeminales rationes in ſe continentis, congerie, qualem Phœnices deſcripſiſſe ſupra oſtendimus. Ab iis enim Græcos vetuſtiſſimos theogoniam atque coſmogoniam accepiſſe, ſuo loco probavimus. Ex his vero recte infertur, licet rerum omnium ortum theogoniæ deſcribant ad unum omnes, creationem tamen ex nihilo ignoraviſſe, chaosque æternum ſibi finxiſſe. Id quod negat quidem EDMVNDVS DICKINSONVS,[d] qui Heſiodum inter creationis ex nihilo aſſertores numerat, contendens: Ab Aegyptiis eruditum antiquiſſimum illum coſmologum Heſiodum, itidem chaos, quo nomine

An ex nihilo creatum?

b) *Metam. l. I. v. 5.* conf. GROTIVS *l. citando*, qui potiores veterum de chao ſententias congeſſit.

c) GROTIVS *de verit. relig. Chriſt. l. I. §. 16.* CVDWORTH. *Syſt. intell. c. I. §. 22. p. 27.* quibus præivit Zeno, theogoniæ Heſiodeæ interpres, teſte Scholiaſte APOLLONII *Argon. l. IV. v. 676.*

d) *Phyſic. vet. & ver. c. XII. p. 199.*

mine mundi materiam primam nuncupabat, non æternam, ſed genitam eſſe tradidiſſe his verbis:

Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ'
Principio quidem factum eſt chaos.

In conſenſum vocare potuiſſet, omnes theogoniarum conditores, qui idem dicunt. Verum inepte ex his verbis infertur creatio ex nihilo; nam nec dicunt, ex nihilo chaos extitiſſe, nec a cauſa quadam efficiente fuiſſe productum affirmant, ſed id ſolum innuunt, ante mundi ortum fuiſſe chaos, quod contrariam potius opinionem commendat. [e] Noctem vero, quam adjiciunt theogoniarum ſcriptores, materiæ primariam qualitatem indicare dubium non eſt, quod lumine omni eam privatam putarent, & vita quoque atque motu ordinato caruiſſe cenſerent. Tenebras enim luce antiquiores eſſe, non in theogoniis tantum receptiſſimum eſt, ſed Ægyptios quoque tradidiſſe, PLVTARCHVS auctor eſt, referens *murem araneum divinos reperiſſe honores apud Ægyptios, propter cœcitatem, quod tenebras luce antiquiores iis arbitrentur.* [f] Præter principia hæc paſſiva, activum quoque, quod chaos movet, ordinat, diſponit, & quæ conjungenda ſunt coordinat, ſeparatis iis, quæ non cohærent, requiri ad formationem rerum omnium, quilibet, qui primas motus leges intelligit, facile comprehendit. Quale an theogoniarum ſcriptores admiſerint, & formandæ ex chao ſive materia prima rerum univerſitati principium activum infinitum, intelligens, id eſt Deum præfecerint, magna inter viros celeberrimos, noſtræ ætatis, qui opiniones veterum rimati ſunt, & hiſtoriam atheiſmi condiderunt, controverſia eſt. Quidam enim, venerando dogmati, de exiſtentia DEI faventes, non fuiſſe, contendunt, inter veteres ante condita rerum phyſicarum inter Græcos ſyſtemata, qui Deum, ſive mentem ſummam atque infinitam a formatione mundi excluderent, & ſcriptores theogoniarum putant, non tam Deum ſummum negaſſe, quam ſuppoſuiſſe & de eo, tanquam ente ineffabili, ſacrum ſilentium tenuiſſe, tradidiſſe vero, rerum ortum, ſemel a ſummo rerum omnium arbitro commota materia, ſecundum leges motus initium accepiſſe. [g] His quia opponitur, [h] Iovem patrem hominumque Deumque ex chao & nocte progenitum, immo totam Deorum generationem ex chao & nocte natam, in theogoniis aſſeri; regerunt, hoc, non de ſummo Deo, ſed vel de partibus mundi potioribus & elementis in Deos fabula mutatis, vel de Diis factitiis & mortalibus, licet immortales ſenſu certo vocentur, intelligendum eſſe. Alii vero [i] in contra-

Quid nox?

An Deum admittant?

e) Conf. MOSHEMIVS Diſſ. *de creatione ex nihilo §. 11. inſerta* CVDWORTHI *Syſt. int. p. 970.*

f) *Quæſt. conviv. l. IV. q. 5.* Non vero hæc ſola Ægyptiorum ſententia fuit, ſed vulgaris quoque complurium gentium traditio, noctem fuiſſe die priorem, vid. S. R. WOLFIVS *ad Origenis philoſoph. p. 180.* GROTIVS *de verit. relig. Chriſt. l. I.*

g) CVDWORTH. *Syſtem. intell. c. IV. §. 14. p. 276. ſeqq.* Cel. I. IAC. SYRBIVS diſſ. *de origine atheiſmi.* Nec alius ſenſus videtur eſſe verborum LACTANTII *l. I. c. 5.* Heſiodum notantis, quod in explananda rerum generatione non a conditore ſumſerit exordium, & incognitam veritatem horruerit.

h) BAYLE *Dict. T. II.* art. *Iupiter not. G.*

i) Conf. quos nominat Ven. REIMMANNVS *Hiſtor. atheiſmi. c. XVI. p. 115. ſeqq.*

trariam ſententiam concedentes, theogoniarum ſcriptores inter atheos & impietatis patronos referunt, nec alia rerum ortarum principia ab iis agnita contendunt, quam materiam, & certam quandam ejus vim genitricem, motumque neſcio quem, materiæ inſitum, qui homogenea conjunxerit, heterogenea ſeparaverit, ſicque vel fortuito materiæ motu, vel neceſſaria agitatione viſibilum rerum ortum effecerit, quem amoris & litis ſive amicitiæ & inimicitiæ nomine indigitari contendunt. Admodum vero difficile eſt, in quæſtione magni momenti arbitri partes ſumere, & de impietate vel vera vel ficta theogoniæ ſcriptorum ſententiam dicere, non ſolum propter theogoniarum obſcuritatem, fere inſuperabilem, & diſſentientes earum opiniones, quas uno modulo metiri, unique pedi adaptare & abſurdum & impoſſibile eſt: ſed & propter verba theogoniarum variam interpretationem admittentia. Sine præjudicio enim theogoniarum Græcarum, immo barbararum quoque, ſyſtemata evolventes, primo quidem intuitu videbunt, ſummum rerum omnium creatorem, Deum non exprimi; utrum vero negetur atque removeatur, & ex legibus motæ materiæ cuncta deriventur? an ſupponatur, & materiæ vim addidiſſe credatur, nihil certi ſtatui, & diverſas interpretationes admitti poſſe. Vnde varios quoque quæſtionem, de qua diſceptatur, ſenſus admittere poſſe nemo non videt, quos niſi ſedulo & accurate diſtinguamus, palpabimus magis in tenebris, quam lucem ſectabimur. Scilicet de eo accurate diſpiciendum eſt, num 1. vel Deum poſuerint ante chaos, eumque auctorem hujus fecerint, vel 2. Deum ſtatuerint ex chao ortum, hocque illo prius & antiquius; vel 3. an Deum & chaos ſimul admittentes duo incruſtaverint principia coæqualia, & independentia, Deum & materiam? 4. vel an Deum fecerint animam materiam & chaos informantem, 5 vel an Deus ex ſe chaos tanquam ex gremio effuderit, & vel ab æterno vel in tempore chaos ex Deo emanaverit, neceſſario fato vel libero voluntatis actu? 6. Expendendum porro eſt, utrum formationi mundi ex materia illa prima rudique & indigeſta mole interceſſerit, ex theogoniarum ſententia, mens divina, an remota ea legibus motus, homogeneorum & heterogeneorum, litique atque amicitiæ totum opus adſcripſerint? vel, ſi hoc quoque factum, an Deus ideo ab iis negatus fuerit nec ne? & annon abſtractione ſola, phyſica mundi formatio ſecundum leges motus a conditore materiæ ſemel impreſſas iſtis coſmogoniis explicata ſit? Ad hæc enim momenta attendendum eo magis eſt, in judicanda theogoniarum doctrina de Deo, quo magis ex ſingulis diverſiſſima unius ejusdemque theſis ſequuntur dogmata. Vt vero iſtis circumſtantiis prolixe theogonias jam adplicemus, inſtituti noſtri ratio non permittit, ſed ad peculiarem atheiſmi hiſtoriam referendum eſt. Vt tamen paucis, quid nobis videatur veriſimillimum, explicemus, & quid ſequendum putemus, modeſte indicemus, ſequentia non abs re erit annotaſſe. I. Adeo Deum materiæ ſive chao non prætuliſſe, & ante illud poſuiſſe

Explicatio quæſtionis.

ſuiſſe theogoniarum auctores, ut plane de eo ſileant, & chaos tanquam æternam rerum omnium materiam conſiderent. Cujus quidem contrariam opinionem tuentur Iudæus ἑλληνίζων PHILO, [k] & qui eandem tibiam inflat, auctor Clementinorum, [l] SIMPLICIVS [m] item, & noſtra ætate PETRVS PETITVS, [n] atque illuſtris GVNDLINGIVS; [o] contendentes veteres theologos Deum chao præfeciſſe auctorem atque conditorem, nihil tamen horum perſuadebunt cauto lectori, hypotheſin virorum laudatorum intrudi veterum placitis, & contorta ingenii acie accommodari obſervanti. Quæ enim pro ea ſententia afferunt, ſi admitti debent, emanationem magis vel Stoicam informationem mundi ex Deo & in Deo, quam productionem liberam innuunt, id quod de Heſiodo ipſe conceſſit GVNDLINGIVS. II. Neque tamen in contrarium ruendum atque ſtatuendum eſt, veteres Græciæ theologos & phyſiologos Deum ſummum ex ipſo chao derivaviſſe. Non negamus, Heſiodum aliosque theogoniarum ſcriptores Deos ex chao formaviſſe, eandemque cum hominibus originem iis adſcripſiſſe, nec pollicem premendum putamus CVDWORTHO [p] qui Iovem apud Heſiodum ex horum numero eximendum putat, eo quod omnium rerum & immortalium dominus vocatur; ſatis enim diſerte innuitur, Rheam compreſſam a Saturno, Iovem Deorum patrem hominumque peperiſſe. Verum ad ſummum iſta Deum referri non debent, nec is Iovis nomine inſignitur, ſed inferiores illi Dii vel partes mundi ſunt divina anima informatæ, & inhabitatæ, vel magni viri & heroës quos αὐτοχθόνας crediderunt, & animam divinam in iis habitaſſe cenſuerunt veteres Achivi: qualem fuiſſe quoque Iovem illum, quem Heſiodus deſcribit, dubium non eſt, magnum ſcilicet lateque dominantem regem, quod quia eleganter demonſtravit [q] cel. MOSHEMIVS, ad acutiſſimum hunc virum lectorem brevitatis cauſa ablegamus. Ex quibus judicandum eſt, quid ſubtiliſſimi judicii viro PETRO BAYLE [r] reſpondendum ſit, theogoniarum ſcriptores exagitanti, quod Diis ortum ex chao & oceano tribuerint, id quod etiam cl. CLERICVM induxit, ut theogoniarum ſcriptores materialiſtis, ſit venia verbo, accenſeat, non procul diſcedente ven. WOLFIO. A cujus tamen ſententia [s] III. diſcedendum quoque eſſe putamus, conjicientis, latere in theogoniis, maxime Orphei & Heſiodi, veſtigia duplicis principii. Ex chao quidem mali originem, bella, lites, morbos, & his ſimilia derivare Heſiodum, ex adducto theogoniæ ejus ſpecimine negari nequit: non tamen inde inferri poteſt, independens & abſolutum principium, Deo contra diſtinctum theogonias ponere, materiam enim ex Deo originem accepiſſe, & tamen malo originem dediſſe philoſophis quibusdam non abſurdum viſum fuit: qua in re exemplo eſſe poſſunt Platonici juniores, qui non ob-

ſtante

k) De mundo incorruptibili p. 941.
l) Homil. VI. §. 3. T. I. PP. Apoſt. p. 671.
m) In Phyſic. Ariſt. l. IV.
n) Obſervat. miſcellan. c. XII. p. 52.
o) Gundlingian. P. XXXII. Obſ. 5. p. 193.
p) Il. cc.
q) Ad CVDWORTHI Syſt. int. c. IV. §. 19. p. 430. n. 19.
r) l. c.
s) De Manichæiſmo ante Manichæos §. XXVII. p. 108.

ſtante materiæ imperfectione, materialitatem ex DEI gremio derivaverunt, itemque Cabbaliſtæ, quibus mali dæmones, ſpiritusque materiales, cortices Dei, ex quo eos effluxiſſe putant, vocantur. IV. Nec eorum quoque ſententiam veriſimilitudinem gignere putamus, qui amorem, quem chaos formaſſe veteres theologi dicunt, Deum ſummum, ſive mentem divinam indicare contendunt. Multum ingenii & eruditionis in ornanda hac opinione adhibuit doctiſſimus CVDWORTHVS,[t] ita tamen, ut attento lectori eam non facile commendet. Quod ſi enim recordamur, poëtas fuiſſe, qui iſtas theogonias ſcripſerunt, eosque, (quod ſupra jam monuimus) rerum naturalium principia, ex quibus omnia orta ſunt, in Deos transmutaſſe, cadent omnia, quæ vir eruditus affert, argumenta, quibus ſapientiam, conſilium, rationem, vim divinam aliaque divinitatis attributa amori huic tributa eſſe monens, ex iis evinci poſſe putat, ad mentem divinam eum eſſe referendum. Accedit, quod unum ad evertendam hanc opinionem ſufficere putamus, amorem non magis, quam reliqua rerum naturalium principia, Orpheum, vel quisquis eſt theogoniæ Orphicæ conditor, Heſiodum, Ariſtophanem aliosque theogoniarum auctores, ex chao derivare, licet generationem horum principiorum alii aliter ordinent. Ex quibus omnibus non invita veritate neceſſario inferendum eſt, amorem illum inter principia naturalia relatum nihil aliud eſſe, quam motum illum materiæ impreſſum, quo partes homogeneæ inter ſe jungebantur, expulſis atque ſeparatis iis, quæ aliam naturam erant conſecuta, id quod litem quoque atque amicitiam veterum philoſophorum ſignificare, ſuo loco probabimus. Et hunc motum ad generationem rerum ſumme neceſſarium ideo exornabant tantis ſapientiæ, conſilii, rationis elogiis, ut cuncta ſua lege atque harmonia in gignendis & formandis rebus conſtitiſſe, indicarent. Pone vero, amorem principium aliquod intelligens ipſis eſſe, & vim iſtam genitricem non ſine ratione fuiſſe, aſſeruiſſe; unde probabimus, quod per eam vim ſubſtantiam quandam rationalem ſummam & a qua reliqua omnia dependeant, indicaverint? Vnde & hanc opinionem relinquendam eſſe, recte toties nobis laudatus MOSHEMIVS [u] monuit. V. Vbi vero propius de mente theogoniarum circa doctrinam de Deo nobis ſententia noſtra enarranda eſt, id præ reliquis monemus, non eſſe vero multum diſſimile, non omnium eorum, qui theogonias ſcripſerunt, ſententiam fuiſſe eandem, & facile potuiſſe evenire, ut quidam rerum omnium ortum, vi alicui genitrici materiæ inhærenti, & ab ipſa materia eſſentia non diverſæ, ſive ſpiritui alicui bruto, & chaotico adſcripſerint, nec alium Deum admiſerint. Qualem ſententiam hodienum arridere Iapanenſium philoſophis narrat ENGELBERTVS KAEMPFERVS. [x] Neque tamen ad multos, vel potiorem partem eorum, qui coſmogoniam delinearunt, hoc trahendum exiſtimamus, ſed juxta monitum ſupra inculcatum phyſiologia gentium, inter quas theogoniæ receptæ

t) *l. c. p. 281. ſeqq.*
u) *l. c. p. 283.*
x) *Hiſt. Iapan. l. III. c.* 1. cujus verba excerpſit MOSHEMIVS *l. c. p. 116. n. 3.*

ptæ fuerunt, in conſilium vocanda eſt, eaque repetenda, quæ de Aegyptiorum, Phœnicum & Græcorum quoque ſyſtemate phyſiologico ſupra copioſe diſputavimus. Ibi vero, niſi fallimur, luculenter demonſtravimus, ſyſtema emanativum, quod, ex Deo materiam ſive chaos ab æterno emanaſſe, certoque tum tempore a vi illa divina, Ioveque ipſo, qui in eo fuit, in mundi ornatum formatum fuiſſe ſtatuit, his gentibus arriſiſſe. Cum vero ex Aegypto & Phœnicia theogoniæ ad Græcos delatæ ſint, & Orphica theogonia, eundem habitum præ ſe ferat, rationem non videmus, cur non reliquis theogoniarum ſcriptoribus eadem ſententia placuerit? Admiſſo vero hoc principio, totum theogoniarum ſyſtema apte cohæret, & ratio dari poteſt præcipuorum, quæ in illis theogoniis latent, dogmatum, ita ut obſcura omnia lucem ſortiantur, modo ad eas obſervationes attendamus, quas modo inculcavimus.

§. XXVIII. Quod ſi itaque, eodem fere modo, quo apud Orpheum, veterum theogoniarum mentem explicamus, I. Chaos ſtatuendum eſt vel ab æterno cum Deo & in Deo fuiſſe, vel Deo tanquam pars ejus, adjeciſſe, ſicque præter iſtud chaos Deo quaſi gravidum, fuiſſe nihil. II. Antequam vis illa divina, vel Deus potius ipſe ſe expanderet, materiamque ex ſe emanantem, ſibique proximam novo motu propelleret, cuncta in eo latuiſſe, æternamque rerum omnium noctem chaos preſſiſſe. III. Vbi vero nova agitatione chaos a Deo commotum fuit, impreſſum fuiſſe amorem, ſive motum rerum omnium, & rationum ſeminalium in chao comprehenſarum, quo res homogeneæ inter ſe conjunctionem appeterent diſſociarent ſe, quæ hactenus confuſæ latuerant partes heterogeneæ. IV. Hunc motum a Deo materiæ ex ſinu Dei perpetuo prodeunti impreſſum ideo neceſſario rationalem, atque ſapientia & conſilio fuiſſe plenum. V. Ita agitatis & commotis infiniti chaus particulis leviores aſcendiſſe, deſediſſe in infimum fundum, tartaraque graviores. VI. Diſpulſa ita nocte, quæ æterna caligine chaos preſſerat, ex partibus levioribus emicuiſſe ætherem, lucemque, & VII. ex his demum genitum fuiſſe cœlum: VIII. Ex particulis vero gravioribus mediante motu vique genitrice impreſſa prodiiſſe tellurem, quique in terra conſpiciuntur montes. IX. Terram vero junctam cœlo, genuiſſe pelagus, tum exhalationibus ſurſum elatis & imbribus inde demiſſis, tum defluente, quæ terram tegebat aqua, quæ in cavitates & convallia montium congregata fuit. Quoniam vero X. hæ partes mundi ex Deo effluxerunt, ideo in ſe comprehenſam aluerunt vim illam divinam, quæ originis teſtis eſſet atque ſpecimen. Hinc XI. enata ex cœli terræque connubio, & ætheris cœleſtis cum terra conjunctione animalia rationalia, hominesque. XII. Horum primos atque maximos ex his cœli terræque filiis magnam inſidentis numinis vim poſſediſſe, ejusque divino inſtinctu ad magna facinora ſe accinxiſſe, beneficiis reliquos homines affeciſſe plurimis, & ſpecimina divinæ originis edidiſſe egregia. XIII. Eos itaque non tantum inter ſuos magnum nomen & auctoritatem adeptos regna

Syſtema phyſiologicum Theogoniarum.

diverſa erexiſſe, ſed tandem quoque depoſitis mortalitatis exuviis ad ſedes deitatis, unde effluxerunt, quoad partem iſtam, quæ inſedit, divinam & rationalem, fuiſſe evectos, & immortalitate donatos. XIV. Hosque eſſe Deos illos, quos populus reveretur. XV. Inita ita ſocietate & excitatis imperiis, affectuum ſimul cum hominibus ex terra natis prodeuntium tumultu exortum fuiſſe malum, bella, lites, contentiones, & quæcunque vetuſtiſſima hiſtoria nobis enarrat. Nihil, quantum conjectura nobis aſſequi licet, in hac tota theogoniarum explicatione eſt, quod non admiſſis ſemel principiis, ſi non ſatis apte, (id enim a conditorum theogoniarum ingeniis ruditati nondum penitus ereptis poſtulandum non eſt,) veriſimiliter tamen cohæreat: niſi hoc unum veteris phyſiologiæ non ſatis gnaros offendat, Deos ex terra & aqua, cœli vi fœcundante fuiſſe ortos, heroasque ita, ut fungos natos fuiſſe. Abſurditas quidem opinionis negari nequit, ita vero ſtatuiſſe veteres, etiam Græcos, dubio caret. Non enim DIODORVS SICVLVS modo refert, [y] ex mente Græcorum, qui id ab Ægyptiis didicerunt, terram calore ſolis ita intumuiſſe, in extremitate, ut fœtus conciperet varios, quorum pelliculis diſruptis animantia prodiiſſe: ſed & variarum gentium jactantia αὐτοχθόνας ſe & ex ſuæ terræ gremio prognatos oſtentans ſatis confirmat, credidiſſe vetuſtiſſimas gentes, homines primum ex terra natos fuiſſe. Vnde & Græcis γηγενὴς ἄνθρωπος, & Latinis terræ filius dictus eſt, obſcuro genere natus, quique originem ad nativitatem e terra referre debet. [z] Gigantes vero ex terra prognatos fabula ſatis indicat. Non vero obſcuri tantum homines terræ filii dicti ſunt, ſed magni quoque viri, ſubito & cum virtute apparentes cœli filii vocati, & e cœlo delapſi; eo quod vim divinam in hos homines ex cœlo demiſſam crederent. Et ſic Tagen apud Etruſcos auguriorum conditorem ex terra ſubito prodiiſſe ſupra docuimus. [a] Alia in re nota non cumulamus. Patet itaque ex hactenus dictis ratio, quomodo heroum vetuſtiſſimorum res inter theogonias receptæ fuerint, & qua via principia phyſica naſcentis mundi cum religione populari veteres theologi in concordiam redegerint. Quæ cum fictionibus ſuis ornarent poëtæ, & ſuperſtitio in Deos verteret, quos theologorum, philoſophorum & poëtarum ingenia effinxerant, tota ita theogoniarum ſcena inſtructa eſt, quæ niſi toti fallimur, ita, quantum in re obſcuriſſima lucis expectari poteſt, accipit. Cætera quæ Heſiodus aliique poëtæ habent, veteres hiſtorias ſine dubio attingunt, quæ alibi enarrantur. Noſter hac ex parte eſt πολυμαθέστατος MOSHEMIVS, [b] qui cum ad hunc modum theogoniam Heſiodeam in luce poſuerit, adeundus ab iis eſt, qui magis ſpecialia cupiunt: nobis enim non licet eſſe tam prolixis.

§. XXIX.

y) Lib. I. c. 10. p. 18.

z) Conf. ERASMVS *Adag. chil. VIII. p. m. 288. Prov. terræ filius.*

a) Germanos quoque ita Deos ſuos id eſt heroas ex terra accerſiviſſe, ſupra dictum eſt.

b) Ad CVDWORTHI *Syſt. intell. p. 281. ſeqq.* & alibi paſſim.

§. XXIX. Nondum abſolvimus poëtas Græcorum omnes, qui inter theologos & philoſophos hujus ætatis referri ſolent, ſed dicendum adhuc eſt de EPIMENIDE atque Homero magna nominis fama inter Græcos celebribus. Is Cretenſis fuit genere, [c] quamvis promiſſa coma, vultum a patrio more alienum mutaret; patriam alii Cnoſſum, [d] STRABO [e] Phæſtum faciunt. De parente æque incerta traditio eſt, aliis patrem Phæſtium, aliis Doſiadem, aliis Ageſarcum, aliis Bolum, matrem vero Blaſtam vel Baltam vocantibus. [f] Mira de ejus juventute referunt veteres. [g] Ovem rure domum afferre juſſum, inveſtigando defatigatum ex itinere in ſpeluncam quietis cauſa divertiſſe, & obrepente gravi ſomno, LVII. annos, (alii [h] L. vel XL. [i] ponunt) obdormiviſſe, quo temporis ſpatio plerique cognatorum morte deceſſerint. Dehinc expergefactum ad quærendam ovem denuo profectum, cum eam non inveniret, reverſum eſſe in agrum, & mutatam rerum faciem attonitum mirantem in oppidum domum parentis rediiſſe, ibique vix a fratre natu minore jamque vetulo agnitum fuiſſe atque admiſſum. Neque hoc unum mirabile de eo narrantur, ſed & alia plurima, tanquam de viro Diis proximo & familiari, & ſupra conditionem hominum poſito: [k] nihil plane comediſſe,[l] vel, quod alii tradunt, a nymphis cibum accipere ſolitum intra bovis ungulam conditum ſervaviſſe, paulumque inde ſumſiſſe: [m] exiiſſe animam e corpore quoties vellet, & rediiſſe, ſimulaſſe ideo eum, quaſi ſæpius revixerit. [n] Imprimis vero vaticiniis, non de præteritis tantum, ſed & de futuris fuiſſe clariſſimum, veteres narrant, & varia vaticiniorum exempla referunt. [o] Addunt purgaſſe totas regiones & urbes, expiatis ſceleribus, ſicque Athenienſes eum magno cum honore Creta advocantes, peſte liberaviſſe, [p] qua occaſione aras ignotis Diis poſitas apud Athenienſes originem cepiſſe, tradit LAERTIVS. [q] Inde vero καθαρτὴς id eſt, purgator, dictus eſt. [r] Ideo magni ei honores ab Athenienſibus delati ſunt, variaque dona exhibita, decretum talentum & navis, qua in patriam reveheretur: ille vero pecuniam non accepit, [s] & paulo poſt reditum e vivis exceſſit, vitæ annis ad CLVII, vel ut alii CL,[t] Cretenſes vero mendaces ſi ſequamur CCXCIX, productis. Corpus ejus Lacedæmone ſepultum volunt; Spartanos enim bello contra Cnoſſios vivum Epimenidem cepiſſe, & occidiſſe quoque captum, quod minime læta

Epimenides.

c) LAERT. *l. I. ſ. 109.* & MENAG. *ad h. l.* quosque laudat, & veteres fere omnes, interque eos D. PAVLVS *ad Tit. I, 12.*

d) LAERT. *l. c.* VAL. MAX. *l. VIII. c. 13.* SVIDAS in *Epimenides T. I. p. 821.* PLINIVS *l. VII. c. 52.* PAVSANIAS in *Atticis p. 35.*

e) *Lib. X. p. 479.*

f) Vid. LAERT. *l. c.* STANLEIVS *Hiſt. phil. pag. 91.* IO. MEVRSIVS in *Creta c. IX. p. 236. ſeqq.*

g) *Citati* PLVTARCHVS *an ſeni ger. reſp.* conf. MENAG. *ad l. c. Laërt.*

h) VARRO *de L. L. l. VI. p. 65.* ed. Steph. TERTVLLIANVS *de anima c. 44.*

i) PAVSANIAS *l. c.*

k) PLATO *de legib. l. II. p. 642.* LAERT. *l. c.* PLVTARCH. in *Solone.* l) *Ibid.*

m) *Ibid.* PLVT. in *Convivio ſept. Sap.* inde & naturam nihil reddidiſſe LAERTIVS auctor eſt.

n) SVIDAS *l. c.* idem de Ariſtea Proconneſio narratur. o) LAERTIVS, PLVTARCHVS *ll. cc.* APVLEIVS *florid. l. I.*

p) LAERTIVS *l. c. ſ. 110.* STRABO *l. X. p. 479.* PLVTARCH. *l. c.*

q) Conf. MENAG. *ad l. c. Laërt.*

r) IAMBLICH. *vit. Pythag. n. 136. p. 114.* PORPHYR. *vit. Pyth. n. 29. p. 35.*

s) LAERT. *l. c. ſ. 111.* PLVT. *l. c.*

t) Ita varias veterum ſententias de annis Epimenidis recenſet LAERTIVS *l. c.*

prædiceret, refert PAVSANIAS, [u] adjiciuntque alii, * poſt mortem pellem literatam, compunctamve literis inventam eſſe, ideoque ſepoſitam a Lacedæmoniis, unde proverbio locus: *Epimenidea pellis.* [y] Multum in hac Epimenidis hiſtoria mendaciſſimis Cretenſibus deberi, forte non pauciora aſtuto & fraudi aptiſſimo Epimenidis ingenio, & ipſæ circumſtantiæ loquuntur, & ex veteribus viri critico acumine uſi perſpexerunt, quemadmodum totam ejus hiſtoriam incertam eſſe, ex diſſentientibus veterum teſtimoniis colligitur. Cretenſes enim mendaciorum plauſtra credulis ingeſſiſſe, & portenta finxiſſe, in vulgus notum eſt, [z] & veteres fere omnes objiciunt: unde quid de eorum fabellis cenſendum ſit, facile judicari poteſt. Neque tamen Epimenides ab iſto populi ſui vitio immunis fuiſſe recte judicatur, vitæ genere, quod ſequebatur, iſtas impoſturas poſtulante. Fuit enim ex illo hominum numero, qui luſtrationibus, incantationibus, carminibus ſacris, divinique cultus peculiari inſtituto famam atque honores ſibi quærebant, [a] quod ſine iſtis artibus, quæ vulgo commercium & familiaritatem cum Diis illis intercedere, perſuadebant, & majora hominibus reliquis eos poſſe indicabant, fieri non potuit. Hinc ſomnus plane inſolitus & ſupra omnem fidem excogitatus, nec a vero abludit, quod quosdam jam ſuboluiſſe narrat LAERTIVS, abſcondiſſe ſe Epimenidem, & in ſolitudine vixiſſe, radicibus vitam ſuſtentantem. Ejusmodi enim impoſturas non infrequentes fuiſſe apud veteres, ut inde ſibi auctoritatem conciliarent, Zamolxis exemplum ſupra indicatum probat, & ex iis patet, quæ de Pythagora ſuo loco narrabuntur. Vixiſſe Epimenidem maxime ſobrie, non ab omni veriſimilitudinis ſpecie abludit, ſolebant enim, qui cum Diis familiaritatem jactabant, jejuniis ſe ad ſpeciem pietati conciliandam præparare; fortaſſe etiam ad ecſtaſes & enthuſiaſmum promovendum jejuniis ſe præparavit: vix enim aliud, (niſi fabula ſit tota relatio) ſignificat, quod tradunt animam ex ejus corpore exiiſſe; idque non obſcure PLVTARCHVS [c] prodit, qui de eo: ἐδόκει δέ τις εἶναι θεοφιλὴς καὶ σοφὸς περὶ τὰ θεῖα, καὶ ἐνθουσιαστικὴν καὶ τελεστικὴν σοφίαν, *Habebatur vir religioſus, ac rerum divinarum peritus, item ſcientia fanatica ac myſtica;* nec negat CICERO [d] *vaticinatum eum eſſe per furorem;* unde, quale illud jejunium fuerit, facile conjici poteſt; & probabile eſt, ad excitandum furorem divinum fuiſſe adhibitum: aſphodelo vero & malva edulii genus confeciſſe, & id ori adhibentem totam diem exegiſſe, idem PLVTARCHVS [e] tradit,

u) In *Corinthiacis.*

(*x*) *Citati.* HESYCHIVS MILESIVS, & SVIDAS in *Epimenides l. c.*

y) Oraculi enim monitu ſepoſita fuit, unde Epimenidea pellis, de rebus ſepoſitis & latentibus conf. MEVRSIVS in *Creta l. III. c. 11. p. 238.* ERASMVS *Chiliad. IV. Cent. II. p. m. 892.*

z) Hinc proverbium: Cretiſſa cum Cretenſi; unde PSELLVS *de oper. dæm.* eis τὸ τερατεύεσθαι objicit. conf. MEVRSIVS *l. c. p. 233.* notum illud, quod ad Epimenidem quoque refertur: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται. *Tit. I, 12.*

a) Conferenda quæ ſupra de Abari diximus, & LAERT. *l. c. ſ. 112.*

b) *l. c.* qui non tot annos, ſed tempus aliquod eum abfuiſſe ait. SVIDAS verba Laërtii pervertit.

c) *l. c.*

d) *De divinat. l. I.* Hinc Curetem novum vocatum fuiſſe refert. PLVT. *l. c.* De Curetibus vero vid. MEVRS. *l. c. p. 12. 13.*

e) PLVTARCHVS in *conviv. ſept. ſap.* qui monet Solonem obſervaſſe, didiciſſe aſphodeli & malvæ uſum ab HESIODO, vid. *Op. v. 40.* & PROCLVS *ad h. l.* apud MEVRS. *l. c. p. 238. 239.*

dit, quam vivendi rationem in montana ſolitudine degens didiciſſe videtur. Nec vaticinandi rationem magnopere in eo mirandam fuiſſe, ſi a mentis ſagacitate diſcedas, vidit ARISTOTELES, qui *non futura eum, ſed præterita tantum, quæ obſcura eſſent, patefeciſſe* affirmat. [f] Purgationes vero Epimenidis inter ſuperſtitiones Græciæ, quibus vulgus decipi ſuevit, referendas eſſe, nemo dubitaverit, qui legerit, procurationibus, expiationibus ac ſignis dedicandis urbes luſtrare conſueviſſe vel ovibus candidis & nigris loco fortuito cum irent, quo vellent, mactatis peſtem compeſcuiſſe; [g] quamquam alii [h] Cylonio ſcelere, ſublatis facinoris auctoribus, luſtraſſe Athenas referant. Certe cum Solon, vir prudentiſſimus & acerrimi judicii, etſi cum Epimenide familiaritatem contraxerit, & ab eo legum condendarum rationem edoctus fuiſſe feratur, [i] hanc urbis luſtrationem reprehendiſſe dicatur, [k] juſtam movet ſuſpicionem, non feciſſe iſta ſuperſtitione viris prudentibus, nec tam facile decipiendis ſatis. Præſtigiatoribus itaque adſcribendus magis eſſe videtur Epimenides, quam philoſophis, qui non ratiocinationis virtute, ſed fanatica ingenii aſtutia nomen ſibi maximum comparavit, ita, ut a quibusdam inter ſeptem ſapientes Græciæ referretur: [l] unde inter prophetas magis, quam philoſophos, præeunte D. PAVLO [m] numerandus eſt. [n] Scripſit tamen Curetum & Corybantum generationem atque theogoniam, [o] unde colligi poteſt, phyſiologiæ veteris, in quo argumento theogonias occupatas fuiſſe, ſupra meminimus, non fuiſſe ignarum. Illud ſane fruſtra ad tuendam philoſophiæ Epimenideæ famam aſſertur, fuiſſe Pythagoræ vel præceptorem, vel diſcipulum; [p] neutrum enim, præcipue poſterius temporibus quibus vixit atque floruit Epimenides ſatis congruit. [q] Viri tamen docti perſonam ſuſtinuiſſe, & eam quidem, quæ tum a theologis maxime excolebatur, eruditionem tenuiſſe ſcripta ejus, quæ ei apud veteres tribuuntur, teſtimonium perhibent; carmine epico enim ea conſignavit, & *myſteria* atque *luſtrationes* [r] & alia *ænigmatica*,

f) *Rhetor. l. III. c. 17.* Nec, quæ afferuntur futurorum vaticinia, præter aliquam conjiciendi ſagacitatem aliquid peculiare habent, & ingeniis hominum in hiſtoria ſequentium temporum complementum quærentium debentur.

g) LAERT. *l. c.*

h) *Ib.* conf. ALDOBRANDINVS *ad h. l.* & quos laudat.

i) PLVTARCHVS in *Solone.*

k) SVIDAS *l. c.*

l) *Citati.* Alios ex recentioribus laudat FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 36.*

m) *Tit. I, 12.* conf. GROT. *ad h. l.* & Interpretes alii, quos fuſe nominat cel. WOLFIVS *Cur. exeg. ad h. l. T. III. p. 555.*

n) Medicum quidam faciunt, conf. cl. SCHVLZE *Hiſt. med. Per. I. ſect. 2. c. 7. §. 17. p. 167.* ſed perperam, luſtrationibus enim & incantationibus herbisque ſacris medelam adhibuit, unde eum ex medicorum albo recte ejicit CLERICVS *Hiſt. med. P. I. l. II. c. 4. p. 90.* hinc ſcilla Epimenidea, qua uſus in luſtrationibus apud THEOPHRASTVM *hiſt. plant. l. VII. c. 11.*

o) LAERT. *l. c.*

p) Prius placuit APVLEIO *florid. l. II. p. 358.* alterum IAMBLICHO *vit. Pyth. l. c.* & PORPHYRIO *vit. Pythag. n. 29. p. 35.*

q) Aetas Epimenidis ex luſtratis Athenis colligi poteſt, quod eveniſſe *Olymp. XLIV.* SVIDAS *XLV.* conf. MEVRSIVS in *Solone c. 9.* EVSEBIVS *XLVI.* vel *XLVII.* quidam Laërtii Codices tradunt: Poſtea enim ad ſuos redux non diu ſuperfuit vivus, teſte LAERTIO *l. c. ſ. 111.* Pythagoram vero ante *Olymp. XLIII.* vel potius *XLVIII.* natum non fuiſſe, ſuo loco demonſtrabitur; quo uno argumento Platonicorum jactantia, Pythagoræ omnes viros celebres vindicantium, confunditur, unde mirandum cel. FABRICIVM *l. c.* eis fidem habuiſſe.

r) Eas in pluribus urbibus adhibuiſſe teſtis eſt PAVSANIAS in *Atticis p. 35.* conf. IO. LOMEIERVS *de luſtrationibus veterum.*

& *theogoniam*, *Argus fabricam* & *Iaſonis in Colchos expeditionem*, [s] quæ argumenta ex arcana veterum Græcorum theologorum diſciplina ab eo explicata fuiſſe, omnino veriſimile eſt. Ait etiam LAERTIVS, ſcripſiſſe proſa *de ſacrificiis*, *de republica Cretenſium*, *& Minoë & Rhadamanto*, unde conjiciendum eſt, a civili atque legislatoria prudentia non fuiſſe imparatum. Poſt mortem divinis honoribus & ſacrificiis a Cretenſibus cultus eſt, [t] quod in Cretenſibus, ſuperſtitione alias gentes ſuperantibus [u] mirandum non eſt.

Homerus. §. XXX. Tandem & HOMERVS in cenſum vocandus eſt, qui licet non inter theologos vel philoſophos numerandus ſit, ſed carmine potius epico immortalem famam acquiſiverit, tanta tamen olim eruditionis gloria enituit, ut omnis ſapientiæ auctor haberetur, omnesque philoſophorum ſectæ ad eum provocarent, & in partes eum traherent. Ne itaque tantum, quantum jactabatur olim, ſapientiæ horreum ſicco præteriiſſe nos pede inſalutatum objici nobis queat, de philoſophia quoque Homeri diſpiciendum eſt. Et vitam quidem poëtæ prolixe deſcribere nec inſtituti noſtri eſt, nec labor adeo facilis. Ipſe enim nihil, quod ad ſe pertineret, carminibus ſuis intertexuit; [v] nec, quæ hodie extant, vitæ Homeri deſcriptiones, quarum una ad HERODOTVM altera ad PLVTARCHVM, tanquam auctorem, refertur, *νοθείας* ſuſpicionem effugere potuerunt. [w] Tantum quoque ea, quæ de Homero referunt veteres, quæque poſt plurimos alios, qui celeberrimi nominis poëtam intactum non prætermiſerunt, eleganti doctrina uſi collegere illuſtris GISBERTVS CVPERVS [x] & diligentiſſimus LVDOLPHVS KVSTERVS, [y] inter ſe diſſentiunt, ut, quid certi de eo ſtatui debeat, vix inveniatur. Temporis enim, quo vixit epocha incerta & vehementer diſputata eſt viris doctis, nec veteres certi quid ea de re afferunt: [z] probabile tamen, annis circiter nongentis ante reſtitutam per Chriſtum orbis ſalutem floruiſſe, certe omnibus, qui hodie extant poëtis antiquiorem eſſe, in dubium vocari nequit. Eadem incertitudine de patria Homeri inter veteres diſputatum eſt, non enim inter Græcos tantum variæ urbes & regiones Homerum ſibi vindicarunt, quos VARRO apud GELLIVM hoc verſiculo comprehendit:

Smyrna, *Rhodus*, *Colophon*, *Salamin*, *Ius (Chius) Argus*, *Athenæ.*

inter quas Chius & Smyrna quam maxime de ea re decertarunt, unde & poëta Meleſigenes dictus eſt: ſed & exteri hanc ſibi gloriam vindicarunt, nec,

s) Multa de his Epimenidis ſcriptis egregia attulit FABRICIVS *l. c.* qui videndus.

t) LAERT. *l. c.*

u) Vid. MEVRSIVS in *Creta l. IV. c. 2. p. 197.*

v) Conf. quæ notat FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 253. ſeqq.* qui multa ad hiſtoriam Homeri literariam pertinentia affert, & eos quoque nominat, qui celebratiſſimi poëtæ vitam deſcripſerunt.

w) *Ibid.* DIONYSIO HALICARNASSEO alteram vindicat TH. GALEVS *præf. opuſc. mythol.*

x) In eruditiſſimo comm. quo *conſecrationem Homeri lapidi inſculptam* illuſtravit *Amſt. 1683. 8.*

y) In *Hiſtoria critica Homeri Franc. ad Viadr. 1696. 8.*

z) Vid. TATIANVS *or. ad Græc. §. 49.* CLEM. ALEX. *Strom. l. I. §. 327.* GELLIVS *l. III. c. 11. l. XVII. c. 21.* SVIDAS voce *Homerus T. II. p. 692.* aliique laudati KVSTERO & FABRICIO *ll. cc.* Ex recentioribus præ aliis videndi VOSSIVS *de poët. Græc. c. II. p. 8.* PETAVIVS *Doctr. temp. l. IX. c. 32.* MARSHAM. *Can. chron. p. 437.* DODWELLVS *de Cyclis Græc. diſſ. III.*

nec, ſi verum fatendum, certi quid de patria Homeri ſtatui poteſt. [a] Parentes incertos eſſe, vel ipſa poëtæ antiquitas, quæ ſubobſcuram dubiamque totam ejus hiſtoriam reddidit, ſatis innuit: [b] Mæonium ſenem qui vocant, patrem Mæonem fuiſſe contendunt. [c] Homeri vero nomen a cœcitate datum fuiſſe, vetus traditio eſt, [d] etſi alii aliam nominis originem quærant, cœcitatemque ejus negent. [e] Vitam ejus vagam & in decantandis inter Græciæ celebritates & convivia carminibus occupatam, [f] quam tandem apud Ium morbo finiit, enarrare loci & inſtituti noſtri non eſt; ea enim ad poëtarum hiſtoriam pertinet. [ff]

§. XXXI. Effecit vero ingens, quam per omne fere tempus conſecutus eſt, Homerus, admiratio, ut invidiæ temporum carmina ejus eriperentur, & ad nos integra transmitterentur, quod paucis ex Homeri ævo, & ante eum nulli datum fuit. Leguntur enim hodie ejus *batrachomyomachia*, ſive pugna ranarum & murium, licet olim jam de auctore lepidiſſimi carminis dubitatum ſit. [g] *Hymni triginta & duo*, in honorem Deorum, *epigrammata & poëmata varia ſedecim*, quorum tamen utraque, an genuina ſint, & Homero tribuenda, olim jam in dubium vocatum eſt: [h] *Ilias* etiam ſive poëma celeberrimum de bello Græcorum ad Trojam & rebus geſtis heroum Græcorum, Hectoris, Ajacis, Achillis aliorumque, denique *Odyſſea*, ſive poëma de erroribus & peregrinationibus Vlyſſis ex bello Trojano Ithacam repetentis. In his poëmatibus ordinandis, emendandis, diſtinguendis plurima fuit veterum diligentia, qua de re, cum ab argumento noſtro longius abeat, dicere, ſupervacaneum exiſtimamus, conſulenda vero commendamus, quæ plenis cyathis attulerunt CVPERVS, [i] KVSTERVS, [k] FABRICIVS, [l] qui hiſtoriam ſcriptorum Homeri literariam eleganter & diligentiſſime enarrarunt. Vnum notaſſe non abs re erit: fuiſſe inter Græcos, qui veterum poëtarum, præcipue vero Homeri, carmina vel in conviviis, vel theatris, cantabant, qui quoniam variis modis carmina Homeri conſarcinarent, rhapſodi atque Homeriſtæ dicti ſunt, virgamque lauream manu tenuerunt. [ll] Hi poſtea carminibus iſtis

Ejus gloria & admiratio.

a) Integro *de patria Homeri* libro egit LEO ALLATIVS, patriæ ſuæ Chio inſulæ eum vindicaturus: conf. GELLIVS *l. c.* SENECA *ep. 88.* KVSTERVS *l. c. p. 2.* qua ratione numis in Homeri honorem cuſis civitates certarint, exponit CVPERVS *l. c. p. 7.*

b) Meles fluvius Smyrnam præterfluens pater ejus dictus, quia natalem locum dediſſe putabatur. vid. SVIDAS, *l. c.* CVPER. *l. c.* FABRICIVS *l. c. p. 258.* & quos laudat.

c) SVIDAS *l. c.*

d) Vid. MEVRSIVS ad *Heſych. illuſtr. p. 178.*

e) Negarunt cœcitatem Homeri ex veteribus CICERO *Tuſc. Qq. l. V.* & ex recentioribus ANDR. WILCKIVS in *curatione cœci Homeri*, CVPERVS *l. c. p. 129.*

f) Vid. *Vita Homeri* HERODOTO tributa *c. 9. 12.* DIO CHRYSOST. *de Ilio non capto p. 143.* & ex eo IO. GEORG. PASCHIVS *de var. modis tradendi moralia c. II. §. 9. p. 109.* & quos laudat cel. STOLLE *Hiſt. lit. P. I. c. 5. §. 25.*

ff) Conſulendus LIL. GYRALDVS dial. *de poëtis, qui vitam Homeri enarraverunt* GVARINVS, POLITIANVS, CAMERARIVS multique alii.

g) FABRICIVS *l. c. p. 263. ſeq.* & quos laudat.

h) Vita Homeri PLVTARCHO tributa. conf. IDEM *l. c. p. 265.*

i) *loc. cit.*

k) *l. c. P. II. ſect. I. p. 62. ſeqq.*

l) *loc. cit.*

ll) Conf. omnino KVSTERVS *l. c. ſect. 4. p. 86. ſeq.* a virgis, quas manu tenuerunt ſic vocatos ait SVIDAS in *Rhapſodus T. III. p. 254. ſed a* ῥαψῳδία, & conſutis poëmatiis dictos fuiſſe veteres plerique teſtantur, & ipſa vocis etymologia innuit.

iſtis cantatis de præmio certarunt, [m] ſicque Homeri poëmata usque ad Indos delata ſunt, ubi in lingua vernacula cantata eſſe refert AELIANVS. [n] Non vero delectationis cauſa & ob animi tantum jucunditatem tantam celebritatem conſecuta ſunt, ſed & ad formandos mores, & diſcendam ſapientiam publice commendata maximam auctoritatem ſunt nacta. Celeberrimi enim legislatores Lycurgus & Solon publicam eorum lectionem commendarunt, [o] bibliothecis vero publicis & privatis ſcripta & imagines Homeri, pretioſiſſimo ſæpe habitu illatæ, [p] gentibus extra Græciam barbaris illa facta acceptiſſima, [q] regibus & principibus in deliciis habita, [r] juventuti ſcholaſticæ tanquam fons omnis eruditionis tradita, [s] ipſe vero Homerus ſtatuis, numis, ſacrificiis, & divino quoque cultu honoratus eſt, [ſſ] omnibus fere in deferendis poëtæ honoribus inſanientibus; quæ dementia nec noſtra quidem ætate tota ceſſavit, quid enim de Homeri ſuper omnes ſcriptores præſtantia inter Gallos acriter noſtris temporibus diſputatum ſit, neminem latet, qui recentiorem callet hiſtoriam literariam. [t] Nos de eruditione, [u] elegantiaque carminum Homericorum non diſputamus, ea enim alieni fori ſunt, nec an præferendus ſit omnibus poëtis, diſquirimus; [x] ſed qua ratione Homerus omnis philoſophiæ parens dictus ſit, expendemus.

Ejus philoſophia.

§. XXXII. Conſentit ſcilicet totus fere veterum chorus, paucis, qui ſaniora viderunt, exceptis, Homerum non σοφὸν tantum, ſed & ἀρχηγὸν πάσης βαρβάρου σοφίας, *ducem atque principem eſſe omnis barbaræ philoſophiæ*, fatente, TATIANO; [y] immo omnem, judice DIONYSIO HALICARNASSENSI, [z] eruditionem introductam eſſe in vitam, καὶ τελευτῶσαν φιλοσοφίαν, *& perfectiſſimam philoſophiam* exhibitam eſſe ab Homero. Eodem modo PHILOSTRATO [a] *pater & vox ſophiſtarum*; STRABONI [b] ejus ποίησις φιλοσόφημα, *ſcriptum philoſophicum*, audit, & MAXIMVS TYRIVS [c] ſine hæſitatione affirmat, errare eos, qui aut Homerum aut Heſio-

m) *Ibid. p. 93.*

n) AELIANVS *l. XII. c. 48.* DIO CHRYSOST. *Orat. LIII.* KVSTER. *l. c p. 93.* CVPER. *l. c. p. 135. 199.*

o) KVSTER. *l. c. ſect. II. §. 1. p. 13. ſeqq.*

p) *Ibid. §. 5. p. 21.* & ex veteribus PLINIVS *l. XXXV. c. 2.*

q) Vid. laudatos *not.* (*n*) & de Romanis KVSTER. *l. c. ſect. IV. p. 32.*

r) Exemplo eſt Alexander M. qui ſcripta Homeri ſub pulvillo ſemper repoſita habebat, & in pretioſiſſimo ſcrinio ſervabat, vid. STRABO *l. XIII.* PLINIVS *Hiſt. nat. l. VII. c. 29.* de Ptolomæo Philopatore vid. AELIAN. *l. XIII. c. 22.* de Auguſto SVETONIVS in *Aug. c. 84.*

s) ISOCRATES in *panegyr.* PLVTARCH. in *Alcibiad.* FABRICIVS *l. c. p. 277.*

ſſ) Omnino hic conſulenda CVPERI & KVSTERI diligentia, & quæ nos diximus in *Otio Vindel. Mel. III. §. 6. p. 251.* ibique laudati.

t) Videndi quos laudavimus in *Otio Vindelico Mel. III. p. 244. ſeqq.* & plerique hiſtoriæ literariæ recentiores enarratores.

u) Inſana elogia veterum data Homero collegit IO. DVPORTIVS in *app. ad gnomologiam Homeri*, quocum KVSTERVS *l. c. ſect. II. III. IV.* CVPERVS *l. c. p. 1. ſeqq.* BVDDEVS *Hiſt. eccl. V. T. T. II. p. 673.* FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 347. ſeqq.* & quos laudant, conferendi.

x) Conſulendi RAPINVS *Comparaiſon de Virgile & d'Homere.* PERRAVLT *parallele des anciens & des modernes T. III. p. 329.* LA MOTHE *diſcours ſur Homere*, præfixo verſioni Iliadis aliique, qui in hac controverſia ſcripſere.

y) *Orat. contra Græc. p. m. 166.* ubi eum Moſi quoque jungit.

z) *Ep. ad Pom.*

a) *Vit. Soph. l. II. n. 27. §. 6. p. 620.* Ita vero Maximus Tyrius quoque, Hermogenes & Euſtathius, quorum loca vide apud CRESOLLIVM *theatr. Rhetor. l. III. c. 2.* Sophiſtas vero non nudos oratores, ſed & philoſophos hic intelligi recte monuit CVPERVS *l. c. p. 119.*

b) *Geogr. l. I.*

c) *Diſſert. XIX.*

Heſiodum minus, quam Ariſtotelem Stagiritam, vel Cilicem Chryſippum vel Libycum Clitomachum aliosque σοφὸν eſſe exiſtiment, aut minus in rerum contemplatione excelluiſſe. Hinc certatim veteres de philoſophia Homerica commentati ſunt, inter quos Oenomaus Gadarenſis, Porphyrius & Phavorinus, Maximus Tyrius, Ariſtocles Meſſenius, Caſſius Longinus aliique eminuerunt;[d] & ex ea quoque cauſa THEMISTIO dictus πρωτοπάτωρ καὶ ἀρχήγονος τῶν Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους λόγων, *primus parens auctorque ſermonum Platonis & Ariſtotelis*, & MAXIMO TYRIO,[e] Plato dictus *alumnus Muſæ Homericæ*, licet hunc præceptorem recuſet. Eadem ratione *Socrates Homeri diſcipulus, non Archelai*, dicitur DIONI CHRYSOSTOMO,[f] ut alia taceamus. Rem omnem in luce ponit SENECA,[g] qui, ut erat acuto ingenio, rem ita eleganter expreſſit: *Vis ſcire, quam non ad docendam virtutem conſederint? adſpice quam diſſimilia inter ſe omnium ſtudia ſint; atque ſimilitudo eſſet idem docentium. Niſi forte tibi Homerum philoſophum fuiſſe perſuadent, cum his ipſis, quibus colligunt, negent. Nam modo Stoicum eum faciunt, virtutem ſolam probantem; modo Epicureum, laudantem ſtatum quietæ civitatis, & inter convivia cantusque vitam exigentis: modo Peripateticum, bonorum tria genera inducentem: modo Academicum, incerta omnia dicentem. Apparet nihil horum eſſe in illo, quia omnia ſunt, iſta enim inter ſe diſſident. Demus illis, Homerum philoſophum fuiſſe; nempe ſapiens factus eſt, antequam carmina ulla cognoſceret, ergo illa diſcamus, quæ Homerum fecere ſapientem.* Quæ etſi inſanos philoſophiæ Homericæ admiratores potuiſſent ad maturum aliquod judicium ducere, tantum tamen abeſt, ut Platonica Alexandrinorum philoſophorum ſchola philoſophiam Homericam reliquerit, ut potius ex eadem diſciplina MAXIMVS TYRIVS[h] doluerit, *philoſophiam olim myſteriis & occultis ſacris, fabulis item, muſica & divinatione traditam, amictu magnifico poſtea ſpoliatam, & cuivis tanquam ſcortum proſtitutam fuiſſe, & ſolum nomen relictum; eoque deventum fuiſſe, ut Homeri Heſiodique carmina, totaque antiqua illa Muſa pro fabulis habeatur, quæ admiratione in ea digna, negligantur, & Homerus e philoſophorum numero ejiciatur* ὁ ἡγεμὼν τοῦ γένους, *philoſophorum princeps.* Adderemus hic multa, quæ illuſtris munere & eruditione CVPERVS pro ornanda Homeri philoſophia ex veteribus refert,[i] fabularem eruditionem peculiarem philoſophiæ ſpeciem facientibus, niſi ea, quæ hoc capite

d) Videndus de iis IO. IONSIVS *de Script. Hiſtor. philoſoph. l. III. c. 7. p. 244.*

e) *diſſert. XVI.*

f) *Orat. LV.* conf. CVPERVS *l. c. p. 121.* qui abſurditatem ſententiæ collectis veterum auctoritatibus emollit, eos, qui aliorum ante ſe mentem egregie percepiſſent, diſcipulos & familiares vocantium.

g) *Epiſt. 88.* quas vero doctrinas ſectæ Græcanicæ in Homero quæſiverint, enumerat CVPERVS *l. c. p. 126.* quem vide.

h) *Proœm. Diſſ. XVI.* Ceterum notabilis hic locus vel ideo eſt, quoniam maxime ea illuſtrat & confirmat, quæ hoc capite de fabulari Græcorum vetuſtiſſimorum theologia & philoſophia diximus.

i) *l. c. p. 123. ſeqq.* quæ cum ſuperioribus a nobis dictis contuliſſe neminem pœnitebit.

capite fuſe hac de re attulimus, ſatis lectorem convincere apta eſſent, qui tamen doctiſſimam tractationem lecturus, multa egregia, etſi non ſatis ad rem facientia, offendet, unde ad jucundiſſimum librum merito eum remittimus. Nec hoc ſufficiebat Homericæ philoſophiæ patronis, in genere tantum ei philoſophiam tribuiſſe; heros quoque in potioribus philoſophiæ partibus conſtituendus erat. Itaque naturæ interpres feliciſſimus & MACROBII voce, [k] *ſolus naturæ conſcius* vocatus eſt, licet pulchre viderint, omnia quæ de phyſica Homeri eruditione dicuntur, allegoriarum explicationi, ſæpe frigidiſſimæ, deberi. [l] Qua arte uſi philoſophi, cum Homerum omnis ſapientiæ auctorem atque conditorem fieri cernerent, allegoriæ beneficio doctrinarum ſuarum præſidia in Homero quæſiverunt; id quod primum feciſſe Metrodorum Lampſacenum, & *in his, quæ ad naturalem philoſophiam pertinent, poëtæ ſtudioſum fuiſſe*, tradit LAERTIVS. [m] Afferunt hac de re, ut phyſicæ cognitionis ſpecimina edant, varia epitheta, quibus naturam rerum expreſſiſſe ipſis viſus eſt; adeo vero infirma & emendicata ſunt omnia, ut iſtis tædium lectori afferre merito nefas ducamus. [n] Scilicet facile fabularum explicatione quidvis ex quovis exſculpi poteſt, qua in re Eclectica Alexandrinorum philoſophorum ſchola alios antevertit, & abſurditate vicit, unde quæ pro phyſica & aſtronomica ejus eruditione afferuntur, lubentes præterimus, alibi legenda. [o] Nec virtutis docendæ & morum formandorum præceptorem fuiſſe negant, qui Homerum admirantur, [p] ſed præcepta virtutis tanta felicitate inculcaſſe volunt, [q] ut *δαίμονιον καὶ θεῖον τῷ ὄντι κήρυκα τῆς ἀρετῆς divinum & a dæmone profectum præconem virtutis* vocare non erubuerint: unde & non privatæ tantum ſortis hominibus Homerus magiſter morum commendatus eſt, [r] ſed & regibus magiſter datus, unde PORPHYRIO enata tractatio, *de utilitate, quam reges ex Homero capere poſſunt;* [s] inde nullum morum præceptum, quod non omnium ſectarum philoſophi in Homero ſe vidiſſe putaverint. [t] Et ut nihil ad perfectionem philoſophiæ Homericæ deſideretur, theologia ejus vehementer laudata eſt. *Nulla in ejus poëmatibus pars*

k) *Saturnal. l. I. c. 12.*

l) Videndus PLATO *de Republ. l. X.* quod negare non potuit CVPERVS *l. c. p. 87.*

m) *l. II. ſ. 11.* Ridet hanc inſaniam TATIANVS *l. c. p. 160.* cujus locus dignus eſt, qui hic legatur. Ita vero: *Certe Lampſacenus ille Metrodorus in libro de Homero prorſus ſtolide diſſeruit, nihil non ad allegoriam referens. Nam neque Iunonem neque Minervam, neque Iovem id eſſe fatetur, quod exiſtimant, qui ædes & lucos illis conſtituerunt, ſed res quasdam in natura & elementorum digeſtiones.*

n) Vt exempla habeas ſapientiæ phyſicæ in Homero, ecce: columbas vocat timidas, aquilam acerrimam avium, draconem herbas mortiferas edere, cygnos longo collo ornatos, cervas imbelles, perdicem velocem, mulos fortibus ungulis præditos, tauros latæ frontis, ſed piget plura adſcribere, adeo puerilia ſunt, & indigna viris doctis. Scilicet ex epithetis aptis, quæ Homero non deneganda, phyſicam ſcientiam colligere inſulſum eſt.

o) CVPERVS *l. c. p. 90.* qui hæc magis pro exonerandis eruditionis & lectionis infinitæ theſauris, quam adſtruenda rei veritate attuliſſe videtur.

p) Ita jam Anaxagoras apud LAERT. *L. II. ſ. 11. conf.* MENAG. *ad h. l.*

q) DIO CHRYSOSTOM. *Orat. II. de regn.*

r) CVPERVS *l. c. p. 94. 99.* conf. SVIDAS in *Homerus T. II. p. 683.* & quæ ibi ex DIOSCORIDE *de Homericis legibus* affert.

s) SVIDAS in *Porphyr. T. III. p. 158.*

t) Imprimis id fecere Platonici recentiores, MAXIMVS TYRIVS, THEMISTIVS, PORPHYRIVS, MACROBIVS. Rationem ejus rei ex conditione philoſophiæ eorum ſuo loco explicabimus.

pars absque Diis, sine præfecto, sine imperio, sed omnia divinis nominibus, omnia divinis sermonibus, omnia divinis abundant artibus, si MAXIMO TYRIO "fides est: immo talia Deo Iovi tribuisse visum illustri CVPERO, [x] quæ a Christiano aliena esse nequeunt: esse potentiorem omnibus aliis, distribuere divitias pro sua voluntate; dare sceptra & jura, impios punire, & ταρταρῶσαι, frustra esse, sine eo, hominum labores; immo, quod visum quoque IVSTINO MARTYRI, [y] multa ex Mose in opera sua transtulisse; expressisse creationem ex nihilo, paradisum, [z] turrim Babylonicam, [a] deturbatum e cœlo diabolum; [b] post inspectos in Aegypto libros sacros unum solum Deum cecinisse, illumque vocare θεὸν αὐτόν. Habitum denique a veteribus Homerum fuisse theologum antiquissimum, nemine contradicente, eo quod mythice de diis differuerit. [c] Tandem ne quid artium & scientiarum, etiam philosophicarum ei desit, Medicum quoque faciunt, naturamque vulnerum, morborum curationes, herbarumque virtutes intellexisse, ejusque vestigia in carminibus suis reliquisse acriter contendunt. [d] Tantam itaque cum in eo sapientiam & philosophiæ scientiam non veteres modo sed & recentiores admirati sint, ignoscendum forte IOSVAE BARNESIO Salomonis sapientiam in Homero deprehendisse sibi viso. [e] Alia exorbitantis in hoc argumento ingenii humani specimina, ne nimii simus, tacemus.

§. XXXIII. Quamvis vero maxima fuerit Homeri gloria, tantaque, quantam inter homines pauci sperari queant, inventi tamen sunt, qui auctoritatis præjudicio fascinari se non passi, longe aliter de Homero judicarunt, & ejus laudibus valde detraxerunt. [f] Inter hos Zoilus Ephesius [g] primas partes tenet, quem inter Homeromastigas acerrimum fuisse veteres tradunt. Nec hoc rhetores soli fecerunt, sed & philosophi; Xenophanem enim contra Homerum scripsisse narrat LAERTIVS, [h] qui & de Heraclito [i] refert, judicasse dignum, qui ex theatris ejiceretur, & colaphis cæderetur. Maxime vero gloriæ Homeri obstat, quod PLATO [k] eum cum reliquis poetis e republica sua ejecerit, fabulasque eorum legi vetuerit. Id quod Platonici sequiores mire, ne Homero noceat, torquent, misere vero & præter rem; quemadmodum & ea non faciunt satis, quæ recentiores in hanc rem frigide afferunt. [l] Respexit enim Plato ad fabulas de Diis, quas tanquam impias rejiciebat, etsi carminis elegantiam & antiquam quoque, ad quam pas- *Reprehensio.*

u) *Diss. XVI.*
x) *l. c. p. 106.*
y) *In cohort. ad Græcos p. 27.*
z) Introductis Alcinoi hortis.
a) Per gigantum pugnam.
b) Per dejectionem noxæ vel ἄτης.
c) Pertinent huc, qui orthodoxe de Deo locutum fuisse Platonem censent, de quibus postea.
d) Vid. cel. D. CLERICI *Hist. Medic. P. I. l. II. c. 4. p. 80.* qui recte dubitat: & quos nominat FABRICIVS *l. c. p. 349. 350.*
e) Vid. CLERIC. *Bibl. choif. T. XXII. p. 244.*
f) De Homeromastigibus consulendus KVSTERVS *l. c. sect. 6. p. 45 sqq.* & FABRICIVS *l. c. p. 364. sqq.*
g) Alii Amphiboliten Macedonium dicunt. Diligenter de hoc Zoilo, more suo differit FABRIC. *l. c.*
h) *l. II. s. 18.* SEXT. EMPIR. *adv. Math. l. I. s. 289.*
i) *l. IX. s. 1.*
k) *De rep. l. II. p. 378.*
l) KVSTERVS *l. c.* conf. ad DION. CHRYSOSTOMI *diss. LIII.* & MAX. TYRII *diss. VIII.* CASAVBONVS & HEINSIVS.

ſim reſpexit Homerus theologiam in iſtis fabulis latentem non prorſus rejecerit. Nec hoc ſolius Platonis judicium fuit, ſed & LONGINVS,[m] PHILOSTRATVS,[n] & Hieronymus philoſophus apud LAERTIVM[o] aperte indecoram de Diis fictionem, e medio quippe vulgo deſumtam, improbaverunt. De philoſophia vero Homeri recte & acute judicantem SENECAM[p] ſupra audivimus, nullam in eo eſſe, ubi omnes ſectæ patrocinium partium ſuarum quærunt. Notumque eſt, non Athenienſes tantum quodam tempore multatum Homerum tanquam inſanientem, quinquaginta drachmis, referente Heraclide apud LAERTIVM,[q] ſed & Adrianum atque Cajum Romanorum imperatores contemtim de Homero judicaſſe & de abolendo eo cogitaſſe.[r] Recentiori vero, & noſtro potiſſimum tempore, quid viri docti C. PERRALTIVS[s] & ante eum IVLIVS CAESAR SCALIGER,[t] DAVID & IOANNES CLERICVS,[u] CHRISTIANVS THOMASIVS[x] aliique[y] in Homero reprehenderint, hiſtoriæ literariæ veteris gnaros non latet.

Iudicium de philoſophia ei tributa.

§. XXXIV. In hac veterum & recentiorum diſcordia, ut, quid de eruditione Homeri philoſophica ſtatuendum ſit, quæque ſententia amplectenda, pateat, ſequentia probe ponderanda & expendenda ſunt, & abjiciendum auctoritatis atque antiquitatis præjudicium, quod plerosque, viros eruditos, qui in laudando & inter numina referendo Homero tantopere inſaniverunt, in tranſverſum egit.

I. Aetas Homeri probe conſideranda eſt, quæ quamvis incerta & dubia ſit, multumque controverſa inter eruditos, certum tamen eſt, ante Olympiadem vigeſimam tertiam, quo tempore eam ponit cl. DODWELLVS,[z] vixiſſe, nec veriſimilitudine ea ſententia deſtituitur, quæ Olympia ipſa ætate antevertiſſe contendit. Eo vero tempore in incunabulis quaſi vagiebant, non eruditio tantum fere omnis, ſed maxime quoque philoſophia artesque mathematicæ; quæque tunc tradebantur, ad coſmogoniam a parentibus & majoribus acceptam, uti hactenus vidimus, & ad theologiam referebantur. Alia itaque & comtior multo philoſophiæ facies ſequentibus demum temporibus introducta eſt, artesque & ſcientiæ, imprimis philoſophicæ, improbo labore, induſtria, experientia & meditatione plurimorum annorum ad juvenilem quendam vigorem & maturitatem perductæ ſunt. Quod etſi de divino Homeri ingenio, quod ei denegandum non eſſe, nec tam contemtim de eo judicandum, quemadmodum Homeromaſtiges ſolent, exiſtimamus, ſatis teſtatur, qui in rudi illo ſeculo elegantiam ſermonis artisque poëtiæ, duris licet vitæ neceſſitatibus & circumforaneo vitæ genere preſſus, in carminibus ſuis luculenter expreſſit; convincit nos tamen,

m) περὶ ὕψους *c. 7.*
n) In *Heroicis c. II. §. 20.*
o) *l. VIII. ſ. 21.* Plura hac de re doctiſſima tractatione collegit b. OLEARIVS in *præf. ad* PHILOSTRATI *Heroica.*
p) *ep. 88.*
q) *l. II. ſ. 43.*
r) PLVTARCHVS & XIPHILINVS in *Hadr.* SVETON. in *Cajo.*
s) *loco ſupra laudato.* *t*) *Poët. l. V. c. 2.*
u) Ille *Orat. IV.* hic *Art. Crit. T. I. p. 100.*
x) diſſ. *de contentione morum cum jure ſcripto §. 15.*
y) FONTANELLE *dial. des morts dial. V.*
z) *l. c.*

men, præpoſtere agere, qui earum ſcientiarum perfectam cognitionem Homero tribuunt, quæ tum infantiam vix egreſſæ erant, & per multos demum annos excultæ inter Græcos poſtea enituerunt.

II. Attendendum porro eſt ad vitæ genus, quod Homerus ſectatus eſt. Illud enim vagum fuiſſe, atque poëtam regiones varias obiiſſe, & in conviviis regum atque opulentiorum, & ſolennitatibus Græcorum quæſtus cauſa carmina ſua decantaſſe, veteres non negant, qui ejus vitam deſcripſerunt. Quis in hoc vitæ genere, & muſæ Homericæ ſcopo quærat philoſophum? quis tantum in eo temporis & otii deprehendat, quantum ad eum ſcientiæ philoſophicæ gradum acquirendum requiritur, quem Mæonium ſenem attigiſſe, Homeri cultores contendunt? Præcipue cum hæ ſcientiæ, non nativa tantum elegantiſſimi ingenii felicitate enaſcantur, quod arti poëticæ accidit, cujus præſtantiam ingenio temporique hanc artem diligenter jam propter uſum ſacrum excolenti Homerum debuiſſe fatendum eſt; ſed otium ad meditandum & experientiam quoque conſulendam, & multorum annorum ſtudium parentes habeant, quæ Homero defuiſſe, ſicque philoſophiæ diſcendæ occaſione fuiſſe deſtitutum, quilibet, vel Homero ipſo cœcior, manibus palpat.

III. Attento quoque oculo ad eos reſpiciendum eſt, qui univerſæ eruditionis Græcanicæ veſtigia in Homero ſe deprehendiſſe luculenta ſibi viſi ſunt. Illi enim ad allegoriam confugientes, omnia invenerunt in Homericis poëmatibus, quæcunque invenire cupiebant. Prout enim quis hypotheſi inſtructus & ingenio ornatus fuit, ita Homerica quoque carmina arcanum & allegoricum ſenſum fundere non credidit ſolum, ſed & aliis perſuadere conatus fuit. Cujus Ὁμηρομανείας non luculentius ſpecimen dare poſſumus, quam diverſiſſimas celeberrimorum Homeri carminum expoſitiones. Si enim FRANCISCVM BLANCHINVM virum eruditiſſimum & ingenioſiſſimum audimus,[a] tota Homeri poëſis hiſtoricum ſenſum habet, fictaque fabula, ſub Iouis nomine deſcribit regem Aethiopum vel Arabiæ, quæ tunc Aethiopia orientalis habebatur, atque Aegypti, ſub nomine Iunonis regnum Syriæ, Neptuni Cariæ, Apollinis Aſſyriæ. Qua ratione quoque GERARDVS CROESIVS[b] in *Homeri poëſi* ſacram oraculorum divinorum hiſtoriam deprehendiſſe ſibi viſus eſt. Alii vero, præcipue philoſophi veteres, ut in omnium calculo probato poëta ſyſtematum ſuorum patrocinia invenirent, opiniones ſuas in eo deprehendunt, & omnium ſectarum parens Homerus, ne per ſomnium quidem de iis cogitans factus eſt.[c] Id vero omne non aliis machinis, quam allegoriarum contortis explicationibus factum eſt; cujus, ut exemplum non deſit, ſervavit nobis tempus HERACLIDIS PONTICI allegorias in Homericas de Deo ſententias,[d] quæ

a) In *hiſtoria univerſali ex antiquis monumentis illuſtrata*, quam Italico ſermone edidit, *c. 30.*

b) In *Homero, Hebræo, ſive hiſtoria Hebræorum ab Homero, Dordraci 1704. 8.*

c) SENECA *l. c.* & quæ ſupra monuimus. conf. FABRICIVS *l. c. p. 348.*

d) Ita quidem inſcribitur, ſed Heraclidis Pontici Platonici philoſophi non eſſe, & ipſa tractatio a Pla-

luculentum ſpecimen exhibent, qua ratione obtorto collo ad omnia, quæcunque modo placuerunt philoſophis, Homerus raptus fuerit. Illius enim ſcriptoris ſcopus fuit, ea, quæ in Homero de Diis improbe conficta videntur, allegoriæ excuſatione mitigare. Hoc ut obtineat, v. g. ſolem facit Apollinem, ejusque ſagittas in Græcos emiſſas peſtilentes morbos ex ſole & a ſolis calore ortos putat, & futili diſſertatione, ut æſtate hæc contigiſſe evincat, omnia corradit, tanta cum violentia, ut ad Ilium non totum decennium deſediſſe Græcos, contra Homeri narrationem, contendat, & armorum, quem ille tribuit, ſonum, cœleſtem ſtellarum harmoniam, & harmonicos radiorum ſolis ſonos interpretetur. Et hac via in aliis quoque Homeri locis exponendis incedit, & Platoni Homerum ex civitate philoſophica unguentis delibutum dimittenti ſuccenſens alia philoſophumena in Homero acute videt. Quæ an non quadrata miſceant rotundis, Homerumque nobis eripiant, dum in philoſophum eum convertunt, prudentis lectoris judicium eſto. Et hac quoque ratione inceſſiſſe Metrodorum Lampſacenum ſupra obſervavimus, notatque EVSTATHIVS,[e] fuiſſe, qui non fabuloſa tantum, ſed ea quoque, quæ omnium confeſſione hiſtorica ſunt, in allegorias mutarent, quo modo & Platonici recentiores,[f] & IO. BAPT. PERSONA[g] deſipuerunt. Certe, ſi unquam, in his verum eſt, quod dici ſolet, nihil videre, qui nimium videt, vel, quod SENECAM dicentem ſupra audivimus: nihil horum eſſe in illo, quia omnia ſunt; iſta enim inter ſe diſſident.

IV. His, ut debent præmiſſis, judicium de eruditione Homeri, præcipue philoſophica, facile fieri poteſt. Nam quia incertum eſt, an hiſtoriam narraverit Homerus, vel totam fabulam poëtica licentia excogitaverit, qua de re Heſtiæa Alexandrina olim diſputavit,[h] & qui cetera magnifice de Homero ſentit, DIO CHRYSOSTOMVS[i] Ilium captum eſſe negavit, & idcirco Homerus haud ſemel mendacii reus actus fuit, quique hiſtoriam ceciniſſe credunt, tempus ejus μυθικὸν nominare cogantur, ob fabulas plurimas;[k] ſequitur inde, de toto poëmatum Homericorum ſcopo incertam eſſe ratiocinationem; & æque dubium eſſe, num allegoriæ Metrodori, Procli, Diadochi, Numenii, Heracliti & ſimilium mentem Homeri exprimant, quam, an hiſtoriæ veteris parens ſit. Si quoque ipſa totius carminis œconomia ſpectetur, videtur Homerus potiſſimum argumentum aliquod nobile elegiſſe, in quo virtutem poëticam, ingeniumque demonſtraret, ſicque ſibi victum & applauſum conciliaret, non cogitans, ut vel pietatis, vel philoſophiæ

a Platonica philoſophia abludens prodit, & Mſc. probant Heraclito alicui tribuentes, ut monuit, qui eruditum libellum *Opuſc. mytholog. inſeruit* TH. GALE *in præf.* conf. FABRIC. *Bibl. Gr. Vol. I. p. 143.* Facit quoque mentionem auctorum multo, quam Heraclides, juniorum.

e) In *prolegom. in Iliada.*

f) Conf. HOLSTENIVS in *vita Porphyr. p. 44.* exemplo ſint ejus *Qq. Homericæ*, & liber *de antro nympharum.*

g) In *noctibus ſolitariis*, *ſ. de iis*, *quæ ſcientifice in Odyſſea ſcripta ſunt Ven. 1613. 4.*

h) STRABO *l. XIII.*

i) *Orat. XI.* cui *Ilium captum oppoſuit* G. HENR. VRSINVS.

k) Conf. CVPERVS *l. c. p. 167.* EVSTATHIVS *proœm.* FABRICIVS *l. c. p. 343.*

phiæ, vel artium præcepta, niſi id ὡς ἐν παρόδῳ fiat, inſpergat. Vnde magnopere a ſcopo ejus abludunt, qui poëtam, longe aliam gloriam quærentem, & de ea laurea cum Heſiodo certantem, philoſophorum principibus anteponunt.

V. Sit itaque poëtarum omnium coryphæus Homerus, quod tamen emunctæ naris viri negant, [l] excludendus ſane eſt ex philoſophorum grege, eorumque albo eximendus. Quicquid enim pro demonſtranda ejus philoſophica eruditione affertur, pondus plane nullum habet, cum allegoriarum machina illatum potius ſit carminibus Homeri, quam innatum. Mirum itaque non eſt, ſectas Græcorum ſibi e diametro contrarias in iis patrocinium inveniſſe, & non minus Epicureos quam Stoicos, dogmaticosque quam ſcepticos Homerum ſibi vindicaſſe : ubi enim ſemel ejusmodi interpretandi ratio admittitur, facile quidvis ex quovis exſculpitur, & Homerus non minori veriſimilitudine cum BORRICHIO & TOLLIO [m] in chemicum, quam cum Platonicis in metaphyſicum, phyſicum, ethicum & theologum mutatur. Adeo quoque contorta ea ſunt, quæ pro incruſtando hoc argumento afferri ſolent, ut apud eos, qui inſano antiquitatis & auctoritatis præjudicio occupati non ſunt, ejusmodi difficiles, licet eruditas, nugas recitaſſe, ſit refutaſſe. Quod ne ſine teſte atque argumento exemplove dictum ſit, ſpeciminis loco unum alterumve philoſophiæ Homericæ exemplum adducemus, quod vetus auctor vitæ Homeri, [n] qui ad demonſtrandam omnivariam Homeri eruditionem omnes nervos ingenii atque eruditionis adhibuit, attulit, eoque rem egregie demonſtraviſſe ſibi viſus eſt. [o] Is ut probet phyſicam ſcientiam exacte tenuiſſe Homerum, contendit: didiciſſe non Xenophanem tantum Colophonium, ſed Thaletem quoque ab Homero: aquam eſſe rerum omnium principium, quia cecinit:

Oceanus qui cuncta creat, gignitque creata,

addit tamen, terram & aquam principium ponentem Xenophanem magiſtrum habuiſſe Homerum dicentem:

Sed vos in terram lymphamque reſolvier omnes.

Quaſi utraque opinio eadem ſit, & ſignificet, in genitalia elementa univerſitatis cuncta reſolvi. Quatuor vulgaria elementa ſtatuiſſe Homerum, inde demonſtrat, quod in multis uniuscujusque eorum mentionem faciat: Qua ſerie elementa conſtituta ſint, ſciviſſe, quia terram in inferiore, æthera in ſuperiore loco atque Olympum ſupra ponat. Iunonis cum Iove conſuetudinem indicare conjunctionem humidæ ſubſtantiæ ſive aëris, cum ignea ſive æthere; diviſione regni inter fratres Neptunum, Iovem, Plutum, aquæ, ignis, aëris elementa diſtributa ſignificare. Terram vero ideo relictam, quamvis quarta pars ſit, quod trium elementorum eſſentia aſſidue

l) Virgilium Homero antepónendum eſſe demonſtravit inſtituta comparatione RAPINVS conf. PERRAVLT *parall. T. III, p. 329.*

m) In *fortuitis.*

n) In *opuſc. mythol.* GALEI *p. 283. ſeqq.*

o) Alia ex aliis philoſophis exempla interpretationum phyſicarum Homero tributarum legi poſſunt apud CVPERVM *de apotheoſi Homeri p. 89. ſeqq.*

due moveatur, terra maneat immobilis: Olympi vero lucidiſſimam partem quintam eſſentiam innuere. Empedoclis amicitiam & diſcordiam jam ſtatuiſſe Homerum, canendo de Iunone:

Vado videre feracis latibula terræ
Oceanumque patrem divorum Thetidaque ipſam,
Magnas inter eos valeam an componere lites.

Sic & Venerem amicitiam, Martem inimicitiam elementorum naturalium docere; Mundum ſtatuiſſe unum, quia dixit, fines terræ eſſe; Solis naturam intellexiſſe, quia quærit; *quis norit auroræ ortum domumque, & radii Hyperionis unde?* Fuiſſe gnarum ſcientiæ aſtrorum, inde probat, quia nominat vergilias, ſuculas, nec non magnum Oriona, deſcribit urſam horizontem non attingentem, Bootem tarde occidentem; neque tamen, fatetur, ejus inſtitutum fuiſſe exponere ea, quæ ad ſiderum contemplationem pertinent. [p] Neptunum porro terræ motorem dicendo, ſciviſſe cauſas terræ motuum, quæ ex mari derivandæ ſint; Ventorum cauſam intellexiſſe vocantem vim humectantem ſpirantium; ſciviſſe eorum diſpoſitionem, canendo:

Vna eurusque, notusque ruunt, zephyrusque procellas
Excitat, & boreas fluctus ad ſidera tollit.

Et ſic in ceteris quoque inſtituit, & quæcunque Græcorum ſchola dogmata phyſica invexit, in Homero deprehendit. Quæ phyſicæ Homericæ demonſtratio, an riſu vel miſericordia digna magis ſit, lectori expendendum relinquimus.

VI. Iudicium ex dictis de philoſophia morali, quæ ex Homeri poëmatibus exſculpitur, facile fieri poteſt. Inſeruiſſe paſſim Homerum carminibus ſuis ſententias ad formandos mores ſpectantes, [q] virtutumque & vitiorum characteres & exempla non inelegantia expreſſiſſe, negari quidem nequit, verum hæc philoſophum non faciunt, & aliis quoque ſcriptoribus atque poëtis communia ſunt, ſenſuque honeſtatis naturali enaſcuntur. Nec adeo ſanam eſſe morum doctrinam, quam ſequitur Homerus [r] ex theologia ejus Deorumque deſcriptione, bellis, jurgiis, invidia, aliisque, quæ illis more hominum tribuit vitiis, manifeſtum eſt, unde eum philoſophos ſeverius philoſophantes e cœtu ſuo ejeciſſe, ſupra monuimus. Allegoriæ vero machinis & contortis verborum captationibus, Ariſtotelicas & Platonicas, de philoſophia morali doctrinas in Homero videre, quod Platonici ſequiores, & laudatus quoque vitæ Homericæ auctor faciunt, ad eum lapidem impingit, ad quem toties lapſa ſunt magna ceteroquin veterum & recentiorum ingenia.

VII.

p) Magis adhuc ineptit PORPHYRIVS qui *de antro Nympharum apud Homerum*, duo oſtia ait eſſe tropicum utrumque aſcenſui & deſcenſui animarum dicatum. Alia hujus furfuris vide apud MACROB. *l. II. c. 10.* & CVPERVM *l. c. p. 91.*

q) Collegit eas DVPORTVS in *Gnomologia Homerica.*

r) Conf. cel. STOLLIVS diſſ. *an* Homerus *fuerit philoſophus moralis?*

VII. Homeri theologiam valde in ſuſpicionem adductam fuiſſe, & vapulaſſe acute cernentibus philoſophis, quod impie de Diis locutus ſit, ſupra monuimus. In omnia tamen alia abeunt Homeri admiratores, tum veteres & in his memoratus vitæ ejus auctor, tum recentiores, [s] inter quos eruditione alios facile vincit CVDWORTHVS, [t] & in id omnes nervos intendunt, ut probent, recte pieque de Deo ſenſiſſe Homerum. Non adducemus contorta veterum & imbecillia argumenta, fortius inſtat Cudworthus, & non tantum teſtimoniis PLVTARCHI [u] & PROCLI [x] ſed exemplis quoque ex ipſo Homero collectis probare conatur, admiſiſſe eum, omnium gubernatorum principem & patrem Deûmque hominumque, omnesque ei tribuere notiones demiurgicas: unde ſequi putat, omnium omnino rerum primum creatorem fuiſſe. Non negabimus viro docto, multa tribuiſſe Homerum Iovi ſuo, quæ potentiam, auctoritatem, ſapientiam indicant, præfeciſſe eum reliquorum Deorum agmini, locutum fuiſſe de eo magnifice; urſerunt hæc veteres quoque, qui pro pietate Homeri cauſam perorarunt: attendendum vero eſſe monemus, ad totam Iovis fabulam, qualem inducit Homerus. Hanc ſi, prout par eſt, ſequimur, Iupiter patre Saturno ex Oceano genitus eſt, connubioque Iunoni junctus. [y] Quæ ſi ad ea exigantur, quæ ſupra de theogoniis vetuſtiſſimorum Græcorum diximus, palam eſt, Homerum ſe religioni populari accommodaviſſe, & cum alia omnia, quam Deorum doctrinam, canere inſtituiſſet, ea ex vulgi religione & poëtarum veterum theogoniis in carmina ſua tranſtuliſſe, quæ poëmatis rationem poſtulare credebat. Cum vero magnos viros regesque primos Deos fecerit popularis religio, qualem Iovem quoque in Theſſalia monteque Olympo late regnantem fuiſſe veriſimile eſt, & hiſtoria vetus omnem illam Deorum familiam, quam inducit Homerus, genuerit, id quod ſupra evictum eſt, concidit omnis de theologia Homeri diſputatio, nec religio ejus ex poëmate illius poteſt erui, cum ſenſus veros de Deo in eo tradere non inſtituerit, ſed ſe populo, cui canebat, & cujus applauſum gratiamque quærebat, accommodaverit: & quæ natura de Deo animo inſevit, vel apud veteres quoque theologos Græciæ dicta erant, cum populari religione tam fœde commiſcuerit, ut ſyſtema doctrinæ de Deo cohærens erui non queat. Quod qui negat, eum talem de Deo cohærentem doctrinam ex Homero oſtendere debere, recte poſtulat, idque impoſſibile judicat cel. MOSHEMIVS. [z] Subductis itaque rationibus, quæ allatæ ſunt, omnibus, non dubitamus Homerum e philoſophorum numero excludere, non obſtante veterum auctoritate & conſtanti traditione, quæ luculentum exemplum exhibet, ad quæ ſententiarum & opinionum monſtra ſeducat auctoritatis & antiquitatis præjudicium.

s) Theologiam Homeri ſingulari quoque libello perſecutus eſt PETR. LESCALOPIERIVS *ad calcem Comm. in Cic. de N. D.* & b. RECHENBERGIVS *pec. diſſ. Lipſ. 1679.*

t) Syſtem. intell. c. IV. § 19. p. 428. ſeqq. add. cl. IOH. LAMIVS de *S. Trinit. l. I. c. 14. p. 56.*

u) Qq. Platon.

x) l. III. in Timæum Platonis p. 96.

y) Vid. *Iliad. ξ'. v. 243. ſeqq.* Mirum vero non recordari Homeri admiratores interpretationum ſuarum per Iovem ætherem explicantium, qua ratione enim, ſalvis his interpretamentis Homerus orthodoxus eſſe queat, non videmus.

z) Ad *l. c.* CVDWORTHI *p. 430.*

* *

CAPVT SECVNDVM.

DE PHILOSOPHIA GRAECORVM POLITICA.

§. I.

Philoſophia Græcorum politica.

Quem in modum rudem & inconditi ſenſus populum Græcorum optimis inſtitutis, & imprimis religione introducta ad rationis uſum, & humanam ſocietatem traduxerint magni viri, quos theologorum nomine honoravit antiquitas, in præcedenti capite oſtenſum eſt. Non ſufficiebat vero muſices & artis poëticæ dulcedine populum allicere, ſicque feros & ad diſciplinam ferendam ineptos animos emollire; nec religionis quoque reconditos ſenſus omnibus patere conſultum videbatur; ſicque non ſatis ſocietati, quam inſtituebant, civili proſpectum erat, ſed legibus quoque, & prudenter conſtituta republica ſalus civitatis erat promovenda. Huic rei initio ipſi quoque rituum ſacrorum auctores ſe adplicabant, legesque ſimul & morum moderationem curabant, unde eleganter HORATIVS[a] utrumque jungit:

Sylveſtres homines ſacer interpresque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus;
Dictus ob hæc lenire tigres rabidosque leones;
Dictus & Amphyon Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere, quo vellet. Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Poſtea conſtituta melius ſocietate & ordinata republica, ſacra a profanis, & myſteria recondita a publicis civitatis regulis atque legibus ſeparata ſunt, ſicque religionis cuſtodia tradita ſacerdotibus, quique arcanis ritibus præfecti erant epoptis, atque hierophantis, leges vero ordinatæ a viris prudentibus, & publicæ ſalutis intelligentiſſimis; qui ubi moderandis rerum publicarum gubernaculis manum admoverunt, non ſaluberrimis tantum conſtitutionibus felicitatis publicæ viam aperuerunt, ſed & prudentiſſimo moderamine, exemplo recto, vitæque atque morum innocentia, dictis item factisque prudentiam politicam ſingularem monſtrantibus ſapientiæ laudem ante alios commeriti ſunt. Et hæc ſapientia Græcorum politica eſt, quam legibus conditis, & politica prudentia exhibuerunt: inter quos cum viri quidam ingenio acutiſſimo & imprimis practico pollentes eſſent, illi ſapien-

a) In *arte poët.*

pientum Græcorum nomen κατ' ἐξοχὴν consecuti sunt. [b] De philosophia itaque Græcorum politica dissertaturi, nondum ad philosophiam justo nomine exornatam & insignitam respicere possumus, sed sapientia Græcorum politica & legislatoria expendenda, & de septem sapientibus Græciæ ea dicenda sunt, quæ magnos viros e communi sorte hominum eximerunt, & honorificentissimum nomen acquisiverunt.

§. II. Inter legislatores Græciæ, (quæ etiam propter colonias Græcas ad Italiæ inferiorem partem extendi, eoque magna Græcia vocari solet) quorum haud exiguus est numerus, [c] sapientia, auctoritate, legumque austera severitate ante omnes alios eminuerunt ZALEVCVS & CHARONDAS. Zaleucus Locrenses Epizephyrios primus omnium legibus instituit, [d] & severissima disciplina rempublicam ordinavit, inter vetustissimos Græciæ legislatores atque sapientes numerandus. Is origine obscura natus, & vitam pastoritiam agens servus quidem fuit, sed ob ingenii acerrimi præstantiam & insignia merita libertatem consecutus, [e] Locrensium rempublicam ita legibus ornavit, [f] ut licet tristiori & severiori habitu essent introductæ, respublica tamen Locrensium gloriam εὐνοματάτης adipisceretur. [g] Hanc legislatoriam prudentiam a Pythagora in his terris scholam aperiente didicisse veterum quidam, imprimis Platonici [h] asserunt, sed contra omnem veri speciem, cum non tantum ab aliis ætas Zaleuci supra Pythagoram longius extollatur, [i] sed & ante Pythagoram Locrenses legum gloria celebres fuerint. [k] Fecitque sine dubio fabulæ auctoritatem, quod moderatores rerumpublicarum in magna Græcia, qui ex disciplina Pythagoræ prodierant, legibus ita constitutis ex Pythagoræ fama atque celebritate auctoritatem quærerent, & similitudinem institutorum jactarent, qua ratione etiam Numam Romanorum regem inter Pythagoræ discipulos fœdo ἀναχρονισμῷ numeratum fuisse, supra dictum est. Non itaque disciplinæ Pythagoricæ, quam ætate, ipso PORPHYRIO [l] prodente, antevertit, sed proprii ingenii acumini & industriæ suæ debuit, quas ex consuetudinibus legibusque non scriptis, Cretensium, Athenienſium & Spartanorum, optimas leges præscripsit, & pœnas arbitrio judicum antea permissas, lege definivit. [m] Adeo vero severa disciplina fuit Zaleuci, ut non tantum vinum extra medici præscriptum bibere vetaret, [n] sed & adulteros oculorum effossione puniendos

Legislatores.

Zaleucus.

b) Repetenda hic sunt, quæ in prolegomenis de significatione vocis σοφὸς, apud veteres, diximus.

c) Catalogum præcipuorum legislatorum in scriptis veterum memoratorum exhibet diligentissimus FABRICIVS *Bibl. Gr. vol. I. p. 528. seqq.*

d) CLEM. ALEXANDR. *Strom. l. I. p. 309.*

e) SVIDAS in Ζάλευκος *T. II. p. 1.*

f) A Minerva se per insomnium accepisse more veterum legislatorum jactabat CLEM. ALEXANDRIN. *l. c. p. 352.* VAL. MAX. *l. 2.*

g) Vid. laudati FABRICIO *l. c. p. 515.*

h) DIODOR. *l. XII. p. 84.* SENECA *ep. 90.* LAERT. *l. VIII. s. 16.* PORPHYR. *vit. Pythag. n. 21. p. 30.* IAMBLICH. *vit. Pythag. c. VII. n. 32. p. 25.*

i) DEMOSTHEN. *Orat. adv. Timocrat. p. 469.* EVSEB. in *Chron.* qui ad *Olymp. XXIX.* refert. vid. BENTLEIVS *ap. diss. de epist. Phalarid. p. 339. seq.*

k) Conf. STRABO *l. VI. p. 259.*

l) Vid. *l. c. n. 56.* ubi refert, Locrenses Pythagoram rejecisse, quia nihil haberent in legibus suis quod reprehendi possit. Vnde non demum a Pythagora datas esse constat.

m) STRABO *l. c. p. 260.*

n) ATHENAEVS *l. X. p. 429.* AELIANVS *l. II. c. 37.*

conſtitueret, cui legi cum ipſe filius obnoxius fieret, is ſibi, ut filio aliquo modo ſine legis fraude parceret, oculum unum, & illi alterum erui paſſus eſſe dicitur. [o] Tanta quoque ſeveritate auctoritatem legibus ſuis conciliavit, ut ſanciret, [p] qui de legis alicujus ſententia differere vellent, hoc facerent in conſeſſu mille virorum, laqueis de collo pendentibus, ſicque laqueo gula frangeretur illi, qui male legem explicaſſe judicaretur. Ipſum ſe ferro interfeciſſe, cum forte belli tempore armatus in concionem prodiiſſet, quod legibus ipſius capitali ſupplicio interdictum erat, narrat EVSTATHIVS, [q] alii tamen Charondæ, alii Diocli Syracuſanorum legislatori tribuunt, vixque veri ſpeciem tuetur, videnturque ejusmodi fabellæ ad conciliandam tantum legibus auctoritatem apud poſteros excogitatæ fuiſſe. Leges ejus paſſim allegari videas, quas tamen ſuppoſititias eſſe non ſine acumine contendit RICHARDVS BENTLEIVS, [r] vir celeberrimus.

Charondas. CHARONDAS Catanæus, [s] etiam Pythagoræ diſcipulus fuiſſe, veteribus traditur, [t] etſi ætate ſuperiorem facile alia evincant: [u] isque non ſolum Catanenſibus ſuis, ſed & aliis Italiæ civitatibus per Italiam atque Siciliam leges ſcripſit, tanto cum applauſu, ut numis honoratam fuiſſe ejus effigiem contendat RAPHAEL TRICHETVS DV FRESNE, [x] qui diligenter de hoc legislatore egit: contrarium tamen ſentiente & aliam numo Catanenſi interpretationem adplicante illuſtri SPANHEMIO. [y] Inter Athenienſes primus legibus civitatem inſtituit, poſt leges a Cerere datas vel a con-

Triptolemus. ditore ad Cererem potius relatas, TRIPTOLEMVS, quarum tres Eleuſine aſſervatas easque antiquiſſimas refert PORPHYRIVS; [z] parentes honorandos, Deos fructibus colendos, animalia non lædenda eſſe. Eas poſtea ſeu nimia vetuſtate obſoletas, ſeu reipublicæ gubernandæ moribusque ci-

Draco. vium formandis non ſufficientes DRACO inſtauravit & auxit circa Olymp. XXXIX. civitate jam conſtituta, [a] quas tanta aſperitate atque ſeveritate tulit, ut Herodicus apud ARISTOTELEM [b] dixerit, leges eſſe non hominis, ſed draconis, itemque Demas apud PLVTARCHVM, [c] quod ſanguine, non atramento leges ſcripſerit. Vnde triſtem poſtea diſciplinam ma-

Solon. gna ex parte abrogavit SOLON & mitiores leges poſuit, Epimenidis, quod ſupra vidimus, conſilio uſus, conſultis quoque Ægyptiorum atque Cretenſium legibus, [d] unde tota Athenienſium Themis a viris doctis paſſim illuſtrata [e] originem cepit, quam auxerunt poſtea Cliſthenes, Demetrius Pha-

o) IDEM *l. XIII. c. 24.* VALER. MAXIMVS *l. VI. c. 5.*

p) POLYB. in *Eclog. l. XII. p. 920.* STOBAEVS *Serm. XXXIX.*

q) Ad *Iliad. α'. p. 62.*

r) *l. c. p. 343. ſeq.* Ejus leges Latino ſermone collegit IO. WILH. ENGELBRECHT. *Lipſ. 1699. 4.*

s) Vid. laudati FABRICIO *l. c. p. 519. not.*

t) IAMBLICHVS *l. c.* SENECA *l. c.* PORPHYR. *l. c.*

u) Pertinent huc dicta de Zaleuci ætate.

x) In epiſtola *de Charondæ effigie in numo Catanenſi expreſſa. Pariſ. 1658. 8.* & in *T. X. theſ. Gronov. p. 574.* cujus compendium dedit. V. cl. PETR. ZORNIVS *Biblioth. antiquar. exeg. T. I. p. 105.*

y) *De uſu & præſtant. numiſmat. T. I. diſſ. VII. p. 401.* qui imaginem de Sileno explicat.

z) *De abſtinentia l. IV. p. 431.*

a) ARISTOT. *Politic. l. II. c. 10.*

b) *Rhetor. l. II. c. 23.*

c) In *Solone.*

d) *Olymp. XLVI.* AELIAN. *l. VIII. c. 10.* PLVTARCHVS & LAERTIVS. in *Solone.*

e) MEVRSIVS in *Themide Attica*, recuſa *T. V. The-*

Phalereus, Hipparchus, Pericles, Piſiſtratus, Sophocles, Theſeus, aliique. Lacedæmonios vero ſalutaribus legibus inſtruxit LYCVRGVS, nobiliſſimum inter nomothetas nomen, atque antiquum, quod circa initium Olympiadum effloruit. [f] Is Thaletem Cretenſem, [g] celebrem theologum poëtam atque legumlatorem audivit, [h] & Ægyptiorum, atque Cretenſium conſtitutiones imitatus novis legibus Spartanorum civitatem munivit, & ut auctoritatem iis conciliaret, eas ad Apollinem retulit, [i] ita tamen ut nihil ulla lege in alios ſanciret, cujus non ipſe primus in ſe documenta daret, [k] unde non tantum Lycurgi nomen in proverbium abiit pro viro honeſtatis & virtutis tenaciſſimo, ſed & ipſa Spartanorum diſciplina tanquam parens maſculæ virtutis commendaretur. Negandum tamen non eſt, varia in Lycurgi legibus reprehendiſſe viros doctos, in quibus plus fortitudinis quam modeſtiæ & juſtitiæ tributum fuit. [l] Peculiare eſt, quod veteres notant, leges ſuas ſcripto non edidiſſe, ſed tanquam ῥήτρας Apollinis & ſacra oracula Delphis allata memoriæ tradendas regumque ſub cuſtodia ſervandas conſtituiſſe, [m] id quod non ad augendam tantum opinionem de origine divina & auctoritatem ſtabiliendam, ſed & ad rationem ſtatus reipublicæ juvandam comparatum fuit, ut ita integrum reipublicæ moderatoribus eſſet, addere, quæcunque e re publica eſſe, cognoviſſent, [n] ſicque notabile hoc exemplum eſt methodi arcanæ, etiam circa philoſophiam politicam adhibitæ. Solebant autem leges illæ decantari, modulos muſicos iis adaptantibus Thalete Cretenſi, Tyrtæo, Terpandro aliisque. [o] Tandem magna fama celebratæ quoque ſunt leges Cretenſium, quas Solonem & Lycurgum conſuluiſſe diximus. Eas a RHADAMANTO acceperunt, qui a Iove ſe tuliſſe profeſſus eſt, [p] moreque vetuſtiſſimorum theologorum deos ita reverenter haberi, & ſacro ſilentio de iis cogitari juſſit, ut lege conſtituerit, ne in jurejurando Deos nominare fas eſſet. [q] Hunc inter Cretenſes imitatus eſt MINOS, nomotheta itidem inclytus, qui & ipſe legum ſuarum auctorem Iovem eſſe dixit: & memorabile, quod antrum Idæum Iovi ſacrum extra urbem habuit, quod frequentaret; iſtis enim antris peculiaria numina præeſſe, inque iis Deos peculiari revelatione voluntatem patefacere multis veterum legislatorum & theologorum jactatum

Lycurgus.

Rhadamantus.

Minos.

Theſauri Gronoviani, quem tamen fictas Rhetorum leges interdum pro veris accepiſſe obſervat S. PETITVS *Comm. ad leges Atticas.* Alios nominat FABRICIVS *l. c. p. 527.*

f) Conf. IDEM *l. c. p. 523. & p. 236. ſeqq.*

g) Diſtinguendus hic Thales a Mileſio de quo ſuo loco; videndus de eo FABRICIVS *l. c.*

h) PLVTARCHVS in *Lycurgo.* STRABO. *l. X. p. 480.*

i) DIOD. SIC. *l. I. p. 48.* LIBANIVS *T. II. p. 479.* quem in finem oraculum Delphicum a Lycurgo corruptum fuiſſe refert POLYAENVS *Stratag. l. I. p. 16.* cujus oraculum exhibet THEODORIT. *l. X.* de *cur. Græc. affect. p. 140.*

k) IVSTINVS *l. III. c. 2.*

l) PLATO *de legibus l. I.* ARISTOT. *Polit. l. II. c. 7.* PLVTARCH. in *Lycurgo*, ex recentioribus BAYLE *Dict. T. III.* art. *Lycurgus p. 109. ſeqq.* Hinc effrenis judicanda licentia ALB. comitis PASSERANI, qui Lycurgum cum Ieſu Nazareno comparare non erubuit, quam luculenter detexit, & accurate atque prolixe de Lycurgi legibus diſputavit S. Rev. MOSHEM. *Theol. mor. P. II. p. 313. ſeqq.*

m) PLVT. *l. c.* HERODOT. *l. VI. c. 57.*

n) Conf. ANT. VAN DALE *de orig. idololatr. pag. 314.*

o) Conf. FABRIC. *l. c. p. 524.* & quos laudat,

p) STRABO *l. X. p. 467.*

q) SVIDAS *in* Λάμπων *T. II.*

fuit: quæ cauſa quoque fuit, cur Pythagoras in eo Minoëm imitaretur. Qui cum ex hoc profeciſſe IAMBLICHO [r] dicatur, novum nobis exemplum eſt, quam impudenter Platonici hi omnes magnos antiquitatis viros ad heroëm ſuum rapuerint. Fuiſſe enim Cretenſium leges ante Lycurgum Pythagora longe antiquiorem, modo audivimus.

Septem ſapientes Græciæ.

§. III. Poſt legislatores Græcorum civilis ſapientiæ & moralis quoque eruditionis laudem SEPTEM VIRI graves & magiſtratus muneribus inclyti retulerunt, qui ſolenniori & eminentiori quadam ſignificatione SAPIENTES dicti ſunt. Eorum hiſtoriam ex veteribus multi tradiderunt, quorum narrationes collegit DIOGENES LAERTIVS, [s] & commentatores ejus, inter quos eſt MENAGIVS, cui STANLEIVS [t] ſuo modo adjiciendus eſt. PLVTARCHVS quoque convivium ſeptem ſapientum [u] nobis reliquit, in quo tamen fabulas veteres de ſeptem ſapientibus Græciæ novis, ut placerent auxit: ſic ut libellus, longe alio ſcopo ſcriptus, [x] quam ut hiſtoriam enarraret, non niſi cautiſſime ſequendus ſit. Hos ſecuti ſunt recentiores ſcriptores plurimi, de quibus quia non ſine eleganti eruditione & judicio expoſuit cel. CHRISTOPHORVS AVGVSTVS HEVMANNVS, qui & ipſe ἀκριβῶς καὶ πολυμαθεστάτως de his ſapientibus egit, [y] lectorem brevitatis cauſa ad eum remittimus, idque tantum obſervamus, accidiſſe hiſtoriæ ſeptem ſapientium Græciæ, quod plerisque veterum traditionibus accidere videmus, quæ initio ſimplices atque nudæ, ubi ad poſteros propagantur, novis ſemper circumſtantiis ornantur, comuntur, emendanturque, ſicque per aliquot ſecula propagatæ mutantur, ut primam & nativam faciem ægre agnoſcas. Ita enim veterum narrationibus aſſuta ſunt plurima, ut difficile ſit, id, quod veriſimillimum eſt, ex iis omnibus eruere.

Occaſio enati tituli.

Occaſionem vero enati ſapientium Græciæ tituli, quæ Damaſia Athenienſium archonte Olymp. XLIX. 3. [z] accidiſſe dicitur, ita veteres, interprete LAERTIO, [a] atque VALERIO MAXIMO [b] plerumque referunt. Ionici adoleſcentes quidam a piſcatoribus Mileſiis jactum retis emerunt, reti educto, tripus aureus magni pretii extractus eſt: orta inde contentione, illis piſcium ſe capturam vendidiſſe affirmantibus, his, fortunam tractus ſe emiſſe, dicentibus, controverſia demum propter novitatem rei & magnitudinem pecuniæ ad univerſum ejus civitatis populum delata eſt atque placuit Apollinem Delphicum conſuli, cuinam adjudicari deberet. Deus reſpondit:

De

r) *De vit. Pyth. c. V. n. 27. p. 21.* conf. MEVRSIVS *in Creta l. II. c. 3. p. 21. l. III. c. 8. p. 161. ſeqq.*

s) Integro *l. I.*

t) *Hiſt. philoſ. P. I.* qui plerosque veterum locos congeſſit, ut Laërtium, quem potiſſimum ſequitur, illuſtraret.

u) *T. I. Opp. p. m. 284. ſeqq.*

x) Totum enim convivium hoc ad inventiones Rhetorum pertinere, ſuo loco probabimus. Symposiorum enim forma ſermones morales eleganter tradidiſſe Græcos, PLATO, ARISTOTELES, EPICVRVS, ATHENAEVS exemplo ſunt.

y) *Act. Phil. vol. II. p. 494. ſeqq.*

z) Sub eo enim Thaletem hunc titulum accepiſſe nomenque ſortitum refert LAERT. *l. I. ſ. 22.* Is vero Damaſias alter fuit, qui eo tempore floruit.

a) *Lib. I. c. 27.*

b) *Lib. VIII. c. 1.*

De tripode ex Phœbo quæris Mileſia proles;
Huic tripodem addico, cui ſit ſapientia prima.

Tum Mileſii communi conſenſu Thaleti tripodem dederunt, ille ceſſit Bianti, Bias Pittaco, is protinus alii, deincepsque per omnem ſeptem ſapientum circulum ad ultimum ad Solonem pervenit. Qui & titulum ampliſſimæ ſapientiæ & præmium ad ipſum Apollinem tranſtulit. Sapere narrationem hanc fabulam, ideo excogitatam, ut jucunditate circumſtantiarum auribus placeret, quilibet haud obeſæ naris facile ſubolfacit. Ita enim rebus vetuſtiſſimis ſæpiſſime accidit, ut mirabilior atque auguſtior eis facies affingeretur, quo magis veterum ruditas curioſis oculis probaretur. Mirum itaque non eſt, in referendis hiſtoriæ circumſtantiis vehementer inter ſe diſſentire veteres. Non enim inter eos certa ratione conſtat, de qua potiſſimum re diſceptatum fuerit? Aureum tripodem fuiſſe plerique tradunt, VALERIVS MAXIMVS auream menſam vocat, ideo notatus ab OLEARIO [c] & HEVMANNO, [d] qui tamen non vulgarem menſam, ſed Delphicam, quæ tripus dicta fuit, intellexit. Alii apud LAERTIVM [e] φιάλην vocant, & poculum aureum. [f] Conciliari tamen poſſunt ita, ut dicatur, tripodem fuiſſe craterem, ſive poculum tribus pedibus inſtructum, crateres enim ejusmodi tripodas in certaminibus Bacchi præmium plerumque fuiſſe, refert ATHENAEVS [g] & Heſiodum, in certamine cum Homero ejusmodi tripodem ὠτωέντα auribus vel anſis potius cinctum accepiſſe, hiſtoria certaminis ejus narrat. Aureus vero vel æreus fuerit, inter diſſentientes veteres [h] definiri non poteſt: certe, ſi æreus fuit, auratum fuiſſe, dubium non eſt, niſi veterum narrationes plerasque rejicere velimus. Occaſio porro traditi ſapientiſſimo præmii longe aliter ab aliis, majorique cum veriſimilitudine narratur. Eudoxus enim Cnidius apud LAERTIVM [i] Evandesque Mileſius tradunt, Crœſi amicum quendam poculum aureum a rege accepiſſe, ut illud ſapientiſſimo Græcorum daret, eumque obtuliſſe Thaleti: alii Anacharſin miſſum ut cui tradendus ſit rogaret; alii a rege ad Pittacum miſſum tradunt. Sunt, qui dicant, a Periandro ad Thraſibulum Mileſiorum tyrannum onuſtam navim miſſam fuiſſe, eaque cum naufragium feciſſet inventum tripodem a piſcatoribus. Alii, ut miſcendo humana divinis auguſtiorem fabulam redderent, a Vulcano fabrefactum ac pro munere Pelopi datum, cum ille uxorem duceret, demum ad Menelaum perveniſſe, raptumque cum Helena ab Alexandro in Coum mare fuiſſe conjectum, ſicque a piſcatoribus extractum fabulantur. Inter diſſentientes has veteres traditiones ea vero accedit proxime, quam Androni debemus, ſcriptori gravi, [k] qui librum de tripode ſcripſit,

c) Ad STANLEIVM *p. 6.*
d) *l. c. p. 508.*
e) *ſ. 28.*
f) *Ib. ſ. 29.*
g) *Lib. II. p. 37. ſeqq.* conf. *Hiſt. crit. de la republ. des lettres T. XII. art. II. p. 273. ſqq.* HEVMANN. *l. c.*
h) Conf. MENAGIVS *ad Laërt. l. I. ſ. 82.*
i) *l. c. ſ. 28. ſeq.*
k) Videndus de eo IONSIVS *deſcript. hiſt. philoſ. l. I. c. 8. p. 40.*

ſcripſit, [l] in quo refert: Argivos ἀρετῆς, virtutis præmium tripoda conſtituiſſe ſapientiſſimo Græcorum, eumque Ariſtodemum Spartanum fuiſſe judicatum, qui eum conceſſerit Chiloni. Hæc enim mori Græcorum de eruditione propoſitis præmiis diſceptandi ſunt conſentanea, & ſimplicem rei hiſtoriam, miris poſtea fabulis auctam & adulteratam nobis exponunt. Cui vero præmium tantum deſtinatum fuit? plerique adfirmant quidem, σοφοτάτῳ deberi, obſcurum tamen eſt, quid per ſapientem tum temporis intellexerint, qui præmium certantibus propoſuerunt? Sapientiæ enim nomen non philoſophis tantum datum eſſe, ſed & omnem eruditionem indicaviſſe, in prolegomenis pluribus demonſtravimus; unde hic per ſapientem intelligi virum ſententiis ad mores pertinentibus & vitæ innocentia excellentem contendit AVGVSTINVS.[m] Alii vero & in his Dicæarchus, [n] neque ſapientes, neque philoſophos fuiſſe contenderunt, ſed viros συνετὸς δὲ τινὰς καὶ νομοθετικὸς, *prudentes atque legislatoria eruditione excellentes.* Anaximenes autem poëtica facultate eximios fuiſſe putavit.[o] Quod veterum ſententiæ divortium ſatis prodit, ambiguam eſſe ſapientiæ nominis hac in re ſignificationem. Vt vero certi quid definiamus in re incerta, illud ex Andronis narratione tenendum eſt, ἄθλον ἀρετῆς σοφοτάτῳ deſtinatum fuiſſe. Ἀρετὴν vero Græci non virtutem tantum moralem dicunt, ſed omnem omnino perfectionem, qua quis excellit. [p] Qualis vero ea virtus fuerit, nemo, niſi fallimur, melius vidit Dicæarcho, qui ad eam eruditionem atque ſapientiam, qualis eo tempore apud Græcos ſumma in laude poſita erat, & in Ariſtocratica reipublicæ forma eminebat, retulit, & prudentiam legislatoriam intellexit. Ejusmodi enim viri prudentiſſimi, qui cum laude reipublicæ præerant, omnes, præter unum Thaletem philoſophiæ laude inclytum, fuerunt, ne Periandro quidem excepto, etſi Græcis monarchicum imperium vehementer abhorrentibus, valde vapulet & peſſime audiat. Qua in re confirmamur PLVTARCHI [q] auctoritate, qui πολιτικὴν ἀρετὴν eis tribuit, quemadmodum & Chilon, [r] qui ex numero illorum fuit, hanc viri prudentis & rebus publicis admoti virtutem eſſe dixit, ut ratiocinatione ea prævideat & comprehendat, quæ futura ſunt, quæ πρόνοια ſive prudentia virtutem politicam conſtituit. Neque vero regulæ morum excludendæ ſunt, in quibus eos Laconica ſapientia excelluiſſe, dicta, quæ ipſis tribuuntur, & præcepta morum ſuadent. Quia vero tripodem certaminis præmium propoſitum fuiſſe veteres tradunt, ad certaminum gloriam eo tempore quæſitam omnino reſpiciendum eſt. Ea vero in poëticæ facultatis præſtantia poſita fuit, id quod

l) Apud LAERTIVM *l. c.*
m) *De Civ. Dei l. XVIII. c. 25.*
n) LAERT. *l. c. ſ. 40.*
o) *Ibid.*
p) Exemplum ſignificationis hujus vide apud PLVTARCH. *de educ. lib. c. IV.* & Lexicographos paſſim.
q) In *Solone T. IV. p. m. 147.* ubi de iis: *Omnino veriſimile eſt, ſolam tunc Thaletis philoſophiam ultra uſum ſe ad contemplandum extuliſſe, reliquos ſapientis nomen a civili virtute inveniſſe.* conf. CICERO *de Orat. l. III. c. 34.*
r) LAERT. *l. I. ſ. 68.*

quod de certamine Homeri & Heſiodi, Menandris & Euripidis aliorumque poëtarum veteribus memorata teſtantur. [s] Excelluiſſe vero viros hos ſapientes non politica tantum, ſed & poëtica eruditione, carmina eorum, ſive ἀδόμενα, decantari ſolita, quæ eis tribuit LAERTIVS, [t] luculenter evincunt, unde inter poëtas Græcos recte illos retulit VOSSIVS. [u] Nec hoc a more rectorum civitatum alienum, quos leges ſuas carminibus ſcripſiſſe & decantando propoſuiſſe, præcedente paragrapho Lycurgi exemplo probavimus. Ex dictis jam, quid de ſeptem ſapientibus Græciæ ſtatuendum ſit, veriſimili inductione facile colligi poteſt. Nempe, fuiſſe viros celebres, prudentia civili & potiſſimum legislatoria inter ſuos nomen atque famam ingentem conſecutos, qui ut in omni eruditione ad mores civium pertinente excelluerunt, ita arte quoque poëtica inclareſcentes, de eruditionis gloria dictis atque præceptis prudentiam moralem atque civilem reſpicientibus propoſito tripodis inaurati præmio carminibus decertarunt. Ita enim non temporis tantum illius conſuetudo, ſed & veterum diverſæ narrationes in concordiam facile atque ſine violentia redigi poſſunt. Imprimis vero & hoc ex illius temporis conſuetudine repetendum eſt, morem Græcorum dictis moralibus atque præceptis ad vitam potiſſimum civilem ſpectantibus, brevi acumine ingenii aciem demonſtrandi, non inter Spartanos tantum [w] ſed in omni fere Græcia, maximam admirationem meruiſſe. [x] Qualia cum ea fuerint, quæ viris his apud veteres dicta tribuuntur, patet non erraſſe PLATONEM [y], qui eam ob cauſam ſapientum nomine illos dignos habitos fuiſſe tradit, refertque eos interdum conveniſſe, & Apollini præcepta ſua dedicaviſſe, quæ poſtea in templo ejus Delphis inſcripta fuerint. Quod ſi verum eſt, facile, nos convincit, fieri potuiſſe, ut tantam ſapientiæ celebritatem conſequerentur, licet ex trivio petita hæc ſapientia oculatioribus videri queat. [z] Concurrebant enim ad hanc famam ſapientiæ tuendam, ingenii præſtantia, politica prudentia, dicta atque præcepta civilia, & Laconica eloquentia, atque poëticæ facultatis præſtantia: quibus partibus, ſi unam theologiam excipias, philoſophiam, ſive eruditionem potius Græcorum politicam tum temporis conſtitiſſe, tanquam veriſimillimum nulli dubitamus aſſerere. [a] Mirum itaque non eſt, cum hoc viderint, rectequeobſervaverint veterum quidam, [b] deletos ab iis ex Sapientum albo fuiſſe hos ſapientes

s) Plura hac de re memoratu digna congeſſit diligentiſſimus IONSIVS *de ſcript. Hiſt. phil. l. I. c. 16. p. 85.* alibique adhuc erit dicendi locus. Conf. GELLIVS *l. XVII. c. 4. Obſ. Hal. T. III, obſ. I. §. 15.*

t) *l. c. ſ. 35. 61. 89.* conf. ATHENAEVS *l. XV. p. 678.* & CASAVBONVS ad *ll. cc.* utriusque ſcriptoris. *u)* *De poët. Græc. c. 3.*

w) Vid. PLATO *de leg. l I. p. 519.* PLVTARCH. in *Apophthegm. Lacon. T. I. p. m. 371. ſeqq.* pluresque alii, qui Laconiſmum ſermonis expoſuerunt.

x) Conf. NIC. CAVSIN. *pal. eloq. Rom. l. II. c. 14. p. 102. ſeq.*

y) In *Protagora p. 343.* conf. PLVTARCH. in *Sol. l. c.*

z) Singularibus tamen diſſertationibus id quod Φιλοσοφικῶς dictum videri poteſt, explicavit B. BVDDEVS in *Sapientia Veterum, ſ. dictis illuſtrioribus ſeptem ſapientum Græciæ.*

a) Aliter viſum cel. HEVMANNO *l. c. p. 512. ſeq.* cujus rationes cum noſtris lector ipſe expendat, atque conferat. Cogitanda temporum ruditas, quibus licebat mediocri eruditione excellere.

b) Vid. laudati LAERTIO *l. I. ſ. 40.* CICERO *de amic. c. 3.* PLVTARCH. *l. c.* & quæ ſupra hac de re dicta ſunt.

tes Græciæ, quippe qui philoſophari eo modo non inſtituerunt, quemadmodum Thales inter eos cœpit, qui quod practicæ ſcientiæ ſpeculativam junxiſſet, maximus & celeberrimus inter eos a multis habitus eſt. [c] Septem vero, numero viros hos fuiſſe, conſtantiſſima veterum traditio eſt, varie tamen nomina iſtorum virorum afferuntur. Et plerumque quidem enumerantur, Thales, Solon, Chilon, Pittacus, Bias, Cleobulus, Periander, ultimus vero a multis Græcis monarchico, quod affectabat, imperio inviſis hoc numero excluditur, ejusque in locum MYSON Chenæus, vel Anacharſis quoque Scytha inſeritur. De hoc ſupra jam actum, ille vero non ex urbe, ſed ex vico, eoque obſcuro natus, [d] aratro potius curando, quam ſapientiæ tradendæ intentus, Timonis & Apemanti mores ſolitarios imitatus eſt, & a vanitate Græcorum mentem conſervavit puram, longe alio ſenſu ſapiens vocandus. Vnde a plerisque, quæ ei tribuuntur, dicta Piſiſtrato adſcribuntur, primusque forte PLATO eſt, qui ejecta ex ſeptem ſapientum Græciæ numero Periandro ſubſtituit Myſonem. [e] Ordine itaque hiſtoriam virorum diverſo animi & eruditionis charactere memorabilium expendemus, Thalete ad conſiderationem ſectæ Ionicæ, cujus auctor & philoſophiæ Græcæ quaſi parens fuit, ſervato.

Nomina ſapientum Græciæ.

Myſon.

§. IV. Primus atque prudentia civili clariſſimus poſt Thaletem fuit SOLON [f] Athenienſis, patre Execeſtide natus, homine tenuis quidem fortunæ, nec magnæ inter cives auctoritatis, nobiliſſimi tamen generis, quippe qui ejus origines a Codro ducebat. Salamine, teſte LAERTIO natus eſt, ubi & ſepeliri voluit, a parentibus tamen & domicilii loco Athenienſis dictus fuit. [g] Patre, quod PLVTARCHVS refert, nimia liberalitate opibus ita exhauſto, ut neceſſariis etiam deſtitueretur, mercaturam Solon ad quærendas vitæ neceſſitates exercuit, ita tamen, ut itineribus negotiorum cauſa ſuſceptis, ad augendas quoque animi divitias & experientiam firmandam uteretur. Erat enim in eo inſatiabilis diſcendi & ſciendi ardor, ſic ut moribundus quoque amicos colloquentes audire & ſermones eorum morti proximus intelligere deſideraverit. [h] Neque divitiarum tanta cura, quam diſcendi, in qua conſeneſcere ſe dixit. [i] Prudentiæ vero civili artique poëticæ animum applicuit, verſibus condendis adeo jucundus, ut magis, quam philoſophum deceat, luxuriatum fuiſſe objectum ſit; [k] in quo tamen ad vitæ inſtitutum, quod Solon ſequebatur, non reſpexerunt, qui Solonem ideo reprehenderunt, qui non ſcholæ, ſed vitæ philoſophatus eſt, & ad civitatis, in qua eminebat, mores, & decori rationem ſe attemperabat, unde & vitam profuſam & mollem ei objectam fuiſſe, mirum non eſt, etſi hoc cum fa-

Solon.

c) Inde proverbium *Thalete ſapientior*, vid. PLAVTVS *Bacch. I. 2. 13. Capt. II. 2. 24.* ARISTOPH. *Nub. act. I. ſc. 2.* CICERO *de leg. l. II.*

d) LAERT. *l. I. ſ. 106. ſeqq.* MAX. TYR. *diſſ. XV.*

e) In *Protagora* conf. *Excerpt. Peireſc. p. 235.*

f) Res Solonis ex veteribus imprimis illuſtraverunt PLVTARCHVS in *Solone T. IV. p. m. 144. ſeqq.* & LAERT. *l. I. ſ. 45. ſeqq.* quæ cum aliis veterum locis contulit STANLEIVS *Hiſt. Phil. P. I. p. 28. ſeqq.* qui conſulendus eſt.

g) Conf. IOH. MEVRSIVS in *Solone c. 3. p. 7.* qui diligenter res archontis hujus collegit.

h) VALERIVS MAXIMVS *l. VIII. c. 1.*

i) PLVTARCH. *l. c.*

k) ibid.

facultatibus, quæ ei tribuuntur, modicis vix cohæreat.[l] Hac pangendi carminis felicitate viam ſibi ad ſummam, quam inter Athenienſes conſecutus eſt, gloriam munivit. Cum enim Athenienſes, pro recuperanda, quæ ad Megarenſes defecerat, Salamina complurium annorum bellum moleſtiſſimum geſſiſſent, adeo ejus poſtremo pertæſum eſt, ut legem ſcripſerint, capitis pœna, ne quis rogationem ferret ad populum de Salamine recuperanda. Hæc quia Solon videbat & patriæ ignominioſa, & juventuti arma movere cupienti exitioſa, dementiam ſimulavit; cujus fama cum per urbem emanaſſet, compoſitos a ſe, quos edidicerat, elegos in forum ſe rapiens, pileatus & coronatus in ſuggeſtu præconis recitavit: tanto cum applauſu, ut, incitante populum Piſiſtrato, ut conſilium ejus de renovando bello ſequerentur, lex abrogaretur, bellumque recrudeſceret,[m] quod ducibus Piſiſtrato atque Solone non ſine ſtratagemate[n] ita confectum fuit, ut Athenienſes Megarenſes delerent, Salamina recuperarent, jusque eorum a Solone apud reliquas Græciæ civitates, præcipue Lacedæmonios evidenter demonſtraretur.[o] Hac via ingentem ſibi gloriam comparavit, quam inſigniter auxit, poſtquam bellum ab Athenienſibus contra Cirrhæos Delphici templi religionem profanantes arte & marte feliciter confeciſſet.[p] Cyloniumque tumultum extirpatis ejus ſceleris miniſtris compoſuiſſet.[q] Cum vero[r] cives in veterem quoque de republica conſtituenda diſſenſionem relaberentur, quibusdam democratiæ faventibus, aliis paucorum dominatum præferentibus, quibusdam mixtam reipublicæ formam probantibus; & imprimis pauperes a fœneratoribus libertate, facultatibus & liberis quoque exuerentur[s] atque opprimerentur, Solonem rei afflictæ medicinam afferre poſſe rati, eum rogaverunt, ut rempublicam capeſſeret, & civium controverſias componeret: qua in re etſi anceps hærebat Solon, patriæ tamen neceſſitati ſe non ſubtraxit, creatusque fuit archon Ol. XLVI. 3. Hic magno imprimis negotio ſe applicans, non concordiam tantum inter opulentiores & pauperes reſtituit, ſed civitatem quoque a vetere diſciplina totam ſolutam, Epimenide, qui tum urbem ſcelere Cylonio pollutam expiabat,[t] inſtigante & conſiliis adjuvante, novis conſtitutionibus ordinavit, & ubi res tolerabilis erat, nihil movit, ne reſpublica miſceretur, viresque amitteret omnes, lege publica contractum æs remiſit, ſicque corpora ſervientium per inopiam redemit,[u] populum in claſſes divi-

l) Vid. STANLEIVS *l. c. p. 29.* verſus tamen, quos ex PLVTARCHO *l. c.* adducit, contemtum magis divitiarum, quam inopiam innuunt.

m) Narrant hiſtoriam DEMOSTHENES *de falſa leg. p. 233.* PAVSANIAS in *Atticis*, PLVTARCHVS *l. c.*

n) Vid. POLYAEN. *Stratagem. l. 20.* PLVTARCHVS *l. c.* AELIANVS *l. VII. c. 9.*

o) LAERTIVS *l. I. ſ. 49.*

p) Omnibus tamen Græcorum copiis præfectus Cliſthenes, Sicyoniæ tyrannus, cui ut conſiliis adeſſet, junctus eſt Solon. PAVSANIAS in *Phocicis c. 37.*

q) PLVTARCH. *l. c.* *r*) IDEM *l. c.*

s) Vel ruſticas enim præſtabant operas, ſextantem fructuum penſitantes, unde Hectemorii & Thetes appellabantur, vel corporibus oppignoratis duci, ut vellent, a creditoribus poterant.

t) Hæc melius cohærent, quam EVSEBII, qui in *Chron.* expiationem urbis Ol. XLVII. 2. & SVIDAE qui XLIV. Ol. accidiſſe, tradit. Factam eſſe Olyp. XLVI. refert. LAERT. *l. c.* De ipſa expiatione urbis ſupra in Epimenide dictum.

u) Ejus rei memoria peculiari feſto celebrata Athenis, quod Σεισαχθεία, id eſt, oneris excuſſio

ſit, & judicia inſtituit, [x] & optimis legibus rempublicam firmavit, quarum tanta apud ceteros quoque fama percrebuit, ut Romani, teſte LIVIO [z] mitterent Athenas, qui inclytas Solonis leges deſcriberent. Plurima quoque in iis egregia, laudeque digniſſima, etſi ſunt quoque aliqua, quæ viris legislatoriæ prudentiæ peritis diſplicuerunt, [a] inter quæ immerito refertur, [b] quod de Diis nihil ſanxerit, eorum enim cultui a Triptolemo jam proſpectum fuiſſe ſupra vidimus. Acceſſere & alia inſtituta, ad dandum legibus robur introducta, [c] quæ omnia non vi & tyrannide, ſed rationibus, obteſtationibus, precibus, blanditiisque populo perſuaſit. Tantumque hac ſapientia civili nomen & famam conſecutus eſt, ut ab ultima Scythia Anacharſis atque Toxaris, ut ſuo loco dictum eſt, ad eum accederent, amicitiam jungerent, diſciplinam ejus diſcerent. Perlatis legibus cum indies adirent, qui de legum ſenſu & uſu moleſte eum percunctarentur, ut carpendi licentiam & civium importunitatem evitaret, impetrata venia, ut abeſſe ſibi decennio liceret, conſcenſa navi primum in Aegyptum delapſus eſt, ibique cum Pſenophe Heliopolita, inter ſacerdotes, literatiſſimo juncta amicitia Aegyptiacam eruditionem didicit, [d] cui Aegyptii Græcam magnopere poſtponebant. [e] Inde in Cyprum navigavit, regi Philocypro conſiliis utilis indeque honoratus, Thaletem quoque inviſit, & reliquos quoque ſapientes Delphis & apud Periandrum conveniſſe dicitur, niſi tota illa Sapientum congregatio fabulis adnumerari mereatur : inter quas & colloquium cum Crœſo referendum eſt. [f] Obiit in inſula Cypro anno ætatis octogeſimo, &, ut juſſerat, in patria Salamine ſepultus, ejusque memoria tum Salamine tum Athenis ſtatua ei poſita honorata eſt. [g] Inter apophthegmata ejus ſunt, quæ ingenii acumen atque modeſtam philoſophiam omnino ſapiunt ; carminibus enim ſententias inſeruiſſe philoſophicas, & intexuiſſe præcepta civilis ſapientiæ, non ut eam memoriæ traderet, ſed ut rationes actionum ita traderet, PLVTARCHVS refert. Inter iſtas enim ſententias eminent : rationem ducem ſequendam, cum malis non congrediendum, præclara ſtudioſe meditanda, mendacium fugiendum, amicitiam ſervandam, & quæ alia juris naturalis præcepta ſunt, quæ tamen philoſophum proprie dictum non faciunt. Celeberrimum ejus dictum eſt : Reſpice finem.

§. V.

cuſſio vocata, vid. PLVT. *l. c.* Reverendiſſimus POTTERVS *arch. Græc. l. II. c. 20. p. 399.*

x) *Citati.* POTTER. *l. I. c. 4. p. 11.* MEVRSIVS in *Sol. c. 13. p. 44.* STANLEIVS *l. c. p. 36.*

z) *l. III. c. 31.*

a) THOMASIVS de *Iurispr. judic. p. 40. ſeq.* conf. Scriptores de legibus Solonis laudati FABRICIO *Bibl. Græc. Vol. I. p. 544. ſeq.*

b) MAXIMVS TYRIVS *diſſ. XXXIX.*

c) PLVT. *l. c.* GELLIVS *l. II. c. 12.*

d) PLVTARCH. *l. c.*

e) Notum illud : *O Solon Solon, vos Græci ſemper eſtis pueri, Senex vero Græcorum nullus. l. c.* Ibi vero legislatoriam prudentiam ex Moſis lege didiciſſe ſomnium eſt HVETII *Dem. Ev. Prop. IV. c. II. §. 6. p. 52. ſeqq.* jam enim leges condiderat, cum in Ægyptum proficiſceretur.

f) Nota hiſtoriola, quæ Solonem Crœſum divitiis ſe jactantem felicem reprehendiſſe narrat, monentem : ante mortem neminem beatum dicendum. Quam ſententiam in rogo conſtitutum recordatum exclamaviſſe : o Solon Solon, & ita ignem evaſiſſe. HERODOT. *l. I. c. 86.* NIC. DAMASCENVS in *exc. Peireſc. p. 456.* & DIODORVS *ib. p. 240.* Temporis vero rationes non conſpirare jam notavit PLVT. in *Solone.* nec IVSTINVS illa refert. *l. I. c. 7.* Chronologiæ tamen difficultatibus mederi ſtuduit MARSHAMVS *Can. Chron. Sec. XVIII. p. 625.*

g) LAERT. *l. I. ſ. 62.* PAVSANIAS in *Att. c. 16.* AELIAN. *l. XIII. c. 16.*

§. V. Poſt Solonem CHILON Lacedæmonius, filius Damageti, fa- *Chilon.*
mam inter ſapientes Græciæ nactus eſt. [b] Temporis, quo floruit, ratio incerta quidem eſt; LII. Olymp. enim ſenem jam fuiſſe, ait LAERTIVS. ephorumque fuiſſe Olymp. LV. Pamphila vero apud eundem, circa ſextam, ait, ephorum fuiſſe, primumque inſtituiſſe, ut ephori regibus jungerentur, aſſerit; quæ cum duorum ſeculorum ſpatium antevertant, admodum dubiam faciunt Chilonis ætatem. Quam temporum confuſionem ut tollant chronologi, ſubtilem magis quam veriſimilem rationem ineunt. [i] Nos cum negari non queat, Olymp. VI. ephoros primum creatos fuiſſe ſub Theopompo & Polydoro regibus, CXXX. poſt Lycurgum annis, & certum quoque ſit, Eythydemo apud Athenienſes archonte, qui hunc magiſtratum Ol. LVI. geſſit, Chilonem apud Lacedæmones ephorum fuiſſe, [k] majorem numerum in Pamphilæ verbis excidiſſe ſuſpicamur, & ſequentia; καὶ πρῶτον ἔφορον γενέσθαι ἐπὶ Εὐθυδήμου non ad ordinem ephoriæ trahenda eſſe putamus, ſed ita vertenda: fuiſſe vero prius ephorum conſtitutum ſub Eythydemo, primum vero inſtituiſſe ut regibus ephori jungerentur Lycurgum. [l] Duplici vero nomine ſapientiæ titulum famamque meruit. In magiſtratu enim eo adeo in omnibus coluit juſtitiam, ut cum jam ſenex eſſet, dixerit aliquando: [m] ſibi eſſe haud conſcium, quod in tota vita præter rationem fecerit quicquam; præter unum, quo amico, quem juxta legis rigorem condemnavit, auctor fuit ut a ſe provocaret, amicum ita ſervaturus. Tolerandis quoque injuriis animum adplicabat patientiſſimum; vnde fratri, quod ipſe ephorus factus haud eſſet indignanti, reſpondit: Ego pati injurias ſcio, non tu. [n] Alterum, quod nominis gloriam Chiloni comparavit fuit, quod duæ prædictiones ab eo eventum, quem præviderat, fortitæ fuerint. Quarum una Hippocrati Piſiſtrati parenti ob portentum, filium ſi ſuſcepiſſet, fatalem fore prædixit: altera inſulam Cythera Laconiæ Græciæ exitialem fore indicavit. [o] Quæ tamen non tam fuiſſe vaticinia, quam acutiſſimæ mentis inſolentem εὐστοχίαν, vel inde patet, quod utrumque ex circumſtantiis tam Hippocratis, quam ſitus inſulæ colligere potuit. [p] In eo enim vir prudentiſſimus ſummam viri ſapientis virtutem ponebat, ut futurorum providentiam juſtis rationibus colligeret. [q] Lacedæmonius [r] vero cum fuerit, dicta ejus acumen breve & Laconicum ſpirare, mirum non eſt: [s] inter quæ maxime nota illa: De mortuis non niſi bene; Comitem

b) LAERT. *l. I. ſ. 68. ſeqq.* STANLEIVS *l. c. p. 62.* BVDDEVS *de Ethica Chilonis.*

i) Vid. SCALIGER *ad* EVSEB. *p. 67.* ALDOBRAND. & MENAGIVS *ad l. c. Laërt.* MEVRSIVS in *Laconicis l. II. c. 4. p. 110.*

k) Vid. AVCTOR *Olympiad. ad Ol. LVI. 1. Marmor Arundelian.* MENAG. *ad h. l.*

l) Ait ſcilicet Laërtius: fuiſſe Ephorum Chilonem Olymp. LV. ut recte emendavit IS. CASAVBONVS. Pamphilam vero LVI. nominare. Soſicratem dicere, prius conſtitutum ephorum, archonte Eythydemo. Primum vero ephoros junxiſſe regibus Lycurgum, teſte Satyro. Sic omnia plana eſſe putamus. Cum enim inter ſapientes Græciæ Chilo numeratus fuerit, palam eſt, ad origines ephororum referri non poſſe. Omnes enim hos ſapientes uno tempore vixiſſe recte monet CICERO *de Orat. l. III.*

m) LAERT. *l. I. ſ. 71.* GELLIVS *N. Att. l. I. c. 3.*

n) LAERT. *l. c.*

o) IDEM *l. c.* HERODOT. *l. I. p. 44.*

p) *Citati.*

q) Vid. HERODOT. *l. VII. p. 292.*

r) LAERT. *l. I. ſ. 68.*

s) Ideo vocatus βραχύλογος *ib. ſ. 72.* De qua re

æris alieni miseriam, itemque, Nosce te ipsum; &: Ne quid nimis.[t] Quod vero Chiloni maximam apud rerum intelligentes laudem tribuit, eximium est, quod DIODORVS de eo habet testimonium.[u] Ita enim de eo: *Chilo consentientem cum sermonibus suis vitam agebat, quod raro admodum reperias. Plerosque enim ætatis nostræ philosophos videre est, pulcherrimis quidem utentes sententiis, moribus vero turpissimis, qui gravitatem ac prudentiam, quam aspectu verbisque promittunt, factis suis refutant. At Chilo præter constantem in omni vita virtutem multa & cogitavit, & dixit præclare, quæ memoria imprimis digna sunt.* Scripsit & ipse ἀδόμενα more illius temporis, cujus præstantissimum fuisse hoc refert LAERTIVS:[x]

Aurum probare Lydius solet lapis,
Mentis vicissim aurum probat præstantiam.

Mortuus est juxta Hermippum, Pisæ, amplexus filium, qui ludis Olympiacis in cæstuum certamine vicerat, senii imbecillitatem immodica lætitia opprimente.[y] Omnes autem, qui ad istam panegyrin confluxerant, viro integerrimo justa persolverunt. Epistolam ejus, quam habet LAERTIVS[z] suspectam facit sophistarum Græcorum in iis fingendis industria,[a] & correpta, quam supponit, Periandri tyrannis, quam injuste Periandro exprobrari, postea demonstrabimus.

§. VI. Quartum in Sapientum Græciæ numero laudant veteres *Pittacus.* PITTACVM Mitylenæum, in metropoli insulæ Lesbi natum, patre Cyrrhadio Thrace, matre Lesbia.[b] Natus Olymp. XXXII.[c] virili ætate Olymp. XLII. magno animo patriæ amore incitatus & a fratribus poëtæ Alcæi adjutus, Melanchrum Lesbi & Mitylenes tyrannum interemit; eoque facinore illustrior a Mitylenæis factus imperator, cum classe adversus Athenienses missus est.[d] Variam in hoc bello fortunam expertus, Atheniensium ducem Phrynonem, corporis mole roboreque conspicuum ad singulare certamen provocavit, eique piscatoriis armis instructus occurrit, rete clypeo tegens, quo Phrynonem nihil tale expectantem involvit ac tridente hastaque peremit, sicque victoriam reportavit.[e] Ab eo tempore magno in honore fuit Pittacus apud Mitylenæos, adeo ut tyrannidem ei inter ingentes plausus & læta populi suffragia deferrent, dona ei offerrent ampliffima, tantumque adjicerent agri recuperati, quantum vellet;[f] ille vero tantum accepit, quantum hasta ejecta esset emensa, quod Apollini dicatum

resupra diximus. Conf. ERASMVS *Chil. p. 771.* RHODIGIN. *antiq. lect. l. X. c. 4.*

t) Aureis literis Delphis dedicanda hæc dicta Græcos sanxisse refert PLINIVS *Hist. nat. l. VII. c. 32.* *u*) In *excerptis Peiresc. p. 235.*

x) *l. c. f. 71.* poëticam artem calluisse testis est LAERTIVS *l. c. f. 68.* qui ait: *elegiam scripsisse.*

y) IDEM *l. c. f. 72.* PLINIVS *l. c.* *z*) *f. 74.*

a) Id in genere de epistolis philosophorum observandum est.

b) LAERT. *l. I. f. 74.* SVIDAS in *Pittacus T. III. p. 120.*

c) Crœsi Lydiæ regis temporibus jungit HERODOTVS *l. I. c. 3*

d) STRABO *l. XIII. p. 599.* HERODOT. *l. V. p. 204.*

e) FESTVS v. *retiarius* POLYAEN. *Stratagem. l. 25.* qui observant, Romanorum gladiatores, qui retiarii appellabantur, ab hac Pittaci pugna exemplum accepisse. conf. LIPSIVS *Saturnal. l. II. c. 8.*

f) VALER. MAXIMVS *l. VI. c. 5.* PLVT. *amat.* LAERT. *l. I. f. 78.*

catum Pittacium poſtea nomen ſervavit, partem ſibi ſervavit, dimidium plus toto eſſe dicens.[g] Et meruit ſane honorem atque famam, & ſapientis politici titulum; etſi enim magna tum auctoritate erat inſtructus, ea tamen tanta animi moderatione uſus eſt, ut Alcæum poëtam,[h] ipſi vehementer adverſantem & proſcindentem, tantummodo, quid in opprimendo poſſet, admoneret. Legibus quoque rempublicam inſtruxit ſaluberrimis, inter quas duplicem potiſſimum pœnam ebrio peccanti conſtituit, quod hoc vitio maxime Lesbi incolæ laborarent, [i] Crœſum quoque ſalutari monito aſtuque ab expeditione navali contra inſulanos Græcos deterruiſſe dicitur, corpus vero tritico molendo exercuit, unde poſtea cantilena conficta eſt, ἐπιμύλιον dicta?[k] Decem vero annos principatum tenuit, pace vero parta & republica ordinata reclamantibus civibus eum depoſuit, decemque annos privatam vitam egit. Vixit LXX. amplius annis, Olymp. LII. 3. vita functus.[l] Moderationem animi non in recuſata tantum Crœſi regis pecunia, ſed in ferendis quoque uxoris ſuperbæ & imperioſæ injuriis[m] & æque accepta filii morte caſu interfecti monſtravit: Vnde facile ei fuit, eleganter de moribus & civili virtute differere, quo ſententiæ atque apophthegmata referenda ſunt, quæ paſſim apud veteres[n] ei tribuuntur, quæque animum bonum, temperantem, providum futuri, proximi amantem, injurias tolerantem, honeſtatis ſtudioſum, diſciplinæ patientem, veritatem, fidem, experientiam, dexteritatem, ſocietatem, diligentiam, œconomiam, artem, pietatem ſectantem commendant. Scripſit more ſeculi ἀᾴδόμενα & elegiam.[o] Neceſſitati ne Deos quidem reluctari ex recepta ſine dubio tum inter plerasque gentes de fato ſententia dixit.[p] Symbolum vero ei tribuitur: Noſce tempus opportunum. Fuit vero & alius Pittacus legislator.[q]

§. VII. BIANTEM Prienæum, quod Ioniæ oppidum fuit, Teutami filium,[r] non inter ſeptem tantum Græciæ ſapientes retulerunt veteres, *Bias.*

g) Deforme nempe judicans virtutis gloriam magnitudine prædæ minuere LAERT. *l. c.* Heſiodi vero hæc ſententia eſt, qui *ἔργ. v. 40.*

Πλέον ἥμισυ παντὸς.

Varias vero proverbii hujus ſignificationes enucleare hujus loci non eſt. Conferendi vero ALDOBRANDIN *ad. l. c. Laert.* ERASMVS in *Adag. Chil. I. c. 9. Acta Philoſ. Vol. II. p. 535.*

h) Vtebatur celebris hic poëta lyricus arte ſua ad excitandos exules contra patriam, v. HERODOT. *l. V.* STRABO *l. XIII.* VAL. MAXIM. *l. IV. c. 1.* De odis ejus deperditis earumque fragmentis vid. FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. I. p. 541. ſeqq.*

i) LAERT. *l. I. ſ. 76.* Vapulat hæc lex celeberrimo HEVMANNO *Act. Phil. Vol. II. p. 533. ſeqq.* cujus rationes excutere, inſtituti noſtri non eſt. Hoc unum monemus, reſpiciendum eſſe ad circumſtantias Lesbiorum, qui cum vinum generoſiſſimum inſula produceret, ebrietati ſe dedentes malis plurimis rempublicam affecerunt, ebriique diſcordiarum ſparſerunt ſemina. Cujus rei teſtis eſt ipſe Alcæus poëta rebellium civium princeps, ebrietatis vitio famoſus. Quoniam itaque ebrietas reipublicæ Lesbiorum exitialis erat, recte feciſſe cenſendus eſt Pittacus, qui gravi poena eam, ne noceret, coërcuit.

k) AELIANVS *l. VII. c. 4.* PLVT. *Sympoſ. ſept. Sapient.*

l) VAL. MAX. *l. c.* LAERT. *l. c.*

m) PLVTARCH. *de animi tranq.* LAERT. *l. c. ſ. 81.*

n) LAERTIVM *l. I. ſ. 77.* PLVTARCHVM in *convivio VII. Sap.* STOBAEVM *Serm. III. ed. Grot. XXVIII. p. 86. ed. Wechel.* quam in *ſeqq.* ſequemur. AVSON. *Sent. VII. Sap. p. 110.*

o) LAERT. *l. I. ſ. 78.*

p) Occurrit enim eadem ſententia apud EVRIPIDEM in *Helena*, & PHILEMONEM, immo in theogoniis quoque veterum, & ex earum quoque ſyſtemate, quale ſupra adumbravimus, neceſſario fluit.

q) LAERT. *l. I. ſ. 79.* Addi is poteſt legislatoribus veterum a FABRICIO memoratis *B. Gr. Vol. I. p. 529.*

r) LAERT. *l. I. ſ. 82. ſeqq.* STANLEIVS *p. 69. ſeqq.*

res, [s] ejusque ſapientiam extollunt, ſed & reliquis ſapientibus omnibus prætulit Satyrus. [t] Ipſe quoque Bias viaticum ab adoleſcentia ad ſenectutem ſapientiam comparandam eſſe ſuaſit, quippe quæ ſola ſit certa veraque poſſeſſio. Nomen tamen atque honores ſapientis viri non tam eruditionis elegantia, quam animi generoſitate amoreque civium & virtutis præſtantia ſibi comparavit, ſi vera ſunt, quæ veteres, Satyrus, Phanodicus, aliique narrant: [u] Captivas redemiſſe puellas Meſſenias, ſibique filiarum loco enutritas tandemque dotatas Meſſanam parentibus remiſiſſe. Brevi poſt, cum de tradendo ſapientiſſimo inter Græcos viro tripode aureo controverſia eſſet, vel puellæ, quod Satyrus ait, vel, quod alii volunt, illarum pater in concionem venit, & expoſitis quæ ſibi feciſſet, Biantem ſapientem nominavit, ſequente concionis conſenſu, quæ tripodem ad eum miſit, ipſe Deo Apollini, vel Herculi Thebano, ut alii referunt, tradendum judicavit. Quæ Biantis gloria virtutem moralem & civilem ejus laudat, ſatisque probat ea, quæ de ſignificatione nominis ſapientis his viris tributi ſupra diximus. Fuit vero in Biante non privata tantum virtus, ſed publica quoque in patriam pietas, quam miro & ingenioſo ſtratagemate ab obſidione liberaviſſe narrat LAERTIVS. [x] Scilicet in id maxime connitebatur vir optimus, ut animi divitias virtute colligeret, & intemeratas ſervaret, quæ nec Deorum nec mortalium manibus labefactari queunt. Vnde cum patriam Prienen hoſtes invaſiſſent, omnibus pretioſa, quæ habebant, corradentibus, ut aufugerent, ipſe ſolus nihil collegit; & rei inſolentiam mirantibus reliquis, rogatus cauſam reſpondit: Omnia mea mecum porto. [y] Produnt hanc animi virtutem ſapientiæ præcepta ab eo prolata, quæ nobis ſervavere, PLVTARCHVS, LAERTIVS, STOBAEVS, AVSONIVS, [z] quæ conſcientiæ bonitatem, & rectitudinem, animum nihil cupientem; avaritiæ fugam, pudicitiam, innocentiam, animique moderationem, etiam in legum obſervantia proditam commendant. Non vero animi tantum virtute enituit, ſed ingenii quoque præſtantia, & civili, quæ apud viros principes & reipublicæ gubernaculis admotos, floruit, eruditione; cujus ſpecimen non ſolum feliciter ſolutum regis Amaſis ænigma eſt, [a] incertum enim an non totam hiſtoriam jucunditatis cauſa effingendam ſibi ſtatuerint, qui convivium ſeptem ſapientum nobis narrant, [b] ſed & illud, quod veteres de eo teſtantur, [c] neminem cauſas melius peroraſſe Biante. Virtute quoque poetica excelluiſſe ἀδόμενα teſtantur, quæ nobis ſervavit LAERTIVS. [d]

Quam

s) VAL. MAX. *l. III. c. 7.* CICERO *de amic. c. 60.* AVGVSTIN. *de C. D. l. XVIII. c. 25.* GELLIVS *N. A. l. V. c. 11.*

t) Apud LAERT. *l. c.*

u) *l. c. ſ. 82.* Satyri vero, peripatetici philoſophi fidem veteres laudarunt, vid. IONSIVS *de S. H. P. l. II. c. 11. p. 169. ſeqq.*

x) *ſ. 84.*

y) VALER. MAXIM. *VII. c. 2.*

z) Locis *præc.* §. *not. n.* nominatis.

a) PLVTARCH. *l. c.* Poſtulaverat ſcilicet rex Aethiopum ab Amaſi, Aegypti rege, ut mare ebibat. Is conſulto de ſenſu ænigmatis Biante, reſponſum tulit: Iubendum Aethiopem fluvios in mare decurrentes detinere, quousque mare ebiberit.

b) Talia enim multa in hoc convivio narraſſe PLVTARCHVM quilibet palpat. Non abludit tamen hiſtoriola a more regum veterum, ænigmatibus inter ſe certandi.

c) LAERT. *l. I. ſ 84.*

d) *ſ. 86.* qui & refert, ſcripſiſſe de Ionia ad duo millia verſuum.

Quam eruditionis præſtantiam cum jungeret cum ſapientia, nunquam ad malam cauſam ea abuſus eſt, virtutemque ſapientiæ comitem adſciſcens, ſapientis nomine dignum ſe reddidit. Erat enim in ea ſententia, quam auream merito dixeris: [e] Qui ſapientiæ vacant inani, eos noctuæ ſimiles oculis eſſe. Hujus enim oculos nocte quidem valere, ſole autem ſplendente cœcutire; ſic etiam talium quidem mentem acutiſſimam eſſe in vanis contemplandis, ad veri autem luminis objectum motum caligare. Obiit vir optimus admodum ſenex, cum bonam cauſam peroraſſet & viciſſet, reclinato in gremium nepotis capite animam efflans, & ob inſignia in patriam merita magnifice ſepultus, & ſacello, quod Teutamium appellatum eſt, honoratus. [f] Symbolum fuiſſe dicitur: Plurimi mali ſunt, unde ita amare juſſit, tanquam oſurum. [ff]

§. VIII. CLEOBVLVS Lindo ortus, quod oppidum eſt Rhodi, quanquam alii ex Caria fuiſſe dicunt, [g] Evagoræ filius & genere, quod ab Hercule duxit, corporis viribus atque forma, immo & robore omnes ſui temporis antecelluit. Sapientiæ vero diſcendæ avidiſſimus in Ægyptum profectus eſt, ut ſacerdotum eruditionem [h] & theologiam diſceret. Et ex hac quoque Ægyptiorum diſciplina arceſſendum eſt, quod non ἄσματα tantum ſed & γρίφους, id eſt ænigmata & obſcuras quæſtiones ſcripſerit, [i] quod eruditionis genus in Ægypto, Æthiopia, Arabia, aliisque orientis regionibus obtinuit. Tanta vero in his griphis ſtruendis facilitate utebatur, ut ad Ægyptum usque quæſtiones nonnullæ ab eo & filia propoſitæ dimanarent. Habebat enim filiam, cui nomen Eumetidis erat, quæ vero vulgo de patris nomine Cleobulina vocabatur, quæ parentis diſciplina enutrita, & carmina feliciter canebat, & ænigmata componebat, ob ſapientiæ acumen celeberrima. [k] Parentem vero atque filiam non eleganti tantum, ſed & civili eruditione eminuiſſe, animumque habuiſſe civili prudentia æque ac humanitate conſpicuum: [l] Cleobulum quoque, qui Lindiorum tyrannus fuit, civibus humaniter & populariter imperaſſe, veteres tradunt. Sententiæ ejus, quas refert Demetrius Phalereus apud STOBAEVM, eo

Cleobulus.

e) Apud Demetrium Phalereum *de dictis VII. ſapientum*, quem ſervavit nobis STOBAEVS *ſerm. XXVIII. p. 87.*

f) LAERT. *l. I. ſ. 88.*

ff) Recte ita ſententiam explicari ſecus, quam ARISTOTELES fecit, *Rhetor. l. II. c. 13.* ratio addita evincit, unde patet & CICERONEM *de amicitia c. 16.* male eam interpretari. conf. *Act. philoſ. vol. II. pag. 530.*

g) LAERTIVS *l. I. ſ. 89.* STANLEIVS *P. I. p. 73.*

h) Theologiam potiſſimum & religionem fuiſſe ſupra docuimus: unde mirum non eſt, templum Minervæ a Danao olim fundatum eum reſtauraviſſe.

i) LAERT. *l. c.* ſunt autem griphi quæſtiones ænigmaticæ, quæ in conviviis proponuntur. vid. ATHENAEVS *Deipnoſ. l. X.* ALDOBRANDINVS *ad l. c. Laërt.*

k) Plura de ea PLVT. in *Conviv.* qui tamen, ubi σοφίην vocat, non ad philoſophiam, ſed ad eruditionem ejus temporis, quæ ænigmatibus & poëtica virtute eminebat, reſpexit, ut ſequentia clare docent. Delenda eſt itaque ex numero mulierum philoſophantium, cui eam inſeruit MENAGIVS *Hiſt. mul. phil. ad calc. Comm. in Laërt. p. 487.* Laudanda vero, quod, etſi magna fama celebraretur, tamen animum non extulerit, cujus ſpecimen eſt, quod refert CLEM. ALEX. *Strom. l. IV. p. 523.* eam hoſpitibus patris pedes laviſſe. Exemplum griphi ab ea conditi eſt, de patre duodecim liberorum, nepotum triginta, quod imagine explicat MEIBOMIVS *ad* LAERT. *p. 56.* in quo tamen acumen deſideratur.

l) PLVT. *l. c.*

eo tendunt, ut parentum reverentiam, animæ cum corpore ſanitatem, diſcendi induſtriam, linguæ moderationem, pietatem & juſtitiam, amorem etiam erga inimicos, prudentiam in conjugio, moderationem in divitiis & paupertate commendent, & in malos bonum civem ſapientiæ præceptis arment.[m] Symbolum vero ei tribuitur: Modus optimus.[n] Obiit ſenex annorum LXX.

Periander. §. IX. Tandem & PERIANDER nobis dicendus eſt, cujus hiſtoriam tanto odio fabulisque ex invidia conflatis onerarunt Græci, ut inſaniviſſe dicendi eſſent, qui monſtrum hominis & fœdiſſimum tyrannum inter ſapientes Græciæ numeraverunt, ſi iſta vera eſſent.[o] Supra enim obſervavimus, non artis tantum poëticæ præſtantiam, ſed & ἀρετὴν πολιτικὴν ſapientis titulum viris his conciliaſſe. Quæ cauſa fuit, ut quidam veterum duos Periandros comminiſcerentur, unum Corinthi tyrannum ſceleribus & tyrannide abominabilem, alterum Ambraciotem, virum bonum & ſapientem, qui inter ſapientes Græciæ numeratus ſit;[p] cui opinioni veterum relationes & innumeræ, quæ de Periandri convivio ſeptem ſapientum narrantur hiſtoriolæ contradicunt.[q] Non detinebimus lectorem prolixa narratione, qua ratione Periander Cypſeli filius illuſtri ſtemmate natus ad imperium pervenerit, illudque mille ſævitiarum modis exercuerit. Legenda hæc ſunt, quia longiora ſunt, ut hic locum capiant, apud HERODOTVM[r] LAERTIVM,[s] PLVTARCHVM,[t] SVIDAM[u] aliosque his ſimiles, qui veterum fabulas haud raro exiguo judicio fideque conſarcinaverunt. Sufficit indicaſſe, objici Periandro,[x] introduxiſſe apud Corinthios ſæviſſimam tyrannidem, conſilio Thraſybuli Mileti tyranni, optimates e medio ſuſtuliſſe, ſatellitibus ſtipatum inceſſiſſe, uxorem gravidam calce petiiſſe, ut moreretur, & cum ea defuncta concubuiſſe, pellices cædis hujus auctores vivicomburio deleviſſe, & flagitiorum ejusmodi ſexcenta alia exercuiſſe. Admodum vero ſuſpecti Græci ſunt, qui ejusmodi hiſtorias nobis narrant, tum quod ſatis prodant, cur tanta Periandro conflata ſit invidia, tum quod non tam malum fuiſſe virum circumſtantiæ luculenter loquantur. Lachrymarum vero & indignationis cauſa non alia fuit, quam quod ſuppreſſa optimatium potentia monarchicum imperium introduxit. Nihil enim Græcis intolerabile magis fuiſſe, quam unius imperium, tot pro libertate geſta cruenta bella, toties effuſus contra reges finitimos libertatis Græciæ oppreſſores ſanguis, tot ob Piſiſtrati aliorumque, qui cetera clementer imperaverunt, potentiam congeſtæ querelæ, lachrymæque oſtenſæ, tot diſertiſſimo-

m) Sui ipſius explorationem quotidianam commendavit LAERT. *l. c.* & MENAG. *ad h. l.*

n) Male hoc dictum explicat GRACIANVS vid. *Act. phil. vol. II. p. 528.*

o) Ita etiam BAYLE *Dict. T. III. art. Periandre p. 662.* qui tamen criticum acumen, quo pollebat, non ſatis adhibuit.

p) LAERT. *l. I. ſ. 98.* AELIAN. *l. XII. c. 35.*

q) Conf. PLATO in *Protag. T. I. p. 343.* & poſt eum plures, imprimis PLVT. *l. c.*

r) *Lib. I. p. 3. l. V. p. 202.* Qualis vero Herodoti fides ſit, qui fabularum parens audit, notum eſt.

s) *l. c.* Et hic quoque bona, mala, omnia corradit.

t) *l. c.* De eo infra dicendum.

u) In *Periander.*

x) Differit de his BAYLE *l. c.*

tiſſimorum virorum invectivæ, & in his imprimis DEMOSTHENIS, [y] manifeſte loquuntur, Græcosque in monarchomachorum albo loco eximio ponunt. Nec potuit abſolutum Periandri imperium gratum eſſe Corinthiis, qui licentiam Græcæ nationis ſequentes, ariſtocratiam vehementer deperibant, id quod fabulæ de convivio ſeptem ſapientum apud Periandrum architecti ipſi produnt, qui tales dictis viris ſermones tribuunt, qui ad exſecrandam monarchiam & commendandam ariſtocratiam unice collineant. [z] His accedit, Periandrum imperium civili potentia muniviſſe, bella geſſiſſe ſtudioſe, remigiisque & triremibus ædificatis late utrumque tenuiſſe mare, [a] quæ non poterant non Græcis otio & pace alte ſopitis accidere moleſtiſſima. Maxime tamen omnium invidiam ei conflavit ſeveriſſima diſciplina. Cives enim mancipiis nolebat abundare, nec otio vacare patiebatur, ingenioſus ad ea invenienda, quibus eos occupatos redderet, negotia. Si in foro deſidens quiſpiam fuiſſet, mulcta ei erat ſubeunda, recte enim & prudenter conſpirationem, rebus ſic ſtantibus, timebat. [b] Admiſit quidem civium concilium, ſed poteſtatem ademit. Mulieribus in panegyri mundum detraxit, ut modeſtiam diſcerent. Servos haberi vetuit, luxuriam ſuſtulit, ebrietati & gulæ mulctam dixit, homines nequam & facinoroſorum fecem mari merſit, ſicque luxuriam Græcorum modeſtia, labore, continentia, frugalitate emendare conatus fuit. Hæc non poterant non eſſe Corinthiis intolerabilia, qui more Græcorum conviviis, commeſſationibus, otio, luxuriæ, vitæque ſolutæ & diſciplinæ ſeverioris impatienti adeo litabant, ut pro hac licentia verius, quam libertate, tanquam pro aris & focis pugnarent. Annon hæc omnia ſuffecerint, ad ipſam quoque virtutem invidioſis fabulis traducendam, & tyrannidis ſcelera illi affingenda? Detrahunt his, quæ Periandro objiciuntur, magis adhuc fidem, quæ HERACLIDES [c] de eo refert; tributis cives non oneraſſe, contentumque fuiſſe vectigali mercium & certis proventibus; vehementer odio habuiſſe malos, dilexiſſe ſudorem atque diligentiam. [d] An hæc vero tyranni adeo mali artes ſunt? Quid quod ipſi fabularum Periandrearum architecti ſuas narrationes ſuſpectas reddunt, propria vineta lædentes. Narrant enim, Periandrum, tyrannide tanquam paterno morbo correptum, conatum fuiſſe, eo emergere, quantum potuerit fieri, ſalutaribus utendo hominum ſapientum colloquiis, eosque ad ſe invitando. [e] Etſi vero multis argumentis tota de iſto ſeptem ſapientum apud Periandrum convivio

y) In *Philippicis.*

z) Dixiſſe enim fertur Solon: *Ita gloriam conſecuturum tyrannum, ſi unius imperium in popularem reipublicæ ſtatum convertat.* PLVT. *l. c. p. 293.* Paria & ceteri proferunt. Bene vero eſt, quod ipſe PLVTARCHVS ſub Niloxeni perſona fateatur, multa falſo credi, multosque eſſe, qui ſiniſtris rumoribus de ſapientibus viris delectentur, quos vel ipſi ſibi confingunt, vel ab aliis promte accipiunt. Quibus habes clavem totius rei.

a) LAERT. & SVID. *ll. cc.*

b) NICOL. DAMASCENVS in *Excerpt. Peireſc. p. 450.* & ex eo SVIDAS *l. c.* Prædixit hæc Pythia, quæ de ejus nativitate:

Conceptum pariet ſaxum grave, Labda, monarcha
Qui cadet in cives, emendabitque Corinthum.

c) *De Politiis p. 17.*

d) Mitem initio, benignumque fuiſſe fatentur apud LAERT. *l. I. ſ. 96.* & tamen de crudeliter occupata Corintho queruntur, parenti quoque ſucceſſiſſe tradunt. Ita male omnia cohærent.

e) Ita PLVT. *l. c.*

traditio ſuſpecta admodum eſt, [f] concedunt tamen Græci mendaces, ſed mendacii non ſatis memores, amorem ſapientiæ pectus Periandri inſediſſe. Nec ubique inter ſe fabularum harum artifices conſentiunt, mendaciumque ſæpe non cohæret, tamque aperte veriſimilitudinem lædunt; ut inſaniendum ſit, ſi iis fides danda: cujus exemplum lepida de morte Periandri traditio eſſe poteſt, quam ad puerorum magis fabulas, quam virorum hiſtorias relegandam eſſe, quilibet, qui vel mediocri ſenſu veri gaudet, ſentiet. [g] Addimus his merito, non tantum fidem ſubleſtam fabularum Periandrearum narratores prodere, ubi ad incertas traditiones, & vulgi rumores provocant, ſed & cenotaphium, quod ei Corinthii poſuerunt contrarium evincere, totum in ejus laudes excurrens. Ita enim ſe habuit inſcriptio: [h]

Et ſophia & numis Periandrum terra Corinthus
Clarum littoreo continet alma ſinu.

Quis execrabilem tyrannum poſt mortem, ubi metui deſiit, tantopere laudari crediderit? Longe quoque alia ſunt, quæ ſententiæ ei a Demetrio tributæ poſtulant: [i] Rem omnem conſiderandam; temeritatem periculoſam eſſe, voluptates eſſe mortales, virtutes immortales, in ſecundis moderationem, in adverſis prudentiam adhibendam. Amicis in ſecundis & adverſis eundem præbendum; & quæ refert LAERTIVS: [k] nihil pecuniarum cauſa agendum; his qui tuto regnare volunt nitendum, ut benevolentia non armis ſtipentur, ſecreta non prodenda, promiſſa ſervanda, & alia, egregiam moralis atque civilis ſapientiæ eruditionem ſpirantia. [l] Quæ cum ita ſint, ex ſapientum Græciæ numero, non excludendus eſt Periander, licet certamini de tripode dando ſapientiſſimo non intereſſe potuerit. Quod ſi vero concedamus, tyrannidem exercuiſſe, certum tamen eſt, politica prudentia & artis poëticæ facultate excelluiſſe; [m] quod ſapientis tum titulum

f) Ad evertendam narrationis de iſto convivio fidem ſufficeret prudentis lectoris attentio, quæ frigida ſæpe acumina, fabellas manibus palpandas, narrationem ἦθος Periandri non ſequentem, & alia ejusmodi facile ſentiet, & conjiciet incertis vulgi rumoribus, & ſtudiis ſophiſtarum in ejusmodi argumentis eloquentiam quærentium totam fabulam deberi. Quin & ipſa PLVTARCHI præfatio ſatis prodit, quam difficile ſit his narratiunculis fidem dare: ſolebantque ex inſtituto, uti ſupra obſervavimus, fictis ejusmodi conviviis ludere veteres. Sed ut manifeſta fiat fabula, ex rationibus temporum oſtendi meretur, quam male hæc cohæreant. Ante miſſum ſcilicet ad Græciæ ſapientes viros tripoda, illud ſeptem ſapientum collegium Græcorum ore non celebratum fuiſſe, nec extitiſſe, in confeſſo eſt. Accidiſſe vero illud certamen Olymp. XLIX. 3. ex LAERT. *l. I. ſ. 22.* ſupra probavimus. Obiit vero Periander Olymp. XLVIII. 4 & quidem octogenarius, adeoque annos tres prius quam iſta contigerant. Quomodo itaque ſapientes Græciæ convocare potuit, qui tum nondum celebrarentur, &, qua tales, nondum eſſent. Annon hic mendaces Græcos oportebat eſſe memores. Alia fabulæ argumenta tacemus.

g) Narrat LAERT. *l. c. ſ. 96.* moerore confectum exceſſiſſe e vita, cum autem ſepulchrum ignorari vellet, duos juvenes juſſiſſe noctu certa via, primum, qui occurriſſet interficere, ac ſepelire. His alios ita immiſiſſe quatuor, & his ita plures, qui priores occiderent. Primis vero ſe occurriſſe, ſicque interfectum & ſepultum eſſe. Aſt ſi hæc vera ſunt, unde nota? ſi omnes interfecti, quis hiſtoriam rei geſtæ enarravit? Si enarrata fuit, cur non notum ſepulchrum? Verum de fide hiſtorica non cogitabant, qui ingenii cauſa talia excogitabant, ſophiſtæ & eloquentiæ magiſtri. Talis etiam Arionis hiſtoria eſt.

h) LAERT. *l. I. ſ. 96.*

i) Apud STOBAEVM *Serm. XXVIII. p. 87. 88.*

k) *ſ. 97. 98.*

l) Conf. AVSON. *l. c. p. 100.*

m) Scripſit enim duo millia verſuum, admonitiones exhibentium LAERT. *l. I. ſ. 97.*

lum meruiſſe, ſupra demonſtravimus. Obiit admodum ſenex ætatis LXXX. anno, Olymp. XLVIII. 4.

§. X. Etſi vero ſeptem hi viri ſingulari prorſus titulo ſapientes dicti fuerint, putandum tamen non eſt, omnibus illius ætatis hominibus inter Græcos naturam novercam fuiſſe, ingeniumque atque ſapientiam denegaſſe: quoniam vero Thales ſapientiam meditatione & ratiocinatione juſta tum demum cœpit in artis formam redigere, & potiſſima eruditionis laus poëtis & nomothetis, ſive principibus civitatum concedebat, alii, quibus ad hunc honoris gradum pertingere non licebat, ſapientiæ famam licet eam meruiſſent, non conſecuti ſunt. Extulit tamen circa hæc tempora inter Græcos ingenium ad veritates morales elegantiſſimo habitu tradendas aptiſſimum, AESOPVS *Æſopus.*

et pueris notus & qui nondum ære lavantur.

Ejus enim fabulæ & apologi nunquam non non puerorum tantum jucundæ oblectationi, ſed & virorum amori & animorum emendationi inſerviverunt, unde indictum eum abire inſtitutum noſtrum, atque capitis hujus argumentum non ſinit.

§. XI. Æſopi vitam ſatis prolixam debemus Maximo Planudi, monacho Conſtantinopolitano, ex cujus ſcriniis circa Sec. XIV. primum prodiit. [n] Tantis vero fabularum non cohærentium, ſibique contradicentium plauſtris, tot abſurdis hiſtoriolis, tot ἀναχρονισμοῖς & apertis mendaciis iſta vita ſcatet, ut mendacem Græcum auctorem facile ſentire liceat; [o] eaque magis ad ſopiendos infantes, & anus occupandas, quam ad juvandam hiſtoriam veterum literariam conſcripta videatur. Vnde bene de hiſtoria veteri poſt alios meruit GASPAR BACHETVS MEZIRIACVS, quod paulo accuratiorem vitæ Aeſopi deſcriptionem ex veteribus collegerit. [p] Immo ubi hos quoque ſequimur, fatendum eſt, tam incertas eſſe atque confuſas de Aeſopo veterum ſcriptorum traditiones, ut, quid certi ſtatuendum ſit, vix liqueat, indeque occaſio viris doctis enata ſit ſtatuendi, Aeſopum non alium fuiſſe, quam Aſſaphum poëtam Iſraelitam, [q] vel plane negandi, quod unquam Aeſopus in rerum natura extiterit. [r] Primus enim, qui Aeſopi meminit eſt HERODOTVS, [s] qui & ſeſquiſeculo junior eſt Aeſopo, & fidem apud rerum intelligentes tantum non omnem amiſit, qui tamen, cum & ipſe fabulas jam ſuo tempore in hiſtoria Aeſopi detexerit, facile inde colligi poteſt, quam incerto fundamento ea nitatur. *Vita ejus.*

n) Vid. FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 389. vol. X. p. 533.* De auctore vero CASIM. OVDINVS *de S. E. T. III. p. 720. ſeqq.*

o) Conf. BAYLE *Dict. T. II.* art. *Eſope.* FABRICIVS *l. c.* & quos laudat. *Acta philoſ. vol. I. p. 969.* & qui in compendio ejus mendacia exponit FR. VAVASSOR. in doctiſſima exerc. *de dictione ludicra Opp. p. 4.*

p) Prodiit *Burgis 1632. 8.* quia vero rarius occurrebat, repetita editio in *Mem. de literat. Tom. I. p. 90. ſeqq.* & in *Opuſculis ejus Hag. 1716.* conf. *Acta Erud. 1716. p. 449.* Latine verſa præmiſſa eſt *Aeſopi fabulis Oxon. 1716.* & germanice inſerta *Actis phil. vol. II. p. 253. ſeqq.*

q) Vide laudatos *Act. phil. vol. I. p. 948.*

r) *Ibid. p. 951. ſeqq.* qui hanc ſententiam de Aeſopo probabiliſſimam eſſe multa eruditione contendit, dignus qui expendatur.

s) *Lib. II. c. 134.*

tur. Verum hæc plerumque rerum vetuſtiſſimarum conditio eſt, ut tot difficultatibus earum hiſtoria prematur, quæ prudentioribus pyrrhoniſmum ſuadent hiſtoricum. Ob magnum tamen veterum conſenſum, qui de Aeſopi exiſtentia nunquam dubitarunt, veriſimili ratione credi poſſe exiſtimamus, fuiſſe Aeſopum, & inter Græcos apologis atque fabulis prolatis nomen eſſe conſecutum, licet non inviti fateamur, nec ſcripſiſſe fabulas Aeſopum, nec eas, quæ hodie ſub ejus nomine feruntur, eſſe genuinos ejus fœtus. Non vero certiora ſunt, quæ de rebus atque hiſtoria ejus paſſim narrantur. Patriam detegere, impoſſibile fere eſt, adeo veteres de ea diſſentiunt.[t] Quibusdam enim Lydia eum genuiſſe, Sardesque metropolis patria fuiſſe dicitur, alii inſulam Samum ponunt, [u] Meſembriam Thraciæ alii. [x] Plerique tamen Phrygem vocant, Armorii vel Cotyæi oppidi civem. [y] Quibus tantiſper accedere licebit, donec certiora edoceat alius. [z] Servum fuiſſe dubio caret, deformem vero, lingua balbum, gibboſum voraciſſimumque, qualem depingit PLANVDES, inter fabulas Græculi numerandum eſt, recte a viris doctis rejectas; [a] nihil enim tale Æſopo ſcriptores veteres tribuunt, tradit vero anonymus vetus, [b] ingenio fuiſſe natura eleganti & naturali inclinatione arti muſicæ adhæſiſſe. Primam ſervitutem, ſi eidem credendum, Athenis apud Demarchum, cognomine Caraſiam, ſervivit, ubi ingenium, quantum ſervilis conditio ſinebat, excoluiſſe, probabile eſt; licet naturali magis ingenii bonitati, quam arti ſapientiam moralem debuiſſe certum ſit. Poſt Athenienſem dominum, Xanthum Samium & poſt hunc Samium philoſophum Idmonem vel Iadmonem nactus eſt, [c] & apud hunc una cum Rhodope celeberrimi nominis & pulchritudinis ſcorto ſerviviſſe dicitur: tantopere illi quoque carus, ut eum deperierit, quod tamen cum aliis, quæ in Rhodopes hiſtoria occurrunt fabulis, inter Græcorum mendacia referendum eſt.[d] Quoniam vero ingenii elegantiam, animique probitatem domino haud uno ſpecimine probaverat, liber ab eo dimiſſus eſt. Ex Samo in Græciam poſtea delatum ingenii acumine & fabularum lepore adeo innotuiſſe contendunt, ut non ſolum ad convivium ſeptem ſapientum a Periandro adhiberetur, miſſus a Crœſo, ſed & regi huic eſſet chariſſimus, cujus gratiam aucupatum fuiſſe prudenti ſermone, cum Solon ejus divitias & felicitatem contemneret, ferunt, qui Crœſum Aeſopi rogatu ſeptem ſapientes ad ſe vocaviſſe cum PLVTARCHO [e] aſſerunt. Verum in tota hac hiſtoria tot temporum rationes ſibi invicem contradicunt, ut quod ſupra jam evicimus, novo argumento hinc pateat, Plutarchum poſthabita fide hiſtorica & veriſimilitudinis legibus, ex rumuſculis

t) MAXIMVS TYRIVS *diſſ. XX.* qui tamen *diſſ. XXXIII.* Phrygem vocat.

u) Scholiaſtes ARISTOPHANIS.

x) Apud SVIDAM in *Aeſopus T. I. p. 660.*

y) AELIANVS *l. X. c. 5.* PHAEDRVS *l. III. prol. v. 52.* SVID. *l. c.*

z) Samum quidem præfert Meziriacus, quia in hac inſula ſervivit. Non vero inde ſequitur, patriam fuiſſe, ſerviverat enim antea Athenis: unde in inſulam demum translatum fuiſſe, ſequitur.

a) Vid. laudati FABR. *Bibl. Græc. vol. I. p. 389.*

b) Is extat inter APHTHONII *opera.*

c) SVIDAS *l. c.*

d) Peculiari articulo: *Rhodope*, de hoc ſcorto egit P. BAYLE *Dict. T. III.*

e) PLVT. in *conv. ſept. ſap.* & ex hoc alii.

ſculis tantum vulgi & communi traditione, ſuoque ingenio convivium ſuum more veterum conſcripſiſſe, ut lectorem delectaret. [f] Vnde & omnes ejusmodi de Aeſopo fabulæ merito rejiciuntur, nec certius eſt, quod de Athenienſibus, ab Aeſopo, ut Piſiſtrati dominatum patienter ferant, fabula de ranarum rege edoctis PHAEDRVS [g] tradit, nam & hic tempus repugnat. [h] Inde vero ſequitur, nec verum eſſe, quod refert LAERTIVS, [i] reſpondiſſe Chiloni, quærenti: quid Iupiter faciat? excelſa humiliat, humilia exaltat. [k] Poſt hæc in Aegyptum & Babyloniam excurriſſe, & mira præſtitiſſe nugatur Planudes. Regem enim Babyloniæ Lycerum, quem Aeſopum conveniſſe fingit, ignorant monumenta vetera: Nectanebus vero Ol. CIV. Aegypto imperavit, ducentis poſt Aeſopum annis. [l] Mortem non magis veriſimiliter narrant veteres [m] & in his PLVTARCHVS: [n] Aeſopum Delphos adveniſſe allato a Crœſo auro, ut & magnifico ſacrificio Apollinem veneraretur, & Delphis viritim quaternas minas diſtribueret. Cum vero ei contentio & diſcordia quædam cum Delphicis eſſet oborta, ſacris quidem fuiſſe operatum, ſed pecuniam Sardes remiſiſſe, ut qui homines iſtos beneficio indignos judicaret. Delphos e compoſito ſacrilegii inſimulatum [o] eum interfeciſſe præcipitatum e ſaxo. Ex eo Deum iras in eos exercuiſſe, & cum ſolo ſterilitatem, tum hominibus omnis generis tetros morbos immiſiſſe, ita ut Delphi ſingulis Græcorum conventibus edixerint, ſe paratos eſſe, ſi quis Æſopi gratia pœnas ab ipſis exigere vellet. Tertia demum ætate veniſſe Iadmonem, prognatum ab eis, qui Æſopum Sami emiſſent, huicque pro delicto ſatisfeciſſe Delphos atque ita malis eos liberatos fuiſſe. Mira hic ſe iterum exſerit contradictio. Miſſum enim tradunt ad Periandrum ſimul & ad oraculum: id vero qui fieri potuit, Æſopo Ol. LIV. Periandro XLVIII. fatis concedente? Eo quoque tempore, quo Æſopus obiit, Crœſus nondum regnavit, qui igitur ad Delphos eum mittere potuit? Incerta itaque non minus Herodoti & Plutarchi fides eſt, quam eorum, qui Æſopo librum de iis, quæ ipſi Delphis acciderunt, auſi ſupponere, [p] vel eum revixiſſe mentiti ſunt, & apud

f) Aeſopum a Crœſo ad Periandrum Corinthum miſſum fuiſſe, narrat quidem PLVTARCHVS, Periander autem, quod ſupra ex Soſicrate apud LAERT. *l. I. ſ. 95.* vidimus, octogenarius obiit Olymp. XLVIII. 4. Crœſus vero Olymp. LVIII. victus a Cyro, poſtquam XIV. annos regnaverat, regnum auſpicatus eſt Olymp. LV. 2. qui potuit itaque Aeſopus mitti ad Periandrum, diu jam fato functum. Inde vero ſequitur quoque Aeſopum Crœſo prorſus non innotuiſſe: obiiſſe enim Olymp. LIV. apud Delphos tradunt EVSEBIVS in *Chron.* & SVIDAS. Tum vero temporis nondum regnabat Crœſus. Nec hic Plutarchi fides magnopere, quod vult BAELIVS *l. c.* juvat, eum enim ad temporum rationes non attendiſſe ſupra quoque evictum eſt. Tacemus, aſſerere SVIDAM, vixiſſe Aeſopum Olymp. XL. Ex qua annorum ſerie pateret, fabulas eſſe, quæcunque de Crœſo, Periandro, Aeſopo aliisque narrantur. *g*) *L. I. fab. 2.*

h) Piſiſtratus enim Athenis arcem occupavit Olymp. LV. 1. quo tempore jam fatis conceſſerat Aeſopus. Ait quidem PHAEDRVS ſtatuam Aeſopo ab Athenienſibus poſitam fuiſſe, verum ex eo non ſequitur, Aeſopum fuiſſe Athenis. Statuæ enim abſentibus quoque ob nominis celebritatem ponebantur, quemadmodum Pythagoræ Romæ factum eſt, qui tamen nunquam Romæ fuit.

i) *Lib. I. ſ. 69.*

k) Chilonem enim Olymp. LVI. fuiſſe, ſupra oſtendimus, Aeſopus Ol. LIV. ad plures abiit.

l) Conf. MEZIRIAC. *l. c.*

m) HERODOTVS *l. II. c. 134.* conf. ARIST. *Scholiaſt. in veſp. p. 534.*

n) *De ſera numinis vindicta.*

o) Phialam auream ejus ſupellectili immiſcuerant. HERACLIDES in *Polit.* quem dolum ſæpius commiſiſſe Delphos notat AELIANVS *l. XI. c. 5.*

p) SVIDAS *l. c.* conf. FABRICIVS *l. c. p. 390.*

apud Thermopylas pugnaviſſe contenderunt. [q] Sapientiæ hunc Æſopum moralis, quæ per apologos traditur, auctorem fuiſſe atque inventorem, veteres plerique & recentiorum quoque multi contendunt, [r] licet ex Iudicum Iſraëlitarum hiſtoria [s] pateat, longe antiquiorem eſſe hanc docendi methodum: nec inter poëtas Æſopo vetuſtiores exempla deſint. [t] Facile tamen credi poteſt, primum fuiſſe, qui ex inſtituto, recitatis apologis, ad emendandum populi animum induſtriam animumque adhibuit; unde veteres quoque λογοποιὸν dixere, non λογόγραφον, ex quo recte conjicitur, fabulas eum non ſcripſiſſe, [u] ſed diu recitantium ore frequentatas collectas tandem, [x] variisque augmentis aſſutis editas fuiſſe: certe quas a Planude habemus, tales eſſe conſtat. De fabularum vero, ſive, quo nomine veteres inſigniebant, λόγων Æſopicorum ingenti apud veteres pretio plura in veteri hiſtoria extant documenta: quarum venuſtatem adeo admirabantur, ut a Mercurio votis eas obtinuiſſe [y] crederetur.

Gnomographi.

§. XII. Præter enumeratos ſapientiæ moralis doctores non defuere quoque, qui doctrinam moralem ex more ſeculi carminibus ſuis interſerebant, & non quidem ſyſtematico ordine, parænetico tamen ſententias morales edebant. Hucque omnes fere poëtæ Græci & imprimis Tragœdiarum ſcriptores referri poſſunt, meliori vero jure Gnomographi, quorum notitiam debemus cel. FABRICIO. [z] Inter hos THEOGNIS Megarenſis & PHOCYLIDES Mileſius imprimis notari merentur. [a] Ille familia nobili natus [b] civium invidia in exilium actus eſt, gnomasque ſive ſententias morales reliquit: quas hodie quidem legimus, ita tamen, ut multa acceſſiſſe, multa depravata & mutilata, atque inſignem mutationem paſſa eſſe appareat. [c] Alteri [d] egregium carmen admonitorium debemus, cujus ſæpe veteres mentionem faciunt. Quale vero hodie manibus terimus, ea loca non habet, quæ veteres laudant: alia vero ſunt, quæ cum dictis atque ſententiis V. & N. Teſtamenti plane quoad verba quoque conveniunt. [e] Vnde ſuſpicio enata viris doctis, Phocylidis carmen, quale hodie habemus, vel Iudæum vel Chriſtianum auctorem agnoſcere. [f] Certe inſignem interpolationem paſſum fuiſſe, nemo non videt.

Theognis.

Phocylides.

q) SVIDAS *l. c.* & in *ἀναβιῶναι p. 158.* Ptolom. Hephæſtio apud PHOTIVM *p. 252.* ed. Hœſch.

r) Vid. PHAEDR. *proœm. l. I. & l. III.* SVIDAS in *λογοποιὸς T. II.* aliique.

s) *Iudic. IX, 7.*

t) QVINTILIAN. *Inſtit. Orat. l. V. c. 11.* exemplum vide in HESIODI *ἔργ. v. 200. ſeqq.*

u) Prolixe id, præcipue ex ſilentio veterum ſcriptorum probat cel. HEVMANNVS *Act. philoſ. vol. I. p. 960.* quem vide.

x) Diagoram Melium Ol. XCI. clarum collectionem ejusmodi inſtituiſſe conjicit FABRICIVS *l. c. p. 303.* ſcripto tamen fabulas conſignaſſe affirmat APHTHONIVS, ſed præter veriſimilitudinem. Socratem eas tenuiſſe ait PLATO in *Phædone.*

y) PHILOSTR. *vit. Apoll. l. V. c. 5.*

z) *Bibl. Græc. vol. I. p. 439. ſeqq.* potiora eclogis ſuis ethicis inſeruit STOBAEVS, alias gnomologiarum Græcorum collect. enarrat FABRIC. *l. c.*

a) De utroque IDEM *l. c. p. 432.*

b) Floruiſſe Ol. LVIII. EVSEBIVS in *chron.* SVIDAS in *Θεόγνης T. II. p. 172.* notant.

c) Quod ex iis patet, quæ SVIDAS habet, ſi cum eis, quæ hodie legimus, comparentur.

d) Aequalem Theognidi fuiſſe veteres omnes docent. vid. SVID. *l. c.* & in *Phocylides.*

e) Nec tamen ea loca ſcriptores Chriſtiani veteres laudant, quod argumento eſt, illos ea non vidiſſe.

f) Conf. quos laudat FABRICIVS *l. c. p. 430.*

LIBER

LIBER SECVNDVS,

DE PHILOSOPHIA GRAECORVM SECTARIA.

CAPVT PRIMVM.

DE SECTA IONICA.

§. I.

Vagientem hactenus in cunis, vel pueraſcentem etiam Græcorum conſideravimus philoſophiam, ad illud tandem tempus delapſi, quo ingenium humanum juſto habitu philoſophari & meditationibus atque ratiocinationibus de veritate rerum divinarum & humanarum ſollicitum eſſe cœpit; quem honorem Græcorum induſtriæ deberi, in limine hiſtoriæ noſtræ, ubi de originibus philoſophiæ diſquiſivimus, demonſtratum eſt. Duo vero quaſi fontes ſunt, ex quibus non per Græciam tantum, verum etiam per alios terræ tractus Græce loquentes philoſophia omnis dimanavit, & peculiares philoſophandi modi orti ſunt, quos, quia methodum unius philoſophi, rejectis aliis ſequebantur, ſectas dicere ſolenne eſt. Vnus Thales, quem inter ſapientes Græciæ numeratum eſſe, ſupra diximus, qui in Ionia Mileti philoſophari cœpit, & ex cujus ſchola non Ionici tantum, ſed & Socrates ejusque diſcipuli prodiere, quibus ſectam academicam, Cyrenaicam, Eriſticam aliasque minores, Peripateticam, Cynicam & Stoicam debemus. Alter Pythagoras, Samius, qui non ſcholam tantum Pythagoricam, philoſophiæ cultura olim celeberrimam in magna Græcia [a] condidit, ſed & occaſionem dedit condendi reliquas ſectas, Eleaticam, Heracliteam, Epicuream, Pyrrhonicam. Sunt quidem inter veteres, qui primarias philoſophorum ſectas in tres claſſes dividunt, Ionicam, Italicam, Eleaticam, nomen iis ex locis, ubi floruerunt, tribuentes; [b] verum id cum præter morem veterum, [c] atque neceſſitatem factum ſit, veterem ſectarum diviſionem merito retinemus. [d]

Ordo hiſtoriæ philoſophiæ Græcæ.

§. II.

a) Ea vero pars eſt Italiæ inferior, a coloniis Græcis ita cognominata, quam *ſubciſivam Græciam* vocat APVLEIVS *Apol. I.* Inde vero cauſa enata quibusdam, & inter hos cel. BVDDEO *Hiſtor. philoſ. c. III. §. 36. p. 90.* Italicam philoſophiam ad barbaricam referendi.

b) CLEMENS ALEXANDR. *Strom. l. I. p. 300.* & THEMISTIVS *Orat. XV.* qui locus tamen in mendo cubat, conf. MENAG. *ad Laërt. l. I. ſ. 13.*

c) Vid. LAERT. *l. c.* AVGVSTIN. *de C. D. l. VIII. c. 2.*

d) Commode enim Eleatica, etſi philoſophando, ab Italica ſecta receſſerit, ab ea derivari poteſt. Habuit enim Zeno Eleates præceptores Italicos.

Primus philosophiæ Græcæ parens Thales.

§. II. Debetur itaque gloria introductæ methodo ſcientifica & exornatæ juſta facie habituque philoſophiæ inter Græcos Thaleti Mileſio, Ionicæ ſectæ conditori, qui laboris & induſtriæ ſuæ cum hanc ſibi mercedem popoſcerit, ut philoſophiæ inventor prædicaretur, [e] gloria iſta fraudandus non eſt, quam veteres ei unanimi fere conſenſu [f] tribuerunt, ut primus diceretur, qui philoſophiam, imprimis de rebus naturalibus tractaverit, & de cauſis rerum quæſiverit. Audiendus itaque non eſt DIOGENES LAERTIVS, [g] qui, ubi duas ponit philoſophiæ ſucceſſiones, unam quidem a Pythagora derivat, alteram vero ab Anaximandro Thaletis auditore. Niſi hoc ita intellexiſſe cenſendus ſit, ut Anaximander primus dicatur, qui literis atque ſcripto philoſophatus eſt, cum Thales nihil de philoſophia ſcripſerit. [h] Thaletem enim ante Anaximandrum philoſophatum fuiſſe, non veteres tantum unanimi ore fatentur, ſed & ipſe LAERTIVS ultro concedit, qui non tantum Anaximandrum audiviſſe Thaletem narrat, huncque inter ſapientes Græciæ refert, ſed & monet, ſectam hanc vocatam fuiſſe Ionicam, eo quod Thales, qui eam inſtituit, ex Ionia fuerit. Ea vero ex cauſa, quod nihil ſcripſit, honore hoc conditæ philoſophandi veræ methodi non magis privandus eſt, quam Pythagoras, quem nihil ſcripſiſſe ſuo loco probabimus. Forte LAERTIVS Thaletem inter ſapientes magis viros, quam philoſophiæ doctores numeravit, [i] quanquam & hoc inepte ſatis, cum ipſe narret, eum Anaximandrum inſtituiſſe: [k] non enim de præceptoribus ſive doctoribus philoſophiæ quæſtio eſt, ſed de ſucceſſione philoſophorum, per quos peculiaris philoſophandi ratio manibus quaſi tradita & propagata fuit, quod a Thalete initium cœpiſſe, tractatio ſecutura evincet. Succeſſit vero ſectæ Ionicæ conditori Thaleti Anaximander, & hunc ſecutus eſt Anaximenes, Anaximenem Anaxagoras, & poſt eum Diogenes Apolloniates atque Archelaus. Qui omnes naturalem tantum philoſophiam excoluerunt, donec Socrates, Archelai auditor, philoſophiam e cœlo in terram deduceret, & de moribus philoſophando novam ſectam conderet, quæ Socratica dicta fuit. [l]

Thaletis vita.

§. III. Quamvis vero Thaleti introductæ inter Græcos philoſophiæ atque naturalis imprimis & mathematicarum ſcientiarum gloria debeatur, parciores tamen in recenſendis viri magni circumſtantiis fuerunt, quam me-

e) *Recens a ſe inventum Thales memoratur edoceriſſe Mandraytum Prienenſem, qui nova & inopinata cognitione impendio delectatus, optare juſſit, quantam vellet, mercedem ſibi pro tanto documento rependi. Satis inquit, mihi fuerit mercedis, Thales ſapiens, ſi id, quod a me didiciſti, cum proferri ad quoſpiam cœperis, tibi non adſciveris, ſed ejus inventi me potius repertorem prædicaveris.* Ita APVLEIVS *Florid. l. IV. p. m. 368.* ed. Scriv.

f) APVLEIVS *l. c.* ORIG. *philoſophum. c. I.* CICERO *de N. D. l. I. c. 10.* PLVT. *de placit. phil. l. I. c. 3.* STRABO *l. XIV. p. 635.* alii nominantur in *Act. phil. vol. III. p. 161. ſeqq.*

g) *Lib. I. ſ. 13.*

h) Addendum, quod ex inſtituto ſectatores quæſiverit, ſi audiendus SCHEFFERVS *de phil. Ital. c. VI. p. 33.* quem ſequitur cel. HEVMANNVS *l. c. p. 180. ſeq.*

i) Hoc videntur ſuadere antecedentia, ubi Thales inter ſapientes Græciæ refertur.

k) Vnde ratio, quam ex *Ep. Thaletis ad Pherecydem* apud LAERT. *l. I. ſ. 43.* affert SCHEFFERVS *l. c.* concidit; nam nec epiſtola id dicit, nec ejus tanquam ſuſpectæ fides aliqua eſt.

l) A conditore. Variis enim ex cauſis nomina data fuiſſe ſectis monet LAERT. *l. I. ſ. 11.* qua de re prolixius diximus in diſſ. *de ſecta Elpiſtica*, quæ inſerta eſt *Miſcell. Berolinenſ. T. V. obſ. ult.*

meritis ejus debebant veteres. Immo tota ſectæ Ionicæ hiſtoria obſcura eſt atque manca, nec ea apud veteres deprehendimus, quæ noſſe tamen intereat. Colligendum itaque, ex veterum ſcriptis, quantum vel eorum negligentia permittit, vel temporis injuria nobis reliquit. Thales patre Examio, matre Cleobulina natus eſt, ex Thelidarum familia, quæ inter Phœnices clariſſima fuit.[m] Quæ majorum patria ſeduxit veterum & recentiorum aliquos,[n] ut ipſum Thaletem Phœnicem fuiſſe dicerent: Mileti enim ex familia Phœnicia, quæ jus civitatis indepta erat, genitum, patriam Ioniam habuiſſe, indubitatis veterum teſtimoniis conſtat, ſuntque, qui familia quoque indigenam fuiſſe, id eſt Græco ſanguine natum aſſerunt.[o] Ortum primo anno triceſimæ quintæ Olympiadis tradit Apollodorus in chronicis,[p] quod nativitatis tempus præter rem viri, quidam docti ſollicitarunt.[q] Parentum vero opibus & cura atque ingenii magni & ad optima quæque nati præſtantia ita emicuit, ut reipublicæ gubernaculis admoveretur. Et initio quidem privatam vitam inſtituiſſe, & Thraſybuli magni ingenii & conſummatæ prudentiæ viri convictu uſum fuiſſe, contendunt.[r] Certe rectius illi ſentiunt, qui cœlibem egiſſe vitam tradunt, ſuumque ex ſorore nepotem hæredem ſcripſiſſe aſſerunt,[s] quam qui uxorem duxiſſe, & filium genuiſſe ajunt.[t] Etſi enim infantium amore vehementer tangebatur, noluit tamen ultro curis, quas liberorum ſæpe fata concitare ſolent, vitam obnoxiam reddere, ejusque tranquillitatem turbare;[u] unde rogatus; cur liberis operam non daret, διὰ φιλοτεκνίαν reſpondit:[x] ejusque ſpecimen Soloni cœlibatum ejus miranti mira jucunditate fecit:[y] Alii tamen prima ejus ſtudia ad rempublicam gerendam ſpectaviſſe, inque magna fuiſſe auctoritate, contendunt:[z] infenſiſſimum tamen tyrannidi, ſive unius principatui fuiſſe tradunt,[a] cum reliqui e VII. ſapientibus Græ-

m) LAERT. *l. I. ſ. 22.* qui ad Herodotum, Thurin & Democritum provocat, conf. MENAG. *ad l. c. Laërt.*

n) CLEM. ALEX. *Strom. l. I. p. 300.* HYGIN. *aſtron. l. II. c. 2.* quos ſequuntur CVDWORTHVS *Syſt. int. c. I. §. 22. p. 27.* & ven. WOLF. *ad philoſophum.* PSEVDO-ORIG. *c. I. p. 21.* ita tamen, ut Phœnicem quidem dicant, ſed genere non patria, de hac vero quæritur, non de illo.

o) Hermippus apud LAERT. *l. I. ſ. 38.* PLVT. *de Herodoti malignitate.*

p) LAERT. *l. I. ſ. 37.*

q) Annum enim ſerius natum fuiſſe Thaletem vult VOSSIVS *de ſcient. math. c. XXXII. §. 6. p. 146.* qui etiam, ſeductus a LAERTIO, dum cum Neleo Miletum perveniſſe ait, Thaletem CCCC annis facit majorem, inſigni anachroniſmo. Ol. XXXV. 1. quidem ponit SCALIG. *ad Euſeb. p. 83.* MEVRS. *de archont. l. I. c. 11.* PETAV. *rat. temp. l. II. c. 12. p. m. 122.* ſequuntur tamen eos, qui Damaſia archonte natum aſſerunt, quod in Olymp. XXXV. 2. incidit, adeoque ejus tempus ad a. 1. retrahunt. Perperam utrumque, Damaſiam enim non Olymp. XXXV. 2. tantum ſed & XLVIII. 4. archontem fuiſſe, quo anno ſapientis nomen pactus eſt Thales, ſupra ex *Marm. Arundellianis* obſervavimus; Hi enim duo archontes non ſunt confundendi. conf. STANLEII *Hiſt. phil. P. I. p. 4.*

r) LAERT. *l. I. ſ. 27.* confuſe publica & privata Thaletis vita a veteribus refertur, quam tamen hac ratione in ordinem redigi poſſe putamus.

s) LAERT. *l. I. ſ. 26.* SVID. in Θάλης *Tom. II. p. 163.* PLVT. in *Solone.*

t) Apud LAERT. *l. I. ſ. 25.*

u) STOBAEVS *ſerm. CLXXXV. p. 641.*

x) LAERT. *l. c.* δι' ἀφιλοτεκνίαν legit CASAVBON. *ad h. l.* ſed ut ex citato Stobæi loco patet, contra mentem Thaletis: qui eam Soloni egregie prodidit.

y) PLVT. in *Solone.* Subornavit enim nuntium, qui Soloni indicaret, mortuum filium. Solone mœrore oppreſſo & dolente, hanc ipſam rationem, ait, eſſe, cur liberos non gigneret; ſcilicet ne cura & dolor propter eos animum frangeret.

z) LAERT. *l. c.*

a) PLVT. in *conv. VII. ſap.* Repetendum vero quod ſupra demonſtravimus, totum hoc convivium confictum eſſe: unde quæ Thaleti tribuuntur, fidem exiguam habent.

ciæ omnes in civitatibus ſuis principatum obtinuerint. [b] In eo vero ejus fidem & dexteritatem excelluiſſe, ut optimis conſiliis patriam juvaret, cujus exemplum unum atque alterum nobis ſervavit LAERTIVS & HERODOTVS. [c] Quicquid tamen illud eſt, hoc indubium videtur, mature ſe publicis muneribus ſubtraxiſſe, & eruditionis, imprimis vero philoſophiæ naturalis atque ſcientiarum mathematicarum ſtudio ſe totum addixiſſe. Quem ingenii ad magna quæque tendentis ſcopum ut attingeret, iter literarium ingreſſus eſt, & florentibus annis in Cretam primum abiit, [d] religionis atque myſteriorum, quæ in iſta inſula tum temporis maxime celebrabantur, [e] diſcendorum cupidus, quod mirum videri queat, ingenio Thaletis a ſuperſtitione admodum abhorrente. Verum cum rerum naturalium ſtudio vehementer flagraret, rerumque ortum & coſmogoniam iſtis myſteriis & theogoniis tradi ſciret, ad explorandas veterum de mundi ortu atque natalibus opiniones illud iter ſuſcepiſſe, eſt veriſimillimum. In Aſiam quoque abiiſſe, epiſtola quædam ei tributa ait, unde nonnulli putant, familiæ origine, & aſtronomiæ in hac gente cultæ fama permotum ad Phœnices excurriſſe, ibique ſideralem ſcientiam, qua Phœnices excellebant, didiciſſe: urſæ quoque minoris ſidus primum obſervaſſe. [f] Verum hæc incerta ſunt, nec probari teſtimoniis ſatis poſſunt. Certius vero & indubitatum, jam ſenem in Ægyptum profectum fuiſſe, eo animo, ut cum ſacerdotibus aſtronomisque ibi verſari ſibi liceret. Inſtitutum ibi fuiſſe a ſacerdotibus Memphiticis, totamque philoſophiam artesque mathematicas didiciſſe, imprimis geometriam, LAERTIVS, PLVTARCHVS & IAMBLICHVS tradunt: [g] quos tamen præjudicio de philoſophia Ægyptiaca impeditos plura affinxiſſe illi, quæ Ægyptiis debuerit, quam verum eſt, denudata ſuo loco Ægyptiorum eruditio ſatis probat; certumque eſt, plus ingenio vere philoſophico, quam Ægyptiorum inſtitutioni in inveniendis veritatibus naturalibus debuiſſe Thaletem: cujus teſtimonium omni exceptione majus eſt, quod Ægyptios non ſine eorum admiratione docuerat pyramidem metiri. [h] Scipione enim ad umbræ, quam jaciebat pyramis, finem erecto, ac tactu radiorum ſolis duo triangula conſtituente, demonſtrabat, altitudinem pyramidis ad ſcipionis altitudinem ea eſſe proportione, quam umbra illius ad hujus umbram haberet. [i] Hæc vero cum ignoraverint magni illi Ægypti geometræ, quis in iſtis ſcientiis egregia multa ab iis didiciſſe Thaletem cre-

b) CICERO *de Oratore l. III. c. 34.*

c) Ille *l. I. ſ. 25.* hic *l. I. p. 43.*

d) LAERT. *l. I. ſ. 43.*

e) De iis videndus MEVRSIVS in *Creta l. IV. c. 2. p. 197. ſeqq.*

f) *Ibid.* conf. VOSSIVS *l. c.* vix vero alio fundamento nititur, quam hoc: Aſtronomiam a Phœnicibus ad Græcos perveniſſe, Thaletemque genere fuiſſe Phœnicium, id quod vehementer impingit in leges conſequentiæ Logicæ. Thaletem Pythagoræ ſuaſiſſe, ut Phœniciam inviſeret, ait quidem IAMBLICHVS *de vit. Pyth. c. III. n. 14. p. 11.* verum is parum fidei meretur, homo in hiſtoria Pythagoræ nugivendulus.

g) LAERT. *l. I. ſ. 24.* PLVT. *de plac. phil. l. I. c. 3.* IAMBL. *l. c. c. I. n. 2.* Quæ vero PLVT. in *Sympoſio* de ſermonibus ad Amaſin regem habitis refert, fabulas Græcorum monarchico regimini inviſorum ſapiunt.

h) Hieronym. apud LAERT. *l. I. ſ. 27.* PLIN. *l. XXXVIII. c. 17.*

i) Ita PLVT. *l. c.*

crediderit? Ex itineribus redux [k] ob ingenii divitias & philoſophiam, cujus exorientis jubar vehementer omnium oculos, qui hactenus in diluculo tantum quaſi viderant, perſtringebat, omnium admirationem meritus, ejusque familiaritas a multis præſtantiſſimis viris expetita eſt, quam tamen otii philoſophici, ad fovendas meditationes, amantiſſimus ſtudioſe declinavit, [l] & inveniendis veritatibus phyſicis, geometricis atque aſtronomicis [m] vitam omnem impendit: quæ etſi exigua videri queant, ſi cum noſtrorum temporum eruditione naturali & mathematica comparentur, & incertum ſit, an omnia illi debeantur, [n] quæ ſolent ei adſcribi; cogitandum tamen eſt, in veritatibus primis inveniendis occupato, mediocria quoque magna & eximia fuiſſe. Tanto vero animi fervore atque contentione in philoſophiæ ſtudia incubuit, ut ex ſorore nepoti facultatum ſuarum curam relinqueret, [o] totumque ſe ſtudiis traderet; a qua vehementi animi contentione narratiunculæ forte ortæ ſunt, quæ de illo non incerta tantum, ſed & exploſa fide feruntur, aſtris contemplandis intentum, cum in foveam decidiſſet, ab ancilla, quæ eum viderat, deriſum fuiſſe, qui cœleſtibus ſcrutandis occupatus, ea non vidiſſet, quæ ante pedes eſſent, [p] vel quod Anaximenis epiſtola apud LAERTIVM [q] narrat, una cum ancillula ſidera inſpecturum atrio domus matutinum egreſſum, immemorem, ut ſeſe ſitus loci haberet, dum æthera ſecurius exploraret, in præruptum locum ingreſſum decidiſſe, ſicque vitæ finem feciſſe. Palpatur enim fabula manibus, ideo excogitata, ut haberent ſophiſtarum diſcipuli, quo acumen dictionis venarentur: teſtaturque PAVSANIAS [r] & LAERTIVS [s] ad ſummam ætatem (quam nonaginta annorum numerum ſuperaſſe certum eſt) cum pervixiſſet, Olymp. LVIII. 1. [t] dum Olympicos ludos ſpectaret, æſtu, ſiti, gravisque ſenectæ oppreſſum onere obiiſſe. Nec fortaſſe majorem fidem meretur, quod veteres referunt [u] præſenſiſſe eum aſtrologiæ beneficio uberrimam fore olearum meſſem, antequam florere cœpiſſent: datoque adeo pignore cum exiguæ eſſent ejus facultates, omnia Mileti & Chii parvo pretio redemiſſe oliveta, nemine alio licitante. Tempore vero, quo matureſcunt, adventante, cum multi oleas quærerent avide & feſtinanter, quo vellet pretio divendiſſe, & magnam pecuniæ vim collegiſſe, oſtendentem, quam opes parare philoſophis, ſi velint, ſit facile. Nam non ſolum

k) CYRILL. *contr. Iul. l. I. p. 15.*

l) PLVT. *l. c.*

m) Dicendum de iis in ſeqq.

n) Quæ enim illi tribuuntur, apud alios ex parte adſcribuntur aliis.

o) LAERT. *l. I. ſ. 25.*

p) PLATO in *Thæet. T. I. p. 174.*

q) *Lib. II. ſ. 4.*

r) In *Phocicis c. V. p. 811.*

s) LAERT. *l. I. ſ. 38.*

t) LAERT. *l. c.* LXXXVII. ei tantum tribuit annos, quem tamen Olymp. XXXV. 1. natum & Ol. LVIII. 1. denatum dixerat: inde enim XXIII. Olympiadum numerus, quo vixit, exſurgit, qui XCII. annos comprehendit. Quos tamen PETAVIVS *ration. temp. l. II. c. 12. p. 122.* minus recte XCVI. numerat, non enim Olymp. LVIII. 4. ſed primo anno, quo ludi inſtituebantur obiit. LVCIANVS vero *de longævis T. II. p. m. 892.* dum illum inter eos, centenarii qui obierunt refert, numero rotundo locutus fuiſſe videtur. Sepultus vero fuit in obſcuro Mileti agello, uti præſcripſerat; honori vero & memoriæ ejus ſtatua poſita LAERT. *l. I. ſ. 34. 39.*

u) ARISTOT. *Polit. l. I. c. 11.* PLIN. *l. XVIII. c. 20.* LAERT. *l. I. ſ. 25.*

tam aperte denudata hodie eſt aſtrologicæ artis vanitas & incertitudo, ut hæc fieri non potuiſſe, ſanus quilibet fateri neceſſe habeat, [x] ſed & veteres incerto rumori deberi non negant, aliique longe aliis adſcribunt: unde recte & hanc fabulam ex hiſtoria Thaletis viri eruditi proſcripſerunt. [y] Fuit vero Thales non philoſophiæ tantum naturalis & artium mathematicarum ſcientia clariſſimus, ſed ex conſuetudine quoque temporis illius atque ſeculi cum poëtica facultate, tum dictorum moralium, acumen & ſapientiam moralem, atque politicam ſpirantium, felicitate præſtantiſſimus, qua eruditione ſapientis locum titulumque meruiſſe, ſupra indicavimus. Incertum tamen eſt, num apophthegmata, dicta & ſententiæ, quæ ei tribuuntur, [z] omnes eum auctorem agnoſcant? cum multa viris his ſapientibus a ſequioris temporis ſophiſtis, eloquentiæ & acuminis laudem in ejusmodi fictionibus quærentibus, ſint ſuppoſita. Quæ ratio quoque prohibet, ea pro Thaletis agnoſcere ſententiis, quas PLVTARCHVS ei tribuit. Vtrum ſcripſerit aliquid, veteres diſſentiunt, & alii quidem, atque inter hos AVGVSTINVS, [a] diſputationes *de rerum natura* literis mandaviſſe ajunt, librosque *de aſtrologia nautica*, & *de punctis tropicis & æquinoctialibus*, itemque metricum opus *de meteoris*, tribuunt: alii vero ſcripſiſſe quicquam, præter ἀδόμενα, negant: [b] a quorum partibus veriſimilitudo omnino ſtat major. Epiſtolæ enim, quas nobis ſervavit LAERTIVS ſuſpectæ ſunt, [c] & ſcholam rhetoris olent, id quod de plerisque philoſophorum veterum epiſtolis aſſerere nulli dubitamus. [d] Tandem monemus, Thaletem Mileſium cum Cretenſi poëta ac legislatore confundendum non eſſe. [e] Diſcipulum habuit Anaximandrum, [f] incertum vero, an Anaximenem vel Pythagoram? [g]

§. IV.

x) Conf. FRANC. VALLESIVS *philoſ. S. c. XXXI. p. 232.* Vnde mirum CAROL. OWENVM in *theatro impoſtur. p. 66.* verſ. Germ. hanc prædictionem revelationi diabolicæ adſcripſiſſe.

y) Vid. *act. philoſ. vol. I. p. 16. vol. III. p. 174.* Videtur tota fabula ad conciliandam nugaciſſimæ arti fidem aliquam excogitata fuiſſe. Hinc aliis quoque philoſophis imprimis Democrito adſcribitur apud PLIN. *l. c.* quod ſatis prodit, vulgi incertum rumorem fuiſſe.

z) Vid. Demetr Phaler. apud STOBAEVM *Serm. XXVIII. p. 86.* AVSON. *p. 112.* LAERT. *l. I. ſ. 34.* STANLEIVS *P. I. c. 9. p. 22. ſeqq.* Quæ vero PLVTARCHVS in *Convivio* habet, ſuſpecta & tantum non omnia conficta eſſe, ex ſupra dictis eſt manifeſtum.

a) *De C. D. l. VIII. c. 11.* SIMPLIC. *ad Ariſt. Phyſ. l. I. p. 6.* LAERT. *l. I. ſ. 23.* SVIDAS *l. c.*

b) LAERT. *l. I. ſ. 23.* THEMIST. *Orat. XXVI. p. 317.* conf. FABRICIVS *Biblioth. Græc. vol. I. p. 238. ſeq.* PLVTARCHVS vero in libro: *quare Pythia oracula fundere deſierit*, jungit eum Orpheo, Heſiodo Parmenidi, qui carminibus philoſophiam tradiderunt, quod & SVIDAS innuit. Cum vero nihil ſcripſiſſe, & Anaximandrum primum fuiſſe, qui philoſophiam ſcripto comprehenderit, tradant veteres, fide digni, eos, nimis ætate a Thalete remotos, non ſequendos putamus, licet id faciat doctiſſimus OLEARIVS *ad* STANLEIVM. *p. 26.* ἀδόμενα quoque non omnis philoſophia metro comprehenſa ſunt, ſed dicta moralia laxiori metro expreſſa & liberiori carmine.

c) Ita etiam HVET. *Dem. Ev. Pr. IV. c. 2. §. 5. p. 52.* BENTLEIVS *de Phalarid.* HEVMANN. *Act. phil. vol. III. p. 173.* FABRICIVS *Bibl. Græc. l. c. pag. 239.*

d) Conſentiunt magni judicii viri, IOSEPH. SCALIGER. *ep. 306.* quosque nominat FABRIC. *l. c. p. 406. ſeqq.*

e) Dictum de eo ſupra: Alios hujus nominis enumerat LAERT. *ſ. 38.*

f) LAERT. *l. II. ſ. 1.* EVSEB. *Præp. l. X. c. ult.* SVIDAS in *Anaxim.*

g) Aſſerit id STANLEIVS *P. I. c. 12. p. 26.* uſus auctoritate epiſtolæ Anaximenis ad Pythagoram. Verum neque ejus fides magna eſt, nec ea id dicit, recte monente OLEARIO *ad h. l.* quæ vero IAMBL. in *vit. Pyth. c. I. n. 11. p. 7.* aſſerit, ad ejus nugas referendum eſſe, ſuo loco demonſtrabimus.

§. IV. Philoſophicarum vero doctrinarum, a Thalete expoſitarum ſyſtema omnium maxime attentionem meretur, quia primus quaſi accuratius philoſophantis humani ingenii conatus atque tentamen fuit. Illud vero ita exponere, quemadmodum res poſcit, & requiritur, ut ſolidum atque accuratum judicium de eo fieri queat, impoſſibile eſt, multisque difficultatibus obſeptum, quas ſuperare non licet. Cujus cauſas ſequentes probe ponderandas eſſe, quilibet, qui præcipitanter agere in judicandis veterum opinionibus non vult, concedet facile. *Philoſophia Ionicorum.*

I. Non habemus ſcripta philoſophorum Ionicorum, quibus de ſyſtemate ſuo mentem explicuere; ſed mature, quicquid ea de re tradiderunt, periit; ſive quod pauciſſimis tantum diſcipulorum id crederent, rati, indignum eſſe nova ſcientia, quæ tum ſingulari habitu juſtaque facie, primum quaſi apparebat, eam cum vulgo communicare, & quaſi proſtituere; [b] ſive quod ſpeculationes ſupra Græcorum tum temporis captum ſurgentes contemnerentur, longe aliter inclinantibus plerorumque ingeniis, quæ philoſophiam hactenus in poëtarum atque theologorum fabulis latere, nec eſſe rem cujuslibet, crediderant; ſive quod arcana docendi methodus, quam illi, qui ſupra vulgus ſapere, & de rebus univerſi aliquid ſcire ſe jactabant, ſervaverant, viris iſtis ex Ionica ſecta perſuaſerit, ſua ad excitandum philoſophiæ atque conſervandum honorem occultare; ſive denique, quod introducta per Socratem philoſophia morali, phyſica Ionicorum doctrina contemta eviluerit, ſicque ſcripta eorum neglecta fuerint, vel omnes quoque hæ cauſæ concurrerint. Deficientibus vero in tam cana antiquitate fontibus primariis, cum ex impuris tantum rivulis hauriendum ſit, quis certam juſtamque philoſophiæ Ionicæ ſibi promittet hiſtoriam atque notitiam. [i] *Ejus hiſtoria inſuperabili difficultate laborans.*

II. Deficientibus itaque monumentis Ionicorum, ad eos recurrendum eſt, qui tempore & ætate illis proximi fuerunt, & de dogmatibus eorum retulerunt aliquid: Verum & hic difficultates haud leves atque impedimenta magna ſe offerunt, quo minus ad certam aliquam philoſophiæ Ionicæ notitiam pervenire nobis liceat. Ex ſchola enim Ionicorum unus, qui philoſophiam ad poſteros propagavit egreſſus eſt Socrates, qui cum exiguum in emendando animo & firmanda hominis felicitate uſum habere ſpeculationes phyſicorum Ionicorum philoſophicas cerneret, non ipſe tantum eas miſſas fecit, ſed & diſcipulos ab iis avocavit: unde tam pauci ſunt ex iſto tempore, qui Ionica dogmata nobis tradidere. Vnus Plato inventus eſt, qui naturalem philoſophiæ partem, a Socrate neglectam, morali jungeret, ex cujus poſtea diſciplina exiit Ariſtoteles, novamque philoſophiam condidit. Vterque de veterum, imprimis Ionicorum doctrinis paſſim egit,

b) Egregie id animadverſum de Thalete aliisque a THEMISTIO *Or. XXVI. p. 317.* ait inter alia: Πρὶν (ante Anaximandrum) εἰς ἔνειδος καθεσήκη τὸ λόγως συγγράφειν ἀλλ' ἃ ἐνομίζετο τοῖς πρόσθεν Ἕλλησι ſed totus locus legendus eſt.

i) Conf. *Act. philoſof. vol. III. p. 165. ſeqq.*

egit, [k] & posterior imprimis, qui id sibi constituendum putavit, ut veterum physicorum sententias enarraret & refelleret. Vtrique tamen in hac re fidendum non esse, ex iis, quæ suo loco de ambobus philosophis dicentur, erit manifestissimum. Plato enim syncretistica philosophandi ratione abreptus, veterum plerumque sententias ita detorsit, ut in harmoniam abirent doctrinæ inter se toto cœlo diversæ, sicque veterum placita fœde sæpe numero inter sese permiscuit. [l] Aristoteles vero fideliter in recensendis veterum systematibus non versatus est, sed doctrinas earum valde corrupit, parte nonnunquam necessaria truncavit, & ita exposuit, ut non possint non a lectoribus suis rejici, suisque postponi: surreptis tamen iis, quæ sibi inservire posse putaverat. Quem in finem etiam brevitatem, quam alias quoque sectabatur, & obscuritatem ita adhibuit, ut laterem lavent, qui notitiam claram atque certam de placitis physicorum veterum ex Aristotele haurire se posse putant. Quam malam Aristotelis fidem & veteres & recentiores philosophi agnoverunt, [m] deque ea questi sunt. Post hos Platonici, quos vocant recentiores, de hac historiæ philosophicæ parte sibi visi sunt meruisse, quibus adjiciendus est PLVTARCHVS. Illi vero quam incerti atque infidi hac in re testes sint, vel solum, quod tam anxie sequebantur studium omnium philosophorum systemata conciliandi, suoque jungendi, in aprico ponit. Accedit, quod imprimis apud Plutarchum notandum est, [n] adeo remotos ab Ionicorum temporibus esse hos philosophos, ut sine propiore, quem secuti sunt, teste nominato fides omnino vacillet; quem tamen indicare nobis, plerumque obliti sunt. Id quod magnam incertitudinem gignere, quilibet, qui accuratiora sequi novit, videt.

III. Non defuerunt quidem inter recentiores, qui ut physicorum, fere omnium, qui ante Aristotelem vixerunt, ita & Ionicorum præcepta de natura rerum explicaverunt, inter quos imprimis nominandi sunt SCIPIO AQVILIANVS [o] & THOMAS BVRNETIVS, [p] aliique. Verum non habemus certius atque accuratius aliquid, quod lectori inde promittamus. Cum enim incertis & deficientibus veterum relationibus, imprimis Aristotelis, quem diligenter & cum cura secutus est AQVILIANVS, uti necesse haberent, ad conjecturas confugiendum fuit viris doctissimis, & consequentiarum tantum adminiculo ea eruenda, quæ verisimili aliqua ratione aliquod physicæ Ionicæ systema exhiberent. In quo quidem ingenium, eruditionem & industriam virorum doctissimorum

k) Loca eorum in sequentibus allegabimus. Apud Platonem id interdum non nominatis fit Ionicis.

l) Hoc imprimis factum in mixtis & confusis inter se principiis Heracliti & Ionicorum & Eleaticorum.

m) Videndus ex veteribus PORPHYRIVS *de vita Pythag. n. 51.* & quæ hac de re dicemus suo loco. Ex recentioribus cel. MOSHEMIVS *ad* CVDWORTH. *pag. 111. not. 2.*

n) Idem de CICERONE quoque valet, qui passim de doctrinis Ionicorum disseruit: itemque de CLEM. ALEX. aliisque.

o) In libello rarissimo *de placitis physicis veterum philosophorum ante Aristotelem Venet. 1604. 4.* edito.

p) *Archæol. philos. l. I. c. 10.* add. MORHOF. *Polyhist. T. II. l. II. c. 20.* BAYLE *Dict.* v. *Thales, Anaxagoras.*

rum vehementer laudamus, dolemus vero, certi ſitienti lectori ita non fieri ſatis, & ſæpe numero ea tribui Ionicis philoſophis, de quibus ne per ſomnium quidem cogitarunt, & interpretum magis ingenio, quam illorum philoſophiæ debentur. Inde factum quoque eſt, quod novam nobis difficultatem parit, ut in diverſas atque oppoſitas ſæpe partes diſcederent Ionicæ philoſophiæ explanatores, ſibique contradicerent, & vehementer pugnarent: quod imprimis proditum eſt, ubi de atheiſmo ſectæ Ionicæ diſputatum, & in diverſas partes itum eſt, aliis eos accuſantibus, aliis cauſam eorum agentibus,[q] tanta rei incertitudine, ut viciſſe, ubi adverſarium aggrediuntur, victi ubi cauſam ſuam defendunt ſæpe numero videantur.

IV. Non parum vero in eo ab his peccatum eſſe αὐτοψία docet, quod majora, plura & clariora in Ionicæ philoſophiæ ſyſtemate quæſiverint, quam revera in eo inveniuntur. Verſabatur tum in ipſis philoſophandi συσηματικῶς initiis humanum ingenium, videratque veritates aliquas, easque ex principiis ſuis deduxerat, ſed nec plene nec accurate ſatis, ut in initiis ſcientiarum plerumque fieri ſolet, quæ non niſi multorum ſeculorum labore & meditatione ad juſtam perfectionem perducuntur. Hoc qui non attendunt, eos neceſſe eſt, veterum laciniis multa aſſuere, & de ſuo complere, de quibus illi nunquam cogitarunt.[r] Hæc itaque cum ita ſe habeant, modeſtiam in excutienda philoſophia Ionica ſequendam & aliis commendamus, & nobis legem ponimus, ſperantes, lectorem iſtis, quas adduximus, rationibus adductum iri, ut æque ferat, ſi non integra atque plena eorum ſyſtemata adducamus,[s] conjecturasque noſtras ultra veriſimilitudinis aliquem gradum non evehamus, vel modeſtum quoque ſervemus ſilentium.

Thaletis philoſophia.

§. V. His præmiſſis jam philoſophiam Thaletis conſiderabimus. Ea vero potiſſimum circa rerum naturalium contemplationem verſata eſt, licet de incorporeis quoque rebus & ſcientiis mathematicis ſollicitus fuerit: moralem vero philoſophiam non niſi ἐξωτερικῶς attigit, & ex more ſeculi ſui ſententiis atque apophthegmatibus illuſtravit. Et hæc quoque cauſa eſt, cur Ionici vocari ſoleant phyſici, eo quod de natura mundi philoſophati fuerint, curque Thales dicatur princeps phyſicorum apud TERTVLLIANVM,[t] *primusque* audiat CICERONI[u] *qui de rebus naturalibus quæſiverit.* Phyſicarum vero doctrinarum ejus ſummam his potiſſimum poſitionibus conſtitiſſe veteres tradunt:

De ortu rerum.

I. Aquam primum corporum naturalium principium eſſe, ex quo exiſtant primo, & in quod poſtremo reſolvantur. Magno hoc principium

q) Dicetur hac de re in ſequentibus.

r) Obſervatum hoc docto viro qui *Obſ. Hal. Germ. P. V. obſ. I.* ea de re egit. Add. CONRING. *de Herm. medic. c. XIV.* MORHOF. *l. c.* Acta phil. *vol. III. p. 166. 167.*

s) Conf. cel. MOSHEMIVS *ad* CVDWORTHVM *Syſt. intell. c. III. §. 21. n. 8. p. 123.* qui & ipſe monet in tanta veterum auctorum inconſtantia & teſtimoniorum paucitate nihil certi de placitis Ionicorum dici poſſe.

t) Apologet. c. 26.

u) De divinat. l. I. c. 10. quibus addendi LACTANT. *de falſa rel. l. I. p. 18.* STRABO *l. XIV. p. 635.* LAERTIVS *l. I. ſ. 24.* & MENAG. *ad h. l.* PLVTARCH. *de plac. phil. l. 3.*

pium totius naturalis philoſophiæ Thaletis, conſenſu veterum Thaleti tribuitur, quemadmodum ex ARISTOTELE, [x] LAERTIO, [y] PLVTARCHO, [z] CICERONE [a] multisque aliis ex veterum numero videre eſt, nec negatum quoque eſſe a quopiam meminimus. Vt vero recte intelligatur, monenda quædam ſunt, ſine quibus fruſtra generale hoc principium conſiderabitur. Scilicet notandum 1. mundi hoc initium poſuiſſe Thaletem, non rerum omnium ſive univerſitatis. Supra enim obſervavimus, veterum theogoniarum conditores ortum univerſitatis rerum haud raro cum natalibus mundi noſtratis commiſcuiſſe, & primo quidem generalia principia poſuiſſe, mox vero ad mundi hujus fabricam fuiſſe delapſos. Hæc ut evitaret Thales, meliori ordine philoſophaturus, aquam primum principium omnium, quæ in mundo ſunt, rerum conſtituit, de reliquis non ſollicitus. [b] Qua in re cum Indis ſenſiſſe videtur, de quibus Megaſthenem, referentem ſupra [c] audivimus, ſtatuiſſe eos: univerſarum rerum primordia diverſa eſſe, mundi autem aquam. 2. Aquam vero dum Thales omnium, quæ in mundo ſunt, rerum principium dixit, non tam cauſam effectricem a qua orta ſunt omnia, quam materiam potius, ex qua formata ſunt, intellexiſſe, veriſimile eſt. Cum enim vox ἀρχὴ utrumque notet, & principium a quo, & initium ſive materiam ex qua res ſunt, dubius ita ſenſus oritur, num præter aquam cauſam quoque effectricem aliam rerum omnium Thales admiſerit, qua de re poſtea ex inſtituto tractabimus. In præſentia, hoc monuiſſe ſufficiat, videri Thaletem veterum coſmogoniarum, quas cum ex traditionibus Phœnicum, quibus genus & majores debebat, tum in inſula Creta, & in Ægypto didicerat, auctores in eo ſecutum fuiſſe, qui poſthabita cauſa effectrice prima ad materialem potiſſimum reſpexerunt, & de ortu rerum naturalium ex chao philoſophati ſunt. Certe ARISTOTELEM atque PLVTARCHVM [d] ita Thaletem interpretatos fuiſſe, aperta utriusque verba, & quæ inde formavere, ratiocinia probant. Prior enim principium hoc, ex quo res fiant, explicat, putatque ideo Thaletem in hunc modum de initiis rerum omnium fuiſſe philoſophatum, quoniam cunctorum ſemina humidam naturam ſortita ſint: aqua vero naturæ principium humidis ſit: alter vero Thaletem reprehendit, quod principium cum elemento confundat, aquam enim eſſe elementum, eſſeque materiam aqua & terra priorem, forma carentem, ex qua omnia. Recte itaque & clarius CICERO, [e] aquam eſſe dixit ex mente Thaletis non principium ſed initium rerum omnium. 3. Nihil tamen novi videtur Thales hoc principio ſtatuiſſe, ſed explicuiſſe tantum clariori voce, quid veteres phyſiologi ante ſua tempora per chaos intellexerint. [f] Probaviſſe enim Tha-

x) *Metaphyſ. l. I. c. 3.*
y) *l. I. ſ. 27.*
z) *l. c.*
a) *De nat. Deor. l. I. c. 10.*
b) Ordo hoc totius ſyſtematis Thaletis poſtulat, & imprimis quæ ARISTOTELES & PLVTARCHVS *l. c.* de eo referunt. conf. PSEVDO-ORIGEN. *Philoſoph. c. I. p. 22.*
c) STRABO *l. XV. p. 713.* conf. BVRNETIVS *Archæolog. philoſ. l. I. c. 10. p. 417.*
d) *ll. cc.* e) *l. c.*
f) Veterum hac de re mentem diſcere licet ex IVST.

Thaletem ſuam de aqua rerum omnium initio opinionem ex Homero IVSTINVS MARTYR [g] atque PLVTARCHVS [h] referunt; & ex iis, quæ de theologia & phyſiologia veterum Græcorum ſupra dicta ſunt, notum eſt, fuiſſe inter veteres, qui chaos aquam turbidam atque limoſam dixerint. Differt tamen Thaletis dogma a Phœnicio, quod ἀέρα ζοφώδη καὶ πνευματώδη aërem ſpiritu fœtum & tenebricoſum requirebat. [i] Videturque Thales, cum clarius de rerum initiis philoſophari vellet, incertas vagasque veterum de chao notiones clariori voce expoſuiſſe, et quid intelligi poſſet, per chaos ſignificaſſe. 4. Quo vero fundamento, quibusue rationibus Thales permotus aquam inter primordia rerum poſuerit, cum ipſius et genuinorum diſcipulorum ſcripta nulla extent, definiri non poſſe putamus. Afferunt quidem diligentes doctrinarum veterum collectores PLVTARCHVS [k] atque STOBAEVS [l] rationes varias, quas Thaleti tribuunt: ſemen omnium animalium humidum eſſe, omnes ſtirpes humido ali, ſolis ſtellarumque ignes & totum mundum aquæ exhalationibus nutriri, quibus ARISTOTELES [m] adjicit, infimum eum aquæ locum aſſignaviſſe, & SENECA, [n] terram toto ſubjectam humore portari & innatare. Verum has rationes ab ingenio Thaletis non fuiſſe profectas, veriſimile eſt, & excogitatæ videntur, ut ratio philoſophica daretur admiſſi a Thalete principii. Vnde in iis explicandis vel refutandis tempus conſumere nolumus, nec anxie quæremus, an poſſibile Thales putaverit, quod ex rarefactione & condenſatione exhalantis aquæ reliquorum elementorum ortus extiterit, nec ne? Legant, qui in his otium ſuum conſumere cupiunt, quæ veteris philoſophiæ gnariſſimus IACOBVS THOMASIVS aliquot de principiis philoſophiæ Ionicæ obſervationibus [o] & PETRVS BAYLE [p] acute diſputarunt. Nos enim fruſtra hæc fieri putamus, cum vera, quæ impulerit Thaletem, ratio, ut hoc principium admitteret, nobis ignota ſit, nec a veriſimilitudine abludat, Thaletem ex traditione magis, quam ratiocinationibus ad principium hoc fuiſſe delapſum.

II. Mundum eſſe unicum, eumque eſſe opus Dei, atque ideo pulcherrimum eſſe. Prius Thaleti tribuit PLVTARCHVS, [q] poſterius LAERTIVS. [r] Valde tamen hic in diverſas easque ſibimet contrarias ſententias de mente Thaletis circa principia rerum genitarum abeunt viri docti, contendentibus aliis, Thaletem adjunxiſſe cauſæ materiali, quam aquam conſtituiſſe probavimus, cauſam effectricem rationalem, Deum, aliis negantibus,

De Deo ejusque opere, mundo.

IVST. LIPSII *Phyſiolog. Stoic. l. II. diſſ. VIII. p. m. 169. ſeqq.* & STANLEII *Hiſt. philoſ. P. I. c. 6. ſ. 1. p. 9.* qui tamen non ſatis accurate in hoc argumento verſati ſunt.

g) *Cohort. ad Græc. p. m. 7. ed. Paris.*

h) PLVT. *l. c. T. II. p. 4.* qui in tr. *ignis an aqua utilior*, etiam ad Heſiodum provocat.

i) Conf. ven. MOSHEMIVS *ad* CVDW. *c. I. §. 22. p. 27. not. 7.*

k) *l. c.*

l) *Eclog. phyſ. l. I. c. 13. p. 25.* ed. Cant.

m) *l. c.*

n) *Natur. Qq. l. VI. c. 6.*

o) *Obſ. Hal. T. II. obſ. 18. ſeqq. p. 417. ſeqq.*

p) *Dict. T. IV.* art. *Thales not. D. add.* SCIPIO AQVILIAN. *l. c. c. XIX. p. 84. ſeqq.* B. RECHENBERGIVS *de eo, an aqua ſit omnium corporum materia & principium.* IO. HENR. MVLLERVS *de aqua principio rerum ex mente Thaletis, Altdorf. 1718.* conf. *Biblioth. Academ. p. 390. ſeq.*

q) *De placit. philoſoph. l. II. c. 1.*

r) *l. I. ſ. 35.*

bus, & Thaletem in eorum album referentibus, qui Deum ex mundo relegarunt, & atheiſmum profeſſi ſunt. Prior ſententia non adducto tantum LAERTII loco confirmatur, ſed iis quoque, quæ de Deo alibi [s] dixit; eſſe antiquiſſimum omnium, non habere principium neque finem, nec cogitationes latere: [t] plena eſſe Deorum omnia. [u] Imprimis vero luculentum eſt teſtimonium CICERONIS [x] qui diſerte: *Thales Mileſius, qui primus de talibus rebus quæſivit, aquam dixit eſſe initium rerum: Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret. Si Dii poſſunt eſſe ſine ſenſu & mente, cur aquæ adjunxit, ſi ipſa mens conſtare poteſt, vacans corpore?* Ex quibus verbis patet, non tantum Deum Thaletem aſſeruiſſe, ſed neque otioſum ſpectatorem feciſſe, ſed rebus formandis præpoſuiſſe. [y] Habet tamen, quod his opponat altera quoque ſententia, quæ Thaletem vult Deum ex rerum oriundarum proſcripſiſſe negotio. Ea imprimis urget, quod veteres unanimi fere ore fatentur, Anaxagoram primum fuiſſe, qui mentem materiæ adjunxerit, id eſt Deum cauſam fecerit efficientem mundi. [z] Inde enim ſequitur, eos, qui ante Anaxagoram fuerunt, aliter ſenſiſſe, Deique nullam feciſſe mentionem inter principia naturalia: id imprimis confirmatur inde quoque, quod Thales aquam non ἀρχὴν tantum, ſed μίαν quoque ἀρχὴν unicum principium faciat, [a] nec in toto ejus ſyſtemate phyſiologico ulla Dei mentio, immo nec veſtigium cauſæ rationalis appareat. [b] Nec ea, quæ pro Thaletis pietate afferuntur teſtimonia fide digna putant, utpote quæ incerto rumori debeantur, hisque auctoritatem AVGVSTINI, [c] cui & CLEMENS ALEXANDRINVS [d] & EVSEBIVS [e] adjici poſſunt, opponunt. Ad quæ tamen ita reſpondent, qui Thaleti bene cupiunt: [f] Thaletem de mundi γενέσει philoſophantem non ſuſtuliſſe ex rerum univerſitate Deum, ſed ſuppoſuiſſe, & abſtrahendo a ſummo rerum opifice, tanquam cauſa ab omni fere antiquitate conceſſa, tantum de principiis materialibus atque phyſicis, non metaphyſicis, agere inſtituiſſe: id cum non ſatis procedere videret Anaxagoras, mentem eum, quam Thales tacitus quaſi ſupponebat, adjeciſſe, & ſic φανερῶς, quod diſerte ARISTOTELES addit [ff] de cauſa efficiente fuiſſe philoſophatum, mentemque divinam ad demonſtrandam mundi generationem adhibuiſſe. Nec Patrum quoque auctori-

s) IDEM. *l. c.*
t) CLEMENS ALEX. *Strom. l. V. p. 594.*
u) Qua de re in ſeqq. dicetur.
x) *De nat. Deor. l. I. c. 10.*
y) Ita Thaletis cauſam agunt CVDWORTH. *l. c. p. 27. 122.* & MOSHEM. *ad h. l.* AQVILIANVS *l. c.* SAM. PARCKER. *diſp. de Deo & provid. Div. diſp. I. ſect. 5. 6. p. 13. ſeqq.* IO. CHR. WOLF. *de atheiſmi falſo ſuſpectis §. 9.* BVDDEVS *theſ. de atheiſmo, c. I. §. 10.* aliique laudati REIMMANNO *Hiſt. ath. c. XIX. §. 2. p. 129.* STANLEI. *Hiſt. Phil. P. I. c. 9. 10.* POTTER. *ad* CLEM. ALEX. *Protr. p. 56.*
z) ARIST. *Metaph. l. I. c. 3.*
a) Conf. OLEAR. *ad l. c.* STANLEII.
b) Ita IAC. THOMAS. *Obſ. Hal. Lat. T. II. obſ. XXI.* & BAYLE *Dict.* art. *Anaxagoras T. I. not. D.* art. *Thales not. C. Auctor Hiſt. crit. Phil. T. II. l. III. c. II. §. 5. 6. p. II. ſeqq.* qui tamen ſatis confuſe in hoc argumento verſatur, ſibique contradicit.
c) *De C. D. l. VIII. c. 2.*
d) *Strom. l. II. p. 364.*
e) *Præp. evang. l. I. c. 7. p. 21. 22.*
f) PARCKERVS, OLEARIVS, MOSHEMIVS *ll. cc.*
ff) *l. c. T. II. Opp. p. 646.* ed. Caſaub. quod totum caput diligenter inſpectum, recte hæc ita dici, luculenter confirmat. Non enim Thaletem & alios illo antiquiores ait ſolam cauſam materialem agnoviſſe, negaſſe efficientem, ſed ad hanc non reſpexiſſe, illa contentos, Anaxagoram vero aperte advocaſſe.

ctoritatem tantam esse putant, ut ideo Thaletis causa deserenda sit: eos enim ex præjudicio temporis sui hac de re locutos, quæsivisse quamcunque occasionem philosophis gentilibus ægre faciendi, iisque impietatem objiciendi. Nobis, si in re obscura, & difficili aliquid dicendum est, distincte respondendum & de hac quæstione statuendum videtur. Nempe 1. repetenda ea sunt, quæ in antecedentibus de incertitudine historiæ hujus sectæ ejusque dogmatibus diximus & ad Thaletem applicanda. Qui cum doctrinarum suarum interpretem ipse non egerit, nobisque deficiant monumenta genuina, unde de vera ejus mente, quam in contrarias partes trahi videmus, judicari queat, impossibile existimamus, in tanta rei incertitudine, certi quid de atheismo Thaletis dicere, eo quod ad conjecturas omnia redeunt. Quæ etsi in utramque partem controversiam admittunt, verisimilitudine tamen inter se differunt, & una altera est potior. Has itaque sequentes 2. monemus, nihil esse in systemate Thaletis, quod necessario impietatem involvat. Etsi enim causæ rationalis non meminit, mentemque effectricem non adjecit, non tamen ideo excluisse eam inde sequitur, sed more veterum, quos secutus est, supposuisse, & in enucleandis principiis physicis & materialibus ad ea tantum respexisse, quæ materiæ motu semel concepto propria sunt, & generationem rerum φυσικῶς non vero μεταφυσικῶς explicare apta. Admodum enim verisimile est, Thaletem veterem cosmogoniam, quam inter barbaros didicerat, retinuisse, [g] & in id tantum incubuisse, ut, quod illi simplici traditione exponebant, de eo ipse, redditis & expositis rerum causis, quæreret, ut luculenter ait CICERO. Theologos vero sive physiologos veteres in explicanda mundi generatione, Deum quidem non negasse, sed obscurissime supposuisse, principia vero theogonica chaos, noctem, litem & amicitiam, sive amorem pro principiis adhibuisse, sicque rerum γένεσιν explicuisse in superioribus luculenter, nisi fallimur, demonstravimus. Ex quibus sequitur, nec Thaletem, Deum prorsus proscripsisse e mundo, nec tamen ad describendos mundi natales adhibuisse, sed materiæ tantum motum & modificationem explicuisse, ut eorum rationem philosophicam redderet, quæ nuda assertione theologi vetustissimi tradebant. 3. Quoniam vero solis conjecturis de systematis Thaletis principiis eorumque constitutione dispiciendum est, non ad unam tantum alteramve veterum de Thaletis doctrina relationem attendendum est, sed cuncta, quæ propiorem fidem merentur, conjungenda sunt, ut inde quantum fieri potest, cohærens aliquod doctrinæ ædificium exstruatur. Hoc etsi ob deficientia genuina Ionicorum monumenta exacta ratione fieri posse sperandum non est, licebit tamen non inconcinnum & improbabilem doctrinæ naturalis Thaletis ordinem instituere, & ex eo judicare, qua ratione de Deo respectu ad mundum habito senserit. Hoc ut pro virium

g) Certe ita visum ARISTOTELI *l. c.* qui ubi Thaletis principium exposuit, addit: ὡσὶ δὲ τινὲς οἱ καὶ τοὺς παμπαλαιοὺς καὶ πολὺ πρὸ τῆς νῦν γενέσεως καὶ πρώτους θεολογήσαντας οὕτως οἴονται περὶ τῆς Φύσεως διαλαβεῖν. *Sunt quidam, qui putant; vetustissimos a præsenti seculo remotos admodum, primosque theologos eundem in modum de natura sensisse.*

modulo facere tentemus, ſupponimus, Thaletem aſſeruiſſe, mundi mentem eſſe Deum. Non hoc nuda conjectura Thaleti affingimus, ſed veterum conſenſu affirmamus. Tribuunt enim id Thaleti ARISTOTELES, [h] PLVTARCHVS, [i] EVSEBIVS, [k] LAERTIVS, [l] STOBAEVS. [m] Nec ignorare poteſt, qui ea legit, quæ ſupra de theologia Aegyptiorum atque theogonia ſcriptorum Græcorum, fuſe diximus, in ea ſententia omnes hos fuiſſe, eſſe Deum animam mundi, huncque peculiari ratione ex Deo emanaſſe, ſicque ex Deo producta materia illo animante motumque largiente cuncta generata eſſe. Hæc vero apud Aegyptios, Cretenſes & in Aſia forte didicerat Thales; quis non veriſimili ratione concludat, eodem ſenſu hoc principium eum in ſyſtema ſuum recepiſſe, vel potius in eo ſuppoſuiſſe? Hoc unum certe non improbabilem hanc eſſe opinionem ſatis commonſtrat, ſimulque eos in excuſando Thalete nimios eſſe oſtendit, qui hoc ita explicant, docuiſſe Thaletem, Deum eſſe ſpiritum, qui mundum fecerit. [n] Verum non veriſimilis tantum conjectura hæc ſuadet, ſed & tota Thaletis de Deo & divinis doctrina poſtulat. Quod ut manifeſtum faciamus 4. porro obſervamus ſtatuiſſe Thaletem, omnia, quæ cernuntur Deorum eſſe plena. [o] Quod dogma ex ſyſtemate emanativo ſequi, & Deum eſſe animam mundi, inferre, veterum conſenſus, & variarum gentium theologia, in quam receptum fuit, probat: quod quoniam alibi [p] fuſe, & niſi fallimur, luculenter demonſtravimus, non hic repetemus, actumque iterum agemus, ſed lectoris patientiam exoramus ad expendenda ea, quæ ibi dicta ſunt. Immo ſola, quam ſupra inſtituimus tractatio de ſyſtemate emanativo theogoniarum lucem claram huic rei accendit. Hæc cum ita ſint, patet 5. cur Thales mundum dixerit ἔμψυχον, ſive animatum, quod ait LAERTIVS, [q] qui mox adjicit καὶ δαιμόνων πλήρη εἶναι, ut oſtenderet, animum iſtum nihil aliud eſſe, quam mentem divinam omnes dæmonas in ſe comprehendentem, qua ratione & Platonici ſuo modo, propius vero Stoici de Deo diſſeruerunt. Hæc ſi, ut ſua probabilitate nituntur, admittimus, ratio dari poteſt omnium eorum, quæ de Deo & divinis Thales tradidit atque diſputavit. Deum hominem male agentem ne cogitando quidem latere poſſe, ex hac hypotheſi ſemel admiſſa neceſſario ſequitur, cum & ipſius animus ex anima hac mundana ſive Deo emanaverit, eaque ipſi intime præſens ſit. Deum antiquiſſimum eſſe recte aſſeritur, quia fons rivulis, & principium emanationis, emanativis prius & antiquius eſt. Mundus apte dicitur Dei opus, ex cujus ſinu effluxit. Immo Ciceronis quoque relatio locum habet, Deum eſſe mentem, ſed inhabitantem, quæ ex aqua cuncta fingeret. Porro ex hac hypotheſi prono quoque alveo fluit, quod Thales interrogatus, *quid fortiſſi-*

Thaletis doctrina de Deo.

h) De anima l. I c. 5.
i) De plac. phil. l. I. c. 7.
k) Præp. evang. l. XIV. c. 6.
l) l. I. ſ. 27.
m) Eclog. phyſ. c. I. p. 2.
n) Ita auctor *Hiſtoriæ philoſ. gentilis T. I. p. 49.* conf. BVDDEVS *de phil. mor. Thaletis* §. 10. *H. E. V. T. T. I. p. 691. 692.* Quod de ſpiritu a materia ſejuncto intelligi volunt, ſed invito Thalete, ut ex dictis patet.
o) LAERT. *l. c.* ARIST. *l. c.* CICERO *de leg. l. II. c. 11.*
p) In *Otio Vindelico Exerc. II.* §. *2. p. 129. ſeqq.*
q) l. c.

tiſſimum ſit? reſpondit: *eſſe neceſſitatem, ſive fatum, omnem enim mundum gubernare. Eſſe vero neceſſitatem providentiæ conſtans judicium & immutabilem poteſtatem.* [r] Hæc enim neceſſaria ſeries rerum ex anima mundi, Deo, emanantium eſt, quæ uti in ipſa DEI natura fundatur, ita immutabilis eſt, & divina, resque omnes conſervat, & quia ex ſuo fonte divinitatem, quaſi communicat, omnia gubernat. Tandem his admiſſis 6. facile ad objectiones reſponderi poteſt, quæ contra Thaletem formantur. Nam quod ab Anaxagora, mentem prius adjiciente materiæ, deſumitur argumentum, dicta non refellit, longe aliter enim Anaxagoras mentem materiæ adjecit, quam Thales, nec ei immerſit, ſed adjunxit, ſicque φανερῶς de Deo, quem Thales abſcondebat, philoſophatus eſt. Patet quoque ex dictis unde aqua vim, motumque ad generationem rerum acceperit, etſi μίαν ἀρχὴν, ſed in ordine tantum rerum materialium eam dixerit. Conſtat vero ex iis quoque 7. quousque ab impietate abſolvendus ſit Thales, qui in atheorum quidem claſſem referendus non eſt, indignam tamen de Deo fovit ſententiam, [s] cum plerisque barbarorum & Græcorum theologorum, quibus ſyſtema emanativum placuit, in unam claſſem referendus. Non negamus, hanc theologiæ Thaletis explicationem omnibus dubiis non carere, quod virum ſummum I. L. MOSHEMIVM de hac noſtra ſententia pronunciaſſe probe meminimus. [t] Sed quis in tam obſcuro atque incerto argumento certas omnique dubio carentes demonſtrationes vel promittet, vel etiam poſtulabit? Dabimus itaque, qua decet eſſe modeſtia, cuilibet veniam, hæc refutanti, modo certiora in argumento incertiſſimo nos edoceat.

De generatione rerum naturalium.

§. VI. Sed pergendum eſt in explicatione naturalis philoſophiæ Thaletis, atque oſtendendum, qua ratione expoſitis ſemel principiis: materialem cauſam mundi eſſe aquam, Deumque eſſe mundi animum, huncque ideo animatum, rerum naturalium ortum atque generationem derivaverit. Concludebat vero, quod prona conſequentia inde fluit, porro

III. Locum continere mundum. Rogatus enim Thales, quid maximum? reſpondit, locus; reliqua enim mundus continet, ab hoc continetur. Ita PLVTARCHVS, [u] quem ſequitur LAERTIVS. [w] Etſi vero in *convivio VII. ſapientum* ille hoc Thaletis eſſe dicit, in quo acumina his viris tributa pleraque figmentum ſcholæ vel traditionem quoque incertam ſapere, ſupra oſtendimus, ipſa tamen hæc doctrina ex admiſſis ſemel principiis Thaletis neceſſario fluit. Cum enim mundus ſit ἔμψυχος, Deusque mundi animus, neceſſario quoque Deus locus eſt, qui mundum continet: quem pervadit & vi ſua comprehendit. Nec hæc ſola Thaletis doctrina eſt, ſed veteribus quoque pluribus placuit, immo placere debuit omnibus, qui

r) STOBAEVS *Eclog. phyſ. c. VIII. p. 10.* conf. LAERT. *l. I. ſ. 36.*

s) Ducit enim ad enthuſiaſmum & pantheiſmum, unde a multis pro ſpecie, quadam atheiſmi habitum eſt ſyſtema emanativum; ſed minus accurate.

t) Ad CVDWORTH. *c. III. §. 21. n. 8. p. 123.*

u) In *conv. ſept. ſap. T. I. p. m. 293.*

w) *l. I. ſ. 35.*

qui Deum ita per omnem mundum diffuſum ſtatuerunt.[x] Subtilius tamen hac de re cogitaſſe Thaletem veriſimile non eſt, tota enim diſputatio de loco, ſpatio atque vacuo tum demum percrebuit, ubi ingenia philoſophorum notiones metaphyſicas phyſicis conſiderationibus immiſcuerunt, quod ab antiquiſſimis phyſiologis, quos ſecutus eſt Thales, factum non eſt, qui magis ſimpliciter philoſophabantur. Eodem ex fonte ſequitur

IV. Non dari vacuum: quod dogma philoſophis a Thalete ad Platonem usque naturam ſcrutantibus placuiſſe tradit PLVTARCHVS.[y] Nec aliter patiuntur principia Thaletis ſemel admiſſa, mundum loco contineri, Deumque eſſe mundi animum: quicquid enim in mundo eſt, ita a divina iſta anima pervaditur, ut vacuum exiſtere nequeat. Sequitur porro ex Thaletis principio:

V. Materiam, quæ eſt primum ortus interitusque ſubjectum, aliarumque mutationum, mutabilem fluxamque totam ſuapte natura per univerſum eſſe?[z] Cum enim aquam rerum omnium principium eſſe aſſereret, & ex ea omnia formari, inque eam reſolvi putaret, neceſſario ſemper fluxam & in motu verſantem aſſerere debuit. Nec hoc novum dogma fuit, ſed theologis ante Thaletem jam probatum & per diverſas poſtea inter Græcos ſcholas philoſophorum, Ionicorum, Heracliti, Pythagoræ, Platonis, Stoicorum aliorumque propagatum eſt, ut alibi[a] docuimus.

VI. Materiæ vero fluxæ atque diviſibilis in infinitum non progredi ſectionem, ſed ſubſiſtere in iis quæ individua ſunt, & atomi dicuntur; non ſine ratione quoque ſyſtemati Thaletis tribuit PLVTARCHVS.[b] Qui tamen recte dicit, viſum hoc fuiſſe Thaletis atque Pythagoræ ſectatoribus, non enim curioſe de atomis, vel particulis individuis materiæ primæ diſputavit ipſe Thales, ſed ſimpliciter aquam materiam rerum ſtatuit: diſcipuli vero, ejus principiis uſi, hanc ſyſtemati ejus doctrinam adjecerunt. Quod eam non potuit non admittere, alias, ſi materia in infinitum poſſet dividi, Deus nec locus nec anima mundi eſſe poſſet.

Doctrinæ Thaletis phyſicæ ſpeciales.

§. VII. Conſtitutis ita principiis doctrinæ naturalis generalibus, ad ſpeciales concluſiones ita digreſſum fuiſſe, veteres referunt:

VII. Noctem extitiſſe prius una die. Accepit hoc dogma Thales ſine dubio ex barbarica & Græca theologia, quæ noctem inter principia rerum retulit, & luci antepoſuit, uti ſuo loco expoſuimus: ubi etiam obſervavimus, multis inde populis conſuetudinem enatam fuiſſe, per noctes temporum rationes computandi,[c] quam etiam apud Athenienſes obtinuiſſe, auctor

x) Videndus, qui erudito in hoc argumento verſatus eſt PAVLVS SLEVOGTIVS *diſſert. philoſoph. p. 386. ſeqq.* Sed in ſequenti quoque tractatione paſſim ad hoc dogma attendetur.

y) *l. c. l. I. c. 18. p. 16.*

z) *l. c. c. 9. p. 14.*

a) *Amœnit. liter. T. VIII. p. 312. ſeqq. Hiſt. de ideis Sect. I. §. 8. p. 128. ſeqq.*

b) *l. c. c. 16. p. 16.* conf. S. Rev. MOSHEMIVS *ad* CVDWORTH. *ſyſt. intell. c. I. §. 22. p. 28. not. 9.* In STANLEII *Hiſt. philoſ. P. I. c. 6. p. 14.* contraria ſententia Thaleti tribuitur, invito Plutarcho.

c) Conf. GROTIVS *de V. R. C. l. I. p. 59.* WOLF. *ad* ORIGEN. *philoſophum. p. 180.* Vide de Germanis TACIT. *de mor. Germ. c. 11.* de Gallis CAES. *B. G. l. VIII.*

auctor eſt CENSORINVS. [d] Vnde hanc theſin recte Thaleti tribui, omnino veriſimile eſt.

VIII. Miſtionem fieri elementorum compoſitione.

IX. Terreſtris ſubſtantiæ eſſe ſtellas, ſed tamen ignitas. [e]

X. Lunam terreſtris eſſe naturæ, [f] & a ſole lucem accipere. [g] Ita etiam Orpheus, ut ſuo loco probavimus, unde patet, Thaletem non primum hoc dogma inveniſſe. Anaximandri opinionem cum Thaletis hic confundit STANLEIVS. [h]

XI. Solem deficere, quando luna ad lineam infra eum fertur, quæ natura eſt terreſtri. Primum hoc docuiſſe Thaletem, aſſerit PLVTARCHVS. [i] Didicit tamen illud in Ægypto, ubi paria ſtatuiſſe ſacerdotes, ſuo loco docuimus.

XII. Vnicam eſſe terram, figuræ rotundæ, quæ globi inſtar ſe habeat, in medio poſitam mundi. [k] Cleodemus apud PLVTARCHVM [l] ei tribuit: confuſionem id parituram univerſalem, ſi terra ex mundo tollatur. Sed id a ſectatoribus tantum, vel per conſequentiam Thaleti adjectum eſſe, ipſa ratio ſuadet, locusque Plutarchi, ubi hoc refert.

XIII. Ventis etheſiis deberi Nili exundationem, qui adverſa fronte irruentes, ut intumeſcant aquæ efficiunt, ita ut mare ventis excitatum oſtia fluvii ſubire neceſſe habeat, qui ita retrocedere cogatur. [ll] In Ægypto de cauſa intumeſcentis Nili valde, ſed inutiliter, & ſine veri ſpecie, diſputatum fuiſſe, ſupra diximus, unde ſine dubio Thaleti occaſio enata eſt, de hoc problemate diſquirendi. Quem tamen rem acu non tetigiſſe, pulchre DIODORVS SICVLVS [m] monet; vera ſi ea eſſent, omnes fluvios in mare deſinentes etheſiis oppoſitis ventis ſimili modo exundare oportere, quod tamen ſecus habet: unde ipſe Nili exundationem mavult a pluviis ex Æthiopiæ montibus delabentibus arceſſere.

§. VIII. Præter materialem mundum de intelligibili quoque cogitaſſe Thaletem, quatenus ſcilicet Deus atque ſpiritus cum mundo conjuncti ſunt, ex eo manifeſtum eſt, quod §. V. de theologia Thaletis & aſſerta DEI exiſtentia atque concurſu in formando mundo diſſeruimus. Ibi enim, ut rei lux neceſſaria accreſceret, potiores Thaletis de Deo ſententias attulimus, quas, quia ibi lucis, quantum licebat, attulimus, hic brevi tantum explicatione repetemus, ut uno faſce comprehenſa appareat Thaletis doctrina de ſpiritibus. Dixit ſcilicet *De rebus ſpiritualibus.*

I. Eſſe Deum, omnium antiquiſſimum: illudque quod neque principium

d) de die nat. c. 23.

e) PLVTARCH. *l. c. l. II. c. 13. p. 22.*

f) ib. c. 24. *g) ib. c. 28.*

h) l. c. p. 14. ubi ita Thaletis mentem exprimit, lunam ejusdem cum ſole eſſe naturæ, quod tamen non Thaleti ſed Anaximandro placuit, PLVT. *l. c. p. 25.* mirumque non eſt, hoc in loco Plutarchi & Stobæi allegato non inveniſſe doctiſſimum interpretem. Habuit hanc quoque ſententiam Thales ſine dubio ex Aegypto.

i) ib. c. 24.

k) ib. l. III. c. 9.

l) In *conviv. VII. Sap. l. c.* rationes vero in eo convivio allatas a poſteriorum temporum philoſophis, illis ſapientibus tributas eſſe ex dictis ſupra liquet.

ll) LAERT. *l. I. ſ. 37.*

m) l. I. p. 35.

pium habet neque finem. [n] Ambiguam hanc definitionem Dei esse nemo non videt, æque enim æternæ & infinitæ materiæ, quam Deo convenit, unde ex aliis Thaletis dogmatibus, quomodo hoc intellexerit, judicandum est. Illud vero supra expositimus. Nempe, Deum dixisse mentem, CICERO [o] diserte testatur, eamque materiæ opponit. Etsi vero in referendo hoc Thaletis dogmate verbis variant veteres, eorum tamen de re ipsa testimonium rejici non potest, quod tamen contendit P. BAYLE. [p]

II. Deum hunc effari, impossibile esse. Crœso enim sciscitanti, quid de Diis arbitraretur, post aliquot deliberandi commeatus, referente TERTVLLIANO, [q] nihil renuntiavit Thales. Paria vel eadem quoque Simonidi tribuunt veteres, quocum facile confundi potuit Thales. Nihil tamen hoc a more theologiæ barbaricæ alienum, quæ de Deo summo sacrum silentium tenuit, eumque ἄῤῥητον esse docuit, sequente hanc silentii rationem Orpheo aliisque theologis Græcis, & ex philosophis quoque PLATONE & Pythagoreis passim, ut suo loco demonstrabitur.

III. Deum latere posse nihil, ne cogitationes quidem. Fundamentum atque sensum hujus dogmatis supra quoque explicuimus.

IV. Mundum esse plenum dæmonum: vel, quod CICERO ait, *homines existimare oportere, omnia quæ cernuntur, Deorum esse plena.* [r] Quam doctrinam ex Ægypto Thales in Græciam attulit, & animæ mundanæ juxta systematis emanativi tenorem atque sensum inædificavit, ut supra monuimus.

V. Genios sive dæmonas esse substantias anima præditas, heroas quoque esse animas a corporibus separatas, bonos si bonæ, malos si malæ. Ita quidem PLVTARCHVS: [s] quod & LAERTIVS [ff] confirmat, mundum ex mente Thaletis plenum dæmonum, sicque animatum esse, referens. Dubium tamen an Thales, qui de naturalibus tantum & materialibus rebus philosophatus est, istos spirituum ordines ipse agnoverit, & annon sequentium temporum philosophi, cum vidissent, a Pythagoricis & Platonicis affirmari, accepisse suum istud dogma præceptorem ex Ægypto, inde concluserint, Thaleti quoque Ægyptiacam philosophiam edocto, ibi innotuisse? Etsi enim in Ægypto inter dæmonas & animas heroum distinctio facta fuerit, eamque Græci quoque theologi & imprimis theogoniarum scriptores admiserint, longe alio tamen, quam Thaletis, ea nititur fundamento, quod supra expositimus. Vnde, an Thales, qui de hominibus inter Deos post fata relatis non cogitavisse videtur, systematis ratione id non poscente, ejusmodi heroas statuerit, incertum admodum est atque dubium.

VI. Animam semper, & per se movere sese; esse scilicet non tantum

κινη-

n) Vide supra §. V. laudatos.
o) *loc. cit.*
p) *l. c. not. A. p. 340.*
q) *Ad nation. l. II. c. 2.*
r) *De legib. l. II. c. 11.*
s) *De plac. phil. l. I. c. 8.*

ff) *l. c.* Addendus, ATHENAGORAS qui in *leg. pro Christ. p. m. 25.* ed. Par. ita: *Thales triplici divisione, Deum, dæmonas, & heroës nuncupat, Deum autem definit mentem mundi, dæmonas essentias ψυχικὰς animales, heroës separatas hominum animas: bonos nimirum bonas, malos vero improbas.*

κινητικόν τι quod ait ARISTOTELES,[t] ſed & ἀεικινητὸν quod tradit PLVTARCHVS [u] & αὐτοκίνητον, quod refert STOBAEVS. [w] Ariſtoteles tamen, motum magis aliquem brutum, quam rationalem, Thaletem animæ adſcripſiſſe, innuere videtur; addit enim: dixiſſe Thaletem, lapidem magnetem, habere animam, quia movet trahitque ferrum. Verum ſolet Ariſtoteles ſtudio veterum dogmata obſcure enarrare. Quod ſi ad ſyſtema Thaletis reſpicitur, juxta quod anima ex mundi anima emanavit, neceſſario iſtud motus principium, quod omnia emanativa habent, animæ quoque tribuendum eſt. Nec hoc ſolus habuit Thales, ſed & Anaxagoras, Pythagoras, Socrates atque Plato in eadem fuere ſententia, quam poſtea ARISTOTELES [x] convellere omni ſtudio conatus eſt, ut veteribus contradiceret. Inter motus vero animæ genera cogitationes quoque Thales retulit, ſi vera ſunt, quæ tradunt PLVTARCHVS & LAERTIVS; [y] interrogatum, quid eſſet velociſſimum? reſpondiſſe, mentem, quia per univerſa diſcurrit. Non vero animæ tantum facultatem movendi ſeſe tribuit Thales, ſed & alia, unde κινητικὸν vocavit ARISTOTELES. Is vero ut & HIPPIAS apud LAERTIVM [z] narrant, putaviſſe Thaletem

VII. Inanimatis quoque animas ineſſe, quod ex magnete atque ſuccino corpora attrahentibus conjeciſſe contendunt. Neque id abſurdum eſt, admiſſo ſemel ſyſtemate Thaletis, anima enim mundi in omnibus ejus partibus ſe exerit, easque permeat.

VIII. Animum eſſe immortalem, primum dixiſſe Thaletem aſſeruit Chœrilus poëta. [a] Nec dubium eſt, Thaletem dogma per omnem antiquitatem celeberrimum & inter Ægyptios ſacrum ex Ægypto retuliſſe, Græciæque non tam intuliſſe primum, quam adjeciſſe ſyſtemati philoſophico, quod immortalitatem animæ poſtulabat. Vnde fruſtra diſceptari putamus, an Thales vel Pherecydes primus fuerit, qui inter Græcos immortalitatem animæ docuerit? Ante utrumque enim inter Græcos dogma hoc a barbaris, Thrace Orpheo, & ex Ægypto allatum viguiſſe, theogoniæ fidem faciunt, qui illud involvunt. Ab his edoctus philoſophorum uterque nobiliſſimam doctrinam ſervaverunt, & de ea philoſophati ſunt Pherecydes in Syro inſula, Thales Mileti in Ionia.

IX. Mundum gubernari neceſſitate; eſſe vero eam neceſſitatem providentiæ conſtans judicium & immutabilem poteſtatem. Dogma hoc de fato, quod tribuunt Thaleti PLVTARCHVS, [b] LAERTIVS [c] & STOBAEVS, [d] ex principio: Deum eſſe mentem mundi, neceſſario fluere ſupra monuimus. Nec hoc ab Ægyptiorum & theogoniarum ſententia abludit, unde Thales in ſua arva derivavit. Forte & huc referendum, quod

t) *De anima l. I. c. 2. T. I. p. 478.*
u) *l. c. l. IV. c. 2. p. 36.*
w) *Eclog. phyſic. c. XL. p. 93.*
x) *l. c. c. 3. p. 480.* Conf. ven. IOACH. OPORINVS in doctiſſima tractatione, *de immortalitate mortalium.*
y) In *conviv.* & *l. I. ſ. 35.*
z) *Lib. I. ſ. 24.*
a) LAERT. *l. c.*
b) *De placit. phil. l. I. c. 25.*
c) *Lib. I. ſ. 36.*
d) *Eclog. phyſ. c. VIII. p. 16.*

STOBAEVS Thaleti tribuit, primum motorem immobilem esse, quod postea Aristoteles asseruit: desideramus tamen propiorem testem. [e]

Matheſis Thaletis.

§. IX. Pertinent ad naturalem philosophiam etiam suo modo disciplinæ mathematicæ, quæ inter Græcos Thaletem primum fere parentem agnoscunt. In Ægypto quidem eas didicisse, magno vero ingenio adjutum Ægyptios philosophos mature superasse, supra luculento exemplo demonstravimus. Nec videtur vero absimile, Thaletem primum fuisse, qui geometriam Græcos docuerit, quod de eo celebrat APVLEIVS: [f] licet alii vel Mœridi vel Pythagoræ hanc gloriam vindicent. Vtrumque enim admitti potest, Thalete in Ionia, Pythagora in Italia philosophante. Quanquam, si verum esset, Pythagoram habuisse in juventute Thaletem in his disciplinis præceptorem, non haberent ejus asseclæ, quo magnopere gloriarentur. Verum hoc incertum esse, supra jam monuimus. Ait vero PROCLVS: [g] *Thaletem in Ægyptum delatum, primum inde hanc scientiam in Græciam derivavisse, multa ipsum invenisse & discipulos docuisse, generalius alia, alia specialius explicantem.* Quod confirmat LAERTIVS, [h] qui & hoc refert: *eum maxime promovisse, quæ Callimachus in Iambis Euphorbum Phrygem invenisse ait.* Hujus problemata a sequentium temporum mathematicis aucta & collecta tandem EVCLIDES elementis suis inseruit. Sunt vero, prout a PROCLO [i] indicantur, sequentia quæ Thaleti debentur:

I. Quemvis diametrum circulum bifariam secare.

II. Triangulorum isosceliorum angulos ad basin esse inter se æquales.

III. Si duæ rectæ mutuo se secent, angulos ad verticem facere inter se æquales.

IV. Primus, teste Pamphila [k] apud LAERTIVM [l] descripsit in dimidio circulo triangulum recto angulo, cujus tamen fidem lacessit STANLEIVS, [ll] vel textum potius Laërtii; & Pythagoricum potius trigonum orthogonium respici putat; quæ enim hic tribuuntur Thaleti, alii, teste eodem LAERTIO [m] Pythagoræ dant, propter inventionem hujus theorematis hecatomben immolasse asserentes.

Sideralis ſcientia Thaletis.

§. X. Tandem & justum atque clarum lumen siderali scientiæ inter Græcos accendit Thales. Exigua enim fuere, & non ultra ortus & occasus majorum stellarum procedentia, quæ ante Thaletem Græci observaverant, ut ex HESIODI carmine patet, unde in proverbium abiisse Hesiodi astronomiam supra jam indicavimus. Nec Orphei inventa majora fuisse, & initia scientiæ nondum excultæ comprehendisse, suo quoque

e) Aristoteles enim nihil de eo.
f) *Florid. l. IV.*
g) *In Euclid. l. I. d. 1. p. 19.* locum integrum exhibet STANLEIVS *Hist. philos. P. I. c. 7. p. 15.* conf. VOSSIVS *de scientiis mathemat. c. 13. §. 3. 4. pag. 49.*
h) *Lib. I. s. 25.*
i) *loc. cit.*
k) Videndus de erudita hac fœmina MENAG. *ad l. c. Laërt.*
l) *Lib. I. s. 24.*
ll) *l. c. p. 16.*
m) *Lib. VIII. s. 12.*

que loco vidimus. [n] Non deneganda itaque Thaleti gloria introductæ inter Græcos aſtronomiæ, [o] quam ab Ægyptiis didicerat. Egregiæ quoque ſunt, ſi iſtorum temporum conditionem reſpexeris, quibus aſtronomiam auxit, inventiones: Diviſit [p] enim cœlum in circulos ſive zonas quinque, arcticum, antarcticum, tropicum æſtivum & brumalem, & æquinoctialem, converſionesque ſolis ejusque punctum primus annotavit, [q] ſicque æquinoctia & tempora diviſit. [r] Primus quoque, uti ſupra quoque notatum eſt, urſæ minoris ſidus deſignaſſe dicitur Callimacho. [s] Primum non eclipſes ſolis tantum obſervaſſe, veteres teſtantur, [t] ſed prædixiſſe quoque memorabili eventu narrant HERODOTVS [u] atque LAERTIVS. [x] Sed ut utilem quoque redderet aſtronomiam, & obſervationes ad emolumentum civium referret, anni quoque tempeſtates emendavit, meliusque diviſit, & Ægyptii anni in CCCLXV. dies diviſionem introduxit inter Græcos. [y]

Ethica Thaletis.

§. XI. Sufficit brevis hæc naturalis ſcientiæ delineatio, ad convincendos nos, multum debere phyſicas atque mathematicas diſciplinas Thaleti, qui cum primus de iſtis quæreret, id eſt, philoſophica methodo exquireret, magnam merito gloriam meruiſſe cenſendus eſt, etſi illa, ſi cum noſtris comparentur, exigua fuerint. Verſabatur enim tum naturalis ſcientia in pueritia, & non niſi multorum ſeculorum maturitate ad virilem vigorem perducta eſt. Neque tamen hebes fuit Thaletis in morum quoque diſciplina animus, ſed moralem quoque ſapientiam haud proletarie inſpexit, philoſophica vero ratione non expoſuit, ſed ἐξωτερικῶς quaſi & ad vulgus, eodem, quo ceteri viri prudentes, modo, qui cum eo ſeptem Græciæ ſapientum numerum conſtituunt. Fruſtraneus itaque eſſet labor, ſi ſyſtema aliquod morale corradere ex dictis & ſententiis Thaletis inſtitueremus. Sed nec omnia Thaletis eſſe videntur, quæ illi tribuuntur, apophthegmata, cujus cauſam ſupra, ubi de ſeptem ſapientum hiſtoria tractavimus, luculenter, niſi nos omnia fallunt, expoſuimus: unde PLVTARCHO complura de Thalete referenti fides non ſemper habenda eſt. Ex iis, quæ Demetrius Phalereus de eo congeſſit, [a] notari potiſſimum merentur ſequentia: Amicorum recordandum etiam abſentium; emendandam mentem non faciem; parentibus blandum eſſe deberi, talia enim a liberis expectanda, qualia in parentes conferuntur. Intemperantiam noxiam eſſe; imperitiam intolerabilem; melio-

n) Conf. VOSSIVS *de ſcient. mathem. c. XXXII. §. 7. 8. p. 145.*

o) Eudemus apud LAERT. *l. I. ſ. 23.*

p) PLVT. *de plac. phil. l. II. c. 12. p. m. 22.*

q) LAERT. *l. I. ſ. 24.*

r) *Ibid. ſ. 23.*

s) *Ibid.*

t) PLIN. *l. II. c. 9.* PLVT. *l. c. l. II. c. 24. 28.* conf. VOSSIVS *l. c.*

u) *Lib. I. p. 19.*

x) *l. c.* tempus ejus eclipſeos, quam prædixit Thales, varie definiunt chronologi. Vid. SCALIG. ad *Euſeb. p. 89.* STANLEI. *l. c. p. 19.*

y) LAERT. *l. I. ſ. 27.* Græci enim tertio anno menſem intercalabant, Aegyptii ſingulis annis V. dies adjiciebant. Non tamen apud omnes id Græcos obtinuiſſe, ex loco aliquo Varronis infra *c. VII.* ubi de Demetrio Phalereo dicetur, conſtat.

z) Tentavit aliquem ordinem philoſophicum illis tribuere B. BVDDEVS diſſ. *de philoſophia morali Thaletis.*

a) Apud STOBAEVM *loco ſupra laudato.*

ra docenda & diſcenda; modum adhibendum eſſe; non omnibus credendum: Pleraque habet quoque LAERTIVS, [b] qui addit: interrogatum: quomodo optime atque juſtiſſime vitam acturi ſimus? reſpondiſſe: Si quæ in aliis reprehendimus, ipſi non faciamus: itemque, eum felicem prædicaviſſe, qui corpore ſanus, fortuna locuples, animo non ignavus ſit. Imprimis vero notabilis eſt ſententia, quæ Thaleti tribuitur apud ANTON. & MAXIMVM: [c] difficile eſſe, ſed bonum, ſeſe noſcere ipſum, hoc enim eſſe naturæ conſentaneam vitam agere. Plura deſideranti exhibebunt LAERTIVS atque STOBAEVS, [d] quos ex recentioribus ſecuti ſunt celeberrimi viri IO. FR. BVDDEVS [e] & THEOPHILVS STOLLIVS. [f]

Anaximander.

§. XII. Initia philoſophiæ naturalis inter Græcos felici auſpicio facta continuavit & auxit Anaximander; qui privatam Thaletis doctrinam diſciplina publica expoſuit, ſicque ſectam in cathedra quaſi formavit & conſtituit. [g] Thaletis popularem & ſodalem vocat CICERO, [h] unde ſequitur Mileti natum fuiſſe; id quod factum Olymp. XLII. 3. patre Praxiada. [i] Pauca vero de ejus hiſtoria conſignaverunt veteres, nec videtur ultra ſcholam habendam juventutemque erudiendam publice occupatus fuiſſe. Inſtituiſſe vero pueros, non ſine ingenio ex eo conjicit cel. HEVMANNVS, [k] quod refert LAERTVS: [l] Anaximandrum canentem a pueris irriſum eſſe, eoque comperto dixiſſe, canendum ergo puerorum cauſa modulate magis. Cum enim hæc de cantu aliquo muſico apte vix queant intelligi, recurrendum putat ad morem illius ſeculi, quo eruditi libros non proſa ſed ligata oratione ſcribebant, eosque adſtricto ita verſibus numero recitabant, quod Græcis ἄδειν Latinis canere dicitur, unde & ἀδόμενα & ἄσματα verſiculi liberiori numero compoſiti, qui ſapientiam virorum doctorum ejus temporis continebant, dicti ſunt, quorum ſupra in hiſtoria VII. ſapientum Græciæ mentio facta eſt. Anaximandrum itaque obſcurius diſcipulis librum forte, quem de philoſophia naturali ſcripſiſſet, explicantem, vel alia recitantem deriſum, accuratius juvenum cauſa poſthac in eo ſe verſaturum, promiſiſſe vir doctiſſimus putat. Illud certum eſt, quod & ſupra ex THEMISTIO [m] annotavimus, Anaximandrum primum fuiſſe, qui contra morem ſeculi philoſophiæ naturalis, quam tradebat, præcepta ſcripto conſignavit, ſicque methodum arcanam, ab omnibus hactenus ſapientibus ſancte cuſtoditam abjecit. Scripſiſſe enim *compendiariam expoſitionem placitorum ſuorum de rebus naturalibus*, ſive, qui idem liber eſſe videtur, *de natura; de ſtellis fixis; de ſphæra* & alia, teſtan-

b) *Lib. I. ſ. 35.*
c) *Serm. CCIII. p. 346.* ed. Wech. Stob.
d) *ll. cc.* *e*) *loc. cit.*
f) *Hiſt. phil. mor. gentil. §. 30. p. 33.*
g) Quæ ſine dubio cauſa eſt, cur ab Anaximandro Ionicæ ſectæ philoſophiam derivet LAERT. *l. II. ſ. 1.*
h) *Acad. Qq. l. IV. c. 37.* Thaletis conſanguineum vocat SVIDAS in *Anaximander T. I. p. 173.*
i) LAERT. *l. c.* SIMPLIC. in *phyſ. Ariſt.*
k) *Act. philoſ. vol. III. p. 183. ſeqq.*
l) *l. c. ſ. 2.*
m) *Orat. XX.*

ſtantur veteres. [n] Non vero in matheſi tantum inventionibus, ſed in naturali quoque ſcientia obſervationibus excelluiſſe, inde colligi poteſt, quod periculoſum terræ motum Lacædemoniis prædixit, & ut in agros ſecederent, monuit, eo quoque ſequente, ita ut urbs & pars montis Taygeti corrueret. [o] Tempus mortis ſilent veteres; Olymp. LVIII. 2. vero annum ætatis LXIV. egiſſe, Apollodorus ait. [p] Non confundendus vero eſt cum alio Anaximandro Mileſio, cui *expoſitionem ſymbolorum Pythagoreorum* debemus. [q]

§. XIII. Egregie vero de mathematicis diſciplinis meruiſſe Anaximandrum, inventiones teſtantur, quæ a plerisque ei tribuuntur. Nam *Ejus inventiones mathematicæ.*

I. *Geometriæ hypotypoſin* oſtendiſſe, vel expoſuiſſe refert SVIDAS, id quod non de orali aliqua explicatione intelligendum eſt, qualem Thaletem quoque dediſſe, ex antecedentibus eſt manifeſtum, ſed vel totius geometriæ cohærentem delineationem diſcipulis expreſſam indicat, vel ſcriptum de geometria compendium. [r]

II. Primum terræ marisque circuitum deſcripſiſſe refert LAERTIVS, [s] quod & alii teſtantur. [t] Laërtii verba male intellexit SVIDAS, [u] quem ſecutus eſt STANLEIVS, [x] dum librum ei tribuit, periodum terræ; non enim libro terræ deſcriptionem geographicam comprehendit, quod Hecatæus, teſte STRABONE primus fecit, ſed tabula geographica terræ marisque circuitum primus delineavit.

III. Primum gnomonem inveniſſe, ipſumque Lacedæmone in ſolariis ſtatuiſſe, tradit LAERTIVS, SVIDAS & EVSEBIVS. [a] Alii tamen aliter. PLINIVS [b] enim Anaximandri ſucceſſori, Anaximeni tribuit, atque HERODOTVS Babyloniis. [c] Recentiores vero quidam, [d] & in his SALMASIVS gnomonis in ſolariis uſum longe recentiorem putant, argumentumqne inde petunt, quod Anaximandri ævo diei in horas duodecim diſtributio nondum uſitata fuerit. Vnde veterum relationem tantum de uſu gnomonis in inveniendo meridiano & definiendis ſolſtitiis explicant. Verum probandum prius erat, horarum diſtributionem ante Alexandri M. tempora non in uſu fuiſſe, etiamſi concederetur, vocem hanc ante hujus tempora non inveniri; veriſimile enim non eſt, tanta vitæ commoditate tamdiu caruiſſe homines, in ſiderum curſu obſervando & dimetiendo non indiligentes. [f] Horæ vero vocem Anacreon jam & Xenophon

n) LAERT. *l. c.* cujus verba: *τῶν ἀρεσκόντων αὐτῷ πεποίηται κεφαλαιώδη τὴν ἔκθεσιν,* ejusmodi compendium vel ſummam indicant. *De natura rerum* ſcripſiſſe teſtatur etiam SVIDAS *l. c.*

o) PLIN. *l. II. c. 79.* conf. VOSSIVS *de ſcient. mathem. c. XXXIII. §. 1. p. 147.* modo hoc non fictum ſit: vix enim infantia naturalis ſcientiæ hoc permittit conf. *Act. philoſ. vol. III. p. 190.*

p) LAERT. *l. c.*

q) Fuit is hiſtoricus Ionicus, vid. LAERT. & SVIDAS *l. c.* VOSSIVS *de Hiſt. Græc. l. I. c. 6. p. 25.* IONSIVS *de Script. hiſt. phil. l. I. c. 7. p. 35.*

r) Hoc veriſimile fit ex *not.* (*n*).

s) *loc. cit.*

t) STRABO *l. I.* AGATHEM. *l. I. c. I.* PLIN. *l. VII. c. 56.*

u) *loc. cit.*

x) *Hiſt. Phil. P. I. c. 1. p. 96.*

z) *ll. cc.* & *T. II. p. 55.*

a) *Præp. Evang. l. X. c. ult.*

b) *Lib. II. c. 76.*

c) *Lib. II. c. 32.*

d) Nominat eos MENAGIVS *ad l. c. Laërt.*

e) In *exerc. Plin. p. 632.*

f) Babyloniis jam in uſu fuiſſe, ex HERODOTO jam notavimus.

phon adhibuit. [g] Recte itaque Salmaſii ſententiam rejecit PETAVIVS. [h]

IV. Æquinoctiorum atque ſolſtitiorum puncta primum definiviſſe, iidem referunt: id quod tamen Thaleti tribui ſupra jam annotavimus: forte hic publicum eorum uſum demonſtravit. Ait etiam PLINIVS, [i] obliquitatem zodiaci primum deſignaviſſe; id quod tamen eo refutatur, quod Thales ſolis eclipſes prædixerit. [k] Id enim ſine zodiaci cognitione fieri non poſſe, notum eſt.

V. Tandem & ſphæram conſtruxiſſe refert LAERTIVS, [l] quod tamen Atlanti regi a PLINIO [m] tribui ſupra indicavimus. Scripſiſſe *de ſphæra* librum, ait SVIDAS, forte tamen quæ de ſphæræ machina ab Anaximandro confecta refert LAERTIVS, male Suidas intellexit, unde hoc dubium eſt. Concedi tamen poteſt, nec improbabile eſt, plerarumque inventionum ſummam deſignaviſſe Anaximandrum ſcripto: nam in eo diligentem fuiſſe, ex ſupra dictis liquet.

Phyſiologia Anaximandri.

§. XIV. Non vero de mathematicis tantum ſcientiis, ſed & de naturali augenda ſollicitus fuit Anaximander: de cujus tamen placitis phyſicis tam obſcuræ & incertæ ſunt veterum memoriæ, ut, quid ſenſerit, accurate definiri vix queat. Quod vel a monumentorum in hiſtoria philoſophiæ Ionicæ defectu, vel a more Anaximandri, breviter & ſummatim tantum ſua conſcribendi placita, vel a ſtudio quæſita obſcuritate, philoſophis veteribus deamata originem habuit: unde de ſenſu dogmatum Anaximandri varia diſputatio, eorumque diverſa interpretatio eſt. Nos quod veriſimili ratione aſſequi nos poſſe ſperamus, inquirendo ſcitabimur. Placuit vero in naturali ſcientia Anaximandro:

Generale ejus principium.

I. Ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον ἄπειρον. Principium & elementum omnium rerum eſſe infinitum, [n] ſeu, ut CICERO [o] refert: infinitatem naturæ, a qua omnia gignerentur.

II. Infinitum hoc unum eſſe, non numero ſed magnitudine [p] & partes quidem ejus mutari, totum vero immutabile [q] eſſe, ex eo omnia gigni, & in id deſinere omnia. [r] Satis luculenter animum expreſſiſſet Anaximander, ſi definiviſſet, quid per illud infinitum, ſive natura infinitatem intellexerit? verum non indicavit, an vel aërem, vel aquam, vel aliud quidpiam intelligendum ſit. [s] Inde vero veteris philoſophiæ interpretibus occaſio enata eſt, de mente Anaximandri diſputandi, & quærendi, quomodo illud naturæ infinitum explicandum ſit. Quam cum meris iisque incer-

g) Conf. MENAG. *l. c.*

h) *App. doctrin. temp.* conf. LEO ALLATIVS *de menſura temp. antiquor. c. IV. p. 31. ſeqq.*

i) *Lib. II. c. 8.*

k) Alii hanc inventionem Pythagoræ, alii Oenopidæ Chio tribuunt. vid. DIOD. *l. I.* PLVT. *de plac. phil. l. II. c. 12.* CENSORINVS *de die nat. c. 19.* conf. VOSSIVS *l. c.*

l) *loc. cit.*

m) *Lib. II. c. 8.* Facit tamen fabuloſa Atlantis hiſtoria iis fidem, qui inventionem, certe inter Græcos, Anaximandro tribuunt.

n) LAERT. *l. II. ſ. I.* PLVT. *de placit. philoſ. l. I. c. 3.* IVSTIN. MARTYR. *cohort. ad Græc. p. m. 4.*

o) *Academ. Quæſt. l. IV. c. 37.*

p) SIMPLICIVS in *Phyſ. Ariſt. l. I. c. 2.*

q) LAERT. *l. c.*

r) PLVT. *l. c.*

s) LAERT. *l. c.*

incertiſſimis conjecturis diſceptando perquiſiverint viri docti, [t] mirum non eſt, alios mediam naturam inter ignem & aquam, alios atomos cum DICKINSONO, " alios materiam generatim ſpectatam, denique alios mentem divinam in hac infinitate inveniſſe ſibi viſos eſſe. Nec certiora nos promittere audemus, omnemque de ſignificatione hujus principii diſputationem incertam & dubiam eſſe exiſtimamus, cum plane hic mentem ſuam Anaximander non explicuerit. Illud ex ſequentibus patebit, Anaximenem Anaximandri diſcipulum hoc infinitum aërem dixiſſe, ſive id a præceptore acceperit, ſive vagam & indefinitam vocem certo ſubjecto accommodaverit. Hoc infinitum primum eſſe principium dixit, vocemque ἀρχὴν primus in hoc ſenſu accepiſſe, ut cauſam rerum indicaret, refert PSEVDO-ORIGENES. [x] Elementum tamen ipſum vocaviſſe dum laudati ſcriptores referunt, id de confuſo elementi conceptu intelligendum eſt,[y] propriam enim τῶν στοιχείων ſignificationem a Platone eſſe LAERTIVS notat: ille enim, ut & Stoici & Ariſtotelici ἀρχὰς καὶ στοιχεῖα inter ſe diſtinxerunt. [a] Quia vero Anaximander non explicuit, quid per τὸ ἄπειρον intelligat? an cauſam tantum materialem, vel etiam effectricem, & an infinito naturæ junxerit infinitam mentem? nata eſt inde controverſia, an Anaximander in atheorum claſſem referendus ſit, nec ne? Quorum prius poſt eruditum obſervatorem Halenſem, [b] cui ex veteribus exemplum præivit AVGVSTINVS, [c] contenderunt IENKINVS, THOMASIVS, [d] IO. CLERICVS, [e] RADVLPHVS CVDWORTHVS, [f] Anglique hiſtoriæ univerſalis auctores; [g] poſterius aſſeruerunt eruditiſſimus SAM. PARCKERVS, [h] & venerandi viri IO. FR. BVDDEVS [i] atque IAC.FRID.REIMMANNVS. [k] Qua in re ut appareat, quid affirmandum ſit, quid negandum, quid in medio relinquendum, excutiendæ ſunt rationes, quibus impie ſenſiſſe de Deo Anaximandrum viri docti contendunt. Quas ita omnium acutiſſime ordinavit CVDWORTHVS, ut moneat, finxiſſe ſibi hominem animo materiam, certis formis & qualitatibus præditam, eamque infinitam, non ignem, non aquam, non aërem, verum ad hæc & reliqua aptam, aut ex omnibus temperatam & mixtam, ex eaque nata ac facta dixiſſe omnia. Nec, quæ patroni Anaximandri pro ejus cauſa ex ARISTOTELE [l] afferunt; vocaſſe hoc infinitum numen, eſſe enim immortale, & perire non poſſe; eum juvare, hæc enim de materia infinita, ab omni mente fingendique

An atheus?

t) Vid. *Obſ. Hal. T. II. obſ. 19.* GASSENDVS *T. I. Opp. p. 236.*
u) *Phyſic. vet. & vera c. IV. §. 10.*
x) *Philoſophum. c. VI. p. 57.*
y) Ob quam rem veteres phyſicos vituperat PLVT. *de pl. phil. l. I. c. 2.*
z) *Lib. III. ſ. 24.*
a) IDEM *l. VII. ſ. 134.* PLVT. *l. c.*
b) Qui IACOBVS THOMASIVS eſt, *Obſ. 21, l. c.*
c) *De C. D. l. VII. c. 2.*
d) *Hiſt. atheiſmi c. IV. §. 3. p. 18.*
e) *Bibl. choiſie T. II. art. 1. p. 50. ſeqq.*
f) *Syſt. intell. c. III. §. 21. p. 122. ſeqq.*
g) *p. 82. ſeqq.*
h) *De Deo & provid. div. diſp. I. ſ. VI. p. 15.*
i) *Theſ. de atheiſmo c. I. §. 10. p. 22.*
k) *Hiſt. atheiſmi c. XIX. §. 3. p. 143. ſeqq.* add. I. CHR. WOLF *de atheiſmi falſo ſuſpectis §. IX. p. 33.* IAC. HASAEVS *de vet. philoſoph. atheiſmo c. V. §. I. p. 19.*
l) *Phyſic. auſcult. l. III. c. 4.*

dique facultate relicta intelligenda esse, quod unicum infinitumque Anaximandri principium atque numen sit: immortale quoque non alio sensu vocavisse, quam quod corruptionis expers sit. Nec moderamen & gubernationem illam aliud significare, quam res omnes ab ea infinita materia proficisci, ex eaque tanquam primo principio pendere. Provocat vero, ut hæc roboret, vir acutissimus porro ad PLVTARCHVM,[m] qui Anaximandrum ideo vituperat, quod materiam unice laudando, causam effectricem deleat, & illi nihil infinitum sit, nisi materia. Derivavisse itaque omnes rerum generationes atque mutationes, ex mixtionibus earumque secretionibus, contrarietatum in materia existentium,[n] &c. Gravia satis ἐγκλήματα, & acute excogitata, quæ causam Anaximandri satis aggravant. Expendendum tamen esse putamus: Aristotelem, uti supra de Thalete monuimus, non hoc dicere, de Ionicis, quod omnem plane mentem rejecerint, sed quod de ea non manifeste cogitaverint, rerum naturalium systema explanantes; sicque tandem necessitate coacti fuerint, eam postliminio quasi revocare, & ad explicandas rerum naturalium rationes adhibere. Notandum porro, quod cel. MOSHEMIVS[o] attulit, dicere TATIANVM,[p] Anaximandrum posuisse principium aliquod humido vetustius, nempe æternam motionem, eaque alia oriri, alia interire: ea enim innuere videntur, motum ab æterno accessisse materiæ ex alia causa. Nec sine attentione dimittendum, quod laudatissimus vir porro considerare jubet,[q] Anaximandrum fuisse Thaletis discipulum, &, quod non sine ratione addimus, principium quidem Thaletis correxisse, non vero sustulisse. Quod vero omnium maxime expendendum esse putamus, illud quidem est, quod omnes hæ accusationes ex interpretamentis eorum desumtæ sunt, qui, cum deficientibus scriptis Anaximandri, nescirent, quid per infinitum, ex quo omnia sunt, intellexerit, materiam nescio quam omni elemento priorem abstrahendo finxerunt, eamque Anaximandri infinito adaptarunt. Qua ratione quidem scimus, quomodo Eusebius, Plutarchus, Simplicius, Philoponus,[r] & his similes Anaximandri principium intellexerint, non vero, qua ratione ipse intelligi voluerit, cum nec monumentis fide dignis ad discendam ejus sententiam usi fuerint, nec tempore eo vixerint, quo puriore aliqua traditione de vero ejus systemate aliquid certi inaudire potuerunt. Nec negamus, non videri nobis doctissimos hos veterum dogmatum narratores acu tetigisse mentem Anaximandri; ad abstractionem enim metaphysicam confugiunt, ut, quod non intelligebant, τὸ ἄπειρον Anaximandri explicarent. Ejusmodi vero principia metaphysica non sapiunt indolem veteris scholæ physicæ, & Aristotelis ætate vel etiam Platonis, non sunt antiquiora. Aristoteles certe hanc rebus physicis confusionem maxime attulit, ut metaphysicas notiones pro physicis principiis, inter quæ & materia

m) l. I. c. 3. de plac. phil.
n) ARISTOT. *l. c. l. I. c. 5.*
o) Ad l. c. CVDWORTHI *p. 128. n. 5.*
p) In *irrif. gentil. §. 10. p. 221.* ed. Worthii.
q) Putat tamen vir celeberrimus, virtutis & vis genitricis aliquid dedisse Anaximandrum infinitæ naturæ suæ.
r) Ad hos enim provocat CVDWORTHVS.

teria prima eſt, obtruderet. Quod ſi cogitamus, Anaximandrum Thaletis fuiſſe diſcipulum, ejusque ſyſtema non tam mutaviſſe, quam emendaviſſe & explicuiſſe, ſuppetit alia via, a vero non plane abhorrens, τὸ ἄπειρον Anaximandreum explicandi. Scilicet cum videret Deum aquæ mixtum quaſi & tanquam animam perfuſum, pervadentemque omnia, a præceptore in ſyſtema ſuum recipi, abſurdum credebat, aquam ponere pro rerum omnium principio, quippe quæ conditionem illius materiæ Deo quaſi gravidæ, & cui Deus tanquam anima inhabitaret, quam chaos veteres theologi dixere, non exhauriret. Totum itaque illud, ex quo omnia facta ſunt, ſive materiam humidam, cui anima divina inhabitat, eamque pervadit, dixit τὸ ἄπειρον eſſe, ſive principium aliquod infinitum, immortale, quod omnibus cauſa exiſtentiæ, vitæ ac generationis ſit, quodque omnia gubernet. Vt hanc infiniti Anaximandrei explicationem a vero non abludere demonſtremus, plures rationes ſuppetunt ; Et 1. quidem nuſpiam Anaximander dicitur, præceptoris ſyſtema rejeciſſe, aliudque introduxiſſe, quemadmodum Anaxagoram feciſſe, ab omnibus conceditur: formavit enim homines & animantia ex humido; ſed tantum dixiſſe eſſe principium, quod Thales aquam dixit, infinitatem rerum. Ex quibus, niſi fallimur, ſequitur, eum Thaletis principium unum ex mente divina & materia conſtans, ſive chaos Deo gravidum non rejeciſſe, ſed populari notione abjecta, magis philoſophice explicaviſſe, & infinitam eſſe naturam dixiſſe, quam poſtea ejus diſcipulus Anaximenes de aëre interpretatus eſt, id eſt æthereæ naturæ eſſe dixit, Anaxagoras vero, mentem, quam triumviri hi materiæ incluſerant, ſeparavit, & formationi materiæ adjecit. 2. Nec ſilentium Anaximandri de mente objici poſſe putamus, cum nobis non ſuppetant ejus ſcripta, & is veſtigiis magiſtri inſtitiſſe cenſendus ſit, ubi diſſenſum non aperte fatetur. Quod ſi vero concedamus, tacuiſſe eum de mente materiam pervadente & movente ; illud tamen nondum evincit, rejeciſſe eum mentem & proſcripſiſſe ex ſinu materiæ; ſed tantummodo id innuit, Anaxagoram, cauſarum tantum materialium rationem redditurum, naturæ φαινόμενα ex materia a mente ſemel mota primum derivaſſe. 3. Magnum huic ſententiæ robur tribuere videtur Tatianus, æternum motorem ſive cauſam motus ante τὸ ὑγρὸν ab Anaximandro conſtitui aſſerens. [s] Quemadmodum enim materia motus cauſam vel extra vel intra ſe neceſſario habuit, ſine qua nunquam mota fuiſſet ; extra eam vero nulla cauſa fuit, quæ eam moveret, quod ultro viris doctis, qui Anaximandrum culpant, largimur ; ita intra ſe habuiſſe ejusmodi moventem animam neceſſe eſt, quæ ex ſe materiam expelleret, & ab æterno emanare pateretur ; iſtaque emanatione ejusque perpetua continuatione, qua infinite materiam pervadit, cuncta dirigeret, & formaret, ſicque motus cauſa eſſet. Certe ſi vera ſunt, quæ Tatianus, diligens veteris philoſophiæ cultor hoc loco tradit, nihil aliud dixit Anaximander, infinitum eſſe humido antiquius aſſerens, quam quod præceptor ejus Thales aſſeruit:

s) Conferenda PSEVDO-ORIGENIS *philoſophum. c. VI. p. 58.*

Deum esse omnium rerum antiquissimum. 4. Nihil vero magis hanc infinitatis Anaximandreæ explicationem confirmat, quam quod teste ARISTOTELE[t] dixit, *περιέχειν ἅπαντα, καὶ πάντα κυβερνᾶν, omnia continere, & gubernare omnia.* Etsi enim lubenter largimur, de directione libera hæc intelligi non debere, cum ipsum illud principium omnia gubernans ita cum materia conjungatur, ut unum infinitum constituat, plus tamen dicit, quam quod volunt Simplicius & Philoponus Aristotelicis notionibus in pervidenda Anaximandri mente impediti: nec id principium omnia gubernare dici potest, quod tantum ex se materiam rebus & dependentiam largitur. Quod si vero infinitum est unum illud quod Deum & materiam ex sinu DEI perpetuo emanantem ipsique intime junctam constituit, recte non omnibus tantum existentiam & dependentiam quasi communicare dicitur, sed perpetuo æterni emanationis motus legibus convenienter omnia gubernare: id quod non absimili quoque ratione Pythagoras & Stoici, licet differenti systematis modificatione asseruerunt. 5. Nec hæc explicatio partem tantum disciplinæ Anaximandri considerat, & totam suisque membris cohærentem negligit, quod in defensoribus Anaximandri culpat eruditissimus MOSHEMIVS, [u] sed omnibus ejus *φαινομένοις* solvendis facit satis: licet ad ea cum hoc principio concilianda non teneremur, quæ veteres tradunt, quia verisimile est, non ex Anaximandri ingenio, sed eorum profluxisse, qui systema ejus physicum explicare conati sunt. Esto tamen, omnia dicta esse ei convenienter; cohærent illa recte cum hac infiniti explicatione. Partes infiniti mutari posse, totum immutabile esse, ait LAERTIVS, recte, quoniam ex emanationis continuatione, & materiæ varia modificatione per inhabitantem divinam animam partes semper mutantur, totum, sive unum illud infinitum semper idem manet. Infinitos generari mundos qui corrupti in infinitum redeant, dicit PLVTARCHVS & IVSTINVS MARTYR:[x] Non incommode, quia & causa effectrix & materialis unum infinitum sunt, & infinitus utrique modus inest, illi activus, huic passivus. Nativos esse Deos, longis intervallis orientes occidentesque eosque innumerabiles esse mundos Anaximandro tribuit CICERO.[y] Non sine veri specie; cum enim ex ista anima divina quædam partes in materiæ illas particulas, ex quibus infiniti mundi conflantur, deriventur, & emanent, & sic divina ista mens omnibus istis mundis intime præsens sit, nascuntur certe per emanationem, nascente novo mundo, Dii illi, eo destructo ad fontem redeunt, quemadmodum ex eodem fundamento & eodem quoque sensu Stoici Deos nasci & mori, id est ex Deo, anima mundi, oriri & in eum reduci asseruerunt, uti suo loco demonstrabimus. Quod si etiam hæc ad cœlum & stellas referenda esse PLVTARCHO[z] largimur: non tamen hoc contradicit infinito, prout explicuimus. Sunt enim cœlum & stellæ Dii, non ex parte materiæ, cujus respectu calido & frigido mistum

t) *loco supra laudato.*
u) *l. c.* x) *ll. cc.* y) *De nat. Deor. l. I. c. 10.*
z) *l. c. l. I. c. 7.*

ſtum cœlum, ſtellasque centones aëris globoſos ignis plenos Anaximander dixit,[a] ſed ex parte inhabitantis animæ divinæ, cujus pars eas animat, regitque. Poteramus pluribus hanc noſtram infiniti Anaximandri explicationem rationibus fulcire, niſi nos pudor prohiberet patientia lectoris abuti, vel ejus quoque judicio & acumini diffidere; ea enim, quæ diximus, ita comparata ſunt, ut auctoritatis vel ſententiæ ſemel electæ præjudicio non impeditus facile concedere debeat, a veriſimilitudine non eſſe aliena. Quæ tamen licet ita ſe habeant, ſtultum tamen eſſet & inſipidum, pro certo & indubitato aſſerere, hanc fuiſſe Anaximandri, opinionem. Conjecturas afferimus, vero ſectamur ſimilia, habitum & conſtitutionem ſyſtematis expendimus, præceptorem cum diſcipulo comparamus, effata veterum inter ſe rationali ſenſu jungimus; quæ omnia probabilitatis quidem gradum aliquem conſtituunt: alium tamen ſenſum cuncta pati, ire in contraria veteres & recentiores noſtro ingenio multum acutiores, deſiderari ſcripta Anaximandri, fontesque atque teſtes omni exceptione majores, ineluctabilem in plerisque obverſari animo obſcuritatem ultro fatemur, & hinc rationibus ex utraque parte expenſis hoc unum de mente & ſenſu, principii Anaximandri dici poſſe certum putamus, incerta, obſcura & dubia pleraque eſſe, illosque tutiſſima via incedere, qui de atheiſmo Anaximandri rogati ſententiam dicunt: Non liquet.

§. XV. Sed progrediendum eſt in enarratione placitorum phyſicorum Anaximandri, quem de rebus cœleſtibus porro ſtatuiſſe veteres referunt, *Specialia ejus de rebus naturalibus dogmata.*

III. Cœlum de calido & frigido miſtum eſſe.[b]

IV. Eſſe infinitos mundos, qui generentur, & corrupti in infinitum redeant.[c] Senſum, quem ex conjectura habere poteſt hoc dogma, in antecedentibus, tetigimus.

V. Stellas centones eſſe aëris globoſos, & flammas, quadam parte exſpirantes, agitari autem eas a circulis & ſphæris, quibus inhærent; ut refert STOBAEVS,[d] vel quod habet PSEVDO-ORIGENES,[e] aſtra eſſe circulum ignis diſcretum ex igne mundi circumdatum ab aëre; quod dogma non novum fuit, ſed veteribus jam admiſſum, qui ex igne cœleſti ſideralem ignem derivaverunt.

VI. Stellas eſſe Deos. Quo ſenſu hoc admitti queat, ſupra diximus. Male itaque id acceperunt CICERO,[f] AVGVSTINVS aliique, qui indigne tulerunt, aliquid, quod corruptibile & mortale eſt, in Deorum numerum referre, non enim de æternis Diis ſermo eſt, ſed de ſedibus animæ divinæ. Id quod rectius reſponderi poſſe putamus ad Ciceronis objectiones, quam, nodum ſecando potius quam ſolvendo, cum SAM. PARCKERO,[g] Vellejum Ciceronis, qui hæc objicit, mendacii arguere.

a) STOBAEVS *Eclog. phyſ. c. XXV. p. 53.* PLVTARCH. *l. c.*
b) STOBAEVS *eclog. phyſ. l. I. c. XXV. p. 53.*
c) THEODORET. *de cur. Græc. aff. l. I. p. 17.*
d) *l. c.*
e) *c. VI. p. 59.*
f) *De nat. deor. l. I. c. 10.*
g) *De Deo & prov. diſp. I. ſect. 6. p. 15. 16.*

VII. Supremo loco ſitum eſſe ſolem, deinde lunam, tum denique fixas & inerrantes ſtellas. [b]

VIII. Circulum ſolis vicies & octies [i] terra eſſe majorem; orbita præditum, qualis fere ſit rota curruum, ignis plena: qui quadam ex parte ejus per orificium effulgeat, tanquam per fiſtulæ foramen, eumque ignem eſſe ſolem terram mole exæquantem. [k]

IX. Lunæ circulum eſſe novendecuplum proportione terræ, ſimilem rotæ currus, quæ habeat concavam orbitam igne impletam, perinde ac ſol, & obliquam, una parte ignem, velut per guttur exſpirantem. [l] Probat utraque hæc theſis, quam pueraſcens illo adhuc tempore fuerit ſcientia naturalis: quamvis incertum ſit, an tam craſſo conceptu de ſole & luna philoſophatus fuerit Anaximander, & annon poſteriora tempora ei talia affinxerint?

X. Eclipſes oriri ex obturationibus orificiorum, ex quibus exhalat ignis ſolis lunæque. [m]

XI. Lunæ lucem vel plenam vel deficientem videri, prout orificium per quod tranſit, vel obturatur, vel dilatatur. [n]

XII. Ventum eſſe aëris fluxionem, motis in eo aut colliquatis partibus tenuiſſimis & fluidiſſimis. [o]

XIII. Tonitrua & fulmina gigni a vento in denſa comprehenſo nube, e qua ob partium tenuitatem & levitatem erumpat vi maxima. [p]

XIV. Durare medio loco terram, centri inſtar conſtitutam, globoſamque eſſe & rotundam, eamque a nulla re ſuffultam pendere, loco ſubſiſtentem ſuo propter æqualem omnium diſtantiam. Prius Anaximandro tribuit LAERTIVS [q] poſterius PSEVDO-ORIGENES, [r] PLVTARCHVS [s] vero Thaletis opinioni, terram eſſe rotundam opponit ſententiam Anaximandri, habere terram formam planæ columnæ lapideæ; quo fere collineant, quæ EVSEBIVS [t] habet, qui formam cylindri ei placuiſſe tradit. Addunt *philoſophumena* ORIGENI tributa, docuiſſe: alteram ſuperficiem calcari, alteram oppoſitam eſſe; ex quibus verbis ſuſpicatur cel. WOLFIVS, [u] antipodas credidiſſe, licet Platoni nomen hoc debeatur: [x] quod tamen mera, & incerta quidem conjectura nititur. Eadem philoſophumena hanc quoque de terra opinionem Anaximandro tribuunt: pendentem manere ſuo loco ſubſiſtentem; *μένουσαν διὰ τὴν ὁμοίαν πάντων ἀπόστασιν*; aliter tamen LAERTIVS, qui mundum quidem in medio poſuiſſe, ait,

b) STOBAEVS *l. c.* ORIG. *phil. l. c. p. 60.*

i) PLVT. *l. II. c. 20.* THEODORETVS *l. c.* ponit XXVI. & *Philoſophum.* ORIGENIS *l. c.* non ad terram, ſed ad lunam referunt.

k) LAERT. *l. c.* male cohærentia & inepta in his quædam ſunt, ex quibus conjectura naſcitur, non ſemper intellectum fuiſſe Anaximandrum, vel ſententias ejus & dogmata indiligenter & negligenter conſarcinata.

l) PLVTARCH. *l. II. c. 25.* STOBAEVS *l. c. p. 59.*

m) *Philoſophumena p. 59.*

n) *ibid.* vocant vero orificium hoc ἐκπνοήν, quam recte ita explicari ex PLVT. & STOBAEO patet.

o) PLVT. *l. c. l. III. c. 7. Philoſophum. p. 60.*

p) IIDEM *ll. cc.* & clarius SENECA *Qq. nat. l. II. c. 18.*

q) *l. c. ſ. 1.* *r*) *l. c.*

s) *De plac. phil. l. III. c. 10.*

t) *De præp. l. I. c. 8.*

u) *ad h. l. not. 9.*

x) LAERTIVS *l. III. ſ. 24.*

ait, ſed ita, ut moveri apta; ſiquidem certa eſt THEONIS explicatio, terram ex mente Anaximandri in ſublimi pendere, & moveri circa mundi medium: [y] quæ opinio non illo demum tempore nata eſt, ſed veteribus debetur, unde Pythagorici etiam acceperunt: nonnulla inde urgente veriſimilitudine, Anaximandrum hoc quoque dogma recepiſſe, id quod etiam contendit TH. BVRNETIVS. [z] Quia tamen uterque teſtis nimis a philoſophi hujus ætate remotus eſt, contradicente teſtimoniorum fide certi nihil definiri poteſt.

Coſmogoniæ Anaximandri.

XV. Formationem mundi, & partium ejus ita delineaviſſe tradit EVSEBIVS: [a] Ex infinito cœleſtes orbes & infinitos mundos eductos & ſecretos eſſe: corruptionem autem multoque ante generationem ipſam ex eo fieri, quod mundi ipſi omnes ab immenſo quodam ævo perpetua diſcretione volverentur; terram vero figuram cylindri imitari, ejusque altitudinis eſſe, quæ, ſi cum latitudine conferatur, tertiam illius partem conſtituat. Ceterum fœcundas calidi frigidique partes genitales circa mundi hujus procreationem ab omni æternitate ſepoſitas fuiſſe, ex quibus conflata ſphæra quadam ignea circumfuſum terræ aërem, veluti cortex arborem, involveret, ea diſrupta cum eſſet, ac circulis quibusdam intercluſa, ſolem inde, lucem ac ſtellas extitiſſe. Deſcripſit hæc Euſebius ex PLVTARCHI *ſtromatibus* deperditis, vixque credi poteſt, ipſum Anaximandrum ita rationes ſubduxiſſe, ſed videntur ſequentium temporum philoſophi ita conſentanea principiis Anaximandri ex iis elicuiſſe. Nihil tamen in hac coſmogoniæ deſcriptione eſt, quod explicationi ſyſtematis phyſiologici Anaximandri, quam ſupra dedimus, refragetur, ſunt, quæ eam mirifice confirmant. Ait enim: ex infinito cœlos & univerſos mundos ἀποκεκρίσθαι, eductos & ſecretos eſſe, palpabili indicio, emanationem ex infinito, id eſt materia ex ſinu DEI egreſſa & cum eo arctiſſime juncta, cauſam eſſe exiſtentium mundorum: quæ emanatio neceſſario id, quod porro dicit, poſtulat, eos mundos ex infinito tempore circulo atque periodo, & converſione volvi, ἀνακυκλωμένων πάντων, quæ Euſebii verba ſunt. Immo γόνιμον θερμοῦ καὶ ψυχροῦ κατὰ τὴν γένεσιν τούτου τοῦ κόσμου ἀποκριθῆναι dicitur, ut non tantum vis genitalis, activa, penetrans, una cum calido & frigido, a quo diſerte diſtinguitur, in iſto infinito fuiſſe, appareat, ſed & educta & ſecreta, id quod per emanationem talem fit, dicatur. Quæ omnia haud leviter conjecturas noſtras de ſignificatione infiniti Anaximandrei confirmant: dolendumque eſt, hæc non ab ipſo Anaximandro profecta, ſed a viris longo temporis intervallo ab eo remotis, unde hæc quoque in tam incerta re in medio relinquimus. Eductum ex ſinu infiniti mundum motus legibus ſemel a cauſa activa ex genitali interna impreſſis reliquit, hinc de animantium origine porro præcepiſſe dicitur.

XVI. Animalia prima in humore nata, corticibus ſpinoſis munita fuiſſe, adultiora vero facta, ad ſiccitatem magis deſciviſſe, ruptoque cortice

y) Conf. MENAG. *ad l. c. Laërt.* z) *Archæol. philoſ. l. I. c. 10. p. 421.* a) *l. c.*

tice non multum temporis ſupervixiſſe. [b] Homines prius in piſcium ventribus genitos ibique nutritos fuiſſe, donec vires acquirerent majores, idoneique fierent, qui ſuis proſpicere neceſſitatibus poſſent, excluſos fuiſſe atque terra potitos. [c] Quæ hominum generatio heterogenea exiguam quidem prodit Anaximandri eruditionem in naturalibus, condonanda tamen illi eo magis eſt, quoniam plerique gentiles philoſophi tam inepte de humani generis ortu philoſophati ſunt, ut ex iis videre eſt, quæ PLVTARCHVS [d] hac de re collegit. Cum enim ſemel hypotheſin iſtam; generationem æquivocorum eſſe poſſibilem, admitterent, facile inde erat, humano generi ejusmodi adſcribere ortum, cum veram hominis originem, cujus notitia revelationem ſupponit, [e] ignoraverint. Verum hoc ὡς ἐν παρόδῳ, & de Anaximandro ſatis.

Anaximenes. §. XVI. Anaximandri auditor [f] & ſodalis [g] fuit ANAXIMENES, Euriſtrati filius, Mileſius. Vitæ tempus varie definitur, alii enim Olymp. LV. alii LVI. iterumque alii LVIII. ponunt, [h] & Apollodorus Olymp. LXIII. quod tamen falſum eſſe inde probari poteſt, quod Anaximander ejus præceptor, non diu poſt Ol. LVIII. fatis conceſſerit, unde Anaximenes Ol. LXIII. demum natus eſſe non potuit. Repugnat & ipſe Apollodorus, tradens, obiiſſe eo anno, quo Sardes expugnatæ ſunt a Cyro. Illud vero Ol. LVIII. ſi SIGONIVM ſequeris, [i] ſin accuratiores PETAVII [k] calculi probentur Ol. LIX. 1. accidit, ſic ut mortuum eſſe oporteat antequam natus fuerit. Vnde ſuſpicamur, apud Apollodorum numerum corruptum & tempus quoque mortis falſum eſſe, & Ol. LIII. ponendum, [l] pro LXIII. tam turpiter enim ſibi contradixiſſe non veriſimile eſt, neque tamen ita tempus cohæret, uti infra, ubi de Anaxagora dicendum, demonſtrabimus. Volunt aliqui, audiviſſe Anaximenem etiam Parmenidem, cui & auctor epiſtolarum illi tributarum Pythagoram jungit, quem tamen omni fide carere ſupra in Thalete oſtendimus. Docuit vero & ipſe naturalem ſcientiam, & in ea Anaxagoram atque Diogenem Apolloniatem diſcipulos habuit. [m]

Phyſiologia Anaximenis. §. XVII. Inſtitit vero veſtigiis præceptoris in ſcrutanda rerum natura Anaximenes, ita tamen ut ejus ſyſtema clariore luce perfunderet, in quibusdam vero proprium judicium ſequeretur. Docuiſſe vero veteres referunt:

I. Prin-

b) PLVTARCH. *l. V. c. 19.*
c) *Sympoſiac. c. VIII. q. 8.* *d*) *l. c.*
e) Propius tamen ad rem PLATO, etſi ille quoque errore de præexiſtentia & lapſu animarum corruptus. De quo ſuo loco.
f) LAERT. *l. II. ſ. 3.* CICERO *Acad. Q q. l. IV. c. 37.* PLIN. *hiſt. nat. l. II. c. 76.*
g) SIMPLICIVS *ad Phyſic. l. I. c. 2.* quod quidem cum eo non conſtare putat ALDOBRANDINVS *ad l. c. Laërt.* quod Anaximandri diſcipulus dicatur: nihil tamen obſtat, quo minus contubernio & conſortio familiari juncti fuerint.
h) Olymp. LV. ponit SVIDAS in *Anaxim. T. I. p. 173.* LVI. EVSEB. *præp. evang. l. X. c. ult.* LVIII. vero PSEVDO-ORIGENES *philoſ. c. VII. p. 66.* qui admitti poteſt, ſi intelligatur de tempore ſucceſſionis in cathedra.
i) *De temporibus Athenienſium.*
k) *Doctrin. temp. l. XIII. ration. temp. P. I. l. II. c. 12. p. 124.*
l) LV. Emendat S. PETITVS *Obſ. l. II. c. 1.*
m) Alios Anaximenes, cum hoc non confundendos recenſent LAERT. *l. c.* MENAG. *ad h.* IONSIVS *de S. H. P. l. I. c. 10. p. 50.* MEVRS.

I. Principium rerum univerſarum eſſe aërem, ex quo omnia naſcantur, ſuoque in eum redeant interitu. [n]

II. Hoc principium, aërem ſcilicet, id ipſum infinitum eſſe, id eſt immenſum, & ſemper in motu. [o] Duo hæc principia ſunt, vel ſi accurate dicendum primum rerum naturalium principium unum, quod admiſit Anaximenes. Nam quæ apud LAERTIVM [p] dicuntur, poſuiſſe ἀρχὴν ἀέρα καὶ τὸ ἄπειρον, non tam, duo principia adhibuiſſe Anaximenem, volunt, quam potius, rerum omnium cauſam exiſtimaſſe aërem, eumque infinitum. Scilicet ab Anaximandri præceptoris [q] ſyſtemate non receſſit Anaximenes, ſed, quæ ille incerta determinatione obſcurius dixit, hic clarius explicuit. Nihil aliud itaque dicit, niſi infinitum illud, ex quo juxta Anaximandrum res omnes conditæ ſunt, eſſe aërem, adeoque univerſum hoc iſto principio contineri: nec multum ponderis habent difficultates, quas hic movit ISAACVS CASAVBONVS, qui non attendit, recte dixiſſe ARISTOTELIS phyſicarum lectionum interpretes, Anaximenem inter eos eſſe, qui unicum principium rerum ponunt, ſalvo textu LAERTII, qui idem fere ait, quod SIMPLICIVS: Ille enim ſatis luculenter: *Anaximenes Euryſiſtrati filius, ſodalis factus Anaximandri, materiam ſive ſubjectum ait unum eſſe, idque infinitum, ut ille etiam, ſed non indefinite ſicut Anaximander, ſed ut definiat eſſe aërem:* quo loco obſcura & dubia Laërtii verba illuſtrantur.

III. Aëra Deum eſſe eumque gigni, eſſeque infinitum, & ſemper in motu, ea vero quæ ex eo oriantur definita eſſe: accipiendum vero hoc eſſe de facultatibus, quæ corpora ſive elementa penetrant, tradit STOBAEVS.[r] Hujus ſi explicationem ſequimur, aëra Deum dixit, quia virtute divina animatur, & per omnia funditur: nec videtur hæc Stobæi explicatio relinquenda eſſe, ſi ſtatuamus, quod veriſimilitudine non caret, non deſeruiſſe Anaximenem præceptoris placita, ſed clarius expoſuiſſe & illuſtraſſe, ut ita τὸ ἄπειρον Anaximandri ex ejus interpretatione ſit æther ſubtiliſſimus divina vi fœcundus, ſive a ſpiritu divino inhabitatus & animatus, cujus agitatione ubique diffunditur, ut omnia ex eo generentur. Sicque intellexiſſe quoque videtur LACTANTIVS, [s] qui, ubi dixerat, Cleanthem & Anaximenem æthera dixiſſe ſummum Deum, addit, poëtam aſſentiri, canentem:

Tum pater omnipotens, fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno permiſtus corpore fœtus.

Cleanthes vero cum Stoicus philoſophus fuerit, apertum eſt Lactantium Anaxi-

n) PLVTARCH. *de plac. l. I. c. 3.*
o) CICERO *de natura Deor. l. I. c. 10.*
p) l. II. ſ. 3. STOBAEVS *ecl. phyſ. c. I.* ORIGEN. *philoſoph. c. VII. p. 61.* Scripſiſſe quidem Theophraſtum *de decretis Anaximenis* librum refert LAERT. *l. V. ſ. 42.* ſed is periit. E recentioribus videndus SCIPIO AQVILIANVS *de placit. philoſ. ante Ariſt. c. XXI. p. 99. ſeqq.*
q) CICERO *l. c. & Acad. Qq. l. IV. c. 37.*
r) Eclog. phyſ. l. I. c. 1. p. 21.
s) Lib. I. c. 5. conf. MINVC. FELIX in *Octav. c. 19. p. 61.*

Anaximenis opinionem ſenſu accepiſſe Stoico, cui eam jungit, qua in ſchola æther ſive ignis ſubtiliſſimus, vel Deus potius materiam inhabitat, pervadit, animat. Quod melius quoque mentem Stobæi exprimit, quam quod STANLEIO [t] placuit, aëra divinum eſſe facultates divinas elementa penetrantes, adeoque improprie accipi, quod contra mentem Anaximenis dici, recte ad hunc locum notavit G. OLEARIVS. [u] Quod vero omnium maxime hanc principii Anaximenis explicationem firmat, illud eſt, quod aëra Deum quidem eſſe, ſed gigni, teſte CICERONE [x] aſſerit, cum divina gigni nequeant: unde ſine ſenſu & abſurde locutus eſſet Anaximenes, ſi aliud nihil, niſi aëra infinitum pro Deo accepiſſet; non incommode vero & inconvenienter ſuo principio & magiſtri menti, ſi aërem, mutabilem & mobilem intellexit, ab inhabitante virtute divina animaque commotum, cujus motu gignuntur omnia: qua ratione & Diogenem Apolloniatem explicuiſſe hoc principium in ſequentibus docebimus. [y] Ex dictis vero de atheiſmo Anaximenis judicandum eſt, cujus gravem illi dicam ſcribunt IACOBVS THOMASIVS, [z] NICOL. HIERONYMVS GVNDLINGIVS, [a] IENKINVS THOMASIVS, [b] RAD. CVDWORTHVS, [c] PETRVS BAYLE, [d] & qui parum cauſæ Anaximenis tribuunt, IO. FR. BVDDEVS [e] & GODOFR. OLEARIVS, [f] contrariam partem tuentibus IO. ANDR. SCHMIDIO, [g] IAC. FRID. REIMMANNO, [h] SAM. PARCKERO, [i] qui ab hac infamia Anaximenem liberarunt. Scilicet adeo inter ſe de ſenſu principii Anaximenei diſſentiunt veteres, tamque obſcuræ ſunt eorum relationes, ut utraque pars non contemnenda opinionis ſuæ inveniat argumenta, quæ prolixe enarrare, non noſtri inſtituti eſt, ſed ad hiſtoriam ſingularem atheiſmi pertinet. Nos computatis utriusque partis rationibus in ea confirmamur modeſtia, quam apud Anaximandrum commendavimus: in tanto genuinorum teſtimoniorum defectu, & incerta veterum relatione tutiſſimum eſſe, ad pyrrhoniſmum hiſtoricum confugere, & modeſte retinere judicium. Quod ſi vero conjecturis aliquid dandum eſt, idem putamus de Anaximene dicendum eſſe, quod de Anaximandro, utriusque enim cauſam eodem loco ſtare recte judicavit OLEARIVS: [k] hoc uno diſcrimine, quod infiniti a præceptore pro principio admiſſi naturam enarraverit, quam in æthere, divina anima fœcundo, poſuit, ſicque Deum nominavit: tacens tamen more ſcholæ ſuæ de natura mentis divinæ, cum ad ſolam cauſam materialem reſpiceret. Feciſſe vero cum Anaximandro in

Atheiſmus Anaximenis.

t) Hiſt. phil. P. II. c. 2. ſ. 1. p. 99.
u) In *not. ad h. l.*
x) loc. cit.
y) Vtrumque ideo recte jungit MINVC. FELIX *l. c.*
z) Obſ. Hal. Lat. T. II. obſ. 21. p. 450.
a) In *Otiis P. II. c. III. §. 8. p. 108.*
b) Hiſtor. atheiſmi c. IV. §. 4. p. 29.
c) Syſt. intellect. c. III. §. 20. p. 123.
d) Dict. T. I. art. Diog. Apoll. not. C. p. 296.
e) Theſ. de ath. c. I. §. 10. licet excuſari eum poſſe putet.
f) Ad *l. c.* Stanleji. Addi his poſſunt *hiſtoriæ univerſalis* auctores Angli *p. 84.*
g) Diſſ. *De Anaximenis vita & phyſiologia ſect. II. §. 5. p. 24.*
h) Hiſt. atheiſmi c. XIX. §. 4. p. 144. ſeqq.
i) De Deo diſp. I. ſect. 6. p. 15. ſeqq.
k) loc. cit.

in doctrina de Deo inde quoque patet, quod dixerit, teſte AVGVSTINO [l]

IV. Eſſe quidem Deos, non tamen ab iis aërem factum, ſed ipſos ex aëre ortos eſſe. Eadem enim præceptoris quoque doctrina fuit, cui in antecedentibus lucem fœnerati ſumus, quæ & huc afferenda eſt. Et eodem modo intelligendum eſt, quod PSEVDO-ORIGENES refert: [m] Deos & divina exiſtere ex progenie aëris infiniti.

V. Vt vero ex aëre hoc infinito & divino rerum ortum delinearet, tradidit porro Anaximenes: [n] hanc aëris maxime æquabilis ſpeciem effugere oculorum ſenſum; manifeſtari autem frigido & calido, tum humiditate & motu; ſed moveri perpetuo, nec enim, quas recipit, admiſſurum mutationes, niſi moveretur. Denſatum namque atque extenuatum aliam atque aliam induere faciem.

VI. Cum diſſolutus ad altiorem pervenerit gradum producere ignem, ad mediocrem vero, cum ad aërem denſiorem ex aëre effici nubem; cum adhuc magis aquam, aucta vero hac conſtipatione, terram; &, quam fieri poteſt denſiſſima compage conſtituta, lapides: adeo ut primaria generationis inſtrumenta reperiantur oppoſita, calidum videlicet & frigidum. Eundem fere in modum mutationem elementorum inſtituit Heraclitus, cujus ignis ab aëre Anaximenis, parum differt. [o]

VII. Exteriorem cœli ſuperficiem eſſe terreſtrem. [p]

VIII. Terram eſſe tabellam planam incumbentem aëri. [q]

IX. Ad eandem rationem & ſolem, & lunam, & reliqua ſidera. Hæc enim omnia cum ſint ignea ſuperfundi aëri per latitudinem. [r]

X. Siderum ortum ex terra veniſſe, ex qua attollitur halitus, quo extenuato, ignis emicet. [s]

XI. Porro ex elevato ſurſum igne componi ſtellas, terreſtres etiam eſſe naturas in ſtellarum ſede, quæ cum iisdem deferuntur. [t] Iſtas terreſtres naturas non conſpici, ſtellasque velut clavos cryſtallo inhærere. [u]

XII. Sidera non commoveri ſubter terram, ſed circa terram verti, perinde ac circa caput noſtrum vertitur pileus. [x]

XIII. Itaque ſolem etiam non ideo abſcondi, quod verſetur ſub terra, [y] ſed quod altioribus terræ partibus tegatur, & quod longioribus a nobis intervallis diſtet.

XIV. Aſtra moveri & impelli a condenſato & renitente aëre.

XV. Laminæ inſtar latum eſſe ſolem igneæque ſubſtantiæ.

l) De C. D. l. VIII. c. 2.

m) l. c. c. VII. p. 61. Sermo itaque non eſt de Deo ſummo, ſed de corporibus cœleſtibus, quibus anima divina præeſt, vel dæmon quidam inhabitat. Quapropter cenſura BAELII *l. c.* fundamento caret.

n) ORIGEN. *l. c.*

o) Ex hac phyſiologia ſequitur etiam, animam eſſe ex æthere, ſive aëre illo ſubtiliore vid. PLVT. *de plac. phil. l. I. c. 7.*

p) PLVT. *l. c. l. II. c. 11.*

q) EVSEB. *præp. l. I. c. 5.* ORIG. *l. c. p. 63.* PLVT. *l. c. l. III. c. 10.*

r) ORIGEN. *l. c.*

s) Ibid. *t) Ibid.*

u) STOBAEVS *eclog. phyſ. c. XXV. p. 53.*

x) ORIG. & STOB. *ll. cc.* LAERT. *l. II. ſ. 3.* PLVT. *l. c. l. II. c. 16.* qui pauliſper variat.

y) ORIGEN. *l. c.*

XVI. Eclipſin pati ſolem & lunam obturato foramine per quod ignem ſpirant.

XVII. Lunam itidem eſſe igneam. [z]

XVIII. De meteoris eundem fere in modum, ut Anaximander, docuit, ut ex iis videre eſt, quæ PLVTARCHVS, PSEVDO-ORIGENES & STOBAEVS [a] hac de re habent; quos, ne nimii ſimus, a lectore conſuli velimus, nihil enim difficultatis habent, quæ afferunt, & ex dictis facile intelliguntur.

Philoſophia moralis Anaximenis.

§. XVIII. De philoſophia morali Anaximenis, non habemus, quod dicamus. Refert quidem de eo STOBAEVS varias ſententias & dicta moralia, quæ vero parænetice magis quam philoſophice propoſita ab eo fuere. Sunt inter ea duo, quæ attentionem mereri viſa ſunt cel. STOLLIO. [b] Vnum monet: [c] Senibus urbanitate elegantiore ornatis quantum corporeæ voluptates marceſcunt, tantum rurſus eruditionis deſiderium augeri, & tanto firmius docere poſſe alios, quid factu ſit utile, ac ipſi viciſſim ab aliis audiri. Siquidem voluptates, quas cibi, potus & venerea pariunt, non tam in præſentia exhilarare, quam poſtea moleſtare videri. Voluptatem autem & diſciplinam circa literas tum in præſenti tempore oblectare, tum ad reliquam vitam ſui ſtudioſos ſuaviter degendam præparare. Alterum præcipit: [d] Divites non ſimiliter miſereri ſolere infelicium ut pauperes, nam ſuis rebus metuentes interim aliorum calamitatis miſereri. Paupertatem namque homines & in artibus præſtantiores, & in rebus ad vitam pertinentibus prudentiores reddere, & gravem eſſe ſapientiæ magiſtram. In quibus *παροιμίοις* Anaximenes propria experientia duce viſus eſt viro clariſſimo ſcripſiſſe, atque conjicit, voluptatis cauſa ducta uxore, & liberis genitis curarum & paupertatis mare ingreſſum fuiſſe, ſicque voluptatis ſtultitia expertum ex diſciplinarum ſtudio voluptatem poſtea in ſenio atque ſuſtentationem vitæ quæſiviſſe & inveniſſe. Quæ, quia circumſtantias vitæ Anaximenis nobis tacuerunt veteres, in medio relinquimus.

Anaxagoras.

§. XIX. Anaximenis non auditor tantum fuit, ſed diſciplinam quoque ab eo accepit [e] ANAXAGORAS Clazomenius, ex Ionia, natus Ol. LXX. 1. [f] Parentem nactus genere, opibusque clarum, Hegeſibulum ſive Eubulum, divitias ac nobilitatem ab eo quidem accepit, magnis tamen animi opibus, quas inſatiabili deſiderio augere ſtudebat, multo magis enituit. Agros vero & patrimonium reliquit, [g] teſte CICERONE, [h] *diſcendi quærendique divinæ delectationi toto ſe animo ut dederet:* vel ut narrat VALERIVS MAXI-

z) STOBAEVS *l. c. p. 59.*

a) *ll. cc.* & ex primo & tertio STANLEIVS *l. c. p. 100.* qui vero ORIGENIS *philoſophumena* non conſuluit.

b) *Hiſt. phil. mor. gentil. §. 38. p. 40. 41.*

c) STOBAEVS *Serm. CCLXIX. p. 870.*

d) *Ibid. Serm. CCXXXVII. p. 778.*

e) CICERO *de nat. Deor. l. I. c. 11.*

f) Apollodor. apud LAERT. *l. II. ſ. 7.* quibus tamen prematur difficultatibus infra docebitur.

g) PLVT. *de vitando ære alieno.*

h) *Tuſcul. Qq. l. V. c. 39.* PLATO in *Hippia maj. T. III. p. 382.* PHILOSTRAT. *vit. Apollon. l. I. c. 13. p. 15.* PLVT. in *Pericle*, SVIDAS in *Anaxagoras T. I. p. 172.*

MAXIMVS, [i] e diutina peregrinatione patriam repetens, cum poſſeſſiones deſertas vidiſſet, *non eſſem*, inquit, *ego ſalvus, niſi iſtæ periiſſent.* Eodem animo a regendis civitatibus, cujus muneris ſpem opes animi atque facultates & generis nobilitas facere poterant, totum ſe, quod ait CICERO,[k] ad cogitationem rerum tranſtulit. Quod cum ægre nonnemo ferret, ei, ita compellanti, *nullane tibi patriæ cura eſt?* pulchre reſpondit: *mihi vero patriæ cura, & quidem ſumma eſt*, digitum in cœlum intendens. [l] Vt itaque inſatiabili diſcendi deſiderio faceret ſatis, viceſimo ætatis anno Athenas conceſſit, [m] ut ibi philoſopharetur, id eſt totum eruditionis, qualis tunc in hoc ingeniorum & Muſarum emporio florebat, circulum emetiretur. Eo enim tempore Athenis philoſophiam ſtricto ſenſu ſumtam nondum floruiſſe, ex dicendis patebit, conſtabatque tunc temporis Athenienſium eruditio præter elegantiam & prudentiam civilem, in dicendi copia & artis poëticæ præſtantia. [n] Vnde Anaxagoras non tantum Homerum diligenter legendo excoluit, quem virtutis & juſtitiæ præceptorem fuiſſe putabat, [o] ſed & ſuavi ac magnifica oratione uſus eſt. [p] Non tamen eloquentia verborum & fingendi ars exſatiavit Anaxagoræ animum, ſed rerum naturalium & cœleſtium ſtudio occupatus, cum Athenis philoſophi non eſſent, ad Anaximenem conceſſit, eumque rerum phyſicarum principia atque cauſas enarrantem audivit, [q] tanto quidem fervore & contentione animi, ut inſpiciendi cœli, & ſolis, & lunæ cauſa ſe natum fuiſſe, magno animo diceret. Nec defuit ſucceſſus diligentiæ Anaxagoræ, qui in rerum naturalium ſtudio tantum profecit, ut Anaximenes dignum judicaret, cui cathedram traderet, & diſciplinam relinqueret. Non tamen ſolo Anaximene contentus fuit, ſed ut magis in rerum naturalium ſtudio proficeret, ex Hermotimi quoque, civis ſui, philoſophia notitiam naturalem auxit, & ex ea præceptoris ſyſtema emendavit. [r] Quoniam tamen tantam viri acu-

i) *Lib. VIII. c. 7.* qui tamen a reliquorum ſcriptorum narratione deſeritur. conf. MERIC. CASAVBON. *ad l. c. Laërt.* Platonem *l. c.* riſiſſe Anaxagoram ait STANLEIVS *Hiſt. phil. P. I. p. 100.* ſed is locum Platonis perperam intellexit; non enim ridet Anaxagoram ſed ſophiſtas, conf. BAYLE *Dict. T. I.* art. *Anaxagoras not. A. p. 205.*

k) *De oratore l. III. c. 15.*

l) LAERT. *l. II. ſ. 6.*

m) *Ibid.* archonte Calliada: qui erat Olymp. LXXV. 1. ſi Apollodorum ſequimur.

n) Dignus qui hic legatur cel. HEVMANNVS *Act. philoſ. vol. III. p. 195.*

o) LAERT. *l. II. ſ. 11.* Inde ſine dubio enata ſuſpicio, deſumſiſſe duplex principium Anaxagoram ex fabula Homeri de Prodeo & Eidothea, quod aſſerit SEXTVS EMPIR. *adv. math. l. IX. ſ. 8. p. 546.* quæ vero ex h. l. facile refutatur, non enim phyſica ſed moralia præcepta in Homero quæſivit Anaxagoras.

p) LAERT. *l. c. ſ. 6.*

q) Fuiſſe diſcipulum Anaximenis ex adductis teſtibus patet; cum vero hoc ante annum 20 fieri non facile potuerit, patet inde dictorum ratio, ſine qua obſcuritatem inextricabilem in hiſtoria Anaxagoræ non evitabimus. Conf. BAYLE *Dict. T. I.* art. *Archelaus not. A.*

r) Provocat SEXTVS *l. c.* non ad Heſiodum & Parmenidem tantum, qui ante Anaxagoram mentem ſive principium activum materiam adjecerint, ſed & ad Hermotimum Clazomenium, a quo Anaxagoras acceperit. Et in duobus prioribus quidem eum falli, ex eo patet, quia amor Heſiodi & Parmenidis longe differt a mente Anaxagoræ, & certam materiæ ſemel motæ affectionem denotat. Veriſimilius itaque eſt, accepiſſe ab Hermotimo Clazomenio, quem prius mentem cauſam dixiſſe tradit ARISTOT. *Metaph. l. I. c. 3. T. II. p. m. 646.* id quod etiam affirmant, & Anaxagoram Hermotimum ſecutum eſſe tradunt PHILOPON. *ad l. c. Ariſt. & Alex. Aphrodiſæus* apud SIMPLIC. *in l. VIII. phyſic. p. 321.* de hoc Hermotimo videndi veteres, quos laudat MEVRSIVS *ad Apollon. Dyſcol. hiſt. comment. c. 3.* animam ejus, quoties voluiſſet,

tiſſimi eruditionem non ſatis capiebat Miletus, rediit Athenas, ut ibi philoſophiam, quæ nondum illic docebatur, profiteretur. Certe bis Athenis commoratum primo diſcendi, poſteaque docendi cauſa, neceſſaria rationum chronologicarum vitæ Anaxagoræ ſeries evincit, licet & hic difficultates haud leves oriantur, quas ad finem hujus paragraphi enarrabimus, quemadmodum tota temporum ratio in Anaxagoræ hiſtoria impedita eſt. Ibi magno, etſi tantum privatim doceret, applauſu auditus, & celebrem famam nactus diſcipulos habuit præſtantiſſimos, & nominis poſtea nobilitate atque gloria immortales, Periclem iſtius ætatis fere eloquentiſſimum,[s] Euripidem tragœdum,[t] quibus aliqui jungunt Socratem[u] atque Themiſtoclem.[x] Invidiam vero gloriæ comitem eſſe tandem ſenſit, perſecutione gravi virum de Athenienſibus & optimis literis immortaliter meritum premente. In carcerem enim detruſum fuiſſe, ſibique de vita metuiſſe, veteres ſcriptores unanimi fere conſenſu teſtantur, cauſam vero & accuſationem varie referunt. Sotion enim apud LAERTIVM[y] a Cleone impietatis accuſatum tradit, quod ſolem candentem dixiſſet laminam, defenſum autem eſſe a Pericle, diſcipulo, & quinque talentis mulctatum exilioque damnatum fuiſſe. Satyrus, a Thucydide in jus vocatum, qui contraria Periclis factioni ſentiebat, neque ut impium modo, verum & ut urbis apud Perſas proditorem accuſatum abſentemque damnatum, teſtatur. Hermippus carcere incluſum mortique addictum ait, Periclem vero apud judices comparuiſſe, & teſtatum de vitæ ejus innocentia, effeciſſe, ut liber dimitteretur, eum tamen dimiſſum injuriam ægre tuliſſe, & ſponte e vita exceſſiſſe. Hieronymus, macie & ægritudine confectum in judicium adductum miſericordia magis, quam juſtitia dimiſſum narrat; nihil tamen horum, quæ refert LAERTIVS magna nititur veriſimilitudine, cui magis accedit, quod tradit SVIDAS[z] & IOSEPHVS[a] quoque, in carcerem conjectum, quod novam de Diis ſententiam invexiſſet, ſolemque ſenſus & rationis expertem dixiſſet, ideoque ad mortem condemnatum, & tandem exilio mulctatum eſſe, quanquam & hoc negat PLVTARCHVS,[b] qui nec accuſatum nec damnatum fuiſſe tradit, ſed a Pericle ex urbe eductum, quod Diophitæ rogationem metueret, ut deferrentur nomina eorum, qui ſermones de rebus cœleſtibus, vel alios profanos

luiſſet, egreſſam eſſe, pro fabula habet & ridet LVCIANVS *T. I. in muſcæ encom. p. m. 829.* Clazomenios ei templum excitaviſſe veteres paſſim teſtantur, conf. FABRIC. *ad l. c. Sexti.* Teſtatur vero Phavorinus apud LAERT. *l. IX. ſ. 34.* Democritum ab Anaxagora non admiſſum, eique inimicum factum dixiſſe: non illius eſſe, quas ſcriptis mandaverit de ſole ac luna ſententias, verum antiquas, ipſumque eas fuffuratum eſſe, pariter ac quæ de mundi compoſitione & mente dixiſſet.

s) CICERO in *Bruto c. 11. de Orat. c. 3.* PLVT. in *Pericle*, BAYLE *Dict. T. III.* art. *Pericles not. A.* qui etiam loco ſupra citato inde colligit, Anaxagoram, qui diſcipulum hunc in civili prudentia ſummam laudem adeptum, formavit, etiam in civili diſciplina eruditum fuiſſe.

t) Conf. IOS. BARNESIVS in *vita Euripid. ſect. 13.*

u) Qui tamen poſtea ad Archelaum ſeceſſit LAERT. *l. II. 19.* qui his addit Democritum, quem tamen is ferre non potuit.

x) PLVT. in *Themiſt. T. III. p. m. 104.* qui obſervat contradicere tempora.

y) *Lib. II. ſ. 14.* & ex eo STANLEIVS *l. c. P. II. c. V. p. 107.*

z) *loc. cit.*

a) *Contra Apion. l. II. p. 1079.*

b) In *Pericle.*

fanos fererent. Hoc enim omnino credi debet, Anaxagoram in rerum naturalium cauſis ſcrutandis indefeſſum, contradixiſſe vulgi & ſacerdotum ſuperſtitioni, quale exemplum PLVTARCHVS [c] refert: oſtendiſſe aliquando caput arietis, unico tantum cornu inſigne, quod futurorum malorum præſagium vates jactaverint, diſſectum nihil habere, quod naturale non eſſet. Hanc vero philoſophiæ libertatem ægerrime genus irritabile vatum tuliſſe, & philoſophos ideo impietatis accuſaviſſe, tot exempla, quæ hiſtoria philoſophica ſuppetit, & in his maxime notabile Socratis, teſtantur: dubium itaque non eſt, ægre Anaxagoram vitam atque caput periculo eripuiſſe. An vero exilio & pecunia mulctatus ſit, vel ipſe ſponte ſua Athenas reliquerit, in tanto veterum diſſenſu & incertitudine definiri nequit. Illud vero non prætermittendum eſt, adeo non animo excidiſſe, quod vult Hieronymus apud LAERTIVM, [d] ut potius veteres referant, [e] cum eodem tempore ipſi renuntiata eſſet & damnatio ſua, & filiorum mors, quos duos habuit ſolos, de injuria ſibi illata dixiſſe: *Iampridem adverſus illos atque ſe ex æquo naturam tuliſſe ſententiam:* de filiorum autem morte placido ſimul & magno animo: [f] *nihil mihi inexpectatum aut novum nuncias: ego enim illos ex me natos ſciebam mortales.* [g] Abiit itaque Athenis, ubi XXX. annos commoratum fuiſſe, quidam tradunt. Non tamen patriam Clazomenen petiit, quam nec ſepulturæ locum voluit, [h] ſed Lampſacum diſceſſit, illicque, quod vitæ ſupererat, exegit, [i] &, quod facile conjici poteſt, [k] diſcipulis in naturæ myſteriis erudiendis vacavit, magnam apud magiſtratum loci atque cives auctoritatem nactus. Cum enim divitiis corradendis, non inhiaret, ſed paucis contentus, naturæ ſtupendis operibus contemplandis totus inhæreret, ſicque cœleſtia, unde ſe oriundum eſſe tenebat, adſpiraret, [l] verum egit philoſophum, & tranquillitatem animi etiam in adverſis

c) *loc. cit.*

d) *Lib. II. ſ. 14.*

e) *Ibid.* CICERO *Tuſc. Qq. l. III. c. 24.* PLVT. *de animi tranq.*

f) PLVT. *conſol. ad Apoll.* DIO CHRYSOST. *Orat. XXXVII.* SIMPLIC. *ad Epictet. c. 22.* VAL. MAXIMVS *l. V. c. 10.*

g) Non tacendum tamen: hæc quoque aliis tribui, & prius quidem Socrati, poſterius Xenophonti, ut auctor eſt LAERTIVS.

h) Rogatus enim ab amicis, cum Lampſaci moreretur, velletne Clazomenas in patriam, ſi quid ei humani accidiſſet, deportari? Nihil neceſſe eſt, inquit, undique enim ad inferos tantundem eſt viæ.

i) XXII. annos computat STANLEIVS *l. c. p. 107.* quia XX. ætatis anno ibi philoſophiam docere cœpiſſe credit, XXX. ibi vixit, LXXII. anno obiit. Monuimus vero ſupra, evincere ſeriem hiſtoriæ Anaxagoræ, quod Athenis in patriam ad Anaximenem reverſus ſit, & poſtea demum Athenas docendi cauſa conceſſerit, unde tam longam moram Lampſaci trahere non potuit. Nec id conſpirat cum relationibus veterum, quorum plerique brevi poſt exilium tempore, obiiſſe volunt. Refertque PLVT. in *Pericle*, paulo poſt diſceſſum ætate decrepitum atque neglectum, ægerrime eam rem ferentem obvoluto capite vitæ finem inedia facere voluiſſe, Periclem vero id audientem advolaſſe, eumque impediviſſe. Ex quo loco manifeſtum eſt, ſenem jam fuiſſe Anaxagoram cum Athenis diſceſſiſſet. Verum ejusmodi nodorum plena eſt Athenagoræ hiſtoria, quos negligentiæ veterum ſcriptorum debemus, incertos rumores ſæpe ſequentium.

k) Facit conjecturæ fidem, quod antequam moreretur rogatus a ſenatu urbis, ſi quid in ſui gratiam fieri cuperet, poſtulavit, ut ea, qua deceſſiſſet die, pueris vacatio ſcholarum concederetur; quam conſuetudinem ſuo tempore adhuc ſervatam eſſe, teſtatur LAERT. *l. c.*

l) Cujus cauſa ſe natum eſſe dixiſſe ſupra notavimus. Quod vehementer vituperavit LACTANTIVS *l. III. c. 9.* quod creatorem neglexerit: non tamen

ſis conſtantis atque ſereni, & a vana ingeniorum ambitione remoti [m] prodidit, dignus, qui in ſummo honore haberetur. Quem etiam ei contigiſſe veteres ſcriptores tradunt, poſtquam fatis vel naturæ debito, vel quod alii afferunt, fame voluntaria enecatus [n] conceſſerat. Defuncto enim Lampſaceni juſta perſolverunt, epitaphio poſito, quod inſignia ejus in ſcientiam naturalem merita panderet, hoc verſu: [o]

Hic ſitus ille, cui rerum patuere receſſus,
Atque arcana poli magnus Anaxagoras.

AELIANVS [p] vero duas illi aras poſitas fuiſſe memorat, alteram menti, alteram veritati inſcriptam. Tantam vero rerum naturalium ſcientiam de eo jactant veteres, ut multa eum prædixiſſe contendant: quorum tamen duo tantum exempla ad memoriam noſtram pervenerunt. Vnum PLINIVS commemorat his verbis: [q] Celebrant Græci Anaxagoram Clazomenium, Olymp. LXXVIII. 2. prædixiſſe cœleſtium literarum ſcientia, quibus diebus ſaxum caſurum eſſet a ſole. Idque factum interdiu in Thraciæ parte ad Ægos flumen, qui lapis etiam nunc oſtendatur, magnitudine vehis, colore aduſto, comete quoque illis noctibus flagrante. Ejusdem prodigii meminere etiam EVSEBIVS, qui in Olymp. LXXVIII. 4. quemadmodum marmor Arundellianum Olymp. LXXVII. 4. ponit, & Silenus apud LAERTIVM Olymp. LXXXIV. 1. quæ auctorum varietas, ſi cum re ipſa confertur, ſatis prodit, incerto rumori caſuique fortuito adſcribendum fuiſſe, ad Anaxagoram vero relatum ab iis, qui cladem Athenienſium quam a Lyſandro paſſi erant, Olymp. XCIII. 4. iſto portento ſignificari abſurde contendebant. Cum enim Anaxagoras ſtellas lapides candentes dixerit, facile inde colorem rei philoſophicum inducebant; [r] ita vero, quam frivola & inepta tota narratio ſit, luculenter manifeſtatur, [s] & ARISTOTELES jam ſubolfecit, [ſſ] nec PLVTARCHVS ſatis excuſare potuit. Veriſimilius eſt alterum prædictionis exemplum, qua tempeſtatem prædixit, ad Olympicos ludos accedens ſereno cœlo cum pellicea veſte. [t] Pluvia itaque ingruente, Græci univerſi, auctore AELIANO, [u] percipiebant, & unanimi voce celebrabant, divinam majus ejus ſcientiam eſſe,

tamen intellexiſſe Lactantium ſenſum dicti pulchre oſtendit IAC. THOMASIVS *Obſ. Hal. Lat. T. II. obſ. XIV. p. 306.* conf. quæ probe monentur *Act. philoſ. vol. III. p. 206.*

m) Ambitioſius dictum videtur, quod dicenti cuipiam: Athenienſibus privatus es; reſpondit: non ego illis, ſe illi me, apud LAERT. *l. II. ſ. 10.* Sed ut hoc animi ad utrumque parati luculentum teſtimonium eſt, ita videtur reſpexiſſe ad amicitiam Periclis, qui totus ab eius conſiliis pendebat, quemque præſens ad emolumentum reipublicæ formabat, & rationes ejus dirigebat. Conf. *Act. philoſ. vol. II. p. 208. ſeq.* conf. VAL. MAX. *l. VII. c. 2.* qui illius egregiam de vita ejus in receſſu beatiore quam in fronte ſententiam recitat, & doctrinam non ambitioſam laudat.

n) Vid. *not. (b).*

o) LAERT. *l. c.* ARIST. *Rhetor. l. II. c. 23. T. II. p. 245.*

p) *Lib. VII. c. 19.* conf. KVHNIVS *ad h. l.* tacent hos honores alii, qui tamen aliis quoque philoſophis obtigere. Conf. *Otium Vindel. Ex. III. p. 268. ſeqq.*

q) *Hiſt. nat. l. II. c. 58.* Conf. LAERT. *l. II. ſ. 11.* PHILOSTRAT. in *vita Apollon. l. I. c. 2. p. 4.* PLVT. *in Lyſandro T. V. p. m. 96.* conf. MENAG. *ad l. c. Laërt.*

r) Probant hoc miſellæ ratiunculæ a PLVT. *l. c.* relatæ.

s) Conf. BAYLE, *Dict. l. c. not. (I).*

ſſ) *De meteor. l. I. c. 7.*

t) SVIDAS, PHILOSTRATVS, LAERT. *ll. cc.*

u) *De animal. l. VII. c. 8.*

esse, quam ut humanæ solertiæ tribui posset. Non divinam enim hoc revelationem requirere, sed mediocrem solertiam hodie nemo non novit, in tanta vero illorum temporum insscitia circa res naturales facile potuit esse miraculo. Non vero viva tantum voce, sed & scriptis de philosophia meruisse tradunt veteres, contenduntque LAERTIVS [w] atque CLEMENS ALEXANDRINVS [x] eum primum fuisse, qui librum (nempe de philosophia naturali) conscripserit, quod tamen Anaximandro ab aliis tribui supra dictum est. [y] Scripsit vero *de naturali philosophia* librum lectum PLATONI [z] & ARISTOTELI, [zz] & *de circuli quadratura.* [a] Obiit ætatis anno LXXII. quem ad Ol. LXXVIII. refert LAERTIVS, [aa] apud quem tamen numerum corruptum esse, & Ol. LXXXVIII. poni debere recte commentatores monuerunt. Fuerunt Anaxagoræ quoque alii, [b] quos cum nostro confundi non patitur, nominis celebritas, quæ ei inter præstantissimos Græciæ philosophos locum fecit, quem ei quoque deberi, tota vitæ historia loquitur.

Chronologiæ Anaxagoræ.

Tantæ in supputatione temporis, quo floruit Anaxagoras, tenebræ, tam difficiles labyrinthi & insolubiles nodi occurrunt, ut Oedipo opus habeat & Ariadneo filo, qui his difficultatibus, si non totis, quod impossibile putamus, ex parte tamen se expedire voluerit. Quod veterum scriptorum negligentiæ & confusioni, quam deperdita eorum scripta pepererunt, adscribendum est. Nam & ipsi, in annotandis temporum rationibus, tam turpiter lapsi interdum sunt, ut miris anachronismis sibi ipsis haud semel contradixerint: Vbi vero ab aliis haud magnæ diligentiæ hominibus eorum scripta excerpta sunt, multo magis temporum notationes corruptæ, numeri mutati, & ad loca inepta relati, sicque nobis tot errores geniti sunt, ut nihil incertius sit in historia philosophica, quam temporum indicia. Cujus rei locuples testis est historia Anaxagoræ, in qua, qui plana & luculenta via contradictiones veterum in notandis ejus temporibus sustulerit, magnus erit merito omnibus Apollo. Non tangemus in præsentia omnes hos errores & labyrinthos, quos nobis veteres struxerunt, adeant, qui spinosum argumentum non perhorrescunt P. BAYLE, [c] qui ut erat in excogitandis difficultatibus summa ingenii vi præditus, ita mirum temporum chaos & insolubiles chronologiæ Anaxagoreæ nodos exponit: nobis enim in tam ampliffimo, quod emetiendum habemus, campo tam prolixis esse non licet; sed exponemus tantummodo, quæ aliqualem chronologiæ sectæ Ionicæ lucem fœnerari apta sunt. Et primum quidem non exiguam difficultatem habent anni Anaximenis, quam supra ex parte tetigimus, & huc retu-

w) *l. II. s. 11.*
x) *Strom. l. I. p. 308.*
y) Ipse LAERTIVS *l. VIII. s. 83.* Alcmæoni tribuit.
z) *Phædon. T. I. p. 72.* conf. LAERTIVS *s. 6.*
zz) *Physic. l. I. c. 4.*
a) PLVTARCH. *de exilio* conf. FABRIC. *Bibl. Græc. Vol. I. p. 772. seq.*
aa) *l. II. s. 7.* conf. PETAV. *rat. temp. l. III. c. 8. p. 147.*
b) LAERTIVS & FABRICIVS *ll. cc.*
c) *Dict. T. I.* art. *Archelaus not. A. p. 289.*

retulimus, quoniam arcte cum temporibus Anaxagoræ cohærent. Hunc illius non fuiſſe tantum diſcipulum, ſed & in diſciplina tradenda ſucceſſorem, ſupra luculentis veterum teſtimoniis evicimus, nec eſt forte veterum quispiam qui hoc neget. Anaxagoram vero natum fuiſſe Olymp. LXX. 1. adducto Apollodori teſtimonio probavimus. Supra vero §. XVI. eundem Apollodorum, annotavimus, vitæ finem, quem fecit Anaximenes, ponere Ol. LIX. 1. fuerit itaque, neceſſe eſt, diſcipulus Anaximenis Anaxagoras antequam natus fuit, XLIV. annis, quod eſt ridiculum. Hunc nodum ut ſolvamus, relicto Apollodoro, Anaximenes vitam ultra Olymp. LXXV. produxiſſe cenſendus eſt. Cum enim vita Anaxagoræ teſtetur, eum XX. ætatis anno Athenas conceſſiſſe, credibile non eſt, juvenem viginti annis minorem, quique multos juventutis annos peregrinatione conſumſit, ætate iſta tantos in ſcientia naturali feciſſe profectus, ut celebri præceptori in cathedra ſuccederet. Vidit hoc pulchre Bælius, qui ideo veriſimile judicat, Anaximenem poſt diſceſſum Anaxagoræ ſcholam Ionicam continuaſſe, id quod tamen incertum eſſe, facile largientur, qui ſeriem rerum ab Anaxagora geſtarum, prout eam enarravimus, expendent. Vnde conjiciendum eſt, Anaximenem circa Olymp. LXXVI. 1. Anaxagoræ diſciplina tradita, eadem Olympiade decedentem Anaxagoram ſucceſſorem nactum eſſe, cui Athenas Ol. LXXVII. concedenti in Ionia ſucceſſit Diogenes Apolloniates, ipſe quoque diſcipulus Anaximenis: Sicque Anaximenem Ol. LVI. natum LXXX. annos fere expleviſſe. Hæc de Anaximenis chronologia. Altera Anaxagoræ, adhuc impeditior eſt, cum incerti hæreant ſcriptores, quem in annum referendum ſit exilium Anaxagoræ. DIODORVS SICVLVS equidem diſerte indicat Olymp. LXXXVII. 2. cum vero XXX. annos, Athenis egerit Anaxagoras, ſequeretur inde, Olymp. LXXX. initio demum Athenas veniſſe. Tradit vero Laërtius veteres ſecutus: anno ætatis XX. qui erat Ol. LXXV. Athenas delatum eſſe; quod repugnat tempori a Diodoro indicato. Alias difficultates non minores affert BAYLE [d] quæ apud ipſum videndæ ſunt: nos uno argumento ab eo prætermiſſo evinci poſſe putamus, Diodorum erroneos calculos ſecutum fuiſſe. Accidit enim exilium Anaxagoræ eo tempore, quo Pericles, quam maxime Athenis florebat, & cum Anaxagora converſabatur; tantum quoque otii nactus, ut qui prius eloquentiam & prudentiam civilem hoc magiſtro didicerat, philoſophiam quoque poſtea naturalem ab eo diſceret. Id quod luculenter afferit MARCELLVS, [e] addens, *audiviſſe in philoſophia quidem Anaxagoram, & atheum pauliſper haberi cœpiſſe, quod illius philoſophiæ diſciplinam paulo avidius hauſiſſet:* quæ confirmat quoque DIODOR. SICVL. [f] Pericles autem Peloponneſiaco bello materiam & occaſionem ſuppeditavit, quod Olymp. LXXXVII. 1. incepit, & poſt biennium & ſex menſes peſtilentia moritur. Impoſſibile itaque eſt, Periclem tunc Athenis præſentem Anaxagoram juviſſe,

d) *l. c.*
e) In *vita Thucydidis.*
f) *l. XII. c. 39. p. 433.* conf. BAYLE in *Pericles T. III. p. 665. not. C.*

viſſe, morti eripuiſſe, & poſtea Lampſaci, cum inedia vitam finire vellet, inviſiſſe. Cadentibus itaque rationibus Diodori Siculi, ut tandem aliquando in computandis Anaxagoræ annis pedem figamus, ſupponendum putamus, verum eſſe, quod tradit Apollodorus, natum Olymp. LXX. 1. & denatum annos habentem LXXII. Sic ut vitæ ejus finis incidat in Olymp. LXXXVIII. 1. Cum his terminis vitæ Anaxagoræ conciliandæ ſunt reliquæ veterum narrationes. Et quidem primum ejus adventum Athenis factum eſſe tempore expeditionis Xerxis, quo annum XX. agebat Anaxagoras, teſtatur LAERTIVS [g] archonte Calliada, qui annus fuit Olymp. LXXV. 1. ſic ut ex hoc calculo appareat, recte nativitatis annum poni Ol. LXX. 1. Vnde & hunc temporis terminum pro vero admiſerunt magni viri IOS. SCALIGER, [h] PETAVIVS [i] & VOSSIVS. [k] Ab hoc vero adventu computant laudati viri triginta annos, quos teſte Laërtio Athenis exegit, ſicque exilium Anaxagoræ in Olymp. LXXX. 2. ponunt. Verum ſi hæc admittimus, ratio dari non poteſt, quando Anaximeni in cathedra ſucceſſerit? quod ante ætatis annum XX. fieri non potuit. Vt itaque & hunc nodum ſecet magis quam ſolvat, & reliquis difficultatibus faciat ſatis, Bælius duplicem accuſationem, & duplex exilium Anaxagoræ comminiſcitur; qua in re veteres habet contradicentes, parumque pro conjectura ſua præſidii & veriſimilitudinis. Quare & hæc via derelinquenda eſt, & hoc modo occurrendum difficultatibus, ut ſtatuamus, bis Athenas conceſſiſſe Athenagoram, primum anno ætatis XX. ad diſcendam eruditionis encyclopædiam, quam philoſophiæ nomine indicatam fuiſſe in prolegomenis probavimus, tumque eloquentiam & poëſin didiciſſe; mature vero, & poſt exiguum tempus in Ioniam rediiſſe, ut præceptori in cathedra ſuccederet; ibique decedente magiſtro, rurſus Athenas commigraviſſe, circa Olymp. LXXVI. finem, ibique philoſophiam non tam publica, quam privata diſciplina profeſſum fuiſſe, circa Olymp. LXXXI. habuiſſe diſcipulum Socratem, qui Olymp. LXXXI. 2. ad Archelaum conceſſit; Olymp. LXXXIII. exeunte vel ineunte ſequente proſcriptum Lampſacum exulaviſſe, ibique ad Olymp. LXXXVIII. 1. vixiſſe. Nihil eſt in his rationibus, quantum nos videmus, & diligenti rationum chronologicarum collatione perſpicimus, quod non veriſimilitudini & circumſtantiarum ſeriei reſpondeat. Vnde quæ his rationibus temporis contradicunt apud veteres tuto relinquenda eſſe putamus, ſi velimus ex hoc labyrintho tandem egredi. Nondum tamen omnes ſentes ſuperavimus, ſed & alia tollenda difficultas, quam nectit LAERTIVS, [l] qui teſtatur, Archelaum primum fuiſſe, qui phyſicam philoſophiam ex Ionia Athenas invexerit. Hoc etiam SVIDAS repetit. [m] Contrarium vero hoc hiſtoriæ Anaxagoræ, quæ teſtibus ſupra adductis & CLEMENTE quoque ALEXANDRINO [n], Anaxagoram philoſophiam Athenis docuiſſe,

g) *l. II. ſ. 7.*
h) *Ad* EVSEBIVM *n. MDLIV. p. 103.*
i) *Ration. temp. l. III. c. 8. p. m. 147.*
k) *De Scient. mathem. c. XXXIII. §. 4. p. 148.*
l) *l. II. ſ. 16.*
m) v. *Archelaus T. I. p. 342.*
n) *Strom. l. I. p. 301.*

& Periclem discipulum in ea habuisse testatur. Qua ratione nodum hunc solvant, cum non videant, IS. CASAVBONVS & MENAGIVS, [o] secant, & Laërtium vel memoria deceptum, vel locum ex s. 3. in s. 16. & ex margine in textum translatum fuisse præpostere, colligunt. Nec leviter hanc Laërtii relationem turbat, quod teste CICERONE. [p] Archelaus Anaxagoræ discipulus fuerit, quem itaque Athenis audivisse oportuit: Alias difficultates tacemus. Quod si itaque Laërtius non deferendus videtur, salvari ejus narratio potest, si dicamus: Anaxagoram non publicas quidem lectiones philosophicas instituisse, sed priuatis tantum & selectis discipulis, qualis erat Pericles, Socrates, Archelaus philosophiam tradidisse; id quod ex ea quoque ratione redditur verisimile, quia naturalis philosophia Anaxagoræ admodum suspecta fuit, & vates atque populus ejus discipulos tanquam atheos criminati fuerunt, uti supra vidimus, quæ ratio omnino Anaxagoram compulisse videtur, ut publice ea sapientiæ naturalis præcepta reticeret, quæ Athenienſium ferre non posse superstitionem noverat. Ita Archelaus vero primus fuit, qui Ionicam philosophiam, aperta publica schola tradidit, quæ tamen mature desiit, Socrate moralem philosophiam introducente. Et ita quidem tantisper in obscurissimo argumento palpare nobis liceat, donec certiora & meliora detegant, qui acutioribus, quam nos, utuntur oculis.

Philosophiæ Anaxagoræ.

§. XX. Philosophiæ vero naturalis ædificium ita construxit Anaxagoras, si veterum narrata sequimur:

De principiis naturalibus.

I. Ex nihilo nihil fit.

II. Omnia itaque erant initio simul, inter se confusa & sine motu. Primum hoc fundamentum totius systematis, quod omnem antiquorum philosophorum chorum agnovisse, alio loco ostendimus, Anaxagoræ recte tribuit ARISTOTELES: [q] alterum ipsa ejus verba exhibet, quibus magnificum opus suum de natura, teste LAERTIO [r] exorsus est, quodque ita ad mentem ejus referunt ARISTOTELES, [s] qui addit, quievisse ab infinito tempore, omnia, quemadmodum CICERO quoque testatur, [t] particulas statuisse initio confusas. Hoc universum, veteres ante Anaxagoram chaos dixere, ὕλην sive materiam Græci, de cujus natura ita porro philosophatus est:

III. Est vero principium materiale omnium rerum unum & multiplex, nempe ὁμοιομερείαι, partes infinitæ, similares, contrariæ, tactu continuæ se mutuo sustinentes, neque alio contentæ. Ita sententiam Anaxagoræ ARISTOTELES [u] & PLVTARCHVS [x] delineant, magno aliorum quoque ex veterum cohorte auctorum consensu, [y] inter quos eleganter has ὁμοιομερείας, (Latino enim vocabulo difficulter exprimuntur, partes similares

o) *ad l. c. Laërtii.*
p) *Tusc. Qq. l. V.*
q) *Metaphys. l. I. c. 4. T. II. p. 645.*
r) *l. II. s. 6.*
s) *Physic. l. III. c. 4. & l. IIX. c. 1.*
t) *Academ. Qq. l. IV.* conf. PLVTARCH. *plac. phil. l. I. c. 3.*
u) *ll. cc.* x) *l. c.*
y) Conf. Comm. ad LAERT. *l. c.* STANLEI. *Hist. Phil. P. I. c. 2. sect. 1. p. 101. seqq.*

res tamen dixit CICERO) deſcripſit LVCRETIVS. [z] Vt ad hanc ſyſtematis Ionici modificationem deveniret Anaxagoras, accuratior materiæ conſideratio effecit. Scilicet a præceptoribus didicerat, quod ſupra Ionicæ ſcholæ placuiſſe probavimus: materiam non eſſe in infinitum dividuam; ſubſiſtendum itaque erat in particulis individuis & minutiſſimis, quas ab infinito tempore ſemper confuſas & ſine motu jacuiſſe ſupponebat. Obſervabat [a] vero profundi ingenii philoſophus, ineſſe rebus ipſis ex iſtis particulis compoſitis & formatis formas atque qualitates diverſiſſimas, atque ſæpe ſibi contrarias, quas cum naturas peculiares & per ſe ſubſiſtentes non eſſe perſpiceret, nec ex nihilo eas oriri poſſe ex admiſſo ſemel principio concluderet, eo tandem deveniebat, ut colligeret, ἐκ προϋπαρχόντων καὶ ἐνυπαρχόντων, ex rebus antea exiſtentibus, & inexiſtentibus produci; atque antea in materia eſſe, quamvis ob exiguitatem ſuam percipi a nobis haud poſſint, resque viſibiles, in quibus quodlibet cuilibet admiſtum eſt, illud tantum nobis videantur eſſe, & ab aliis diſtingui, quod in miſtione infinitorum abundet. Ita totum nec album nec nigrum, nec os nec carnem eſſe, ſed cujus plurimum habet illius quoque naturæ eſſe videri. Separabat itaque particulas, ex quibus res mixtæ & compoſitæ conſiſtunt, & jungebat partes homogeneas ſibique ſimiles, quarum quælibet peculiarem naturam, alteri cui jungitur ſimilem, haberet. Oſſa igitur ex particulis oſſeis, carnem ex carneis, aurum ex aureis, res calidas ex calidis, frigidas ex frigidis, & ſic porro, nihil autem ex nihilo, ſed omnia ex particulis ſimilaribus jam antea exiſtentibus generari, tuebatur, & ita demonſtrari poſſe putabat, qua ratione rerum eſſentiæ & qualitates inter ſe differrent. Vehementer hoc ſyſtema particularum materiæ, quod cum atomiſtico confundendum non eſt, veteribus & recentioribus diſplicuit, ut videre eſt ex illis, quæ contra illud diſputant ARISTOTELES & LVCRETIVS [b] quorum rationes ex recentioribus illuſtrant SCIPIO AQVILIANVS [c] & PETRVS BAYLE. [d] Nec diffitendum eſt, magnis premi difficultatibus, & ſibi contradicere; cum enim res compoſitas non tantum ſolvi & perire cernamus, ſed & illud non amplius eſſe, quod fuerunt, neceſſario ſequitur, etiam particulas illas, ex quibus earum natura componitur, perire, cum eandem naturam referant, & ita auri maſſa ſoluta, perire etiam particulas aureas, oſſe contrito, conteri oſſicula minima ex quibus componitur, & ſic porro, quia

z) *l. I. v. 830. ſeqq.* his verſibus:

Nunc & Anaxagoræ ſcrutemur homœomeriam.
Quam Græci memorant, nec noſtra dicere lingua
Concedit nobis patrii ſermonis egeſtas:
Sed tamen ipſam rem facile eſt exponere verbis,
Principium rerum, quam dicit homœomeriam.
Oſſa videlicet e pauxillis atque minutis
Oſſibu', ſic & de pauxillis atque minutis
Viſceribus viſcus gigni: ſanguenque creari
Sanguinis inter ſe multis coëuntibu' guttis:
Ex aurique putat micis conſiſtere poſſe
Aurum, & de terris terram concreſcere parvis:
Ignibus ex ignem: humorem ex humoribus eſſe,
Cetera conſimili fingit ratione putatque.
Nec tamen eſſe ulla parte idem in rebus inane
Concedit, neque corporibus finem eſſe ſecundis.

a) Legendus ARISTOTELES *Phyſ. auſcult. l. I. c. V.* & LVCRETIVS *l. c.* qui porro:

Id quod Anaxagoras ſibi ſumit, ut omnibus omnes
Res putet immiſtas rebus latitare: ſed illud
Apparere unum, quo jus ſunt pluria miſta
Et magis in promta primaque in fronte locata.

b) *ll. cc.*

c) *De placit. philoſ. ante Ariſt. l. I. c. 3. p. 8. ſq.*

d) *Dict. T. I.* art. *Anaxagoras not. C. p. 208. ſeqq. & not. G. p. 212.*

deſinet res illud eſſe, quod ſunt particulæ, ex quibus conſtat. Ita vero non illud tantum, quod principii naturam habere debet, eam amittit, & fit corruptibile, ſed contradicit quoque principio primo ab Anaxagora admiſſo, ex nihilo non ſolum nihil fieri, ſed in nihil quoque non reſolvi. Hoc tamen non obſtante ingenii acumen & magna in re naturali eruditio Anaxagoræ deneganda non eſt, quemadmodum facit CVDWORTHVS [e] qui judicii paupertate ſeductum putat Anaxagoram, ut ſyſtema atomiſticum in ὁμοιομερείας mutaret, quia comprehendere nequiverit, qua ratione ex ſola modificatione, magnitudine, ſitu, & figura particularum rerum diverſarum & contrariarum quoque origo queat explicari. Non enim leges motus adeo ignotas fuiſſe Anaxagoræ veriſimile eſt, qui ob ingenii præſtantiam mentisque aciem tantopere laudatur veteribus: ſed cauſa ſine dubio ea fuit, quod in ſyſtemate atomiſtico difficultates haud leves viderat, quæ ſuperari vix poſſunt, quas ut evitaret, ad homœomeriarum inventionem confugit. Interim & rationi & experientiæ illam contrariam eſſe, quilibet facile deprehendit, qui mediocri attentione ad rerum omnium naturam attendit.

IV. Quia vero particulæ materiæ ſimilares ſunt ſine motu atque vita, ideo neceſſe eſt, fuiſſe ab omni æternitate principium aliud infinitum, intelligens, [f] ſive mentem infinitam, corpori non incluſam, adeoque incorpoream, & ab omni compoſitione ſeparatam, [g] quæ per ſe ipſa moveatur, [h] motumque particulis illis homogeneis in hyle latentibus & confuſe mixtis primum indiderit, [i] ſicque ex infinita materia, quæ conſtaret diſſimilibus inter ſe particulis, rerum omnium genera, homogeneis inter ſe junctis, pro modulis & ſpeciebus ſuis, condiderit. [k] Multa hic cumulantur, quæ ne copia diverſarum materiarum obruamur, ſingulatim expendere neceſſe eſt. Et I. quidem Anaxagoram mentem infinitam motus & vitæ auctorem aſſeruiſſe, ejusque diſpoſitioni, ordinationi & operationi totius mundi ornatum, rerumque viſibilium omnium generationem tribuiſſe, totus teſtatur, veterum ſcriptorum chorus, videndique quos magno numero laudant MENAGIVS [l] & BAYLIVS. [m] Vnum ARISTOTELIS, qui ætate proprior fuit, teſtimonium ſufficiat, qui eum poſuiſſe, tradit: [n] ἀρχήνγε τὸν νῶν μάλιϛα πάντων, μόνον γοῦν φησιν αὐτὸν τῶν ὄντων ἁπλοῦν εἶναι, καὶ ἀμιγῆ τε καὶ καθαρὸν· ἀποδίδωσι δὲ ἄμφω τῇ αὐτῇ ἀρχῇ τό τε γινωσκεῖν καὶ τὸ κινεῖν, λέγων νοῦν κινῆσαι τὸ πᾶν, *mentem principium eſſe omnium, ſolam namque rerum omnium ipſam ſimplicem & non permiſtam, & puram eſſe atque ſinceram. Atque eidem principio hæc utraque tribuiſſe, cognitionem*

e) *Syſtem. intell. c. I. §. 15. p. 21. §. 28. p. 44. conf.* MOSHEM. *ad h. l.*

f) ARISTOT. *Metaph. l. I. c. 3.*

g) CICERO *de nat. Deor. l. I. c. 11.* conf. AVGVSTIN. *de C. D. l. IIX. c. 2.*

h) LACTANTIVS *l. I. c. 5.*

i) ARISTOTEL. *l. IIX. Phyſ. auſc. c. 1. T. I. p. 219.*

k) CICERO *Acad. Qq. l. II. Anaxagoras materiam infinitam, ſed eas particulas ſimiles inter ſe minutas, eas primas confuſas, poſtea in ordinem adductas mente divina.* l) *ad l. c. Laërt.*

m) *l. c. not. D. p. 211.* Addi merentur, quæ adducit CVDWORTHVS *Syſt. intell. c. IV. §. 20. p. 459.* ubi imprimis luculentus SIMPLICII locus legi meretur in ARIST. *Phyſic. l. I. p. 33.*

n) *De anima l. I. c. 2. T. I. p. 479.*

nem & motum, dicentem, universum mentem moviſſe. 2. Hanc mentem ad mundi ortum & rerum generationem neceſſariam fuiſſe, inde concluſit Anaxagoras, quod motum proprium ineſſe particulis materiæ negaret, unde mentem κινήσεως ἀρχὴν *motus principium* dixit, eamque formandæ & ornandæ materiæ præfecit. Qua de re PLVTARCHVS, [o] ut qua ratione ab anteceſſoribus diſceſſerit Anaxagoras, oſtenderet, ait: *Reliqui philoſophi Ionici ante Anaxagoram fortunam cæcamque neceſſitatem, id eſt motus materiæ vel fortuitos vel neceſſarios, unum rerum principium eſſe profeſſi ſunt: primus autem Anaxagoras affirmavit, mentem puram & omnis concretionis neſciam rebus omnibus præſidere.* Ex quibus Plutarchi verbis 3. clarum eſt, fuiſſe in Ionica ſchola Anaxagoram primum, qui æternæ materiæ mentem adjungeret. Id quod etiam teſtantur CICERO, TERTVLLIANVS, THEMISTIUS, & ex PP. numero alii, laudati MENAGIO & BAYLIO. [p] Inter quos primus notabiliter: *Inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene diſciplinam, primus omnium rerum deſcriptionem & modum mentis infinitæ vi ac ratione deſignari ac confici voluit. In quo non vidit neque motum ſenſui junctum & continentem in infinito ullum eſſe poſſe, neque ſenſum omnino, quo non ipſa natura pulſa ſentiret. Deinde ſi mentem iſtam, quaſi animal aliquod eſſe voluit, erit aliquod interius ex quo illud animal nominetur. Quid autem interius mente? Cingitur itaque corpore externo. Quod quoniam non placet, aperta ſimplexque mens, nulla re adjuncta quæ ſentire poſſit, fugere intelligentiæ noſtræ vim & notionem videtur.* Mirantur hic cum Bælio alii quoque viri docti, qui hæc conſentire cum veterum narratis vident, Ciceronem primum Anaxagoram conſtituere, qui mentem materiæ adjecerit, oblitum, quæ paulo ante dixerat: [q] *Thales Mileſius, qui primus de talibus rebus quæſivit, aquam dixit eſſe initium rerum: Deum autem mentem eam, quæ ex aqua cuncta fingeret.* Quæ adeo ſibi contradicere videntur magno & in veterum doctrinis perſpiciendis acutiſſimo viro, ut malit textum eſſe corruptum, quam Ciceronem aliis ſcriptoribus, qui diſerte omnes fere Anaxagoram primum mentis materiæ adjunctæ auctorem faciunt præferre. [r] Cui tamen critici perſpicaciſſimi ſententiæ merito opponimus, non ſolum Ciceronem dixiſſe: Thaletem mentem materiæ formandæ præfixiſſe, ſed aliorum quoque teſtimoniis ſupra a nobis allatis id confirmari. [s] Neque tamen veteres deferendos, neque Ciceronem ſecum committendum, neque eam, quam hactenus dedimus, ſyſtematis Ionici explicationem derelinquendam putamus, cum omnia ſibi recte conſtent, & eleganter cohæreant, modo falſa, quæ plerosque

o) PLVTARCHVS in *Pericle T. IV. p. m. 278.*
p) *Il. cc. vid. m. IV.*
q) *De nat. Deor. l. I. c. 10. 11.*
r) Aliam conciliandi hæc inter ſe viam ingreſſus eſt LESCALOPERIVS in CICERON. *de nat. Deor. p. 40.* qui putat Anaxagoram primum fuiſſe, qui in lectionibus ſuis non ſolum hæc docuerit, ſed ſcripto quoque publicaverit, cum ejus anteceſſores ſolis hoc dogma diſcipulis tradiderint. Sed hoc apertæ narrationi veterum contradicit.
s) STOBAEVM non ſolum, ſed & PLVTARCHVM concordare cum CICERONE, initio capitis jam docuimus.

rosque occupavit ſyſtematis Ionici, quale illud Thales, Anaximander, & Anaximenes, docuerunt interpretatio, ex ſola materia ſine omni mentis divinæ concurſu extitiſſe omnia, dimittatur, rationibus a nobis ſupra jam allatis confutata. Hoc ut luculenter 4. demonſtremus, repetendum ex ſuperioribus eſt, ſtatuiſſe triumviros illos Anaxagoræ anteceſſores, materiam unicum eſſe principium, nec extra eam dari aliud: eſſe vero in materia mentem, eam intime penetrantem & moventem, & cum ea ita arcte unitam, ut unum principium conſtituant: & eſſe vero admodum ſimile, intellexiſſe eos hoc ita, ut materiam ab æterno ex Deo emanaſſe, & quotidie novo motu ex ſinu ejus intime illi præſentis moveri & emanare dicerent. Vidit hoc Anaxagoras, & palpavit, in iſto emanativo ſyſtemate tum includi infinitum infinito, & mentem infinitam corpori quaſi, certe materiæ; tum confundi re ipſa cum materia, cum qua unum conſtituere dicitur; manifeſta principiorum commixtione & abſurditate non parva: aliter itaque rem inſtituit, & cum materiam infinitam ab omni æternitate conſtitiſſe, [t] cum anteceſſoribus ſtatueret, eam non tantum ab elementorum naturalium ſorte & conditione ſemovit, [u] & homœomerias introducendo, talem ei naturam adſcripſit, qualem ad producendas rerum diverſiſſimas naturas atque eſſentias ſufficere putabat: ſed & Deum ſive mentem infinitam, quam anteceſſores ita materiæ immerſerunt, ut ex eo atque materia unum exiſteret principium, quemadmodum fere corpus & anima unum hominem conſtituunt, a materia ſeparavit, nec ei ineſſe, ſed adſiſtere tantum extra docuit, ſicque primus fuit, qui Deum materiæ, tanquam mentem corpori, oppoſitam introduceret, & ab ea diſtingueret. Vnde etiam aliam & diſtinctam prorſus, immo materiæ contrariam DEO naturam tribuit; eſſe eum mentem puriſſimam, conſtare intellectu omnia movente, & dirigente, nihil eſſe in eo mixti, cum e contrario materia, nec ipſa intelligere atque ſe movere queat, & innumeris ex particulis diverſiſſimæ naturæ mixta ſit. Sic itaque primus Anaxagoras fuit, qui duo diſtincta & ſibimet oppoſita principia introduxit, eaque invicem ſeparavit: primus, qui DEI ideam inter Græcos (nam & theologos Græcorum Ionicis vetuſtiores in eadem fuiſſe ſententia, qua Thales fuit, ſupra demonſtratum eſt,) a materialitate quaſi purificavit; primus, qui motus materiæ cauſam apertam conſtituit, & ad naturæ ſyſtema explicandum mentionem mentis puriſſimæ & immaterialis neceſſario requiſivit; cum præceptores antea motum quidem a Deo materiæ interna agitatione dari ſtatuerent, verum quia de externis tantum rerum naturalium cauſis quæſiverunt, eum in ſyſtemate ſuo phyſiologico manifeſta concluſionum neceſſitate non ponerent, ſed tacite quaſi præſupponerent. Nihil, ſperamus, in hac explicatione eſſe, quod non rem clare ſatis explicet, & qua ratione ſyſtemata Ionicorum vel diſcor-

t) Ita enim opus ſuum de natura exorſus eſt Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ. LAERT. *l. II. ſ. 6.* conf. MOSHEM. *ad* CVDWORTH. *c. IV. §. 6. p. 210.*

u) Adeoque materiam non aquam dixit, ſicut Thales, neque aërem infinitum ut Anaximenes.

diſcordent, vel concordent, demonſtret, unde in ſe probabilem eſſe, & veterum contradictionibus tollendis aptam, nemo pertinaciter negaverit. Vt vero hæc non ex conjectura tantum dicta videantur, indubitatis quoque veterum teſtimoniis, & ipſa Anaxagorei ſyſtematis conſtitutione & natura probabimus. Adducimus itaque 5. teſtem imprimis ARISTOTELEM, [x] & eo quidem loco, qui quam maxime Anaxagoræ principatum in adducenda ad rerum naturalium ſyſtema menti tribuere plerisque viſus eſt: Ibi Stagirites, poſtquam oſtenderat, eos, qui principia materialia vel unum vel plura conſtituerunt, tandem neceſſitate coactos fuiſſe, de cauſa alia, activa, motus auctore, diſquirere, addit: *Quare qui, ut animalibus, ita in natura mentem ineſſe cauſam mundi, totiusque ordinis dixerat, quaſi ſobrius, comparatus ad antiquiores vana dicentes, apparuit. Iſtas autem rationes, qui φανερῶς, palam attigit. Anaxagoram fuiſſe ſcimus.* Ex quo Ariſtotelis loco manifeſtum eſt, fuiſſe tum, ubi Græcia accuratius, de Deo & rerum natura, quam theologi & poëtæ, philoſophari cœpit, qui ad aſſignandam motus cauſam in formando mundo mentem advocaverint: Anaxagoram vero primum fuiſſe, qui PALAM, ex expreſſo hoc intellectuali principio, de eo philoſophatus fuerit; unde ſequitur, anteceſſores eam mentem non clare in ſuis φιλοσοφθμένοις expreſſiſſe. [y] Quid hoc, quæſo, aliud eſt, quam quod ſupra de diſcrimine inter Thaletis & Anaxagoræ ſyſtemata diximus? Alterum teſtem itidem talem volumus, qui a contrariis partibus ſtare plerisque viſus eſt CICERONEM, qui in adducto loco a contradictionis abſurditate liberari non poteſt, niſi Thaletis & Anaxagoræ principia phyſiologica eo modo, quo diximus, inter ſe diſcernantur. Pervidiſſe vero id ipſum Ciceronem, nec aliter intellexiſſe, ex objectionibus, quas contra philoſophemata Anaxagoræ format, eſt evidentiſſimum. Premit enim Ionicum philoſophum iis potiſſimum difficultatibus, quæ, illius ſyſtema ad eundem ſenſum relabi, evincere videntur, cui tamen illud oppoſuit. Nempe monet Romanæ eloquentiæ parens: ſi ſenſus iſti menti ex Anaxagoræ opinione tribuendus ſit, ſequi, naturam & mentem unum conſtituere, cum alias ſenſus naturæ ineſſe nequeat: ſequi, mentem iſtam corpore, id eſt materia veſtiri & circumdari; nec poſſe intelligi, qua ratione iſta mens ſenſum habeat, niſi materia tanquam corpori arctiſſime & ita juncta ſit, ut unum animal ſentiens conſtituat. Hoc vero non placere Anaxagoræ, qui hanc Thaletis ſententiam rejecit; comprehendi itaque non poſſe, qua ratione, ſi hæc neget, & contraria tueatur, ejus ſyſtema conſiſtere queat. Luculenter ſcilicet Ionicorum primorum ſyſtema ab Anaxagora rejectum, quod Deum naturæ ſive materiæ inditum, ut anima in corpore, unum cum ea conſtituere dixit, adhibet Cicero, ut ex eo ab abſurdo argumentum ducendo oſtenderet, ex Anaxagoræ hypotheſi, ſenſum &

x) *Metaph. l. I. c. 3. p. 644.*

y) Conf. MOSHEM. *ad* CVDWORTH. *Syſt. int. c. III. §. 20. not. 8. p. 122.*

& motum menti tribuenti idem ſequi, quod tamen in anteceſſoribus rejecerat. Tertium hac in re teſtem excitamus PLVTARCHVM, qui loco eo, quo maxime Anaxagoram primum fuiſſe ait, qui mentem materiæ præfecit, haud obſcure innuit, eum illo ſenſu atque ratione, prout diximus, id feciſſe. Ait enim: [z] *Quem Anaxagoram illius temporis æquales mentem appellavere, vel quod perſpicaciam ejus ſingularem in natura perſcrutanda, excellentemque admirarentur, vel quod univerſitati non fortunam neque fatum ordinatæ diſcretionis principium, ſed mentem princeps puram ac ſinceram præfecerit, cum omnibus confuſas aliis ſecernentem particulas ſimilares.* Quibus verbis primo quidem Thaletis & diſcipulorum hypotheſin tangit, quæ neceſſariis emanationis legibus rerum ortum tribuit, & ita Deum materiæ immergit, vel materiam quoque ex Deo educit, ut inde impurus, & materialis quaſi videatur, ſicque omnis ille materiæ motus ex Deo ſumme neceſſarius ſit; deinde vero Anaxagoram laudat, qui mentem divinam ab hac materialitatis impuritate quaſi liberavit, eamque puram ac ſinceram materiæ particulis præfecit, ſicque & fortunæ, id eſt caſui fortuito, & fato, ſive neceſſitati motum cauſæ rationalis, ejusque conſilium oppoſuit. Sufficere hæc teſtimonia eo magis merito videntur, quo magis cauſam perorare plerisque videri debent, quoque magis luculenter inter Thaletis & Anaxagoræ ſyſtema diſcrimen explicant, noſtramque explicationem tuentur, & contradictiones veterum tollunt. Facit vero ad roborandam hanc ſyſtematis Anaxagoræ explicationem egregie ea quoque, quæ de fato dixit: qui illud tanquam inane nomen rejecit, uti infra docebimus. Nam non ſenſu hoc Epicureo fecit, ut omnem conſilii rationem in ordinandis particulis homogeneis rejiceret, cum potius mentem intellectu & conſilio præditam ſtatueret, ſed oppoſuit ſe neceſſitati mentis divinæ mundum neceſſaria naturæ ſuæ lege ejusque ſequela formantis, & continentis, quam neceſſitatem a Thalete agnitam ad ſyſtema emanativum pertinere, ſupra notavimus. Vt itaque dicta contrahamus, non eo nomine Anaxagoras primus mentem materiæ præfeciſſe dicitur, quaſi mentem ex materia prorſus ejecerint anteceſſores; ſed quod rejecto ſyſtemate emanativo, ſyſtema dualiſticum receperit, mentemque divinam non informantem, ſed adſiſtentem mundi cauſam (liceat hic barbare loqui) introduxerit, ſicque mentem ab omni materiæ miſtione & impuritate ſeparaverit: quo philoſophandi modo Anaxagoram recte meruiſſe, ut mens diceretur, nemo inficiabitur, licet non exiguis ejus quoque ſyſtema prematur difficultatibus. [a] 6. Non tacendum tamen eſt, quod hactenus non ſine veriſimilitudine dictis potiſſimum queat obverti: tradit nempe PLATO, [b] Anaxagoram dixiſſe: *τὴν τῶν ἄλλων ἁπάντων φύσιν νῆν καὶ ψυχὴν εἶναι τὴν διοικῆσαν καὶ ἔχεσαν*, *animam rerum omnium naturam per-*

z) In *Pericle l. c.*

a) Acute & erudite hac de re, & imprimis de Anaxagoræ reliquorumque Ionicorum ſyſtematis commodis & incommodis differit CLAVDIVS BERIGARDVS in *Circulis Piſanis P. I. pag. 10. ſeqq.* qui, ubi libri rariſſimi copia datur, meretur legi.

b) In *Cratylo T. I. p. 53.*

pervadere & continere. Hoc enim cum placuiſſe dixerimus, Thaleti, Anaximandro, Anaximeni, non poteſt perſpici, verum eſſe, quod Anaxagoras, idem cum iis ſentiens, dicto tamen modo ſyſtema mutaverit, Deumque animam mundi informantem eſſe negaverit. Recte tamen, niſi fallimur, reſpondit CVDWORTHVS: [c] aſſeruiſſe Anaxagoram pariter & Platonem, Deum *πάντα κοσμεῖν τὰ πράγματα, διὰ πάντων ἰόντα, Deum exornare omnia per omnia pervadentem:* non tamen ut Deum mixtum eſſe naturæ cenſeret, ſed ut mundum prorſus a Deo ſecerneret. Qua ſententia proxime ad Chriſtianorum dogma acceſſerit, quo Deum docent per res omnes commeare, ut cum nulla tamen ullo modo permiſceatur: [d] Id quod recte dici ex dictis eſt manifeſtiſſimum; Deum enim rebus omnibus adſiſtentem, præſentem & operantem adjecit, ſed mixtum materiæ negavit, ſecus ac fecerunt Ionicæ ſcholæ ante eum doctores. 7. Etſi vero hæc Anaxagoræ gloria tribuitur, quod primus fuerit, qui magis ſobria ratione mentem in naturam introduxerit, fuerunt tamen, qui hanc gloriam ei denegarent. Nam & Hermotimum Clazomenium Anaxagoræ de hac re cogitandi dediſſe occaſionem refert ARISTOTELES, [e] quod & ſupra monuimus, & accepiſſe hæc a Lino contendit LAERTIVS. [f] In quo tamen hic falſus eſſe videtur, cum non ſtatum quidem chaoticum, ubi omnia ſimul, & ipſa quoque mens divina erat, neſciverit Linus, mentem tamen a materia non diſcreverit, quemadmodum veteres Græci theologi plerique omnes. 8. Concedenda itaque gloria hæc Anaxagoræ, quam tamen non leviter maculant ea, quæ ex libro Anaxagoræ *ὡς νοῦς ἐστιν ὁ διακοσμῶντε καὶ πάντων αἴτιος, quomodo mens omnia exornet, eorumque cauſa ſit*, PLATO [g] objicit, ponere quidem hominem, mentem omnia exornantem & formantem, poſtea vero cauſam nullam ad ipſum rerum ornatum referre, ſed aëreas naturas, & æthereas aqueasque & talia multa incredibilia pro rerum cauſis aſſignare. [h] Qua in re tamen excuſari poteſt Anaxagoras: qui cum Deum ex machina provocare ad explicanda naturæ *φαινόμενα* non vellet, poſita ſemel Dei moventis & ornantis commotione & actione in materiam, ultra non ad eam provocavit, ſed ex legibus homœomerias cujusque rei eſſentiam ortam eſſe oſtendit. Eandem cantilenam repetiit ARISTOTELES, [i] eadem reſponſione dimittendus, conqueſtus, Anaxagoram mentem quidem, tanquam machinam, adhibuiſſe ad mundi generationem, & tum etiam, ubi de alia cauſa dubitabat. In cæteris vero omnia alia magis, quam mentem cauſam poſuiſſe. Nec eſſe aliud videntur, *amentes illæ revolutiones, cum mentis ab agendo ceſſatione & amentia*, quas objicit Anaxagoræ CLEMENS ALEXANDRINVS, [k] & *in quibus ei dignitatem cauſæ effi-*

c) Syſtem. intellect. c. IV. §. 32. p. 593.

d) Senſum ita expreſſit LACTANTIVS *l. VII. c. 3. Non perſpexerunt Stoici, divinum ſpiritum quidem ubique eſſe diffuſum, eoque omnia contineri, non tamen ita, ut Deus ipſe qui eſt incorruptus gravibus & corruptibilibus elementis permiſceatur.* Conf. MOSHEM. *ad l. c. Cudworthi.*

e) Metaph. l. I. c. 4. dictum hac de re §. *præced.*

f) Lib. I. ſ. 4.

g) In *Phædone T. II. p. 97.*

h) Conf. CVDWORTH. *l. c. c. IV. §. 20. p. 461.*

i) l. c. p. 646.

k) Stromat. l. II. p. 364. δίνας τινὰς ἀνοήτας ἀναζωγράφων σὺν τῇ τῶ νῶ ἀπραξίᾳ τε καὶ ἀνοίᾳ

cientis non ſervaviſſe videtur, quam motus mechanicus, a cauſa rationali ſumma & infinita, ſive mente, particulis homogeneis impreſſus, quo ſemper per omnem rerum generationem junguntur ſimilibus ſimilia, partesque homogeneæ homogeneis. Immo & ſic intelligendum eſſe patet, quod EVSEBIVS objicit: [l] *ἐκέτι κατὰ νῆν καὶ λογισμὸν τὴν περὶ τῶν ὄντων ἀποδῦναι τὴν Φυσιολογίαν*, *eum ex mentis rationisque hypotheſi de rerum natura non diſputaviſſe.* Scilicet, ſemel inducto in materiam a mente motu, ſufficere putavit Anaxagoras, juxta leges naturæ motusque rerum ortum deſcribere: ſecus vero faciebant Pythagorici, ad quos reſpicere videtur Euſebius, qui rebus omnibus certa entia quaſi præfigebant, numeros ſcilicet, ex mente ſive ratione divina oriundos, eosque pro cauſis rerum eſſentialibus venditabant, a quo philoſophandi more omnino abfuit Anaxagoras. 9. Ex his vero de theologia atque pietate Anaxagoræ judicium fieri debet, quam veteres nonnulli in ſuſpicionem adduxerunt,[m] multi vero ex recentioribus viri longe doctiſſimi magnæque eruditionis laude inclyti vindicarunt, quos nominavit cel. REIMMANNVS.[n] Scilicet diſtinguendum eſt, inter ſyſtema atheum, atque inter tale, quod de Deo quidem luculenter teſtatur, ejusmodi tamen principia admittit, quibus Dei quaſi natura tollitur. Prius quidem Anaxagoræ tribui nequit, poſterius tamen, quia æternam & infinitam materiam menti infinitæ adjungit, hancque ab illa quidem ſeparat, ſed nihil tamen ab æterno in illud operatam fuiſſe ponit. Duo enim ſic manent infinita & æterna rerum principia, quæ ſe neceſſario invicem tollunt, unde non poſſunt non æternæ illæ materiæ particulæ in ipſam Dei naturam eſſe injuriæ.[o] Verum ad hæc non curioſe attendiſſe videtur Anaxagoras, ut & veteres multi, quibus ſufficiebat, Deum dicere principium rationale, ſe ipſum movens, motusque auctorem, quique putabant, ſatis proſpectum eſſe divinæ naturæ, ſi materiam, etſi infinitam, ratione, motu, vita & conſilio privarent, ſine quibus Deum eſſe non poſſe crediderunt. Id quod ad ſolvendam quæſtionem, an Anaxagoras duos Deos ſupremos ſtatuerit, & ob hanc cauſam inter eos referendus ſit, qui manichæiſmum ante Manichæos incruſtaverunt,[p] probe obſervandum eſt.

Atheiſmus Anaxagoræ.

De ortu & natura rerum naturalium.

§. XXI. Expoſitis ita principiis Anaxagoræ phyſiologicis, pergendum eſt minus impedito pede in delineanda doctrinæ naturalis ſecundum Anaxagoram, hiſtoria. Ita vero porro ratiocinari inſtituit Clazomenius philoſophus:

V. Res omnes a mente ſemel commotas fieri participes motus, & coire ſimilia. Et cœleſtia quidem fuiſſe exornata a circulari motu: ideo medio

l) Præp. evang. l. XIV. c. 14.

m) IRENAEVS *adv. hæreſ. l. II. c. 19.* IVSTIN. MARTYR *cohort. ad Græc. p. 4.* conf. VOSSIVS *de orig. idololatr. l. I. c. I. p. 5.* & ex recentioribus IACOB. THOMASIVS *Obſ. Hal. T. II. obſ. 21.*

n) Hiſtor. atheiſmi c. XIX. §. 5. p. 145.

o) Vnde duos Deos unum boni alterum mali auctorem eum ſtatuiſſe putat PLVT. *de Iſid. & Oſir.* quem ſequitur CVDWORTH. *l. c. c. IV. §. 13. pag. 246.*

p) Conf. ven. WOLFIVS *de Manich. ante Manich. p. 114.* qui explicationem noſtram ſyſtematis Anaxagorei paucis verbis, ſed luculentis affirmat.

medio loco, quodcunque craſſum & humidum & obſcurum & frigidum atque omnia gravia conſociata fuiſſe; & ſic gravia locum inferiorem petiiſſe, ut terram, levia ſuperiorem, ut ignem, quæ media ſint, medium quoque obtinuiſſe locum, ut aërem & aquam. Prius Anaxagoræ tribuunt philoſophumena PSEVDO-ORIGENIS,[q] poſterius LAERTIVS.[r] Mixta tamen hæc corpora ſunt ex variis partibus, quæ ſuis ſimilaribus particulis conſtant, & denominationem habent a potiori parte, ut ex iis notum eſt, quæ in præcedentibus diſputavimus.

VI. Superas mundi partes igne plenas eſſe, & vim quæ ibi eſſet, æthera vocari, id eſt, aërem longe puriſſimum, qui celerrime moveatur, & divinus natura concipiatur.[s]

VII. Ætherem circumfuſum igneæ eſſe naturæ, & circumvolutionis vehementia lapides e terra abripuiſſe, qui ignis ejus vehementia candentes in ſtellas converſi fuerint: omnesque ab ortu verſus occaſum ferri.[t]

VIII. Impelli aſtra aëris, qui ad polos eſt, impulſione ad diverſam partem, cui aëri ipſe ſol, comprimendo vires addat.[u]

IX. Maſſam aut lapidem eſſe ſolem, igni candentem Peloponneſo majorem,[x] cujus converſionum cauſa ſit polaris aëris impulſus, cui ipſe ſol compreſſione ſua vires addat. Eſſe ſidera corpora terreſtria, ſed candentia dubium non eſt, quin ſtatuerit Anaxagoras, veteribus in eo ſatis concordibus: qua ratione tamen naturam ſolis explicuerit, ut inde meruerit, tanquam atheus proſcribi, varie a veteribus traditur: LAERTIVS[y] μύδρον διάπυρον dixiſſe refert, quid vero per μύδρον intelligendum ſit, de eo inter interpretes & commentatores LAERTII non conſtat. AMBROSIO ferrum eſt candens, CASAVBONO[z] globus ignis, neque lapis neque ferrum; Illi omnium proxime mentem Anaxagoræ aſſecuti videntur, qui lapideam maſſam igne candentem non modo, ſed ſplendentem quoque intelligunt. Habet enim hæc explicatio conſenſum totius fere antiquitatis a ſuis partibus; cujus teſtimonia omni exceptione majora collegit P. BAYLE.[a] Nos hoc unum addimus: prædictionem, quæ Anaxagoræ tribuitur, de caſuro ex ſole lapide, manifeſto argumento evincere, habuiſſe Anaxagoram ſolem inſtar maſſæ alicujus lapideæ, ex qua pars deciderit.

X. Sideribus inferiorem eſſe ſolem & lunam, duo ſimul circumlabentia oculisque noſtris impenetrabilia corpora. Siderum vero calorem non ſentiri, tum quod illa longinqua ſint, tum propter receſſum (ἀπόστασιν) terræ.[b]

q) *Cap. VIII. p. 68. ſ.*
r) *Lib. II. ſ. 8.*
s) ARISTOT. *Meteor. l. I. c. 3.*
t) PSEVDO-ORIG. *l. c.* PLVT. *pl. phil. l. II. c. 13. 16.* & in *Lyſandro.*
u) *Ibid. c. 23.*
x) *Ib. c. 20.* LAERT. *l. c.*
y) *Lib. II. ſ. 8.* & MENAGIVS *ad h. l.*
z) *Ad h. l.* Idem placuit BVRNETIO *theor. tellur. c. IX. p. 418.*
a) *l. c. not. B.* ubi imprimis teſtimonia PLATONIS & XENOPHONTIS expendi merentur.
b) PSEVDO-ORIGENES *l. c.*

XI. Lunam esse corpus opacum ignitum, a sole illustratum, adeoque terræ simile, habitabile, collibus, vallibus, atque aquis distinctum. [c] Quod si verum est, quod PLATO refert, propter ea Anaxagoras plagii accusatus est, quod jactaverit, se alienam lunæ lucem primum detexisse. Tota enim hæc thesis antiqua valde est.

XII. Lacteam viam esse reflexum solaris luminis, non intermicantibus astris. Ita LAERTIVS, [d] melius ARISTOTELES: [e] esse lumen siderum, quod conspici potest, sole sub terra, sidera quædam non adspiciente: ita enim PSEVDO-ORIGENES quoque: unde non audiendus est PLVTARCHVS, [f] qui Anaxagoram statuisse ait: esse umbram terræ in parte cœli, cum sol infra terram delatus totum haut illuminat.

XIII. Cometas esse stellas errantes plures una apparentes, vel errantium stellarum concursum, flammas ex se emittentium. [g]

XIV. Solem, lunam & reliqua sidera non esse mentes divinas sive Deos, sed terram & lapides adeoque nullam hominum curam habere posse, & hinc neque pro Diis habendos neque colendos esse. Dogma hoc non solum Anaxagoræ tribuunt, &, quod tantum non mireris, improbant SOCRATES atque PLATO, [h] sed & ex toto systemate physiologico Anaxagoræ sequitur. Ille enim proscripserat animam mundi inhabitantem & suam naturam materiæ quasi participantem, ex qua stellas Deos esse concluserant Thales & Anaximander; unamque mentem præsidere materiæ, non tamen illi misceri, dixerat. Cum itaque stellas & sidera omnia corpora terrestria esse statueret, nec haberet, quibus eas habitatas non tantum, sed animatas & divino numine indutas diceret, mentes sive spiritus divinos, omnino hos Deos esse negare debuit. Et hæc illa ἀθεότης est, quæ non tantum ei & discipulis odium sacerdotum & infamiam, verum denique exilium, quoque peperit. Vtrum vero alios præter Deum spiritus admiserit, [i] tacentibus veteribus incertum est, & videtur de iis plane non cogitasse, rebus naturalibus intentus.

XV. Nivem esse nigram non albam, sibique, quia sciret, aquam nigram esse, unde illa concreta esset, albam ipsam esse, ne videri quidem. Paradoxum dogma his verbis Anaxagoræ tribuit CICERO, [k] LACTANTIVS, [l] GALENVS, [m] SEXTVS EMPIRICVS: [n] qua ratione vero intellexerit, cum primus ejus sensus nimium absurdus videatur, deficientibus Anaxagoræ scriptis difficulter intelligi potest. [o] Nec omni probabilitate destituitur sententia illa, quæ hoc dogma non tam ipsi Anaxa-

c) *Ibid.* PLVT. *de plac. phil. l. II. c. 25.*
d) *Lib. II. f. 9.*
e) *Meteor. l. I. c. 8.*
f) *l. c. l. III. c. 1.*
g) ARIST. *l. c. c. 6.* LAERT. *l. c.*
h) Ille in *Apolog.* hic *de legibus l. X. p. 886.*
i) Disputat de eo, sed non definit CVDWORTH. *l. c. p. 460.* conf. MOSHEM. *ad h. l.*
k) *Academ. Qq. l. IV. c. 23. 31. Lucul. c. 31.*
l) *Lib. V. c. 31. l. III. c. 23.*
m) *De simplic. medicam. l. II. c. 1.*
n) *Pyrrhon. hypotypos. l. I. c. 13. f. 33.*
o) Ex instituto de hoc dogmate ejusque variis explicationibus actum *Obs. Hal. Lat. T. II. obs. 15. p. 328. seqq.*

Anaxagoræ tribuit, quam ejus potius adverſariis, qui ex homœomerias hypotheſi abſurdam hanc doctrinam per concluſiones aliquas derivaverint, ut ridiculam illam facerent, & ſenſuum teſtimonio repugnare oſtenderent. [p] Nam ſi verum eſt, quod homœomerias ſyſtema poſtulat & ſupponit, rerum omnium qualitates in particulis homogeneis latitare, & congregari partes ſimilares, neceſſario inde ſequitur, nivem talem eſſe, quales ſunt particulæ homogeneæ, ex quibus componitur. Quia vero nix ex aqua concreſcit, intulerunt, nivem quoque albam non eſſe debere, ſed aquæ inſtar nigram. Aliam tamen viam ingreditur SEXTVS [q] ut hanc non ſolum Anaxagoræ, ſed & totius ſcholæ Ionicæ doctrinam fuiſſe, demonſtret. Aſſerit enim eruditiſſimus Scepticus: *Phyſicos, qui a Thalete prodiere, ſenſuum judicio rejecto, ut qui in multis non eſſent fide digni, veritatis in rebus judicem conſtituere rationem, ex quo progreſſi ſtatuerint de principiis & elementis, & aliis. Id in phyſicis diligentiſſimum Anaxagoram tenuiſſe, dicendo: propter ſenſuum imbecillitatem non poſſe nos verum judicare. Ejus rei fidem feciſſe, ex eo quod paulatim colores mutentur. Nam ſi duos acceperimus colores, nigrum & album, & deinde ex altero in alterum guttatim effuderimus, non poſſe viſum diſcernere, quæ paulatim fiant mutationes, etiamſi ſint re ipſa ſubjectæ. Et ideo Anaxagoram dixiſſe communiter eſſe rationem veritatis criterium.* Hæc ſi vera ſunt, ſequitur Anaxagoram ideo nivem dixiſſe atram, quia ratiocinando concluſit, ex homœomerias conditione nivis particulas ejusdem coloris eſſe debere, quo ſunt aquæ, ex quibus concreſcit, nec infido ſenſus teſtimonio credendum eſſe. Quæ ratio ita jam HORNIO [r] placuit, ut Anaxagoram Scepticis annumeraret; nec aliam rationem paradoxæ theſis dari poſſe putavit P. BAYLE,[s] quam quod Anaxagoras ſenſuum teſtimonium rejecerit. Vt tamen SEXTO plane aſſentiamur, ipſe nobis obſtat, tradens, [t] *ſtatuiſſe Anaxagoram, propterea a Democrito laudatum: τῆς τῶν ἀδήλων καταλήψεως τὰ φαινόμενα εἶναι κριτήριον; eorum quæ non ſunt evidentia criterium ſive comprehenſionem eſſe, ea quæ videntur.* Ex hoc enim manifeſtum eſt, Anaxagoram ſenſuum teſtimonium non rejeciſſe, licet forte ad rem ipſam cognoſcendam, ſuisque e fundamentis eruendam, & naturam rerum detegendam ratiocinationem requiſiverit. [u] Niſi itaque totus eſt deſerendus Sextus, & Anaxagoræ dogma in tenebris relinquendum, ſtatuendum eſt, Anaxagoram non de φαινομένῳ, ſed de natura nivis locutum eſſe, quibus potiſſimum particulis conſtet. Cum enim aquam & nivem iisdem conſiſtere partibus negare non poſſet, & eandem ubique eſſe naturam easdemque qualitates concedere cogeretur, ſyſtemate homœomerias ita poſtulante; neceſſario ad ratiocinationem confugere & ex rationis judicio ſtatuere debuit, nivem, ſi natura, non vero ea, quæ ſenſibus apparent, conſideretur, nigram eſſe, ut aquam.

p) *Ibid.*
q) *Adv. Mathem. l. VII. ſ. 89. ſeqq.*
r) *Hiſt. philoſ. l. III. c. 18. p. 210.*
s) *loc. cit.*
t) *Lib. VII. ſ. 140.*
u) Id quod SEXTVS *l. c.* Democrito tribuit, Anaxagoram in doctrina de criteriis ſequenti.

aquam. Sive, quod minus habet abſurditatis, etiamſi idem dicat: nivem atque aquam iisdem particulis eisdemque qualitatibus & affectionibus præditam eſſe, nec natura differre. Quo ſenſu tolerabilior quidem iſta theſis evadit, ſimul vero prodit, quam ineptum homœomerias inventum ſit.

XVI. Terram planam eſſe, & ſuper ejus latitudinem mare ſubſiſtere, humoribus a ſole rarefactis. Ita quidem LAERTIVS [x] Cujus tamen verba corrupta eſſe conjicit THOMAS BVRNETIVS, [y] eo quod ad ſubſidentiam maris latitudo terræ nihil conferat; melius, ſi profunditas vel cavitas allegetur. Putat itaque loco πλατείας, ſcribendum eſſe βαθείας, ita ut ſenſus eo recidat, quemadmodum diſcipulus Anaxagoræ Archelaus dixit: τὴν τε θάλασσαν ἐν τοῖς κοίλοις διὰ τῆς γῆς ἠθμένην σύνεσαναι. ARISTOTELES [z] enim & SENECA [a] teſtes ſunt, tribuiſſe Anaxagoram terræ τὰ κοῖλα, cavernas. Nec a ſcopo & veritate abludere BVRNETIVM ex diſerto PSEVDO-ORIGENIS [b] teſtimonio patet, ſtatuiſſe Anaxagoram τὴν γὴν εἶναι κόιλην, καὶ ἔχειν ὕδωρ ἐν τοῖς κοιλώμασιν, *terram cavam eſſe & continere in cavernis aquas.* Neque tamen in Laërtii textu aliquid mutandum eſt; nam & PSEVDO-ORIGENES hanc Anaxagoræ opinionem tribuit: τὴν τε γὴν τῷ σχήματι πλατεῖαν εἶναι καὶ μένειν μετέωρον *terram forma planam eſſe, & commorari ſublimem partim ob molem, partim ob ſuſtinentem aërem.* Vt vero maris originem exponeret, ita, ſi philoſophumenorum relationem ſequimur, ratiocinatus eſt Anaxagoras: *Aquas in mari contentas primordium quidem accepiſſe e humoribus terreſtribus, & cum ex exhalationibus illic ſe congregantibus, tum ex amnium defluxibus conſtitiſſe. Ipſorum amnium ſcaturiginem vero deberi partim imbribus, partim ipſis comprehenſis in terræ gremio, quod cavum ſit, & aquas in cavernis contineat.* Facit itaque latitudo terræ, ex mente Anaxagoræ illud ad congregationem aquarum, ut ſtagnantibus ſuper plana terra humoribus ii potuerint exhalationibus in ſublime efferri, & imbribus iterum demitti: quod cum non ſufficere videret, aquas ſubterraneas advocavit. Qua tamen ratione non leves reliquiſſe difficultates pulchre oſtendit BVRNETIVS, [c] qui conſulendus eſt.

XVII. Sidera principio quidem ad tholi formam conſtituto cœlo, ferri ſolita, ita ut in terræ vertice is, qui ſemper apparet, polus videretur, poſtea vero inclinationem accepiſſe. [d] Notabilem doctrinam hanc de mutato ſphæræ mundanæ ſitu e recto in obliquum fecit BVRNETIVS, non ſine eruditione contendens, [e] ejusmodi mutationem diluvii tempore accidiſſe. Qui & Anaxagoram explicat, [f] & alios quoque Græcorum philoſophos in partes vocat.

XVIII.

x) *Lib. II. ſ. 8.*
y) *Archæol. philoſ. l. I. c. 10. p. 418.*
z) *Meteor. l. II. c. 7. T. I. p. 438.*
a) *Q. q. nat. l. VI. c. 9.*
b) *Philoſophum. c. VIII. p. 69.*
c) *loc. cit.*
d) LAERT. *l. II. ſ. 8.* quid vero θολοειδὲς ſit, explicant CASAVBONVS *ad h. l.* & BVRNET. *l. citando.*
e) *Theor. tellur. l. II. c. 10. p. 151. ſeqq.*
f) *Ibid. p. 161.*

XVIII. Non dari vacuum. Tribuit hanc theſin philoſophis omnibus naturam ſcrutantibus a Thalete ad Platonem usque PLVTARCHVS. [ff] Nec in anteceſſoribus Anaxagoræ id difficultatem habet, quos animam mundanam pro loco materiæ habuiſſe, ſicque vacuum proſcripſiſſe ſupra obſervavimus. Aliter tamen Anaxagoras, qui Deum nullo modo cum materia miſcuit, unde omnia potius particulis infinitis repleri, ſicque non dari vacuum ſtatuiſſe cenſendus eſt. Τὰς γὰρ ὑλικὰς ἀρχὰς ἀπείρους ὑπάρχειν, *principia materialia enim infinita eſſe*, ei tribuit PSEVDO-ORIGENES. [g]

XIX. Animantes primo ex humore & calore terraque manaſſe, poſtea ex invicem natas eſſe, mares a dextris feminas a ſiniſtris. [h] Scilicet aërem omnium ſemina in ſe habere, ſtatuebat Anaxagoras, teſte THEOPHRASTO, [i] quæ cum aqua ſive humore & calore delata excludantur, ſicque & arbores gigni. [k] Opinionem vero de maribus a dextris, feminis a ſiniſtris conceptis, nec primus, nec ſolus habuit Anaxagoras, placuit enim Empedocli quoque, atque Parmenidi, nec Hippocrates rejecit, [l] & poſt eum medici alii, recentiores quoque inter quos eſt CARDANVS.

XX. Mentem eſſe initium motus, aëreamque eſſe, & corpus habere aëreæ naturæ. Prius Anaxagoræ tribuit LAERTIVS, [ll] ubi tamen dubius textus videtur; loquitur enim de prima generationis origine, quam ex ſimilaribus particulis fuiſſe docet, motum vero eſſe ex mente monet: unde, niſi fallimur, hæc non ad animum humanum, prout fecit STANLEIVS, [m] ſed ad mentem infinitam ſive Deum omnia moventem referenda eſſe videntur. Probabile tamen eſt, Anaxagoram mentem humanam ex mente divina derivaviſſe, & ideo quoque motum tribuiſſe, ab anima vero eam diſtinxiſſe, & hanc aëreæ naturæ feciſſe: Quanquam fatetur ARISTOTELES, [mm] Anaxagoram non perſpicue ſuam explicuiſſe ſententiam de mentis atque animæ diſcrimine, quibusdam enim in locis mentem & animam idem facere, multis vero aliis dicere, mentem cauſam omnis boni rectique. Nam quicquid ſit de vocum mentis, & animæ uſu, apud Anaxagoram, hoc non negat Ariſtoteles, dixiſſe: animam eſſe, id quod movet, quemadmodum mens omnia movit: unde, quam illi originem menti humanæ tribuerit, facile colligi poteſt. Quia vero Anaxagorei, teſte PLVTARCHO, [n] animam corpus eſſe voluerunt, idque aëreæ naturæ, inferri inde recte poteſt, animam aëream a mente diſtinxiſſe. Et ſic intelligi quoque poteſt, quod alio loco Anaxagoræ tribuit PLVTARCHVS, [o] omnia animalia habere animam ſive mentem agentem, non item patientem, qui eſt mentis quaſi interpres: Aëreæ enim naturæ cum animam faceret, animalibus eam tribuere

ff) *De plac. philoſ. l. I. c. 18.*
g) *l. c. p. 68.*
h) LAERT. & ORIGEN. *ll. cc.*
i) *Hiſtor. plant. l. III. c. 2.*
k) Qua ratione vero alterationem & motum particularum in generatione expoſuerit, videſis explicantem SCIP. AQVILIANVM *de plac. phyſicis philoſ. ante Ariſt. c. IV. p. 17. ſeqq.*
l) Vid. MENAG. *ad l. c. Laërtii.*
ll) *l. c.*
m) *l. c. p. 104.* *mm*) *l. c.*
n) *l. c. l. IV. c. 3.* *o*) *l. c. l. V. c. 25.*

buere facile potuit, mentem ſive rationem negavit, quoniam ex ſumma mente eſſe ſtatuebat.

XXI. Somnum accidere functionibus corporis, non enim animæ eſſe affectionem, ſed corporis, mortem vero animæ quoque divulſionem eſſe. Intelligit hæc verba PLVTARCHI [p] STANLEIVS [q] ita, ut mortem dixerit ſeparationem corporis ab anima: ſi vero recte ponderantur verba Plutarchi, ſolutionem magis animæ ex æthereis particulis conſtantis indicare videntur, quam opponit ſomno, qui ad corpus tantum pertineat, ſecus ac fecit Ariſtoteles.

XXII. Ventos fieri, cum aër a ſole tenuatur.[r]

XXIII. Terræ motuum cauſam eſſe aërem in terræ cavernis conditum, qui cum difficilem inveniat exitum, agitationem illam cauſetur.[s] Qua ratione vero ſpiritum hunc in terræ receſſus penetrari ſtatuerit Anaxagoras, explicat SENECA,[t] qui videndus.

XXIV. Iridem naſci ex refractione lucis ſolaris in nube denſa, e regione aſtri ſpeculi ad inſtar poſita.[u]

XXV. Lunam intercludente eam terra, nonnunquam & aliis terra inferioribus, idem facientibus, deficere. Hoc quoque per novilunia, luna obſepiente, contingere ſoli. Ceterum, quod addit PSEVDO-ORIGENES,[x] Anaxagoram ἀφωρίσαθαι πρῶτον τὰ περὶ τὰς ἐκλείψεις καὶ φωτισμὸς, vel falſum eſt, vel ad accuratas definitiones & temporum determinationes referendum. Primum enim Thaletem prædixiſſe eclipſin ſupra obſervavimus.[y] Didicit hanc prædictionis aſtronomicæ artem ab Anaxagora Pericles magno Athenienſium commodo.[z]

XXVI. Sole & luna per aërem abactis, provenire tum ſolſtitia, lunam vero quia nequit ſuperare frigus, frequentius convertere.[a]

XXVII. A calidi in nubes illapſu tonitrua & fulgura oriri; calido ſcilicet in frigidum cadente & fragorem edente: fulmen eſſe ab igne ſpiſſiore.[b]

Diogenes Apolloniates.

§. XXII. Anaxagoræ ſucceſſiſſe in cathedra Ionica, DIOGENEM ſupra probabilibus rationibus evicimus. Certe fuiſſe Anaxagoræ collegam, tradit SIDONIVS APOLLINARIS,[c] & Anaximenis fuiſſe diſcipulum, refert LAERTIVS,[d] qui quoque Apollothemidis filium, Cretenſem, Apolloniæ [e] ortum fuiſſe narrat. Præceptoris vero veſtigiis inſiſtens,

p) *l. c.* q) *l. c. p. 104.*
r) LAERT. *l. II. ſ. 9.* ORIG. *philoſ. l. c. p. 76.*
s) IDEM *l. c.* ARIST. *Met. l. II. c. 7.* PLVT. *l. c. l. III. c. 15.* t) *N. Q. l. VI. c. 9.*
u) PLVTARCH. *l. c. l. III. c. 5.* x) *l. c.*
y) Conf. GASSEND. *phil. Epic. T. I. Opp. p. 461. ſeq.*
z) PLVT. *in Pericle* VALER. MAX. *l. VII. c. 11.* QVINTIL. *l. I. Inſt. Or. c. 10.* BAYLE *Dict.* art. *Pericles not. C.*
a) ORIGEN. *l. c.*
b) LAERT. *l. c.* PLVT. *Pl. phil. l. III. c. 2.* ORIG. *l. c.*
c *Carm. XV. v. 89.* *Iunior huic, (*Anaxagoræ*) junctus reſidet collega - -* Conf. BAYLE *Dict. T. I.* art. *Archelaus, not. A. p. 289.* qui non inepte conjicit, Anaxagoræ Athenas concedenti ſucceſſiſſe, licet in ſucceſſione ſcholæ Ionicæ hic Diogenes non numeretur, quia Archelai, Anaxagoræ diſcipuli, major fama eſſet. Recte vero de Diogene Apolloniate intelligendum eſſe, non de Archelao, luculenter evicit IVST. LIPSIVS *Manud. ad philoſ. Stoic. l. I. diſſ. VIII. p. m. 44. ſeqq.* d) *l. IX. ſ. 57.*
e) Apolloniatem vocat LAERTIVS, *l. c.* cum vero XXV. urbes fuerint, hoc nomine inſignitæ, inserti eſſemus, cujas fuiſſet Diogenes, niſi

STE-

ſtens, rerum naturalium contemplationi ſe dedit, ſed ſeveriori diſciplinæ eloquentiæ ſtudium junxit, in quo magnam nominis celebritatem conſecutus eſt. [f] Ex quo conjici poteſt, doctoris munus ipſum non fideliter tantum, verum etiam feliciter expleviſſe. Rectam enim non meditandi tantum, ſed docendi quoque viam iniiſſe, & philoſophiæ leges eloquentiæ adaptaſſe, initium operis alicujus, quod nobis ſervavit LAERTIVS, probat, quod eleganter ita exorſus eſt: *Qui docere aliquid inſtituit, ei, mea quidem ſententia, operæ pretium eſt certum & indubitatum præſtare principium, & oratione uti ſimplici ac gravi.* Ex Ionia Athenas delatus gloriam quidem atque famam philoſophiæ atque eloquentiæ ſtudio conſecutus eſt haud exiguam, invidiam vero comitem ita ſenſit, ut Athenis, teſte Demetrio Phalereo, præ invidia de vita fere periclitaretur. Quibus tamen poſtea fatis uſus fuerit, veteres tacent, nec qua ratione, quove tempore deceſſerit, exponunt.

Ejus philoſophia naturalis.

§. XXIII. Spirat quoque totum, quod de rebus naturalibus conſtruxit Diogenes Apolloniates, ædificium Anaximenis diſciplinam. Nam & ipſe cum præceptore aërem primum rerum omnium elementum ſive principium poſuit, ſed virtutem divinam ad eum requiſivit, ſine qua nihil ex eo fieri poſſet. Tradunt id CICERO,[g] CLEMENS ALEXANDRINVS,[h] SIDONIVS APOLLINARIS[i] & AVGVSTINVS,[k] qui præ cæteris luculentus. Ait enim: *Diogenes quoque Anaximenis alter auditor, aërem quidem dixit, rerum eſſe materiam, de qua omnia fierent; ſed eum eſſe compotem divinæ rationis, ſine qua nihil ex eo fieri poſſet.* Duplicem vero ſenſum iſta patiuntur, ſive, ut Diogenes ſtatuiſſe dicatur, præter aërem, quæ cauſa rerum omnium materialis ſit, requiri cauſam quoque efficientem rationalem & divinam, quæ materiali intime juncta ſit: ſive, ut docuiſſe credatur: aërem non nudam tantum materiam eſſe, ſed habere virtutem & attributum divinum, rationale, ſeſe movere aptum: quo ſenſu unicum tantum principium admiſit Diogenes, verum id divina virtute, tanquam attributo quodam veſtitum. Ita CICERONEM intellexiſſe ex verbis ejus patet, dicentis: *Quid? aër, quo Diogenes Apolloniates utitur Deo, quem ſenſum habere poteſt aut quam formam Dei?* quem ideo frigidis licet rationibus

STEPHANVS nobis narraſſet ex Creta inſula oriundum fuiſſe. Quem tamen inter illuſtres Cretenſes nominare omiſit MEVRSIVS in *Cretæ deſcriptione.* Aliter tamen MENAGIVS ad LAERT. *l. IX. ſ. 58.* qui iſto loco non modo pro: Diomene Smyrnæo, Diogenem Smyrnæum legendum eſſe contendit, nixus auctoritate EVSEBII de *præp. l. XIV. c. 17.* CLEM. ALEX. *Strom. l. I.* EPIPH. *hæreſ. III.* ſed hunc quoque Diogenem Smyrnæum, Anaxarchi præceptorem, Metrodori Chii diſcipulum, cum Apolloniate eundem cenſet. Verum ut taceamus illum Diogenem ex Eleaticorum ſecta fuiſſe, cui doctrinæ Apolloniatis tribui nequeunt: tempora adeo male cohærent, ut facile intelligere potuiſſet Menagius, differe eos, inter ſe, ſi mediocriter ad temporum rationes attendiſſet. Diogenes enim Smyrnæus, Metrodori & Protagoræ quoque diſcipulus fuit, hisque ſucceſſit; illi Democritum præceptorem habuerunt: qui Ol. LXXX. natus vix audire potuit Anaxagoram, cujus tam *σύγχρονος* teſte Laërtio fuit Diogenes Apolloniates. Qui adeo multo antiquior fuit iſto Smyrnæo, cujus diſcipulus Anaxarchus vixit cum Alexandro M. Alias rationes legas apud BAYLE *Dict. T. II.* art. *Diog. Apoll. not. H. p. 295.* conf. FABRIC. *Bibl. Græc. Vol. I. p. 776.* Idem notandum apud MEVRSIVM *ad Heſych. p. 146.* quem ſecutus eſt Menagius.

f) LAERT. *l. c.*

g) *De nat. Deor. l. I. c. 14.*

h) *In protrept. p. 42.*

i) *l. c.*

k) *De C. D. l. VIII. c. 2.*

reprehendit LESCALOPIERIVS.[l] Et hunc quoque ſenſum præferendum eſſe judicat P. BAYLE,[m] eo quod ARISTOTELES[n] refert: *Diogenem cum aliis Ionicis aërem primum rerum omnium principium poſuiſſe, & ſubtiliſſimæ ſubſtantiæ putaviſſe. Dixiſſe ideo cognoſcere atque movere animam, hoc quidem cognoſcere, quo primum eſt, & ex hoc ipſo cætera conſtant, hoc autem eſſe motivum, quod ſubtiliſſimum eſt.* Putat enim vir acutiſſimus, ex his Stagiritæ verbis ſequi: juxta Diogenem eſſe aërem non principium tantum rerum materiale, ſed cognitionis quoque atque motus, adeoque divinam iſtam rationem pro attributo tantum vel modo quodam aëris habendam eſſe. Et hanc quoque Diogenianæ opinionis interpretationem ſequuntur, qui Diogenem inter Dei hoſtes numerant.[o] Priorem vero dogmatis Diogenis explicationem ſequitur Auguſtinus, qui, recte obſervante Bælio, duas ſtatuiſſe Diogenem dicit, res, materiam, nempe aërem, & virtutem divinam, quæ ex materia cuncta efficeret, illi vero, quemadmodum anima corpori, juncta ſit, & formam ejus exhibeat. Nec hæc repugnare Ciceronis verbis, idem probe obſervat. Eundem in modum SIDONIVS intellexit, ait enim:

\- - - *ſed idem*
Materiam cunctis creaturis aêra credens
Iudicat, inde Deum, faceret, quo cuncta, tuliſſe.

Etſi vero deficiente opere phyſiologico, quod Diogenes conſcripſiſſe dicitur, certa de ejus mente ſententia definiri nequit, ad veriſimilitudinis tamen gradus attendentibus poſteriori præferenda omnino videtur prior ſententia. In antecedentibus enim, luculenter, niſi fallimur, expoſuimus: Ionicos priores Thaletem & Anaximandrum, præter materiam infinitam, mentem quidem admiſiſſe divinam, eam vero ita materiæ immerſiſſe, ut unum inde principium emergeret, mensque forma atque anima univerſi eſſet: Anaximenem nihil in hoc ſyſtemate mutaviſſe, niſi quod aërem diſtincte materiam conſtitueret. Quia vero Diogenes Apolloniates veſtigiis præceptoris preſſe inſtitit,[p] omnino veriſimilius eſt, eum clarius loquendo, Ionicorum ita expreſſiſſe ſententiam, ut aërem infinitum inhabitantis & informantis mentis divinæ virtute animatum & Deum diceret, & ex hoc uno, licet compoſito principio, aëre divino cuncta formata eſſe aſſereret. Sicque, quam ſupra dedimus, ſyſtematis Ionici explicatio novo confirmatur argumento. His præſuppoſitis, ſi veteres conſulimus, ita de natura rerum ratiocinatus eſt Diogenes:

I. Nihil ex eo, quod non ſit, fieri, neque in id, quod non ſit, corrumpi.[q]

II. Eſſe itaque elementum aërem, ex quo omnia, eumque virtute mentis divinæ animari, & ab ea cuncta formari. III.

l) In CICERON. *de nat. Deor. l. I. p. 46.* cujus rationibus reſpondit BAYLE *l. c.*

m) l. c. not. B.

n) De anima l. I. c. 2. T. I p. 479.

o) Conf. *Obſ. Hal. Lat. T. II. obſ. XXI. §. 16. p. 453.* FVDDEVS *theſ. de atheiſmo c. I. §. 10.* REIMMANN. *Hiſt. Atheiſmi c. XIX. §. 7. p. 148. Hiſt. univerſelle p. 86.*

p) CLEMENS ALEX. *l. c.*

q) LAERT. *l. c.* Id primum phyſicorum Ionicorum fundamentum fuiſſe, ſupra demonſtravimus. Non itaque habuit a Democrito, quod vult MENAGIVS *h. l.*

III. Esse vero aërem semper in motu & infinitos mundos. [r] Iungit his LAERTIVS,[s] dixisse: dari inane infinitum; verum hoc neque cum systemate Ionico cohæret, [t] & PLVTARCHVS de tota secta Ionica negat. [u]

IV. Densum aërem ac rarescentem, mundos gignere. [x] Id quod EVSEBIVS [y] ita explicat: Cum universum ita moveretur, ut rarius hic, alibi densius fieret, ubicunque major densitas contingeret, ibi convolutionem quandam effeciſſe, tum similem in modum cetera: quæ autem omnium levissimæ partes essent, eas regione superiori occupata solem produxisse.

V. Terram oblonge esse rotundam, atque in medio stabilitam, eamque cepisse consistentiam, secundum illam quæ ex calido est, circumferentiam, ex frigido concretionem ac soliditatem accepisse. [z]

VI. Præter ista Diogeni quoque tribuit PLVTARCHVS; [a] mundum constitutum, ubi produxerit animalia, quodammodo inclinatum fortuito in austrinas partes: fortassis providentia sic satagente, ut mundi partes quædam habitari, aliæ non possent, ratione gelu ardoris, commodæ temperiei: quod etiam Anaxagoræ placuisse supra diximus.

VII. Pumicum instar esse stellas exspirationes mundi exhalantis: vel lapides quosdam, qui nusquam appareant, & sæpe in terram delapsi exstinguantur. [b] Eodem vero modo idem ratiocinatus est Anaxagoras.

VIII. Animam habitare in arterioſa cordis cavea, quæ est spiritualis. [c] Cujus fundamentum videtur esse, quod animam cum reliquis Ionicis aëreæ naturæ esse dixerit, uti supra ex Aristotele observatum est.

IX. Auditum esse ab aere, qui in capite continetur icto & moto a sono. [d]

X. Inanimata nasci animalia, sed cum calore: atque insitum calorem simul, atque natum est animal, animam in pulmones attrahere. [e]

XI. Bruta animalia rationis & aëris partem percipere, sed vel ob crassitiem, vel ob abundantiam humorum neque intelligere, neque sentire: ac fere affecta esse eo modo, quo sunt insanientes. [f]

XII. Si universus sanguis in venas diffusus contentum in eis aërem in pectus subjectumque ei ventrem detrudat, somnum fieri, ac thoracem incalescere; quod si universus aër venas deserat, mortem consequi.

Non dubitamus vero, hæc esse Diogenis Apolloniatæ dogmata, licet patriam viri non addiderit Plutarchus, & incertos ita nos reliquerit, cui, inter plures Diogenes philosophos, tribuenda sint? Nam & physici argumenti sunt, quod Cynicus non curavit, & a Stoicorum atque Eleaticorum physiologia dissident, ideo nec Smyrnæo nec Stoico tribuenda: & cum

r) EVSEBIVS *Præp. Ev. l. I. c. 8.*
s) *l. c.*
t) In eo enim anima mundi tenet locum vacui, in quo res sunt, ut supra observavimus.
u) *De placit. phil. l. I. c. 8.* Accipit hæc conjectura inde quoque robur, quod aliter nec antecessores Diogenis statuerint, quos tamen presse sequitur.
x) LAERT. *l. c.* *y)* *l. c.*
z) LAERT. *l. c.*
a) *De placit. philos. l. II. c. 8.*
b) *l. c. c. 13.*
c) *ib. l. IV. c. 5.*
d) *ibid. c. 16.*
e) *l. V. c. 15.* Dicetur de hac re infra *c. IIX. §. 6.*
f) *ib. c. 20.*

Ionicis doctrinis, & principiis Apolloniatis egregie concordant. Idem judicat P. BAYLE. [g]

Archelaus.

§. XXIV. Anaxagoræ ſucceſſit Archelaus, Mileſius, qui tamen aliis Athenienſis audit. [h] Patrem habuit Apollodorum, quem alii Mydonem vocant. Anaxagoræ diſcipulum fuiſſe, ſupra diximus; [i] & ab eo quoque placita phyſica didicit, qui cum decederet, rerum circumſtantiis, quæ phyſicos, Anaxagoram, Diogenem, Periclem gravi invidia preſſerant, mutatis, tandem Ionicam philoſophiam, privato hactenus habitu Athenis cultam, ex Ionia Athenas invexit, & publice docuit. Qua ratione conciliari hæc poſſunt, cum iis, qui dicunt, Anaxagoræ hanc gloriam deberi; qua neuter ex noſtra quidem ſententia privandus eſt. [k] Inde vero phyſicus eminenti ſignificatione vocatus eſt. [l] Etſi vero diſcipulos acquirebat ſumma judicii laude conſpicuos, inter quos maximum nomen tulit Socrates, [m] cui etiam aliqui [n] Euripidem adjiciunt: deſiit tamen ſchola phyſica in hoc viro, [o] Socrate moralem ſapientiam potiſſimum excolente & in ſcholis philoſophorum introducente, quam tamen neque Archelaus totam neglexit, & de legibus atque æquo & honeſto philoſophatus eſt. [p] Scripſiſſe dicitur phyſiologiam & alia, quorum tamen obſcura eſt hiſtoria. [q] Pauca enim de eo referunt veteres: fueruntque multi Archelai apud veteres celebres, [r] qui ubi inter ſe confunduntur, valde hiſtoriam reddunt difficilem & implicitam.

Ejus philoſophia naturalis.

§. XXV. Anaxagoræ vero diſcipulus cum Archelaus fuerit, mirum non eſt, principia rerum naturalium eadem fere illi placuiſſe, quæ magiſtro: [s] licet negari nequeat, veterum narrationes de placitis Archelai incertas eſſe, & non ſemper conſpirare. Traditur vero de rerum natura ita præcepiſſe;

I. Prin-

g) *Ibid.* qui etiam obſervat, phyſiologiam Diogenis, licet crasſiorem aliquando non procul abludere a Carteſiana. Idem obſervarunt *anonymi auctores Hiſtoriæ univerſalis p. 86.* Verum hoc forte de tota ſchola Ionica dici poſſet, præcipue Archelao, ejusque præceptore Anaxagora, qui omnium accuratiſſime inter mentem & materiam diſtinxit, prout fecit Carteſius.

h) LAERT. *l. II. ſ. 17.* CICERO *Tuſc. Qq. l. V. c. 4.* SVIDAS in *Archelaus T. I. p. 342.* ORIG. *Philoſophum. c. IX. p. 78.*

i) LAERT. *l. c.*

k) Dictum hac de re ſupra in Anaxagoras. Quod ſi hoc non placet, deſerendus eſt Laërtius; Athenis enim Ionicam philoſophiam docuiſſe Anaxagoram apud omnes conſtat. Bælii ſolvendi hunc nodum ratio obtorta eſt, & caret veriſimilitudine.

l) LAERT. *l. c.* m) ibid. CICERO *l. c.*

n) SVIDAS *l. c.* id quod melius ætati Euripidis convenit, quam qui Socratem annis minorem ejus præceptorem faciunt, quod reprehendit poſt BARNESIVM in *vita Eurip. n. 13.* BAYLE *Dict. T. II.* art. *Euripide not. D. p. 427.* qui tamen hunc locum Suidæ prætermiſit, nec de Archelao Euripidis præceptore aliquid notavit. Modo SVIDAS regem Macedoniæ Archelaum, qui Euripidem ſummo loco in aula habuit non confuderit cum Archelao philoſopho.

o) Deſinere ait quidem LAERT. *l. I. ſ. 14.* Ionicum philoſophiæ genus in Clitomacho, Chryſippo & Theophraſto; verum hoc non de ſchola Ionica, ſed de ſucceſſione Sectarum ex Ionica prodeuntium intelligendum: illam enim Thaletem, Anaximandrum, Anaximenem, Anaxagoram, Archelaum ſucceſſores habuiſſe diſerte teſtatur LAERTIVS *l. c.* quem recte ſequitur STANLEIVS *Hiſt. phil. P. II. c. 5. p. 109.* quem ideo præter rem reprehendit OLEARIVS.

p) LAERT. *l. c.*

q) SVIDAS *l. c.* FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. I. p. 774.* BAYLE *l. c.*

r) Enumerant Archelaos MENAG. *ad Laërt. l. c.* VOSSIVS *de H. G.* MEVRSIVS *in B. G.* FABRICIVS *l. c.* BAYLE *Dict. l. c.*

s) Ita quidem PSEVDO-ORIG. *l. c.* & SIMPLICIVS *in l. I. Phyſ. p. 7.*

I. Principia rerum gemina esse, aërem, & infinitum. Ita quidem PLVTARCHVS, [t] qui aëri, tanquam principio corporeo & dissimilari addidisse raritatem & condensationem tradit. Quid vero per infinitum intellexerit, admodum obscurum est. Si enim SIMPLICIO [u] fides est, eandem cum Anaxagora præceptore tenuit sententiam, mentemque infinitam intellexit: verum cum & nimis remotus ab his temporibus testis sit, & raro soleant esse fideles in referendis veterum dogmatibus, Platonici recentiores, ex quorum numero fuit, ejus testimonio tuto credi non potest. [x] STOBAEVS [y] veterum memoriis usus: aërem ac mentem posuisse tradit, ἀ μέν τοι κοσμοποιῆν τὸν νῆν, *sed mentem mundi effectricem non fecit.* Quod si verum est, non dereliquisset tantum præceptoris systema, sed & ex principiorum rerum naturalium numero mentem excluisset, solamque posuisset materialem causam infinitum aërem, ejusque densitatem atque raritatem, sive aquam & ignem, quod alio loco [z] STOBAEVS habet. Auctor vero philosophumenorum ORIGENI tributorum, qui de mixtura materiæ Archelaum idem tenuisse, quod Anaxagoras, dixerat, addit: [a] Οὗτος δὲ τῷ νῷ ἐνυπάρχειν εὐθέως μίγμα, *inhærere menti statim aliquam mixturam.* Quod ut manifeste recedit ab Anaxagoræ sententia, cui mens ab omni mistione separata visa est; ita propius ad reliquos Ionicos accedit, qui mentem & materiam ita miscuerunt, ut unum universum idque infinitum constitueretur. Quod non levi argumento probat LAERTIVS, [b] referens, placuisse Archelao τὸ πᾶν ἄπειρον, *universum esse infinitum.* Sed in tam obscuris & incertis veterum traditionibus omnium tutissimum putamus τὸ ἐπέχειν, & de sententia Archelai plane nihil definire. Illud certum esse ex veterum consensu concludimus, quod in generatione rerum explicanda ad mentis opus non recurrerit, sed legibus tantum mechanicis eam reliquerit. Ita enim de ea statuisse, ait PSEVDO-ORIGENES. [c]

II. Esse motus principia, secedere calidum & frigidum ab se invicem, & calidum quidem moveri, frigidum vero quiescere. Colliquefactam aquam in medium fluere, ubi etiam exustam fieri aquam & terram. Illum sursum attolli, hanc deorsum subsidere: quiescere proinde terram & trahere ex his originem, & quia nulla pars universi (sine dubio ob parvitatem) censenda sit, proditam ab inflammatione esse sitam in medio.

III. Ex illo primum deusto existere naturam stellarum, quas terreas laminas candentes dixisse STOBAEVS [d] refert.

IV.

t) *De plac. Phil. l. I. c. 3.*

u) *l. c.* Dabimus ejus verba integra: Ἀρχελάος ἐν τῇ μὲν γενέσει τῶ κόσμω νῷ τοῖς ἄλλοις πειρᾶται τι φέρειν ἴδιον, τὰς ἀρχὰς δὲ τὰς αὐτὰς δίδωσιν ἅσπερ Ἀναξαγόρας. ἔτοι μὲν ὧν ἀπείρους τῷ πλήθει νῷ ἀνομοιογενεῖς τὰς ἀρχὰς λέγουσι.

x) Ita etiam Ven. MOSHEMIVS *ad* CVDW. *p. 216.*

y) *Eclog. Phys. l. I. c. 1. p. 2.*

z) *l. c. c. 12. p. 26.*

a) *l. c. p. 79.*

b) *l. c. §. 17.*

c) *l. c. p. 80.* Conferendi vero PLVTARCHVS, LAERTIVS & STOBAEVS *ll. cc.* qui tamen paulisper a Pseudo-Origine dissentiunt. Nam Laërtius terram tantum, dixisse refert, ex aqua, vi ignis constipata, constitisse.

d) *l. c. c. XXV. p. 53.*

IV. Solem vero ſtellarum maximum, proximam magnitudine lunam, minora de ceteris eſſe alia, alia majora. [e]

V. Deſuper incumbere cœlum & hac ratione illuminatam a ſole terram, pellucidum quoque aërem factum, & terram aridam evaſiſſe. [f]

VI. Terram initio paludem fuiſſe, & in ambitu elevatam in medio vero concavam. [g] Putat hic cel. WOLFIVS, [h] Archelaum ſemper terram pro palude habuiſſe, intellexiſſe vero voce λυμνὸς, idem, quod alias νῆσος dicitur, eo quod totam terram aqua circumſeptam crederet, tanquam inſulam, ſicque τὸ, πρῶτον apud PSEVDO-ORIGENEM non de tempore ſed de ordine ſententiarum Archelai accipiendum eſſe. Quemadmodum vero λυμνὸν pro νῆσος uſurpari, exemplis roborandum erat, ita geneſis rerum ab Archelao tradita hanc explicationem reſpuit. Secundum eam enim, docente LAERTIO [i] *liquens calore aqua, qua in igneam naturam conſiſtit, terram conſtituit, qua vero circumfluit, aërem gignit.* Immo ipſe Pſeudo-Origenes reclamat, qui paulo ante Archelaum docuiſſe ait, ἀέρα ποιῆσαι διαφανῆ, καὶ τὴν γῆν ξηράν, *aërem evaſiſſe pellucidum & terram aridam*, quod cum palude conſiſtere nequit. Nec aliud dixit, ſi rem ipſam ſpectes, quam quod præceptor Anaxagoras docuit: terram ita apparuiſſe, ut ſtagnantes initio humores & in concavis terræ congregarentur, & a ſole rarefacti aſcenderent, & per imbres demiſſi mare efficerent. [k] Initio enim chaos produxiſſe terram humidam, & ſtagnantem non Archelai tantum temporibus traditum fuit, ſed antiquiſſimis coſmogoniæ auctoribus placuit, & forte ex primæva traditione aliquid hac de re inter gentes diſſeminatum eſt.

VII. Terram eſſe ovi vel pili figura rotundam, non æqualem & planam, quod inde probabat, quia ſol non omnibus oriatur & occidat ſimul. [l] Qua in re contradixit Anaxagoræ.

VIII. Gigni animalia ex terræ calore, quæ limum lacti ſimillimum velut eſcam eliquaverit: ſic & homines natos. Ita breviter LAERTIVS, [m] quod paulo prolixius exponit PSEVDO-ORIGENES: [n] calefacta primum terra; in particulari ſede, ubi calidum & frigidum commiſcebantur, copioſa inter ſe diſſimilium ſed omnium eodem utentium victu cœnoque nutritorum ſimul apparuiſſe turbam aliorum quoque animalium. Eam brevis temporis fuiſſe turbam: mox ex ſe invicem ipſis quoque progeniem excitatam eſſe; diſcretos a ceteris homines. Nec vero in hoc quoque dogmate a ſcholæ ſuæ placitis receſſit Archelaus. Quemadmodum & hoc inde hauſit:

IX. Ingenitam univerſis animalibus pari modo mentem, nam unumquodque etiam ex corporibus eo uti, quod vel tardius vel expeditius uſum rationis

e) *citati.*
f) ORIG. *l. c.* LAERT. *l. c.*
g) *ibid.* Et hoc quoque habuit ab anteceſſoribus: uti ſupra dictum.
h) *Ad l. c. Orig.* *i*) *l. c. ſ. 17.*
k) Mare in concavis per humum veluti colatum conſiſtere, tradebat Archelaus, LAERT. *l. c.* hinc ratio, quomodo ex palude arida facta ſit.
l) PSEVDO-ORIG. *l. c.*
m) *l. c.* *n*) *l. c. p. 82.*

rationis admittat. Quem ſenſum eſſe verborum PSEVDO-ORIGENIS [o] ab interprete corruptorum, & non intellectorum, vel ſola de hac re Diogenis Apolloniatis doctrina probat, cui eadem placuiſſe, in antecedentibus ex Ariſtotele notavimus; quemadmodum & Anaxagoras idem docuit.

X. Ventos in concava terrarum deferri; deinde ubi jam omnia ſpatia plena ſunt, aërque, in quantum potuit, denſatus eſt, eum, qui ſupervenit, ſpiritum priorem premere atque elidere, ac frequentibus plagis primo cogere, deinde perturbare. Tunc illum quærentem locum omnes anguſtias dimovere, & clauſtra ſua conari effringere. Sic evenire, ut terræ, ſpiritu luctante, & fugam quærente, moveantur. [p].

XI. Vocem eſſe aëris percuſſum. Hanc vocis definitionem Archelao tribuit LAERTIVS, [q] Anaxagoræ PLVTARCHVS, [r] forte utrique communis fuit, ut & alia multa.

XII. Iuſtum & turpe non natura, ſed lege fieri. [s] Peſſime ob hoc dogma audit Archelaus, & impietatis patronum egiſſe accuſatur. Neque tamen ſolius Archelai fuit, ſed & toti ſcepticorum cohorti placuit: cumque ſanum quoque ſenſum poſſit ferre, ut ſcilicet id tantum neget, juſti & turpis naturam non in eſſentiis rerum antecedenter ad legem (quemadmodum hac de re locuti ſunt ſcholaſtici doctores) ſitam eſſe, ſed recurrendum ad legislatoris voluntatem, qui rebus naturalibus moralitatem addidit; qua ratione recentiſſimo tempore PVFENDORFII ſequaces hac de re diſſerunt; difficile eſt, de mente Archelai certum definire, eumque vel damnare, vel abſolvere. [t] Quantum tamen conjecturis aſſequi licet, ad Deum boni & honeſti auctorem non reſpexiſſe videtur Archelaus, qui numen vel plane neglexiſſe, vel e rerum tamen humanarum ſphæra proſcripſiſſe videtur. Certe legum, artium & civitatum inſtituta ab hominibus e terra cum reliquis animantibus natis & ab iis poſtea diſcretis introducta ſtatuiſſe, diſerte ei tribuunt philoſophumena. [u] Quod, quantum ad atheiſmi impietatem conſtituendam vel augendam momentum habeat, & ad affricandam ſententiæ hujus auctoribus & patronis atheiſmi maculam ſufficiat, hujus loci non eſt expendere, ſed ad ſpecialem atheiſmi hiſtoriam pertinet. Et hæc quidem de ſchola & philoſophia Ionica.

o) Νῦν λέγει πᾶσιν ἐμφύεσθαι ζώοις ὁμοίως. Χρήεσθαι γὰρ ἕκαστον καὶ τῶν σωμάτων, ὅσῳ τὸ μὲν βραδυτέρως, τὸ δὲ ταχυτέρως. Quæ ita obſcure reddit interpres: *Ingenitam univerſis animalibus ſtatuit pari modo mentem; nam unumquodque etiam ex corporibus ea uti prout alterum quidem tardius, alterum vero expeditius.* Vult docere Archelaus, cauſam, cur animalia ratione magis minuſve utantur, ſitam eſſe in corporum diſpoſitione. Doctrinam late vagantem hanc amplexos nominat WOLF *h. l.*

p) SENECA *Qq. nat. l. VI. c. 12.*

q) *loc. cit.*

r) *De placit. philoſ. l. IV. c. 19.*

s) LAERT. *l. c.*

t) Prius faciunt *Obſ. Hal. Lat. T. II. Obſ. 21. §. 17. p. 453.* cel. I. IAC. SYRBIVS diſſ. *de origine atheiſmi §. 25. p. 48.* poſterius ven. I. C. WOLF. diſſ. *de atheiſmi falſo ſuſpectis S. II. §. 10. p. 36.* conf. cel. REIMMANNVS *Hiſt. atheiſmi c. XIX. §. 8. p. 149. ſeq.*

u) *l. c. p. 83.*

* *

CAPVT SECVNDVM.

DE SCHOLA SOCRATICA.

§. I.

Schola Socratica.

Hactenus de natura rerum ſollicite quærentes vidimus philoſophos, qui, quod tenui theologorum veterum traditione acceperant, non tantum exquiſitis curioſe cauſis rerum expenderunt, ſed ſyſtema quoque rerum naturalium condentes, juſtam philoſophiæ faciem induxerunt. De morali vero doctrina exigua eis cura fuit; etſi enim virtutem animi vehementer commendabant, laudare tamen, quod omnibus ingenitum putabant, contenti, de tradendis philoſophiæ moralis præceptis eum in modum, ut in naturali philoſophia inceperant, non cogitarunt, &, ferente tantum occaſione, parænetica methodo dicta moralia atque ſententias, more in Græcia tum recepto, pronunciarunt. Vnus Archelaus de moribus in ſcholis philoſophicis præcipere incepit, infeliciter tamen, ſi veteribus credimus, quod principiis phyſicis a vero doctrinæ moralis fundamento arceretur. Ejus cum diſcipulus eſſet Socrates, isque, quo erat ingenti animo magnoque judicii acumine præditus, videret, de cœleſtibus curioſe quærere philoſophos, iis, quæ domi ſunt & ante pedes, neglectis, ſicque nec voluntatem emendari, nec felicitatem animi inter inutiles ſpeculationes conſeneſcentis promoveri; philoſophiam a cœlo in terram deduxit, & de rebus ad mentem humanam, ſocietatem civilem, moresque hominum pertinentibus, quibus felicitas mortalium reapſe promovetur, philoſophari cœpit. Quod cum inſolito judicio, excelſo animo, ſumma libertate, & quod omnium maxime laude dignum, experientia animi propria faceret, tantam inde laudem meruit, ut non veteribus tantum ſapientiſſimus haberetur, ſed & noſtro tempore unus eſſe judicaretur, qui ex tota philoſophorum Græcorum cohorte veri philoſophi nomine dignus haberetur, & exemplum viri vere ſapientis commendaretur: facile vitæ innocentia, philoſophiæ laude, & morum integritate omnibus ſuperior, qui idem nomen geſtarunt, ita ut confundi ejus hiſtoria atque miſceri cum aliis non facile queat. [a] Operæ itaque pretium ſe facturos non præter rem ex veteribus crediderunt multi, ſi hiſtoriam vitæ & doctrinæ tanti viri, cui totus fere orbis aſſurrexit, deſcriberent, & poſteritati maximum philoſophi genuini & viri vere ſapientis exemplum enarrarent. In qua palæſtra ex Socratis diſcipulis deſudarunt XENOPHON atque PLATO: qui cum arcte illi adhærerent, & quotidiana converſatione ejus fruerentur, præ reliquis in hiſtoria vitæ & phi-

a) Multi apud veteres laudantur Socrates, probe inter ſe diſtinguendi; quorum catalogum exhibuit IO. IONSIVS *de Script. hiſt. philoſ. l. I. c. 2. p. 12.* I. A. FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 784.* & MENAG. *ad* LAERT. *l. II. ſ. 47.* Inter hos unum Peripateticum philoſophum nominat LAERTIVS *l. c.* de quo tamen apud veteres alios altum eſt ſilentium.

philoſophiæ Socratis attendendi ſunt, tanquam teſtes αὐτόπται. De quorum tamen fide diverſe ſtatuendum eſt. XENOPHON enim, qui a præceptore non eruditionem tantum moralem, ſed & vitæ integritatem nactus erat, cum uni præceptori adhæreret, non ſolum res Socratis ſcire potuit, ſed & alienis placitis & fictis rerum circumſtantiis hiſtoriam Socratis, quam nobis enarravit, [b] non contaminavit. PLATO vero, qui magiſtrum Socratem toties in dialogis ſuis loquentem introduxit, & imprimis Socraticam philoſophiam integram & incorruptam nobis tradidiſſe videri voluit, cum variarum doctrinarum ſyncretiſmo occupatus eſſet, captata fingendi licentia, toties Socrati cogitationes tribuit ſuas, ut hic, cum ejus Lyſidem audiret recitari, dixerit: proh dii immortales, quam multa de me mentitur adoleſcens. [c] Cujus rei cauſam Xenophontem detexiſſe narrat GELLIVS, [d] qui videndus. Poſt hos Ariſtoxenus, [e] Demetrius Phalereus, [f] Panætius, [g] Calliſthenes, Satyrus atque alii, Socratis vitam deſcripſerunt, [h] quorum tamen ſcripta nobis invidit temporis injuria: quemadmodum etiam, quæ de Socrate ſcripſit Porphyrius deſiderantur; quem tamen non ſemper veritati litaſſe, & Socratem multis convitiis oneraſſe refert NICEPHORVS: [i] & ex paucis quoque, quæ ſuperſunt fragmentis [k] patet. Ex recentioribus Socraticæ hiſtoriæ, qua erat in rebus & hiſtoria veterum peritia, IO. IONSIVS, multam lucem accendiſſet, ſi, quam promiſit, [l] hiſtoriam Socraticam, edidiſſet; verum & hoc quoque labore deſtituimur: ſicque accurata Socratis hiſtoria adhuc deſideratur. [m] Ea enim quæ diligenter collegit STANLEIVS, [n] ſylvam potius exhibent, conſcribendæ Socratis hiſtoriæ valde inſervientem, quam juſti corporis hiſtoriam. Nos inſtituti memores, ea colligemus, & ad criticæ lapidem Lydium exigemus, quæ in hiſtoria philoſophica univerſali ignorari non debent.

§. II. Fuit vero Socrates Athenienſis patria, pago Alopecenſis [o] natus Olymp. LXXVII. 4. Thargelionis menſis die 6. [p] qui Athenienſi- *Socratis natales & educatio.*

b) Habemus enim ab eo: *memorabilia Socratis, ſive de dictis & factis ejus libros quatuor*: quibus ὑποσημειωσάμενος τὰ λεγόμενα ὑς ἀνθρώπους, ut ait LAERTIVS *l. II. ſ. 48.* quæ ex colloquiis Socratis notaverat, congeſſit. Dicemus vero de Xenophonte infra, ubi de diſcipulis Socratis agetur. Horum memorabilium elegantem verſionem Gallicam debemus FRANC. CARPENTIERIO, quam Germanica veſte induit CHR. THOMASIVS *Hal. 1693. 8.* conf. cel. STOLLE *Hiſt. lit. P. II. c. 1. §. 31.* FABRICIVS *Biblioth. Græc. vol. II. p. 74. ſeq.* Vtimur vero editione LEVNCLAVII.

c) LAERT. *l. III. ſ. 35.*

d) *Noct. att. l. XIV. c. 3.*

e) Vid. IONSIVS *de S. Hiſt. philoſ. l. I. c. XIV. pag. 75.*

f) *Ibid. c. XVIII. p. 102.*

g) *Ibid. l. II. c. XIII. p. 179.*

h) Conf. FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 785.*

i) *Hiſt. Eccleſ. l. X. c. 36.*

k) Collegit ea L. HOLSTENIVS in *vita Porphyrii c. VIII. p. 253. ſeqq.* unde iniqua ejus in Socratem mens ſatis colligi poteſt. Aliam enim inſtituebat philoſophiam, quam quæ placebat Porphyrio, homini fanatico.

l) *l. c. l. I. c. 7. p. 37.*

m) Quæ enim habent D. HEINSIVS *Orat. p. m. 233. ſeqq.* IO. CLERICVS *ſylv. phil. c. 3. S. Rev.* BOERNERVS *Or. de Socrate ceu perfectiſſimo boni ethici exemplo*, FRID. MENZIVS diſſ. *de Socrate nec officioſo marito, nec bono patre familias*, aliique hiſtoriam Socratis non exhauriunt.

n) *Hiſt. philoſ. P. III. p. 110. ſeqq.*

o) LAERT. *l. II. ſ. 18.* & ALDOBRAND. *ad h. l.* MEVRSIVS *de pagis Atticis*, reverendiſſ. POTTERVS *arch. Gr. l. I. c. 9. p. 44. 45.*

p) LAERTIVS *l. c.* SVIDAS in *Socrates.* Marmor. Arundellianum apud STANLEI. *l. c.* qui hoc tempus 30. Maji A. C. N. 467. eſſe, computat. Conf. PETAV. *ration. temp. P. I. l. III. c. 8. p. m. 147.*

bus plus una vice fauſtus fuit: [q] maxime vero ob Socratis natales celebris: [r] Parentibus ortus eſt tenuis fortunæ, patre Sophroniſco Athenienſi lapidario, matre Phænareta obſtetrice, [s] quam tamen generoſam admodum & acrem nominat PLATO, [ſſ] quod ad imperterritam potius & non hebetis ingenii indolem, quam ſanguinis conditionem referendum eſt. Hunc cum magnis ingenii dotibus a natura inſtructum videret parens, illum oraculum de eo conſuluiſſe, refert PLVTARCHVS, [t] reſponſumque tuliſſe: ut ſineret eum agere, quicquid in mentem veniſſet, & neque vim faceret, neque alio abduceret, quam quo ille tenderet, ac pro eo vota faceret Iovi forenſi & Muſis, neque anxie Socratis curam gereret, qui ducem in ſe habeat vitæ, ſexcentis magiſtris præſtantiorem. Quæ tamen narratiuncula valde redolet ingenium Græcum, fingendi licentia ſemper famoſum; nam haud obſcure prodit, ideo eſſe excogitatam, ut fides traditioni de genio Socratis haberetur: nec veriſimile, Sophroniſcum adeo immemorem fuiſſe divini moniti, ut contra ingenii ſponte in alia ſe ferentis naturam filium artI ſtatuariæ adplicaret, cum non defuerint illi facultates, ut Iovi forenſi atque Muſis eum dicare potuerit. Quomodocunque vero ſe iſta habeant, illud extra dubitationis aleam ponunt veteres, parentem Socratis eum ad artem ſuam compuliſſe; quam, etſi repugnantem & ad majora tendentem atque in diverſa propenſum animum ſæpius oſtenderet, non tamen infeliciter exercuiſſe, veteres quidam tradunt, & ſtatuarum opus aliquod ab eo effectum paſſim oſtenſum eſt. [u] Parente tamen vivis erepto XXC. minarum hæres relictus, cum cognati cujusdam fidei commiſiſſet, ut iis fœnus faceret, jacturam earum paſſus eſt, [x] quare neceſſitate compulſus non Athenis tantum, ſed & Duris ſtatuariam exercuit; ita tamen, ut non niſi ad corradendos aliquos nummos, quantum ad victum parandum requirebatur, ea uteretur, [y] reliquum vero tempus, quod ab ejusmodi opere vacabat, philoſophiæ conſecraret, ad quam toto animo propendebat; quaque mentem emendare ſe poſſe ſperabat. Quod cum Critoni obſervatum eſſet, philoſopho opibus affluenti, eum ille ingenii præſtantia, & candore ejus atque ingenua indole delectatus, ad philoſophiam traduxit, in diſciplinam [z] tradidit, [a] & optimis præceptoribus inſtituendum commiſit: ſuppeditatis vitæ neceſſariis, & liberos ſuos ei inſtituendos dedit. [b] Quod cum animum Socra-

q) AELIAN. *Var. hiſt. l. II. c. 25.*

r) Hunc Socratis natalem, una cum Platonis, qui dies inſequens fuit, conviviis a philoſophis celebratum refert PLVT. *Sympoſiac. l. VIII. c. 1.* qui mos ad Plotinum usque ſervatus fuit, vid. PLOT. *vita p. 9.* Conf. quia de hoc more erudite commentatur CHR. ESCHENBACH. diſſ. *de Sympoſiis ſapientum diſſ. acad. V. §. 10. p. 316. ſeqq.*

s) PLATO *in Alcib. I. p. 131. & Theætet. p. 149.* LAERT. *l. c.* VAL. MAX. *l. III. c. 4.* aliique.

ſſ) Μάλα γενναῖαν καὶ βλοσυρᾶν *l. c.* conf. tamen ATHENAEVS *Deipnoſ. l. V. p. 219.*

t) *De genio Socratis T. III. p. m. 496.*

u) LAERT. *l. II. ſ. 19.* PAVSAN. *l. I. c. 22. l. IX. c. 35.* Scholiaſtes ARISTOPH. *ad nubes p. 170.* riſit eum ideo Timon LAERT. *l. c.*

x) LIBANIVS *Apol. T. I. p. 640.*

y) LAERT. *l. II. ſ. 20.* Poſita ſcilicet arcula collegit pecuniam, quæ daretur, conſumta ea, iterum poſuit.

z) LAERT. *l. c.* τῆς κατὰ ψυχὴν χάριτος ait amaviſſe Conf. SVIDAS *T. II. v. Crito p. 377.*

a) Ita τὸ παιδεύσαι apud LAERT. *l. c.* accipiendum eſt, nihil enim veteres de Critone, quod præceptor Socratis fuerit, habent. vid. *l. c. ſ. 121.* MAX. TYRIVS *Diſſ. XXII.*

b) LAERT. *l. II. ſ. 121.*

Socratis, sordidis artibus opes acquirere dedignatum, vehementer ad sequendam indolem impelleret, & in emendando animo studium omne ut poneret, excitaret, [c] effecit, ut voluptates & emolumenta quævis negligeret, & paupertatem, cum qua initio conflixerat, [d] patienter ferret. Omnium itaque fere artium & scientiarum magistros, quos noverat, optimos, adiit, & imprimis philosophiæ discendæ causa audivit Anaxagoram, eoque Athenis excedente, Archelaum, quo tempore annum ætatis agebat septimum atque decimum; [e] nec potuit non insatiabile Socratis discendi desiderium Archelao esse acceptissimum; quare eum in deliciis habuit, & in itinere Samum, Pythonem atque ad Isthmum comitem. [f] In arte musica Damonem, ejus peritia clarum, præceptorem nactus est, [g] lyra tamen canere paulo ante obitum demum a Lampone senex didicit, [h] qua ratione veterum hac in re dissensus, omnium facillime tolli potest, & dicta conciliari. In eloquentiæ vero præceptis addiscendis Prodici Sophistæ institutione usus est, [i] cujus tum in dicendo præstantia in admiratione fuit. [k] In arte poëtica Eveni [l] poëtæ industriam expertus est, in geometria Theodori: [m] Aristagoram Melium quoque quidam inter Socratis præceptores numerat; [n] & fatetur ipse, didicisse se a Diotima, singularis eruditionis femina doctri-

c) LIBANIVS *l. c.*

d) AELIAN. *Var. hist. l. II. c. 43.* Domum tamen comparasse, & XXC. minas a Critone fœnori datas, ait Demetrius Phalereus.

e) Dictum hac de re supra. Elevat hujus rei fidem BAYLE *Dict. T. I.* art. *Archelaus not. A. p. 289.* verum argumentum hoc a silentio Platonis & Xenophontis, & accusatorum Socratis, parum probare, quilibet videt. Videturque causa silentii, quia Socrates exiguo tempore Anaxagoram audivit, concedens mox ad Archelaum, ut ex rationibus temporum supra constitutis videri potest. Ideo quoque impietatem ab Anaxagora didicisse, objici non potuit, præcipue cum non ob speculationes physicas ei atheismus objiceretur.

f) LAERT. *l. II. s. 22.* cujus tamen textus ambiguus est, & indicare etiam videtur, Samum tantum cum Archelao profectum, alio tempore Pythonem & in Isthmum iter suscepisse. vid. OLEAR. *ad l. c.* STANLEII *p. 113.*

g) LAERT. *l. II. s. 19.* SVIDAS in *Socrate T. III. p 351.* saltationem quoque didicisse ait LVCIANVS *de salt. T. IV. p. m. 111.*

h) SEXT. EMPIR. *l. VI. s. 14.* Alii veterum Lamprum dixere, quorum loca indicat FABRIC. *ad h. l.* Alii Connum in senectute magistrum Socratis canendis fidibus fuisse tradunt, vid. PLATO in *Menox. T. III p. 235.* cumque ideo *γεροντοδιδάσκαλον* vocatum ait CICERO *l. IX. ep. fam. 22.* conf. ALLATIVS *ad Epp. Socraticas p. 186.* conf. VAL. MAX. *l. VIII. c. 7.* AMMIAN. MARC. *l. XXVII. c. 4.* distinguendum itaque inter adolescentiam qua canendi, & senectutem qua lyra cantandi peritiam Socrates acquisivit. Hanc vero in senectute didicisse, tradunt LAERT. *l. II. s. 31.* QVINTIL. *Inst. Orat. l. I. c. 17.* Sextus quoque *κιθαρισὴν* vocat. De Damonis vero peritia in musica vid. PLATO *de rep. l. IV. p. 400.*

i) PLATO in *Menone T. II. p. 90.*

k) Prodicus ex insula Ceio, & philosophiæ nomine celebris fuit, vid. *Scholiastes* ARISTOPH. *ad nub. p. 147.* & eloquentiæ laude tanta, ut primus L. drachmis declamaverit, vid. SVIDAS in *Prodicus T. III. p. 178.* Illud vero sapientiæ culmen attigisse credebatur, ut inde proverbium enatum sit; *Prodico sapientior.* In tanta tamen eloquentia gravis fuit auribus & injucunda pronunciatio. Iuvenum nobilissimos venatum esse adeo, ut & pararios ejus rei aleret, tradit PHILOSTRAT. *de vit. Sophist. l. I. c. 12. p. 496.* qui addit, tantum ejus eruditionis fuisse nomen, ut Xenophon quoque in Bœotio carcere detentus, differenti auscultarit corporis vade constituto. Pecuniis vero obnoxium & voluptati deditum fuisse IDEM notat. Nota ejus orationis Horæ titulo argumentum de Herculis optione, quod enarrat XENOPHON *Memorab. Socr. l. II. p. 737.* *σοφίαν καὶ γνώμην* huic soli inter meteorosophistas tribuit acerrimus philosophorum irrisor ARISTOPHANES, in *Nub.* conf. BAYLE *Dict. T. III.* art. *Prodicus p. 320.* FABRIC. *Bibl. Gr. vol. I. p. 793.*

l) Videndus de hoc poëta Elegiaco VOSSIVS *de Poëtis c. VI. p. 39.* qui eum in Ol. XCI. ponit, eo quod Philistus discipulus ejus floruerit Ol. XCIII. id quod cum testimonio PLATONIS in *Menox. T. III. p. 235.* ARIST. *Nicomach. l. VII. c. 11.* MAX. TYRII *diss. XVII.* qui Socratem Eveni discipulum fuisse, perhibent, stare non potest. Incidit enim hoc in Ol. LXXXII. conf. SVIDAS in *Philist. T. III. p. 604.* FABRIC. *l. c. p. 422.*

m) PLATO *in Theæteto T. I. p. 143.*

n) *Scholiastes* ARIST. *l. c. p. 173.*

nam de amore. [o] Quemadmodum & Aſpaſiam, eruditione illuſtrem feminam, Mileto oriundam, quæ non eloquentiæ tantum laude excellebat, ſed & diſcipulos haud paucos eosque clariſſimos formaverat, magiſtram habuit. [p] Sicque domi præceptores nactus egregios, ſapientiam atque eruditionem, quam hactenus Græci apud barbaros quæſiverant, didicit, nulla peregrinatione literaria ſuſcepta; ſine dubio experientia edoctus, magnos viros, qui ad barbaras gentes ſapientiæ diſcendæ cauſa profecti ſunt, plus ingenio & induſtriæ ſuæ, quam Orientalium vel Ægyptiorum ſacerdotum inſtitutioni debuiſſe. Ita vero doctiſſimus evaſit, adeo, ut non tantum XENOPHONTE teſte, [q] omni genere literarum animum cultum haberet, ſed & CICERONE obſervante: [r] *omnium eruditorum teſtimonio, totiusque judicio Græciæ eum prudentia & acumine & venuſtate & ſubtilitate; tum vero eloquentia, varietate, copia, quam ſe cunque in partem dediſſet, omnium eſſet facile princeps:* quam laudem ex recentioribus cordatus quilibet ei tribuit. Quare audiendus non eſt PORPHYRIVS, [s] qui eum, affirmavit, nulla re ingenio valuiſſe, indoctum rerum omnium, qui elementa literarum ægre pingere poſſet, quod ubi faceret, riſu merito ſpectantibus fuerit: immo vix eum legendo balbutientem abcdarium fuiſſe. Huic enim viro quantum fidei tribuendum ſit, jam notavimus.

Militia Socratis.

§. III. Ita artium, & imprimis philoſophiæ opera formatus, & egregium philoſophum, & bonum civem ſe præbuit. Etſi enim multitudinis ſtrepitum fugiebat, ſibique & amicis vivere geſtiebat, patriæ tamen haud uno nomine utiliſſimum ſe præſtitit: Militiam enim ex lege patriæ ſecutus, cum bellum inter Athenienſes & Lacedæmonios exortum fuiſſet atrociſſimum, tribus in eo bello vicibus militis munia obivit. Prima vice poſt annum ſecundum Olymp. LXXXVI. [ff] in obſidione Potidææ, ubi Alcibiadem commilitonem habuit: qui de eo teſtatus eſt, [t] omnes alios laboris patientia ſuperaviſſe, famem ſitimque ſuper omnes toleraſſe, & quamvis in conviviis eſſet hilariſſimus, nunquam tamen ebrium viſum fuiſſe: gelu pertuliſſe diriſſimum, ita ut nudis etiam pedibus per glaciem incederet. Amicum quoque Alcibiadem inter conferta hoſtium agmina graviter vulneratum videns, nunquam deſerere voluit, ſed præcedens eum, ipſum & arma ejus fortiter conſervavit: [u] tanta inſuper modeſtia uſus, ut cum præmia a ducibus illi tribuerentur, qui primas in prælio tuliſſet, eique judices addicerent, ille deprecatus, ut Alcibiadi darentur, precibus ſuis obtineret. Et eodem quoque bello cogitationibus

o) Vid. PLATO in *conviv. T. III. p. 201.* MENAGIVS *Hiſt. mul. phil. n. 11. p. 489.* Comm. Laërt. Artem amandi ab ea didiciſſe ait PLATO in *Phædro T. III. p. 201.* de qua eleganter dixit HEINSIVS *Orat. de Socr. p. m. 243.* ſed philoſophicam hanc doctrinam fuiſſe, ex iis diſcere licet, quæ in *Otio Vindelico Ex. I. p. 42. ſeqq.* diximus.

p) PLATO *in Menexeno T. III. p. 235.* De Aſpaſia Periclis magiſtra, ſcorto dein, infauſtis patriæ avibus, uxore, videndi quos laudat MENAG. *l. c. §. 6.* & in his præcipue PLVT. in *Pericle.*

q) *Memorab. Socrat. l. IV. p. 814.* conf. PLATO *in Apolog.* LAERT. *l. II. ſ. 19. 45.*

r) *De Orat. l. III. c. 16.*

s) Apud THEODORET. *Therap. l. I. p. 8.*

ff) LAERT. *l. II. ſ. 22.* THVCYDID. *l. I. p. 39. ſeqq.*

t) PLATO *in conv. p. 220.*

u) *Citati* PLVT. in *Alcibiade.*

bus demerſus in eodem veſtigio a matutino tempore immotus conſtitit, donec altera die ſol illuceſceret, cujusmodi raptus ei frequentes fuiſſe, teſtatur GELLIVS.[x] Secunda vice fortiter bello rem geſſit ad Delium Bœotiæ oppidum Olymp. XXCIX. 1.[y] Cum enim in prælio infeliciter rem egiſſent Athenienſes, Socrates Xenophontem in fuga, equo amiſſo, humi ſtratum videns, ipſe pedibus pugnans, humeris ſuſceptum per aliquot ſtadia deportavit, eumque defendit, donec inſequi hoſtes deſiiſſent.[z] In ipſa vero fuga non aliter incedens, quam ſi in urbe ambularet, animi robur, oculis omnia circumluſtrans, præ ſe tulit, ita ut nemo aggredi auderet. Dæmonis quoque voce in bivio conſtitutos de periculo monuiſſe, & obſequentes Alcibiadem & Lachetem periculo vitæ eripuiſſe, quod reliqui incurrerunt, narrat PLVTARCHVS.[a] Poſtremo militiam ſecutus fuit eodem anno ad Amphibolin.[b] Quamvis vero nullo in republica munere fungi vellet, quam tyrannis & innumera vitia invaſerant; ſive quod tyrannidis odio duceretur, ſive quod genii monitu a publicis negotiis arceretur, ut ipſe eſt faſſus; & ſic incolumem atque ſalvum ſe præſtaret, ut qui conſentire in ea, quæ contra jus fasque fiebant, non poſſet, nec ſe tamen ſine maximo periculo opponere valeret: provecta tamen jam ætate in ſenatum lectus eſt, nomine Antiochidis tribus, ad quam Alopece pagus, qui ei natales præbuit, ſpectabat.[c] In hoc munere tantam animi moderationem & invictam fortitudinem exhibuit; ut cum decretum contra jus fasque conſcribere juberetur, imperitiam ſcribendi cauſaretur;[d] triginta vero tyrannorum injurias reprehendere non ceſſabat, & odio atque indignationi eorum fortem & imperterritum objiciebat animum, & tanta cum libertate loquebatur, ut nec mortem, nec inſidias timeret, qua de re, digna lectu ſunt, quæ præter alios XENOPHON[e] commemoravit. Nec aliter in vita privata ſe geſſit, quam tantum ſapientiæ doctorem decebat. Erat enim teſte XENOPHONTE rerum primo venerearum ac gulæ ſupra omnes homines continentiſſimus: deinde hyemis, æſtatis, laborum omnium tolerantiſſimus: atque etiam ſic ad frugalitatem inſtitutus, ut quum valde modicum poſſideret, facillime contentus iis eſſet, quæ habebat. Id quod alibi latius confirmat Socraticæ hiſtoriæ auctor, memorabili ſententia ita locutus:[f] *Mihi quidem, cum talis eſſet, qualem commemoravi, nimirum adeo religioſus, ut ſine Deûm conſilio nihil ageret, adeo juſtus, ut nemini, ne quidem exigua in re noceret, prodeſſet autem iis maxime, qui eo uterentur: adeo temperans, ut nunquam id, quod jucundius eſſet, meliori anteponeret, adeo prudens, ut in melioribus ac pejoribus dijudicandis non erraret, neque alterius ad hoc opera egeret, ſed*

Senatorium munus.

Vitæ privatæ ratio.

x) *Noct. Att. l. II. c. 1.* Similem ecſtaſin ſupra in Gymnoſophiſtis notavimus, & hodie quoque dari inter Indos & Sinas monuimus.

y) THVCID. *l. IV. p. 316.*

z) LAERT. *l. II. ſ. 23.* STRABO *l. IX. p. 402.*

a) *De genio Socratis.*

b) Hanc quidem Socratis militiam mendacii arguere ſatagit ATHENAEVS *l. V. p. 215.* ejus vero argutiis allata teſtimonia recte opponuntur, quibus ſatisfecit CARPENTARIVS in *Gallica vitæ Socratis enarratione.*

c) PLATO in *apologia p. 31, 32.*

d) Rem narrat XENOPHON. *l. I. Hiſt. Græc. p. 446. mem. l. I. p. 711.* LAERT. *l. II. ſ. 24.*

e) Iidem, AELIAN. *Var. Hiſt. l. II. c. 11.*

f) *Lib. IV. Memor. fin.*

ſed ipſe ſibi ad cognitionem horum ſufficeret, & oratione proferre atque definire hujusmodi poſſet, atque etiam alios explorare, delinquentes arguere, ad virtutem & honeſtatem hortari: ejusmodi vir eſſe viſus eſt, qualis poſſet eſſe optimus & feliciſſimus. Talis cum fuerit Socrates, patrem familias non malum fuiſſe, facile colligi poteſt. Certe, quæ de conſtituenda re œconomica deque officiis patris & matris familias differuiſſe XENOPHON [g] tradit, ita comparata ſunt, ut facile in iis quoque ſummum philoſophum deprehendas: Socratem vero, qui dicendo non magis quam agendo philoſophatus eſt, ea expreſſiſſe judices. Dignum hujus teſtimonium exhibent, ſi vera ſunt, quæ de Socratis conjugio veteres perhibent. Cum enim occaſione peſtis, quæ civitatem tempore Socratis graviter afflixerat, Athenienſes, apud quos antea monogamia obſervabatur, bigamiam permitterent, [h] duas quoque uxores duxit Socrates; unam Myrtum, filiam Ariſtidis, non Iuſti, quod ait LAERTIVS & SVIDAS, [i] ſed alterius cujusdam, tertii ab illo, [k] quam miſericordia ductum ſibi connubio junxiſſe quod vidua eſſet, & ſumma inopia laboraret, tradit PLVTARCHVS. [l] Alteram Xantippen, civis Athenienſis filiam, de cujus malis moribus, moroſitate atque jurgiis, & irarum atque moleſtiarum muliebrium importunitate pleni ſunt veterum ſcriptorum commentarii, quorum loca diligenter digeſſerunt poſt LAERTIVM, [m] MENAGIVS [n] & STANLEIVS. [o] Non ſine multo tamen ingenio de narratiuncularum harum veritate atque fide dubitavit G. V. CHRIST. AVGVSTVS HEVMANNVS, qui mulieris per tot ſecula famoſæ apologiam meditatus eſt. [p] Is primo quidem loco ad Platonem & Ariſtotelem provocat, qui cum Socrati ætate proximi fuerint, & de mulierum virtutibus & vitiis haud uno loco differuerint, Xantippen tamen tacent; id non facturi, ſi malos mulieris mores noviſſent: Addit, Ariſtophanem, juratum Socratis hoſtem, qui in Nubibus tanta amarulentia Socratem traduxit, Xantippen non objicere. Tum melioris famæ teſtimonia de Xantippe enarrat, eamque monet, PLATONE, [q] LAERTIO [r] & VALERIO MAXIMO [s] teſtibus pietatem conjugalem & amorem mariti in ultimis ejus fatis, plorantem & ad extremum halitum perſeverantem apud eum demonſtraviſſe; & teſte AELIANO [t] de marito optime ſenſiſſe: Quæ vero refert ANTONINVS: " eam veſtem ſumſiſſe, cum præcingeretur ille pelli, indicare, Xantippen mariti veſtes induiſſe, cum unam tantum in paupere domo haberent, & utrique ſexui eadem veſtiendi ratio eſſet; ſicque ſpectaculum adituræ dixiſſe Socratem, vide, ne non ſpectandi cauſa, ſed ut ipſa ſpecteris, abeas, ut refert AELIANVS,

Res domeſticae ejus & conjugium.

g) *l. c. l. V.* qui *Oeconomicus* ideo inſcribitur.

h) LAERT. *l. II. ſ. 26.* GELLIVS *l. XV. c. 20.* conf. IONS. *de ſcript. hiſt. phil. l. I. c. 14. p. 75. c. 18. p. 202.* PRIDEAVX *Hiſt. V. T. T. I. p. 511.*

i) *ll. cc.*

k) ATHENAEVS *l. XIII. p. 555.*

l) In *vita Ariſtidis*, cujus neptem dicit, temporum rationibus ita magis ſatisfaciens.

m) *Lib. II. ſ. 36. ſeqq.*

n) *ad l. c. Laërt.*

o) *l. c. c. XVI. p. 186.*

p) *Act. philoſ. T. I. p. 103. ſeqq.*

q) In *Phædone p. 60.*

r) *loc. cit.*

s) *Lib. VII. c. 2.*

t) *Lib. IX. c. 7.*

u) *De ſe ipſo l. XI. §. 28.*

NVS,[x] communi igitur ſexus ſequioris vitio φιλοκοσμίαν foviſſe, quæ in tantum ejus dedecus verti non queat. Et, ne contraria afferentes teſtes obſtent, eorum fidem elevat, monetque PLVTARCHVM[y] ea, quæ de Xantippe menſam Socratis evertente narrat, alio loco[z] Pittaci conjugi tribuiſſe, ſicque traditionis fontem aperuiſſe: impudicam vitam, quam THEODORITVS[a] & ATHENAEVS[b] affirmant, eſſe calumniam a STANLEIO[c] deterſam: nec ſecum AELIANVM[d] concordare, qui prius bene de ea locutus, fabulam de conculcata placenta ab Alcibiade protulerit. GELLIVM[e] moroſitatem & jurgia ejus culpantem, SYNESIVMque[f] contemtus mariti inſimulantem incertam famam ipſos prodidiſſe. Nec meliora eſſe quæ LAERTIVS narrat, qui ſolitus ſit incertas narratiunculas ſine teſte hiſtoriæ ſuæ infarcire. Nos hæc lectoris judicio relinquimus, nec vel confirmandis vel refutandis iis inhæremus, id modo, quod legibus fidei hiſtoricæ convenit, tanquam vero ſimillimum afferentes. In qua XENOPHONTI[g] primum locum deberi, nemo, credo, temere negaverit. Tradit is, *Socrati in convivio monenti, ut uxorem quis doceat, quicquid tandem ſit, in quo illam peritam habere cupiat, objeciſſe Antiſthenem: Cur igitur, qui in ea ſis ſententia, non tu quoque Xantippen inſtituis; quam uxorem habes omnium, quæ ſunt, & fuerunt, ut arbitror & deinceps erunt, acerbiſſimam?* (χαλεπωτάτη) *Ei vero reſpondiſſe Socratem: Quod eos quoque video, qui equeſtris rei peritiſſimi fieri volunt, non illos ſibi equos comparare, qui lubentiſſime pareant, ſed valde animoſos, exiſtimant enim ſe, ſi tales cohibere poſſint, facile alios etiam equos tractaturos: Itaque & ipſe, quum uti hominum conſuetudine cuperem, hanc mihi quæſivi, quod futurum ſcirem, ut ſi eam tolerare poſſem, facile cum univerſis hominibus ceteris verſarer.* Ex quo luculento Xenophontis loco patet, difficillimam fuiſſe, & vix tractabilem Xantippen, quæque moribus intolerabilibus alias anteverterit: hanc ſibi elegiſſe Socratem, ſpe emendandæ vel regendæ ſaltem & tolerandæ ope philoſophiæ. Quousque profecerit tanto magiſtro Xantippe, tacent quidem teſtes Socratis domeſtici; ex fide & amore tamen, quam marito ultima fata ſubeunti præſtitit, facile conjicias, ſi non moderatum & tranquillum mariti animum didicit, ejus tamen bonitatem animi & fidem agnoviſſe. Et videtur GELLIVS, qui eam *moroſam admodum & jurgioſam* dixerat, ad eundem Socratis animum reſpicere; narrat enim:[h] *Alcibiadem demiratum interrogaſſe Socratem, quænam ratio eſſet, cur mulierem tam acerbam domo non exigeret? dixiſſe vero illum: Quoniam cum illam domi*

x) *Lib. VII. c. 10.*
y) *De ira cohibenda.*
z) *De tranquill. animi.*
a) *Therap. XII. p. 174.*
b) *Lib. V. p. 219.* c) *loc. cit.*
d) *Lib. XI. c. 12.*
e) *Lib. I. c. 17.*
f) In *Dione p. 58.*
g) In *Sympoſ. p. 876.*
h) *l. c.* Socratem vero a petulantibus quibusque impetitum fuiſſe, narrant LAERT. *l. II. ſ. 26. 36.* PLVTARCH. *de liberor. educatione;* SENECA *de ira l. III. c. 11.* BASILIVS *quomodo legendi Græcorum libri p. 94.*

domi talem perpetior, insuesco & exerceor, ut cæterorum quoque foris petulantiam & injuriam facilius feram. Nihil enim hic dicit Gellius, quod non testis oculatus & auritus Xenophon dixerat; unde ejus testimonium rejici, & Xantippe e mulierum moribus intolerabilibus & morosis molestissimarum numero eximi nequit. Verisimile vero est, plerasque historiolas, quæ de ea narrantur, otiosa Græcorum ingenia confinxisse, ut de malis mulieribus plerumque centum fabellæ solent narrari, quæ ad posteros propagatæ novisque plerumque additamentis auctæ, traditionis serie fidem tandem emendicarunt. Factum id esse, vel ex eo non obesæ naris lector subolere potest, quod apud THEODORITVM[i] narrat Porphyrius: *Xantippes & Myrtus altercationes plerumque desiisse in verbera, quæ conjunctis manibus Socrati intulerint, quod ille præsens earum pugnam intueretur, neque ei unquam intercederet, sed rideret effuse, quod & fecerit, ubi ipsum pugnis impeterent suis.* Quemadmodum enim hæc ab indole Socratis scopoque, quem sibi in ducenda conjuge fixerat, sunt alieniſſima, & calumniam prima fronte produnt: ita alio eoque luculento XENOPHONTIS[k] loco refutari possunt; ex quo, quam molestiam excitaverit Xantippes morositas, luculenter patet, rectèque colligitur, mulierem, etsi intemperantissimæ & vehementis linguæ, nec animo bono destitutam fuisse, nec verberibus suos petiisse, nec officiis matrisfamilias defuisse: [l] quem, quia prætermisit doctissimus Heumannus, integrum apponemus. Exposuerat scilicet Socrates filio Lamprocli, quem ex Xantippe susceperat, innumera beneficia, quæ a parentibus proficiscuntur in liberos, & imprimis gravi & diserta oratione, pericula, curam, labores, fidem matris eum gestantis, parientis, nutrientis, educantis enarraverat, ut, quantum ei amorem deberet, convinceret. Ad ea subjicit adolescens: *tametsi hæc omnia fecerit, aliaque his multo plura, nemo tamen ejus asperitatem perferre possit:* & Socrates, *Vtrum existimas*, inquit, *toleratu esse difficilius feræne sævitiam an matris? equidem*, inquit, *matris arbitror, quæ sane talis sit. Ergone unquam vel mordendo, vel calcitrando te læsit? cujusmodi a belluis multi perpessi sunt. At enim*, inquit, *ea loquitur, quæ quis audire vel ob omnem hanc vitam nolit. Tu vero quam multa*, subjecit Socrates, *intoleranda te huic negotia tum facto, tum interdiu, tum noctu a prima usque ætate molestando putas exhibuisse? quantum doloris attulisse, quoties ægrotares?* Et paulo post: *Tu vero cum plane scias matrem, quæ dicit, non modo nihil mali cogitantem dicere, sed etiam optantem tibi tantum boni, quantum alii nulli, nihilominus iniquo, in eam*

es

i) *Therapevt. l. XII. p. 174.* qui cum id a Porphyrio relatum referat, quo loco tota narratio habenda sit, facile ex supra dictis colligi potest.

k) *Memorabil. l. II. p. 741.*

l) Pro fabula itaque habendum etiam est, quod SALVIANVS *de gub. Dei l. VII. p. 299.* ed. Rittersh. tradit: *uxores jussisse esse communes, omnibusque viris misceri: nec suffecisse ei docere hoc, nisi ipse feciſſet. Vxorem enim alteri viro tradidisse.* Tacent hoc omnes scriptores vitæ Socratis, proditque fabulam Salvianus qui addit: *Vicit Socrates, qui de hac re & libros condidit, & memoriæ hæc pudenda mandavit.* Nihil enim tale scripsisse Socratem, in confesso est. Idem vero cum tradat TERTVLLIANVS in *Apolog.* idem quoque ei dictum esto.

es animo? an existimas, male tibi matrem velle? non equidem, inquit, *hoc arbitror.* Et Socrates: *Ergone tu hanc*, ait, *quæ tui studiosa est, ac ægrotantis curam gerit, quantum maximam potest, ut valetudinem recuperes, ac re necessaria nulla egeas, præterque hæc multa Diis bona pro te vovet, ac vota reddit, sævam esse dicis? Equidem ita statuo, si matrem ejusmodi ferre non possis, non posse te, quæ bona sunt, ferre.* Quo loco nihil elegantius est, ad faciendam Xantippes apologiam; etsi enim linguæ intemperiem illi manifeste tribuat, moresque morosos & acerbos, bonam tamen fuisse matrem, suorum amantissimam, & officii observantissimam, ipse testatur Socrates, testis omni exceptione major, qui satis prodit, quo loco eam habuerit, & quantum in schola sua profuerit. Quod si itaque inter animi & linguæ malitiam distinguamus, facile responderi poterit quærenti: an Xantippe mala fuerit mulier? Præter hunc Lamprodem vero, quem oppido juvenem obiisse ex PLVTARCHO [m] colligi potest, alios genuisse liberos Socratem, PLATO [n] innuit, tres commemorans, quorum natu minimum, eo die quo extinctus est Socrates, in sinu gestatum mater in carcerem asportavit. Ex Myrtone, is quoque testatur, filios suscepisse duos, Sophroniscum & Menexenum, quem tamen alii Xantippe prognatum volunt. [o]

§. IV. Quemadmodum vero de familia bene mereri cupiebat Socrates, & bonum se præstabat patremfamilias, ita nec sibi soli nec suis tantum natum se existimavit, sed & hominibus aliis & imprimis juventuti se utilissimum præstitit. Eum scilicet sibi philosophandi finem præfixerat, non ut argutis disputationibus, vel curiosa rerum cœlestium explicatione eruditionem ostentaret, quorum prius sophistæ faciebant, posterius physici, [p] sed ut animos ab errore liberaret, veritatem commendaret, virtutis amorem excitaret, sicque corruptas vitiis mentes emendaret, & ad veram, quæ hominem satiare apta est, felicitatem viam sterneret. Id quod eleganter multis in locis indicavit XENOPHON, [q] dignus, qui totus legatur, cum meliorem semper dimittat lectorem. Huic vero scopo ut faciat satis, non tam scholam aperuit, [r] etsi Socratis phrontisterium acerbe traducat ARISTOPHANES, [s] quam, totam potius civitatem sibi docendi locum esse, constituit. *Erat enim*, teste XENOPHONTE [t] *semper in hominum oculis: nam mane ad loca deambulationibus & exercitiis destinata* (qualia erant Academia, Lyceum, pratum item amœnissimum extra urbem, in Iliissi fluvii ripa) [u] *pergebat, & cum frequens erat forum, id quod circa meridiem fiebat,*

Modus docendi philosophiam Socraticus.

m) *De genio Socratis.* Conf. STANLEI. *l. c. p. 187.*

n) In *apologia p. 34.*

o) LAERT. *l. II. s. 26.*

p) XENOPHON. *ἀπομνημον. l. I. p. 710.*

q) Vid. imprimis *l. c. p. 711.*

r) PLVT. *utrum seni gerenda respubl.*

s) *Act. I. Sc. I. v. 94.* qui tamen locus magis inimicum Aristophanis in Socratem animum probat, quo domum ejus, ad quam juvenes & amici interdum convolabant, ut ex XENOPHONTE colligere est, *l. I. p. 719.* invidioso nomine traduxit. Peculiarem enim scholam Socratem aperuisse, nec Plato nec Xenophon tradunt, nec ratio vivendi & conversandi Socratis patiebatur.

t) *l. c. p. 709.*

u) Hæc loca conversationi Socratis inserviisse ait AVCTOR *Epist. Socratis, ep. XXV.*

ebat, conſpiciebatur in publico, reliquumque diei degebat iſtic, ubi verſaturus inter plurimos eſſet. Diſſerebat autem plerumque ſic tamen, ut ipſum audiendi facultas eſſet iis, qui vellent. Nec, quod porro monet PLVTARCHVS,[x] *tum demum docebat, ubi poſita ſubſellia eſſent, aut cathedra conſcenſa, aut diſcipulis deambulationis aut ſcholæ conſtituta hora: ſed cum aliis ludens, cum aliis, ut occaſio ferebat, bibens, militans, in foro verſans ad extremum etiam in carcere agens & venenum bibens philoſophabatur.* Nec magnos tantum viros nobiliſſimosque juvenes, qualis Critias & Alcibiades, ſectabatur, ſed & per officinas[y] ſapientiæ diſcipulos quærebat, cujus exemplum in Simone poſtea dabimus. Methodo vero utebatur admirabili, ita ut non ſolum in dicendo eſſet acerrimus, ſed & ſumma arte homines caperet & circumveniret. Conſtitit vero Socratica methodus ironia & inductione, quarum illa, definiente QVINTILIANO,[z] *totius voluntatis fictio eſt apparens magis, quam confeſſa; ut illinc verba ſint verbis diverſa, hic ſenſus ſermonis, & joci, & tota interim cauſæ confirmatio, tum etiam vita univerſa ironiam habere videatur.* Hoc artificio uſus, *de ſe ipſo detrahens in diſputatione, plus tribuebat illis, quos nolebat refellere*, ut ait CICERO,[a] *donec eos propriis verbis conviciſſet.* Inductione vero, eodem CICERONE definiente,[b] *rebus non dubiis captabat aſſenſionem ejus, quicum diſputare inſtituerat: illisque aſſenſionibus faciebat, ut illi dubia etiam res, propter ſimilitudinem earum rerum, quibus aſſenſit probaretur, ſicque nihil ipſe afferebat ad perſuadendum, ſed ex eo, quod ſibi ille dederat, quicum diſputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod jam conceſſiſſet, neceſſario approbare deberet.* Hacque methodo, quemcunque aggreſſus erat, undecunque etiam diſputationis feciſſet initium, poſtremo ſeſe circumagi ſentiebat, ſemelque adactus non prius dimittebatur, quam omnia eſſent diſcuſſa, ſicque coacti propriis argumentis ad ſe ipſos redire compellerentur. Nec gravem & moroſum ea in re ſe Socrates exhibuit, ſed, ut erat omnium jucundiſſimus, lepore & humanitate omnibus præſtitit. [c] Cujus diſputandi methodi exempla nobis diſcipuli ipſius Xenophon atque Plato plurima reliquerunt, tanto artificio contexta, [d] ut non defuerint, qui hanc diſputandi rationem omnibus aliis præferrent: [e] id quod tamen in morali potius, quam naturali argumento, [f] quemadmodum Socrates inſtituebat, valet. Sic itaque modeſtiſſimus Socrates nullius ſe magiſtrum jactabat, nec minerval accipiebat, [g] ſed matri obſtetrici ſe ſimilem prædicabat, quæ parum

x) l. c.
y) LAERT. *l. II. ſ. 21.*
z) Inſtitut. Orat. l. IX. c. 2.
a) Academ. Qq. l. IV. c. 5.
b) De invent. l. I. c. 31.
c) IDEM *de Oratore l. II. c. 67.*
d) Conf. CLERICVS *ad Æſchin. Dial. II. p. 54. Bibl. Choiſie T. XXII. p. 426. ſeqq.*
e) CLERICVS *Log. P. IV. c. 9. p. 217. ſeq.* DE CROVSAZ *Log. P. IV. ch. 7. p. 1437. ſeqq.* & recentiores Logici alii: Reprehendit tamen eum Cel. ZIMMERMANNVS *am. liter. T. XI. p. 111. ſeqq.*
f) Exemplum tamen ex naturali philoſophia exhibuit CROVSAZIVS: verum ex quo cognoſci queat, non tam perſpicuam gignere notitiam, quam in argumento morali, cui ſoli Socrates adhibuit.
g) Improbaſſe hunc morem, quem Sophiſtæ ſequebantur, refert XENOPHON *l. I. p. 712. Schol.* ARIST. *p. 129.*

rum fœcunda, ipſa tamen ſingulari aliis opitulandi dexteritate prædita, earum fœtus in lucem educere laboret. [b] Et hac quidem via tum ad formandos & emendandos humanos animos, tum ad confundendam ſtultitiam impigre graſſatus eſt. Iuvenum enim ita ſibi devinxit artibus iſtis mentes, ut hunc ſibi potiſſimum ſapientiæ doctorem non audiendum tantum, ſed ſequendum etiam proponerent: ſophiſtarum vero inanem loquacitatem & falſas artes, quibus Athenæ tum temporis faſcinabantur, in ruborem dedit, & denudatas omnium contemtui expoſuit. Quæ res ei multas calumnias concitavit, vitæque tandem conflavit periculum. Cum enim loquaces ſophiſtas quam maxime pungeret, & ſimulatione humaniſſima circumventos non dimitteret, donec convicti in pudorem darentur, adeo crabrones irritavit iſtos, ut eum tanquam hominem bilinguem, deriſorem, mendacem traducerent, unde occaſionem arripuit Timon, acerba ſatyra [i] illum vocandi *loquacem*, *impoſturæ magiſtrum*, *deriſorem*, *rhetorem ſubatticum & ſimulatorem:* ARISTOPHANES vero hoc eum nomine in theatro publice traduxit. [k] Immo fuit, quod mireris, inter recentiores vir non indoctus, [l] ſed placitorum ſuorum nimis amans, qui hanc Socratis ironiam ſuperbiam ſubtiliorem & elatioris animi larvam affabre effictam continuiſſe putaret. Qui ſi miſeris ratiunculis, quibus veram animi modeſtiam, quam humilitatem vocant, exulaviſſe ex Socratis ironia probare voluit, veram hujus methodi naturam oppoſuiſſet, & expendiſſet, Socratem non animi malignitate & ad deridendos alios vera animi ſententia ſimulata, alia prorſus finxiſſe, ſed ut captis & illaqueatis animis eos invitos ad virtutem adduceret & emendaret, nec hanc fuiſſe apud Socratem, teſtibus iis, qui illum audiverunt, animi ſtultitiam, ut qui ſe neſcire omnia diceret, omnia ſe noſſe crederet, abſtinuiſſet ab optimi viri vituperatione, verba magis, quam rationum pondus præ ſe ferente, certe eam humilitatem, quam ex divinioris ſpiritus ſchola profectam Chriſti diſcipuli exercent, cum naturali animi ſobrii & modeſti, & elatos ſenſus fugientis virtute [m] non confudiſſet.

§. V. Non vero aliis tantum, ſed ſibi quoque philoſophatus eſt Socrates, inque id omnibus contendit nervis, ut quod alios doceret, ipſe faceret, &, quam apud alios quærebat animi emendationem, ipſe poſſideret. Quo factum eſt, ut, cum is egregie practicam philoſophandi rationem excoluiſſet, reliquos non ſui tantum, ſed omnis fere temporis vetuſtioris philoſophos, ſanctiori lumine non colluſtratos antecelleret. Erant enim in eo & dotes animi præſtantiſſimæ, & diſciplina philoſophiæ, quæ mores format, exactiſſima, [n] & experientia longo uſu perfectiſſima, quibus recte me- *Dotes & virtutes ingenii.*

h) PLATO in *Theæt. p. 149.*
i) In *Sillis* apud LAERT. *l. II. ſ. 18.*
k) In nubibus, ex quibus quædam affert LAERTIVS *l. c.*
l) FRANC. BALTVS in *Apologia PP. Platoniſmi accuſatorum l. III. c. 14. p. 367.*
m) Eam vero Socratem coluiſſe, ex §. *ſeq.* erit manifeſtum. Idem reponendum PERRALTIO *Parall. Des anc. & des modernes T. IV. p. 139.*
n) Omnium vero diſciplinarum callentem fuiſſe, ſupra obſervatum eſt & innuit XENOPHON ſæpius, vid. *l. IV. p. 814.*

ruit omnibus anteponi, talisque videri, qui ad virtutem divino inſtinctu, ut ait PLVTARCHVS,[o] incitaretur. Tanta utebatur judicii acie, & quam experientia genuerat, prudentia, ut in melioribus ac pejoribus dijudicandis non erraret, neque alterius ad hoc opera indigeret, ſed ipſe ſibi ad cognitionem horum ſufficeret, & oratione definire poſſet atque etiam explorare alios.[p] Ingenium ei erat elegans, & fœcunditatis miræ, quod ita callidam ejus eloquentiam fecerat, ut quamcunque vellet, quæſtionis partem, affirmantem negantemve, poſſet defendere. Quod etſi in eo carpebant inimici, & imprimis poëtæ,[q] qui peſſime eum traducebant, tanquam bilinguem, nunquam tamen in veritatis & virtutis detrimentum uſus eſt. Memoria utebatur fideli, & experientiam habebat multorum annorum, qua, quid honeſtum, quid turpe, quid laude vel vituperio dignum, certiſſimis argumentis cognoſceret. Mirum itaque non eſt, omnium fere totius antiquitatis auctorum, qui odio Socratis iniquo ducti non ſunt, conſenſu maximum virum judicatum eſſe.[r] Et hæc quoque præſtantiæ ſapientiæ Socraticæ admiratio traditionem peperit, quam veteres unanimi tantum non ore ſequuntur, Apollinem de ſapientiſſimo ſui temporis viro interrogatum reſpondiſſe:

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Ἐυριπίδης
Ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος.
Sapit, Sophocles, & magis Euripides
Sapit: ſed omnes antecellit Socrates.[s]

Quod oraculum tam certum habuere veteres, ut de eo nulli dubitarent, & Chriſtianorum doctores illud dæmonis vocem fuiſſe contenderent,[t] deridentes ejus imprudentiam, qui ſapientiſſimum diceret eum, qui Deos tolleret, ſicque propriæ familiæ ruinam commendaret. Aliter tamen, nam & hoc negandum non eſt, Epicurei; qui, ut omnia oracula tanquam hominum fraudes & impoſturas ridebant, ita & hanc narrationem *ſophiſticam, & præ faſtu odioſam*, quemadmodum ait Colotes Epicureus,[u] judicaverunt, a qua ſententia nec ATHENAEVS quoque diſceſſit, quorum veſtigiis inſtitit doctiſſimus VAN DALEN,[x] ita ut veritatem narrationis eo potiſſimum argumento in dubium vocaret, quod diverſe eam narrent Xenophon & Plutarchus, nec Pythia Iambico carmine, ſed hexametro reſpondere ſemper ſolita ſit. Quamvis vero hæc tanti roboris non ſint, ut tantum in hac re veterum conſenſum evertere poſſe, videri queant,[y] negandum tamen non eſt, eſſe in tota narratione juſtam fraudis ſuſpicionem: non enim urgebimus, referre hanc traditionem Socratis amicos, in longo poſt diſceſſum Socratis tempore conſcriptis apologiis, quibus facile erat ad augendam con-

o) *Adv. Coloten T. III. p. m. 421.*
p) XENOPHON *l. I. p. 718.*
q) Vid. *not.* (*i*) ARISTOPHANES *in nub. Act. I. v. 52.*
r) *Conf. collecta Act. Philoſ. Vol. I. p. 55. 101. 473 ſeqq.*
s) Ita totum exponit SVIDAS *v.* σοφὸς *T. III.*
t) SALVIANVS *de gubern. p. 260.* TERTVL. *in apologet.*
u) Apud PLVTARCH. *l. c.*
x) *De oraculis gentil. diſſ. II. p. m. 194.*
y) Conf. IOS. BARNESIVS in *vita Euripidis p. 28.*

contra perſecutores Socratis invidiam talia comminiſci, nec Platonis in præceptoris hiſtoria narranda fidem tantam eſſe, ut is nihil finxiſſe, vel fictum admiſiſſe credi queat; nec monebimus prolixe, prætermiſſum eſſe hoc de Socrate teſtimonium a Xenophonte in memorabilibus, quod non facturus fuiſſet, ſi jam tum inter homines percrebuiſſet: illud potiſſimum, prætermiſſa jam de fide oraculorum diſputatione, qua facile tota hiſtoria convelli poteſt, notandum, totam narrationem niti Chærephontis, qui Delphicum oraculum interrogavit, teſtimonio, ad cujus fratris conſcientiam PLATO, [z] ubi Socratis perſonam mentitus hæc refert, provocat. Etſi enim revera a Chærephonte ejusmodi traditionem profectam veriſimile ſit, ita ut non neceſſarium ſit, fidem non ſolum Platonis, ſed & Xenophontis, probatam alias, in dubium vocare; manifeſtum tamen eſt, ab unico homine editam, & tali quidem, quem vehementem fuiſſe, quamcunque ad rem ſe convertiſſet, ipſe PLATO tradit, quique adeo affectu in Socratem nimio occupatus fuit, fidem non mereri. Quam vehementer quoque minuunt, & exempla ejusmodi oraculorum de philoſophis edita, [a] quæ manifeſtam fraudem ſapiunt, & ſilentium ea de re, quamdiu Socrates vixit: eo demum tempore re prolata, ubi & Socrates & Chærephon vivere deſierunt. Probabile itaque eſt, amicum Socratis more iſtis temporibus recepto, cum humana ſorte majorem præceptorem crederet, & imprimis opinione de genio divino ei præſidente occupatus eſſet, ejusmodi fabulam confinxiſſe, quæ cum publicam lucem initio ſubterfugeret, tandem animis Socraticorum diſcipulorum poſt gravem magiſtri perſecutionem redeuntibus & creſcentibus, cum in miſericordiam verſa eſſet populi Athenienſis erga Socratem invidia, in publicam notitiam ideo traducta eſt, ut odium in auctores necis Socratis, quam omnes boni indignam credebant, & ægerrime ferebant, augeretur, & fama præceptoris, quem pro prudentiſſimo & optimo viro plerique, qui judicio & virtute eminebant, habuere, divino quoque teſtimonio fulciretur. Alia argumenta, quæ hæc roborant, ne nimii ſimus, prætermittimus, legenda apud eruditiſſimum HEVMANNVM, [b] qui ingenium & doctrinam in hoc argumento comprobavit. Etiamſi vero hoc oraculi teſtimonium falſum & mentitum merito judicatur, recte tamen inde publicum de doctrina & virtute Socratis colligitur teſtimonium, cum bonus atque prudens quilibet illud, tanquam veritati conſentaneum receperit, nec vel veteres, vel recentiores de hac exiſtimatione Socratis, ſi paucos excipias, in tanta teſtium nube non audiendos, quicquam detraxerint. [c] Quantacunque tamen doctrina & ſapientia atque prudentia Socratis fuerit, major tamen fuit animi ejus modeſtia, qua nec ſibi arrogavit quicquam, nec ſe aliis prætulit, nec de ſe ambitioſe locutus eſt, nec

z) In *Apologia p. 21.*

a) Varia hujus rei exempla ſuo loco occurrent, de Platone, Apollonio, Plotino.

b) *Act. Philoſ. Vol. I. p. 473.*

c) Recentiorum elogia innumera ſunt. Ex plurimis vide MVRETVM *Orat. p. 381.* LIPSIVM *Manud. phil. Stoic. diſſ. XVII.* ERASM. in *Colloq. p. 651.* PARCKER. *de Deo diſp. IV. ſ. 25. 26.* & paſſim. CASAVBON. *de enthuſ. c. I. p. 4. c. II. p. 18.* & imprimis qui luculenter Socratis virtutes laudat DAN. HEINSIVM *l. c.*

nec honores publicos ambiit, ſed ſtudioſe potius evitavit: quam animi moderationem tot exemplis probavit Xenophon, ut plane audiendus non ſit BALTVS, [d] qui latentem animi ſuperbiam tacito animi judicio ſe aliis omnibus prudentia & eruditione anteponentem in eo latuiſſe, confidentius, & invitis veterum teſtimoniis, pronuntiat. Inde notiſſima Socratis vox: *nihil ſe ſcire*, *niſi hoc*, *quod nihil ſciat*, quam maximam & potiſſimam Apollini cauſam fuiſſe, cur eum ſapientiſſimum judicaret, exiſtimavit CICERO [e] duplici vero nomine hoc de ſe pronunciaſſe videtur Socrates. Nam poſcebat hoc methodus, qua utebatur, quæque ſimulationem ideo commendabat, ut eo certius inanes ſophiſtas ſcientiæ univerſalis opinione turgentes, nec ulli tamen, quod ſolidum eſſet fundamento ſua ſuperſtruentes, confoderet; qui cum nihil is ſe ſcire profiteretur, de cauſis & rationibus aſſertionum ſuarum interrogatis, cum ſolidis argumentis deſtituerentur, facile confuſi ſunt. Deinde & tanta erat Socratis prudentia, ut non tantum multa eſſe, ſciret, quæ humanæ ſcientiæ terminos fugerent, & quorum vel tenuis, vel nulla prorſus eſſet ſcientia; ſed & σοφὸν hoc eſſe φάρμακον cognoſceret, ad ejicienda animi præjudicia & errores. Ignorantiam itaque hanc doctam & philoſophicam merito vocaveris, quæ non omnium ſibi rerum incertitudinem, finem philoſophandi propoſuit, ſed prudentem & modeſtam terminorum, quibus circumſcriptus eſt humanus intellectus, agnitionem adhibuit ad inquirendam veritatem, & conſequendam ſcientiam. Quem ſibi philoſophiæ finem propoſuiſſe Socratem, vel ex eo patet, quod ſapientiam & ſcientiam ſummum bonum dixerit, eamque philoſophiæ ſuæ finem poſuerit, teſte LAERTIO. [f] Qui itaque cum HVETIO, [g] Socratem inter ſcepticismi patronos & doctores numerant, ad hæc non attendunt, nec ſenſum ſcopumque verborum Socratis recte aſſequuntur.

Virtutes animi, pietas & religio.

§. VI. Qualis vero ingenio fuerat Socrates, talis etiam animo & voluntatis virtutibus fuit. Divini numinis cultor adeo religioſus fuit, ut ſine Deorum conſilio nihil ageret, [h] eumque impii quicquam aut nefandi nec patrare quisquam viderit, nec dicere audiverit: potiusque de Diis ita locutus ſit, & in eos ſe gefſerit, ut ſi quis ea tum dicat, tum faciat, ſit atque putari debeat religioſiſſimus. [i] Nec obſtat pietati & religioni Socratis, quod impietatis nomine damnatus fuerit: profectam enim fuiſſe hanc accuſationem ex odio & invidia ſophiſtarum poſtea dicemus, & demonſtraverunt luculenter, qui magiſtri apologias ſcripſerunt XENOPHON atque PLATO. [k] Nam quod nubicolam fuiſſe, objecere ARISTOPHANES,

d) *l. c.*

e) *Acad. Quæſt. l. I. c. 4.*

f) *l. II. ſ. 31.* conf. ABR. GRAVIVS *Specim. philoſ. veteris c. II. p. 8. ſeqq.*

g) *De la foibleſſe de l' esprit humain l. I. ch. 4. p. 105. ſeq.*

h) XENOPHON. *l. IV. p. 818.*

i) IDEM *l. IV. p. 711.*

k) Veteres & recentiores, qui Socratem ab atheiſmi crimine liberarunt, recenſet diligentiſſimus REIMMANNVS, *Hiſt. ath. c. XXI. §. 4. p. 158.* quibus adjici poteſt CVDWORTHVS *Syſt. intell. c. IV. §. 23. p. 482.* & doctiſſimus *Interpres ad h. l.* CLERICVS in *ſilvis philolog. ad Aeſchin. c. III.* quod *de Socrate* inſcripſit, *p. 177. ſeqq.*

NES [l] & inimicorum alii, non alio ſenſu dici poteſt, quam quia ſupremum numen, quod templis non continetur, quodque ſupra nubes omnia dirigere credebat, intenſis forte oculis & manibus adorabat, cum eum, qui mundum univerſum compoſuit, & continet, quo pulchra & bona omnia comprehenduntur; [m] quique maxima quæque facere conſpicitur, atque hæc gubernare; nihilo minus cerni non poſſe, ſtatueret. Neque tamen Deos inferiores rejiciebat, ſive mentes naturasve ſpirituales humana mente majores, ſed eas a ſummo omnium rerum conditore & rectore rebus hujus mundi præfectas colebat, [n] fabulas vero de Diis, quibus tota nitebatur religio Athenienſium, rejiciebat, aliamque prorſus opinionem, quam eam, quæ populo tradebatur a ſacerdotibus, de Diis tenendam eſſe, contenderat. [o] Quod cum emolumento eorum, quorum intererat, religionis publicæ ſuperſtitionem integram ſervari & illibatam, quam maxime repugnaret, mirum non eſt, accuſatum fuiſſe, quod Athenienſium Deos pro talibus non haberet, & peregrina numina introduceret, cum tamen Diis patriis & publicis in ſolennitatibus & privato cultu ſacrificaverit, & Deos ex cujusve loci conſuetudine colendos eſſe, docuerit. [p] Quanquam ut hoc dicamus ὡς ἐν παρόδῳ, præter divini creatoris & rectoris, & numinum minorum exiſtentiam, parum de ſpiritualium ſive intelligibilium naturarum conditione ſollicitum fuiſſe Socratem, fit veriſimillimum, nec id negat XENOPHON. [q] Plato enim, quia cogitationes ſuas Socrati tribuit, audiendus non eſt, quippe qui raro, quod genuinum Socraticum ſpiret dogma, proponit. Vnde & ratio petenda eſt, cur rejectis licet ſuperſtitionis patriæ nugis & traditionibus, tamen communi Deorum cultui addictus fuerit: ſuperiora enim nos latere, & qui plurimum de his differere norint, easdem inter ſe opiniones fovere, ſed furioſorum inſtar inter ſe comparatos eſſe, contendebat, & mirabatur eos non clariſſime perſpicere, homines hæc invenire non poſſe. [r] Et ad hæc quoque reſpexiſſe videtur LACTANTIVS, [s] qui ex eo, quod Socrates dixerat, quæ ſupra nos, nihil ad nos, inepte infert: *locutum eſſe, quod ſenſit: religioni minime ſerviendum: & ſi publicas religiones voluerit euertere, non ſe improbare, quin laudare ait, ſi ipſe, quod eſt melius, invenit. Verum eundem per canem & anſerem dejeraſſe, [t] adeoque fuiſſe hominem ſcurram, ineptum, perditum, deſperatum, ſi cavillari voluerit religionem, dementem, ſi hoc ſerio fecerit, ut animal turpiſſimum pro*

l) Cujus tota inde comoedia: *nubes*, dicta eſt, eum vero ab Anyto mercedem ideo conductum fuiſſe, ut Socrati hac ratione ægre faceret, refert LAERTIVS *l. II. ſ. 38.*

m) XENOPHON. *l. IV. p. 802.*

n) Hoc totam illam cum Euthydemo diſputationem apud XENOPHONTEM *l. c. p. 806. ſeqq.* legenti erit apertiſſimum, & vel ſolus ejus genius, quem ſibi præſidere, & adeſſe gloriabatur, convincit. Conf. CLERIC. *l. c.* CVDWORTHVS *l. c.* BVDDEVS *H. E. V. T. T. II. p. 1064. ſeqq.*

o) Videndus PLATO in *Eutyphrone.*

p) Prolixe hoc demonſtravit eruditiſſimus I. I. ZIMMERMANNVS *Amœn. lit. T. XI. p. 122. ſeqq.*

q) Tota ejus de Deorum cultu diſputatio apud XENOPHON. *l. c.* eo tendit, ut, quoniam cerni & intelligi nequeunt, inſpicienti eorum opera tum venerari tum honore proſequi ſufficiat. *p. 802.*

r) IDEM *l. I. p. 710.* *s*) *l. III. c. 20.*

t) Conf. *Hiſt. crit. de la republ. des Lettres T. VI. p. 186.*

pro Deo haberet. Quare & in ſequentibus & falſe eum ridet, quod moribundus, licet ſanus, Æſculapio gallum, quem voverat, ſacrandum familiares ſuos rogaverit. Quæ ratiocinatio, quam parum ad ſcopum Lactantii collineat, quo atheiſmi & dementiæ reum Socratem peragere voluit, quilibet, qui vel mediocriter attendit, perſpicere poteſt. Nam inanes Græcorum non fabulas tantum de Diis rejiciebat, & ideo, delirare eos, qui dicunt, Iovem eſſe, quod falſe ei objecit ARISTOPHANES, " dictabat; ſed & vanas eſſe & impias eorum ſententias perhibebat, qui vel neque aram, neque rerum divinarum quicquam in honore habent, vel lapides & ligna quælibet & belluas colunt, vel de rerum omnium natura ſollicite inquirunt, cum aliis videatur, unum quiddam eſſe, quod exiſtat, aliis eſſe infinita ea numero: his omnia moveri ſemper, illis nihil unquam &c. nec inde tamen ullo modo felicitatem ſuam promovent. Ipſe vero parce & pie de Diis locutus, numinis exiſtentiam & providentiam ſuſpiciebat, mentesque divinas credebat, iisque, ſpretis & neglectis Græcorum theologorum fabulis mente ſacrificabat. Qua ratione ab omni quidem ſuperſtitione & errore liberari ejusque theologia, tamque recta dici non poteſt, ac quidam contendunt: licet extrema mandata hominem veneni ſumti vehementia ſenſibus vel rationis potius uſu privatum prodant; [x] atheiſmi vero notam procul ab eo abeſſe jubent: quam recentiores quosdam ei inuſſiſſe, merito mireris. [y] Verum hac ratione in excutienda Socratis religione ſæpius lapſos eſſe viros eruditos conſtat.

Conſtantia animi.

§. VII. Poſt pietatem in Deum conſtantia animi in Socrate potiſſimum admirationem cunctorum meretur. Poſtquam enim ſemel virtuti animum addixerat, & mercedem in ejus poſſeſſione quæſiverat, ſibi jucundiſſimam; ad omnia alia immotus, ſcopuli inſtar nec cœli fulmina, nec ventorum atque fluctuum inſultus expavit, ſed intrepidum, ac ad utrumque paratum æquumque objecit animum. Quam invicta ſententia fuerit, ex eo maxime conſtat, quod ſolus decem duces abſolvere auſus fuerit, quod triginta tyrannis ſolus ſe oppoſuerit, quod ſententiam mortis ſubridens acceperit, quod ex carcere aufugere recuſaverit, & quæ alia ſunt, his ſimilia. Mirum itaque non eſt, eum omni metu ſuperiorem ab omni dolore remotum, vultum in peſſimo, qui tunc erat, reipublicæ ſtatu ſemper ſervaviſſe eundem, & Xantippen, ſive domo exierit, ſive redierit, neque aut hilarem magis vidiſſe, aut magis turbatum. [z] Et hæc animi conſtantia effecit, ut injurias non tantum non ulciſceretur, ſed & contemneret, contemtumque ſe ab aliis deſpiceret, ſua ſe virtute involvens: " quod ut, contra naturalem vindicandi exiſtimationem impetum, obtineret, quoties ſe vehementius commotum adverſus amicorum aliquem ſentiret, antequam fluctus inſur-

w) *Act. I. Sc. 2.* μὴ λαβήσεις, οὐκ ἐστὶ Ζεὺς, *ne nugeris, non eſt Iupiter.*

x) Conf. MOSHEM. *ad* CVDWORTH. *l. c. p. 482.*

y) ANT. REISERVS diſſ. *de atheiſmo p. 218. Memoires de Trevoux T. VII. p. 99.* quas ideo caſtigat cel. LA CROZE *Entretiens p. 373.*

z) AELIAN. *l. IX. c. 7.*

a) Varia hujus rei exempla vide apud AELIAN. *l. c. c. 29.* LAERT. *l. II. ſ. 26.* PLVT. *de liberor. educatione,* SENEC. *de ira l. III. c. 11.*

ſurgerent, maritimum quaſi aliquod promontorium ſubiens, vocem ſubmittere ſolebat, vultu renidere, & manſuetius obtueri, vergendo in diverſam partem, & contrarios illi affectui motus ciendo invictum erectumque ſe ſervans. [b] Temperantiam adeo excolebat, ut ad ſanitatem, non ad jucunditatem ſolum reſpiceret, nec plus ederet vel biberet, quam fames ſitisve poſcebat. [c] Ad convivium invitatus, facile, ne plus ederet, cavebat, quam conducere noſſet ſanitati corporis, [d] cujus ſollicitam curam gerebat, quamque temperantia ſalvam inter peſtilentes morbos conſervabat. [e] Frugalitas ei tanta fuit, ut has ſibi divitias putaret, proximumque ſe Diis eſſe crederet, quod pauciſſimis egeret. [f] Quare, quantulumcunque etiam poſſideret, contentus tamen vixit ſemper, [g] & ambitioſa Alcibiadis munera, fruſtra ut acciperet, impellente uxore, renuit, [h] & principum favorem & divitias generoſe contempſit. [i] Nec avarus ideo, qui ne pecuniam quidem a diſcipulis, more ſui temporis, accipiebat, & in eis quos docebat, avaritiam vehementer increpabat. [k] Iuſtitiæ & jurisjurandi quam tenax fuerit, ſupra, ubi de munere ejus publico diximus, oſtenſum eſt: inque illud connitebatur, ut, quantum poſſet, benefaceret omnibus. [l] Aſſentationis inimicus, ne eſuriens quidem divitum menſas quærebat, venuſtus tamen erat & facetus inter familiares. [ll] Et pulchram quidem formam vehementer amabat, ita tamen, ut invictam ſervaret continentiam. [m] Sunt quidem inter veteres, qui ei objecerunt, pulchritudini Alcibiadis inferiorem, & juvenum corruptorem fuiſſe, [n] qua de cauſa Aſpaſia quoque eum verſibus ſuis traduxit. Sed impudentiſſimam hanc eſſe calumniam, non ſolum tota vitæ Socratis ratio loquitur, quem vel pueri norant, rerum venerearum gulæque eſſe omnium continentiſſimum, ſed & Ariſtophanis ſilentium probat, qui, licet mercede conductus, omne impietatis genus Socrati objecerat, παιδεραστίας crimen tamen ei non exprobravit. [o] Occaſionem vero atrox ei crimen imputandi obtulit inimicis Socratis, quod non tantum Alcibiades, qui formoſiſſimus ejus temporis juvenis erat, cum eo eſſet frequentiſſimus, [p] ſed & homines corporis pulchritudine notabiles amaret, quod ſcilicet crederet, formoſum domicilium inhabitari a formoſa mente: unde & ſuis, quos paſſim docebat, diſcipulis pulchritudinem commendabat, deque amore multa differebat, quo non tam corporis, quam animorum conjunctionem extulit: [q] qua de re prolixe dixerunt

Temperantia.

Frugalitas.

Iuſtitia.

Caſtitas.

b) PLVT. *de cohibenda ira.*
c) XENOPH. *l. c. l. IV. p. 818.*
d) IDEM *l. c. p. 723.*
e) LAERT. *l. II. ſ. 25.* *f) loc. cit.*
g) XENOPH. *l. I. p. 711.*
h) AELIAN. *Var. hiſt. l. IX. c. 29.*
i) XENOPH. *l. c. p. 712.*
k) LAERT. *l. II. ſ. 15.* SENEC. *de benef. l. V. c. 6.* imprimis Archelaus Macedo eum ad ſe vocabat, qui doctiſſimos ejus ætatis viros accerſiverat ad ſe. Conf. BAYLE *Dict. Tom. I.* art. *Archelaus roi de Maced.*
l) XENOPH. *l. c. p. 818.*
ll) LAERT. *l. II. ſ. 28.*
m) QVINT. *l. VIII. c. 4.* XENOPH. *l. III. p. 783.* AELIAN. *l. XIII. c. 32.*
n) ATHENAEVS *l. V. p. 209. & XIII. p. 566.* conf. MENAG. *ad* LAERT. *l. II. ſ. 23.* CICERO *Tuſc. l. III. c. 32.*
o) Conf. FR. VAVASSOR *de ludicra dictione Opp. p. 8.* qui quoque de jocandi & ridendi conſuetudine Socratis multa docte & eleganter affert.
p) XENOPH. *l. I. p. 713.*
q) MAX. TYRIVS *diſſ. VII. ſeqq.*

XENOPHON atque PLATO in apologiis. Hoc cum viderent inimici, commodam accuſandi Socratem occaſionem nactos ſe rati, in hoc quaſi conſenſere opprobrium, tam exigua tamen veriſimilitudine, ut non Bion tantum Socratem reprehenderet, & ſtultum eum diceret, quod Alcibiade abſtinuiſſet, ſi opus habuiſſet, [r] ſed & LVCIANVS, [s] philoſophorum acer deriſor, Socratem animorum amorem ſectantem excuſaret. Audiendus itaque non eſt Porphyrius, vel qui iisdem veſtigiis inſiſtunt, doctores eccleſiæ veteris THEODORITVS, [t] CYRILLVS ALEXANDRINVS, [u] GREGORIVS NAZIANZENVS aliique, qui veterum calumniam, cui tota obloquitur Socratis hiſtoria, refricant. [x] Quam a doctis viris noſtro tempore, ubi integerrimi philoſophi hiſtoria a fabulis toties purgata eſt, recoctam fuiſſe, [y] miretur quis, qui ignorat, intereſſe certi hominum generis omnia miſcere, ut, quo tendunt, id obtineant. Alia, quæ Socrati objecere LVCIANVS [z] & alii, e. g. ſaltaviſſe, totum diem per compita & tabernas obambulaviſſe, caruiſſe fortitudine, vix digna ſunt, quæ refutentur. Hoc unum notaſſe ſufficiat, non confundendam eſſe virtutem philoſophicam cum chriſtiana, naturalem cum divina, qua caruit Socrates, & ad quam reſpiciunt, qui Socratem veræ virtutis alumnum fuiſſe negant: [a] neque tamen in contraria currendum eſſe, & Socratem iis æquiparandum, ſi non præferendum, qui cœleſti lumine colluſtrati Spiritu divino duce in veræ æternæque virtutis ſtadio ad metam impigre cucurrerunt. Eo usque enim, non inter veteres tantum eccleſiæ Doctores quidam progreſſi ſunt, ut Socratem ex cognitione τοῦ λόγου, ſalvatum fuiſſe aſſererent, [b] cujus opinionis cauſam & ſenſum, ubi de philoſophia primorum Chriſtianorum dicendi campus ſe aperiet, prolixius exponemus: ſed & inter recentiores, conſtat, placuiſſe Marſilio Ficino & Symphoriano Champerio, fuiſſe Socratem typum & præcurſorem Chriſti. [c] Immo, quod tantum non mireris, P. POIRETVS, vir acutus, ſed miris hypotheſibus rationis & revelationis veſtigia relinquens, dæmonium Socratis pro Spiritu S. inhabitante habuit. [d] Imprimis vero Iudæorum commentum fuit, Socratem ex Hebræis pro-

Salus ejus æterna.

An ex Hebræis profecerit?

r) LAERT. *l. IV. ſ. 49.*

s) In *vitar. auct. T. III. p. m. 115. ſeqq.* conf. *amores. T. IV. p. 233. ſeqq*

t) *Therap. l. XII. p. 673.*

u) *Contra Iulian l. VI. p. 185.*

x) Porphyrium ideo notavit SOCRATES *Hiſt. Ecc. l. III. c. 24. p. 194.* qui recte addit, ea objeciſſe Socrati, quæ nec Melitus unquam nec Anytus ei exprobraverint.

y) BALTVS *defenſe de SS. Peres accuſer de Platoniſme l. III. ch. 2. p. 257.*

z) *Menipp. & Cerb. T. II. p. 77.* ubi fractum in morte animum ei exprobrat. *Paraſit. T. III. p. 516.* ubi fugam in bello ridet: & in *vit. auctiore p. 116.* ubi communionem uxorem docuiſſe, nugatur falſeque ridet Platonis dogmata, quæ Socrati ſuppoſuerat. *De ſaltatione p. 111.* eum exſibilat, quod ſaltationem didicerit. Vbique enim irriſorem ſe præſtat, ut ſolebant Epicurei. Reſpondet his *auctor Hiſt. cr. phil. T. II. p. 117. ſeqq.*

a) Cel. G. STOLLE *Hiſt. phil. mor. gent. §. 42. p. 47. Hiſt. lit. P. III. c. 1. §. 26. p. 590.* qui etiam in Socrate reprehendit, quod nudis pedibus inceſſerit. Verum Socratem decori in veſtitu non negligentem fuiſſe, neque vero oſtentandi cupidum, ſive veſtitu ſive ὑποδέσει, teſtatur ipſe XENOPHON, ex quo loco patet, ſubligacula ad ſuperbiam veſtitus pertinuiſſe, quam Socrates vitabat.

b) Loca eorum expreſſit IS. CASAVBON. *Ex. Antibarbarar. I. §. 1. p. 12.* Secuti ſunt hos PP. Dominicus a Soto, & Huldricus Zwinglius, conf. IAC. CAPELLVS *Vind. adv. H. Roſweyd. c. I. p. 22. ſeqq.*

c) Conf. CHR. THOMAS. *præf. ad* CARPENTARII *vitam Socratis.*

d) *Oecon. div. l. III. c. 3. p. 750.*

profeciſſe, & ſapientiam hanc didiciſſe ab Achitophele & filiis Core: dixiſſe quoque ad ſapientes Iſraëlis: ſapientiam veſtram divinam non rejicio, ſed fateor, me eam neſcire: humanam enim tantum ſapientiam calleo. Quæ quoque traditio in cauſa fuit, ut Socratis apophthegmata & ſententiæ morales a R. CHANANIA BEN ISAAC ex Græco Arabice converſæ & hinc in Hebræam linguam translatæ ederentur. [e] Id quod ineptientibus Iudæorum magiſtris, omnem gentilium ſapientiam ex ſcholis ſuis derivatam eſſe inepte ſomniantibus condonandum forte eſt, ferri autem vix poteſt, SCIPIONEM SGAMBATVM [f] eadem chorda oberrare, ſtatuentem, Socratem inter eos referendum eſſe, qui ex Hebræis profecerint. Nec meliora ſunt, quæ ad extollendam Socratis notitiam ſupernaturalem vir doctus, ſed præjudicio, derivandi ab Hebræis gentilem philoſophiam tantum non omnem, impeditus THEOPHILVS GALEVS urget: [g] noviſſe eum veritates maximas, & momenti ingentis; eſſe Deum unum, perfectiſſimum, rectorem univerſi, eumque ſolum hac gloria coruſcare, hanc veritatem morte ſua obſignaviſſe. Intellexiſſe corruptionem hominum, agnoſcendo κακὸν ἔμφυτον connatum malum. Admiſiſſe neceſſitatem inſpirationis divinæ ad cognoſcendum Deum & facienda ea, quæ bona ſunt. Accepiſſe a Iudæis modum diſputandi, quærendo & ſubvertendo potius opiniones diſcipulorum, quam proprias explicando, quæ tempore verſantis inter Iudæos Salvatoris uſu adhuc recepta fuerit: neque methodum allegoricam rejeciſſe, modo facilis intellectu ſit. Confunduntur enim, quæ naturalis luminis ductu & experientia docente cognoſci poſſunt, cum ſupernaturalibus & revelatis veritatibus; nec, quæ de connato malo dixiſſe dicitur, ea ſunt, quæ ſacræ paginæ docent, ſed quæ triſtiſſima ſuggerit omnium mortalium experientia. [b] Quæ vero a genio Socratis petuntur, eo magis inepta ſunt ad probanda ea, quæ afferuntur, ut potius ea deſtruant: nam nec Socrates genium ad ſcientiam veritatis neceſſarium advocavit, nec ordinarium hoc cognoſcendi veri medium commendavit, ut taceamus, incertum eſſe, quicquid de eo traditur. Nec oſtendi poteſt, qua ratione Iudæi Socrati innotuerint, cum præter aliquot intra Græciam itinera, nunquam peregrinas terras inviſerit. Quare abjiciendum abſurdum præjudicium & rationis lumini relinquendus Socrates, qui laudem eo ſolo nomine meruit, quod illo rectius, quam ante & poſt eum fuere plurimi uſus eſt.

§. VIII. Corpore Socrates utebatur perpeſſitio, ut vocat, SENECA, [i] & moleſtiarum, famis, ſitis, frigoris impetui non facile cedenti, [k] quod etiam

Corporis qualitas facies & ſtatura.

e) Conf. S. Rev. WOLFIVS *Bibl. Hebr. T. I. p. 929. 930.* qui hæc ex R. GEDALIAE *Schalſchelleth Hakkabbala* obſervat.

f) *Archiv. V. T. p. 455.*

g) *Court of the gentiles l. III. c. 1. p. 216.* cujus ſummam exhibet IAC. BASNAGE *Hiſt. des Iuifs T. III. ch. 20. p. 544. ſeqq.*

h) Hinc & ARISTOT. τὸ συγγενὲς τῦ κακῦ agnovit, & multi alii confuſi ſunt. vid. PFANNER. *Syſt. theol. gent. pur. c. IX. §. 7. p. 259.* HVETIVS *Q q. Alnet. l. II. c. 9. p. m. 131. ſeqq.*

i) *Epiſt. 104.*

k) XENOPHON. *l. c. p. 730.* vinum etiam, ubi occaſio ferebat largius hauſtum, ſine moleſtia tuliſſe refert PLATO *Sympoſ. not. A.*

etiam diligenter curabat, & valetudinem conſervabat, [l] quod eam ad bonum animum multa conferre crederet. Temperantia tamen, continentia, frugalitate, etiam in veſtibus, [m] illam maxime tuebatur, & Atticam luxuriam atque voluptates, animum pariter atque corpus enervantes, fugiebat. Formam faciei, paſſim, ut tetricam & deformem, deſcribunt veteres, & ex his STANLEIVS [n] quoque; nec jucundam viſuque gratam delineant vetuſtæ, quæ paſſim extant, imagines. Narrantque CICERO, [o] & ALEXANDER APHRODISAEVS [p] Zopyrum phyſiognomonem, qui ſe profitebatur, hominum mores naturasque ex corpore, oculis, cultu, fronte pernoſcere, ſtupidum eſſe dixiſſe Socratem & bardum, quod jugula concava non haberet; obſtructas eas partes, & obturatas eſſe, dixiſſe; addidiſſe etiam, mulieroſum; in quo dicatur Alcibiades cachinnum ſuſtuliſſe. Aliter tamen ex veteribus EPICTETVS, [q] qui Socrati *σῶμα ἐπιχαρὲ καὶ ἡδὺ, corpus gratia & dulcedine plenum tribuit*, adeo ut eum pulcherrimi & nobiliſſimi quique adamarent, & cum illo potius, quam cum formoſiſſimis cubare vellent. Rejecto autem ARISTOPHANIS vituperio, qui eum *τὸν ὠχριῶντα*, pallentem vocaverat, omnes, ait, qui de Socrate ſcripſerunt, contraria omnia aſſeruiſſe, fuiſſe illum non modo auditu jucundum, ſed etiam ſvavem aſpectu. Epicteti veſtigiis inſiſtunt celeberrimi viri I. A. FABRICIVS [r] & C. A. HEVMANNVS, [s] qui de forma Socratis non deformi & fœda, quemadmodum vulgo traditur, docte commentatus eſt, putatque ex male intellecto Zopyri, inſulſi hominis & ab Alcibiade deriſi, judicio, & ex confuſo Cratete, deformi ſpecie noto, cum Socrate, fabulam fuiſſe natam. Nos conjecturis hic non indulgendum eſſe putamus, ſed exquirendos teſtes de Socratis facie, qui hominem viderunt, & alieni ab odio non turpiorem, quam erat, delinearunt. Hos vero PLATONEM & XENOPHONTEM ante omnes eſſe poſſe, nemo negaverit, qui fontes hiſtoriæ Socraticæ ſupra enarratos novit: illi itaque audiendi ſunt. Et quod ad PLATONEM quidem attinet, ad quem jam provocavit STANLEIVS, [t] duobus in locis de forma Socratis teſtatur; ſemel in Theæteto, [u] ubi ait; Theætetum juvenem Socrati ſimilem eſſe, non pulchrum, ſimo naſo & prominentibus oculis, quamvis minus ille, quam Socrates, in his modum excedat; & deinde, in convivio, [x] ubi Alcibiades Socratem collaudans, eum, aſſerit, ſimilem eſſe Silenis iſtis, qui ſedentes inter alias imagines a ſculptoribus figurantur, ita ut fiſtulas tibiaſve teneant, qui ſi bifariam dividantur, reperiantur intus habere imaginem Deorum. Satyro quoque Marſyæ

l) LAERT. *l. II. ſ. 32.* XENOPH. *p. 815.*

m) Vnica enim per annum veſte contentus erat XENOPHON. *p. 730.*

n) *Hiſt. philoſ. P. III. c. 13. p. 182.* ita & FICIN. in *argum. Conviv. Plat. p. m. 279.*

o) *De fato c. 5.*

p) *De fato p. 30.* ed. Londin. qui addit: *Socratem faſſum, ſe natura talem fuiſſe, ſed philoſophiæ ſtudio naturam in melius mutaſſe.*

q) Apud ARRIAN. *Diſſ. Epict. l. IV. c. 11.*

r) *Bibl. Græc. vol. I. p. 785.*

s) *Act. philoſ. vol. I. p. 126. ſeqq.*

t) *l. c. p. 183.*

u) *T. II. p. 432.* conf. Scholiaſt. *Ariſtophanis pag. 136.*

x) *T. III. p. 216.*

Marſyæ ſimilem ſe eſſe, nec ipſum negaturum Socratem. Alter teſtis XENOPHON y) eſt, quem in hoc argumento prætermiſſum eſſe a viris doctis merito miramur. Is narrato amicorum Socratis colloquio, in convivio habito, Critobulum, refert, cum Socrate in certamen commiſſum fuiſſe de pulchritudine, huncque ſuſcepiſſe probandum, eſſe ſe illo pulchriorem: hoc methodo ſibi conſueta per inductionem ita probaſſe, ut oſtenderet, pulchritudinem in eo conſiſtere, ut partes ad ea, quorum cauſa nos eas comparavimus, bene fuerint elaboratæ, vel aptæ ſatis a natura illis uſibus, quibus ſerviunt; hocque a Critobulo conceſſo, ita porro fuiſſe argumentatum: oculos ſuos pulchriores eſſe, illius; cujus tantum directe adſpiciant, ſui etiam tranſverſim, propterea, quod exterius promineant; pulchriorem naſum ſuum eſſe, quam illius, ſuum enim naſum ſimum eſſe, nihilque, quod obſepiat, habere, ſed permittere, ut oculi mox, quo velint, videant. Et objicienti Critobulo, ore illi cedendum eſſe, quod longe majus acceperit, labra vero craſſiora accepiſſe, reſpondet jocaturus Socrates: videor, ut tu quidem prædicas, etiam os aſinis habere turpius. Sed enim non exiſtimas argumentum illud eſſe ſatis magnum, me pulchritudine te ſuperare, quod & Naides, quæ divæ ſunt, Silenos pariant, mihi quam tibi ſimiliores. Quibus dictis & admota lucerna ejectis calculis judices omnes pro Critobulo feciſſe, addit. Adjici his poteſt, calvitiem contraxiſſe Socratem ſenem. Ex utraque teſtium relatione jam facies atque forma Socratis, recte deſcribitur, quod fuerit oculis vehementer prominentibus, naſo ſimo, ore magno, labris craſſioribus, Silenosque & Marſyam ſimilitudine expreſſiſſe, z) quam faciem pulchram non eſſe, & ipſe fatetur dicto loco Plato, & affirmabunt cum eo, quicunque ex vero magis, quam ex conjectura de hac re judicare cupiunt. Silenorum enim faciem, quam & Plato & Xenophon ei tribuunt, parum decori habere & elegantiæ nemo facile negaverit. Non tamen rejiciendum putamus totum, quod Epictetus exhibet, teſtimonium, ſed inhabitaſſe tamen faciem vultumque Socratis gratiam & leporem, quibus iis, qui ei aſſueverant, & cum eo converſabantur, fuit longe jucundiſſimus, animi hilaritate & tranquillitate vultus quoque gratiam comparante, ex iis conjicimus, quæ Xenophon de eo retulit in literas.

Genius Socratis.

§ IX. Non vero naturalibus tantum animi excellentiſſimi dotibus longoque philoſophiæ uſu & experientia alios longe ſuperavit Socrates, ſed & extraordinario & divino præſidio munitus, a veri & boni ſemita a dæmone quodam diſcedere ſemper prohibitus, &, quid faciendum ſit fugiendumve monitus eſt, ſi vera ſunt quæ de eo amici in literas retulerunt, & ex eorum ore omnes fere veteres ſcriptores acceperunt. Etſi enim, teſte PLVTARCHO, a) *cum larvis & fabulis, & ſuperſtitioſis dæmonio-*

y) In *convivio p. 891.*

z) Ex hac deſcriptione dijudicandæ imagines Socratis, quæ paſſim occurrunt, apud CHIFLETIVM libello *de gemmis Socratem referentibus*, ANT. AVGVSTINVM, unde imaginem LAERTIO inſeruit M. MEIBOMIVS, GRONOVIVM *T. II. Theſ. Græc. tab. LXVI.* aliosque.

a) *De genio Socratis T. III. p. m. 482.*

niorum cultibus plenam a Pythagora atque Empedocle (rectius forte a Thalete & ſequacibus, aërem plenum dæmoniorum ſtatuentibus, nam Pythagoræ & Empedoclis philoſophiam Socratem didiciſſe, ut Platonem, non conſtat) *philoſophiam accepiſſet, eam adeo lymphaticam, ipſe, uti ad rerum rectam intelligentiam, ita orationis quoque in veritate proponenda ſobrietatem reduxit:* Dicebat tamen, numen ſibi omnia ſignificare, & quod refert XENOPHON, [b] *multis familiaribus denuntiabat, ut hæc facerent, omitterent illa, tanquam numine ſibi ea prædicente. Quod ſi, qui parerent ei, ſentiebant id ſibi ex uſu eſſe; alios, qui non paruiſſent, facti pœnitebat.* Addit laudatus ſcriptor: *Quis vero non fateatur, noluiſſe Socratem vel ſtolidum vel arrogantem apud eos videri, qui conſuetudine ejus utebantur? utrumque videbatur certe in eum cadere, ſi denuntiabat, ea ſibi divinitus indicari, & palam mentiebatur.* Paria tradunt PLATO, [c] & poſt eum alii, quorum narrationes contexuit erudito libello PLVTARCHVS, [d] & qui noſtra ætate omnium prolixiſſime & doctiſſime in hoc argumento verſatus eſt, B. GOTTFRIDVS OLEARIVS: [e] quos adire oportet eum, qui ex inſtituto de genio Socratis veterum & recentiorum opiniones noſſe cupit: nobis enim in immenſæ fere latitudinis campo angulos hos omnes hiſtoriæ philoſophicæ tam curioſe exquirere non licet: ſed ſufficit paucis & veterum & recentiorum opiniones collegiſſe, & noſtram quoque, ſalvo meliora ſentientium judicio apponere. Eo vero, ſi in ſummam colligantur, quæ veteres de Socratis genio referunt, redeunt: a pueris illum ei adfuiſſe, idque prædixiſſe, oraculum: accidiſſe ei hanc prærogativam θεία μοίρα, ut ait PLATO; exſeruiſſe autem ſe hoc dæmonium in iis tantum rebus, ubi præſagio, non autem, ubi conſilio opus erat, *lumenque tantum rebus obſcuris, & quæ humana prudentia attingi nequeunt, accendiſſe*, ut ait PLVTARCHVS. [f] Unde in divinatione potius futurorum, quam in ratiocinationum determinationibus valuiſſe, colligendum eſt. Indicaviſſe vero dæmonium Socratis, non tantum ubi ipſi, ſed etiam, ubi amicis aliquid cavendum eſſet: nam impuliſſe unquam Socratem, non legitur. Et hæc quidem amici Socratis, & poſt eum innumera veterum caterva, & imprimis Platonici in hoc argumento admodum ingenioſi. Tanta tamen obſcuritate obſepta ſunt omnia, ut non una inde enaſceretur eruditis diſceptatio, quid per illum Socratis genium intelligendum ſit? Non defuere quidem inter Socraticos, qui de ea re certiores fieri cupientes, ipſum magiſtrum de hoc ſuo dæmonio interrogarent: verum non accepiſſe ab eo reſponſum, & incertitudo opinionis eorum, quid per illum genium intelligendum ſit, prodit, & aperte teſtatur Simmias apud PLVTARCHVM, qui addit, nunquam ſe iſtam interrogationem repetere auſum. Illud tamen Socraticorum ſcripta legenti non

b) *Lib. I. p. 702.*
c) In *Eutyphrone T. I. p. 3.* & paſſim.
d) *loc. cit.*
e) Pec. diſſ. *de genio Socratis*, inſerta STANLEII *Hiſt. phil. P. III. c. 6. p. 130. ſeqq.*
f) *loc. cit.*

non erit dubium, habuiſſe eos hunc genium pro media inter deos hominesque natura, ſive ſpiritu aliquo, qui regendo [g] Socrati præfectus fuerit, & divinam virtutem divinationibus oſtenderit, unde & Socratis Deum nonnunquam vocaverunt. [h] Notum enim eſt, tum ex iis, quæ de Græcorum vetuſtiſſimorum placitis ſupra dicta ſunt, tum ex Thaletis & ſequacium doctrina, hanc de ſpiritibus intermediis rebus hominum dirigendis præfectis opinionem ex Ægypto in Græciam deſcendiſſe, nec improbabile eſſe, Socratem ejusmodi medias naturas ſive intelligentias ſtatuiſſe. Accedit, in magna Græcia eandem philoſophiam in ſcholis Pythagoræ & Empedoclis regnaviſſe, & inde tempore Socratis Græciæ quoque partibus iis, quas Attici incolebant, illatam eſſe. Quam cum ſequerentur plerique Socratis diſcipuli, facile cogitari poteſt, quid de genio Socratis ſtatuerint. De Platone certe in Ægyptiorum, & Italicorum ſcholis hanc philoſophiam edocto ex iis dubitare non licet, ita ſenſiſſe, quæ de hoc dæmonio magiſtri paſſim ſcriptis ſuis inſeruit. Et hunc quoque præceptorem ex recentioribus Platonicis tota fere ſequitur philoſophorum caterva, qui cum in deſcribendis variis dæmonum generibus & claſſibus multum ſibi ſapere viderentur, ut ex iis videre eſt, quæ ingenioſe de iis nugatur IAMBLICHVS, [i] in hoc Socratis genio inveniſſe ſe putant, non, quod pueri in faba, ut eſt in proverbio, ad ſtabiliendam ſententiam ſuam; mediatores eſſe hos ſpiritus inter Deum hominesque, & catenam efficere: quam, mature inter Platonicos poſt C. N. opinionem fuſe expoſuit APVLEIVS, [k] & qui huc fere inclinat, PLVTARCHVS, [l] licet varias de genio hoc opiniones malit σκεπτικῶς exponere, quam fixam ſententiam ſequi. Inter recentiores vero eadem veſtigia preſſit MARSILIVS FICINVS, diligens Alexandrinorum philoſophorum ſectator, qui copioſe ex hujus ſcholæ mente de hoc genio differuit.[m] Nec alienus ab ea opinione ANDREAS DACIERIVS, [n] qui hoc genii Socratici exemplum veritatis divinæ in ſcripturis ſacris manifeſtatæ radium eſſe putat, eamque dogmatis ſacri partem exhibere cenſet, quæ, hominibus angelos præſides & cuſtodes dari, aſſerit. Non dubitat itaque angelum, eumque bonum fuiſſe, eo quod Socrates in tota vita ſua pietatem, temperantiam atque juſtitiam fuerit ſectatus, quod meliorem ſemper partem fuerit ſecutus, quod vitiis bellum indixerit, & emendandis hominum animis totam vitam ſuam impenderit. Fuerunt tamen inter veteris eccleſiæ doctores nonnulli, qui, cum ipſi quoque angelum fuiſſe, ſpiritumve medium hunc dæmonem ſtatuerent, ex malorum claſſe fuiſſe, crede-

g) Spiritus ejusmodi paredros vocat TERTVLLIANVS *de anima c. 28.* & IVSTINVS MARTYR. *Apol. II. p. 65.* MINVCIVS FELIX *in Octavio. c. XXVI. 8. Socratem ad nutum & arbitrium adſidentis ſibi dæmonis vel declinaſſe negotia vel petiiſſe.* Poſterius tacent Socratici.

h) Conf. FICINVS *ad* PLOTIN. *Enn. IV. l. II. p. 278.* OLEARIVS *l. c. p. 132.*

i) *De myſteriis Aegyptior. l. I.*

k) *De genio Socratis.*

l) *loc. cit.*

m) *Comm. ad.* PLATONIS *Apologiam Socratis p. m. 317.*

n) In *argumento* præfixo verſ. Gall. *Apologiæ Socratis* a PLATONE ſcriptæ.

crederent, qui Socrati *παίρεδρος* fuerit. Ita enim TERTVLLIANVS [o] *peſſimum pædagogum* vocat, & MINVTIVS FELIX, [p] *ſpiritum inſincerum, vagum a cœleſti vigore, terrenis cupiditatibus degravatum ;* cujus ſententiam & verba retinuit CYPRIANVS.[q] Idem placuit LACTANTIO [r] & AVGVSTINO. [s] Id quod tamen improbat vitæ Socratis enarrator Gallus CARPENTARIVS, qui in hanc ſententiam non facile quempiam pervenire poſſe putat, ſi morum probitatem, & divinam philoſophiam, quam Græciæ intulit, conſideraverit. Nec hoc admittere potuerunt, ex patrum eccleſiæ numero illi, qui Socratem *μετὰ λόγε* vixiſſe, ſicque æternam perniciem evitaviſſe ſtatuerunt; unde a bono angelo ejusmodi doctrinas proficiſci debuiſſe, neceſſario fluit, quas æternæ rationis per filium DEI patefactæ ſcintillas fuiſſe illi crediderunt. In alia omnia tamen ivit virorum quorundam maxime recentiorum ſententia, qui ipſam animam Socratis ejusque *ἡγεμονικὸν* ſive partem nobiliorem, rationem, maximo virtutis ſuæ gradu excitatam intelligendam eſſe ſtatuit; quo tendunt VAYERIVS,[t] RICH. SIMONIVS, [u] SOVERAINIVS, [x] CARPENTARIVS, [y] PETR. CHAVVINVS [z] aliique. [a] Nec hodie demum enata eſt hæc ſententia, ſed a PLVTARCHO jam propoſita, [b] quemadmodum etiam fuerunt, qui mentis divinæ particulam in anima Socratis reſidentem per iſtum genium intelligi cenſuerunt. [c] Neutri ſententiæ ſuæ rationes deſunt, quas tamen enarrare, anguſtia loci & limitum, quibus circumſcribimur, prohibet, eleganter vero eas enarravit præſtantiſſimus OLEARIVS, qui plura ſitienti affatim dabit, quæ hauriat. Nos inſtituti memores, quæ omnes has opiniones, premant difficultates, paucis enarrabimus. Et quod ad eam quidem ſententiam attinet, quæ peculiarem aliquem ſpiritum mediæ inter Deum & homines naturæ Socrati adſediſſe ſtatuit, objici illi non ſine ratione poteſt, Socratem, tametſi ejusmodi naturas dari non negaverit, ad eorum tamen operationes non reſpexiſſe, ſed liberaſſe potius, prout ex PLVTARCHO ſupra diximus, philoſophiam a ſuperſtitione & lymphatis his opinionibus. Cum itaque philoſophiam e cœlo in terram, ut ait CICERO, deduxiſſet, id eſt, miſſis principiis ſupernaturalibus, ad humana & animo inſita principia cuncta redegiſſet, credi non poteſt, virum tantæ ſapientiæ, in actionibus ſuis aliud principium ſibi arrogaſſe. Accedit, quod illi monent, quibus alia opinio placet, ortam videri totam fabulam ex male intellecto ſermone veterum philoſophorum, quibus dæmon & ratio, in ſumma *ἀκμῇ* poſita, idem ſunt, non negantibus id ipſis Platonicis. [d] Socratem itaque, de vi quadam divina animi ſive rationis metaphorice loquentem, diſci-

o) *De anima c. I.*
p) *loc. cit.*
q) *De idolor. vanit. p. 13. ſeq.* ed. Oxon.
r) *Lib. II. c. 15.*
s) *De C. D. l. VIII. c. 14.* t) *T. III. Opp.*
u) *Hiſt. cr. V. T. l. I. c. 14. p. 85.*
x) *Platoniſme devoile P. II. c. 6. p. 56.*
y) In *vita Socratis.*
z) *De religione naturali c. XIV. p. 160. ſeqq.*
a) *Reflexions hiſtoriques & morales p. 666. Hiſt. crit. de la philoſophie T. II. p. 122. ſeqq.* NAVDAEVS *Apolog. mag. accuſatorum c. XIII. p. 219.*
b) *loc. cit.*
c) Conf. OLEARIVS *p. 157.*
d) Vid. FICINVS *l. c.* conf. NAVDAEVS *Apolog. mag. accuſat. c. XIII. p. m. 217. ſeqq.*

diſcipulos Pythagoricis & hujus generis aliis opinionibus de ſpiritibus occupatos, de media quadam natura ſpirituali intellexiſſe. Nec tuto ſatis, quod tamen quam maxime urget OLEARIVS, ad Socraticorum fidem & relationem recurrendum eſſe, admodum veriſimile eſt; eorum enim circumſtantiæ tales fuere, ut nec ſatis potuerint, nec ſatis voluerint, veritatem hac in re prodere. De Platone opus non eſt, ut id probemus, cujus fidem in Socratica hiſtoria ſupra jam haud levibus rationibus inducti rejecimus; Xenophontem, etſi alias probatæ fidei ſcriptorem, eum reliquis Socraticis diſcipulis eximere, ſuo modo non licet. Vnius enim Socratis aſſerto tota eorum nititur relatio, reliqua quæ narrant, effectus potius ſunt, quam indicia dirigentis genii, de quorum cauſa quæritur, quique inter argumenta probantia vitioſo circulo miſceri non debent. Ipſum vero Socratem nunquam explicuiſſe diſcipulis, quis ille dæmon ſuus eſſet, nec auſum quoque quemquam, eum hac de re interrogare, ſupra ex Plutarcho audivimus. Qui quæſo potuerunt itaque Socratici de dæmone Socratis teſtimonium rectum & ſufficiens dicere, quem ignoraverunt, quis ſit, ater, an albus? Suſpectos vero eſſe, quod noluerint etiam, ubi potuiſſent, rectam ea de re ſententiam dicere, inde veriſimiliter conjicitur, quod in apologiis maxime, hanc traditionem urſerint, poſtquam, quod refert PLATO, [e] Melitus in accuſationis libello hoc dæmonium ἐπικωμωδεῖν inſtituiſſet. Cum enim ex eo Socratis impietas probaretur, quod aliena numina introducere & obtrudere Athenienſibus vellet, incumbebat omnino defenſoribus ejus, ut probarent, numen illud verum fuiſſe, & ex eodem genere, ac ſunt illi ſpiritus, quorum auxilio divinationes fiunt, id quod XENOPHON [f] in limine ὑπομνημονευμάτων vehementer urget, oſtenſurus, eadem de Diis præceptorem docuiſſe, quæ religio publica injungit. Quibus omnibus addendum eſt, adeo inter ſe diſſenſiſſe ipſos Socraticos de hoc præceptoris dæmone, quod ex diverſis opinionibus eorum, quas narrat PLVTARCHVS videre eſt, [g] ut palpari inde queat, eos ipſos neſciviſſe, quid de iſto genio ſtatuendum ſit. Cadente ita Socraticorum fide, apud quos admiratio tanti magiſtri facile rem in ſe mirabilem, inſignem in modum augere, & auguſtiorem ita facere potuit, id quod in ejusmodi rebus ſæpiſſime factum eſſe, tota loquitur philoſophica hiſtoria; reliqua quæ ſuperſtruuntur, teſtimonia, facile nutant. Quod ſi vero ſupponamus, quod Socratici & Platonici contendunt, fuiſſe mediæ naturæ ſpiritum aliquem; difficile & ambiguum prorſus dictu, bonus, an malus fuerit? Quod ſi enim bonum genium ei adſtitiſſe credamus, non tantum indignum puro & ſancto genio videtur, de rebus ludicris, levibusque etiam amicorum monere; quale fuit illud, quod Theocritus apud PLVTARCHVM [h] ſe præſente factum eſſe, dicit, ut Socratem cum comitibus, per alium, quam inſtituerat, vicum ire juberet, ne a porcorum grege commacula-

e) In *apologia.*

f) *p.* 708.

g) Conf. NAVDAEVS in *Apolog. magiæ accuſatorum c. XIII. p. 218.*

h) *loc. cit.*

cularentur, quod negligentibus hoc monitum accidit; ſed & concipi non poteſt, bonum genium tantum virum, cui ad excitandam ex idololatriæ & vitiorum ſomno Græciam datum eſſe, ejus patroni ſtatuunt, paſſum fuiſſe, ut palam ſacrificaret, ſæpe quidem domi ſuæ; ſæpe communibus in aris totius civitatis, ut teſtatur XENOPHON. [i] Ita enim nefandam ſuperſtitionem & idololatriam juviſſet, bonus ille genius. Nec veriſimile ullo modo eſt, angelum tutelarem, ſive, ut philoſophorum ſermone utamur, dæmonem παίρεδρον, qui toties ſalutem Socratis curaſſe dicitur, eum in ultimo vitæ periculo deſeruiſſe, commiſſæque tutelæ immemorem, eum de inſtanti fato ne verbo quidem vel ſigno monuiſſe: id quod tamen non factum eſſe Socratici non negant. Malum vero genium fuiſſe, quis dixerit, qui novit non rectam tantum virtutis viam calcaſſe Socratem, ſed & ad emendandos a vitiorum ſqualore animos eum vehementer incitatum genium confirmaſſe, & impedimenta removiſſe. Ita enim malus ille genius propria vineta cæcidiſſet. Alias rationes, quæ hanc opinionem veriſimilitudine ſpoliant, quia prolixis nobis eſſe non licet, præterimus. Nec tamen alteram quoque ſententiam, quæ per genium illum τὸ ἡγεμονικὸν τῆς ψυχῆς, ſummumque acumen rationis intelligit, minoribus difficultatibus, quam priorem premi, diffitemur. Ea enim ſi admittenda eſt, tota corruit fides univerſæ ſcholæ Socraticæ, quæ non de rationis uſu excellenti, ſed de ſingulari numine ſemper intellexit, & ejusmodi hiſtorias narravit, quæ cum omni naturalis rationis acumine & ἀγχινοίᾳ, tamen accidiſſe non potuerunt. Quale illud fuit, cum Socrates in fuga ad bivium veniſſet, & comites dextrorſum inſtituerent, ille ſiniſtram viam, monitus a dæmone eligeret, ſicque hoſtium manus evaderet, in quas inciderunt, qui eum, moniti ab illo, ſequi noluerunt. Alia ſunt, quæ veteres narrant præſagæ virtutis in hoc dæmone ſpecimina, quæ nulla ratione prædici ex conjectura etiam acutiſſimi hominis poſſunt. Ipſe quoque Socrates inter ea diſtinguebat, quæ homines ratione & doctrina poſſent conſequi, & ex ſuo arbitratu eligere, & inter illa, quæ eventum reſpiciunt, quæque Deos ſibi, ajebat, reſervare, quorum nihil non hominibus obſcurum ſit: id quod XENOPHON [k] luculenter & prolixe proſequitur, tandemque adjicit: *Dixiſſe Socratem, furere illos, qui per divinationem explorarent ea, quæ hominibus diſcendo dijudicandi poteſtas divinitus eſſet conceſſa.* Vnde, ſi hæc vera ſunt & ab ipſo profecta, ut teſtatur XENOPHON, gravis ſcriptor, cogitari non poteſt, Socratem genii ſui divinationem ad animi judicium vel naturale aliquod præſagium retuliſſe: Alia quæ contra Carpentarium urget OLEARIVS, prætermittimus, apud ipſum legenda. In tanta itaque rei obſcuritate & difficultatum ex utraque parte ancipiti & gravi numero, certi quid definire tantum non impoſſibile eſt: nec ferendum ægre eſt, ſi cauti & ad regulas fidei hiſtoricæ attenti lectores hiſtoriæ Socraticæ, judicium prorſus ſuſpendant, & hoc unum pronuntient: non liquere. Certe, ſi

i) *loc. cit.*

k) *loc. cit. p. 710.*

ſi ulla hiſtoriæ veteris particula eſt, quæ, quam incerta veterum facta & fata ſint, quamque dubiam vetus hiſtoria legentibus ſe offerat, demonſtrat, hoc de genio Socratis argumentum eſt, unde quam neceſſarius ſit Pyrrhoniſmus hiſtoricus, ſobria ratione inſtitutus, quilibet, nemine monente, intelligit. Vnum hoc certum ſatis putamus eſſe, Socratem, præter naturalem mentis perſpicacitatem, uſu & experientia multorum annorum auctam, gaviſum fuiſſe facultate aliqua præſentiente & divinante, quam genium ſuum vocavit, quamque pro ſpiritu mediæ naturæ habuere ejus diſcipuli. Nam licet libenter concedamus, caute audiendos eſſe, qui de ejusmodi extraordinariis animi facultatibus, ſibi conceſſis multa garriunt, nec facile fidem adhibendam iis, qui peculiares ſibi genios adſiſtere jactarunt, id quod de Cardano ſuo loco monebimus: obſtat tamen Socratis ſinceritas & in conſuetudine cum amicis obſervata ſemper ſimplicitas, quo minus eum τερατολογῆσαι, eaque extraordinaria & ſupra naturam ſurgentia ſibi arrogaſſe credamus, quæ natura & uſu ipſi contigerunt. Totam vero de hoc Socratis genio narrationem inter figmenta ſeculi illius referre, ex noſtro judicio nimis temerarium eſt, omnemque prorſus fidem hiſtoriæ veteris convellere aptum. Vnde malumus ἐπέχειν, quam vel ex una vel altera parte audacius conjiciendo veritatis & veriſimilitudinis transmigrare limites: rati & hoc in veteri hiſtoria prodeſſe, ut noſcamus, quæ ſciri nequeant.

§. X. Pergendum vero ad reliqua fata Socratis enarranda, quæ violentam tandem ei mortem concitarunt. Cujus rei hiſtoria hæc eſt. Erant tum temporis Athenis Sophiſtæ, magiſtri dicendi, quales Leontinus Gorgias, Thraſymachus, Protagoras Abderites, Prodicus Cejus, Hippias Eleus aliique, [l] qui in eo potiſſimum artem conſiſtere arrogantibus verbis jactabant, quemadmodum cauſa inferior, dicendo ſuperior evadere poſſet; id quod, docente CICERONE [m] ſententiarum magis concinnitate argutoque & circumſcripto verborum ambitu, quam eorum pondere efficere tentabant. Hinc homines vani, ambitioſi, avari, quique ſoli ſibi ſapere videbantur, & omnium diſciplinarum cognitionem ſibi arrogabant, non tantum hanc in utramque partem de quavis re propoſita invictis argumentis diſputandi artem publice exercebant, ſed & magnificis eam promiſſis nobilem juventutem brevi tempore ſe docturos pollicebantur. [n] Quæ eo ardentius ad hos nugatores deproperabat, quod ita ſe utiliſſimam rationem diſcere poſſe ſperaret, populum in ſuas partes trahendi, & ex civium, ad quos loquendum erat, judicio, & calculo ſummam rerum ad ſe trahendi, vel etiam in poteſtate ſemel acquiſita, flexo populi per iſtam eloquentiam, obſequio ſe confirmandi. Hinc tantus diſcipulorum nobiliſſimorum numerus, quos magno minervali ſtatuto docebant: Ideo conſtituta magna ſala- *Mors Socratis.*

l) Eorum vitas deſcripſit PHILOSTRATVS *de vitis Sophiſt. l. I. ſect. II. p. 492. ſeqq.*

m) De oratore c. 12.

n) Conf. G. NIC. KRIEGK. V. C. lucuſenta & erudita diſſ. *de eloquentia Sophiſtarum Ien. 1702.*

ria, honorum titulis ornati ſummis, coronis atque ſtatuis ornati, legationibus & magiſtratibus adhibiti, victu publico ſuſtentati, & tantum non omne honoris genus in eos collatum. [o] Gravia hæc fuiſſe, uti viris, qui ſincerum patriæque amans pectus ſervabant, omnibus, ita imprimis Socrati inanes vocum ſtrepitus & litigioſam eruditionem perhorreſcenti, & a ſolida ſcientia, veraque ſalutis patriæ ratione ſic avocari nobilem juventutem, quæ valedicendo omni alii commercio, eos ſolos ſequebatur, dolenti; [p] animus magni viri rectus & patriæ ſtudioſus innuit, & PLATO atque XENOPHON teſtatur. [q] Vt igitur magno & pernicioſo errore juventutem liberaret, quæſtionibus eos more ſuo vexabat, & quam parum ſolidæ eruditionis iis ſubeſſet, demonſtrabat, vanos eſſe verborum oſtentatores, ignorantes eorum, quæ profiterentur, publicis ſpeciminibus comprobabat, ſicque, probata ejus ab Athenienſibus ſententia, juventutem a noxio Sophiſtarum ſtudio ad ſobriam eruditionis & ſapientiæ faciem revocabat. Quæ contentio Athenienſibus ſaluti ceſſit, Socrati exitio. Cum enim fama, exiſtimatione & lucro deteriores fierent, magna horum hominum invidia & odium in Socratem exarſit; quæ eo gravius ei cecidere, quo magis vir optimus, juſtique ac recti ſtudioſiſſimus in perditiſſimo reipublicæ ſtatu inimicos nactus erat potentes & ſummos, quos maximo ſemper animo contemſerat. Inde factum, ut omnes in ejus perniciem quaſi conjurarent, nec occaſionem ullam prætermitterent, qua Socratem vel injuria afficere, vel in ſuſpicionem facinorum & impietatis adducere poſſent. Ita flagrantibus odio animis acceſſit aliud, quod fatum Socratis tandem maturabat. Anytus nempe profeſſione rhetor, ſed qui privatim coriariam mercaturam exercebat, indeque diteſcebat, filios duos Socrati in diſciplinam tradiderat, [r] putans fore, ut divitias & honores exiguo tempore ex cauſis dicendis ſibi poſſent comparare. Quæ ſpes cum eum falleret, offenſus pueros a Socrate abductos operæ coriariæ addixit. Id quod ægre ferens Socrates, ſalutis juvenum cupidus, Anytum ideo ſubinde reprehendebat, quod indignæ operæ filios adhibuiſſet, eosque ex coriis ſic ſibi victum quærere docuiſſet, non ex ſapientia. Vehementer hac re commotus Anytus, nihil intermittebat, quo illud ulciſceretur opprobrium. Quia vero Athenienſes metuebat, apud quos magna tunc erat exiſtimatio atque nomen Socratis, quod Sophiſtas probe depexos dabat, tentaturus, quo animo accuſationem eſſent laturi, quoque ſimul contra amicos Socratis ejusque innocentiam & gloriam tutum ſe & immunem redderet, cum Melito, juvene rhetore, qui ad quamcumque rem drachma poſſet impelli, jungebat conſilia: [s] Hi Ariſtophanem poëtam comicum, qui riſum apte movere norat,

o) Legenda quæ copioſe & doctiſſime more ſuo de hac re affert S. Rev. IO. GE. WALCHIVS, in diatribe, *de præmiis veterum ſophiſtarum, rhetorum atque philoſophorum*, quæ extat, ſecundo loco, *diſſert.* ſive *Parergor. Academ. p. 104. ſqq.* conf. MENAG. *ad* LAERT. *l. I. ſ. 12. Otium Vindel. Mel. III. p. 212.*

p) CICERO *Brut. c. 8.* LIBANIVS *in Apol. Soc. T. I. p. 642.*

q) *ll. cc.*

r) XENOPHON. *Apolog. p. 707.* ubi etiam mala Anyti educatio filiorum notatur.

s) Prolixe hæc narrat AELIANVS *Var. hiſt. l. II.*

rat, excitant, ut in comœdia Socratem iis, quæ plerique de eo ficta norant, malis inceſſeret: eſſe nugatorem, & dicendo efficere, ut malæ cauſæ bonæ videantur; introducere novos & inuſitatos dæmonas, quum neque noſſet interim, neque reverenter haberet, Deos: atque hæc etiam ipſa in eos, qui ejus opera uterentur, transfundere, eosque in falſam opinionem deducere. Ariſtophanes, arrepto argumento, ſtrenue riſum interpoſuit, & in comœdia, cui: NVBES, titulus, quæque hodie inter ejus dramata legitur, Socratem falſe perſtrinxit. Quam inſolentiam primum Athenienſes ſtupentes, deinde, ut erant ad invidiam proclives & ad obtrectandum proni, illas nubes libentiſſime audiverunt, & actorem, qui Socratis perſonam gerebat, maximo plauſu ſunt perſecuti. Socrates vero, etſi comicos non magni pendebat, ſed contemnebat, tanquam homines mordaces, injurioſos & ſani nihil dicentes (quod ipſos male habuit) & idcirco etiam raro in theatrum veniebat, [t] tunc tamen, ſciens ipſum deriſum iri, in comœdiam venerat, ſedebatque in opportuno loco theatri: & quoniam tum Bacchanaliorum feſtum celebrabatur, magna peregrinorum copia ſpectandi cauſa confluxerat. Quum ergo in ſcena jactaretur Socrates, & crebro nominaretur, peregrini de eo, qui traduceretur, percontantes, ſuſurrum excitarunt. Quod cum animadvertiſſet Socrates, ad tollendam dubitationem ex animis peregrinorum ſurrexit, ut ſtans per totum drama cerneretur. Quam animi conſtantiam cum nonnemo præſentium obſtupeſceret, roganti: annon moleſte ferret? reſpondit: nequaquam; nam in hoc theatro velut in convivio magno oblectandis pluribus inſervio." Eadem ratione Amipſiam quoque alium comicum, eum traduxiſſe, LAERTIVS [x] auctor eſt. Sparſis ita obtrectationum ſeminibus, clandeſtinis inſidiis Socratem impetebat Anytus, donec poſtremum opportunitatem nactus, efficeret, ut apud Senatum accuſationem inſtitueret, & Socratem deferret Melitus, quod præter jus & æquum Deos, quos civitas eſſe cenſuit, ipſe non cenſeret, novaque Deorum numina introduceret atque juventutem corrumperet, morte ita plectendus. [y] Hoc libello, intercedente jurejurando oblato, Critias vas ejus ſiſtendi factus eſt. Anytus vero clanculum ad eum miſit, precatus, ne in poſterum coriariæ abs ſe exercitæ mentionem facere vellet, quo pacto ſe quoque actioni viciſſim renunciaturum. Id quod tamen Socrates renuit, faſſus, ſe veritatem, quoad viveret, non diſſimulaturum, nec aliter locuturum, quam officii ratio poſtulet. [z] Tempus vero omne ab accuſatione usque ad judicium philoſophando conſumſit, & de quavis alia re potius, quam de ſua differuit, & mirante id Hermogene, familiari ejus, quod defenſionem non meditetur? reſpondit: quod nihil unquam in vita

l. II. c. 13. quem ſequimur. Conferendi vero PLATO in *Eutyphrone T. I. p. 2.* LIBAN. *l. c. p. 644.* Latius omnia perſequitur STANLEIVS *l. c. c. 9. p. 166. ſeqq.*

t) Euripidem tamen cum novis tragicis certantem propter eruditionem & elegantiam ſemper audivit AELIAN. *l. c.*

u) PLVT. *de puer. ed.* AELIAN. *l. c. & l. V. c. 8.*

x) Lib. II. ſ. 28.

y) Hanc libelli ſummam habes apud LAERT. *l. II. ſ. 40.*

z) PLATO in *Apologia p. 19.* LIBAN. *l. c. pag. 644.*

vita fecerit iniqui; numen etiam in eo ſibi adverſari dixit. [a] Quin nec amicorum, & inter eos Lyſiæ oratoris diſertiſſimi orationes pro ſe conſcriptas adhibere voluit, faſſus, ſibi non viriles & fortes, licet diſertæ ſint, videri. [b] Cum judicii dies adeſſet, orationes adverſus eum habuerunt Melitus puerilem atque jejunam, Anytus prolixam & invidioſam, Lyco arte oratoria comtam: in quibus accuſaverunt Socratem, contemſiſſe ſuffragia per fabas; eſſe ex Critiæ & Alcibiadis neceſſariis, quorum ille oligarchiam, hic tyrannidem affectaret; impuliſſe diſcipulos, ut parentum detrectarent obſequium; effeciſſe, ut reliquis cognatis omnibus parum honoris exhiberent: corrupiſſe poëtarum loca, & quæ his erant ſimilia. [c] Ad quæ Socrates nihil præmeditatus acerrime & riſu ſubamaro reſpondit, pietatem erga Deos probavit, dæmonium ſuum nihil impii habere demonſtravit, & neminem a ſe ex religioſo impium, vel ex modeſto petulantem, vel ex frugali prodigum, vel ex laborum tolerante mollem vel alias deteriorem factum eſſe, ad publicum teſtimonium provocavit. [d] Quam apologiam tanta judicum invidia ſecuta eſt, ut non tantum Platonem apologiam pro Socrate exordientem interpellarent, & deſcendere e ſuggeſtu juberent, [e] ſed etiam CCXXCI. ſententiis damnarent; cumque more Athenienſium pœnæ æſtimatio fieret, [f] Socrates vero & amicos quidquam pro ſe conferre non pateretur, & ſe potius ampliſſimis honoribus & præmiis dignum pronunciaret, eo reſponſo ita judices exarſerunt, ut adjectis XXC. ſuffragiis aliis, capitis eum damnarent. [g] Sententia lata a riſu ſe haud continuit, & quam parum ea re commoveretur, licet injuſtiſſime eſſet damnatus, nec convictus eorum, ob quæ illi ipſum accuſaverant, publice demonſtravit. Tum magno animo & vultu [h] carcerem intravit & ab XI. viris vinctus, XXX. diebus poſt latam ſententiam ibi fuit, quoniam reditus navis prius expectanda erat, quod quotannis Delum cum muneribus mittere ſolebant Athenienſes, ex voto Theſei, [i] intra quod tempus neminem publico decreto capite mulctari fas erat. Tempus hoc amici, eum frequentiſſime convenientes & cum eo more ſuo diſputantes conſumſerunt, ſollicitantibus nonnullis ut vel elabi conaretur, vel vi abduci ſe pateretur: quod utrumque tamen renuit, ridendo interrogans; an locum extra Atticam noſſent, quo mors non penetraret? [k] immo adventum navis nuntiatum cum gaudio excepit, fruſtra alia ſuadente Critone: [l] quoniam perſvaſum

a) XENOPH. *Apol. p. 701. Mem. l. IV. p. 816.*

b) CICERO *de Orat. l. I. c. 54.* LAERT. *l. I. ſ. 41.*

c) Conf. de objectis Socrati criminibus NAVDAEVS *l. c.* CLERICVS *Sylv. phil. l. c.* MORNAEVS *de ver. R. C. c. XXXIII.*

d) Exhibet hanc Socratis orationem XENOPHON *p. 713.* verum eum argumentum tantum, non verba ejus retuliſſe, ex eo patet, quia diu poſt mortem hanc apologiam edidit. Nec veriſimile, Socratem, tantæ modeſtiæ virum, tanta jactantia & inſolentia animi ſe extuliſſe. Alias apologias Socratis ab oratoribus concinnatas enarrat FABRIC. *Biblioth. Græc. vol. II. pag. 7. 8. n. 11.*

e) LAERT. *l. II. ſ. 41.*

f) CICERO *de orat. l. I. c. 54.* illuſtr. POTTERVS *Archæol. Græc. l. I. c. 21. p. 104.*

g) XENOPH. *l. c.* LAERT. *l. II. ſ. 42.*

h) SENECA *Conſol. ad Helv. c. XIV.*

i) De hoc Athenienſium feſto Ambarvalia ſingulis annis in Delo inſula celebrantium ejusque occaſione & modo vid. POTTERVS *l. c. l. II. c. 9. p. 284. ſeqq.*

k) PLATO, XENOPHON *ll. cc.*

l) PLATO in *Critone p. 43.*

ſvaſum habebat, Deum hoc modo præire & iter commonſtrare. Appropinquante itaque fatali luce, & Xantippe cum infante, & amici ei adfuerunt, quos ut non minus quam ſemet, ad inſignem hanc mutationem & quam ſperabat immortalitatem feliciſſimam præpararet, elegantiſſimum cum iis colloquium habuit, cujus ſummam nobis PLATO in *Phædone* exhibuit, quoque potiſſimum de immortalitate animæ & futuræ vitæ ſpe egregie differuit, unde magna ſemper ejus fuit exiſtimatio: [m] licet negandum non ſit, non tam firmam certamque Socratis ſpem fuiſſe, ut omnem oppoſiti formidinem ejecerit.[n] Tum commendata ſui & virtutis cura, valedicens uxoribus & liberis, exhibitum venenum, Deos precatus, ut iſta transmigratio felix fauſtaque eſſet, pacato animo, nihil tremens, nec vultu nec colore mutato, bibit, & lachrymantes amicos bono animo eſſe juſſit, & obrigentibus tandem præcordiis magnam animam efflavit, anno ætatis LXX. quem abſolverat, Ol. XCIV. 1. [o]

Honores extincto Socrati exhibiti.

§. XI. Aegerrime tulerunt hanc magiſtri optimi mortem amici, ita ut juſta ipſi cum lacrymis perſolverent, quamvis id ſibi diſplicere fuerit teſtatus. In quo funebri apparatu Iſocrates immodico dolore victus pullatus inceſſit. [p] Defuncti hoc officio cum tyrannorum metuerent ſævitiam, clanculum ex urbe dilapſi in diverſas partes abierunt, plerique Megaram ad Euclidem diſceſſerunt, a quo benigne ſuſcepti ſunt. [q] Pervulgatam vero de Socratis violenta morte famam per Græciam, dici vix poteſt, quanta indignatio bonorum omnium ſecuta ſit, deplorantibus cunctis, eum ab Athenienſibus e vivis ſublatum, cujus videndi & audiendi cauſa ipſi filios ſuos Athenas ablegaſſent. [r] Et Athenienſes quoque ipſos mature gravis actionis præpoſteræ pœnitentia ſubiit, qui indignationem & pudorem non ferentes, iram in Socratis inimicos converterunt, quos tanquam extreme malos ita Athenienſibus in odio fuiſſe, tradit PLVTARCHVS, [s] ut neque ignem eis accenderent, neque interrogantibus reſponderent, neque in balneo aqua uterentur eadem, ſed qua illi laviſſent, eam tanquam pollutam a miniſtris juberent effundi donec impatientia odii ſuffocarentur. Melitus vero damnatus capitisque affectus ſupplicio fuit, Anytus, lepido Antiſthenis invento [ff] civitate ejectus, Heracleam abiit, ibique ſimili ratione expulſus, vel, ut alii volunt, lapidibus necatus eſt. [t] Et ut pœnitentiam uberius declararent Athenienſes, amicos Socratis exules in patriam revocarunt, & con-

m) CICERO *de nat. Deor. l. III. c. 33.* nunquam ſe ſine lachrymis hunc dialogum legere fatetur, eo vero lecto Cleombrotus de muro ſe præcipitavit, celebrato apud veteres facinore. Cato vero antequam mortem ſibi conſciſceret, lecto noctu prius Phædone animum communivit. Vid. FLORVS *l. IV. c. 2.* & viri docti *ad h. l.* Qui vero errores in hac animi immortalitate notentur a viris eruditis, indicat FABRICIVS *Bibl. Gr. Vol. II, p. 10.* nutaſſe in ſpe immortalitatis, ipſe prodit.

n) Vid. diſſ. noſtram *de ſecta Elpiſt. Miſc. Ber. T. V. art. ult.*

o) Roborat hoc tempus *contra* L. ALLATIVM *de Script. Socr. p. 113. ſeq.* STANLEIVS *c. XI. p. 174. 175.*

p) PLVTARCH. *vita Iſocratis p. 1033.* ed. Wolf.

q) LIBANIVS *l. c. p. 686.*

r) Ibid. SVIDAS in *Socrate l. c.*

s) *De invidia & odio.*

ff) LAERT. *l. II. ſ. 43.* DIODOR. *l. XIV. p. 266.*

t) IDEM *l. VI. ſ. 10.*

conventus agendi libertatem eis permiſerunt, gymnaſia & palæſtras clauſerunt, ſtatuam Socrati ex ære in Pompeo poſuerunt: [u] & ne invidia ſequeretur major, decretum publicarunt, ne quis Socratis publice vel in theatro mentionem faceret, ut ita facti indigniſſimi oblivio induceretur. Et non peſtem tantum, quæ paulo poſt ſecuta eſt, omnes pœnam eſſe Socratis injuſta nece ſublati fatebantur, ſed & res Athenienſium, quod opportune obſervat EVNAPIVS, [v] ab eo tempore ſemper deteriores factæ, multis magnisque rempublicam calamitatibus involverunt, urbis flore indies magis marceſcente.

Scripta Socratis an extiterint?

§. XII. Extiteritne unquam aliquid Socraticorum ſcriptorum, veteres diſſentiunt. Et nihil quidem unquam literis exaraſſe, multi veterum teſtantur, inter quos legi merentur CICERO, [w] PLVTARCHVS, [x] ARISTIDES, DIO CHRYSOSTOMVS, [y] LAERTIVS, [z] PSEVDO-ORIGENES, [a] AVGVSTINVS: [b] præcipue Plutarchi locus notabilis eſt, eos enim philoſophos enumerat, qui ſcriptis non inclaruerunt. Ita vero: *neque etiam Pythagoras ſcripſit quicquam, neque Socrates, neque Arceſilaus, neque Carneades, qui ſpectatiſſimi inter philoſophos fuerunt.* Alii vero varia ei ſcripta tribuunt. *Pæanis* enim in *Apollinem* meminit PLATO in *Phædone* & THEMISTIVS [c] atque SVIDAS; [d] quorum primus eodem loco teſtatur, Socratem *Aeſopi fabulas*, quoque a dæmone ad ſcribendum carmen excitatum *verſibus* complexum fuiſſe, quas memoria repetere potuerit. [e] Sunt & alia, quæ paſſim Socrati tribuuntur, recenſita immenſæ lectionis viro IO. ALB. FABRICIO, [f] in quibus tamen nomen corruptum eſſe facili negotio perſpici poteſt. [ff] Adjiciunt his, qui pro Socratis ſcriptis pugnant, Aeſchinem Socraticum in ſuſpicione fuiſſe, quod dialogos, qui revera Socratis eſſent, a Xantippe acceperit, & pro ſuis ediderit: [g] quemadmodum & Euripidem in ſcribendis comœdiis a Socrate adjutum jactabant ejus temporis Comici. [h] Denique, Platonem ſcripta ſua pro Socraticis venditaſſe, notius eſt, quam ut prolixe probari opus habeat. Quibus potiſſimum argumentis uſus LEO ALLATIVS ſeptem epiſtolas Socratis, cum XXVIII. Socraticorum, genuinas eſſe, evincere voluit, cum illas ſuperiori ſeculo ederet. [i] Quod ſi vero circumſtantias omnes rite ponderamus, ſuſpecta ſunt omnia, quæ pro Socraticis ſcriptis afferuntur. Et Pæana quidem in Apollinem olim jam Socrati abjudicaſſe Dionyſodorum, teſtatur LAERTIVS, [k] nec Platonis in hiſtoria Socratis fides tanta eſt, ut ea ſola Socrati vindicari queat, qui

u) LAERT. *l. II. ſ. 43. 44. Otium Vindel. Mel. III. p. 260. ſeqq.* ubi etiam de Pompeo.
v) In *Aedeſio p. 37.*
w) *De Orat. l. III.*
x) *De fortuna Alexandri.*
y) *Diſſ. LIV.*
z) *l. I. ſ. 16.*
a) *p. 279.*
b) *De Conſ. Evangeliſt. l. I. c. 7.*
c) *Or. XIV.*
d) In Ὕμνον.
e) Conf. LAERT. *l. II. ſ. 42.*
f) *Bibl. Græc. Vol. I. p. 783.*
ff) Encomium Grylli apud LAERT. *l. II. ſ. 55.* ubi pro, Socrates legendum Naucrates; ἐπιτάφιος apud ARISTOT. *Rhet. l. III. c. 14.* ubi Iſocrates legendum, pro, Socrates.
g) Vid. Comm. ad LAERT. *l. II. ſ. 60.* ALLATIVS *de ſcriptis Socratis p. 103. 108.*
h) LAERT. *l. II. ſ. 28. 42.*
i) *Paris. 1637. 4. Gr. Lat.* cum *notis ſuis.*
k) *l. c. ſ. 42.*

qui hæc commentus esse videtur, ut impietatis opprobrium magistro objectum eo melius dilueret; Socratem vero ad poëticen ineptum fere fuisse haud uno loco innuit ipse PLATO. Idem de Aesopiis fabulis judicium esto. Quamvis concedi facile possit, Socratem tale quippiam tentasse, invita forte Minerva; [l] nam hæc parva auctorem nondum constituunt. Aeschini vero sua relinquenda esse, leve admodum & inane suspicionis fundamentum prodit. Nec quæ Euripidi objecta sunt aliter habenda, quam invidorum obtrectationes, cum ipse sibi Euripides suffecerit, quem tamen, prout familiari erat consuetudine Socrati junctus, hujus interdum consilio fuisse usum vero non est prorsus absimile. [ll] Platonis vero dialogos Socratis opus esse, mirum est, placere potuisse ALLATIO viro acuto, nisi eum duo PLATONIS [m] loca seduxissent, quæ innuere videntur, dialogos Platonis, non ejus esse, sed Socratis. Verum & ista Platonis loca non aliud dicunt, nisi summam & doctrinam dialogorum suorum non suæ esse inventionis, sed Socratis; notumque, Platonem in supponendis magistro scriptis suis fuisse admodum sedulum, & ideo a præceptore reprehensum. Cum etiam Plato doctrinam & tradendi methodum Socrati usurpatam sequutus fuisse videri voluerit, ratio luculenter patet, cur veteres quidam Platonis dialogos Σωκρατικοὺς λόγους vocitaverint: totque sunt in his dialogis aliena a Socratis mente & sermone vestigia, ut mirum videri queat, ineptam opinionem docto viro arrisisse. [n] Quod vero ad epistolas attinet, earum auctoritas vel ex solo veterum silentio, si unicum LIBANIVM [o] excipias, convelli potest: ignoraverunt enim eas & Plato & Xenophon, & Socratici alii, nec Plutarchus, nec Maximus Tyrius, vel alius quispiam earum meminit, qui, occasione incitante, sæpius id facere debuissent, si eas vidissent, vel e spuriarum numero non esse judicassent. Et mediocriter exercitatum in dicendi genere veterum sophistico lectorem requirit, ut ex affectata elegantia & tumore, simplicitati, Socratis in dicendo e diametro contrario earum νοθείαν demonstretur, & declamatoria scribendi ratio scholam prodat, ex qua prodierunt. Nec historica epistolarum illarum fides satis tuta est, quam palpabiles anachronismi elevant, [p] & alia, quæ historiæ Socraticæ repugnant, [q] evertunt. Ex quibus omnibus, nihil, quod ad Socratem referri queat, hodie supersesse, recte & satis certo indicio colligimus.

§. XIII. Non potuisse non a tanto philosopho, sapientiam tradi optimam, quilibet fatebitur, qui attento oculo, quam hucusque enarravimus, Socratis historiam perlustraverit. Quid vero magno viro in philosophia placuerit, porro jam exponendum est. Quod priusquam fecerimus, pauca

Philosophia Socratica,

l) Conf. STANLEIVS *c. XVIII. p. 191.*

ll) Conf. BAYLE *Dict. T. II.* art. *Euripides not. D.*

m) *Epist. II. & VII. ad Dionysium.*

n) Ipse Phædo, qui tamen ultimum, colloquium Socratis exhibet, argumentum quidem & materiam a Socrate accepisse videtur, formam vero & ascititia plurima a Platone. Conf. B. OLEARIVS diss. *de Scriptis Socratis*, inserta STANLEIO *l. c. p. 198.* qui rem totam docte confecit.

o) *l. c. T. I. p. 682.*

p) Conf. IO. PEARSON. *Vindic. Ignat. P. II. p. 12.* & quos laudat MENAGIVS ad *l. c. Laërt.* FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. I. p. 425.* WOLF. *ad philosoph. l. c.*

q) OLEARIVS *l. c.*

quædam de Socratis philoſophia & philoſophandi ratione præmonenda ſunt, ſine quibus in excutiendis Xenophontis & Platonis forulis, inoffenſo pede progredi non licet. Et

Conſiderata in genere.

Primo quidem cum Socrates ſcripta non reliquerit, ex quibus, tanquam puris fontibus, doctrina Socratica hauriri queat, ad diſcipulos recurrendum eſt, qui nobis ſermones atque monita præceptoris ſcriptis conſignarunt. Inter hos utramque fere paginam faciunt PLATO atque XENOPHON. Et Plato quidem, quanquam Socratis mentem non tantum optime aſſecutus, ſed & fideliter in literas retuliſſe videri voluit, ita ut ſermones ſive dialogos ſuos, ut modo diximus, pro Socraticis venditaverit, ſua tamen non ſolum Socraticis ubique intertexuit, ſed ex ſcholis quoque Pythagoreorum, Eleaticorum & Heracliti, uti ſuo loco demonſtrabimus, tot aliena interſperſit, ut neque Socratica genuina a ſuppoſititiis diſtingui ſatis queant, neque purum fere quicquam & non adulteratum appareat. Vnde incaute egerunt, qui in deſcribenda philoſophia Socratis, [r] Platonis auctoritatem ante alios ſecuti ſunt, dogmata ita nobis Socratica conſtruentes, de quibus Socrates nunquam cogitavit. Nos ad Xenophontem potiſſimum recurremus, quem ſinceras nobis ex fontibus Socraticis aquas propinaviſſe, præter unum Platonem, invidia commilitonis ductum, concedunt veteres tantum non omnes: [s] cui ſi concordat Plato, vel recentioris temporis alius, eo certius aliquid Socrati adſcribi poteſt.

II. Supra porro teſtimoniis non rejiciendis probavimus, putidam fuiſſe calumniam Porphyrii, negantis Socratem nulla in re ingenio valuiſſe: quemcunque enim ex ejus diſcipulis conſulimus, talem eum nobis omnes depingunt, qui in arithmetica, geometria, aſtrologia, rhetorica, & phyſica quoque ſcientia non leviter eruditus fuerit. Nam Ionicos philoſophos audivit præſtantiſſimos, Anaxagoram & Archelaum, & in reliquis diſciplinis magiſtros habuit optimos, quippe qui ſemper diſceret: & teſte PLATONE [ff] in omnes artes atque ſcientias penitus inquiſivit. Cui cum accederet, judicii ſummus vigor, & multorum annorum experientia, præ aliis Socrates iis viribus inſtructus fuit, ut de omnium diſciplinarum pretio atque dignitate ex vero judicare valeret. Animus vero recti atque virtutis amans, & ad veram hominis felicitatem unice reſpiciens effecit, ut hunc ſibi philoſophiæ & eruditionis omnis finem proponeret, qui revera hominem redderet feliciſſimum, animumque tranquillum pariter atque beatum: non neglecto tamen penitus corpore, cujus curam ad mentis tranquillitatem conſervandam neceſſariam eſſe pulchre pervidebat, eique certas quoque deſtinabat ſcientias.

III. Cum itaque non ſcholæ, ſed vitæ philoſophandum eſſe cenſeret, ad eam philoſophiæ rationem reſpiciens, quam ante ſe Ionica ſchola, immo totus

r) Hanc viam ſibi elegit STANLEIVS *Hiſt. Philoſ. P. III. c. V. ſeqq. p. 115.* unde & paſſim Platonica Socraticis immiſcuit. Id quod etiam de diſſertatione notandum, quam *de philoſophia moderali Socratis*, ſyſtematico nexu exhibita edidit GODOFR. WILH. PAVLI *Halæ. 1714. 4.*

s) Conf. VOSSIVS *de Hiſt. Græc. l. I. c. V. p. 19. ſeqq.*

ff) in *Apolog. p. 21.*

totus theologorum Græcorum chorus tenuerat, vehementer improbabat phyſicorum laborem, qui rerum naturalium contemplationi omne tempus impendentes, exiguam fereque nullam humano generi præſtabant utilitatem. *Primus* itaque, teſte CICERONE [t] *a rebus occultis & ab ipſa natura involutis, in quibus omnes ante eum philoſophi occupati fuerunt, avocavit philoſophiam, & ad vitam communem adduxit, ut de virtutibus & vitiis, omninoque de bonis rebus & malis quæreret.* Ex quibus manifeſtum eſt, recte eum primum philoſophiæ moralis auctorem inter Græcos dici: etſi enim ad mores pertinentia philoſophi ante eum dixere non pauca; de iis tamen non quæſiverunt, ſed ſententias tantum utiles protulerunt, ex quibus philoſophia nondum conficitur: id quod etiam de ſeptem ſapientibus Græciæ tenendum eſſe, ſuo loco demonſtravimus. Archelaus vero, qui de moribus dicere inſtituerat, pauca eaque non feliciter, docuiſſe videtur, certe Socrati deductæ a cœlo in terram philoſophiæ gloria ab omnibus tribuitur.

IV. Ex dictis hactenus nullo negotio colligitur, longe alium eruditionis partium circulum Socratem conſtituiſſe, & de ipſis quoque, quæ invaluerant, ſcientiis philoſophicis aliter inſtituiſſe, quam tum inter Græcos erat receptum, multasque ſubtilitates ingeniorum otioſorum, vanam inde gloriam ſine mentis emendatione quærentium, rejeciſſe, admiſſis tantum iis, unde mores emendari & humani animi felicitas confirmari poſſent. Hincque judicanda ſunt, quæ de pretio ſcientiis philoſophicis, quales Græcia Socratis tempore exhibuit, ſtatuendo magiſtrum dixiſſe diſcipuli referunt, qui ut erant animo & diſciplina diverſi, ita variam quoque & diſſentientem inter ipſos ſententiam præceptori tribuerunt: qua de re erudite commentatus eſt SEXTVS EMPIRICVS. [u] Refert is, teſtimonium perhibentibus Xenophontis & Platonis ſcriptis, *Socratem, quæ in moribus verſatur, philoſophiæ ſolius curam geſſiſſe; ſi familiares ejus quidam audiendi ſint, Xenophontem enim in ſuis memorabilibus diſertis verbis dicere, abnegaſſe eum τὸ φυσικὸν, naturæ contemplationem, ut quæ ſit ſupra nos: ſoli autem vacaſſe morum inquiſitioni, τῷ ἠθικῷ, ut quæ ad nos pertineat. Ideo dixiſſe Timonem: lapicidam legiferum a phyſicis receſſiſſe: & legiferi nomen impoſuiſſe, quod ad mores pertineret, de legibus diſſererе. At Platonem quidem Socrati tribuiſſe omnem partem philoſophiæ: Logicæ quidem, quoniam ab eo introductus eſt, quærens de definitionibus & diviſionibus & etymologia, quæ quidem ſunt Logica: ejus autem partis, quæ verſatur in moribus, quoniam diſceptat de virtute & reipublicæ adminiſtratione & legibus. Naturæ autem contemplationis, quoniam & de mundo, & de ortu animalium & de anima eſt philoſophatus.* In qua controverſia Xenophontis partes ſuperiores eſſe, veteres jam judicarunt. Inter quos Timon, ut erat ingenio ſatyrico, ideo acerbe Platonem reprehendit, quod Socratem ita multis ornet diſciplinis, & non manere voluerit

t) *Tuſc. Qq. l. I. c. 5.*

u) *Adverſus mathematicos l. VII. ſ. 8.*

morum effictorem: addit etiam; finxiſſe mira plurima.[v] Idem ATHENAEVS[w] Platoni objicit. Nec id præter rem. Cum enim Plato novam philoſophiam ex variis ſectis conflaſſet, uti ſuo loco ex inſtituto docebimus, ejusque auctoritatem atque ſapientiam Socraticorum ſermonum titulo commendare voluiſſet, quicquid ex ingenio ipſi naſcebatur, plerumque ad Socratem retulit: id quod Socratem ipſum reprehendiſſe, & in hiſtoria Socratica probe obſervandum eſſe, ſupra jam monuimus. Neque tamen id ἁπλῶς & abſolute intelligendum eſt, rejeciſſe Socratem præter moralem philoſophiam omnem reliquam eruditionem, ſed ad illas tantum diſciplinarum partes referendum eſt, quas uſu in humana vita carere, & nec certo fundamento niti, nec ad emendandum animum & felicitatem hominis quicquam conferre judicabat. Ita, docente XENOPHONTE,[x] *geometriam eo usque diſcendam, aiebat, donec quis poſſet, ſi uſus ferret, terram vel recta metiendi ratione accipere, vel tradere, vel diſtribuere, vel opus deſignare. Atque hoc tam poſſe diſci facile, ut qui animum ad dimenſionem advertat, is & ſcire poſſit, quanta ſit ipſa terra, & cognita metiendi ratione diſcedat. Verum in geometria diſcenda progreſſum ad deſcriptiones usque intellectu difficiles, improbabat. Nec enim, quid eæ res uſus haberent, videre ſe ajebat, licet illarum minime rudis eſſet: poſſe vero, dicebat, eas omnem hominis vitam abſumere, ac ab aliis multis utilibusque diſciplinis avocare. Hortabatur etiam, ut in aſtrorum doctrina ſe exercerent eo usque, donec & noctis, & menſis & anni tempora cognoſcere poſſent, tum itineris ac navigationis cauſa, tum excubiarum aliarumque rerum quæcunque vel per noctem, vel in menſe, vel in anno geruntur: ut ad ea certis indiciis uti poſſent, quibus illorum tempora dignoſcerent. Atque hæc ajebat, facile diſci poſſe ab iis, qui noctu feras venantur, & a navium gubernatoribus, aliisque multis, quibus eſt curæ, ut hæc ſciant. At vero in aſtronomia diſcenda eo progredi, donec & illa cognoſcantur, quæ in eodem non ſunt ambitu, & errantia vagaque ſidera, & eorum a terra intervalla, & circuitus, eorumque cauſas inquirendo diu ſe macerare, id vero ne facerent, vehementer dehortabatur. Quippe ne in his quidem ullam ſe utilitatem videre dicebat, quamquam eorum rudis non eſſet: atque etiam addebat, hæc quoque abſumere poſſe vitam hominis & a multis & utilibus eum arcere. Denique in univerſum dehortabatur, ne quis ſtudium & operam in res cœleſtes impenderet,[y] quo ſcilicet artificio Deus omnia moliatur. Nec enim illa poſſe ab hominibus inveniri putabat, nec Diis eum rem facere gratam arbitrabatur, qui, quæ illa manifeſta eſſe noluiſſent, inquireret. Hortabatur etiam ut numerorum rationes diſcerent, & in hac perinde ac in aliis monebat, ut ab inani occupatione ſibi caverent: atque adeo tum ipſe hanc eatenus perveſtigabat, quatenus eſſet utilis, tum una cum familiaribus perquirebat.*

v) LAERT. *l.* III. *ſ.* 25. ὡς ἀνέπλασσε Πλάτων πεπλασμένα θαύματα ἀθώς. *conf.* HESYCH.

w) *l.* XI. *p.* 505.

x) *l.* IV. *p.* 814. *ſeq.*

y) Conf. *l.* I. *p.* 710. *ſeq.*

bat. Vehementer etiam familiares ſuos hortabatur, ut valetudinis curam haberent, ac partim a peritis, quæ poſſent, diſcerent, partim ſinguli, per omnem vitam ſe ipſos obſervarent. quinam cibus, qui potus, qui labor eis conduceret, & quo pacto his utendo quam optima valetudine frui poſſent. Nam ſi quis ſui rationem ita haberet, difficile, aiebat, eſſe, ut medicum aliquis inveniret, qui ad valetudinem conducentia facilius ipſo, judicaret. Si quis majora quam pro ſapientia humana vellet adſequi, ei dabat hoc conſilii, ut divinationi operam daret. Quem luculentum Xenophontis locum, etſi longiuſculum, ideo adduximus, quod non tantum ea in compendio exhibet, quæ paſſim in his memorabilibus de Socratis judicio de philoſophiæ partibus & uſu traduntur, ſed quod etiam manifeſtum facit, quam ſobrie de hoc argumento Socrates philoſophatus fuerit. Et ex his explicanda ſunt, quæ tradit GELLIVS,[z] ubi de æmulatione Platonis & Xenophontis agit: *Xenophontem in libris, quos dictorum atque factorum Socratis commentarios compoſuit, negare Socratem de cœli atque naturæ cauſis rationibusque unquam diſputaviſſe, ac ne diſciplinas quidem cæteras, quas μαθήματα Græci appellant, quæ ad bene beateque vivendum non pertinerent, aut attigiſſe, aut comprobaſſe, & eos mentiri, qui diſſertationes ejusmodi Socrati tribuerent.* Ex quibus etiam ſenſus illius dicti manifeſtus eſt: *quæ ſupra nos, nihil ad nos,*[a] de quo jam diximus. Quemadmodum itaque Phyſici, rerum ſublimium conſideratione occupati μετεωρολέσχαι cognominati ſunt, quo nomine malitioſe tamen Socratem traduxit Ariſtophanes, ita Socrates vocatus eſt a Timone ἐιναμολέσχης, teſte CLEMENTE ALEXANDRINO.[b] Ex his vero, quid de Logicæ pretio ſtatuendo cenſuerit Socrates, facile judicari poteſt. Sanum enim ejus uſum non rejeciſſe,[c] ipſa quam adhibuit, diſputandi methodus nos convincit: ſubtilitates vero, quas circa ea tempora Zeno & ſequaces in Eleatica ſchola excolebant, & Euclides poſtea inſanum in modum auxit, rejeciſſe, dubitari propter ea, quæ dicta ſunt, nequit. Idem de dialectica, quam ei Plato tribuit, judicium eſto.

V. Repetendum quoque hic, ubi de Socratis philoſophia agimus, quod ſupra §. V. jam expoſuimus: ſcientiæ ſibi modum poſuiſſe Socratem, & anguſtorum humani ingenii limitum memorem dixiſſe: *nihil ſe ſcire, niſi hoc, quod nihil ſciat.* Cujus effati ſenſum non ad ſcepticam incertitudinem trahendum eſſe, dicto loco jam probavimus, quemadmodum nec SEXTVS EMPIRICVS,[d] eum in diſcipulo Platone totum ſcepticum eſſe affirmare auſus eſt. Vnam nos dictis adjicimus obſervationem. Veriſimile videri, Socratem iſto potiſſimum effato, ſe phyſicis atque ſophiſtis etiam appoſuiſſe: quorum utrorumque decreta incertiſſima eſſe noverat, & ad eos

z) *Noct. attic. l. XIV. c. 3.*

a) Hinc & illud Homeri ſemper in ore habuit:

\- - - *Quærendum*
Ædibus in noſtris, quæ prava aut recta gerantur.

conf. IAC. DV PORTVS *Gnomol. Hom. p. 169.*

SEXT. EMP. *adv. Math. l. XI. ſ. 2.*

b) *Strom. l. II. p. 301. conf.* FR. MENZ. *de Ariſtippo Socratico p. 91.*

c) Ita RAPIN. *reflex. ſur la Log. p. 373.*

d) *Pyrrh. hypotypoſ. l. II. c. XXXII. ſ. 222.*

eos confundendos hanc incomprehenſibilitatem eis opponebat. Phyſici enim, præcipue qui veterem ſcholam ſequebantur, ſtatuebant, totam materiam inſtar fluminis ſemper moveri, mutarique, nec eſſe in ea ſtabile quicquam: Sophiſtæ, de quavis re in utramque partem diſputari poſſe contendebant, & nihil magis, hoc, quam aliud eſſe, docebant, ut ex doctrina Protagoræ poteſt diſci. Vtrumque dogma cum ſcepticiſmo viam ſternere videret Socrates, ut homines incertiſſimis nugis tempus melioribus & utilioribus diſciplinis præripientes, in ruborem daret, & propriis telis confoderet, arrepto axiomate, quod ad amicos dictabat modeſtia adverſus inimicos, ſuggerebat prudentia, hanc ignorantiam, quam propria principia confirmabant, non oppoſuit, &, adhibita ita feliciter ironia, eos in ruborem dedit. De rebus enim moralibus non dubitaſſe, nec dubie quoque locutum XENOPHONTIS commentarii docent.

VI. Tandem & hoc præmonendum, Socratem philoſophiæ moralis ſyſtema non condidiſſe, nec hac de re ſcripſiſſe quicquam, ſed ſermones ejus retuliſſe in commentarios diſcipulos, ex quorum fide de philoſophia Socratis unice judicandum eſt. Detrahunt vero ſibi invicem Plato & Xenophon, ſicque incertam nobis faciunt hiſtoriam Socratis. Quia vero majorem fidem mereri poſteriorem priori demonſtravimus, rejecto, niſi concordet, Platone, ad hunc potiſſimum quidem in delineanda philoſophia reſpiciemus, ita tamen, ut memorem velimus eſſe lectorem, Xenophontis potiſſimum ea fide narrari. [e] Præmittemus vero, quæ de Deo & anima ſtatuit Socrates, & morum tum præcepta, & prudentiæ civilis & œconomicæ regulas ex mente Socratis delineabimus.

Theologia Socratis.

§. XIV. Theologiæ hæc dogmata agnovit Socrates:

I. Deus, inſpicienti opera ejus, licet cerni nequeat, tamen deprehendi poteſt. Prolixa & elegantiſſima diſputatione cum Eythydemo apud XENOPHONTEM [f] hoc demonſtravit Socrates, & pulcherrima divinæ ſapientiæ, providentiæ, & benignitatis veſtigia ita eruit, ut convincat, qua ratione ſui notitiam divinus rerum conditor animis hominum impreſſerit.

II. Deus mundum univerſum compoſuit, & continet, quo bona & pulchra omnia comprehenduntur, quique utentibus eo ſemper expertem detrimenti, & morbi & ſenectutis exhibet, atque etiam cogitatione celerius obſequentem ſine ullo errore. [ff]

III. Deus vero, non caſus, hujus mundi cauſa eſt: idque demonſtrari poteſt ex arte, quæ in ſapientiſſima partium omnium conjunctione apparet, utilitati pariter atque tutelæ inſerviente, ex omnium item in conſervationem ſuam & generis propagationem ſtudio. Eleganter hæc contra Ariſtodemum, cognomento, parvum, omnem Dei cultum ridentem, demonſtravit Socrates, [g] & providentiæ divinæ aſſertionem dedit pulcherrimam: ad quam reſpexit quoque CICERO. [h] IV.

e) Conf. VOSSIVS *de Hiſt. Græc. l. I. c. 5. p. 22.* & quæ XENOPHONTI tribuitur *epiſtola ad Aeſchinem p. 1000.*

f) *Memorab. l. IV. p. 800. ſeqq.*

g) *ib. l. I. p. 725. ſeqq.*

h) *l. II. de nat. Deor.*

ff) *ib. p 802.*

IV. Deus hominis imprimis curam gerit, ſive corpus ſpectes, ſive animum, ſive utrumque, quod divinationes & periculorum imminentium præſagia ſuadent. Immo rerum particularium cura ei eſt, ut ex cujusvis generis rerum conſervatione patet. [i]

V. Deus temporis momento mentis acie cognoſcit omnia, id quod colligitur ex humani oculi celeritate, mentisque ipſius, quæ locis maxime diſſitis geſta nulla interpoſita mora conſiderat. [k]

VI. Talis Deus eſt tantus, ut uno actu omnia videat, audiat omnia, ubique exiſtat, omnia gubernet. [l]

VII. Quia leges non ſcriptæ dantur, quæ ubivis locorum eodem modo ſervantur, nec eæ ab hominibus latæ eſſe dici queunt, quia homines univerſi convenire non potuerunt, ſequitur, Deum iſtas leges hominibus tuliſſe, qui pœnas ipſas delinquentium legibus addidit: id quod homo facere non poteſt. [m]

VIII. Præmia manent apud Deum illos, qui placuerunt ipſi, diſplicentibus pœnæ decernuntur, idque probat ejus faciendi potentia, humanique animi conſcientia ei divinitus indita, quæ id facturum eſſe Deum, perſuadet, & quam nulla non ætas, nulla non civitas paulo cultior prodit. [n]

Theologica Socrati minus recte tributa.

Hæc de Deo Socrates; quæ ſi probe conſiderentur, & cum iis comparentur, quæ vetuſti Græci theologi, vel etiam ſchola Ionica de Deo tradidere, jucundo exemplo oſtendunt, quantum magis ſapuerit Socrates in doctrina de Deo, quam omnis Græcia ante eum. Plura de Deo tradit PLATO, [o] quæ, Socratem dixiſſe, vult, eſſe Deum τὸ ὂν, αὐτὸ ἕκαστον, αὐτὸ τὸ καλὸν, αὐτὸ τὸ ζωῆ εἶδος, *omnibus creaturis & ut ſint, & ut bene ſit iis, largitur: illum quis ſit, ſe quidem neſcire, hoc tamen, quid non ſit, ſcire.* Sed cur Platoni non fidendum ſit, ſupra jam attigimus, ſuntque hæc manifeſte Pythagorica; Socrates enim ſermonem iſtum metaphyſicum, quem adhibebat ſchola Italica reſpuebat. [p] Itaque Platonis theologia cum Socratis non confundenda eſt. Audiendus itaque non eſt PLVTARCHVS, [q] qui contendit, Socratem & Platonem idem de univerſo ſenſiſſe, & tria ſtatuiſſe principia, Deum, materiam, ideam. Mentem eſſe, quod Deum nominant; materiam primum rebus orientibus & intereuntibus ſubjectum; ideam naturam corporis expertem, in conceptibus mentis & imaginationibus Dei; Deum autem mentem eſſe mundi. Nam licet hæc Platonica ſint, a Socrate tamen eum illa non accepiſſe inde liquido demonſtrari poteſt, quod non tantum ideæ vocem & uſum in rerum naturalium hujus univerſi contemplationem primus Plato introduxit, ut alio loco a nobis demonſtratum eſt, [r] ſed & totam de iſtis cauſis exemplaribus doctrinam a Pytha-

i) ibid. *k) ibid. & l. I. p. 711.*
l) ib. p. 726.
m) ib. p. 807. 808.
n) ibid. p. 726.
o) In Phædone p. 76. 78. 106.
p) Hinc ex Socratis judicio philoſophia Pythagorica vocatur τετρατώδης in XENOPH. Ep. ad Æſchinem l. c.
q) De placit. philoſ. l. I. c. 3.
r) Hiſt. de ideis Sect. I. §. 2. §. 10.

Pythagoræ numeris tranſſumſit, quod quia non contemnendis rationibus alibi [s] evictum dedimus, ſuoque loco prolixius docebitur, hic longius deducendo non corroborabimus. Quod vero porro addit Plutarchus, Socratem docuiſſe: Deum eſſe mentem mundi, hoc ita placuit acutiſſimo CVDWORTHO, [t] ut hanc de Deo mundi anima ſententiam ex Socratis ſchola ad Platonem & Ariſtotelem derivatam fuiſſe contendat. Qui tamen dum Ariſtotelis auctoritate utitur, mire omnia confundit & miſcet, adeo, ut alienum plane ſenſum Socraticis diſcipulis ipſique Socrati affingat. Recte itaque eruditiſſimus interpres: Socratem quidem in Timæo ejus rationibus de anima mundi applaudere, immo paſſim apud Platonem ita differere, ac ſi hanc ſententiam ſecutus eſſet: notum vero eſſe toto animo ab hujusmodi quæſtionibus abhorruiſſe Socratem, atque ideo riſiſſe Anaxagoram atque reliquos phyſicos: Platonem vero ſua, quæ a Pythagora acceperat, ut auctoritatem conſequerentur, Socrati tribuiſſe. Nec tanti, ad quam tamen non provocavit Cudworthus, eſt Plutarchi auctoritas in hac re, ut Socrati tuto hoc dogma adſcribi queat, cum ex antecedentibus pateat, eum Platonem cum Socrate confudiſſe. Dixit quidem apud XENOPHONTEM [u] de Deo, quod ſit ὁ τὸν ὅλον κόσμον συντάττων καὶ συνέχων, qua phraſi Ionicos uſos eſſe ex dictis præcedenti capite conſtat, cum animam divinam aſſererent. Verum tota ſermonis ſeries ſatis innuit, hoc non ita intelligere Socratem, ac ſi interna forma Deus mundum contineat, ſed quod potentia & ſapientia ſua eum dirigat, & naturam ejus conſervet: id quod ab Anaxagora, a quo prima philoſophiæ rudimenta acceperat, didicit, quem paria dixiſſe ſupra notavimus.

Doctrina Socratis de ſpiritibus.

Ceterum præter unum illum ſummum Deum, qui res omnes in univerſo ordinavit & continet, plures Deos, ſive ſpiritus inter naturam Dei & hominis medios admiſiſſe, & ſupra jam tetigimus, & attenta eorum locorum conſideratio apud XENOPHONTEM probat, ubi de Diis agit. Ita enim ſatis luculenter: [x] *Verum me dicere, etiam tu intelliges, ſi non expectaveris, donec Deorum formas intuearis, ſed ſuffecerit inſpicienti eorum opera, tum venerari tum honore proſequi Deos. Velim etiam cogites, Deos ipſos ita ſe nobis oſtendere: nam & Dii ceteri, quum bona nobis largiantur, nihil tamen horum largiuntur, ut in apertum prodant: & is qui mundum univerſum compoſuit & continet cerni non poteſt.* Quibus verbis manifeſte, Deos reliquos a Deo ſummo mundi auctore & rectore diſtinguit, & quid de his numinibus ſperandum ſit, docet. Hominum enim ſaluti invigilare, & rerum univerſi naturalium directioni præpoſitos eſſe, haud obſcure innuit, quando fulmen, ventosque & his ſimilia Deorum miniſtros vocat. Et ideo Socrates quoque cujusvis loci numen venerabatur, quod cuilibet loco ejusmodi nobiliſſimam mentem ſive ſpiritum a Deo præpoſitum crederet, qui ei regendo deſtinatus eſſet: Ait enim:

s) Diſſ. *de convenientia numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis, Amœn. lit. T. VII. p. 177. ſeq.*
t) *Syſtem. intellect. p. 184.*
u) *l. c. p. 802.*
x) *l. c.*

enim: [y] *Penes Deos nihil minus poteſtatem ruſticis in operibus eſſe, quam in bellicis &c.* Et ex hac quoque ratione divinationem commendabat, quod Deos hominibus rerum eventus interdum prædicant. [z] Ita, quæ Græcorum theologia miris ſuperſtitionibus fœdaverat, ad ſenſum philoſophicum revocavit & emendavit. [a] Ex quibus jam conciliari poſſunt ea inter ſe, quæ de Socratis religione diverſe diſputantur, & intelligi, qua ratione Diis ſupplicare potuerit Socrates, licet unum ſummum numen agnoverit.

§. XV. Ad theologiam Socratis naturalem merito referimus quoque doctrinam de anima: de qua multa quidem pro Socraticis nobis vendidit PLATO: [b] exiſtere ante corpus, æternarum idearum cognitione imbutam, quam tamen, dum huic conjungitur corpori, ſtupefacta quaſi amittat, donec ex ſtupore ſuo excitetur per ratiocinationem, a rebus ſenſilibus initium ducentem. Atque adeo, quicquid diſcit, reminiſcentiam tantum eſſe, atque olim amiſſæ ſcientiæ recuperationem. Animam eſſe immortalem, quia ſemper movetur; animam in aliam vitam commigrare, nulli obnoxiam corruptioni; bonorum poſt mortem animos beatitudine frui, cum Deo in loco jucundo, & ad quem acceſſus mortalium nemini pateat, conjunctos, malos in locis convenientibus pœnis promeritis affici. Verum & hic quoque Pythagorica cum Socraticis mire commiſcuit, & conturbavit omnia Plato. Nam quæ de præexiſtentia animarum, ideis, & amiſſa ante conjunctionem cum corpore ſcientia in Phædone diſputat, Italicæ ſcholæ decreta ſunt, non Socraticæ, quæ in his nugis non conſenuit. XENOPHON itaque, Socraticas doctrinas referens audiendus eſt iterum. Hunc ſi ſequimur, de anima ita ſtatuit Socrates: *De anima.*

IX. Si quid rerum humanarum aliud, animus hominis certe τῦ θείε μετέχει, [c] quod recte LEVNCLAVIVS vertit, quiddam cum natura divina commune habet: nam non de eſſentiæ naturæve communione, ſed de proprietatum ſimilitudine ſermonem eſſe, addita evincit ratio: eum in nobis imperare, quamquam non cernatur. Ex quibus ſequitur, non eſſe animam Dei particulam, vel quemadmodum Plato Socrati affinxit, eſſe decerptam ex anima mundi.

X. Deus præſtantiſſimum animum hominis naturæ dedit, qui & Deum rerum conditorem agnoſcere, & eum colere poteſt, & malis præcavere, morbis mederi, amplioremque doctrinam comparare intelligit, & in memoria, quæ didicit, retinet. [d] Etiam ex hoc aſſerto intelligere eſt, animos ideo divinitatis participes dixiſſe Socratem, quod excellentiſſima a Deo dona acceperint: quod in ſequentibus luculenter innuit, dicens, homines inter animalia cetera quaſi Deos quosdam vivere, longe ab ipſa natura tum corpore tum animo ceteris præſtantes. Et ex his explicanda

y) *Ibid. p. 833.*
z) *Ib. l. I. p. 710.*
a) Conf. cel. MOSHEM. *ad Cudw. p. 481.*
b) In *Phædone p. 72. 80. 106.*
c) *Ib. p. 803.*
d) *Ib. p. 727.*

ſunt, quæ Socrati tribuit CICERO:[e] *animos hominum divinos eſſe, iisque, cum e corpore exceſſiſſent, reditum in cœlum patere, optimoque & juſtiſſimo cuique expeditiſſimum.*

XI. Sequitur ex his nobile Socraticæ ſcholæ dogma: animum eſſe immortalem, & habere poſt mortem præmia virtutis: quod morte ſua obſignavit & confirmavit Socrates. Incertum tamen inter fabulas theologorum Græcorum de ſtatu animarum poſt hanc vitam, & præcepta philoſophiæ fluctuaſſe, ea, quæ Plato in *Phædone* affert, ſubinnuunt: etſi propenderit in affirmativam ſententiam.[f] Quo & argumenta dirigebat, quibus virtutis actionem ſæpiſſime commendabat. Videtur itaque non tam de animorum poſt hanc vitam felicitate dubitaſſe, quam de ejus conditione & loco. Quo referenda ſunt, ſi vere ſunt Socratis, quæ apud ANTONIVM & MAXIMVM[g] ei tribuuntur: interrogatum, quænam in altero mundo ſint obvia? reſpondiſſe: ſe neque ipſum ibi unquam fuiſſe, neque cum ullo eorum, qui inde rediſſent, colloquutum eſſe.

Philoſophia moralis Socratis.

§. XVI. His divinæ providentiæ & immortalitatis animorum doctrinis tanquam fundamento inædificavit prudentiſſimus morum magiſter, totam philoſophiam moralem, ejusque præmia futuram felicitatem, conſtituit: quo nomine non potuit non largiſſima elegantiſſimarum doctrinarum moralium ſeges effloreſcere. Quarum potiores jam lectoris ſubjiciemus oculis. Docuit enim:

I. Verum bonum non quærendum eſſe in vitæ hujus felicitate bonisque, quæ ad eam referuntur caducis, unde magna ſæpe homini enaſcitur infelicitas.

II. Vnicum bonum ſcientiam, malum contra unicum inſcitiam eſſe; opes vero ac nobilitatem non ſolum nihil in ſe habere honeſtatis, verum & omne malum ex iis oboriri:[h] Vapulat paſſim[i] propter hoc dogma Socrates, quod in theoretica hominis perfectione felicitatis rationem, quæ ad voluntatem pertinet, quæſiverit. Verum ex toto philoſophiæ Socraticæ habitu ſole meridiano clarius eſt, Socratem, neglecta & rejecta inani ſcientia, ſapientiam ex veri cognitione ortam, & ad animi emendationem applicatam, per iſtam ſcientiam intellexiſſe, ſicque virtutem a ſapientia non diſtinxiſſe,[k] reſpectu tantum habito ad id, quo virtus niti, atque formari debet, quod ſine practica cognitione fieri non poteſt. Vnde ad logomachiam totum, qui circa hoc dogma obſervatur, inter philoſophos de bono unico & ſummo, diſſenſum redire recte notavit cel. HEVMANNVS.[l] Quæ ſi recte teneantur, facile PLATO, hic, ut alibi, ſua placita magiſtro ſup-

e) In *Lælio c. 4.*

f) Conf. diſſ. *de ſecta Elpiſtica, Miſc. Berolinenſ. T. V. art. ult.*

g) *Serm. CCLXXI. p. 879.* ed. Wechel. Et hinc quoque dijudicanda loca PP. quæ affert FR. BALT. *jugem. des SS. Peres ſur la morale de la philoſophie payenne l. I. ch. 10. p. 129. ſeqq.* & ex quibus evincere cupit, Socratem ignoraſſe immortalitatem animæ.

h) LAERT. *l. II. ſ. 31.*

i) Vid. cel. STOLLE *Hiſt. phil. mor. gentil. §. XLII. p. 47.*

k) XENOPH. *l. III. p. 812.*

l) *Act. phil. vol. II. p. 148.*

ſupponens, cum reliquis Socraticis in doctrina de bono, quam in Philebo [m] proponit, in concordiam redigi poteſt: quamvis tam prolixa diſputatione de ſummo bono differat, ancipitemque ſententiam more ſuo, obſcuret potius, quam explicet, ut non accurate attento facile ſuſpicio oriri poſſit, neſciviſſe Socratem, cujus nomine iſta proponit, quid ſummum bonum ſit. Id quod AVGVSTINO [n] evenit, qui ideo diſcipulos eum non aſſecutos autumat. *In Socratis*, inquit, *diſputationibus, dum movet, aſſerit, deſtruit, quoniam non evidenter apparuit, quod cuique placuit, inde ſumſerunt, & ubicunque viſum eſt, conſtituerunt finem boni. Ita ut quidam ex diſcipulis dicerent, voluptatem eſſe ſummum bonum, quidam virtutem, ſicut Antiſthenes, alii aliud quodque opinarentur.*

III. Sapientiam & ſanitatem mentis non differre, ſed ſapientis ac ſani eſſe, uti aliquem eis, quæ bona honeſtaque eſſe cognoſceret, ac vitare, quæ ſciret eſſe turpia: eos vero qui ſcirent, quid agere oporteat, & his contraria facerent, inſipientes ac ſtupidos eſſe. [o]

IV. Et juſtitiam & omnem aliam virtutem eſſe ſapientiam. Nam omnia quæ juſta ſunt, & ex præſcripto virtutis aguntur, honeſta & bona eſſe; neque eos, qui hæc ſciant, aliud quidpiam his præferre, ſed ſapientes, quæ honeſta bonaque ſint, facere; quæ quia cum virtute efficiantur, manifeſtum eſſe, omnem virtutem eſſe ſapientiam. [p]

V. Ex diſciplina rerum honeſtarum & egregiarum, id eſt, virtutis, maximas non utilitates tantum, ſed etiam voluptates exiſtere, easque eſſe maxime neceſſarias ac continuas. [q] Non vero hoc intelligendum eſſe, de voluptatibus corporis, quæ virtutem potius diſtrahunt, quam ſibi jungunt.

VI. Pertinere vero & hoc ad ſapientiam, ut homo ea, quæ neſciat, neque ſcire ſe putet. [r]

VII. Eundem eſſe virum juſtum & beatum, [s] eumque execrandum eſſe, qui primus juſtum ab utili diviſit, res ſua natura conjunctiſſimas. [t]

VIII. Virtutem vero & ſapientiam eſſe animi pulchritudinem, turpitudinem ejus vitium eſſe. [u]

IX. Pulchritudinem corporis pulchræ animæ eſſe indicium: [x] inque vita, ut in ſimulachro, omnes partes pulchras eſſe oportere. [y]

X. Qui ita virtutem ſequuntur, nec ullius criminis ſibi conſcii ſunt, eos tranquille vivere: [z] hincque eſſe ex virtute voluptatem & utilitatem.

XI. Vt vero hæc homo conſequatur, animum exploret, & ſe noſcat,

m) Solet Plato metaphyſicos plerumque conceptus ſequi, & anfractuoſa diſputatione eos obſcurare, id quod etiam in hoc dialogo facit, unde mirum non eſt, dubiam ejus videri mentem. Hoc vero a Socratis methodo alienum, qui metaphyſicas notiones fugerat.

n) *De C. D. l. VIII. c. 33.*

o) XENOPHON. *Mem. l. III. p. 780.*

p) *Ibid. p. 781.*

q) XENOPHON *l. c. p. 810.*

r) PLATO *Apol. init.* Prolixe hujus rei convincit Euthydemum apud XENOPHONTEM *l. IV. p. 798. ſeq.*

s) CLEM. ALEX. *Strom. l. I. p. 417.*

t) CICERO *offic. l. I. c. 3.*

u) CLEM. ALEX. *l. c. l. V. p. 594.*

x) MAX. TYRIVS *diſſ. XI. p. 142.*

y) STOBAEVS *Serm. I. p. 4.*

z) STOB. *Serm. CVI. p. 350.*

neceſſe eſſe, quoniam, qui ſe norint, maxima bona conſequantur, qui ſe ignorent, in mala incidant & bonis priventur. [a]

XII. Hanc animi ſui cognitionem facile convicturum hominem, quod nihil ſciat, ut tandem diſcat ſapientiam.

XIII. Bene vero incipere, parvum non eſſe, ſed parvo proximum. [b]

XIV. Vnam tantum eſſe ſapientiam, unamque virtutem.

XV. Prudentiam eſſe animi concinnitatem; prudentesque qui non facile aberrent. [c]

XVI. Deos religioſius & rectius coli non poſſe, quam ea, quæ jubent, faciendo. [d]

XVII. Precari nos id ſolum oportere, ut bona Dii largiantur: quæ enim bona nobis ſint, optime noſſe ipſos Deos. [e]

XVIII. Deos colendos eſſe, juxta civitatis, in qua quis degat, inſtituta, ſecus agentes ſuperſtitionis & vanitatis reos eſſe. [f]

XIX. Sacrificia facultates noſtras non debere excedere, quandoquidem Dii animi magis integritatem, quam munera, reſpiciant. [g]

XX. Res juſtiſſimas Deos lege mandare, idemque apud eos juſtum eſſe & legitimum.

XXI. Eſſe leges non ſcriptas, ab hominibus non conditas, quæ a Deo latæ ſint. Tales eſſe: Deos eſſe colendos, parentes honore proſequendos, parentibus non cum liberis conſueſcendum, de bene facientibus bene merendum.

XXII. Leges has divinas eſſe, quia ipſas delinquentium pœnas contineant, id quod cujusdam præſtantioris legislatoris videatur, quam ut in hominem cadat. [h]

XXIII. Patri, quamvis aſpero, ſicuti legi duriori, morem tamen eſſe gerendum. [i]

XXIV. Maximum eſſe vitium, ingratum ſe beneficiis præbere, beneficiorum maximum a parentibus nos habere. Filio vero immorigero & ingrato, nec Dei bonam voluntatem nec hominum favorem eſſe expectandum, quibus verendum ſit, ne male gratiam referat, quam non referre ſciat illis, quibus cum maxime debeatur. [k]

XXV. Sapientiam eos, qui pecuniam accipiant, ejus communicandæ cauſa, proſtituere non minus, quam qui formam proſtituant. [l]

XXVI. Neque equo ſine freno, neque divitiis ſine ratione tuto uti quempiam poſſe. [m]

XXVII.

a) XENOPH. *l. c. p. 779. 776.* ORIG. *philoſ. c. XVIII. p. 106.*

b) LAERT. *l. II. ſ. 32.* & ALDOBRAND. & MER. CASAVB. *ad h. l.* ſenſus eſt: a parvo & levi erroris initio, cum magna pendeant, facile principium ſuſcipiendum, quod leve quidem & parvum re tamen ipſa magnum quid ſit.

c) STOBAEVS *Serm. III. p. 39.*

d) XENOPH. *l. IV. p. 803.*

e) *Ibid. l. I. p. 722.*

f) *Ibid. p. 803.* id ipſum feciſſe Socratem ſupra monuimus.

g) *Ibid. p. 722.*

h) Ita *de lege naturali l. c. p. 808. 809.*

i) STOBAEVS *Serm. CXCVIII. p. 676.*

k) XENOPH. *l. II. p. 741.*

l) Plagiarios ſuimet dixiſſe, ait XENOPH. *l. I. p. 712.* Ideo doctrinæ mercedem non accepit.

m) STOBAEVS *Serm. XXVIII. p. 90.*

XXVII. Avarorum divitias, ut ſol, poſt occaſum, neminem mortalium oblectare. [n]

XXVIII. Avaros & pecuniæ ſtudioſos eſſe, qui turpia lucra venentur, & neceſſarios amicos contemnant. [o]

XXIX. Prodigorum bona non niſi ſcortis & adulatoribus prodeſſe. [p]

XXX. Omnium bonorum fertiliſſimum eſſe amicum moderatum, & virtutis amantem. [q]

XXXI. Improbos amicos eſſe non poſſe, ſive invicem ſibi, ſive bonis. [r]

XXXII. Comparandi amicos viam hanc eſſe, ut primo quis ſtudeat eſſe bonus in iis, in quibus talis cupiat videri: omnes vero virtutes ſtudio & doctrina incrementa poſſe capere. [s]

XXXIII. Virum bonum & amicum benevolum judicandum, non qui genere clarus, ſed qui moribus egregiis fuerit. [t]

XXXIV. Ignem quidem vento, amorem autem converſatione accendi. [u]

XXXV. Arrogantiæ eſſe, omnia dicere, nihil autem audire velle.

XXXVI. Oportere virum obfirmare ſe ipſum, ad labores & ærumnas libenter ſuſtinendas, ita ut, quod neceſſitas impoſuerit, non invito, ſed lubenti, evenire videatur. [x]

XXXVII. Mortem non eſſe extimeſcendam; ſive enim profundiſſimo ſomno ſimilis ſit, vel peregrinationi longinquæ, vel extinctioni animi juxta ac corporis, malam non eſſe, ſed exoptandam. [y]

XXXVIII. Melius eſſe, honeſte mori, quam turpiter vivere. [z]

XXXIX. Omnem occaſionem incontinentiæ vitandam eſſe, eum enim non facile illam tueri poſſe, qui multum cum formoſis converſaretur. [a]

XL. Non conſiſtere in luxu & ſuperbia felicitatem, ſed, nulla re indigere, divinum, quam pauciſſimis, divinæ naturæ proximum eſſe. [b]

XLI. Diligenter tuendam eſſe corporis ſanitatem, ab ea enim animæ quoque ſalutem pendere. [c]

XLII. Quietem & otium poſſeſſionum omnium pulcherrimam eſſe. [d]

XLIII. Iuvenis virtutem eſſe: ne quid nimis. [e]

XLIV. Continentiam eſſe: coërcere & vincere corporis voluptates. [f]

XLV. Homines vivere, ut edant, bonos edere ut vivant. [g]

XLVI. Idem eſſe in ſecunda fortuna altum ſapere &, in lubrica via curſu contendere. [h]

XLVII. Viam ad gloriam meliorem nullam eſſe, quam ut quis bonus ſit, videri nolit. [i]

XLVIII.

n) IDEM *Serm. CXLVI.*
o) ANT. & MAX. *Serm. CXL.*
p) *Ibid.*
q) XENOPH. *l. II. p. 746.*
r) *Ib. p. 784.*
s) *Ibid.*
t) STOBAEVS *Serm. CCXVIII. p. 728.*
u) IDEM *Serm. XXXVIII. p. 129.*
x) XENOPH. *l. II. p. 733.*
y) PLVT. *Conſol. ad Apoll.*
z) MAXIM. *Serm. CV.*
a) XENOPH. *l. I. p. 723.*
b) *Ibid. p. 731.* STOBAEVS *Serm. XXXVII. p. 114.*
c) XENOPH. *l. III. p. 786.*
d) LAERT. *l. II. ſ. 31.*
e) *Ibid. ſ. 32.*
f) ANT. & MAX. *Serm. LXIV.*
g) LAERT. *l. c.*
h) MAXIM. *Serm. CXLVII.*
i) XENOPH. *l. I. p. 732.*

XLVIII. Bonos viros iis oportere moribus esse, ut major sit iis, quam jurijurando fides. [k]

XLIX. Loquacem & calumniatorem non attendendum, eos enim non benevolentia ductos agere, quod agant; similiterque, quæ quis dixerit aliis exposituros. [l]

Doctrina Socratis de prudentia domestica.

§. XVII. Quemadmodum vero Socrates ad vitam quoque civilem philosophiam retulit, & eo respicere jussit, ut bonos redderet cives patresque familias: ita & hanc practicæ philosophiæ partem saluberrimis præceptis ornavit. Et quod ad œconomicam quidem pertinet, prolixe illud XENOPHON integro libro prosecutus est, digno, qui totus legatur. Nos instituti memores pauca, speciminis gratia, ex multis deligimus.

I. Est boni administratoris rei domesticæ, omnibus rebus & hostibus etiam, uti scire, quo fructum ex iis capiat.

II. Sunt quædam fraudulentæ dominæ, quæ se pro voluptatibus venditant, & valde rei domestiæ nocent, ignavia, mollities animi, & negligentia; aleæ lusus, & inutiles hominum inter se conversationes, quæ ab operibus utilibus avocant: Suntque molesti domini, luxus, libidines, temulentia, stultæ & sumtuosæ ambitiones, quæ adeo graviter in hos homines, quos occuparunt, imperium exercent, ut quamdiu cernunt, vegetos esse, & quæstum facere posse, quicquid lucri fecerint, ad se deferri cogant, ac suas in cupiditates impendere: ubi vident propter senectutem nihil amplius eos comparare posse, relinquunt eos, misere senium exacturos.

III. Contra hos dominos & tyrannos oportet de libertate dimicare, tanquam adversus hostes.

IV. Qui occupationes suas agunt temere, suo cum damno faciunt; at qui contento animo curam adhibent, ii tum celerius faciliusque, tum majori cum lucro sua faciunt.

V. In cura rei domesticæ agriculturæ magna habenda est ratio.

VI. Administratio domestica nomen est scientiæ, qua domos amplificare homines possint, id est facultates augere. Facultates vero sunt, id quod cuique est utile. Vtilia vero sunt, quibuscunque uti quis scit.

VII. Artes sordidæ homini ingenuo improbandæ sunt, quia & corpora lædunt, & animos frangunt.

VIII. Vxor docenda est, quæ utrique conjugum sint optima, id vero non nisi sacrificiis & precibus prius peractis.

IX. In conjugio cuncta in medium exhibenda sunt, & in commune deponenda.

X. Frugi viri mulierisque munus est, ita se gerere, ut & facultates, quæ adsunt, optimo sint loco, & aliæ quam plurimæ honestis justisque rationibus accedant.

XI. Enitendum itaque ut illa quam optime efficiantur, quæ a natura dii tribuerunt, & lex comprobat.

XII.

k) ANT. & MAX. *Serm. LXXXV.* *l)* IDEM *Serm. LIII.*

XII. Deus naturam fœminæ præparavit ad curas domus interiores, maris ad exteriores.

XIII. Majorem ideo erga liberos amorem Deus indidit fœminæ, ut ea recens natos liberos educaret.

XIV. Enixe opera danda eſt, ut uterque conjugum ea, quæ ſui officii ratio poſtulat, quam rectiſſime præſtet.

XV. Eſt fœminæ pulchrius, intra ædes ſe continere, quam foris agere; viro contra turpius intra manere, quam res exteras curare.

XVI. Qui aliud agit, quam ipſius naturæ Deus indidit, occultum id Deo eſſe nequit, ordinem ab ipſo perturbari, atque pœnas dat.

Ex brevi hoc ſpecimine, qua ratione œconomiæ proſpici velit Socrates ſatis intelligitur, quod in elegantiſſimo, quod Critobulo narrat, colloquio cum Iſchomacho prolixius exequitur: in quo tamen multa ſunt, quæ ad Athenienſium mores, leges, inſtitutaque reſpiciunt, non ubivis locorum applicanda. Legiſſe vero & probe expendiſſe pœnitebit neminem.

§. XVIII. Sed ne regularum quoque politicarum exemplum deſideretur, en Socratem ita præcipientem: *Politica doctrina Socratis.*

I. Reges & principes non eos eſſe, qui ſceptra teneant, nec illos, qui vel a promiſcua multitudine ſint delecti, vel ſorte, vi, fraudibus, eo pervenerint, ſed quotquot imperandi artibus ſint inſtructi. [m]

II. Regem eſſe, qui volentibus imperet; qui invitis præſit, non ex lege, ſed ex arbitrio, tyrannum. [n]

III. Boni civis officium eſſe, opulentiorem reddere rempublicam tempore pacis, victricem tempore belli, hoſtes ei conciliare in legationibus, in ſeditionibus plebem concionibus coërcere. [o]

IV. Legem non fuiſſe factam propter bonos. [p]

V. Munitiſſimam civitatem eſſe, quæ viros bonos habet; rectiſſime conſtitutam, in qua magiſtratus conjunctis ſint animis; optimam, in qua plurima virtuti propoſita ſunt præmia: in ea optimum eſſe habitare, ubi ſecundum leges vivatur, & injuſti puniantur. [q]

Ceterum Plato quoque politica ſua Socrati tribuit, verum ita imaginariis notionibus corrupit, ut difficulter Socratica a Platonicis diſtinguas.

§. XIX. Tantus atque talis cum vir fuerit Socrates, mirum non eſt, nactum eum fuiſſe diſcipulos plurimos, vitæ tamen atque doctrinæ ratione inter ſe longe diverſos: [r] unde multæ philoſophorum ſectæ atque familiæ ortæ ſunt, quarum nulla non haberi voluit Socratica. *Cum enim*, egregie monente CICERONE, [s] *plures fere eſſent orti a Socrate, quod ex illius variis & diverſis in omnem partem diffuſis diſputationibus alius aliud appre-* *Diſcipuli Socratis.*

m) XENOPH. *Mem. l. III. p. 779.*
n) IDEM *l. IV. p. 813.*
o) *Ibid.*
p) CLEM. ALEX. *Strom, l. III. p. 478.*
q) STOBAEVS *Serm. CXLI.*
r) Phaniæ de Socraticis liber periit, vid. IONSIVS *de Script. hiſt. phil. l. I. c. 16. p. 84.* FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II p. 308.* nec IONSII *de Socraticis liber* editus eſt.
s) De oratore *l. III. c. 16.*

apprehenderat, proſeminatæ ſunt quaſi familiæ diſſentientes inter ſe, & multum disjunctæ & diſpares, cum tamen omnes ſe philoſophos Socraticos & dici vellent, & eſſe arbitrarentur. In tres vero claſſes diſcipuli Socratis diſpeſci poſſunt. Quidam nec philoſophi fuerunt, nec philoſophiæ ſtudio ſe manciparunt, cum Socratis diſciplinæ ſe traderent; ſed vel emendandi & erudiendi animi, vel formandi ad majora & excelſa, quæ anhelabant, cauſa tantum ſibi præceptorem elegerunt. Inter hos illi potiſſimum numerandi ſunt, quos in Socraticis dialogis loquentes introducunt XENOPHON & ex parte quoque PLATO. Habuit enim Crito philoſophus filios quatuor [s] diſciplinæ Socratis commiſſos, inter quos Critobuli famoſæ pulchritudinis opumque ampliſſimarum hominis colloquium cum Socrate refert XENOPHON, [t] & Hermogenis quoque mentionem facit, [u] atque Epigenis, [x] cui valetudinis curam commendavit Socrates. Ex oratoribus Lyſias, ex poëtis Evenus atque Euripides nobiliſſimi in hac arte viri Socratem magiſtrum habuerunt, & hunc quidem a Socrate adjutum fuiſſe, immo in ſuſpicione verſatum, quod Socratis vitulo araverit, ſupra tetigimus. [y] Quin & illi ſuo modo huc pertinent, adverſus quos diſputavit Socrates, quosque ad meliorem mentem adduxit, quales fuere Diodorus, Euthydemus, Eutherus, [z] Ariſtarchus, [a] aliique. Audiverunt quoque Socratem ejusque conſuetudine uſi ſunt Critias & Alcibiades, juvenes nobilitate & potentia illuſtres, quorum ille [d] in paucorum dominatu longe omnium avariſſimus & violentiſſimus fuit; hic autem longe omnium in ſtatu populari intemperantiſſimus, & petulantiſſimus, & violentia intolerabilis. Quorum cum uterque omnium eſſet ambitioſiſſimus, quippe qui vellent omnia per ipſos geri, viderentque validiſſimum eſſe in dicendo Socratem, quique, quibuſcumque differeret, in colloquiis eos ita flecteret, prout ipſe vellet, exiſtimarunt ſe, ſi cum ipſo verſarentur, futuros & ad dicendum & ad gerendas res promtiſſimos. Socrates vero, in iis emendandis nihil omiſit, & moderationem, modeſtiamque atque virtutem vehementer eis commendavit: [e] nec illi, quamdiu Socrates vixit, intermiſerunt ad Socratis ingenium ſe ſimulate componere, ubi vero magna moliri cœperunt, a Socratis moribus & amicitia defecerunt. Altera philoſophorum Socraticorum, qui ejus diſcipuli fuerunt, claſſis eos comprehendit, qui poſtquam a magiſtro diſciplinam hauſerant, poſt ejus ex vita diſceſſum peculiares ſectas condiderunt. [f] Qui licet vehementer doctrina a ſe invicem abirent, omnes tamen Socratici philoſophi dici adamave-

s) LAERT. *l. II. ſ. 121.*
t) *l. V. p. 822.*
u) *l. II. p. 760.*
x) *l. IV. p. 786.*
y) Conf. BAYLE *Dict. T. II.* art. *Euripides.*
z) XENOPH. *mem. l. II. p. 760.*
a) *Lib. IV. p. 791.*
b) *Ibid. p. 757.*
c) *Lib. II. p. 755.*

d) Ita characterem eorum depingit XENOPH. *l. c. p. 713.*

e) Vid. præter XENOPHON. *ll. cc.* AELIANVS *l. III. c. 28. l. II. c. 1.*

f) Vid. LAERT. *l. II. ſ. 41. Hiſt. philoſ.* GALENO tributa *c. 2.* APVLEIVS in *flor.* circa *fin.* Hinc & omnes ab illis enatæ ſectæ hanc gloriam jactarunt.

amaverunt. Et hi quidem fuere Ariſtippus Cyrenaicæ, Phædo Eliacæ, Euclides Megaricæ, Plato Academicæ, Antiſthenes Cynicæ ſectæ conditores, quarum hiſtoriam in ſequentibus enarrabimus. Tertia poſt hos claſſis diſcipulos nobis eos Socratis exhibet, qui in philoſophorum quidem albo apparent, ſectas tamen non condiderunt, inter quos cum Xenophon, Aeſchines, Crito, Simon atque Cebes celebre in hiſtoria ſcholæ Socraticæ nomen retulerint, [g] de iis notitia prius exhibenda eſt, quam ad ſectas a Socraticis diſcipulis conditas enarrandas pergimus.

§. XX. Socraticorum diſcipulorum ſi non optimus inter meliores tamen & maxime genuinos fuit XENOPHON, quippe qui non ad eruditionis oſtentationem, ſed ad animi emendationem & virtutis culturam Socrate præceptore uſus eſt, &, quo encomio recte eum mactavit EVNAPIVS, [h] *ex omnibus philoſophis ſolus non doctrina tantum & verbis, ſed & factis philoſophiam ornavit.* Natum fuiſſe Olymp. LXXXII. ex vitæ, quos exegit, annis, ſupra nonaginta ſurgentibus, [i] & mortis tempore, quam Olymp. CV. 1. eveniſſe tradit Steſiclides apud LAERTIVM, [k] recte concluditur; ſicque rationes temporum, [l] quibus inter Socraticos vixit, & poſt præceptoris mortem quoque fortiſſimis facinoribus egregie meruit, concordant. Athenis editus, patre Gryllo, ex pago Erchieo oriundo, [m] a natura pulchrum corpus & verecundam faciem apertamque frontem accepit: [n] qui externus vultus ita Socrati placuit, ut erat formoſorum adoleſcentum amator, in quibus venuſtam quoque habitare mentem conjiciebat, ut eum diſcipulum ſibi conciliaret. Cum enim eum Socrates in angiportu quodam obvium habuiſſet, porrecto baculo transire prohibuit, eumque interrogavit, ubi vænirent, quæ humanis uſibus ſint neceſſaria: datoque a Xenophonte reſponſo ſerio, interrogando perrexit: ubinam probi ac boni homines fierent? Quo audito cum hæreret Xenophon, dixit Socrates: ſequere ergo & diſce, ex quo tempore Socratis diſcipulus factus eſt. [o] Sub hoc moderatore non in eruditionis tantum & philoſophiæ, ſed virtutis quoque ſtadio impiger cucurrit, &, eo duce, ad exercenda atque adaptanda vitæ præcepta morum, quæ a præceptore fideliſſime magna copia hauriebat, diligentiam adhibuit. Illo enim comite in bello Peloponneſiaco, [p] cum ſuo ingenio eſſet promtus, ejus exemplo inſuper accenſus pro patria fortiter pugnavit, & in Deliaca pugna Athenienſibus inferioribus, in fuga equo amiſſo, & humi projectus a Socrate ſervatus fuit. [q] A Proxeno vero, ut Cyri partes ſequeretur, majori apud eum, quam in patria, honore futurus, invitatus, literas ejus cum Socrate communicavit, qui anceps conſilii, quia

Xenophon.

g) De aliis videndus STANLEIVS *Hiſt. phil. P. III. c. XVII. p. 190.*

h) *De vitis philoſophorum ex Sophiſt. p. m. 2.*

i) LVCIANVS in *Macrobiis T. II. p. m. 830.*

k) *l. II. ſ. 26.*

l) Olymp. XCIV. 4. floruiſſe ait LAERT. *l. II. ſ. 59.* SVIDAS XCIIX. Ol. XXCIIX. alii, qui Socraticæ ſcholæ tempora ſequuntur.

m) LAERT. *l. II. ſ. 48.*

n) *ibid.*

o) *ib.* Vbi tamen narratio confunditur, & Xenophonti tribuuntur, quæ Socrati tribuenda erant, conf. HENR. STEPH. & MENAG. *h. l.*

p) STRABO *l. X. p. 402.* LAERT. *l. II. ſ. 23.*

q) Dictum hac de re ſupra.

Athenienſes Cyri partibus adverſabantur, auctor ei fuit, ut oraculum conſuleret: [r] incertusque obſcuri reſponſi non invito Socrate navem conſcendit, Sardesque delatus Proxenum juxta cum Cyro ad expeditionem in Aſiam paratos invenit, & ab illo huic commendatus in voluntariorum cenſu manſit, nullo ſuſcepto militari magiſtratu. Cyro poſtea Ol. XCIV. cum fratre Artaxerxe infeſtis ſignis concurrente, & ipſe cecidit, & exercitus fugatus eſt, quamvis Græci, Tiſſapherne fuiſſent ſuperiores. Ad quos cum inſequenti die Artaxerxes Phalinum miſiſſet, ut arma redderent, Xenophon id negavit, nec iis artibus, quibus Clearchus aliique duces a Tiſſapherne capti erant, circumveniri potuit. [s] Immo cum Græci de deditione cogitarent, memorata ducum, qui arma poſuerant, nece, auctor eis fuit, ut virtuti ſe ſuæ crederent; duxque in locum Proxeni electus, cum Cheriſopho primam aciem ducente, reditum tentavit, [t] & poſt mille labores & difficultates non itineris tantum, ſed & belli, poſt exantlata innumera pericula, & complures pugnas, magna prudentia & fortitudine Græcorum copias in patriam reduxit, iter ſtationum CXXII. paraſangarum DCXX. quæ ſtadia XVIIIM. & XX. conficiunt, octo menſium tempore emenſus, ſic ut totum Græcorum iter, quum aſcendendo, tum deſcendendo caſtris confectum CCXV. paraſangas haberet cIↃ cL. ſtadia XXXIII IↃ & CCLV. temporisque intervallo conſtaret menſibus tredecim. [y] Poſtea ad Ageſilaum Lacedæmoniorum regem in Aſiam ſe contulit, Cyrique milites illi, mercede accepta conceſſit, & arctiſſimam cum eo amicitiam junxit, [z] id quod factum Ol. XCVI. 1. anno altero vero, Ageſilaum, cum in patriam contra Thebanos pugnaturus revocatus eſſet, ſecutus in pugna ad Coroneam, ubi vehementer Thebanos afflixit Ageſilaus, fortiter pugnavit. Quam rem cum ægre ferrent Athenienſes, cauſati, quod Cyri partes eſſet ſecutus, Eubulo auctore, Xenophontem ex decreto exilio multarunt, [a] revera, commoti, quod Ageſilaum ſequens Laconum partibus ſtudere videretur. Lacedæmonii vero, ut tantum virum ob injuriam acceptam recrearent, cum ipſorum cauſa in patria inviſus eſſet, & publicis ſumtibus eum aluerunt, & ad Scillunta domum agrumque dedere Xenophonti. [b] Eo igitur cum uxore & filiis duobus concedens, cum aurum, quod apud amicum depoſuerat, recepiſſet, agrum redemit, quem Dianæ ſacrum eſſe voluit, loco peramœno, templum etiam cum ara de pecunia ſua extruxit, [c] ac poſt id temporis ſemper conſecratis agri fructuum decimis ſacra Dianæ peregit, & venationes cum finitimis inſtituit, amicorumque congreſſibus, & ſcribendis hiſtoriis tempus trivit. [d] Orto paulo poſt inter Eleos & Lacedæmones bello, Elienſes

r) XENOPHON *ἀναβ. κύρ. l. III. p. 294. ſeq.* LAERT. *l. II. ſ. 49.*

s) IDEM *l. II. p. 273.*

t) Ibid. *l. III. p. 295.*

y) Prolixe hæc ipſe narrat *l. c. l. VI.* unde ea in compendium miſit STANLEIVS *Hiſt. phil. P. III. p. 211.*

z) LAERT. *l. II. ſ. 52.*

a) CORN. NEPOS in *Ageſilao c. I.* PLVT. in *Ageſilao* CICERO de *orat. l. III. c. 53.* XENOPHON in *Ageſilao.*

b) LAERT. *l. c. ſ. 59.*

c) *Ibid ſ. 52.*

d) *ibid.* STRABO *l. VIII. p. 387.*

e) LAERT. *l. c.*

ſes agrum Xenophontis occupaverunt,[f] ipſe Elida primum, inde Lepreum, quo filii migraverant, poſtremo Corinthum ſe contulit, ubi domum conduxit, & reliquam vitæ partem exegit, vita defunctus Olymp. CV. 1. Verecundus erat, barba promiſſa, & ſupra modum formoſus,[g] animo vero præſtantiſſimus ac bonus, qua laude eum mactat LAERTIVS,[h] & equorum venationisque, atque inſtruendi exercitus imprimis ſtudioſus ac peritus: religioſus inſuper & ſacrificiis intentus, quique hoſtias probe dignoſceret, & Socratem ad unguem imitatus eſſet. Addit paulo poſt: tanta fuiſſe modeſtia, ut Thucydidis libros latentes cum ſubducere poſſet, ipſe primus in ejus viri gloriam illos in lucem dederit. Rebus vero non tantum gerendis incomparabilis, ſed virtuti quoque docendæ aptiſſimus, quod in hiſtoriis ſuis multis exemplis prodidit. Qui cum Socrati eſſet acceptiſſimus, dignum ſe ejus amore fecit pietate, fide, modeſtia, fortitudine, ceterisque virtutibus: quibus maculam quidem inuſſit Ariſtippus, incuſans[i] eum παιδερασίας criminis, ſed invidia, quæ paſſim Socraticos diſcipulos urebat, ductum ea objeciſſe, dubium non eſt: improbavit enim Ariſtippeam voluptatem Xenophon, & ſingulari dialogo oppugnavit.[k] Nec, quæ ei objicitur[l] ambitio reprehendi poteſt aliter, quam in omnibus culpari poteſt, qui divina virtute animum non emendarunt. Non vero militaribus tantum facinoribus, ſed & elegantiſſimis ſcriptis immortale ſibi nomen peperit, oratione uſus CICERONIS[m] judicio, leniore & melle dulciore, & a forenſi ſtrepitu remotiſſima, unde ejus ore Muſas locutas ferri ait; ipſeque Muſa Attica dici meruit.[n] Vitam vero philoſophicam & Socrate præceptore dignam laudant veteres ad unum fere omnes,[o] ſi paucos ex condiſcipulis æmulos excipias, inter quos imprimis Platoni cum Xenophonte minus bene convenit.[p] Vxorem habuit Phiteſiam, filios Gryllum & Diodorum, quorum alterum apud Mantineam fortiter pugnantem occidiſſe cum ipſi coronato inter ſacrificia referretur, fortiſſimo & philoſopho digno animo tuliſſe dicitur. Scripſit libros ut quidam dividunt, quadraginta,[r] quorum editiones nobis integras[s] dedere LEVNCLAVIVS[t] & EDVARDVS WELLS,[u] in quibus hiſtoricos hic referre, alibi enarratos, nihil attinet. Philoſophici vero argumenti ſunt: 1. *Pædia Cyri*, id eſt, de inſtitutione & diſciplina Cyri, ut CICERO vocat,[x] *ſcripta non ad hiſtoriæ fidem, ſed ad effigiem juſti imperii:*

f) IDEM *ſ.* 53.
g) ἐυειδέστατος εἰς ὑπερβολήν, LAERT. *l. II. ſ.* 48.
h) *ſ.* 58. i) *l. II. ſ.* 57.
k) *ib. ſ.* 65.
l) Conf. STOLLIVS *Hiſt. philoſ. moral. gentil.* §. *XLVIII. p.* 48.
m) *De Orat. c.* 19.
n) LAERT. *l. II ſ.* 57.
o) LAERT. *l. II. ſ.* 56. EVSEB. *Præp. l. XV. c.* 61. EVNAPIVS *l. c.*
p) GELLIVS *l. XIV. c.* 3. ATHENAEVS *l. XI. p.* 504. & Epiſt. ad Æſchinem, qua de re ſupra dictum.
q) LAERT. *l. c.* AELIAN. *V. H. l. III. c.* 7. videntur tamen Anaxagoras & Xenophon confundi.
r) *ib.* id vero de ſingulis libris, quorum aliquot unus titulus continet, intelligendum eſt, conf. SVID. *l. c.* XENOPHON *T. II. p.* 645. & ex hoc emendandus eſt MENAGIVS ad *l. c. Laërt.*
s) Conf. FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p.* 72. qui notatu digna complura de iis more ſuo doctiſſime enarrat.
ſſ) *Franc.* 1594. *fol.* qua editione nos utimur. conf. *Hiſt. Biblioth. Fabric. P. III. p.* 58. *ſeqq.*
t) *Oxon.* 1703. 8. addita DODWELLI *Chronologia Xenophontea.*
u) in *Bruto c.* 29.

perii: quamvis quidam eam pro vera hiſtoria habeant, [x] qui tamen veterum narrationibus facile refutantur. 2. *De dictis & factis Socratis memorabilium libri IV.* 3. *Apologia Socratis ad judices*, quæ tamen multis poſt necem præceptoris annis conſcripta fuit, uti ſupra memoratum. Eo enim tempore, quo Socrates e vivis ſublatus eſt, extra patriam Xenophon verſabatur: ſcripſitque hanc apologiam, more aliorum Socraticorum, ut injuriam ingratis civibus exprobraret. 4. *Convivium philoſophicum*, more Græcorum elegantiſſimis philoſophorum ſermonibus intertextum. [y] 5. *Liber œconomicus*, de quo ſupra in Socrate diximus. [z] 6. *Dialogus de tyrannide.* Nec immerito quis huc retulerit, librum *de republica Athenienſium & Lacedæmoniorum, & Ageſilai imaginem atque encomium;* ubique enim ingenium philoſophicum prodidit. Ait etiam LAERTIVS, [a] primum eum philoſophorum hiſtoriam ſcripſiſſe, unde SVIDAS primum philoſophicæ hiſtoriæ auctorem vocat: cujus auctoritate motus STANLEIVS, ad memorabilia Socratis a Laërtio reſpici ſtatuit. Quod tamen nec ejus verbis ſatisfacit, nec veritati. Nihil enim aliud vult Laërtius, quam fuiſſe Xenophontem philoſophorum primum, qui hiſtoriam ſcripſerit. [b] Extant & epiſtolæ Xenophontis, quid vero de iis ſtatuendum ſit, ex iis, quæ ſupra de epiſtolis philoſophorum diximus liquet; nec alio loco habendæ, quam quæ Socrati tribuuntur. [c] Inter Xenophontes multos hic vita, factis ſcriptisque fuit celeberrimus, nec facile confundendus. [d]

Aeſchines.

§. XXI. AESCHINES, Charini, ſartoris lucanicarum, ſive Lyſaniæ, ut volunt, filius, [e] Athenienſis, [f] poſt Xenophontem inter Socraticos diſcipulos memorari meretur. Is præter ingenium ſatis felix & cupiditatem diſcendi ardentiſſimam, a pueris inſolitam laboris patientiam accepit, [g] qua duriſſimam, qua premebatur, paupertatem æquo tulit animo. Socratis vero præſtantia excitatus, cum eum ſequi conſtituiſſet, videretque, multa multos pro ſuis quemque facultatibus ei offerre, pauper ille auditor, nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi poſſim, invenio, & hoc modo pauperem me eſſe ſentio. Itaque dono tibi, quod unum habeo: Me ipſum. Hoc munus, rogo, qualecunque eſt, boni conſulas, cogiteſque, alios, cum multum tibi darent, plus ſibi reliquiſſe. Cui Socrates: Quidni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, niſi forte parvo te æſtimas? habebo itaque curæ, ut te tibi melio-

x) Conf. VOSSIVS *de Hiſt. Gr. c. I. p. 23.* IO. FABRICIVS *l. c.*

y) Confecto tamen convivio, unde quædam contra temporum rationes finxiſſe arguitur. conf. ATHEN. *l. V. p. 187.* CASAVB. *ad eum l. V. p. 216.*

z) A ſe juvene translatum ait CICERO *Offic. l. II. c. 24.*

a) *l. II. ſ. 48.* SVIDAS *l. c.*

b) Conf. IONSIVS de *S. H. P. l. I. c. 7. p. 37.*

c) Quædam earum fragmenta Xenophontis operibus adjecit LEVNCLAVIVS, plures attulit ALLATIVS *de Script. Socratis p. 37. ſeqq.* & inde OLEARIVS inſeruit STANLEII *H. phil. p. 221. ſeqq.*

d) Septem nominat LAERTIVS *l. II. ſ. 59.* ſeptem alios addit MENAGIVS *ad h. l.* unum FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 70.*

e) LAERTIVS *l. II. ſ. 60.* cujus vitæ Æſchinis deſcriptionem cum notis virorum doctorum præmiſit ejus dialogis IO. CLERICVS.

f) Spettius ex tribu Acamandite SVID. in *Æſch. T. I. p. 601.* HESYCHIVS in *Æſchines*, alii. Acamantis, una ex decem tribubus Athenienſium, vid. HARPOCRAT. v. *Acamantis p. 18.* illuſtriſſimus POTTERVS *arch. Gr. l. I. c. IX. p. 44.*

g) LAERT. *l. II. ſ. 32.*

meliorem reddam quam accepi. [b] Affidebat autem Socrati omnium diſcipulorum diligentiſſimus, nec unquam ab ejus latere diſceſſit, quo amorem Socratis ita meruit, ut dicere ſolitus ſit: Solus nos colere novit fartoris filius. [i] Propter hunc vero, quo eum Socrates proſequebatur amorem, invidia commilitonum premebatur, & imprimis a Platone contemtus dicitur, cum una eſſent in Sicilia. [k] Quod, niſi oppido falſum eſt, ita intelligendum videtur, initio Platonem regis Dionyſii favore & beneficiis uſum initio quidem parum Æſchinem curaſſe; poſtea enim Dionyſio Aeſchinem tanquam moribus probum, aptumque ad caſtigandum verbis eos, quibuscum agit, commendaſſe, refert PLVTARCHVS. [l] Pauperrimus cum eſſet, ſuaſit Socrates, ut a ſe ipſo uſuras acciperet, ſibi ſubducendo cibaria. [m] Eadem vero inopia virum bonum atque frugi, ſed nimis pauperem adegit, [n] ut in Siciliam ad Dionyſium tyrannum abiret, ad quem, virorum doctorum & imprimis philoſophorum conſuetudinem ad emolliendam invidiam magnis præmiis affectantem, alii quoque Socratici conceſſerant. Et initio quidem cum dialogos Socratico more conſcriptos attuliſſet, ſine dubio ob pauperiem contemtus fuit; [o] a Platone denique, vel, quod alii contendunt, Ariſtippo [p] commendatus, honeſte exceptus a Dionyſio ac magnifice ejus ratio habita eſt; [q] qui & dialogos quosdam cum eo communicatos liberaliter remuneratus eſt, Aeſchinemque apud ſe retinuit, donec tyranno depulſo ſuccederet Dion. Poſtea Athenas reverſus, cum publice philoſophiam docere non auderet, eo quod magna fama & diſcipulorum concurſu ibi ſcholam aperuiſſent Plato & Ariſtippus, privatim mercede accepta docuit. [r] Poſtremo, ut de neceſſariis ſibi certius proſpiceret, foro ſe applicuit, cauſisque dicendis vacavit, in quo orationis genere ejus ſummam facultatem fuiſſe Timon prodidit. [s] Nec aliunde forte derivanda cauſa eſt, quod Lyſias orator male de Aeſchine locutus, varia eum peculiari oratione labe aſperſerit, nempe cauſas injuſtas defendiſſe, mutuum, quod acceperat, reſtituere noluiſſe, & quæ alia ſunt, quæ narrat ATHENAEVS: [t] quæ fidem non mereri, æmulatio & invidia, quibus iſta objecta ſunt, probant. Scripſit [u] præter orationes & epiſtolas quoque dialogos Socraticos, ſeptem, in quibus jucunditatem ſermonisque nitorem laudavit LVCIANVS, [x] quo-

b) Ita quidem narrat SENECA *de beneficiis l. I. c. 8.* nec res ipſa probabilitate caret, circumſtantiis tamen, ut ingenium magis ſaperet hiſtoria, ornaſſe Senecam, inde conjici poteſt, quod Socrates a nemine, ne ab Alcibiade quidem munera accepit, quod tamen innuit Seneca.

i) l. c.

k) ibid. Ariſtippum quoque frigidum illi ſe præbuiſſe, reſtituiſſe tamen amicitiam teſtatur PLVTARCHVS *de cohib. ira.*

l) De diſcrim. adul. & amici.

m) LAERT. *l. c.* id de dialogis vendendis male accepit STANLEIVS *l. c.*

n) LAERT. *l. c.* LVCIANVS in *Paraſit. T. III. p. m. 507. ſeq.* PHILOSTRATVS in *vit. Apoll. l. I. c. 35. p. 43.* quem exſcripſit SVIDAS *l. c.*

o) PLVTARCHVS *l. c.* *p)* LAERT. *l. c.*

q) Aſſentationem tamen, & ſervilem propter pecuniam animum in aula tyranni foviſſe objiciunt PHILOSTRATVS & LVCIANVS *ll. cc.*

r) LAERTIVS *l. c. f. 62.* & ex eo HESYCHIVS.

s) ibid. f. 63. imitatus vero eſt Gorgiam Leontinum. conf. PHOT. *Cod. XXXVI. p. 173.*

t) l. XIII. p. 611.

u) LAERT. *l. c.* STANLEIVS *l. c. p. 226. f.* FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. I. p. 785.* conf. SVIDAS in *Æſch. T. I. p. 601.* & MENAGIVS atque KVSTERVS *ad l. c. Laërt. & Suidæ.*

x) l. c.

quorumque argumento, ut ATHENAEVS [y] auctor eſt, magnam temperantiæ, humanitatis & integritatis laudem eſt conſecutus. Ex his tres tantum ſuperſunt, quos nitide excuſos cl. CLERICI curæ debemus. [z] Fecit tamen optimi viri paupertas, & æmulorum invidia, ut ingenium ejus contemneretur, nec dialogi iſti ab eo profecti crederentur. Menedemus enim eum accuſavit, quod multos ſibi arrogaverit Socratis dialogos, [a] acceptos a Xantippe, id quod ex eo falſum eſſe convincitur, quod ſupra probatum dedimus, nihil ſcripſiſſe, Socratem. Alii Antiſtheni ſurreptos, alii Paſiphontis, philoſophi Eretriaci eſſe judicarunt, qui Aeſchini eos ſuppoſuerit. [b] Nihil tamen horum fidem meretur, ſatisque prodidit LAERTIVS, [c] hanc plagii ſuſpicionem profectam eſſe ex invidia Ariſtippi, a qua argumentum male petitur. Fuerunt & alii Aeſchines, [d] & inter eos orator Athenienſis celeberrimus, qui cum noſtro confundi non debent, ut accidit M. MEIBOMIO. [e]

Philoſophia moralis Aeſchinis.

§. XXII. Philoſophiæ moralis, quam ſecutus eſt Aeſchines, faciem ex Socratica facile dijudices: nam quæ a præceptore audivit, vel eis proxima & ſimilia [f] in dialogis comprehendit; cujus vel ex eo argumentum ſumi poteſt, quod Socrati ipſi adverſarii Aeſchinis dialogos tribuerint. Eundemque vultum is quoque ſervat in dialogis, quos ſuperſtites habemus. In iis enim, Socratis doctrinam tuetur, metiendas eſſe divitias non ex rerum pretio, ſed ex uſu; ſic ut ægrotum omnium rerum abundantia ſuperfluentem divitiis ſuperet ſanus, cui adeſt, quantum requiritur. Nec eſſe majorem theſaurum, ſapientia. Virtutem doceri non poſſe, neque tamen a natura homines habere, ſed a Deo donari. Eum eſſe feliciſſimum & ditiſſimum, qui pauciſſimis eget, & contentus eſt parvo: divitiis abundantes plerumque eſſe infeliciſſimos, qui pluribus indigeant, quam alii: Non corpus ſed animam hominis eſſe, quæ, poſtquam in hac vita bene vixit, e corpore diſcedens in ea loca deferatur, ubi a moleſtia vacua, veritatis plena imbuitur cognitione. Nihil enim horum eſt, quod non inter Socratica colloquia a diſcipulis notata inveniatur. [g] Feruntur & alia ejus dicta, [h] quorum tamen aliqua ad eum non pertinent. [i]

Crito.

§. XXIII. CRITONIS in Socratis vita mentio facta eſt. Is enim cum opibus polleret, hunc ad philoſophiam traduxit, tantoque eum affectu proſecutus eſt, ut nunquam eum neceſſariis carere pateretur. [k] Ejus filios quoque quatuor diſciplinæ Socratis addictos fuiſſe, ſupra narravimus. Dignum

y) *l. XIII. p. 611.*
z) *Amſtelod. 1711. 8.*
a) LAERT. *l. II. ſ. 60.*
b) Conf. FABRICIVS *l. c.* Aliter tamen PHOTIVS *Cod. CCXLVII. p. 700.* ed. Hœſch. qui eum laudat, quod ea tradat, quæ a præceptore audiverit, ſecus ac Plato fecit.
c) *l. c. ſ. 62.*
d) vid. LAERT. *l. c. ſ. 64.* MENAG. *ad h. l.* FABRICIVS *l. c. p. 872.* inter hos eſt etiam Æſchines philoſophus Academicus.
e) Is Laërtio a ſe edito Oratoris Æeſchinis imaginem pro philoſophi vultu inſeruit, acerbe ideo notatus GRONOVIO *T. II. theſ. antiq. Gr. ad tab. XCIV.*
f) PHOTIVS *l. c.*
g) Vid. XENOPH. *opp. p. 1002.*
h) Apud PLVT. *de aud. & de Stoicorum repugnantiis.*
i) Apud STOBAEVM *Serm. XXIIX. CXLV.* pertinent enim ad Oratorem Æſchinem.
k) LAERT. *l. II. ſ. 121.*

gnum memoria eſt, quod XENOPHON [l] refert: ei cum multum negotii faceſſerent, & multi obruerent, quos minime omnium offendiſſet, ejus quippe ingenio ab altercandi ſtudio alieniſſimo abuſi, quod ſequens jure ſuo potius cedebat, quam ut foro illud committeret: a Socrate conſilium accepiſſe, ut ſimilis cum adverſariis ingenii hominem turbulentum atque irrequietum ſibi adjungeret, cujus ope aliorum injurias depelleret. Dicto itaque audientem Critonem Archidamum elegiſſe, juris conſultiſſimum, ſed pauperem, qui donis ejus atque liberalitate devinctus acerrime omnes inſectatus ſit, qui vel ipſi, vel familiaribus ipſius ulla re ægre facerent. Scripſit etiam hic dialogos XVII. more Socratico, [m] quos enumerant LAERTIVS [n] & SVIDAS, [o] qui tamen temporis injuria interciderunt. PLATONIS Crito autem, & EVCLIDIS, titulum tantum atque nomen ad eum retulerunt. Fuerunt & alii hujus nominis, hiſtoricis monumentis non incelebres, [p] a philoſopho Socratico probe diſtinguendi. [q]

§. XXIV. SIMON, Athenienſis fuit, coriarius, cujus in officinam cum ſæpius veniret Socrates, & de moribus diſſereret, omnia, quæ poterat, notabat, & ita Socraticam diſcebat philoſophiam, quam & poſtea literis iterum exarabat, Socraticosque dialogos concinnabat. [r] Primusque dicitur inter Socraticos fuiſſe, qui ſermones Socratis in dialogis retulit. [s] Edidit vero dialogos triginta tres, de argumentis moralibus, quos tamen omnes tempus nobis invidit, nec eorum quicquam ſupereſt, quæ in literas retulit. [t] Epiſtola enim, ad Ariſtippum quæ inter Socraticas ei tribuitur, ſine dubio conficta eſt. [u] Tanti vero dicendi & philoſophandi libertatem fecit, ut cum eum Pericles invitaſſet, ut ad ſe veniret, omnium rerum copiam pollicitus, ille negaret, faſſus, libertatem ſe in dicendo vendere nolle. Simones plures cum hoc non commiſcendos notaverunt ALLATIVS [x] & FABRICIVS. [y] *Simon.*

§. XXV. Tandem & præter Glauconem [z] & Simmiam [a] dialogis Socraticis celebres, CEBES memorandus eſt, Thebanus, diligens Socratis diſcipulus, [b] qui quærendo ex tanto magiſtro, moralem doctrinam egregie *Cebes.*

l) Memorab. l. II. p. 759.

m) Patet hoc ex argumento morali, quod erat: non ex diſciplinis conſtare probitatem? quid ſit abundare? quid idoneum? de honeſto; de maleficio; de felicitate; de lege; de divino; de artibus; de re venerea; de ſapientia; de civili re; de literis; de poëtica; de pulchro; de diſciplina; quid ſit ſcire.

n) loc. cit.

o) In *Crito T. II. p. 377.* qui etiam refert: ſcripſiſſe Apologiam Socratis.

p) Fuit unus etiam Pythagoricus philoſophus, & medici duo.

q) Vid. SVIDAS *l. c.* FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 791.*

r) LAERT. *l. II. ſ 122.*

s) Ibid. cujus verba tamen hunc quoque ſenſum patiuntur, fuiſſe primum, qui more Socratis, methodoque ejus dialogos conſcripſerit.

t) Ib. Conf. FABRIC. *Bibl. Gr. vol. I. p. 794. §. 42.* coriacios a quibusdam vocatos tradit LAERT. *l. c.*

u) Vid. OLEAR. *de Scriptis Socratis.* FABRIC. *l. c. p. 425.* ex hac epiſtola finem repetit. STOBAEVS *Serm. XXXIX. p. 136.*

x) De Simonibus.

y) Bibl. Gr. vol. X. p. 298.

z) Is Platonis frater fuit, conf. LAERT. *l. II. ſ. 174.* FABRIC. *l. c. p. 792.*

a) Citati, meminit ejus etiam AELIAN. *Var. Hiſt. l. I. c. 16.*

b) LAERTIVS *l. II. ſ. 125.* SVIDAS in *Cebes T. II. p 388.*

gie didicit : [c] ejusque ſpecimina tribus dialogis tradidit : [d] ex his, deperditis duobus tertius ad nos pervenit, exhibens elegantiſſimam picturam vitæ humanæ. [e] Enarrantur enim in hac tabula ; ita enim nomen ei Cebes indidit, quæ animis contingant, antequam in corpora immittantur, unde SVIDAE *τῶν ἐν ᾅδε διήγησις* vocatur ; deinde varii hominum in hac vita mores, præjudicia, ſtudia, & ſcopus, quique maneat exitus, cum per anguſtam virtutis ſemitam penetrantibus, tum in lata voluptatis ac vitiorum via graſſantibus. Non vero ſui ingenii opus eſſe Cebes innuit, ſed expreſſam fuiſſe iſtam imaginem in tabula quadam, quam Athenis in templo Saturni dedicaverat aliquis *Πυθαγόρειόν τινα καὶ Παρμενίδειον ἐζηλωκὼς βίον*, *Pythagoreum & Parmenideum vitæ genus quoddam imitatus.* Etſi vero dialogum hunc Cebeti Socratico tribuunt veterum plurimi, LAERTIVS, [f] LVCIANVS, [ff] IVLIVS POLLVX, [g] TERTVLLIANVS, [h] CHALCIDIVS, [i] SVIDAS, [k] quorum loca adduxit, cui elegantem tabulæ hujus editionem debemus, V. C. IACOB. GRONOVIVS: viſus tamen fuit HIERONYMO WOLFIO [l] aliisque, [m] ad alium potius, & juniorem quidem, Cebes referendus eſſe. Cujus ſuſpicionis argumenta potiſſimum tria afferuntur, 1. quod Plato in hac tabula allegetur, qui junior ſit Cebete; 2. quod inter diverſa falſæ eruditionis genera nominentur, poëtæ, rhetores, dialectici, muſici, arithmetici, geometræ, aſtrologi, Hedonici, Peripatici, Critici; Dialectici vero Socratis tempore nondum male audierint, Hedonici & Peripatetici nondum fuerint; 3. quod occurrant veſtigia Platoniſmi & Stoiciſmi. Neque tamen, quæ reponant, deſunt, viris doctis, inter quos imprimis celeberrimus IAC. GVILIELM. FEVRLINVS elegantiſſimum dialogum, ex inſtituto Cebeti Socratico vindicavit. [n] Obſervat is non ſine ingenio & doctrina : falſo ſupponi, Platonis dialogos non potuiſſe videre & ad eos provocare Cebetem, cum mature is poſt præceptoris mortem eos ſcripſerit; potuiſſe quoque, ſi non ſcriptos legere Cebetem, audire tamen ex ore Platonis ea, ad quæ reſpicit, cum mature magna celebritate innotuerit Plato, etſi junior aliis Socraticis diſcipulis fuerit. Nec locum illum eripere Cebeti Thebano tabulam : manifeſtum enim eſſe ex memorabili CHALCIDII loco (quod & FABRICIVS [o] notavit) aliter eum hunc locum legiſſe, & mentionem ibi tantum fieri, geometriæ, muſicæ, arithmeticæ & aſtrologiæ, unde recte conjiciatur, locum interpolatum fuiſſe. Neque argumentum etiam validum ex hoc loco, ubi etiam pro genuino admittatur, necti poſſe, non referendam eſſe hanc tabulam ad Socratis diſcipulum. Etſi enim dialectica in magno habita fuerit

c) PLATO *in Phæd. T. I. p. 60. ſeqq.*
d) *Citati.* FABRIC. *l. c. p. 787. ſeqq.*
e) Verſiones & editiones enumerat FABR. *l. c.* inter hos elegantiſſimæ ſunt IAC. GRONOVII & HADRIANI RELANDI.
f) *loc. cit.*
ff) *De mercede conductis.*
g) *Lib. III. c. 16.*
h) *De præſcript. c. 29.*
i) *In fine Comm. in Timæum.*
k) *loc. cit.*
l) In *annot. ad Epict. & Cebet. p. m. 109.*
m) BERKELIVS in *not. ad Cebet.* CLERICVS *Sylv. phil. c. VIII.* AVG. MASCARDVS *diſſ. mor. in Ceb. P. III. diſſ. I.*
n) *Miſcell. Lipſienſ. T. III. obſ. LV. p. 14. ſeqq.*
o) *loc. cit.*

rit honore a Platone, aliter tamen ſenſiſſe Socratem & diſcipulos, qui omnem dialectices artem, qualem Sophiſtæ exercebant, [p] rejecerunt, nec aliter admiſerunt, quam equum intra terminos freno coërcendum, qua ratione & Cebes philoſophari inſtituat. Hedonicos non Epicureos, ſed Ariſtippi ſequaces intelligi; ex XENOPHONTE [q] enim conſtare, quam vehementer Socrates Ariſtippum ceu voluptuarium perſtrinxerit. Criticorum nomen occurrere etiam apud AESCHINEM, [r] falſumque eſſe, quod non ſit antiquius Ariſtotele. [s] Nec tantopere urgeri poſſe rationes chronologicas de tempore conditæ ſectæ Peripateticæ, ut Cebeti dialogus abjudicari queat, cum pleraque chronologica in hiſtoria philoſophica ſint incertiſſima, & ſcriptores vera tempora plerumque ignorarint: vel ſi etiam hoc non placeat, illud obſervandum eſſe, fuiſſe ante Ariſtotelicos, alios philoſophos, quibus Peripateticorum nomen fuerit impoſitum, vel potius, qui Peripatici dicti fuerint, id eſt, doctores in loco publico, id eſt περιπάτῳ docentes, [t] ex quibus incuria ſcriptorum exſculpti poſtea ſint Peripatetici. Neque Pythagoreiſmi & Platoniſmi veſtigia certa in hac tabula deprehendi. Auctorem enim tabulæ non Pythagoream ſectam ſecutum fuiſſe, ſed ſimile quid inſtituti Pythagorici: nec Socratem omnem Pythagoricam diſciplinam rejeciſſe, ſed inutiles ſpeculationes & arcanas doctrinas: earumque ſententiarum, quas Pythagoricas judicent viri docti, complures inveniri apud Xenophontem, nec Socrati diſplicuiſſe doctrinam de purgandis animis: extare præterea non obſcura in hac tabula loca Socraticæ diſciplinæ, quæ Platonicis & Stoicis contraria ſunt. Nos hæc lectori examinanda relinquimus, fatemur tamen, ea quæ de Peripateticis, ſive Peripaticis dicuntur, nobis non ſatisfacere, & videri obtorto huc collo trahi: nec negari quoque poſſe putamus, veſtigia Pythagoricæ diſciplinæ, quam ſe ſequi & auctor fatetur in initio, & dogmata diverſa evincunt: id quod recte jam notavit SVIDAS, memorari ea quæ animæ ἐν ᾅδου contigerint, [u] quales diſputationes Socratem tanquam inutiles & in deos injurias proſcripſiſſe, ſupra ex Xenophonte probavimus. Neque tamen jucundiſſimam & optima doctrina refertam fabulam, Socratica ſchola omnino dignam Cebeti abjudicandam putamus, cum unanimi fere veterum conſenſu Cebeti πίναξ tribuatur, eundemque dialogum, quem hodie habemus, obſervante GRONOVIO [x] legerint non Chalcidius tantum, ſed & DIO CHRYSOSTOMVS [y] & ARISTAENETVS; [z] quorum omnium auctoritatem ob aliquas difficultates rejicere temerarium eſt, & omni fidei hiſtoriæ veteris evertendæ aptum. Nec quæ objiciuntur, tanti eſſe nobis videntur, ut magnum no-

p) Dictum hac de re ſupra.
q) *Memorab. l. II. init.*
r) *Dial. III. c. 7.* & CLERIC. *ad h. l.*
s) Ita HORNIVS *Hiſt. phil. l. III. c. 19.*
t) Vid. IO. FRID. GRONOVIVS *de muſeo Alexandrino T. VIII. Antiq. Græc.*
u) Id in tabula non inveniri jam notavit WOLF. *l. c.* & poſt eum P. PETITVS *Miſc. l. IV. c. 4.* unde aliam legiſſe tabulam quam nos habemus, conjicit KVSTERVS *ad h. l.* ſed hæc convenienter inſtituto tabulæ dici §. *ſeq.* oſtendemus. Quare nec cum WOLFIO & STANLEIO *ll. cc.* diverſus liber inde exſculpi debet.
x) *In not. p. 108. 110.*
y) *Orat. II. de regno.*
z) *Lib. I. ep. 2.*

bis moveant ſcrupulum. Platonem enim allegari, tantopere inter Athenienſes poſt Socratis fata eminentem, quid quæſo habet abſurdi? præſertim cum non ſine ratione Cebes ad Platonis conſenſum eo loco provocet, quia is a Socraticis vituperabatur, quod eas ſcientias in philoſophiæ circulum iterum intruſerit, quos ejecit communis præceptor Socrates: unde eo rectius ab eo argumentum peti poterat. Hedonicos vero, Criticos & Dialecticos & Peripateticos intruſos fuiſſe in textum Cebetis nulli dubitamus, cum negari nequeat, hæc nomina, tanquam ſectarum, ignota fuiſſe tempore Socratis, quæque in contrarium afferuntur, nimis eſſe longe petita & frigida. Certe Chalcidii lectio ſatis id ſuadet: videturque nobis ejusmodi interpolatio ex margine in textum irrepſiſſe, qua ratione ſcripta veterum innumeris modis corrupta fuiſſe, artis criticæ gnaris ignotum eſſe nequit: [a] id quod eo magis veriſimile eſt, quo pauciores tabulæ Cebetis codices manuſcripti extant, & ita decerni non queat, qui lectionis codd. mſc. ſit conſenſus vel diſſenſus. Aliter certe legiſſe Chalcidium, negari nequit. [b] Nec veſtigia Pythagoricæ diſciplinæ quædam apparere negamus, [c] ſed non inde ſequi putamus, ea non eſſe a Cebete Socratico: etſi enim Socrates dogmata Pythagoræ τερατώδη rejiciebat, potuerunt tamen ea placuiſſe diſcipulis: quorum plerique magiſtrum deſeruerunt, & ad alia dilapſi ſunt. Plato ſane in multis ſecutus eſt Pythagoram, cur non itaque Cebes, præſertim in argumento morali, quo non minor videbatur ſchola Italica Socratica? quod ſi etiam concedi nolimus, Cebetem, tanquam γνήσιον Socratis diſcipulum alias opiniones & placita elegiſſe, ſufficere tamen putamus, quod Pythagoricam picturam Socraticis ſententiis illuſtrandam elegerit, quod propoſitum atque ſcopus eum neceſſario coëgit, illud philoſophiæ moralis initium eumque finem ponere, quem figere ſibi Pythagoras juſſit. Quibus omnibus uno faſce comprehenſis nullum ſupereſſe dubium exiſtimamus, quod veriſimili ratione Cebeti πίνακα deneget.

Philoſophia moralis Cebetis.

§. XXVI. Etſi vero in omnium manibus verſatur elegantiſſimus dialogus, inſtituti tamen memores, potiora quædam ex eo deguſtabimus, ut ſpecimen exhibeant philoſophiæ Cebetis. Eo vero pictura elegantiſſima tendit:

I. Exiſtere animas antequam in hanc vitam & corpus immittantur, iisque futura fata decerni.

II. Adſiſtere animis vitam hanc ingreſſuris genium, qui iis exponit, quid vitam ingreſſuris faciendum, quæque via eligenda ſit. Vtraque theſis Pythagoream ſcholam manifeſte ſapit, ut ex iis videre eſt, quæ de doctrina Pythagoricorum aliorumque philoſophorum de dæmonibus erudite diſſeruit

a) Conf. IO. CLERIC. *Art. Crit. P. III. ſ. I. c. 7. p. 79.* qui plura exempla affert. Idem placuit PETITO & FABRICIO *ll. cc.*

b) Conf. SALMAS. *ad paraph. arab. tab. Cebet. pag. 79.*

c) Quia Cebes Thebanus fuit, hæc Thebis geſta fingi putat WOLFIVS, & per Pythagoricum iſtum intelligi Lyſidem, Epaminondæ præceptorem: exigua veriſimilitudine.

ruit GODOFR. OLEARIVS.[d] Et haud obſcure tota fabula προϊπαρξιν Pythagoricam ſupponit, fatique de futuris hominum eventibus diſpoſitionem, quam Adraſteæ legem Plato vocavit. Hanc inter Socraticos invaluiſſe, Plato luculento exemplo eſt, unde & Cebeti placere potuit: certe Pythagoricam imaginem explicituro ab hac animarum præexiſtentia incipiendum erat. Vnde Suidam recte vocaſſe explicationem eorum, quæ in loco animarum deſignata quaſi & deſtinata ſunt, ſupra jam innuimus.

III. Animabus vitam ingredientibus impoſturam, errorem & ignorantiam propinare, hacque pota omnes vitam ingredi, ſed aliæ plus, aliæ minus. Prodit & hæc theſis luculenter Pythagoricæ ſcholæ lapſum animæ, ignorantiam & errores antequam in mundum veniunt, quod Plato quoque ex Italia Academiæ intulit.

IV. Hinc oriri opiniones, cupiditates & voluptates, quæ turbam hominum partim ad ſalutem, partim ad interitum ducunt, licet omnes vitam beatam polliceantur.

V. Inconſideratos inter homines volubilis & incertæ fortunæ muneribus inhiantes, divitias, gloriam, nobilitatem, liberos, regna appetere, & miſere decipi.

VI. Fortunæ muneribus ornatis inſidiari incontinentiam, luxuriam, avaritiam, aſſentationem, iisque adulari vitamque polliceri beatam & ſine moleſtia.

VII. His qui morem gerit, ei jucundum ad tempus videri vitam; conſumtis vero, quæ a fortuna acceperat, iſtis ſervire cogi & omnia perpeti & pernicioſa quæque admittere fraudes, ſpolia, latrocinia, perjuria exſequi.

VIII. Hæc ſequi pœnam, mœſtitiam, ærumnam, luctum & deſperationem.

IX. Ita infelicitate conſumi malos, niſi pœnitentia ſubeat, quæ opinionem aliam, & cupiditatem ad veram eruditionem perducturam excitet.

X. Duplicem vero eſſe eruditionem veram & falſam; ad veram pertingentem purgari, & ab omni calamitate immunem ſervari: ad falſam divertentem denuo ſeduci.

XI. Divertere vero plerosque homines primo ad falſam eruditionem, quam exhibent poëtæ, oratores, muſici, dialectici, arithmetici, geometræ, aſtrologi.

XII. Nec recedere a falſa eruditione amentiam, opiniones & vitia: donec rejecta falſa eruditione, purgatrice vi (καθαρτικὴ δύναμις, celeberrimum Italicæ ſcholæ dogma) opiniones, ignorantiam & vitia ejecerint.

XIII. Viam vero ad veram eruditionem & minime tritam & aſperam & præruptam, januamque ad ejus domicilium parvam eſſe.

XIV. Ingreſſos hanc viam, continentiam & tolerantiam excitare & hortari homines, ne per ignaviam deſperent.

d) Diſſ. *de genio Socratis inſerta* STANLEII *Hiſt. phil. P. III.*

XV. Has virtutes connitentibus in excelſas ſedes dare robur & fiduciam, & amœnas ſapientiæ & eruditionis veræ ſedes oſtendere.

XVI. Huc graſſantibus contingere adire domicilium beatorum, ducentibus veritate, ſuadela, & vera eruditione.

XVII. Accipere eos munera fructumque ſecurum; fiduciam, ſecuritatem, & purgatrice potentia potari.

XVIII. Purgatos ad virtutes adduci, & ad ſcientiam immitti, & fortitudini, juſtitiæ, vitæ integritati, temperantiæ, modeſtiæ, liberalitati, continentiæ, clementiæ jungi.

XIX. Ita certaminibus maximis defunctos a beatitudine tandem coronari, & ſui juris factos belluis, ignorantiæ, errori, cupiditatibus, vitiis imperare: & malorum omnium expertes fieri, ſpemque felicitatis repoſitam habere in ſemet ipſis.

XX. Beatos hos homines tum demum miſeriam hominum intueri & recte perſpicere, & ubique honeſte & tuto & ſine moleſtia vivere, nec ullo malo vexari, ſed omnibus dominari.

XXI. Eos vero, qui a tolerantia receſſerunt, nullo certo itinere oberrantes tandem in ærumnas, moleſtias & deſperationem incidere, & priſtinum luxum & incontinentiam repetere, & pecudum more gulæ ſervire.

XXII. Fortunæ itaque non fidendum, nec firmum putandum, quicquid contulerit.

XXIII. Accipiendas tamen eſſe a falſa eruditione literas & ceteras diſciplinas, ne aliis rebus animi diſtrahantur: neque tamen eas ad incrementa virtutis quicquam accipere, quippe ſine quibus liceat fieri meliorem.

XXIV. Eos, qui putant ſe ſcire, quæ neſciunt, impediri quo minus meliores fiant, & ad veram eruditionem pertingant.

XXV. Viros bonos non fieri divitiis, ſed eruditione vera, qua divitiis recte uti diſcunt.

Timon miſanthropus.

§. XXVII. Et hæc quidem brevis Socraticæ ſcholæ hiſtoria eſt, cui ex adductis veterum memoriis facile plura addere poterit, qui prolixioribus delectatur. Fuerunt quidem circa iſta tempora alii quoque inter Græcos philoſophi, nulli ſectæ addicti, ſed tam exiguæ famæ atque nominis, ut eorum memoria tantum non penitus interciderit. Vnus TIMON Echecratidis filius, Athenienſis, ex pago Colytto;[e] qui Socrati æqualis circa belli Peloponneſiaci tempora vixit, non tam philoſophica eruditione, quam morum ſingularitate & ſolitariæ vitæ amore nomen oblivioni eripuit, licet philoſophum fuiſſe, veteres teſtentur.[f] Si tamen SVIDAE[g] fides habenda, ab omni ſecta abhorruit, quod tamen ad Timonem Phliaſium Scepticis adhærentem pertinere, non ſine veri ſpecie conjicit MENAGIVS.[h] Nec de ejus placitis quicquam annotarunt veteres, obſcuriſſimæ vitæ homine

e) LVCIANVS in *Timone T. I. p. m. 93.*
f) LVC. *l. c.* SVIDAS in *Timon T. III. p. 476.* LAERT. *l. IX. ſ. 112.*
g) *loc. cit.*
h) *Ad l. c.* Laërt.

mine in id connitente, ne aliis innoteſceret. Vna morum difficultas & moroſitas, &, quo erga omnes fere homines ducebatur, odium, famam ei immortalem peperit, quo nomine eum ab Ariſtophane & Platone traductum fuiſſe refert PLVTARCHVS. [i] Cujus rei exemplum affert: [k] Timonem hunc, cum omnium hominum congreſſum vitaret atque aſpernaretur, ſolum Alcibiadem, juvenem tum ferocientem benigne ſalutaſſe, & Apemanti miranti, cauſamque percontanti, ideo, reſpondiſſe, eum amore complecti, quod ſciret, Athenienſibus multorum malorum cauſam fore. Proditque is alio loco, [l] excitatum ad hoc odium, eo quod ab amicis malam gratiam referentibus, injuriis affectus fuiſſet. Vnum vero Apemantem ſimilem ſui & ejusdem vitæ ſectatorem aliquando ad ſe admiſit, & ſemel cum eo cœnavit. Plura hujus generis idem PLVTARCHVS memorat, unde paradoxum & malignum animum diſcere licet, & recte eum μισάνθρωπον vocatum eſſe, perſpicitur. Mortui corpus Halis ſepultum eſt juxta mare, fluctibus tamen littus ſubſidens inacceſſum hominis ſepulchrum fecit, ut qui vivus hominum conſortium vitaverat, nec mortuus cum iis eſſet. Plura de eo LVCIANVS, [m] quem tamen multa ridendi cauſa finxiſſe probavit eruditiſſimus STOLLIVS, [n] qui recte quoque TANAQVILLVM FABRVM [o] notat, ideo Timonem excuſantem, quod non homines ille, ſed feras oderit, quibus ætas illa ſcatebat. Fuiſſe enim non homines tantum, ſed viros quoque bonos tum Athenis, ſchola Socratica cum magiſtro ſuo ſatis probat. Magis itaque ſeveritati morum in inſaniam quandam torvitatemque naturæ duram & inflexilem, humanitatem omnem ejurantem degeneranti cauſa adſcribenda eſt: [p] quæ ingenii triſtitia cum avaritia quoque & mala amicorum fide augeretur, in humani generis odium tranſiit: quod, ſi SVIDAE [q] fides eſt, ipſi Timoni exitio fuit, de pyraſtro enim lapſus claudus redditus, cum medicum non admitteret, putreſcens obiiſſe dicitur.

i) In *Anton. T. III. p.m. 158.* conf. CICER. *Tuſc. Q. l. IV. c. 2.*

k) In *Alcibiade.*

l) In *Anton. l. c.*

m) Refert enim, eum ab initio divitem fuiſſe, ſed ob liberalitatem, & quod absque judicio in quosvis fuiſſet benignus, ad paupertatem redactum.

n) Peculiari obſervatione *de Timone miſanthropo, Miſcell. Lipſ. T. III. obſ. LVII. §. 21. ſeqq. p. 81. ſeqq.*

o) In *animadverſ. ad* LVCIANVM.

p) Ita recte PLIN. *Hiſt. nat. l. VII. c. 19.*

q) *loc. cit.*

CAPVT

* *

CAPVT TERTIVM.

DE SECTA CYRENAICA, ALIISQVE, QVÆ HVIC DEBENT ORIGINEM.

§. I.

Secta Cyrenaicæ origo.

Ex ſchola Socratis, tanquam ex equo Trojano, magna prodiit philoſophorum multitudo, qua Græcia tantum non omnis repleta eſt. Cum enim multiplices Socratis ſermones per omnia fere ſcientiarum argumenta diſcurrerent, & diſcipulos ingenio, moribus & animi affectionibus diverſiſſimos, de variis rebus docerent, factum inde eſt, ut diverſæ quoque ab iis conderentur ſectæ, quarum quælibet Socratem magiſtrum jactabat:[a] quæ cum magna celebritate & ingenti ſequacium numero effloreſcerent, viroſque gignerent, qui præceptorum philoſophia non contenti nova condebant ſyſtemata, novasque ſectas, innumera inde philoſophorum ſeges per plurimas ſectas enata eſt, inter quas tamen Cyrenaica, Academica, atque Cynica reliquis præcelluerunt, & Peripateticam atque Stoicam ſectam produxerunt. Quæ genealogiæ, ut ita loqui liceat, ratio in cauſa fuit, ut Ionicam, non tam ſectam, quam ſucceſſionem per Socratem ad ſequentes ſectas derivatam, in Clitomacho Academico, Chryſippo Stoico, & Theophraſto Peripatetico finiri diceret LAERTIVS.[b] Abſoluta itaque Socraticæ ſcholæ hiſtoria, jam ad eos pergendum eſt, qui ex illa prodeuntes novarum ſectarum auctores atque conditores facti ſunt; inter quos cum Ariſtippus Cyrenaicam, Euclides Megaricam, Phædo Eliacam, Plato Academicam, Antiſthenes, Cynicam ſectam condiderint, prolixius de iis in ſequentibus erit tradendum.[c]

Auctor ſectæ Ariſtippus Cyrenaicus.

§. II. Cyrenaicæ ſectæ non ab auctore ſed loco, ut pluribus aliis,[d] nomen hæſit, ex quo ille oriundus fuit. ARISTIPPVS enim, ad quem ejus origines referuntur, Cyrene Africæ urbe erat editus, patre Aritada Cyrenæo.[e] Cujus viri notitiam memorabilem fecit condiſcipulorum invidia, quibus vehementer vapulavit, ejusque philoſophandi ratio in ſuſpicionem voluptatis fœdæ adducta eſt. Neque tamen hiſtoria ejus adeo certa eſt, ut non magnis paſſim laboret difficultatibus & incertitudine. Cum enim

a) CICERO *de Orat. l. III. c. 16.*

b) *Lib. I. ſ. 14.* Opponitur itaque Ionica philoſophia non Socraticæ, Academicæ, Cynicæ, Stoicæ, ſed Italicæ, ex qua Eleatici, Heraclitici, Epicurei, Sceptici.

c) Non omiſſis tamen iis, quibus *breviſſimi temporis ætas conceſſa fuit, vel quod reliquarum ſectarum vi & diſputationibus fractæ & exſtinctæ ſint*, ut putat CICERO *de Or. l. c. c. 17.* vel quod in obſcurioribus orbis partibus plantatæ eam ætatem attingere non potuerint, quam illæ, quæ Athenis radices egerunt, quod non inepte judicat STANLEIVS *Hiſt. phil. P. III. p. 241.*

d) E. g. Eliacæ, Eleaticæ, Eretriacæ, Megaricæ, Italicæ, vid. LAERT. *l. I. ſ. 17.* & AMMONIVM, cujus locum affert MENAGIVS *l. c.* Vide ſis diſſ. noſtram *de ſecta Elpiſtica Miſc. Berol. T. V. art. ult.* Ariſtippicos tamen interdum quoque vocatos eſſe, innuere videtur auctor *Hiſt. phil.* GALENO tributæ *c. 3.* ſed id rariſſime factum eſſe oportet, quia inuſitatum veteribus hoc nomen eſt.

e) SVIDAS in *Ariſtippus T. I. p. 324.*

enim Ariſtippus nec Socraticam frugalitatem & paupertatem coleret, nec condiſcipulos gloria & fama anteire intermitteret, nec vellicare ſubinde æmulos deſineret, tanta illi conflata eſt invidia, ut peſſime paſſim & vita ejus & philoſophandi inſtitutum deſcriberetur.[fg] Deficientibus vero ipſius Ariſtippi ſcriptis, cum ex ſolis iſtis veterum memoriis judicandum ſit, quas LAERTIVS,[b] & ex recentioribus PAVLVS LEOPARDVS,[i] atque STANLEIVS,[k] ſine magno judicio collegerunt, omnino critico examine opus eſt, ut quæ vero ſint ſimilia, quæ conficta ſint vel ſuſpecta malæ fidei, inter ſe diſcernantur. Quam criticam rationem excutiendi Ariſtippi hiſtoriam cum ſecutus ſit vir doctus FRIDERICVS MENZIVS,[l] ejus hiſtoriam Ariſtippi omnino conſulendam commendamus, ita tamen, ut illæ nunquam ex oculis dimittantur regulæ, quas ſub initium operis conſtituimus.

Educatio, ſtudia, vitaque reliqua Ariſtippi.

§. III. Barbarus vero cum Ariſtippus fuerit, mirum non eſt, de ejus educatione nihil nobis apud veteres tradi: cum enim Græci barbaros, tanquam ineptos rudesque contemnerent, credi omnino poteſt, invidiam gentis etiam Ariſtippum preſſiſſe, ut eum in juventute illiteratum fuiſſe, & eruditionem atque philoſophiam a Græcis tantum accepiſſe putarent, ſicque nihil de ejus inſtitutione literis conſignarent. Parentem nec honoribus, nec divitiis caruiſſe, ex eo conjici poteſt, quod non tantum magno ſatis itinere ad Olympicos ludos filium miſit, iisque ſumtibus inſtruxit, quibus Athenas quoque ad audiendum Socratem concedere poſſet; ſed quod Ariſtippus etiam, canente HORATIO,[m]

ſervos projicere aurum
In media juſſit Libya: quia tardius irent
Propter onus ſegnes.

Etſi enim hoc ſcomma æmulorum Ariſtippi videri queat,[n] ſupponit tamen cenſum parentis, ipſiusque Ariſtippi locupletem: certe a puero elegantiæ non morum tantum, ſed & veſtium totiusque habitus ſtuduiſſe, reprehenſiones Socratis, & diſcipulorum[o] produnt. Ingenio fuiſſe non tantum docili, ſed & egregio, ea, quam Socrati probavit, induſtria, magiſtri præcepta, non feliciter tantum, ſed & promte aſſequens, ſatis innuit, & a naturali diſcendæ

fg) Cauſis his invidiæ in Ariſtippum excitatæ, de quibus poſtea, addi poſſunt; contemtus barbarorum apud Græcos in gloriam ſuam effuſiſſimos, uti vocat PLINIVS *H. N. l. III. c. 5.* & invidia in laudes eruditionis iisdem tributas, vid. IDEM *l. XXIX. c. 1.* morum diverſitas; Athenienſium amor erga hominem, omnis generis moribus ſe prudenter attemperantem: quod ipſe Socrates ægre tulit. conf. MENZ. *l. citando præf.*

b) *l. II. ſ. 65. ſeqq.* quem lingua Gallica expreſſit T. FABER.

i) In *vita Ariſtippi* conf. STOLLIVS *Hiſt. lit. P. II. c. 1. §. 41.*

k) *l. c.*

l) In *vita Ariſtippi Hal. 1719. 4.* conf. *Hiſt. Bibl. Fabr. T. V. p. 472.*

m) *l. II. Sat. III. v. 99.* eadem refert LAERTIVS *l. II. ſ. 77.* pertinere vero hæc ad primum ejus iter ex patria, inde conjici poteſt, quod reliquo vitæ tempore non tam bonis abundaverit, ſic ut mercedem a diſcipulis exegerit.

n) Abjeciſſe enim aurum, quod ſervo moleſtum eſſet in itinere, quis ab homine, aurum ad vitæ ſplendorem adhibente crediderit? Verum in eo diligentes fuere ejus æmuli, ut eum luxuriæ ſuſpectum redderent, tanquam inſanæ voluptatis ſervum, hinc illæ fabellæ.

o) Vid. XENOPHON *memor. l. II. init.* & quæ poſtea dicentur.

dæ veritatis deſiderio non deſtitutum fuiſſe, & ex parvis veſtigiis majora colligendi facultate inſtructum, [p] teſtis eſt occaſio, qua ad Socratem delatus eſt, quam ita narrat PLVTARCHVS: [q] Inciderat in Iſchomachum Ariſtippus ludis Olympicis, & quæſiverat, quibusnam diſputationibus Socrates ita adoleſcentum animos devinciret? atque cum exigua ſermonum ejus ſemina & documenta accepiſſet, ita vehementem ſenſit animi ardorem, ut & corpus marceſceret, & plane pallidus gracilisque fieret, donec ſitibundus flagransque deſiderio Athenas navigaret, & ex ipſo fonte hauriret, Socratis & facie viſa, & diſputationibus auditis, quæ ad conſiderationem malorum hominis, & liberationem ab iisdem pertinebant. Vt itaque tanti præceptoris doctrina & inſtitutione frueretur, pecuniam ei, quam ex itinere ſecum habebat, obtulit, [r] rejiciente eam tamen, more ſuo Socrate: cujus in diſciplinam admiſſus tantam diligentiam & acumen ingenii probavit, ut non tantum in philoſophia morali egregie proficeret, ſed & magnis profectibus æmuli condiſcipuli in invidiam accenderentur. Ita certe in philoſophia morali eminuit, ut inter præcipua Socraticæ ſcholæ ornamenta, & præſtantiſſimos tanti præceptoris diſcipulos numeraretur. [s] Non tamen ita arriſere vel Socrati vel ejus familiaribus vita moresque Ariſtippi, ut eum ferre in omnibus poſſent. Cum enim Socrates munditiem Athenienſium ſperneret, & ab omni luxus, qui tum Athenis regnabat, ſpecie eſſet alieniſſimus, uti ſuo loco demonſtravimus, Ariſtippus contra cultui corporis & elegantiæ atque decori quam maxime ſtuderet, ita ut non tantum, ubi res ferebat, elegantiſſimis amiciretur veſtimentis, & ad ſplendidos iret ſplendidus, [t] ſed & vili pallio & Mileſia lana tectus, ingenium decoris obſervantiſſimum oſtenderet, [u] uti poſtea probatum dabimus; de voluptate autem, quam præſentem ubique, etſi philoſophico ſenſu, requirebat, diſſereret vehementius, quam diſſentiens Socratis ſchola ferre poterat. & in reliqua quoque vita ſuſpicionem voluptatis feciſſet, Socratis & potiſſimum commilitonum reprehenſiones incurrit. [x] Didactro quoque poſtulato philoſophiam docens indignationem eorum commovit. [y] Quam cum negligeret, ſicque

p) Conjicit ex his etiam cl. MENZIVS *l. c. p. 10.* domi jam deguſtaſſe philoſophiam, cum talia, quæ narrat PLVTARCHVS in puerum ignarum non cadant in literarum Græcarum inſtitutione non fuiſſe rudem, Cyrenes ſtudia ad Græciæ morem conformata ſvadent. *q*) *de curioſitate.*

r) LAERT. *l. c.* qui tamen tempora confundit; Ait enim: ἔτος σοφισεύσας πρῶτος τῶν Σωκρατικῶν μισθοὺς ἐισεπράξατο καὶ ἀπέστειλε χρήματα τῷ διδασκάλῳ. Eo enim tempore, quo ipſe mercede philoſophiam docebat, didactrum præceptori tanquam diſcipulus mittere non opus erat. Niſi velis τὸ σοφισοφιστεύειν idem eſſe, ac philoſophiæ operam dare, ubi tamen, introductæ mercedis ratio non tam facile locum invenit. Recte vero cl. MENZIVS *l. c. p. 11.* pecuniam hanc Socrati initio oblatam conjicit, cum ex auro patrio Ariſtippo ſatis ſupereſſet. Rejecit id Socrates cauſatus, dæmonem prohibere, ut acciperet, diſplicuiſſe vero ei & monet LAERTIVS *l. c.* & ex XENOPHONTE ſupra notavimus.

s) Vid. LAERT. *l. II. ſ. 47.* MENZ. *l. c. not. B. p. 2. ſeqq.*

t) Interdum quidem ſe comtius ornabat Socrates, ſed ut a luxu Athenienſium tamen maxime differret, vid. LAERT. *l. II. ſ. 28.* ornatus ejus erat, ut calceos indueret, & lautus incederet: quæ an cum moribus Ariſtippi queant comparari, ut facit MENZIVS *l. c. p. 69.* excuſando philoſopho, nimis, quam par eſt intentus, vehementer dubitamus.

u) PLVTARCHVS *de fortitud. Alexandri.*

x) Vid. XENOPHON *mem. l. II.* quem tamen ſuſpectum facit LAERT. *l. II. ſ. 54.* quod æmulatione ductus hoc colloquium Socratis finxerit.

y) vid. not. (*r*).

ſicque cum Socratis ſchola ei non bene conveniret, locum, ut invidiæ cederet,[z] mutandum ratus, varias peregrinationes ſuſcepit, quarum duæ potiſſimum veteribus memorantur. Primam in Aeginam inſulam ſuſcepit, ubi plurimum verſatum fuiſſe Ariſtippum luxu diſſolutum, ut liberiorem, quam antea, vitam agere poſſet, a Socrate vero hortando ad meliorem frugem fruſtra revocatum tradit ATHENAEVS,[a] qui ad XENOPHONTEM[b] provocat, Socratis cum Ariſtippo de voluptate colloquium deſcribentem. Quamvis vero nec in omnibus Xenophontis fidem laudet ATHENAEVS,[c] & infeſto in Ariſtippum animo hunc de voluptate ſermonem Socrati impoſuiſſe fateatur LAERTIVS,[d] veri tamen ſimile omnino eſt, Ariſtippum plerumque in Aegina inſula commoratum philoſophiæ operam impendiſſe, ſubinde tamen Athenas excurrentem. Certe ibi tum fuiſſe, cum cicutam biberet Socrates, PLATO[e] teſtatur. Male vero de hac ejus Aeginæ mora loquitur ATHENAEVS, qui narrat, ibi in Laidis, famoſiſſimi ſcorti, apud Corinthios familiaritatem perveniſſe, quæ Aeginam quotannis venerit, feſto Neptuni, aſſidentemque tum ſibi diligentiſſime Ariſtippum habuiſſe;[f] addit LAERTIVS:[g] ſugillatum ob Laidis amores dixiſſe: habere ſe Laidem, non haberi; & ATHENAEVS;[h] reprehenſum a ſervo ob nimiam liberalitatem in eam, quæ gratis Diogeni Cynico ſe ſubſterneret, pecuniam, dixiſſe, ei ſe dare, ut ipſe fruatur, non ut alii non fruantur; ut alia hujus generis mittamus. Sed caute audiendas eſſe ejusmodi narratiunculas de viro, qui invidia ſodalium vehementer premebatur, & ob male intellectam de voluptate doctrinam peſſime audiebat, & triſtitiæ philoſophorum ſui temporis nuntium mittebat, lætiori vultu & vitæ decus ſectans & animi tranquillitatem quærens, ſupra jam monuimus. Luxu enim diffluiſſe Aegine, loco & paupere & multarum inopia rerum preſſo,[i] qui cultum elegantiorem vix admittebat, cum venerum & gratiarum ſedem, Athenas, ſponte reliquiſſet, non videtur veriſimile, licet decoris & commoditatis rationem Ariſtippum habuiſſe, ſubductum injuriæ commilitonum, negari nequeat. Nec quæ de impura cum Laide converſatione dicuntur, extra omnem dubitationis aleam poſita ſunt, quemadmodum tota Laidis hiſtoria

z) Alias cauſas ſuſceptæ peregrinationis affert doctiſſimus MENZIVS, nempe; noluiſſe, præſente & docente tanto magiſtro ſcholam aperire Ariſtippum, verecundia præceptoris: nuſpiam enim legi, Ariſtippum, vivo Socrate docendo vel diſputando nomen indeptum eſſe. Solennem quoque philoſophorum morem, ut peregrinaretur, ſecutum fuiſſe. Neutrum extra dubium poſitum videtur. Nam philoſophiam vivo præceptore docuiſſe LAERTIVS auctor eſt, nec, id Æginæ factum, ut vult v. c., dicit; ſed improbaſſe præſentem. Peregrinationes vero philoſophiæ cauſa ſuſceptas rejiciebant cum magiſtro Socratici, nec exemplum Platonis rem juvat, quem ideo reprehenſionem ſodalium incurriſſe ſupra indicavimus.

a) *l. XII. p. 544.*

b) *Memorab. l. II. p. 733.* Eam vero diſputationem Athenis inſtitutam fuiſſe, Xenophon innuit, quod niſi totum fictum eſt, ut vult cl. MENZIVS *p. 15.* ſupponendum eſt, Ariſtippum ſæpius Athenas remigraſſe.

c) *l. V. p. 216.* ubi tamen Xenophontem καλὸν nominat.

d) *l. II. ſ. 65.*

e) In *Phædone p. 54.* quod vero ex *Ep. Socr. XVI.* affert teſtimonium, fidem ob ſupra dicta non meretur.

f) Quam in rem *l. XIII. p. 599.* ad Hermeſianactem provocat, & epigramma in Ariſtippum Laidis voluptatibus ſuccumbentem affert.

g) *l. II. ſ. 75.*

h) *l. XII. p. 544.*

i) Conf. STRABO *l. VIII. p. 259.*

multis obſepta eſt difficultatibus, [k] nec cohærent, quæ de ea referuntur, temporum quoque rationes non concordant. Nam ſi Athenæo credendum eſt, qui plerasque iſtas narratiunculas congeſſit, cum Cynico Diogene uno eodemque tempore congreſſus eſt cum Laide Ariſtippus: Diogenes vero, ut ſuo loco probabimus, Ol. XCI. demum natus CXIV. denatus eſt, adeoque ante Ol. XCVI. cum Laide conſueſcere, ſi modo verus eſt rumor, vix potuit. Ariſtippus vero ante & circa tempus mortis Socratis Aeginæ & Corinthi verſatus eſt, id eſt, ante & circa Ol. XCIV. & poſt præceptoris mortem in Aſiam & Siciliam abiit. Impoſſibile itaque eſt, Diogenem & Ariſtippum una cum Laide ſimul fuiſſe converſatos; & ſuſpectæ ſunt hiſtoriolæ, quæ de utroque narrantur. Nec dubium eſt, eas vel ab invidis Ariſtippi, vel ab irriſoribus philoſophorum excogitatas, & ab ejusdem farinæ hominibus, qualis Athenæus & Lucianus fuere, [l] collectas fuiſſe, ut fabellarum jucunditate otioſæ Græcorum aures demulcerentur. Nec quæ hac de re narrantur ſimul recte conſiſtunt. Aeginæ enim Laidi adhæſiſſe Ariſtippus dicitur; Diogenes Corinthi, quo ſemel tantum ille navigavit, & tamen fertur Diogenes æmulatione ductus frequentiſſimum cum ſcorto conſortium ei exprobraviſſe: qui id fieri potuit, cum ſemel tantum in anno Aeginam Lais diverteret, & mature Aegina diſcederet Ariſtippus? Neque tamen hæc omnia ficta putanda ſunt, quæ de Ariſtippi cum Laide familiaritate dicuntur; fontem enim calumniæ attendentibus aperit LAERTIVS, [m] qui in recenſione ſcriptorum Ariſtippi unius meminit ad Laidem. Scortum vero hoc ex earum meretricularum numero fuiſſe, quæ humanioribus diſciplinis & mathematicis ſcientiis operam ſe dediſſe gloriatæ ſint, refert ATHENAEVS. [n] Probabiliſſimum itaque eſt, Laidem, quæ iſto tempore, quo Aeginæ vivebat Ariſtippus, non corporis tantum ſed & ingenii vigore & elegantia valebat, [o] Ariſtippum philoſophiæ & literarum cauſa conveniſſe, &, quam gloriam tunc hujus generis puellæ quærebant, eruditionem a tam ſtudioſo decori magiſtro & voluptatis doctore, vel didiciſſe, vel ſaltem de ejusmodi rebus ſermones miſcuiſſe, ejusque encomia affectaſſe. [p] Nam niſi hæc ſtatuamus, ratio dari nequit, cur librum philoſophicum [q] ad eam ſcripſerit. Nec hæc Ariſtippi cum nobili ſcorto converſatio fraudi philoſopho eſſe debet, qui a moribus reliquorum philoſophorum, meretrices inter diſcipulos admittentium, [r] non diſceſſit, nec fecit aliud, quam

k) Conſulendus omnino P. BAYLE *Dict. T. III.* art. *Lais T. III. not. K.*

l) Dignus qui legatur MENZIVS in *præf. Ariſtippi.*

m) *l. II. ſ. 84. 85.*

n) *l. XIII. p. 583.* unde MENAGII quoque *hiſtoriæ mulierum philoſophantium* addi debet.

o) A Nicia enim, Athenienſium imperatore, capta in Sicilia Ol. XCI. 2. annum ætatis agebat ſeptimum, vid. BAYLE *Dict. l. c.* unde ſupra decem atque ſeptem vel octo annos ætas ejus tum ſurgere non potuit.

p) Auget hanc conjecturam, quod & alii virorum doctorum luſus & epigrammata in Laidem ſuperſint, vide, quæ affert MENAGIVS *ad* LAERT. *l. II. ſ 84.*

q) Etiam de ſpeculo Laidis ſcripſiſſe, refert LAERT. *l. c.* ſed & libri ſive dialogi ad Laidem meminit ab eo diſtincti.

r) Quod ſi admitti tanquam certum deberet Ariſtippum cum Laide congreſſus impuros foviſſe, excuſarent eum, non quidem totum, ſed tamen ex parte mores Athenienſium & aliorum Græcorum hæc inter turpia non referentium, præſertim cum naturæ quaſi exonerandæ cauſa cum ea conſveviſſe ipſi fateantur accuſatores. Vide, quæ affert

quam quod vidit in Socrate Aſpaſiæ domum eloquentiæ cauſa frequentante, licet ea ſcortum eſſet peſſimi nominis. Quæ vero amicitia cum Laide etſi honeſta, eo magis occaſionem inimicis Ariſtippi exhibuit, eum in ſuſpicionem conſuetudinis deterioris adducendi, quo magis & vita lautior & nitida, & doctrina de voluptate, fine philoſophiæ, apud rei imperitos ſpeciem veritatis exhibebat. Quæ cum ita ſint, ſi neganda non eſt tota traditio, certe cohibenda ſententia, ne fabulas amplectamur pro vero. Vnde merito miramur, eruditiſſimum MENZIVM, [s] qui nihil non, quod Ariſtippo non favere intelligebat, vel negavit, vel aliter ſe habere oſtendere conatus eſt, maluiſſe hæc frigide excuſare, quam, quo ficulneo nitantur fundamento, oſtendere. Aegina Corinthum navigans naufragium tantum non vehementi tempeſtate paſſus eſt, & objicientem, quod trepidaſſet, philoſophus qui eſſet, argute repreſſit. [t] In Aſiam porro perrecturus forte ad Rhodum naufragium fecit, & ab Artapherne captus fuit, [u] quo in naufragio ad littus ejectus, cum geometrica ſchemata deſcripta offendiſſet, bono animo comites eſſe juſſiſſe VITRVVIO [x] dicitur, veſtigia enim hominum ſe videre, & profectum Rhodum ad gymnaſium ita de philoſophia diſputaviſſe, ut muneribus ornaretur, quibus & ſibi & comitibus neceſſaria paraverit. Tandem in aulam regis Dionyſii Syracuſas delatus eſt, quæ res non exiguas ei criminationes excitavit. Regis enim adulatorem ſe præbuiſſe, [y] luxuque atque ſuperbia aulæ captum divitiis & voluptatibus ſe ita immerſiſſe, ut avelli non potuerit, [z] vitam quoque Socratico diſcipulo indignam vixiſſe, potando viciſſe, [a] purpureaque veſte indutum ſaltaviſſe, & quæ alia fuere opprobria, veteres unanimi fere ore clamitarunt: rei vero circumſtantias ita confuderunt, ut, niſi recte & diligenter attendatur, quid pro vero admittendum ſit, perſpici nequeat. Vocandi vero philoſophos in aulam Dionyſii occaſio nulla alia videtur fuiſſe, quam quod turpiter ſe dederit Tyrannus, Platonem Dionis precibus in Siciliam vocatum, cum injuria & offenſione dimittens, ut ſuo loco plenius enarrabitur. Invidiam itaque ut leniret, magna ambitione eruditos, & imprimis philoſophos, in aulam advocavit, & cum iis de variis argumentis contentioſe diſputavit, ut PLVTARCHVS [b] auctor eſt. Et in horum quoque numero fuiſſe Ariſtippum vel vocatum vel ſponte venientem,

fert MENZIVS *l. c. p. 64. ſeq.* Aliter tamen accipiendum eſſe, ipſe Ariſtippus haud obſcure prodidit, aſſerens, habere ſe Laidem, non haberi, id quod rectum & philoſophicum uſum feminæ indicare, CICERO *Epiſt. fam. l. IX. ep. 26.* innuit, *qui ſe eodem modo ac Ariſtippum excuſari ait, quod Cytheris juxta ſe accubuerit, etſi nihil innocentia ſua & gravitate indignum paſſa fuerit.* *s) l. c.*

t) LAERT. *l. II. ſ. 71.* AELIANVS *l. IX. c. 20.* GELLIVS *l. XIX. c. 1.* varie enim res narratur, ut ſolent incerti rumuſculi, & acute dicta virorum celebrium.

u) LAERTIVS *l. II. ſ. 79.* Quis ille Artaphernes fuerit, curioſe diſquirit MENZIVS *l. c. p. 17. not. P.* putarque eum fuiſſe, qui ſub Artaxerxe II. Perſiæ rege, ſimul cum Pharnabazo exercitui præfuit, Spartanosque ex Rhodo inſula ejecit, quod teſte DIODORO *l. XIV. p. 298.* Ol. XCVI. 1. factum eſt. Hoc ſi recte ſtatuitur, iter hoc poſt Socratis mortem accidiſſe neceſſe eſt.

x) Archit. l. VI. GALEN. in *protrept. c. 5. T. II. opp. p. 5.* ed. Charterii.

y) Hinc Diogeni dictus canis regius LAERT. *l. II. ſ. 66.*

z) PHILOSTRAT. *vit. Apoll. l. I. c. 35. p. 43.*

a) SVIDAS in *Ariſtippo l. c.* LVCIANVS in *Paraſito.*

b) In *Dione.*

omnino veriſimile eſt; [c] certe ante tertium Platonis in Siciliam adventum adfuiſſe PLVTARCHVS haud obſcure innuit. Vtebatur vero Ariſtippus ingenio, ad vitam aulicam aptiſſimo; tantaque, quam in eo notat LAERTIVS, [d] facilitate, ut ſe accommodaret & loco & tempori, & perſonæ καὶ πᾶσαν περίστασιν ἁρμονίως ὑποκρίνεσθαι, quæ ita expreſſit HORATIVS: [e]

Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus, & res.

Addit Laërtius: ideo Dionyſio fuiſſe gratum, quod ea, quæ acciderent, probe diſponere noviſſet, atque dijudicare. Ariſtippus itaque aulæ magis, quam ſcholæ natus, iis ſe circumſtantiis adaptavit, quas e re eſſe judicavit, & procul abeſſe juſſo aliorum philoſophorum cathedrario faſtu & ſingulari vultu atque vitæ modo, & feſtis diebus purpuram induit atque ſtolam, & ſaltavit, fictamque gravitatem Platonis [f] & Diogenis riſit, tyrannique impetus vel ſuſtinendo fortiter vel declinando prudenter, ejus mores non tantum præceptis philoſophicis lenivit, ſed amicis quoque non parum profuit, gratiamque Dionyſii ſibi & amicis conſervavit, cujus in Aeſchine ſupra exemplum habuimus. Qua in re & prudentiam & ingenium & libertatem quoque haud ſemel philoſophicam probavit. Quæ cum indignantes viderent reliqui philoſophi, qui ad ſcholæ ſuæ præcepta formare contenderant aſperum tyranni animum, ſcopoque atque fine plerumque exciderant, invidiam preſſere, quem ejicere ex regis animo non potuerunt, & aulicam prudentiam a moribus ſcholæ maximopere abhorrentem exagitantes, iſtas narratiunculas poſteritati tradiderunt, quas lubenter excepe-runt ii, quibus nihil dulcius fuit, quam philoſophos traducere. Quæ ſi absque partis præjudicio expendimus, mirari deſinemus, tantis opprobriis Ariſtippum onerari: quid enim non poteſt invidia? præcipue ubi ſe contemtam videt, vel alterius felicitati indolet, vel, quod Ariſtippus ſolebat, aculeo ſermonis pungitur? Ante Dionyſii vero expulſionem cum aliis philoſophis Syracuſis abiiſſe non eſt, quod dubitemus. Aeſchines certe, qui usque ad tyranni exilium in Sicilia manſerat, Athenas redux factus, Ariſtippum in hac Muſarum ſede docentem invenit; [g] refertque PLVTARCHVS, [h] Ariſtippi ſagacitatem extrema, quæ populus tyranno ejusque amicis minabatur, opperiri non voluiſſe. Quamdiu vero in Græcia manſerit, & an unquam in patriam redierit, ibique philoſophiam docuerit, a nemine veterum fide digno traditur, etſi id aſſerat STANLEIVS. [i] Nec quæ ille ex epiſtola ad Aretem filiam hac de re affert, [k] vocatum [l] ab illa in patriam, ut oppreſſæ ſuccurreret, cum itineri ſe accinxiſſet, in morbum incidiſſe in Lipara inſula, ibique mortuum eſſe, fidem merentur; cum ſupra jam non inſici-

c) Res & ſua luce radiat, & pluribus a MENZIO *l. c. p. 32. not. CC.* probatur.

d) l. II. ſ. 66.

e) l. I. ep. XVII.

f) Ipſe Plato laudavit Ariſtippum, dicens: *σοὶ μόνῳ δέδοται καὶ χλαμύδα φορεῖν, καὶ ῥάκος, ſibi ſolii datum & chlamydem & pannum ferre* LAERT. *l. II. ſ. 67.* conf. CASAVB. & MENAG. ad *h. l.*

g) LAERT. *l. II. ſ. 62.* *h) l. c.*

i) Hiſt. Phil. P. III. p. 243. nam quæ ad probandam hanc aſſertionem affert: Cyrenaicam ſectam dictam a loco ubi fundata eſt; fundamento carent: ita enim ſecta dicta eſt, quod auctor ſectæ erat Cyrenaicus.

k) l. c. c. IX. p. 254.

l) Ep. Socrat. XXVII.

ficiandis argumentis has epiſtolas rejecerimus. Mortis itaque nec genus, nec tempus, nec locus a Græcis notatus eſt, ut fuere in rebus barbarorum negligendis ſatis ſupini. Duorum liberorum pater factus eſt, filii unius degeneris, quem ideo contemſit & rejecit;[m] & filiæ paternæ eruditionis hæredis, de qua in ſequentibus dicemus. Satis, niſi fallimur, ex dictis de ingenio moribusque Ariſtippi judicium fieri poteſt, in quo, ſi non laudanda ſunt omnia, ſi naturali animi ad voluptates proclivis inclinationi aliquid dedit,[n] ſi ſeveros Socratis mores non expreſſit;[o] magnas tamen ei dotes fuiſſe, & eruditionem atque prudentiam in ſcholis philoſophorum Græcorum raro occurrentem, ea quæ adducta ſunt, ſatis loquuntur. Vehementi enim animi ardore diſcendi uſus ad Socratem delapſus eſt, cui ingenii alacritatem & promtitudinem egregie probavit. Quæ etſi æmulos ei concitarent plurimos,[p] animum tamen iis exhibuit non ingenuum tantum, ſed & reconciliabilem: duros & cavillatores argutis reſponſionibus,[q] qua arte mire pollebat, excepit. Nec pauca præſentis & ad omnes circumſtantias attenti animi ſpecimina exhibent itinera, quibus & prudentiam, & facilitatem morum omnibus probavit. Etſi vero voluptates corporis non rejiciebat, eas tamen nec anxie quæſivit, nec iis unquam ad fœditatem abuſus fuiſſe legitur.[r] Et ita quoque in veſtitu, reliquoque cultu corporis verſatus eſt, ut ſorditiem vitaret, decoris rationem haberet, & circumſtantiis flagitantibus elegantiam quoque & ſplendorem quæreret; cui rei fortunæ ſatis affluentes ſumtus abunde ſuppeditabant.[s] Certe elegantiſſimi inter Græcos philoſophi titulum nomenque meruiſſe, dicta hactenus abunde demonſtrant, & aſſertæ virtutis doctrinæ probant: philoſophum id eximii habere, ut, ſi omnes leges tollerentur, æquabiliter vivant; philoſophiæ hunc fructum eſſe, cum omnibus fidenter converſari; differre doctos ab indoctis, ut domiti equi ab indomitis; melius eſſe mendicum evadere, quam indoctum, illic enim pecuniis, hic humanitate indigeri: divitum fores obſidendas a philoſophis, tanquam ægrotorum a medicis; non qui plurima, ſed qui utilia legerunt, ſtudioſos habendos eſſe, & eruditos; pecuniam ſe ab amicis accipere, non ut ipſe uteretur, ſed ut ſcirent illi, quas ad res pecuniis uti conveniat; honeſtos pueros ea oportere diſcere, quæ viris uſui futura ſint; amicum iratum primum conveniendum & delirandum inimicitia non eſſe. Ex his enim & ſimilibus, quæ collegit

Ingenium & mores.

LAER-

m) Recte id ex LAERT. *l. II. ſ. 81.* colligitur.

n) Voluptatibus non miſiſſe nuntium, etſi eas, ubi habere non poſſet, anxie non quæreret, ipſe faſſus eſt, & ſplendidæ vitæ cura, ſatis loquitur.

o) Erat enim Socrates paucis contentus, & ab omni corporis nitida atque ſollicita cura alienus; luxuique Græcorum infenſiſſimus, quæ non adverſabatur Ariſtippus.

p) Præter Xenophontem, male ei cupiiſſe Platonem patet ex LAERT. *l. II. ſ. 69.* & Phædonem *ib. ſ. 76.* SENEC. *de benef. l. VII. c. 12ſ.* Æſchinem *ib. ſ. 82.* Diogenem, quem qua ratione repreſſerit eleganter narrat HORATIVS *Ep. l. I. ep. XVII.* Antiſthenem adjicit *Ep. Socrat. IX.*

q) Plura ejusmodi narrat LAERTIVS *l. II. ſ. 71. ſeqq.* & ex eo STANLEIVS *c. VI. p. 230. ſeqq.*

r) Hoc intelligendum de iis, quæ certa vel veriſimilia ſunt: nam criminationes hoſtium attendendæ non ſunt; qualis & illa Theodori in libro *de ſectis* apud LAERT. *l. II. ſ. 65.* eſt.

s) LAERT. *l. II. ſ. 80.* ex quo loco patet, eum vivo Socrate jam pecunia abundaviſſe. Cum itaque dives eſſet, mirum non eſt, & in veſtitu & in victu ſplendidum & delicatum fuiſſe, & aurum negligere potuiſſe.

LAERTIVS [t] Socraticæ ſcholæ alumnus, ut ex ungue leo, cognoſcitur.

Scripta.

Scripſit [u] & hiſtorica quædam, & dialogos, de quibus tamen incerti ſunt veteres, an ſint genuini: librum item de phyſiologis [x] & alia memorata LAERTIO [y] ex quibus patet, non philoſophiæ tantum ſtudiis, ſed & elegantioribus diſciplinis fuiſſe haud leviter imbutum: Quædam ei ſuppoſuiſſe audaces manus, ut tanti viri nomine impudentes mores tegerent, liber *de veterum luxu*, illi tributus, [z] oſtendit. Fuerunt & alii Ariſtippi, [a] cum hoc non confundendi, interque eos memorabilis Ariſtippus hoſtis mathematicæ diſciplinæ, ARISTOTELI [b] nominatus, & alius Pythagoricus philoſophus. [c]

Doctrina Ariſtippi,

§. IV. Iam ut in enarranda Ariſtippi hiſtoria ad doctrinam & philoſophiam ejus digrediamur, præmonendum exiſtimamus, non adeo certam eſſe notitiam, quam de ejus placitis reliquerunt nobis veteres. Scripta enim Ariſtippi temporis injuria nobis erepta eſſe, modo meminimus, & ita ex verbis conditoris ſectæ de ejus mente certa ratione judicari non poteſt: Nec coævorum hac in re teſtimoniis multum fidendum eſſe, ex iis quæ ſupra de invidia condiſcipulorum diſſeruimus, recte concluditur. Ad ſequacium itaque philoſophemata recurrendum eſt, & quid Cyrenaicæ ſcholæ placuerit, diſquirendum, ut inde conjecturis aſſequamur, quæ Ariſtippo tribuenda ſint, nec ne. Vbi tamen non leviores occurrunt difficultates: patebit enim ex Cyrenaicæ ſectæ hiſtoria, ſucceſſores Ariſtippi ita conditoris placitis non inhæſiſſe, ut non multa mutarent, & ejusmodi doctrinas admitterent, quæ vel Ariſtippo plane ſunt contrariæ, vel ſaltem fuere ignotæ. [d] Cujus rei ratio non ex innovandi tantum, quod plerosque occupavit ſtudio, & cupiditate peculiares ſectas inſtituendi derivanda eſt, ſed & ex diverſis, quos audiverunt præceptoribus. Ariſtippi enim philoſophematis non contenti ad alios quoque dilapſi ſunt, ſicque e. g. Theodorus ad Zenonem Cittiæum & Pyrrhonem, longe alia tradentes divertit; quo factum eſt, ut diverſa dogmata ſyſtemati Cyrenaico, quale illud condidit Ariſtippus, adderentur, quæ ab illo profecta non ſunt. Contulit quoque multum ad incertitudinem hiſtoriæ philoſophiæ Cyrenaicæ, quod Epicureum ſyſtema cum illa confuſum ſæpiuſcule fuerit; cum utraque ſchola voluptatem, diverſa tamen ſignificatione, fine & modo commendaverit. [e] Vt itaque

Sectæque Cyrenaicæ, valde ejus hiſtoria incerta.

t) l. II. ſ. 76. ſeq.

u) Soſicrates tamen apud LAERT. *l. II. ſ. 84.* auctor eſt, Ariſtippum nihil ſcripſiſſe.

x) Allegat LAERTIVS *l. IIX. ſ. 21.*

y) l. II. ſ. 84. Conf. FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. I. p. 787.* LEOPARDVS *l. c.*

z) Paſſim citatur LAERTIO, qui tamen, cum & Xenocratis & Ariſtotelis amores ibi adductos dicat *l. IV. ſ. 19. l. V. ſ. 3.* fraus facile ſe ipſam prodit, ut ſorex. De epiſtolis Ariſtippo tributis idem judicium eſto.

a) Quatuor Ariſtippos nominat LAERTIVS *l. II. ſ. 83.* quibus quinque addit MENAGIVS. Apud PLINIVM tamen *l. XXXV. c. 10.* pro Ariſtippo HARDVINVS legit Ariſto. Inter hos Ariſtippos unus etiam Cyrenis oriundus fuit, Lacydæ diſcipulus, cum noſtro non miſcendus, apud EVSEB. *præp. l. XVI. p. 736.*

b) Metaphyſ. l. II. c. 2. T. II. p. m. 658.

c) IAMBLICH. *de vit. Pyth. n. 267.*

d) Hoc ex dicendis patebit; interim legi poteſt MENZIVS *l. c. p. 80. not. TTT.*

e) Etſi voluptatem finem philoſophiæ conſtituit & Cyrenaica & Epicurea ſecta, diverſo tamen id factum eſt reſpectu, Ariſtippus enim voluptatem in motu, Epicurus in ſtatu finem philoſophiæ moralis poſuit. Vnde & hic aliquot inter ratas ſententias Cyrenaicis oppoſuit, quæ ex horum ſchola lucem accipiunt, qua de re prolixius ſuo loco.

itaque leges hiſtoriæ ſequamur, ea primum expendenda ſunt, quæ Cyrenaicæ ſcholæ tanquam κυρίαι δόξαι, & domeſtica dogmata tribuuntur; & enarranda deinde ea, quæ adjeciſſe ſectatores conſtat.

§. V. Secutus vero eſt Ariſtippus & ſequaces Socratis philoſophandi rationem, & de morali potiſſimum philoſophia ſollicitus fuit, de reliquis, eruditionis tam encyclicæ, [f] quam philoſophicæ partibus, idem ſenſiſſe videtur, quod Socrates ſenſit, cujus hac de re mentem ſupra declaravimus. Quemadmodum enim prudentiſſimus ille morum magiſter omnia ad vitam referebat, nec plus in iis admittendum eſſe ſuadebat, quam ad felicitatem animi vitamque rectam conferre aliquid poſſet; ita nec in ſuperfluis animos detineri voluit Ariſtippus, neque tamen ab iis artibus imparatos philoſophiæ ſtudioſos eſſe debere, quæ ad feliciter & jucunde vivendum pertinerent, ſtatuit. [g] Vehementer itaque improbabat illos, qui encyclicam quidem eruditionem tenerent, philoſophiam vero negligerent, eosque ſimiles eſſe Penelopes procis, ajebat, qui ancillas domina priores habuerint. [h] Ex quo ejus judicio manifeſtum eſt, liberalium artium cultum ita admiſiſſe, ut eſſent ancillæ philoſophiæ, quemadmodum ipſum Ariſtippum elegantioribus humanitatis literis non deſtitutum fuiſſe, ſupra innuimus, & a viro in urbe quidem barbara, ſed ad Græcorum elegantiam & inſtituta compoſita educato, omnino conjici poteſt, & ex argumento librorum qui ei tribuuntur, manifeſte colligitur, cum in iis non tantum ſint philoſophici argumenti ſcripta, ſed & alia, quæ ad humanitatem pertinent. [i] Et ex his dijudicanda ſunt, quæ habet ARISTOTELES, [k] parum tribuiſſe diſciplinis mathematicis. Cum enim earum non ignarum fuiſſe, illa perſuadeant, quæ in naufragio ad littus ejectus de figuris geometricis, quas deſcri-

Partes philoſophiæ quas coluerit?

f) Ἐγκυκλία παιδεύματα, quid ſint, dubius hæret ALDOBRANDINVS *ad h. l.* inductus loco SENECAE *ep. LXXXVIII.* ubi præeunte Poſidonio quatuor artium genera ſtatuit: nempe *eſſe vulgares, ludicras, pueriles & liberales, quas Græci* ἐγκυκλίους *nominant; ſolas autem liberales eſſe, quibus curæ animæ virtus eſt.* Si enim ipſa philoſophia moralis ad liberales artes pertineat, eas non poſſe philoſophiæ opponi. Nodum vir doctus quærit in ſcirpo; Poſidonius enim non de recepta τῶν ἐγκυκλίων ſignificatione loquitur, ſed quibus proprie nomen liberalium artium dandum ſit, quia liberum hominem faciunt. Encyclicas Græcorum, Latinos liberales vocare non negat, ipſe, pueriles nominat. Si itaque ex uſu vocis ſtatuendum eſt, qui in hoc Laërtii loco ab Ariſtippo reſpiciebatur, encyclicæ diſciplinæ ſive liberales artes ſunt, quas liberum ſcire æquum eſt, ut ait TERENT. *Eunuch. Act. III. Sc. 2.* quæque προπαιδεύματα ſunt & præparatio ad philoſophiam; *non quia virtutem dare poſſint, ſed quia animos ad accipiendam eam præparent*, ut ipſe ait, SENECA *l. c.* itaque τὰ ἐγκύκλια μαθήματα συμβάλλεσθαι πρὸς Φιλοσοφίαν dixit CLEM. ALEX. *Strom. l. I. p. 284.* conf. VOSSIVS *de Philologia c. I. §. 4. p. 7.* qui & libro *de philoſophia c. I. §. 1. p. 1.* loca veterum affert, quibus in his non ſeneſcendum eſſe monent.

g) Ideo rogatus, quid honeſtos pueros diſcere oporteat? reſpondit, quæ viris uſui futura ſunt, LAERT. *l. II. ſ. 80.*

h) *Ib. ſ. 79.* Dictum hoc Bioni tribuit PLVT. *de educandis liberis.* Sententiam tamen nobiliſſimam plures, ſi non iisdem verbis, eodem tamen ſenſu dicere potuerunt: eſtque vere Socratica.

i) Certius de hoc judicaremus, ſi Ariſtippi dialogus *de pædia*, quem ei tribuit Laërtius, non periiſſet.

k) *Lib. II. Metaph. c. 2. T. II. p. 658.* contumelia affeciſſe mathematicas diſciplinas; cujus ratio eſt; quia coriariam & fabrilem iis prætulit, ubi de meliori vel deteriori agatur, cum e contrario artes mathematicæ nullam boni vel mali rationem habeant. Ex quibus ſenſu Socratico eum has artes popularibus poſtpoſuiſſe, patet, id eſt, quatenus ad bene vivendum nihil conferunt; namque ita Socratem præcipientem audiverat.

ſcriptas forte viderat, dixit, nec conjectura cl. MENZII [l] omni veriſimilitudine careat: audiviſſe in juventute Theodorum maxima nominis fama artes mathematicas in Ariſtippi patria tum docentem; intelligenda illa ſunt, quæ refert Ariſtoteles in ſenſu Socratico, qui ſubtilitates ad vitæ uſum & commoditatem nihil facientes rejiciebat. De naturalis philoſophiæ ſtudio idem cum Socrate ſtatuiſſe, eo minus mirandum eſt, quo magis ad hunc finem omnem philoſophiæ laborem referebat, ut feliciter homines viverent. [m] De rationalis vero philoſophiæ pretio ab Ariſtippo & ſequacibus ſtatuto veteres diſſentiunt: quidam enim [n] naturalium quidem rerum inquiſitionem Cyrenaicos omiſiſſe, referunt, quod comprehendi non poſſe manifeſte colligerent, logicen vero propter ſummum ejus uſum attigiſſe. Meleager vero atque Clitomachus apud LAERTIVM, [o] eos & phyſicam & dialecticam æque aſpernatos fuiſſe tradunt. Quæ ita tamen conciliari poſſunt, ut dicatur, Ariſtippum & ſequaces rejeciſſe dialecticas contentiones, quales & Eleatici & Megarici circa iſta tempora introducebant, non tamen contemſiſſe omnem ratiocinandi artem, ſed eam potiſſimum excoluiſſe partem, quæ de ſenſationum natura, animique ex his affectionibus, judicio, & criterio doloris & voluptatis, bonique & mali diſcrimine agit, quippe quam ſolam ad moralem philoſophiam aliquid conferre judicabant. Quam rationem poſtea alia & peregrina auxit Theodorus, Ariſtippi junioris diſcipulus, qui Pyrrhonem audivit, & ἀκαταληψίας doctrinam ab eo didicit; ex quo tempore dogma illud in Cyrenaicorum ſchola invaluiſſe videtur, *μόνα τὰ πάθη καταληπτὰ*, ſola ea, quibus afficimur comprehenſibilia eſſe. [p] Quod qua ratione intellexerint, ſi non ipſe Ariſtippus, de cujus hac in re mente non conſtat, certe Cyrenaici Ariſtippi ſequaces, luculenter ediſſerit SEXTVS EMPIRICVS, [q] qui ipſe audiendus, & cum aliis veterum conferendus eſt, ut de rationali philoſophia Cyrenaicorum conſtet.

Canones logici Cyrenaicorum.

§. VI. Ita vero Cyrenaicorum canones logicos eruditiſſimus Scepticus enumerat:

I. Criteria ſive judices veri falſique eſſe affectiones, ſolasque comprehendi, & non eſſe fallaces: eorum autem, quæ movent & efficiunt affectiones, nihil eſſe, quod poſſit comprehendi, neque quod poſſit non fallere. Eadem tradit CICERO; [r] in tactu doloris aut voluptatis Cyrenaicos ſolo putare veri eſſe judicium, quia ſentiatur. Idem viſum quoque Epicureis, [s] quod itaque Cyrenaici teſte LAERTIO, [t] ſuſtulerunt *τὰς αἰσθήσεις ἐκ ἀκριβῶσας τὴν ἐπίγνωσιν*, *ſenſus, quod certam non inferant cognitionem*, non de ſenſibus ipſis accipiendum eſt, quatenus afficiuntur, ſed de opinione

l) l. c. not. BBBB. p. 90.
m) Scripſiſſe tamen librum *περὶ φυλιολογιῶν* refert LAERT.
n) LAERT. *l. II. ſ. 92.*
o) Ibid.
p) Ariſtocles apud EVSEBIVM *l. XIV. c. 7.* LAERT. *l. II. ſ. 92.* PLVT. *adv. Coloten* SEXT. EMPIR. *Pyrrh. hypot. l. I. c. 31. ſ. 55.*
q) Adverſ. mathemat. l. VII. ſ. 191. ſeqq.
r) In Lucullo c. 7. Acad. Q q. l. IV. c. 7.
s) Vid. LVCRET. *l. IV. v. 480. ſeqq.*
t) Lib. II. ſ. 95.

ne & judicio ex eorum perceptione ferendo, quod erroribus obnoxium eſt. "

II. Si itaque apparentia dicantur affectiones, fatendum eſſe omnia, quæ apparent, eſſe vera, & ejusmodi, ut poſſint comprehendi: ſin autem ea, quæ cauſæ ſunt commotarum affectionum appellentur, apparentium nomine; omnia apparentia eſſe fallacia, nec comprehendi poſſe. Solam enim affectionem eſſe, quæ nobis apparet, non rem, quæ eam efficit.

III. Quod eſt extrinſecus movetque ac efficit noſtram affectionem, fortaſſe quidem rem eſſe, nobis autem non apparere.

IV. Ea ratione nos in propriis quidem affectionibus minime errare, illasque poſſe comprehendi.

V. In ſubjecto externo autem errare omnes, nec poſſe comprehendi, cum ad id diſcernendum anima prorſus ſit imbecilla propter loca, propter intervalla, propter motus, propter mutationes, propter alias plurimas cauſas.

VI. Inde nec criterium dari omnibus hominibus commune, poni autem nomina communia judiciis: nam affectiones quidem communi nomine vocari, an autem eodem modo proximus afficiatur, neminem poſſe dicere, ut qui ejus affectionem non percipiat.

VII. Cum itaque nulla ſit in nobis communis affectio, temerarium eſſe, dicere, id, quod mihi videtur, videri etiam vicino.

VIII. Quod autem revera propter diverſas ſenſuum conſtitutiones, non eodem modo & ſimiliter afficiamur, & moveamur, perſpicuum eſſe in iis, qui regio morbo vel ophthalmia laborant, & in iis, qui affecti ſunt ſecundum naturam, illis enim lurida & rubra apparere, quæ aliis ſunt alba.

IX. Affectiones etiam ad fines pervadere. [x]

X. Ex affectionibus alias quidem eſſe jucundas, alias vero moleſtas, alias vero intermedias.

XI. Moleſtas eſſe malas, quarum finis eſt dolor, jucundas autem bonas, quarum finis, qui falli non poteſt, eſt voluptas. Quæ autem ſunt intermediæ, nec bonas eſſe nec malas, affectione inter dolorem & voluptatem media.

XII. Affectiones ergo eſſe omnium judices & fines; has in vita nos ſequi, attendentes evidentiam & jucunditatem: evidentiam quidem in aliis affectionibus, jucunditatem autem in voluptate. [y]

Patet ex hac logicæ Cyrenaicæ delineatione, medios eos inceſſiſſe inter Scepticos & Academicos primos, & ad ſenſationes potiſſimum noſtras, & earum afficiendi modum reſpexiſſe, qua de re recentiores quoque philoſo-

u) Conf. FABRIC. *ad l. c. Sexti p. 409.* not. *R.*

x) Hæc ex morali philoſophia Cyrenaicorum, de qua in ſequentibus, explicanda ſunt. Illi enim duas paſſiones poſuerunt, dolorem & voluptatem, ad quas referuntur ſenſationes omnes, in quibus vel dolor vel voluptas afficit, & de fugiendis atque appetendis monet.

y) LOCKE *de l'entendement l. II. ch. 8. §. 12. ſeqq. p. m. 137. ſeqq.* DE CROVSAZ *Logiques P. I. Sect. I. ch. 2. §. 2. ſeq. p. 15. ſeqq.*

loſophiæ rationalis doctores præceperunt, inter quos Cyrenaicam hanc logicam examinavit vir ſummus CHRISTIANVS THOMASIVS. [z]

Philoſophia moralis Cyrenaicorum.

§. VII. His naturalis ſenſationis regulis inædificavit ſchola Cyrenaica ſyſtema morale, quod voluptatem finem philoſophiæ conſtituit, unde nomen quoque Hedonicorum acceperunt, qui illud ſecuti ſunt. Ceterum & hic præmonendum eſt, nec omnia imputanda Ariſtippo, quæ ſequacibus placuerunt, nec cuncta ad turpes rationes revocanda eſſe, ſed ad naturam potius voluntatis humanæ, animæ & corporis felicitatem quærentis eſſe examinanda, id quod ipſa Cyrenaicæ ſcholæ dogmata evincunt. Pleraque vero, amiſſis Cyrenaicorum ſcriptis LAERTIO [a] debemus, quocum conferenda ſunt veterum teſtimonia paſſim diſperſa, ex quibus hæc ſtatuiſſe Cyrenaicos, colligitur.

I. Duas eſſe perturbationes ſive paſſiones dolorem & voluptatem, voluptatem lenem motum eſſe, dolorem motum aſperum.

II. Nihil differre a voluptate voluptatem, neque aliud alio magis volupe eſſe, atque illam quidem cuncta animantia appetere, dolorem vero reformidare. Maxime notanda hæc propoſitio eſt in dijudicando ſyſtemate Cyrenaico; patet enim ex ea, de naturali voluntatis humanæ ex ſenſationibus oriundæ ſenſu atque inde percepta voluptate & dolore ſermonem eſſe, qualem ſenſum etiam reliqua animantia ſuo modo & gradu poſſident: [b] & in hac ſola ſignificatione una voluptas ab altera non differt, natura modoque, etſi gradu, objecto, fineque differat.

III. Voluptatem vero hic intelligi non ſtantem, id eſt, quæ in tranquillitate & indolentia conſiſtit, qualem Epicurei pro fine habent, ſed moventem, quæ animum atque corpus leniter & dulci ratione commoveat.

IV. Voluptatem corporis ultimum finem hominis eſſe. Hoc quidem non LAERTIVS tantum, ſed & plerique veterum Cyrenaicis tribuunt, utrum vero tam craſſum & philoſopho indignum dogma nude admiſerint, recte quis dubitet. Ariſtippus certe, etſi corporis voluptatibus locum reliquit, ratione tamen eas moderandas eſſe, nec iis cedendum imperium monuit. Quod cum animæ in voluptatem imperium concedat, ſequitur inde, potiorem animæ, quam corporis, rationem in voluptatibus Ariſtippum habuiſſe. Notatque EVSEBIVS [c] Ariſtippum non dixiſſe ipſum quidem, voluptatem eſſe finem, ſed ex eo id collegiſſe ſectatores, quod ſemper de voluptate differuerit.

V. Finem a vita beata differre, finem quippe eſſe particularem voluptatem, beatam autem vitam ex collectione hujusmodi particularium voluptatum exiſtere, quibus & præteritæ connumerentur & futuræ. Particularem quoque voluptatem propter ſe eligendam, beatitudinem non propter ſe, ſed propter particulares voluptates.

VI.

z) Introd. in phil. ration. c. VI. §. 60. ſeqq. p. 78. ſeqq.

a) Lib. II. ſ. 92. ſeqq.

b) Conf. CICERO *de fin. l. V. c. 12, l. II. c. 7.* & ALDOBRAND. *ad l. c.* Laërt.

c) De præp. loco ſupra laudato.

VI. Voluptatem bonam esse, etsi a turpissimis rebus proveniat: licet enim actio in se sit inhonesta, voluptatem tamen in se spectatam & bonam esse & expetendam. Magnam hæc thesis Cyrenaicis conflavit invidiam, quæ tamen luculenter explicat, eos non de eo, quod morale, sed quod naturale est in voluptatibus, locutos esse: hinc ex eo quoque voluptatem finem esse probabant, quod natura hanc nobis a pueris sine institutione conciliaverit, &, cum illa fruimur, nihil amplius quæramus. Naturale vero in homine malum non esse, concludebant.

VII. Indolentiam non esse voluptatem, sed hominis dormientis conditionem, carereque motu, quo tamen voluptas & dolor absolvatur.

VIII. Neque tamen omnes animi voluptates atque dolores ex corporis voluptatibus atque doloribus existere, solam enim patriæ & nostrummet ipsorum prosperitatem voluptatem animis nostris posse afferre. Luculenter hæc quoque demonstrant, non ad solam corporis voluptatem omnia retulisse Cyrenaicos; licet omnino verisimile sit, nullam eos voluptatem admisisse, quæ non in corpore propter arctissimum animæ & corporis connubium sentiatur: unde & ad corporis potissimum sensum in voluptatibus respexisse videntur, quando voluptatem corporis commendarunt. Sed deficientibus sectæ monumentis, ægre certi quid definiri potest, & incertum, an non Epicurei plus Cyrenaicis tribuerint, ut illis eo fortius adversarentur, quam ipsi admiserunt.

IX. Nec tamen ex memoria præteritorum aut expectatione futurorum bonorum perfectam voluptatem existere posse; motum animi enim solvi tempore atque dilabi. Consistere itaque voluptatem tempore præsenti, & esse μονόχρονον, ut est apud ATHENAEVM.[d] Itaque præcipiebant, quod refert AELIANVS,[e] sollicitos mortales neque de præsenti neque de futuro esse debere, constantisque & serenæ mentis argumentum esse, si quis talibus se minus perturbari patiatur. Præsentia enim tantum nostra esse, non vero præterita, quæ jam elapsa, neque futura, quæ incerta sint.

X. Longe præstantiores esse corporis, quam animi voluptates, deterioresque corporis quam animi dolores, quo circa & his peccantes crudelissime exerceantur. Ita quidem, ut & reliqua LAERTIVS,[f] qui tamen, nisi totus falsus est, ea, quæ de sensu voluptatum dixere, ad ipsam voluptatum naturam traxit. Videntur enim nihil aliud voluisse dicere, quam: exquisitiorem sensum habere corporis voluptates, quam animi, magisque afficere corporis dolores, quam animi, propter naturalem animi propensionem in corpus. Proditque Laërtius, ex malo in Cyrenaicos animo hæc profecta esse; addit enim: inde corporis magis quam animæ curam habuisse,[g] quod Aristippi & sequacium historia multis exemplis refutat.

d) *Lib. XII. p. 544.*
e) *V.H. l. XIV. 6.*
f) *Lib. II. s. 90.*
g) Aliter tamen verba Laërtii interpretatur OLEARIVS *ad* STANLEIVM *p. 246.* Patiuntur tamen ejus verba hunc quoque sensum, majus regimen in gubernandis voluptatibus quam doloribus requisivisse. Ipsa verba aliquantum obscura sunt.

XI. Dolorem naturæ noſtræ gravem eſſe, & abhorrere, cui quam maxime conveniat voluptas.

XII. Quandoque repudiandas res voluptati inſervientes, tanquam quæ moleſtiam afferant, ut res difficillima ſit conjunctio voluptatum, qua beata vita abſolvatur.

XIII. Sapientem minime ſemper vivere in voluptate, nec ſemper dolere inſipientem, ita tamen plerumque ſe rem habere. Satis autem eſſe, ſi quis vel per unicam incidentem voluptatem ſuaviter afficiatur. [b]

XIV. Dolorem ſummum malum eſſe, nec omni tamen malo eum excitari, ſed inſperato nec opinato: majoremque penes hos, quam penes alios dolorem eſſe. [i]

XV. Animam ſimul cum corpore pati & una turbari. [k]

XVI. Vitam æque ac mortem eligendam, & utrumque ſapienti indifferens eſſe. [l]

XVII. Natura ſuave vel inſuave nihil eſſe: cæterum propter rerum vel raritatem vel novitatem, vel ſatietatem lætari alios, alios angi.

XIIX. Paupertatem vel divitias nihil ad voluptatis rationem afferre, neque enim exquiſitiore voluptate divites quam pauperes affici. Contradicere ſibi hic videtur LAERTIVS, paulo ſupra Cyrenaicis tribuens: divitias effectrices tantum eſſe voluptatum, non propter ſe expetendas. Sed ut in iſtis, de ipſa voluptatis ratione vel potius ſenſu locutus eſt, ita in his cauſam tantum efficientem notat: & utraque propoſitione divitias a formali voluptatum conceptu removet.

XIX. Omne bonum in voluptate poſitum eſſe, virtutemque ob eam rem eſſe laudandam, quod voluptatem efficiat. [m]

XX. Sapientem ſui ipſius gratia omnia facturum; alium quippe neminem, æque ac ſe, dignum arbitrari: etſi enim magna ab eo videatur conſecutus, non tamen ſua merita æquare. [n]

XXI. Peccata veniam promereri, neque enim peccare ſponte quenquam, ſed aliqua paſſione coactum, neque odio peccantem proſequendum, ſed emendandum eſſe.

XXII. Sapientem non adeo in bonorum electione inhæſurum, ut in malorum fuga; finem conſtituendo, ut neque in moleſtia neque in dolore vivatur.

XXIII. Prudentiam quidem bonum eſſe, non autem propter ſe ipſam appetendam, ſed eorum gratia, quæ nobis ex ea proveniunt.

XXIV. Virtutes quasdam & imprudentibus communes eſſe.

XXV.

b) LAERT. *l. II. ſ. 91.*

i) CICERO *Tuſc. Qq. l. II. c. 6. l. III. c. 13.* LAERT. *ſ. 93.*

k) LAERT. *l. II. ſ. 94.* Patet ex his, Cyrenaicos ad animæ cum corpore unionem mutuumque conſortium in deſcribenda voluptatis natura reſpexiſſe.

l) *Ibid. ſ. 95.*

m) CICERO *Off. l. III. c. 33.*

n) LAERT. *l. II. ſ. 95.*

XXV. Sapientem nunquam invidia laboraturum, neque cupiditati neque ſuperſtitioni unquam ceſſurum, iſta enim ex inani opinione exiſtere. Dolori & metui obnoxium eſſe, hoc enim naturæ legem poſtulare.

XXVI. Amicum neceſſitatis cauſa amplectendum.

XXVII. Corporis exercitationem virtuti acquirendæ conducere. [o]

XXVIII. Nihil natura juſtum eſſe, aut honeſtum ac turpe, ſed conſuetudine ac lege: virum tamen bonum nihil agere perperam ob imminentia damna, opinionesque ſiniſtras evitandas. [p] Peſſime ob hoc dogma plerumque audit [q] ſecta Cyrenaica, quæ craſſo iſto ſcepticiſmo morali ad impietatem viam muniviſſe viſa eſt. Nihil tamen hic ſecure definiendum, cum incertum ſit, quam legem intellexerint, an naturæ vel hominum? certe a naturæ inſtinctu cuncta ad voluptatem referente eoque rationali ſapientis actiones regi ſtatuebant, quæ ipſis φυσικῶς γίνεσθαι [r] ex naturæ lege fieri credebantur. Præter πάθη vero & voluptatis atque doloris ſenſum regulam nullam admiſiſſe ex logicis canonibus ſupra adductis eſt manifeſtum.

§. VIII. Præter eruditionis vitæque elegantiam famæ quoque celebritatem Ariſtippo conciliavit ARETE filia, femina eruditiſſima, & inter mulieres philoſophantes [s] notatu digna. Eam enim parentem, philoſophiam tradentem audiviſſe teſtis eſt LAERTIVS [t] atque CLEMENS ALEXANDRINVS, [u] qui eam albo celeberrimarum doctrina, imprimis philoſophica, feminarum adſcripſit. Ariſtippi quidem ſororem fuiſſe tradit AELIANVS, [x] ſed vel errore deceptum fuiſſe, vel locum in mendo cubare, unanimis veterum conſenſus evincit, qui omnes filiam Ariſtippi faciunt. Optime vero a parente inſtitutam fuiſſe, LAERTIVS [y] refert, teſtatus, ita ab eo exercitio jugi eruditam fuiſſe, ut contemneret, quod eſſet nimium: quæ ſine dubio reſpexit auctor epiſtolæ ad Areten, [z] quæ Ariſtippo falſo adſcribitur, ubi rerum ſupervacanearum contemtus ei vehementer commendatur, & philoſophiæ ſervandæ amor accenditur. Quem muliere philoſophante dignum vitæ curſum recte tenuiſſe, inde colligi poteſt, quod filium, avi nomine, Ariſtippum cognominatum in philoſophia ita inſtituit ſola, ut non ſolum inde μητροδίδακτος [a] vocaretur, maternique amoris ac ſtudii veſtigia exprimeret, [b] ſed & Theodorum, non ignobile, in ſchola Cyrenaica nomen, diſcipulum haberet. [c] Præter filiam Synallum quendam [d] & Antipatrum Cyrenaicum diſcipulos habuit Ariſtip-

Arete.

o) Ib. f. 91. 94. ubi hæc afferuntur.
p) Ibid. f. 93.
q) Vid. PARCKER. *diſſ. I. de Deo ſect. 8. p. 20.* BVDDEVS *de Scepticiſmo morali §. 9. Anal. H. P. p. 218. theſ. de ath. c. 1. §. 6.*
r) LAERT. *l. II. f. 91.*
s) MENAG. *Hiſt. mul. philoſ. §. 61.* qui tamen de ea eſt parciſſimus.
t) Lib. II. f. 86.
u) Lib. IV. p. 523.
x) Hiſt. anim. l. III. c. 40.
y) Τὰ ἄρισα ὑπετίθετο τῇ θυγατρὶ Ἀρήτῃ συνασκῶν αὐτὴν ὑπεροπλικὴν τῶ πλήθους εἶναι. *ib. f. 72.*
z) Epiſt. Socrat. XXVII.
a) Citati. conf. MENAG. *l. c.* ubi plures a matre inſtituti nominantur.
b) THEMISTIVS *Orat. XXI.*
c) LAERT. *l. II. f. 86.*
d) EVSEB. *præp. l. XIV. c. 18.* Aethiopem ex Ptolomaide diſcipulum ejus nominat LAERT. *l. c.* Antipatrum cæcum fuiſſe CICERO *Tuſc. Q q. l. I.* innuit.

Ariſtippus: Antipater Epitimidi, Epitimides Paræbatæ, Paræbates Hegeſiæ & Anniceridi diſciplinam Cyrenaicam tradidit, qui ſectam Hegeſiacam & Anniceriam condiderunt, de quibus jam porro tradendum eſt.

Hegeſias. §. IX. HEGESIAS, quis fuerit, veteres tacent, Paræbatæ in Cyrenaica ſecta diſcipulum fuiſſe, tradit LAERTIVS. [e] Is πεισιθάνατος cognominatus eſt, cujus cauſam nobis ita enarrat CICERO: [f] ſcripſiſſe librum, qui ἀποκαρτερῶν dicebatur, quod in eo a vita quidam per inediam diſcedens, revocatur ab amicis, quibus reſpondens, vitæ humanæ enumerat incommoda, docetque multis mortem nos ſubducere malis, non bonis. Refertque non TVLLIVS tantum, ſed & VALERIVS MAXIMVS: [g] tanta eloquentia valuiſſe, & mala vitæ repræſentaſſe, ut eorum miſeranda imagine audientium pectoribus inſerta, multis voluntariæ mortis oppetendæ cupiditatem ingeneraret: ideoque a rege Ptolomæo ulterius hac de re differere fuerit prohibitus. Et in hoc quoque uno ab Ariſtippo & aliis Cyrenaicis diſceſſiſſe videtur, quod mortem vitæ præferre docuerit: unde & maluimus Diogenem Laërtium, quam STANLEIVM [h] ſequi, reliqua dogmata Hegeſiacæ ſectæ adſcribentem, cum Cyrenaicis communia fuerint. In eo vero alia mens fuit Hegeſiæ. Cum enim Ariſtippus voluptatis quam doloris majorem rationem haberi vellet, & particularem quoque voluptatem ſectandam præciperet, quia difficillimum eſſet, totam, quæ ad vitam beatam pertineret, voluptatum congeriem conſequi: Hegeſias ad dolorem magis removendum, quam voluptatem conſequendam reſpiciens, mortem vitæ præferre non dubitavit, ſecus ac reliqui Cyrenaici faciebant, qui ſapienti eam indifferentem eſſe, [i] ajebant. Cujus rei argumentum ille ex ipſis Ariſtippi rationibus petebat: namque is quoque cum ſequacibus non negabat, eſſe impoſſibile cumulate contingere beatam vitam, corpus quippe multis morbis & paſſionibus affligi, animam ſimul cum corpore pati & turbari: Hegeſias vero inde contrarium illi, quod reliqui concludebant, particularem voluptatem ſectandam eſſe inferebat: cum propter ea vita beata non poſſit obtineri, mortem eſſe eligendam. Mire hic omnia turbata ſunt apud LAERTIVM, [k] qui non ſolum Cyrenaicorum omnium placita cum Hegeſiacis miſcuit, [l] & uno faſce comprehenſas exhibuit, ſed apud quem quoque textus manifeſte corruptus eſt, τήν τε ζωὴν τε, καὶ τὸν θάνατον αἱρετόν, *vitam æque ac mortem exoptabilem & eligendam eſſe.* Hæc enim cum antecedentibus non cohærent, quibus vitæ miſeria deſcribitur & felicitas atque beatitudo obtineri poſſe negatur. Vnde recte & acute MERICVS CASAVBONVS [m] monuit, priora verba τὴν τε ζωὴν, ad ſuperiora pertinere: ὥστε ἀνύπαρκτον εἶναι τὴν εὐδαιμονίαν τὴν δὲ ζωήν· τὸν δὲ θάνατον αἱρετόν. *Cum vitæ felicitas nulla revera ſit, eligendam eſſe mortem, nec indifferenter habendam.* Quæ expli-

e) *loc. cit.* f) *Tuſc. Qq. l. I. c. 34.* k) *Segm. 94.*
g) *Lib. VIII. c. 9.* l) Paſſim ideo doctrinæ Cyrenaicis adſcriptæ ſibi
h) *Hiſt. phil. P. III. p. 256.* contradicunt.
i) LAERT. *ſ. 95.* m) *ad h. l.*

explicatio non ingenio ſolo debetur, ſed ipſam Hegeſiæ doctrinam pro fundamento habet, quem ideo mortem vitæ præferendam efficaciſſima eloquentia ſuaſiſſe, modo diximus, quod innumeris miſeriis & ærumnis eam undique obſeptam quilibet experiretur. Quare diſcedendum a viris doctis eſt,[n] qui communem verborum Laërtii interpretationem ſequuntur.

§. X. Paræbatæ porro diſcipulus fuit ANNICERIS Cyrenæus, cujus tamen notitia apud veteres, imprimis LAERTIVM & SVIDAM, non ſatis diligentes & accuratos ſcriptores, valde obſcurata eſt. Anniceridem enim Cyrenaicum Platonem Dionyſii juſſu Aeginæ inter mancipia vendi juſſum, redemiſſe & amicis reſtituiſſe refert LAERTIVS,[o] eumque in regendo curru fuiſſe exercitatiſſimum, ideo tamen correptum a Platone tradit AELIANVS,[p] quem cum ſectatore Paræbatæ eundem eſſe diſerte tradit LAERTIVS,[q] & hunc exſcribens SVIDAS.[r] Temporum vero rationes aperte repugnant. Platoni enim Ariſtippus coævus fuit, adeoque & Anniceridi huic; Ariſtippum, filia, hanc nepos Ariſtippus, eumque Antipater, Antipatrum Epitimedes, & hunc Paræbates, Paræbatam demum Anniceris audivit; ex qua ſcholæ Cyrenaicæ ſucceſſione luce meridiana clarius eſt, multis annis juniorem hunc illo eſſe, rectèque duos Anniceridas ſtatui: ſive corruptus textus fuerit, & a ſciolo ex margine in textum additum illud gloſſema apud Laërtium & Suidam, ut vult MENAGIVS,[s] ſive ipſum Laërtium memoria deceperit, id quod ſæpius ei contigit: quem ſecutum eſſe Suidam nemo mirabitur, cui negligentia ejus nota eſt. De hoc juniore vero Anniceride ita SVIDAS:[t] fuiſſe Epicureum philoſophum, quamvis eſſet diſcipulus Paræbatæ, qui Ariſtippum audivit. Habuiſſe fratrem Nicotelem philoſophum: ipſius vero diſcipulum fuiſſe illuſtrem Poſidonium. Ab eo ſectam Anniceriam nomen tuliſſe, & vixiſſe ſub Alexandro. Nec valde diſſimilia ſunt Epicureis ea, quæ ſectæ Anniceriæ tribuit LAERTIVS:[u] amicitiam relinquendam in vita & gratiam, honoremque adverſus parentes, præclaraque pro patria facinora: Sapientem, quamvis moleſtias ſubeat, atque labores, beate victurum nihilo minus, etſi minimum ei fuerit voluptatis: Amici felicitatem non per ſe expetendam, ſed aſſuefaciendum animum propter congenitam ei pravam diſpoſitionem, ut ne propter emolumenta tantum noſtra amicum ſuſcipiamus, iisque deficientibus ab ipſo diſcedamus, ſed ex benevolentia quadam, ob quam labores quoque non vereamur, ejus cauſa ſuſcipiendos. Quamvis enim ultimus finis in voluptate conſtituendus ſit,[x] eaque privati doleamus, amicorum tamen gratia labores, quibus carere alias poſſemus, ſubeundos eſſe. Ex quibus patet, ad animi potius voluptatem, quam corporis reſpexiſſe, & tranquillitatem

Anniceris.

n) STANLEI. *l.c.* STOLL. *Hiſt. phil. mor. gent. §. LIII. p. 64.*
o) l. III. ſ. 20.
p) V. H. l. II. c. 27.
q) l. II. ſ. 87.
r) In *Ariſtippus T. I. p. 324.* Hos ſequitur STANLEIVS *P. III. p. 256. 257.*
s) ad l. c. Laërtii, quem ſequitur KVSTERVS *ad l. c. Suidæ.*
t) In *Anniceris T. I. p. 209.*
u) l. II. ſ. 96.
x) Conf. CICERO *de Offic. l. III. c. 33.*

tatem ejus potius, quam jucundum voluptatis ſenſum, more Epicureo eum reſpexiſſe. Ceterum Suidæ ἀνισοχρησίαν merito mireris; qui ſub Alexandro vixiſſe & tamen Poſidonium habuiſſe diſcipulum, Epicureum quoque fuiſſe Annicerin ait. Nam neque Epicurus ante Alexandri M. mortem ſcholam erexit, & Poſidonius, ultimus ex Stoica ſchola plurimis annis his inferior Ciceronis præceptor fuit, uti ſuo loco dicetur. Vnde conjiciendum eſt, Suidam indiligentiſſimum ſcriptorem, deceptum ſimilitudine dogmatum Anniceridis & Epicuri & more ſuo de temporum rationibus non cogitantem hæc inter ſe confudiſſe. [y]

Theodorus atheus.

§. XI. Magnam vero ignominiam ſcholæ Cyrenaicæ contraxit THEODORVS, dictus ATHEVS, qui peculiarem ſectam condidit, quæ Theodoria ab illo appellata eſt. [z] Audivit is Anniceridem, & Dionyſium dialecticum, Zenonem Cittieum, & Pyrrhonem ephecticum; immo Ariſtippum quoque juniorem, & Bryſonem inter ejus præceptores refert SVIDAS, e quorum tamen numero Socratem, quem alio loco addit, [b] eximendum eſſe, temporum rationes evincunt. Calluiſſe itaque philoſophorum doctrinas Theodorum dubium non eſt, qui cum Pyrrhonem quoque magiſtrum adhibuiſſet, de theologia Græcorum & philoſophorum quoque dubitare cœpit; librumque ſcripſit, in aliquot volumina diviſum, quibus omnia, quæ contra urgeri ſolent, refutavit. Et hæc ei ratio ignominioſum athei nomen peperit, quod poſtea, arguto quodam Stilponis ſophiſmate occaſionem præbente, in Θεὸς mutatum eſt. [a] Peſſimam vero iſta libertate dicendi & philoſophandi ſcenam ſibi inſtruxit. Cyrenæi enim eum relegarunt, quos amare riſit, ex Libyæ deſertis in Græciam cultiſſimam expellentem. [c] Inde Athenas delatus Areopagi judicio obnoxius ad mortem damnatus fuiſſet, niſi Demetrii Phalerei, tum inter Athenienſes potentiſſimi, auxilio evaſiſſet. Inde quoque ejectus ad Ptolomæum Lagi ſe contulit, apud quem moratus, legatique munus ad Lyſimachum defunctus eſt, quem oris libertate iratum ſecure & cum riſu contemſit. [f] Tandem lege eum damnatum ob atheiſmum hauſto veneno periiſſe Amphicrates apud LAERTIVM [g] auctor eſt. Fecere hæc viri fata, ut recentiori ætate de atheiſmo Theodori diſputaretur. Etſi enim certum eſt, atheiſmi eum non accuſatum tantum, ſed & damnatum eſſe, quod contra Deos diſputaverit, & argumenta pro eorum exiſtentia refutaverit; nondum tamen inde ſequitur, eum reipſa fuiſſe atheum. Socratis enim exemplo conſtat, habitos fuiſſe pro atheis inter Græcos omnes illos, qui a dominante, quod ajunt, religione diſſentirent, & nugivendulam Græcorum ſacerdotum theologiam improbarent. Et talem quoque Theodorum fuiſſe, viris quibusdam doctiſſimis

y) Quod ſi ſub Alexandro vixit, Ariſtoteli coævus fuit, quod tamen temporis ſeries & ſucceſſio ſcholæ Cyrenaicæ vix patitur. Vnde quam exigua fides Suidæ ſit, patet.

z) LAERT. *l. II. ſ. 98.* SVIDAS v. *Theodorus T. II. p. 175.*

a) *l. c.*

b) In *Socrates T. III. p. 353.*

c) *librum* nominat Laërtius, *libros* Suidas, qui ita facile conciliari poſſunt.

d) LAERT. *l. II. ſ. 102.*

e) *ibid. ſ. 101.*

f) *ib. ſ. 102.*

g) *ib. ſ. 101.*

mis placuit, qui Deos eum tantum Græcorum oppugnaſſe contendunt; [b] quibus tamen adverſantur alii, qui Theodorum apertæ impietatis reum agere non dubitant. [i] Et difficile quoque eſt in hac quæſtione ſententiam dicere; cum non tantum humani ingenii inter luxuriantes Græcos protervia & audacia etiam adverſus Deos pluribus exemplis conſtet; ſed & zelus ſacerdotum contra philoſophos, ſuperſtitionem & idololatriam abſurdiſſimam publice & incaute rejicientes plurima nobis ſpecimina perſecutionum exhibuerit: ipſa vero Theodori ſcripta hodie non extent; unde tutiſſimum putamus, in hac quæſtione vel affirmanda vel neganda cohibere judicium. Neque tamen tacendum eſt, ſi conjecturis rem agere liceat, militare quædam pro Theodoro, quæ veriſimiliter perſuadent, non tam ipſam numinis exiſtentiam illum negaſſe, quam gentilium Deos riſiſſe atque oppugnaſſe: forte etiam providentiam Dei ſuſtuliſſe, eumque ex mundi hujus ſphæra quaſi removiſſe. Cujus conjecturæ fundamentum exhibet LAERTIVS, [k] qui omnes quidem generis de Diis opiniones rejeciſſe fatetur, ait vero, librum ejus de Diis offendiſſe non contemnendum, ex quo Epicurus pleraque deſumſerit. Epicurus vero Græcanicam quidem theologiam ſusque deque habuit, & providentiam quoque negavit, relegatis quaſi Diis in extramundana ſpatia: Dei tamen exiſtentiam adeo non negavit, ut eam ex anticipata potius omnium hominum notione demonſtraret, longeque feliciſſimam & tranquilliſſimam Deorum vitam eſſe aſſereret, iisque pura mente ſerviendum eſſe præciperet. Talia cum ex Theodori libro ſumſerit, atheus is dici non poteſt, qui omnem numinis exiſtentiam negaverit. Frigidumque prorſus eſt, quod excipiunt viri magni ISAACVS CASAVBONVS, [l] & IO. FRANCISCVS BVDDEVS, [m] Epicureum hominem, qualem Laërtium putant, ex affectu in magiſtrum benevolo ita judicaſſe; non contemnendum Theodorum librum de Diis ſcripſiſſe, quoniam ille liber fons fuerit, unde ſcaturierit, quicquid Epicurus de Diis blateravit. Non enim hic de Laërtii judicio agitur, [n] ſed, an Theodorus omnem numinis exiſtentiam negaverit, cum tamen theologiæ Epicureæ fons ejus liber fuerit, quod ægre quemquam affirmaturum eſſe putamus, niſi voce atheiſmi ludat. Auget hanc conjecturam & mirifice confirmat non SEXTVS tantum EMPIRICVS, [o] qui Theodorum jungit Evemero, aliisque, qui aſſeruerunt, *τὲς νομιζομένες Θεὲς δυνατές τινας γεγονέναι ἀνθρώπες*, *eos, qui pro Diis habeantur, potentes fuiſſe homines*, ex quo loco recte id conficitur, Deos eum inter Græcos receptos, quique pro Diis haberentur, veriſſima ſententia pro magnis & potentiſſimis antiquiſſimi temporis viris habuiſſe, & de Græcorum tantum numinibus diſputaviſ

b) VOSSIVS *de idolol. gent. l. I. c. 1. p. 2.* MICH. MOVRGES *Plan de Pythagor. T. I. ep. 3. p. 96.* REIMMANN. *Hiſt. Atheiſmi c. XXIV. §. 3. p. 174. ſeq.*

i) PARCKER. *de Deo diſp. I. ſ. 7. p. 19.* GASSENDVS *Synt. phil. Epic. P. II. ſ. 1. c. 3. p. 173.* BAYLE *Dict. T. I.* art. *Bion.* BVDDEVS *theſ. de atheiſmo c. I. §. 17.* STOLLIVS *Hiſt. phil. mor. gent. §. LV. p. 65.*

k) *l. II. ſ. 97.*

l) *ad l. c. Laërt.*

m) *l. c.*

n) Neque certum eſt Laërtium fuiſſe Epicureum, uti ſuo loco demonſtrabitur, neque benevolo ſatis animo is in Theodorum fuit, uti videre eſt *l. IV. ſ. 52.*

o) *l. IX. adv. mathemat. ſ. 51.*

ſe;[p] ſed & CLEMENS ALEXANDRINVS,[q] qui *ſe valde mirari*, ait, *quonam modo Evemerum Agrigentinum & Nicanorem Cyprium & Diagoram, & Hipponem Melium & illum poſt hos Cyrenæum, cui nomen erat Theodorus & multos alios, qui moderate ac continenter vixerunt, & reliquis hominibus acrius hunc de Diis iſtis* (gentilium), *errorem perſpexerunt, impios & ἀθέους cognominarint, etiamſi veritatem ipſam non conſideraverint, ſed errorem tamen certe ſuſpicati fuerint.* Ex utroque enim loco ſatis apparet, Theodorum gentili theologiæ bellum indixiſſe, licet, quæ de Diis ſentienda ſint, ipſe non definiverit, id quod & STRABO teſtatur, *ſectam Theodoriam res graviores tractare, quam ut vellet ipſe de Diis ullam in partem pronuntiare.*[r] Quæ ſi rite teneantur, parum ponderis habent, quæ pro accuſando Theodoro afferuntur EPIPHANII,[s] LACTANTII,[ff] & MINVCII FELICIS,[t] teſtimonia, quos viros laudatiſſimos in ejusmodi argumenti genere non ſemper verſatos fuiſſe accurate, ſatis notum eſſe putamus. Quod ſi hæc ad excuſandum Theodorum non ſufficiunt, quia de genuina ejus de Diis ſententia non conſtat, confirmant tamen eam ſententiam, quæ τὸ ἐπέχειν commendat. Scripſit varia tum de ſuis dogmatibus, tum de aliis. Theodoros vero alios & in his Cyrenaicum geometram, Platonis præceptorem, vel Byzantinum, oratorem celebrem, cave, cum noſtro confundas. [u]

Evemerus.

EVEMERVS ille, veteribus paſſim memoratus patria quis fuerit, incertum, alii enim ex Sicilia Meſſenium, alii Agrigentinum, alii Tegeaten faciunt. Floruiſſe temporibus Caſſandri F. Macedoniæ regis, ex eo patet, quod gratiſſimus ei fuit, ejusque auſpiciis & voluntate itinera longinqua in Oceanum meridianum ſuſcepit, inſulam præcipue Panchajam perluſtravit, ibique Iouis Triphylii columnam vidit, & inſcriptas ei res illius DEI geſtas legit,[x] & quæ afferunt VOSSIVS,[y] HIER. COLVMNA,[z] BENTLEIVS,[a] & FABRICIVS.[b] Scripſit is libros ἱερᾶς ἀναγραφῆς ſive *ſacræ hiſtoriæ*, veteribus, imprimis priſcæ eccleſiæ doctoribus valde memoratos, ſed injuria temporis deperditos, præter fragmenta quædam ab Ennio verſa, quæ collegit illuſtriſſimus COLVMNA.[c] Argumentum libri ita enarrat TVLLIVS:[d] *Quid? qui aut fortes & claros aut potentes viros tradunt poſt mortem ad Deos perveniſſe, eosque eſſe ipſos, quos nos colere, precari, venerarique ſoleamus, nonne expertes ſunt religionum omnium? quæ ratio maxime tractata ab Evemero eſt, quem noſter & interpretatus & ſecutus eſt, præter ceteros, Ennius. Ab Evemero autem & mortes & ſepulturæ demon-*

p) Diſerte id *ſ.* 55. ait SEXTVS eum τὰ παρὰ τοῖς Ἕλλησι θεολογούμενα ποικίλως ἀνασκευάσαι.
q) *Protrept. p.* 24.
r) Conf. CASAVBON. *l. c.*
s) *Expoſ. fid. Op. T. I. p.* 1089.
ff) *l. I. c.* 12.
t) In *Octavio c. VIII.* addendi CICERO *de nat. Deor. l. I. c.* 14. PLVTARCH. *de plac. philoſoph. l. I. c.* 7.
u) LAERT. *l. II. ſ.* 104. viginti nominat de oratore vid. FABRIC. *Bibl. Græc. Vol. IV. p.* 484.
x) Vid. EVSEB. *præp. l. II.*
y) *de Hiſt. Græc. l. I. c. II. p.* 70.
z) *in fragmentis Ennii p.* 312. *ſeq.*
a) *ad Callimachum p.* 340.
b) *ad Sext. Emp. p.* 552.
c) *l. c.*
d) *de nat. Deor. l. I. c.* 42.

monſtrantur Deorum. Idem fere repetit PLVTARCHVS [e] *eum illos, qui Dii exiſtimantur, univerſos æqualiter expunxiſſe, & ad nomina priſcorum imperatorum, & regum detorſiſſe deſcripta aureis literis in Panchæa.* Offendiſſe hunc Evemeri librum gentiles, nemo mirabitur, jugulum enim petebat totius theologiæ gentilis, quæ ita ad abominabilem ſuperſtitionem excrevit, ut ſupra in hiſtoria theologiæ barbaricæ atque Græcæ demonſtravimus. Inde variis modis in Evemerum inſurrexerunt ſcriptores veteres. Quidam enim & in his PLVTARCHVS [f] fidem ejus in dubium vocant, & Panchæam inſulam non eſſe contendunt; vel cum CALLIMACHO [ff] negant Iovis ſepulchrum, ad quod provocat, Cretæ eum vidiſſe. Plerique vero omnis religionis & pietatis hoſtem audaciſſimum eſſe, clamitant, & inter atheos primi nominis referunt, qua de re ne longi ſimus, præter loca a COLVMNA [g] præfixa, videndi SEXTVS EMPIRICVS & CLEMENS ALEXANDRINVS. [h] Ad quorum tamen argumenta facile reſponderi poteſt, ſi hoc unum obſervetur, non ideo omnis religionis & pietatis hoſtem eum dici poſſe, qui origines idololatriæ detegit, præcipue cum hiſtoriæ veritas Evemeri partes juvet. Gentiles vero ſcriptores ita de Evemero judicaſſe nec mirum eſt, & quam miſere & ſine fundamento id factum, facile intelligi poteſt. [i] Nos, qui hiſtoriam atheiſmi non ſcribimus, in adducendis veterum de Evemero teſtimoniis & excutienda eorum fide non commoramur; illud modo addimus, quod a cl. Zimmermanno prætermiſſum eſt, AELIANVM. [k] Evemerum inter eos numerare, qui in dubium vocaverint: ſintne dii nec ne? & curentne res humanas, an non? Et confirmare id THEOPHILVM ANTIOCHENVM. [l] *Impuriſſimum Evemerum cum plurima de Diis auſus fuiſſet proponere, poſtremo Deos prorſus e rerum natura ſuſtuliſſe, & omnia αὐτοματισμῷ per motum ſibi inſitum adminiſtrari.* Hæc ſi vera ſint, conclamatum omnino eſſet, de Evemero ab atheiſmi crimine purgando. Sed non ſine cauſa ſuſpecta ſunt hæc teſtimonia. Patet enim ex CLEMENTE ALEXANDRINO. [ll] Evemerum inter eos fuiſſe, qui ob rejectam ſuperſtitionem & idololatriam ſine ratione inter atheos relati ſunt. Quod non ſcripſiſſet eruditiſſimus doctor, ſi ad tam apertam impietatem Evemerus proceſſiſſet. Idem de LACTANTIO [m] MINVCIO FELICE [n] aliisque Eccleſiæ veteris doctoribus judicium eſto. Vnde non injuſta naſcitur ſuſpicio, gentiles ſacerdotes, quorum vineta cædebat Evemerus, irritatos, cum religionem publicam ab eo traduci & ad figmenta humani ingenii referri viderent, hoc quaſi conſequens ex ejus libro derivaviſſe, & accuſaviſſe eum, quod omnem numinis

e) *de Iſide & Oſir.*
f) *l. c.* *ff*) *l. c.*
g) *l. c.*
h) *ll. ſupra citatis.*
i) Qua de re conſuli velimus, eruditiſſimi IO. IAC. ZIMMERMANNI amici noſtri elegantiſſimam *epiſtolam ad Nic. Nonnium, qua Evemerum Meſſenium & Diagoram Melium ab atheiſmo contra Plutarchum aliosque defendit*, quæ inſerta eſt *Muſeo Hiſt. Phil. Brem. Vol. I. P. IV. art. 3. p. 714. ſeqq.* quæque ſpecimen eſt apologiæ virorum doctorum atheiſmi accuſatorum, quam diu jam molitur.
k) *V. H. l. II. c. 31.*
l) *ad Avtolyc. l. III. p. 292. ſeq.* ed. Wolf.
ll) *loc. ſæpius citato.*
m) *l. I. c. 11. 13.* *n*) *c. XI.*

minis exiſtentiam & providentiam negaviſſet. Rejectis enim numinibus ſuis rejici religionem ipſam & negari divinam providentiam credebant, & credi ab aliis illorum intererat. In ejusmodi accuſationes incidens Theophilus, ut fuere PP. in examinanda Græcorum fide ſatis negligentes, magnam impietatem detexiſſe ratus, Evemerum inter apertos numinis hoſtes collocare non erubuit. Quod certius liceret definire, ſi utiliſſimus in philoſophiæ hiſtoria liber extaret. Quo dum caremus, conjecturis agendum eſt: quas qui rejicit, hoc ſane concedat, oportet, in decernenda de Evemeri atheiſmo ſententia, judicium eſſe cohibendum.

Philoſophia Theodori.

§. XII. Philoſophiæ moralis, qualem tradidit Theodorus, hæc nobis præcepta ſervaverunt veteres: [o]

I. Finem eſſe gaudium & mœrorem, alterum ob prudentiam, alterum vero ob imprudentiam.

II. Bonam eſſe prudentiam atque juſtitiam, malos vero contrarios habitus, media voluptatem atque dolorem.

III. Amicitiam neque in ſapientes neque in inſipientes cadere; in his enim amicitiam perire, cum ea uti neſciant; illos vero, cum ſibi ipſis ſufficiant, amicitia non indigere.

IV. Rationi conſentaneum eſſe, prudens vir ut ne ſibi mortem pro patria arceſſat; neque enim fas eſſe, perire ſapientiam, ut ſtultis bene ſit.

V. Patriam eſſe mundum.

VI. Nihil natura turpe eſſe, ſi auferatur vulgaris opinio, quæ ad continendos ſtultos conflata eſt, hincque furto quoque & adulterio & ſacrilegio, cum tempeſtivum ſit, daturum operam ſapientem, publice quoque absque ullo pudore ſcortis congreſſurum. Ita quidem LAERTIVS, [p] qui etiam addit, abſurdis quibusdam argutiis, in quibus multum valuiſſe dicitur, propudioſam hanc licentiam defendiſſe. Putatque MENAGIVS, [q] ipſo facto hanc doctrinam expoſuiſſe Theodorum, cum apud Lyſimachum ab Hipparchia Cratetis uxore ſophiſmate impetitus pallium ei detraheret, ut, qua parte mulier erat, conſpiceretur, ut eſt apud LAERTIVM. [r] Neque tamen hæc quoque extra dubitationem ita poſita ſunt, ut non juſta enaſcatur ſuſpicio, Theodoro atheiſmi impietate infami ex doctrinis moralibus, quas profitebatur, hæc quaſi conſectaria affricuiſſe genus irritabile vatum, & ut ſpeciem accuſationi conciliaret, quod invidiæ argumentum erat philiſopho tribuiſſe. Quod ne ſola conjectura ducti dicere videamur, etſi illa cauto cuilibet ex ſolis omnis fere ætatis exemplis in ejusmodi re enaſcitur; cogitari volumus, diverſiſſima veterum narrata, de mente Theodori circa rerum, quam dicunt moralitatem. SVIDAS [s] enim ei tribuit, indifferenter eum res omnes habuiſſe, LAERTIVS [t] vero ad δόξαν, ſive opinionem (ens morale, Scholaſticorum more, diceres, τῇ φύσει enim opponitur) cuncta

o) LAERT. *l. II. ſ. 98.*
p) *ib. ſ. 99.*
q) *ad l. c. Laërt.*
r) *l. VI. ſ. 97.*
s) In *Socrat. l. c.*
t) *l. c.*

cuncta reduxiſſe, quæ opinio ab Archelai & Ariſtippi mente, omnem moralitatem ad legem & inſtituta referente, prope abeſt; nec prudentia atque juſtitia ſine his conſtare poſſunt, quas tamen ſolas bonas eſſe Theodorus affirmavit; Phavorinus autem apud STOBAEVM [u] honeſtum habuiſſe, ait, Theodorum, pro ſolo bono, turpe pro ſolo malo, reliqua ſapienti indifferentia eſſe. Ex quibus ſi non certa conſequentia deduci poteſt, rerum moralium honeſtatem atque turpitudinem, quacunque ex norma ea proveniat, Theodorum agnoviſſe, illud tamen non ſine veriſimilitudine infertur, non omne honeſti atque turpis diſcrimen ſuſtuliſſe, & inter criminationes inimicorum referenda eſſe, quæ illi tribuuntur, extremæ impudentiæ dogmata. Nec quæ apud Lyſimachum inter Theodorum & Cratetis uxorem facta ſunt, pudoris oblitum impudicumque animum prodidiſſe innuunt. Nihil enim aliud narrat Laërtius, niſi hoc, virilem habitum, quem philoſophorum more geſtabat Hipparchia, ei detraxiſſe, & ad telas eam remiſiſſe, atque oſtendiſſe ita, eſſe mulierem. Nihil hic de nuditate revelata, quam ſi oſtendiſſet Theodorus, addidiſſet Laërtius, ut alibi [x] ſolet, ἀνεσυράμενος δ' αὐτῆς ἱμάτιον, ἔδειξεν πότερον γυνή ἐστιν ἢ ἀνήρ. Sed ponamus, ſublato pallio nudam oſtendiſſe mulierem philoſopham, non hoc fecit ad fovendos impudici animi ignes, ſed ut mulierem Cynicam, moribus ejus non repugnante ratione confunderet, & in ruborem daret. Pleræque vero ejusmodi narratiunculæ caute audiendæ & legendæ ſunt, cum ſolenne olim fuerit, philoſophos ejusmodi fabulis traducendi & vulgus riſui exponendi : cujus rei exempla pluſcula in hiſtoria Cynicorum deprehendemus, & ſpecimina ejus rei haud pauca nobis exhibent Athenæus & Lucianus, acerbi philoſophorum irriſores.

§. XIII. Inter ſectatores Theodori BION, patria BORYSTHENITA ingenii optimi, religionis atque pietatis peſſimæ famam conſecutus eſt. [y] Parentibus ortus ignobilibus, patre liberto, matre ex lupanari, familia ob facinus venundata; ab oratore quodam emtus poſt fata hæres inſtitutus eſt, cujus ille libris crematis atque diſcerptis Athenas conceſſit, ibique ad philoſophiam animum applicuit, quæ de ſe ipſo narrat apud LAERTIVM. [z] Cratetem initio audivit Academicum, hac vero repudiata ſecta, pallium & peram arripuit & Cyniſmo ſe addixit; poſtea, cum Theodorum videret omnis generis eruditionem diſcipulos docentem, eum ſecutus eſt, ſectæque Theodoriæ nomen dedit. Poſtremo Theophraſtum quoque Peripateticum audivit. [a] Et ex diverſis his ſectarum ſtudiis variæ quoque animæ qualitates exortæ ſunt. Ingenium enim verſatile, & callidum, quo philoſophiam exagitantibus [b] plurimum adjumenti attuliſſe LAERTIVS ait, Academicis

Bion Boryſthenites.

u) Conf. cel. STOLLIVS *Hiſt. phil. mor.* § *LV. p. 66.*

x) *l. II. ſ. n6.* qui locus ad Theodorum quoque noſtrum pertinet *l. VI. ſ. 46.* & MENAGIVS *ad hæc loca.*

y) Vid. LAERT. *l. IV. ſ. 46. ſqq.* ex recentioribus STANLEIVS *Hiſt. phil. P. III. p. 260. ſeqq.* BAYLE *Dict. T. I.* art. *Bion p. 566.* qui proixus fatis eſt.

z) *l. c.*

a) *ib. ſ. 51.*

b) Male apud STANLEIVM *l. c.* eſt *excolentibus*, Laërtius καθιππάζεσθαι τῆς φιλοσοφίας habet.

cis diſputationibus acuiſſe: conſtantiam vero mentis omnis paſſionis expertem Cyniſmo deberi; morum & habitus quoque magnificentiam, quam abjecta Cynicorum ſorditie ſequebatur, Theodoriis acceptam referendam eſſe dubium non eſt. Et ex Academia quoque ſecta ſophiſticum diſputandi artificium, acuta vero & multo ſale ſatyrico condita dicta, [c] ex Cynoſarge deducenda ſunt. Apud Antigonum Macedoniæ regem in gratia fuit, cui genus & patriam, atque parentes magna cum libertate & ſine pudore enarravit: unde colligitur, circa Olymp. CXX. vixiſſe. Eleganter non tantum & acute, ſed & prudenter multa dixit, unde de ejus philoſophia morali judicium aliquo modo fieri poteſt. Inter multa enim, quæ notavit LAERTIVS, [d] hæc quoque ſunt: pulchritudinem eſſe alienum bonum; magnum malum eſſe, ferre non poſſe malum; animi elationem profectus in virtute eſſe impedimentum; avarum nummos non habere, ſed ab iis haberi; fortitudinem juvenes, prudentiam ſenes exercere, tantum vero a ceteris virtutibus prudentiam differre, quantum viſum a reliquis ſenſibus. Impietatem [e] fiduciæ eſſe ſociam. Amentiam eſſe proficiendi impedimentum; ſervos bonos liberos eſſe, at ingenuos, mali qui ſint, ſervos eſſe cupiditatum maximos; avaritiam omnis mali eſſe metropolin: ridiculos eſſe qui divitiis ſtudeant, eas enim porrigere fortunam, avaritiam ſervare, benignitatem diſſipare.[f] Maculam tamen haud levem adſperſit famæ, non tantum reprehendendo Socratem, quod Alcibiade abſtinuerit, quo opus tamen haberet, [g] ſed etiam impietate & atheiſmo præceptorem Theodorum ſuperando, in quo tamen inconſtantiam miram in morbo, quem mors ejus Chalcide ſecuta eſt, prodidiſſe dicitur. Cum enim ſumma inopia eorum, quibus opus eſſet ægroto, premeretur, donec ex familia ſua duos ſervulos mitteret Antigonus, ipſeque in lectica ſequeretur; in anilem ſuperſtitionem ajunt delapſum ligaturas ſibi paſſum eſſe applicari, & impietatis in Deos pœnitentiam egiſſe, quam in rem eleganti epigrammate in eum luſit LAERTIVS, [h] quo inter alia ita:

Tellus Scytharum quem dedit Bion Boryſthenita
Dixiſſe fertur quod Dei ſint umbra ſintque fumus.

Neque tamen & hæc ſuſpicione carent invidiæ, qua Theodoria ſecta preſſa eſt; non enim ea tantum, quæ de virtute præcepit, talia ſunt, ut cum laudato puerorum amore non conſiſtant, & fortaſſe ex Cyniſmo ei macula illa hæſit, quem iſto potiſſimum opprobrio, quod maſculam venerem permitteret, exagitatum fuiſſe, ſuo loco docebitur: ſed & atheiſmus ille aliis argumentis, quam vulgi rumoribus, quibus tribuit LAERTIVS, probandus eſt: faci-

c) *Hic delectatur Iambis*
Ille Bioneis ſermonibus & ſale nigro
HORAT. *l. I. ep. II. v. 59.*

d) *l. c. ſ. 47. ſeqq.*

e) MENAGIVS ex PLVT. *de inſtit. puer.* reponit δυσγένειαν quod placet quoque OLEARIO *ad* STANLEIVM *l. c. p. 261.* Lectionem tamen receptam ferri quoque poſſe, oſtendit MER. CASAVBON. *ad h. l.* qui videndus.

f) STOBAEVS *Serm. CCXXXIII. p. 769.*

g) LAERT. *l. c.*

h) *ibid.*

facileque ex eo, quod coram imperitis de Diis loqui noluit,[i] exſculpi potuit, quam ei prudentiam Theodori præceptoris exemplum commendavit; Vnde & hic quoque de atheiſmo Bionis malumus ἐπέχειν, quam fidentius pronuntiare, licet exemplis non careat, atheos impudentiſſimos morti proximos ad ſimilem ſuperſtitionem fuiſſe delapſos.[k] Plures inter veteres memorantur hujus nominis,[l] inter ſe non confundendi, inter quos unus fuit ex Democriti familia, Abderita mathematicis artibus deditus, qui Attica pariter dialecto ſcripſit & Ionica, primusque dixit eſſe partes orbis habitabilis, in quibus ſex menſibus dies, totidemque nox perpetua obtineat. Sic & Bias cum Bione miſcendus non eſt; illius enim, non hujus dilemma iſtud eſt, de non ducenda uxore ſive pulchra ſit, ſive deformi, licet Bioni tribuat PLVTARCHVS.[m]

§. XIV. Et hi quidem celebriores philoſophi ſunt, quos ſchola Cyrenaica ab Ariſtippo excitata tulit; dubium vero non eſt, alios quoque ei nomen dediſſe, ignobilioris famæ, & hinc veteribus prætermiſſos. Mature tamen Cyrenaica ſchola deſiiſſe videtur; cujus cauſam conjicimus, partim quod extra Græciam, quæ ſola Muſarum ſedes fuit, fuerit condita; partim quod abuſu doctrinæ de voluptate[n] & atheiſmi imputatione infamis fieret & periculoſa; partim quod Epicurea ſecta voluptatis doctrinam ad habitum magis philoſophicum & honeſtiorem revocaret, unde & Cyrenaicorum poſt Epicuri tempora mentio non fit. Refert quidem LAERTIVS,[o] Dionyſium Heracleoten, a mutatione ſectæ, Metathemenon dictum, a Stoica ſecta ad Cyrenaicam defeciſſe, quod ἀπάθειαν Stoicorum falſam eſſe, excruciatus oculorum doloribus ſenſiſſet, ideoque voluptatem pro fine & bono ſummo habuiſſe: recte vero ex Luciano monuit MENAGIVS,[p] quocum conferendus eſt IONSIVS,[q] potiori jure adſcribendum eſſe Epicureis.

Cyrenaicæ ſcholæ exitus.

i) Interrogatus, Diine eſſent? reſpondit:
Tu ne ſenex turbam a nobis propellere curas.
Id eſt coram turba de his quæſtionibus agi non poſſe. LAERT. *l. II. ſ. 117.*

k) Conf. BAYLE *l. c. not. F.* forte & hoc accuſationi huic occaſionem dedit, quod de imperio Dei in ſacrilegos ſophiſmate luderet, vid. quæ ex SENECA *de benef.* affert BAYLE *l. c. not. I.*

l) LAERT. *l. c.* MENAG. *ad h. l.*

m) Tribuitur etiam Ariſtippo, & Antiſtheni conf. BAYLE *l. c. not. G.*

n) Inde Hedonicorum nomen, quod in falſæ eruditionis ſignificationem tractum eſſe ſupra ex interpolato Cebetis tabulæ loco probavimus. Idem tamen nomen Epicureis quoque datum eſſe ex SIMPLICII & AMMONII locis a MENAGIO *ad Laërt. l. I. ſ. 17.* allatis conſtat.

o) *l. VII. ſ. 167.*

p) *ad l. c. & l. X. ſ. 25.* Laërt.

q) *De Script. hiſt. philoſ. l. I. c. 20. p. 112. l. III. c. 8. p. 250.* conf. FABRIC. *Biblioth. Græc. vol. II. p. 403.*

* *

CAPVT QVARTVM.

DE SECTA MEGARICA, SIVE ERISTICA.

§. I.

Secta Megarica vel Eristica.

Megaricæ ſectæ initium dedit EVCLIDES Megaris, urbe ad Iſthmum poſita, oriundus, cujus tamen origines alii ex Gela, urbe Siciliæ, repetunt: [a] inde enim a conditoris patria Megarica appellata eſt. Eriſticæ vero nomen a contentioſa diſputandi & philoſophandi ratione accepit, licet cum hac ſecta litigioſum hoc altercandi ſtudium non demum ceperit, quod jam antea in ſecta Eleatica, auctoribus Xenophane, Parmenide & Zenone Eleate viguit, uti ſuo loco demonſtrabimus: [b] quodque intra Græciam demum, in qua ſophiſtæ altercandi artem jam exercebant, peculiarem ſcholæ formam accepit: cum ex dicendis certum ſit, ex Eleaticorum palæſtra in hanc ſectam contentioſam hanc philoſophiam fuiſſe derivatam, [c] id quod ad deſignandas origines logicæ contentioſæ omnino notandum eſt. Dialectica quoque dicta eſt, non quod dialecticæ originem dederit, ſed quod interrogando ac reſpondendo ſermones libroſque componeret, quam docendi & philoſophandi rationem a Socrate quidem didicit, ad contentiones vero & litigia philoſophica primum applicuit, inde Dialecticorum nomen; quod primum appellaviſſe Dionyſium Carthaginenſem auctor eſt LAERTIVS, [d] quemadmodum Eriſtici ab Alexino [e] dicti ſunt. Et fœcunda quoque philoſophis hæc ſecta fuit, inter quos poſt Euclidem, Eubulides, Alexinus, Euphantus, Apollonius Cronus, Diodorus Cronus, Ichthias, Clinomachus atque Stilpo eminuerunt.

Euclides Megarenſis.

§. II. EVCLIDES a natura ingenio ſubtili & acri præditus mature ſe ad philoſophiam contulit, priusquam enim ad Socratem perveniſſet, Parmenideorum librorum ſtudioſiſſimum fuiſſe, tradit Alexander apud LAERTIVM: [f] ex cujus quoque ſcriptis artem contendendi didiciſſe, veteres volunt. [g] Socratis vero fama ad Megarenſes perlata, ejus audiendi gratia Athenas non ſine periculo commigravit. Decreto enim, uti narrat GELLIVS, [h] paulo poſt ejus adventum caverant Athenienſes, qui Megaris

a) LAERT. *l. II. ſ. 106.*

b) Conferendus interim cel. WALCHIVS *Hiſt. Logic. §. III. Parerg. Acad. p. 498 ſeqq.*

c) *Qui cum Zenonis auditor eſſet, vides, quantum ab eo diſſenſerit, & quam non multum a Platone Megarici, quorum fuit nobilis diſciplina: cujus, ut ſcriptum video, princeps Xenophanes, quem modo nominavi, deinde eum ſecuti Parmenides & Zeno, poſt Euclides, Socratis diſcipulus, Megareus a quo iidem illi Megarici dicti ſunt.* Ita CICERO *Tuſc. Qq. l. II.*

d) *l. c.* De variis vero philoſophis, qui Dialectici dicti ſunt, conſulendus eſt IONSIVS *de Scr. hiſt. phil. l. II. c. 1. p. 120.*

e) IDEM *l. c. c. 2. p. 121.*

f) *l. c.* Cujus ratio forte inde deducenda eſt, quod origines & familiam ad Gelam Siciliæ referret; ita enim conciliandi videntur veteres, de Euclidis patria diſſentientes. In his vero oris celeberrimum erat Parmenidis nomen & fama, quæ tanta fuit, ut Athenas quoque ejus libri deferrentur, ibique legerentur, ut ex PLATONIS *Parmenide* videre eſt.

g) CICERO *l. c. Qq. Acad. l. IV. c. 42.*

h) *N. A. l. VI. c. 10.*

ris civis esset, si intulisse Athenas pedem deprehensus esset, ut ea res ei homini capitalis esset; tanto Athenienses Megarensium odio flagrabant. [i] Tum Euclides, qui Megaris erat, quique ante id decretum, & esse Athenis & audire Socratem consueverat, postquam id decretum sanxerunt, sub noctem cum advesperascceret, tunica longa muliebri indutus & pallio versicolore amictus & caput rica (velamen id muliebre est) velatus, e domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat, ut vel noctis aliquo tempore sermonum consiliorumque ejus fieret particeps. Rursusque sub lucem millia passuum paulo amplius viginti eadem veste illa tectus redibat. Non placebat tam fervido Euclidis ingenio placida quærendi & philosophandi ratio, quam Socrates sequebatur; sed ut impetum animi Eleaticis contentionibus addictum expleret, forensibus causis diligenter se applicuit; quod quia inutile ac turpe putabat Socrates, reprehendisse eo nomine Euclidem dicitur: *O Euclide sophistis quidem uti scis, hominibus nescis.* [k] Ingenio itaque suo indulgens in patriam concessit, scholamque instituit, [l] in qua variis argumentationum generibus disceptandi artem tradidit, quam tantis bellis atque contentionum vehementia exarsisse veteres testantur, ut Diogenes, non σχολὴν sed χολὴν, *merum fel* esse dicendam, affirmaret, [m] & Timon Euclidem λύσσαν ἐρισμᾶς, *contentionis rabiem* Megaras invexisse diceret; [n] adeo a moribus Socratis discrepabat. Celeberrimum tamen in scholis fuisse PLVTARCHVS [o] ait, neque id mirandum; ex Socratis enim historia notum est, quam immensum pretium disceptandi arti Græci tum temporis statuerint. Etsi vero acerrime disputabat Euclides, animo tamen placidissimo fuisse, & Socrate præceptore digno ex eo manifestum est, quod narrat PLVTARCHVS: [p] cum audivisset sibi excandescentem dicere, *peream, nisi vindictam exposcam*, respondisse: *et ego peream, nisi hanc tibi iram verborum lenitate extorsero, utque me perinde, ac antea, ames effecero.* Eandem animi benevolentiam Socraticis quoque discipulis exhibuit. Cum enim mortuo Socrate Plato cum ceteris philosophis se tyrannorum metu Megaram, ad ipsum, contulissent, hospitio eos humanissime excepit, donec secure Athenas redeundi occasio esset. [q] Scripsit tum alia, tum dialogos sex, de quorum tamen fide dubitavit Panætius. [r] Alius & junior multo est Euclides, geometrarum facile princeps, [s] quem cum no-

i) Vid. THVCYDID. *l. I. p. 92.*

k) LAERT. *l. II. s. 30.*

l) Factum id esse vivo adhuc Socrate inde colligi potest, quod, eo fatis concedente, ad eum non tantum Socratici aufugerint, Megaris degentem, sed & Plato viginti octo annos tum natus eum audiverit LAERT. *l. III. s. 6.* unde sequitur, scholam tum temporis aliquandiu jam habuisse. Præter rem itaque in eo reprehendit RAPINVM BAYLE *Dict. T. II.* art. *Euclides not. F. p. 416.*

m) LAERT. *l. VI. s. 24.*

n) *Ib. s. 107.*

o) *De amic. fratr.*

p) *l. c.* apud STOBAEVM *Serm. CCIX. p. 654.* Socrati tribuitur, errore facillimo, Socratici cognomine in Socratis nomen mutato. vid. STANLEI. *p. 264.*

q) LAERT. *l. II. s. 106.*

r) LAERT. *l. II. s. 107.* SVIDAS in *Euclides T. I. p. 893.* FABRIC. *Bibl. Græc. vol. I. p. 79.*

s) Patria celeberrimi geometræ incerta est, plerique Alexandrinum faciunt. Claruit temporibus Ptolomæi Lagi, qui Ol. CXXIII. obiit. Alexandriæ mathematicas disciplinas summa cum laude docuit, & eruditissimis scriptis illustravit, de quibus videsis cel. FABRICIVM *Bibl. Gr. vol. II. p. 369. seqq.* Mitissimum & benignum erga omnes, præ-

ſtro quidam confuderunt: quemadmodum noſter quoque ab aliis [t] diſtinguendus eſt.

Doctrina Euclidis.

§. III. De dogmatibus philoſophicis Euclidis pauca nobis veteres memorant:

I. Diſputationes ex ſimilibus inſtitutas illum penitus ſuſtuliſſe. Eas nempe vel ex ſimilibus ad ſimilia, vel ex diſſimilibus ad diſſimilia procedere: ſi prius fiat, præſtare, ut res ipſæ examinentur, quibus ſimiles quæruntur; ſi poſterius nullius uſus eſſe comparationem. [u]

II. In argumentationibus non aſſumtionibus fuiſſe uſum, ſed concluſionibus. Ita quidem LAERTIVS, [x] quæ cel. WALCHIVS [y] id ſignificare vult: fuiſſe moris apud Euclidem aliorum concluſiones & ſententias confutare non per contraria principia, ſed per concluſiones, quæ continebant varia incommoda. Hæc vero nec modum ratiocinandi Euclideum, nec vim verborum Laërtii exhauriunt. Non enim id vult Laërtius, argumentatione ad abſurdum deducta, ut in logicorum ſcholis loqui amant, Euclidem uſum fuiſſe, ſed, prætermiſſis lemmatibus, ſive propoſitionibus aſſumentibus, ſolis illationibus adverſariis inſtitiſſe. Nempe, ut GASSENDI verbis [z] utamur, *quaſi conſecutiones forent ſatis perſpicuæ, illationes eum congeſſiſſe, Ergo, Ergo, Ergo; quæ arguendi ratio, quaſi reſpirare non ſinens eſt omnium urgentiſſima; quare cum hoc modo foret inſtans, premens ac vehemens, notatum fuiſſe a Timone, quaſi quandam litigii vel contentionis rabiem Megaricis inſpiraviſſet.*

III. Vnicum eſſe bonum, cujus diverſa tantum ſint nomina, prudentiæ ſcilicet, Dei, mentis & cetera. Nec eſſe adverſum bono quicquam in rerum natura. [a] Difficilis & obſcura ſententia, quæ ipſum acutiſſimum BAELIVM incertum & ſuſpenſum tenuit. [b] Ait quidem CICERO: [c] dixiſſe, *id ſolum bonum eſſe, quod eſſet unum & ſimile & ſemper, & idem;* ſed obſcurum eſt, qua ratione res omnes, quæ bonæ dicuntur, hoc nomine, hisque affectionibus gaudeant, ſicque & Deus, & mens & prudentia, & reliqua bonum ſint, & tale quidem, quod malum excludat. Si tamen conjecturis locus eſt, videtur Euclides metaphyſicis notionibus largius indulgens, & Parmenideis doctrinis de uno in univerſo imbutus, ad generalem & abſtractam boni notionem reſpexiſſe, & cum unum tantum reale, & eſſentiale bonum ſtatueret, quod in Deo ſitum eſt, illius participatione omnes res, quæ ſunt & exiſtunt, bonas dixiſſe, [d] Hoc poſito, neceſſario ſequitur, ea quæ bona non ſunt, quatenus mala ſunt, non eſſe in rerum natura, id eſt phyſicam exiſtentiam non habere, quia ex uno bono non participant, &

præſertim eos, qui mathematicas diſciplinas augere poſſent, & nullo modo infenſum, ſed accuratum, non arrogantem fuiſſe ait PAPPVS *l. VI. p. 251.*

t) Vid. STANLEI. *p. 265.* FABRIC. *l. c.* Inter hos & Archon Athenienſis, ex quo natum proverbium: *ante Euclidem geſtorum meminiſſe*, ob ſanciram ſub eo ἀμνησικακίαν.

u) LAERT. *l. c.*

x) *loc. cit.* *y*) *l. c. p. 509.*

z) *T. I. Opp. p. 40.* Eadem monet BAYLE *l. c. not. C.*

a) LAERT. *l. c.*

b) *l. c. not. B.*

c) *Acad. Q q. l. IV. c. 42.*

d) Eo quoque tendunt, quæ affert. cel. STOLL. *Hiſt. phil. mor. §. LVII. p. 70.*

& per illud ſunt, ſed quicquid in illis malum eſt, privationem potius boni eſſe, quicquid exiſtentiæ in iis eſt, pertinere ad unum bonum. Hæc Parmenideis doctrinis conformia ex libris ejus veriſimile eſt Euclidem hauſiſſe; certe ex Socratis ſchola hauſta non ſunt, quæ ejusmodi argutiis & abſtractis notionibus non gaudebat. Quæ ſi admittimus, cohæret totum ſyſtema Megaricum, quod inextricabilis confuſionis & obſcuritatis accuſavit Bælius.

IV. Præter hæc, in ſermonibus ab ANTONIO & MAXIMO congeſtis [e] hoc quoque Euclidi tribuitur: interrogatum a nonnemine, qualesnam ſint Dii, & quibus rebus maxime delectentur? reſpondiſſe: cetera ſe quidem ignorare, illud vero certo ſcire, curioſos illis odio eſſe. Quod ſi recte ei adſcribitur, videtur Euclides a præceptore Socrate magis ſobrie de Diis ſentire edoctus, ejus exemplo cautior redditus eſſe, ne mentem minus provide explicando ſuperſtitioſorum in odia & perſecutiones incurreret.

§. IV. Succeſſorem Euclides habuit EVBVLIDEM Mileſium, quem inimico adverſus Ariſtotelem animo fuiſſe eumque data quavis occaſione laceſſiviſſe perhibent. [f] Hujus quidam diſcipulum Demoſthenem faciunt, eumque volunt ab illo literæ R pronuntiationem aſſiduo exercitio didiciſſe. [g] Immortale ſibi in litigioſa hac ſchola nomen fecit inventione diverſorum ſophiſmatum, apud veteres valde celebrium, quos ita enumerat LAERTIVS ψευδόμενος mentiens, διαλανθάνων, occultus, ἠλέκτρα Electra, ἐγκεκαλυμένος, velatus, σωρίτης acervalis, κερατίνη cornutus, φαλακρὸς, calvus. Quæ argumentationum captioſarum nomina quia non a forma, ſed a materia nomen acceperunt, obſcura ſunt. Ut itaque miſera Eriſticæ philoſophiæ facies nugis iſtis difficilibus non immorantis tantum, verum etiam immorientis plenius cognoſcatur, breviter, qualia fuerint, ad veterum mentem explicabimus, plura quærentes ad MENAGIVM, [h] GASSENDVM, [i] WALCHIVM [k] ablegantes. Eſt itaque: *Eubulides.*

I. *Mentiens*, ſophiſma hujus argumenti: Si vera dicens, te ais mentiri, mentiris; ſed dicis te mentiri dum vera dicis; ergo vera dicens mentiris. [l] Quicquid ſtatuatur verum eſſe, hoc argumento falſum reperietur.

II. *Occultus*, ſive fallens; hoc argumento decipit: Noſti patrem tuum? novi: noſti hominem illum, qui latet? non novi; ergo patrem tuum non noſti, nam ille pater tuus latet.

III. *Electra*, nomen habuit a præcipuo exemplo Electræ Oreſtis ſorore, Agamemnonis filia, quæ fratrem noverat & non noverat; ſcilicet noverat Oreſtem eſſe fratrem, ſed non noverat, eſſe fratrem eum, qui cum ea differebat. [m]

e) *Serm. XXXVII.*

f) LAERT. *l. II. ſ. 108.* Inde ætas tempusque Eubulidis cognoſcitur. Ideo calumniator dictus eſſe traditur. vid. IONS. *Scr. Hiſt. phil. p. 350.*

g) ATHENAEVS *l. VIII.* LAERT. *l. c. ſ. 109.* APVLEI. & CASAVB. *ad l. c. Laërt.* Incertum tamen eſſe ſatis prodit Laërtius.

h) Ad LAERT. *l. II. ſ. 108.*

i) *In Logic. T. I. Opp. p. 40. ſeq.*

k) *l. c. p. 510. ſeq.*

l) CICERO *de divin. l. II. c. 4. Acad. Qq. l. IV. c. 30.*

m) LVCIAN. *in vitar. auct.*

IV. *Velatus*, itidem a materia nomen accepit, quam ita recitat LVCIANVS: [n] reſponde mihi, noſti ne patrem tuum? maxime. Quid igitur, ſi prope te ſtatuerem velatum quempiam atque interrogarem, noſtine hunc? quid diceres? ſcilicet me non noſſe. Atqui hic tuus erat pater, itaque ſi iſtum non noſti, palam eſt, de patrem tuum non noſſe.

V. *Sorites*, acervalis CICERONI [o] dictus, inde nomen habet, cum aliquid minutatim & gradatim additur vel demitur, ut acervus efficitur uno addito grano. Scilicet quæritur num unum granum vel duo ſint acervus, ſi hoc negatur, additur unum, & ſic porro, donec alter concedat eſſe acervum, quo infertur: Ergo acervus efficitur uno grano. [p]

VI. *Cornutus*, nomen etiam ab exemplo accepit: habes quod non amiſiſti; cornua non amiſiſti, ergo habes. Dicitur etiam cornutum argumentum dilemma ex utroque latere feriens, quale illud Biantis de uxore non ducenda; quod intellexiſſe videtur RAPINVS, [q] quem ideo præter rem notat P. BAYLE. [r]

VII. *Calvus*: Hujus exemplum apud veteres non occurrit, exhibet aliquod MENAGIVS [s] ita: Qui non habet pilos in capite calvus eſt; Raſus non habet pilos in capite, Ergo, raſus calvus eſt.

Quam miſera hæc omnia ſint, & ſibilo potius atque naſo ſuſpenſo digna quam admiratione, quilibet vel mediocriter artis ratiocinandi peritus intelligit. Et tamen ſex diverſos libros de uno mentiente conſcripſiſſe Chryſippum, teſtis eſt LAERTIVS; [t] ATHENAEVS [u] autem & SVIDAS [x] tradunt, Philetam Coum phthiſi periiſſe, contracta ſtudii exceſſu, in eo ſolvendo poſiti. Eleganter SENECA: [y] *quid me detines in eo, quem tu ipſe pſeudomenon appellas, de quo tantum librorum compoſitum eſt? ecce tota mihi vita mentitur, hanc coargue, hanc ad verum, ſi acutus es, redige.*

Alexinus.

§. V. Poſt Eubulidem præter Clinomachum Thurium, Euclidis diſcipulum, qui primus de axiomatibus & categorematibus & his ſimilibus ſcripſiſſe dicitur LAERTIO, [z] ALEXINVS, Elienſis, rixarum & litigiorum ſtudioſiſſimus, innotuit, adeo ut a contradicendi ſtudio elenxinus, contradictorius appellaretur, [a] quod non auditores tantum experti ſunt, ſed & magni ejus ætatis viri & celeberrimi philoſophi, Zeno Cittieus, [b] Ariſtoteles, [c] Menedemus, [d] Stilpo & ex hiſtoricis, Ephorus, [e] adverſus quos litigioſa ſapientia bella incruenta geſſit. Superbiæ animi indicium fecit non poſtre-

n) *loc. cit.*
o) *De div. l. c. Acad. Qq. l. VI. c. 6.*
p) GELLIVS *l. XVI. c. 2.* SENECA *ep. 45.*
q) *Reflexions ſur la philoſophie §. 28. p. 358. ſeq.*
r) *l. c. not. F.* conf. FABRIC. *ad Sext. l. II. ſect. 241.*
s) *l. c.* GASSENDVS vero & BAYLE *l. c.* ſpeciem eſſe putant Soritis, deſumtam a quæſtione: quot pili detrahendi ſint, ut reddatur calvus? ubi uno, duobus, tribus detractis, cum quæritur, num efficiatur ita calvities, cum tandem certus numerus definitur, concedendum eſt, unius pili detractione calvitiem induci, quod prius negabatur.
t) *Lib. VII. ſ. 196.* u) *Lib. IX. n. 403.*
x) In *Philetas T. III. p. 600.*
y) *loc. cit.*
z) *Lib. II. ſ. 112.*
a) *Ibid. ſ. 109.* b) *Ibidem.*
c) ATHENAEVS *l. XV. c. 16.* conf. IONSIVS *de Scr. Hiſt. phil. l. II. c. 2. p. 121.*
d) LAERT. *l. II. ſ. 125. 135.*
e) IDEM *l. c. ſ. 110.*

poſtremum, quod Olympiam abiit philoſophiam ibi profeſſurus: diſcipulisque interrogantibus: cur eo degeret loco? ſectæ ſe meditari inſtitutionem dixit, eique Olympicæ nomen imponere. Verum cum & rerum penuria, & loci inſalubris moleſtia atque aëris intemperie affligerentur, diſceſſere omnes, Alexino ſolo cum ſervo relicto. Poſtea natans in Alphæo flumine, arundinis læſus acumine, diem obiit. Scripſit non tantum adverſus Zenonem & Ephorum, [f] ſed & alios libros, quos periiſſe nemo magnopere indignabitur: quales enim fuerint, ex auctore fieri poteſt judicium.

§. VI. Alexini diſcipulus, vel Eubulidis potius ex diſciplina EVPHANTVS fuit, Olynthius, Antigoni regis præceptor, [g] qui non litigioſæ tantum diſciplinæ curam habuiſſe videtur, ſed & ſapientiæ, quæ ad vitam pertinet: [h] ſcripſit enim ad Antigonum librum *de regno*, quem laudatiſſimum vocat LAERTIVS [i] Grandævus is obiit, relictis quoque hiſtoria ſui temporis [k] & tragœdiis, quæ in certaminibus tragœdorum plurimum placuerunt. *Euphantus.*

Præter hunc APOLLONIVS quoque CRONVS ex Eubulidis diſciplina prodiit, [l] quem Cyrenæum fuiſſe STRABO [m] auctor eſt, qui eum Cronum Apollonium nominat, poſteriore nomine ab urbe Apollonia derivato: prius a cunctando accepiſſe, vel a moroſis & difficilibus moribus & obſcuritate videtur. [n] *Apollonius Cronus.*

§. VII. Apollonii diſcipulus poſt præceptorem inclaruit DIODORVS, & ipſe CRONVS, appellatus, qui Iaſo ortus eſt, Cariæ civitate; patre Amenia. [o] Non Eubulidem tantum audiviſſe LAERTIVS auctor eſt, ſed & STRABO, [p] Apollonium habuiſſe præceptorem, & ab eo Croni nomen hæreditario quaſi titulo accepiſſe, quod obſcuritatis potiſſimum ratione habita præceptorem imitaretur. [q] Ad cunctationem tamen iſto nomine reſpexit Ptolomæi Soteris convicium, quod exitium Diodoro attulit. Cum enim in præſentia regis a Stilpone dialecticis argutiis more ſcholæ tentaretur, & extemplo eas nequiviſſet ſolvere, a rege non aliis tantum objurgationibus increpatus, ſed & Cronus convicii nomine vocatus eſt. [r] Quam contumeliam altiſſima mente reponens, cum a regis convivio excederet, librum de iſto problemate, quo eum Stilpo vexaverat, compoſuit, & vitam ex mœrore confectam finiit, quem recte ideo aſinum appellat LAERTIVS. [s] Quamquam vero ἀδοξίαν ei tribuit STRABO, in dialecticis tamen valentiſſimum fuiſſe, & CICERO teſtatur & SEXTVS EMPIRICVS. *Diodorus Cronus.*

f) Male interpres Laërtii expreſſit *ad Zenonem & Ephorum.*
g) *Ibid. ſ. no.*
h) Tragici quatuor dramatibus, quæ tetralogiæ dicebantur, certarunt, quorum certamina pluſcula veteres memorant. Hinc tetralogias Platonis nomen habere ſuo loco docebitur. Conf. IONS. *de Scr. Hiſt. phil. l. I. c. 16. p. 86. ſeq.* Minus itaque recte & ad mentem Laërtii hæc de applauſu in ſcena reportato refert STANLEIVS *Hiſt. Phil. P. III. pag. 268.*
i) *loc. cit.*
k) Conf. VOSSIVS *de Hiſt. Gr. l. I. c. 8.*
l) LAERT. *l. c.*
m) *Lib. XVII. p. 838.*
n) Vid. quæ mox §. *ſeq.* dicentur.
o) LAERT. *l. II. ſ. 111.*
p) *loc. cit.*
q) Διὰ τὴν ἀδοξίαν κατ' ἀλήθειαν Κρόνον vocat.
r) LAERT. *l. c.*
s) Vocat enim in adjecto epigrammate Diodorum Κρόνον, abjecto, K, & ρ, id eſt ὄνον.

CVS. [t] Filias habuit quinque & pudicitiæ laude & dialecticæ peritia celebres, [u] quas dignas cenſuit Philo dialecticus, Carneadis magiſter, ut pleniſſimam de iis ſcriberet hiſtoriam, id quod teſtatur HIERONYMVS.[x] Diodori vero nomen cum plurimis commune fuerit, [y] noſter a reliquis caute diſtinguendus eſt.

Philoſophia Diodori.

§. VIII. Conſumſit vero tempus Diodorus, ut reliqui quoque Eriſtici in dialecticis, in quibus ſubtilitatem nimiam laudando, niſi fallimur, traduxit Callimachus. [z] Cujus I. ſpecimen nobis ſervavit SEXTVS EMPIRICVS, [a] qui de Diodori, Philonis & Chryſippi diſſenſu circa propoſitiones connexas prolixe diſſerit. Id quod paucis ita comprehendit CICERO: [b] *In hoc ipſo, quod in elementis dialectici docent, quomodo judicare oporteat, verum falſumne ſit, ſi quid ita connexum eſt, ut hoc: ſi dies eſt, lucet, quanta contentio eſt, aliter Diodoro, aliter Philoni, Chryſippo aliter placet.* Quæ ut clarius intelligantur, obſervandum eſt, Dialecticos in propoſitionum conditionatarum, quas connexas vocabant, explicatione in eo conveniſſe, verum eſſe conſequens, ſi id vera conſequentia deducatur ex antecedente; falſum, ſi non ſequatur; in criterio vero, ex quo dijudicanda eſt conſequentiæ veritas, definiendo inter ſe diſſenſiſſe. Et Philo quidem veram eſſe propoſitionem connexam putabat, ſi & antecedens & conſequens verum eſſet, & ſi antecedens atque conſequens falſum eſſet, & ſi a falſo incipiens in verum deſineret, cujus primi exemplum eſt: Si dies eſt, lux eſt, ſecundi: ſi terra volat, habet alas, tertii: Si terra volat, eſt terra; ſolum vero falſum, quando incipiens a vero deſineret in falſum. Diodorus autem hoc falſum interdum eſſe, quod contingere poſſet, afferens, omne quod contigit, ex conſequentiæ complexu removit, ſicque, quod juxta Philonem verum eſt, ſi dies eſt, ego diſſero, falſum eſſe pronunciavit, quoniam contingere poſſit, ut quis, ſi dies ſit, non differat, ſed ſileat. Ex qua Dialecticorum diſceptatione Sextus infert, incertum eſſe criterium propoſitionum hypotheticarum. Ex quibus parca, ut debet, manu prolatis, judicium fieri poteſt, quam miſeranda facies fuerit dialecticæ eriſticæ, quæ ad materiam magis argumentorum, quam ad formam & ad verba magis, quam ideas, quæ ratiocinia conſtituunt reſpiciens, non potuit non innumeras ſine modo & ratione technas & difficultates ſtruere, facile fumi inſtar diſſipandas, ſi ad ipſam ratiocinandi & ideas inter ſe conferendi & ex tertia judicandi formam attendatur. Quod ſi enim inter veritatem conſequentiæ & conſequentis, (liceat pauliſper cum ſcholaſticis barbare loqui) diſtinxiſſent, inanis diſputatio in pulverem abiiſſet, & evanuiſſet; nam de prima Diodorus, de altera Philo, & hic quidem inepte & minus accurate loquebatur. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Ceterum II. in ſophiſma-

t) *Contra Gramm. f. 309. Log. l. II. f. 115. ſeqq.*

u) Nominat eas CLEM. ALEX. *Strom. l. IV. pag. 522.*

x) *Contra Iovinian. l. I.* conf. MENAG. *ad l. c. Laërt. & Hiſt. phil. mul. §. 60.* ubi tamen quatuor nominat, cum quinque fuerint.

y) Catalogum Diodororum ſatis longum exhibet FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 775.*

z) Cujus verſus vide apud LAERT. & SEXT. *ll. cc.*

a) *Adv. Logic. l. c.*

b) *Acad. Qq. l. IV. c. 47.*

phiſmatibus ſtruendis Diodorum excelluiſſe, non id ſolum argumentum eſt, quod is quibusdam auctor argumenti, quod velatum dicitur, fuiſſe aſſeratur,[c] ſed & quod argumentum dominans invexerit, de quo, ne his nugis lectori moleſti ſimus, Epictetum apud ARRIANVM[d] conſuli velimus. Et ad hæc quoque Dialecticæ peritiæ acumina referendum eſt argumentum, quo nihil moveri probabat. Quod ita SEXTVS enarrat:[e] Si quid movetur, aut in eo, in quo eſt, loco movetur, aut in eo, in quo non eſt. At neque in quo eſt movetur, manet enim in eo, ſi in eo eſt; nec vero, in quo non eſt, movetur; ubi enim aliquid non eſt, ibi neque agere quidquam neque pati poteſt. Non ergo movetur quicquam. Quo argumento non ideo uſus eſt Diodorus, quod putat Sextus, ut more Eleaticorum probaret: non dari motum in rerum natura, & nec interire quicquam nec oriri; ſed ut ſubtilitatem ingenii dialecticam oſtenderet, verbisque circumveniret. Qua ratione Diodorum mire depexum dedit Herophilus medicus. Cum enim luxato humero ad eum veniſſet Diodorus, ut ipſum curaret, facete eum irriſit, eodem argumento probando humerum non excidiſſe: adeo ut precaretur ſophiſta, omiſſis iis cavillationibus adhiberet ei congruens ex arte medica remedium.[f]

Tandem & III. inter atomiſticæ philoſophiæ ſectatores numerari ſolet Diodorus, eo quod ἐλάχιστα καὶ ἀμερῆ σώματα minima & indiviſibilia corpora ſtatuerit, numero infinita, magnitudine finita, ut ex veteribus aſſerunt præter SEXTVM,[g] EVSEBIVS,[h] CHALCIDIVS,[i] STOBAEVS[k] alii, quibus ex recentioribus concinunt CVDWORTHVS[l] & FABRICIVS.[m] Quia vero veteres non addunt, an indiviſibilia & minima iſta corpuſcula, omnibus qualitatibus præter figuram & ſitum ſpoliata poſuerit, ſine formidine oppoſiti inter ſyſtematis atomiſtici ſectatores numerari non poteſt. Nam alii quoque philoſophi ejusmodi inſecabilia corpuſcula admiſerunt, nec tamen atomos Democriticos ſtatuerunt. Id quod acute monuit cel. MOSHEMIVS.[n]

§. IX. Præter hos philoſophos inter Dialecticos celebres alii quoque fuerunt, minoris famæ & nominis,[o] & in his Ichthyas quoque; nemo tamen magis inclaruit quam STILPO Megarenſis. Is cum præſtantiſſimos præceptores ad ingenium natura optimum excolendum adhibuiſſet, celeberrimus philoſophus evaſit. Refert enim LAERTIVS,[p] audiviſſe ipſum ſcholæ auctorem Euclidem, quod tamen temporibus repugnat,[q] & ex ejus ſequa- *Stilpo.*

c) LAERT. *l. II. ſ. 111.*
d) *diſſert. Epict. l. II. c. 19.*
e) *Pyrrh. hyp. l. II. c. 22. ſ. 142. & ll. cc.*
f) *ibid. ſ. 145.*
g) *Pyrrh. hyp. l. III. c. 4. ſ. 32. adv. Phyſ. l. I.*
h) *Præp. l. XIV. p. 773.*
i) *p. 291.*
k) *Eclog. phyſ. c. 13. p. 28.*
l) *Syſtem. intell. c. I. p. 22.*
m) *Ad l. c. Sexti, not. X.*
n) *Ad l. c.* CVDWORTHI.
o) Catalogum eorum nectit FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 823.*
p) *l. c. ſ. 113.*
q) Euclides enim circa Socratis mortem & ſequentia tempora ſcholam aperuit, Stilpo circa Ptolomæi Euergetæ & Demetrii Antigoni filii tempora floruit, ubi minimum 150. anni interceſſerunt

ſequacibus Thraſymachum Corinthium Ichthyæ familiarem; itemque Diogenem Cynicum, Paſiclem Thebanum, cui Dioclem Megarenſem addit SVIDAS,[r] niſi ibi pro Diocles, Euclides, legendum eſt. Hac inſtitutione tantos in philoſophia profectus fecit, ut non tantum admirabili eruditione inclareſceret, ſed & vitia mentis naturalia feliciſſime emendarentur, isque & acutus eſſet & probatus illis temporibus homo, quo elogio eum mactat CICERO.[s] Erat enim in juventute & vinoſus & mulieroſus, ita vero doctrina & uſu vitioſam naturam edomuerat, ut nemo illum vel violentum vel libidini litantem obſervaverit.[t] Vnde animi in eo robur, manſuetudinem & continentiam admiratur PLVTARCHVS,[u] SENECA[x] vero virum fortem & ſtrenuum ſalutat. Fabulæ itaque ſimile eſt, quod Onetor apud LAERTIVM tradit, præter uxorem, quam duxerat, Nicarete etiam pellice uſum fuiſſe: id quod & vita Stilponis continentia & temperantia laudatiſſima refutat, & ſilentium potiſſimum ATHENAEI,[z] philoſophorum vitia non reticentis, rejiciendum monet, qui Nicareten Megarenſem non ignobilem, ait,[a] & obſcuram meretricem fuiſſe, ſed & natalium ſplendore, & doctrina perquam amabilem; philoſopho enim Stilponi operam dediſſe; quibus vetitam conſuetudinem ſine dubio adjeciſſet, ſi ullo modo Stilpo ejus fuiſſet ſuſpectus. Nobilia vero ſcorta eruditionis & philoſophiæ laudem affectaſſe, ideoque contubernia philoſophorum quæſiviſſe, ſupra Ariſtippi & Laidis, immo ipſius Socratis & Aſpaſiæ exemplis probavimus. Sed & filiæ degeneris exemplum id probat, quæ cum inquinatiſſimam vitam duceret, eamque parenti dedecori eſſe nonnemo diceret, Stilpo non eam, reſpondit, majori ſibi dedecori quam ipſe ſit decori ei, eſſe valere:[b] id quod dicere non potuiſſet, ſi ipſæ filiæ incontinentiæ exemplum exhibuiſſet.[c] Eandem animi quoque continentiam circa opes & divitias probavit, magnumque & philoſopho dignum oſtendit animum. Cum enim[d] magna apud Ptolomæum Soterem gratia eſſet, is captis vi Megaris pecuniam ei obtulit, & ut in Aegyptum ſe ſequeretur, invitavit; Stilpo vero parte tantum aliqua pecuniæ accepta, in Aegyptum proficiſci noluit, ſed Aeginam ſe contulit, ibique, donec Ptolomæus Megaris diſcederet vitam egit. Demetrius quoque Antigoni filius, Megaris expugnatis domui ejus parcere juſſerat, reſtituique ſi quid ei ablatum fuerat.[e] Cum itaque rerum ab eo amiſſarum conſignatio peteretur, nihil, quod ſuum eſſe, perdidiſſe ſe reſpondit, doctrinam enim & eruditionem neminem ei eripuiſſe, eloquentiam quoque ſibi eſſe relictam & diſciplinam; ſimulque tanta vi humanitatem illi ſuaſit, ut aſſidue eum Demetrius audire cuperet. Erat enim ei ingenium ſimplex, neque ulla ſimulatione fucatum,[f] eruditio vero longe maxima,

r) In *Stilpo T. III. p. 376.*
s) *De fato c. 5.* t) *ibid.*
u) *Adv. Colot. T. V. p. m. 424.*
x) *ep. 9.*
y) *l. II. ſ. 114.*
z) Is de temperantia Stilponis teſtatur *l. X. p. 422.*
a) *l. XIII, p. 496.* conf. MENAG. *hiſt. mul. phil.* §. *62.* BAYLE *dict. T. IV.* art. *Stilpo not. B. p. 283.* b) LAERT. *l. c.*
c) Conf. quæ hac de re habet PLVT. *de tranq. an.*
d) LAERT. *l. c. ſ. 115.*
e) PLVTARCH. in *Demetrio*, & *de tranq. animi.* SENECA *ep. 9.* & *de conſtant. c. 5.*
f) LAERT. *l. II. ſ. 117.*

xima, quæ ei tantam nominis famam conciliavit, ut cum aliquando Megaris Athenas ſe contuliſſet, homines ex officinis ad eum videndum confluerent. [g] Inventione etiam & eloquentia longiſſime alios anteceſſit, [h] ut omnem fere Græciam ad Megaricam ſcholam adduceret, cujus cum princeps exiſteret, &, quod teſtatur PLVTARCHVS, [i] in litigioſo dicendi genere potentiſſimus eſſet, doctrinæ & diſputationum ſubtilitate ſibi ipſi, patriæ & amicis ſummum decus conciliavit. Et hæc quoque cauſa eſt, cur multos diſcipulos nactus ſit, quos ab aliis philoſophis ad ſe abſtraxit, interque eos Metrodorum theoreticum [k] a Theophraſto, Clitarchum & Simmiam ab Ariſtotele Cyrenæo, Pæonium ab Ariſtide, aliosque. Addit his LAERTIVS: [l] Phraſidemum Peripateticum, cujus in phyſicis maxima fuerit auctoritas, ſibi adjunxiſſe, Alcimum item, oratorem ſui ævi in Græcia maximum, Zenonem porro Phœnicium Epicureum philoſophum, Cratetem & reliquos; immo Zenonem quoque Cittieum ejus diſcipulum facit Heraclides. [m] Senem ſatis functum hauſto prius mero ut citius moreretur Hermippus refert. [n] Viginti dialogos ei tribuit SVIDAS, novem LAERTIVS, [o] neque eos multum adeo gratiæ habentes, quod, ubi cum laudatiſſima Stilponis eloquentia comparatur, ſuſpicionem ſuggerit, fuiſſe fœtus ſuppoſititios. Filium habuit Dryſonem, quem Bryſonem quoque quidam vocant, parentis veſtigia in excolenda philoſophia prementem, [p] quem inter Pyrrhonis præceptores enumerat LAERTIVS. [q] Quod ſi verum eſt, recte inde conficitur, ambiguum Eriſticæ ſectæ diſputandi genus, multum ad Pyrrhonis incertitudinem contuliſſe. Alius tamen Bryſo eſt, cujus Ariſtoteles meminit. [r]

Stilponis philoſophemata.

§. X. Etſi vero totus erat in dialecticis Stilpo, & fama quoque propter ingenii artisque ſubtilitatem ſuper æthera notus inclareſcebat, pauca tamen, quod mireris, de doctrina ejus reſtant, eaque obſcura & non ſatis expedita. Illa huc redeunt:

I. Vniverſalia eum plane ſuſtuliſſe. Dicebat enim: qui hominem dicat, eum neminem dicere, quod non hunc vel illum ea vox ſignificet, nec huic magis, quam alteri conveniat. Rurſus id, quod olus videmus, haut eſſe, olus enim ante multos annos jam fuiſſe atque ita hoc olus eſſe non poſſe. Ita quidem LAERTIVS, [s] quem obſcuritatis accuſat IS. CASAVBONVS, [t] qui tamen ſatis clarus eſt, modo obſervemus, eſſe & hoc unum ex ſophiſmatibus ſcholæ Eriſticæ, quibus philoſophorum ingenia acuebant & vexabant. Scilicet ſupponebat Stilpo, non dari hominem in abſtracto, adeoque has ſpecies & genera rerum non natura exiſtere; cum neque in hoc neque in alio homine ille homo univerſalis queat oſtendi. Inductione ita-

g) *ibid. ſ. 119.* ubi etiam narratur, qua ratione illudentem repreſſerit, conf. BAYLE *l. c. not. A.*
h) *ib. ſ. 113.*
i) *adv. Colot.*
k) conf. MENAG. *ad h. l.*
l) *l. c.*
m) *ib. ſ. 120.* conf. FABRIC. *Bibl. Gr. Vol. II. p. 821. ſ.*
n) *ib. ſ. 120.*
o) *ll. cc.*
p) *ibid.*
q) *l. IX. ſ. 69.*
r) Conf. FABRIC. *ad Sext. Emp. adv. Math. l. VII. ſ. 13.* IONSIVS *de Scr. Hiſt. phil. p. 118.*
s) LAERT. *l. II. ſ. 119.*
t) *ad h. l.*

que facta cum neque hunc neque illum, neque alium hominem esse colligeret, inferebat nullum esse hominem, sicque ludendo ambigua hominis in genere sive abstracto, uti Logici dicunt, & in individuo sive singulari considerati notione, incautos exagitabat. Altiora tamen hic latere putat P. BAYLE, " & non in solo verborum lusu & cavillationibus substitisse Stilponem, sed universalia sive prædicabilia, qua voce designantur in Peripatetica logica, negavisse: sicque negatis universalibus etiam rerum discrimina sustuliisse, quam viam esse ad Spinozismum magno acumine ipsius Stilponis argutiis non cedente vir subtilissimus demonstrare satagit. Nos hunc labyrinthum, ne ab itinere semel constituto seducamur, non ingredimur, hoc unum notasse contenti, ex mente PLVTARCHI contra Coloten disputantis, qui ob hæc sophismata vehementer in Stilponem insurrexerat, hæc fuisse ex sententiolis, quas per lusum & jocos inter Sophistas sparsit Stilpo, scholæ Megaricæ indole ita requirente. Neque tamen vero prorsus esse dissimile, fuisse Stilponem inter eos, qui universalia præter nuda nomina nihil esse dicerent, quod & Cynicos feciisse & alios, alibi docuimus: [x] quorum partes postea susceperunt Abælardi sequaces & tota Nominalium secta suo loco prolixius describenda. Ejusmodi enim cavillationes reliquis sectis opponebantur, quæ τὰ εἴδη vel extra res, vel in rebus existere jactabant, quorum prius Platonicis, posterius Peripateticis placuit, quosque ita ludicro sophismate derisisse & vexasse videtur Stilpo, amœnissimi & ad ridendum facti ingenii philosophus. Plura enim & profundiora cogitasse, nulla probabilitate evinci potest. Ex hac vero universalium negatione fluxit aliud dogma Stilponis, acumine Eristicæ scholæ dignum:

II. Vnum de alio prædicari non posse. Non enim idem esse subjectum cum prædicato, aliamque illius, aliam hujus esse definitionem. Ita aliud esse hominem, aliud bonum, nec ea posse de se prædicari, cum & hominis alia essentia sit, & boni. Si enim unum esset homo & bonum, non dici posse prædicarive, medicinam esse bonam, cibumque esse bonum. Eorum itaque quæ sunt in subjecto vel de subjecto nullam dari complexionem, sed ea, nisi idem cum subjecto sint, de eo, etiam per accidens prædicari non posse. Nititur hæc sententiola, ut PLVTARCHI [y] voce utamur, negatione universalium, si enim ea non sint, nihil de altero recte prædicari potest. Vnde, quam misera & cavillatoria tota hæc disputatio fuerit, manifestum est. Quia vero Stilponem virum gravem & eruditum fuisse constat, ideo omnino Plutarchi opinionem amplectendam esse putamus, *eum tantummodo vocibus quibusdam offensum modum loquendi impugnasse, non, quod in usu haberetur abrogatum vel res ipsas sublatas serio voluisse.* [z] Addimus subtilitatibus ejusmodi communem loquendi modum impetentibus juventutem ad se traxisse, quæ magnam istis cavillationibus se consecutam esse sapientiam credebat: unde Glycera, nobile scortum, cum in

w) *l. c.*

x) In *Historia philos. de ideis Sect. I. §. 8.*

y) *adv. Coloten*, qui hæc quidem proposuerat, non vero dissolverat.

z) Aliter quidem Bælius, cujus vero suspiciones, antequam probentur, demonstrandæ sunt.

in convivio a Stilpone reprehenderetur, quod juventutem corrumperet, reſpondit: eum non minus corruptæ juventutis accuſari, cujus animos inutilibus ſubtilitatibus & ſophiſticis cavillationibus repleat. Nihilque referre iis, qui ſic in miſerias incidunt, atque pereunt, an apud philoſophum degant, an apud ſcortum. [a]

III. Præter hæc Stilponem ſtatuiſſe, refert SENECA: [b] Summum bonum mentem eſſe nullis paſſionibus obnoxiam, & ita mentem Stilponis ſcholæque Megaricæ exponit, ut non tantum voluerint ſapientem inſuperabilem eſſe ab omni incommodo, ſed ei etiam omnem ſenſum ademerint. In quo diſcrimen inter Stoicos & Dialecticos intercedere monet. Verbo: lapidem hi volunt ſapientem nullius mali ſenſu affectum, immobilem Stoici, ratione malum vincentem: illi *rigorem quendam naturæ*, ut ait PLINIVS [c] *invehebant*, *hi robur invictum urgebant*. Plura dabit LIPSIVS: [d] qui recte monet, nullibi alias Stilponi hæc tribui, ſed Pyrrhoni.

IV. Reſtat una eaque haud levis momenti quæſtio de Stilponis philoſophia: quid de Diis ſtatuerit? Impietatis enim adverſus Deos ſuſpectum inter Athenienſes fuiſſe, LAERTIVS refert, narrans: Cum ſolito ſophiſmate uſus, aliquem de Minerva Phidiæ interrogaſſet: num Minerva, Iovis filia, Deus eſt? illi annuenti dixiſſe: At ipſa non Iovis, ſed Phidiæ eſt: & hoc illo concedente, intuliſſe: Non ergo ipſa Deus. Qua de re ad Areopagum tractum nihil inficiatum eſſe, ſed aſſeruiſſe: recte ſe locutum, non enim Deum, ſed Deam eſſe. Areopagiticos vero hoc reſponſo non placatos, eum urbe excedere juſſiſſe. Crateti quoque interroganti: an dii precationibus & divinis honoribus gaudeant, reſpondiſſe: Noli me, fatue, in via de his rogare, ſed ſolum ac ſeorſum. Inde MENAGIUS [f] parcum Dei cultorem ac omnino ἄθεον fuiſſe colligit, & violatæ in templo matris Deum religionis, in quo comeſto allio obdormiverat, quod ATHENAEVS [g] narrat, reum agit. Addere potuiſſet, quod refert PLVTARCHVS: [h] ſomniaviſſe Stilponem, videre ſe Neptunum expoſtulantem ſecum, quod non bovem ipſi immolaſſet, qui mos erat ſacerdotum; ſe vero nihil territum, quid ais, Neptune, dixiſſe? pueri inſtar venis conqueſturus mecum, quod non ſumta in fœnus pecunia, urbem nidore complevi, ſed rem tibi ſacram e re mea familiari feci? viſumque ſibi fuiſſe, Neptunum dextra porrecta ſubridentem polliceri, ipſius gratia magnum ſe aquarum proventum Megarenſibus largiturum. Omnia hæc ſatis quidem evincunt, Stilponem a craſſa Athenienſium ſuperſtitione, ſtatuam pro Dea colentium, fuiſſe remotiſſimum, nec impium ei viſum fuiſſe, de Diis iſtis cavillari; riſiſſe quoque ſacerdotum avaritiam, & ſacra feciſſe pro facultatum ſuarum modulo. Quæ philoſophum omnino arguunt, turpem δεισιδαιμονίαν, Græcorum exagitantem; atheum vero fuiſſe, quo colore inde exſculpetur? Tam diu itaque ex impiorum catalogo delendus eſt, donec probetur, ipſam numinis exiſtentiam negaviſſe.

Atheiſmus Stilponi imputatus.

a) ATHENAEVS *l. ſupra cit.*
b) *Ep. IX.* c) *l. VII. c. 19.*
d) *Manud. ad phil. Stoic. l. III. c. 7. p. m. 292.*
e) *l. c. ſ. 117.*
f) *ad l. c. Laërt.* conf. BAYLE *l. c. not. D.* BVDDEVS *theſ. de ath. c. I. §. 17.* REIMMANN. *Hiſt. ath. c. XXV. p. 179.*
g) *l. X. p. 422.*
h) *de prof. virt. ſentiendo T. I. p. m. 194.*

* *

CAPVT QVINTVM.

DE SCHOLA ELIACA ET ERETRIACA.

§. I.

Eliacæ ſcholæ auctor.

Eliaca ſchola a Socratis doctrina, quantum quidem de ea conſtat, non receſſit, adeoque pro nova prout reliquæ, quæ ex Socratis diſciplina prodierunt, ſecta non eſt habenda. Conſtituit tamen propriam ſcholam

Phædo.

PHAEDO, Elienſis, a cujus patria nomen accepit. Fuit is nobili familia oriundus, quem vero fatorum ſeries in triſtem ſervitutem redegerat. A piratis enim occupata patria, captus & quæſtui turpi ac lenocinio certo pretio ſe addici coactus eſt, & in fornice proſtare. [a] Forte fortuna tamen a Socrate prætereunte conſpectus, cum faciem ingenuam, qua plane erat ſingularis, obſervaviſſet, Alcibiadi vel Critoni, quod tradit LAERTIVS, [b] vel Cebeti, ut vult GELLIVS [c] perſuaſit, ut eum redimerent. [d] Ab eo tempore magno ſtudio & liberali animo in philoſophiam incubuit, & Socrati conſtanter adhæſit: a quo morum quoque diſciplinam ita didicit, ut novam ſcholam apperire poſſet. In qua tamen Socratica veſtigia reliquiſſe non legitur. Scripſiſſe dialogos aliquot dicitur, quos tamen aliis vindicant veteres: certe perierunt omnes. [e] Phædoni in ſchola Eliaca ſucceſſit Pliſtanus, de quo præter nomen LAERTIO [f] memoratum nihil tradunt veteres; & hunc Menedemus ſecutus eſt, qui Eliacam ſcholam in patriam Eretriam tranſtulit, unde Eretriaca vocata eſt.

Eretriaca ſchola.

Sunt, [g] qui inter Pliſtanum & Menedemum Stilponem reponant, quem audivit Menedemus, ſed præter rem: non enim Stilponis ſectæ adhæſit, ſed ab eo ad Eliacos diſceſſit, quorum in ſchola tertius philoſophus numeratur.

Menedemus.

§. II. Scripſit de MENEDEMO olim Antigonus Caryſtius, [h] quemadmodum & SPHAERVS, [i] philoſophus Stoicus, librum exaraviſſe *de Eretriacis philoſophis* dicitur, utriusque vero ſcripta temporis injuria nobis eri-

a) LAERTIVS *l. II. ſ. 105.* GELLIVS *l. II. c. 18.* SVIDAS in *Phædo T. III. p. 587.* ORIG. *contra Celſ. l. I. p. 51. l. III. p. 154.*

b) *l. c.* male eſt apud STANLEIVM *p. 273.* pro *Critoni*, Platoni.

c) *l. c.* ita & MACROBIVS *l. I. c. 11.* Forte omnes huc ſua contulerunt. Crito tamen & Alcibiades facultatibus potentes id facere præ Cebete poterant.

d) Fuit itaque ex numero eorum, qui ex ſervis facti ſunt philoſophi, notante Hieronymo apud LAERT. *l. c.* quales fuere quoque Diogenes, Epictetus, Iſter, de quo vid. SVIDAS *v. Iſter, T. II. p. 155.* aliique, quos nominat GELLIVS *l. c.* Scripſit *de ſervis eruditione claris* HERMIPPVS Peripateticus philoſophus, de hiſtoria philoſophica meritiſſimus, de cujus ſcriptis magna noſtra jactura deperditis videndus IONSIVS *de Scr. Hiſt. phil. l. II. c. 9. p. 162.* Hunc cum Iſtro confundit MENAGIVS *ad l. c. Laërt.*

e) Conf. LAERT. *l. c.* MENAG. *ad h. l.* FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. I. p. 792.*

f) *l. c.*

g) Conf. FABRICIVS *l. c.*

h) Vid. IONSIVS *de Script. hiſt. phil. l. II. c. 4. p. 130.*

i) LAERT. *l. VII. ſ. 178.* conf. IONSIVS *l. c. c. 6. p. 143.*

eripuit, solusque fere LAERTIVS [k] memorias veterum de Menedemo nobis conservavit. Is Eretriensis fuit, filius Clisthenis, nobilis quidem viri ex Theopropidarum prosapia, qui tamen paupertate pressus architectonicam exercuit; alii tabernaculorum sartorem faciunt, & utrumque didicisse Menedemum volunt, quod ei Alexinus objecit. [l] Missus autem ab Eretriensibus, ut Megaris in præsidio esset, inde Athenas properavit, ubi tum magno applausu in Academia docebat Plato, ut hunc audiret. [m] Neque tamen eam, quam speraverat, doctrinam in Platonis, & ejus successoris, Xenocratis, schola deprehendens, ad Cyrenæum Paræbatam discessit, quem & ipsum contemsit. A necessario autem suo, Asclepiade, ad Stilponem traductus est, quem magni fecit. Interrogatus enim, quid de eo sentiret? ἐλευθέριον esse dixit; [n] qua voce liberalis docendi & vivendi ratio, qua Stilpo inter elegantissimos philosophos numerari meruit, sine dubio commendatur. Inde cum Asclepiade Elidem navigans in Anchipyllum & Moschum incidit, Phædonicæ doctrinæ alumnos, a quibus Eliacæ scholæ additus est. In patriam postea reversus scholam aperuit, & philosophiam docuit, quæ ab urbe Eretriacæ nomen accepit. A Stilpone vero scholastici apparatus nauseam accepisse videtur; in schola ejus enim, nullus, ut tum fieri amabat, circa eum ordo, nulla subsellia per gyrum disposita, sed ut singulis aut ambulare aut sedere contingebat, ita illum audiebant. [o] Contemtui vero initio haberi cœpit a civibus, canisque & insipiens vocari; postea vero in summa admiratione fuit, adeo ut summa reipublicæ ei crederetur, ducentorum talentorum in annum stipendio, [p] ex qua tamen summa quartam ille partem accipere noluit: quod munus publicum quoque non intensissima tantum cura, [q] sed & salutari effectu gessit. Legationes enim pro patria

k) l. II. s. 125. seqq.

l) Alexineum quendam nominat LAERTIVS *l. c.* quod pro patrio habet cognomine STANLEIVS *p. 274.* Laërtius vero Alexini sectatorem intellexisse videtur. Non infeliciter vero nobis conjecisse videtur eruditissimus OLEARIVS *ad h. l. Stanleji*, ipsum Alexinum intelligendum esse. Hujus enim argutias dialecticas Menedemum acute retudisse narrat LAERTIVS *l. II. s. 137.* quam amarus autem Alexinus erga adversarios fuerit, supra diximus. Ceterum ex objectione Alexini ὡς ὅτε σκηνὴν ὅτε ψήφισμα προσήκει τῷ σόφῳ γράφειν, patet, Menedemum tum, cum philosophiæ navaret operam, architectonicæ tamen operam dedisse: id quod ei exprobravit Alexinus, quem quidem acriter objurgavisse, beneficiis tamen mactasse plurimis narrat LAERT. *s. 136.*

m) LAERT. *l. II. s. 125.* qui militiam ideo deseruisse dicit. Platonis quoque discipulum faciunt PLVTARCHVS *adv. Colot.* & CYRILLVS *contra Iul. l. VI.* Repugnare tamen hoc ait IONSIVS *l. c. p. 351.* temporum rationibus; quia Olymp. CXXX. adhuc vixerit & LXXIV. annos tantum exegerit; Plato vero Ol. CVIII. mortuus sit. conf. *ib. l. II. c. II. p. 171.* Frustra vero supponit Ionsius Ol. CXXX. adhuc vixisse; qui LAERTIVS *l. VII. s. 6.* ait Persæum hoc tempore vixisse: eo enim loco Laërtius non tempus, quo cum Antigono versatus est Persæus notat, sed illud, quo postea clarus fuit. Patet quoque ex historia mortis Menedemi, factam eam esse statim post devictos ab Antigono Gallos, adeoque Ol. CXXV. 3. anno ab obitu Platonis LXX. ut ex Decreto ejus, in gratiam Antigoni scripto, apud LAERTIVM *s. 140.* recte collegit HVMFRED. HODY *de LXX. Interpret. dissert. VIII.* calculos ejus probante MENAGIO *ad l. c. Laërt.* Legunt etiam Codd. Laërtii non LXXIV. sed LXXXIV. annos natum Menedemum obiisse. Hoc tamen non obstante non LXXXIV. sed XCIV. annos attigisse debuit; quia cum ad Platonem secederet, militiæ nomen dederat, & ita XXIV. ætatis annum compleverat.

n) LAERT. *l. II. s. 134.*

o) ibid. s. 130.

p) ib. s. 140. Ita quidem locum Laërtii vertit OLEARIVS apud STANLEIVM *p. 276.* non negamus tamen, verba historici nobis visa esse melius expressa ab interprete: quin etiam ad Demetrium legatus, cum illi civitas CC. talenta quotannis solveret, ut L. remitterentur effeciisse, CC. enim stipendio talenta solvere, inusitatum.

q) Ejus curæ exemplum *vid. ib. s. 131.*

patria ad Ptolomæum, Lyſimachum & Demetrium, reges Macedoniæ, cum honore ſuſcepit, tributi diminutionem obtinuit, ſeque principibus viris fecit commendatiſſimum, patriamque ſæpe a tyrannis liberavit, qui Demetrio eam ſubjicere tentabant.[r] Imprimis vero Antigonus Macedoniæ rex ejus erat ſtudioſus, qui ſe ejus diſcipulum profiteri non erubuit, quæ res ei magnam invidiam conflavit. Cum enim in ſuſpicionem prodendæ Antigono urbis adduceretur, calumniante Ariſtodemo, tantis civium premebatur odiis, ut clam urbe diſcederet & Oropi degeret: ibi cum aurei calices periiſſent, communi Bœotiorum decreto loco migrare juſſus eſt. Mœrens itaque inde egreſſus, in patriam clam rediit, aſſumtaque uxore & filiabus ſe ad Antigonum contulit. Aliter rem narrat Heraclides: cum ſuſpicione proditæ patriæ premeretur, ad Antigonum ſe contuliſſe, & pro reſtituenda patriæ libertate precibus eum aſſiduis flagitaſſe; obſtitiſſe vero Perſæum,[s] quo minus Eretrienſes ſervituti eriperentur. Menedemum itaque non tantum inexorabile in Perſæum foviſſe odium, ſed, & cum precibus nihil ab Antigono impetrare potuiſſet, ſeptem dies totos a cibo abſtinuiſſe, atque ex animi dolore vitam finiiſſe: id quod LXXXIV. ætatis anno factum eſſe Heraclides quidem ait, qui vero numerus corruptus eſſe videtur, ſi verum eſt, quod veteres tradunt, Platonem ipſum Menedemum audiviſſe.[t] Ex Antigoni & Perſæi Stoici enim temporibus patet, illum Olymp. CXXIV. adhuc vixiſſe.[u] Dotes animi corporisque a natura acceperat, longe præſtantisſimas, quæ illum vehementer commendabant. Corporis in eo jam ſene habitus & ſtatus idem perdurabat, quem habuerat juvenis, athletæ inſtar firmus & validus, atque aduſta facie, obeſus item & attritus, & mediocris proceritatis; ingenio utebatur acuto, & in dialecticis quoque argutiis verſatiſſimo, quamvis illas mire contemneret, & riſui exponeret: verſatile enim cum id eſſet, & adeſſet ei orationis vis tanta, ut difficile eſſet, ipſi occurrere, in omnes partes ſe verſare ſolebat, & ubique, quod diceret, inveniebat:[x] quare contentioſam fuiſſe ejus eloquentiam dixit Antiſthenes in *ſucceſſionibus*, qui dialecticas quoque ejus quæſtiunculas refert: quas tamen ad confundendos tantum Eriſticos adhibuiſſe, ex perpetuis, quas cum Alexino fovebat, litibus non inepte colligitur.[z] Vehementem quoque in diſputationibus fuiſſe, veteres notant,[a] adeo ut livida ſæpe facie diſcederet. Quæ tamen diſputationis vehementia ad animi non penetravit mores, quos placidiſſimos fuiſſe, talesque, ut adverſariis, quo poſſet modo benefaceret, LAERTIVS[b] tradit. Morum vero ſanctitate venerabilis erat, adeo ut admodum

r) Prolixius hæc omnia narrat LAERT. *l. II. ſ. 140.*

s) De hoc Zenonis diſcipulo vid. LAERT. *l. VII. ſ. 6.* & viri docti ad hunc locum.

t) Vid. *not. (m).*

u) LAERT. *l. c. ſ. 132.* x) *ib. ſ. 134.*

z) Pertinere huc videtur quod IDEM *ſ. 134.* habet, fuiſſe δυσκατανόητον *perceptu difficilem*, oratione enim copioſiſſimum fuiſſe ipſe tradit. Intelligit itaque argumentorum ſubtiliratem, quibus ita aciem inſtruebat, ut non tantum adverſarii difficulter eam aſſequerentur, ſed & non minus difficulter contra pugnarent, addit, enim, fuiſſe τῷ συνθέσθαι δυσανταγώνιστον, καὶ εὐρηλογῆσαι, quo ingenium novis ſemper argumentis & objectionibus inveniendis paratum & aptum indicat.

a) *l. c. ſ. 136.*

b) *ibid.* Ideo faſtum & cachinnos ei objecere Crates & Timon. Exempla apophthegmatum habes apud LAERTIVM *ſ. 128. ſeqq.*

modum timeretur; in objurgando autem ſumma utebatur gravitate & auctoritate, adeo, ut vel geſtibus & ſignis vehementer corriperet, & acutis dictis aculeo quaſi animos confoderet. Ejus vero libertatis uſu, qua & principibus viris veritatem profiteri non extimuit, pene cum amico Aſclepiade periiſſet. [c] Fuit etiam amicis jucundiſſimus, & liberalitatis atque hoſpitalitatis amantiſſimus. Et quia parum ſalubris erat Eretriæ aër, frequentia obibat convivia, quorum ordinem modumque deſcripſit Antigonus Caryſtius, [d] dignus qui legatur. Eximius enim locus eſt, ex quo ratio conviviorum philoſophicorum apud Græcos diſci poteſt. Nihil ibi luxui datum, frugalitate temperata omnia: poculum cotula non majus: bellaria fabæ ac lupini, interdum de fructibus, quales annus præberet: dum biberent, variæ quæſtiones a Menedemo propoſitæ; menſa ſecunda ſermonibus expleta, quibus continentiæ & temperantiæ argumentum erat: tantaque id hoſpitum jucunditate, ut, licet ad gallicinium haud raro protraherentur, ingratiis tamen eorum ſolverentur. Frugalitatis enim adeo obſervantiſſimus fuit, ut licet ipſi & Aſclepiadi amico, qui una cum eo vivebat, opes affluerent, amicis quoque largientibus, iis tamen prudenter & ſine ſumtuum diſpendio uteretur. [e] Reprehenditur tamen in eo gravitas in faſtum degenerans, quem dura licet paupertate in juventute preſſus non potuit totum celare, [f] unde & gloriæ appetentior, quam philoſophum decebat fuiſſe dicitur. Aliquanto etiam ad ſuperſtitionem procliviorem prodidit animum, quem tamen poſtea repreſſit. [g] Poëtas amabat vehementer, ſummum vero ſtudium ejus ferebatur in Homerum, & poſt hunc in Sophoclem, quemadmodum elegantioris eruditionis laudem captaſſe, omnino eſt veriſimile. Adfuiſſe autem in Aegypto, cum Græca verſio τῶν ὁ conficeretur [h] ex temporum ſerie falſum eſſe demonſtratur. Etſi vero invidia civium mortis ejus cauſa extitit, honoratus tamen poſtea eſt ab Eretrienſibus ſtatua. [i] Nihil eum ſcripſiſſe ait Antigonus Caryſtius. [k] Fuit & alius Menedemus, Cynicus philoſophus, de quo ſuo loco; item Medicus. Succeſſorem, quod vult LAERTIVS, [l] vel ſocium potius non vitæ tantum & fortunæ, ſed & philoſophici ſtudii habuit ASCLEPIADEM Phliaſium, cui tanta amicitiæ fide junctus erat, ut nulla re Pyladis & Oreſtis amori cederet. Non enim in prima juventute tantum vilibus uterque operis victum ſimul quærebant, & fabrum in ædificando juvantes lutum & lapides ferebant, [m] ſed & philoſophiæ ſtudiis ſe mancipantes noctu ſemper ad piſtrinum deſcendebant, ibique duas drachmas merebant, ut

Aſclepiades.

c) Narrat *hiſtoriam* IDEM *ſ. 129.*
d) Apud ATHENAEVM *l. X. p. 419. quem* exſcripſit LAERTIVS *ſ. 139.* de hoc convivandi modo conf. IONSIVS *l. II. c. 2. p. 124.* & qui docte eum enarravit, ESCHENBACH. *diſſ. Acad. V.* quæ eſt, de *Sympoſiis Sap. p. 257. ſeqq.*
e) ἐυτελῶς LAERT. *ſ. 138.*
f) Exemplum narrat IDEM *ſ. 130.*
g) Ex carnibus enim morticinis comeſtis nauſeam & pallorem contrahens, ideo ab Aſclepiade correptus eſt *ib. ſ. 131.*
h) Id Ariſteas aſſerit, notatus ab HODY. *l. c.*
i) LAERT. *l. II. ſ. 132.*
k) *Ibid. ſ. 136.*
l) *Ibid. ſ. 105.*
m) *Ib. ſ. 130.*

ut interdiu philoſophos audire poſſent. Quod cum ignoraretur, ad Areopagi pertracti ſunt judicium, ut juxta Solonis legem rationem redderent, qui fiat, ut omne tempus in philoſophorum terentes diſputationibus, neque labore, neque patria hæreditate eis, de quo viverent, ſuppeditante, ſubſiſtere tamen valeant, neque ulla re indigeant? Ex piſtrino præfecto vero re cognita attoniti Areopagitæ CC. drachmarum præmium eis ſolvere juſſerunt: [n] alii quoque patroni liberalitate eos ſublevarunt. [o] Vxorem quoque uterque duxit filiam Aſclepiades, matrem Menedemus; quam ille defuncta uxore ſecundis ſibi junxit nuptiis: ita tamen, ut Menedemus, qui in republica honoratiori loco poſitus nobiliorem uxorem duxerat, ei curam rei domeſticæ permitteret. [p] Aſclepiades autem ætate provectior, cum in magnis opibus frugaliter cum Menedemo vixiſſet, eo prior obiit, nec tamen ejus memoriam abjecit Menedemus.

Menedemi doctrina.

§. III. Nullum Menedemum doctrinæ philoſophicæ ſyſtema compoſuiſſe, aſſerit in ejus vita Antigonus Caryſtius, unde & de philoſophia ejus diſquiri non poteſt. [q] Refert tamen LAERTIVS: [r]

I. Suſtuliſſe propoſitiones negantes, ſolisque affirmantibus locum feciſſe: & ex his ſimplices ſolum admiſiſſe, rejectis, quæ tales haud eſſent, conjunctis & complexis. [s] Videtur vero id ſophiſtarum cauſa, & imprimis ad vexandos Eriſticos afferuiſſe: cum enim eorum ſophiſmata propoſitionibus complexis atque compoſitis conſiſterent, in quibus fallacia dictionis plerumque latebat, negatis iis tanquam ineptis, ad propoſitiones ſimplices reducebat, quo non poterat non mox tota fallacia detegi. Cujus exemplum refert LAERTIVS: ſciſcitanti aliquando Alexino, an patrem cædere deſiiſſet? reſpondiſſe, neque cecidi, neque deſii. Vrgente vero altero, ut ſimpliciter vel affirmando vel negando reſponderet, regeſſiſſe: ridiculum eſt ſuſcipere veſtras leges, cum in ipſo limine queant repelli.

II. Statuiſſe: unum eſſe bonum, unam virtutem, graviterque in eos, qui plura aſſererent, animadvertiſſe. [t]

III. Sapienti ducendam eſſe uxorem. [u]

IV. Omni die philoſophos audiendos eſſe. [x]

V. Maximum bonum enim, ea ſolum, quæ deceat, deſiderare. [y]

n) ATHENAEVS *l. IV. p. 168.*
o) LAERT. *ſ. 137. 138.*
p) *Ibid.*
q) Id vox συγλέξαι hic vult apud LAERT. *l. I. ſ. 136.* quod STANLEIVS *p. 275.* minus accurate expreſſit: *nihil pro certo definiviſſe.*
r) *Lib. II. ſ. 134.*
s) Hic iterum ſenſum obſcuravit STANLEIVS. Recte enim pro λέγων, λέγω ſcribendum eſſe monuit CASAVBONVS.
t) *Ib. ſ. 129.*
u) *Ib. ſ. 128.*
x) *Ib. ſ. 129.*
y) *Ib. ſ. 136.*

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

DE SECTA ACADEMICA.

SECT. I.

DE PLATONE EIVSQVE PHILOSOPHIA.

§. I.

Secta Academica.

Et hæ quidem ſectæ fuere ut minoris famæ, ita & brevioris ætatis, quæ ex Socratis ſchola prodierunt. Multo majorem celebritatem conſecutæ ſunt quæ reſtant Academica atque Cynica, quarum illa ad Platonem, hæc ad Antiſthenem origines ſuas refert, quippe quæ non diutiſſime tantum durarunt, ſed & novas ſectas genuerunt, fama & auctoritate illis non concedentes Peripateticam & Stoicam. Et Plato quidem Socraticorum diſcipulorum minimus [a] omnes, qui ex eadem ſchola prodierant, nominis fama & philoſophiæ laude longiſſime antecelluit, & caput tantum non ad æthera extulit. De cujus vita & philoſophia eo diligentius diſpiciendum eſt, quo magis ratio philoſophandi Platonica non vetuſtis tantum ante C. N. temporibus maxime inclaruit, ſed & poſt C. N. intercidentibus reliquis ſectis Græcanicis ſola cum Peripatetica inter philoſophantes perſtitit, & ad noſtra fere tempora ſectatores invenit, ut hiſtoriæ philoſophicæ filum pertexturis ſuo loco & tempore prolixe demonſtrabitur. Quia vero Platonis ſequaces mature ejus philoſophiam mutaverunt, ideo ipſe prius & philoſophica ejus doctrina accurate conſideranda eſt.

Scriptores de Platone.

§. II. Vt vero tanti philoſophi hiſtoria partium ſtudio haud ſemel vehementer corrupta, quantum poteſt, exacta ad fidei hiſtoricæ leges cognoſcatur, cum attentione & provida mente legendi ſunt, qui Platonis vitam deſcripſerunt, quo in ſtadio & veterum & recentiorum virorum eruditiſſimorum diligentia verſata eſt. Et veterum quidem plerosque ætas nobis invidit, & deſiderantur non ſine magna hiſtoriæ philoſophicæ jactura ſcripta Speuſippi, Xenocratis, Hermodori, Ariſtoxeni, Clearchi, Zoſimi Alexandrini, Favorini, Porphyrii aliorumque, quorum paſſim mentio inter veteres hodie ſuperſtites fit, de quibus, cum ea nobis erepta doleamus, hic agere nihil attinet, conſulendi vero ſunt, qui hiſtoriam literariam veterum condiderunt, magni in his literis viri IOANNES IONSIVS & IOANNES ALBERTVS FABRICIVS. Ex paucis, qui commune veterum librorum naufragium evaſerunt, nominandus eſt, qui hactenus non exiguum nobis uſum præſtitit DIOGENES LAERTIVS. Etſi enim, ut meliori judicii acumine hanc quoque Platonis hiſtoriam conſcripſiſſet, merito ſit optandum; debemus ei tamen tot deperditarum de Platone memoriarum notitiam,

a) Ita ipſe in *Apologia Socratis.*

tiam, ut merito de ſervata nobis ea gaudeamus. Præter Laërtium APVLEIVS quoque in libro de Platonis dogmate celeberrimi philoſophi res atque fata ſæpiſſime tetigit, & quidem toties cum Laërtio concordat, unusque ita exprimit alterum, ut recte judicaſſe cenſendus ſit ISAACVS CASAVBONVS, [b] aut illum ab iſto pleraque tranſtuliſſe, aut utrumque ex eodem hauſiſſe fonte. Ex Platonis ſequacibus OLYMPIODORVS etiam de Platonis vita differuit, quam *Diogeni Laërtio* a ſe edito adjecit MERICVS CASAVBONVS, & MARCVS MEIBOMIVS quoque cum annotationibus IACOBI WINDETI poſt Laërtii librum editioni ſuæ in fine inſeruit. [c] THOMAE MAGISTRI vitam Platonis nominat quidem cl. STOLLIVS, [d] quam tamen nec vidimus, nec in catalogo ſcriptorum ejus a viris doctis enarrato offendimus. [e] Ex recentioribus imprimis memorandus & MARSILIVS FICINVS de Platone ejusque philoſophia meritiſſimus, qui luculentam vitæ philoſophi deſcriptionem *verſioni dialogorum Platonis* præmiſit. Qui tamen, ut more temporis ſui fontes, ex quibus ſua hauſit, non indicavit, ita vel propterea caute legendus eſt, quod ipſe non neget, amorem in Platonem ingentem & neſcientem tenere modum eum raptaviſſe, ad declamandum pro Platone. [f] Ex Italis GVARINVS quoque philoſophi hiſtoriam *vitis illuſtrium Græcorum & Romanorum* inſeruit. Inter Gallos vero RENATVS RAPINVS *comparatione Platonis & Ariſtotelis*, atque ANDREAS DACIERIVS nova *vitæ Platonis delineatione* [g] de hac hiſtoriæ philoſophicæ parte egregie meriti ſunt, ita tamen, ut & hic critico examine opus ſit. Ex Anglis potiora ex veteribus collegit more ſuo THOMAS STANLEIVS. [h] In Germania vero præter minora aliquot lumina communis temporis ſui præceptor PHILIPPVS MELANCHTHON elegantem *de Platonis vita* orationem [i] conſcripſit. Nec errabimus, ſi diligentiſſimos Laërtii commentatores ISAACVM & MERICVM CASAVBONOS, THOMAM ALDOBRANDINVM & AEGIDIVM MENAGIVM in hunc cenſum referamus: licet enim hiſtoriam Platonis non condiderint, magna tamen induſtria ad illuſtrandum Laërtii textum de Platone ea collegerunt, quæ ſparſim veteres de magno hoc philoſopho dixerunt, quæque in deſcribendis vita & fatis Platonis omnino conſulenda & inter ſe comparanda ſunt.

Platonis origines & natales.

§. III. Plato Athenienſis fuit; qui enim Thebanum faciunt, Cynocephali ortum, [k] fundamento deſtituti fidem non merentur: parentes Collytei pagi fuerunt, ipſe vero in Ægina inſula natus eſt, patre eo miſſo, ut agros ſortiretur, quo cum Athenas rediit expulſis Lacædemoniorum colonis. [l] Pater Ariſto, Ariſtoclis filius ex Codri poſteris fuit, qui ad Neptunum genus referebant: mater Perictione, quam alii Potonam vocant, quæ a So-

b) *Ad Laërt. l. III. f. 1.* c) *pag. 582.*
d) *Hiſt. lit. P. II. c. 1. §. 32.*
e) Et IONSIVS de eo ſilet, & FABRICIVS, qui ejus ſcripta paſſim diligenter enarravit.
f) In *dedic. ad Laur. Medices.*
g) Præmiſit eam *Verſioni Gallicæ dial. Platonis.*
h) *Hiſt. phil. P. IV. p. 279.*
i) *Oration. T. II. p. 353. ſeqq.*
k) LAERT. *l. III. f. 1.* TZEZ. *Chil. II. 390.*
l) LAERT. *l. c.* SVIDAS in *Plato.*

a Solone genus derivavit, quæ præter Platonem Adiamantum quoque & Glauconem atque filiam Potonam, Speuſippi matrem, peperit. [m] His parentibus natus quidem eſſe dicitur; ſunt tamen, qui, ut ait APVLEIVS, [n] *auguſtiore proſatum conceptu*, contendant. Vulgata enim apud Athenienſes fama fuit, plurimis veterum memorata, [o] fuiſſe eum Apollinis filium, qui in viſione Perictionæ, pulcherrimæ formæ feminæ oblatus, ei ſe miſcuerit, quæ ex eo concubitu gravida facta ſit, Ariſtone marito interim cum ea congredi divinitus prohibito, juſſoque voce divina decem menſibus ab uxore abſtinere, donec partum edidiſſet. Volunt alii id a ſpectro apparente factum, Platonemque ex virgine natum. [p] Quæ etſi multorum veterum ſcriptorum traditionibus nituntur, & publicum vulgi rumorem ſapiunt, [q] luculenter tamen produnt, aut conciliandæ Platoni auctoritatis cauſa a diſcipulis conficta eſſe, [r] aut Platoni illegitimo concubitu ſato, dedecoris amovendæ cauſa ejusmodi parentem a matre affictum eſſe: quo ſtratagemate mulieres impudicas inexpectatos amoris furtivi fructus celaſſe, & quos magnos futuros ſperaverant, majorem quam humana conditio patitur, ortum tribuiſſe, tot veterum exempla loquuntur. [s] De anno nativitatis Platonis variant veterum relationes; plerique Olymp. LXXXIIX. 1. quidam 4. alii Olymp. LXXXVII. 3. vel 2. editum volunt, qua de re viri docti ad LAERTIVM videndi. [t] Fuerunt, qui Ieremiæ prophetæ temporibus vixiſſe dicerent, quem in Ægypto Platonem vidiſſe contendunt. Dudum vero oſtendit AVGVSTINVS, [u] qui olim non alienus ab hac opinione fuerat, tempora non concordare, cum plus ſeſquiſeculo Plato junior ſit vate Hebræo, quem ad Olymp. XXXVI. refert EVSEBIVS. Dies natalis philoſopho illuxit Thargelionis ſeptima, quam poſtea ſacram atque feſtam philoſophis fuiſſe, [x] ſupra in Socrate diximus. Parentes avi Ariſtoclis nomen ei indidiſſe Alexandro relatum; [z] Platonis vero nomen accepiſſe a Socrate vult TZETZES, [a] alii, ab Ariſtone Argivo Palæſtrita nactum eſſe contendunt; cauſam tamen varie referunt: alii enim ad latitudi-

m) De genere Platonis & majoribus vid. LAERT. *l. c.* PROCLVS *ad Timæum Plat. p. 25.* quæque fuſe affert STANLEIVS *P. IV. p. 279.* quocum conferendus, IO. MEVRSIVS, qui plura de Melantho & Codro, *de regno Athenienſ. l. III. c. 10. ſeq. p. 204. ſeqq.*

n) *De dogm. Plat. p. m. 283.*

o) Vid. LAERT. *l. c.* & viri docti ad *h. l.* PLVT. *in Symp. l. VIII. c. 1.* OLYMPIOD. *p. 582.*

p) Vid. HIERONYM. *adv. Iovin. l. I. T. IV. p. 186.* ed. Par.

q) Hinc & ſepulchro ejus inſcriptos OLYMP. *l. c. p. 588.* hos verſus refert:

Phœbo patre Plato, atque heros Epidaurius orti
Hic nempe ut corpus ſervet, & ille animam.

Hos ſibi tribuit LAERT. *l. III. ſ. 46.*

r) Ita egregie ORIG. *adv. Celſ. l. I. p. m. 30. Hæc meræ ſunt fabulæ fictæ in ejus viri gratiam, qui multorum exiſtimatione ſapientia præcelluit ceteros, eoque a diviniori quodam ſemine creditus eſt traxiſſe originem, quaſi hoc natura humana ſuperiorem deceat.*

s) Romuli, Alexandri M. aliorumque hiſtoria hoc docet. vid. HVETIVS *Dem. Ev. Pr. IX. c. 9. §. 4. p. m. 466.* conf. STANLEI. *præf. act. phil. vol. III. p. 674.*

t) Conf. STANLEIVS *l. c. p. 281.* PETAVIVS *miſcell. exerc. c. 7.* & *ration. temp. l. III. c. 13. p. m. 162.* MARQ. GVDIVS apud MENAG. *ad Laërt. l. III. ſ. 3.*

u) *De Civ. Dei l. VIII. c. 11.*

x) LAERT. *l. III. ſ. 2.* PLVT. *Sympoſ. VIII. 1.* Hanc cum temporum noſtrorum rationibus comparat STANLEIVS *l. c. p. 282.* De Πλατωνείων feſto hoc die a philoſophis celebrari ſolito vid. PORPHYR. *in vita Plotini.* EVSEB. *Præp. X. 3.*

z) LAERT. *l. III. ſ. 4.*

a) *Chil. VI. hiſt. 51. Ch. XI. hiſt. 390.*

tudinem humerorum vel pectoris quoque, vel frontis respexisse auctorem nominis conjiciunt; alii ἐυεξίαν corporis, alii latitudinem sermonis, sive copiosum atque apertum dicendi genus isto nomine expressum esse asserunt. [b] Quorum omnium conjecturas incertissimo niti fundamento, hæc sola ratio evincit, quod Platonis nomen non tum demum fictum & formatum est, cum nasceretur philosophus, sed usu jam receptum fuit inter Athenienses & reliquos Græcos. Vt enim recentiores nostro Platones taceamus, quos enumerat diligentissimus FABRICIVS, [c] priscæ comœdiæ poëta antè nostrum Plato quidam inclaruit, [d] passimque nomen usu receptum fuit. Certe Platonis imagines, quæ passim occurrunt, nihil habent, quod cum hac delineatione conveniat. [e]

Educatio. §. IV. Hunc, quem Apollinis filium esse volebant, infantem adhuc, præsagiis ostensum esse talem, porro jactant Platonis admiratores, qui eruditionis & eloquii suavitate cunctos antecelleret. Narrant enim AELIANVS, [f] VALERIVS MAXIMVS, [g] PLINIVS, [h] CICERO [i] aliique, [k] infans cum esset Plato, matris sinu gestatus, patrem ejus in Hymetto Atticæ monte Musis ibi Nymphisque sacra feciisse, matremque, dum sacris essent intenti, in proximis myrtis opacis filium reposuisse: ei vero dormienti applicuisse sese examen apum, eumque circumvolitantes suavique circumstrepentes susurru mel parvuli labellis inseruisse: id quod futuræ eloquentiæ, & divini quasi eloquii suavitatem præsagire, interpretes prodigiorum fuerint fassi. Sed id Academicorum, præceptorem miris laudibus extollentium, commentum fuisse, desumtum a figurato & emblematico dicendi genere, [l] quo laudatissima Platonis eloquentia [m] cum melle comparabatur, non est, quod dubitemus: mire enim in id contenderunt Platonis admiratores, ut essent in ejusmodi nugis excogitandis ingeniosi. A veri tamen specie non abit, quod ex Speusippo *domesticis instructo documentis* refert APVLEIVS & *pueri ejus acre in percipiendo ingenium, & admirandæ verecundiæ indolem fuisse, & pubescentis primitias labore atque amore studendi imbutas habuisse.* Refert idem, & LAERTIVS quoque, in prima literatura habuisse doctorem Dionysium, palæstricis exercitatum apud Aristonem Argis oriundum, tantosque progressus exercitationem eam illi contulisse, ut Pythia & Isthmia deluctata certaverit: [n] quæ tamen solius rumoris inter vulgus sparsi traditio esse videtur. Picturæ quoque studiosus

b) Loca auctorum enarrandi otium nobis fecit FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 2. not. a.*

c) *l. c.* qui ex Gudii & Menagii observationibus plerosque collegit.

d) Vid. IDEM *vol. I. p. 745.*

e) Apud SPANHEM. in *Callimach. p. 7.* PATINVM *pec. diss.* conf. *Act. phil. vol. III. p. 674.*

f) *V. H. l. X. c. 21.* *g)* *Lib. I. c. 6.*

h) *Hist. nat. l. XI. c. 9.* *i)* *De divinat. l. I.*

k) Omittit fabulam LAERTIVS, ad quem *l. III. s. 5.* id miratur MENAGIVS, sed suspicio est, Laërtium fabulam agnovisse.

l) Conf. FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 3. Act. phil. vol. I. p. 18.*

m) PLVT. *de plac. phil. l. I. c. 7.* aliique laudati MENAG. *ad l. c.* Laërtii. Sedis ἰσχνοφόνου fuisse, quod vel balbutiem vel vocis gracilitatem innuit, refert. Quod quia cum μεγαλοφωνία Platoni tributa non consistere potest, evincit, non de oris suavitate, sed elocutionis dulcedine intelligendum esse, ut recte notat OLEAR. *ad* STANLEI. *p. 284.*

n) LAERT. OLYMPIODOR. APVLEIVS *ll. cc.* CYRILLVS *contra Iul. l. VI.*

dioſus fuit, & imprimis multam poëticæ arti induſtriam atque laborem impendit, plurimaque poëmata compoſuit, dithyrambica primum, poſt epica, quæ tamen poſtea cremavit, poſtquam cum Homericis comparata illis multum inferiora eſſe cerneret; inde, ad tragœdias ſcribendas ſe contulit, in quibus tantum ſe profeciſſe credebat, ut compoſita tetralogia, qua tragici Græci in ſolennioribus feſtis certare ſolebant, eam mimis traderet, de præmio certaturus. [o] Verum die, antequam exhibenda eſſet in theatro Socratem audiens, ejusque facundia captus, non tantum certamen declinavit, ſed & nuntio poëſi miſſo, quæcunque in hoc quoque genere elaboraverat, Vulcano tradidit, & ab iſto tempore, XX. vero agebat ætatis annum, philoſophiæ ſtudio ſe totum tradidit. [p] Muſicen quoque a Dracone Athenienſi & Metello Agrigentino didiciſſe, teſtatur PLVTARCHVS. [q] Sunt, qui dicant, paupertate adactum militiam ſecutum fuiſſe, in Socratem vero incidentem divenditis armis ſe ad philoſophiam contuliſſe: quod tamen omni veterum teſtimonio repugnat: [r] quemadmodum & illi, qui ter eum pro patria pugnaſſe contendunt, [s] primum ad Tanagram, inde ad Corinthum, poſtremo ad Delium, ibique primas tuliſſe, temporum ſerie facile refutantur. Primum enim prælium Olymp. XXC. 4. ſecundum Ol. XXCIX. 1. tertiumque eodem anno contigit, quo quadrimus erat Plato, rectèque conjicit STANLEIVS [t] Socratem cum Platone fuiſſe confuſum, qui ter militaverat, & ad Delium primas retulerat, quas tamen Alcibiadi ceſſiſſe, ſuo loco monuimus.

§. V. Philoſophiæ vero amore captus, cum toto in Socratem ferretur animo, illi a patre Ariſtone commendatus eſt. Singulare eſt, quod ea de re referunt PAVSANIAS, [u] LAERTIVS, [x] APVLEIVS, [y] OLYMPIODORVS. [z] Socrate in ſomnio viſum eſſe, cygni pullum ex altari, quod in Academia Cupidini conſecratum eſt, volaſſe, & in ſuo gremio reſediſſe: & poſtea olorem illum pennis cœlum petiiſſe, canore muſico auditus hominum Deorumque mulcentem. Cum hæc Socrates in conventu hominum referret, Ariſtonem Platonem puerum [a] oblaturum Socrati magiſtro commodum proſequutum fuiſſe, quem ubi aſpexerit ille, ingeniumque intimum de exteriore conſpicatus ſit facie, dixiſſe: hic ille erat cygnus de Academia Cupidinis. Eſſe vero & hanc ex earum fabularum numero, quæ ad augendam præceptoris famam in vulgus ſparſere Platonis diſcipuli, ipſi qui eam referunt, non obſcure produnt; illi enim

Diſciplina Socratica.

o) AELIAN. *V. H. l. II. c. 30.*
p) LAERT. *l. III. ſ. 6.* APVLEIVS *l. c.* & MENAGIVS *ad l. c.* STANLEIVS *l. c. p. 284.* & OLEARIVS *ad h. l.*
q) *De Muſica T. V. p. m. 558.*
r) Ipſe, qui hæc refert, in dubium vocat AELIANVS *l. III. c. 27.*
s) Ariſtoxenus apud LAERT. *l. III. ſ. 8.* AELIANVS *l. VII. c. 14.*
t) *l. c. p. 285.*
u) In *Atticis.*
x) *Lib. III. ſ. 5.* & ex eo SVIDAS *l. c.*
y) *l. c. init.* z) *l. c.*
a) Ita quidem APVLEIVS, cujus verba referimus. Erat vero tunc jam XX. annos natus, teſte LAERT. *l. c. ſ. 6.* & juvenis, qui luctari poſſet & in palæſtricis ſe, more Græcorum, exercere. Apuleji itaque verba nimis premenda non ſunt, qui fabellam enarraturus, de accurato temporum ordine non cogitavit.

enim ad ſolam vulgus traditionem provocant, & vel ſola vulgaris & inepta opinio, canoras cygnos aves eſſe, quam inepte adſtruit Pauſanias, demonſtrant, vulgi hæc deberi rumoribus. Veriſimilius eſt; Socratem explorata ex facie atque vultu Platonis indole, juvenem ingenio altiora petente & exercitationibus literariis jam ſubacto prædítum libenter in diſciplinam admiſiſſe: ea enim methodo Socratem ſæpius uſum fuiſſe, in ejus hiſtoria exemplis confirmavimus. Non tamen prorſus a philoſophicis ſtudiis erat imparatus, cum ad Socratem accederet; ſed prius, Heracliti & Parmenidis diſciplinis a Cratylo & Hermogene erat imbutus. Cujus quidem contrariam ſententiam aſſerit LAERTIVS, [b] contendens, decedente demum Socrate, Heracliteæ atque Parmenideæ philoſophiæ adhæſiſſe: aliter tamen APVLEIVS, [c] qui clare: *Et antea quidem Heraclíti ſecta fuerat imbutus; verum cum ſe Socrati dediſſet, non ſolum ingenio atque doctrina cæteros Socraticos vicit, ſed etiam elegantia illuſtravit.* Nec probabile eſt, nobilem juvenem Athenienſem, toto encyclopædias curſu abſoluto ad viceſimum ætatis annum usque philoſophiam ne a limine quidem ſalutaſſe; Apuleji vero fidem maximopere adſtruit ARISTOTELES, [d] dignus teſtis, qui diſerte teſtatur, Platonem ἐκ νέȣ τε συγγενόμενον πρῶτον Κρατύλῳ καὶ ταῖς Ἡρακλειτείοις δόξαις, *in juventute prima adhæſiſſe Cratylo & Heracliteis opinionibus.* Et hæc cauſa quoque eſt, cur aliena dogmata ſibi ſupponi a Platone vivus adhuc Socrates conqueſtus ſit, cum peregrina philoſophia imbutus Plato, ut erat ingenio admodum ſyncretiſtico, & ad confundenda ſyſtemata apto, jam tum præceptoris doctrinam cum iſta commiſcuiſſet. Quo quoque ſtudio componendi peregrina cum Socraticis diſcipulis Socratis vehementer diſplicuit, uti ſupra obſervavimus. [e] Fuit vero in Socratis diſciplina octo annos, eoque tempore, ea, quæ de magiſtro audivit, in literas retulit, magnamque condiſcipulorum invidiam ſibi conflavit. [f] Tanto tamen præceptoris amore flagrabat, ut cum magno odio premeretur Socrates ipſe, in ſenatum jam aſcitus, quod Ol. XCV. 1. accidit, ejus ille cauſam fortiter tueretur, & cum iniquo in præceptorem animo judices eſſe videret, oratoris cathedra conſcenſa, eum defendere conaretur, apologiam exorſus, quam tamen mox abrumpere judicum importunitas coëgit. [g] Socrate damnato Plato pecuniam obtulit, qua libertatem poſſet redimere, quam tamen

b) *Lib. III. ſ. 6.* & OLYMPIODORVS *p. 585.*
c) *l. c. p. 284.* *d*) *Metaphyſ. l. I. c. 6.*
e) In vita Socratis. His rationibus expenſis contrariam, quam in Germanico *Hiſt. phil. opere T. I. p. 588.* tenuimus, ſententiam, deſeruimus. Idem de STANLEIO *l. c. c. IV. p. 286.* notandum.
f) De Xenophonte ſupra dictum. Antiſthenes vero odio ejus ductus librum contra eum exaravit, cui parum honeſtum Sathonis titulum fecit LAERTIVS *l. III. ſ. 35.*
g) *Ibid. ſ. 42.* Magnis hic ſe temporum difficultatibus implicant, qui Platonem Ol. LXXXVIII. 1. natum, vigeſimo anno ad Socratem perveniſſe, & octo annos in ejus contubernio fuiſſe XXVIII. vero Megaras conceſſiſſe cum Hermodoro aſſerunt. Ante XXX. ætatis annum enim juxta leges Solonis in ſenatum cooptari non poterat. Si itaque Ol. XCV. 1. ſenator jam fuit, ſequitur, eum Olymp. LXXVII. 3. natum fuiſſe, & vel XXII. ætatis anno ad Socratem acceſſiſſe, vel ſi XX. annorum juvenis ei ſe tradidit, decem annos apud eum fuiſſe commoratum. Hæc M. GVDII conjecturas de anno Platonis natali magnopere confirmant. conf. cel. LAMIVS *de SS. Trin. l. II. c. 1. p. 82.*

men accipere recuſabat. Traditque ATHENAEVS,[b] quod ceteri ſilent, circa id tempus congregatis Socratis amicis, ut mortem ejus una lamentarentur, Platonem eos cohortatum eſſe, animos reſumerent, vel ſe enim regendæ ſcholæ idoneum eſſe. Id quod invidiæ quidem tantum rumuſculus videri poterat, niſi animus Platonis ſectæ condendæ ſtudio occupatus, ex dialogis vivo adhuc præceptore compoſitis eluceret, isque novam jam tum philoſophandi rationem Socraticæ ſupponendam fuiſſet molitus. Vnde mirum non eſt, quod ille addit, Apollodorum, cui his dictis propinaviſſet, dixiſſe, malle ſe cicutam a Socrate propinatam bibere, quam ea conditione propinanti accedere: ex quo, ea quæ modo de adulterata, vivo magiſtro, philoſophia Socratica diximus, mire confirmantur. Adfuit autem præceptoris ultimis fatis, & de animorum quoque immortalitate diſputantem audivit, ejusque ſermones in Phædone in literas elegantiſſimo dialogo retulit,[i] ita tamen, ut more ſuo, Pythagoricis eos placitis adulteraret. Defuncto præceptore, cum acerbiſſime eum luxiſſet,[k] timens Athenienſium ſævitiam, cum reliquis Socraticis Megaras ad Euclidem ſe contulit, a quo, donec ſerenior rerum facies rediret, hoſpitio humaniſſime exceptus fuit. Nec apud eum ignavus reſedit, ſed dialecticam, qua magnopere eminebat Euclides, eo magiſtro didicit.[l] Nec tamen iſtis animi divitiis contentus, quæſivit porro, unde proficeret; & imprimis ad Pythagoræ diſciplinam animum adjecit, in qua *non rationem tantum, diligentem & magnificam, qua inſtructa erat*, ut ait APVLEIVS,[m] *ſed & rerum continentiam & caſtitatem admirabatur*. Cumque, magnos ante ſe viros peregrinatione ad barbaros ſuſcepta, philoſophiæ myſteriis initiatos eſſe animo recoleret, ad fines quaſi orbis terrarum itinera ſuſcepit. Atque Italiam primo petiit, ubi tum magna admiratione atque laude Pythagorica philoſophandi ratio florebat, ut arcanam illam diſciplinam addiſceret, in quam etiam fuit admiſſus. Et didiciſſe quoque ibi Pythagorea omnia aſſerit CICERO,[n] & primum de animarum æternitate non ſolum ſenſiſſe idem, quod Pythagoras, ſed rationem etiam attuliſſe, ait; alioque loco monet: *adjunxiſſe Socraticis, Pythagoreorum diſciplinam, eaque quæ Socrates repudiabat, didiciſſe*. Quam philoſophiæ partem theoreticam & phyſicam fuiſſe, aſſerit auctor vitæ Pythagoræ apud PHOTIVM,[o] patebit vero infra, ubi de philoſophia Platonis agetur, eum etiam philoſophiam moralem Socratis Pythagoricis doctrinis adulteraſſe. Et hæc quidem a nemine in dubium vocantur; de ordine vero itinerum veteres diſſentiunt. Alii enim ante iter Ægyptia-

Studia philoſophiæ poſt Socratis mortem.

Itinera literaria.

b) *Lib. XI. p. 507.*

i) Conf. CICERO *de nat. Deor. l. III. c. 33.*

k) PLVT. *de virt. morali T. II. p. m. 403.*

l) LAERT. *l. II. ſ. 6.* *m*) *loc. cit.*

n) *Tuſc. Q q. l. V. c. 29.* Alia veterum loca excitavimus diſſ. *de convenientia numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis* §. *I. Amœn. literar. T. VII. p. 182. ſeqq.* quibus addi poſſunt QVINTIL. *l. I. c. 12.* AEN. GAZAEVS *de immort. p. 12.* & BARTH. *ad h. l.* LACTANT. *l. IV. c. 2.* IAMBLICH. *de vit. Pyth. n. 167. p. 142.* conf. FABRICIO *Bibl. Gr. vol. II. p. 4. not. k* laudatos, & biographos Platonis.

o) *Cod. CCLIX. p. 712.* eum adjecit *vitæ Pythagoræ* a Porphyrio ſcriptæ L. HOLSTENIVS *p. 43.* ed. Rom.

Ægyptiacum ad Italicos philoſophos acceſſiſſe, alii reducem eos inviſiſſe contendunt: & LAERTIVS [p] quoque antequam Italiam inviſeret, Cyrenas ad Theodorum celeberrimum tùm temporis geometram, præparandi animi cauſa diſceſſiſſe, ait, quod poſt auditos Pythagoreos factum eſſe innuit APVLEIVS. [q] Qui, noſtro quidem judicio, omnium aptiſſime itinera Platonis diſponit, contendens, *primum ſe ad Pythagoræ diſciplinam contuliſſe; tum ad Theodorum Cyrenas, ut geometriam diſceret, eſſe profectum; deinde aſtrologiam adusque Ægyptum iviſſe petitum, ut inde prophetarum etiam ritus addiſceret; & ad Italiam iterum veniſſe, & Pythagoreos fuiſſe ſectatum*: nam hæc & tempori & locorum ſitui omnium commodiſſime reſpondent, & diverſas ſcriptorum relationes in concordiam redigunt. [r] Cyrenis itaque in geometriæ ſcientia ſatis eruditus, in Ægyptum ſolvit, parum Socratis & Socraticorum ſententiam curans, quæ domi ſapientiam quærebat, & ejusmodi peregrinationes rejiciebat, exempla potius magnorum ante ſe virorum ſecutus: Vt vero tutius lateret, olei vendendi prætextu totam eam regionem, quæ tum Artaxerxi Memnoni parebat, peragravit, *& a ſacerdotibus ejus gentis multiplices geometriæ numeros atque cœleſtium obſervationum percepit; quoque tempore a ſtudioſis juvenibus*, verba damus VALERII MAXIMI, [s] *certatim Athenæ Platonem doctorem quærentibus petebantur, ipſe Nili fluminis inexplicabiles ripas, vaſtiſſimosque campos, effuſam barbariem, & flexuoſos foſſarum ambitus Ægyptiorum ſenum diſcipulus luſtravit*. Sunt, qui Euripidem ejus itineris comitem fuiſſe, putant, [t] quos tamen tempus obitus ſatis refellit, quod ante Socratis mortem in Olymp. XCIII. incidit. [u] Eudoxum adjungit ei STRABO & CICERO quod tamen non magis cum rationibus chronologicis concordare pulchre demonſtravit eruditiſſimus LAMIVS. [z] Tandem in Saitico nomo conſediſſe, ajunt epiſtolæ Socraticæ, [a] valde in his etiam ſuſpectæ: Heliopoli vero a Sechnuphide Ægyptiacam ſapientiam edoctum fuiſſe affirmat CLEMENS ALEXANDRINVS. [b] Qualis vero illa fuerit, ex iis manifeſtum eſt, quæ ſuo loco de philoſophia Ægyptiaca prolixe differuimus; [c] fallunturque oppido atque fallunt, epiſtolæ Socraticæ, afferentes, *cupiiſſe eum a ſapientibus Ægypti inſtitui: quid de univerſo ſtatuant, initiumne habeat an minus? an item de præſenti ſive ex toto moveri, ſive ex parte rationi conſentaneum putent?* Ex iis enim quæ de philoſophia Ægyptiaca alio loco diſputavimus, manifeſtum eſt, hujuſcemodi quæſtiones per Græcos demum philoſophos in Ægyptum introductas fuiſſe. Nec melioris commatis ſunt, quæ habet PAVSANIAS, [d] immortalitatem animorum & transmigrationem ibi didiciſſe; prius enim dogma jam

p) *Lib. I. ſ. 6.* *q*) *loc. cit.*
r) PLVT. *in Solone.*
s) *Lib. VIII. c. 7.* qui tamen hic oratorem agit: nondum enim Athenis inſtituerat ſcholam Plato, ut ad eum convolare poſſent juvenes.
t) LAERT. *l. III. c. 6.* *u*) Conf. LAMIVS *l. c.* BAYLE *Dict. T. II.* art. *Euripides.*
x) *Lib. XVII.* *y*) *Tuſc. Qq. l. II.*
z) *l. c. l. II. c. 2. p. 81. ſeqq.*
a) *Epiſt. 26.* *b*) *Strom. l. I. p. 303.*
c) *loc. cit.* *d*) In *Meſſeniac. p. 360.*

jam didicerat in Socratis ſchola, poſterius in Pythagoræ. Ferri magis poſſet, quod ait PLINIVS, [e] magiæ diſcendæ cauſa Platonem ad Ægyptios acceſſiſſe, cum aliunde conſtet, magiam partem philoſophiæ Ægyptiacæ fuiſſe; niſi veriſimile eſſet, Platonem ad ejusmodi arcana dogmata inſpicienda non fuiſſe admiſſum. Quam duros enim ſe præbuerint advenis ſacerdotes Ægyptii, quamque inexorabiles fuerint, & vix regum mandatis compeſcendi, eoque adigendi, ut myſteriorum ſuorum adyta peregrinis recluderent, Pythagoræ exemplum teſtatur. Quare nec audiendum eſſe putamus IAMBLICHVM [f] jactantem, Platonem philoſophiam ſuam hauſiſſe ex ſtelis Hermeticis, quod ſine examine tanquam verum admiſere, STEVCHVS EVGVBINVS, [g] P. D. HVETIVS [h] & poſt hos cel. G. MICH. HANSCHIVS. [i] Veriſimile vero eſt, vaferrimos Ægypti ſacerdotes Platonem, nec ſyſtaticis commendatum, nec divitiis arcana recludentem, & peregrino mercatoris habitu Ægyptum obeuntem, præter dogmata & diſciplinas exotericas, miſeras & tanto philoſopho indignas, uti ſupra evicimus; nihil arcanarum & Hermeticarum doctrinarum tradidiſſe. Nec hic morari nos debent Platonicorum juniorum & quorundam eccleſiæ doctorum effata. Illorum enim intererat, quod ſuo loco probabimus, ut crederetur Plato ſua ex Hermeticis accepiſſe: quia Platonicam philoſophandi rationem, qualem degenerans a majorum inſtituto Ægyptus tandem genuit, pro genuina Hermetica diſciplina haberi cupiebant, & fanaticæ philoſophiæ patrocinium ex antiquitate quærebant. Hi vero falſo & inepto de Ægyptiaca ſapientia, Hebraicæ filia præjudicio occupati, & Platonem ſua Hebræis debere contendentes, rationem ſe commodam inveniſſe, rebantur, ut gentilibus oſtenderent, ſua eſſe, quæ Plato in Ægypto didicerat: qua de re, ubi de PP. eccleſiæ philoſophia acturi ſumus, prolixius differemus.

§. VI. Hac vero Platonis gloria admiratores ejus non contenti majora quoque de ejus in Ægypto profectibus prædicant; & purioribus Hebræorum doctrinis ibi tinctum haud pauca ex ſacris oraculis gentisque illius myſteriis in ſuam philoſophiam tranſtuliſſe contendunt, ſicque ſpoliis arcanorum divinorum ſuperbientem ſe ad tantam rerum divinarum notitiam extuliſſe volunt, ad quam reliqui philoſophi adſpirare non poterant. Dici non poteſt, quanta conſenſione hanc opinionem amplexi fuerint veteris eccleſiæ doctores, quorum loca hic adducere & nimis operoſum, & a noſtro inſtituto alienum eſt, legi vero poſſunt apud eos, qui hanc ipſam ſententiam ex recentioribus ornare, & ita dogmatum quorundam Platonicorum cum divinis conſenſum extruere, & imprimis doctrinæ de SS. Trinitate veſtigia in Platone oſtendere ſategerunt, e quorum magno numero potiſſimum videri merentur P. DAN. HVETIVS, [k] ANDR. DACIERIVS, [l]

An Hebræos doctores Plato habuerit?

e) *Lib. XXX. c. 1.*
f) *De myſter. Aegypt. l. I. c. 2. p. 3.*
g) *De perenni philoſ. l. I. c. 27. l. V. c. 2.*
h) *Demonſtrat. Ev. Pr. IV. c. 2. §. 15. p. m. 56.*
i) *De enthuſ. Plat. ſect. III. §. 8. p. 37.*
k) *loc. cit.*
l) *Vit. Plat. p. 68.*

IO. VAN DER WAYEN,[m] REN. MASSVETVS,[n] THEOPHILVS GALE,[o] FRANCISCVS BALTVS, [p] & quem honoris cauſa nominamus IO. LAMIVS [q] vir celeberrimus, qui omnium eruditiſſime in hoc afferto coloribus inducendo laboravit, cujus inſignis viri, armis domeſticis contra IO. CLERICVM pugnantis, modeſtia imprimis laudanda eſt, qui totum, quem in hac cauſa attulit apparatum eruditionis ea tantum fini adhibuit, ut poſſibilitatem tantum, ut ita loqui liceat, quæſtionis demonſtraret. Non tamen ita ſe commendavit decantatiſſima opinio, ut non viri præclari, abjecto antiquitatis præjudicio, perſpicerent clariſſime, ficulneis prorſus & infirmis eam totam niti argumentis, id quod varia quoque ratione demonſtraverunt, videndique præter alios, qui docte rem confecerunt, IO. CLERICVS,[r] AEG. MENAGIVS, [s] IO. FR. BVDDEVS, [t] & qui eleganti diſſertatione cuncta complexus eſt mira brevitate & acumine IAC. LENFANTIVS. [u] Nobis in prolixiſſimo argumento pro dignitate excutiendo verſari propter inſtituti rationem non licet, nec fas eſt, ad ejusmodi argumenta ſpecialia ex inſtituto in hiſtoria philoſophica univerſali condenda prolixe digredi: quoniam tamen non leve momentum in hiſtoria dogmatum ſacrorum hæc quæſtio habet, paucis ea tangemus, quæ ſcire, lectoris intereſſe non abs re judicamus. Et nititur quidem contraria & affirmans ſententia, quæ Platonem in Ægypto ab Hebræis pluſcula didiciſſe aſſerit I. Auctoritate Iudæorum IOSEPHI & Ariſtobuli & eccleſiæ doctorum Iuſtini Martyris, Clementis Alexandrini, Euſebii, Cyrilli Alexandrini, Theodoreti, Ambroſii & aliorum. [x] II. Opinione, quæ ſtatuit extitiſſe verſionem legis divinæ Græcam in Ægypto, confectam ante τῶν ὁ verſionem; quam viderit legeritque Plato: quam Ariſtobuli auctoritate jam aſſeruerunt CLEMENS ALEXANDRINVS, [y] & EVSEBIVS. [z] III. Præſumtione, Ægyptios de Iſraëlitarum rebus ſatis curioſos haut pauca de eorum placitis didiciſſe, quæ poſtea ab iis acceperit Plato, cujus rei argumentum a receſſu Ieremiæ & Baruchi reliquorumque Iudæorum, qui in Ægyptum conceſſerunt, arceſſitur. IV. Convenientia dogmatum Platonicorum cum Hebræis. Etſi vero hæc omnia non proletaria eruditione ornent cauſæ hujus patroni, fatendum tamen eſt, parum apud æquos & antiquitatis præjudicio non occupatos lectores eos promovere. Nam quod I. PP. eccleſiæ auctoritatem attinet, tanta ea non eſt, præcipue in hiſtorico argumento, ut vel leviter movere debeat quemquam. Non enim monumentis uſi ſunt fide dignis iisque

m) Diſſ. *de λόγῳ adv. Cleric. p. 65.*
n) *Diſſ. I. in Irenæum.*
o) *Court of the gentiles.*
p) *Defenſe des SS. Peres accuſer de Platoniſme l. IV. ch. 22. p. 607. ſeq.*
q) *De recta Chriſtianorum in eo quod myſterium divinæ Trinitatis attinet ſententia Florent. 1733. 4.*
r) *Epiſt. crit. VII. p. 177. ſeqq.*
s) Ad LAERT. *l. III. ſ. 6.*
t) *Hiſt. Vet. Teſt. T. II. p. 1006. ſeqq.*
u) *Bibl. Germ. T. II. art. V. p. 124. ſeqq.* addi poſſunt IAC. THOMAS. *de plagio §. 523. p. 233.* ipſe, quod mireris HORNIVS *Hiſt. phil. l. c.* HEVMANNVS *Act. phil. vol. I. p. 1056.* IAC. BASNAGE *Hiſt. des Iuifs l. III. ch. 20. p. 550. ſeqq. l. IV. ch. 4. §. 2. p. 45. ſeqq.* G. G. LEIBNIZIVS *præf. ep. ad* HANSCH. *de enthuſ. Platonico,* GVNDLING. *Hiſt. phil. mor. c. I. §. 1. not. l. m.* ut alios minoris nominis & famæ taceamus.
x) Loca prolixe affert LAMIVS *l. c.* in compendio enarrat LENFANTIVS *l. c.*
y) *Strom. l. I. p. 342.* *z*) *Præp. l. IX. c. 6.*

iisque teſtibus, qui & ſcire potuerunt, & cauſam cur mentiantur non habuerunt; ſed a Platonis ætate aliquot ſeculis remoti, cum multum intereſſe ſua & religionis Chriſtianæ putarent, ut Plato in Chriſtianorum caſtris militare crederetur, pio quidem zelo, ſed præpoſtera ratione Iudæorum quorundam faſtui aures præbuerunt. [a] Qui cum innata gentis ſuperbia omnem gentilium eruditionem, & imprimis, quæ eo tempore plurimi fiebat, philoſophiam Græcanicam a Moſe ad gentiles dilapſam eſſe contenderent, prætextu moræ Platonis in Ægypto uſi, levi aliquo conſenſu Platonicorum aliquot dogmatum cum Hebræis ementito, Platonem Hebraicæ ſapientiæ alumnum jactaverunt. Quod ambabus, quod ajunt manibus amplexi doctores quidam ex Platonis ſchola ſec. II. ad Chriſtianam fidem accedentes, cum plurimi admiſſam ſemel Platonis diſciplinam facerent, imprimis gentilibus oppoſuerunt, magnoque fervore contenderunt, ea quæ Plato ſacris ſimilia dixit, Hebræis & Chriſtianis ſurrepta deberi; majori hac in re pietate quam judicio uſi. Hos qui ſec. III. & IV. ſecuti ſunt, eruditionis Græcanicæ laudem affectantes, eique magnum pretium ponentes, avide ea arripuerunt, & magnos hos viros exſcripſerunt: indigni quorum rationibus adjiciamus calculum. Nec meliori ſtant talo quæ II. de verſione legis Græca Alexandri M. ætatem antevertente dicuntur. Eam enim in Ariſtobuli [b] tantum cerebro extitiſſe, infra, ubi de Iudæorum philoſophia agetur, ex inſtituto demonſtrabitur, quo lectorem, ne nimii ſimus, remittimus. Nec enim auctor, nec occaſio, nec ratio ulla hujus verſionis oſtendi poteſt, ſed ignorata ea fuit omnibus, qui & noſſe eam poterant, & quorum, eam legere, omnino intererat. Tanta quoque obſcuritate ſemota ab aliarum gentium commercio ante Alexandri M. tempora vivebat Iudæorum natio, tantisque myſteria ſua librosque ſacros premebat tenebris, & a manibus gentilium removebat, [c] ut ratio nulla pateat, qua ejusmodi Græca verſio confecta ſit. Vt taceamus Græcam literaturam per Alexandrum M. demum in Aegypto invaluiſſe. III. Aeque vero ficulnea ſunt, quæ de Aegyptiorum ipſiusque Platonis cum Iudæis converſatione afferuntur. Confundunt enim viri docti tempora Græcorum, Aegyptum tenentium, cum temporibus antecedentibus, quibus talem Iudæorum cum Aegyptiis conſuetudinem fuiſſe probari ægre poteſt. Quæ enim in contrarium afferuntur, vel mercaturæ vel belli rationes tangunt, quibus interdum res erat uni nationi cum altera. In religionis vero negotio maximopere abhorrebant Ægyptii a Iudæis, ut Iudæi Ægyptiorum idololatriam

a) Nec tamen IOSEPHVS *contra Appion. l. II. c. 8.* ait, deſumſiſſe Platonem ſua ex Moſe, ſed tantum id vult, imitatum eum fuiſſe Moſen in condenda republica.

b) De ſcriptore hoc videndi celeberrimi viri IO. ALB. FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 280.* & IO. CHR. WOLF. *Bibl. Hebr. T. I. p. 215.* ſuſpicatur vero HVMFR. HODY *de text. bibl. orig. l. I. c. 9. p. 49.* confudiſſe Clementem duos Ariſtobulos, Peripateticum alterum, alterum Iudæum, & hujus ſcripta ſec. II. eſſe ſuppoſita, quod rejiciunt laudati viri, admittit LENFANT. *l. c. p. 134.* De re ipſa ex inſtituto dicetur infra, in hiſtoria phil. Iud.

c) Faſſus id eſt ipſe IOSEPHVS *l. c. l. I. c. 4.* conf. LENFANT. *l. c. p. 136.*

vehementer abominabantur. Nec verisimile ullo modo est, manipulum quasi Iudæorum, qui cum Ieremia excisis Hierosolymis in Ægyptum descenderunt, tanti fuisse habitum, ut de iis tota Aegyptus esset sollicita, vel ejus religionis noscendæ causa in res eorum sacras inquisiverit. Accedit his, Iudæos adeo non fuisse philosophiæ vel eruditionis laude celebres, talesque, quorum conversationem curiosi Græci appetiverint, ut potius superstitionis & credulitatis ridendæ plus vice simplici fuerint accusati. Nec quæ IV. pro consensu Platonicorum & Mosaicorum dogmatum loca afferuntur, aliquid probant; nam vel ita comparata sunt, ut ex connato rationis lumine potuerint innotescere, qualia multa sunt, quæ de Deo Plato præcepit; vel a Pythagoreis transsumta antiquiorem lege Mosaica traditionem per patriarchas ad barbaras gentes disseminatam, mireque corruptam respiciunt; [d] qualia exigua & pauca, &, si res dicenda est, qualis est, fere nulla sunt: vel falsus jactatur consensus, & Platonis dogmata intus & in cute expensa longe alia referunt, quam sacra mysteria volunt, id quod vel solum adorandæ Trinitatis mysterium luculenter illustrat, quod tamen de hac quæstione acerbe disputandi occasionem nostra ætate præbuit: [e] illud enim uti postea videbimus, tantopere a trinitate Platonica abhorret, ut merito miremur, viros doctos, & non obesæ naris tantum hypothesi semel deamatæ dare potuisse, ut intercedere concordiam ullam putaverint. Accedit his, quod a plerisque neglectum & non observatum est, tantopere a philosophis Platonicis syncretistis circa nascentis Salvatoris tempora jam corruptam fuisse Platonicam philosophiam, ut faciem eam, quam a parente suo accepit, ægre referret, tuncque in Aegypto, ut aliis totius orbis religionibus, ita etiam Iudaicæ & Christianæ fuisse attemperatam. Hoc ex fonte ea Platonicorum dogmata emanasse, quæ sacris concordare visum fuit, suo loco demonstrabimus, & historia Iudaicæ & Christianæ circa ea tempora philosophiæ luculenter docebit. Hæc Platonica dum in Aegypto didicisse Platonem, venerabiles ecclesiæ doctores, & horum auctoritate inducti viri docti nostræ ætatis ei tribuunt, mire falluntur, & genuina Platonica a spuriis non distingvunt. Qui si hoc unum expendissent, Platonem systematis dualistici patronum esse, mature errorem agnovissent, & quam male ex hoc venenato fonte corrupta reliqua omnia cum doctrinis sacris cohæreant, inspexissent. [f] Et his quidem generalioribus observationibus probe consideratis facile ad objectiones eorum responderi potest, qui contraria tuentur, inter quos cum quadrata rotundis miscuerit Baltus, iis pro Mosaicis commendatis, quæ in tota systematis Platonici harmonia & connexione considerata toto cœlo differunt, exemplum inde capi potest, quam tenuia sint, & levia, quæ pro incrustanda hac sententia solent afferri. Quare iis excutiendis & refutandis non immoramur, cum & ipse historiæ philosophicæ gnarus lector facile arenam ea sine calce esse deprehendere

d) Dicetur & hac de re in sequentibus.

e) Et hoc vult παλαιὸς λόγος, ad quem provocat alicubi Plato.

f) Luculenter hoc demonstravit BASNAGE *Hist. des Iuifs l. III. ch. 20. §. 21. p. 551.*

hendere queat, & plura afferant viri doctiſſimi, ſupra laudati, qui præjudicium hoc feliciſſime jugularunt. Vnum hoc obſervatis adjicimus, fruſtra viros doctiſſimos de damno religionis ſibi metuere, niſi hæc afferant. Meliori-bus enim fundamentis nititur ſanctiſſima fides noſtra, quam ut a Platone ei auctoritas ulla vel firmamentum debeat accedere. Et, ſi verum dicen-dum eſt, quærit haud raro divinæ doctrinæ hoſtis infelici iſta comparatio-ne, puriſſimos latices turbare, cujus exemplis plena eſt ſacra hiſtoria.

Diſciplina Platonis Py-thagorica.

§. VII. Sed ut poſt longam ſatis digreſſionem iterum in viam redea-mus, poſt moram in Ægypto aliquam rediit in Italiam Plato Tarentum, ut ait CICERO, [g] cujus tamen hic notationes temporum ſubobſcuræ ſunt. [h] Et habuit quidem in animo, ad Indos & magos excurrere, ſine dubio Pythagoræ fama; quæ hæc itinera ei tribuebat, excitatus; ſed obſtitere bella Aſiatica. [i] Ὁμακοίοις itaque Pythagoreis reſtitutus Eury-tum Tarentinum & Archytam fuit ſectatus, [k] reliquosque, qui tum ſu-pererant Pythagoreos, Echecratem Timæum, Acrionem Cœtumque Lo-cris convenit, [l] & ex horum fluentis arva ſua irrigavit. Quod ſtudium ex Pythagoreorum doctrina philoſophiam ſuam augendi nec poſt hæc de-poſuit. Nam in Siciliam poſtea, ut in ſequentibus dicemus, delatus, Py-thagoricorum libros magna pecunia redemit. Etſi enim tenuibus erat fa-cultatibus a Dionyſio tamen magno nummorum acervo donatus, eos ma-gno pretio ſuos fecit. Variant tamen admodum ſcriptores, de hac re; ſunt enim, qui eos a Dionyſii familiaribus Platonem accepiſſe, minarum quatuor Alexandrinarum pretio, dicant; ſunt, qui Dionyſium a juvene quodam, Philolai diſcipulo, acceptos Platoni donaſſe, referunt; alii deni-que ad Dionem eos miſſiſſe ajunt, qui Syracuſis eos emeret, a quo etiam C. minis, vel, ut GELLIVS [m] ait, mille denariis fuerint comparati. Veriſi-milius quoque eſt, Pythagoreos jurejurando, ne quid ſectæ myſteriorum propalarent, & ἀμυήτοις proderent, Platoni vendidiſſe, quem in ſectæ conſortium admiſſum ſupra diximus, quam profanis hominibus, qualis Dio-nyſius & Dio erant, eos tradidiſſe, quod, ne facerent, religione impedie-bantur: cujus fuiſſe tenaciſſimos, ſuo loco demonſtrabitur. Deinde & in eo differunt ſcriptores, quales libri fuerint? GELLIVS enim Philolai Pytha-gorici tres libros redemtos eſſe, ait: LAERTIVS [n] autem hos libros non Philolai fuiſſe, ſed Philolaum vendidiſſe refert, additque IAMBLICHVS, [p] paupertate adactum Philolaum his theſauris ſe privaſſe. Quibus adjicien-dum

g) Cat. maj. c. 16.

h) Ait enim factum eſſe L. Camillo, Appio Clau-dio Coſſ. hi vero Coſſ. in faſtis hodie extantibus, eo tempore, quo vixit Plato, non comparent: ſed tri-buni tum urbi præfuerunt.

i) APVLEIVS *l. c.*

k) Ibid. qui tamen ſine neceſſitate duos Archy-tas effingens, ſeniorem conveniſſe Platonem vult. Qua de re infra in hiſtoria ſcholæ Pythagoricæ.

l) CICERO *de fin. l. V. c. 29.*

m) Lib. III. c. 17.

n) Dicetur hac de re in hiſtoria philoſophiæ Ita-licæ. Interim conferenda quæ diximus in diſſ. *de conven. numeror. Pyth. cum ideis Platonis, Amœn. lit. T. VII. p. 200. ſeqq.*

o) Lib. III. ſ. 9. l. VIII. ſ. 84.

p) De vita Pythagoræ c. XXXI. n. 199. qui lucu-lenter: ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ἀποσυγγενέας, τῶν Πυθαγο-ρείων, μετέλαβε τῶν βιβλίων, quod ad Dionem re-fert Arcerius, ad Philolaum Kuſterus, male uter-que, de Platone enim ſermo eſt, qui acceperat.

dum quod refert idem LAERTIVS, [q] Platonem librum unum Philolai redemiſſe a neceſſariis Philolai XL. minis, exque eo Timæum ſuum confeciſſe. Quod ſi verum eſt, neque hunc librum Philolai ipſius opus fuiſſe oportet, ſed Timæi Locri, ut ex Platonis Timæo patet. [r] Vnde verba Gellii, niſi eum falſum fuiſſe placeat, non de auctore ſed poſſeſſore intelligenda eſſe videntur, qua ratione cum aliis veterum narrationibus concordat, ſtatuendumque, fuiſſe libros ipſi quidem Pythagoræ tributos, ut ſua Pythagorici magiſtro inſcribere ſolebant, [s] ſed ab ejus ſequacibus conſcriptos, quos poſſeſſos a ſe inſigni paupertate preſſus Philolaus, ſalva ſectæ religione, Platoni, Pythagoricis ſacris initiato, vendiderit. Fecit vero hæc res, ut Platoni plagium objiceretur, cujus etiam reum fecere veteres plures, aliis quoque philoſophis ſurreptas eſſe pennas, quibus ſuperbiverit Plato, contendentes: quod qua ratione verum ſit, ſyncretiſticum Platonis ſyſtema, ex aliorum philoſophorum meditationibus conflatum, abunde loquitur. Nam & Ariſtippo, Antiſtheni & Bryſoni Heracleotæ plurima eum ſurripuiſſe conqueritur THEOPOMPVS CHIVS libro *de inſtitutis & exercitationibus Platonis*, [t] & pluſcula quoque ex Epicharmi Comici, ſcriptis decerpſiſſe prolixe expoſuit ALCYMVS *ad Amyntam*; [u] & amare propterea traduxit Platonem Timon. [x] PORPHYRIVS vero [y] immutatæ & corruptæ Pythagoricæ diſciplinæ, cum eam in ſuamet arva derivaſſet, accuſat. Qui & alibi [z] ex Protagoræ libro *de ente*, quædam Platonem ſuffuratum eſſe, conqueritur. Vnde a plagii crimine eum totum abſolvere, tot teſtibus accuſatum non auſus eſt IAC. THOMASIVS, [a] licet excuſandum putet, quia dialogo ſuo Timæi nomen præfixerit. Ex dictis conſtare jam arbitramur, ex quibus potiſſimum fontibus ſua hauſerit Plato, quosque potiſſimum auctores philoſophiæ ſuæ habuerit. Cum enim Euclidem audiviſſet, dialecticam ab eo ſcientiam accepit, indeque ſua conſarcinavit; Parmenideum vero Hermogenem & Cratylum Heracliteum præceptores nactus, naturalis inde philoſophiæ præcepta ex Eleatica ſchola didicit, [b] iisque miro auſu ea junxit, quæ tradidit de rerum naturalium principiis Pythagoras, cujus metaphyſicam ſuam fecit. [c] Moralis vero & ci-

Fontes philoſophiæ Pythagoricæ.

q) Lib. VIII. ſ. 85. conf. cel. FR. MENZ. in *Ariſtippo, not. yyy, p. 83.* MENAG. *ad ll. cc. Laërt.*

r) Timæi enim librum ante oculos habuiſſe, eumque ſæpius verbotenus expreſſiſſe collatio docet: corrupit tamen Timæi quoque doctrinam more ſuo.

s) IAMBLICH. *l. c.*

t) ATHENAEVS *l. XI. p. 508.*

u) Apud LAERTIVM *l. III. ſ. 9.* quæ repetit STANLEIVS *l. c. p. 281.*

x) In Sillis apud GELL. *l. c.*

y) De vita Pyth. n. 59. p. 49. ed. Kuſt.

z) Apud EVSEB. *præp. l. X. c. 3.*

a) De plagio §. DXXII. p. 232.

b) PLATO in *Cratylo T. I. p. 401.* & quæ diximus in *Hiſt. de ideis ſect. I. §. VIII. p. 121.*

c) Id in laude Platonis ponit APVLEIVS *l. c. p. 284.* quod *inventa Parmenidis & Zenonis ſtudioſius exſecutus ita omnibus, quæ admirationi ſunt, ſuos libros expleverit, ut primus tripartitam philoſophiam copularit, ſibique invicem neceſſarias partes neque pugnare inter ſe tantummodo, ſed etiam mutuis adjuvare auxiliis oſtenderit. Nam quamvis de diverſis officinis hæc ei eſſent philoſophiæ membra ſuſcepta; naturalis ab Heracliteis, intellectualis a Pythagoreis, rationalis atque moralis ex ipſo Socratis fonte, unum tamen ex omnibus & quaſi proprii partus corpus effecit.* Quibus verbis nihil potuit elegantius dici ad turpem Platonis ſyncretiſmum demonſtrandum, quem laudavit quidem Apulejus, ſed ipſe ejusdem furfuris & ingenii philoſophus. conf. LAERT. *l. III. ſ. 8. 56.* AVGVSTIN. *de C. D. l. VIII. c. 4.*

& civilis doctrinæ ſemina a Socrate quidem hauſit, cujus tamen ſimplicitatem ſpeculationibus Pythagoricis corrupit. Sunt quoque, [d] qui dicant, formam reipublicæ Platonem ex Protagoræ *Anthologicis* delineaſſe; & moralis doctrinæ haut exiguam partem ex Sophronis mimographi libris habuiſſe, [e] quos, cum diu neglecti jacuiſſent, ſub ejus demortui capite repertos Athenis primum invexerit. Quæ originum Platonicæ philoſophiæ hiſtoria quantum in conſideranda ejus ratione momentum habeat, poſtea, ubi ordo ad eam nos devexerit, curatius explicabimus.

§. VIII. Ex peregrinatione redux Plato, ut collectas animi divitias explicaret, ſtudio condendæ ſcholæ a juvene ardens, ad docendum animum applicuit, & in academia ſcholam aperuit, [f] quod erat gymnaſium ſuburbanum arboribus conſitum. [g] Habebat enim ibi exiguum hortum, patrimonii haud ampli partem, in quo conſedit. Cum vero eum locum tanquam ſanitati corporis noxium, mutare juberent Platonem medici, & in Lyceum ſcholam transferre, [h] noluit tamen iis morem gerere, ne in Atho quidem (ubi ſumma aëris ſalubritas erat, & ob id longævi homines) [i] ſummitatem vitæ producendæ cauſa ſe commigraturum aſſerens. Quæ loci quoque inſalubritas cauſa fuiſſe dicitur, ut febri quartana laborare inciperet, quæ octodecim menſes perduravit; tandem tamen animi ſobrietate & prudenti ſanitatis cura eam ita vicit, ut priſtinis viribus recuperatis integra poſtea valetudine uteretur. Inſcripſerat vero ſcholæ, quam in academia habebat, limine: ἀδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσείτω, *nemini Geometriæ ignaro ingredi fas eſto*, [k] quod a Pythagoreis mutuum transſumſit, multum in eo a Socratis conſuetudine recedens, qui geometricis ſpeculationibus vitam moralem & civilem, præter exigua quædam, opus non habere docebat. Poſtea ſi fides eſt Alexandro, in hortum, qui juxta Colonum erat, ſe contulit. [l] Inſiſtebat autem in docendi methodo Socraticis dialogis, quam rationem philoſophandi, antea quidem præter Socratem Zenoni quoque Eleati, Alexemeno Tejo aliisque uſurpatam mire perfecit, [m] & non infimas inde laudes conſecutus eſt, quamvis non deſint, qui paſſim aliquid in ejus dialogis deſiderent. [n] Præter philoſophiam autem tripartitam, de qua poſtea, mathematicas quoque diſciplinas, quas inter barbaros didicerat, docuit, & ut erat ingenio methodico & geometrico, non analyticum tantum cogitandi ordinem diſcipulis expoſuit, ſed & quædam pulchre invenit: hanc vero methodum,

Schola a Platone condita, ejusque ratio & conſtitutio.

d) Ariſtoxenes apud LAERT. *l. III. ſ. 37.*

e) ibid. ſ. 18. De Sophrone Syracuſano Comico, vid. VOSSIVS *Inſtit. poët. l. II. p. 161.* VALESIVS *ad* AMMIAN. *XXIII. 5.* MEVRS. *ad* HESYCH. *illuſtr. p. 199.* FABRIC. *Bibl. Græc. Vol. I. p. 749.*

f) LAERT. *l. III. ſ. 7.*

g) Conf. quos laudat MENAG. *ad l. c. Laërt.*

h) AELIAN. *V. H. l. IX. c. 10.*

i) LVCIAN. in *longævis.* MELA *l. II. c. 2.* PLINIVS *l. VI. c. 2.*

k) Tribuunt tamen alii id Pythagoræ; forte Plato eum in hac quoque re imitatus eſt.

l) LAERT. *l. III. ſ. 5.*

m) Conf. LAERT. *l. III. ſ. 24. 48.* & ATHENAEVS *l. XI. c. 15.* qui Alexemenum Tejum priorem Platone dialogos Socraticos ſcripſiſſe ex ARISTOTELE *de poëtis* probat.

n) Veterum de dialogis Platonis judicia exponit I. GEORG. PASCHIVS *de var. modis trad. moralia c. I. §. 9. p. 15. ſeqq.* quem vide.

dum, qui inveniſſe eum volunt,[o] non cogitant, audiviſſe Platonem Theodorum Cyrenæum, celeberrimum geometram, quem hanc rationem reducendi quæſtiones ad ſua principia, ignoraviſſe, minime eſt veriſimile: id vero facilius credi poteſt, Platonem ſeveriorem hanc ratiocinandi legem in Græcia, ubi in cunis adhuc vagiebat geometria, nondum cognitam uſuque receptam introduxiſſe, eamque Leodamanti Thaſio primum tradidiſſe, multa quoque ejus ope inveniſſe: inter quæ duplicatio quoque cubi eſt, cujus hiſtoria, quia ad hunc locum non ſpectat, apud PLVTARCHVM [p] quærenda eſt. Grammaticæ quoque vim primum expendiſſe vult LAERTIVS.[q] Cum vero novum philoſophiæ genus condere, ſectæque auctor fieri cuperet, non ſolum omnes, qui ante eum fuere, impugnavit, ſed & novas voces excogitavit, inter quas imprimis, voces idea,[s] elementum,[t] providentia DEI,[u] & his ſimiles notandæ ſunt. Ceterum inter deambulandum eum ante Ariſtotelem docuiſſe, veteres conſentiunt.[x]

Academia. Academiæ deſcriptionem ſatis luculentam PAVSANIAE[y] debemus, quem fuſe atque more ſuo docte illuſtravit IO. MEVRSIVS,[z] quibus addi poſſunt, quæ præter alios laudatos FABRICIO,[a] Reverendiſſimus POTTERVS,[b] b. IO. ANDR. SCHMIDIVS & illuſtris I. P. DE LVDEWIG[d] dixerunt, ut alios, qui antiquitates Græcas deſcripſerunt, taceamus. Vocatur vero Academia etiam Ceramicus, ideo quod nobilem Ceramici partem conſtituebat. Id vero de Ceramico extra urbem intelligendum, qui ab illo hujus nominis, qui intra mœnia erat, diverſus eſt, LAERTIVS[e] enim, & SVIDAS[f] ſuburbium vocant. Nomen vero ſortita eſt, non a Cadmo, quæ falſa eſt ſententia FRANC. IVNII,[g] qui putat, ab hoc literarum Græcarum inventore Cadmiam primum dictam fuiſſe, & poſtea demum Academiam; ſed ab Academo, vel Hecademo, potius, ut monet LAERTIVS[h] unde loca veterum, qui Academum vocant, corrigenda eſſe monet MENAGIVS.[i] Is Hecademus, de quo PLVTARCHVS[k] videndus, locum hunc privatis facultatibus partum publico commodo reliquit, ut inde gymnaſium erigeretur. Diſtabat autem locus ab urbe ſex tantum ſtadiis, ſive DCCL. paſſibus, & gymnaſio deſtinatus erat. Septum ibi & ſimulacra Dianæ, templumque, in quod Bacchi Eleutherenſis imago ſingulis annis deportabatur, porro ſepulchra

o) Phavorinus apud LAERT. *l. III. ſ. 24.* PROCLVS in *Euclidem l. III. p. 58.*

p) De *Socratis genio.* Ex eo tempore multa hujus problematis mentio apud geometras.

q) LAERT. *l. III. ſ. 25.*

r) *Ibid.* qui tamen miratur, quod Democriti mentionem non fecerit. Hoc impugnandi veteres ſtudium didicit a Platone Ariſtoteles.

s) Vid. *Hiſt. phil. de ideis ſect. I. §. 2.*

t) LAERT. *l. c.* στοιχεῖα dixit, cum antea ambigua voce ἀρχὴ pro principio & elemento philoſophi uterentur.

u) Antea enim fati nomine comprehendebatur.

x) Vid IONSIVS *diſſ. I. de Hiſt. peripat. §. 3.* quam ſubjunxit ELSWICH. LAVNOIO *de fortuna Ariſtotelis in Academia Pariſienſi p. 419. ſeqq.* FR. PATRICIVS. *diſcuſſ. Peripat. T. I. l. 10. p. 128.*

y) *In Atticis.*

z) *In Ceramico gemino c. XIX. ſeqq. p. 69. ſeqq.*

a) *Bibliograph. antiq. c. XXI. §. 3. p. 619.*

b) *Archæol. Græc. l. 1. c. 8. p. 33.*

c) *Diſſ. de Gymnaſiis literariis Athenienſium.*

d) *in prima Academia, villa Platonis, cum nova Halenſium collata Hal. Sax. 1693. 4.*

e) *l. III. ſ. 7.*

f) *in Academia T. I. p. 75.* corrigendum itaque apud POTTERVM *l. c.* quod dicitur, Ceramici intra urbem partem fuiſſe.

g) de *Academiis.* *h*) *l. c.*

i) *ad h. l.* *k*) in *Theſeo.*

chra heroum Thraſybuli, Periclis, Chabriæ & Phormionis, & eorum, qui pro patria ad Marathonem pugnantes occubuerant: in quorum honorem certamen quoque ibi actum inſtituente Polemarcho. Sed & aliorum virorum magnorum de republica & bonis literis meritorum monumenta ibi cernebantur. Sic & ara ibi amoris a Charmo poſita, & Minervæ fanum, aræque Muſarum, Mercurii, Minervæ, Herculis, Iovisque καταιβάτε. Plato vero Muſis ædem dedicavit, in qua ſigna Gratiarum a Speuſippo dedicata fuiſſe teſtis eſt LAERTIVS.[l] Magnam vero loco jucunditatem faciebant platani excelſæ cubitorum triginta ſex, quas laudat PLINIVS.[ll] Locum vero initio paluſtrem & inſalubrem ideoque deſertum fuiſſe, hincque ſanitati Platonis inimicum teſtatur AELIANVS[m] & poſt eum PORPHYRIVS,[n] HIERONYM.[o] BASILIVS,[p] AENEAS GAZAEVS,[q] aliique, quos plerique recentiorum ſecuti ſunt. Aliter tamen PLVTARCHVS,[r] qui de Academia ita: Exornavit urbem, forum quidem platanis illic plantatis, & Academiam ex ſicca ſquallidaque nemus efficiens, quod interlueretur aquis, ac curricula pura haberet, & umbroſa umbracula, unde Sylvæ Hecademi laudantur HORATIO:[s]

Atque inter ſylvas Hecademi quærere verum.

Ex quibus, quid de illa traditione, Platonem febri ex loci inſalubritate correptum fuiſſe, ſtatuendum ſit, liquet. Tanta vero loci reverentia erat apud Athenienſes, ut non tantum, ſi quis cuiquam inde furto ſuſtuliſſet, dum exercerentur, quod excederet drachmas decem, ex lege Solonis capite lueret, ſed &, referente AELIANO,[t] ne liceret quidem in eo ridere, ut ſcilicet locus a ſocordia & injuria liber ſervaretur. In hac Academia villulam & hortulum habebat Plato, emtum tribus drachmarum millibus, ut habet PLVTARCHVS.[u] Hujus vero reditus initio aureos tantum tres fuiſſe, ait SVIDAS,[w] auctos vero temporibus poſterioribus cum homines ἱερῶι καὶ φιλόλογοι (philoſophos ſine dubio poſteriorum temporum ex ſecta Platonis, reſtituta inter Athenienſes per Neſtorium intelligit) morientes teſtamento relinquerent philoſophiæ ſtudioſis facultates ad vitæ philoſophicæ otium & tranquillitatem. Et in hoc Ceramico licet extra Academiam ſepultum fuiſſe Platonem LAERTIVS teſtatur, cui & ſtatuam in ea dedicavit Mithridates. Peramœnum locum excidit Sylla confectis ex arboribus machinis ad expugnandam urbem adhibitis. Ex dictis patet, Platonem quidem in loco publico habitaſſe, docuiſſe tamen in villa propria ibi ſita. Ab hoc loco non ſectæ tantum Platonicæ ante C. N. Academiæ primæ, ſecundæ & tertiæ nomen adhæſit, ſed & Cicero villam ſuam ita vocavit, quod imitata ſocietas platonizantium Florentina, duce Ficino, ut ſuo loco dicetur. Scholas vero publicas diſciplinis gravioribus deſtinatas inde Academiarum nomen acce-

 piſſe,

l) l. IV. ſ. 1.
ll) l. XII. c. 1.
m) l. c.
n) περὶ ἀποχῆς l. I.
o) adv. Iovin. l. II. T. II. p. 35.
p) de leg. libris gentil. p. 150.
q) In Theophraſto p. 25.
r) In Cimone.
s) l. II. ep. 2.
t) l. III. c. 38.
u) de exil.
w) In Plato T. III. p. 123.

piſſe, & ſocietatibus quoque literariis hanc inde appellationem datam eſſe, notius eſt, quam ut moneri opus habeat.[x]

Diſcipuli & ſectatores Platonis.

§. IX. Tanta vero novæ ſcholæ mox fuit celebritas, ut multi ad eum diſcipuli confluerent, Platoque inter ſummos philoſophos haberetur. Cujus cauſa varia fuiſſe videtur. Nam & peregrinatione ad Pythagoreos & Aegyptios, ringentibus ceteris Socraticis, magnam ſibi exiſtimationem pepererat, & nemo ex Socratis diſcipulis erat, qui in ipſa Athenarum urbe, mox poſt ſedatam, quæ in Socratem ſurrexerat tempeſtatem, publice doceret præter Ariſtippum & Platonem;[y] reliqui enim vel extra Athenas ſcholas erexerant, vel ſerius acceſſerant, vel ſcholas habere plane neglexerant. Ariſtippus autem ſoli morali doctrinæ intentus reliquas diſciplinas non curabat, matureque voluptatis fœdæ opprobrio evileſcebat. Solus itaque Plato ſupererat, qui multifariæ doctrinæ ornatu conſpicuus, inſignem, quem Socrates deferveſcente invidia reliquerat, favorem hæreditate quaſi acciperet, & philoſophiæ ſtudium a Socrate anguſtis ſatis cancellis incluſum, amplificaret. Ad eum itaque non juvenes tantum confluebant undiquaque, ſed & viri erant doctrinæ Platonicæ ſummi admiratores. Et de Speuſippo quidem Platonis ex ſorore nepote, Xenocrate & Ariſtotele, in ſequentibus latiſſime dicendi dabitur copia: Dionem vero Syracuſanum inter eos fuiſſe, qui ſummo amore Platonem complecterentur, quem & Plato ſummo affectu proſecutus eſt, PLVTARCHVS[z] narrat, & patebit ex iis, quæ in ſequentibus dicentur. Nec parvam Platoni gloriam conciliat, quod inſignes oratores Hyperidem, Lycurgum, Demoſthenem & Iſocratem[a] diſcipulos habuerit, magnis non ad loquendum tantum ſed ad faciendum quoque animi viribus ex diſciplina Platonis inſtructos.[b] Ex his cum Iſocrate vixit conjunctiſſimus, cujus amicitiæ ſpecimen exhibuit olim dialogus in agro Platonis ab iis habitus, cum hoſpitem apud eum ageret Iſocrates.[c] Imprimis vero juvenes morum & formæ elegantia immo & nobilitate illuſtres plurimi ad eum convolabant, quorum multos nominat LAERTIVS,[d] id quod occaſionem exhibuit Platonis caſtitatem ducendi in ſuſpicionem. Nec ex ſequiori quoque ſexu defuerunt, quæ Platonem audituræ in Academiam ſecederent; inter quas imprimis notabiles ſe fecere Laſthenia Mantineæ Arcadiæ nata, nobile ſcortum, quæ more ſeculi eruditionis & philoſophiæ laudem formæ elegantiæ jungere cupiebat, & Axiothea Phliaſia, quæ virili veſte incedebat.[e] Qui mos poſtea in hac ſecta[f] diu obtinuit, ut feminæ quoque Academicæ philoſophiæ operam darent. Et ab his Platonis

x) Videndus, qui prolixius de hoc nomine ejusque uſu vario docte diſputavit, HERMANNVS CONRINGIVS *Antiqq. Academ. p. 197. 222. ſeqq.*

y) Dictum hac de re ſupra in Ariſtippo.

z) In *Dione.*

a) LAERT. *l. III. ſ. 8.* & Comm. *ad h. l.*

b) Vid. quæ de Demoſthene habet LVCIANVS in ejus *elog. circa fin.*

c) LAERT. *l. c.*

d) *l. III. ſ. 37. 46.*

e) Illam amabat Speuſippus, vid. ATHEN. *l. VII. p. 279. l. XI. p. 546.* De Axiothea vid. LAERT. *l. III. ſ. 46. l. IV. ſ. 2.* THEMIST. *Orat. XXIII.* OLYMP. *p. 588.* MENAGIVS *Hiſt. mul. phil. §. 46.*

f) Feminas Platonicas enumerat MENAGIVS *l. c.* & FABRICIVS *Bibl. Gr. Vol. II. p. 69.*

nis discipulis secta, per varios casus & discrimina multasque vicissitudines ad recentiora usque tempora duravit, & innumeros fere sectatores nacta est.[g] Tanta cum gloria emineret Plato, mirum non est, æmulationem atque invidiam, certam semper ejus comitem, adversarios ei multos atque obtrectatores excitavisse. *Inimici & æmuli.* Quam alieno enim ab eo fuerint animo reliqui Socratis discipuli Xenophon, Antisthenes, Aristippus, Aeschines, Phædo, supra jam ex parte meminimus, tangitque hanc inimicitiam LAERTIVS.[h] Neque tamen par pari referre desistebat Plato, quem non minori æmulatione pressisse Xenophontem, vel ex eo satis manifestum est, quod inter tot collocutores Dialogorum ne semel quidem Xenophontis nomen expresserit, scripseritque sicut Xenophon, symposium, Socratis apologiam & commentarios morales. Quod si ATHENAEO[i] fides habenda esset, malignum prorsus erga Phædonem probavisset animum; ait enim, coram judicibus egisse Platonem, ut eum in servilem conditionem detruderet iterum, ex qua Socratis beneficio liberatus fuerat: fraude tamen patefacta consilium mutavisse. Verum quam suspectus in ejusmodi obtrectationibus philosophorum referendis Athenæus sit, sæpius jam monuimus, nec hæc cum laudata aliis probitate Platonis conveniunt. Ex Antisthenis vero discipulis, gravem obtrectatorem nactus est Diogenem Cynicum; qui ut erat oris audacissimi, & allatrandi virtute nemini secundus, Platonem speculativis disciplinis operam navantem acerbe irrisit, & de ideis differenti amare illusit.[k] Mirum itaque non est, graves inde Platoni enatas fuisse calumnias, & imputationes odiosas, de quibus sequenti paragrapho dicemus: nam nec Comici ei parcebant, quorum satyrarum in Platonem specimina conservavit LAERTIVS,[l] ut ab ATHENAEO[m] notata taceamus. Quosdam ex adversariis Platonis indicavit etiam IONSIVS.[n]

§. X. Ex dictis sponte patescit, magnam fuisse Platonis gloriam, multamque eum laudem fuisse consecutum, cujus argumentum esse potest, quod SPEVSIPPVS librum scripserit de laudibus Platonis.[o] Et nec instituti nostri limites nec scriptionis modus patiuntur, ea afferre elogia, quæ apud veteres & recentiores innumeris in locis ei tribuuntur, & in quibus supra modum eum evexit ad superstitionem usque excrescens veneratio.[p] Nec negandum, fuisse Platoni cum ingenii tum animi dotes præstantissimas, quas vero tantopere evehi, quantum encomiastæ Platonis solent, absurdum est, & veritati contrarium. Et continentiam quidem atque castitatem maximopere laudant, quod cœlibatum ad vitæ finem sobrie casteque coluerit: *Virtutes & vitia objecta.*

g) Catalogum Platonicorum & Academicorum contexuit FABRICIVS *l. c. p. 92.* LEON. COZZANDVS *de magist. antiq. philos. l. I. c. 9.* quibus aliquos addidit cel. HEVMANNVS *Act. Phil. Vol. III. p. 903. seqq.* ex quorum tamen numero delendus est Euclides geometra, quem Platonicum facit VALERIVS MAXIMVS.

h) *l. III. s. 33. seqq.*

i) *l. XI. p. 507.*

k) *l. VI. s. 53. conf. Hist. de ideis sect. I. §. 9.*

l) *l. III. s. 26.*

m) *l. X. XI. XII.*

n) *Hist. philos. l. I. c. 10. p. 43. 46. c. 13. p. 68.*

o) IDEM *l. c. p. 48.*

p) Vid. quæ collegit THOM. POPE-BLOVNT, *Censur. celebr. vir. p. 26.* TOB. MAGIR. *Eponymol. crit. p. 670.* Vna FICINI *dedicatio operum Platonis* ad Laur. Mediceum luculentum exemplum est Platomaniæ.

luerit; [q] cibum, ajunt, in die ſemel cepiſſe, & ſi bis caperet, parciſſime id feciſſe: dormiviſſe ſolum, plurimumque contrariam iſti vivendi rationem improbaviſſe. Gravitatis adeo ſibi ſemper æqualis fuiſſe dicitur, ut, narrante SENECA, [r] juvenis ex ejus diſciplina, ubi patriæ redditus parentem concitatiori voce loquentem audiviſſet, nunquam ſe hoc apud Platonem vidiſſe affirmaret. Iram ita cohibuit, ut cum ſervo iratus tunicam ponere & ſcapulas præbere juſſiſſet, & iraſci ſe ſenſiſſet, manum ſuſpenſam detinuerit, percuſſuro ſimilis, ut pœnas a ſe exigeret; [s] qua propter paulo ira commotior, a pœna ſervis irroganda abſtinuit, ne modum excederet. [t] Humanitatis jucundum exemplum narrat AELIANVS, [u] in Olympico certamine in ignotos incidentem mira affabilitate eos cepiſſe, eosque etiam Athenas venientes humaniſſime excepiſſe: qui cum ab eo peterent, ut ad Platonem in Academiam ipſos duceret, tantum virum, ut cognoſcerent, tum demum, ſe eum eſſe, affirmaviſſe, & ita inſolitæ humanitatis exemplo maximam illis admirationem excitaviſſe. Sed & alia, quæ in laudem cedunt Platonis, veterum nixi teſtimoniis PLVTARCHVS [x] & LAERTIVS [y] memorat: Monuiſſe diſcipulos e ſchola diſcedentes, ut otio ad res honeſtas uterentur, improbaviſſe ludentes teſſeris, ebrios & iracundos & monuiſſe, ne quis unquam usque ad ebrietatem potaret; ſomnum immodicum ei diſplicuiſſe, veritatem jucundiorem omnibus fabulis habuiſſe, laborem otio prætuliſſe, philoſophiam verum animi firmamentum habuiſſe, cetera ornatus cauſa tantum addita; convivia inſtituiſſe frugalia, & philoſophica, & a luxu juvenum nobiliorum animos revocaviſſe. Et ut verbo, dicamus, effeciſſe, ut ſaniori judicio præditis ſolus omnium inſtar Athenienſium eſſet. His animi præſtantiſſimi moribus ingenii divini & humanam conditionem ſuperantis magnitudinem admiratores Platonis adjiciunt, eumque reliquis omnibus philoſophis poſt ſe relictis, propius ad divinitatem cognoſcendam evolaſſe contendunt, quod ei glorioſum nomen peperit, ut divinus diceretur. [z] Neque defuerunt autem, qui multis quoque nominibus eum reprehenderent. Refert enim SENECA: [a] objectum Platoni eſſe, quod aliter loqueretur, aliter viveret; quod licet, per maligniſſima capita & optimo cuique inimiciſſima factum eſſe, dicat, non audet tamen totum negare, ſed eo tantum excuſat, dixiſſe, non quemadmodum ipſe viveret, ſed quemadmodum vivendum eſſet. Triſtitiam vultus & affectatam gravitatem objecere ei Comici, inter quos Amphis: [b]

Aliud nil potes quam mœrere, mi Plato,
Et fronte ſemper corrugata ut cochlea.

Nec

q) SVIDAS in *Plato T. III. p. 124.* qui ne ſemel quidem corporis conjunctionem veneream tentaſſe ſcribit. Ceterum quæ hic habet STANLEIVS *p. 309.* nec ſe invenire potuiſſe citatis ab eo locis monet OLEARIO ex FICINI *vita Platonis* deſumta ſunt.

r) *De ira l. II. c. 22.*

s) *ibid. l. III. c. 12.*

t) *ib.* LAERT. *l. III. ſ. 38. 39.* VAL. MAXIM. *l. IV. c. 1.*

u) *l. IV. c. 9.*

x) *De fort.* & in *Sympoſ.*

y) *l. III. ſ. 38. 39. 40.*

z) AVGVSTIN. *de Civ. Dei l. VIII. c. 12.*

a) *De vita beata c. 18.*

b) LAERT. *l. III. ſ. 26.*

Nec id negant ſectatores, ſed in laude ponunt, eum in vita nunquam riſiſſe. [c] Calumniarum & perfidiæ eum inſimulaſſe Athenæum, ex iis quæ de Phædone ex illo retulimus, patet. Iungit is faſtum atque ſuperbiam, quam illi quoque exprobravit Diogenes. Imprimis vero caſtitas Platonis in ſuſpicionem adducta eſt. Culpabant enim eum inimici, & objiciebant, quod amore præpoſtero Aſtera, Dionem, Phædrum Alexidem, Agathonem & Archæanaſſam Colophoniam meretricem amplexus fuerit; [d] quæ cauſa quoque fuit, cur Antiſthenes, contemtu Platonis irritatus, dialogum in eum componeret, quem turpi Sathonis nomine alluſione ad Platonis nomen facta, inſignivit. [e] Cujus criminationis cauſa arceſſenda eſt, partim a converſatione Platonis cum juvenibus animi elegantia & corporis venuſtate conſpicuis, quam, more Socratico, quærebat; partim, ab epigrammatis variis, quæ ei tribuuntur, & quibus in pueros & puellas parum caſte luſiſſe dicitur, quorum aliqua nobis ſervavit LAERTIVS. [f] Quæ ſi genuina ſunt, [g] id ſaltem probant, multum a philoſophi gravitate receſſiſſe Platonem, cum hæc ſcriberet. [h] Vnde & a Dicæarcho graviter ideo reprehenſus dicitur TVLLIO. [i] Idem convicium ob Sympoſium ejus, ubi de amore agit, recte in Platonem conjici, urget PHILO, [k] qui totum illud convivium impendi monet *amori, non illi, quo viri in mulieres inſaniunt, aut hæ in viros, ſed quo viri in maſculos ætate tantum minores.* Addit his: *Si quid ibi de amore venereque cœleſti dictum videtur elegantius, pro condimento modo eſt additum, cæterum majorem partem vulgaris & promiſcuus amor occupat, fortitudinem, virtutem bello paceque utiliſſimam tollens e medio, & pro hac morbum muliebrem inducens in animum, & homines reddens androgynos, quos oportebat potius exerceri omni contentione ad confirmandum robur tam corporis quam animi.* Quæ poſtea latiſſime exequitur, & damna amoris maſculi prolixe enarrat. Hæc Philo alter Plato habitus, totusque ejus in aliis capitibus amore captus. Quod iis Platonicis poteſt opponi, qui, quæcunque de amore Plato dixit, cum FICINO [l] de amore puro & cœleſti explicant. [m] Certe ita hæc viſa ſunt comparata magno VOSSIO [n] in laudes licet Platonis alias ſatis effuſo, ut ſpecimen ſint gentilium juſto Dei judicio cæcorum, cupiditatibusque ſuis relictorum, ut in omne libidinis genus irruerent. Quod itaque pro excuſando Platone dici poteſt, eo redit: epigrammata non fuiſſe ab eo ſcripta, ſed a petulanti Ariſtippi, vel quisquis auctor fuit, libelli, *de luxu veterum*, calamo profecta. [o] Accommodaſſe ſe more Socratico Platonem indoli Athe-

c) OLYMPIOD. *l. c.*

d) ATHENAEVS *l. XI. p. 507.* LAERT. *l. III. f. 26.* TZEZES *Chil. X. hiſt. 356. ſeqq.*

e) LAERT. *l. III. f. 35.* ad quem locum videndus MENAGIVS.

f) *l. III. f. 29.*

g) De eo vero non dubitabat APVLEIVS, qui Latina quædam fecit *l. c.*

h) Certe hoc inde ſequitur, pejus ſcripſiſſe quam vixiſſe.

i) *Tuſc. Q. l. IV.*

k) *De vita contemplativa Opp. p. 898.*

l) In *argumento Sympoſii.*

m) Ita BESSARIO *contra Trapezuntium, calumniatorem Platonis.*

n) *De idololatria gentili l. I. c. 4. p. 25.*

o) Ita quidem FICINVS in *vita Platonis*, qui Ariſtippum incuſat; ſed non poſſe hunc librum Ariſtippum auctorem habuiſſe, ſupra probavimus,

Athenienſium amore puerorum inſanientium, & ita licentioſius ſcribendo traduxiſſe ad meditationes philoſophicas, eandemque ejus cum juvenibus converſationem mereri apologiam, quæ pro Socratis innocentia fieri ſolet. Nec temperamentum quoque tetricum atque auſterum Platonis pati, ut veriſimile credatur, eum in hac re peccaſſe. Non negamus, nobis hac in re Platonis innocentiam non valde eſſe ſuſpectam, fatemur tamen, ita argumenta eorum, qui Platonem inſimulant, inſtructa eſſe, ut non omni veri ſpecie careant. Quia vero incerta pro certis ſequi in infamia magni viri afferenda & impium & inconſultum eſt, præſtat ſaltem judicium cohibere, quam calumnia onerare philoſophum. Ceterum quod ad ingenii vires atque facultates attinet, valde veremur, ut acuti judices inveniant, quod in eo laudant, qui cæca ejus admiratione ducuntur. Iudicii enim defectum paſſim regnare, & imaginationis vim, ſine juſtis limitibus ſe paſſim efferre, animum vero ad ſuperſtitionem inclinaſſe, totus philoſophiæ Platonicæ habitus, & regnans in ea fanaticiſmus luculenter confirmat; & vel hoc ſolum argumento rei eſt, quod deſerta ſobria Socratis philoſophandi ratione ad τερατολογίας Pythagoricas, & nugas ingenii, abſtractionibus & diſtinctionibus ſoliditatem quærentes & oſtentantes defecerit, & ſyſtematum toto cœlo inter ſe diverſorum harmoniam inſtituerit. Qui characteres[p] ut mediocre judicium produnt, ita divinitati ingenii, quam tanta confidentia ei tribuere aſſeclæ, contradicunt, & ex albo maximorum philoſophorum Platonem delent.[q]

Auctoritas in republica & apud Principes.

§. XI. In illud vero omnes eruditionis vires conferebat Plato, ut juvenes formaret philoſophiæ beneficio eximios atque doctos, & reipublicæ olim adminiſtrandæ futuros idoneos: quem in finem dialogos quoque ſuos conſcripſit. Ab ipſa vero gerenda republica prudens abſtinuit, maxime quod Draconis & Solonis leges, quibus vivebant Athenienſes, improbaret: id quod ab utroque ſancita[r] cum Platonis republica conferenti mirum non videbitur. Plato enim ad naturalem potius ſtatum, quam civilem, qualem leges Solonis temperaverant, reſpexit, animumque notionibus Pythagoricis, & idea reipublicæ philoſophica imbutum habuit. Vnde etiam æqualitatem in ea quam maxime requirebat: quod Arcadibus & Thebanis luculenter probavit.[s] Cum enim fama ejus indies incrementa caperet, & ad eorum quoque aures pertigiſſet, legatos ad eum miſerunt, qui orarent, ut ad inſtituendos philoſophiæ præceptis juvenes, & ordinandam legibus rempublicam, quam nuper condiderant, ad ipſos accederet. Valde vero delectatus

mus, etſi certum ſit, in eo non Platonem tantum, ſed & Socratem, Xenocratem aliosque philoſophos amoris puerorum inſimulatos eſſe. Sed verſiculos, qui ſub Platonis nomine occurrunt, inde deſumtos eſſe prius probandum eſt.

p) Conf. *Act. philoſ. Vol. I. p. 196. Amoenit. lit. T. VII. p. 513.*

q) Præter adducta culpat etiam *auctor. hiſt. crit. philoſ. P. II. c. 20. p. 197.* ingratitudinem erga præceptores, laudum cupiditatem, voluptatis & commoditatis inter Siculos ſtudium, & diligentiam in obſcurandis ſuis. Valde vero timemus, ut hæc omnia probari queant, ſi laudis ſtudium & obſcuritatem quæſitam excipias: quam tamen a Socrate & Pythagora accepit, & ad ſecuritatem ſyſtematis quaſi ſui, adhibuit.

r) Conf. MEVRSII *Themis Attica.*

s) LAERT. *l. III. ſ. 23.* AELIAN. *l. II. c. 42.*

lectatus fuit Plato ista invitatione, sic ut obsequi vellet; cum vero legatos interrogasset, quemadmodum ad æquabilem partitionem omnium rerum essent affecti, & comperisset eos ab ea vehementer abhorrere, neque, ut hanc susciperent, persuaderi posse, noluit eo proficisci, sed familiarem suum Aristonymum, misit. Idem fere cum Cyrenæis factum esse (hoc enim a priori distinguendum esse, secus ac putat MENAGIVS, [t] diversæ circumstantiæ jubent) narrat PLVTARCHVS: [u] leges a Platone civitati suæ præscribendas postulantes, repulsam tulisse; dicente, difficile esse leges præscribere hominibus rebus lætis ac prosperis utentibus, ac nihil esse tam petulans atque ferox & imperio reluctans, quam hominem rebus secundis fruentem. Probe enim videbat Plato, imaginariæ reipublicæ intentus, istam rerum omnium communionem, quam omnibus civitatum malis mederi posse credebat, inter homines rerum affluentia potentes, & maxime inæquales introduci non posse. Aliam itaque ordinandi civitatem rationem Platonem iniisse oportet, si vera sunt, quæ alibi PLVTARCHVS [x] refert, Syracusiis, ejecto tyranno, leges condidisse, ut & Cretensibus leges, Magnesia condita, libris duodecim digestas misisse; Eleis vero Phormionem, Pyrrhæis Menedemum familiares suos misisse, ordinandæ reipublicæ causa. Forte & hoc politicæ Platonicæ adscribendum est, quod discipuli ejus Dio Siciliam, Pytho & Heraclides Coty interfecto Thraciam a tyrannide liberaverint, nam id diserte Platonis doctrinæ de republica atque de legibus adscribit PLVTARCHVS. [y] Gratiosus tamen apud principes quoque viros, ipsosque reges fuit, imprimis apud Archelaum regem Macedoniæ & Perdiccam, cui Philippum Macedonem commendavit, eumque consiliis ita instruxit, ut firmando postea imperio par esse posset. [z] Imprimis autem Dionysio Siciliæ tyranno se commendavit, maximaque apud eum auctoritate viguit, ter in Siciliam profectus. Quæ itinera & mora Sicula cum non levis historiæ philosophi pars sint, ex qua animi ejus character potest disci, paucis eam, prout ipse in epistolis, [a] & post eum PLVTARCHVS [b] & LAERTIVS narraverunt, exponemus. Ter vero in Siciliam Plato navigavit, primo ut insulam & Ætnæ craterem videret, quod iter in quadragesimum ætatis ejus annum incidit: ad quod suscipiendum nullo humano consilio, sed divina fortuna, Deo tyrannidis eversionem moliente, excitatum fuisse, scribit PLVTARCHVS, [c] quia Dioni Plato ejiciendi tyranni & liberandæ patriæ occasionem subministravit. Regnabat autem tum Syracusis Dionysius major, Hermocratis filius, qui Dionem juvenem ingenii ad discendum aptissimi & ad virtutis præcepta accipienda celerrimi assuefactum ad vitam incertam & obnoxiam metui, abjectis moribus, luxuque & voluptatibus, educari curaverat. In hunc incidens Plato, cum urbis Syracu-

t) Ad *l. c.* LAERTII.
u) Ad *princip. inerud. init.*
x) *Adversus Coloten l. III. p. m. 415.* AELIAN. *l. II. c. 42.* LAERT. *l. III. s. 23.*
y) *l. c.* conf. MENAG. *ad* LAERT. *l. III. s. 16.*
z) ATHENAEVS *l. XI.*
a) *Ep. VII. Tom. II. p. 323.*
b) In *Dione T. V. p. m. 648.* c) *l. c.*

racuſanæ luxum, voluptates, commeſſationes & pervigilia vehementer ei diſplicerent, [d] nactus eum eſt diſcipulum a pravis Siculorum moribus revocandum. Neque Dio præceptoris ſpem fefellit, quamprimum enim philoſophiam ad virtutem ducentem deguſtavit, celeriter animo flammas concepit; cumque eodem modo affici Dionyſium poſſe, ſperaret, magno ſtudio effecit, ut is cum Platone colloqueretur. Quo in colloquio cum Plato de virtute & tyrannide diſſeruiſſet, & quam miſera injuſtorum vita eſſet, oſtendiſſet, tyrannus ſua vitia perſtringi intelligens, [e] vehementer ira in eum exarſit, adeo ut inconſulta Platonis loquendi libertate offenſus, de eo necando cogitaret. Dio itaque, qui male ita conſultum Platoni eſſe obſervabat, maturavit ejus in Græciam reditum, eumque in triremi, qua Pollis Lacedæmonius dux, legatus ad Dionyſium in patriam remeabat, dimiſit. Dionyſius autem occulte cum Pollide egit, ut inter navigandum Platonem vel interficeret, vel venderet: id quod etiam ab illo in Ægina Inſula, cujus incolis bellum tum erat cum Athenienſibus, factum eſt: [f] idque peculiari Æginetarum decreto eveniſſe, quidam volunt, quod nemini Athenienſium inſulam adire permitteret. Alii aliter narrant, & jocos quoque referunt, ut ſolent hujus generis hiſtoriæ ejusmodi confictis circumſtantiis ornari, ut jucundiores evadant. [g] Plato itaque ab Anniceride Cyrenaico [h] philoſopho XX. vel, ut alii tradunt, XXX. minis redemtus, liberque domum dimiſſus eſt ad neceſſarios, nec ab his pecuniam ſtatim reddere paratis, accepit, non eos ſolos eſſe, inquiens, ad quos Platonis ſalus pertineat. Narrant Pollidem a Chabria victum & paulo poſt prope Helicem ſubmerſum, a dæmonio irato fuiſſe everſum, ob illatam philoſopho injuriam. [i] Dionyſius autem, re cognita literis Platonem oravit, ut famæ ſuæ parceret, cui reſpondit Plato, ſibi quidem id otii philoſophiam non indulgere, ut Dionyſii poſſit meminiſſe. Dio vero Platonicis ſtimulis & præceptis ad virtutem vehementer inſtigatus, luxu & voluptatibus rejectis, cum ſecundum virtutem vivere inſtituiſſet, alios quoque, qui in perditiſſima Dionyſii familia vivebant, ad idem virtutis ſtudium excitavit. Spe itaque nixus, fore, ut & junioris Dionyſii animum caperet, virtutem ei aſſidue commendavit, & Platonicas ſubinde ſententias admiſcuit. Qua re factum, ut magno is incenderetur deſiderio, noſcendi Platonem. Quare ſollicitatus vehementer Plato literis tum a Dionyſio, tum a Pythagoreis in Sicilia degentibus perſcriptis, ut Syracuſas veniret, & principem ad luxuriam opibus ſuis inclinatum regeret, tandem expugnatus, metuens, ſi recuſaret, ne ignava opera, verbis tantum philoſophari videretur, ſperansque præcipua parte perpurgata afflictis Siciliæ rebus medelam allaturum ſe eſſe, tandem ceſſit. Inductum, ait LAERTIVS, [k] Platonem pollicitationibus Dio-

d) *Ep. III. VII. l. c.*
e) LAERT. *l. III. ſ. 18.* PLVT. *l. c.*
f) LAERT. *l. c. ſ. 19.*
g) *Ibid.*
h) Diſtinguendum hunc a juniore Anniceride, ſupra evicimus.
i) Ita ſine dubio Platonis diſcipuli, ut invidiam Dionyſio & Pollidi conflarent.
k) *Lib. III. ſ. 21.*

Dionyſiii, quibus locum & populum ei obtulerat, ut novam, quam meditabatur, politiam, inſtituere poſſet, ob quam quoque ei cauſam ambitionis crimen objecit ATHENAEVS. [l] Nec id veri ſpecie carere, ea, quæ ſupra de conſilio ejus in condendis legibus diximus, ſuadent. Interea vero Dionis adverſarii Philiſtum exulem, tyrannicis ſententiis imbutum revocare in patriam Dionyſio ſuadebant, ut haberent, quem Platonis philoſophiæ apud principem opponerent. Delatus in Siciliam Plato magno honore, regioque curru exceptus eſt, rege ipſo ſacrificia pro adventu ejus obeunte. Et mutata repente in aula omnia; modeſtia in conviviis regnans; regis benignitas, philoſophia ab aulicis coli cœpta, magnam emendationis ſpem promittebant. Philiſtus vero, & qui ei adhærebant, ne Platonis nimia apud regem fieret auctoritas, metuentes, ad accuſandum Platonem & Dionem conſpiravere, & ita in Dionem Dionyſii animum accenderunt, ut eum lembo injectum ad triremem deduci & in Italia exponi juberet: qua ſententia Plato cum reliquis Dionis amicis vehementer perturbatus eſt, veritus, quod fama quoque ferebat, ne & ipſe de capite periclitaretur. Dionyſius vero, humaniſſime eos tractabat, Platonem confirmabat, &, ut apud ſe maneret, rogabat, amicitiæ vero ſpecie in ipſo palatio adeo arcte eum cuſtodiebat, ut nemo ad illum, ipſo neſciente, accedere poſſet: multum vero interim ſermonibus Platonis capiebatur. Tandem exorto bello Platonem in patriam dimiſit, revocandum, uti promiſerat, cum Dione, quam primum pax ſubſecuta fuiſſet. Plato interim Dionem Athenis philoſophiæ præceptis imbuit, effecitque, ut nihil adverſus Dionyſium moliretur. Qui Athenis comparata domo & Platonem diligenter audiebat, & amœno Speuſippi ingenio, quod ei Plato commendaverat, oblectabatur, ludisque publicis ſuis ſumtibus inſtitutis ſibi gloriam Platonique favorem populi parabat. Dionyſius vero pulſi Platonis ignominia motus undiquaque philoſophos ad ſe vocaverat; & cum iis diſceptando ſapientiam jactaverat; iſtis vero non exſatiatus ſubito deſiderio correptus eſt, reddi ſibi Platonem, pace interim facta. Tum vero recuſare Plato, & ſenectam excuſare, objicere etiam promiſſum de Dione reſtituendo falſum. Archytas vero Tarentinus & Pythagorici alii, inſtigante tyranno, eo tandem animum compelli paſſi ſunt, ut Platoni ſcriberent, venire tuto eum poſſe; ſeque fidem interponere. Ipſe Dionyſius ſcriptis literis eum invitavit, & triremem vittatam cum Archidemo Platoni amiciſſimo, qui eum arceſſeret, miſit: uxore & ſorore Dionis idem cum ipſo Dione urgente. Victus itaque tot amicorum precibus, tertia vice Syracuſas petiit, quem advenientem albis quadrigis Dionyſius excepit, aurigamque ipſe egit. [m] Et lætus quoque Siculis adventus Platonis fuit, qui Philiſti odio Dioni & Platoni magnopere favebant, magnamque ſpem conceperant fore, ut de tyranno philoſophia Platonis triumpharet. Ipſe Dionyſius, omne, quod contra quosvis conceperat, odium metumque exuit, Platonique magnam vim auri obtulit, ex quo XXC. talenta accepiſſe, ſupra

l) *Lib. XI. p. 507.* m) *Citati.*

narravimus. [n] Magna ibi in auctoritate vixit Plato, & cum aulæ moribus ſe attemperaret Ariſtippus, libertatem dicendi ſequeretur Diogenes, pecunias appeteret Æſchines, ipſe philoſophi vultum gravitatemque retinuit, & a moribus aulæ abhorruit; quod magnæ ei laudi eſſe jactabant amici & diſcipuli, Ariſtippus cathedrarium faſtum interpretatus eſt. Neque tamen a Dionyſio Plato, ut vel civitatem legibus Platonicis conderet, vel Dionem revocaret, obtinere potuit, ſed diffidere ſibi mutuo cœpere, clandeſtinis tamen motibus, omnique ab utroque prudentia adhibita, ne quid ſuſpicionis alteri cieretur, unde & honoribus Dionyſius Platonem, & fiduciæ ſpecie Plato Dionyſium decipere conatus eſt: Ariſtippo tamen, ut erat ingenio verſatili, inſtantem σύρραξιν prædicente, quæ etiam evenit. Cum enim reditus Dionis a Dionyſio retinerentur, male id habens Plato, mitti petebat, Dionyſio, ut maneret, rogante. Quod cum obtinere ab eo non poſſet, itineris neceſſarii apparatum ei promiſit, Dioni reditus reddere pollicitus, modo maneret. Vix vero portu egreſſæ naves erant, cum promiſſorum immemor, Dionis bona venderet, Platoni evadendi occaſione ſubtracta. Mox ob interceſſionem pro Heraclide ex familiaribus Platonis, qui ſeditionis militaris auctor ferebatur, [o] & libertatem in reprehendendo adhibitam infenſiſſimus ei factus Dionyſius, ab aula eum removit, & extra arcem verſantem militibus ei inimicis expoſuit, qui falſis rumoribus in eum accendebantur. Cœpit itaque de fuga cogitare Plato, & amicis Pythagoreis periculum, in quo verſabatur, indicare: qui legatum Lamiſcum cum triremi miſerunt, ut Platonem repoſceret, quod, Archyta ſponſore, Plato ad ſuſcipiendam in Siciliam profectionem inductus eſſet. Dionyſius itaque, ut ſe ipſum excuſaret, convivio magnifice Platonem excepit, multisque auctum teſtimoniis benevolentiæ domum remiſit. In Peloponneſum itaque Olympicorum ludorum tempore delatus, totius Græciæ in ſe oculos convertit: Athenasque redux Dioni, quæ geſta erant, narravit, & ad Dionyſium ſcripſit rationem omnium luculentam reddens. Dio vero vindictam tot injuriarum, erepta tandem a tyranno uxore animo concipiens, bello experiri in eum ſtatuit, ſive Platonis, quod quidam volunt, inſtigatione, [p] quod tamen alii negant, [q] ſive Speuſippi exhortatione compulſus, quod tyranno tandem exitium peperit. Ex dictis jam liquet, Platonem, etſi virum magnum & eruditiſſimum, ingenio tempori aulæque inſerviente & commodas occaſiones captante non fuiſſe uſum, & juvenibus magis quam viris philoſophatum, academiæ magis quam Syracuſis, ſcholæque, quam aulæ, ſervire potuiſſe: unamque, qua pollebat, famam & Dionyſii ambitionem, qua philoſophiæ vindex videri & tyrannidis ignominiam delere cupiebat effeciſſe, ut tantis honoribus afficeretur.

Obitus. §. XII. Reſtitutus itaque & patriæ & ſcholæ Plato, ſibi Muſisque vixit, & in erudienda juventute ad ſenectutem usque occupatus fuit, quæ ſera

n) Magno ære redemiſſe tum libros Pythagoricos ſupra monuimus.

o) PLATO *ep. VII. p. 348.*

p) AELIANVS *l. III. c. 17.*

q) PLVT. *l. c.*

ſera ipſi obtigit. Cum enim temperantiſſime viveret, & natura quoque vires accepiſſet ſatis valentes, facile ſine morbo ad extremam ſenectam pervenit, canosque frugalitatis præmium habuit. Senio enim ſolo extinctum, veteres unanimi conſenſu teſtantur. [r] Hermippus apud LAERTIVM [s] in nuptiali convivio diem obiiſſe refert, ſcribentem mortem oppreſſiſſe vult CICERO. [ſſ] Audiendi itaque non ſunt, qui morbo pediculari eum obiiſſe dicunt. [t] Mortuus vero eſt tertio decimo Philippi regis Macedonum anno, Olymp. CVIII. 1. ætatis ut plerique veterum numerant [u] LXXXI. quem tamen numerum illi mutant, qui triennio prius natum Platonem contendunt. [w] Et memorabile etiam eſt, in ipſo natali vitæ tempus expleviſſe, unde qui LXXXI. annos vixiſſe tradunt, divini quid in eo quæſiverunt, quod anni climacterici magni menſuram exæquaſſet. Narratque SENECA: [x] *Platoni diligentiæ ſuæ beneficio contigiſſe, quod natali ſuo deceſſerit, & annum unum atque octogeſimum impleverit ſine ulla deductione: ideo magos, qui forte Athenis erant, immolaviſſe defuncto, amplioris fuiſſe ſortis, quam humanæ, ratos, quia conſummaſſet perfectiſſimum numerum, quem novem novies multiplicata componunt.* [y] Cœlibatum quia ad vitæ finem accurate tenuit, hæredes quoque non reliquit, ſed Adiamantum hæredem teſtamento ſcripſit. Produxit illud LAERTIVS: [z] quod tamen an genuinum ſit, merito dubitavit IS. CASAVBONVS; [a] quam ingenioſa enim fuerit in ejusmodi rebus comminiſcendis veterum rhetorum diligentia, ſatis notum eſſe exiſtimamus. Neque tamen verum videtur, quod APVLEIVS [b] vult: *patrimonium in hortulo qui Academiæ junctus fuit, & in duobus miniſtris, & in patera qua diis ſupplicabat, reliquiſſe. Auri tantum, quantum puer nobilitatis inſigne in auricula geſtavit.* Supra enim veterum teſtimonio accepimus XXC. talenta a Dionyſio eum accepiſſe, magnamque auri ſummam in quatuor libros Pythagoricos impendere potuiſſe. Nec probabile eſt, Dionem, qui in exilio apud eum vixerat, & ex reditibus Siciliæ magnos in Athenienſes ſumtus fecerat, [c] Speuſippumque bonis auxerat, Platonem reliquiſſe vacuum, vel ab eo hunc nihil accepiſſe. Sepultus autem eſt, non procul ab Academia, ut ait PAVSANIAS, [d] unde LAERTIVS ſenſu latiori totum Ceramicum Academiam dixiſſe cenſendus eſt,

r) SENECA *ep. 58.*

s) *Lib. III. ſ. 2.*

ſſ) CICERO *de ſenect. c. 5.* HIERON. *ad Nepot. de vita Cler.*

t) Apud LAERT. *l. III. ſ. 40.* conf. MENAG. *h. l.*

u) *Citati.*

w) Dictum hac de re §. *II.*

x) *l. c.* Eſſe vero fabulam ex iis convincitur, quæ de incertis rationibus natalis anni Platonis ſupra dicta ſunt; videturque ideo conficta, ut non minus mors, quam nativitas humanam conditionem ſuperare videretur. Ceterum audiendi non ſunt, qui cum EVSEBIO Ol. CVIII. 4. obiiſſe, vel cum EVTYCHIO ALEX. *T. I. ann. p. 288.* Alexandro M. ſupervixiſſe dicunt. Id ipſe EVTYCHIVS *p. 267.* refutat, ubi eum vixiſſe dicit tempore Philippi Macedonis.

y) Produnt ipſæ hæ rationes, fabellam excudiſſe Pythagoreos & Platonicos, quorum ſomnia de anno climacterico vid. apud SALMASIVM *pec. libro.* TENNVL. *ad* IAMBLICH. *in Nicom. p. 129.* VOSS. de *idolol. gent. l. III. c. 20. p. 816.* ex veteribus CENSORIN. *de die natali c. XV.*

z) *Lib. III. ſ. 41.*

a) *ad h. l.*

b) *loc. cit.*

c) PLVT. in *Dione.*

d) In *Atticis*, conf. MEVRSIVS in *Ceramico l. c.*

quando tradit: Platonem in Academia ſepultum eſſe, ubi plurimum temporis philoſophando exegerat, videturque hortus ipſe, quem poſſederat in Ceramico ei ſepulchrum præbuiſſe. Quemadmodum vero vivus magnus Plato habitus eſt, ita poſt fata adeo non imminuta eſt ejus exiſtimatio, ut potius inſolitis honoribus cumularetur. Statuam ei in Academia poſuit Mithridates Perſa, [e] aram Ariſtoteles; dies natalis, quod ſupra tetigimus, a ſectatoribus convivio celebrabatur. [f] Effigies impreſſa numis, atque ita immortalitati commendata. [ff] Tanta vero non inter gentes tantum a purioris fidei revelatione deſtitutis, ſed inter Chriſticolas quoque Platomania fuit, ut non deeſſent, qui locum ei inter beatos aſſignarent, id quod præter alios NICOLAVM SECVRVM [g] & DOMINICVM A SOTO [h] feciſſe conſtat, vel primum fuiſſe, nugarentur, qui apud inferos Chriſto prædicanti fidem habuerit, atque ab eo ex inferis fuerit liberatus. [i] Cujus generis nugæ quoque ſunt Græca fide omnino dignæ, quæ audaciſſimi in ſtruendis mendaciis Græci confinxerunt, repertum tempore Conſtantini M. & Irenes cadaver Platonis cum tabula aurea in pectore, cum inſcriptione: *Chriſtus ex virgine naſcetur, in quem ego credo; at ſol tu me iterum aſpicies ſub Conſtantini imperio & Irenes.* [k] Fuere vero Platones, uti ſupra dictum [l] plures; a quibus tamen noſter nominis & eruditionis celebritate facile diſtinguitur.

Honores poſt fata exhibiti.

§. XIII. Scripſiſſe in juventute Platonem dithyrambica, melica, heroica & tragœdias, & epigrammata quoque nonnulla, ſupra memoravimus, hoc vero loco ideo notandum eſt, quoniam ex eo ratio ſtili Platonis & natura dictionis, quam adhibuit, intelligi poteſt. Eam ubique apud veteres & recentiores laudari videas, & imprimis apud CICERONEM, [ll] qui tantopere non eruditionem modo, ſed & orationem ejus extollit, ut omnibus anteponendum & non ſatis laudandum contendat. Notumque illud veterum de Platonis dictione judicium, Iovem, ſi Attice loqui vellet, non alio, niſi Platonis ſermone uſurum. [m] Ideam vero dictionis ejus inter proſam & poëticam mediam eſſe, jam Ariſtoteles, accuratus judex notavit. [n] Etſi enim abeſt a verſu, incitatius tamen fertur, & magnis ſermonis utitur luminibus, ideo non procul abeſſe a verſu veteribus viſus. [o] Et hæc ratio eſt, cur gravitatem Platonis, ad magnificentiam quandam, & plus quam poëtarum progredientem, comite præterea ubertate & copia, &, qua reliquis omnibus antecellit, ſuavitate atque gratia, maximopere dicendi

Scripta & ſcribendi ratio.

e) Phavorinus apud LAERT. *l. c.* MEVRS. *l. c.* dedicata autem erat Muſis, ut ſolebant.

f) *Auctor vitæ Ariſtot.* conf. *Otium Vindel. Mel. III. §. 8. p. 268.*

ff) Talem numum ex una parte Platonis, altera Auguſti effigie inſignem pec. diſſ. explicuit CAR. PATINVS.

g) *Plato beatus, ſive de ſalute Platonis pia contemplatio, Ven. 1666. 12.* conf. *Act. philoſoph. vol. III. p. 243. ſeqq*

h) *De juſtitia & jure l. II. q. 3. art. 5.*

i) Conf. LEO ALLATIVS *de libris eccleſ. Gr. p. 259. 274.* BARTHIVS *ad* AENEAE GAZ. *Theophraſt. p. 153.*

k) Vid. FABRICIVS *Bibl. Gr. vol. II. p. 40.*

l) *§. III.*

ll) Paſſim, *vid. Orat. c. 3. de officiis l. I. de legibus l. II. III.*

m) Conf. VALESIVS *ad* AMMIANVM *l. XXII. c. ult.*

n) Apud LAERT. *l. III. ſ. 37.*

o) CICERO *Orat. c. 20.* THEMIST. *p. 319. Orat.*

cendi artis judices extollant. [p] Et negari quoque nequit, Platonem, ubi dialogi vestigiis insistit, plane incomparabilem esse, & jucundissimum; cuncta ibi ad characteres personarum exacta, proœmia apta & jucunda, series & corpus totum disputationum belle attemperatum, suus cuique locus & decor, & mores tributi, descriptiones locorum elegantissimæ, vivisque quasi coloribus depictæ, quæ omnia dialogorum jucunditas, cuncta minutis & elegantibus particulis atque membris, partiens, & interrogationibus atque responsionibus efferens, admirabili artificio ornat. Dictio insuper satis clara, quantum argumentum, sæpe metaphysicum & mathematicum patitur, & instar aquæ profluentis pellucens. Flos ideæ sermonis & dicendi generi accommodatus, tempestivusque, & imprimis, ubi violarum in morem humi quasi repit, & tenue atque simplex orationis genus sectatur, fragrantissimus: compositio locutionis simplex & dulcedo, neque loquacitatem neque pompam redolens. Quam dicendi temperiem & artem partim a Lysia, partim a Socrate habuisse, non inepte critici [q] conjiciunt. Alius tamen Plato a semetipso, sibique prorsus dissimilis, ubi sublime dicendi genus sectatur, & ornatius atque uberius loqui magno impetu conatur, ubi ingenium poëtica licentia turgidum, dithyrambicum [r] & tragœdiam spirans adeo redolet, ut hoc ipsi vitium a juventutis institutione & studiis adhæsisse manifeste appareat. Quapropter erudite quidem, ast acerbe eum notavit nobilis & eruditus veterum criticus DIONYSIVS HALICARNASSEVS, [s] & ante eum Demetrius Phalereus, qui sumtuosiorem istam & insolentiorem magnificentiam ferre non potuerunt, & in eo reprehenderunt, quod in vertenda & mutanda dictione, quasi tempestate quadam jactetur, in fingendis vocabulis ineptus, durus in translationibus, nec satis retinens similitudinis appareat, nec in allegoriis modum servet vel rationem temporis & loci. Addit judicii laude insignis rhetor: *nunquam sibi probatam esse ejus adjectorum nominum inconcinnitatem, minimeque eum placere, cum se politicis rebus interposuit, laudationesque & invectivas, accusationes & defensiones conscripsit. Tunc enim fieri alium a se ipso, & dedecori esse philosophiæ, valereque de his Platonis scriptis illud, quod apud Homerum Veneri Iupiter dixit:*

Οὐ τοι, τέκνον ἐμὸν δέδοται πολεμήϊα ἔργα
Ἀλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο.
Non tibi, nata datum tractare negotia belli,
Sed dulces thalami res, & connubia capta.

Hæc Dionysius, qui ea postea Phædri exemplo probat, ibique alia neque accura-

p) Ex multis videndi FR. VAVASSOR in eleganti tract. *de dictione ludicra c. III. p. 9. Opp.* & NIC. CAVSSINVS *de eloq. S. & hum. l. I. c. 69. p. m. 67.* qui etiam Platonem cum Cicerone comparat.

q) *Citati.*

r) Hoc nec ipse negavit Plato, sed veniam exoravit, & honesto nomine prætexuit culpam, cum se afflatum divinitus dithyrambos fundere diceret.

s) In *Epist. ad Pompejum T. II. Opp. p. 229. seq.* ed. Wechel.

accurate neque preſſe & ſubtiliter dicta, alia puerilia & frigida, alia inania, nulla re ſubjecta utili & ſuavi, alia dithyrambica & audaciora & licentiora dicta eſſe demonſtrat. *ſſ* Quæ ideo paulo prolixius adducenda fuerunt, ut de Platonis ingenio, cujus plerumque ſermo index eſt, rectius queant judicare, qui non ex unius Ciceronis auctoritate, Platonis amore & admiratione nimis ſæpe ducti, ſed ex ipſa Platonicæ dictionis ratione illud noſſe cupiunt. Vti enim in ſermone ſe exhibuit, ita quoque in doctrina ; multo melior futurus, ſi cum Socrate intra officinas, & in conviviis, & rure de rebus moralibus differuiſſet, quam ubi cum Pythagora de rebus naturam & intellectum hominis tranſcendentibus ſublimis fertur, ſeque ipſum fere amittit. Methodo vero dialogiſtica ſcripta ſua Plato concepit, quam a Socrate, vel etiam ab Eleaticis, uti ſupra memoratum eſt, mutuam accepit. Eſt vero dialogus, definiente ALBINO in *introductione in dialogos Platonis*: [t] *ſermo conſtans ex quæſtione & reſponſione de rebus civilibus vel philoſophicis, ita ut mores decentes tribuantur perſonis aſſumtis & congruens adhibeatur orationis compoſitio.* Quemadmodum vero argumenta iſtorum colloquiorum diverſa ſunt, ita variis quoque generibus & characteribus inter ſe diſtinxerunt veteres, & alios phyſicos, alios logicos, alios ethicos, alios politicos, alios elenchticos, alios piraſticos, alios mæevticos, [u] alios anatrepticos eſſe notarunt, prout vel naturalem, vel moralem, vel rationalem, vel civilem diſciplinam tangunt, & vel convincunt, vel tentant, vel inſtituunt, vel confutant, qua de re præter Albinum audiendus eſt LAERTIVS. Sunt vero Platonis dialogi, qui extant & genuini ſunt, (deperditos enim & dubiæ fidei, de quibus conſulendus eſt FABRICIVS [w] non moramur,) XXXV. quibus XIII. epiſtolæ Platonis addi ſolent, quos variis modis diſpoſuerunt veteres. Et Thraſillus quidem apud LAERTIVM, [x] Platonem tetralogias dialogorum, ut Tragici dramatum ſuorum, edidiſſe auctor eſt, qui & ipſe in IX. Tetralogias ſcripta Platonis diſtribuit, ita ut libri de legibus, itemque de republica, ſinguli unum dialogum exhibeant. Ariſtophanes vero Grammaticus ad trialogias reduxit. [y] In his eam Plato methodum adhibuit, [z] ut primo declararet, quid ſit eorum quidvis, de quo dicitur: deinde cujus rei cauſa dicatur, an tanquam ad rem primario ſpectans, an quod ſimile ſit, an ad ſententiam defendendam, an adverſam impugnandam? tertio, ut, quod recte dictum ſit, demonſtraret. Qua in

ſſ) Obſervavit etiam Dicæarchus apud LAERTIVM *l. III. ſ. 38.* ſcribendi characterem in hoc Dialogo nimis eſſe Φορτικὸν, id quod OLYMPIODORVS *l. c.* eo excuſat, quod hunc in juventute primum Plato ſcripſerit, unde character dithyrambicus in eo obſervetur, conf. MENAG. *ad l. c. Laërt.* FABRICIVS *Biblioth. Græc. vol. II. pag. 13.*

t) Eam primus edidit FABRICIVS *Bibl. Gr. l. III. c. 2. vol. II. p. 42. ſeqq.* cum Albini definitione convenit LAERT. *l. III. ſ. 48.*

u) Vox ab obſtetricibus & nutricibus deſumta, quæ infantem curant, partum promovent, editum curant: hinc dialogi mæevtici, quibus ingenia formantur, nutricanturque & foventur, conf. ALDOB. & MENAG. *ad* LAERT. *l. III. ſ. 49.*

w) l. c. p. 28.

x) Lib. III. ſ. 56.

y) Conf. STANLEI. *P. IV. c. 15. p. 319. ſ.*

z) LAERT. *l. III. ſ. 65.*

in methodo tamen magnam attentionem poſtulat, non tantum ob inductionis, quam plerumque adhibet, difficultatem, ſed etiam ob voces atque nomina plurima, quibus longe aliam, quam apud alios ſcriptores Græcos ſolet, ſignificationem impoſuit, quæ qui ignorat, vel negligit, in tenebris magis apud Platonem palpat, quam luce colluſtratur. Quæ cauſa fuit, ut ex veteribus Boëthus, Harpocration Argivus & Timæus junior, Platonicus Lexica Platonica conſcriberent, [a] ſingulares nominum ſignificationes vel etiam diverſa adhibita nomina ad ſignificandam rem eandem, explicantes. Ceterum & ordinem in legendis his dialogis philoſophiæ Platonicæ ſtudioſo obſervandum eſſe contenderunt hujus philoſophiæ doctores, quem tamen, prout vel ipſi, vel diſcipuli erant affecti varie diſpoſuerunt: [b] ille vero, quem Thraſyllus ſecundum tetralogias inſtituit, ab Eutyphrone orditur. Nec ordinis magnopere Plato videtur fuiſſe ſtudioſus in iis diſponendis, paſſim enim ita eos effinxit, ut temporum rationem nullam haberet, multosque anachroniſmos committeret. Ita in *apologia Socratis* mentionem facit murorum a Conone inſtauratorum, poſt Socratis mortem. [c] In *Parmenide*, hunc philoſophum inducit loquentem cum Socrate, quod temporum rationi adverſari jam notaverunt ATHENAEVS [d] & MACROBIVS. [e] In *convivio* quoque anachroniſmos multos obſervavere ARISTIDES [f] & ATHENAEVS. [ff] *Phædrus* autem, qui in dialogo hujus nominis cum Socrate confabulatur, hujus ætate vivus eſſe non potuit, nedum ab illo amari, ut ATHENAEO [g] quoque notatum eſt. Idem de *Timæo* notandum, ut alia taceamus. Quin non ſolum ad veritatem temporis non attendit Plato, ſed nec perſonarum, quas loquentes inducit; quibus ea affingit, de quibus nunquam cogitarunt. Id de Socrate ſupra obſervatum eſt, dixiſſe illum, cum Lyſidem recitari audiſſet; *proh Dii immortales, quam multa de me mentitur adoleſcens!* [h] Idem de Phædone, Protagora & de Gorgia narrat ATHENAEVS, [i] illum dixiſſe lecto hoc dialogo: *Platonem optime noviſſe ἰαμβίζειν, id eſt, criminari*, hunc, recitato Gorgia *ſe nihil ejusmodi vel audiviſſe a Socrate, vel ad Socratem locutum eſſe, eumque vocaſſe νέον ἀρχίλοχον.* Idem de Parmenide ſtatuendum eſſe, ſuo loco docebimus. Magnorum enim iſtorum virorum nominibus ſuæ philoſophiæ auctoritatem conciliare voluiſſe, non eſt, quod dubitemus: certe victos fuiſſe omnes, & vel erroris convictos, vel melius inſtructos a Socrate, id eſt, Platone Socratico, ubique videri voluit; unde ſi non expreſſis ſemper nominibus tacite tamen philoſophos refutat, id quod Anaxagoræ, Gorgiæ,

a) Conf. FABRIC. *l. c. p. 41.* MENAG. ad LAERT. *l. III. ſ. 63.*

b) Vid. ALBINVS & LAERTIVS *ll. c.*

c) Ol. XCVI. 1. Socrates autem obiit Ol. XCV. 1. Conf. IONSIVS de *Scr. Hiſt. phil. l. I. c. 6. p. 36. 37. l. II. c. 13. p. 281.*

d) *l. XI. p. 505.*

e) *Saturnal. l. I. c. 1.*

f) *Orat. Plat. II. T. III. p. 475. ſeq.* conf. MENAG. *ad Laërt. l. III. ſ. 35.*

ff) *l. V. p. 187. 192. 216.* *g*) *l. XI. p. 505.*

h) LAERT. *l. III. ſ. 35.*

i) *l. c.* Inde I. C. SCALIGER *poëm. p. 13.*

Vix unum verbum multis e millibus ajunt
Quæ poſuit, de Socraticis exiſſe favillis.

giæ, Protagoræ multisque aliis factum esse, veteres notant, & alios quoque a Platone traductos esse, e. g. Aristophanem in Symposio, Cimonem, Miltiadem, Themistoclem & Periclem in Gorgia, observant: quod occasionem dedit Aristidi rhetori in orationibus Platonicis rhetorices, & quatuor horum virorum apologiam scribendi. De ipsa argumenti vero, quod in quolibet dialogo absolvitur, tractatione prolixe agere, institutum nostrum non patitur, paucis multa complexus est FABRICIVS,[k] qui Commentatores quoque nominat, eosque indicat, qui Platoni contradixerunt. Ne tamen prorsus sine symbola abeamus, de *Phædone*, quem reliquis fere præstantiorem veteres habuerunt, quoque de immortalitate animorum Plato differit, observamus, tanti quidem visum fuisse veteribus, ut non tantum Cleombrotus, decantatissimo apud priscos scriptores facinore, de muro se, lecto hoc dialogo, in mare præcipitaverit, sed & Cato Vticensis, antequam mortem sibi conscisceret, ad roborandum animum Platonis prius Phædonem ad lucernam legerit:[l] si tamen recte examinetur, inter pulchre & recte dicta complura, ea quæ potissimum argumenti nervum constituunt, satis infeliciter & improbabiliter disputari. Nam Pythagoricas hypotheses de animarum præexistentia, migratione, & αὐτοκινησίᾳ supponit, quas qui negat, totam simul disputationem evertit. Vnde nec Aristoteli persuasisse notavit THEODORITVS,[m] nec ipse Phædo eum probavit. Primus vero, qui hæc Platonis scripta divulgavit, fuit Hermodorus, Platonis auditor, qui ea in Siciliam delata vendidit, unde proverbium enatum: λόγοισιν Ἑρμόδωρος ἐμπορέυεται,[n] ad quod alludit CICERO,[o] ex cujus verbis tamen concluditur, vel id non invito Platone, vel post mortem demum factum esse. Siculi vero isto proverbio Platonicis ingenii divitiis, diu apud ipsos jactatis illudebant: unde conjicimus, Hermodorum, fama & fortuna, quibus Plato apud Dionysium & Dionem usus fuerat, permotum, eo fine scripta ejus in Siciliam attulisse, ut iis numos sibi corraderet, sperantem fore, ut non minoris æstimarentur, quam Pythagorici libri a Platone in Sicilia redemti. Post restitutum vero literis nitorem, Græce Platonis scripta collegit & edidit ALDVS MANVTIVS *Ven. 1513. fol* obstetricante, prout videtur Marco Musuro,[p] qui & in vertendis Platonis dialogis MARSILIO FICINO, Mediceorum hortatu ad hunc laborem excitato[q] judicium suum interposuit.[r] De cujus versione cum suo loco, ad Platonicos nostri ævi delatis dicendum sit, hic nihil addimus: videndi interim clarissimi viri IO. ALB. FABRICIVS[s] & IO. GEORGIVS SCHELHORNIVS.[ſſ] Alteram versionem debe-

Exemplum dialogorum Phædo, & de eo judicium.

Editiones scriptorum Platonis.

k) *l. c. p. 7. seqq.*

l) Conf. quos fuse nominat FABRICIVS *ad* SEXT. EMP. *adv. math. l. I. s. 48. & Bibl. Græc. Vol. II. p. 9.*

m) FLORVS *l. IV. c. 2.*

m) *Therapeut. l. V.*

n) SVIDAS *h. v. T. II. p. 458.* conf. ERASMVS *Adag. Chil. II. 600. p. m. 539.*

o) *Ad Attic. l. XIII. ep. 21.*

p) Is enim elegans carmen in laudem Platonis præmisit, quod ita Leoni X. placuisse dicitur, ut ab eo non aliam ob causam Archiepiscopus Epidaurensis crearetur. vid. VOSSIVS *de poëtis p. 84.*

q) Vid. *Dedicatio* FICINI *ad Laurentium Medices.*

r) Primum enim specimen versionis a Ficino sibi exhibitum digitis atramento immersis, una litura totum delevit, indicans, alia opus esse, vid. MENAG. *Anti-Baill. p. 157.*

s) *l. c. p. 33.* ſſ) *Amoenit. liter. T. I. p. 95.*

debemus IANO CORNARIO, tertiam IOANNI SERRANO, qui Platonis ſcripta ex H. STEPHANI officina nobis exhibuit *Pariſiis 1518. fol.* III. Vol. quartam plerorumque dialogorum Gallicam ANDREAE DACIERIO.[t] Aut multum vero fallimur, aut deſideratur adhuc idoneus, tantoque ſcriptore par interpres. Ficinus enim, qui omnem vitam in Platonica philoſophia diſcenda conſumſerat, iisque ad hoc opus præſidiis erat inſtructus, quibus plerique carent, falſis interpretamentis Alexandrinæ ſectæ, quæ Platoniſmum genuinum mentiebatur deceptus, cum a Græcis in Italiam confugientibus non tam Platonicam, quam Plotinianam didiciſſet philoſophiam, & eam quidem Chriſtianæ religioni adaptatam non in argumentis tantum dialogorum Platonis mentem depravavit, ſed & in ipſa verſione ſæpiuscule infeliciter expreſſit,[u] & allegoriis recentiorum Platonicorum more, mire omnia detorſit: unde, qui Ficini verſionem meliorem vocant,[v] aut falluntur, aut tantum, reſpectu ad alias minus doctas & fideles habito, intelligendi ſunt. Serranus autem, cum Platonem non ſatis intelligeret, ſententiam magis ſuam, quam Platonis expreſſit, ejusque verba contemſit, & analyſi ſcholaſtica peregrinam Platoni faciem induxit.[w] Dacierius autem & ipſe falſo pro Platonis philoſophia præjudicio occupatus, expreſſit, non quod apud Platonem vidit, ſed videre cupiit. Sed & dialogos Platonis Perſice Choſroës Perſarum regis juſſu,[x] & libros de republica Hebraice translatos eſſe[y] conſtat. *Verſiones.*

§. XIV. Magnum habent enarratæ hactenus hiſtoriæ vitæ Platonis circumſtantiæ influxum in ipſam naturam & conſtitutionem philoſophiæ Platonicæ, ad quam, quantum inſtituti ratio permittit, delineandam jam nos ordo deducit. Quod ut accurate fiat, & cauſas arcanas atque rationes proprias hujus philoſophiæ cognoſcamus, ſimulque convincamur, quam difficile ſit, veros Platonis ſenſus aſſequi, generales quasdam obſervationes, ex præmiſſa potiſſimum vitæ ejus hiſtoria fluentes lectori probe perpendendas exhibemus, eumque ad ſequentia accurato examine attentum eſſe jubemus. *Obſervationes generales de philoſophia Platonis, & cauſis obſcuritatis ejus.*

I. Faſtidiens Plato ſobriam philoſophandi rationem, quam Socrates introduxerat, ſublato magiſtro ad alios præceptores divertit, & imprimis tum naturali ingenii propenſione tractus, tum magna ſcholæ Italicæ, ejusque conditoris Pythagoræ fama excitatus, ad Pythagoreos acceſſit, nec ſic quidem contentus, tandem ad hierophantas Aegyptios acceſſit, & eorum philoſophandi rationem didicit, inque rem ſuam vertit, & Academiæ intulit. Quod, quo potiſſimum modo alio longe tramite, quam Socrates ſolebat, incedere coëgerit, poſtea dicemus. Hic id potiſſimum in limine monemus, Platonem, cum reliquis, quæ, nemine veterum contradicente, *I. Arcana methodus admiſſa.*

t) De utraque editione vid. FABRIC. *l. c.*

u) Vnde lepor ille atque gratia ſumma, qua Græca nitent, fruſtra in hac verſione quæruntur.

v) LEO ALLATIVS *de ſcript. Socratis p. 119.* HVET. *de claris interpret. p. 280.*

w) CL. FLEVRY diſſ. de *Platon.* adjecta libello *de ſtudiis inſtituendis p. 289.*

x) AGATHIAS *l. II.*

y) Conf. cel. WOLF. *Bibl. Hebræa Vol. I. p. 984.*

ex peregrina hac philoſophia in ſuam invexit, [z] arcanam quoque methodum ſtudiumque veram mentis ſententiam occultandi tranſtuliſſe. Hoſpes ſit, in hiſtoria Platonis, neceſſe eſt, qui hæc ignorat, vel negat pertinacius: nam eſſe in ſua philoſophia λόγες ἀποῤῥήτες, quo nomine doctrinam de Deo Platonicam PROCLVS nominat, ipſe fatetur. Ait enim in Timæo [a] *difficile eſſe invenire conditorem hujus univerſi, & inventum evulgare impoſſibile nefasque eſſe.* Clarius in Epiſtolis: [b] *ſtudium in ſuis philoſophematis edendis utile non eſſe hominibus, niſi paucis admodum, qui videlicet exiguis ante veſtigiis demonſtratis, ad inveniendum ipſi ſagaces ſint.* Nec id ignotum diſcipulis & ſectatoribus, quos ideo mutaviſſe callido conſilio rationem philoſophandi Academicam, & incertitudinem introduxiſſe de omnibus in utramque partem diſputantem, ut eo magis magiſtri dogmata celarentur, in ſequentibus exponemus. Nec alia mens Platonicis poſt C. N. qui hanc arcanam docendi rationem, uti ſuo loco demonſtrabitur, ſacro ſanctam cuſtodientes, ſe Pythagoræ atque Platonis moribus & præceptis prudenter accommodare credebant: unde NVMENIO Platonico, librum evulgandi occaſio enata fuit, *de arcanis & non vulgandis Platonis dogmatibus.* [c] Nec obſtant his, quæ OLYMPIODORVS monet, [d] &, ex parte vera eſſe, negari nequit: *Detrectaſſe Platonem ſolenne Pythagoreorum jusjurandum, & clauſas fores, & : Ipſe dixit, volentem ſe urbanius erga homines præbere.* Nam hæc ad ſtrictam tantum Pythagoreorum regulam & ſacri ſilentii peculiares circumſtantias pertinent, quibus publico quaſi ſigillo arcana ſua munivit Pythagoras. Ea vero imitari non conſultum erat Platoni, qui ſi abſconditis iſtis myſteriis hæc addidiſſet clauſtra, maximam in ſuſpicionem adulteratæ religionis publicæ apud Athenienſes, ad Socratis præcipue diſcipulos curioſe attentos, veniſſet. Non itaque juramentum exigebat, non arcebat ab Academia quemquam, non fores claudebat; ſed arcana potius ratione dogmata ſua celabat, & quæcunque docere & plenius tradere volebat, ita manifeſtabat, ut non niſi interiori admiſſione digni habiti poſſent intelligere. Neque difficile eſt, cauſas detegere, quæ Platonem ad hanc arcanam philoſophandi rationem impulerint. Non enim nova ea erat, ſed a multis jam ſeculis inter philoſophantes obſervata, quod prolixe probare eo minus opus habemus, quo magis in iis, quæ ſupra de philoſophia & theologia barbararum gentium & Græcorum vetuſtiſſimorum fuſe diſſeruimus, hanc arcanam diſciplinam ubique accurate annotavimus. Immo nec Ionicos, de cauſis & effectibus quærere incipientes, ab hoc occultandi ſententias ſuas ſtudio plane alienos fuiſſe,

Cauſæ ejus rei.

z) Vid. PORPHYR. *vit. Pythag. n. 59. p. 49.* APVLEIVS *Florid. c. 15 p. m. 359.* CICERO *Tuſc. Qq. l. I. de fin. l. V.* aliique, quorum teſtimonia adduximus in diſſ. *de convenientia numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis* §. *I. Amœnit. liter. T. VII. p. 181. ſeqq.*

a) *T. III. p. 28.*

b) *Ep. VII. T. III. p. 341.* conf. *Ep. II.* ad Dionyſium, ubi jubet epiſtolam comburere, quia quæ ſcribuntur, contineri nequeant.

c) Vid. IONSIVS de *Script. hiſt. phil. l. III. c. 10. p. 164.*

d) In *vita Platonis p. 589.* ubi tamen ratio addita notanda eſt, qua haud obſcure innuitur, Platonem ſe quodammodo ad mores Athenienſes ſeveram iſtam rationem exoſos compoſuiſſe.

fuiſſe, ſupra demonſtravimus. Et habuit quoque Socrates, in omnia alia quidem cetera in philoſophando abiens, quo ſua non omnibus propalam enarraret, modum: utebatur enim ironia, [e] uti ſupra diximus, & ad amicos tantum liberius loquebatur: & dialogiſtica uſus methodo diſputabat magis contra falſas aliorum opiniones, quam ſuas confirmabat; nec alio forte fine, ſe quicquam ſcire niſi hoc, quod ſciret nihil, profitebatur, quam ut ſecurius ſua placita laterent. His exemplis uſus Plato, Heraclitique philoſophandi quoque mori innutritus, quo & ipſe adeo cuncta abſcondit, ut inde obſcurus & tenebroſus diceretur, ad Pythagoreos & Aegyptios acceſſit, ubi ſummo in loco arcani diſciplina habebatur. Quos cum admiraretur vehementer Plato, ut ſolent peregrina plerumque videri domeſticis meliora & præſtantiora, redux domum eandem philoſophandi rationem, ſuis tantum locique & hominum, inter quos vixit, circumſtantiis attemperatam, tenuit. Ad quam non exemplo tantum magnorum virorum excitabatur, ſed & naturali quoque animi propenſione, & imprimis neceſſitate atque utilitate compellebatur. Triſti enim Anaxagoræ, & imprimis cariſſimi præceptoris, Socratis, exemplo didicerat, quam periculoſum eſſet, arcana dogmata propalari, & quam caro vitæ libertatisque pretio illis conſtiterit, quod in occultandis placitis ſuis non cauti ſatis atque attenti fuerint: cumque novam de Deo & divinis philoſophiam ex Italia atque Oriente advexiſſet, timebat jure meritoque, ne, ſi ea in vulgus propalam emanaret, æque triſtia experiretur fata. Tandem & ſuo exemplo non Pythagorei tantum, ſed imprimis etiam Aegyptii ſacerdotes Platonem docuerant, [f] hac potiſſimum arte, ſua occultandi ad maximam apud non initiatos opinionem eos perveniſſe ſummamque laudem atque exiſtimationem conſecutos eſſe apud vulgus, ea plerumque, quæ non intelligit, quæque latentia magnum quiddam promittunt, humanis majora putantem. Quibus artibus ut & ipſe ad gloriam, quam vehementer appetebat, graſſaretur, facile iſtis exemplis excitari ſe paſſus eſt. Quæ cum ita ſe habeant, mirandum non eſt, ſtudio magno & ſingulari induſtria Platonem ſuam philoſophandi rationem inſtituiſſe, ut veræ ejus opiniones atque placita non cuivis paterent, & obſcurus eſſet iis, a quibus intelligi non vellet. Quod cum more Pythagoreo clauſis foribus ſacrique ſilentii ſigillo facere non poſſet, alia & quidem magis philoſophica ratione exſecutus eſt, ad quam ipſæ temporum quibus vivebat, hominumque, quibuscum converſabatur, circumſtantiæ eum invitabant.

II. Multum nempe tum temporis philoſophis ex Socratis ſchola negotii cum ſophiſtis fuiſſe, ipſumque hunc præſtantiſſimum virum inſtitutis *II. Modus occultandi ſuas opiniones.*

e) Diſſimulandi hanc artem a præceptore Socrate Platonem accepiſſe, indeque obſcuram & incertam doctrinam ſuam fuiſſe, jam obſervavit AVGVSTINVS *de C. D. l. VIII. c. 4.*

f) Methodum arcanam a ſacerdotibus barbarorum gentium callidiſſimis conſiliis adhibitam fuiſſe, ut magni apud vulgus fierent, & ſapientiæ laudem ſoli tuerentur, Babyloniorum, Perſarum, Aegyptiorumque exemplis ſupra roboravimus, & ad Machiavelliſmum literarium recte retulit cl. MICH. LILIENTHAL, *de Mach. liter.* §. *XVII. p. 102.* conf. *Otium Vindel. Mcl. I.* §. *9. p. 101.*

Per dialogisticam methodum.

colloquiis eos adortum in ruborem dediſſe, in ejus hiſtoria dictum, hisque in ſequentibus additum eſt, mox poſt ejus mortem ſcholam dialecticam caput in Græcia extuliſſe, & magnam ſibi famam conciliaſſe: reliquos etiam Socratis diſcipulos dialogis philoſophiam a præceptore acceptam propoſuiſſe. Hæc cum eo minus deſerenda eſſent Platoni, quo magis jam, vivo Socrate, ejusmodi dialogos conſcripſerat, quove gratiora erant apud Athenienſes, & philoſophis Socraticis ſummam laudem comparaverant; in rem ſuam vertens Plato, ita methodum philoſophandi dialogis accommodavit, ut egregie omnia laterent, quæ in vulgus emanare nolebat. Id quod periculum rei facere cupienti vel unius dialogi Platonici inſtituta lectio abunde probabit. Nunquam enim aperte ſententiam, quam tenet, declarat, ſed in refutandis potius aliis, quam adſtruendis propriis verſatur, idque non ſolum in dialogis, qui gymnaſtici, & agoniſtici dici ſolent, ſed in theoreticis quoque & practicis.[ff] Committit invicem colloquentes, nec affirmat quicquam, ſed veriſimilitudinem mox huic, mox illi parti adjudicat, in inductionibus tantopere evagatur, ut tot colloquentium interpellationibus turbatus lector, ignoret fere, quid inferatur. Definitiones vero ex adverſario magis capit, refutandas, quam proprias adſtruit, & diviſionibus ſæpe minutis oculis quaſi ſe ſubducit. [g] Subinde Aegyptiacorum dogmatum memor, fabulas condit, & arcanos ſenſus ſub iis occultat, [h] idque agit, quod in epiſtola ad Dionyſium profitetur, ut maxima philoſophiæ ſuæ cuſtodia ſit, nihil ſcribere ſed addiſcere; id eſt docendo potius, quam ſcribendo ſuis tradere. Quam incertitudinem late in ſcriptis Platonis regnantem, pulchre obſervavit CICERO, [i] qui luculenter: *in Platonis ſcriptis nihil affirmatur, & in utramque partem multa diſſeruntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur.* Id quod nemo mirabitur, qui anfractuoſas diſputationum ambages artificio ſingulari ſibi invicem implicatas & innexas, in immenſum protracta diſſertationis ſerie cogitat, quæ ratio fuit, cur in Scepticorum numero Platonem viri docti referrent, [k] & non nudius tertius, ſed jam olim de quæſtione hac diſputaretur: an Plato dogmaticus ſit nec ne? qua de re magnum diſſenſum ſuo jam tempore fuiſſe, faſſus eſt LAERTIVS. [l] Qui, etſi non inepte monet, [ll] tum affirmantem videri Platonem, quando ex his quatuor unum loquentem inducit, Socratem, Timæum, hoſpitem Athenienſem, & peregrinum Eleatem, errorem vero refutantem uti Thraſymacho, Callicle, Polo, Gorgia, Protagora, Hippia, Euthydemo & ſimilibus; manifeſtum tamen eſt ex ipſis dialogis Socratis perſonam mentientibus, ſtudioſe ſua celare Platonem, nec facile ejus ſententiam deprehendi poſſe.

III.

ff) Vid. de hac diſtinctione LAERT. *l. III. ſ. 49.*

g) Potiores Platonis diſtinctiones enumerat LAERT. *l. III. ſ. 81.* & ex eo STANLEIVS *P. IV. c. 8. p. 295. ſeqq.*

h) Hinc dijudicanda, quæ Platoni objicit auctor *Hiſtoriæ criticæ philoſophiæ T. II. p. 202.* qui ad hos arcanos ſenſus non attendit.

i) Acad. Q q. l. I. conf. *Huetiana p. 218.* BASNAGE *Hiſt. des Iuifs, T. IV. p. 54.*

k) Ita ex veteribus SEXTVS EMPIR. *Pyrrh. hyp. l. I. c. 23.* ex recentioribus maxime HVETIVS de *la foibleſſe de l' eſprit humain l. I. c. 14. §. 16. p. 107.* conf. ALDOBRAND. *ad* LAERT. *l. III. ſ. 56.*

l) l. III. ſ. 51. *ll)* Conf. *Hiſt. de ideis Sect. I. p. 30.*

III. Vt vero eo occultius lateret Plato, cum ſolis dialogorum latebris non confideret, alias quoque occultandi ſeſe artes adhibuit. Vt enim taceamus dictionem ad poëticam declinantem, audaciorem & ſublimiorem, adeoque non tam perſpicuam, ut non difficulter mens queat aſſequi, quid impropria dicendi ratione in argumento ſæpe ſubtiliſſimo & abſtractionibus metaphyſicis plerumque conſtante, Plato ſibi velit: ambigue quoque, ex induſtria ſæpe numero loquitur, &, quod pulchre obſervat LAERTIVS:[m] *nominibus utitur variis, ut ne illius opera imperitis & rudibus conſpicua ſint:* & rurſus: *diverſis utitur ſæpe ſignificationibus, iisdem nominibus: immo contrarias ſæpe voces adhibet, ad idem ſignificandum.* Id quod in antecedentibus jam tetigimus, & alio loco exemplo memorabili in doctrina de ideis illuſtravimus.[n]

III. Dictio poëtica ambigua & aliena.

IV. Accedit his omnibus geometriæ ſtudium, quod, modo a Socratis diſciplina plane alieno, Plato in Academiam introduxit. Cum enim apud Pythagoreos diſcipulos mathematicis diſciplinis ad philoſophiam præparari obſervaviſſet, & ipſe quoque non ſine moleſtia & labore Cyrenas abiiſſet ad Theodorum, ut geometriam addiſceret, rediens ad Athenienſes non aliam ſcholæ formam eſſe paſſus eſt, quam eam, qualem in Italia, & in Aegypto quoque, ubi ſimile inſtitutum viguiſſe, ſupra libro primo probavimus, viderat. Hinc mathematicas ſcientias, ad philoſophiæ ſtudium neceſſarias dixit, ut in ſequentibus probabimus, & eos, qui ſe diſciplinæ ſuæ tradiderant, iſtis præparari voluit. Quod ſi intra προπαιδευμάτων terminos reliquiſſet, egregie forte feciſſet, laudem reportaturus. Aſt ille vitio Pythagorico infectus res phyſicas & rationes philoſophicas in mathematicas, proportiones & figuras, ut Pythagoras in numeros, reſolvit, ſicque nimia ſubtilitate effecit, ut abſtractiones quærendo & altius, quam naturæ ferebantur, limites, aſſurgendo & evolando, conſpectui tandem ſe ſubduceret, & difficillime intelligeretur: qua de re non injuſte conqueſtus eſt BVRNETIVS,[o] & exemplum nobis exhibebit naturalis philoſophia Platonis infra delineanda, quæ tota proportionibus & figuris geometricis abſolvitur. Qua ratione non ſolum mire philoſophiam naturalem corrupit, ſed novam obſcuritatis cauſam philoſophiæ ſuæ addidit.

IV. Mathematica & imprimis geometrica philoſophiæ adaptata.

V. Talis cum fuerit Plato, hancque philoſophandi rationem cum ſequeretur, mirum non eſt, eum nimiam ſubtilitatem ſectantem, ſibi ipſi tandem obſcurum factum eſſe. Ita enim ſæpe rationes inducit, ut nimium abſtractionibus & notionibus generaliſſimis inſiſtendo, non intellexiſſe ſatis, quid dicere velit, videatur. Cujus rei quidem vitium in legentium judicium hebes, tantisque acuminibus impar rejicient admiratores Platonis; aliter tamen ſtatuent,[p] quicunque origines philoſophiæ Platonicæ inſpexerunt,

V. Subtilitas nimia ſibi ipſi obſcura & non ſatis conſtans.

m) ſ. 63. 64. SVIDAS in Φαῦλος.
n) Hiſt. de ideis l. c. p. 27.
o) Archæolog. philoſ. l. I. c. II. p. 429. c. 13. p. 438. Idem ipſi Platoni objecerat Dionyſius: confer luculentum locum PROCLI ex *l. II. ad Euclid.* quem alibi prætermiſſum exhibet FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 385.*
p) Ita etiam PERRAVLT *paralleles T. III. p. 29. 30.* & egregie imprimis BVRNETIVS *l. c. p. 439.* dignus qui legatur.

xerunt, quæ ex Pythagoricis magnam partem hauſtæ ſunt. Illa enim vagas ideas, & incertas, & ſubtilitates nullius vel fundamenti vel uſus fovere, ad Pythagoream philoſophiam delati demonſtrabimus, oſtendemusque, Pythagoram naturæ modulo non contentum, mera divina & miraculoſa quaſi ſectatum fuiſſe: quem imitatus Plato, dum ad divinum intellectum adſcendit, & principia mere divina ſomniat, eodem morbo correptus, ſibi aliisque ſubtilitate non neceſſaria defuit: dignus qui a XENOPHONTE,[q] vel quisquis alius auctor eſt *epiſtolæ ad Aeſchinem* culpatus ſit, *quod curioſius, neglecta ſobria Socratis philoſophia, de Diis quærendo, gloriam de multis intempeſtivis ac vanis rebus affectaverit, & Aegypti ac Pythagoræ τερατολογίαις ac prodigioſæ ſapientiæ amore captus, ad ridicula ſupercilioſus ſapientiæ profeſſor delapſus fuerit.* Quæ ei non ex invidia, ſed ipſa veritate comprobante objici, totus philoſophiæ Platonicæ habitus atque conſtitutio evincunt. Tota enim philoſophia Platonis, Pythagoreæ in eo ſimilis tandem ad enthuſiaſmum degenerat,[r] hominemque ſibi & naturæ ſuæ ereptum, principiis divinis nullibi niſi in cerebro moroſi Platonis, ſomnia in Italia concepta philoſophicis fabulis exornantis exſtantibus jungit, & per varia emanativorum genera & ordines, fontesque atque formas ſenſibilium & intellectualium deducit ad ſummum ens, eaque τερετίσματα, qua voce ARISTOTELES[s] ejus doctrinam de ideis pungit, pro ſummis ſapientiæ principiis venditat, quæ nec intelligi ſatis poſſunt, nec ſatis intellexit ipſe. Qualia inania pariter & obſcura ſomnia cur nobis tanta ingenii ſubtilitate propinaverit Plato, eleganter nonnemo enarravit, ſſ monendo: *ideo ſuam ſententiam Platonem miris implicuiſſe ambagibus, quas nec diſcipuli, nec acutiſſimus Ariſtoteles aſſecuti ſint, ut illum propterea miremur, ſuſpiciamusque & revereamur, tanquam inſigne myſterium, opinemurque, niſi eam perfecte noſcamus, cauſam eſſe, quod non in mentem divini viri penetremus; nobisque imputemus, quod homunciones cum ſimus, tantum aſſequi heroëm non poſſimus: & cum nobis oculi noctuæ, illi aquilæ, fuerint, ad illud jubar caligemus, quod ipſe clare perſpexerit.* Quæ ut longe ſunt veriſſima, ita ad cognoſcendas inanes obſcuritatis Platonicæ cauſas, & exuendum abſurdum auctoritatis præjudicium omnino expendi merentur.

VI. Incerta ratio aliorum opiniones adducendi, & invicem conciliandi.

VI. Satis, niſi fallimur, dicta hactenus probant, quam difficilem ſe nobis Plato præbeat, ubi ejus philoſophia diſcenda, & ad mentem ejus philoſophandum eſt. Addemus his alia, quæ ex accidenti obſcuritatem philoſophi inextricabilem auxerunt. Scilicet ſummo ſtudio contradicendi magni ante ſe ingenii philoſophis, paſſim eorum placita affert & enarrat, ita tamen, ut haud raro ea adulteret,[t] & ineluctabili dialogi anfractuoſi labyrintho

q) *Opp. p. 1001.*

r) Conf. CASAVBON. *de enthuſ. c. I. p. 6. c. III. p. 38. Act. philoſ. Vol. I. p. 599.* cel. HANSCHIVS *de enthuſiaſmo Platonico*, & quæ nos de enthuſiaſmo Platonicæ philoſophiæ diximus *Amœn. liter. T. VII. p. 213.*

s) *Anal. poſter. l. I. c. 19.* Alio loco *Met. l. I. c. 7.* hoc vitium graviter ſuggillat in Platone: conf. *Hiſt. de ideis ſect. I. §. 8. p. 130.*

ſſ) Apud BVRNETIVM *l. c.*

t) PORPHYRIVM hac de re *in vita Pyth.* querentem ſupra jam adduximus.

rintho lectorem ita diducit, ut quid ſuum, quid aliorum ſit, deprehendere vix queat. Id quod ſummam quidem obſcuritatem in ſe parare aptum ſatis eſt, alio tamen, & longe majori Platonis vitio rem in ſe malam longe deteriorem reddidit. Erat ſcilicet Plato magna quidem cupiditate accenſus condendi novam ſectam, quæ Socraticam gloria ſi non antecelleret, certe æquaret. Ad magna vero hæc molimina & ingens opus iis deſtituebatur mentis, & imprimis judicii viribus, ſine quibus fruſtra quis novum philoſophiæ ſyſtema condet. Cum itaque domi non haberet, unde novam diſciplinam exſculperet, a præceptoribus, quos audivit transſumta, quæ ſibi videbantur, ut erat ingenio ſyncretiſtico, & conflandis in unum diverſiſſimis opinionibus apto, adhibuit, novumque inde coaptavit philoſophiæ ſyſtema; quod a Socrate, Eriſticis, Pythagoricis, Heracliticis & Parmenideis mutuaſſe, ſupra indubitatis veterum ſcriptorum teſtimoniis probavimus. Inde vero non potuit non chaos oriri non minus tenebricoſum ac prima rerum omnium confuſarum fuit facies. Toto enim cœlo inter ſe differebant iſtorum philoſophorum placita, ſeque mutuo quaſi evertebant, nullaque ratione, ſanoque ſenſu, jungi inter ſe apte poterant: & tamen, cum ad hæc non attenderet Plato, in ejus ſyſtemate inter lucem & tenebras, concordia non tantum tentata, ſed & inita eſt. Quæ res poſtea effecit, ut non tantum veram philoſophorum, quos ſequebatur, ſententiam corrumperet & adulteraret, ſed & male conſarcinata, male quoque cohærerent, & quæ uno loco tradidit, altero convellerentur. Id quod plus ſemel objecerunt Platoni viri docti, [u] inconſtantiam magnam apud eum inveniri, & contradictiones ejusmodi, ut quid demum ſtatuendum ſit, ignores. Id quod frigide ſatis excuſat AENEAS GAZAEVS [x] quod *Plato non ſua tantum Græciam docere, ſed & junctim omnem Chaldæorum, Ægyptiorumque ſapientiam ei inferre, & reſerare atque declarare voluerit, quæ Pythagoras, Heraclitus, & Empedocles docenda putaverint: Quo factum ſit, ut cum omnium ſectis inſtruere Academicos ſuos contenderit, contrariantia loqui ineruditis videatur.* Nam hæc plane ad rhombum, ut putat vir quidam doctus, [y] non ſunt. Non enim hiſtoriam philoſophicam ſuos docere voluiſſe & tradere, quid viri magni ante ſe de natura rerum humanarum & divinarum dixerint, ſed ſyſtema ſuum ex diverſiſſimis hypotheſibus conflaviſſe, ſicque pro nova philoſophia vendidiſſe, ipſa Platonicæ philoſophiæ ratio demonſtrat, & principia, quæ adhibuit inter ſe diverſa loquuntur. Quod ut recte intelligatur, & de Platonis philoſophia juſta feratur ſententia, ejecto turpi, quod per tot ſecula animos occupavit, auctoritatis præjudicio; illud expendi a cauto ſobrioque lectore volumus, conſtare ex ſupra dictis, philoſophiam naturalem & divinam Platonem conſarci-

u) Vid. BAYLE *contin. des penſées ſur les com. §. 106. p. 508.* CLERIC. in *not. ad* PETAV. *dogm. theol. T. I. p. 190. Obſ. Hal. T. IX. p. 195.* & imprimis qui ex inſtituto hoc demonſtrare aggreſſus eſt 10. BAPT. CRISPVS Gallipolitanus, in rariori libro, *de Platone caute legendo.*

x) In *Theophraſto p. 16.*

y) REIMMAN. *hiſt. atheiſm. c. XXXII. §. 5. p. 165.*

Syſtema Platonis ex variis aliorum ſyſtematibus conflatum, ſæpe contrariis.

ſarcinaſſe ex Pythagoræ & Heracliti ſyſtematibus. Ea vero non tantum diverſa inter ſe fuiſſe, ſed plane quoque contraria, ex iis pateſcet, quæ in ſequentibus de utroque dicentur. Etſi enim Heraclitus partem phyſiologiæ ſuæ Pythagoreis debuit, ut erant hi homines in rerum naturalium cauſis inter ſe diſſentientes, ita tamen Pythagoream philoſophandi viam reliquit, ut novam plane ingrederetur. E. g. Cum Plato Deum quidem ignem eſſe diceret, ſed intellectualem, ex quo principia alia intellectualia & ſpiritualia orta ſunt, quæ numeros vocavit, quæque rebus omnibus immutabilem eſſentiam largiri, ſtatuit: Heraclitus, Deum quidem ignem eſſe profeſſus, totus ad materiam declinavit, & hunc ignem ex ſubtiliſſimis particulis, quæ ſemper in celerrimo eſſent motu, conſtare arbitratus eſt, cunctaque, ne anima quidem excepta fluxa, mutabilia, aliaque ex aliis eſſe, nec eandem tenere rationem & eſſentiam, profeſſus eſt, ſicque ignem ſuum ſemper mutabilem, & in fluxu verſantem, igni æterno, immutabili, & numeris Pythagoræ per ſe ſubſiſtentibus oppoſuit. Quid ad ea Plato? Is a Cratylo Heracliteo juvenis edoctus, materiam ſemper eſſe in motu, ſemper mutari, nec eſſe idem, ſed aliud ſemper, hanc doctrinam quidem retinuit, ſed adjunxit ſimul numeros Pythagoræ, id eſt, ideas ſuas, & æterna illa atque immutabilia principia, ſicque quod Heraclito natura ſua ſemper in motu eſt, fixum & ſtabile, quodque illi ſemper eſt aliud, idem eſſe ac manere dixit. Hinc de dividuo & individuo, eodem & diverſo, & natura animæ mundanæ, quæ ex eodem & diverſo conflata eſt, obſcuriſſima & vere Heraclitea diſputatio. Quam nec Platonem ipſum in concinnum ordinem & harmoniam potuiſſe redigere, ex Timæo ejus, ineptiſſimo ſyncretiſmo conſarcinata dogmata exhibente, eſt in propatulo, nec ſectatores ejus intelligere & apte inter ſe conciliare potuiſſe, inania ſomnia & emendicatæ hypotheſes, ad quas confugiunt, demonſtrant, & vel ſola Plutarchi de *generatione mundi ex mente Timæi* diſputatio loquitur. Faſſi id ſunt inter veteres viri magni, qui Platonis philoſophiam ideo inextricabilis obſcuritatis accuſaverunt; inter quos CICERO [z] rem obſcuriſſimam Platonis numeris comparat, SEXTVS EMPIRICVS autem, luculenter, & prorſus ad rem noſtram: [a] *Vbi eſt ex ſuperciliosis grammaticis, qui Heraclitum poſſit intelligere, vel Platonem aſſequi, qui dicit: Ex individua & quæ ſemper, ſimiliter & eodem modo ſe habet eſſentia, & ex ea quæ eſt in corporibus dividua, tertiam ex utrisque ſpeciem conſtitui eſſentiæ, nempe & naturæ ejus, quod eſt idem, & naturæ ejus, quod eſt alterum, & ſeq. quæ quidem omnes Platonis interpretes ſilentio præterierunt.* Licet enim in eo nimius ſit Sextus, quod putat, neminem interpretum hunc Platonis locum, qui in Timæo extat, tetigiſſe, [b] patet tamen ex interpretamentis Platonicorum, qualis ipſis in eo crux fixa fuerit, quam felicius refixiſſent, ſi Platonem in veram concordiam redigere & ea ſano ſenſu inter ſe conciliare non tentaſſent, quæ inter ſe miſere cohærent, & conjuncta in unum ineluctabiles tenebras pariunt. VII.

z) Ad Attic. l. VII. ep. 13. *a) Adv. Math. m. l. I. c. 13. f. 301.* *b)* Contrarium evicit FABRICIVS *ad h. l.*

VII. Talis cum fuerit Plato, mirum non eſt, ſemper illum obſcurum manſiſſe, nec ſectatores ejus veram ſemper ejus mentem detexiſſe. Cui rei multum addidit virium nova Academiæ mutatio, quam ei accidiſſe in ſequentibus hujus capitis ſectionibus dicemus. Ita enim, dum nova pleraque in Academiam introducebantur, magis ſemper magisque vera Platonis mens obliterata eſt; factumque inde, ut de vera Platonis ſententia vehementer inter ſe digladiarentur interpretes. Id quod ſcripta eorum, quæ ſuperſunt, conſulenti erit manifeſtiſſimum, & conqueſti ſunt ex ipſis Platonicis CHALCIDIVS [c] atque AENEAS GAZAEVS, [d] quorum ille, *ſententiis Platonis plene & diligenter elaboratis, juniores philoſophos, ut non optimos hæredes paternum cenſum in fruſta diſſipantes perfectam atque uberem ſententiam in mutilas opiniunculas incidiſſe*, dolet: alter in eo poſteros & ſucceſſores Platonis carpit, quod, *cum politiem & varietatem doctrinarum, quibus ad Platonicam doctrinam abſolvendam opus erat, non caperent, eoque laborarent, ut acumine novarum inventionum alter alterum antecelleret, mira inter ſe diſſidia machinati ſint, ut jam neque Platoni conſentiant, neque ſuarum ipſi opinionum certi ſint.* Quod poſterius veriſſimum eſt, prius vero nimiam Platonis venerationem in hominibus Platonicam philoſophiam ſectantibus prodit, cum ex dictis manifeſtum ſit, ipſum Platonem hujus interpretum diſſenſus cauſam fuiſſe.

VII. Academiæ mutatio doctrinæ.

VIII. Sufficere hæc poterant, ad difficultates philoſophiæ Platonicæ in immenſum augendas. Verum nondum malorum ſatis; & alia ex aliis incommoda. Deteſtanda enim ſyncretiſmi peſtis, quæ nunquam non philoſophiam perdidit, gravis imprimis & noxia fuit ſinceræ rationi philoſophandi ſecundum Platonem. Non enarrabimus longam mali hujus hiſtoriam, quia de philoſophiæ fatis in Ægypto ſub Ptolomæis acturi, latius oſtendemus, qua ratione Platonica philoſophia, quæ caput in Ægypto extulit, nefando ſyncretiſmo cum aliis non Ægypti tantum ſed & Orientis, & ipſorum Iudæorum quoque religionibus & placitis in unum quaſi corpus confuſa fuerit, & miſere a priſtina facie deformata: nec prolixe differemus, de vehementer corruptis doctrinis Platonicis, ex quo ſecta eclectica hunc ſyncretiſmum ad juſtum quaſi & virilem habitum atque robur evexit; ſed id hic modo paucis monemus, quod in altera hujus hiſtoriæ periodo accurate & prolixe ſatis demonſtrabitur, religionem Chriſtianam occaſionem dediſſe, vehementer Platonicam philoſophiam adulterandi. Cum enim divinæ lucis radii longe lateque diſpergerentur, & tenebras gentilium errorum atque ſuperſtitionis diſpellerent, quo non potuit non philoſophorum, imprimis Platonicorum auctoritas minui, qui hactenus divinam philoſophiam excoluiſſe, & de Deo omnium optime differuiſſe viſi erant; in id conjuravere peſſimi homines, ut quam veritate vincere non poſſent, religionem Chriſtianam, fraude impedirent. Quem finem atque ſcopum ut

VIII. Syncretiſmus phil. Platonicæ noxius.

c) p. 340. conf. qui idem conqueritur Numenius apud EVSEBIVM *præp. l. XV. c. 5. p. 729.* *d) loc. cit.*

attingerent, multa, quæ in ſyſtemate Platonico placitis Chriſtianorum adverſa erant, & ab edoctis meliora culpabantur, mutaverunt, & Chriſtianis dogmatibus attemperantes, idem ſe dicere, & in ſuis cathedris non minus ſancta & egregia perſonare jactaverunt. Quæ incautius admittentes ex Chriſtianorum cœtu viri præſtantes, & doctores eximii, cum nefarium ſyncretiſmum non obſervarent, in laqueos inciderunt & Platonicas hypotheſes pro Chriſtianis admiſerunt. Qua deteſtanda confuſione factum eſt, ut Platoniſmus junior, qui Alexandriæ in Ægypto & natus eſt, & adolevit, & poſtea per totam fere Europam & Aſiam diſſeminatus eſt, nec veteri Academiæ, nec ſibi ipſi, inter tot portenta ſententiarum, quibus replebatur ab otioſis & fanaticis hominibus, ſimilis eſſet, nec aliud niſi purioris doctrinæ jacturam ſanæque philoſophiæ perniciem generaret. Quæ ut hiſtoriæ teſtimoniis conſtare certiſſimis ſuo tempore demonſtrabimus, & luculenter etiam docuit cel. MOSHEMIVS [e] ita malos eſſe Platonicæ diſciplinæ interpretes hos homines, nos abunde convincunt. Miramur itaque merito, doctiſſimo BASNAGIO [f] aliam hac in re fuiſſe ſententiam, qui, ut Cudworthum melius refelleret, negavit, Platonicos juniores mutaviſſe doctrinam magiſtri, eosque contendit, optimos eſſe interpretes, illo adeo obſcuro, ut intelligi nequeat, nec obſtitiſſe Chriſtianam religionem, ut ſequerentur præceptorem. Quæ non excidiſſe viro præſtantiſſimo & in hiſtoria veteri exercitatiſſimo vellemus. Tota enim reclamat ſacra & philoſophica hiſtoria, & levis quoque collatio Platonis ſcriptorum cum Platonicis ſequioribus evidentiſſime loquitur. Et convincere hac de re potuiſſet virum celeberrimum, ea, quam ipſe adſtruit convenientia inter ſacra dogmata & Platonicos ab his aſſerta, talia non eſſe quæ hi homines aſſeruerunt, quæ pro genuinis haberi debeant Platonis doctrinis. Meliusque & magis hiſtoriæ philoſophicæ conſultum eſt, Platonem plane non intelligere, vel conjecturis potius ex ipſius ſcriptis ejus doctrinam colligere, quam hos homines ſequi, qui infinitam cladem magiſtri ſui philoſophiæ intulere. Tacemus jam Chriſtianos, Platonis, amore ineptientes, qui, ut Chriſtianæ religioni non obſtaret, eum totum mutaverunt, & neſcio quam ſpuriam Platonis philoſophiam nobis exhibuerunt, quales fuere Picus, Ficinus & his ſimiles. Eos enim, in Platonis philoſophia conſulendos non eſſe, vel mediocri attentione uſus palpabit. [ff]

Accuratior philoſophiam Platonis conſiderandi modus.

§. XV. Ex diſputatis hactenus conſtare arbitramur, quam difficile ſit, veram Platonicæ philoſophiæ effigiem ita delineare, ut omnia recto atque firmo ſtent talo, & indubitata nitantur fide: clarumque eſſe, non exigua attentione & accurata ratiocinatione opus eſſe, ut probabilibus conjecturis vera Platonis mens detegatur. Id quod, optandum eſſet, obſervaviſſent accuratius, qui diſſertationes Platonicas nobis dederunt, & hujus viri phi-

e) Diſſ. *de turbata per Platonicos recentiores eccleſia*, quæ & CVDWORTHI *Syſt. intell.* adjecta, & *ſylloge diſſertationum ad H. E. pertinentium* inſerta eſt.

f) *Hiſt. des Iuifs T. IV. ch. 4. p. 54. ſeqq.*

ff) Dicetur de iis quoque ad recentiorum temporum hiſtoriam delatis.

philoſophiam enarrarunt; tum enim ſuas conjecturas non pro certis demonſtrationibus nobis obtruſiſſent, vel ſyſtema quoque Platonicorum recentiorum pro veteri Platonisque genuina doctrina nobis vendidiſſent. Nos dictorum memores, ad ipſum Platonem ejusque dialogos reſpiciemus, & quantum licet, ejus verba & ratiocinia ita expendemus, [g] ut nexum potiſſimum ſyſtematis ſecundum fidei hiſtoriæ & artis rationalis leges eruamus, cogitemus tamen, & hominem fuiſſe Platonem, & in ratiocinando non nimis felicem, adeoque etiam ob cauſas ſupra dictas, præcipue ob conſarcinata diverſiſſima philoſophumena, interdum ejus ſyſtema male cohærere. Inſtituti tamen memoribus omnia paucis comprehendenda ſunt, nam meretur quidem Platonica philoſophia, per tot ſecula tanti habita peculiarem hiſtoriam criticam, eam vero & limites nobis conſtituti, & ratio operis, quod molimur, non concedit. Reſpiciemus tamen ad eos quoque ex veteribus, qui deteſtabili ſyncretiſmi peſte non tantopere, ut Plotini ſchola, infecti, aliquanto purius Platonis dogmata enarraviſſe cenſendi ſunt. Inter quos ſine controverſia CICERONI primus locus debetur, qui in Academicis quæſtionibus [b] eleganti compendio Platonis decreta, qualia in Academia docebantur, puriſſimo ſermonis genere enarravit. Huic merito addimus APVLEIVM [i] atque ALCINOVM, [k] qui, ut omnium optime ad ordinem nexumque philoſophiæ Platonicæ attendit, ita dux erit nobis in itinere, quo ipſius Platonis, nullum philoſophiæ ſuæ ordinem, ſyſtema nullum in ſcriptis ſuis ſequentis, ſed cuncta in dialogis diſperſa ratione enarrantis, doctrinas ex ejus colloquiis eruemus. Reliquos commentatores, quorum, ſi Eclecticos in hunc quoque cenſum referas, infinitus eſt numerus, [l] iis caute & ſine præjudicio examinandos relinquimus, qui hiſtoriam criticam philoſophiæ Platonicæ ſcribere ſuſcipiunt, quali opere, licet ob tot rationes in hiſtoria non tantum philoſophica ſed eccleſiaſtica quoque ſumme notabiles, neceſſario, hactenus caremus. [ll] Qui enim hucusque in hoc ſtadio cucurrerunt, tentaſſe magis aliquid quam perfeciſſe, merito judicantur. Tripartitam vero eſſe philoſophiam & ipſe Plato haud obſcure prodidit, [m] & unanimi ore interpretes fatentur; [n] prima ejus pars verſatur circa ratiocinationem, ſecunda circa theoretica objecta, tertia circa practica; vel ut Platonico ſermone utamur, eſt, vel dialectica, vel phyſica, vel ethica. Quas philoſophiæ partes ut rite noſcamus, pauca de philoſophia in genere prælibanda ſunt.

g) Sequemur interpretationem FICINI, editionem vero SERRANI.

h) *Lib. I. c. 5. ſeqq.*

i) Libris tribus, *de dogmate Platonis*, quorum primis de philoſophia naturali, ſecundus de morali, tertius de rationali agit.

k) In *delineatione doctrinæ Platonis*, quam quoque hiſtoriæ philoſophicæ ſuæ inſeruit STANLEI. *P. IV. p. 326.*

l) Vetuſtiores Platonis interpretes ante Ammonium Saccam LXV. ſe reperire ait PATRICIVS apud FABRICIVM *Bibl. Gr. vol. II. p. 31.* qui plerosque enarravit *c. III.*

ll) Potiores aliquos ex recentioribus enarravit diligentiſſimus HEVMANNVS in *Actis philoſ.* Hiſtoriam philoſophiæ Platonicæ ſpecialem promiſit cel. HANSCHIVS *præf. diſſ. de enthuſiaſmo Platonico.*

m) In *Amatoribus T. I. p. 137. ſeqq.*

n) CICERO, APVLEIVS, ALCINOVS *ll. cc.* PSEVDO-ORIGENES *c. XVIII. p. 108. c. XIX. pag. 135.*

Doctrina Platonis de philosophia in genere.

§. XVI. De philoſophia itaque in genere conſiderata ita Plato præcepiſſe cenſendus eſt:

I. Sapientis nomen magnum eſſe, ſolique Deo convenire, philoſophi vero, aut ſimilis alicujus cognomen magis aptum commodumque eſſe. [o] Accepit hoc a Pythagora Plato, quem primum ſapientiam a philoſophia diſtinxiſſe in ejus hiſtoria pluribus declarabimus. [p]

II. Senſu itaque maxime proprio ſapientiam eſſe earum rerum, quæ intelligentia comprehenduntur, quæque vere ſunt, ſcientiam, quæ verſatur circa Deum & animam a corpore ſeparatam: minus vero proprie, appetitionem, & deſiderium divinæ ſapientiæ. Ita LAERTIVS [q] ſatis luculenter Platonis mentem, quam in *Theæteto* & *de republica* prolixius declarat, expreſſit. Quid vero res illæ intelligentiæ comprehendendæ, & per ſe vereque exiſtentes ſint poſtea dicemus. Clarius, ad mentem tamen Platonis ALCINOVS [r] philoſophiam definivit: *ſolutionem animæ a corpore & converſionem quandam ad ea, quæ revera ſunt, & intellectu videntur.* Nam ipſe Plato hunc in modum paſſim philoſophatus eſt. [s]

III. Eſſe philoſophum, qui ad hunc finem & comparatus eſt, a natura, & ad eum artes quoque reliquas dirigit, & proprietates habet neceſſarias. Eſſe vero illas, præter naturalem diſpoſitionem, diſcendæ veritatis ſummum a pueritia ſtudium, & memoriam atque acumen ingenii, & animi temperantiam, & fortitudinem. Prolixe hanc philoſophi definitionem proſequitur Plato in libris *de republica*, [t] quam tamen totam Pythagorica de numeris, quas ideas dixit, doctrina corruptus, ad hunc potiſſimum finem aptat, ut æterna illa atque immutabilia principia, divinæque ideæ cognoſcantur, vel, ut ejus verbis utamur, ſemper notior fiat illa natura, quæ ſemper eſt, neque generatione & corruptione mutatur. Et ex his quoque vetus philoſophiæ definitio intelligi poteſt, quod ſit rerum divinarum & humanarum cognitio, quæ tantopere in Platonica ſchola celebrata fuit. Res enim divinæ nihil aliud ſunt, quam divinæ iſtæ ideæ, & ſubſtantiæ per ſe exiſtentes, quæ in Academia primarium philoſophiæ objectum conſtituunt, qua de re nos alibi; [u] & imprimis IACOBVS THOMASIVS, [w] videndus, qui multam huic philoſophiæ definitioni lucem affudit.

IV. Philoſophiam vero verſari vel circa res intelligibiles, vel circa activas; hincque vel theoreticam eſſe vel practicam, id eſt contemplativam, & activam.

V. Verſari porro philoſophiam comtemplativam circa vitam quæ in contemplatione conſiſtit, &, ea, quæ intelligibilia ſunt, intelligit, quæ primaria ſapientia dici mereatur, eſſe enim ſimilitudinem aliquam cum ipſa divinitate, adeoque maxime expetendam eſſe, utpote cui nulla obſiſtant impedi-

o) In *Phædro T. III. p. 278.*
p) Conf. *Hiſtoria de ideis ſect. I. §. 6. p. 91.*
q) *Lib. III. ſ. 63.* conf. ALDOBRAND. *ad h. l.*
r) *c. I.* Alias Platonicorum definitiones laudavimus *Hiſt. de ideis p. 9.*
s) Vid. *Protagor. T. I. p. 313. Phædr. T. III. p. 247.*
t) Potiſſimum *l. VI. T. II. p. 484. 495.*
u) *Hiſt. de ideis l. c.* & diſſ. *de numer. Pyth. & idearum Platonis convenientia Amœn. lit. T. VII.*
w) Schediaſm. *de definitione ſapientiæ.*

pedimenta, quo minus in noſtra poteſtate conſiſtat, & quæ finis nobis propoſiti ſit cauſa efficiens.

VI. Quæ in contemplativa vita ad emendandos hominum mores meditari philoſophus ſolet, ea ad actionem, quoties poſtulet neceſſitas, transferre; & nonnunquam ad activam vitam ſe dimittere. [x]

VII. Inter primarias activæ vitæ functiones eſſe, leges condere, rempublicam ordinare, ſeditiones componere, inſtituendæ juventutis diſciplinam tradere. [y]

VIII. Non vero vitam philoſophi in cognitione tantum eorum, quæ ſunt, & in actione virtutum, ſed in conſideratione quoque ſermonis & ratiocinationis verſari, [z] ut ſcilicet diſcat ordine certo, circa unumquodque, quid ipſum ſit, invenire, id quod dialecticæ, munus eſt. [a]

IX. Inde ſequi, tripartitam eſſe philoſophiam, dialecticam, theoreticam atque practicam.

X. Dialecticam ſolam ſublatis omnibus ſuppoſitionibus ad ipſum principium, ut compertum habeat, pergere, ac revera animi oculum cœno barbarico obrutum, paulatim ſurſum trahere ac ducere, utentem miniſtris ac adjutricibus geometria ejusque comitibus. [b] Probe hæc Platonis tenenda ſunt; ex iis enim patet, dialecticam eum non ſolis ſermonis & ratiocinandi limitibus incluſiſſe, ſed cum univerſalium ſive intelligibilium cognitione ſummum philoſophiæ apicem abſolvi ſtatueret, arte dialectica animum ad iſta univerſalia & intelligibilia, quorum ultimum Deus ipſe eſt, comprehendenda duxiſſe, ut ita ratiocinando tandem ad contemplationem entium per ſe ſubſiſtentium perveniat. Et hoc quidem ſenſu dialectica Platonis philoſophiam quoque contemplativam comprehendit, quo ſenſu potiſſimum *ſeptimo libro de republica* de ea differit; ſpecialiori vero ſignificatione, contemplativæ philoſophiæ oppoſita, ſermonem ratiocinantem, complectitur.

XI. Dialecticam in dividendi, definiendi, inducendi ac ratiocinandi modum dividi; [c] ratiocinationem autem eſſe vel neceſſariam, unde apodictica, vel probabilem, unde epichirematica, vel imperfectam enthymemate conſtantem, unde rhetorica oritur; ſophiſmata vero eſſe ratiocinia falſa.

XII. In philoſophia contemplativa, partem unam, ea quæ fixa & immobilia ſunt, atque divina & per ſe exiſtentia, & cauſæ ſint primæ rerum, inveſtigare, [d] quam theologiam vocant; alteram aſtrorum circuitusque cœleſtium ac reverſiones corporum ad unum idemque principium, mundique conſtitutionem, excutere, quæ naturalem philoſophiam abſolvat; tertiam proprietates eorum conſiderare, eſſe mathematicam. Multis in eo eſt

x) Ita Platonis mentem paucis complectitur ALCINOVS *c. II.* fuſe vero explicat *de Rep. l. VI. T. II. p. 485.* ubi philoſophum, futurum reipublicæ moderatorem inſtruit.

y) Multa de his in libris *de rep.* Magna enim cum affectaret Plato, & ſummos viros atque philoſophos, imprimis vero, quem maxime imitabatur, Pythagoram ejusque diſcipulos leges condidiſſe, & reſpublicas ordinaſſe noſſet, ex diſciplina Pythagorica, ad hunc potiſſimum finem philoſophiam activam reſpicere juſſit.

z) In *Philebo T. II. p. 57.*

a) *De republica l. VII. T. II. p. 531.*

b) *Ib. p. 534.*

c) In *Sophiſta T. I. p. 253. ſeq.*

d) In *Philebo T. II. p. 63.*

eſt Plato, [e] ut hanc mathematicarum diſciplinarum curam atque ſtudium philoſophiæ ſtudioſo commendet, ratione iſta potiſſimum uſus, quod ex hujusmodi diſciplinis inſtrumentum quoddam exiſtat, quo animi expurgantur, reviviſcantque, qui ante ex aliis ſtudiis infecti & occæcati fuerant. Id quod in ſequentibus latius demonſtrat, & imprimis contra objectiones Socraticorum, a magiſtro talia non curata eſſe, clamantium, iſto quidem prætextu defendit, nec honorari ea in civitate, &, cum difficulter inveniantur, haut ardenter perquiri, &c. Quæ an ſufficiant, hujus loci non eſt diſquirere.

XIII. Philoſophiam activam verſari [f] vel in formatione morum, vel in familiæ adminiſtratione, vel in reipublicæ conſervatione, adeoque eſſe vel moralem, vel domeſticam, vel civilem.

Dialectica. §. XVII. Dialectica Platonis, quantum ex ejus dialogis colligitur, huc potiſſimum redit:

I. Iudicium veritatis non eſſe a ſenſibus, quanquam oriretur a ſenſibus, ſed mentem eſſe rerum judicem.

II. Verſari vero intellectum hominis vel circa res, quas per ſe comprehendat, quæque ſimplices ſint, & uniusmodi & tales, quales ſint; vel circa res, quæ ſenſibus ſubjectæ videantur, quæve ſint aut ita parvæ, ut ſub ſenſum cadere non poſſent, aut ita mobiles & concitatæ, ut nihil unquam unum ſit conſtans, ne idem quidem, quia continenter laberentur & fluerent omnia. Ex illis ſcientiam, ex his gigni opinionem. Ita quidem CICERO [ff] brevibus, quæ latius perſequuntur ALCINOVS & APVLEIVS [g] & ipſe Plato, maxime in *Theæteto*, [h] ubi ſenſualis cognitionis rationes late exponit. Repetenda vero hic ſunt, quæ præcedente paragrapho de conciliatis inter ſe Heracliti & Pythagoræ principiis diximus; hæc enim totum concordiæ hujus fundamentum comprehendunt.

III. Senſum eſſe affectionem animæ per corpus primario facultatis patientis internuntiam. [i]

IV. Quando autem animo per inſtrumenta ſenſuum rerum forma ſentiendo fuerit impreſſa, & ita quidem, ut temporis non deleatur ſpatio, ſed diuturna conſervetur ac fixa, hujus conſervationem memoriam vocari.

V. Memoriæ ſenſusque conjunctionem, eſſe opinionem; quoties nempe præcedentem memoriam cum recente ſenſu componamus. Vbi inter ſe conveniant, veram opinionem eſſe, falſam, ubi diſſonent.

VI. Eſſe itaque animum humanum, tabulam quaſi ceream. [k]

VII. Cogitationem eſſe animæ quaſi ſecum agentis colloquium, ſermonem autem, quod a cogitatione per os effluat una cum voce. [l]

VIII.

e) *De rep. l. VII. T. II. p. 523.*

f) *Ib. l. VIII.* Mirificum vero eſt, in his activis diſciplinis illum optimum eſſe, adeoque e. g. in rep. adminiſtranda eum potiſſimum eligendum eſſe, qui ſine oculorum & aliorum ſenſuum miniſterio ad ipſum quod vere exiſtit poteſt tranſcendere. Ita enim enthuſiaſticis ingeniis cerebrum nugis replentibus & viſionibus reſpublica regitur.

ff) *Acad. Qq. l. I. c. 5.*

g) *ll. cc.*

h) *T. I. p. 185. 201. Phæd. T. I. p. 74. 75.*

i) *Theæt. p. 186. Phileb. T. II. p. 34.*

k) *Theæt. T. I. p. 191.* conf. quæ prolixe ſatis diximus in *hiſt. de ideis l. c. p. 109.*

l) *Ib. p. 202.*

VIII. Intellectionem esse operationem intellectus prima intelligibilia contemplantis.

IX. Esse vero intellectionem duplicem, unam animæ, quæ priusquam descendat in corpus, sua tum intelligibilia contueatur; alteram ejusdem postquam demersa esset in hoc corpus, quæ tum vocetur notitia naturalis. *l*

X. Esse itaque notitiam hanc proprie reminiscentiam eorum, quæ ante descensum in corpus noverat, hancque distinguendam esse a memoria: hanc scilicet versari circa res sensiles, illam circa intelligibilia. Prolixe in his demonstrandis est in *Phædone*,[m] ubi fundamenti loco substernit: necesse esse, nos in superiori quodam tempore ea, quorum nunc reminiscimur, didicisse, id vero fieri non potuisse, nisi prius anima nostra fuisset alicubi quam in hanc humanam speciem deveniret. Esse vero in nobis notiones generales animo impressas, quas habuisse nos necesse sit, antequam aliquid sensu perceperimus, secundum quas judicamus. Quas cum, ante nativitatem nos habuisse, inde sequatur, nec tamen eæ nobiscum nascantur, fluere inde, quod obliviscamur earum, & scientia nostra, ubi eas recuperamus, sit reminiscentia. Qua in ratiocinatione Pythagoram, præexistentiam animarum afferentem secutus est Plato, qua veri specie, hujus loci non est dispicere. Præferendas tamen Platonis notitias innatas, quas reminiscentiæ nomine velavit, tabulæ rasæ Aristotelis & Lockii aliorumque recentiorum judicat vir summus G. G. LEIBNIZIVS,[n] quod, quo fundamento dicat, non ignorant, qui maximi philosophi cogitata tenent.

XI. Intelligibilium quædam esse prima, ut ideæ, quædam secunda, ut, quæ in materia sunt, species, & ab illa separari nequeunt. Quid vero ideæ sint, & quomodo tum extra materiam, tum in materia impressæ species[o] cognoscantur, in sequentibus dicendi locus erit. Interim videndus noster potissimum in *Parmenide*.[p]

XII. Sic in sensibilibus quoque quædam prima esse, ceu qualitates, ut, albedo, alia secundum accidens, ut album, & concretum, ut paries albus.[q]

XIII. Prima intelligibilia judicare intellectionem non sine ea ratione, quæ scientiam gignat, per comprehensionem quandam sine discursu, secunda eandem rationem, non sine intellectione.[r]

XIV. Sensibilia autem prima & secunda sensus judicare, non sine ea ratione tamen, quæ cum opinione sit conjuncta: id quod vero concretum sit, rationem eandem, non tamen sine sensu.

XV. In contemplatione quid verum & falsum, & in iis quæ ad actionem pertinent, quid proprium, quid alienum rationem considerare.

XVI.

l) In *Timæo. T. III. p. 30.*

m) *T. I. p. 75.*

n) In epist. ad HANSCHIVM præm. ejus *diss. de enthusiasmo Platonico.* conf. *hist. de ideis sect. 3. §. 3. p. 272.*

o) *Tim. T. III. p. 28. De republ. l. VI. T. II. p. 509.* Conf. *hist. de ideis Sect. I. §. IV. p. 37.*

p) *T. III. p. 135.* De hac vero doctrina, quatenus Parmenidi tribuit Plato dicetur, in historia scholæ Eleaticæ.

q) *Men. T. II. p. 74. seq.*

r) *De Rep. l. IX. T. II. p. 586.* ubi notabili exemplo illustrat.

XVI. Fieri vero hoc judicium practicum ex eo, quod inſitam pulchri nobis bonique rationem habemus, & ratione utendo, eamque ad naturales illas notiones, velut ad definitas quasdam normas referendo bona an mala ſint ſingula dijudicemus. [s]

XVII. In Dialectica primum eſſentiam rei cujusque, deinde, quæ accidunt illi, adverti debere.

XVIII. Prius fieri definiendo, dividendo, reſolvendo, poſterius inductione & ratiocinatione. [ff]

XIX. Diviſionem eſſe diſtributionem vel generis in ſpecies, vel totius in partes, vel accidentium in ſubjecta, vel ſubjectorum in accidentia. Prima opus eſſe, quotiescunque rei alicujus, quæ ſit eſſentia, velimus cognoſcere. [t]

XX. Definitionem ita confici, ut ſumatur rei definiendæ genus, idque deinceps diſtribuatur per proximas differentias, usque ad ſpecies deſcendendo. [u]

XXI. Reſolutionis tres eſſe ſpecies; unam qua a ſenſibilibus ad intelligibilia aſcendamus; aliam, qua per demonſtrata, & quæ medio carent, propoſitiones aſcendamus; poſtremam, quæ ex ſuppoſitione, ad ea, quæ ſine ſuppoſitione ſumuntur, pergat principia. Sparſim hanc dialecticæ partem tetigit Plato, & præcipue in dialogis ſuis ubique fere hanc methodum adhibuit, unde Platonici, ut aliquod Platonicæ dialecticæ compendium conficerent, plura de propoſitionibus affirmantibus & negantibus, categoricis & hypotheticis, itemque de ſyllogiſmo redarguente & demonſtrante collegerunt. Quæ quoniam nec nobis licet eſſe in tam ſpeciali argumento prolixis, nec aliter niſi ex methodo Platoni uſitata cognoſci poſſunt, prætermittimus. Nimis ſubtilis vero eſt APVLEIVS, [v] qui minutias Ariſtotelicas & Stoicas inter Platonica philoſophumena miſcet, quæ Platoni non aliter, niſi quatenus exempla in dialogis occurrunt, poſſunt tribui.

XXII. Eum perfectum oratorem eſſe, cum quis diligenter facultates animi, variasque hominum differentias, nec non diverſas orationis perſpectas habeat formas, obſervaritque, quibus ad perſuadendum uti poſſit rationibus, & occaſionem nactus ad uſum accommodet ſuum. Ex his bene dicendi ſcientiam conſtare, prolixe probat in *Phædro.* [w] Et in *Gorgia* quidem acriter in rhetoricam invehitur, & ſapientiæ ſtudioſos ab oratoribus abducere ſatagit: ad quod provocat SEXTVS EMPIRICVS, [x] cum negaſſet, rhetoricam eſſe artem, cauſatus, non Critolaum tantum, ſed & diu ante eum Platonem, eam vituperaſſe, ut quæ magis artificium eſſet improbum quam ars. Nec alia ratio perſuaſit ARISTIDI, [y] ut hanc ſententiam operoſe

s) Prolixe de eo diſputat in *Phædro T. III. p. 266.*

ff) *Theæt. T. I. p. 146. Polit. T. II. p. 262. Phædr. T. III. p. 266.*

t) *Theæt. p. 147. 210.*

u) Hunc in finem Ariſtoteles diviſiones ex Platone diligenter collegit, quas fuſe enarrat LAERTIVS *l. III. ſ. 80. ſeqq.*

v) *De dogm. Plat. l. III. p. 313. ſeqq.*

w) *T. I. p. 257. ſeqq.*

x) *Adv. Mathem. l. II. ſ. 12.*

y) In *orationibus Platonicis.*

roſe refelleret. Sed obſervavit de iſtis erudite QVINTILIANVS,[z] *Platonem quidem in Gorgia videri in hac eſſe opinione, ut rhetoricen non artem, ſed peritiam quandam gratiæ ac voluptatis & quartam partem adulationis exiſtimet, ſed eſſe hunc ſermonem ex iis, qui ἐλεγκτικοὶ vocantur, & coarguunt, non ex δογματικοῖς, qui præcipiunt, Platonemque ſub Socratis perſona, eam quidem, quæ tum exercebatur,* (ſophiſtarum intelligit) *rhetoricen talem putaſſe: ad veram autem requiſiviſſe, ut & a juſto & bono ſuſcipiatur; in Phædro autem adhuc manifeſtius facere, hanc artem conſummari citra juſtitiæ quoque ſcientiam non poſſe: ipſumque Platonem defenſionem Socratis & laudationem eorum, qui pro patria occubuerant, ſcripſiſſe: Invectum itaque eſſe in illud hominum genus, quod facultate dicendi male uteretur.* Sed & reliqua legenda ſunt, lucem rei allatura.

XXIII. Fallaciarum quoque, & falſorum ratiociniorum verorum ſpecie decipientium rationem habendam eſſe, non in *Euthydemo* tantum oſtendit, ſed in *Sophiſta*[a] etiam ſophiſtarum ſui temporis mores, artem, fraudes eleganter delineavit, qui dialogus vel eo nomine lectu dignus eſt, quoniam Socraticæ hiſtoriæ magnam lucem fœneratur, apertumque facit, qua ratione miſeris ſophiſmatibus & nugaciſſima arte juvenes deceperint, magnamque ſibi auctoritatem & divitias immenſas comparaverint ſophiſtæ.

XXIV. Verborum quoque explicationem in dialectica locum habere, id eſt, qua de cauſa quæque eſſent nominata; quam etymologiam appellant.[b] Et verſatur imprimis, ex mente Platonis, dialecticus circa nominum origines, quoniam non linguam tantum & voces, ſed & naturam rerum intelligit, & is ſolus vocibus uti novit, quæ rebus conveniunt.[c] Quæ quoque cauſa fuit, cur in *Cratylo*[d] de recta nominum ratione prolixe more ſuo diſputaverit, & etymologias quæſiverit. Qua tamen in re eum infeliciter verſatum fuiſſe, & ipſa hujus dialogi docet inſpectio, & recte notavit acutiſſimus MENAGIVS.[e]

Hæc potiora ſunt, quæ ex Platonis ſermonibus colligi poſſunt, ejus de dialectica arte, quatenus theologiæ & phyſicæ opponitur, placita. Quæ inter ſe ſæpius confudit FRANC. PATRICIVS,[f] cum dialecticam Platonicam cum Ariſtotelica compararet.

§. XVIII. Contemplativæ philoſophiæ tres partes eſſe cum voluerit Plato, eam, quæ circa divina verſatur, & eam, quæ naturales res conſiderat, quibus tertiam mathematicam addidit, ſingulæ partes ſeorſim excutiendæ ſunt, & diſpiciendum, quid in quavis illarum Platoni placuerit. Illud vero more ſuo iterum in dialogis mire occultavit philoſophus, omni

Contemplativa philoſophia & quidem I. Theologia.

z) *Inſtit. Orat. l. II. c. 15.*
a) *T. I. p. 216. ſeqq.*
b) CICERO *Acad. Qq. l. I. c. 8.*
c) In *Soph. l. c. p. 253.*
d) *T. I. p. 383. ſeqq.*
e) Ad LAERT. *l. III. ſ. 23.*
f) *Diſcuſſ. Perip. T. III. l. IV. p. 314. ſeqq.* LVDOVICI MORENVILLERII *examen philoſophiæ Platonicæ*, Dialecticam Platonicam exhibere refert MORHOFIVS *Polyhiſt. T. II. l. I. c. 7. p. 479.* quod non vidimus.

attentione, &, collatis eorum locis, ex latebris extrahendus. Et veteres quidem atque recentiores multum in eo argumento, quod theologiam Platonis pandit, verſati ſunt, veremur tamen, ut multum inde Platonis theologiam ſinceram nullisque additamentis & alienis coloribus corruptam diſcere volentibus, commodi lucisque oriatur. Nam quæ Zenodotus, Grammaticus Alexandrinus *de diis contra Platonem* ſcripſit, perierunt; PROCLI vero *theologia Platonis* tantopere a genuina Platonis doctrina diſtat, ut ægre ſuam theologiam, ſi reviſeret, Plato eſſet agniturus; cujus culpa tum in ipſam eclecticæ philoſophiæ naturam cuncta miſcendi, & aſſutis peregrinis adulterandi, tum in ſingulare Procli hac in re ſtudium conjicienda eſt. Idem de FICINI *theologia Platonica*, ex Proclo & ſimilibus ſapientibus judicandum eſſe, ex iis, quæ ſupra diximus, conſtat. His ex recentioribus adjici poſſunt alii multi, qui tamen vel brevitatis ſtudio, vel cupiditate conciliandi Platonem cum Chriſtiana religione, vel confuſione cum doctrinis Ariſtotelicis peccaverunt. Ad ipſa itaque Platonis principia attendendum, & quæ inde deduxerit, diſpiciendum, nec negligendi fontes ſunt, unde ſua hauſit Plato de divinis præcipiens, & naturæ ſecreta pandens. Quem nos filum ſecuti, quantum in Platonicis tenebris palpare nobis licuit, hunc Platonicæ theologiæ conſpectum exhibemus:

I. Ex nihilo nihil fit. Vniverſale hoc axioma haud obſcure in *Timæo*[i] Plato totius diſſertationis de mundi generatione fundamentum poſuit, quod omnes omnino phyſicæ atque theologiæ ſcriptores admiſiſſe, diſerte affirmant ARISTOTELES[k] & CICERO,[l] & inductione quoque atque exemplis probari poteſt,[l] id non tantum de cauſa efficiente infinita, verum etiam de materiali intellexiſſe, a qua ſententia nec Plato alienus fuit. Non negamus quidem, eſſe in Platone loca,[m] quæ ſuadere videntur, Academicum philoſophum rerum omnium productionem ex nihilo a cauſa infinite bona factam ſtatuiſſe, nec ignoramus eos, qui Platonem coſmogoniam ſuam ex Moſis libris in Aegypto ſurripuiſſe credunt, magnamque inter utramque concordiam ſomniant, id inter præcipua argumenta, quibus ſuam opinionem confirmant, referre, quod creationem ex nihilo ſtatuerit. Vſusque hoc jam ratiocinio, loco celebri *Timæi* inductus, ante ſcholæ eclecticæ

An Plato creationem ex nihilo crediderit?

ff) SVIDAS in *Zenodotus T. II. p. 8.*

g) Id de Eclecticæ ſectæ hiſtoria tradituri demonſtrabimus.

h) Inter hos ſunt ESAIAE PVFENDORFII diſſ. *de theologia Platonis*, quæ inter opuſcula ejus extat: PAVLI BENII *theologia Platonis & Ariſtotelis*, conf. quos nominat FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 39. & de Scr. Ver. Rel. Chriſt. c. VIII. p. 304.* Addi his poſſunt MICH. MOVRGES *plan. theologique de Pythagoriſme*, PH. TREVNERI diſſ. *de theologia Platonis & Ariſtotelis comparata*, & quæ fuſe affert FR. PATRICIVS *diſcuſſ. Peripat. T. III. l. VI.* itemque viri doctiſſimi CVDWORTHVS *Syſt. intell.* paſſim & BASNAGE *Hiſt. des Iuifs T. IV. c. 3. 4. p. 14.* Pertinentque huc omnes, qui de trinitate Platonica egerunt, quorum aliquos infra nominabimus. Conf. quos laudat BVDDEVS *Introd. in hiſtor. theol. liter. l. I. c. 4. p. 224. ſeqq. Inſtitut. theol. dogm. p. 445.* PFAFFIVS *Introd. in hiſt. theol. lit. P. I. p. 305. ſeqq.*

i) *T. III. p. 28.*

k) *Phyſic. l. I. c. 4. & 8.* quod de cauſa materiali intelligendum eſſe ex *Metaph. l. I. c. 3.* conſtat.

l) *De divinat. l. II.*

ll) Conf. quæ poſt GATAKERVM *ad Anton. l. IV. §. 4. p. m. 130.* diximus *Amœnit lit. T. VIII. p. 304. ſeqq.*

m) Exhibuit ea CVDWORTHVS *Syſt. int. c. V. ſ. 2. §. 14. p. 927. ſeqq.*

ſticæ, quæ paſſim in errorem hunc Chriſtianos doctores induxit, originem CLEMENS ALEXANDRINVS:[n] quem ex recentioribus ſecuti ſunt FICINVS,[o] LIVIVS GALANTES,[p] PETRVS DANIEL HVETIVS,[q] RADVLPHVS CVDWORTHVS,[r] ANDREAS DACIERIVS:[s] quorum primus loco ex *Sophiſta*, alter ex *Philebo*, tertius ex *Hierocle*, quartus ex *Timæo* & *de legibus*, quintus ex conquiſitis ratiunculis diſputat. Quibus omnibus vel unus *Timæus*, in quo tota phyſiologia Platonis comprehenditur, refutandis ſufficit, in quo Deo materia tam manifeſte jungitur, ut non inepte quis miretur, qui fieri potuerit, ut viri alias oculati in his videndis tantopere cœcutiverint, niſi præjudicium, quo ſeducebantur, ſatis eſſet notum, concordare Platonem cum Moſe. Certe Platonici ipſi eclecticæ ſcholæ priores nunquam aliter magiſtrum intellexerunt, nec CICERO,[ſſ] APVLEIVS,[t] ALCINOVS,[u] & ipſe quoque, his junior CHALCIDIVS[w] tradiderunt, quam, admiſiſſe Platonem principia prima duo, Deum & materiam, hanc vero eſſe, ut APVLEII verbis utamur, improcreabilem incorruptamque: hisque demum adjici ideam. Nec quæ loca a viris doctis afferuntur, id, quod volunt, dicunt; eſto enim, parentem univerſi Deum Plato in *Timæo*, dixerit, an ergo filium hunc ſuum ex nihilo produxit, & non ex præexiſtente materia? concedamus, in *Sophiſta* dicere Platonem: a Deo creata animata & inanimata cum prius non fuiſſent, an hoc ad materiam traxit philoſophus? Nec quæ Livius Galantes & poſt eum alii ex *Philebo* afferunt, Deum τὸ ἄπειρον produxiſſe, & τὸ πέρας addidiſſe, id eſt, ut volunt juniores Platonici infinitæ materiæ a ſe productæ formas adjeciſſe & impreſſiſſe, quicquam ad rem adducunt, cum Plato non dicat, Deum ex nihilo produxiſſe, ſed δεῖξαι, viſibile feciſſe infinitum finito, quaſi determinatum & configuratum, de cujus vexatiſſimi loci ſenſu in ſequentibus, prolixius dicemus. Huetio vero, recentiores Platonicos ſecuto, qui tamen nec ipſi materiam ex nihilo creatam dicebant, ipſe opponendus eſt, qui alio loco[x] obſervat: *mundi materiam* προϋπάρχεσαν *& æternam ſtatuiſſe Platonem, &* ἀγέννητον *appellare, &* ἔσαν πρὶν τὸ πᾶν γενέσθαι, *quæ fuiſſet, priusquam omnia fierent, nec audiendos eſſe juniores Platonicos, Chriſtianis dogmatis accommodantes materiam, dicentes, itidem, ut ideam, in Dei decreto æternam ſpectaſſe Platonem: eos enim ſatis & ex theogonia Heſiodi, & ex Pythagoreorum, ex Anaxagoræ & Stoicorum, ac deinde Valentinianorum & Marcioniſtarum conſentiente cum Platonicis decretis doctrina refelli.* Quæ pleraque ut rectiſſime dicuntur, ita miramur, illuſtriſſimum Præſulem, hoc tamen non obſtante, eodem loco veterem cantilenam de convenientia Moſis cum Platone potuiſſe repetere. Dacierii autem ratiunculæ nihil probant;

n) Strom. l. V.

o) In *Argumento in Timæum c. 12. 13. p. m. 459. ſeq.* ubi quidem dubitanter loquitur. Clarius in indice: v. *Deus creavit omnia ex nihilo p. 136. i. m.* qui locus eſt in *Sophiſta.*

p) Compar. Theol. Plat. & Chriſt. l. IX. p. 237.

q) Q q. Alnet. l. II. c. 5.

r) l. c. & p. 485. *s) Vit. Plat. p. 178.*

(ſſ) Q q. Academ. l. I. c. 6.

t) De dog. Plat. l. I. p. m. 284.

u) c. 12. STANLEI. *p. 338.*

w) Opp. p. 3. Comm. *in Tim. c. 13. §. 305.*

x) Demonſtrat. Evang. Prop. IV. c. 2. §. XIV. p. m. 55. ed. rec.

qui, ſi materia æterna & independens dicatur, unitatem DEI Platoni tantopere probatam tolli putat. [y] Oſtendemus enim in ſequentibus, materiæ æternitatem non obſtitiſſe Platoni, ut unum Deum ſtatueret. Quod vel inde colligi poteſt, quod tot philoſophi duo æterna principia, Deum & materiam ſtatuerint, qui tamen unum tantum Deum profeſſi ſunt. Nec facit ad rem, quod Plato τὸ μὴ ὄντος ſæpius mentionem faciat, cum de materia loquitur. Planum enim poſtea faciemus, quod in præſentia CICERONIS [z] verbis eloquimur; *Nihil Platonem putare eſſe, quod oriatur & intereat, idque ſolum eſſe, quod ſemper tale ſit, qualem ideam appellet ille, nos ſpeciem.* Quam ſignificationem nonentis, auxerunt, & ad materiam quoque formatam traduxerunt recentiores Platonici, ut deinceps dicemus. Quos in hac quæſtione ideo non audiendos eſſe monemus, quoniam mentem conditoris ſectæ turpiſſime adulterarunt, & ut Chriſtianis propiores viderentur, & aſſertæ creationi ex nihilo propinquiores, materiam ex ſinu DEI emanaſſe, ſicque ab æterno ex ſe productam fuiſſe contenderunt, ut ad horum hominum placita delati latius demonſtrabimus. Hac doctrina ſuppoſita, a qua in eccleſia præter hæreticos quosdam nec Origenes cum ſequacibus alienus fuit, ſequebatur, mundum eſſe æternum, quem tamen abſtractione mentali, & in ſigno rationis, ut loqui ſolent, conſideraverunt, tamquam a Deo productum ex nullo alio præexiſtente ſubjecto. Quæ cum ita ſe habeant, omnino ex creationis e nihilo aſſertorum albo delendus eſt Plato, quemadmodum nullam inter gentiles ſectam gentemque eam agnoviſſe doctiſſime & luculenter probavit acutiſſimus MOSHEMIVS, [a] qui de hac re omnino eſt conſulendus.

II. Sunt itaque duæ cauſæ rerum omnium, una, a qua ſunt omnia, altera ex qua ſunt omnia. Illa Deus eſt, hæc materia, quæ ut ſibi opponuntur, ita æternæ ſunt, & a ſe invicem non dependentes. Primum hoc totius phyſiologiæ Platonicæ fundamentum eſt, quod in *Timæo* poſuit, & cui totam theologicam ac phyſicam conſiderationem inædificavit. Quoniam vero pluſcula ſunt, quæ circa hoc generale Platonicæ philoſophiæ principium obſervari merentur, ordine omnia expendemus. Notamus itaque. I. Platonem Deum & materiam, resque ex illa factas aperte, & ſollicite diſtinguere. Loquitur id totus Timæus, [b] cujus diſſertationis mox initia eo tendunt, Deum non ex ſe, ſed ex materia præexiſtente & ſine ordine jactata & commota omnia feciſſe, unde & materia ſemper a Platone, tanquam ſubjectum, ex quo architectus mundi omnia fecit, conſiderari ſolet. Id quod a Timæo Locrenſi [c] didicit, cui etiam materia eſt æterna, non tamen immobilis; unde & PLVTARCHVS [d] rectiſſime ex mente Pla-

y) Addit alia longe infirmiora, animam fuiſſe ante corpus &c. Aliud enim materia aliud corpus apud Platonem.

z) *Trſc. Qq. l. I. c. 24.*

a) In elegantiſſima diſſ. *de creatione ex nihilo*, adjecta CVDWORTHI *ſyſt. intell. p. 957. ſeqq.* qui & de his omnibus §. *15. ſeqq. p. 973. ſeqq.* latiſſime & doctiſſime diſputat.

b) *T. III. p. 28. ſeqq.*

c) Vid. *Opuſc. Mythol.* GALEI.

d) *De generatione animæ ſecundum Tim. T. III. p. m. 78. ſeqq.*

Platonis, materiam & ſubſtantiam dixit, ἀ γενομένην ἀλλ' ὑποκειμένην ἀεὶ τῷ δημιέργῳ ἐς διάθεσιν καὶ τάξιν αὐτῆς παρασχεῖν, *non factam vel natam, ſed ſemper ſubjectam opifici & diſponendam præbuiſſe.* Alia non addimus, videndi vero viri veterum doctrinarum peritiſſimi IACOBVS WINDETVS, [e] & IOH. CHRIST. WOLFIVS. [f] II. Poſuiſſe Platonem talia duo principia, quæ natura ſua a ſe invicem differant & ſeparata ſint planeque ſint alia. [g] Ita enim de utroque principio tradidit, ut materiam motui inordinato ſubjectam ſtatueret, & ad eam Deum tum acceſſiſſe diceret, ut eam formaret. Quæ ita exponit LAERTIVS: [h] *Duo omnino expoſuit Plato rerum principia, Deum atque materiam, illum mentem & cauſam vocat; eſſe autem materiam informem & infinitam, ex qua concretiones fiant; ea cum aliquando temere & inordinate moveretur, a Deo* ait *in locum unum coactam, quod ordinem temeritati præſtare cenſuerit.* Quæ iisdem fere verbis ipſe PLATO [i] proponit: *cum vellet Deus bona omnia facere, nihil vero, quoad natura pateretur malum, quicquid erat, quod in cernendi ſenſum cadere poſſet, aſſumſiſſe; non tranquillum & quietum, ſed temere agitatum & fluitans, idque ex inordinata jactatione redegiſſe in ordinem.* III. Non vero diverſam, ſed contrariam quoque utrique, quod poſuerat, principio, naturam Platonem adſcripſiſſe, ex iis, quæ in ſequentibus dicentur, erit manifeſtiſſimum. Materiam enim non omnis tantum formæ expertem, ſed & ſine ordine jactatam, vique aliqua inhabitante bruta, & ordine atque bono omni vacua moveri, Deum vero ſumme perfectum bonumque ad hanc materiam acceſſiſſe, eamque quantum poſſet, in ordinem redegiſſe, materia obſtrepente, & non in omnibus obſequente, ſatis luculenter in *Timæo* tradidit. IV. Ex quibus jam ſponte fluit, cum utrumque principium ſit æternum, nec unum prius alio & materia Deo coæva, ut recte PSEVDO-O IGENES, [k] natura vero materiæ a Dei natura contraria affectione & qualitate differat, Platonem duo principia coæterna & tempore coæqualia, licet natura inter ſe diverſiſſima poſuiſſe: materiamque juxta eum ab omni æternitate una cum Deo extitiſſe. [l] Nihil in eo ſtatuit Plato, quod non toti fere antiquitati placuerit, quæ materiam ſemper æternam Deoque æquævam credidit, uti ex hactenus diſputatis eſt manifeſtum. Hoc tantum diſcrimine, ut, cum intimo nexu Aegyptii aliique, quos poëtæ Græci, & Ionici ante Anaxagoram ſchola item Italica ſecuti ſunt, Deum cum materia junxerint; alii vero æterna emanatione materiam ex Deo propullulaſſe ſomniarint, ut ſupra in ſyſtemate Zoroaſtreo vidimus, Plato totum Deum a materia ſeparaverit, eumque libere ad eam acceſſiſſe tradiderit, qua fere ratione Ionicam theologiam Anaxagoram emendaſſe, & in

e) De vita functorum ſtatu ſ. III. p. m. 36.

f) De *Manich. ante Manichæos ſ. II. §. 32. p. 25.*

g) Prolixe ex nexu totius theologiæ Platonicæ id demonſtravit doctiſſimus ZIMMERMANNVS *de Ath. Platonis, Amœn. lit. T. IX. ejusque apologia T. XII. XIII.*

h) l. III. ſ. 69.

i) In *Timæo l. c.*

k) philoſophum. c. XIX. p. m.

l) Add. PLVTARCHVS *de Iſid. & Oſir.* ubi ait, *neceſſe, in natura boni & mali ortum peculiarem ſuumque principium extitiſſe.* Confer. ſi lubet, quæ prolixe diſſeruimus in *Hiſt. de ideis Sect. I. §. 4. p. 41. ſeqq.*

& in Perſide quoque emanationis ſyſtema corruptum & dualiſticum introductum fuiſſe ſuis locis demonſtravimus. Non ignoramus, eſſe viros doctos,[m] qui ſuſpicentur, non ab omni prorſus copula cum materia Platonem Deum liberaſſe, nec tantam eam eſſe libertatem, qua ad ornandam materiam acceſſiſſe Deum Plato ſtatuit, quanta creditur; neque diffitemur, totius fere antiquitatis conſenſum, in jungendo aliquo modo Deo cum materia, non obſcure perſuadere, non plane ab hoc univerſali dogmate abiiſſe Platonem. Quoniam tamen ſubobſcure de his locutus eſt Plato, ita ut de mente ejus diſtincte ſtatuere plane impoſſibile ſit, ſufficere putamus, ut in eo certi ſimus; Platonem nec materiam cum Deo feciſſe unum; nec inevitabilis neceſſitatis vinculo cum eo conjunxiſſe; & tantum inter utrumque principium diſcrimen poſuiſſe, quantum inter rationale & brutum, bonumque atque malum, ordinem item atque inordinatum intercedit. V. Ex his jam conſtare arbitramur, longiſſime receſſiſſe a genuina atque ſincera Platonis mente Platonicos recentiores, ex Aegypto prodeuntes, qui ipſam quoque materiam ex Deo eductam fuiſſe contenderunt, & ita loco ſyſtematis dualiſtici, emanativum Platoni tribuerunt, id quod poſt Plotinum totam ejus ſcholam feciſſe, infra, ubi de his hominibus erit agendum, demonſtrabimus, & doctiſſime quoque confecit MOSHEMIVS.[n] Magnum tamen ſententiæ ſuæ præſidium inveniſſe ſibi viſi ſunt recentiores Platonici, & in his imprimis PROCLVS,[o] in loco Platonis in *Philebo*, cujus ſupra mentionem fecimus, quoque haud obſcure innui putant, Deum infinitam quoque materiam ex ſinu quaſi ſuo expuliſſe & formaſſe. Qua de re noſtra ætate, ſatis acriter decertatum fuit, inter viros eruditiſſimos, & veteris philoſophiæ apprime gnaros NICOLAVM HIERONYMVM GVNDLINGIVM,[p] & IOH. IAC. ZIMMERMANNVM,[q] quorum ille Platonicorum Aegyptiacorum explicationem in *Philebo* manifeſte fundari non ſine fervore contendens, Spinoziſmi culpam Platoni imputavit, hic ad ipſum Platonem provocans, doctrinam ejus de Deo, & materia, a Deo diſtincta prorſus & ſeparata illi oppoſuit. Qua in controverſia ardentius, quam par erat, agitata, arbitri quidem partes nobis non ſumimus, certi tamen ſumus, eos, qui vel ſemel *Timæum* Platonis attente legerunt, & qua ratione Plato Deum a materia diſtinguat, perſpexerunt, manibus palpaturos, receſſiſſe in hac re a Platone Alexandrinæ ſcholæ philoſophos. Semper enim materiam Plato tanquam ἀρχὴν συναίδιον καὶ κεχωρισμένην exponit, nec eas nugas tangit, quas Platonici, ut propius ad Chriſtianos accederent, magiſtrumque ab abſurditate ſyſtematis dualiſtici liberarent,[r] commenti ſunt. Nec id vult locus Philebi, quod vel Proclus, vel qui Proclum ſequuntur, Livius Galantes, Cudworthus & imprimis celeber-

m) cel. MOSHEM. *ad Cudw. p. 209. n. 2.*

n) Diſſ. *de creatione ex nihilo l. c. p. 994.*

o) In *Timæum Plat. l. II. p. 17.* ubi acriter in eos inſurgit, qui duo rerum principia Platoni tribuunt. Idem facit HIEROCLES *de prov. & fato* apud PHOTIVM *Cod. CCLI. p. 794. ſeq.* ed. Hoeſch.

p) *Gundlingian. P. XLIII. XLIV.*

q) *Amoenit. liter. T. IX. XII. XIII.*

r) Id PROCLVS & HIEROCLES *ll. cc.* ſatis prodiderunt.

leberrimus Gundlingius velle putant. [s] Quod ut manifeſtum fiat, ecce ipſa Platonis verba, [t] ut lector judicare ipſe valeat. Statuit Plato, ſive Socrates, ſub dialogi hujus initio, Deum in rebus omnibus genitis ἀπειρίαν ſive infinitum, & τὸ πέρας terminum, vel finitum, conjunxiſſe atque inter ſe ſociaſſe, ubi inter alia Socrates: τὸν Θεὸν ἐλέγομεν πᾶ, τὸ μὲν ἄπειρον δεῖξαι τῶν ὄντων καὶ τὸ πέρας; *Deum dicebamus, ex iis, quæ ſunt, alterum quidem infinitum, alterum vero terminum oſtendiſſe.* Vbi cum obſcurior ſit, verbi: δεῖξαι ſignificatio, varios in ſenſus illud tractum eſt. Livius enim Galantes, idem dicere vult, ac produxiſſe, [u] illuſtris Gundlingius effundendi ſignificatum amplectitur, alii alium, manifeſto indicio, incertos hæſiſſe viros doctos, quid Plato ſibi velit, vel ſignificationem potius Platoni intuliſſe, quam ex eo eruiſſe. Imprimis tanta confidentia tum loco hoc tum Alexandrinorum philoſophorum, præcipue IAMBLICHI [x] & Procli explicationibus nititur Gundlingius, ut nullus dubitet, Platoni hanc de Deo doctrinam tribuere: eſſe igneam ſubſtantiam, unum totum complectentem, ſeſe denique evolventem, fluentemque ac ſe ipſam dividentem & gignentem ſimilia, quæ in materiam ab uno & toto ſeparatam ſeſe iterum infundat, adeoque res omnes divinitatis participes reddat, in qua ſenſibilia ſubſiſtant &c. Mutaviſſe hac ratione Academiam in Stoam virum celeberrimum, lector rei peritus ſatis ſentiet. Aut omnia vero nos fallunt, aut id non dicit Platonis locus, quod viri eruditiſſimi ex eo exſculpunt. Non movebimus iis controverſiam, an τὸ ἄπειρον ipſa ſit materia, quanquam MOSHEMIVS [y] contendat, ne id quidem concedendum eſſe, cum ſit τὸ ἄπειρον notio abſtracta genusque affectionum, rerum, qualitatum, quæ in ſe & abſtracte conſideratæ, certum modum & finem haud habent, ſed vel augeri & minui, intendi & remitti poſſint; verbo, notionem abſtractam proprietatum non determinatarum: ſed concedamus, quod plerisque Platonis interpretibus [z] placuit, illud infinitum eſſe materiam, eo quod in infinitum moveri, mutari, & infinitas formas recipere valeat; illud non inviti concedent, τὸ πέρας ſive terminum finitum eſſe, menſuras, modificationes, relationes, proportiones, quibus determinatur materia, ut finitum quid, id eſt, mundus aſpectabilis, eniteret. His ſuppoſitis, luculentus, & ſyſtemati Platonico conformis ſenſus loci hujus hic eſt, Deum in mundi viſibilis formatione oſtendiſſe, id eſt, viſibilem feciſſe, [a] infinitis modificationibus aptam & inviſibilem materiam, dum certas & determinatas proportiones, (ſecundum quas Plato generationem rerum factam eſſe putat) ei impreſſit, ut inde mundus viſibilis appareret. Quæ ſi admittantur, ut

s) Acceſſit etiam TH. GALEVS *ad* IAMBLICH. *de myſt. Ægypt. p. 276.* etſi ipſe obſervet, Platonem in Timæo materiam Demiurgo opponere, & contradiſtinguere ab eo.

t) *Phileb. T. II. p. 23.*

u) conf. MOSHEM. *l. c.*

x) Vtitur is voce προάγειν.

y) *l. c. p. 985.*

z) Vid. PROCLVS *l. c.* qui τὸ ἄπειρον, ſive infinitum extremum eſſe materiam contendit.

a) Ita a ſolita ſignificatione verbi δύνειμι non receditur.

ut ſunt Platonis ſermoni convenientia, plane docent, Platonem materiam non tanquam opus DEI ex ſe productum vel effuſum, ſed tanquam ſubjectum in quo operaretur reſpexiſſe, & ordinationem, formationem, aliaque, quæ materia ſuſcipere apta eſt, ei tribuiſſe. Sed ut in viam, a qua digreſſi ſumus revertamur, VI. ex dictis jam de atheiſmo Platonis quæſtionem quoque ſolvendam eſſe monemus. Spinoziſmi eum reum agere GVNDLINGIVM [b] τὸν πάνυ, ex ſupra dictis, notum eſt, cui ſe magno labore oppoſuit cl. ZIMMERMANNVS, cujus tamen argumenta, ne nimii ſimus, non adducimus, ſed lectorem ad eum remittimus. Id nos potius obſervamus, & eam, quam Platoni ille tribuit mentem, proprie Spinoziſmum non eſſe, cum concedat vir celeberrimus, materiam ex Platonis mente ſe ab iſto igne ſubtiliſſimo, qui Deus eſt, ſeparaviſſe, Deumque novo actu ſe in illam infudiſſe, qua ratione ex una ſubſtantia duæ, licet arctiſſimo inter ſe vinculo nexæ, ortæ ſint, quod ab unica Spinozæ ſubſtantia differt, etſi & hoc ſatis ſit impium: & patere potius ex demonſtratis putamus, duas ſubſtantias, Deum & materiam Platonem ſtatuiſſe, ſibi invicem contrarias. [c] Quæ ſententia, quatenus impietatem [d] complectatur, & ad atheiſmum referri queat, hic diſpicere, ab inſtituto noſtro alienum eſt. Id vero monere ex re noſtra eſt, Platonem ipſum in *Politico* innuere: non exiſtimandum eſſe, duos Deos, contraria ſentientes cœlum vertere. Cujus ratio in natura materiæ quærenda eſt, de qua in ſequenti theſi diſpiciemus, quæ nihil eorum habet, quæ ad Dei naturam requiruntur, ſed & ratione, & bonitate, & ordine caret, ſine quibus Deus eſſe juxta Platonem non poteſt. Et hæc ipſa cauſa eſt, cur tot philoſophi dualiſticum ſyſtema admiſerint, non putantes injurium id in ſummum numen eſſe, ad cujus naturam non ſolam exiſtentiam a ſe ipſo, & infinitatem, ſed & internam perfectionem, actionem, bonitatem & lucem requirebant. Sed de hac quæſtione in ſpeciali atheiſmi hiſtoria diſpiciendum eſt, videndus autem CVDWORTHVS,[e] licet is non accurate eo loco contra Plutarchum pugnet.

Atheiſmus Platonis.

§. XIX. Vt vero, quæ dictæ ſunt de primis atque univerſalibus Platonicæ phyſiologiæ & theologiæ principiis, clarius intelligantur, explicandum porro eſt, qualem eſſe materiæ, qualemque Dei naturam Plato ſtatuerit. Et de materia porro quidem ita præcepit:

Natura materiæ.

III. Materia eſt æterna atque infinita; id eſt, explicante CICERONE, [f] *ſubjectum omnibus ſine ulla ſpecie, atque carens omni illa qualitate, materia quædam, ex qua omnia expreſſa atque effecta ſunt: quæ tota omnia accipere poteſt, omnibusque modis mutare, atque ex omni parte, eoque etiam*

b) ll. cc. conf. quos laudat Sum. Rev. REIMMANNVS *Hiſtor. atheiſmi cap. XXII. pag. 159. ſeqq.*

c) Noſtri ſunt celeberrimi viri VOSSIVS *de idololatr. gent. l. I. p 36.* IO. CHR. WOLF. *de Manichæiſmo ante Manich. §. XXXII. p. 124.* BVDDEVS *theſ. de atheiſmo c. I. §. 13. H. E. V. T. T. II. p. 1076.* MOSHEM. *ll. cc.* & qui inter Britannos *hiſtoriam univerſalem* condunt *p. 125.*

d) Conf. quæ de impietate hujus opinionis in Platone differit BAYLE *cont. des penſées ſur les com. p. 351.* coll. *Dict. crit. v. Zoroaſtre not. E.*

e) l. c. p. 236. ſeq. & MOSHEM. *ad h. l.*

f) Acad. Qq. l. I. c. 6.

etiam interire, non in nihilum, ſed in ſuas partes, quæ infinite ſecari ac dividi poſſunt, cum ſit nihil omnino in rerum natura minimum, quod dividi nequeat, quæ autem moventur, omnia intervallis moventur, quæ intervalla item infinite dividi poſſunt. Et cum ita moveatur illa vis, quam qualitatem eſſe diximus, & cum ſic ultro citroque verſetur, materia ipſa tota penitus commutatur, & ita efficiuntur, quæ qualia appellantur, e quibus in omni natura cohærente & continuata cum omnibus ſuis partibus effectus eſt mundus. Ita eloquentiſſimus philoſophus luculenter materiam Platonicam depingit, quam prolixe in *Timæo* ipſe Plato deſcribit, & imprimis urget, ut ſuſcipere quidem queat omnia, nec ullam ſibi formam contrahet, ſed ſuæ natura fictioni ſubjecta ſit; & aliter ſe habeat ab ingredientibus formis. Hinc univerſi quod & genitum eſt, & ſenſibus omnibus manifeſtum, matrem ipſam receptaculumque, inviſibilem ſpeciem quandam, & informem ſinum omnium capacem nominat, eaque in ſequentibus latius deducit, & imprimis id urget, nullam eſſe in materia formam eorum, quæ ambigua & vix explicabili divinæ & intelligibilis naturæ vi immittuntur, poſſe vero omnes iſtas formas admittere, & ita jactari atque moveri, ut ſimilia coëant, diſſimilia inter ſe diſſipata ad eum locum diſcedant, quibus ſimilia evadere poſſint. Qua de re ipſe Plato, prolixus in ea, omnino legendus eſt. Ex his vero dijudicanda eſt quæſtio, num inter atomiſticos philoſophos ita numerari Plato queat, ut materiam minimis particulis conſtare cenſendus ſit dixiſſe? Id materiæ quidem definitioni, quam ex illo attulimus contrarium eſſe, quilibet videt, quæ quoque cauſa fuit, cur CVDWORTHVS, [g] ex omni antiquitate ſyſtematis atomiſtico patronos conquirens, Platonem inter eos referre auſus non ſit. Locutus tamen eſt interdum ita prorſus, ut ex minimis particulis cuncta conflata afferuiſſe videatur. Ait enim porro in *Timæo*, πάντα οὖν δεῖ ταῦτα διανοεῖσθαι σμικρὰ ἔτως, ὡς καθ' ἓν ἕκαστον ἰδὲν ὁρώμενον ὑφ' ὑμῶν συναθροισθέντων δὲ πολλῶν τῆς ὄγκος αὐτῶν ὁρᾶσθαι, *hæc omnia ita parva & exilia, cogitandum eſt, ut ſi ſingula duntaxat ſingulorum generum capiantur, nullum eorum propter exiguitatem cerni a nobis poſſit, ſin multa inter ſe congregentur, eorum moles multitudinesque cernantur.* Ex quo loco GASSENDVS [h] atque CVDWORTHVS, [i] collegerunt, Platonem atomis uſum eſſe, ad deſcribendam corporearum rerum originem. Et CHALCIDIVS quoque γόμφος Platonis, quibus Dii minores corpora humana conglutinaverint, minutas ſolidasque particulas ſive corpuſcula eſſe, defendit. Quemadmodum vero hi γόμφοι, ſive *cuneoli*, uti Cicero vocat, non ſunt particulæ ex quibus corpora hominum conſtant, ſed commiſſuræ potius ſive vincula, quibus illæ quaſi conglutinantur: Ita in priori loco Plato tantum de particulis loquitur, qualitate jam veſtitis, ex quibus elementa corporum conflantur, e. g. particulis pyramidalis formæ, ex quibus ignis conſtat, quæ a

Plato an atomos admiſerit?

g) *Syſtem. intell. c. I. §. 44. p. 63.* h) *Phyſic. ſect. I. l. III. c. 5. T. I. Opp. p. 257.* i) *l. c.* conf. MOSHEM. *l. c.*

primis illis materiæ particulis, qualitate omni deſtitutis, & in atomiſtico ſyſtemate receptis longe differunt. Nec Plato tantopere materiæ jam formatæ diſpoſitionem, quam potius formantis atque formarum impreſſionem conſideravit, relictaque phyſica parte metaphyſicam, ut erat ingenio ad has ſpeculationes natura ſe ferente, & in ſcholis Pythagoreis ita inſtituto, proſecutus eſt, totus ſcilicet ideis ſuis atque cauſis exemplaribus captus, & in iis naturam atque eſſentiam rerum quærens, quæ a ſyſtemate atomiſtico longiſſime recedunt.

IV. Materia, quod ex his ſequitur, corpus non eſt, ſed corpora ex materia demum formantur. Id quod dicto loco ita expreſſit CICERO:[k] *Nihil eſſe, quod non alicubi eſſe cogatur, ſed quod ex utroque* (cauſa efficiente & materia) *fiat, id jam corpus & qualitatem nominaviſſe.* Probe id non in Platonis tantum, ſed in omni fere veterum phyſicorum doctrina naturali tenendum eſt, materiam ex qua fiunt corpora, ab ipſis corporibus diſtinguendam eſſe, nec idem eſſe *τὴν ὕλην* & *τὸ σῶμα.* Id quod ex mente Platonis luculenter STOBAEVS[l] explicuit, monens, *materiam quidem corpoream eſſe, ſed non corpus; negari autem, corpus eſſe materiam, non tam, quod intervallis corporeis careat,* (id eſt, longa, lata, profunda ſit,) *quam quod aliis quoque multis ad corpus pertinentibus per ſe deſtituatur, ut figura, colore, gravitate, levitate, & omni denique qualitate & quantitate; nam ſi hæc haberet, inter quanta & qualia referretur. Nunc his cum per ſe careat, ut corpus non eſt, ita corpoream dici, quod omnibus qualitatibus, tanquam ſpeculum ſubjiciatur.* Ex his vero ſequitur: incorporeum cum immateriali in horum hominum ſcholis confundendum non eſſe.

V. Ineſt vero materiæ neceſſaria & innata cupiditas, ſive bruta & cœca vis quædam, quæ inordinate eam movet, quæque in cauſa eſt, ut nec optimam in omnibus formare Deus potuerit, & mala inde omnia oriantur.

Vnde malum Platoni?

Gravis hæc quæſtio, & in Platonicorum ſcholis vehementer ventilata, unde refractaria illa materiæ vis, qua ſe cauſæ efficienti ita oppoſuit, ut, cum optimam facere vellet, non in omnibus ea optima fieret. Quam ut diſtincte conſideremus, & in ea ſolvenda, quantum licet, Platonem, mire in his quoque, ut ſemper ſolet, obſcurum, aſſequamur, notamus: 1. Certum eſſe ex mente Platonis, materiam, natura & conditione ſua, ita ſe habere, ut opifici, ſemper optima quævis volenti, reſiſtat ſæpius, & ab eo non in omnibus cogi queat, ſed ſemper aliquid in ea illi contrarium ſit. Id præter morem perſpicue haud uno loco profeſſus eſt Plato, imprimis in *Theæteto*[m] & *Timæo.*[n] Priori enim loco diſerte *ἀλλ' ἐτ' ἀπολέσθαι τὰ κακὰ δυνατὸν, ὑπεναντίον γὰρ τι τῷ ἀγαθῷ ἀεὶ εἶναι ἀνάγκην, fieri non poteſt, ut mala tollantur, contrarium enim bono aliquid ſemper eſſe, neceſſe eſt.* Qui locus non id tantum indicat, inveniri in rerum natura, aliquid bono contrarium, ſed & id neceſſitate fieri, id eſt, ex naturali ejus conditione oriri.

k) *loc. cit.* l) *Eclog. phyſ. c. XIV. p. 29.* m) *T. I. p. 176.* n) *T. III. p. 30.*

ri. Altero vero loco non minus luculenter: *βεληθεῖ ὁ Θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φᾶυλον δὲ μηδὲν εἶναι κατὰ δυνατὸν, voluiſſe Deum bona omnia, malum vero nullum, quantum poſſibile*, quam reſtrictionem recte SERRANVS de naturæ ſive materiæ conditione explicat; in *eodem* enim *dialogo*, ita in hanc rem: *Quum hæc ordine carerent, ſingulis Deus, & ad ſeſe & ad alia invicem eatenus modum rationemque proportionis indidit, quatenus ſingula ſuſcipere poterant.* Ex quibus locis luculenter apparet, eſſe in materia aliquid quod non tantum eam, quam Deus volebat, perfectionem recipere natura ſua non poterat, ſed quod etiam mala inclinatione motuque contrario ſe optimæ cauſæ opponat. 2. Quid vero illud ſit, ita obſcure indicavit Plato, ut mirum non ſit, ſequaces de eo vehementer inter ſe diſputaviſſe. Ipſe loco notabili [o] de magnis naturæ rerum converſionibus, quæ ſtatis temporibus evenire ſolent differens, cauſasque malorum naturalium, quæ inde oriuntur, explanans, ait: *τὸνδε, τὸν κόσμον πάλιν ἀναστρέφων εἱμαρμένη καὶ ξύμφυτος ἐπιθυμία, mundum vero fatum revolvit, iterum & innata cupiditas;* quæ poſtea ita explicat, ut defectuum iſtorum cauſam in naturam corpoream, antiquæ naturæ fomitem conjiciat; additque: quondam valde inordinatam & deformem naturam fuiſſe, antequam præſenti ornatu decoraretur, & ab hoc priori habitu incommoda & injuſta omnia, quæ intra cœlum naſcuntur, & mundus ipſe ſuſtinet, & animantibus inſerit, derivat. Ex his quidem planum eſſe exiſtimamus, in natura materiæ eſſe illam vim, cupiditatemque deformitatis & inordinati motus, unde mala oriri neceſſe eſt; adeoque Platonem non ad ſolam materiæ inertiam reſpexiſſe, ſed ad latens quoque aliquod in materia principium atque vim quandam, quæ ordini refragaretur, bonoque eſſet contraria, & omnis illius inordinati & confuſi in materia motus cauſa eſſet, fontem & originem imperfectionum naturæ, quæ mala phyſica ſolent appellari retuliſſe. 3. Quæ vero illa naturalis & neceſſaria vis ſit, (unde eam fatum vocat, quod ex lege naturæ materiæ inevitabilis eſſet) ea de re interpretes non conveniunt. Inter quos maxime notabilis eſt ſententia PLVTARCHI, [p] qui collatis inter ſe Platonicorum opinionibus eo tantum deſcendit, eſſe in materia animam quandam brutam, irrationalem, contrariam bono, quæ & æterni illius in materia motus auctor ſit, & cauſa malorum, cum legibus & ordinationi cauſæ efficientis refragetur. Quam Plutarchi explicationem, cum ea rem mirifice illuſtret, tanquam Platonis menti omnium maxime conformem admiſerunt IVSTVS LIPSIVS, [q] & PETRVS GASSENDVS [r] viri magni, & in judicandis veterum doctrinis accuratiſſimi, itemque his non inferiores PETRVS BAYLE [s] & IO. LAVR. MOSHEMIVS. [t] Quibus ſuo modo præivit CLEMENS ALEXANDRINVS, licet is ex hac

o) In *Philebo.*
p) De *animæ procreatione ex mente Timæi T. II. p. m. 155.*
q) *Phyſiol. Stoic. l. I. diſſ. XIV. p. 32.*
r) *Phyſic. ſ. I. l. I. c. V. T. I. opp. p. 156.*
s) *Dict. T. IV.* art. *Zoroaſtre not. E.*
t) Ad CVDWORTHVM *p. 242.*

anima mala diabolum ſcripturæ memoratum exſculpſerit. Quam tamen ſententiam rejecerunt tanquam alienam a Platonis mente eruditiſſimi viri RAD. CVDWORTHVS[u] & IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS,[x] ad cujus rationes reſpondit MOSHEMIVS, Nos utriusque partis argumenta atque rationes non afferemus, cum id inſtituti ratio non patiatur, facileque legi queant apud viros celeberrimos, qui magna eruditione de hac re egerunt, paucis tamen, quid nobis videatur, ſalvo aliorum judicio, in quos arbitri partes nobis non ſumimus, exponemus. Et ita quidem obſcurum incertisque & vagis verbis uſum eſſe Platonem, ex allatis ſupra ejus locis conſtat, ut ſatis appareat, aut timore quodam novæ religionis & principiorum inter Græcos nondum auditorum noluiſſe ſententiam aperte dicere, aut neſciviſſe ipſum, quid in ancipiti argumento & difficili quæſtione potiſſimum ſtatuendum eſſet, & qua ratione, cum Deus cauſam optimam eſſe diceret, & tamen malorum originem demonſtrare auderet, ex natura materiæ malum eſſet derivandum, ideoque, more tot philoſophis recepto, ad ideas obſcuras vagasque & principia non facile intelligenda confugiſſe. Quod ſi tamen, conſulto Platonici ſyſtematis univerſali nexu, aliquid pronuntiandum, vel conjiciendum nobis eſt, nondum illa Plutarchi, quod viri laudatiſſimi ſtatuunt, probabiliſſima, mentique Academiæ maxime conformis interpretatio nobis videtur. Et in eo quidem conſentientes habemus viros præſtantiſſimos, quærendam eſſe hanc vim inſitam mali in materia, ſive illa in anima quadam ſita ſit, ſive in diſpoſitione aliqua naturali; cum utrumque ad ipſam naturam materiæ referendum ſit. Nec magnopere repugnabunt viri docti nobis, totum hunc diſputationis diſſenſum ad abſtractas magis aliquas notiones, quam ad rem ipſam redire, in qua inter eos, qui brutam ac malignam aliquam in materia animam ſtatuunt, & inter illos, qui pravam & boni contrariam materiæ vim ac diſpoſitionem naturalem afferunt, ſatis convenit, materiam ejusque naturam bono ex parte contrariam & inobſequentem eſſe. Tandem nec hoc quoque Platonis φιλοσοφεμένων gnaros negaturos eſſe confidimus, Platonem ipſum, & a magiſtro edoctos ſequaces affectiones, diſpoſitioneſve naturales, immo dico abſtractionum ex geometricis in philoſophiam traductarum ſtudio tanquam entia peculiaria & ſingulari ratione exiſtentia ſibi ingenio efformaſſe. His ſuppoſitis ſi ad adducta Platonis loca, & ſimul ad ipſam ejus phyſiologiam & metaphyſicam reſpicimus, cauſam non videmus, cur, quæ ἀταξία καὶ ἐναντιότης τῷ κἄλῳ materiæ tribuitur, dæmoni ſive animæ cuidam peculiari in materia reſidenti adſcribenda ſit? Nam concedendum quidem omnino eſt, Platonem præter naturalem inertiam, quæ materiæ propria eſt, conatum quoque naturalem operationibus & motui cauſæ rationalis atque bonæ contrarium, motumque aliquem malum, brutum & inordinatum, ei tribuiſſe, verum eum a materiæ natura diſtinxiſſe, nullis verborum Platonis teſtimoniis hactenus evictum deprehendimus: & toti quoque

u) *l. c.* x) *De Manichæiſmo ante Manich. §. XXXII. p. 124. ſeq.*

que ſyſtematis Platonici nexui contrarium videtur. Nam ſi Plutarchi ſententiam ſequimur, tria omnino principia ſtatuiſſe oportebat Platonem non duo, Deum & materiam, præter Deum enim fuiſſet non materia ſolum iners ſine affectione, qualitate & motu, ſed & anima illa bruta, quæ materiam confuſe agitat atque jactat, & Deus, qui & materiam format, & animam hanc materiæ quantumpote emendat. y) Id quod & Timæo Platonis, duo tantum, ſi exemplarem cauſam, tanquam ſecundi generis eximas, principia ponenti contrarium eſt, & toti ſcholæ Academicæ. Nec attendiſſe videtur, qui hanc potiſſimum Platoni tribuit ſententiam, Plutarchus, Platonem ex Heraclitea ſchola totam de materia tractationem, certe iſtam doctrinam, materiam ſemper eſſe in motu, & naturali neceſſitatis lege ferri ac jactari, transſumſiſſe, quod clare teſtatur ARISTOTELES; apud Heraclitum autem iſte materiæ motus non ab anima proficiſcitur, ſed vis ac affectio quædam materiæ eſt. Et vidit hoc, quod mireris, ipſe Plutarchus, qui tamen ejus poſtea oblitus eſt, monens, id quod Plato aliique neceſſitatem fati vocarunt (illa vero animæ hujus neceſſaria & æterna commotio eſt) vocaſſe Empedoclem amicitiam & litem, Heraclitum verſatilem mundi harmoniam, velut contentionem in lyra. Empedoclis vero amor & diſſidium pariter non peculiaris anima, ſed naturalis materiæ eſt affectio. Nec, quantum nos intelligimus, pro anima ſalvis hypotheſibus ſuis, Plato hanc ξύμφυτον ἐπιθυμίαν τῆς ὕλης habere potuit. Sunt enim omnes animæ movere aptæ apud Platonem αὐτοκίνητοι, adeoque etiam ejusdem per ſe ſubſiſtentis & immutabilis naturæ; unde quod in anima humana mobile & diverſum obſervavit, aliunde, & ex admixtione aliqua materiæ derivavit. Tales autem animæ hanc αὐθ-σίαν καὶ ταυτότητα (liceat cum philoſopho loqui) a prima rerum omnium cauſa enteque ſupremo habent. Anima vera illa materiæ non poteſt eſſe ejusdem naturæ, cum alterationi & mutationi, quicquid eſt in materia, ſubjectum ſit, nec materia juxta ſinceram Platonis doctrinam ex Deo ſit, vel in eo ſubſiſtat, ut juniores Platonici finxerunt. Cum itaque vis illa materiæ, de qua quæſtio eſt, nihil habeat, quod ad naturam & definitionem animæ requiritur, anima quoque ex mente Platonis eſſe non poteſt. Vrgent vero laudatiſſimi viri, & qui imprimis magna eruditione, in hoc argumento verſatus eſt, cel. MOSHEMIVS, hanc ipſam animæ naturam, quæ in eo conſiſtit, ut motus cauſa ſit. Duo enim is affert loca Platonis

y) Objecit etiam hoc Plutarcho CVDWORTHVS *Syſt. int. c. IV. §. 13. p. 232.* cui reſpondit acutiſſimus interpres, *non intelligi animam, quæ naturæ per ſe ſubſiſtentis, aut principii nomen mereatur, ſed eſſe vim quandam motricem, in materia reconditam ac ratione vacuam, quam Deus, mundum condens ſubigit, emendat, corrigit, & ad ſuam voluntatem flectit, nova deniquæ parte auget, ne incerto diutius impetu feratur.* Rectiſſime, ſi ex Platonis mente judicandum eſt, quanquam ita illa non nimis firmo talo ſtant, quæ *p. 242.* diſputantur. Sed veremur valde, ut hæc mens Plutarchi fuerit, qui ideo animam hanc introducit, quia motum habere, & contrariari bono non putat convenire materiæ, omni qualitate experti. Si enim pro ejusmodi vi habuiſſet, ita de materia non ſtatuiſſet. Interim tamen errare putamus Cudworthum, qui Plutarchum duos Deos ſtatuere arguit; nam hæc ex mente ſcholæ Platonicæ nondum efficere Deum, ſupra jam monuimus. Deus idem eſt, materia, & quicquid in materia eſt, diverſum, adeoque Deus eſſe non poteſt: quin nec anima, quæ ab eodem participat. z) *l.c. p. 242.*

tonis, quibus diſerte tradit, omnem motum oriri ab anima; alterum ex libris *de legibus*, ubi PLATO [a] ait, ψυχὴν ταυτὸν ὂν καὶ τὴν πρῶτον γένεσιν καὶ κίνησιν τῶν τε ὄντων, *animam idem eſſe, ac primam generationem, & motum rerum quæ ſunt.* &c. Alterum ex *Phædro*, ubi anima, τοῖς ἄλλοις, ὅσα κινεῖται, πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως, *omnium, quæ moventur fons & principium motus* dicitur. Quibus concinit CICERO, [b] qui *hunc*, ait, *motum Plato in ſolis animis eſſe ponit, ab hisque principium motus eſſe dictum putat.* Et certiſſima hæc quoque ſunt, ſed ad rem, noſtro quidem judicio, non faciunt. Priori eum in loco loquitur Plato non de confuſione & inordinato materiæ motu, vel agitatione & jactatione potius (ſi vox motus Platonica ſignificatione tantum de motu a cauſa rationali, id eſt anima proveniente accipi debet) materiæ, ſed de motu ordinato, quem Deus animæ mundanæ, & per hanc materiæ indidit, quo motu omnia quæ generantur, fiunt, & decentiſſime componuntur. Nam expreſſis verbis eum vocat motum, quo prima generatio effecta eſt. Quod ſi de illo motu intelligendum, quo conditor res omnes apte diſpoſuit, ut generarentur, intelligi non poteſt motus, qui ante generationem materiæ præſens fuit, quique in confuſa & incerta fluctuatione magis, quam motu ordinato, conſiſtit, & hoc nomine velut indignus eſt, unde & rectiſſime Plutarchus agitationem fluctibus ſimilem nominat. Et eodem quoque ſenſu alter ex Phædro & Ciceronis quoque locus intelligendus eſt, qui uterque de motu, qui eſt cauſa exiſtentiæ rerum loquitur. Potuit itaque Plato materiæ agitationem & jactationem tribuere, licet animam ei non tribuat, cum non niſi motus ordinatus, & conſtans animis conveniat, qui intellectum cauſam habet & rationem. Talis non eſt motus ille materiæ, ex quo nunquam mundi generatio orta eſſet, niſi Deus aſſignaviſſet inordinatis, ut ait Plutarchus, intellectum, id eſt, niſi ex confuſa jactatione ordinatam conformationem motumque materiæ rationalem feciſſet. Nec fortaſſis aliud vult ratio a Plutarcho allata; materiæ quia ſine qualitate eſt, non convenire, ut motus ſui auctor ſit. Nam hæc non rite conſequuntur, quia inordinata & confuſa jactatio ſenſu Platonico qualitas non eſt, quæ in materia demum a cauſa rationali ſive intellectu divino mota & in ordinem redacta invenitur. [c] Quibus rationibus inducti eatenus deferendam putamus Plutarchi ſententiam, quatenus peculiarem quaſi naturam ex vi hac materiæ inſita exſculpit, etſi recte is ſentiat, cum, præter materiæ inertiam, Platoni quoque vim naturalem bono, ordini, rationi contrariam materiæ adfuiſſe, hincque malorum origines quærendas eſſe diſputat. Sed ſuſpicamur nos, Platonem ſeduxiſſe Plutarchum, ut quæ ille more ſuo in abſtractionis & rationis ſigno dixerat, hic phyſice intelligeret, & ſubſcribimus merito ſententiæ doctiſſimi MOSHEMII: [d] *Si de rebus ipſis conſenſio ſit, de numeris & rerum diſtinctionibus cum nemine certandum eſſe.* Ceterum qua ratio-

a) *Lib. X.*
b) *De nat. Deor. l. II. c. 12.*
c) IDEM *Qq. Acad. l. I. c. 5.*
d) *l. c. p. 233.*

ratione de origine mali moralis in anima philoſophatus ſit Plato, infra dicemus.

§. XX. Alterum ex mente Platonis principium, materiæ oppoſitum Deus eſt, de quo porro Plato ita: *Natura Dei.*

I. Præter materiam cauſa quoque eſt, quæ ex ea effecit omnia, [e] quæque fons eſt omnium rerum per ſe exiſtentium, ſpiritualium, & naturam perfectam habentium, quæ quoque cauſa eſt opifex & conditor omnium rerum. [f]

II. Opificem vero & patrem invenire difficile, & cum jam inveneris, eloqui vulgo impoſſibile. [g] Rationes hujus aſſerti ſupra, ubi de obſcuritate Platonis differuimus, jam dedimus: illis hanc adjicimus, reſpexiſſe ſimul Platonem ad plerorumque hominum ingenia ad metaphyſicas abſtractiones minus apta, & hinc varios ejusmodi conceptibus errores affingentia, qui in periculum philoſophos plus ſemel induxerunt.

III. Demonſtrari tamen evidenter poteſt, eſſe ſummam cauſam rationalem, ſive Deum; quod & univerſum rerum genus & ordo, ac humana ſpecies probat. Prolixus in utroque argumento eſt PLATO libro decimo *de legibus*, [h] & imprimis, ex elegantiſſimo univerſi ordine & progreſſione, quæ ſemper eadem eſt, & optima, concludit, neceſſarium eſſe, mundum ab optima potentiſſimaque ratione diſponi; cum vero unum ſit univerſum, conſequens eſſe, unam quoque tantum eſſe ſummam ejusmodi rationem. Reliqua argumenta veritatis hujus primariæ apud ipſum Platonem quærenda ſunt.

IV. Eſt is Deus materiæ oppoſitus, incorporalis ratio, ſola mente & intelligentia aſſequenda. Ita quidem multis locis [i] Plato de Deo, qui *intelligibile & incorporeum genus*, ut loquitur CHALCIDIVS, [k] *quod ſemper idem eſt, principaliterque ſubſiſtit, ſine ortu, ſine occaſu, minime mutabile, nullam habens cum ſenſibus ſocietatem, pura mente perceptibile, Deum ſcilicet, & cogitationes ejus intelligibiles atque incorporeas ſpecies, rebus omnibus corporeis, qualitatem & formam recipientibus, & ex materia conflatis* opponit. Etſi vero ſic ſatis pie atque ſobrie de Deo differuiſſe Plato videtur, fuerunt tamen viri docti, quibus Plato ſuſpectus fuit, quod non omnem plane de Deo extenſionem removerit, etſi in eum nihil cadere crediderit, quod corporale in ejus philoſophia vocatur. Supra enim jam monuimus, cel. GVNDLINGIVM [l] id ſibi demonſtrandum ſumſiſſe, Platonis Deum reapſe materialem eſſe & igneum, etſi a craſſiori materia maxime ſeparatum. Cui tamen prolixe & erudite contradixit cl. ZIMMERMANNVS, fuſe probans, [m] Platonem Deum cum materia prorſus non

e) *ibid.*
f) *Tim. T. III. p. 29. Phæd. T. I. p. 78.* & paſſim.
g) *Tim. l. c. Ep. VII. T. III. p. 341.*
h) *T. II. p. 886.*
i) *Timæus T. III. p. 30. ſeq. Polit. T. II. p. 174. Tim. Locr. T. III. p. 93. 94.*
k) In *Timæum Plat. c. XIII. §. 347. p. 404.* add. omnino PLVTARCHVS *de plac. philoſ. l. I. c. 7.*
l) *Gundling. P. XLIII.*
m) *Amoenit. liter. T. XII. p. 417. ſeqq.*

non confudiſſe, & maximum inter τὰ νοητὰ eorumque ſummum quaſi apicem, Deum, & τὰ αἰσθητὰ diſcrimen poſuiſſe. Idem laborioſe evincere conatur CVDWORTHVS,[n] cujus tamen argumenta id non probare, quod vult, demonſtrat præſtantiſſimus interpres; qui obſervat, probari id quidem poſſe, quod Plato DEVM a rebus omnibus ſeparaverit corporeis, & ſpatio quoque rerum corporearum exemerit; quia vero veteres & ipſe Plato, longe aliam, quam nos, incorporei, materiæ, ſimplicis, & ſimilium notiones ſibi effinxerint, noſtros conceptus illi non tribui poſſe, & eundem divinæ immaterialitatis conceptum illi adſcribi: certumque quidem eſſe, ſe Platonem ab hac craſſa, & mutabili quibus omnia corpora conſtant, natura Deum ſeparaſſe; aſt tamen ſe vix dubitare, quin eum ſubtiliſſimæ, ſimpliciſſimæ, ac individuæ cujusdam materiæ participem fecerit. Ejusmodi enim materiam divinam, individuam, immutabilem, veteres poſſibilem ſibi finxiſſe, ex Stoicorum Deo, qui ejusmodi ignis ſit, poſſe diſci, & ex anima ipſius Platonis. Nos hic certa ab incertis ſeparanda eſſe putamus, & inter illa referimus, quod Deum Plato non tantum corporibus, & quicquid corpoream qualitatem habet, & mutationi eſt obnoxium contradiſtinxerit, ſed & ipſi materiæ, ex qua omnia fiunt, ut ex Timæo eſt manifeſtiſſimum; quod porro omnia ei attributa adſcripſerit, quæ nos immaterialibus ſubſtantiis, ſenſu hodie recepto, tribuimus, quod nempe & ſimplex ſit, & loco atque ſpatio noſtro non comprehendatur, & omnis motus auctor ſit, & ſumme rationalis, ſapiens atque bonus exiſtat. Hæc enim a nemine Platonicæ theologiæ gnaro negari poſſe, putamus. Vnde conficimus, Deum non tantum ſenſu Platonico immaterialem dicendum eſſe, ſed longe abiiſſe quoque Platonem ab iis, qui eum materialem hodie quoque non ſine impietate faciunt. Incertum vero & obſcurum eſſe fatemur, an ita Dei notionem ab omni materialitatis ſubtiliſſimæ & individuæ natura ſeparaverit, ut hodie puriorem philoſophiam ſequentes ſolent. Nullibi enim paulo apertius mentem elocutus eſt ſuam Plato, ſed id impoſſibile eſſe, in Timæo candide profeſſus eſt. Suſpicione vero premitur, non tantum, quod Heracliteam philoſophandi rationem ſecutus eſt, quæ Deum ignem eſſe dixit,[o] nam hunc in materia tantum conſideranda tenuiſſe videtur, ſed potiſſimum, quod Pythagoream theologiam profeſſus eſt, in qua Deum ab omni materialitate non ſeparatum fuiſſe, etſi hi homines eadem, quæ Plato, de Deo, intelligibilibus & incorporeis, garriant, ſuo loco probabimus. Nec recentiores Platonici multum nos juvant, qui, ut redderent Platonem magis ſanum, & rectiora docentem, magnopere ejus decreta mutaverunt. Tutiſſimum itaque hac in re putamus, Platonem intra velum; quo ſe abſcondit, latentem relinquere, quam incerta certis ſubſtituere.

V. Eſt

n) *Syſt. intell. c. V. ſ. 3. §. 7. p. 1009. ſeq.*

o) IVSTINO MARTYRI *cohort. ad Græc. p. 6.* docuiſſe dicitur Plato τὸν ἀνωτάτω Θεὸν ἐν τῇ πυρώδει οὐσίᾳ εἶναι, *ſupremum Deum in ignea eſſentia eſſe.* Quæ tamen & hoc ſignificare poſſunt, ſummum Deum habitare in ſede ignea, quam fine colore, ſine tactu, ſine figura, ſine eſſentia exiſtere in *Phædro* ait.

V. Eſt vero in Deo & liberrima voluntas & provida rerum omnium cura, & potentia ſumma, qua in materiam agere eatenus poteſt, quatenus illius natura patitur.[p] Multus in his Dei attributis deſcribendis paſſim eſt Plato, unde & unanimi iſta ore veteres quoque & in his ALCINOVS, APVLEIVS, LAERTIVS, PSEVDO-ORIGENES, MAXIMVS TYRIVS, & tota Platonicorum recentiorum caterva.[q] Negandum vero non eſt, etſi ſplendide de Deo differat Plato, magnam tamen ex ſemel admiſſa de duplici principio hypotheſi feciſſe divinæ perfectioni injuriam. Nam ſupra jam vidimus, non eousque penetraſſe divinam potentiam, ut refractariam naturæ vim geniumque quaſi rebellem reprimeret totam, ſed feciſſe κατὰ δύναμιν, quantum viribus ſuis in materiam liceret. Vnde non injuſta premit Platonem ſuſpicio, talem ejus de Dei natura inſediſſe notionem, quæ ab omni erroris labe purgari non queat, cum ea talis juxta Platonem ſit, quæ non omnia in materiam poteſt, ut ex quovis ligno artifici non fit Mercurius.[r]

VI. Deus ille bonus erat, bonus autem nulla unquam aliqua invidia tangitur. Ergo cum livor ab eo alieniſſimus eſſet, omnia ſibi, quantum fieri poterat, ſimillima fieri voluit, cum itaque vellet bona omnia fore, nihil autem, quoad natura pateretur, malum, quicquid erat, quod in cernendi ſenſum cadere poſſet, aſſumſit, non tranquillum & quietum, ſed temere agitatum & fluitans, idque ex inordinata jactatione redegit in ordinem. Hoc enim judicabat eſſe præſtantius.[s]

§. XXI. VII. Vt vero rationali modo pulcherrimum Deus mundum conderet, æternum exemplar ſecutus eſt, quod ratione ſola & ſapientia ſola comprehendi poteſt, & immutabile permanet. Ita quidem expreſſis verbis PLATO,[t] qui hoc primarium theologiæ & phyſiologiæ dogma ubique fere inculcavit: more tamen ſuo ita obſcure de hoc tertio condendi mundi principio differuit, ut in varias iterum opiniones ejus ſequaces atque interpretes deſcenderint. Præcipue vero multum hæc Platonis doctrina, de æterna ratione, qua DEVS mundum condidit alterata eſt, ex quo juniores, qui Alexandriæ ſedem primariam habebant, Platonici multa de mente, altero in divinis principio, philoſophati ſunt, & ſermonis ac φιλοσοφεμένων rationem ita inſtituerunt, ut Chriſtianis, de æterno DEI verbo magnifica multa differentibus eſſent, vel viderentur propiores. Qui cum nunquam magis, ut ex diſputandis apparebit, quam in doctrina de tribus in eſſentia divina hypoſtaſibus, a Platone receſſerint, in hoc quidem argumento conſulendi non ſunt, quod eum neglexerint, & aurem iis præbuerint patulam viri doctiſſimi, CVDWORTHVS,[u] BASNAGIVS,[x] & innumeri fere alii, mi-

Cauſa exemplaris.

p) *Polit. T. II. p. 174. de legibus l. X. T. II. p. 899.* ubi providentiam Dei etiam circa minima aſſerit, conf. *Amoen. liter. T. IX. p. 852. ſeqq.*

q) Conferendus, qui pleraque loca huc pertinentia coacervavit, eruditiſſimus ZIMMERMANNVS *ll. c.*

r) Conf. quæ diximus in *Otio Vindel. Mel. II. §. 11. p. 171. ſeqq.*

s) *Timæus l. c. p. 29.*

t) *l. c.*

u) *Syſtem. intell. c. IV. §. 36. p. 638. ſeqq.*

x) *Hiſt. des Iuifs T. IV. c. 4. p. 67. ſeqq.*

rum non eſt, multum Platonis genuinam hac de re ſententiam obſcuratam eſſe. Ne itaque ad hunc lapidem incautius nos quoque offendamus, ad eos plane non attendemus, ſuo loco audiendos, ſed quantum licet, Platonem ipſum & Platonis interpretes ipſi propiores, audiemus. Vt vero accuratius de ejus mente ſtatui queat, diſtincte, quæ illi circa hoc rerum omnium principium viſa ſint, enumerabimus. Et 1. quidem certum eſt, & univerſali tum Platonicorum, tum aliorum quoque ex veteribus teſtimonio conſtat, ideam, ſive λογισμὸν Dei ideas rerumque omnium exemplaria complectentem, inter principia theologiæ ſive metaphyſicæ ſuæ, quin & inter cauſas phyſiologicas ſummas retuliſſe. Et PLATO quidem ipſe in Timæo ſatis clarus eſt. PLVTARCHVS [y] autem Platonem τρεῖς ἀρχὰς, τὸν Θεὸν, τὴν ὕλην, τὴν ἰδέαν *tria principia*, *Deum*, *materiam & ideam* poſuiſſe, diſerte teſtatur. Idem afferunt IVSTINVS MARTYR, [z] PSEVDO-ORIGENES, [a] & alii, ut Platonicos ALCINOVM, APVLEIVM & his ſimiles taceamus, laudatos MENAGIO. [b] Quod nonnullis ſcrupulum movit, cum a Laërtio aliisque audirent, duo tantum poſuiſſe Platonem principia, unde diverſa quoque vel emendandi vel conciliandi hæc inter ſe via inita eſt, de quo cum alio loco, ſatis quantum eſt, diſſeruerimus, [c] hic, ne nimii ſimus, nihil, præter iſtud, addimus; duo ſtatuiſſe principia Platonem reſpectu ad primam rerum omnium originem habito, ubi non aliud erat præter Deum & materiam: tria vero aſſeruiſſe, uti cauſam ſimul exemplarem & inſtrumentalem conſiderabat; nam duo illa abſoluta ſunt, ut vidimus, tertium a cauſa efficienti dependet. Quo ſenſu jam SENECA [d] dixit: *exemplar non eſſe cauſam, ſed inſtrumentum cauſæ neceſſarium.* 2. Hanc rationem vel ideam, utroque enim nomine vocavit, cujus cauſam poſtea enarrabimus, ad Deum Plato retulit, & ita ex Deo derivavit; Vocat [e] enim hunc intellectum divinum, λογισμὸν τοῦ Θεοῦ ἀεὶ ὄντως, *revera ſemper exiſtentem rationem Dei;* & in Epinomide, [f] λόγον τῶν πάντων θειότατον, ὃς ἔταξε τὸν κόσμον, *rationem omnium diviniſſimam, mundum perficientem.* Hanc rationem recentiores Platonici mentem nominant, quam appellationem tamen eo ſenſu, quo ipſi adhibent, ut alterum principium in divinis, quod ex Deo emanavit, deſcriberent, fruſtra in Platone requiras, Etſi enim teſtatur LAERTIVS; [g] θεὸν νῶν προσαγορεύει καὶ αἴτιον, *deum mentem vocat atque cauſam*, & ipſe PLATO in *Philebo* [h] aliquoties mentem divinam nominet, apparet tamen ex hoc dialogo ſatis evidenter, illum iſto quidem loco non de peculiari principio, ſed de ipſo Deo ſapienter & cum ratione mundum diſponente locutum eſſe. Ait enim: *Eſt cauſa minime mala coordinans annos & horas, & menſes, ſapientia & mens juſtiſſimo nomine appellata;* & paulo poſt: *Ergo in Iovis ipſius natura regiam ani-*

y) *De placit. philoſ. l. I. c. 10.*
z) *Cohort. ad Græc. p. 7.*
a) *Philoſophum. c. XIX. p. 108.*
b) *Ad* LAERT. *l. III. ſ. 69.*
c) *Hiſt. de ideis Sect. I. §. 5. p. 55. ſeqq.*
d) *Ep. 65.*
e) In *Timæo l. c.*
f) *T. II. p. 986.*
g) *l. III. ſ. 69.*
h) *T. II. p. 30. ſeqq.*

animam, regiamque mentem ineſſe propter vim cauſæ, confiteberis. Hinc 3. non levis controverſia oritur, an hanc rationem DEI, in qua rerum omnium exemplaria eſſe Plato ſtatuit, ut habet in *Timæo*, a Deo ita ſeparaverit, ut peculiare principium, quod propriam ὑπόςασιν habeat, conſtituat, quemadmodum Deus & materia per ſe ſubſiſtunt: an in ſigno tantum rationis, & per abſtractionem ſeorſim hunc Dei intellectum atque rationem conſideraverit, re ipſa eam in Deo collocans? Prius omnes ſequuntur, qui Platonicos recentiores non abiiſſe a ſincera Platonis ſententia contendunt. Illi enim *hanc Dei mentem, per ſe ſubſiſtentem, in qua vere ſunt, quæ ſunt, ſubſtantiam eſſe, quæ prima pulchra ſit & per ſe pulchra; eamque ante ſecula ab auctore Deo emicantem, per ſe genitam & ſibi ipſi parentem fuiſſe, & procedentem ex Deo natam*, aſſerebant, ut hæc docet Porphyrius apud CYRILLVM,[i] & PLOTINVS,[k] magna ſubtilitate demonſtrare conatus eſt. Immo & ipſe celeberrimus CLERICVS,[l] qui Platonicis recentioribus exiguum alias in Platone interpretando pretium ſtatuit, his ſe partibus, licet aliis rationibus ductus, jungit. Aliter tamen SOVVERAINIVS,[m] notiſſimus famoſi libri, qui *Platoniſmus detectus* inſcribitur, architectus, qui trinitatem illam Platonicam in Platone extare negans, quicquid de tribus principiis in natura Dei dicatur, ad ſola Dei attributa pertinere, quæ in Deo, cauſa mundi, qui ejus filius ſit, reſideant, ſapientiam, potentiam & bonitatem, contendit, quæque Plato aliter dixiſſe viſus eſt, ideo ab eo ita pronuntiata exiſtimat, ut noninitiatis πολυθεότητα fovere, & a recepta de divinis doctrina non abire videretur. Quæ quo potiſſimum fine diſputet, ſatis notum eſt, nec ad noſtrum argumentum pertinet. Alios, qui in ſigno tantum rationis, hanc rationem a DEO ſeparaviſſe Platonem contendunt, licet aliis argumentis uſos, hic non citamus.[n] Et difficile quoque eſt, de veritate inter utramque partem ſtatuere; etſi facile eſſe putemus, ad Souverænii rationes reſpondere, quæ rem non conficiunt. Nam ita obſcurus eſt Plato, & tam ambigue loquitur, ut facile in eam deſcendamus ſententiam, ipſum ſibi hic, ut ſæpius, non conſtitiſſe. In *Philebo* enim tam aperte mentem attributum Dei facit, ut laterem lavare videantur, qui νῶν βασιλέα ἐρανῦ καὶ γῆς, *regem cœli & terræ*, quod ibi dicit, peculiarem perſonam ſive hypoſtaſin induci a Platone contendunt. Aliis vero in locis ita de idea, ſive λόγῳ loquitur, ut perſonam non intellexiſſe, vix concipi queat. Præter multa loca ab aliis producta unum afferimus, ſatis, luculentum, qui circa initia *libri VII. de republica* occurrit. Ibi enim cum elegantiſſimam ſimilitudinem de ſpecu, ubi umbratiles ideæ videntur, expoſuiſſet, addit: *Arbitror in ordine ipſo intelligibili, boni ipſius ideam ſupremam exiſtere, vixque videri: ſi autem viſa fuerit, aſſerendum, eam omnibus omnium rectorum atque bonorum cauſam eſſe, cum ipſa in loco viſibili lumen creaverit, & luminis auctorem in ipſo vero intelligibili regnet ipſa, veritatemque &*

i) *Contra Iulian. l. I. p. 32.*
k) *Ennead. V. l. I. c. 6. p. 487.*
l) *Epiſt. critic. VII. p. 197. ſqq.*
m) *P. I. c. 7. p. 63.*
n) Conf. MOSHEM. *ad* CVDWORTH. *loc. cit.*

mentem protulerit. Vides hic mundum ſenſibilem & intelligibilem ſibi opponi, & utrumque a ſumma cauſa derivari, quam omnium bonorum auctorem exiſtimat, quod in mundo viſibili non lumen tantum, ſed & ejus auctorem ſolem, condidit, in mundo vero intelligibili non tantum veritatis ex ſe auctor eſt, ſed & cauſam ejus mentem, tanquam ſolem intelligibilem protulit. Vbi aperte, ratio ſive veritas, & mens ejus auctor inter ſe diſtinguuntur, & ei, ut ſoli, in mundo ſenſibili peculiaris exiſtentia adſcribitur. Alia loca non minus clara jam præterimus. Quæ ſi accurate perpendantur, prona via in hanc nos deducunt ſententiam, nihil de Platonis hac in re mente dici poſſe, quia vel ipſe ſe non ſatis intellexerit, ſibique conſtiterit, vel intelligi ab aliis noluerit. 4. Vt vero conjecturas quoque noſtras afferamus, quidque nobis veriſimile fiat, modeſte indicemus, non negamus, eam nobis arridere ſententiam, quæ ſtatuit, mentem Platonis peculiarem aliquam ſubſtantiam ex eſſentia Dei promanantem & generatam apud eum eſſe. Cujus rei argumenta quibus ad eam amplectendam ducimur, hæc potiſſimum ſunt. α) Plato ideam, mentem, rationem inter ſumma principia retulit, & non tantum a materia formaliter diſtinxit, ſed & a cauſa efficiente, ita ut eam peculiariter in exiſtentiam & formam rerum omnium influere credat, etſi exiſtentiam a Deo habeat, in quo eſt. Principiorum vero naturam eſſe, ut non ſint tantum, ſed & per ſe exiſtant, modo licet, naturæ ſuæ convenienti, multoties declaravit. β) Ipſa quoque λογισμῷ θειοτάτῳ, quem Plato aſſerit, natura, id evincere videtur; in ea enim omnes rerum omnium eſſentiæ & intelligibiles formæ, uti poſtea videbimus, continentur, quæ in ipſa hac ratione ſive idea Dei, eſſentiam propriam & exiſtentiam quoque per ſe habent, & idem ſunt ac immutabiliter permanent, uti poſtea dicemus, oſtenſuri, eas Platonem a ſummo DEO ſeparaviſſe. Harum idearum, quod proprium ipſorum nomen eſt, regionem quaſi conſtituit Plato mentem ſive rationem DEI, non tantum, quatenus objectum intellectus divini ſunt, ut Platonicis recentioribus, Platonem comtius ornantibus, placuit, ſed quatenus per ſe exiſtunt, & exiſtentiæ cauſam formamque eſſentiæ rebus ſenſibilibus conferunt. Tales cum ſint in iſta idea, qui poteſt ea diverſæ & deterioris naturæ eſſe? γ) Attendendum quoque in hac quæſtione conſideranda putamus ad fontes, unde Plato phyſiologiam & metaphyſicam ſuam hauſit. Supra enim evicimus, materiam tranſſumſiſſe ab Heraclito, idearum, rerumque omnium divinarum rationes a Pythagoricis, hasque ita illi oppoſuiſſe, ut cum materiam in perpetuo fluxu eſſe ſtatueret, principium ei præficeret, non rationale tantum & efficiens, quod inordinate jactatam materiam in ordinem redigeret, ſed & exemplare, quod ex ſua natura immutabili & per ſe exiſtente, rebus fluxis & mutabilibus conſtantem formam, naturam & eſſentiam largiretur, ut in *Timæo* aperte docuit. Ex quibus naturali nexu ſequitur, ipſum hoc principium exemplare, eſſentiam per ſe ſubſiſtentem & peculiarem, habere debuiſſe. Ita enim Pythagoreos docuiſſe, luculentus teſtis TIMAEVS LOCRVS [o] eſt, qui ſta-

o) *Opuſc. Mythol.* GALEI *p.* 544.

tuit,

tuit, ἰδέαν ἀγένατόν τε καὶ ἀκίνατον, καὶ μένον τε, καὶ ταῖς ταυτῶ Φύσιον, νοατόν τε καὶ παράδειγμα τῶν γεινομένων, ὁ κόσα ἐν μεταβολᾶ ἐντί, τοιᾶτον γὰρ τι τὰν ἰδέαν λέγεσθαί τε καὶ νοεῖσθαι, *esse quiddam ingenitum, & immobile, & manens, & ejusdem naturæ, ac intelligibile exemplar, genitorum omnium, quæ in mutatione sunt, tale enim quidpiam ideam dici & intellectu concipi.* p) Nec quæ in reliquis tum metaphysicæ tum physiologicæ capitibus docuit Plato, aliam videntur explicationem pati. Nam non solum Deum ipsum, sibi quasi relictum & in infinito divinitatis profundo demersum Plato statuit, qui ut materiam ordinaret, ministro & instrumento opus haberet, sed & tertium principium, quod ad rerum generationem requirit, animam mundanam, non in abstractione sola, sed re ipsa exstantem asseruit, unde nec, alterum principium ab hac αὐτοσοίᾳ καὶ ὑποστάσει, ut cum sequioribus Platonicis loquamur, excludi posse videtur. Quæ quoque in ascensu redituque animæ ad ipsam substantialem veritatem initio *libri septimi de rep.* commentatur, eo tendunt omnia, non ut ad ipsum Deitatis fontem, sed ut ad ideam primam, omnes ideas & essentiales formas in se continentem animus assurgat, id quod de re, in sola animi notione exstante intelligi nequit. Neque ε) hæc a Platonici systematis natura & indole aliena sunt, quod emanationem rerum sive entium spiritualium ex summo DEO mediante idea sive mente, tanquam canali, asserit, & ideas, Deos, dæmonas, quæ peculiaria & immutabiliter per se existentia entia Platoni sunt, in hac mente tanquam regione idearum comprehensa affirmat: quæ vero emanatio, non nudas notiones & abstractiones, sed entia realiter existentia, sive ut Platonice loquamur, ὄντως ὄντα supponit. Nec hæc ζ) a Platonis quoque ingenio aliena sunt, quod ut erat enthusiasticum, ita ad largiendam principiis metaphysicis existentiam physicam erat proniissimum, id quod totum ejus systema loquitur. Hæ rationes, si non sufficiunt ad hanc, quam affirmant, opinionem, firmandam, evincunt tamen, meliora & certiora non habere contra sentientes, nec certi quid de Platonis hac in re mente statui posse.

§. XXII. IIX. Hoc vero exemplar rerum æternum, hæcque ratio & mens divina, omnia rerum exemplaria in se continet, quæ æterna sunt, & per se, ac vere talia, & naturam in se habent persistentem, quibus rebus fluxis & mutabilibus essentiæ imprimuntur. Decantatissima hæc Platonis de ideis doctrina est, quæ recte, monente Attico apud EVSEBIVM q) caput & cardinem philosophiæ Platonicæ constituit: sine quibus non metaphysica tantum & theologia Platonis, sed & naturalis & moralis philosophia consistere non potest. Adeo vero prolixum hoc Platonis dogma est, ut summa tantum philosophiæ veteris capita delibantibus totum enarrare sit impossibile. Præstitimus quoque singulari tractatione hanc operam, & *historiam de ideis* r) prolixe enarravimus, quam adire oportet eos, qui hæc accurate nosse *Natura idearum.*

p) Conf. CLERICVS *l. c.* qui eodem quoque argumento utitur.

q) *l. XV. c. 13. p. 815.*

r) Editam *Augustæ Vindel. 1723. 8.* cujus compendium enarrarunt *Act. Erud. Lat. 1723. Sept. p. 392. seqq. Act. Erud. Germ. P. XCVI. p. 870. seqq. Bibl. Germanique T. VIII. p. 218. seqq. T. IX. p. 69. seqq.* Supplementa vero dedimus *T. VIII. Amœn. lit.*

noſſe cupiunt. Nos inſtituti memores potiora tantum ſummatim carpemus, ea adjecturi, quæ illo loco nondum dicta ſunt.

I. Occaſionem vero introducendi ideas Platoni exhibuit Heracliteum de materia dogma, quo juvenis imbutus erat: teſte enim ARISTOTELE,[s] *a juvene cum Cratylo Heracliteo converſatus Plato, & ejusmodi doctrinis innutritus, omnia ſenſibilia ſemper fluere, neque dari ſcientiam de iis, neceſſe eſſe concludebat, ſi ſcientia alicujus rei ſit, ut aliæ quoque exiſterent naturæ permanentes, præter ſenſibiles; non enim dari fluentium ſcientiam.* Hinc, ut rerum ipſarum eſſentias, quas in fluxa & ſemper mutabili materia, quæ quovis momento alteratur, non deprehendi putabat, declararet, ad entia ejusmodi divina, ſpiritualia, immutabilia & per ſe ſubſiſtentia, quæ ſola mente cerni poſſent, ac intelligibilia ſint, delapſus eſt, easque primus, ut ait ARISTOTELES,[t] ideas vocavit. Neque tamen rem ipſam ſuo ingenio debuit, uti nomen, ſed a Pythagoreis, quorum metaphyſicam & theologiam didicerat, accepit, in quorum ſchola nihil celebrius fuit illis entibus vere & per ſe talibus. Ea entia numeros vocaviſſe Pythagoram, ſuo tempore demonſtrabimus: [u] & ab his numeris ideas ſuas mutuum accepit Plato: id quod recte viri in veterum doctrinis pernoſcendis acutiſſimi monuerunt, & nos alio loco *peculiari diſſertatione* demonſtratum dedimus. [x] Conferenti enim numeros Pythagoricos cum ideis Platonicis, planum erit, utrumque dogma inter ſe amice conſpirare. Eodem enim fundamento inædificatum, nempe emanationi rerum ſpiritualium ex Deo; eadem numerorum, quæ idearum, definitio, numeri diſtincti & ordines eorum numerati, ut idearum; ideæ ex mente divina derivatæ ut numeri; eadem numeris, quæ ideis aſſerta dignitas, numeris circa animam hominis idem locus, eadem dignitas, idem officium aſſignatum; objectum utrumque philoſophiæ, & numeri & ideæ; finis idem, per numeros, ut per ideas Deo fieri ſimilem, & ad intuitivam ejus cognitionem aſcendere. Quæ omnia non rationibus tantum ex Pythagorica & Platonica diſciplina petitis, ſed & luculentis veterum teſtimoniis confecimus, quæ hic, cum prolixiora ſint, repetere & exponere non licet. Quæ tamen opinio non arriſit acutiſſimo MOSHEMIO [y] qui modeſte, ut ſolet, ſibi videri multum intereſſe inter rerum notiones ſeu ideas, & inter numeros profeſſus eſt, neque enim ſatis perſpicue ſe intelligere convenientiam utrorumque. Id quod noſtræ potius obſcuritati & tractationi imperfectæ, ut in recondito ejusmodi argumento fieri ſolet, & a noſtri ingenii paupertate alienum non eſt, quam ſummo, quo is pollet ingenii acumini, vel rei ipſi adſcribendum eſſe putamus. Et fortaſſe, ut ex alio loco, ubi de numeris Pythagoræ doctiſſime vir

s) Metaphyſ. l. I. c. 6. l. XIII. c. 4. Hiſt. de ideis Sect. I. §. 2. p. 15. ſeqq.

t) l. c. AVGVSTIN. *Oct. tr. Qq. XLVI. T. III. p. 388.*

u) Nominavimus *δμοψύφες l. citando p. 184. ſqq.* Cudworthum, Morhofium, Wolfium, Claubergium, Burnetium, Calannam.

x) Diſſ. *de convenientia numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis Amœn. lit. T. VII. art. 7. p. 173. ſeqq.*

y) Ad CVDWORTHVM *p. 466. n. 7.*

vir incomparabilis disputat, colligere licet, aliud per numeros & ideas intellexit, quam nos intelligimus, & Pythagoram atque Platonem intellexisse credimus. Ideæ enim nobis non sunt animi notiones, vel ἔιδη, sed æterna rerum omnium exemplaria, & substantiæ per se subsistentes, quæ ideæ vocantur, non ideo, quod tantum in nostra mente existunt, sed illam potius ob causam, quod sola mente cerni atque intelligi possunt. Quam ideæ definitionem ipsum Platonem secutum fuisse, vel solus ejus *Parmenides*, ubi prolixe de ideis disputat, demonstrat. Numeros vero Pythagoræ non rationes arithmeticas esse, sed æterna & essentialia rerum omnium principia causasque exemplares, IAMBLICHVS singulari libro [z] probavit: quæ cum amice conspirent cum ideis Platonis, causam non videmus, cur Plato, qui metaphysicam Pythagoræ suam fecit, hanc doctrinam ex schola Pythagorica accepisse dici nequeat. Nec aliud ARISTOTELES [a] velle videtur, quando Platonem coluisse ait, φιλοσοφίαν τὰ πολλὰ τοῖς Πυθαγορείοις ἀνακολουθεῖσαν, *philosophiam in multis Pythagoreos sequentem.* II. Sunt vero ideæ juxta Platonem æterna rerum sensibilium exemplaria & formæ, quæ propria substantia gaudent, & ratione atque intelligentia continentur. Ita & PLATO ipse, qui in *Timæo* [b] æternas vocat, & κατὰ ταυτὰ καὶ ὡσαύτως ἐχόσας, *eodem se semper modo & similiter se habentes; speciesque, quæ semper eædem sunt, sine ortu atque interitu, quæ nec accipiunt quidpiam aliunde, nec ipsæ proceduntad aliud quidpiam, sensuque corporis nullo percipiuntur, & ad solam intelligentiam pertinent*, & alibi, [c] hanc earum definitionem affert: ἐστὶ γένος τὶ ἑκάστου, καὶ οὐσία αὐτὴ καθ' αὑτήν, *est genus rei uniuscujusque, & essentia ipsa ex se ipsa.* Ciceronis, Alcinoi & Laërtii loca alibi [d] adduximus, quibus ex Platonicis multa addi possunt, ubique enim hæc doctrina in eorum scholis personat: quam tamen Alexandrini Platonici, ut alia multa, depravarunt, ut ex iis videre est, quæ de iyngibus, sive ideis in oraculis Zoroastri suppositis dicuntur. III. Hæ ideæ & exemplaria rerum a Deo ex se producta sunt, cum rationem Deus ex se educeret, inque hac mente sua ideæ illæ, sive entia intelligibilia existerent. Hic iterum obscurus est Plato, interdum enim ita de ideis locutus est, ac si divini essent intellectus notiones & conceptus de rerum essentiis, quos Deus respexit, cum mundum condere vellet; plerumque vero eas describit tanquam entia sua quidem peculiari substantia gaudentia, in regione tamen idearum, sive λόγῳ Dei comprehensa. Quam tamen inconstantiam non in hac sola re, [e] sed & alibi sæpius prodidit. Quod si vero nexus totius systematis metaphysici Platonis & definitiones idearum a Platone allatæ considerentur, recte eas a Deo separatas credidisse statuendum est, nec audiendi sunt Platonici juniores, qui etiam in hoc Platonem emendaverunt, ut ideas a summo Deo, vel mente potius realiter non differre, sed in

z) Introd. in *Nicomachi Arithmeticam*, quam edidit SAMVEL TENNVLIVS.
a) *Metaphys. l. I. c. 6.*
b) *T. III. p. 28.*
c) In *Parmenide T. III. p. 135.*
d) *Histor. de ideis sect. I. §. IV. p. 39.*
e) Noravit ideo Platonem CYRILLVS ALEX. *contr. Iul. l. II. p. 66.* conf. *Hist. de id. l. c. p. 32.*

in eo non radicaliter tantum (nam hoc neque Plato negavit) ſed formaliter quoque comprehendi aſſererent: id quod poſtea interpretes Platonis in diverſam ſententiam traxit, qua de re cum alio loco [f] prolixe ſatis egerimus, hic copioſius differere non vacat. Id nos hoc loco paucis monemus, eos, qui ideas ſubſtantia ſua ab intellectu divino ſeparatas conſtituiſſe Platonem aſſerunt, & ARISTOTELEM [ff] teſtem habere, & ejus ſequaces plerosque; & definitionem idearum a ſua parte. Eas enim Plato non æterna tantum rerum exempla & notiones in intellectu divino eſſe voluit, ſed & ſubſtantias ἰδέας αὐτὰς καθ' αὑτάς, *ex ſe & per ſe ipſas*, quæ eſſentiam rebus fluxis largirentur, poſtquam ſemel ab intellectu divino, in quo radices quaſi ſuas agnoſcunt, & fundamentum, ab æterno emanarunt. Niſi enim hoc ſtatuamus, comprehendi non poteſt, qui Plato ſibi animo conceperit, non imaginem tantum vel notionem univerſalem equi, ſed & eſſentiam atque formam equi, in Deo eſſe. [g] Intercedit vero & hic eruditiſſimus MOSHEMIVS, [h] & ingenioſe contra hanc ſententiam diſputat. Contendit is, non auctoritatibus plerumque fallentibus, ſed rationibus ex ſyſtemate petitis pugnandum & judicandum eſſe; non eſſe ſententiam tam abſurdam viro a judicio & ingenio non deſtituto facile imputandam; non intelligi poſſe ideam v. g. equi, univerſalem exiſtentem, notionem vero equi claram eſſe; nec poſtulare nexum ſyſtematis Platonici ejusmodi ideas a Dei intellectu ſeparatas, in quo ideo tantum ideæ intellectus divini objectum, ut exemplar fabri, conſtituantur a Platone, ut eos profligaret, qui aut mundum ipſum Deum eſſe, aut caſu & temere naturam rerum concreviſſe doceret, quæ vero contrario ſenſu ab eo dicta videantur, poëtico & figurato dicendi generi adſcribenda eſſe. Quæ etſi magnam pro ſe ſpeciem habent, liceat tamen pace Viri ſummi, cujus ingenio & eruditioni merito aſſurgimus, paucis ea exponere, quæ nos impediunt, quo minus Ariſtotelicam de ideis Platonicis opinionem deſeramus. Dabimus, non tam auctoritatibus hic ſtandum eſſe, quam rationibus, licet & hoc in obſcuro argumento philoſophi, qui data opera intelligi noluit periculoſum ſit, cum pluribus exemplis conſtet, ratiocinando in varias interpretationes & ſignificationes tandem totum Platonis ſyſtema phyſiologicum abiiſſe: Ariſtoteles vero, qui præceptorem oppugnandum ſumſit, plenius ac nos ejus mentem intelligere potuerit. Sed rationibus Platonicis nixi de hac re diſpiciemus. Eas vero poſtulare credimus, ut ab intellectu divino Plato ideas ſepararet. Non enim ille ſolus philoſophi ſcopus fuit, quem affert vir longe præſtantiſſimus; ut impietati eorum ſe opponeret, qui Deum e mundi fabrica excludebant, ſed potiſſimum, docente ARISTOTELE, ut ſcientiæ locum faceret, cum ex ſchola Heracliti retinuiſſet, materialia omnia incerta, fluxa & in momenta mutabilia eſſe. Vt itaque ſcientiæ locus eſſet, addu-

f) *l. c. p. 60. ſeqq.*

ff) Vide loca adducta *l. c. p. 66.*

g) Accedit quod appoſite ad rem monet IAC. THOMAS. *Orat. XIII. p. 299.* quæ eſt de ideis Platonis, timuiſſe Platonem in Deo ideas multiformes ponere, quia Deus ſimplex eſt, nec multitudo in eo locum habet vel aliquid coagmentatum.

h) *l. c. p. 662.*

i) *Metaphyſ. l. XIII. c. 4.*

adducenda erant ſubjecta æterna, immutabilia, univerſalia, quorum quodlibet ſui generis univerſalem quandam naturam in ſe contineret, eamque materiæ imprimeret, ut ita ex illa fieret, quod demiurgus intenderat. Ponamus jam, per ideas tantum æterni intellectus divini notiones intellexiſſe Platonem, qua ratione conſtabit phyſiologiæ Platonicæ ſua veritas, eſſentiam & formam habere res creatas ab iſtis ideis? Nam ſi hoc ita eſſet, Deus ipſe, ejusque eſſentia eſſet eſſentia equi, arboris, hominis, verbo, rerum omnium, a qua impietate tamen Platonem tota ſyſtematis ejus conſtitutio liberat, quicquid contra dicant, qui teſtimoniis fide dignis deſtituti in Spinozæ caſtris militaſſe Platonem aſſerunt. Hoc ut evidens nobis & Platonicæ phyſiologiæ conſentaneum videtur, ita, non quidem verum, non tamen tam abſurdum eſt, quam eruditiſſimo viro videtur: quæ enim in equo, arbore, homine &c. ſingularia ſunt ex materiæ modificatione orta, Plato ideis non adſcripſit, ſed tantum intelligibile aliquid, exiſtens per ſe, & quoad noſtrum concipiendi modum abſtractum a rerum ſenſibilium circumſtantiis per ideas intellexit, quod illi, tanquam τερετίσματα & nugas, cum Ariſtotele & Diogene riſerunt, qui qualitates corporeas vel materiales in abſtracto v. g. equeitatem, arboreitatem, eum intellexiſſe putarunt, [k] qua in re Platoni injuriam fieri nulli dubitamus. Non negamus, eſſe in hac quoque opinione ἀσύςατον aliquod, ſed id tam abſurdum & ridiculum eſſe, ut ejus generis philoſopho, qualis Plato fuit, imaginationis fœcunditate, quam judicio valentior, tribui nequeat, non videmus. Quod vero objicitur, ideam animi notionem, non rem per ſe exiſtentem, ſignificare, id aut ſcopum plane non ferit, aut falſum eſt. Supra enim ipſa Platonis verba attulimus, quibus ideam rem per ſe exiſtentem definivit, nec confundendæ ſunt τὰ εἴδη ſive notiones animæ logicæ, cum ideis phyſicis. Nec negamus, fuiſſe has ideas objectum demiurgi, ſive rationis divinæ mundum condentis, uti ipſe PLATO *libro ſexto de republica*, & in *Timæo* fuſe docuit, & exemplum fabri ideam ædificii ſibi formantis illuſtrationis cauſa addidit: ſed hoc nihil impedit, quo minus ideæ poſſint ſeparata ab intellectu divino exiſtentia exiſtere. Nam quia dependent, quoad emanationis principium, ab intellectu divino, ideo tamen cum eo arctiſſime connectuntur, & unum cum eo ſunt, id quod magna diligentia in *Parmenide* demonſtrare philoſophus ſategit; adeoque etiam ejus objectum eſſe poſſunt. Simile vero a fabro deſumtum hanc potius opinionem confirmat, quam deſtruit. Exempla enim & archetypi, quos architecti ſibi formant, non in ſolis animi notionibus & imaginibus ſubſiſtunt, ſed in charta delineantur, v. g. ædium exemplum, vel ædicula conſtruitur, juxta quam ædes formentur. Hæc ſi ſua conſtant veritate, reliqua, quæ generali tantum argumento diſputantur, noſtræ opinioni non officiunt. Quam pluribus roborare locus quidem non patitur; addendum tamen unum eſt, quod ipſa celeberrimi Cudworthiani interpretis eruditio ſubminiſtrat. Obſervat is [l] acutiſſime &

k) *Hiſt. de ideis l. c. p. 69. 130.* LAERT. *l. III. ſ. 53.*

l) *l. c. p. 671. 672.*

eleganter: „Platonem ſtatuere in Timæo: ſimulacrum Deorum æterno-„rum vivere & moveri; hocque ſimulacrum mundum eſſe, rectiſſime con-„tra Chalcidium, animam mundi intelligentem, tuetur. Addit poſtea con-„tra Cudworthum, per æternos hos Deos tres in divinis hypoſtaſes indicari „contendentem, æternos illos Deos nihil aliud eſſe, quam æterna rerum „omnium exempla & ſpecies, quarum ad normam mundum hunc a ſupre-„mo numine comparatum eſſe Plato cenſuerit. Id ex eo probat, (liceat „& hoc addere, cum doctrinam de ideis mirifice illuſtret) quod Plato & „mundum totum, & illuſtriores ejus partes Deos vocaverit, cui mundo „cum mundus intelligibilis reſpondeat, neceſſe ſit, ut & hic & ejus partes „ex quibus conſtent Dii ſint. Feciſſe itaque Platonem æternas neſcio quas „ſpecies Deorum, ad quorum imaginem mundus conditus ſit, & hos eſſe „æternos & intelligibiles Deos, in Timæo & ſchola Platonicorum celeber-„rimos.„ Rectiſſime hæc omnia dici & menti Platonis conformiter, nemo negabit, qui Platonem legit. Si vero ideæ Dii ſunt æterni, neceſſario a ſummo Deo ejusque intellectu differunt, & quod Dii ſunt, per ſe exiſtunt, licet in eo, tanquam in emanationis ſpiritualis fonte exiſtant. Nec hi Dii alii ſunt, quam quibus rerum ſenſibilium formationem Deum reliquiſſe Plato ſtatuit, de quo poſtea dicemus. Ceterum & hoc abſurdum ſatis eſt, v.g. equorum ideam, ſive ſpeciem univerſalem, vel eſſentiam ex qua omnes equi participant eſſe Deum quendam, manifeſto exemplo, ridiculam aliquam opinionem Platoni placere & tribui quoque poſſe; quanquam adeo ἀσύσατον, ſi ſemel emanationem omnium entium realium & ſpiritualium ex Deo admittas, non ſit, eſſentiale omnium equorum a ſubſtantia ſpirituali aliqua ortum ac naturam habere. Sed fortaſſe majorem obſcuriſſimæ & ineptæ idearum hypotheſi lucem accendimus, quam in ipſa Platonis mente, ad abſurda omnia, quæ inde emergebant, uti videtur, non attendenti habuit, unde nihil amplius addimus, [n] ſed porro notamus: IV. Ideas Platoni conſtituta eſſe objecta ſcientiæ, circa quæ verſatur, id quod ſupra jam indicavimus, & ipſe multoties in dialogis ſuis inculcavit. Rationem in antecedentibus jam expoſuimus, quia eas ſolas veram rerum naturam pandere, & genuina veritatis luce colluſtrare homines putat, id quod elegantiſſima imagine hominis in ſpecu devincti, & umbratiles tantum imagines videntis, ſoluti vero poſtea & per varios gradus ad intuendas res ipſas, tandemque ad aſpiciendos ſolaris luminis radios gradientis atque aſcendentis illuſtrat, [o] qui locus ab iis maxime legendus eſt, qui idearum doctrinam in ſe obſcuram & difficilem clarius cognoſcere cupiunt. V. Patet vero ex eadem imagine, totam Platonis non phyſiologiam tantum,

m) Noſter hic eſt BASNAG. *Hiſt. Iud. T. IV. c. 4. §. 7. p. 56.*

n) Ait etiam celeberrimus vir *l. c. p. 695.* Si ex Timæo pateat, Platonem has æternas ſpecies ſeu ideas aperte ſejunxiſſe ab opifice mundi, conſtare tum etiam, opificem hunc non eſſe totam divinitatem tribus perſonis conſiſtentem, quod CVDWORTHVS *h. l.* aſſerit. Iſtud autem tam perſpicuum eſſe ex *Timæo*, ut nihil magis. Id quod ex ipſo Timæo, cujus verba CICERO quoque expreſſit, probat. Nec negat magnam Platonicorum partem ab ea opinione differre, quæ nihil ſeparatum hic ſtatuit.

o) Initio l. VII. de repub. T. II. p. 515.

tum, ſed & ethicam ad idearum notitiam redire. Comparat enim animum cum homine captivo, corpus cum carcere, ex quo ille liberandus, & ab imaginibus umbratilibus gradibus variis ad reminiſcentiam eorum, quæ ante deſcenſum in corpus noverat, & intuitionem entium vere talium, perducendus eſt, quod cum alibi [p] prolixe explicuerimus, ſicco jam præterimus pede, id unum ex ALCINOO [q] adjicientes, ideam, prout varias relationes habet, variis quoque nominibus apud Platonem inſigniri: eſt enim, quoad Deum νόησις ſive intellectio, quoad nos, primum intelligibile, quoad materiam, μέτρον, (formam recte dixeris, ſive modum eſſentialem, quo fluxa materia terminatur, ut certum aliquod ſubjectum exhibeat) quoad mundum hunc ſenſibilem, exemplar, quoad ſe ipſam vero eſſentia. Quæ ubi in Platonis ſcriptis non diligenter obſervantur, magnam caliginem & errores quoque non paucos in doctrina de ideis pariunt. VI. Ex dictis hactenus ſequitur, quicquid ideis opponitur, id eſt, materiam omnem, quodque ex materia componitur ſenſile, non ſtabile, non eſſentiale, non immutabile eſſe, ſed, cum perpetuo fluxui & mutationi obnoxium ſit, ſcientiæ objectum eſſe non poſſe, [r] nec mereri nomen entis; [s] id quod ex Pythagoreorum ſchola accepit, quibus hæc ontologia vehementer placuit. [t] Sequitur etiam ex eadem doctrina: quæcunque ſunt ſuper terram, veritatem non eſſe, ſed veritatis umbras & imitationes, & ne hæc quidem omnia, ſed pauca tantum; cætera plane mendacium & errores, & imaginationis vanas opiniones & velut ſimulacra quædam eſſe; ut recte refert STOBAEVS. [u] Ex qua brevi doctrinæ Platonicæ de ideis delineatione hominis ingenium ad enthuſiaſmum valde pronum clare patefit, qui eo usque proceſſit, ut in deligendo magiſtratu reipublicæ eos ſolos eligendos eſſe moneret, [x] qui ad hanc intuitionis philoſophicæ, & abſtractionis mentalis perfectionem pervenerunt, unde de republica ejus judicari poteſt.

§. XXIII. IX. Vt vero formandæ materiæ opus rite procederet, mundusque ex ea formatus fieret optimus, animam quoque Deus ei indidit. Hæc ut alibi, ita potiſſimum in *Timæo* afferit, animamque hanc mundanam inter principia ſecundaria mundi geniti refert. Qualis vero anima illa ſit, ſubobſcure expreſſit Plato. Ait enim dicto loco: *Ille tam generatione, quam virtute priorem antiquioremque animam corpore conſtituit, utpote quæ obedienti corpori eſſet imperatura, ex his videlicet, atque hoc pacto: Ex ea ſubſtantia, quæ individua & ſemper eadem ſimilisque eſt, & ex ea rurſus, quæ circa corpora dividua eſt, tertiam ſubſtantiæ ſpeciem commiſcuit mediam, quæ rurſus eſſet naturæ ipſius ejusdem & naturæ ipſius* *Anima mundi.*

p) *Hiſt. de ideis ſect. I. §. 6. p. 87. ſeqq.*

q) *Cap. 9.*

r) In *Sophiſt. T. I. p. 250.* LAERT. *l. III. ſ. 9. 10.* qui luculentus eſt.

s) In *Theætet. T. I. p. 252. ſeqq.*

t) Conf. IO. SCHEFFER. *de natura & conſtit. phil Ital. c. VIII. p. 56. ſeqq.*

u) *Serm. LIX. p. 232.* ex Pſeudo Mercurio homine Platonico.

x) *Lib. VII. de republica T. II. p. 518.*

y) *T. III. p. 34.*

alterius particeps, eamque per hæc mediam conſtituit inter individuam ſubſtantiam, & eam quæ circa corpus dividitur. Ea cum tria ſumſiſſet, in unam ſpeciem omnia temperavit: ubi naturam ejus, quod alterum diverſumque vocamus, commixtioni repugnantem, cum eo, quod idem dicitur, vi quadam conciliavit. Ita quidem Plato, qui aperte ſatis innuit, animam hanc mundi ex natura cum ideæ, tum materiæ conflatam fuiſſe. Qua ratione vero id factum ſit, longa & obſcura inter Academiæ diſcipulos diſputatio eſt, cum more ſuo Plato mentem hac de re ſuam clare non explicuerit. Nobis, qui peculiarem Platonicæ philoſophiæ hiſtoriam non ſcribimus, de hiſce Platonicorum litigiis multa afferre non licet, ſed explicandum nobis potius eſt, quid Plato iſta anima mundi intellexiſſe videatur Et I. quidem ex allato loco conſtare arbitramur, animam hanc mundi non æternam eſſe, ſed tum demum, a mundi architecto productam, cum mundum formaret. Id quod ARISTOTELES [z] quoque tradidit, Platonem interdum afferere, animam una cum cœlo factam eſſe. II. Haud obſcurum vero eſt, animam hanc mundanam præſtantiore ſui parte ex Deo effluxiſſe: Ait enim Plato, Deum ex ſubſtantia individua, quæque ſemper eadem eſt, ſumſiſſe, ut hanc animam, quam mundo inderet, exinde formaret. Illa natura vel ſubſtantia eadem vero, mens ſive ratio divina eſt, & mundus idealis, uti in antecedente paragrapho demonſtravimus, isque ex Deo: unde jam colligi luculenter poteſt, qua ratione divina queat dici hæc anima, & ex Deo orta, quoniam emanationis ſpiritualis operatione ex divina mente particulam accepit. Etſi itaque tertio gradu a fonte omnium entium ſpiritualium differt, & dignitate longe minor eſt, eousque tamen divina viſa fuit Platoni, ut numen, quod tamen *ἑδενὶ μεμιγμένον eſſe docebat, πάντα κοσμεῖν τὰ πράγματα διὰ πάντων ἰόντα, omnia exornare, omnia pervadens ſtatuerit.* [a] Quo ſimul intelligimus, abeſſe hæc a ſenſu Stoico, quando Plato Deum animam mundi permeantem vocat; Stoici enim formalem Dei naturam per univerſum diffuſam ſtatuebant, Plato animam mundi ex mundi intelligibilis & divini natura decerptam omnia penetrare docebat, hancque demum ſe in materiæ ſinum, cum mundus conderetur, infudiſſe aſſerebat, eique ex dividuo ſive materia aliquid tribuebat, quo & dignitate, & natura, & ordine reliquis facta eſt inferior. Hinc vero III. apertiſſimum eſt, plurimum pervertiſſe Platonis doctrinam, Alexandrinos Platonicos ex ſchola Plotini, qui duplicem animam mundi excogitarunt, unam *ὑπερκόσμιον*, alteram *ἐγκόσμιον*, quarum illa ſupra mundum poſita, tertiam in divina eſſentia hypoſtaſin conſtituat, hæc ex illa deprompta mundo, ut eum animaret, indita ſit. Qua de re multus eſt PLOTINVS, [b] & qui eum ſectatores ſecuti ſunt, quorum veſtigia premunt, quotquot venerandæ Trinitatis dogma in Platone deprehendiſſe ſibi viſi ſunt. [c]

Quam

z) *Metaph. l. XIV. c. 6.*
a) *Cratyl. T. III. p. 53.*
b) *Ennead. III. l. V. c. 2. p. 293.* Quam tamen *ψευδεξηγησιν* Platonis videtur generaſſe dogma de mundo æterno, quod Platoni erat ignotum.
c) Inter hos eſt CVDWORTHVS *Syſt. int. c. IV. §. 36. p. 679. ſeqq.*

Quam tamen opinionem recte rejecerunt viri docti, [d] non, quid juniores Platonici magiſtrum dicere juſſerint, ſed quid ipſe dixerit, expendentes. Nam ea de re Plato in ſcriptis ſuis ſilet, quanquam mira perſpicacia aliquid, quod ſpeciem habeat, ex illis exſculpere conetur CVDWORTHVS, cujus ratiunculis ſatisfecit MOSHEMIVS: [e] ſed anima mundi, cujus paſſim meminit, ſemper ea eſt, quæ mundo indita eſt, quæque & motus in eo cauſa eſt ordinati, & acceptam virtutem in gubernatione mundi exercet, hincque in omnibus mundi partibus, præcipue in ſole, luna, ſideribusque latet. Nec hæc poteſt eſſe illa ſupramundana anima, cum non tantum individui & ejusdem, ſed & dividui & diverſi particeps ſit, id quod in animam ſupramundanam Plotini cadere non poteſt. Nec generavit alia ratio tertium illud divinum, æternum, & immutabile principium Alexandrinorum philoſophorum, quam ſtudium ſe aſſimilandi Chriſtianæ religioni, quam pro nova de divinis philoſophia habentes in ſyſtema ſuum ſyncretiſticum ex parte receperant. Cum enim in SS. Trinitate tres hypoſtaſes ſive perſonas Chriſtianos memorantes audirent, hæc non commodius ſuæ ſectæ placitis accommodari poſſe credebant, quam ſi patrem, uno bono Platonis, filium vero, quem λόγον dici mundique creatorem obſervabant, rationi, quam Plato in Deo, vel ex Deo potius genitam aſſerebat, aſſimilarent. Vt vero Spiritui S. ſuo modo locus eſſet, ad tertium principium, animam mundi confugerunt; quæ ſenſu Platonico, quatenus mundum formatum inhabitat, eum non poſſet cum divino ſpiritu componi, eo quod dividui in ea natura, & generatio in tempore facta obſtaret, animam mundanam ὑπερκόσμιον excogitarunt, quæ in una divina eſſentia, tanquam æterna ὑπόστασις ſubſiſteret, & ad quam atque ex qua anima mundo immerſa eſſet decerpta. Qua tamen ratione, ut ſolent ſyſtemata male combinata & ex variis dogmatibus conſuta, & Chriſtianam doctrinam corruperunt & Platonicam, id non facturi, ſi Platoni preſſius adhæſiſſent, qui ex eodem & diverſo animam mundi coaluiſſe ſtatuit. IV. Qua vero ratione Plato animam mundi ex divina eſſentia & ſimul ex materia participare dixerit, id ſubobſcurum eſt, & vix vera ejus mens detegi poteſt. Quod ſi PLVTARCHVS [f] audiendus eſt, hoc ita factum eſt, ut Deus brutam illam & immorigeram animam inordinatæ atque confuſæ jactationis in materia auctorem, emendaverit, & adjiciendo aliquam de eſſentia divina partem, eam in ordinem concinnum redegerit, motusque ejus varios per divinam illam partem ita direxerit, ut, quantum materiæ anima pateretur admirabilis rerum ordo & harmonia exoriretur. Hinc nullam animæ hujus mundanæ partem ſinceram putat, ſed cum ex mala illa anima aliquid trahat, inde omnium malorum cauſam profluere. Nec aliter CHALCIDIVS, qui, *Deum, ait quæ ſine ordine & modo erant, ordinaſſe, & inordinatos animi*

d) MOSHEM. *adh. l.* CLERICVS *Ep. Crit. VII. p. 203.* BASNAGE *Hiſt. des Iuifs l. c. §. 19. p. 77.* GVNDLING: *Ot. Faſc. II. p. 18.*

e) *l. c. p. 681.*

f) *De ψυχογονίᾳ Timæi*, quam ſententiam ſuam quoque fecit cel. MOSHEMIVS *ad* CVDWORTH. *p. 234.*

mi errores & agitationem fluctibus ſimilem compeſcuiſſe, intellectu aſſignato, ex inordinata jactatione ad ordinem redegiſſe: hincque ortum animæ mundi, ex individua una, quæ intellectus ſit, & alia, quæ per univerſa corpora dividitur, & ſcinditur, provenire. Indicavimus tamen ſupra jam, quid nobis obſtare videatur, quo minus hanc de peculiari materiæ anima, animæ mundanæ contradiſtincta noſtram faciamus. Nos, ſi in tam obſcuro argumento conjecturis utendi venia eſt, hanc, uti ſupra diximus, animam materiæ, in vi rebelli, immorigera, & inordinata jactatione materiæ conſiſtere ſupponentes, ita Platonis idem & diverſum, ſive dividuum & individuum in anima mundana intelligimus: Deus cum inordinate ab omni æternitate jactatam & fluctuantem materiam in ordinem redigere vellet, non tantum de naturis divinis & eſſentiis æternis, quæ menti ejus obverſabantur, cogitabat, easque emanatione ſpirituali ex ſe producendo, mundum idealem generabat, ſed etiam ad materiæ ordinationem & emendationem ſe accingens, tantum ex hoc altero divinitatis principio materiæ indebat, quantum ad formandas res & determinandam materiam, & ordinandos ejus motus requirebatur, ſicque ex iſto mundo ideali tertium principium emanationis lege, nempe animam divinam produxit, & materiæ infudit: quæ anima, vi ſapientiæ ex fonte ſuæ in eam dimanantis, materiam quidem emendavit, in ordinem compeſcuit, & ad recipiendas formas divinas diſpoſuit, toti tamen illi malignæ & refractariæ materiæ diſpoſitioni impar, omnes ejus motus inordinatos & anomalos, & contrariam bono cupiditatem vincere & emendare non potuit; unde factum eſt, ut ex natura materiæ anima mundi aliquid participaret, multumque illa reliquis principiis divinis fieret deterior. Acutius qui vident, & in his tenebris clariora dare poſſunt, iis has noſtras conjecturas non obtrudimus, quas, licet pro indubitata Platonis opinione venditare nolumus, nihil tamen, niſi fallimur, habent, quod vel verbis Platonis vel ſyſtemati ejus phyſiologico maximopere repugnet, & non aptum ſit, ut & mundi ortus, & natura materiæ, & origo mali inde Platonicis rationibus queant explicari. V. Ex his vero, quæ fuſe hactenus, poſtulante argumenti dignitate, diſſeruimus, judicari poteſt, quid de trinitate Platonica ſentiendum ſit, quam non juniores tantum Platonici magnopere jactarunt, [g] ſed & poſt eos tot viri docti ex Chriſtianis, a trinitate Chriſtianorum non multum abhorrere contenderunt. [h] Alii vero plane rejecerunt, quicquid in Platone huic dogmati velificare videtur, ad poëticum dicendi genus, notiones animi, vel attributa etiam DEI gentili more in perſonas mutans, vel perſonarum habitu potius inducens, retulerunt. [i] Quo in argumento recentiores Platonicos ante

Trinitas Platonica.

g) Quorum tamen hominum, ut in aliis, ſic in hoc quoque dogmate ſententia variat: e. g. demiurgum ſive conditorem mundi alii faciunt primum Deum, Iulianus imperator ſecundum, Plotinus tertium, & ſic in aliis quoque; conf. MOSHEM. *ad* CVDWORTH. *p. 686.*

h) Eos enumerandi otium nobis fecit diligentia laudatiſſimorum virorum IO. A. FABRICII *Bibl. Græc. vol. II. p. 39. ſeqq.* I. F. BVDDEI *Inſtit. theol. dogm. T. I. p. 445.* CHR. MATH. PFAFFII *Introd. in hiſtor. theol. liter. P. I. p. 305. ſeqq.* qui conſulendi.

i) In his SOVVERAINIVM eſſe, ſupra diximus.

ante omnia non audiendos esse monemus, quos ex inepto sacra Christianorum dogmata cum nugis suis conciliandi studio Platonis genuinas doctrinas de Deo & principiis divinis misere corrupisse, plus una vice ostendimus. Illi enim abstractione mentali usi, tres ejusmodi ὑποστάσεις, in una essentia divina comminiscebantur, easque a mundo hoc visibili separabant. Plato vero, etsi is quoque trium principiorum mentionem faciebat, longe tamen alia ratione ea adhibuit, nec de trinitate in divina essentia, sed de principiis rerum genitarum sollicitus, rationem Dei & animam mundi, ad hunc ipsum mundum suo modo retulit, & ideas divinas materiæ impressas & animam ei inditam statuit. Num vero attributa tantum Dei intellexerit, nec ne? in tanta obscuritate ejus definiri certa ratione non potest, ex iis tamen, quæ hactenus de ideis & anima mundi differuimus, patet, verisimile esse, non nudas hæc principia notiones & præviſiones animi, abstractionibus tantum existentes, esse, sed revera Platonem sibi concepisse emanationem duorum principiorum, ex infinita DEI natura, realiter a Deo distinctorum, propter originem tamen & fontem, ex quo orta sunt, unum certo sensu, quæ cum eo sint: quæ tamen principia & maxime inæqualia esse, & dignitate, immo etiam naturæ divinitate inter se diversa & inferiora summo DEO, patet, præcipue cum non in se considerari debeant, sed quatenus circa materiam agunt, quo modo anima mundi, ex contagio materiæ aliquid trahens, eo nomine vix digna est. Quæ si cogitassent, & a Platonicorum Aegyptiacorum falsis & syncretisticis interpretationibus sibi caviſſent viri illi eruditi, qui nescio quæ adorandi SS. Trinitatis Christianæ mysterii vestigia in Platone se observaviſſe, sibi visi sunt; parcius de Platone tantopere laudando cogitassent, nec ad ineptam opinionem delapsi essent, Platonem ex sacris oraculis & consuetudine cum Iudæis hæc mysteria surripuisse. Nihil enim in tota hac trinitate Platonica est, si modo nomen hæc tria merentur, quæ immenso gradu, natura & dignitate inter se distant, quod non ex admissis semel principiis generalibus de Deo, materia & idea, causis rerum omnium Plato sine ullo revelationis divinæ adminiculo poterat deducere. VI. Sequitur vero ex hac quoque de anima mundi doctrina, & mundum esse Dei filium, & omnes partes mundi, præcipue illustriores, & in his solem, lunam atque reliqua sidera Deos esse. Recte hoc notandum est, ne confundamus in theologia Platonis, quæ inter se distincta sunt. Et mundum quidem simulacrum immortalis divinitatis ipse Plato nominat,[k] & filium Dei TIMAEVS LOCRVS,[l] quem imitati sunt alii,[m] eo quod per ista principia a Deo esset genitus. Immo ipse PLATO[n] Deum ὄντως existentem de futuro Deo, id est mundo condendo cogitasse asserit. Terram vero, cœlum, & sidera Deos dixisse, multis testimoniis constat.

Vnde

k) In *Timæo l. c.*
l) *T. III. p. 95. Opp. Plat.*
m) Eorum loca collegit SOVVERAIN *Platonisme devoilé P. I. ch. 9. p. 93.* qui tamen male hæc applicat & confundit.
n) In *Timæo.*

Vnde LAERTIVS [o] hoc Platoni tribuit: terram eſſe antiquiſſimum omnium, qui in cœlo eſſent, Deorum, & loquuntur id etiam non dialogus tantum, qui *Epinomis* inſcribitur, ſed & libri *de legibus*, quos tamen maturiore ætate, gravisque annis conſcripſiſſe dicitur, ubi Anaxagoræ ſcita de ſideribus reprehendit, & hæc ſerio inculcat Atticæ juventuti. Quæ quidem ad declinandam invidiam, quam præceptorem Socratem e vivis ſuſtuliſſe noverat, dixiſſe tantum videri poterat, niſi doctrina de anima mundi, eum ſerio hæc ſtatuiſſe perſuaderet. Non tamen æterni hi Dii ſunt, ſed in tempore orti atque conditi, quemadmodum anima mundi, a qua animantur, & propter quam in Deorum numerum referuntur, æterna non eſt, ut ſupra vidimus. [p]

Dii & dæmones.

§. XXIV. X. Vt vero reliqua, quæ ad hanc theologiam ſive metaphyſicam Platonis pertinent, tandem adjiciamus, monendum eſt, Deos quoque tum æternos tum ortos ex his principiis derivaviſſe Platonem. Et de Diis quidem æternis §. antecedente, quantum ſatis eſt, ad noſcendam Platonis doctrinam diximus, & eos ſpecies ſive ideas æternas eſſe, in mundo intelligibili, uti recentiores Platonis diſcipuli loquuntur, comprehenſas; ortos vero Deos cum anima mundi originem cepiſſe, ex modo dictis patet. Et de dæmonum quidem natura & munere occulte ſententiam Plato tegit, faſſus ceterorum Deorum, qui cerni non poſſunt, & dæmones vocantur, cognoſcere & enuntiare ortum majus eſſe opus, quam ferre noſtrum valeat ingenium, priſcisque in hac re credendum eſſe viris, qui Diis geniti, ut ipſi dicebant, parentes ſuos optime noverint. Verum hoc ad declinandam invidiam dixiſſe, ne ignota cum Socrate numina introducere videretur, palam eſt. In ſequentibus vero ſumta fabulæ perſona, ita Deum rerum conditorem loquentem ad hos Deos inducit: *eſſe quidem eos, quoniam generati ſint, minime natura ſua immortales, & indiſſolubiles, neque tamen unquam diſſolutum iri, nec mortis fatum ſubituros, voluntate divina præſtantiore vinculo exiſtente ad vitæ cuſtodiam, quam nexum illum, quibus eſſent tunc, cum gignerentur, colligati.* Poſthæc recitat, quæ eis munera ab opifice injuncta eſſent; *ut* nempe, *quoniam conditorem non deceret reliqua animantia condere, ne & ipſa Dii evaderent, ipſi ſecundum naturam ſuam ad animalium generationem ſe accingerent, vimque Dei in illis condendis imitarentur. Et animalis ſe quidem, quod immortale & divinum vocandum ſit, & principatum teneat, ipſum ſe ſemen & initia traditurum, cetera eos exſecuturos, ut immortali naturæ mortalem attexentes, faciant generentque animalia, & ſubminiſtratis alimentis augeant, & conſumta rurſus recipiant.* Hactenus Plato, qui in ſequentibus animarum in his animalibus ortum deſcribit, de quo poſtea. Videturque in his partim Aegyptios & Pythagoram, partim Socratem ſecutus fuiſſe. Obſcurus tamen in his omnibus eſt, nec ſatis declarat, quæ de dæmonibus ſtatuat.

o) *l. III. f. 75.* Vnde emendandus locus in *Timæo T. III. p. 75.*

p) Conf. CVDWORTH. *Syſtem. intell. c. IV. §. 23. p. 484.*

q) In *Timæo T. III. p. 40.*

ſtatuat. Quod occaſionem præbuit Platonicis Aegyptiacis infinita de dæmonum natura, gradu, officiis, expiatione hisque ſimilibus diſputandi, & maximam ſuæ theologiæ partem iſtis diſſertationibus replendi: quas tamen, cum pleræque in eorum demum ingenio enatæ ſint, tum demum tangemus, ubi temporum & hiſtoriæ ſeries ad ſectam Eclecticam nos deduxerit. Nunc Platonis verbis inſiſtentes, de iis eum loqui diis monemus, qui in anima mundi comprehenſi, cum ea geniti ſunt, quos formationi tum hominis, animæ ſuperioris ſive rationalis parte ſummo rerum conditori relicta, tum reliquorum animantium præfectos fuiſſe ſatis clare innuit. Non tamen ortus tantum animalium curam habere juſſos eſſe, ſed & incrementorum reditusque in eam materiam, ex qua producta ſunt, monet, unde recte colligitur, mundi hujus ſenſibilis directioni & providentiæ Platonem dæmones præfeciſſe. Id quod TIMAEO LOCRENSI[r] quoque placuit, quem in ineundis mundi hujus rationibus phyſicis ſecutum fuiſſe Platonem aliquoties monuimus, qui diſerte: *numinibus humanarum rerum inſpectionem ſummum illum Deum, omnium imperatorem atque præſidem, attribuiſſe, iisque etiam gubernationem mundi permiſiſſe.* Quem ſecutus eſt Plato, qui de hoc dæmonum munere ita: [s] *Tunc ſane totius circuitus princeps curatorque primus Deus extitit, ut nunc per varias mundi plagas ſingulæ ipſius partes a principibus diis diſtributæ ſunt. Animalium quoque genera gregatim diſtincta, dæmones quidam tanquam divini paſtores ſortiti ſunt, quorum quisque ad munus ſuum obeundum ſufficiens cum eſſet, ſinguli ſingulis, ſic ut ille voluit præficiebantur, quibus præerat ipſe.* Ita enim fabulam de regno Saturni primaque naſcentis humani generis ætate rationibus ornat philoſophicis. Non vero regendo tantum mundo huic, ſed & vaticiniis & patefaciendæ deorum voluntati, & expiando quoque ſummo numini certos dæmones præfecit. Notabili enim loco[ff] ait: *Omnis natura dæmonum inter mortales deosve eſt media* (cujus ratio petenda eſt ab origine eorum ex anima mundi, quæ medium quaſi inter divina & materialia tenet, ex utrisque participans) *interpretatur & trajicit humana ad Deos, divina ad homines: horum quidem preces & ſacrificia, illorum præcepta ſacrasque ſolennes inſtitutiones & ordinem. In utroque medio conſtituta eorum natura totum complet, ut univerſum ſecum ipſo tali vinculo connectatur. Per hanc vaticinium omne procedit, ſacerdotumque diligentia circa ſacrificia expiationesque, & incantationes, & divinationem omnem atque magicam. Deus quidem homini non miſcetur, ſed per id medium commercium omne atque colloquium inter Deos hominesque conficitur, & vigilantibus nobis & dormientibus.* Poſſemus hic innumera fere cumulare, quæ Platonici recentiores de catena dæmonum, quibus univerſum repletur, differuere, verum id jam non agimus, & potiora, quæ hunc locum illuſtrare poſſunt alibi[t] diximus. Hic

r) *Opuſc. mythol.* GALEI *p. 566.*
s) In *Politica.*
ff) In *convivio T. III. p. 201. ſeqq.*
t) In *Otio Vindelico Mel. I. §. 5. p. 42.*

vero id monemus, videri hic Platonem Aegyptiacam potiſſimum theologiam ſecutum eſſe, quam ejusmodi dogmatibus religionem publicam commendaſſe ſupra oſtendimus. Erat enim Plato, Socratis exemplo cautior factus, in eo diligens, ut philoſophiam ſuam religioni dominanti accommodaret. Et favebat huic opinioni non doctrina tantum de anima mundi omnia pervadente, ex qua dæmonas excerptos eſſe ſtatuebat, ſed recepta quoque ſuo tempore, etiam inter Græcos, ſententia : omnia Deorum eſſe plena, id eſt dæmonibus cuncta repleri, unde facile hanc, quam ipſius verbis attulimus, opinionem inire illi licuit. Qua de re, ubi de dæmonio Socratis agit, pluribus mentem explicat, quæ ipſa videnda ſunt, cum inſtituti noſtri cauſa exſcribere loca illa nobis non liceat. Ex his vero ſequebatur, cultum publicum non rejiciendum eſſe, ſed proſequendos dæmonas orationibus, muneribus, alioque cultu divino, idque animo puro. In quo tamen dæmonum cultu pro diverſis eorum generibus atque claſſibus, quibus mundo præeſſe Plato præcipiebat,[u] diverſam quoque rationem adhiberi voluit. Nam alios ſtatuebat cœleſtes civitatique præſidentes dæmonas; alios terreſtres, poſt hos illis impares, & tandem heroës, quibus qua ratione cultus exhibendus ſit, in *quarto de legibus libro* conſtituit. Sed & in materiam poteſtatis aliquid eſſe dæmonibus non negat. Ait enim,[v] *homines & animalia cetera, eaque ex quibus iſta gignuntur, ignem & aquam & horum germana, DEI eſſe opera, poſt hæc horum ſimulacra ſequi, dæmonum quadam machinatione producta;* quæ poſtea de phantaſmatis dormientibus & viventibus quoque occurrentibus explicat. Quæ poſtea materiam præbuere Aegyptiacis Platonicis miras de dæmonum apparitionibus & phantaſmatibus opiniones excogitandi, quas ſuo loco tangemus. Interim de iis conſulendus eſt PSELLVS,[w] ut appareat, qua ratione Platonica dæmonologia ex his fundamentis ad ſpecioſum quidem, ſed paradoxum exſurrexerit ædificium. Reliqua, quæ huc referri poſſunt, in ſequentibus exponemus, ubi etiam de animæ origine & natura, quæ ad metaphyſicam Platonis referri poteſt, differemus.

II. Phyſica.

§. XXV. His, quæ explicuimus, fundamentis, uſus eſt Plato ad explicandam rerum naturalium generationem & ordinem, quam ſecundum mentem ejus porro deſcribemus. Ita vero Plato ſtatuit in phyſica:

I. Sine cauſa oriri quicquam impoſſibile eſt. Hoc idem principium eſt, quod ſupra metaphyſicæ Platonicæ fundamentum poſuimus: Ex nihilo nihil fit.

II. Quod fieri debet pulchrum, opus eſt ut opifex in ejus conſtructione ad id, quod eodem modo ſe habet, ſemper aſpiciat, & hujusmodi quodam uſus exemplo ideam vimque in opus educat. Ratio hujus axiomatis quærenda eſt in hypotheſi de ideis. Sine mundo ideali enim mundum ſenſibilem gigni non potuiſſe, ideo Plato ſtatuebat, quod materiam fluxam, intor-

u) In *Apologia Socratis.*
v) In *Sophiſta circa fin.*
w) *De operatione dæmonum.*

informemque ſine acceſſione entium vere talium ad veram & viſibilem mundi productionem adhiberi non poſſe credebat.

III. Genitus autem mundus ab aliquo principio ſumſit exordium. Hoc ita probat Plato in *Timæo*, ut dubium non ſit, credidiſſe eum, mundum in tempore genitum atque factum eſſe. [x] Ita enim rationes init: Mundus cernitur, tangiturque & corpus habet: omnia vero hujusmodi ſenſus movent; quæ ſenſus movent, opinione per ſenſum percipiuntur: hæc vero talia eſſe conſtat, ut gignantur & genita ſint; quicquid autem gignitur, ab aliqua cauſa gigni neceſſe eſt. Quo ratiocinio Plato manifeſte ad ſenſibilem mundum reſpicit, qui in hanc formam, ut conſpici tangique poſſet, non enituiſſet, niſi informis materia formam & ordinem a conditore accepiſſet. Paria alibi quoque habet, nec dubitabit, qui *Timæum* legit, mundum non æternum eſſe, ſed genitum in tempore. Aliter tamen juniores Platonici, qui contrariam Platoni opinionem tribuunt, & mundum quidem ab æterno genitum concedunt, ſed in ſigno tantum rationis, quia Deum mundum ex ſinu ſuo expuliſſe credebant, unde pro mundi æternitate, tanquam genuino Platonis dogmate ſtrenue pugnabant. Quod ut contra manifeſtam Timæi ſententiam facerent, plures quidem cauſas habuerunt, hic, ubi horum hominum decreta non delineamus, non enarrandas, potiſſima vero fuit inſtituta inter Platonem & Ariſtotelem concordia, quam æternitatem mundi poſtulaſſe, ex placitis Lycei notum eſt: quo tamen ſyncretiſmo, cum ab æterno mundum ex Deo genitum factumve dicerent, & Platonis & Ariſtotelis doctrinam corruperunt, quorum ille mundum in tempore conditum, hic a nulla cauſa efficiente factum, ſed per ſe æternum aſſeruit. Horum itaque teſtimonia non moramur. Obſtat vero alius, & quidem ARISTOTELIS locus, quo minus Platonem hæc ſerio aſſeruiſſe credi poſſit. Ait enim: *Subſidium, quod quidam eorum, qui dicunt mundum incorruptibilem quidem eſſe, attamen factum eſſe, ſibimet ipſis enituntur ferre, verum non eſſe videtur. Inquiunt enim, & ſe, perinde ut geometræ, qui deſignationes deſcribunt, de generatione mundi dixiſſe, non quaſi aliquando mundus eſſet ortus, ſed inſtitutionis gratia, quia dicentes magis recognoſcunt ſi ut deſignationem viderint factam.* Quemadmodum enim hæc in Platonicos dicta eſſe conſtat, ita manifeſte innuunt, ordinis tantum methodique cauſa ita eos cenſuiſſe. Certe dubiam inde reddi veram Platonis ſententiam, nemo facile inficiabitur, cum nemo melius magiſtri mentem inſpicere potuerit, quam Ariſtoteles, multorum annorum diſcipulus. Verum hoc teſtimonio non obſtante, non negamus, non diſcedendum eſſe ab illa opinione, quæ Platoni mundum in tempore conditum tribuit. Nam & Ariſtotelem, æternitatis mundi patronum ut præ-

x) Tria hæc aſſerta extant in *Timæo T. III. p. 40.* conf. *Protagoras T. I. p. 320.*

y) Conf. MOSHEMIVS *ad* CVDWORTHVM *p. 268.* Platonicorum juniorum philoſophemata vero cognoſce ex PROCLI *Commentario* in Platonis Timæum.

z) *De cœlo l. I. c. 10.* Eadem tradit PSEVDO-ORIGENES *philoſophum. c. XIX. p. 112.* ad quem locum vid. cel. WOLFIVS.

ceptoris auctoritatem, quæ ei objiciebatur, eluderet, ita ſcripſiſſe veriſimile eſt; & quæ Epicurei contra Platonem diſputarunt, certiſſimo teſtimonio ſunt, eum mundum conditum afferuiſſe. Ait enim Vellejus apud CICERONEM: [a] *ab utroque ſciſcitor, cur mundi ædificatores tam repente extiterint, innumerabilia ante ſecula dormierint? iſto igitur tam immenſo ſpatio, quæro cur Pronæa veſtra ceſſaverit? Laboremne fugiebat? at iſte nec attigit Deum, nec erat ullus. - - Quid autem erat, quod concupiſceret Deus mundum ſignis & luminibus, tanquam ædilis ornare? Si, ut Deus ipſe melius habitaret, antea videlicet tempore infinito in tenebris tanquam in gurguſtio habitaverat.* Hæc enim fruſtra diſputaſſent Epicurei contra Platonicos, ſi his licuiſſet objicere, ſe methodi & ordinis cauſa ita tantum rationes inire.

IV. Volens Deus, omnium quæ intelligi poſſunt, pulcherrimo & undique abſoluto (mundum idealem intelligit) mundum hunc ſimillimum reddere, animal unum id effecit, aſpectui ſubjectum, animalia cuncta naturæ ſuæ convenientia intra ſuum limitem continens; qui unus eſt, quia ad unius ſimilitudinem eſt formatus: quod enim viventia omnia, quæcunque intelliguntur, continet, ſocium alterum habere non poteſt. Quod aſſertum aliis poſtea Plato ratiociniis munit. [b]

V. Quoniam vero corporeus, ſpectabilisque & tractabilis mundus erat futurus, ac ſine igni videri nihil poteſt, ſine ſolido nihil tangi, & ſolidum absque terra nihil, ideo in operis hujus exordio Deus ignem primo terramque creavit. Quia vero duo ſola absque tertio quodam commode cohærere non poſſunt, mundique corpus non latitudinem tantum, ſed & profunditatem requireret & ſoliditatem, ſolida vero non uno, ſed duobus ſemper mediis copulentur, inter ignem & terram aërem aquamque locavit, eaque inter ſe invicem, quoad fieri poterat, comparavit, ut quemadmodum ignis ad aërem, ita aër ad aquam; ut aër ad aquam, ſic aqua ad terram congrue conferatur. Qua ex conjunctione ita conſtitutus eſt mundus, ut aſpici tangique poſſit. [c]

VI. Mundum ita Deus ex perfectis partibus perfectiſſimum, unum, quemque morbus & ſenecta non attingeret, fecit, & figuram maxime congruam, & decoram dedit, in qua reliquæ figuræ omnes continerentur, id eſt, ſphæricam, lenemque hunc globum externe polivit, & æqualem tornavit. [d] Animam autem in ejus medio collocavit, perque totum tetendit, mundumque hunc unum, & ſolum & circularem, volvi in circulum ſtatuit, qui ſe ipſum ſuſtinere poſſet, anima obedienti corpori imperatura.

VII. Corpus quidem mundi ſpectabile factum eſt, anima vero oculorum effugit obtutum, rationis & modulaminis compos.

VIII. Vniverſum Deus pro virili ſempiternum facere voluit, ut mundi anima ſempiterna eſt; quod quia genito operi congruere non potuit, idcirco

a) *De nat. Deor. l. I. c. 9.* conf. *Hiſtoire univerſelle p. 16.* MOSHEM. *ad* CVDWORTH. *p. 269.*
b) In *Timæo p. 32.*
c) *l. c.*
d) *ibid.*

circo imaginem ævi mobilem effingere decrevit, ac dum cœlum exornaret, fecit æternitatis in unitate manentis æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus: quod æternæ & immutabili ſubſtantiæ tribui non poteſt.

IX. Quia corpora profunditatem habent, profunda planis conſtant, & rectitudo planæ baſis ex triangulis conſtituitur, ideo elementa figuras acceperunt geometricas triangulis conſtantes. Terra cubicam ſpeciem habet, quia maxime ſolida & omnium elementorum minime mobilis eſt: ignis pyramidis ſpeciem nactus eſt, quia baſes pauciſſimas habet, adeoque velociſſimum & leviſſimum elementum eſt: aër figura octaëdra, aqua icoſaëdra conſtat.

X. Hæc a Deo tanta ubique quoad multitudines, motus atque potentias proportione exacte abſoluta connexaque ſunt, quantum neceſſitatis (materiæ) naturæ libens & perſuaſa capere poterat. Multus in his demonſtrandis & ex rationibus geometricis deducendis eſt Timæus Platonis, ad quod geometriæ ſtudium, & modus philoſophandi Pythagoricus Platonem impulerunt, ut perſpicuitatem naturæ, ejusmodi ſpeculationibus mathematicis, veram rerum naturam non declarantibus corrumperet. Qua de re recte conqueſtus eſt BVRNETIVS. [e]

XI. Mundo ita conſtituto motum congruum tribuit, qui ex ſeptem motibus unus ad mentem maximam & intelligentiam pertinet. Ideoque cum illum per eadem & in eodem & in ſe ipſo circumduxiſſet, effecit, ut circulari converſione moveretur. Ita phiſoſophus de motu; ex quo patet, mentem vel animam potius ex mente, hac virtute accepta, motus cauſam eſſe; quam poſtea aſſertionem Ariſtoteles aliquantum immutavit, motum a prima cauſa per intelligentiarum orbes deducens. [f] Nam Platoni quoque motus prima cauſa Deus, proxima anima mundi. Qua de re nervoſe BOETHIVS: [ff]

Quæ quem ſecta duos motum glomeravit in orbes,
In ſemet reditura meat, mentemque profundam
Circuit & ſimili convertit imagine cœlum.

Hinc CHALCIDIO *motus rationabilis* dicitur, *cui animarum proprius eſt circuitus*. [g]

XII. Durat vero æternum mundus, quia conſentaneum eſt, Deum ſumme bonum, perfectiſſima voluiſſe facere, unde & morbi & ſenectæ expertem eum fecit. Fecit vero certas periodos, intra quos ad priſtinum locum totus mundus interno animæ motu redeat. Et hic annus ille magnus, de cujus tempore & annorum numero valde diſcrepant Platonici, quorum ſomnia cum eleganter enarraverit IAC. THOMASIVS, [i] plura ſcire cupientibus is adeundus eſt.

XIII.

e) Archæol. philoſ. l. I. c. 13. p. 439.
f) Conf. CVDWORTH. *l. c. §. 24. p. 494.*
ff) De conſol. phil. l. III. metr. IX.
g) Ex his ſequitur, non dari vacuum. Cujus locum, ut moveri mundus queat, animam mundi occupare, ex adductis locis colligi debet.
h) Conf. FICIN. *ad l. X. de Rep. p. m. 446.* Ipſe PLATO *l. c. T. II. p. 446.*
i) De exuſt. mundi Stoica diſſ. V. p. 62. conf. VOSSIVS *de idol. gentil. l. II. c. 35. p. 596.*

XIII. Deus tempus creare volens, ſolem & lunam & alias quinque ſtellas, quæ erraticæ vocantur, fecit, quo temporis numerus diſtinguatur, easque ſeptem orbibus qui alterius ipſius diverſæque naturæ volvuntur, adhibuit. Lunam in primo ſupra terram circuitu poſuit; in ſecundo ſolem; luciferi deinde globum, & Mercurii ſacrum, ut dicitur, orbem circulis affixit, ſoli velocitate æqualibus, potentia vero illi contrariis, & ſic porro; omnes vero hos circulos ſuperna illa vertigo varia circuitione revolvit, propterea quod iſti duobus ſimul contrariis motibus agitantur. [k]

XIV. Terram autem, altricem noſtram circa polum per univerſum extenſum alligatam, diei noctisque effectricem & cuſtodem eſſe voluit, nec non primam antiquiſſimamque deorum omnium, qui intra cœlum geniti ſunt.

XV. Animalium vero condendorum curam inferioribus Diis, uti ſupra dictum, permiſit, ita ut vim imitarentur ſuam, qua in ortu eorum eſſet uſus, & mortalia corpora formantes faciant animalia.

Hæc potiora & primaria phyſicæ Platonicæ capita ſunt, in Timæo omnia comprehenſa, in quo ad ſpecialia quoque poſtea deſcendit, & corporis etiam humani fabricam explicat; quæ tamen latius hic exſequi non licet, unde lectorem ad ipſum Platonem, & qui dignus eſt, ut cum eo conferatur, ad ejus interpretem, CICERONEM, ex cujus verſione Timæi fragmenta ampla ſuperſunt, merito remittimus.

Pſychologia.

§. XXVI. Retulit vero Plato ad philoſophiam naturalem doctrinam etiam de anima hominis, de qua, cum in ſe difficile & obſcurum argumentum, quod omni tempore maxima philoſophorum ingenia exercuit, tractaret, aſſumtis ſemel hypotheſibus de entibus ſpiritualibus ex Deo emanantibus, obſcure locutus eſt. Cum enim haud raro placitis ſemel cum cura receptis magis inſiſteret, quam experientiæ, ipſiusque animæ conſcientiæ, & quæ apud Aegyptios & Italicos audiverat, cum eis jungeret, multoties in incertiſſimarum opinionum voraginem abreptus eſt, ubi, cum clara & diſtincta non haberet, notionibus incertis, vagis & obſcuris, de quibus ipſi non ſatis conſtabat, hanc philoſophiæ naturalis partem abſolvit: ut evincunt luculenter ea, quæ de ortu, natura, lapſuque & ſtatu animi tradidit. Certiora itaque & clariora a nobis non poſtulanda ſunt, in delineatione ψυχολογίας Platonicæ, quam ipſe auctor prodidit, ita vero philoſophari pergebat:

XVI. Cum homines a diis inferioribus condi vellet Deus, illi quod in eo animali immortale divinumque futurum eſſet, principatumque teneret, & juſtitiam ſimul ac Deos coleret, ſemen ille & initia tradidit, & in cratere eodem, in quo mundi totius animam permiſcens temperaverat, ſuperioris temperationis reliquias miſcendo perfudit, modo quodam eodem, non tam per-

k) Qua ratione vero aſtris deos præfecerit, totiusque mundi adminiſtrationem iis commiſerit, ſupra expoſuimus, ubi dæmonologiam Platonicam conſideravimus. Hinc dæmones vel ætherei vel aërii, in *Epinom. T. II. p. 985.* conf. *Hiſt. crit. Phil. T. II. p. 254. ſeq.*

perfectas ſimiliter, ſed & ſecundo & tertio gradu a primis deficientes. [l] Mire obſcurus hic eſt Plato, tentabimus tamen an ex tenebris protrahere hæc ænigmata & clariorem iis lucem accendere queamus. Quem in finem I. obſervamus, haud obſcure ex hoc loco patere, Platoni mentem hominis nobiliori ſui parte non tantum a Deo ipſo conditam, ſed ex Deo eſſe. Diſerte enim non initia tantum, ſed & ſemen ſe traditurum Deus in iſtis ad Deos minores verbis promittit. Nec aliter quoque Plato ſtatuere vi principiorum ſemel admiſſorum poterat. Cum enim animam natura ſua immortalem eſſe, teneret firmiſſime, & eandem ad æterni boni communionem & aſſimilationem philoſophiæ ſuæ opera adducere vellet, non vero, niſi duo rerum principia, quorum unum materiale, alterum ſpirituale eſſet, agnoſceret, neceſſarium erat, ut materiali parte rejecta ſpiritualem ei naturam adſcriberet, qui cum e nullo fonte, niſi ex Deo oriri poſſet, neceſſario Deus quoque fons animorum ipſi erat conſtituendus. Hinc animam non tantum & γενεσὴν τῶ παντὸς αἰτίᾳ [ll] λεχθέντος vocat, ſed & συγγένειαν τινα θείαν πρὸς τὸ ξύμφυτον τιμᾶν καὶ νομίζειν εἶναι, *divinam quandam cognationem naturæ, quæ ad inſitam divinam naturam in Diis honorandam & agnoſcendam impellit*, ei tribuit. [m] II. Etſi vero hoc negari non poſſit, & ſatis clare ex Platone ipſo appareat, cave tamen intelligas ſenſu eo, quo Alexandrini Platonici acceperunt. [n] Hi enim cum hypotheſi de tribus hypoſtaſibus in divina eſſentia eſſent occupati, & in ejus gratiam animam quandam mundi ſupramundanam excogitaſſent, mentis humanæ originem ad ipſam divinam eſſentiam, mediante iſta anima, retulerunt. Aliter vero Plato, qui adducto Timæi loco diſerte magnæ inter Deum & animam differentiæ, & gradus meminit, & ex ſuperiori temperatura animam decerptam ſtatuit. Quod ut intelligatur luculentius, obſervandum eſt, per craterem illum, cujus nomine Plato, more ſuo ἀλληγορικῶς uſus eſt, intelligi ipſam animam mundi, in quo & idem & diverſum miſcuit. [o] Repete ſupra de anima mundi dicta, videbisque, quo modo Deus præter decerptam ex altero principio, ratione, ipſi gradu jam inferiore, divinam naturam, quam animæ mundi indidit, aliquid quoque ex materia non tam ipſe admiſcuerit, quam potius ab immorigera ex parte materia admiſceri paſſus ſit, unde multis gradibus ei inferiorem eſſe dicto loco monuimus. Hoc in receptaculo omnium, quæ in mundo ſunt, rerum ſpiritualium cum materia connexarum, animas hominibus inſerendas decerpſit, & ex eodem, id eſt ſubſtantia ſimplici, quæ in anima mundi erat, hominis generavit animam: quæ, licet ita ex divino emanationis omnis fonte originem cepiſ-

l) In *Timæo T. III. p. 41.*

ll) In *Philebo T. II. p. 30.*

m) *Lib. X. de legibus. T. II. p. 899.* conf. *Hiſt. de ideis ſect. I. §. VI. p. 95. ſeq.*

n) Ad quod non ſatis attendit, accuratus alias veteris philoſophiæ interpres IAC. THOMASIVS *diſſ. XXI. de exuſt. mundi Stoica p. 250.* Supra vero oſtendimus, ſupramundanam hanc animam, ab ea quæ mundo indita eſt, magnopere differre.

o) Conſentiunt THOMASIVS *l. c.* FABRICIVS *Bibl. Gr. vol. I. p. 51.*

cepiſſet, non tamen prout reliqua entia emanativa, ſed ſecundo & tertio loco, ut ipſe loquitur, divina eſt, quia non immediate ex Deo ſummo, ſed ex anima mundi deſumta eſt, adeoque non tam perfecta, & excellens eſt in natura ejusdem, ut ideæ, ſive Dii, ſed infimum gradum inter entia ſpiritualia, quæ ex Deo emanarunt, occupat. Et hæc quoque cauſa eſt, cur inſtituta inter corpora & animas comparatione, [p] has ex mundi anima decerptas eſſe afferat, quemadmodum corpora, ex mundi univerſi corpore deſumta ſunt. Ex quibus dijudicanda ſunt ea, quæ PSEVDO-ORIGENES [q] de variis interpretum circa ſententiam Platonis de anima ejusque natura & origine opinionibus differit. III. Quia vero anima ex mundi anima decerpta eſt, ſequitur eam non minus, quam fons ille, ex quo hauſta eſt habere etiam aliquid ex diverſo, id eſt, ex materia. Quod qua ratione intelligendum ſit, perſpicue explicuit CHALCIDIVS,[r] qui, *Plato*, ait, *animam ex omnibus initiis conflat, ut & ipſorum initiorum, & quæ initia ſequuntur, & prorſus omnium rerum exiſtentium ſcia eſſet, ac de omnibus judicaret.* Idem urſit SIMPLICIVS,[s] hoc imprimis veterum phyſicorum axiomate uſus: ſimilia cognoſci ſimilibus, quam rationem Platoni quoque arriſiſſe, ait, SEXTVS EMPIRICVS. [f] Ex quibus perſpicuum eſſe exiſtimamus, Platonem reminiſcentiæ opinione occupatum aliter ſtatuere non potuiſſe, cum alias rationem afferre non potuiſſet, unde animæ rerum ſenſibilium cognitio, per ſenſus reparanda innotuiſſet, antequam in corpus immitteretur. IV. Et hinc ſine dubio opinio quoque Platonis de pluribus, una, animis in homine derivanda eſt, quam in ſequentibus enarrabimus. Vtrum vero per illud, quod in anima ex diverſo eſt, ὄχημα illud, ſive materiale animæ vehiculum intelligendum ſit, quod Platoni placuiſſe, & σῶμα αὐγοειδὲς, *corpus ſplendidum* eſſe, quibusdam ejus interpretibus viſum eſt, [ff] dici vix poteſt, cum nullibi mentem hac de re clare expreſſerit. Hoc vero magna doctrina & ingenio demonſtravit cel. MOSHEMIVS [t] hanc de vehiculo animæ opinionem non demum in juniorum Platonicorum cerebro enatam eſſe, ſed fuiſſe dogma canæ antiquitatis, unde conjici poteſt, nec Platoni ipſi ignotum intactumque manſiſſe, cum non inepte cum reliqua ejus pſychologia cohæreat. V. Ex dictis vero origo quoque mali in anima ex Platonis mente deriuari poteſt. Quemadmodum enim in anima mundi accidit, ut ex diverſo, id eſt, ex materia participans, mali in ſe ſemina habeat, etſi meliore ſui parte divinæ originis, uti ſupra latius dictum eſt; ita etiam cum anima humana comparatum eſt, quæ, cum animæ mundanæ naturam acceperit, propter illud, quod ex materia accepit, mali in ſe gerit initia, antequam in corpus demergitur. Patebitque ex iis, quæ de partibus animæ dicturi ſumus, revera inde originem mali derivaviſſe Platonem, quod præter

Origo mali moralis.

p) In *Philebo l. c.*
q) *Philoſophum. c. XIX. p. 119.*
r) In *Tim. Plat. §. LI. p. 298.*
s) Vid. MOSHEM. *ad* CVDW. *c. I. §. 24. p. 32.*
f) *Lib. I. adv. Mathem. f. 203.*
ff) Apud PSEVDO-ORIGENEM *l. c.*
t) Ad CVDWORTH. *p. 1031. ſeqq.*

præter rationalem partem, etiam ſenſualem anima acceperit. [u] VI. Tandem ex dictis lucem quodammodo capiunt, quæ de animæ facultate movendi Platoni placuerunt. Et Plato quidem animam ſubſtantiam dixit, quæ ſe & alia moveat. [v] Qua ratione vero id fiat, corporea an incorporea? diſtincte non expreſſit, forte quod in ancipiti argumento, quod hodie philoſophorum maximorum & judicandi facultate Platoni longe ſuperiorum acies nondum totum perſpexit, quo modo anima in corpus agat? aqua ipſi hæſerit. Iuniores vero Platonici, quibus ſe jungit CVDWORTHVS, [w] modo id tantum incorporeo fieri, id eſt, cogitatione, ratiocinatione, deliberatione contendunt. Verum hoc ex parte tantum verum eſt; quatenus enim anima a materia aliquid participat, motusque etiam ſenſualis auctor eſſe creditur, id quoque corporeo modo, pulſuque materiali fieri neceſſe eſt. Nam & ita de mundi anima ſtatuit, quanquam fatendum ſit, Platonem ſibi hic quoque non ubique conſtare, ſatisque prodere, ſe non ſatis quæſtionis hujus nodo, quem plerique ſecarunt magis, quam ſolverunt, fuiſſe parem.

XVII. Cum univerſum Deus conſtituiſſet, aſtris parem numerum diſtribuit animarum, ſingulis ſingulas adhibens, eisque tanquam vehiculo impoſitis monſtravit univerſi naturam, ac leges fatales edixit: oſtendens quidem primam omnibus generationem ordine quodam unam fore, ne quis ab eo minus ſortiatur. Satis autem & quaſi ſparſis animis per ſingula ſingulis convenientia temporum inſtrumenta, fore ut animal naſceretur, quod omnium animalium maxime cultui divino eſſet deditum. Eſſe autem naturam hominis geminam, cujus id genus fore præſtantius, quod viri nomine ſit appellandum. Cum vero animæ corporibus neceſſitate quadam fuerint inſertæ, & corporibus earum acceſſerit aliquid viciſſimque abſceſſerit; primum utique neceſſario ſenſum unum omnibus intimum & naturæ conjunctum illic a violentis paſſionibus excitari, deinde voluptate & dolore mixtum amorem, poſthæc metum & iram, & quæcunque vel hæc ipſæ ſequuntur, vel ab iſtis ut contraria diſſident. Hæc qui ſuperaverint, eos juſte victuros, injuſte vero, qui ab his fuerint ſuperati. Atque illum, qui recte curriculum vivendi a natura datum confecerit, ad illud aſtrum, cui accommodatus fuerat, reverſum beatam vitam acturum; contra vero agentem cogi in ortu ſecundo ſexu mutato fieri mulierem; & qui ne tum quidem finem peccandi faciet, quatenus depravatur, eatenus in brutorum naturam ſuis moribus ſimilem permutari, nec prius a laboribus mutationibusque ceſſare, quam illam ſibi inſitam ejusdem ipſius ſimilisque naturæ converſionem ſecurus ipſe, eique ſubjiciens, turbulentos multiplicesque affectus, poſtea ex igni, aqua, aëre & terra contractos, ratione ſedaverit, & ad primum optimumque ſui habitum jam redierit. Quæ cum Diis inferio-

 ribus

u) Eleganter de his commentatur MOSHEM. *l. c. p. 242.* hoc uno a noſtra opinione diverſus, quod animæ meliorem partem ex ipſa Dei conditoris natura immediate natam eſſe putat, quod nos ad animæ mundanæ fontem retulimus.

v) In *Phædro, l. X. de legibus, & alibi.*

w) *l. c. p. 1015.*

ribus ita conſignaviſſet, neque penes ſe futuræ pravitatis cauſa eſſet, alios in terram, alios in lunam, alios in alia temporis inſtrumenta ſpargens quaſi ſerebat. Poſt hujusmodi ſementem, diis junioribus, quod reliquum erat agendum mandavit, ut corpora mortalia fingerent, quantumque eſſet, quod humanæ naturæ reliquum huic deberet accedere, id omne, & quæ conſequentia eſſent, adjungerent, regerentque, & quam optime ac pulcherrime fieri poſſet, mortalis animalis naturam gubernarent, niſi ipſum ſibimet malorum cauſa eſſet. Deſcribendus erat totus locus Platonis, [x] etſi longiuſculus, quia pleraque, quæ de animæ humanæ naturæ & fatis tradidit, ex eo cognoſcuntur: quamvis & hic obſcurus ſit Plato, & quæ aliis locis tradidit, non queant omnia apte cum his conciliari. Sed nos huic loco, qui in hujus argumenti genere primaria ſedes eſt, inſiſtentes, notamus I. Præexiſtentiam animarum numero ſideribus parium manifeſte induci, quæ poſtea recentioribus Platonicis occaſionem dedit, multa de ſtatu & conditione animarum, antequam in corpus ingrederentur, comminiſcendi. Nec mirum, ad hanc opinionem dilapſum eſſe Platonem, cum aliam animarum originem detegere non poſſet. II. Leges naturæ univerſalis tanquam vincula animis fuiſſe injunctas, ut ſcilicet motui a Deo materiæ inordinatæ impreſſo, ut ordine ferretur, & formaretur, obtemperarent. Id quod ex ſuperioribus explicandum eſt, qua malignitati materiæ Deus ordinem, ſapientiam & bonitatem adjecit, & ut totus ita mundus, animante anima indita, optime ferretur, quantum materia patiebatur, conſtituit; cui conformiter anima hominis, ſi felix eſſe vellet, vivere debebat. III. Eſſe tamen in anima ejusque conjunctione cum corpore neceſſariam originem mali & infelicitatis. Et maxime quidem laborat eo loco Plato, ut Deum, quem optimum rerum conditorem parentemque eſſe noverat, ab hac infamia liberaret; incidit vero in ſcyllam, charybdin evaſurus, dum talem animæ naturam datam eſſe aſſerit, quæ ob id, quod ex immorigera & maligna materiæ vi & niſu innato in ſe habebat, cupiditatum fluctibus eſſet obnoxia. Vnde IV. neceſſario fluit, omnem felicitatem animæ in eo conſiſtere, ut pars rationalis irrationali parti, ex elementis, uti ſupra diximus, & hoc loco perſpicue aſſerit Plato, conflatæ imperet, & ita ad principium ſuum eluctetur. Quod cum V. in plerisque hominibus non fieri obſervaret, excogitavit remedium aſſumta animarum migratione, quæ ex corporibus diſcedentes, ſi bene vixerint, ad ſidera delati novum deſcenſum priori non deteriorem expectarent, ſi male egiſſent, in deteriora corpora migrarent, ſicque multis iſtis periodis tamdiu excruciarentur, donec conſumta quaſi, & ſubacta materiali animæ parte, cui poſt mortem apud inferos varias purgationes aſſumtis theologiæ vulgaris fabulis aſſignabat, [y] id quod divinæ immutabili & per ſe exiſtenti ſubſtantiæ ſimile eſt, vicerit, quo demum ad primam beatitatis ſedem

x) In Timæo *loc. cit.* Vſi quidem ſumus ut in reliquis FICINI verſione, ſed meretur CICERO quoque conferri, qui ut magis Latine vertit, ita, quædam clarius expreſſit.

y) *De legibus l. X. T. II. p. 886.*

ſedem migrat, [z] quem locum eſſe ſupra mundum nullis ſenſibus comprehendendum, ſed mente intelligibilem dicebat. Ita Plato, quæ in Ægypto & Italia de ſtatu animæ poſt funera audiverat, in rem ſuam vertit, & eadem fere de animarum migratione tradidit; quare, quæ ſuo loco hac de re diximus, cum his comparari debent, multam lucem fœneratura. VI. Diſcimus vero ex his quoque, quicquid in homine præter divinam partem eſt, ex elementis, uti ſupra jam obſervatum eſt, Deos minores congeſſiſſe, indeque factum eſſe, ut animæ in corpora demerſæ non ſuo proprio motu uterentur, ſed ab illis varie jactarentur. Et hæc quoque cauſa eſt, cur corporis tam exigua nobilitas ſit, in Platonis philoſophia, quod carceri & ſepulchro pluribus locis aſſimilat, eo quod rationalis animæ pars & divina illo quaſi impeditur, & quæ irrationalis eſt, & in corporis membris, ſanguine, ſpiritibus habitat, eam impedit, & vincit, quo minus ad felicitatis ſuæ originem aſcendat & emergat. [a] Cui fundamento, uti poſtea dicemus, tota philoſophia moralis Platonis nititur. Reliquas ſubtilitates Timæi ut enarremus, locus & inſtitutum non patitur; ſperamus vero eum, qui ad hæc probe attenderit, reliqua ſine interprete eſſe intellecturum.

XVIII. Sunt itaque tres in homine animæ partes, quarum divina, ne ulla mortalium contagione, niſi quantum ſumma neceſſitas cogeret, polluereturr, ſeorſum ab illo in alia corporis ſede mortale poſuerunt genus animæ, atque a pectore caput cervice & collo interjecto ſeparaverunt: in pectore vero & thorace mortale genus animæ poſuerunt: partemque animæ fortitudinis iracundiæque participem contentioſamque capiti propinquiorem fecere, inter diaphragma cervicemque mediam, ut hæc obediens rationi una cum ipſa cupiditatum genus vi illata coërceat, ſi quando rationis in arce capitis habitantis juſſa cupiditas reſpuat. Poſtremo eam animæ partem quæ eſculenta & poculenta cupit, & reliqua omnia, quibus corpus indiget, concupiſcit, mediæ regioni inter diaphragma & umbilicum applicaverunt. [b] Multus & ingenioſus quoque eſt Plato, in deſcribenda hac partium animæ per membra corporis diſtributione, oſtendendo, quem in finem cuilibet ex tribus his animæ partibus illa membra, & imprimis interna viſcera inſerviant. Quam bene vel male id fecerit, & annon commenta ingenii in naturalibus non ſatis exercitati, quam naturam humani corporis & experientiam conſuluerit, aliis diſpiciendum relinquimus, qui examen philoſophiæ Platonicæ inſtituent: hoc vero obſervandum eſſe monemus, ita loqui interdum Platonem de tribus his animæ partibus, ac ſi tres tantum eſſent ejusdem animæ facultates, interdum ita eas deſcribere, ac ſi tres in uno homine eſſent animæ, rationalis, cupiditati, & iræ ſubjecta. Id quod Platonis interpretibus occaſionem exhibuit, prolixe de hac

z) Ita vero præmia & pœnas poſt mortem ſibi non ſatis conſtare jam notavit PSEVDO-ORIGEN. *c. XIX. p. 121.* & prolixe oſtendit IO. BAPT. CRISPVS *de Platone caute legendo l. II. ſ. 3.* conf. BALTVS *defenſe de SS. Peres accuſer de Platoniſme l. III. c. 5. ſeq. p. 285. ſeqq.*

a) In *Phæd. T. I. p. 66.*

b) In *Timæo T. III. p. 59.*

re diſceptandi. [c] Nos certa ab incertis diſtinguenda eſſe putamus. Qui enim ea, quæ de animæ origine ſupra ſecundum Platonem diſſeruimus, probe conſiderat, deprehendet, rationalem ab irrationali parte eſſentia & natura ſua differre, cum illa ejusdem & ſibi ſimilis naturæ ſit, hæc a diverſo, dividuo, & mutabili, adeoque ex materia quadam, etſi ſubtiliore, & ad ſimilitudinem animæ temperata ortum naturamque acceperit: unde ſupra ſuſpicati ſumus, in hac irrationali anima Platonem id conſtituiſſe, quod ὄχημα τῆς ψυχῆς ſequioribus diſcipulis vocatum eſt. An vero concupiſcibilem & iraſcibilem animam eſſentiali ratione & differentia inter ſe ſeparaverit, nec ne? nobis quidem ex Timæo tam clarum non eſt, ut tuto & ſine oppoſiti formidine afferere vel negare audeamus. [d] Quicquid vero placuerit Platoni, hoc certum eſt, ipſas tamen irrationalis animæ partes diverſas eſſe, ab ipſo ſanguine, nervisque, in quibus habitat & movet, videturque illud intellexiſſe, quod poſt eum celeberrimi multi naturæ interpretes ſpirituum animalium nomine intellexerunt, quamvis hi ad caput etiam pertineant, ad quod ſenſibili animæ aditum ille negavit, arcemque rationalis partis conſtituit. Verum quis accurate inter ſe conſonantia expectabit a viro, qui in condenda naturali philoſophia animi potius abſtractas notiones, & ingenii commenta, quam veritatem naturæ duces habuit?

XIX. Anima eſt immortalis & cauſa motus, quia & ſe & alia movet. Nam & vitæ cauſa eſt, & circa res verſatur, quæ eadem ſemper ſunt, ſibique ſimiles, & immortales; & earum rerum reminiſcitur, quæ ante ingreſſum in corpus noverat. Summa hæc eſt, diſputationis elegantis, quam in *Phædone* [e] Socrati morienti tribuit, cujus dialogi ſcopus eſt, animæ immortalitatem demonſtrare. Ita vero in hac re verſatur Plato, ut partim hypotheſibus ex Italica ſchola receptis, & a Socrate non facile admittendis, nitatur, partim inter argumentorum non ſatis firmorum incertitudinem vehementer fluctuet, & ad probabilitatem tantum ea reducat. [f] Ipſam vero hanc veritatem in Ægyptiorum & Italicorum ſcholis poſt Socratem acceptam non potuit non admiſſis ſemel principiis de origine animæ aſſerere, unde etiam diſcimus, hoc de rationali tantum anima, quæ divinæ eſt originis, valere. Reliquas enim animæ partes a diis junioribus conditas mortales eſſe, in *Timæo* luculenter docet.

XX. Subjecit Deus animas neceſſitatis fative legibus, quas antequam eas in corpora demitteret, edixit, ut ſi iis obtemperarent, felicitatem conſequerentur. [ff] Quæ alibi [g] ita enarrat: *Quæcunque anima, Dei comes factus, id quod revera eſt, perſpexerit, ea usque ad alteram circuitionem a ſupplicio erit immunis, & ſi poſſit perpetuo id facere, perpetuo erit*

c) Prolixe hac de re actum *obſerv. Hal. Lat. T. IX. p. 180. ſeqq.* conf. MOSHEM. *ad* CVDW. *p. 35. not. 24. p. 242. n. V.*

d) Interim tamen anima eatenus una eſt, quatenus una eſt anima mundi ex eodem & diverſo compoſita.

e) *T. I. p. 69. ſeqq.*

f) Conf. quæ diximus in diſſ. *de ſecta Elpiſtica* quæ *T. V. Miſc. Berolin.* locum occupat ultimum.

ff) In *Timæo. conf. l. X. de rep. T. II. p. 617.*

g) In *Phædro.*

erit illæſa. Id quod concinne CHALCIDIVS [b] exponit: *Legi qui pareat, ſequaturque principis Dei veneranda veſtigia, beatam ſemper vitam agit, juxta legis perpetuæ ſanctionem, quod eſt juxta fatum.* Quid vero fatum ſit, ex ſupra dictis intelligi poteſt, quibus animæ ortum delineavimus. Tum enim fati leges, id eſt totius naturæ ordinem & combinationem motumque optimum a Deo impreſſum iis edixiſſe oſtendimus. Quare non inepte FICINVS [i] fatum definivit: *immobilem quandam in anima mundi rerum mobilium diſpoſitionem.* Ita tamen Plato animam ſubjecit fato, ut ejus divinam proprietatem, libertatem non tolleret. Vnde non omnia fato decreta eſſe PLVTARCHVS [k] quoque monuit, & CHALCIDIVS; *quædam fato fieri, alia porro ex hominum arbitrio, & voluntate proficiſci.* Id quod inde perſpici quoque poteſt, quod Plato animabus facultatem adſcripſerit, recedendi a legibus fati, quibus tamen ſequelam fati, nempe longiores periodos & labores imminere aſſerit. Id quod apte iterum CHALCIDIVS: *Quod præcedit, in nobis eſt, quod ſequitur, ſecundum fatum.* Eſt itaque fatum nihil aliud, quam æterna conſtitutio ordoque divinæ providentiæ, quem ad pulcherrime & ſapienter conſtituendum mundum Deus animæ mundanæ, & per eam mundo impreſſit; qua ratione fatum Platonicum cum Stoico confundi non debet: hoc enim deterioris conditionis eſt. [l] Accipiendum itaque tantum de rerum naturalium ordine & ſequela, quod CICERO [ll] habet: *Prudentiam divinam in terris neceſſitatem ab Academicis vocari, quia nihil aliter poſſit, atque ab ea conſtitutum ſit, inter quaſi fatalem & immutabilem continuationem ordinis ſempiterni: nonnunquam quidem eandem fortunam, quod efficiat multa improviſa hæc, nec opinata nobis propter obſcuritatem ignorationemque cauſarum.*

§. XXVII. Non vero de anima ſolum verum etiam de corpore hominis noſter differuit philoſophus, quæ hic expendenda eſſent, in deſcribenda ejus philoſophia naturali niſi limites operis, quod molimur, ea excederent. Adeundus itaque ejus *Timæus* eſt, ubi multa, quæ huc pertinent, differuntur, quæque in hiſtoria medicinæ melius, quam in hac noſtra philoſophicæ hiſtoriæ enarratione leguntur. Obſcuritatis vero Platonis tædio ab hac lectione abſterritos jubemus ea conſulere, quæ elegantiſſimæ eruditionis medici DANIEL CLERICVS [m] & IO. HENR. SCHVLZIVS [n] hac de re enarrarunt. Sunt in his multa, quæ falſa & commentitia eſſe, noſtra ætas detexit, quæque monſtrant, valuiſſe magis Platonem in metaphyſicis, quam phyſicis. Sunt tamen etiam quædam, quæ contemni non debent, in quibus cum Hippocrate haud raro concordat. Vnde, licet debili fundamento, ſuſpicatur CLERICVS: [o] Platonem, qui iisdem fere *Corpus.*

b) In *Tim. Plat. p. 278.*
i) Ad *l. XII. de leg. p. m. 607.*
k) *De plac. phil. l. I. c. 27.* conf. ALCINOVS *c. 26.*
l) Conf. VOSSIVS *de Idol. gent. orig. l. II. c. 46. p. 559. ſeqq. Otium Vindel. Mel. I. p. 86.*
ll) *Acad. Qq. l. I. c. 6.*
m) *Hiſt. de la medecine P. I. l. IV. c. 3. p. 261. ſeqq.*
n) *Hiſt. medic. Per. I. ſect. III. c. 6. §. 26. ſeqq.*
o) *l. c. p. 266.*

re temporibus cum Hippocrate vixit, etſi ei pauliſper ætate ſuppar, quique plerumque principia Hippocratica ſequitur, multa ex ejus ſcriptis in Timæum ſuum tranſtuliſſe.

III. Mathematica.

§. XXVIII. Tandem & mathematicarum diſciplinarum chorum philoſophiæ theoreticæ adjecit Plato, quas ad animi præparationem, & emendationem intellectus circa ideas verſaturi requirebat. Nihil vero de iis, quanquam in illis valebat, ex inſtituto tradidit, ſed earum tantum neceſſitatem uſumque in philoſophica republica [p] commendavit, ut homines abſtractis & generaliſſimis notionibus aſſueti per diſciplinas iſtas diſcerent a ſenſibilibus ad intellectualia ſe attollere, rerumque eſſentias ipſas contemplari, in quo ſummam ſapientiam conſtituit. Laudat itaque arithmeticam, ſi quis eam cognoſcendi, non cauponandi gratia, diſcat, quod ea animum ad hoc inducat, ut ipſa intelligentia utatur ad veritatem ipſam percipiendam. Ita & Geometriam, ait, eſſe cognitionem ejus, quod ſemper eſt, & attollere animum ad veritatem, atque ita ad philoſophandum præparaturam animum, ut ad ſupera convertamus, quæ nunc contra, quam decet, ad inferiora dejicimus. Aſtronomiam, contendit, animos ad ſuperiora dirigere, & cœleſtium varietate utendum eſſe, velut exemplo quodam ad ſupernarum rerum contemplationem. Idem de muſica diſputat. Quæ omnia ita roborat, ut vehementer in eos inſurgat, qui humanæ utilitatis cauſa has diſciplinas tantum excolunt: id quod in Socraticos dictum eſſe, ita a magiſtro inſtitutos, ex eorum hiſtoria palam eſt. Et tamen hæc diſſerentem introducit Socratem, qui & hic, ſi audiviſſet, recitata dixiſſet: quam multa de me mentitur adoleſcens.

Philoſophia activa.

§. XXIX. Tandem & philoſophiæ activæ rationem habendam eſſe cenſuit Plato, cujus duas partes fecit, moralem & civilem, utramque theoreticæ philoſophiæ ita adaptavit, ut doctrina ejus de principiis divinis, de

I. Ethica.

materiæ conditione, animæque natura fundamentum totius ethicæ conſtituerent. Etſi vero genuinus Socraticus Plato videri voluit, nec moralem tamen philoſophiæ partem, ut Socrates & ſinceri ejus diſcipuli, ſolam tantum excoluit, nec integram, ut nec reliqua, una tractatione edidit, ſed diſperſa moralia dogmata paſſim in dialogis diſſeminavit: quæ in unum recte ordinem colligere, magnam attentionem ad principia ſupra explicita, poſtulant. Non itaque operam perdent, qui vel ALCINOVM, [q] vel APVLEIVM, [r] quorum uterque poſt brevem CICERONIS [s] enarrationem moralem philoſophiam Platonis expoſuerunt, ducem ſequentur, ita tamen, ut ipſum Platonem ſemper reſpiciant, & ipſum ejus ſyſtematis nexum ex oculis nunquam dimittant. Quod an ſemper fecerint, qui ex recentioribus hanc operam præſtiterunt, [ff] valde dubitamus. Sed abjicienda eſt

p) *Lib. VII. T. II. p. 522. ſeqq.*
q) *Intr. in Plat. c. 27. ſeqq.*
r) *De dogm. Plat. l. II. p. m. 295. ſeqq.*
s) *Acad. Qq. l. I. c. 5.*
ff) Inter hos ſunt CHR. IAVELLI *Moralis philoſophiæ Platonicæ diſpoſitio Ven. 1536. 8.* de qua vid. *act. phil. vol. III. p. 210.* MAGNI DAN. OMEISII *Ethica Platonica Altdorf. 1698. 8.* IO. IOACH. ZENTGRAVII *Specimen doctrinæ juris naturalis ſecundum diſciplinam Platonicam, aliique.*

eſt nimia Platonis veneratio, qui morali hac philoſophiæ ſuæ parte, ſi non omnibus, quibus præcipue IO. BAPTIST. CRISPVM, [t] eximendum laudamus, plerisque tamen vehementer placuit. Recte enim æſtimantibus, & ad vera dogmatum principia attendentibus patebit, non mancam tantum ſed & abſurdam eſſe & ineptiis otioſi ingenii magis, quam naturæ humani animi, & ſenſus interni atque conſcientiæ experientia, vel juſtis rationis principiis eam niti, & ex abſurdo emanationis principio, quod in ſpiritualibus poſuit, materiæque falſo & inani conceptu pleraque fluere, quibus effectum eſt, ut tota ethica Platonis ad enthuſiaſmum philoſophicum ducat, [u] animumque vera emendatione non purget, quicquid etiam hac de re jactet: [v] ad quod virum hunc metaphyſicis notionibus indulgentem Pythagorica ſchola, quam in plerisque expreſſit, ſeduxiſſe videtur. Cavendum etiam eſt, Platonis ethicam in ipſis ejus dialogis ſcrutaturo, ne aliena dogmata, quæ plerumque ea fini affert, ut refellat, pro Platonicis habeat, cujus exemplum eſſe poſſunt ea, quæ de ſummo bono in Philebo [w] differit. Verum de hac reliquisque cautionibus lectorem ſupra jam monuimus. Iam audiemus ipſum Platonem.

Specialiter conſiderata.

§. XXX. I. Illud quod honore maxime dignum putatur, & ſupremum eſt bonum, nec facile invenitur, nec poſtquam inveneris, in omnes vulgandum eſt. Paſſim [x] ita Plato loquitur, cujus cauſam partim in præſentis vitæ conditionem & imbecillitatem rejicit, partim in homines umbras præ ſolis radiis eligentes & ſequentes: qua ratione ad eos alludit, qui ideas, quæ in philoſophia quoque morali ejus ſummum apicem conſtituunt, riſerunt. Ceterum cum ſummum bonum ipſe Deus ſit, mirum non eſt, eandem aſſertionem etiam ſupra de conditore mundi occurrere.

II. Noſtrum ſummum bonum conſiſtit in ipſa primi boni ſcientia. Primum vero bonum Deus ſive mens eſt. [y]

III. Omnia, quæ ab hominibus bona dicuntur, hactenus dici bona poſſunt, quatenus aliquid ab illo primo & præſtantiſſimo bono trahunt. Prolixe de utroque tum in *Philebo*, [z] tum de legibus, ubi comparatione cum ſole illuſtrat, ſummumque bonum deſcribit, quod non tantum bonum, iis, quæ cognoſcuntur, dat, ſed & eſſe & eſſentiam largitur, cum ipſum eſſentia non ſit, ſed ſupra eſſentiam, dignitate ipſam & potentia exſuperans. [a]

IV. Bonum hominis pulchrum, venerandum, divinum, amandum, apte conſtitutum, ac poſtremo beatitudo noſtra eſt. [b]

V. Ex iis quæ in nobis ſunt, mens ſola atque ratio ipſius boni quandam conſequitur ſimilitudinem. Cauſa quærenda eſt in divina origine animæ.

VI.

t) *De Platone caute legendo.*
u) Conf. cel. HANSCHIVS *de enthuſiaſmo Platonico Sect. V. ſeqq. p. 71. ſeqq.*
v) Conf. THOMASIVS *Hiſt. Inr. nat. c. II. §. 11.*
w) *T. II. p. 20.*
x) In *Parmenide T. III. p. 134. De republica l. VI. T. II. p. 505. 506.*
y) *l. c.*
z) *T. II. p. 20.*
a) *l. VI. T. II. p. 505.*
b) In *Euthyd. T. I. p. 279. ſeq.*

VI. Eorum, quæ vulgo dicuntur bona, cujusmodi ſanitas eſt, formaque & robur, nec non divitiæ & dignitates, nullum prorſus bonum eſt, niſi cum virtutis uſu fuerit conjunctum. Separata enim ab ipſa virtute materiæ tantum inſtar ſunt, atque iis, qui male utuntur, mala.[c]

VII. Philoſophorum animi ingentibus quibusdam bonis referti ſunt, & poſt corporis mortalis interitum, divinis adhibentur epulis, veritatisque campum una cum Diis circumluſtrant, ridentque ſtultitiam eorum, qui umbris terræ exſatiantur. Totus hac in re demonſtranda Plato eſt in *ſexto & ſeptimo libro de republica*, ubi ſummum bonum in intuitione idearum, id eſt, rerum per ſe, & ſemper eodem modo perſiſtentium collocat. Cujus fundamentum in phyſiologia Platonis jam deteximus. Eleganti vero hoc ſimilitudine illuſtravit,[d] quam, quia mirifice argumento difficili & obſcuro lucem accendit, in lectoris gratiam, quantum poteſt, breviſſimis verbis explicabimus. Iubet in animo repræſentare ſubterraneum quoddam in antro domicilium, cujus ingreſſus longiſſime pateat in univerſum antrum ad ipſam lucem; in eo homines adeſſe a pueritia ita conſtrictos cervices ac crura, ut ea tantum ſpectare poſſint, quæ ſunt ante oculos, capita vero vinculis aſtricta minime circumvertere queant. Sit porro, inquit, a tergo ignis ſplendor ſuperne & eminus emicans, ac inter ignem & vinctos illos homines via ſuperior adſit, & murus ſeorſim conſtructus, ut hominum viſus arceatur. Poſt hunc murum homines jubet fingere, qui non conſpiciantur, varia tamen vaſa, hominumque & animantium ſtatuas & imagines lapideas circumferant, ita ut parieti ſuperemineant, illi vero partim loquantur, partim ſileant. Iam vincti, pergit, illi homines nihil ſui vel aliorum videbunt, præter umbras, quæ in ſpeluncam ab igne in adverſam partem cadunt, quia, ita conſtricti ſunt, caput movere ut non valeant. Par ratio quoque erit eorum, quæ circumferuntur. Quod ſi illi inter ſe poſſint colloqui, iisdem nominibus rerum umbras vocabunt, quibus res ipſas. Et ſi echo ex adverſa carceris parte reſonaret, quoties prætereuntium aliquis loqueretur, nihil aliud loqui exiſtimabunt, quam ipſam illam tranſeuntium umbram veritatemque rerum in iſtis umbris quærent. Horum aliquis ſi ſolveretur, & cogeretur continuo exurgere, collum circumverſare & lucem aſpicere, is certe dolebit, & propter ſplendorem res, quarum umbras viderat, contueri non poterit, & ubi nugas prius umbrasque vidiſſe, nunc autem rebus ipſis propinquior eſſe moneretur, & quis quilibet prætereuntium ſit, monſtrando reſpondere cogeretur, dubius hærebit, arbitratus, veriora illa eſſe, quæ antea cernebat, quam ea, quæ tunc ſibi primum oſtenduntur, immo lucis ſplendore vehementer affectus doloreque compulſus, illam fugiet, ad ea ſe converſurus, quæ poteſt aſpicere. Hinc, infert Plato, conſuetudine opus erit, & primo quidem umbras facillime conſpiciet, poſtea in aquis hominum animaliumque imagines, tum quæ in cœlo ſunt, cœlumque

c) In *Protag. T. I. p. 351. In Gorg. T. I. p. 467.*

d) *T. II. p. 515. ſeqq.* conf. ALCINOVS *c. VI. Hiſt. de ideis Sect. I. §. 6. p. 116.*

que ipſum noctu facilius contemplabitur, aſtrorumque & lunæ lucem, quam ſolem ejusque lucem interdiu. Tandem ipſum ſolem aſpiciet, non ejus in aqua vel alibi imaginem, ſed ipſum per ſe in ſua propria ſede, ſicuti eſt, intueri poterit: quem deinde auctorem temporum, moderatoremque omnium rerum, quæ in mundo fiunt, eſſe, ratiocinando colliget, hisque gradibus illum in modum aſcendet, reliquorum vero in antro relictorum miſeriam ſtatumque deplorabit, & extrema potius patietur, quam ut revertatur in priorem locum. Illis vero, ubi forte reverſus fuerit, ſtatum ipſorum deteſtatus, riſum movebit, corruptorumque oculorum inſimulabitur.[e] Ita mirum in modum eleganter Plato non idearum tantum doctrinam ſed potiorem quoque totius moralis philoſophiæ partem explanavit, ut pleraque, quæ momentum trahunt, in ea ſimilitudine comprehendantur. Poteramus hæc enarrare luculentius, ſi ſpecum Platonis, in celebre optices artis phænomenon, quod cameram obſcuram vocant, mutaremus; nam ejus imagines ideas umbratiles & ſenſuales Platonis melius referunt; ſicque totum fere philoſophiæ moralis Platonicæ ambitum enarrando complecti. Sed limitibus tractationis noſtræ a longiore excurſione arcemur, unde ad ea lectorem dimittimus, quæ alibi a nobis dicta ſunt, ipſumque Platonem legendum commendamus, qui dictione quoque in hac parte ſumme eſt elegans.

VIII. Bonum & pulchrum in cognitione primi boni & pulchri conſiſtit.

IX. Bonorum duo ſunt genera, humanum & divinum.

X. Si quid ſeparatum primique illius expers ſit eſſentiæ, hoc ab incipienti quidem appellatur bonum, majus vero poſſidenti malum eſt. [f]

XI. Solum, quod honeſtum eſt, bonum eſt. Scilicet utilitatem veram in aſcenſu ad ſuperiorem cauſam & aſſimilatione divinorum quærebat Plato, quæ maxime honeſta putabat. Vnde utile & honeſtum revera apud eum juncta ſunt, ut late diſputat in *Alcibiade*.[ff] Hinc ſequentes aſſertiones fluunt:

XII. Ergo virtus per ſe eligenda eſt, & quia divina res eſt, doceri non poteſt, ſed a Deo confertur. [g]

XIII. Qui hanc ſcientiam conſecutus eſt, feliciſſimus eſt, & nihilominus beatus, licet illi ea, quæ vulgo mala putantur, infamiæ, exilia, mors, eveniant.

XIV. Contra, homo ſine hac ſcientia, licet cuncta, quæ vulgus bona prædicat, poſſideat, divitias, ſanitatem, honores, beatus non eſt. [h]

XV. Scientiæ hujus finis eſt, Dei ipſius, quoad humanum genus id aſſequi poteſt, ſimilem fieri. [i] Tranſtulit hunc philoſophiæ moralis finem Plato ex Italica philoſophia in ſuam ethicam, ſed cum aliqua mutatione. Pythagoras enim hominis animum rite purgatum tandem in Deum ipſum

e) *Hiſt. de ideis l. c.*
f) *De rep. l. VI. T. II. p. 491. 505. Euthyd. T. I. p. 281.*
ff) *T. II. p. 116. ſeq.*
g) In *Menone T. II. p. 98. 99.*
h) In *Euth. l. c.*
i) Paſſim hæc jactat: in *Philebo, Theæteto, Phædone, de leg. l. IV. T. II. p. 716.*

reducebat, Plato vero, animæ partem rationalem ex divina mundi anima, quæ a Deo quidem emanavit, eo tamen eſt deterior, derivavit, unde ultimum finem non alium potuit ſtatuere, quam illum, quem humani generis conditio & animæ natura pateretur. [k]

XVI. Conſiſtit vero illa ſimilitudo in prudentia, juſtitia ſanctitate, temperantia: [l] quas voces interdum pro ſynonymis accepiſſe videtur. Interdum enim in juſtitia, alibi in temperantia, &c. hanc ſimilitudinem ponit. Vocat id etiam, Deum ſequi.

XVII. Ad hæc conſequenda gradibus opus eſt, ut primo ad boni dæmonis habitum emergamus, unde εὐδαιμονία dicta eſt, tandemque ad ipſam DEI ſimilitudinem accedamus. [ll]

XVIII. Cognoſcenda itaque homini miſeria, & agnoſcendum corpus carcer eſſe, ex cujus vinculis mens liberanda & ad cognoſcendam veram & eſſentialem naturam adducenda eſt. [m]

XIX. Ad hæc conſequenda opus eſt, ut & naturam quis nactus ſit aptam, & mores ac educatio & ſenſus cum lege congruentes accedant, & diſciplina a ſapientibus tradita adhibeatur.

XX. Hac ratione homo ab humanis rebus ſemper magis recedit, verſaturque in contemplatione earum rerum, quæ intelliguntur tantum.

XXI. Ad hanc præparationem, per mathematicas diſciplinas recte initiamur. [n]

XXII. Sed & exercendus animus in ſubjugandis pravis cupiditatibus, & aſſuefaciendus ad laborem philoſophicum. [o]

XXIII. Virtus animæ affectio eſt perfecta, & optima, quæ exornat hominem, eundemque firmum ac conſtantem reddit, tum vero conſonum, qua in agendo, qua in dicendo, ſive ſolus id agat, ſive cum aliis. [p]

XXIV. Ex virtutibus diverſæ, diverſis animæ partibus præſunt, ac rationalis quidem perfectio, prudentia, iraſcendi potentiæ fortitudo, concupiſcendi temperantia eſt. [q]

XXV. Prudentia bonorum malorumque, & quæ media ſunt, eſt ſcientia; temperantia eſt apta cupiditatum atque appetituum moderatio, ut rationali parti obediat; fortitudo eſt legitima decreti difficilis ac non difficilis obſervatio.

XXVI. Iuſtitia vero eſt conſenſio quædam horum inter ſe omnium, facultaſve, quæ efficit, ut tres animæ partes inter ſe conveniant, utque ſingulæ

k) Conf. SCHEFFER. *de Phil. Ital. c. VII. p. 42. Amoen. Lit. T. VII. p. 573.* ORIG. *philoſoph. c. XIX.*

l) *In Theæt. T. I. p. 176.*

ll) *de leg. l. IV. T. II.* conf. *Cratyl. T. I. p. 402.*

m) In *Phæd. T. I. p. 66. ſeqq. de rep. l. VII. T. II. p. 517. Cratyl. l. c. p. 400.* conf. *Hiſt. de ideis S. I. p. 105. ſeq.*

n) Prolixe hæc *de rep. l. VII. T. II. p. 515. ſeqq.* Adeo vero hoc enthuſiaſmo philoſophico ſibi placuit Plato, ut regni regisque felicitatem in hac animi ad intelligibilia converſione verſari putaret vid. *Ep. VII. T. III. p. 341.*

o) *De legibus l. VII. p. 804.* Id, ut reliqua etiam a Pythagoreis deſumtum. conf. BVDDEVS *Anal. hiſt. phil. p. 409.*

p) In *Gorgia T. I. p. 506.* ubi generali tractatione de virtute differit.

q) In *Protagora T. I. p. 329. de rep. l. IV.* conf *Obſ. Hal. Lat. T. IX. p. 195. ſeqq.*

gulæ in eo, quod iis proprium eſt, cum dignitate verſentur, ſicque ratio imperet, reliquæ obediant.

XXVII. Ita vero inter ſe cohærent hæ virtutes, ut ſeparari nequeant: unde, qui peccat, id præter rationem rectam ab eo fit, atque per imperitiam & imprudentiam; ut nemo poſſit prudens eſſe, quit ſit aut intemperans, aut timidus. [r] Multa talia & in hunc ſenſum paſſim de virtute diſputat, ita tamen ut alibi [s] quoque aliorum definitiones virtutis examinet & rejiciat: ad quod probe attendendum eſt, ne aliena Platoni affingamus. Ipſe tamen ſibi non ſemper conſtat, quia metaphyſicæ notiones, quas ſequebatur, morali parti non ubique poſſunt apte ſatis & feliciter applicari. Ludit quoque, more ſuo, vocibus, & idem interdum virtutis nomen variis ſignificationibus exprimit, unaque interdum appellatione diverſas virtutes indicat, quod occaſionem exhibuit viris quibusdam doctis [ſſ] de contradictionibus Platonis in doctrina de virtute conquerendi: quæ tamen ſi non omnes, pleræque tamen tolli poſſunt, ſi ad hanc obſervationem, a Laërtio jam adhibitam, & olim lexicis Platonicis confirmatam attendatur. Ita, temperantiæ nomine interdum [t] univerſalem virtutis rationem exprimit, totamque animarum moderationem & imperium eo innuit, ſicque juſtitiæ jungit; interdum parti animæ infimæ, quæ cupiditati obnoxia eſt, præficit regendæ: quanquam putet, nimis longe, a parte rationali hanc concupiſcibilem animam (veniam verbo exoramus) diſtare, quam ut tota compeſci queat.

XXVIII. Virtutes perfectæ ſunt, nec creſcunt, & decreſcunt, ut vitia. [u]

XXIX. Affectus eſt ratione carens animæ motus, ex bono aliquo excitatus aut malo: Nam a parte rationali non oriuntur, ſed ab iis partibus, quæ ratione carent: hinc ſæpe invitis nobis naſcuntur & reluctantibus. [v]

XXX. Simplices, præcipuique affectus & quaſi reliquorum elementa ſunt duo, voluptas & dolor, cæteri ex iis conſtant & formantur. [w]

XXXI. Affectus alii agreſtes, alii manſveti ſunt: hi natura hominibus inſunt, & ſi modum teneant, neceſſarii ac proprii ſunt hominibus, ſin excedant vitioſi ſunt, e. c. voluptas, dolor, ira, miſericordia. Agreſtes ſunt, qui præter naturam ſunt, & ex depravatione aliqua vel prava conſvetudine oriuntur, e. g. humani generis odium. [x]

XXXII. Voluptas & dolor a natura in nobis concitantur.

XXXIII. Plures voluptatum ſpecies ſunt, quarum aliæ corporis, aliæ animæ: aliæ intemperantes & injuſtæ, aliæ moderatæ & cum bono conjunctæ. [y] Hic occaſio Platoni enata de voluptate intemperanti corpo-

r) In *Protag. l. c. p. 345.* quæ tamen limitat *de legibus l. IX. p. 861.*
s) In *Men. T. II. p. 70. ſeqq.*
ſſ) Conf. *Obſ. Hal. T. IX. obſ. VII. p. 252. ſeqq.*
t) In *Charmide T. II. p. 161.*
u) In *Phæd. T. III. p. 102.* conf. PSEVDO-ORIG. *l. c. p. 124.* hinc diſci poteſt, qua ratione a Platone diſcedat Ariſtoteles.
v) In *Phædro T. III. p. 238.*
w) In *Philebo T. II. p. 47. 48.*
x) *De rep. l. IV. T. II. p. 431.*
y) In *Philebo T. II. p. 50. ſeq.*

ris plura conquerendi; quod occaſionem viris doctis præbuit ſtatuendi, relegaſſe omnem corporis voluptatem ex philoſophiæ moralis cancellis Platonem: cujus tamen contrarium melius placuit aliis. [z] Non enim Plato rejecit motus animæ infimæ, cujus maxima pars in voluptate corporis conſiſtit, ſed ratione regendos eſſe & a fortitudine cogendos in ordinem præcepit, id vero & rarius & difficulter fieri ſtatuit.

XXXIV. Amicitia proprie dicta non aliter, quam per mutuam fit & reciprocam benevolentiam, cum uterque non minus de alterius, quam de ſua eſt ſollicitus felicitate, quæ æqualitas conſervatur per morum ſimilitudinem. [a]

XXXV. Amatoria eſt ſpecies amicitiæ, & juxta tres animæ partes, tres habet ſpecies, turpis enim a ſola corporis voluptate abripitur, & eſt brutalis: honeſta animi virtutes reſpicit; media utramque & corporis & animæ appetit pulchritudinem. [b] Multa de amore hoc garrit Plato, quæ ipſe non ſatis intellexiſſe videtur, plura poſt eum nugantur, & neſcio quæ obſcura myſteria venantur Platonici recentiores. Platonem vero veterem traditionem de dæmone aliquo magno, demiſſo in naturam humanam non recte cepiſſe, & amori ſuo, id quod non intelligebat, applicuiſſe, alio loco [c] manifeſtum fecimus.

I. Politica. §. XXXI. Civilem philoſophiam Plato tum libris de republica, tum de legibus inſtruxit, prolixeque, qua ratione civitatem beatam fieri poſſe credat, expoſuit. Tantumque hac reipublicæ idea ſibi placuit, ut ſperaret, poſſe ſe talem civitatem condere, quæ legibus ſuis pareret, modo locus & auctoritas accederent; quod eum impulit, ut hujus demum promiſſi rationem apud Dionyſium haberet, cum Siciliam adiret, uti ſupra narravimus. Recte vero viris acutis, & ad ſocietatis humanæ naturam attendentibus obſervatum eſt, [d] fictam & in cerebro tantum Platonis enthuſiaſmo philoſophico repleto hanc, quam condidit, rempublicam conſiſtere poſſe. Nam ad hæc omnia tandem collineant, ut ita & cives & magiſtratus inſtituantur, ut ad idearum rerumque per ſe exiſtentium contemplationem, corporis ſubjugatione, notionum abſtractione, intellectus ad divina aſcenſu atque elevatione perveniant. Qua ratione tota tandem respublica, omnesque quas præſcripſit leges, ad fanaticiſmum quendam hominumque metaphyſicis ingenii luſibus & nugis ſalutem publicam quærentium imperium relabitur. Nihil itaque de hac politica Platonis philoſophia hic afferemus, quod

z) Conf. quæ ex una parte BVDDEVS *Anal. Hiſt. phil. diſſ. de καθάρσει §. 20. de ἀσκήσει §. 19.* ex altera DODWELLVS *diſſ. Cyprian. III.* differunt. Conf. MORHOF. *Pol. T. II. l. I. c. 7. §. 20.* OMEIS. *Eth. Plat. p. 137. ſeqq.* EVSEB. *Præp. l. XIII. c. 20.* aliique. *Obſ. Hal. T. VI. p. 235.*

a) In *Lyſid. T. II. p. 214.*

b) In *Convivio T. III. p. 201.*

c) In *Otio Vindel. Mel. I. p. 42.* Hinc dijudicanda PICI diſſ. *de amore Platonico*, quam STANLEIVS *Hiſt. Phil. p. 357. ſeqq.* inſeruit. Nec hæc ex Platone ſunt, ſed ex Platonicis ſequioribus, Porphyrio, Proclo & ſimilibus, quorum cogitationes nugas eſſe, hæc ipſa tractatio memorabili exemplo confirmat.

d) MENAG. *ad* LAERT. *l. III. ſ. 21.* IOH. GEORG. PASCH. *de fictis rebuspublicis*, BOSIVS *de compar. phil. civ. §. 14.* CONRING. *de civili prud. c. XIV. p. 349.* BOECLERI *bibliograph. crit. c. XLIV. p. 643.* Neque tamen pulchra quoque multa in his libris occurrere negari poteſt: ſermo vero eſt de rep. Platonica.

quod ad ſpecialem ejus conſiderationem pertinet, ſomniis ejusdem tempus atque locum recte invidentes. Pauca hæc, quæ ſummam quaſi conficiunt, adjicimus, ut ex ungue cognoſcatur leo:

I. Reſpublica juxta diviſionem animæ in tria membra diviſa eſt, in cuſtodes, adjutores & artifices: primi conſulunt & imperant; ſecundi armis rempublicam propugnant; poſtremi artes & miniſteria tractant.

II. Ea eſt feliciſſima reſpublica, ubi principes philoſophi ſunt, & primum contemplantur bonum.

III. Nunquam a malis liberabitur humanum genus, niſi aut philoſophi regnent, aut qui regnant, divina quadam ſorte philoſophentur. [e]

IV. Formæ reipublicæ quinque dantur; prima ariſtocratia, cum optimates imperant; ſecunda, timocratia, cum ambitioſi regunt; tertia, democratia, cum populus; quarta oligarchia, cum pauci; poſtrema tyrannis, quæ omnium eſt peſſima. [f]

V. Quævis vero respublica, imprimis ægrotans, (id eſt Platonicæ ideæ non reſpondens) emendanda, requirit ex omni ætate electos homines, qui pro diverſitate vel naturæ ſuæ vel loci diverſa quoque egent inſtitutione & educatione.

VI. In his imperfectis rebuspublicis communio mulierum locum habere non poteſt, ſed demum in perfecta, ut plena ratio cupiditati imperat. [ff] Turpem Platoni maculam affricuit hæc mulierum communio, [g] quam tamen alii excuſarunt. Obſcurum vero cum ſit, quam potiſſimum de ea re opinionem ſecutus ſit Plato, nos ſententiam cohibemus.

VII. Eſt itaque politice virtus, quæ in actione ſimul & contemplatione verſatur, cui propoſitum, bonam, beatamque ſibique convenientem efficere civitatem. [i]

§. XXXII. Ita celebratiſſimæ Platonis hiſtoriæ potiores partes quanta potuimus diligentia excuſſimus; ſuperſunt ſucceſſores in Academia, qui ad initia Romanæ monarchiæ locum obtinuerunt. Magnam vero ſemper exiſtimationem hæc ſchola non inter Græcos tantum, verum etiam inter Romanos nacta eſt, licet a Platone mature deflecteret. Quæ variatio Academiæ occaſionem dedit eam in veterem, mediam & novam diſtinguendi. Et vetus quidem Academia ea eſt, qua genuini Platonis diſcipuli præceptoris placitis inſtiterunt, & dogmatica quadam ratione Platonicam philoſophiam profeſſi ſunt. [k] Qua in Academiæ prima periodo, Speuſippus, Xenocrates, Polemon, Crates & Crantor in cathedræ ſucceſſione Platonicam philoſophiam nobilitarunt. Aliter, quæ hos ſecuta eſt, Academia media, quæ non relictis quidem, inter myſteria tamen retentis Platonis doctri-

Succeſſores Platonis.

e) *De republ. l. V. p. 471.*
f) *In Politico T. II. p. 291.*
ff) *De rep. l. V T. II. p. 457. 461. in Tim. T. III. p. 18.*
g) Vid. I. BAPT. CRISPVS *l. c.*
h) Conf. IOH. GEORG. PASCHIVS *de variis modis trad. moralia c. I. §. 18. p. 561.*
i) ALCINOVS *c. 33.*
k) Non negat hoc HVETIVS *de la foibleſſe de l'esprit humain l. I. c. XIV. §. 16. p. 108.* ſummus Academiæ mediæ cultor. conf. SEXT. EMP. *Pyrrh hyp. l. I. c. 33. p. 122.* AVGVSTIN. *de C. D. l. XIX. c. 1.*

doctrinis de imbecillitate humani intellectus, & cognitionis incertitudine acriter disputavit, novamque prorsus faciem Academiæ induxit, [l] in qua eo tempore Arcesilaus, Lacydes, Evander, & Egesinus docuerunt. Nec hoc satis; sed variavit etiam nova Academia, auctoribus Carneade & Clitomacho; quos qui secuti sunt, non ita presse institere ejus vestigiis, ut non quartam & quintam Academiam ideo memorent quidam veterum, docente in illa Philone & Charmide, in hac Antiocho. Horum itaque omnium historia & doctrina eo magis enarranda est, quo magis non exiguam philosophiæ Græcanicæ partem Academia constituit, & Academica philosophandi ratio sub Romanis summam famam consecuta est, qua de re suo loco ex instituto dicemus.

l) Scripsit olim teste EVSEBIO de *præp. l. XIV. c. 9.* NVMENIVS librum, *de Platonis & Academicorum discrepantia*, multum lucis ad historiam hujus sectæ afferentem, sed is, magna historiæ philosophicæ jactura periit. Conf. IONSIVS *de Script. Hist. phil. l. III. c. 10. p. 264.*

* *

SECTIO II.

DE ACADEMIA PRIMA, SIVE VETERI.

§. I.

Speusippus post Platonem Academiam regit.

Platonis excussa historia, discipuli restant & sectatores, quorum vita, fata atque placita jam porro enarranda sunt. Quorum primi cum genuinam magistri mentem doctrinis suis expressserint, a reliquis secerni solent, vocarique Academia vetus atque prima, quæ ex sinceræ philosophiæ Platonicæ affeclis constitit. Horum primus fuit, cathedramque Platonis post præceptoris mortem occupavit SPEVSIPPVS, Athenienſis, pago Myrrhinusius, Potones, Platonis fororis ex Eurymedonte filius: [a] qua sanguinis conjunctione commotus Plato Speusippum in familiam recepit suam, domesticisque instructum documentis, ut ait APVLEIVS, [b] propriæ vitæ exemplo reformavit, & ex neptium suarum filiabus unam ei in matrimonium tradidit, triginta tantum minarum oblata dote, quam tamen Chio talento auxit, [c] Speusippus vero accipere diu recusavit, donec tandem humanitate magis viri optime ei cupientis, quam dotis magnitudine, ut acciperet, commoveretur: tantum poterat Platonis auctoritas, ut etiam consanguineis & familiaribus prodesset. Eadem quoque causa Speusippo accidit, ut Dioni post relictas Syracusas Athenis apud Platonem commoranti intima familiaritate jungeretur. Cum enim Dio natura esset severiori indole, & tum maxime a Dionysio patria pulsus ira & indignatione haud semel excruciaretur, Plato placidis Speusippi atque jucundis moribus ejus severitatem

a) LAERT. *l. IV. s. 1.* SVIDAS in *Speusip. T. III. p. 362.*
b) De dogm. Platon. l. I. p. m. 283.
c) CHION *Ep. III. ed. Cujac.* conf. STANLEI *Histor. phil. P. IV. c. I. p. 381.* PLVT. *ad adul. & amic.*

tem mitigari cupiens, amicitiam inter eos junxit arctiſſimam, quod modum eum lætitiæ tenere, temporisque atque loci momenta rite noſſe intelligebat. Fuerat vero & Platonis in ultimo ejus in Siciliam itinere comes, [d] familiariusque cum civibus Syracuſanis, quam Plato, converſabatur, eorumque ſibi apte animos jungebat, adeo, ut fiducia tandem haud exigua concepta, per eum Dionem exorarent, ut omiſſa parandi exercitus atque claſſis cura, ad evertendam tyrannidem ſolus ad ipſos rediret, ipſisque caput ad concutiendum tyranni regnum ſe jungeret. Speuſippus itaque Athenis redditus, multis verbis Dionem ad bellum contra Dionyſium ſuſcipiendum excitavit, Siciliæque auxilia promiſit, nec fruſtra. Ita enim ejus exhortationibus commotus eſt Dion, ut copias ſibi clanculum compararet, & expeditionem in Siciliam ſuſciperet, qua de re, qui hæc pluribus narrat, audiendus eſt PLVTARCHVS [e] Dio vero in Siciliam rediens, cum cariſſimum ſibi haberet Speuſippum, ſuburbanum, quod ſibi comparaverat, Athenas delatus, ei dono dedit. Poſt avunculi mortem, quam Olymp.CVIII.1. accidiſſe ſupra diximus, ſcholæ Academicæ præeſſe cœpit, octoque annos præceptoris philoſophiam docuit, [f] didactrum vero, ſecus ac Plato fecerat, a diſcipulis exegit, [g] habuitque inter auditores Laſtheniam quoque Mantineam, & Axiotheam Phliaſiam, [h] quas Platonem quoque audiviſſe ſupra memoravimus. Non tenuiſſe tamen ſe intra philoſophiæ cancellos familiaritatem ejus cum his feminis, acriter ei exprobravit Dionyſius. [i] Infirmiſſima vero valetudine corporis cum eſſet, vehiculo in Academiam ferebatur; [k] quo modo vectus cum ei Diogenes obvius fieret, isque ſalutatus reſpondiſſet: tu vero minime ſalve, quem, talis cum ſis, vivere haut pudet; reſpondit, ſe animo vivere. [l] Paralyſi vero ſolutus tandem ad Xenocratem miſit, & ut ſcholam ſuſciperet, eum exoravit. [m] De morte ejus veteres variant. TERTVLLIANVS [n] in adulterio periiſſe ait, quod tamen fractum atque impotens Speuſippi corpus refutat; alii apud LAERTIVM [o] voluntariam ſibi mortem mœrore conſciviſſe tradunt; alii pediculari morbo extinctum volunt. Ingenio utebatur amœno & ad eruditionem ornandam aptiſſimo, animo vero & moribus diſcipulum Platonis non decentibus. Voluptatis enim & avaritiæ amorem amaris ei objecit verbis Dionyſius; [p] lucroque adeo intentus fuiſſe dicitur, ut non tantum mercedem a diſcipulis volentibus, nolentibus exigeret, ſed & poëmata quædam ſua parum probæ notæ mercede publice caneret, [q] nullamque turpis lucri occaſionem omitteret, modo

d) Commendavit eum Dionyſio Plato, vid. *Ep. I. Opp. T. III. p. 314.*
e) In *Dione T. IV. p. m. 648. ſeqq.*
f) LAERT. *l. IV. ſ. 1.* SVIDAS *l. c.*
g) *Ib. ſ. 2.* *h*) *Ibid.*
i) *Ib. ſ. 3.* ATHEN. *l. VII. p. 279. l. XII. p. 546.*
k) Timotheus apud LAERT. *l. c.*
l) *Ib. ſ. 1.* STOBAEVS *Serm. CCLXXIII. p. 583.* ita narrat: Diogenem Speuſippum cruribus ſolutum hortatum eſſe, ut ſe vita privaret, cui ille reſponderit: non cruribus nos vivere, ſed animo.
m) LAERT. *l. c. ſ. 3.*
n) In *Apologetico c. 46.* conf. PETAV. *rat. temp. l. III. c. 13. p. 162.*
o) *Ib. ſ. 3.* & viri docti *ad h. l.*
p) *l. c.*
q) Conf. STANLEI. *l. c. p. 382.* qui tamen teſtem non adducit.

modo vera ſint, quæ vel Dionyſius, ira in Speuſippum incenſus, ob Dionis amicitiam ei exprobrat, vel ex eo adducit ATHENAEVS, in congerendis ſine magna veritatis cura philoſophorum opprobriis juſto liberior. Iracundus quoque fuit, adeo, ut catulum præ animi impotentia in puteum abjeciſſe dicant, hincque eum ἀυσηρὸν τὴν γνώμην καὶ ὀξύθυμον εἰς ἄκρον vocat SVIDAS, [r] & HESYCHIVS quoque συβώταν, vocet, quod ſubulcum nominat, agreſtemque hominem [s] prodit. Quod quia cum moribus jucundis & placidis, quos in eo diligebat Plato, & Dioni propterea commendabat, non convenit, vel ita intelligendum eſt, Speuſippum, etſi placidiſſimi ingenii hominem morumque jucundorum, ubi ira commotus eſſet, omni humanitate excidiſſe, & ad auſteram & vehementiſſimam animi commotionem declinaſſe; vel ad illud vitæ ejus tempus referendum eſt, quo doloribus & morbis non corpore tantum, ſed & animo fractus & mœrore conſumtus, moribus quoque moleſtis & ab humanitate alienis corruptus fuiſſe videtur. Eruditionem vero poſſediſſe haud vulgarem, indices librorum ab eo conſcriptorum, qui apud LAERTIVM [t] aliosque [u] extant, produnt, ex quibus patet, non philoſophiæ tantum, ſed hiſtoriæ quoque philoſophicæ fuiſſe peritum: ad quam opus ejus de philoſophis [x] pertinuiſſe videtur: nihil vero eorum hodie ſupereſt, præter definitiones philoſophicas, [y] quæ inter Platonis opera extant, [z] quamquam eas ipſius Platonis eſſe cenſeat CASAVBONVS. [a] Dignum vero memoratu eſt, quod veteres referunt, [b] Ariſtotelem Speuſippi libros magno ære trium talentorum redemiſſe: quod argumento eſt, vel ſingularem eorum eruditionem Ariſtotelem incitaſſe, ut tanto pretio ſuos faceret, vel invidia fuiſſe ductum, ut abolitis genuinæ Platonicæ ſapientiæ monumentis, ipſius philoſophia caput melius extolleret, quod ab Ariſtotelis moribus non fuiſſe alienum hiſtoria vitæ ejus ſuo loco abunde docebit. Primus etiam Speuſippus Iſocratis arcana [c] edidit, quæ tamen cujus generis fuerint, inter arcana eſt, nec ſciri ſatis poteſt. Suſpicio tamen eſt, eſſe hæc ipſa, quæ μυροθήκιον CICERONI [d] ſunt appellata, artemque innuere rythmorum ſive numerorum oratoriorum, quorum cognitionem artis intimæ eſſe, ſed diſſimulandæ, ait IDEM. [e] Quam artem vel invenit, vel ad magnam accurationem perduxit Iſocrates, quo neminem in eo genere ſcientius verſatum TVLLIVS aſſerit. Fuit & alius Speuſippus, Medicus ex Herophili ſecta, veteribus paſſim memoratus, & cum philoſopho non confundendus. [f]

§. II.

r) *l. c.*
s) Conf. MENAG. *ad l. c.* LAERT.
t) *l. c. ſ. 5.*
u) MENAG. *ad l. c.* FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 230.* MEVRS. *Bibl. Att. p. 1610.* IONS. *de Script. Hiſt. phil. l. I. c. 10. p. 47.*
x) Meminit ejus LAERT. *l. IX. ſ. 23.* conf. IONSIVS *l. c.* quem exſcribit MENAG. *l. c.*
y) Citati FABRIC. *p. 19.*
z) *T. III. p. 411.*
a) Conf. MENAG. *l. c.*
b) LAERT. *l. c.* GELLIVS *N. A. l. III. ſ. 17.*
c) τὰ ἀπόῤῥητα, LAERT. *l. c.* qualia apud alios quoque oratores memorantur, vid. quæ collegit MENAG. *ad h. l.*
d) *Ad Attic. l. II. ep. 1.*
e) De *oratore* conf. M. CASAVB. *ad l. c. Laërtii.*
f) Conf. MENAG. *l. c.* FABRIC. *Bibl. Græc. vol. XIII. p. 427.*

§. II. Philoſophicorum dogmatum rationem qualem Speuſippus tenuerit, ex præceptoris philoſophia judicandum eſt: ab ea enim illum diſceſſiſſe, nuſquam legitur. [g] Quod ſi definitiones, inter Platonis opera extantes ad eum, ut plerique volunt, referendæ ſunt, facile inde connexio philoſophematum Speuſippi erui poteſt, ex quibus tamen luculenter patet, deſumtas eſſe ex Platone, ſive Speuſippum auctorem habeant, ſive alium, preſſis veſtigiis Platonem ſequentem. Vnum alterumque eſt, quod de eo narrant veteres hic non prætermittendum: *Doctrina Speuſippi.*

I. Primus in diſciplinis, quid eſſet commune inveſtigavit, easque, quantum fieri poterat, inter ſe junxit atque fœderavit. Ita LAERTIVS [h] ex Diodori *commentariis*. Qui cum μαθήματα nominet, vel de diſciplinis in genere, ut recte monuit cl. OLEARIVS [i] intelligi poteſt, vel de iis, quæ mathematicæ, ſignificatione vocis ſpecialiori, vocantur, quo ſenſu & STANLEIVS accepit, & accipiendum eſſe IS. CASAVBONVS [k] contendit, eo quod APVLEIO [l] teſte, *Plato primus tripartitam philoſophiam copularit, ſibique invicem neceſſarias partes, neque pugnare inter ſe tantummodo, ſed etiam mutuis adjuvare auxiliis oſtenderit.* Forte Diodorus, cujus verba refert LAERTIVS, de generali encyclopædiæ in Platonica ſchola receptæ ſyſtemate atque ordine intelligendus eſt, ut ita oſtenderit Speuſippus, qua ratione una veri & boni ratione omnes omnino diſciplinæ ſororio quaſi inter ſe copulentur vinculo.

II. Pythagoreorum veſtigia in philoſophando ſtudioſe preſſit. Nam ad Siculos cum Platone profectus, præſtantiſſimos Pythagoreorum philoſophos audiendi & conveniendi occaſionem nactus, & quem imitandi hos homines modum in avunculo vidit, ſtudioſe ſecutus eſt. Refertque AVCTOR *theologumenorum arithmeticorum*, [m] eum tum ex aliis Pythagoricis meletematis, tum præcipue ex Philolai libris jucundum libellum *de numeris Pythagoricis* conſcripſiſſe; ex quo conjici non ſine veriſimilitudine poteſt, libros Philolai a Platone magni redemtos, ſucceſſionis & hæreditatis jure ad Speuſippum perveniſſe. Quod ſi ARISTOTELI [n] fidendum, Speuſippus in hoc a Platone abiit, Pythagoræ propior, quod bonum ad unum, nempe Deum tantum, non ad ideas transtulit, unde eum θεόλογον vocat EVSTRATHIVS; [o] quanquam in eo quoque a Platone non tantum diſceſſit, quantum vult Ariſtoteles, cum & ipſe Plato bonum ſupremum ad unum, Deumque, & ipſas quoque ex hac cauſa ideas ad hunc fontem revocavit. Aliter tamen STOBAEVS, [p] qui *ſtatuiſſe* Speuſippum, refert, *mentem neque uni, neque bono ſimilem, ſed naturæ ſingularis eſſe;* qua de re, cum Speuſippi libri non extent, judicari non poteſt. Forte certa tantum ſignificatione, quoad naturæ ſcilicet divinæ excellentiam, id intellexit,

g) Manſiſſe in Platonis dogmate diſerte ait LAERT. *l. IV. ſ. 1.*
h) *l. c. ſ. 2.*
i) Ad STANLEI. *l. c. p. 381.*
k) Ad *l. c.* LAERT.
l) *l. ſupra cit.*
m) *pag. 61.*
n) *Ad Nicom. Eth. l. I. c. 4. T. II. p. 6.*
o) *Ad h. l. Ariſtot.*
p) *Eclog. phyſ. l. I. c. 1 p. 2.* τὸν νᾶν ἤτε τῷ ἑνὶ ἤτε τῷ ἀγαθῷ τὸν αὐτὸν. διάφυσιν δὲ ἔχειν.

tellexit, ratione cauſæ vero Deum cum Pythagora & Platone unum atque bonum dixit.

III. De criterio ita ſtatuiſſe, refert SEXTVS EMPIRICVS. [q] Quoniam ex rebus aliæ ſunt ſenſiles, aliæ, quæ cadunt ſub intelligentiam, earum quidem, quæ ſub intelligentiam cadunt, eſſe judicem rationem, quæ eſt ex ſcientia: ſenſilium autem, ſenſum, qui eſt ex ſcientia; quo ſcilicet modo tibicinis aut pſaltæ digiti artificioſam quidem habent operationem, ſed quæ non in ipſis primo perficiatur, ſed abſolvatur ex exercitatione profecta ex ratiocinatione; ſic ſenſum, qui eſt ex ſcientia, eſſe eum, qui eſt particeps veritatis ex ratione.

IV. Ex morali philoſophia Speuſippi hoc nobis dogma ſervavit CLEMENS ALEXANDRINVS: [r] Beatitudinem eſſe perfectum habitum in iis, quæ ſunt ſecundum naturam, aut habitum bonorum, quam conſtitutionem omnes quidem homines appetant, conjectent autem boni ἀοχλησίαν, moleſtiæ & conturbationis vacuitatem, virtutes autem felicitatem effecerint.

V. Ex civili doctrina hoc idem CLEMENS ALEXANDRINVS [s] ex Speuſippi libro *adverſus Cleophontem* adducit: Si regnum res bona eſt, & ſapiens ſolus eſt rex & princeps: lex, cum ſit recta ratio, bona fuerit. Patet ex hac doctrinarum philoſophicarum ternione, Speuſippum non tam re ipſa a Platonis ſententia diſceſſiſſe, quam verbis aliter rem expreſſiſſe: Facile enim ad Platonis φιλοσοφόμενα exigi, iisque aptari cuncta poſſunt.

Xenocrates. §. III. Speuſippo ſucceſſit XENOCRATES, quem ille morbo fractus ut Academiæ cathedram capeſſeret, rogaverat, Chalcedonius patre Agathenore [t] natus; qui enim Carthaginenſem faciunt, corrupta ſine dubio lectione nituntur. [u] Tempus nativitatis ejus varie veteres definiunt; AVCTOR enim Olympiadum natalem ejus refert ad Olymp. XCI. 1. unde ſequitur, eum duos ſupra centum annos exegiſſe, id quod placuit quoque MEVRSIO. [w] Nam Olymp. CX. 2. Speuſippo, ut ſupra dictum, ſucceſſit, ſcholam vero XXV. annos continuos rexit, unde ſequitur eum Ol. CXVI. fatis conceſſiſſe, id quod LAERTIVS [x] quoque confirmat, qui poſt bellum Lamiacum quod Olymp. CXIV. 2. finitum eſt, adhuc vixiſſe aſſerit. [y] Annos vero ætatis ei aſſignant pauciores, alii veterum; & LAERTIVS quidem LXXXII. LVCIANVS LXXXIV. quæ ſi vera ſunt, ad Olymp. XCV. demum natalis referri poteſt, id quod P. BAYLE [z] quoque & IO. IONSIVS [a] receperunt, qui Anonymum Olymp. ſcriptorem hic deferendum, & plurium teſtimonium unius aſſerto præferendum hic eſſe recte judicant: tota enim Xenocratis hiſtoria cum his temporum rationibus eleganter cohæret.

q) *Adv. mathem. l. VII. ſ. 145.*
r) *Strom. l. II. p. 418.*
s) *Ib. p. 367.*
t) Agathonem vocat SVIDAS in *Xenocr. T. II. p. 644.* Agathenorem LAERT. *l. IV. ſ. 6.*
u) Legitur enim in quibusdam Laërtii Codd. Καρχήδονιος, ſed corruptum id eſſe ex χαλκήδονιος Strabonis, Athenæi, Aeliani, Suidæ teſtimoniis recte probatur, conf. viri docti *ad h. l.* IONSIVS *de Scr. Hiſt. phil. l. I. c. 10. p. 50.*
w) *De archont. Athenienſ. l. III. c. 9. p. 113. 114. l. IV. c. 12.*
x) *Lib. IV. ſ. 14.*
y) *Ibid. ſ. 9.*
z) *Dict. T. IV.* art. *Xenocrates not. K. p. 514.*
a) *l. c. p. 51.*

ret. Initio Æſchini adhæſit, ei vero ſubtraxit, teſte ATHENAEO, [b] Plato, qui multam in formando ejus ingenio poſuit induſtriam. Erat enim ingenio hebes ac tardus, quæ cauſa fuit, ut eum cum aſino, Ariſtotelem vero, ignei & excitati ingenii adoleſcentem, cum equo Plato compararet, dicens, alterum freno, alterum egere calcaribus; itemque: quem ego aſinum cui equo jungo! [c] Erat præterea ſevera fronte atque ſubtriſti facie, unde Gratiis litandum illi eſſe præceptor dicere ſolebat; [d] qui cum eſſet humaniſſimis moribus, mores hos inurbanos ſeverius correxit, vehementer eum increpando. Æquiſſimo id tulit animo Xenocrates, & hortantibus, ut acrius Platoni reſponderet, hoc, dixit, conducit mihi magnoque mihi futurum eſt emolumento. [e] Credibile itaque non eſt, durius eum de Platone locutum fuiſſe, quod nonnemo jurisjurandi fide Platoni affirmabat, qui hoc de homine ſibi tantopere amato minime perſuaderi ſibi poſſe recte dixit. [f] Aliam enim fidem amoremque præceptoris ipſa vita ſuperiorem in Sicilia, ubi Platonem in aulam Dionyſii comitatus erat, prodidit: tyranno enim Platoni gravius ſuccenſente, atque mox affuturum dicente, qui caput ei auferret, id fieri non poſſe, Xenocrates præſens dixit, niſi ſuum prius auferatur. [g] Animi itaque patientia naturæ tarditatem ſuperavit, *nec profugit*, ut ait PLVTARCHVS, [h] *a diſcendo, ſed ultro in ſe ipſum dicteria conjecit, vaſis anguſti orificii, & æreis tabulis ſe ſimilem dicens, ut qui ægre doctrinam perciperet, perceptam firmiter conſtanterque retineret.* Ita vero ex cariſſimis Platonis diſcipulis unus evadens, magiſtrum vivum ſemper coluit, mortuum doctrina moribusque ſecutus eſt, magnum Academiæ veteris ornamentum. A Speuſippo morbo, uti ſupra memoravimus, impedito cathedram Platonis ſuſcepit Olymp. CX. 2. indignante Ariſtotele, cui cum Xenocrate nunquam bene convenit, [i] & ab hoc tempore per viginti atque quinquaginta annos ſcholam rexit, Platonicamque philoſophiam voce atque ſcriptis propagavit. Neque vero ſapientia tantum, ſed virtutum quoque ſanctitate clariſſimus habitus fuit apud Athenienſes, cujus luculentum exemplum narrant veteres; [k] cum teſtimonium dicere coactus, more civitatis, ut juraret, ſe vera omnia retuliſſe, adigeretur, univerſos judices conſurrexiſſe, proclamatumque, ne jusjurandum diceret, quodque ſibimet ipſis poſtea dicendæ ſententiæ loco remiſſuri non fuiſſent, ſinceritati ejus concedendum exiſtimaviſſe. Quam morum atque fidei integritatem cum non uno ſpecimine comprobaverit,

b) *Lib. XI. p. 507.*

c) LAERT. *l. IV. ſ. 6.* Inde aſino inſidens pingebatur, apud CHIFLETIVM de *gemmis Socratis, T. II. theſ. Gronov. tab. 41.*

d) LAERT. *l. c.*

e) AELIAN. *V. H. l. XIV. c. 9.*

f) VAL. MAX. *l. IV. c. 1.*

g) LAERT. *l. IV. ſ. 11.*

h) *De auditione T. IV. p. m. 144.*

i) Qua ratione Ariſtotelem, Platonis cathedram hoc adhuc vivo occupantem repreſſerit, narrat AELIAN. *l. III. c. 19.* quod tamen vero non eſſe ſimile infra in Ariſtotele probabimus, recteque notavit STANLEIVS *p. 383.* fruſtra defendente, ut Ariſtoteli ægre faciat PATRICIO *diſcuſſ. Perip. T. I. l. I. p. 4.* Illud veri ſpecie ſe magis commendat, quod LAERT. *l. IV. ſ. 3.* tradit, Ariſtotelem ex Aſia reducem cum Xenocratem in Academia docentem offendiſſet, æmulatione ductum in Lyceo ſcholam aperuiſſe.

k) VAL. MAX. *l. II. c. 10.* CICERO *ad Attic. II. 16.* LAERT. *l. IV. ſ. 7.*

mirum non eſt, eum talem apud Athenienſes fuiſſe. Ad Philippum Macedoniæ regem una cum aliis legatus miſſus, nec muneribus ſe corrumpi paſſus eſt, nec in privatum cum eo, ut ceteri, colloquium venire voluit. Quod cum apud Athenienſes indignationem primo moveret, quod nulla in re ceteris uſui fuiſſet, edoctis ab eo, quod reliqui muneribus a rege corrupti fuerint, tantam admirationem movit, ut eo majore ipſe honore afficeretur. Et Philippus quoque dixit poſtea, ex omnibus qui ad ipſum veniſſent, ſolum fuiſſe, cui muneribus corrumpi atque vinci nequiverit. [l] Ad Antipatrum quoque tempore Lamiaci belli miſſus legatus, ut capti ex Athenienſibus redderentur, ad cœnam invitatus Homericorum verſuum eleganti & accommodata reſponſione petita ſtatim obtinuit. [m] Alia continentiæ quoque exempla paſſim narrantur; [n] Alexandrum M. invidia Ariſtotelis ductum, ut ægre huic faceret, regium Xenocrati munus L. talentorum obtuliſſe, ex qua pecunia XXX. minas Atticas tantum acceperit, reliquam Alexandro remiſerit, quod opus per totam vitam tanta nummorum ſumma non haberet. Hanc cum rationem vitæ teneret, mirum non eſt, adeo pauperem fuiſſe, ut peregrinitatis tributum Athenienſibus ſolvere non poſſet; qui ideo tantum virum de ſe tantopere meritum vendiderunt. Eum vero Demetrius Phalereus emit & tributo ita reddito Xenocratem in libertatem aſſeruit, [o] tanta erat viri optimi & integerrimæ vitæ apud eum exiſtimatio. Eam vero apud omnes meruiſſe, plurimarum virtutum exempla demonſtrant. Caſtitatem ſervavit illibatam & incorruptibilem. Phryne enim, [p] nobile Athenis ſcortum (alii Laidem ponunt [q]) juxta eum in pervigilio accubuit, pignore cum quibusdam juvenibus poſito, an temperantiam ejus corrumpere poſſet; interrogantibus eam & deridentibus proximo mane adoleſcentibus, de homine ſe cum iis, non de ſtatua pignus poſuiſſe, reſpondit. Sunt quoque qui eum continentiæ ſtudio ſecare & urere verenda paſſum, contendant, [r] qui tamen continentiæ fortitudinem gravi jugo venereos ſtimulos ſupprimentem iſtis forte

l) LAERT. *l. IV. ſ. 8.*

m) Ibid. ſ. 9. PLVT. *in Phoc. T. II. p. m. 579.* BAYLE *l. c. not. L.*

n) CICERO *Tuſc. Qq. l. V. c. 32.* LAERT. *l. V. ſ. 10.* PLVT. *in Alex. T. V. p. m. 551.* SVIDAS *l. c.* VALER. MAX. *l. IV. c. 3.* STOBAEVS *Serm. XXXVII. p. 123.* qui pauliſper a reliquis abit.

o) Quæ inquilinorum, ſive *μετοίκων* apud Athenienſes ratio fuerit, quæ conditio, exponunt, qui antiquitates Græcas enarrant, & inter hos illuſtriſſimus POTTERVS *archæol. Græc. l. I. c. 10. p. 46.* Inter onera ab iis ferri ſolita tributum quoque fuit duodecim drachmarum, quod viri ſolvebant, ſex mulierum: qui *μετοίκοι* id tributum non ſolverant, abducebantur ad *τὰς πωλητὰς* & convicti vænibant. Vid. HARPOCRATION. v. *μετοίκιον p. 243.* & quos ex veteribus laudat MENAG. *ad l. IV. Laërtii ſ. 14.* Aliter PLVTARCH. in *Flaminio T. IV. p. m. 680.* qui Xenocratem a Lycurgo rhetore, publicanis eum ad carcerem penſionis ducentibus, ereptum eſſe refert, unde diverſa facta inde exſculpit BAYLE *l. c. not. H.* Obtulerat autem Phocion Xenocrati jus civitatis, ille vero accipere noluit, ut magis Athenienſibus prodeſſet, vid. PLVT. *in Phoc. l. c.*

p) LAERT. *l. IV. ſ. 7.* VALER. MAX. *l. IV. c. 3.*

q) Conf. quos ex veteribus laudat BAYLE *Dict. T. III.* art. *Lais, not. R. p. 36.* Solent ejusmodi hiſtoriolæ plerumque variis circumſtantiis ornari & augeri, quo recte quoque refertur, quod VAL. MAX. *l. c.* ait, vino gravem, cum obdormiviſſet, ita tentatum eſſe: hoc enim ſobrietati philoſophi dignis fide teſtimoniis probatæ adverſum eſt, & a reliquis aliter narratur, ſcilicet ſcortum ſimulans ac ſi quidam eam inſectaretur, ab eo in ædiculam & lectulum admiſſam ſruſtra eum tentaſſe.

r) Apud LAERTIVM *l. c.* qui tamen obſcurus eſt.

forte verbis depictam cum naturali corporis cruciatu confudiſſe videntur. Eximia etiam vultus animique gravitate tantam venerationem meruit, ut quod ſemel tantum in anno fiebat, [s] ex Academia in urbem iret, petulatium juvenum turba ejus conſpectum fugeret, [t] & Polemonem luxuriantem mira orationis efficacia ad frugem revocaret, quod in ſequentibus narrabimus. Sic & gloriæ atque faſtus contemtor extitit acerrimus, & quæ diei quavis agenda erant parte, ita animo ſingula diſpoſuit, ut longe majorem tribueret partem meditationi, partem etiam ſilentio: [u] quod etiam inter maledica aliorum colloquia ſervavit, faſſus, dixiſſe ſe, aliquando pœnituiſſe, tacuiſſe nunquam. [x] Clementiæ & bonitatis animi exemplum AELIANVS [y] affert, ad bruta eam etiam extendiſſe, & paſſerem quem accipiter perſequebatur, in ſinum ſuum ſe recipientem magna voluptate occultaviſſe, præterniſſo vero hoſte tum demum ſinu diducto dimiſiſſe, dicentem, ſupplicem ſeſe haud prodidiſſe. Et gulæ quoque continentiam ſervavit, parceque victu uſus eſt, adeo, ut ſi quando vini cadum accepiſſet, in vappam illud converteretur, antequam totum exhauriret: ſæpe & obſonia jam corrupta altero die projiceret, id quod in proverbium abiit [z] unde quæ de præmio, in certamine potatorio a Xenocrate reportato veteribus memorantur, in contrarium adduci eique objici vix poſſunt, moribus populi & conſuetudine philoſophorum Xenocratem excuſantibus. [a] Certe integrum vitæ ſcelerisque purum vixiſſe, & philoſophum, non dicto tantum ſed & facto expreſſiſſe, concors veterum teſtimonium loquitur, & ipſe a philoſopho requiri profeſſus eſt. [b] Scripſit multa, exhortationes & orationes magna copia, quibus & philoſophiam naturalem & moralem, & hiſtoriam ejus illuſtravit, & tum encyclopædiam univerſam tum mathematicas ſcientias explicuit, [c] quæ omnia tamen hodie deſiderantur. [d] Vixit usque ad annum Olymp. CXVI. primum, quo anno ætatis

s) In feſto Bacchanaliorum, ubi novas tragœdias ſpectabat PLVT. *de exilio.*

t) LAERT. *l. IV. ſ. 6.*

u) *Ib. ſ. 11.* qui tamen locus ſubobſcurus eſt; BAYLE *l. c. not. G.* per ſilentium, tempus intelligit, quo a publico docendi munere quievit. Verum ex STOBAEO *Serm. CXXVI. p. 385.* videre eſt, eum cum ſingulas horas certis negotiis deſtinaſſet, unam quoque exercendo ſilentio tribuiſſe, unde ad diſciplinam magis philoſophicam referendum eſt.

x) VALER. MAX. *l. VII. c. 2.*

y) *Lib. XIII. c. 31.*

z) *Xenocratis caſeus* STOB. *Serm. XXXIX. p. 137.* de rebus diu durantibus.

a) In certamine potatorio in feſto Bacchi auream coronam a Dionyſio propoſitam, qui plus bibiſſet, reportaſſe, eam vero Mercurio ante fores impoſuiſſe referunt ATHEN. *l. X.* AELIAN. *l. II. c. 41.* LAERT. *l. IV. ſ. 8.* Id quod haud levem ſobrietati Xenocratis maculam inurere videtur. Verum & ipſa gentis conſuetudo, nihil in eo contra bonos mores peccari ſibi perſuadentis & ejusmodi compotationes inſtituentis hæc mitius explicanda eſſe monet, conf. Rev. POTTERVS *Archæol. Græc. l. IV. c. 20. p. 770.* & exemplum Socratis a compotationibus non plane abhorrentis pro Xenocrate pugnat, & lex bibendi in Academia obſervanda, quæ noſtro debebatur, confirmat, ſi etiam concedamus, quod KVHNIVS ad *h. l.* Laërt. contendit, non Syracuſis, ſed Athenis id factum eſſe. Recte vero BAYLE *l. c. not. C.* obſervat, ſi id Syracuſis factum ſit, admodum juvenem fuiſſe Xenocratem, nec dicere hiſtorico, quod inebriatus fuerit.

b) PLVT. *de virt. mor. T. II. p. m. 399.*

c) Catalogum exhibet LAERT. *l. IV. ſ. 11.* ad quem quædam notavit FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. II. p. 68.* conf. IONS. *l. c. p. 51.*

d) Axiochum inter Platonis dialogos occurrentem Xenocratis eſſe, quem de morte conſcripſiſſe dicitur, FICINO viſum eſt, ſed rationibus deſtituto, conf. MENAG. *ad Laërt. l. c.* FABRICIVS *l. c.*

ætatis, ut ſupra indicavimus LXXXII. vel LXXXIV. [e] cum in pelvim forte noctu incidiſſet, fronte læſa obiit, & Polemonem ſucceſſorem reliquit. Fuerunt inter veteres & alii Xenocrates, quorum quinque nominat LAERTIVS octo FABRICIVS. [f] Inter hos unus Chalcedonius quoque fuit, noſtro junior.

Dogmata Xenocratis.

§. IV. In philoſophiæ vero placitis eandem, quam Plato, viam tenuit Xenocrates, nec magnopere ab ea philoſophandi ratione, quæ in Academia prima obtinebat, receſſit, id quod ex reliquiis philoſophematum ejus, quæ paſſim apud veteres memorantur, patet. Quia vero cum Platone in Italia & Sicilia fuit, & ſcholas Pythagoreorum frequentavit, mirum non eſt, eum etiam in eo Platonis veſtigia preſſiſſe, ut Pythagoreum philoſophandi modum ſequeretur, ut ex iis conſtat, quæ illi tribuuntur, quæ huc redeunt:

I. Ad philoſophiæ diſciplinam neminem admittendum eſſe, qui mathematicis diſciplinis non præparatus ſit. Hinc ad eum, qui neque muſica, neque geometria, neque aſtronomia inſtructus ad ejus diſciplinam admitti cupiebat, abi, inquit, anſis enim, id eſt, adminiculis philoſophiæ cares. Alii dixiſſe ferunt: apud me vellus non mollitur, [g] quo ſine dubio innuit, primam animi præparationem & e ruditate emollitionem non in ſcholis philoſophorum quærendam eſſe.

II. Rhetoricam eſſe ſcientiam, id eſt, artem bene dicendi. Hoc QVINTILIANVS [h] & SEXTVS EMPIRICVS [i] Xenocrati tribuunt, quorum hic & illud ei adſcribit, [k] dixiſſe rhetoricam opificem perſuadendi. Idem dixit PLATO, & uterque ad ſophiſtarum ſine dubio artem reſpexit. Eundem in modum Stoici, ſed diverſo ſenſu. [l]

III. Philoſophiam eſſe tripartitam, logicam, phyſicam & ethicam. Eandem diviſionem, etſi eam expreſſis verbis non tradiderit, ſecutum fuiſſe Platonem ſupra dictum eſt. Xenocrates vero diſtincto ſermone, ut ait SEXTVS, [ll] hæc expoſuit. Nec inelegans eſt FABRICII [m] conjectura, egiſſe de hac philoſophiæ diviſione Xenocratem in libro *de philoſophia*, quem ei tribuit LAERTIVS.

IV. In dialectica tractatione initium faciendum eſſe a vocis conſideratione. Xenocratem hoc nomine reprehenſum fuiſſe narrat PORPHYRIVS. [n]

V. Tria eſſe rerum genera, aliud ſenſile, aliud, quod cadit ſub intelligentiam, aliud vero compoſitum & opinabile. Et ſenſile quidem eſſe, quod ſit infra cœlum, ſub intelligentiam autem cadens eorum, quæ ultra cœlum ſunt, opinabile autem & compoſitum ipſum cœlum: ſenſui enim eſſe aſpectabilem, ſub intelligentiam autem cadere per aſtrologiam.

VI.

e) Prius LAERT. *l. c.* poſterius LVCIAN. *de macrob. T. II. p. m. 829.* tradit.
f) *ll. cc.*
g) LAERT. *l. IV. ſ. 10.*
h) *Inſtit. orat. l. II. c. 15.*
i) *Adv. Math. l. II. ſ. 6.*
l) *Vid.* SEXTVS *l. c.*
ll) IDEM *l. VII. ſ. 16.*
m) *ad h. l. Sexti.*
n) *ad Muſ. Ptolom. p. 193.*
k) *Ib. ſ. 61.*

VI. Cum hæc ita ſe habeant, eſſentiæ quidem, quæ eſt ultra cœlum, & quæ cadit ſub intelligentiam judicem, ſive criterium eſſe, ſcientiam; ejus autem, quæ eſt infra cœlum & ſenſilis, ſenſum; mixtæ autem opinionem.

VII. Ex his communiter, id quidem, quod judicat per rationem ex ſcientia, eſſe firmum, ſtabile ac verum, quod autem per ſenſum, verum quidem, ſed non ita ut quod per rationem ex ſcientia: compoſitum autem eſſe commune veri & falſi.

VIII. Ex opinionibus aliam eſſe veram, aliam falſam, unde etiam traditas tres eſſe Parcas, Atropon quidem eſſe eorum, quæ cadunt ſub intelligentiam, ut quæ non poſſit transmutari: Clotho autem ſenſilium, Lacheſin autem opinabilium. Nihil eſt in hac Canonica dialecticæ Xenocrateæ parte, quam nobis ſervavit SEXTVS EMPIRICVS,[o] quod non genuinum Platonis diſcipulum deceat, licet clarius expreſſerit, quæ Plato more ſuo ſubobſcure & per anfractus quaſi tradidit. Vterque enim res in intelligibiles & ſenſibiles diſtribuit, & illis notitiam rerum per ſe exiſtentium & eſſentias conſtituentium adſcripſit, quæ gignunt certam rei ſcientiam. Deinde nec veritatem quoque omnem rebus ſub ſenſus cadentibus Plato denegavit, ſed tantum per participationem rerum cœleſtium, id eſt intelligibilium & per ſe exiſtentium, ſive idearum, unde & rebus mixtis opinionem tribuit. Ipſa Parcarum comparatio cum tribus objectorum intellectus humani generibus a Platone eſt. Ei enim, teſte CHALCIDIO,[p] Clotho planetarum perplexus motus, Atropos ſphæra ἀπλανῆς fixarum, Lacheſis denique natura, quam res ſublunares ſortitæ ſunt, ſignificat.

IX. Monadem ac binarium Deos eſſe, illam quidem ut marem & patrem, ac cœli dominam, quæ etiam Iupiter, impar, & mens appellatur; hunc autem ut feminam & matrem, ac ſub cœlo imperantem, qui univerſi anima nuncupatur.

X. Divinum quoque eſſe cœlum & ignea ſidera deos olympios.

XI. Subter lunam dæmones eſſe alios inaſpectabiles eosque etiam per elementa materiæ penetrare; quorum qui per aërem tranſit, Iuno, qui per aquam Neptunus, qui per terram Ceres eſt. Vidit, qui hæc refert STOBAEVS,[q] non ſolum Stoicos hæc accepiſſe a Xenocrate, ſed ipſum a Platone id tranſſumſiſſe; priora enim de monade atque dyade ex Pythagoricis ſcholis deſumta ſunt, quæ non improbaſſe, etſi non ſecundum numerorum doctrinam differuerit, ſed ideas eorum loco introduxerit, Platonem ex dictis ſuperiori ſectione notum eſſe putamus. Quæ vero de diis partes mundi inhabitantibus dixit, Platonis menti conformia eſſe, ex anima mundi ab eo introducta, manifeſtum eſt, & jam obſervavit PLVTARCHVS.[r] Cum enim dii olympici nihil aliud ſint, niſi ideæ, ut ſupra probavimus, & Timæus loquitur, dii inferiores in anima mundi comprehenduntur & elementis, quæ iſta

o) SEXT. *l. c. f. 147. ſeq.*
p) *p. 237.*
q) *Eclog. phyſ. l. I. c. 3. p. 5.*
r) *De Iſid. & Oſir. T. II. p. m. 157.*

iſta anima penetrat, immittuntur. Quod magno conſenſu poſtea receperunt Stoici, qui tamen omnia ad primum DEVM referebant, in eo Platonicis, ipſoque Xenocrate deteriores. Sexus vero in divinis non Xenocratis inventum eſt, ſed antiquiſſimis, uti libro primo demonſtratum eſt, populis, & Orpheo quoque inter Græcos placuit, & ab his ad Pythagoreos venit, in quorum ſcholis id didicit Xenocrates, & quod de eodem & diverſo, in eundem fere ſenſum Plato differuit, Pythagoricis formulis expreſſit. Quid vero illi mares & feminæ in divinis ſint, quia alibi,[s] & ſupra quoque diverſis locis,[ff] explicuimus, hic explicandum otioſeque repetendum non eſt. Minus accurate itaque retulit ſententiam Xenocratis CICERO,[t] qui ita ejus doctrinam exhibet: *Nec vero ejus*, (Ariſtotelis) *condiſcipulus Xenocrates in hoc genere prudentior eſt, cujus in libris, qui ſunt de natura Deorum, nulla ſpecies divina deſcribitur. Deos enim octo eſſe dicit; quinque eos, qui in ſtellis vagis nominantur, unum, qui ex omnibus ſideribus, quæ infixa cœlo ſunt, ex diſperſis quaſi membris ſimplex ſit putandus Deus: ſeptimum ſolem adjungit, octavumque lunam, qui, quo ſenſu beati eſſe poſſint, intelligi non poteſt.* Vt enim demus, Xenocratem æque ut Platonem ſe religioni κρατοῦντι, & ſuperſtitioni populi accommodaſſe; patet tamen tum ex iis, quæ nobis ſervavit STOBAEVS,[u] tum ex ipſa comparatione phyſiologiæ Platonicæ, quam ſecutus eſt Xenocrates, eum ſtellas deos ideo dixiſſe, non quod ipſa hæc corpora cœleſtia dii ſint, ſed quod a Diis inhabitentur, & quaſi ab anima regantur. Vnde regio quoque ſuprema Deorum cœleſtium ſive idearum ſedes eſt, qua ſimul comprehenduntur,[v] quod male intellexit Vellejus, qui ex diſperſis quaſi membris unum ſimplicem Deum ſtatuiſſe Xenocrati affingit. Recte itaque cl. REIMMANNVS[w] monuit, tanti non eſſe Velleji apud Ciceronem teſtimonium, ut ei ſine formidine oppoſiti fides haberi poſſit: potuiſſet fidem ejus plane rejicere, & ad rationes a nobis adductas provocare, quæ ab hac impietate Xenocratem liberant. Id quod pulchre vidit CVDWORTHVS,[x] qui Stobæano loco adductus Xenocratem inter numinis aſſertores ponit, licet putet, eum ita a Platone receſſiſſe, ut non tria principia, Deum, ideam & animam mundi poneret, ſed duo, Deum & animam. Id quod aliter nobis videtur: monada enim & dyada nominando, nihil aliud dicere voluit, quam quod Plato dixit animam mundi conſtare ex dividuo & individuo, ex eodem & diverſo: & diverſa eſſe iſta emanationis principia.[y] Quicquid vero ſit de numero principiorum a Xenocrate in divinis admiſſorum, illud in-

s) *Amoen. liter. T. VII. p. 232. ſeqq. T. VIII. p. 326. ſeqq.*

ff) Omnes fere populi ſexum in divinis in Theologia exoterica agnoſcunt: quam abſurditatem philoſophos rationibus metaphyſicis emolliviſſe ſupra dictum eſt.

t) *De natura deor. l. I. c. 13.* *u*) *l. c.*

v) Idearum regionem vocari, ſupra obſervavimus.

w) *Hiſtor. Atheiſmi c. XXII. §. 6. p. 166.* Potuiſſet illis, quæ docte dicta ſunt, addere, non receſſiſſe a Platonis placitis Speuſippum, Xenocratem, Heraclidem Ponticum; ut ex comparatione placitorum pateſcit.

x) *Syſtem. intell. c. IV. §. 24. p. 512.*

y) Scilicet & monas & dyas ad ordinem rerum ſpiritualium in ſchola Pythagoræ, unde ſua deſumſit Xenocrates, hoc quidem ſenſu pertinent.

indubitatum eſt, abfuiſſe eum ab illa opinione, quæ non alios, niſi ſidera cœleſtia Deos putat, quam ideo fruſtra magno molimine refutat P. BAYLE,[z] qui nimis ſecure Vellejo Ciceronis fidit: quem ideo tam abſurdam Xenocrati ſententiam tribuiſſe, ut partem, adverſus quam diſputabat, eo vehementius urgeret, vero non abſimile eſt. Et facile potuiſſet veram Xenocratis mentem ſubolfacere Bælius, ſi ad ea attendiſſet, quæ poſtea ex PLVTARCHO[a] adducit, tanquam ſyſtemati Xenocratis theologico non ſatis conſonantia. Ait enim PLVTARCHVS: *Platonem, Pythagoram & Xenocratem & Chryſippum priſcorum theologorum imitatione genios hominibus robuſtiores exſtitiſſe, affirmaviſſe, & potentia noſtram naturam longe ſuperare, divina autem natura non ſincera aut pura præditos, ſed quæ animæ natura corporisque ſenſu comprehenſa, voluptatis eſſet doloriſque capax, aliisque id genus obnoxia affectionibus, ac mutationibus, quibus alii magis, alii minus turbentur: nam ut in hominibus ita etiam inter dæmones eſſe virtutum & vitiorum diſcrimina.* Ex hoc enim loco non ſolum manifeſtum eſt, Xenocratem in doctrina de dæmonibus a Platone non receſſiſſe, ſed & ratio patet, quomodo ex eodem & diverſo compoſiti ſint, ut ipſa mundi anima, in qua exiſtunt, quidque velit dyas illa, quam Xenocratem ſtatuiſſe Stobæus dicit. Certe hi dæmones a materia, ſive mundi potius partibus, quas inhabitant, quasque cum illis confudit Vellejus, ex Xenocratis mente diſtinguendi ſunt.

XII. Animam eſſe numerum, qui a ſe ipſo moveatur. Definitionem hanc, e Pythagoreorum quoque ſcholis translatam in Academiam multis præſtantiſſimis viris perſuaſit, teſte PLVTARCHO,[b] recte vero monuit P. BAYLE,[c] longe aliam, quam nos de numeris habemus, notionem ſibi in hoc aſſerto effinxiſſe, quam nobis eſſe incertiſſimam, cur non fateamur? Receſſiſſe vero pauliſper a Platone in eo Xenocratem, idem[d] obſervat, Plato enim animam non numerum ponit, ſed ordinatam ratione numeri.[e]

XIII. Stellas & ſolem ex igne & primo denſo compoſitas eſſe, lunam autem ex ſecundo denſo, & peculiari aëre, terram ex aëre, aqua & tertio denſo, omnino autem neque denſum ipſum per ſe, neque rarum eſſe capax animæ. Sequitur in hac quoque parte, ut recte obſervat PLVTARCHVS,[f] Xenocrates Platonem, qui ſtellarum quoque unamquamlibet ex terra & igni concinnatam pronuntiavit per intermedias naturas proportione datas: nihil enim ſentiri cui nihil terræ & luminis ſit admixtum.

XIV. Quicquid eſt, aut eſſe bonum, aut malum, aut neque bonum neque malum. Affert hoc Xenocratis dogma SEXTVS EMPIRICVS,[g] qui & inductionem exponit, qua id demonſtrare aggreſſus eſt. In libris *de felicitate,*

z) *l. c. not. I. p. 513.* a) *l. c.*
b) *De animæ gener. ex mente Timæi T. III. p. m. 75.* Scholia inedita ad Dionyſ. Thracem, apud FABRIC. *Bibl. Græc. Vol. II. p. 68.*
c) *l. c. p. 514.*
d) *l. c. p. 93.*
e) De Pythagorico hoc dogmate conf. dicta *Am. lit. T. VII. p. 244.*
f) *De facie in orbe lunæ T. III. p. 384.*
g) *Adv. Mathem. l. II. ſ. 6.*

licitate, quos laudat LAERTIVS,[b] hæc tradidiſſe veriſimile eſt. Ceterum nec illud ab Academicis dogmatibus alienum eſt.

XV. Virtutem rebus omnibus eſſe præferendam.

XVI. Muniendas pueris aures eſſe, ne corrumpantur, antequam philoſophiæ præceptis animus emendetur. [i]

XVII. Civilem quoque philoſophiæ partem Xenocratem attigiſſe, PLVTARCHVS [k] refert, qui præcepta de regno ab eo petiiſſe Alexandrum M. ait, & LAERTIVS,[l] qui inter libros Xenocratis etiam *elementa de regno* ad Alexandrum memorat. Quæ vero principia ſecutus ſit, libro deperdito, ignoratur, ſuſpicarique licet, ſaniora ad tantum regem retuliſſe, quam Plato Dionyſio ſuggeſſit, imaginaria republica ſua faſcinatus.

Polemo.

§. V. Poſt Xenocratem Academiam rexit POLEMO, Athenienſis patre Philoſtrato, quem Philocratem nominat SVIDAS, [ll] natus, qui, Antigono Caryſtio apud LAERTIVM [m] teſte, ex primariis civibus fuit, & equos jugales aluit. Cum is eſſet adoleſcens, adeo impudicus & lubricus fuit, ut pecunias paſſim deponeret, & in viis ac angiportis occultaret, ut ubique præſto eſſet, quo cupiditatum frena ſolveret, & voluptates exſequeretur. [n] Qua vivendi licentia & peſſimam ſibi famam conflavit, & in conjugis offenſionem incurrit, quæ ei dicam maſculæ veneris ſcripſit. Tam corruptis itaque & inquinatiſſimis moribus cum eſſet, mira animi mutatione ad frugem per Xenocratem revocatus eſt: quam rem a multis veterum memoratam, [o] eleganti VALERII MAXIMI [p] narratione hic exhibemus, qui ita rem exponit: „Perditæ luxuriæ Athenis adoleſcens Polemo, neque „illecebris tantummodo, ſed etiam ipſa infamia gaudens, cum e convivio, „non poſt occaſum ſolis, ſed poſt ortum, ſurrexiſſet, domumque repetens, „Xenocratis philoſophi patentem januam vidiſſet; vino gravis, ungventis „dilibutus, ſertis capite redimito, pellucida veſte amictus, refertam turba „doctorum hominum ſcholam ejus intravit: nec contentus tam deformi „introitu, conſedit etiam, ut clariſſimum eloquium & prudentiſſima præ„cepta temulentiæ laſciviis eluderet. Orta deinde, ut par erat, omnium „indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omiſſisque, „de quibus differebat, de modeſtia ac temperantia loqui cœpit. Cujus gra„vitate ſermonis reſipiſcere coactus Polemo, primo coronam capite detractam „projecit, paulo poſt brachium intra pallium reduxit, procedente tempore, „oris convivalis hilaritatem depoſuit, ad ultimum totam luxuriam exuit, „uniusque orationis ſaluberrima medicina ſanatus, ex infami ganeone maximus

b) l. IV. ſ. 12. Qualem vero rerum ad beatitudinem pertinentium ordinem poſuerit, ex CLEM. ALEX. *Strom. l. II. p. 419.* diſcere licet, ubi ait: *Xenocrates definit beatitudinem propriæ virtutis poſſeſſionem, & ejus, quæ inſervit facultatis: deinde, ut in quo quidem ſit, videtur dicere animam; ut autem a quibus, virtutes: ut ex quibus, tanquam partibus, bonas actiones & honeſtos habitus, & affectiones & motus & habitudines, utpote quod non ſine his ſint ea, quæ ſint corporis & externa.*

i) PLVT. *de audit. T. I. p. m. 130.* BAYLE *l. c. not. M.* STOLLE *Hiſt. phil. mor. gent. p. 78.*

k) Contra Colot. T. III. p. 634. *l) l. c.*

ll) T. II. v. Polemo p. 139.

m) l. IV. ſ. 16. *n) ibid.*

o) Laudatos habes apud MENAG. *ad l. c. Laërt.* & FABRIC. *Bibl. Græc. Vol. II. p. 64.*

p) l. VI. c. 9. Græce non minus eleganter & copioſe rem expoſuit LVCIANVS in *bis accuſato T. II. p. m. 677.*

„ximus philoſophus evaſit. Peregrinatus eſt hujus animus in nequitia, non „habitavit.“ Hactenus Valerius, quibus addit LAERTIVS: [q] *Ita ſe ipſum collegiſſe, ut induſtria & ſtudio ceteros vinceret, tantamque inter ipſa philoſophandi initia oris atque habitus aſſumſiſſe conſtantiam, ut idem ſemper maneret, neque vocem unquam mutaret.* Tantopere etiam ſobrietati ſtuduit, [r] ut a triginta annis ad mortem usque aquam biberet, animique miram fortitudinem præ ſe ferret, ſic ut canis aliquando rabioſi morſu in ſura vulneratus, tumultu hac de re exorto ſolus præſentium, quaſi nihil ad ſe ea res pertineret, non expalluerit, & aliis quoque occaſionibus animo non commoveretur, unde Melanthius pictor in libris *de pictura*, quandam ei in moribus contumaciam atque duritiem tribuit. Neque tamen auſteritatem expreſſit, ſed urbanitatem ingenio egregie temperatam excoluit, & morum elegantiam cum ſeveritate atque generoſitate conjunxit. [s] Adeo quoque immutavit mores, ut qui ſemper ante ſodalitia quæreret, poſtea ſolitudine delectaretur, maximamque vitæ partem in hortulo tranſigeret, ſecundum quem diſcipuli, caſis exſtructis, ſcholæ ipſius proximi habitabant. [ſſ] Cujus ſeveritatis potiſſima cauſa Xenocrates fuit, qui cum ſemel animum juvenis deperditi immutaviſſet, ab eo tempore exemplum animo ejus præerat, quod ſtudioſe imitabatur, ejusque innocentiam morumque ſeveritatem ita exprimebat, ut gravitate ejus tanquam Doricis modulis greſſuum ſuorum menſuram attemperaret. [t] Quæ res non Xenocratis tantum amorem ei conciliavit, ſed & civium venerationem meruit, qui ob integritatem eum plurimi faciebant. Dignus itaque habitus eſt, qui decedente morte Xenocrate Ol. CXVI. 2. Academiæ præficeretur, in qua ſumma cum laude docuit, & plurimos diſcipulos habuit, ex quibus Crantor, Crates Stoicus, Zeno & Arceſilaus maxime inclaruere. Obiit ſenex ex phthiſi. Multa ſcripſiſſe ait LAERTIVS, [u] &, qui hunc ſequi ſolet SVIDAS, [v] qui nullum ſuo jam tempore, ejus ſcriptum extitiſſe teſtatur, nec Laërtius ullius titulum affert. Librum ejus *de vita ſecundum naturam* laudat CLEMENS ALEXANDRINVS. [w] Fuere & alii Polemones, quos prætermiſere Laërtius & Menagius, in homonymis adducendis alias diligentes, quos in fine paginæ adjicimus. [x]

§. VI. De placitis Polemonis philoſophicis pauca nobis ſervaverunt veteres, ſine dubio ideo, quod a magiſtro, & toto diſciplinæ Platonicæ habitu non diſcedebat, ſed Platonis philoſophiam ſincere exprimebat. Ferunt tamen, ſtatuiſſe: *Placita philoſophica Polemonis.*

q) *l. c.*
r) ATHENAEVS *l. II. p. 44.* LVCIAN. *l. c.*
s) LAERT. *l. c.* *ſſ*) *ib. ſ. 18.*
t) Ex animi hac temperie quoque derivandum, quod Sophoclis maxime ſtudioſus eſſet, eaque elegantiſſimi tragici loca præ reliquis diligeret, ubi mitis incedit ac placidus.
u) *l. c.* *v*) *l. c.*
w) *Strom. l. VII. p. 717.*
x) Polemonem Stoicum, hiſtoricum & geographum nominat SVIDAS *T. III. p. 139.* VOSSIVS *de hiſt. Græc. l. I. c. 18. p. 119.* CASAVB. *ad Athen. l. IV.* IONS. *de Scr. hiſt. phil. l. II. c. 13. p. 178.* Polemo item Auguſto & Antonio commendatus narratur STRABONI *l. XII. & XIV.* Polemonem vero Sophiſtam Laodicenum, eloquentia non minus quam ſuperbia celebratiſſimum, prolixe deſcribit PHILOSTRATVS vit. Soph. *l. I. c. 25. p. 530. ſeqq.* Iunioris, Commodi tempore viventis, Polemonis meminit SVIDAS *l. c. p. 140.*

I. In rebus nos exerceri oportere, non in dialecticis ſpeculationibus, ne exiguam quandam artem ſorbentes, atque meditantes differendi ſubtilitate clari, moribus nobis contradicamus [y].

II. Mundum eſſe Deum. [z] Quo ſenſu hoc intellexerit Polemo, ex Platonis philoſophia diſci debet, qui eandem doctrinam a Timæo Locro accepit. Hinc patet, ab atheiſmi culpa abſolvendum eſſe Polemonem. Eandem ſententiam a magiſtro acceptam ſuo ſyſtemati, licet mutato ſenſu inſeruit Zeno.

III. Summum bonum eſſe vivere ſecundum naturam. [a] Summa hæc fuit libri ſupra de hoc argumento memorati. Notari vero meretur hoc dogma, eo quod a Zenone in novum, quod condebat, phyſiologiæ & ethicæ ſyſtema translatum celeberrimum in Stoicorum ſcholis fuit. Obſcurum vero eſt, quid per naturam Polemo intellexerit? quod ut conjecturis, illuſtrare tentemus, obſervandum eſt, Polemonem, Platonis ſequacem de officiis animæ differentem non aliud fundamentum diſciplinæ moralis poſuiſſe, quam quod Plato poſuerat. Ille vero animam ex anima mundi, uti ſupra demonſtratum eſt, decerptam ſtatuens, in eo virtutis officia poſuit, ut anima & motibus animæ mundanæ conformem ſe reddat, & corpore ſoluta ad divinitatis hoc principium ſuum redeat, unde ſequitur, motibus finique animæ mundanæ conformiter vivere, ſicque Deo aſſimilari, omnium officiorum ſapientis argumentum & ſummam eſſe. Polemo vero naturam vocabat, iſtum animæ mundanæ motum, quo omnia reguntur & animantur, & ſic præceptoris ex mente, animam ſapientis iſto moralis philoſophiæ principio ad ſuam originem reduxit. Id quod Zeno a præceptore quoque accepit, idemque omnium officiorum fundamentum poſuit, ut ſapiens ſecundum naturam, id eſt, animæ mundanæ motus & harmoniam vivat, hoc tantum diſcrimine adhibito, ut animam mundi nec inferiorem Deo, ut Plato, ſtatueret, nec a Deo diſtingueret, ſicque animas ex ipſa Dei eſſentia immediate derivaret, & in eam reduceret.

IV. Beatitudinem eſſe ſufficientiam (*αὐτάρκειαν*) omnium bonorum, vel plurimorum vel maximorum. Sine virtute autem non futuram ullam beatitudinem, absque bonis autem corporis & externis virtutem eſſe ſufficientem ad beatitudinem. [b]

V. Eſſe inutile, quod fit per carnes, nutrimentum, jam confectum aſſimilatumque animis beſtiarum. [c]

Crates. §. VII. Polemoni defuncto in ſchola ſucceſſit Crates, Athenienſis, patre natus Antigene, auditor Polemonis, in dilectiſſimis habitus. [d] Quocum tam arcta interceſſit ei amicitia, ut non modo viventes eadem ſecuti fuerint ſtudia atque exercitationem eandem, verum & usque ad ultimum vitæ halitum eosdem expreſſerint mores, ſimilesque ſibi invicem eſſe ſtuduerint, & mor-

y) LAERT. *l. IV. ſ. 18.*
z) STOBAEVS *Eclog. phyſ. l. I. c. 3. p. 5.*
a) CICERO *de fin. l. IV. c. 6.*
b) CLEM. ALEXANDRIN. *Strom. l. II. p. 419.*
c) IDEM. *l. VII. p. 717. ſeq.*
d) Hæc & ſequentia debemus LAERTIO *l. IV. ſ. 21. ſeqq.* quem ſequitur HESYCHIVS Mileſius.

& mortui quoque eodem conderentur ſepulchro. Quæ fidei & amicitiæ dexteritas Arceſilaum commovit, ut relicto Theophraſto, eorum diſciplinam amplecteretur, deos eſſe, dicens, vel aureæ ſaltem ætatis reliquias. Nam & concordes inter ſe vivebant, & ingenio uſi vulgarem auram non captante, nihil vulgi laudibus dabant, ſed morum integritatem ſervabant & philoſophiam re ipſa exprimebant. Moriens vero Crates libros a ſe exaratos complures reliquit, partim philoſophici, partim comici argumenti, orationes item populares alias, & alias *de legationibus*. Diſcipulos formavit celeberrimi poſtea nominis, Arceſilaum, Bionem Boryſthenitam Theodoriis poſtea adſcriptum, [e] de quo ſupra diximus. Ceterum plures Cratetes ſunt, inter philoſophos celeberrimi, & inter hos Cynicus, Stoicus, & Peripateticus, in ſequentibus nominandi, alius quoque Academicus ſive Platonicus Tarſenſis, qui probe inter ſe diſtinguendi ſunt. [f]

§. VIII. Iuxta Cratetem celebre nomen adeptus eſt in Academia CRANTOR, Solis ortus, ubi in magna ſuorum admiratione vixit: [ff] conceſſit tamen Athenas, Xenocratis fama permotus, eique in diſciplinam ſe tradidit. Ibi Polemonem quoque offendit, ſtrenuum Xenocratis, uti ſupra dictum eſt, imitatorem, in cujus admirationem raptus amicitiam cum eo junxit, multumque ejus conſtantiam animi ſuſpexit. Tanta quoque erga illum veneratione ducebatur, ut, occupante poſt Xenocratis mortem cathedram Polemone, Crantor eum præceptorem ſibi deligeret. Cum enim in morbum incidiſſet, in Aeſculapianum ſe contulit, [g] ibique deambulavit. Huc cum multi confluxiſſent diſcipuli rati, non morbi cauſa eum illuc conceſſiſſe, ſed ut ſcholam aperiret, & inter hos Arceſilaus quoque adeſſet, cupiens, ut Polemoni ſe commendaret, non tantum huic non ſuccenſuit, ſed ipſe quoque ſanus factus ſe ad audiendum Polemonem contulit, id quod magnam ei admirationem peperit. Tanta autem ex hac inſtitutione enata ei eſt eruditio, ut inter Academicos ſummo loco haberetur; in primis enim in Academia nobilem vocat CICERO [h] & HORATIVS: [i] *Crantor.*

Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non
Plenius & melius Chryſippo & Crantore dicit.

Ex quo Venuſini vatis teſtimonio patet, eum de morali potiſſimum doctrina ſummopere fuiſſe meritum, magnamque laudem in ea philoſophiæ parte conſecutum. Id quod imprimis ex libello ejus *de luctu* colligendum eſt, quem hodie deſideratum multis nominibus laudant, veteres, [k] & in his CICERO, [l] qui in conſolatione filiæ ſe Crantorem ſecutum eſſe ingenue fatetur, alioque loco [ll] *non magnum, verum aureolum*, & ut Tuberoni Panætius

e) Male hic Interpres Laërtii Theodorum quoque Cratetis diſcipulum facit; non enim id vult Laërtius, ſed id dicit, Bionem, Theodorium poſtea, a ſecta, nominatum, eum audiviſſe.

f) Decem enumerat LAERT. *l. c. ſ. 21.*

ff) ibid. ſ. 24.

g) Aegrotantes ſe in Aeſculapii templum contuliſſe, ex ARISTOPHAN. *Pluto* aliisque notum eſt.

h) Tuſc. Qq. l. III. c. 6.

i) Ep. l. I. ep. 2. v. 3.

k) CICERO *Tuſc. Qq. l. I. c. 48.* PLVT. *de conſol. T. I. p. m. 222.* LAERT. *l. IV. ſ. 27.*

l) Conf. PLINIVS in *præf.* BAYLE *Dict. T. I. art. Crantor, not. D. p. 221.*

ll) Academ. Qq. l. IV. c. 44.

Panætius præcipit, *ad verbum ediſcendum libellum* vocat. Non enim Stoica indolentia animo immanitatem, corpori ſtuporem induxit, ſed argumentis & rationibus philoſophiæ animi vulnera ſanavit. [m] Primus quoque fuit, qui Platonem, teſte PROCLO, [n] commentariis illuſtravit. Sed & locum inter poetas ſui temporis obtinuit, poëmata enim conſcripſit, eaque obſignata in patria in templo Minervæ depoſuit: Homerum vero & Euripidem præcipue ob oculos habuit, [o] ex quo colligi poteſt, non exigua virtute fuiſſe in arte poëtica; certe a poëtis aliis vehementer laudatus eſt. [p] Aqua intercute cum laboraret, Arceſilaum teſtamento hæredem XII. talentorum ſcripſit, diemque ſuum ante Polemonem & Cratetem obiit, [q] quorum ex hac cauſa ſucceſſor fuiſſe non potuit. Soſicrates enim quidam Crateti, & huic Arceſilaus ſucceſſit.

Præcepta moralia Crantoris.

§. IX. Pauciſſima de dogmatibus ethicis, quæ Crantori arriſerunt, nobis ſervavit tempus, quæ & ipſa a placitis veteris Academiæ non differunt. Exemplum ſunto ſequentia:

I. Vitam noſtram multis modis laborioſam eſſe ac difficilem, quod ſi non ita ſit natura comparatum, certe a nobis ipſis invectam hanc corruptelam: & incertam iſtam fortunam eminus nos ac jam inde ab initio comitatam nihil ſanum aut ſalutare nobis inferre: ipſa ſemina mortalia cum ſint, partem hujus cauſæ ſuſtinere, unde pravitas ingenii, morbi, curæ, aliaque fatalia incommoda mortales inſequantur. Hæc ex libro ejus *de luctu* ſive ex *conſolatione ad Hippoclem* excerpſit PLVTARCHVS, [r] in quibus id imprimis notandum eſt, cauſam malorum phyſicorum Crantorem in ipſa materiæ diſpoſitione, & ſeminum natura quæſiviſſe, qua in re Platonis mentem accurate ſecutus eſt, idque magnum ſolatium in calamitate eſſe putavit, [s] vacare culpa, cauſa ſcilicet ad naturæ neceſſitatem redundante.

II. Maxime proprium animæ officium eſſe, judicare ſenſilia & ſub intellectum cadentia, eorumque & inter ſe in ſuo, & invicem in diverſo genere diſcrimina atque ſimilitudines. [ſſ]

III. Animam ut omnia poſſit cognoſcere, ex omnibus eſſe concretam: eſſe autem hæc quatuor: naturam, quæ mente duntaxat cernitur, ſemperque eodem habet modo: tum eam, quæ corporibus adeſt mutabilem atque perpeſſionibus obnoxiam: ad hæc ejusdem & diverſi, quod etiam iſtarum utraque particeps ejusdem & diverſi proprietatem. [t] Et hoc ex φιλοσοφθμένοις Platonis eſſe, illa demonſtrant, quæ ſupra de pſychologia Platonica diximus; non enim potuit non Platonica ſchola vi fundamentorum ſemel admiſſorum in anima ejusmodi compoſitionem diverſarum naturа-

m) PLVTARCH. *l. c.* CICERO *Tuſc. Q q. l. III. c. 6.*

n) *l. l. in Tim. Plat.* conf. MENAG. *ad* LAERT. *l. IV. ſ. 27.* FABRIC. *Bibl. Gr. Vol. II. p. 56.*

o) LAERT. *l. c.*

p) Eorum epigrammata in Crantorem *l. c.* extant.

q) Perperam id aſſerit FOVCHER *diſſ. Acad. l. I. c. 5. p. 28.*

r) *De conſol. T. I. p. m. 224.*

s) *ibid. p. 239.*

ſſ) IDEM *de gen. animæ T. III. p. m. 75.*

t) *ibid.*

turarum ſtatuere. Licet vero plures facultates vel naturas in animo numeret Crantor, quam Plato, quod etiam PLVTARCHO obſervatum eſt,[u] verbis tamen magis, vel conceptibus metaphyſicis quam re ipſa, ab eo abit. Idem enim a natura intelligibili, diverſum a materia mutabili re ipſa juxta Platonem non differt; ſed conjunctum ſuo modo utrumque in anima mundi, unde animæ hominum decerptæ ſunt. Crantor autem ei, quod ex Dei intellectu, ſive natura intelligibili & ex materia ſive corporis conditione in animam derivatur, ab eo quod ex anima mundi participat, diſtinxiſſe videtur, quod ad meram verborum differentiam redit. Pluribus hanc Crantoris de anima opinionem illuſtrat, niſi obſcurare verius dixeris, ex proportionum mathematicarum rationibus PLVTARCHVS,[x] qui videndus.

IV. Vnicuique bono ſuum ordinem tribuendum eſſe & dignitatem, & virtuti quidem deberi primas partes, ſanitati ſecundas, tertias voluptati, ultimas divitiis. Ita SEXTVS EMPIRICVS[y] Crantoris mentem exponit, qui & ipſa ejus verba, eleganti ſimili expreſſa affert. Non nova vel inaudita ea in Academia veteri fuiſſe, ex iis, quæ hactenus diſſeruimus, conſtat.

V. Indolentiam nec poſſe ullam eſſe, nec debere, nec ægroto etiam, niſi is, qui fuerat ſenſus, abſit, ſive ſecetur aliquid, ſive avellatur a corpore. Nam iſtud, nihil dolere, non ſine magna mercede contingere, immanitatis in animo, ſtuporis in corpore.[z] Videtur hæc ſenſim enaſcenti ex Cynica philoſophia Stoiciſmo oppoſuiſſe, licet & ad Pyrrhonis placita retundenda dictum eſſe videri queat, quæ circa Crantoris tempora floruerunt. Qua vero ratione id Academia media receperit, ſicque inter Pyrrhonis placita & Crantoris concordiam quandam inierit, in ſequenti ſectione dicemus.

u) *ib. p. 76.* *x*) *ib. p. 90.* *z*) PLVT. *de conſol. l. c.* CICERO *Tuſc. Qq. l. III. c. 6.* conf. BAYLE *l. c. not. D.*
y) *Adv. mathem. l. IX. ſ. 51. ſeqq.*

* *

SECT. III.

DE ACADEMIA MEDIA.

§. I.

Mutatio Academiæ ab Arceſilao facta.

Hactenus, quod vidimus, in Platonis doctrina perſtitit Academia; jam nova ſe facies monſtrat, & claſſis ſive tribus quaſi nova, quæ non plane quidem Platonem deſeruit, aliam tamen philoſophandi rationem iniit, quæ Academia media vocari ſolet. Cujus auctor fuit Arceſilaus, vel, ut a CICERONE [a] vocatur, Arceſilas nobiliſſimæ famæ philoſophus. Is Pitanæus ex Æolide, [b] patrem Scuthum ſive Scythum habuit, natus Olymp. CXVI. 1. fratrum quatuor, quorum duos uterinos habebat, minimus. Mature & in adoleſcentia literis elegantioribus imbutus eſt. Antequam enim Athenas veniret, Autolycum mathematicum audivit, cum quo Sardes eſt profectus; inde Xanthum Athenienſem muſicum, & Hipponicum geometram, hominem cum magna ſcientiæ ejus peritia ſummam oſcitantiam jungentem. [c] A fratre natu majore, qui curam ejus gerebat, oratoriæ arti deſtinatus, rhetoricam & poëſin didicit, & haud vulgariter in hac profecit, quod epigrammata teſtantur, quæ nobis ſervavit LAERTIVS, qui & in dicendo graviſſimum & in ſcribendo exercitatiſſimum fuiſſe, tradit. Ipſe vero animo ad philoſophiæ ſtudium inclinans totum ſe ei tradidit, primumque ad Theophraſtum diſceſſit, poſt Ariſtotelem Peripateticam philoſophiam magno applauſu in Lyceo docentem. [d] Poſtea Crantori innoteſcens, poſtquam ſingulari affectu eum eſſet complexus, [d] ab eo, uti ſupra dictum eſt, ad Polemonem in Academiam traductus eſt, invito & indignante Theophraſto, qui juvenem egregiæ indolis atque alacritatis ſingularis e ſchola diſcedere ægre tulit. Ibi cum Crantore, quocum conjunctiſſime vixit, Zenonem quoque Stoicorum parentem condiſcipulum habuit. Sunt, qui tradunt, [e] ad dialecticos quoque divertiſſe, & a Diodoro Eretriacam philoſophiam didiciſſe, indeque diſputandi adverſus quoscunque artem in Academiam traduxiſſe. Alii non Pyrrhonis tantum imitatorem, ſed & diſcipulum faciunt, [f] quod ſi verum eſt, & non de philoſophia magis Pyrrhonis, quam de ipſo hoc philoſopho, ejus præceptore, intelligendum eſt, in ultimos Pyrrhonis annos cadit, ut ex rationibus temporum, quibus vixit Pyrrho, quasque ſuo loco explicabimus, patet. Nobis nec Eretriacos, nec Pyrrhonem audiviſſe, veriſimile videtur. Erat enim maximus Platonis admi-

a) Paſſim, præſertim in *Qq. Academicis.*

b) Duæ Pitanæ apud veteres, una Æolidis, altera Laconiæ. Ex illa natum Arceſilaum præter LAERT. *l. IV. ſ. 28.* tradunt EVSEB. *de præp. l. XIV.* POMPON. MELA *l. I. c. 18.* STRABO *l. XIII. p. 422.* Non audiendus itaque eſt SOLINVS, qui *Polyhiſt. c. 7. p. 22.* eum Pitanæ Laconicæ ortum dixit.

c) Inde jocatus Arceſilaus, geometriam ei hianti in os involaſſe LAERT. *l. c.*

d) *Ibid. ſ. 28.*

e) Timonis Sillographi verſus adducit hanc in rem LAERT. *l. IV. ſ. 33.*

f) NVMENIVS apud EVSEB. *præp. l. XIV. c. 9. p. 729.*

admirator, cujus & libros ad manum habebat, [g] a quo ad ſectas obſcuras nulliusque tum nominis eum defeciſſe probabile non eſt. Solebat etiam ſuos hortari, [h] ut dialecticam fugerent, quia ſusque deque confundat omnia, ſimilesque ſint dialectici ludentibus alea, qui decipiantur quidem, ſed non ſine delectatione. Nec forte volunt aliud teſtimonia veterum, quam ex Dialecticorum ſcholis & Pyrrhonis philoſophandi more novam philoſophiæ Academicæ faciem, in contrariam partem de omnibus decertantem & incertitudinem rerum omnium ſtatuentem deſumſiſſe. [i] Poſt Cratetis mortem, cum Soſicrates quidam in Academica cathedra ſucceſſiſſet, ille Arceſilao ingenii & eruditionis laude incluto locum ceſſit, [k] isque docendi munus in Academia ſuſcepit, novamque philoſophandi rationem introduxit, magnumque non juventutis tantum, ſed & magnorum virorum applauſum meruit. Erat enim elegantioribus eruditionis partibus inſtructiſſimus, & lectione quoque veterum poëtarum, inter quos Homerum & Pindarum maxime amabat, munitus, quorum verſus ex improviſo ſermoni miſcens, & argumento opportune applicans, admodum gratioſus fuit. [l] Præterea ſermone quoque vivo, & oratione ſententiis referta atque ſuccincta utebatur, qua valde animos commovit. [m] Hinc & maxima ejus in perſuadendo vis fuit, quibus virtutibus plurimos ſibi diſcipulos conciliavit, quamvis illius in reprehendendo acerbitate haut raro acrius exciperentur, quam juvenum ferre ſolent animi. [n] Liberrimus enim in reprehendendo erat, & pungere acriter ſolebat eos, quos corrigere volebat, cujus aliquot exempla nobis ſervavit LAERTIVS. [o] Sic & objectis acute occurrebat, atque orationem ad id, quod erat propoſitum, apte flectebat, omni ſe tempori, perſonæ & loco accommodare peritiſſimus. Cetera optimus erat, multaque ſpe auditores ſuos implebat, quod magnum ei diſcipulorum numerum conflavit; quem tamen adeo non ambitioſe quæſivit, ut potius haud raro diſcipulos moneret, ut alios audirent; & cum adoleſcens quidam Chius ex ludo ſuo, alium ſibi plus placere dixiſſet, ipſe manu apprehenſum ad illum [p] duxit, philoſophoque commendavit, admonens, ut ordinis & diſciplinæ ſervaret gravitatem. Non vero eruditionis laude tantum inſignis erat, ſed virtutum quoque, philoſopho dignarum encomio commendatiſſimus. Ingenii enim amœnitatem & formæ quoque elegantiam [q] cum iis virtutibus conjunxit, quibus non potuit non omnibus eſſe acceptiſſimus. Erat enim in communicandis vitæ neceſſariis liberaliſſimus, ad exhibenda beneficia promtiſſimus, quæ tamen clanculum, & ut laterent,

g) LAERT. *ſ. 32.*

h) STOBAEVS *Serm. CXII. p. 713.*

i) Hinc verſus Ariſtonis de eo apud LAERT. *l. c.* Ita etiam SEXT. EMP. *Pyrrh. hyp. l. I, c. 33.* intelligendus.

k) *Ibid. ſ. 32.*

l) *Ibid. ſ. 31. ſeqq.* ubi paſſim exempla afferuntur, & monetur, ægerrime tuliſſe, ſi quis liberales artes in tempore non didiciſſet.

m) *Ibid.*

n) *Ibid.* ubi exempla quoque reprehenſionis acerbæ offenduntur.

o) Faciebat hoc plerumque accommodatis poëtarum verſibus & parodia, de quo more vid. FABRIC. *Bibl. Græc. vol. I. p. 354.*

p) Erat is autem Hieronymus Peripateticus, gravis Arceſilai obtrectator, LAERT. *l. c.*

q) Numenius apud EVSEB. *l. c.*

conferebat, ab hoc jactantiæ genere alieniſſimus, cujus exempla aliquot narrat LAERTIVS, [r] ſummæ laudi Arceſilao cedentia. Ad menſas quoque argentariorum ſæpe accedebat, non differendi tantum cauſa, ut ſolebant eo tempore philoſophi, ſed ut etiam egenos pecunia collatitia juvaret, ſumtusque exhiberet neceſſarios. [s] Vaſaque ſæpe aurea amicis pauperibus commodavit, nunquam reſtituenda, vel donanda. Id quod eo facilius fieri ab eo poterat, quod non tantum prædia in Pitane habebat, ex quibus quantum opus habebat, frater ipſi ſuppeditabat, ſed & Eumenes rex ampliſſimis eundem donis proſequebatur, cui quoque ſoli regum animum addixit. [t] A faſtu quoque alienus extitit, quare nec eruditionem, quam tamen egregiam poſſidebat, jactavit, & hoc præcipue, in differendo, loquendi genere uſus eſt: arbitror equidem, &, non aſſentietur iſtis ille, cujus nomen appellabat. [u] Audacius, quam par erat, loquentes non ferebat, & benignum ac benevolum ubique ſervabat animum, ſic ut virtutis & honeſtatis, quam nova philoſophandi ratione convellere videbatur, ſtator atque vindex exemplo ſuo eſſet. [x] Quam tamen virtutis laudem voluptatis vitiis contaminavit: victu enim non minus, quam Ariſtippus, erat magnificus & conviviis haud raro indulgebat, Theodoriam vero & Philetam, Elienſes meretrices, publice adamabat, quod cum ei objicerent adverſarii, ſententiis ſe Ariſtippeis defendebat. [y] Maſculo quoque amori deditiſſimus improbus & nullius pudoris, juvenumque corruptor audiebat. [z] Vinolentiam quoque ei objicit ATHENAEVS. [a] Vnde merito mirandum eſt, in vehementi podagræ ardore indolentiam probaviſſe, [b] a Stoicis ejus adverſariis, qui eam crepabant, haud facile expectandam. Maximam vitæ partem in Academia vixit a publicis remotus negotiis; [c] ad Hieroclem tamen, qui Munychiam præſidio tenebat, & Piræeum, quoque familiariſſime utebatur, feſtis diebus aſſidue ventitabat, quod vitio ei haut pauci verterunt. [d] Antigoni vero partes ſequi, inque illius familiaritatem pervenire pertinaciter recuſavit. [e] Mortuus autem eſt in delirio, poſtquam largius vino ſe oneraſſet, [f] anno ætatis LXXV. Olymp. CXXXIV. 4. quo anno ei Lacydes in ſchola ſucceſſit, [g] teſtamentoque fratrem Pyladem hæredem ſcripſit, uxorem enim nunquam duxerat. Adverſarios ex philoſophis imprimis

r) *l. c. ſ. 37.* SENECA *de benef. l. II. c. 10.* PLVT. *de diſc. ad. & am.* BAYLE *l. c. not. I.*

s) LAERT. *l. c. ſ. 34.* conf. OLEAR. *ad* STANLEIVM *p. 396.* qui recte in verſione obſcuri textus Laërtiani SALMASIVM *de fœnore Trapezit. p. 547.* ſecutus eſt.

t) LAERT. *l. c.*

u) *Ibid. ſ. 38.*

x) Ita Cleanthes de eo apud LAERT. *l. VII. ſ. 131.* BAYLE *l. c. not. K. p. 289.* qui tamen, dum Pyrrhoniis ſibi deamatis apologiam ſcribit, ratiocinatione decipitur.

y) *Ib. ſ. 40.*

z) Id ei objecere Ariſto Chius & Hieronymus Peripateticus *ib.* Quorum tamen calumnias tantum fuiſſe vult FOVCHER. *diſſ. Acad. l. I. c. 5. p. 36.* invitis veterum teſtimoniis.

a) Ex teſtimonio Phanocriti φιλόβοτρυν vocantis *l. VII. p. 276.*

b) CICERO *de finibus l. V. c. 31.*

c) LAERT. *l. IV. ſ. 40.*

d) *Ibid. ſ. 39.*

e) *Ibid.*

f) *Ibid. ſ. 45.*

g) Lacydes enim XXVI. annis ſcholæ præfuit, & munere ſe abdicavit Ol. CXLI. 2. unde ſequitur, Arceſilaum obiiſſe Ol. CXXXIV. 4. inde & annus ejus natalis ſupra poſitus patet. Ol. CXX. floruiſſe ait Apollodorus.

primis expertus eſt Zenonem Stoicæ familiæ parentem, & Hieronymum Peripateticum; [h] quin & Epicurum ejus famæ invidiſſe ait PLVTARCHVS. [i] Vtrum ſcripſerit aliquid, in diverſam veteres abeunt ſententiam, LAERTIVS [k] & PLVTARCHVS [l] negant. Quibus opponit P. BAYLE, [m] quod Eumeni regi libros inſcripſiſſe LAERTIO [n] dicatur. Sed decepit virum acutiſſimum interpres Latinus: nihil enim aliud vult Laërtius, quam ex regibus ſoli Eumeni ſe addixiſſe, & cum eo familiarius collocutum fuiſſe, quod Antigono aliisque negabat. Præter hunc vero philoſophum duo apud veteres memorantur Arceſilai, poëtæ, & unus ſtatuarius. [o]

Origo methodi philoſophandi Academiæ mediæ receptæ.

§. II. Huic itaque, cujus vitæ hiſtoriam paucis deſcripſimus, philoſopho nova debetur philoſophiæ Academicæ facies; quam ut rite cognoſcamus, præter eos, qui ex veteribus & recentioribus hanc potiſſimum philoſophandi viam, ejusque hiſtoriam expoſuerunt, CICERONEM, [p] SEXTVM EMPIRICVM, [q] FOVCHERIVM, [r] HVETIVM, [s] BAYLIVM [t] hiſtoria quoque Socraticæ & Platonicæ ſcholæ, quam hucusque excuſſimus, conſulenda eſt, ut veræ origines philoſophiæ Academicæ, quatenus a Platonica abit, cognoſcantur. Nos ex multis pauca ſed potioria, & quæ rem conficiunt, ſeligemus, & his potiſſimum obſervationibus comprehendemus:

I. Ex enarrata hactenus doctrinarum philoſophicarum hiſtoria palam eſt, philoſophos non Græcos tantum, ſed & barbaros rebus in ſenſum cadentibus, & materia conſtantibus certam fixamque cognitionem denegaſſe, materiamque tanquam incertam, fluxam, ſemperque & in momenta mutabilem conſideraſſe. Longum hic adducere liceret agmen eorum, qui in hac hæreſi fuerunt philoſophorum antiquorum, ſi hiſtoriam philoſophiæ Academicæ vel Scepticæ peculiarem ſcriberemus: lector tamen attentus & diligens ex iis quæ hactenus dicta ſunt, & dicentur [u] in ſequentibus, facili labore hujus rei veritatem colliget. Quod non ita quidem intelligendum eſt, ac ſi omnem humano intellectui cognitionem atque certitudinem denegaverint veteres, & ἀκαταληψίας dogma ab incunabulis philoſophiæ triumphaverit, quod nullis veteris hiſtoriæ documentis ſuffultus aſſerit, longumque hujusmodi philoſophorum indicem nectit, magnus ſcepticiſmi noſtra ætate revocati patronus, PETRVS DANIEL HVETIVS: [v] eo vero omnino valet, ut inferri inde debeat, modeſtiam in philoſophando, præjudicio-

h) LAERT. *l. c. ſ. 40.*
i) *Adv. Coloten.*
k) *ſ. 29.*
l) *De fort. Alex.*
m) *l. c. p. 286.*
n) *Ib. ſ. 38.* conf. FABR. *Bibl. Gr. vol. II. p. 53.*
o) LAERT. *ſ. 45.*
p) *Academ. Qq. l. I.*
q) *Pyrrhon. hypotyp. l. I. c. 33. & adv. mathem.* paſſim.
r) In *diſſertationibus de philoſophia Academica Par. 1692. 12.*
s) In tr. *de imbecillitate intellectus humani, Amſt. 1723. 12.* Foucherii & Huetii ſcriptorum hiſtoriam ſuo tempore, ad Scepticos noſtri ævi delati, enarrabimus.
t) *Dict. T. I.* art. *Arceſilaus & Carneades.* Magnum hunc virum ipſum in plerisque hoc philoſophandi genere uſum fuiſſe ſuo loco exponetur.
u) Pertinere huc etiam Pythagoram, Heraclitum, Xenophanem, totamque Pythagoreorum, Heracliteorum & Eleaticorum ſcholam, ex dicendis conſtabit.
v) *l. c. c. 14. p. 98. ſeqq.*

diciorum ejectionem, materiæ ex eorum numero, circa quæ ſcientia verſatur, excluſionem, & ſobriam ἐποχὴν nunquam non magnis viris & illuſtribus in philoſophiæ cœlo ſideribus placuiſſe.

II. Conſulentibus porro hiſtoriam philoſophantium id manifeſtiſſimum eſt, habuiſſe barbaros primo, & ab his edoctos Græcos duplicem methodum, vulgarem & arcanam; quarum illa ἐξωτερικῶς certa quidem dogmata, tanquam cortices vulgo exponebat, veram vero hæc doctrinam anxie occultabat, & non niſi eſotericis & interioris admiſſionis diſcipulis explicabat. Quam apud omnes fere omnium gentium theologos & philoſophos obtinuiſſe indubitatis hactenus teſtimoniis, niſi nos omnia fallunt, evicimus. [w] Ita vero indignos, quod putabant, ab his ſacris arcebant, & incertos atque hiantes relinquebant, ſibi vero doctrinisque ſuis ſecuritatem atque auctoritatem conciliabant. Quod in rem ſuam vertentes, qui philoſophiæ initia inter barbaros didicere, Græci, eandem occultandi ſua dogmata rationem imitati ſunt, ut luculento Pythagoræ atque Platonis exemplo [x] conſtat. Quod ut ſecurius facerent, hocque præſidio fruerentur felicius, ad exotericos incerta ratione diſputarunt, [y] hucque imprimis opera eorum collineavit, ut aliorum philoſophorum placita convellerent, & refutarent, de ſuis vel plane non, vel obſcure tantum & ad initiatos ſuæque familiæ homines differentes. Quo factum eſt, ut & dogmatibus ſuis opinionem magnam excitarent, ut ſunt humani ingenii mores, ut obſcura atque latentia majora videantur notis & apertis; & ab adverſariorum inſultibus ea præſtarent tutiora. Hoſpes ſit in Platonis, ut Socraticos alios taceamus, dialogis, qui non ubivis manifeſta ejus rei exempla deprehendat. [z]

III. His in circumſtantiis verſabatur philoſophia, cum novum ei ſidus in Socrate oriretur. Is & temporum ſuorum apud Athenienſes conditione, & ingenii atque animi modeſtia multum ad retinendam animi ſententiam in philoſophando contulit. Supra enim, ubi ſatis copioſe ejus hiſtoriam enarravimus, demonſtratum eſt, ſophiſtas inanis eruditionis homines, in utramque de rebus omnibus diſputantes partem, & juvenum ita animos corrumpentes, magni hujus viri diligentiam & philoſophiam exercuiſſe, quæ in eo potiſſimum verſata eſt, ut ironiæ beneficio, quo ſe eorum ſimulabat ignorantem, quorum falſitatem erat demonſtraturus, adverſarium circumveniret, & illaquearet, ut vani homines, ab omni ſolido ſcientiæ fundamento vacui propriis reſponſionibus caperentur, & ita neceſſe haberent fateri, neſcire ſe, quæ ſe optime ſcire antea jactaverant. Huic ſcenæ ut inſerviret, de ſe modeſtiſſime faſſus eſt, neſcire ſe quicquam, niſi hoc, quod

w) Repetendum hic etiam ex ſupra dictis eſt, pertinere huc omnia myſteria, cultumque arcanum, qui inter barbaros Græcosque obtinuit. Eum enim, cum plerisque veros ejus ſenſus pernoſcere datum non fuerit, multum ad incertitudinem & dubitationem contuliſſe, dubitari nequit.

x) Similia etiam in Ionicorum ſchola obſervavimus, & infra de Eleaticis & Heraclito quoque obſervabuntur.

y) Luculentum hujus rei exemplum ſunt Eleatici, ſenſibus fidem & certitudinem denegantes.

z) Fatetur hoc CICERO *Acad. Qq. l. I. c. ult.*

quod nihil ſciat. Quod qui ſceptico vel Academico quoque ſenſu capiunt, [a] ac ſi rerum prorſus omnium incertitudinem afferuerit, illi falluntur & fallunt, totamque Socratis hiſtoriam habent repugnantem, quæ de rebus moralibus optima eum præcepiſſe & certiſſima teſtatur. Sed id alio longe ſenſu profeſſus eſt Socrates, & tum ironiæ fulciendæ cauſa adhibuit, & ad modeſtiam animi, infinitam rerum humano intellectui ignotarum ſeriem cogitantis retulit, & in eo ad iſtas potiſſimum diſciplinas reſpexit, quæ vana magis ſpeculatione quam vel ſenſuum vel conſcientiæ & experientiæ teſtimonio, nituntur: quam in claſſem rerum cœleſtium atque naturalium conſiderationem retuliſſe, ſuo loco evidentibus argumentis evicimus. Hac in ſententia & ipſe ad mortem perſtitit, & diſcipulos quoque ſecundum eam formavit.

IV. Ex Socratis ſchola cetera ſectarum philoſophicarum apud Græcos turba, uti dictum ſupra, prodiit, vario ornata habitu. Quarum tamen quidam philoſophi ad hanc diſputandi in utramque partem conſuetudinem, quam in Sophiſtis oppugnabat Socrates, curioſius declinantes, Socratica methodo ad incertiſſima litigia abutebantur. Id quod in Dialecticorum, Megaricorum, Eretriacorumque ſcholis factum eſſe, hosque homines omnes juxta ſe philoſophos cavillationibus & litibus inanibus vexaſſe, ſupra quoque luculenter expoſuimus. Aliter ex his Plato, & naturæ atque ingenii indole atque inſtitutione & diſciplina ad ſeveriora inclinans. Is, ut modo monitum, Socratico quidem more diſputabat, & philoſophorum magis opiniones refutabat, quam ſuas explicabat incertiſſimo docendi & diſputandi genere, & anfractuoſis colloquiis incertum de ſua mente auditorem lectoremque dimittens: domi tamen, ut erat a Pythagoreis & Ægyptiis innutritus, ſodalibus, quos ſua amicitia & inſtitutione dignabatur, philoſophiam ſuam expoſuit. [b] Eam vero ex Pythagoreo & Heraclitico ſyſtemate potiſſimum conflatam fuiſſe, ſupra, quantum ſatis, demonſtratum dedimus, oſtendimusque, ex Heraclitea phyſiologia accepiſſe materiam ſemper in motu atque fluxu exiſtentem, circa quam ſcientia verſari nunquam queat: & ob eam cauſam ex Pythagoreo ſyſtemate numeros transſumſiſſe, mutatisque iis in ideas, entia æterna, per ſe ſubſiſtentia, immutabilia rebus fluxis adjeciſſe, ut circa æternas illas & eſſentiales rerum imagines ſcientia omnis verſaretur: quam opinionem tota quoque Academia vetus tenuit. Quæ, ut præclare obſervat CICERO [c] *duo eſſe rerum genera ſtatuebat, quorum ſenſibus unum, alterum intellectu percipiatur. Poſterius genus ſcientiam fundare, prius opinionem. Solamque mentem cernere id, quod ſemper eſſet ſimplex, & uniusmodi, & tale, quale eſſet, qua ratione ideam definiebant.* Ex his prona conſequentia fluebant, quæ porro recte illis TVLLIVS tribuit: *Senſus omnes hebe-*

a) HVETIVS *l. c. §. 15. p. 104.*

b) Diligenter hanc quæſtionem excutit, & non ſemper Scepticum fuiſſe Platonem ſolidis rationibus demonſtrat SEXTVS EMPIRICVS *Pyrrh. hyp. l. I. c. 33. ſ. 221. ſeqq.* qui hic legendus eſt.

c) *Acad. Q. l. I. c. 8.*

hebetes eſſe ac tardos, nec percipere ullo modo res eas, quæ ſubjectæ ſenſibus viderentur, quæ eſſent aut ita parvæ, ut ſub ſenſum cadere non poſſent, aut ita mobiles & concitatæ, ut nihil unquam unum eſſet conſtans, ne idem quidem, quia continenter laberentur & fluerent omnia. Itaque hanc partem rerum opinabilem appellaviſſe. Neque tamen ſenſuum ita vel uſum vel cognitionem negabant, [a] iisque indignabantur, qui omnes Academiam ſenſus eripere clamabant, cum certam tantum propriamque veri notitiam eis denegarent. Et hæc quidem doctrina fuit Academiæ veteris usque ad Polemonem, quem audivit Arceſilaus.

V. Non omittendum quoque eſt, ex philoſophiæ ejus temporis hiſtoria, quod occaſionem quoque dediſſe Arceſilao immutandæ philoſophiæ Academicæ veterum teſtimonia, præcedente paragrapho adducta docent, Pyrrhonem circa ea tempora, quibus floruere Xenocrates, Ariſtoteles aliique diſcipuli Platonis, caput extuliſſe, novumque philoſophandi genus introduxiſſe, quo aſſerta rerum omnium incertitudine omnia philoſophorum ſyſtemata evertebat. Placuiſſe hanc philoſophandi rationem Græcis, & ipſa animi indoles ſuadet & teſtimonia veterum loquuntur, [e] in Pyrrhonis hiſtoria ſuo loco citanda: quæ res effecit, ut ea ſe magnis ingeniis commendaret.

VI. Præter Arceſilaum Polemonis inſtitutione utebatur Zeno Citieus, magni ingenii & ſeveræ indolis homo, qui Arceſilaum ætate anteibat, & valde ſubtiliter differebat. Is cum diſciplinam eam, quam Polemo tradebat, corrigere vellet, novum philoſophiæ ſyſtema condidit, & in multis a Platone abiit, atque tum in morali, tum in naturali parte, multa innovavit. Quod qua ratione inſtituerit, dicendi nobis locus hic non eſt, infra enim de hujus viri philoſophia, quæ magnam famam atque celebritatem nacta eſt, ſingulari capite differemus. Interim meretur legi, qui ſummam philoſophiæ a Zenone introductæ more ſuo eleganter exponit, & in quibus a Platone diſceſſerit, oſtendit CICERO. [f] Nam hæc ad mutandum Academiæ philoſophandi morem plurimum contuliſſe, [g] mox dicemus: fruſtraque intimas Arceſilai rationes in hac re explorabimus, niſi curioſus ad ea ſimul attendat oculus.

VII. Has philoſophiæ circa Arceſilai tempora circumſtantias omnes ad eam philoſophandi immutationem quam ille ſuſcepit, contuliſſe, aliquid, & ipſa attenta earum inter ſe collatio ſuadet, & veteres luculenter teſtantur. Quod ut manifeſtum faciamus, obſervamus I. Arceſilaum nonſolum Polemonem audiviſſe, quem a genuino Platonis ſyſtemate non receſſiſſe, in antecedentibus oſtendimus, ſed Platonicæ quoque doctrinæ adhæ-

d) Ibid. l. IV. c. 32.

e) Omnium teſtimoniorum inſtar, quam accepta hæc philoſophandi ratio Græcis fuerit, eſt applauſus, quem Academica ſecta ſemper habuit. Ciceronis ſcripta philoſophica qui legit, nihil dubitabit.

f) Acad. Qq. l. I. c. 10.

g) IDEM *l. IV. c. 6.* Vbi ait: *Arceſilaum Zenoni, ut putant, obtrectantem, nihil novi reperienti, ſed emendanti ſuperiores immutatione verborum, dum hujus definitiones labefactare velit, conatum eſſe clariſſimis rebus tenebras obducere.*

adhæſiſſe, nec tamen ideo a mutanda externa philoſophicæ doctrinæ facie, quam Academia hactenus tenuerat, abſtinuiſſe,[h] quia ſinceram Platonis philoſophiam intimis diſcipulis ſervabat, eamque iis, adhibita arcana methodo, tradebat. Qua in re neque a more veterum, neque ab ipſius Platonis methodo diſceſſit. Cauſam ejusmodi occultatæ philoſophiæ Platonicæ non inepte detexiſſe videtur AVGVSTINVS,[i] qui obſervat, *Arceſilaum, cum Zenonis doctrinam Platonicæ oppoſitam latius ſpargi ſentiret, prudenter Academiæ placita diſſimulaſſe, ne Platonis myſteria publicata, & vulgi notitiæ proſtituta vileſcerent. Indeque inſtituiſſe dedocere potius male doctos, quam docere quos dociles non arbitraretur.* Ita vero & aliud emolumentum ſcholæ ſuæ quærebat Arceſilaus, quod recte notat SEXTVS EMPIRICVS.[k] Nam is veterum monumentis, ad quæ provocat, uſus refert: *Arceſilaum prima quidem fronte Pyrrhonium viſum, vere autem dogmaticum fuiſſe, & cum in ſibi familiaribus periculum faceret ſuis dubitationibus, an naturam aptam ad percipienda Platonis dogmata haberent, exiſtimatum fuiſſe aporeticum, ſive dubitatorem; at familiaribus ſuis, qui acri ingenio præditi eſſent, Platonis doctrinam tradidiſſe: atque ideo Ariſtonem jactaſſe hoc in ipſum:*

Ante Plato, Pyrrho retro, medius Diodorus,

quod dialectica Diodori uteretur, plane tamen eſſet Platonicus. 2. Confirmari in hoc inſtituto poterat eo magis Arceſilaus, quo magis ipſa Platonis phyſiologia ad hanc viam ineundam invitabat. Res enim æternas, per ſe exiſtentes cognoſcere, id eſt idearum notitia paſci, & ita eſſentias rerum pervidere, pauciſſimis vindicabat Plato, reliquos circa ſenſuum obnoxia imperio fluctari, & varia opinione decipi ſtatuit. Quid quæſo aptius ad hanc Arceſilai rationem philoſophandi excogitari potuit? quæ myſteria iſta, captum plerorumque ſuperantia, & a philoſophis deriſa, uti ſupra Diogenis & Ariſtotelis exemplo probavimus, interioris tantum diſciplinæ alumnis ſervavit, & de rebus ſenſus ferientibus ita diſputavit, ut ea omnia incerta eſſe, & ſine idearum cognitione, quam illi rejiciebant, prorſus nullam dari notitiam contenderet. Ita enim non adverſarii tantum Platonicæ diſciplinæ, & in his Zeno atque Peripatetici retundebantur,[l] ſed animi quoque diſcipulorum præparabantur, ut agnita incertitudine cognitionis, quæ eſt ex ſenſibus, ideas cardinem atque ſummam omnis ſcientiæ eſſe agnoſcerent. 3. Multum vero in hoc philoſophandi modo atque ordine Arceſilaus adjutus eſt exemplo Socratis, qui cum ipſe obſcuritatem & ignorantiam humani intellectus profeſſus eſſet, & in hac modeſtia veteres ſocios habe-

b) Fatetur LAERT. *l. IV. ſ. 28.* Arceſilaum Platonis orationis genus moviſſe, & reddidiſſe per quæſtiones & interrogationes contentioſius.

i) Contra Academ. l. III. c. 17. T. I. p. 219.

k) Iisdem rationibus aurem præbuit FOVCHER. *l. c. l. I. c. 6. p. 32.* ALDOBRAND. *ad Laërt. l. IV. ſ. 28.* nec BAYLE *l. c. not. H.* quicquam contra movet.

l) Ideo Socratico more, non ipſum dixiſſe, quid ſentiret, ſed aliorum cogitationes refellere conatum contra eos diſputaſſe paſſim notat CICERO. Vid. *Q q. l. III. c. 18. de finibus l. II. c. I.*

haberet, ad confeſſionem eandem Arceſilaum adducere potuit: *Nihil ſciri poſſe*, ut ait CICERO,[m] *anguſtos ſenſus, imbecillos animos, brevia curricula vitæ, & in profundo veritatem eſſe demerſam, opinionibus & inſtitutis omnia teneri, nihil veritati relinqui, deinceps omnia tenebris circumfuſa eſſe.* 4. Etſi vero non pertinacia, ut addit CICERO, aut ſtudio vincendi ſolo hæc Arceſilaum ſtatuiſſe facile credi poſſit, cum animus ejus ingenuus & a faſtu alienus, ſectæque non valde appetens ſupra probatus ſit: dubitari tamen nequit, cum ipſe ſibi omne cum Zenone certamen inſtitueret, quod Tullius non negat, hanc potiſſimum philoſophandi rationem Stoicæ philoſophiæ parenti oppoſuiſſe; cum enim is non modo plurima decerneret, ſed ſenſibus quoque eorumque notionibus veritatis regulam aſſereret, non potuit magis Arceſilaus ejus philoſophiæ obicem ponere, quam iſta principia negando, quibus ædificium totum Zeno ſuperſtruxerat. Quod privata æmulatione inter hunc & Arceſilaum oborta factum eſſe contendit Numenius apud EVSEBIVM,[n] CICERO vero negat,[o] magisque probabile eſt, ſtudium defendendi Platonem ejusque ſcholam in Zenonem novatorem armaſſe Arceſilaum. Quicquid vero illud erit, hoc nec ipſe Numenius negat, hac ratione Arceſilaum vehementer Stoicos proſtraviſſe. Dignus locus, qui in fine paginæ legatur,[p] quoniam vis ingenii & eruditionis Arceſilai ex eo luculenter diſci poteſt. 5. Nec objici hic poteſt, Arceſilaum æmulatione magnorum virorum, qui tum novas ſectas condebant, Pyrrhonis, Zenonis, Epicuri innovandi gratia & ſectam condendi ſtudio ea tradidiſſe. Ad hæc enim reſpondet PLVTARCHVS:[q] *Arceſilaum tantum abfuiſſe ab omni novandi aut vetera ſibi arrogandi ſtudio, ut etiam vitio ei Sophiſtæ ejus ætatis dederint, quod ſententias de cohibenda attentione, & comprehenſionis negatione Socrati, Platoni, Parmenidi, Heraclito acceptas ferret: nulla quidem neceſſitate, ſed tantum eas viris nobilibus inſcribendo confirmans ac commendans.* 6. Sed & alia cauſa fuit, quæ ſi non excitare ad hanc rem, certe in ea confirmare, poterat Arceſilaum. Res enim tum temporis erat omnibus fere philoſophis cum Dialecticis, qui cavillationibus & ſophiſmatibus ſuis eos vehementer vexabant, & imprimis Academiæ doctores laceſſebant. Hos egregie iſta nova methodo retundere, Arceſilaus poterat, dum enim ipſorum arma adhibebat, & in utramque contra eos partem diſputabat, incerta quoque omnia eſſe aſſerebat, cunctas eorum ratiunculas, levibus nominum vocumque cavillationibus nixas uno halitu difflavit. Id quod dudum vidit Diocles Gnidius, qui

m) *Acad. Qq. l. I. c. 12.* ubi etiam Democritum, Anaxagoram Empedoclem omnesque pene veteres in hac claſſe collocat.

n) *De præp. l. XIV. c. 6. p. 731.*

o) *Ac. Qq. l. IV. c. 24. l. I. c. 12.*

p) *Atqui hoc Stoici cum ſtupore audiebant. Erat enim adhuc infans eorum Muſa, nec illarum facetiarum artifex, quibus Arceſilas Zenonis argumenta partim explodens, partim ſuccidens, partim ſupplantans, ſic eos linguæ vi obruebat, ut fidem etiam aliis faceret. Ita cum & ii, quibuscum oratione pugnabat, victi atque proſtrati, & ii, quorum in concione dicebat, perculſi attonitique manerent; quaſi pro comperto erat ejusdem ætatis hominibus, nec vocem, nec malum, nec opus ullum vel minimum, quicquam eſſe, nec inane frivolumque contra viſum iri quicquam, niſi quod Arceſilæ Pitaneo tale videretur.*

q) *Adv. Coloten.*

qui apud Numenium [r] ait: *Arceſilaum Theodoreorum ac imprimis Bionis ſophiſtæ metu, qui philoſophis infeſti nullam non eos coarguendi occaſionem acciperent, ita ſibi, ne quid ab eis moleſtiæ pateretur, caviſſe, ut ne certi quid ſtatueret; nam ut ſepias effuſo atramento, ita illum ſeſe objecta hac aſſenſione retenta legere ac tueri.* Non id credit Numenius; qui vero ea, quæ de Dialecticorum ſtrophis in ſuperioribus diximus, expendet, ei a vero non abſimile videbitur, præter alios eosque primarios fines, ad hæc quoque in aſſenſione retinenda Arceſilaum reſpexiſſe. Ita enim non ſolum eorum retia evitabat, ſed eos quoque fortiter retundebat, acumine in his ingenii & admirabili quodam lepore dicendi, ut ait CICERO [s] uſus.

§. III. His itaque rationibus inductus Arceſilaus, ita philoſophatus eſt: *Ratio philoſophiæ Academica.*

I. Nihil eſſe quicquam, quod ſciri poſſet, ne illud quidem ipſum, quod Socrates ſibi reliquiſſet, nihil ſe ſcire. [t]

II. Sic omnia latere in occulto, ut nihil ſit, quod cerni aut intelligi poſſit. [u] Primum hoc totius ἀκαταλήψιας fundamentum eſt, quod Arceſilaus poſuit, quod, ſi verum dicendum eſt, non tam in ipſarum rerum incertitudine, quam potius in humanæ cognitionis impoſſibilitate collocabat. Qua in re etſi Pyrrhoni ita affinis viſus eſt multis veterum [x] Arceſilaus, ut præter nomen, nihil Academici habere crederent, magis tamen ad Carneadis, quam Pyrrhonis ea in re acceſſit ſententiam. [y] Ille enim ut verbis magis ſobrie philoſopharetur, rebus certitudinem non denegavit ineſſe, ita vero latere cenſuit, ut nihil de iis intellectus hominis cognoſcere poſſet, quod latius paulo poſt ad eum delati demonſtrabimus. Nec vero hoc negare poterat Arceſilaus, niſi totam Academiæ ipſiusque Platonis doctrinam convellere voluiſſet, qui in ideis rerum certitudinem latere aſſerebat. Vt itaque ejus rationibus conſuleret, & acatalepſian ſemel receptam tamen tueretur, rerum eſſentias atque ideas occultas latere, ut cognoſci nequeant, ſtatuit: paucis, uti ſupra diximus, & ſelectis ingeniis enarraturus, qua ratione communem hominum ſortem ſuperare, & occultas rerum ideas aſcenſione ad mundum idealem, vel rationem potius Dei, perſpicere poſſent, quod omnibus aliis philoſophis, contra quos ex iſta hypotheſi admiſſa diſputabat, denegandum eſſe ſtatuebat.

III. His de cauſis nihil oportere neque profiteri neque affirmare quemquam, cohibereque ſemper & ab omni lapſu continere temeritatem, quæ tum eſſet inſignis, cum aut falſa, aut incognita res approbaretur. [z]

IV. Neque hoc quicquam eſſe turpius, quam cognitioni & perceptioni aſſertionem approbationemque præcurrere. [a]

r) EVSEB. *l. c.*
s) *Acad. Q q. l. IV. c. 6.*
t) *ibid. l. I. c. 12.* u) *ibid.*
x) Numenius apud EVSEB. *l. c.* SEXT. EMP. *Pyrrh. hyp. l. I. c. 33.*
y) Agnoſcit hoc etiam BAYLE *Dict. T. II.* art. *Carneades not. B p. 58.* & HVETIVS *l. c. p. 133.* quorum tamen neuter ad intimas Arceſilai rationes attendit.
z) *ibid.* a) *ibid.*

V. Poſſe itaque philoſophum contra omnes omnino philoſophos, certas ſententias affirmantes ſe armare, cum in eadem re paria contrariis momenta rationum inveniantur, faciliusque ab utraque parte aſſertio ſuſtineatur. Id quod ſuo quoque exemplo confirmavit Arceſilaus, qui contra omnium ſui temporis philoſophorum ſententias diſputando totos dies deducebat, &, ut ſcribit LACTANTIVS, [b] *reprehenſiones omnium inter ſe colligebat, confeſſionemque ignorantiæ clarorum philoſophorum;* [c] *armabatque ſe adverſus omnes, & ita novam non philoſophandi philoſophiam conſtituebat.*

VI. Neque ſenſus fidem mereri, neque rationem.[d] Hoc ad ſcientiam tantum referendum eſſe, ex dictis patet, cujus neque in ſenſu, neque in ratione fundamentum agnoſcebat: qua in re ultra progreſſus eſt, ac Plato.

VII. Valere tamen hoc non ad vitam, ſed ad dogmata, ſequendamque in illa ea, quæ videntur, atque opinionem. Ita incertitudinis prima ſpecie non abſurdæ tantum, ſed & in vita atque ſocietate hominis noxiæ invidia & Academia & Scepticorum ſchola declinabat. Ajebant, ut hoc ipſorum vocibus declaremus, non deſtitui quidem nos ſigno commonitorio, quod in rebus, quæ ſunt ad tempus obſcuræ, videtur valde utile eſſe: ſed indicatorio, quod refertur ad res natura nobis obſcuras. [e] Hinc quam regulam vitæ Academia obſervaverit, liquet, & judicari poteſt, quam bene vel male agant, qui inter atheiſmi patronos eos referunt: [f] qua ab impietate abſolvit eos AVGVSTINVS, eo quod contra Stoicos tantum hanc ἀκαταληψίαν aſſeruerint. Nec Arceſilaus vitæ honeſtatem tollere, ſed philoſophorum tantum aſſertiones convellere ſtuduit, & optime, uti ſupra vidimus, magnam partem vixit. Qua in re cauſam ipſius egit Cleanthes, etſi Stoicæ familiæ alumnus; condemnanti enim Arceſilaum, quod omne honeſtatis vitiique diſcrimen tolleret; quieſce, inquit, neque vituperes, ille enim, etſi verbis officium tollit, operibus tamen id ponit. Verum hanc rem ſupra jam tetigimus.

Patet ex hac Arceſilai philoſophandi ratione, quam paucis deſcripſimus, eum longius, quam ante ſe omnes, in extollenda humani intellectus imbecillitate & cognitionis incertitudine progreſſum fuiſſe, rectèque ab eo novam Academicæ philoſophiæ periodum derivari. Docebant eadem fere Sceptici, iisdem temporibus caput extollentes, unde etiam reliqua, quæ de hoc philoſophandi modo dici poterant, ad illum ſervamus locum, qui conſiderationi Pyrrhoniorum debetur: ipſi tamen ab Academicis ſe diſtinguebant, ut ex SEXTO EMPIRICO [g] videre eſt, & ab aliis quoque certis criteriis diſtinguebantur; quæ cum ſuo loco enarraturi ſimus, hic in præſentia nihil dictis addimus.

§. IV.

b) *l. III. c. 4.*
c) Conf. locus PLVTARCH. *not.* (*q*) adductus.
d) EVSEBIVS *l. c.*
e) SEXT. EMPIR. *adv. Math. l. VIII. ſ. 156.*
f) Conf. BVDDEVS *theſ. de ath. c. I. §. 14.* REIMMANN. *Hiſt. Ath. c. XXXII. p. 168.*
g) *l. c. ſ. 352. ſeqq.*

§. IV. Arceſilao fatis functo ſucceſſit LACYDES, Cyrenæus, Alexandri filius, quem paupertas, qua premebatur adoleſcens, non deterruit, ut non plurimum bonarum artium ſtudiis ſe dederet. [b] Studiis itaque optimis cum animi jucunditatem atque urbanitatem jungeret, gratioſus omnibus fuit. Et initio quidem aliam philoſophandi viam ingreſſus eſt, lepido vero caſu commotus ad Academicos tranſiiſſe dicitur. Rem ita narrant LAERTIVS, [i] atque Numenius apud EVSEBIVM: [k] Rei familiaris curam geſſiſſe tam ſollicite, ut ſi quid ex cella depromendum fuiſſet, fores obſignaret, ſigillum autem per foramen in cellam penuariam projiciendo abſconderet, ne quis ipſi invito inſciove clam auferret. Servos vero id obſervantes, protracto & ablato clanculum ſigillo, foribusque apertis, quæcunque volebant, abſtuliſſe, ſigillum vero priſtinum in locum abjeciſſe, ita ut nunquam ab eo deprehenderentur. Hoc caſu permotum incepiſſe de ſenſuum fide dubitare, ita argumentando: Quomodo certo ſenſus quippiam comprehendere poſſe exiſtimem, qui toties his meis ſenſibus deceptum me norim? Domo enim ſi quando egredior, oculis meis videre me puto ea in cella mea relinqui, quorum rediens invenio nihil, quod fieri haut poſſet, niſi fallerent ſenſus, atque incertitudine laborarent. Vetuſtam ſatis hanc narratiunculam eſſe, ex teſtium ætate colligitur; valde tamen ea ſuſpecta eſt. Nam & teſtes, qui eam adducunt, non habent ex ætate propioribus, cujus fidem in ea re laudent; & LAERTIVS [l] haud obſcure prodit, inter incertos rumuſculos hanc fabulam narratam fuiſſe: & omni quoque caret probabilitate, virum nec indoctum nec ingenii perſpicacia deſtitutum tam pueriliter lapſum fuiſſe, ut nec fraudem ſervorum intelligeret, vel ſaltem ſuſpicaretur, & de ſenſuum teſtimonio ita dubitare inciperet. Nec recte quoque tota narratio inter ſe cohæret, ut non ſuſpicionem vehementer augeat. Mature enim Lacydem ad Academiam perveniſſe, inde recte colligitur, quia XXV. annos docendo in ea exegit, juvenem itaque oportet in diſciplinam Arceſilai perveniſſe: unde & hoc ſequitur, accidiſſe iſta Lacydi juveni. Aſt pauperi, ut erat juvenis, unde penuaria cella, unde ſervulus non unus, ſed plures? Præterea qui potuit, ſi vera quoque illa eſſe ponamus, Lacydes ad Academicam philoſophandi rationem iſta ſervorum fraude deduci, cum Academici non ſenſuum in externa rerum apparentia, & circumſtantiis teſtimonium rejecerint, ſed in rerum definitionibus & aſſertionibus propoſitionum, ut ait LAERTIVS, [m] nihil valere contenderint? Certe Arceſilaus Lacydem tanquam inſanientem rejeciſſet ex ſchola, ſi ita ſenſuum fidem negaſſet, ut in vita quoque communi eos prorſus rejiciendos eſſe aſſereret. Dicamus paucis quid nobis hac de re videatur, vero non prorſus abſimile. Referendam hanc fabellam putamus inter ea ſcommata, quibus more Græcorum, Stoici Academicis vehementer infenſi, & Arceſilaæ cla-

Lacydes.

b) LAERT. *l. IV. ſ. 59.* SVIDAS in *Lacydes T. II. p. m.*

i) *l. c.*

k) *l. XIV. præp. c. 7.*

l) *l. c. Ferunt lepidiſſime circa rem œconomicam ſe habuiſſe.*

m) *l. IV. ſ. 28.*

dis memoria ad vindictam excitati excogitarunt, ut Academicam philoſophiam in riſum & contemtum deducerent: occaſione forte captata ex furto, quod ſervulus, ſurrepto ſigillo in domini cella penuaria commiſit: cui deinde, cum id Lacydi, ad res œconomicas (ut ſolent eſſe, qui ex paupertate ad facultates aliquas eluctantur) attento grave eſſet, ad ignominiam philoſophiæ partibus, quas ſequebatur, conflandam, cento ille affutus eſt. Græciæ enim mendaci non nimis fidendum eſſe, multis exemplis docemur, & in vulgus notum eſt. Arceſilai γνώριμον, id eſt, non diſcipulum tantum, ſed & familiarem fuiſſe veteres [n] tradunt, quæ res effecit, ut illo decedente ipſe in Academia ipſi ſuccederet. Ornavitque graviſſimum munus non eruditionis tantum laude, etſi dicendi facundia & vi Arceſilao par non eſſet [o], ſed et morum integritate & ſanctitate, quod inſtituti ſui haud paucos æmulos ipſi excitavit. Suſcepit vero docendi munus [p] Olymp. CXXXIV. 4. docens in Attalicis hortis, [q] qui in Academia ſiti erant, unde ab eo Lacydei nomen adepti ſunt. Aitque LAERTIVS [r] novam Academiam inſtituiſſe, [s] quod vel falſum prorſus eſt, [t] cum indubium ſit, novæ Academiæ auctorem fuiſſe Carneadem, vel ita intelligendum, ut conjicit eruditiſſimus FOVCHERIVS, [u] eum, quia non in Platonis horto atque villa, unde ſchola ejus Academiæ nomine, a loco vocata eſt, doceret, ſed in alio loco, hortis nempe Attali regis docebat, ideo novæ Academiæ auctorem habitum fuiſſe, quo ſenſu Academiæ nomen non ſectæ, ſed loci eſſet. Ibi XXVI. annos docuit, [x] non magno tamen Academiæ augmento. Nam & inſtitutum Arceſilai non fortiter ſatis, & ut ille ſolebat, defendere potuit, [y] & quod vivo jam Arceſilao factum eſt, [z] multi diſcipulorum ex Academia ad Epicurum tranſibant, quod gratior erat voluptatis doctrina, quam incertitudo intellectus atque ſenſuum. Ille tamen ſtudiis, & philoſophiæ, quam deperibat, invigilare nec deſtitit, nec ab ardore diſcendi remiſit, adeo, ut ſenex geometriam diſceret, [a] quod ab homine Academico incertitudinem in omnibus ſectante factum eſſe merito mireris. Regem vero Attalum ei faviſſe cum ex loco, ubi docebat, colligitur, tum ex eo patet, quod illum ad ſe accerſeret, ubi tamen dixiſſe fertur: regum imagines procul intuendas eſſe. [b] Tandem Ol. CXLI. 2. muneri ſe abdicavit, vivusque diſcipulis ſuis Telecli & Euandro, Phocenſibus eo ceſſit. Circa quæ tempora a morum ſeveritate & gravitate remiſiſſe dicitur, & ſtrenue potationibus cum Timone invigilaſſe, qua de re parodias aliquas ejus memorat ATHENAEVS, [c] & AELIANVS [d] quoque potentiſſimis utrumque potatoribus adnumerat. Vini vero exceſſu in paralyſin incidit, ex quo morbo

n) *ll. c.*
o) Colligas id ex CICERON. *Ac. Qq. l. IV. c. 6.*
p) LAERT. *l. c. ſ. 61.*
q) De Attali hortis conf. PLVTARCH.
r) in *Demetrio.*
s) *ib. ſ. 59.* quem more ſuo exſcripſit SVIDAS *l. c.*
t) Ita BAYLE *Dict. T. II.* art. *Carneade not. A.*
u) diſſ. *de phil. Acad. l. I. c. 7. p. 41.*
x) LAERT. *l. c. ſ. 60.* male apud FOVCHER. *l. c.* ſunt anni 24.
y) *Eo enim ſolo abſolutum fuiſſe* ait CICERO *l. c.*
z) LAERT. *l. IV. ſ. 43.*
a) *ib. ſ. 60.* b) *ibid.*
c) *l. X. p. 438.*
d) *l. II. c. 41.*

morbo deceſſit Olymp. CXLI. 2. [e] Scripſit libros philoſophicos & de natura, dudum deperditos. Non tacendum quoque de eo, quod narrat PLINIVS:[f] anſerem ita comitem perpetuum adhæſiſſe Lacydi, ut nuſquam ab eo, non in publico, non in balneis, non noctu, non interdiu digrederetur. In ſchola ſucceſſorem, uti dictum, habuit Evandrum, Evander diſcipulum ſuum Egeſinum Pergamenum, quem Hegeſilaum vocat CLEMENS ALEXANDRINVS, [g] Egeſinus Carneadem, qui rationem philoſophandi Academicam ab Arceſilao introductam, leviter inflexit, novamque Academiam condidit.

e) LAERT. *l. c.* apud FABRICIVM *Bibl. Græc. Vol. II. p. 62.* dicitur obiiſſe Olymp. CXXXIV. 4. quod corrigendum eſt. Eo enim anno ſcholam regere cœpit.

f) *Hiſt. nat. l. X. c. 22.*

g) *Strom. l. I. p. 301.*

* *

SECTIO IV.

DE ACADEMIA NOVA, SIVE TERTIA, QVARTA ET QVINTA.

§. I.

Academiæ novæ origo.

Quanta ingenii vi animique alacritate, quantoque eloquentiæ acerrimæ robore incertitudinem propugnaverit Arceſilaus, quantaque felicitate dogmaticos philoſophos proſtraverit, & imprimis de dialecticis & Stoicis innumeras reportaverit victorias, præcedente ſectione dictum eſt. Armaviſſe ſe contra communem philoſophiæ hoſtem, nova non philoſophandi methodo omnem omnino ſcientiam evertentem, quicquid Athenis vivebat, philoſophorum, & ſponte credi poteſt, & veteres teſtantur. Imprimis objecta eſt inſaniæ ignominia, quaſi omnes ſenſus & vitæ in iis ducem, communem omnibus hominibus rationem, ejuraret Academia, & pueriliter in his nugaretur, cujus luculentum exemplum Lacydis hiſtoria nobis exhibuit. Ita vero præter philoſophicam obtrectationem civilis quoque acceſſit invidia, & in ſuſpicionem adducta Academia, quod omnem honeſtatem, pietatem, cultumque etiam divinum inſano auſu proſcriberet, nullam omnino certitudinem vel cognitionem admittens, quam non contrariis rationibus everteret. Quæ res effecit, ut cum magno ad Arceſilaum numero juventus, conflueret, facundia atque vi dicendi, qua adverſarios mire proſternebat, commota, poſt ejus ex vita diſceſſum Academiam Lacydes vix tueretur. Vt itaque invidiam principiis Academicis conflatam amoliretur, medicinam non tam re ipſa, quam cautiori loquendi modo afferendam ratus Carneades, Arceſilai doctrinam pauliſper inflexit. [a] Cujus veſtigia

a) Obſervavit hoc jam AVGVSTINVS *l. ſupra cit.* & ex eo ALDOBRAND. ad LAERT. *l. IV. ſ. 28.* atque BAYLE *Dict. T. II.* art. *Carneade not. B. p. 57.*

ſtigia non reliquit quidem Philo, propius tamen iis inſiſtendo ad veteris Academiæ ſemitam inceſſit, unde quibusdam occaſio enata, quartam Academiam numerandi. Philonis vero diſcipulus Antiochus Aſcalonita, relicto non præceptoris tantum, ſed & totius Academiæ novæ ſyſtemate, non veteris tantum placita revocavit, ſed & cum Stoicis conciliare, ſicque incruenta bella inter Academiam & Stoam geſta tollere, miroque ſyncretiſmo confundere in unum doctrinas toto cœlo differentes conatus eſt, paucis, qui ejus veſtigia premerent inventis. Græcorum enim everſo imperio cum ad Romanos philoſophia migraret, non iſtius, ſed vel veteris vel mediæ, ſive novæ potius Academiæ placita magno applauſu excepta ſunt. Quem hiſtoriæ Academicæ conſpectum in ſequentibus prolixius enarrabimus: Iam Carneadis, viri gravis & eloquentia imprimis Academica magnum nomen conſecuti hiſtoria & vita explicanda eſt.

Carneadis ætas.

§. II. Egeſini itaque non diſcipulum tantum, ſed & in Academiæ cathedra ſucceſſorem fuiſſe CARNEADEM, ſupra diximus. Is gente Afer, patria Cyrenæus fuit, parente natus Epicomo, quem & Philocomum nominant. [b] Qui enim Athenienſem vocant, ſine dubio ad longam in hac urbe moram ejus reſpiciunt. [c] Tempus ejus, licet illuſtrem ſui ævi perſonam egerit, veterum incuria, quæ in rationibus chronologicis ſæpe numero magna fuit, admodum incertum & obſcurum eſt, unde in tres potiſſimum partes diſceſſerunt viri docti. LAERTIVS enim ad Apollodorum in *Chronicis* provocat, qui eum abiiſſe ex hac vita tradit Olymp. CLXII. 4. cum vixiſſet annos LXXXV. Quod teſtimonium Apollodori eo magis ſequendum eſſe videtur, quod Laërtius, qui in rebus dubiis aliorum quoque diſcrepantes ſententias advocare ſolet, hic ſolo Apollodori teſtimonio contentus ſit, ſicque eas rationes temporum Carneadis comprobet. Accedit, Anonymum Olympiadographum etiam ad Olymp. CLXII. 4. ejus mortem referre, & defectionem lunæ in ejus mortis tempore notare, quod etiam tradit LAERTIVS [d]: his poſitis natalis ejus in Ol. CXLI. 3. incidit. Hanc ſententiam ſecuti ſunt magni in arte critica viri IOH. IONSIVS, [e] PETRVS BAYLE [f] & IOH. ALBERT. FABRICIVS. [g] Aliter tamen DIONYSIVS PETAVIVS, [h] & THOMAS STANLEIVS, [i] qui contendunt, ſerius vixiſſe, inque textu Laërtiano mendum ſuſpicantur, & Apollodorum non de die emortuali, ſed de natali intelligendum eſſe, ſtatuunt. Cujus cauſæ præſidium præcipue in uno alterove CICERONIS [k] loco quærunt, a quo M. Craſſus loquens inducitur, *veniſſe ſe Quæſtorem Athenas florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quod eam Carneades & Clitomachus & Æſchines obtinebant, quibus alios poſtea jungit*

b) CICERO *Tuſc. Qq. l. IV. c. 6.* LAERT. *l. IV. ſ. 62.* SVIDAS *II. v.* Καρνεαδ. *p. 246.*

c) Conf. IONSIVS *de Script. Hiſt. phil. l. II. c. 14. p. 154.* FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 55.* Effigies ejus occurrit in LAERTIO Meibomii & GRONOV. *Theſ. Gr. ant. T. IV.*

d) *ib. ſ. 65.* *e*) *l. c. c. XIV. p. 187.*
f) *Dict. T. II.* art. *Carneade not. N. p. 63.*
g) *l. c. p. 55.*
h) *Exerc. miſc. in Opp. Iuliani Apoſt. c. 8.*
i) *Hiſt. Philoſ. P. IV. p. 399. 406.*
k) *De orat. l. I. c. 18.*

git philoſophos, Athenis tum docentes; itemque M. Antonius, *qui Proconſul in Ciliciam proficiſcens, Athenasque delatus homines doctiſſimos, interque eos Carneadem quoque ſecum habuiſſe*, ait. Factum id autem anno V. C. DCL. & DCLII. Olymp. CLXII. annus quartus autem annus V. C. eſt DCXXIV. Vt vero Petavius infra Apollodori numeros Carneadis ætatem ponit, ita doctiſſimus Divionenſium Canonicus FOVCHERIVS, ſupra eos aſſurgit, Epicurique coætaneum fuiſſe ratus, ad ejus tempora Carneadem refert: Qua de re lis ei oborta eſt cum LANTINO curiæ in eadem urbe regiæ conſiliario, [l] quam, quia longior eſt, enarrare hic non vacat. Vnum hoc afferendum, niti totam Foucherii opinionem uno CICERONIS [m] loco, qui *Carneadem Epicuri perfamiliarem ad Arceſilaum veniſſe*, ait, *cum is arderet podagræ doloribus, & triſtem abiiſſe, revocatum autem ab Arceſilao pectus oſtendente, & dicente, nihil huc perveniſſe.* Vidit jam hanc difficultatem magnus GASSENDVS, [n] qui fieri potuerit, ut Carneades Epicuri perfamiliaris ad Arceſilaum pervenerit, cujus nativitas Olymp. CXXXVII. non potuerit præcedere, ſicque Epicuri obitum decem Olympiadibus non ſequi, qui & hunc ſcrupulum jam moverat, quod LAERTIVS dicat, Metrodorum Stratoniceum ab Epicuro deceſſe & ad Carneadem ſe contuliſſe, ex quo ſequitur, Epicurum & Carneadem uno tempore vixiſſe. Nos profunde in hunc chronologiæ labyrinthum lectorem introducere nefas ducimus, noſtræque ſcriptionis fini adverſum, ipſosque laudatiſſimos viros conſulere jubemus eum, qui hæc curatius noſſe cupit: Sed paucis quid excuſſis trium partium nobiliſſimarum argumentis vero nobis videatur ſimillimum enarrabimus, lectoris diligentiæ & acumini judicium relinquentes. Nempe quod ad Foucherii ſententiam attinet, eam vel unico argumento totam a Lantino ſolidiſſime diffiatam eſſe, omnibus fatendum eſt, qui ſine hypotheſeos præjudicio de re judicant. Provocat is ad legationem Athenienſium, quam cum Critolao & Diogene ad Romanos ſuſcepit Carneades propter mulctam a Sicyoniis Romanorum auctoritate dictam Athenienſibus, quod Oropum vaſtaſſent. [o] Etſi enim non adeo certas fixasque temporum iſtorum rationes, quibus ea ſuſcepta eſt, definiri poſſe, in altera hiſtoriæ philoſophicæ parte pluribus demonſtraturi ſumus, certum tamen eſt, omnique dubio caret, conſulto PAVSANIA, [p] direptionem Oropi factam eſſe poſt illud demum tempus, quo Macedonia in provinciæ formam a Romanis redacta eſt. Perſeus autem ultimus Macedoniorum rex A. V. C. DLXXXV. Romam demum abductus eſt. Quod tempus cum longe ab Epicuri ætate diſtet, funditus evertit Foucherii hypotheſin, qui Carneadem Epicuro coævum fuiſſe contendens, iſtam legationem ad A. V. C. DXXXII. refert. Vnde ſequitur, quod

l) Scripta FOVCHERII & LANTINI mutua de hoc argumento extant in *Ephem. erud. Pariſ. 1691. p. 509. 1692. p. 197. 704.*

m) *De finib. l. V. in fin.*

n) *De vita Epicuri l. IV. c. 8. p. 124. ſeq.*

o) Qua de re poſtea.

p) *Lib. VII. p. 216.*

quod a GASSENDO [q] jam obſervatum eſt, Carneadem illum, quem ſuum vocat Arceſilaus, quique Epicuro perfamiliaris fuit, non ſuum dici ſecta, ſed amore, multisque annis a Carneade Cyrenæo differre. [r] Recteque ille Laërtium de Metrodoro quoque ita interpretatur: neminem ab Epicuro, non ipſo vivo, ſed in ſecta tantum vivente, defeciſſe, præter iſtum. Difficiliora vero ſunt, fatemur, quæ vel Apollodori fidei vel Codicum Laërtii integritati a Petavio & Stanlejo objiciuntur: neque tamen ita comparata eſſe putamus, ut Apollodorus & lectio Laërtii optimis ſuffulta codicibus deferenda videatur. Nam non Laërtii tantum textum talem, qualis hodie eſt, legit & excerpſit SVIDAS, [s] ſed & Olympiadographus eundem mortis annum refert, & eodem anno & die lunam defeciſſe ait, quod & Laërtius narrat: quæ omnem corrupti textus numerorumque apud LAERTIVM ſuſpicionem nobis quidem eximunt. Deferendum itaque Ciceronem cum viris doctis quos ſupra nominavimus, putamus, his potiſſimum rationibus nixi, quod legatio Athenienſis Romam ſuſcepta teſte CICERONE P. Scipione & M. Marcello Coſſ. acciderit, qui Conſulatus etſi dubium tempus habeat, ante annum tamen V. C. DCVIII. neceſſario evenit, id eſt ante Olymp. CLIX. quo tamen tempore, ſi Stanlejum ſequaris, Carneades nondum natus fuit; legationem vero ſubire potuit, ſi rationes chronologicæ Apollodori admittantur. Quas ſi ſequimur, non omnia tantum cohærent, ſed optime quoque reſpondent ætati Critolai & Diogenis, quæ Foucherii quoque ſubtilitates explodit. Cicero vero an memoria erraverit, quod vult Bælius, vel corruptus ejus textus ſit, ut & alibi in Carneadis nomine exprimendo factum eſſe luculenter Ionſius demonſtravit, definiri accurate nec poteſt, nec neceſſe eſt, cum a vero non abludat, Ciceronem iſtam diſſertationem non re ipſa a viris illis illuſtribus audiviſſe, ſed more colloquiorum, non habita ætatis diſputantium temporisque ratione eos inter ſe differentes ita introduxiſſe, ut noverat eorum characteri convenire. Quam colloquiorum rationem neglectam mille tenebras chronologiæ veteri obduxiſſe, plurimis exemplis probari poſſemus, [ſſ] ſi id ageremus. Certe hæc id evincunt, magis fidem habendam eſſe Apollodoro, ejusdem cum Carneade ætatis chronologo, cujus fides tantopere veteribus probata fuit, quam CICERONI, qui alio loco, [t] haud obſcure fatetur, ſe in hiſtoria legationis illius nec certum ſatis eſſe, & lucem ab uno Apollodoro ſe expectare. Alias rationes adductas a laudatis viris, ut brevitati conſulamus, præterimus.

Ejus vita.

§. III. Sed ut ab incertis ad certiora revertamur, Athenas delatus Carneades, a Stoico Diogene dialecticam didicit; [u] unde inter diſputandum, teſte CICERONE, [x] dicebat haud raro: *ſi recte concluſi, teneo, ſin minus,*

q) l. c.

r) Conf. BAYLE *l. c. fin.* & art. *Epicure in fine*, ubi etiam *not. D. de Metrodoro.*

s) l. c.

ſſ) PLVT. *convivium ſeptem ſapientum* nobile exemplum ſupra nobis in hiſtoria ſeptem ſapientum Græciæ exhibuit.

t) Ad Attic. XII. 24.

u) CICERO *Acad. Qq. l. IV. c. 6.*

x) ibid. c. 30.

minus, minam Diogenes reddet : hæc enim merces erat Dialecticorum. Poſtea in Academiam delatus Egeſinum audivit, rationemque diſputandi adverſus quosvis, quam Arceſilaus introduxerat, didicit, & cum eſſet laboris patientiſſimus, magnam ſibi ſtudio & exercitatione eruditionem comparavit. Tanto vero applauſu ea excepta eſt, ut dignus haberetur, qui Egeſino in cathedra ſuccederet. Quo docendi munere permotus, ut rebus Academiæ a dogmaticis philoſophis, præcipue Stoicis, multa paſſis, & detrimentum timentibus ſubveniret, novam doctrinæ Academicæ faciem pauliſper a priſtina innovatam, quam poſtea delineabimus, introduxit, eamque ſumma eloquentiæ gloria ita commendavit, ut novo flore ſurgeret. Quia vero dicendi vis in eo ſupra modum vigebat, delectus eſt ab Athenienſibus, ut legatus Romam mitteretur. Cujus legationis cauſa fuit, [y] quod Athenienſes Oropum Bœotiæ civitatem vaſtaſſent; dicta itaque iis a Sicyoniis, auctoritate Romanorum, mulcta D. talentorum, cum graviorem eam putarent, quam deceret, ad Romanos provocarunt, legatosque miſerunt, ut ex mulcta aliquid remitteretur, quæ inauditis dicta fuerat. Electi vero ad legationem hanc ſuſcipiendam philoſophi tres ſumma eloquentiæ & eruditionis laude florentes, Diogenes Babylonius Stoicæ, Critolaus Phaſelites Peripateticæ, Carneades Cyrenæus Academicæ ſectæ anteſignani. Romam itaque profecti, cum moram ibi facere cogerentur, quisque ſeorſim oſtentandæ eruditionis & eloquentiæ gratia per celeberrima urbis loca, magno hominum confluxu orationes habuerunt, oſtenderuntque Romanis auribus, Græcæ eloquentiæ non aſſuetis facundiam ſupra modum admirabilem, & Carneades quidem violentam & rapidam, ſcitam & teretem Critolaus, modeſtam & ſobriam Diogenes. Omnium tamen maxime Carneades diſputandi ſubtilitate & differendi copia ac vehementia omnium in ſe ora convertit atque oculos. Diſputavit [z] enim de juſtitia copioſe audiente Galba & Catone Cenſorio, maximis tunc oratoribus. Idem tamen poſtridie, quæ dixerat, contraria ratione ſubvertit, & juſtitiam, quam pridie laudaverat, ſuſtulit, Academiæ in eo artem oſtendens, ut alios, quidlibet aſſerentes poſſet ſubvertere. Cujus rationes tam validas fuiſſe prodit alicubi CICERO, [a] *propter ruinas, quas in legum & reipublicæ illis adminiſtrandæ argumento edere poſſunt, ut placari eas cupiat, ſubmovere non audeat.* Oppoſuit ſe tamen Græcanicæ philoſophiæ & peregrinæ eloquentiæ Cato, non Carneadis odio ductus, ut quibusdam tum viſum, ſed quod juventutem relictis armis & patriis inſtitutis ambitioſe Græcos philoſophos ſectantem corrumpi crederet, ſenatuique perſuaſit, ut de re, quam petierant, decerneretur, remitterenturque ad ſuas ſcholas, & Græcorum filios inſtituendos; Romana vero juventus ad patrias leges & inſtituta majorum ob-

y) Videndi de hiſtoria hujus legationis PLVT. in *vita Cat. T. I. p. m. 632.* MACROB. *Saturnal. l. I. c. 5.* GELLIVS *N. A. l. VII. c. 14.* AELIAN. *Var. hiſt. l. III. c. 17.* conf. BAYLE *l. c. not. F.*

z) LACTANT. *Inſt. l. V. c. 14.* QVINTIL. *Inſt. Orat. l. XII. c. 1.*

a) *De legibus l. I.*

ſervanda reduceretur. Qua de re, quia philoſophiæ apud Romanos origines & initia enarraturis adhuc dicendum eſt, reliqua, quæ commode magis ibi exponentur, ad alteram hiſtoriæ philoſophicæ partem ſervamus. Ex dictis vero conſtare arbitramur, quantus vir Carneades fuerit. Erat enim in eo & judicii vis ſumma, & ingenium ſupra modum fœcundum, atque excogitandis argumentis aptiſſimum, voxque plane ſtentoria, [b] adeo ut gymnaſii princeps ad eum mitteret, monituros, ne clamaret tantopere. Acris præterea in reprehenſionibus, atque in quæſtionibus inſuperabilis cum eſſet, [c] mirum non eſt, omnes eum in hoc philoſophandi genere antecelluiſſe, tantumque, teſte LAERTIO, [d] in philoſophia valuiſſe, ut oratores quoque ſcholis dimiſſis, ad eum audiendnm venirent. Iungebat his inſolitam φιλοπονίαν, tantamque ſtudii aſſiduitatem, ut convivia non tantum ob eam cauſam vitaret, [e] ſed &, narrante VALERIO MAXIMO [f] ita ſe mirificum doctrinæ operibus addiceret, ut, cum cibi capiendi cauſa recubuiſſet, cogitationibus inhærens, manum ad menſam porrigere obliviſceretur; & Meliſſa, quam uxoris loco habebat, temperato inter ſtudia non interpellandi & inediæ ſuccurrendi officio, dexteram ſuam neceſſariis uſibus adaptaret; ipſe vero cogitationibus ad ſtudia raptis ita inhæreret, ut comæ ungviumque cura neglecta, ſqualorem utraque parte contraheret. [g] Ceterum infenſiſſimos hoſtes expertus eſt Stoicos, contra quos tanta animi vehementia inſurgebat, ut contra Chryſippum imprimis, magnum Stoæ tunc temporis ornamentum diſputaturus, elleboro animum detergeret, [h] ut ad inventionem valeret, neque corrupti ſtomachi humores animi vim atque conſtantiam extinguerent. Qua contentione tamen non ita animum adverſario infenſum reddidit, ut non magni Chryſippum faceret, faſſus: *niſi Chryſippus fuiſſet, non eſſem ego;* ſive ita eruditionem adverſarii extulerit, ex qua multum profecerit; ſive tanto ejus ſubtilitates, quibus mirifice valebat, acumine eſſe ita indicaverit, ut in excogitandis objectionibus mire ejus ingenium acueretur. [i] Aetate provectior oculorum ſuffuſione laboravit, exitumque ex hac vita admodum moleſte tuliſſe dicitur, ſæpeque indignabundus quæſiviſſe; an, quæ natura compoſuit, ipſa diſſolvet. [k] Tandem naturæ debitum ſolvit annos LXXXV. natus [l] quos CICERO [m] & VALERIVS MAXIMVS [n] ad XC. extendunt, notabilemque fecit mortem ejus lunæ deliquium, quaſi nobiliſſimum ſidus ereptum Academiæ lumen compateretur, [o] ſucceſſorem ſcholæ relinquens Cli-

b) LAERT. *l. IV. ſ. 62.*
c) *ib. ſ. 63.*
d) *ſ. 62.*
e) *ib. ſ. 63.*
f) *Lib. VIII. c. 7.*
g) LAERT. *ſ. 62.*
h) VAL. MAX. *l. c.* & poſt eum alii, HVETIVS & BAYLE *ll. cc.* alii contra Zenonem diſputaſſe, ajunt, quem Tarſenſem, Chryſippi ſucceſſorem eſſe putant, vid. IONS. *l. c. l. II. c. 1. p. 117.* Alii Chryſippo uſum ellebori tribuunt, nominati MENAGIO *anti-Baill. T. I. p. 420.* cujus tamen lapſum notat BAYLE *l. c. not. E.* qui de hac re pluribus diſſerit.
i) Forte ita intelligendi ſunt ex recentioribus, qui Carneadem Chryſippi ſtudioſum fuiſſe aſſerunt, quos notat BAYLE *l. c.*
k) LAERT. *l. c.*
l) *ibid. ſ. 65.* LVCIAN. *in Longæv. T. II. p. m. 829.*
m) *Acad. Qq. l. IV. c. 6.*
n) *l. c.*
o) *Citati ſupra §. 2.*

Clitomachum, Mentorem forte conſtituturus, niſi is pellice ejus uſus, ejus indignationem ita meruiſſet, ut eum ex ſchola abire juberet, illeque diſcederet; [p] qua in re ἀπαταλη ψίαν Carneadem non ſervaſſe, ſed oculis fidem habuiſſe, jocatur Numenius. [q] Nihil ſcriptum de philoſophia reliquit, [r] quicquid enim ejus nomen præ ſe tulit, a diſcipulis, quos varios habebat, conditum fuiſſe LAERTIVS [s] teſtatur. Nec liber *de ſuſtinendis aſſenſionibus*, quem ei tribuit STANLEIVS, [t] loco CICERONIS [u] male intellecto deceptus, ejus eſt, ſed Clitomachi. Neque id mirandum magnopere eſt: adeo enim ſententiam ſuam celavit, ut neque Clitomachus, qui tamen eo familiariſſime uſus eſt, intelligere unquam poſſet, quæ ei probarentur. [x] Non confundendus autem eſt Carneades Academicus cum alio Carneade Anaxagoræ diſcipulo, neque cum Epicuri familiari, ut ſupra monitum. [y] Alios præterea Carneades nominat FABRICIVS. [z]

§. IV. Philoſophandi rationem Academicam, quam tenuit Carneades, eandem fere fuiſſe, quam ſecutus eſt Arceſilaus, aſſenſus introducta ſuſpenſione, rerum nixa incertitudine, ſupra diximus. Eandem enim ſuſpenſionem amplexus eadem defendit acrimonia, fundamentis licet mitioribus ſuffultam. [a] Eam paucis CICERO, [b] prolixius SEXTVS EMPIRICVS [c] nobis deſcriptam reliquerunt, quorum in hiſtoria ſuæ ſectæ teſtium fideliſſimorum fidem recte ſequimur. Ita vero Carneades, non ſolum Stoicis, ſed etiam omnibus, qui eum præceſſerunt, de veri falſique regula contrariam ſententiam oppoſiturus: *Doctrina Carneadis.*

I. Abſolute nihil eſt, a quo judicetur veritas, non ratio, non ſenſus, non phantaſia, nec ulla res alia quæcunque, hæc enim omnia pariter nos fallunt.

II. Etiamſi ſit aliquod ejuscemodi criterium, non poteſt tamen id conſiſtere absque affectione animæ, quæ naſcitur ab objecti evidentia. (πάθος ἐνεργείας) Quoniam enim vi ſentiendi differt animal ab inanimatis, omnino & ſe & externa per eum apprehendet. Senſus autem, qui manet immobilis & impatibilis, & immutabilis, nec eſt ſenſus, nec aliquid apprehendit: mutatus autem & affectus quodammodo ab incurſione evidentium, tunc demum res indicat. In affectione ergo animæ, quæ oritur ex objecti evidentia, quærendum eſt veri criterium.

III. Hæc autem affectio debet indicare & ſe ipſam, & objectum apparens, quod fecit, ut ipſa animæ ineſſet, quæ quidem affectio non eſt alia, quam phantaſia.

p) LAERT. *l. c. ſ. 64.*
q) Apud EVSEB. *l. XIV. c. 7. p. 738.*
r) LAERT. *l. c. ſ. 63.* PLVT. *de fortit. Alex. T. II. p. m. 347.* conf. BAYLE *l. c. not. I.* FABRICIVS *l. c.*
s) *l. c.* t) *l. c. p. 407.*
u) *Acad. Qq. l. IV. c. 31.*
x) IDEM *l. c. c. 45.*
y) IONSIVS, BAYLE, FABRIC. *ll. cc.* multum turbavit hæc homonymorum confuſio hiſtoriam Carneadis.
z) *ibid. p. 55.*
a) CICERO *l. c. c. 6.* NVMENIVS *l. c.*
b) *ib. l. IV. c. 31.*
c) *Adv. Mathem. l. VII. ſ. 153.*

IV. Quamobrem dicendum eſt, etiam phantaſiam eſſe quandam in animali affectionem, quæ & ſe & aliud oſtendat, ut, cum aliquid aſpeximus, viſu quodammodo afficimur; nec eum ſic habemus affectum, ut habebamus, priusquam afficeremur, quæ alteratio duo oſtendit, unum ipſam alterationem, hoc eſt phantaſiam; ſecundum autem, id quod indidit alterationem, nempe aſpectabile.

V. Quoniam vero phantaſia non ita, ut vere eſt, rem ſemper indicat; ſæpe autem fallit, & inſtar infidelium nuntiorum, diſcrepat a rebus, quæ eum immiſerunt; neceſſario ſequitur, quod non quælibet phantaſia poteſt facere, ut admittatur judicium veritatis, ſed ſola illa, quæ vera eſt.

VI. Rurſus, quoniam nulla eſt adeo vera, ut non poſſit eſſe falſa, & cuilibet, quæ videtur eſſe vera, invenitur aliqua falſa ſimilis, itaque criterium erit in phantaſia communi veri & falſi.

VII. Communis autem horum phantaſia non diſtincte comprehendit: ſi autem non diſtincte comprehendit, non erit criterium.

VIII. Si nulla autem phantaſia vim habet judicandi, nec ratio erit id, quod judicat, ea enim deducitur a veritate & merito: nam primum quidem ei debet apparere id, quod judicatur, nihil autem poteſt apparere absque ſenſu experte rationis.

IX. Neque ergo ſenſus expers rationis, neque ratio eſt id, quod judicat.

X. Quoniam tamen ad vitam traducendam & ad acquirendam beatitudinem criterio aliquo opus eſt, ideo aſſumenda eſt probabilis phantaſia, & illa, quæ probabilis ſimul eſt, & dubio nullo diſtrahitur, quæque evidens eſt, & explicata.

XI. Phantaſia ergo eſt alicujus imaginatio, nempe ejus ex quo fit, & ejus in quo fit: ex quo, ut externi ſubjecti ſenſilis: in quo, ut hominis.

XII. Duplici vero reſpectu poteſt conſiderari: uno quidem, ad id, quod phantaſia apprehenditur: altero autem, ad eum, qui utitur phantaſia. Prioris reſpectu eſt vel vera, vel falſa; vera quando conſonat, cum objecto, falſa quando diſſonat: poſteriori alia eſt, quæ apparet eſſe vera, alia, quæ non apparet.

XIII. Ex quibus, quæ apparet vera eſſe, appellatur emphaſis & probabilitas & probabilis phantaſia: quæ autem non apparet eſſe vera, appellatur apemphaſis, [d] & improbabilitas & non probabilis phantaſia.

XIV. Quod apparet ex ſe falſum, vel quod eſt quidem verum, non autem apparet, aptum natum eſt, ad nobis perſuadendum.

XV. Phantaſia, quæ eſt aperte falſa, & quæ non apparet vera eſſe, non poteſt eſſe criterium.

XVI. Ejus autem phantaſiæ, quæ apparet vera eſſe, alia quidem eſt minus evidens, alia vero hoc etiam habet, ut valde evidenter appareat vera.

XVII. Phantaſia, remiſſa minusque evidens, non poteſt eſſe criterium illud, quia non aperte poteſt perſuadere, ſed ea, quæ evidenter apparet vera eſſe. XVIII.

d) Ita & Stoici, quorum præcepta ad Academiam ſuo modo accommodat.

XVIII. Prout vero ſpeciatim alia alii applicatur, probabiliorem etiam vehementiusque moventem habet phantaſiam.

XIX. Probabile autem eſt, vel id quod verum eſt, & videtur verum, vel quod, falſum cum ſit, verum eſſe videtur, tertio autem verum commune utriusque.

XX. Vnde criterium erit phantaſia, quæ vera eſſe videtur, quæque probabilis vocatur.

XXI. Fides vero non eſt deneganda ei, quæ ut plurimum eſt vera, licet interdum falſa ſit, quia rarius occurrit, & judicia & actiones diriguntur, ſecundum id, quod plurimum fit.

XXII. Quoniam autem nunquam ſola unius generis conſiſtit phantaſia, ſed catenæ inſtar altera pendet ex altera, ſecundum accedit criterium, ſi probabilis ſimul ſit phantaſia, & nullo dubio in diverſa trahatur.

XXIII. Fit itaque judicium veritatis, ex phantaſiarum ſive viſorum concurſu, quum per nullam ex concurſu phantaſiarum homo diſtrahitur, ut falſum ſe putet imaginari.

XXIV. Eſt tamen ejusmodi phantaſia non diſtracta in diverſum, alia magis, alia minus talis: quarum illa magis, fide digna eſt, quæ per ſingulas quoque partes eſt examinata.

XXV. Examini vero ſubjiciendum eſt, id quod judicat, & id, de quo judicatur, & id, per quod fit judicium, diſtantiaque & intervallum, figura, tempus, modus, affectio, operatio; unumquodque eorum, quale ſit, curioſe diſcernendum eſt.

XXVI. Si hæc in uno ſint omnia, criterium habemus phantaſiam probabilem, & probabilem ſimul atque indiſtractam, ac per partes examinatam.

XXVII. In rebus levibus & non magni momenti ſola probabili phantaſia utimur at judicandum, at in rebus, quæ ſunt alicujus momenti, indiſtracta: in iis autem, quæ pertinent ad bene beateque vivendum, examinata per partes.

XXVIII. Probabilis phantaſia attendenda eſt in iis, in quibus non dat nobis circumſtantia ſatis temporis ad rem accurate conſiderandam: examinata in iis, in quibus datur tempus attente ſingula perſequendi, ac tractandi res, quæ nobis ſe examinandæ offerunt.

Obſervationes de novæ Academiæ philoſophia.

§. V. Hactenus SEXTVS EMPIRICVS, qui luculenter & docte, ut ſolet, Carneadis ſententiam explicuit: quam ſi cum dictis ſupra de Arceſilai opinione conferimus, & ea quoque conſulimus, quæ veterum alii de Carneadis hac in re mente diſſerunt, patebit inde,

I. Arceſilaum & Carneadem non reipſa tantopere inter ſe diſſenſiſſe; ſupra enim oſtendimus, Arceſilaum, etſi incertitudinis cauſam in rerum natura latere diceret, eas tamen non in ſe, ſed in relatione ad hominis intellectum intellexiſſe. Carneades autem luculentius Academiæ mentem expreſſit, & quæ Arceſilaus intimæ admiſſionis diſcipulis explicabat,

cabat, apertius prodidit, rerum ipſarum naturam quidem non indifferentem prorſus & incertam eſſe, ſed latere humanum intellectum, nec eſſentias rerum poſſe intelligi, unde ſequebatur, nec ſcientiam dari, ſed tantum opinionem. Ita ſtatuiſſe, teſtis eſt Numenius, [e] qui, prout in ſe res exiſtit, & aliqua de ea re affirmantur & negantur, vel verum eſſe vel falſum quousque ad rem ipſam refertur, aſſeruiſſe tradit.

II. Incertitudinem itaque Academia nova in eo quærebat, quod omnibus veris falſa aliqua adjuncta ſint, tanta ſimilitudine, ut in iis nulla inſit certa judicandi & aſſentiendi nota: [f] unde & aſſenſum cohibendum eſſe præcepit. Id quod ad ipſam naturam rerum animo humano obverſantem, quatenus illa ex certis & indubitatis criteriis cognoſci poteſt, pertinere, ex dictis hactenus liquet. Non itaque de probabili ratione ſtatuendi de re aliqua nec de opinione, ſed de certo judicio & affirmatione, qualem imprimis commendabant Stoici, ſermo eſt, ut ex iis, quæ de eo tradunt CICERO & SEXTVS [g] videre eſt.

III. Relinquebat itaque Academica ſecta ſapienti opinionem. Id quidem aſſerebant de Carneade Philo & Metrodorus, Clitomachus autem magis ab eo diſputatum, quam probatum putabat; [h] ſed latere in opinionis nomine æquivocum quid, recte monuit FOVCHERIVS. [i] Opiniones enim, ſi præjudicia mentis, perſuaſionemque de rerum natura cognoſcenda inanem, incertamque atque præcipitanter conceptam, ſignificant, verum eſt, quod in Carneade laudat CICERO, *feram & immanem ut belluam Hercules, ſic illum ex animis noſtris aſſenſionem & opinationem extraxiſſe;* id enim Academia quoque vetus, & ipſe ejus conditor Plato vehementer commendaverunt. Quod ſi opinari idem eſt, quam de hoc vel illo facto ſententiam ſequi, quæ non usquequaque abſurda & contradictoria eſt, recte idem TVLLIVS Carneadi tribuit: *licere percipere nihil, & tamen opinari.* Quamquam AVGVSTINVS, [k] malit hoc vocare credere, quam opinari; ait enim: *quod concipimus, rationi debemus, quod credimus, auctoritati, quod opinamur errori.* In verbis vero ejusmodi diſſenſum ferre, facile; indicare vero, e re noſtra & hiſtoriæ Academicæ eſt.

IV. Ex dictis vero intelligi quoque poteſt, quo ſenſu voluerit Carneades intelligi, quando teſte GALENO [l] ipſam ratiocinandi formam, regulamque; quæ ſunt idem uni tertio, ſunt idem inter ſe, argumentationibus oppugnavit, & concedere noluit, magnitudines unicuipiam æquales, etiam inter ſe æquales eſſe. Non enim hæc ad ipſam eum ratiocinii formam retuliſſe, inde colligitur, quod eodem argumentationis genere ipſe omnem aſſenſum atque certitudinem oppugnaverit, propria vineta cæſurus, ſi ipſam hanc ratioci-

e) EVSEB. *præp. l. XIV. c. 8.*
f) CICERO *de N. D. l. I. c. 5.*
g) *ll. cc.*
h) CICERO *Acad. Qq. l. IV. c. 24.*
i) *Hiſt. Acad. l. I. c. 8. p. 44. ſeqq.*
k) *Adv. Acad. l. III.*
l) De optimo dicendi genere locum adducit BAYLE *l. c. not. C. p. 59.*

tiocinii formam evertiſſet: ſed pertinet hoc ad ipſam ejus applicationem ad res cognoſcendas, ubi nihil putabat eſſe, quod ita cognoſceretur, ut etſi videatur in tertio uno convenire, certo tamen inde concludi queat, vel recte convenire cum eo, vel inter ſe; unde non negavit, quod inde elicit BAYLIVS; quæ conveniunt uni tertio, convenire inter ſe, ſed quod Galenus ei tribuit: magnitudines unicuipiam æquales, eſſe quoque inter ſeſe æquales, applicatione ſcilicet regulæ facta ad magnitudines, quas ita certo cognoſci non poſſe putabat, ut inde ab una magnitudine ad reliquas concludi poſſet. Vnde ab abſurdiſſima totamque diſputandi rationem Academicam evertente ſententia Carneadem abſolvendum putamus.

V. Imprimis vero ex dictis patet, quo potiſſimum modo ab Arceſilao diſceſſerit Carneades, quem re ipſa cum illo conſentire rationibus veriſimilibus & teſtimoniis quoque veterum convicti ſupra tradidimus. Nempe Arceſilaus, non minus atque Carneades contra dogmaticos ſectariosque philoſophos diſputabant, arcanamque Academiæ doctrinam paucis & intimæ tantum familiaritatis diſcipulis ſervabant: id quod de Carneade quoque diſerte tradit Numenius: [m] *Externe eundem attuliſſe, abſtuliſſe, pugnamque ſuam contrariis ſententiis & verſutis quibusdam ac ſubtilibus argutiis cum multiplici varietate miſcuiſſe, affirmando ſimul & negando, & oppoſitis utrinque rationibus diſputando; & tamen illum ipſum, qui Stoicos vellicandi ſtudio cuncta miſcebat, clam ſodales inter ſuos eadem omnia faſſum eſſe, vereque ac certe pronunciaviſſe, quæ alius quivis e populo.* Quamquam enim his potiſſimum opponit Baylius, quod ſupra jam ex Cicerone attulimus, Clitomachum, ei licet familiarem, faſſum, nunquam ſe intelligere potuiſſe, quæ Carneadi probarentur: nihil tamen hoc obſtare videtur, cum Clitomachus, non de interiori Academiæ diſciplina, quam ad Platonem & ſequaces Carneades, Arceſilaum ſecutus retulit, ſed de propriis Carneadis opinionibus loquatur, quas ille ſine dubio diſcipulis non aperuit, quod novam ſectam condere non vellet. In eo itaque Carneadi cum Arceſilao conveniſſe dubium non eſt. Aſt in eo potiſſimum ab illo diſceſſit, quod mitioribus fundamentis nixam ἐποχὴν Academicam protulerit. Nempe Arceſilaus, omnes omnium ſectarum philoſophos oppugnaſſe & ignorantiæ atque incertitudinis conviciſſe contentus, de rebus in vita humana vel ſequendis vel fugiendis non diſpexit, vita tamen, qua ratione ſapiens agere debeat, oſtendit, ita vero magnam Stoicorum, quorum phalanges proſtraverat, calumniam concitavit, quaſi omne honeſtatis vitæque beatæ fundamentum everteret. Carneades itaque, ut recte monet AVGVSTINVS, [n] *primo illam velut calumniandi impudentiam, qua videbat Arceſilaum non mediocriter infamatum, depoſuit, ne contra omnia velle dicere, quaſi oſtentationis cauſa, videretur.* Hinc, quod Arceſilaus non explicuerat, diſertius tradidit, qua ratio-

m) *loc. cit.*

n) *loc. cit.*

ratione viſum probabile ad aſſequendam vitam beatam ſapiens quærere debeat. Arceſilaus enim logica & phyſica placita philoſophorum oppugnabat, de moralibus parum curioſus: Carneades vero ad moralem philoſophiam curatius attendens, regulas præſcribebat, quibus ſalva incertitudine & aſſenſu retento, hominum vita moresque queant regi. Quam bene vel male, & annon ita omnem morum regulam genuinam & ad veritatem facientem everterit, hujus loci non eſt diſpicere, ſufficit, multa eum probabili actionum humanarum fundamento admiſſo, oſtendiſſe, non eſſe humanæ ſocietatis hoſtes Academicos. Quam rationem poſtea quoque Sceptici ſecuti ſunt, ut ſuo loco trademus, & imprimis CICERO potiſſimum philoſophiæ ſuæ fundamentum eſſe voluit, in incertis rerum omnium, circa quas intellectus noſter verſatur circumſtantiis probabiles rationes eſſe ſequendas. Diſtinguendum itaque illud eſt, quod Academici de rebus vitam humanam reſpicientibus dixerunt, ab iis, quæ contra dogmaticos, & imprimis Stoicos diſputaverunt. Id quod ex iis porro patebit, quæ Carneadi placuiſſe veteres narrant.

Theologia Carneadis.

§. VI. VI. Inſiſtens itaque Carneades veſtigiis anteceſſorum, adhibitaque diſputandi methodo Academica, Stoicos, ut in aliis, ita in doctrina quoque de Diis vehementer oppugnavit. Prolixe id narrat CICERO, [o] cujus locus, quia longior eſt, quam ut adſcribi queat, apud ipſum legendus eſt, argumentaque enarrat, fortiter ſatis Stoicam de Diis doctrinam evertentia. Qui tamen addit: *Hæc Carneadem egiſſe, non ut Deos tolleret, ſed ut Stoicos, nihil de Diis explicare, convinceret.* Aitque is alio loco: [p] *Contra eos ita multa diſſeruiſſe Carneadem, ut excitaret homines non ſocordes, ad veri inveſtigandi cupiditatem.* Ex quo loco patet, Carneadem nec doctrinæ de Deo ſe oppoſuiſſe, nec eo contendiſſe, ut eorum notitiam cultumque ex animis hominum evelleret, ſed Stoicos imprimis agreſſum fuiſſe, & oſtendiſſe, abſurdam ex doctrina eorum ſequi de Diis ſententiam. Id quod luculenter oſtendit præter CICERONEM, SEXTVS EMPIRICVS, [q] qui Clitomachi memoriis uſus, exquiſitiſſimas & efficaciſſimas, uti vocat, argumentationes ejus contra theologiam Stoicam recitat. Non negamus, totam theologiam gentilium argumentis Carneadis convulſam ſimul labaſcere; Stoicorum enim diligentia in eo ſita erat, ut vulgarem religionem rationibus philoſophicis exornarent. Verum eum ex hac cauſa cum Clitomacho, qui ſcriptas ejus objectiones reliquit, inter Dei religionisque hoſtes transſcribere, [r] ſine ſufficienti ratione & præcipitanter fieri credimus. Aſſentimur tamen Balbo apud CICERONEM, [s] fatenti: *Malam & impiam conſuetudinem eſſe, contra Deos diſputandi, ſive animo id fiat, ſive ſimulate.*

VII.

o) *De nat. Deor. l. 3. c. 18.*
p) *Lib. I. c. 2.*
q) *Adv. Math. l. IX. f. 140. ſeqq.*
r) Ita THEOPH. ANT. *ad Autolyc. l. III. p. 292.* ed. Wolf. REINES. *Var. lect. l. III. c. 6. p. 445.* BVDDEVS *theſ. de ath. c. I. §. 14.* conf. FABRIC. *Bibl. Gr. vol. I. p. 775.*
s) *De N. D. l. II, c. ult.*

VII. Eandem disputandi rationem contra Stoicos Carneades tenuit, fatum Stoicum oppugnans: Is enim assumens, aliqua esse in nostra potestate, experientia comprobante, ita concluſit: [t] Si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione conserta contextaque fiunt, quod si ita est, necessitas omnia efficit; id si verum est, nihil est in nostra potestate: est autem aliquid in nostra potestate; at si omnia fato fiunt, omnia causis antecedentibus fiunt; non igitur fato fiunt, quæcunque fiunt. Et hoc argumento quoque ductus, dicebat, ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea, quorum causas ita natura contineret, ut ea fieri necesse essent. Cujus totius disputationis fundamentum, teste eodem, qui hæc omnia tradit, CICERONE, [u] in eo versabatur, quod cum Epicureis negabat, omnia, quæ fierent, fieri a causis antecedentibus, voluntatis enim nostræ non esse causas externas & antecedentes. Qua de re, hodie tantopere disputata veteres jam in diversa abiisse, doctrina de fato per omnes gentes diversum sentiens, luculenter testatur. *De fato.*

VIII. Sed ut principium quoque aliquod morale Carneadis, in ethicis magis, quam physicis eminentis, afferamus, statuit, teste CICERONE: [x] Vltimum finem sive extremum hominis esse frui principiis naturalibus. Obscura cum hæc prima facie sint, sensum eorum ita interpretatur FOVCHERIVS, [y] exercendam esse tum intellectus tum voluntatis perfectionem, ita ut nullo vel interno animus, vel externo impediatur obstaculo. Quæ explicatio tangit quidem aliquid, non vero totum exhaurit. Recte enim CICERO [z] monuit, ut ex iis, quæ superiori sectione differuimus, liquet: honeste vivere fruentem rebus his, quas primas homini natura conciliet, & veterem Academiam censuisse, ut indicant scripta Polemonis, & Aristotelem ejusque amicos nunc maxime probare. Introduxisse vero Carneadem, non ut probaret, sed ut Stoicis opponeret, summum bonum esse frui his rebus, quas primas natura conciliavisset. [a] Quod dogma latius exsequi opus non est, cum supra id factum sit: nec negamus, hæc contra Stoicos ursisse Carneadem, utrum vero admiserit intra parietes ad γνωρίμους, uti suadet servata Academiæ arcana methodus, dici non potest. Ciceronis enim testimonium nondum rem conficit, qui conjectura ductus ita ratiocinatus est, ipseque fatetur, non exploratum esse, quæ Carneadi probarentur. Vnde satis hæc quoque de Carneadis philosophia dicta sunto. *De fine morali.*

§. VII. Carneadem excepit in Academiæ cathedra CLITOMACHVS, Carthaginiensis, patria lingua Asdrubal dictus, [b] patre Diogneto, quem Pœni Maharbalem dixere, prognatus. Cœpit vero jam domi φιλοσοφεῖν, ut ait LAERTIVS, quod non ita intelligendum est, ut transtulit Latinus inter- *Clitomachus.*

t) IDEM *de fato c. 14.*
u) *l. c.*
x) IDEM *de finib. l. II. c. 11.*
y) *l. c. p. 156.*
z) *Acad. Qq. l. II. c. 42.*
a) *De fin. l. II. c. 11. l. V. c. 7.* conf. BAYLE *l. c. not. K.* FOVCHER. *l. c.* Elegans vero morum præceptum a Carneade profectum apud CICER. *de fin. l. II. c. 18. conf.* FOVCHER. *l. c.* BAYLE *l. c.*
b) LAERT. *l. IV. f. 67.* PLVT. *de fort. Alex. T. II. p. m. 347.* MENAG. *ad l. c. Laërt.* &, qui docte de hoc nomine commentatur SAM. BOCHARTVS *Geogr. Sacr. l. II. c. 12. p. m. 824.* Asrubaal, dominus ad pugnam cinctus, hinc mutatum nomen in Græcum Clitomachus.

pres, & accepit quoque STANLEIVS,[c] quod etiam apud ſuos in lingua patria philoſophiam docuerit; eam enim Athenas delatus demum didicit, ſed φιλοσοφεῖν apud barbaros omnem literaturam, quibus ad philoſophiam præparabantur animi ſignificavit; [d] licet & hoc potuit dixiſſe Laërtius, in patria, antequam in Græciam veniret, philoſophiæ principiis fuiſſe imbutum. Certe tum non imparatum plane a literis fuiſſe, quod STEPHANVS [e] tradit, ratio illorum temporum facile evincit, quibus Græcanica eruditio in Africa paſſim florebat. Fuit vero, notante CICERONE, [f] homo & acutus, ut Pœnus & valde ſtudioſus ac diligens, quibus ingenii & induſtriæ opibus dives Athenas ſe contulit, ut philoſophiam diſceret. Factum id eſſe, quum annum ætatis ageret XL. LAERTIVS [g] tradit; EVSTATHIVS [h] vero XXVIII. ponit, quem Laërtio præfert IONSIVS, [i] eo potiſſimum argumento ductus, quod defuncto Olymp. CLXII. 2. Carneadi, apud quem usque ad ſenectutem fuiſſe dicit CICERO, [k] ſucceſſerit, cœperitque eo tempore σχολαρχεῖν, Academiamque per triginta circiter annos tenuerit, eique defuncto circa Olymp. CLXX. Philo ſucceſſerit, quem Cicero XII. annos poſt Romæ audivit. Quibus rationibus inductus ſuſpectam Ciceronis in adducto loco fidem putat, quam tamen ſalvari poſſe putamus, ſi verba: *usque ad ſenectutem*, non ad Clitomachum, ſed ad Carneadem, valde ſenem defunctum, referantur. Illud certum eſt, ad Carneadem ſe, quamprimum Athenas venit, contuliſſe, & ſtudioſe ab eo imbutum fuiſſe. Neque tamen ceterarum quoque ſectarum doctrinam neglexit, ſed in Peripateticorum quoque & Stoicorum dogmatibus verſatus eſt, [l] ita tamen, ut Academicam ſequeretur, quam non tantum ore, ſumma ingenii, ut Carneades eloquentiæ, vi quam in eo laudat CICERO, [m] uſus, illuſtravit, ſed potiſſimum plurimis ſcriptis expoſuit, quibus præceptoris, nihil in commentarios referentis, doctrinam maxime expoſuit: [n] ad ea ſæpe numero provocat Cicero, LAERTIVS vero ultra quadringenta volumina ſcripſiſſe, teſtatur. Inter ea quatuor de *aſſenſionibus ſuſtinendis* laudat CICERO, [o] quos male adſcribere Carneadi STANLEIVM §. *præcedente* jam notavimus. Librum quoque *de ſectis* laudat LAERTIVS. Singulare eſt, quod STOBAEVS [p] de ejus morte refert: morbo correptum cum in veternum incidiſſet, ubi evigilavit, dixiſſe: nihil me fallet amor vitæ, ſicque violentas ſibi intuliſſe manus. Condiſcipulum habuit Æſchinem Neapolitanum philoſophum Academicum, Melanthii Rhodii quoque diſcipulum; itemque Charmidem, qui & ejus inſtitutione uſus eſt, de quo in ſequentibus dicemus.

Placita Clitomachi.

§. VIII. In philoſophiæ vero Academicæ placitis a magiſtri ore non receſſit, ut ex iis videre eſt, quæ ex libris *de aſſenſu retinendo* nobis ſervavit CICERO, [q] qui refert, ſtatuiſſe:

I. Eſſe

c) *Hiſt. phil. P. IV. p. 407.*
d) Dictum hac de re in prolegomenis.
e) v. Καρχηδων.
f) *Lib. IV. c. 31. Qq. Acad.* g) *l. c.*
h) *Ad Dionyſ. περιηγ. v. 196.*
i) *De Script. Hiſt. phil. l. II. c. 14.*
k) *l. c.* l) LAERT. *l. c.* m) *l. c.*
n) LAERT. *l. c.* FABRIC. *Bibl. Græc. vol. II. p. 56.* IONS. *l. c.*
o) *ib. l. IV. c. 32.* p) *Serm. XLVIII. p. 120.*
q) CICERO *Acad. Qq. l. IV. c. 32.* conf. HVET. *de la foibleſſe de l'Eſprit humain l. I, ch. 14. §. 21. p. 116. ſq.*

I. Esse rerum ejusmodi dissimilitudines, ut aliæ probabiles videantur, aliæ contra: id autem non esse satis, cur alia percipi posse dicas, alia non posse: propterea quod multa falsa probabilia sint, nihil autem falsi perceptum & cognitum possit esse.

II. Vehementer errare eos, qui dicant, ab Academia sensus eripi, a quibus nunquam dictum sit, aut colorem, aut saporem, aut sonum nullum esse: illud modo disputari, non ineſſe in his propriam, quæ nusquam alibi esset, veri & certi notam.

III. Dupliciter dici assensum sustinere sapientem: uno modo cum hoc intelligatur, omnino eum rei nulli assentiri: altero, cum se a respondendo, ut aut adprobet aliquid, aut improbet, sustineat, ut neque neget aliquid, neque ajat.

IV. Id cum ita sit, alterum placere, ut nunquam assentiatur, alterum tenere, ut sequens probabilitatem ubicunque hæc aut occurrat, aut deficiat, aut etiam aut non respondere possit; nec ut placeat, eum, qui de omnibus rebus contineat se ab assentiendo, moveri tamen, non agere aliquid, quibus relinquitur, ejusmodi visa adprobari, quibus ad actionem excitemur: item ea, ad quæ interrogati in utramque partem respondere possumus, sequentes tantummodo, quod ita visum sit, tum sine assensu: neque tamen omnia ejusmodi visa approbari, sed ea quæ nulla re impedirentur.

V. Sequendam eam probabilitatem, in quam cum vehementi inclinatione ac delectu animus propendet, quaque movetur ad consensum, ut non tantum non resistat, sed cum vehementi propensione obsequatur. [r]

VI. In doctrina de bono voluptatem cum honestate, quod & Callipho fecit, conjunxisse, testatur CICERO. [s]

VII. Ceterum in doctrina de Deo Clitomachum magistri objectiones contra theologiam Stoicorum studiose collegisse, male propterea notatum, supra in Carneade diximus, monuimusque, perperam ideo inter atheos referri Clitomachum. [t]

VIII. Rhetoricæ porro infensissimum hostem fuisse, ait SEXTVS EMPIRICVS, [u] & ex hominum societate ejiciendam statuisse.

IX. Dialecticam lunæ comparabat, quæ assidue sive crescat sive decrescat. [x] Qua comparatione fortunam Academiæ designare voluisse videtur, quæ post maxima incrementa discipulorumque ingentem sub Arcesila numerum, decrevit, a Carneade vero resuscitata nova augmenta cepit. Prout itaque dialectica ingenio & eloquentia ornatur, ita quoque vel incrementa vel decrementa capit.

§. IX. Quartæ quam nonnulli ponunt, [y] Academiæ auctor est PHILO Lariſſæus, Clitomachi per complures annos discipulus, [z] cui in cathedra Olymp. *Philo quartæ Academiæ conditor.*

r) SEXT. EMP. *Pyrrh. hyp. l. I. c. 33. f. 230.* FABRIC. *ad h. l.*

s) *Tusc. Qq. l. V. c. 30.* ubi tamen Codd. quidam Dinomachus legunt.

t) Conf. REIMMANN. *Hist. ath. c. XXXIII. §. 5. p. 172.*

u) *Adv. Rhetor. f. 20.*

x) STOBAEVS *Serm. CCXII. p. 715.*

y) SEXT. EMPIR. *Pyrrh. hyp. l. I. c. 33. f. 220.* EVSEB. *Præp. Ev. l. XIV. c. 9. p. 726.*

z) CICERO *de Orat. l. III. c. 16. Acad. Qq. l. IV. c. 6.* Numenius apud EVSEBIVM *l. c.*

Olymp. CLXX. ſucceſſit, ſi temporum rationes ſupra in Carneadis vita initas ſequamur. A. V. C. DCLXII. jam celebrem fuiſſe ex CICERONIS *de Oratore* diſputatione liquet, & A. V. C. DCLXV. bello Mithridatico profugum Cicero Romæ audivit: quæ circumſtantiæ non parum eam ſententiam juvant, quæ A. V. C. DCLIII. Philonem Academiæ cathedræ admotum ſtatuit. [a] Is tanta eruditione, eloquentia morumque elegantia fuit, ut eum Romani ſuper omnes Clitomachi diſcipulos admirarentur, [b] quæ cauſa quoque fuit, ut poſitis doctrinæ rudimentis Cicero illum philoſophantem audiret. [c] Mirum itaque non eſt, quod tradit CICERO, [d] *vivo eo patrocinium Academiæ non defuiſſe;* nam alio tempore rhetorum præcepta, alio philoſophorum tradere illi inſtitutum erat. [e] Etſi vero negavit ipſe, duas Academias eſſe, erroremque eorum, qui ita putarent, coargueret; [f] viſus tamen eſt nonnullis aliter de incertitudine & cohibendo aſſenſu docuiſſe, quam, qui ante eum ſcholam in Academia tenebant, &, quod AVGVSTINVS, [g] ait, ad primam Academiam propius acceſſiſſe. Quod ut curatius cognoſcatur, ex SEXTO EMPIRICO [h] tenendum, dixiſſe Philonem: quantum ad Stoicum criterium, id eſt, phantaſiam comprehenſivam, res eſſe incomprehenſibiles, quantum autem ad naturam rerum, comprehenſibiles. Statuebant enim Stoici: criterium, ſive, ut Ciceronis ore loquamur, judicium cogniti & incogniti eſſe τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν, [i] unde alio loco CICERO; [k] eum ita negaſſe, quod quicquam comprehendi poſſet, ſi illud eſſet, quod Zeno definiret. Plures vero Philones, philoſophi quoque, cum fuerint, [l] noſter cum aliis, quod viris doctis accidit, [m] confundendus non eſt. Contubernalem habuit CHARMIDAM, quem cum Philone eo tempore exornaſſe Academiam, veteres tradunt, quemque in uno alterove Ciceronis loco pro Carneade ponendum eſſe, acute vidit IONSIVS. [n] Laudatur is, propter memoriæ fidelitatem, artificio plurima, quæ legerat, comprehendentem. [o] Fuiſſe vero, Academicos hos diligentes quoque & acutos in philoſophia morali, egregius Philonis locus, quem ſervavit nobis STOBAEVS [p] ſuadet, qui cum longior ſit, quam ut hic locum capiat, omnino ipſe legendus eſt. Eo vero tendunt omnia: philoſophum medico ſimilem eſſe, ut ſcilicet primum curationem ægroto perſvadeat,

Charmidas.

a) IONSIVS *de Script. hiſt. philoſ. l. II. c. 14. pag. 185. ſ.*

b) PLVT. *in vita Ciceron. T. VI. p. m. 18.*

c) PLVT. *l. c.* CICERO *ad famil. l. XIII. ep. I. l. IX. ep. 8.* ejus itaque a partibus ſtetit in *Quæſtionibus Academicis.* conf. *de N. D. l. I. c. 3.*

d) IDEM *Q q. Acad. l. IV. c. 6.*

e) IDEM *Tuſc. Q q. l. II. c. 3.*

f) IDEM *Acad. Q q. l. I. c. 4.*

g) *Adv. Academ. l. III. c. 18.* ubi eum vocat hominem circumſpectiſſimum, qui ad Platonis auctoritatem Academiam, legesque revocare adverſarios cedentes jam cœperit.

h) *l. c. ſ. 235.*

i) LAERT. *l. VII. ſ. 54.*

k) *l. c. l. IV. c. 4.*

l) Catalogum eorum habes apud IONSIVM *de Script. philoſ. l. III. c. 4. p. 221. ſeq.* & FABRICIVM *Bibl. Gr. vol. III. p. 118. ſeqq.*

m) Confundit noſtrum cum Philone dialectico ALDOBRAND. *ad* LAERT. *l. VII. ſ. 16.* & STANLEIVS quoque *Hiſt. phil. P. IV. p. 409.* Quæ enim SEXT. EMP. *Pyrrh. hyp. l. II. ſ. 220. Adv. Math. l. VIII. ſ. 113.* de Philonis opinione circa propoſitiones complexas ſ. conditionatas habet, ad hunc Dialecticum Stoicumque, non ad Academicum referenda ſunt. Conf. FABRIC. *ad h. l.*

n) *l. c. p. 185.*

o) *Tuſc. Q q. l. I.* collato PLINIO *Hiſt. nat. l. X. c. 16.*

p) *Serm. CCXII. p. 715.* Revocavit hanc philoſophandi methodum noſtra ætate VINCENTIVS PLACCIVS, & imprimis IO. FRANC. BVDDEVS.

deat, tum vero adhibeat partim ſublatis morborum cauſis, partim ſanitatis efficientibus ſubſtitutis: Ita eum hominem ad virtutem incitare,& calumniantes refellere; tum vero falſas opiniones tollere, quibus animæ judicium inficitur, verasque ſubſtituere: tertio, ut medicus ad ſanitatem, ſic omnia referre ad beatitudinem; quarto, ut medicus præcepta tuendæ ſanitatis tradit, ita philoſophum vitæ præcepta exponere, quibus opus eſt ad finem conſervandum; quæ vel ad vitam communem vel ad civilem referenda ſunt.

§. X. Philonis diſcipulus fuit ANTIOCHVS ASCALONITA, ab Academiæ placitis ita recedens, ut quinta inde Academiæ facies SEXTO EMPIRICO [q] memoretur. Alia is enim incedendum via ratus, non ad oppugnandas, ſed conciliandas inter ſe & cum Academia ſectas reliquas animum applicuit,[r] & a Carneadis ſententia deficiens vel ſenſuum evidentia, vel ut viſum quibusdam ambitione ductus atque æmulatione Clitomachi & Philonis diſcipulorum, vel etiam præceptis magiſtri Stoici Mneſarchi, quem diligenter audivit, [s] Stoicam ſectam in Academiam tranſtulit; unde dictum: *ipſum in Academia philoſophari Stoico more;* [t] & a CICERONE: [u] *quamvis Academicus appellaretur, tamen, ſi perpauca mutaviſſet, germaniſſimum Stoicum fuiſſe.* Quod ita intelligendum eſt: eum, relicta Arceſilai & Carneadis via, ad veterem, quod teſtatur CICERO, [x] Academiam rediiſſe, & antiquorum ſententiam diligentiſſime proſecutum fuiſſe: [y] Ariſtotelem vero & Xenocratem ſecutum, [z] Stoicos cum Peripateticis, hos cum Academia vetere concinere, verbis diſcrepare, [a] qua de re librum eum ad Balbum miſiſſe ait CICERO. Et hæc cauſa quoque fuit, cur præceptorem Philonem libro refelleret. [b] Etſi vero ab Academicis, quibus favebat quoque CICERO, doctrinæ, quam is invehebat, novitas improbaretur, audivit tamen eum CICERO, [c] captus eloquentia ejus & linguæ volubilitate, & Lucullus quoque ſecum habuit, cum is in Aſia Quæſtorem, & poſt aliquot annos Imperatorem ageret. Fuiſſe enim acutiſſimum & politiſſimum ſuæ memoriæ philoſophum, CICERO [d] teſtatur: id quod Atticum quoque ei conciliavit.

Antiochus quintæ Academiæ conditor.

§. XI. Eſt hæc ſeries & ſucceſſio ſcholæ Academicæ, [e] a Platonis ætate ad Olymp. CLXXV. qua Antiochus Academiæ præfuit: tum enim Academiæ longo tempore florentis doctores tumultibus belli diſſipati & in varias terras disjecti ſunt: Academica vero philoſophandi ratio, quam Romani Græciæ facti domini ibi didicerunt, Romam potiſſimum translata eſt, nova ibi fortuna uſa. Quam quia una ſerie in altera hiſtoriæ philoſophicæ periodo enarrare hiſtoriamque ſectæ Platonicæ, per ſeptem fere ſecula inter gentiles philoſophos caput extollentis, condere ordo tractationis poſcit, nihil in præſentia habemus, quod capiti huic addamus. [f]

Academiæ finis.

q) *l. c.* *r*) PLVT. *l. c.*
s) Numen. apud EVSEB. *l. c. conf.* AVGVST. *l. c.*
t) SEXTVS *l. c. f. 235.* *u*) *Acad. Qq. l. IV. c. 43.*
x) *ib. l. IV. c. 22.* *y*) IDEM *de fin. l. V. c. 3. 5.*
z) ID. *Acad. Qq. l. IV. c. 45.* *a*) ID. *de N. D. l. I. c. 7.*
b) IDEM *Ac. Qq. l. IV. c. 4.* *c*) PLVT. *l. c.*
d) CICERO *l. c. l. IV. c. 35.*
e) Aliter paulo ordinat ſucceſſionem Academiæ SVIDAS *T. III. v. Platon p. 124.* qui ita philoſophos ſecutos eſſe ait: Plato, Speuſippus, Xenocrates, Polemo, Crantor, Crates, Arceſilaus, Lacydes, Evander, Hegeſinus, Carneades, Harmadas (pro quo legendum Charmides) quæ tamen non omnia accurata eſſe, ex dictis conſtat.
f) Conferendus interim HVETIVS *de la foibleſſe de l'Eſprit humain l. I. ch. 14. ſeq.*

CAPVT

* *

CAPVT SEPTIMVM.

DE ARISTOTELE ET SECTA PERIPATETICA.

SECTIO I.

DE ARISTOTELE EIVSQVE PHILOSOPHIA.

§. I.

Ordo tractationis.

Enarravimus hactenus, quanta potuimus, diligentia hiſtoriam ſectarum, quæ ex Socratis inſtitutione prodierunt; & imprimis Platonis ſcholam luculenta hiſtoriæ face illuſtravimus: reſtat, qui ex Academia prodiens conſiderandus nobis eſt, unus Platonis diſcipulus, & ingenii acumine, & ſyſtematis philoſophici nova excogitata facie, & famæ per omnia fere ad noſtra usque tempora, ſecula immortalis celebritate reliquis notior, ARISTOTELES. Qui cum novam ſectam condendo, non a præceptore tantum, ſed & ab omnibus, qui ante eum floruerunt philoſophis doctrina per totum philoſophiæ ambitum ſeceſſum facere conſtituiſſet, faciem quoque dogmatum philoſophicorum mire innovavit, & aſſeclas reliquit atque philoſophorum genus, Peripateticos dictos, miris fatis doctrinæ ſucceſſionem ad patrum usque noſtrorum memoriam atque noſtram etiam ætatem decurrentem, omniumque ſcientiarum circulis mire ſe implicantem. Quo cum factum ſit, ut magnum in aliis quoque diſciplinis momentum ea haberet, digna eſt cujus cum auctore hiſtoriam attento & præjudiciis non occupato perluſtremus oculo.

Scriptores de Ariſtotele.

§. II. Tanta vero fuit Ariſtotelis Stagiritæ, inter multos alios, hoc nomine inter veteres non ignobiles paſſimque nominatos, [a] exiſtimatio, ut nulla fere ætate deeſſent, qui nobiliſſimi philoſophi vitam atque hiſtoriam deſcriberent. Ex veteribus quidem complures in hoc ſtadio cucurrerunt, quorum tamen ex parte ſcripta deperdita ſunt, e. g. Apelliconis Teji, Hermippi &c. [b] quæ non moramur. Ex iis, quæ ad noſtra tempora durarunt, primus locus dandus eſt DIONYSIO HALICARNASSEO, nobili ſcriptori, qui in *epiſtola prima ad Ammæum* ſibi amiciſſimum, *de ætate ſcriptorum Demoſthenis & Ariſtotelis* differens, & demonſtraturus, Demoſthenem artem rhetoricam non didiciſſe ex Ariſtotele, neque orationibus ſuis ad ejus præcepta conformatis omnium oratorum præſtantiſſimum evaſiſſe, breve ſimul vitæ Ariſtotelis compendium exhibuit, quod in Demoſthenis

a) Octo Ariſtoteles nominat LAERTIVS *l. V. ſ. 35.* viginti & unum IONSIVS in diſſ. *de hiſtor. Peripatetica §. 1. pag. 402. ſeqq.* quibus undecim addit *de Script. hiſtor. philoſ. l. I. c. 12. pag. 60. ſeqq.* quos repetit MENAGIVS *ad loc. cit. Laërt.*

b) Provocat ad eos LAERTIVS *l. c.* enumerat vero IONSIVS *l. c.* paſſim.

mosthenis & Aristotelis operibus hodie legitur. [c] Post Dionysium proximus debetur locus DIOGENI LAERTIO, qui more suo ex plurimis veterum commentariis Aristotelis vitam consarcinavit. [d] Post hunc ex secta eclecticorum aliquis, quem alii AMMONIVM HERMEAE esse volunt, alii IOANNEM PHILOPONVM in *prolegomenis commentarii in categorias* vitam Aristotelis enarravit, [e] quæ ejus operibus plerumque præfigi solet. Ab hoc pleraque desumsit, suisque auxit ANONYMVS scriptor vitæ Aristotelis, quam *Latinæ Operum Aristotelis versioni* [f] præfixam iterum edidit, & eruditas notas adjecit PETRVS IOANNES NVNNESIVS, suffixam *Institutionibus philosophiæ Peripateticæ*, auctamque oratione *de causis obscuritatis Aristotelis ejusque remediis.* [g] Præter hos ANONYMVS quoque Græcus vitam Aristotelis exposuit, quem diu in bibliothecarum forulis latentem, passimque viris doctis laudatum in lucem protraxit, & *Commentariis in Diogenem Laërtium* inseruit AEGIDIVS MENAGIVS. [h] Tacemus SVIDAM [i] & HESYCHIVM illustrem qui vitam hujus philosophi non prætermiserunt; illi enim veteres ante se & Suidas quidem Anonymum Græcum exscripserunt. Ex recentioribus multi enarrandi essent, si id ageremus, qui biographiam celeberrimi viri nobis dederunt, qua in re IO. BAPT. GVARINI Veronensis, [k] PETRI ARETINI, [l] HIERONYMI GEMVSAEI, [m] PHILIPPI MELANCHTHONIS, [n] IO. IAC. BEVRERI, [o] aliorumque minorum gentium hominum [p] diligentia laudari solet. Memorari tamen præ reliquis merentur ANDREAS SCHOTTVS, ex societatis Iesu theologis vir celeberrimus, & FRANCISCVS PATRICIVS. SCHOTTVS enim *Aristotelis ac Demosthenis vitas comparatas Olympiadibus ac præturis Athenienſium digestas* [q] diligenter enarravit, temporisque ejusdem rebus gestis Philippi & Alexandri regum illustravit, & ad temporum quoque rationes accurate respexit, sicque & Demosthenis & Aristotelis historiæ ampliſſimam lucem accendit, dignus, qui frequentius occurrente editione diligentius legi posset. PATRICIVS vero, dum Platonis causam contra Aristotelem integro eoque eruditissimo commentario, quem *discussionum Peripateticarum* titulo ornavit, agit, tomo primo prolixe libris

c) Post Græcam H. STEPHANI editionem, Latinam versionem dedit H. WOLFIVS inter *Opera Demosthenis* repetitam in *Opp. Aristotelis* cura IS. CASAVBONI in fronte *Tomi primi* ANDREAE vero SCHOTTI versio, extat in editione *operum Dionysii* Sylburgiana & Hudsoniana.

d) *l. V.* præfixit eam *Opp. Aristotelis* IS. CASAVBONVS, cujus commentatores simul consulendi sunt.

e) Conf. FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. IV. p. 163.*

f) *Venet. 1496. fol.* conf. FABRIC. *l. c. Vol. II. p. 174.*

g) Recudi fecit hanc Syllogen L. HOLSTENIVS *Lugd. Bat. 1621.* quæ editio repetita est *Helmestadii 1667. 4.*

h) *p. 201.* ed. *Wetsten.*

i) *T. I. Aristotelis p. 327.*

k) *Vita Aristotelis.*

l) *Vita Aristotelis.*

m) *De vita Aristotelis, ejusque operum censura.*

n) Orat. *de Aristotele T. III. Declam. p. 339. seqq.*

o) *De vita Aristotelis Bas. 1581. 8.*

p) Pertinent huc carmen antiquum & insulsum *de vita & morte Aristotelis, quod exhibetur Act. Philos. Vol. III. p. 345. seqq.* & MELCH. WEINRICHII *Oratio apologetica pro Aristotele, adversus calumnias & criminationes, Francisci Patricii Lipſ. 1611. 4.* de quo schediasmate curatius diximus in *Germanico Hist. Phil. opere T. II. p. 977. seqq.* quæ, si tanti videbuntur, consulenda sunt.

q) *Aug. Vind. 1603. 4.* ad insigne pinus, literis Magni Welseri, cui inscriptus est liber.

libris tredecim de Ariſtotelis vita, moribus, libris, auditoribus, ſectatoribus, expoſitoribus, interpretibus, ſectis, philoſophandi ratione egit, [r] ſicque judice CONRINGIO [s] de hiſtoria philoſophiæ Peripateticæ egregie meruit, licet eam, qua poſſet, ratione proſcinderet. [t] Quod ſi licuiſſet IOANNI IONSIO diligentiſſimo in hiſtoria literaria veterum ſcrutanda viro, quam ſuſceperat, *hiſtoriæ Peripateticæ* telam pertexere, dubium non eſt, quin reliquorum diligentiam ſuperaviſſet. Eripuerunt vero præmatura virum doctiſſimum fata humanis rebus, cum unam tantum ex iis, quas meditabatur, diſſertationem conſcripſiſſet: [u] Addi ex noſtræ ætatis viris celeberrimis jure ſuo debent RAPINVS [x] & BAYLIVS. [y] Nos horum virorum celeberrimorum induſtriam non contemnemus, ubique tamen ad veros hiſtoriæ Peripateticæ fontes reſpiciemus, fidemque teſtium ſine præjudicio examinabimus.

Ariſtotelis nativitas, educatio, ſtudia.

§. III. Natus eſt Ariſtoteles Stagiræ, [z] Thraciæ urbe, [a] in litore ſinus Strymonici, quod flumen Thraciam & Macedoniam inter ſe diſtinguit. A Philippo vero Macedone limitibus patrii regni extenſis, Macedoniæ adjecta, coloniisque Græcorum occupata, [b] Græcam Ariſtoteli patriam præbuit. Audiendi itaque non ſunt, qui Thracem faciunt, cum ante Ariſtotelis tempora Græcorum urbibus adnumerata fuerit. [c] Parente genitus eſt Nicomacho, qui genus a Nicomacho, Machaonis filio, Aeſculapii nepote derivavit: [d] qui cum artem ſalutarem more Græcorum a majoribus accepiſſet, [e] eam quoque haud infeliciter exercuit, eaque ſe Philippi patri, Amyntæ regi ita commendavit, ut non tantum tuendam ſanitatem ei crederet, ſed inter familiares quoque numeraret: Quemadmodum & inter medicos ſcriptis nomen meruiſſe veteres teſtantur. [f] Matrem Ariſtotelis Phæſtiada, alii Phæſtida appellant, quam & ipſam genus ab Aeſculapio duxiſſe tradit AMMONIVS: DIONYSIVS tamen HALICARNASSENSIS Chalciden-

r) Vtimur editione *Baſileenſi 1571. fol.*

s) In *epiſt. ad Rachelium.*

t) Nihil itaque a Patricio accipiendum, niſi quod teſtimonio fide digno munitum ſit, ſecus ac factum in *Obſ. Hal. T. III. obſ. 10.* ubi Patricium auctor ſine examine ſequitur.

u) Eam, cum diſparuiſſet, laudabili conſilio junxit LAVNOIO *de varia fortuna Ariſtotelis in Acad. Pariſ.* B. HERM. AB ELSWICH.

x) *Comparaiſon de Platon & d' Ariſtote*, unde ſua deſumſit MORERIVS.

y) *Dict. T. I.* art. *Ariſtote.* Laudantur etiam GROTIO *ep. 358.* H. CONRINGII *Orationes de Ariſtotele ejusque philoſophia*, aliaque ejusdem argumenti IOH. BARTH. NIEMEIERI, quas non vidimus. Quæ STANLEIVS habet *Hiſt. phil. P. V. p. 410. ſeqq.* pleraque ex SCHOTTO excerpta ſunt. Iudæorum inſulſas de Ariſtotele narrationes lege & explode apud cel. I. C. WOLF. *Bibl. Hebr. P. I. p. 217. 385.* & BASNAGE *Hiſt. des Iuifs T. III. ch. 7. §. 14.* & quos infra nominabimus.

z) LAERT. *l. V. ſ. 1.*

a) HERODOT. *Polymn. p. 265.* THVCYD. *l. IV. V.* PAVSAN. *Eliac. p. 462.* conf. SCHOTTVS *l. c. p. 4.* NVNNESIVS *l. c. p. 24.* SVIDAS *l. c.*

b) IVSTINVS *l. IIX. c. 3.*

c) Inclinat hanc in partem STANLEIVS *l. c.* ſed male, ut ex adductis patet rationibus, quas pluribus exponit VOSSIVS *de ſectis c. XVII. §. I. p. 81.* Colonia enim Græca fuit.

d) LAERTIVS, AMMONIVS, & ex his recentiores, NVNNESIVS, SCHOTTVS *ll. c.*

e) Hinc Ἰατρῶν παῖδες, Videndus vero de Nicomacho Ariſtotelis patre, Medico SVIDAS *T. II.* art. *Nicomachus p. 624.* aliique veterum laudati SCHOTTO *l. c.* add. doctiſſimi hiſtoriæ medicæ ſcriptores DAN. CLERICVS *Hiſt. Med. P. I. lib. IV. c. 3. p. 267.* IO. HENR. SCHVLZ. *Hiſt. med. Per. I. Sect. 3. c. 6. §. 19. p. 313.*

f) SVIDAS *l. c.* Diſtinguit tamen hunc Nicomachum ſtagiritem, PAVSANIAE quoque in *Meſſeniacis* memoratum, ab Ariſtotelis patre & filio Nicomachis FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. XIII. p. 348.* eundem putat SCHOTTVS & qui eum ſemper fere ſequitur STANLEIVS *ll. cc.*

cidenſis feminæ filium facit, ex colonia Chalcide Stagiram deducta. [g] Natus vero eſt Ariſtoteles juxta Apollodorum aliosque veteres Ol. XCIX. 1. [h] XLIV. poſt natum Platonem anno, [i] ubi tamen AMMONIVS & SVIDAS XLII. ponunt. [k] Parentibus Nicomacho & Phæſtiade vita functis a Proxeno quodam Atarnenſi eſt educatus, & mature liberalibus artibus innutritus, [l] qua in re AMMONIVS ad ſcripta ejus, quæ ad rem poëticam & poëtas ſpectant, itemque ad quæſtiones Homericas & libros rhetoricos provocat, quæ ſcripta tamen anno ætatis XIV. confeciſſe, quod inde elicit SCHOTTVS, [m] nec Ammonius dicit, [n] nec probabile eſt, tam maturi judicii fœtus adoleſcentem Ariſtotelem produxiſſe. Grato ſemper agnovit hanc gratiam a Proxeno exhibitam animo Ariſtoteles, & memoriam ejus poſtea ſtatuis honoravit, filiumque ejus Nicanorem liberalibus artibus inſtruxit, adoptavit & hæredem ſcripſit. [o] Qua ratione vero adoleſcentiæ annos ab eo tempore, donec ad Platonem concederet, exegerit, varie tradunt veteres. Refert enim ATHENAEVS, [p] ad Epicuri quandam epiſtolam provocans, & AELIANVS [q] Ariſtotelem juvenem patriis facultatibus, quas largas accepiſſet, abliguritis, militiam fuiſſe ſecutum, eaque parum illi feliciter cedente pharmacopolam egiſſe; forte fortuna vero in Peripatum venientem auditis docentium ſermonibus philoſophiæ ſe tradidiſſe; quod pro certo admittit PATRICIVS, [r] ut habeat, quibus Ariſtoteli obtrectetur. Negant vero id, qui Ariſtoteli bene cupiunt, auctoritatem Epicuri & Athenæi, philoſophorum famæ more ſuo detrahentium elevantes & ad AMMONIVM provocant, teſtantem oraculo Pythico monitum, ut philoſophiæ ſe dederet, ad Platonem veniſſe. [s] Nec hic certi quid definiri poteſt, rationibus valde ambiguis; [t] neque tamen, ſi etiam pro veriſimili admittatur, Ariſtoteli objici magis poteſt, quam Polemoni, cui ſummæ laudi ducitur, quod ex luxu ad modeſtiam & philoſophiam tranſiverit. Illud dubio caret, eum anno ætatis XVII. Olymp. CIII. 1. [u] Athenas veniſſe, & dediſſe ſe in diſciplinam Platoni. Qui enim cum AMMONIO & OLYMPIODORO [x] eum Socratis diſcipulum vocant, [y] huncque tribus annis audiviſſe perhibent, magna ſe ἀνισοχρονίας & ſolœciſmi chronologici labe commaculant; Socratis enim mors, quæ Ol. XCV. 1. accidit, quindecim annis antevertit nata-

g) *ll. cc.*
h) LAERT. *l. V. ſ. 9.* DION. HAL. *l. c.*
i) ATHENAEVS *l. V. p. 217.*
k) Cauſa diſcriminis in anno nativitatis Platonis quærenda. Annos Vrbis captæ, quos notat GELLIVS *XVII. 24.* exigunt ad rationes chron. NVNNES. & SCHOTTVS *l. c. p. 28.*
l) AMMONIVS *l. c.*
m) *l. c. p. 20. 21.*
n) Ammonius enim ideo tantum ad hos libros provocat, quod in iis exercitatum ſtudiis Ariſtotelem fuiſſe demonſtrent. Solebant vero diſciplinæ encyclicæ ante philoſophiam diſci: unde recte infert Ammonius, quod iſto tempore his ſe dederit artibus.
o) LAERT. *l. V. ſ. 12. ſeq.*
p) *l. IIX. p. 354.*
q) *l. V. c. 9.* add. Ariſtocles apud EVSEB. *præp. l. XV.*
r) *l. c. p. 3.*
s) SCHOTTVS *l. c. p. 25.*
t) Epicurum enim Ariſtotelis æmulum etſi veritatis amantem fidem non plane mereri comparatio temporum, quibus duæ hæ ſectæ emerſere probat. Tutiſſimum igitur nihil definire, quod facit etiam BAYLE *l. c. not. A.*
u) LAERT. *l. V. ſ. 6.* DION. HAL. *l. c.* AMM. *l. c.*
x) *Prax. XLII. in Gorgiam Platonis.*
y) BESSARIO *contra calumn. Platonis* & recentiſſima ætate AVCTOR *hiſt. crit. phil. T. I. p. 366.*

lem Ariſtotelis.[z] Adeo vero judicii, qua pollebat acumine, & ingenii elegantia ſe Platoni commendavit, ut chariſſimus ei fieret, multumque ei diligentia & eruditio ejus probaretur: eſtque auctor IO. PHILOPONVS, [a] Platonem illum vocaviſſe *mentem ſcholæ*, ipſoque abeunte clamaviſſe: [b] *intellectus abeſt, ſurdum eſt auditorium:* ingenii etiam ejus fervorem atque alacritatem cum equo frenis cohibendo comparaviſſe, ſupra in Xenocrate diximus. His donis naturalibus acceſſit inſatiabilis diſcendi ardor, & vaſtiſſima lectio, qua per omnes veterum libros curioſiſſime pererrabat;[c] unde domum ejus, domum anagnoſtæ Plato vocare ſolebat.[d] Tantusque is librorum heluo fuit, ut Speuſippi aliquando libros tribus talentis emeret,[e] & ſi STRABONI[f] fides, primus bibliothecam conſtrueret. Lectionis autem pene infinitæ exempla plurima in ſcriptis ejus exſtant, quibus tot veterum opiniones oblivioni ereptas debemus, ſumma cum brevitate & judicio, utinam etiam tanta fide, quanta eruditione, expoſitas. Viginti vero annos, usque ad mortem Platonis in ejus inſtitutione permanſiſſe, ait AMMONIVS & Latinus vitæ ejus enarrator,[g] id eſt, ad annum ætatis XXXVII. tamque ſancte tum quoque ejus memoriam coluiſſe, ut amoris & honoris monumentum aram ei erexerit cum iſta inſcriptione:

Gratus Ariſtoteles ſtruit hoc altare Platoni,
Quem turbæ injuſtæ vel celebrare nefas.[h]

Addunt & alia amoris erga præceptorem ſigna; conſcriptam in ejus laudem orationem,[i] atque epigramma, & quæ hujus generis ſunt alia. Non reticendum tamen eſt, quod in contrarium quidam veteres tradunt:[k] Ortam fuiſſe maximam animorum diſſenſionem inter Platonem & Ariſtotelem, eo quod vitam hujus atque corporis habitum & ornatum ille non probaret. Ariſtotelem enim & veſtibus & calceamentis pretioſioribus, & tonſura, quam Plato improbabat, annulisque ſe exornaſſe, vultuque cavillationem & irriſionem præ ſe tuliſſe, intempeſtiva vero loquacitate Platonem offendiſſe. Diſplicuiſſe itaque Platoni hominem, eique præpoſuiſſe Xenocratem, Speuſippum, Amiclam, & alios, quos tum honoribus proſequeretur, tum diſputationum ſuarum participes eſſe pateretur. Quum vero quodam tempore Xenocrates in patriam iter ſuſcepiſſet, Ariſtotelem cum diſcipulorum ſuorum caterva ad Platonem adiiſſe, apud quem Speuſippus morbo laborans non aderat: Platonem LXXX. annum agentem memoriæ fere deſtitutum fuiſſe, Ariſtotelem itaque eum ſophiſticis quæſtionibus

z) Rejecerunt itaque fabulam præter LEON. ARETINVM, & OCT. FERRARIVM laudatos SCHOTTO *l. c. p. 24.* NVNNESIVS & VOSSIVS *ll. cc.* add. BAYLE *l. c. not. D.* præter rationem itaque hæret PATRICIVS *l. c.*

a) ὁ νῦς διαφθείρης, PHILOP. *de mundi æternit.*

b) Vetus interpres apud NVNNES. *l. c. p. 12.*

c) LAERT. *l. X. ſ. 27.* *d)* AMMONIVS *l. c.*

e) GELLIVS *N. A. l. III. c. 17.*

f) *l. XIII. p. 609.*

g) Provocat is ad Ariſtotelis epiſtolam ad Philippum. Conſentiunt DION. HALIC. Apollodorus apud LAERTIVM *l. V. ſ. 9.*

h) AMMONIVS *l. c.*

i) OLYMPIODORVS *l. c.* NVNNESIVS *l. c. p. 64.* Ceterum refert ATHENAEVS *l. VIII. p. 354.* & AELIANVS *l. IX. c. 22.* eum, donec in convictu Platonis eſſet, medicinam exercuiſſe, atque in taberna medicamenta vendidiſſe, id vero nec cum contentione ſtudiorum Ariſtotelis convenit, & rejicit atque refutat Ariſtocles apud EVSEB. *præp. l. XV. c. 2.*

k) AELIAN. *l. III. c. 19.*

bus ex insidiis adorientem, magnaque cum ambitione quæstiones nectentem, ingratum se præbuisse. Platonem itaque decessisse ex Peripato, & domi privatim cum familiaribus discurrisse. Exactis tribus mensibus Xenocratem ex peregrinatione reducem inveniisse Aristotelem in loco Platonis, causamque absentiæ rogantem responsum tulisse, Aristotelem eum ex Peripato expulisse. Xenocratem itaque Platonem accedentem eum cum viris summæ existimationis differentem inveniisse, & humaniter salutasse, nullum tamen hac de re verbum cum illo collocutum, sed collectis commilitonibus suis vehementer objurgavisse Speusippum, quod Aristoteli cessisset ex Peripato; maximisque contra Aristotelem viribus pugnavisse, eoque contentionis progressum esse, ut eum ejiceret, & Platonem in consuetum locum restitueret. Adjiciunt alii,[l] Platonem, eo quod se superstite scholam ei adversam in Lyceo erexerit, ægerrime id ferentem dixisse: Aristoteles in nos haut secus, ac in matres equorum pulli, recalcitravit, eamque ob causam pullum plerumque Aristotelem appellasse. Multum hæc narratio placet PATRICIO[m] aliisque,[n] qui ejus in premendo dicteriis Aristotele, vestigiis insistunt, si tamen verum fatendum est, sine magna veri specie. Refert enim Aristocles apud EVSEBIVM,[o] totius auctorem narrationis fuisse Aristoxenum: de eo vero SVIDAS[p] tradit, eum statim, postquam vivis excessisset Aristoteles, varias ei calumnias asperssisse, vindictæ actum studio, quod ei Theophrastum prætulisset Aristoteles, quem scholæ præficeret, quamvis magna jam inter discipulos auctoritate & fama is uti cœpisset. Fide itaque testis labante, quid de ista narratione statuendum sit, facile colligi potest. Nec male monet AMMONIVS,[q] verisimile haut esse, potuisse Aristotelem magistrum schola ejicere, vel novam, eo vivo, condere, cum magna ea ætate Chabriæ atque Timothei extiterit auctoritas, qui imperatores Athenienssium sanguine Platoni juncti, tantam injuriam a viro juvene non passi fuissent. Adjiciunt his alii,[r] non parcere tantum Aristotelem Platonis nomini refutando, sed ter quoque perhonorificam ejus facere mentionem. Nec dissensus scholæ ejus a Platone urgeri potest. Vt enim taceamus, quod regerit AMMONIVS, Aristotelem pari jure gavisum, potiorem veritatis curam habuisse omni amicitia; demonstrari non potest, Aristotelem vivo præceptore novum systema condidisse. Quod si conjecturis locus est, probabile est, æmulationem, quam inter Isocratem vel Xenocratem & Aristotelem intercessisse LAERTIVS[s] & CICERO[t] referunt, occasionem fabulæ struendæ subministrasse. Quod si concedamus, quod a juvene fervidi ingenii summæque alacritatis, freno quasi coërcendæ facile expectari potest, licentius interdum contra præceptorem disputasse, quam Plato, cui Pythagoreorum αὐτὸς ἔφα tantopere placuit, ferre potuit,

l) IDEM *l. V. c. 9.* LAERT. *l. V. s. 2.*
m) *l. c. p. 3.*
n) *Observ. Halens. T. VIII. obs. 10. p. 230.*
o) *Præp. l. XV. c. 2.*
p) *T. I. v. Aristoxenus p. 327.*
q) *l. c.*
r) FORT. LICET. *de piet. Arist.* conf. SCHOTTVS *l. c. p. 74. seq.*
s) *l. V. s. 3.*
t) *De Orat. l. III.*

& ita indignationem præceptoris meruiſſe: nihil tamen hoc lucrabitur fabulæ omni veriſimilitudine deſtitutæ, unde recte ea rejicitur. Noſter eſt hac in re P. BAYLE. "

Convictus Hermiæ.

§. IV. Platoni Ol. CVIII. 1. vita functo cum ſucceſſiſſet Speuſippus, ut ſupra demonſtratum eſt, graviter id ferens Ariſtoteles Athenas relinquendi conſilio capto ad Hermiam eunuchum, Atarnenſium in Myſia tyrannum, qui ejus antea apud Platonem condiſcipulus fuit, ſe contulit, [x] quocum amicitiam prius cum Athenis ſimul eſſent, inierat. Excepit eum Hermias non ſine magna honoris & benevolentiæ teſtificatione, & hoſpitium aliaque amicitiæ beneficia lubens ei exhibuit; Ariſtoteles autem, qui magno eum amore erat complexus, triennii ſpatio quod apud eum exegit, philoſophiæ præceptis eum imbuit. Aegerrime itaque ferebat, quod tertio anno ad finem vergente accidiſſe STRABO [y] auctor eſt, cum victus a Memnone Rhodio Hermias ad Artaxerxem Perſarum regem mitteretur, a quo capitis ſupplicio affectus eſt. [z] Nam & hymnum in virtutem ſcripſit, ut illius amici ſui memoriam celebraret, quo integritatem, virtutem, hoſpitalitatem ejus laudibus extollit; eique in Delphico templo ſtatuam poſuit, [a] & Pythiada, (quam filiam ejus fuiſſe LAERTIVS & poſt eum ANONYMVS apud MENAGIVM atque SVIDAS [b] ajunt, rectius autem vel adoptiva habetur, ut AVCTOR Etymologici, & alio loco ipſe SVIDAS [c] habet, vel ἀδελφιδῆ, ſive ex fratre filia intelligitur) commendatiſſimæ virtutis feminam, quam liberis deſtitutus Hermias hæredem ſcripſerat, [d] his illius fatis in ſummis anguſtiis conſtitutam pia amici optimi memoria, ut ipſe ſcribit in *epiſtola ad Antipatrum*, [e] in uxorem duxit, & eam integerrime amavit. Magnum vero hic quoque campum inveniunt [f] Ariſtotelis obtrectatores, vitam moresque ejus accuſandi. Amicitiam enim arctiſſimam inter eum & Hermiam inhoneſta cauſa nixam pudorem violaſſe contendunt, impietatisque eum coarguunt, quod non pæane tantum, tanquam deum, Hermiam celebraverit, ſed & tam inſano in Pythiada amore fuerit, ut eodem ritu, quo Eleuſiniæ Cereri Athenienſes, ſacra ei fecerit, quod viva ea feciſſe, quidam tradunt, alii, & in his Lyco, primus calumniæ auctor, mortuæ ei honorem hunc habitum fuiſſe aſſerunt. Facile tamen calumniam palpant, qui ſine odio & præjudicio rem examinant. Qui enim caſtitatem Ariſtotelis impuro Hermiæ amore pollutam criminantur, non cogitant, illum enuchum fuiſſe, ſcelusque hoc fidem in eo ægre invenire. Nec ex carmine in amici obitum impietatis convinci poteſt, non enim pæana fuiſſe, quales in laudes Deorum tan-

u) l. c. not. E.

x) LAERT. *l. c. ſ. 4.*

y) l. XIII. p. 610. Inſidiis circumventum fuiſſe a Memnone Hermiam, ex inſcriptione ſtatuæ, quam ei poſuit Ariſtoteles, apud EVSEBIVM *Præp. l. XV. c. 2.* colligere eſt.

z) ibid. male de hoc Hermia loquuntur ea, quæ habet LAERTIVS *l. V. ſ. 3.*

a) Ariſtocles apud EVSEBIVM *l. c.*

b) ll. cc.

c) T. I. v. Hermias p. 859. quam Suidæ inconſtantiam nemo miretur, ſolet enim veteres ſine judicio & memoria exſcribere.

d) Demetrius Magnes apud LAERT. *l. c.* Prima opinio eo refutatur, quod eunuchus Hermias fuerit; unde & illi refutantur, qui pellicem ejus fuiſſe dicunt, conf. SCHOTTVS.

e) l. c. p. 80. apud EVSEBIVM *l. c.*

f) Citati, vid. LAERT. *l. c.*

tantummodo canebantur, ſed ſcholion, id eſt, convivale canticum contra Demophili calumnias ipſe, qui alias philoſophis minime parcit, ATHENAEVS [g] demonſtravit. Nec, quæ de culta Pythiade divinis honoribus dicuntur, fidem merentur: qua ratione enim tam effrenis impietas, qua intolerabiliorem apud Athenienſes non fuiſſe, ratio myſteriorum Cereris tam ſancte cultorum teſtatur, Græcorum oculos & vindictam effugiſſet, & non Ariſtotoles tanquam læſæ divinæ majeſtatis reus fuiſſet damnatus? [h] Nec improbi erga hanc feminam amoris accuſari philoſophus poteſt, qui non pellicem eam habuit, ſed uxorem duxit, commiſeratione miſeriæ ejus commotus. Quæ circumſtantiæ cum ſatis innocentiam Ariſtotelis vindicent, occaſionem dedere Apelliconi Tejo apologiam ejus ſcribendi, [i] ab Ariſtocle apud EVSEBIVM probatam. Hiſtorici itaque fidem violavit PATRICIVS, [k] qui has calumnias recoxit, & lectori pro veris obtruſit: Indignum ſcilicet philoſopho cauſam ſuam calumniis & obtrectationibus agere, cum nihil ad ſyſtematis alicujus veritatem vel falſitatem faciat auctoris vita, bene vel male acta, niſi in ſcelerum patrocinium rationibus pugnet; improbandusque mos illorum eſt, qui philoſophiam Ariſtotelis refutari rejicive non poſſe putant, niſi convitiorum plauſtra in virum de bonis artibus & ſcientiis egregie meritum conjecerint. Abjiciendæ itaque ex Ariſtotelis hiſtoria iſtæ fabulæ, a Lycone & Ariſtippo, Ariſtotelis adverſariis ortæ & excogitatæ, [l] ut, quem oderant, ægre ei facerent, memoriamque ejus commaculârent.

Mora in aula Philippi & Alexandri M.

§. V. Hermia capto & ſuſpendio necato Mitylenas profugit Ariſtoteles, quocum Xenocratem quoque quendam confugiſſe, STRABO [m] auctor eſt. Factum hoc prætore Eubulo, Olymp. CVIII. 4. [n] Errat itaque STANLEIVS, [o] qui hanc fugam omittit, quod facit etiam PATRICIVS, & hoc anno in aulam Macedoniæ regis veniſſe contendit. Hoc enim & teſtimoniis DIONYSII HALICARNASSEI atque LAERTII [p] contrarium eſt, & rationibus temporum chronologicis Apollodori, qui prætore Pythodoto Ol. CIX. 2. ad Philippum ſe contuliſſe, Alexandro XV. ætatis annum agente, ſcripſit. Cum enim Philippus filio alta jam tunc ſpiranti magnumque animum & conſilia prodenti de præceptore diſpiceret, qui animum ejus regno futuro aptum fingeret, Ariſtotelem delegit, & humaniſſima epiſtola [q] in aulam vocavit, ſperans, uti ipſe ſcripſit, ita filium ab eo educatum iri, ut & parente & regno futuro dignus evaderet. Egregie ibi rationibus ad quas vocatus erat, proſpexit Ariſtoteles; cum enim non Platonis more ſcholæ tantum mores ſuos finxiſſet, ſed vitæ quoque & aulæ,

g) l. XV. p. 694.

h) conf. BAYLE *l. c.*

i) De Ariſtotelis & Hermiæ familiaritate, teſte Ariſtocle apud EVSEBIVM *l. c.* conf. IONSIVS *de Scr. H. P. l. II. c. 15. p. 195.*

k) l. c. p. 4. quem ideo amare ſatis caſtigat IS. CASAVBONVS ad LAERT. *l. c.* Non itaque ſine examine ſequi debuiſſet Patricium *auctor Obſ. X. T. III. Obſ. Hal. p. 230.* qui ideo Ariſtotelem atheiſmi practici infimulavit.

l) Ariſtocles *l. c.*

m) l. c. Xenocratem vero Platonicum fuiſſe credibile non eſt, cui cum Ariſtotele gravis interceſſit æmulatio.

n) LAERT. DION. HALIC. *ll. cc.*

o) l. c. p. 410. qui tamen ad Apollodorum provocat, quem feſtinanter forte inſpexit.

p) l. c. ſ. 10. conf. SCHOTTVS *p. 86.*

q) Servavit eam GELLIVS *l. IX. c. 3.* conf. PLVTARCH. *de fort. Alexandri Orat. I. T. II. p. 346. ſeq.*

aulæ, ita gratiam & benevolentiam Philippi, & Olympiæ meruit, ut ſummo apud eos loco eſſet, multisque atque magnis gratiæ ſpeciminibus eum complecterentur. Statuam ipſi poni juſſerunt, [r] immo ea Philippus in illum erat voluntate, ut non infimam ei partem in adminiſtrando conſiliis ejus regno concederet. Ceditque in laudem Ariſtotelis, quod vitæ ejus enarratores [s] adjiciunt, uſum fuiſſe ea auctoritate Ariſtotelem tam ad privatorum, quam ad publica emolumenta, qua in re ad Philippi epiſtolas provocat Latinus AMMONII interpres. Affertque exemplum PLVTARCHVS: [t] Philippum precibus Ariſtotelis inductum Stagiram, patriam ejus collapſam reſtauraſſe, id quod alii [u] tamen Alexandro tribuunt, conſervaruntque ejus beneficii memoriam Stagiritæ feſto die in memoriam civis tam egregie de patria meriti, quem Ariſtoteleum dixere. [x] Philippus quoque Stagiritanis ſcholam & gymnaſium Nymphæum prope Miezam attribuiſſe, [y] & Ariſtoteli permiſiſſe dicitur, ut civibus ſuis leges poneret. [z] Tantaque non benevolentia tantum, ſed & familiaritas inter Philippum Olympiamque & Ariſtotelem fuit, ut turpitudinis ſuſpicionem vix effugeret, quo nomine Theodoritum Chium pupugiſſe Alexandrum refert PLVTARCHVS. [a] Neque defuit officio ſuo Ariſtoteles, a quo majora ſe beneficia, vel, quod ait PLVTARCHVS, [b] majorem ad rem gerendam commeatum, quam a Philippo patre ſe conſecutum fuiſſe, faſſus eſt Alexander. Huic enim debebat, quod pulcherrimis inſtructus rei gerendæ conſiliis in bellum profectus eſt, huic philoſophiam debebat, qua animum ſibi comparabat intrepidum, fortem, magnum, ad res omnes paratum; eumque, ſi vitam & res geſtas magni regis intuearis, ita formavit, ut quod de moribus Ariſtoteles præcepit, ipſe in vita factisque re ipſa maxime probaret, ſicque Ariſtotelicis præceptis formatus ad univerſi orbis imperium graſſaretur. [c] Quanquam enim nimius in eo ſit PLVTARCHVS, qui Alexandro M. Ariſtotelis opera philoſophia imbuto inter philoſophos purpuratos locum deberi contendit, [d] fatendum tamen eſt, naturam & ingenium Alexandri, accedente

r) *Lat. Interp.* AMMONII *p. 13.*

s) AMMONIVS *l. c.*

t) *l. c.*

u) PLINIVS *l. VII. c. 19.* AMMONIVS *l. c.* AELIAN. *V. H. l. III. c. 17.*

x) AMMON. *l. c.*

y) PLVT. *l. c.*

z) LAERT. *l. c.*

a) *De exil. T. II. p. m. 524.* quod ad Herminæ familiaritatem perperam retulit STANLEIVS *l. c.*

b) *de Alex. T. II. p. m. 346.* Solebat vero dicere, a patre ſe habere, ut viveret, ab Ariſtotele vero, ut bene viveret.

c) Prolixe in hanc virtutis Alexandri M. ab Ariſtotele formatæ indolem inquiſivimus in *meditatione philoſophica de falſa virtute exemplo Alexandri M. illuſtrata, Ienæ 1719. 4.*

d) Vrget imprimis PLVTARCHVS *l. c.* ut evincat, Alexandro M. philoſophi nomen deberi: 1. Habuiſſe ſemper ſecum, & in deliciis Homerum, ut philoſophiæ ſibi auctor eſſet. 2. Nihil quidem de ſyllogiſmis & pronuntiatis ſcripſiſſe, neque ambulationem in Lyceo inſtituiſſe, ſed ſcribendi munere ſophiſtis relicto iis, quæ dixit, quæ egit, quæ exſecutus eſt, philoſophum oſtendiſſe, feras gentes domuiſſe, virtutemque, & ut ſcelera exuerent, docuiſſe, Aſiaticos ad literarum culturam traduxiſſe. 3. Legibus totam fere Aſiam inſtruxiſſe, victosque coëgiſſe feliciter vivere. 4. Zenonis rempublicam maxime laudatam, quam is tanquam ſomnium vel imaginem ſibi formavit, re ipſa expreſſiſſe, & quos verbis non poterat, armis ad communitatem adigentem, omnes undique gentes in unum corpus conduxiſſe, patriam mundum feciſſe, communibus amicitiæ & neceſſitatis vinculis junxiſſe. Addit his alia leviora apud ipſum legenda: quæ omnia ad rhetoricæ artis regulas efficta orationem non inelegantem conficiunt, rem non probant, a qua variata philoſophi defi-

cedente ejus fortuna, ita inter ſe junctas fuiſſe Ariſtotelicæ diſciplinæ inſtitutione, ut eo pervenerit, quo pauciſſimis inter reges adſpirare licuit: Vtrum autem vero conſentaneum ſit, quod PLVTARCHVS porro refert, Ariſtotelem non morum tantum, & reipublicæ gerendæ præcepta, ſed & arcanam & epopticam, ſive acroamaticam doctrinam, quam cum vulgo non communicabat, Alexandro tradidiſſe, dubitare licet, vixque credi poteſt, Ariſtotelem in moribus & prudentiæ regulis quas aulæ conditio præſcribit, exercitatiſſimum, ad ſubtilitates metaphyſicas, quibus arcana iſta doctrina conſtitit, juvenem ad longe alia & majora, non ſcholæ ſed vitæ ſceptroque, formandum manu quaſi duxiſſe: nec admittendum quoque aliter eſt, quod is adjicit, medicam artem eum ab Ariſtotele fuiſſe edoctum. Quod ſi enim concedendum eſt, non ignarum fuiſſe Alexandrum earum rerum, quæ ad ſuam amicorumque ſuorum ſanitatem reparandam & tuendam requirebantur, id tamen non ad quandam medicæ artis ſcientiam, ſed ad notitiam vulgarem & empiricam referendum, credendumque eſt, Ariſtotelem tantum de his rebus Alexandro tradidiſſe, quantum noſſe juvenis magnas res molientis intererat. Nec alio fine Homeri amorem [e] ei inſpiraſſe probabile eſt, quam ut magnis exemplis ad paria audenda incitaretur: [f] quo & librum collineaſſe veriſimile eſt, quem *de regno* ad Alexandrum ſcripſit Ariſtoteles. [g] Mortuo Olymp. CXI. 1. Pythodoto archonte, Philippo, filius ejus ſucceſſit Alexander, cujus animus maxima & inſolita ſpirans, cum patrii regni limites tantæ ferociæ juvenem non caperent, Aſiaticam expeditionem molitus eſt. Quod conſilium etſi non improbabile ſit, Ariſtotelem probaviſſe, noluit tamen ſtrepitum belli vir philoſophicis meditationibus deditus, otiique literarii amans ſequi, ſed aulam, in qua per octo integros annos [h] verſatus erat, reliquit, Athenasque commigravit, Calliſthene Olynthio, agnato ſuo, apud eum relicto. Quod cum veteres unanimi ore tradant, audiendus non eſt Latinus AMMONII interpres, [i] qui philoſophum in Aſiana expeditione cum Alexandro ad Indos profectum, Brachmanas conveniſſe contendit. Neque tamen totus ab Alexandro diſceſſit, ſed quod ore nequibat, literis inſtituit, Alexandroque perſuaſit; ut ad naturam animalium pernoſcendam, cui operi ſe accinxerat Ariſtoteles, ſumtus vere regios faceret, quanquam nimia videantur eſſe, quæ Ariſtotelicæ vitæ inter-

definitione multum receſſit Plutarchus. Non enim hoc negabit quisquam Alexandri hiſtoriæ gnarus, magnum non fortuna tantum ſed ingenio quoque & prudentia civili fuiſſe hunc regem; ſed hoc nondum philoſophi ideam atque definitionem abſolvit, & innumeros nobis fingeret philoſophos. Pone M. Aurelium Antoninum purpuratum philoſophum & cum Alexandro M. compara, & videbis, quam diſſimilis philoſopho hic fuerit.

e) Quanti Homerum fecerit Alexander hiſtorici paſſim narrant, quorum loca dat GISB. CVPERVS *de Apotheoſi Homeri.* Ariſtotelem exemplar ejus a ſe emendatum tradidiſſe Alexandro PLVT. *l. c.* refert.

f) Ait ipſe PLVT. *l. c.* Homerum ab eo vocatum *optimum ad virtutem militarem exemplum.*

g) LAERT. *l. V. ſ. 22.* AMMON. *l. c.*

h) Quinque tantum ponit IVSTINVS *l. XII. c. 16.* ſed ut ex dictis apertum eſt perperam, Olymp. CIX. 2. enim a Philippo vocatus eſt, Olymp. CXI. 2. Athenas commigrat, conf. SCHOTTVS *l. c. p. 111.*

i) pag. 13.

interpretes tradunt. Qua de re ita PLINIVS: [k] *Alexandro M. rege in flammato, cupidine animalium naturas cognoſcendi, delegataque commentatione, Ariſtoteli ſummo in omni ſcientia viro, aliquot millia hominum, in totius Aſiæ Græciæque tractu parere juſſa, omnium quos venatus, aucupia, piſcatusque alebant, quibusque vivaria, armenta, alvearia, piſcinæ, aviaria, in cura erant, ne quid usquam gentium ignoraretur ab eo, quos percontando, quinquaginta ferme voluminibus illa præclara de animalibus condidit.* [l] Ex quibus manifeſtum quoque eſt, fruſtra eos eſſe, qui hæc vel ad Philippum regem, [ll] vel cum SCHOTTO [m] ad initia expeditionis Aſiaticæ referunt; jam enim plerasque Aſiæ gentes ab Alexandro ſubactas oportuit, cum iſta præciperentur. Certum tamen & hoc eſt, factum id eſſe, antequam Calliſthenis imprudentia offenſus Alexander Ariſtoteli quoque favere deſineret. [n] Durante enim Aſiatica expeditione adhuc ei faviſſe, beneficia Stagiritis exhibita, commendationes Ariſtotelis magni factæ, [o] Ereſſus Theophraſti patria direptioni & vaſtationi erepta, quod diſcipulus is Ariſtotelis eſſet, ab eo commendatus, & alia loquuntur. Calliſthene vero imprudentius regi obloquente, etſi linguæ periculum ei prædixiſſet Ariſtoteles, [p] & in ſuſpicionem inſidiarum contra regis vitam adducto, miſereque atque fœde diu in ferrea cavea per varias gentes jactato, tandemque enecato, [q] gratiam quoque regis decreſcentem ſenſit Ariſtoteles. Cui ut ægre rex faceret, Xenocrati magnam pecuniæ ſummam obtulit, quam tamen hunc non accepiſſe ſupra diximus, aliosque philoſophos honoravit, ut eum deprimeret. [r] Quod cum animum philoſophi non ſauciare non poſſet, occaſionem quibusdam dedit ſuſpicandi, quod Alexandri mortem Ariſtoteles curaverit, [s] qui venenum, (aquam ſtygiam fuiſſe veterum quidam tradunt) in aſini ungula repoſitum per Antipatrum Caſſandro miſiſſet, quo Alexander extinctus eſt. Qua traditione valde onerat Ariſtotelis memoriam PATRICIVS, [t] qui hæc extra dubitationis aleam poſita eſſe putat. Nobis immitius, immo contra fidei hiſtoricæ regulas cum Ariſtotele hic agi, certum eſt. Qui enim Ariſtotelem in partes mortis Alexandri M. trahunt, ex eo potiſſimum argumentum ſumunt, quod male convenerit Ariſtoteli cum rege, venenique ratio, talis fuerit, quæ a philoſopho naturam rerum callente, potuerit excogitari. Ex eo vero, quam inepte concludatur, Ariſtotelem & mortem regis acceleraſſe, & veneni genus commendaviſſe atque miſiſſe,

k) *Lib. VIII. c. 16.*

l) Octingenta talenta, id eſt, computante BVDAEO *de aſſe l. II. c. 29.* 480000. aureorum impendiſſe regem veteres tradunt.

ll) AELIANVS *var. Hiſt. l. IV. c. 19.*

m) *l. c. p. 110.* ad Ol. CXI. 2. tum enim nondum tam ampla erat gaza regis, quæ in immenſum ex præda Perſica creverat, neque tum Aſiaticis quod ait Plinius, hanc rem imperare potuit.

n) Ita concidunt objectiones, quibus totam narrationem fabulis adſcribit cl. SCHVLZ. *Hiſt. medic. l. c. p. 358.*

o) LAERT. *l. V. ſ. 4.* AMMON. *l. c.* AELIAN. *l. III. c. 17.* VAL. MAX. *l. V. c. 6.* nec a vero abludit & Philippum & Alexandrum Stagiritis propter Ariſtotelem faviſſe.

p) LAERT. *l. V. ſ. 5.*

q) CVRTIVS *l. VIII. c. 6.* & *Comment. ad h. l.* LAERT. *l. c.*

r) *ibid.*

s) PLVT. *l. c.*

t) *l. c. p. 7.*

ſe, vident, qui vel per tranſennam ratiocinandi regulas inſpexerunt. Evictum quoque atque certum ſtatuunt, quod incertiſſimum adhuc eſt, Alexandrum veneno extinctum eſſe, cum alii non minoris fidei teſtes aſſerant, intemperantia ſibi fata ſua Alexandrum maturaſſe, & inſolitis vini hauſtibus, quibus corporis vires pares haud erant, morbum præſentiſſimum concitaviſſe. Certe, cum dubia adhuc ſit cauſa præmaturæ mortis magni regis, veteresque de ea tantopere diſſideant, [u] non injuſtum tantum, ſed & hiſtoriæ legibus adverſum eſt, infamiæ culpam in Ariſtotelem devolvere, & cum Caracalla [x] inſanire.

§. VI. Ex aula itaque Macedoniæ regum Olymp. CXI. 2. uti dictum eſt, Athenas ad docendam philoſophiam conceſſit Ariſtoteles, errantque & plerisque veterum teſtimoniis refutantur, qui cum Hermippo [y] tradunt, Ariſtoteles cum Athenienſium ad Philippum legatus eſſet, Xenocratem Academiæ præfuiſſe; reverſum vero cum ſcholam ſub alio vidiſſet, elegiſſe in Lyceo deambulationis locum ibique deambulando docuiſſe, & Peripateticum inde dictum eſſe. [z] Ex dictis enim conſtat, poſt mortem Philippi demum Athenas rediiſſe, ubi Olymp. CX. 2. jam a Speuſippo cathedram Xenocrates acceperat. Falſitatis etiam ex eadem temporum ſerie convincitur, quod AMMONIVS [a] tradit, cum ſupremum diem Speuſippus obiiſſet, Athenienſes miſſis legatis Ariſtotelem ad ſe accerſiviſſe, atque ita Ariſtotelem & Xenocratem, illum in Lyceo, hunc in Academia Platonis ſucceſſores factos eſſe: nam & ante fata ſua ſcholam Speuſippus Xenocrati ceſſit, & cum mereretur, Ariſtoteles adhuc apud Alexandrum fuit. Athenis itaque ſede doctrinæ atque ſcholæ ſuæ electis, in Lyceo [b] conſedit, cum Academiam jam teneret Xenocrates, isque turpe ſibi putaret inter hos ſilere, [c] qui regium juvenem jam inſtituiſſet. Vt itaque novam ſectam conderet, & Academicæ ſe opponeret, diverſam a Platone philoſophiam docere inſtituit. Ibi cum deambulando usque ad horam, qua Græci inungi ſolebant, quod ordinarie ante cœnam fiebat, doceret, & de philoſophicis rebus diſſereret apud omnes, qui ad ipſum accederent, Peripateticus dictus eſt, [d] quanquam & Plato jam illam deambulationem inſtituit, [e] & Ariſtoteles in frequenti auditorio ſedens quoque docuit. [f] Alii Peripate-

Vita Athenis acta & ſchola aperta.

Peripateticus cur dictus.

u) Videndi, qui veterum narrationes de morte Alexandri collegerunt SCHOTTVS *l. c. p. 128.* & PAVLVS RABE diſſ. *de morte regis Alexandri, Regiom. 1692.*

x) Eum ideo, quod Ariſtotelem necis hujus ſuſpectum credebat, libros ejus juſſiſſe cremari refert XIPHILIN. in *Caracalla p. 329. ſeq.*

y) Apud LAERT. *l. V. ſ. 3.*

z) CICERO *de orat. l. III. c. 35.* & QVINTIL. *Inſtit. orat. l. III. c. 1.* de Iſocrate tradunt hanc æmulationem Ariſtotelis ortam eſſe.

a) *l. c.* qui ſibi ipſi contradicit. Ait enim mortuo rege Alexandro ex Perſide Athenas conceſſiſſe, aſt prius dixerat, Speuſippo ſucceſſiſſe: is vero Ol. CX. 2. ſchola decedit, Alexander Ol. CXIV. 1. moritur. conf. PATRICIVS *loc. cit. pag. 6.*

b) Fuit Lyceum locus in ſuburbio Athenarum, a Pericle conditus, ubi novi milites a Polemarchis bellicis artibus inſtruebantur & exercebantur. Templum ibi erat Apollini Lycio dicatum, unde nomen locus accepit. Ambulacris, fontibus, arboribusque conſitus jucundam faciem præbuit. Plura dabit SVIDAS *T. II. v. Lyceum p. 467.* Reverendiſſimus POTTERVS *Arch. Græc. l. I. c. 8. p. 33.* B. IO. ANDR. SCHMIDIVS diſſ. *de Gymnaſiis literar. Athen. p. 36. ſeqq.*

c) LAERT. *l. c. ſ. 3.* *d*) LAERT. *l. V. ſ. 2.*

e) AELIAN. *l. I. c. 19.* LAERT. *l. III. ſ. 11.* IONSIVS diſſ. *de hiſt. Peripat. p. 419.*

f) LAERT. *l. c.*

ticum dictum ex eo ferunt, quod cum Alexandro ex morbo nuper convaleſcente ita deambulando de rebus philoſophicis differuerit. Alii alias nominis hujus rationes afferunt, quas ita conciliare licet, ut ſumta prius a deambulando appellationis occaſione Peripatetici ejus diſcipuli dicti fuerint, quaſi diſputantes vel differentes, licet non ſemper deambulaverint.

Peripateticum nomen.

Hinc, unde Ariſtotelis ſchola Peripateticorum nomen acceperit, magnus inter veteres & recentiores diſſenſus eſt. LAERTIVS quæ tradit nec clara ſatis ſunt, nec ſimilia vero; plerique Hermippi ſententiam ſequuntur, tradentis, elegiſſe Ariſtotelem in Lyceo deambulationis locum, illicque usque ad certum temporis ſpatium deambulando cum diſcipulis philoſophari ſolitum, atque inde Peripateticum dictum fuiſſe. Quibus tamen opponunt alii, Platonem quoque deambulando docuiſſe, qui tamen Peripateticus dictus haut eſt, quod enim AMMONIVS [g] ait, Academicos quoque Peripateticos dictos fuiſſe, fundamento caret. Affinis huic eſt CICERONIS [h] ſententia, ideo Peripateticos dictos eſſe afferentis, quia diſputabant inambulantes in Lycio, cui tamen idem mos a ſectis aliis obſervatus obſtat, qui tamen ideo Peripatetici dicti non ſunt. IONSIVS, ut erat in antiquitatis hiſtoria verſatiſſimus, [i] acute collegit, nomen a loco ſectæ adhæſiſſe, nempe a Peripato ſive ambulacro in Lyceo, in quo Ariſtoteles docebat, quemadmodum Academici ab Academia, Stoici a Stoa ſive porticu variegata, Cynici a Cynoſarge denominati ſunt: quam opinionem præter alios ſuam fecit MENAGIVS. [k] Etſi vero ingenioſa eſt, hæc nominis illius explicatio, recte tamen opponitur ei, quod vir ſummus IO. FRID. GRONOVIVS [l] obſervat, *nomen hoc quidem vindicatum & addictum περιπάτῳ ſive ambulacro Lycei Gymnaſii ab Ariſtotele Athenis & in Ariſtoteleorum familia κατ' ἐξοχήν hæſiſſe, ſed tamen multis quoque aliis, & quidem ante hunc Nicomachi filium placuiſſe hunc morem, non tam diſcipulos, quam ſectatores habendi & inter ambulandum differendi: hincque factum eſſe, ut vox περίπατος diceretur Græcis pro eo ipſo, quod eſt ἀκρόασις ὁμιλία diſputatio, lectio, ſchola, pro eo quod in περιπάτοις faciebant*: quod exemplis quoque probat, *περίπατον* idem dicere ac diſputationem, vel diatribam, qua voce utitur GELLIVS. [m] Vnde nomen quoque Peripateticorum in Cebete eſſe celeberrimo FEVRLINO [n] placuit. Accedit quod non Peripatetici ſed Peripatici ita dicendi fuiſſent. Omnium itaque probabiliſſima eſt ſententia eruditiſſimi HEVMANNI, [o] qui varias *περιπάτε* ſignificationes in uno Peripateticorum nomine confluxiſſe ſtatuit, & teſtimoniis quoque veterum probat, Peripatum Lycei *κατ' ἐξοχήν* ita dictum fuiſſe, quique ibi docebant, *οἱ ἐκ τῦ περιπάτε*, uti pluribus demonſtratum IONSIO. [p] Ariſtotelem vero lectiones ſuas deambulationes vocaviſſe, uti ſupra ex GEL-

g) *Comm. in proœm. Porphyrii ſub fin.*
h) *Acad. Quæſt. l. I. c. 4.*
i) *Diſſ. I. de hiſt. Peripatetica.*
k) *Ad* LAERT. *l. V. ſ. 2.*
l) In *exerc. Acad. de muſeo Alexandrino, T. VIII. Antiqq. Græc.* a filio collectarum.
m) *Lib. I. c. 26. l. XVII. c. 20.*
n) *Miſc. Lipſ. T. III. obſ. LV. §. 7. p. 39. ſeq.*
o) *Act. Phil. vol. II. p. 876. ſeqq.*
p) *l. c.*

GELLIO demonstratum, quo sensu & Athenodorus teste LAERTIO [q] libros περιπάτων, id est *lectionum philosophicarum* scripsit. Rectèque IONSIVS [r] discursuum nomen huc advocat, ut itaque περιπατεῖν & *philosophiam docere*, idem sit. Quo & referendum est, disputasse discipulos inter ambulandum, Aristotele licet sedente ut ait LAERTIVS,[s] quod quia præ reliquis sectis diligenter faciebant discipuli Aristotelis, ideo præ aliis sectis Peripateticorum, id est, ut nostro loquendi more dicamus, discurrentium, sive differentium nomen iis adhæsisse.

Methodi ratio.

Cum autem ingens discipulorum numerus confluueret, methodum veterem, quam Academia quoque receperat, imitandam ratus Aristoteles, *commentationum suarum duas classes constituebat; alia enim erat, explicante* GELLIO,[t] *quæ nominabat* ἐξωτερικὰ, *alia quæ appellabat* ἀκροαματικὰ, *illa dicebantur, quæ ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant: hæc autem vocabantur, in quibus philosophia remotior, subtiliorque agitabatur, quæque ad naturæ contemplationes disceptationesve dialecticas pertineret. Huic disciplinæ acroamaticæ tempus exercendæ dabat in Liceo matutinum. Nec ad eam temere quenquam admittebat, nisi quorum ante ingenium & eruditionis elementa, atque in discendo studium laboremque exploraſſet. Illas vero exotericas eodem in loco vesperi faciebat, easque vulgo juvenibus absque delectu dabat, atque eam* δειλινὸν περίπατον *appellabat, illam alteram supra,* ἑωθινόν. *Vtroque enim tempore ambulans differebat, librosque suos earum rerum omnium commentarios seorsim divisit, ut alii* ἐξωτερικοὶ *dicerentur, partim* ἀκροαματικοί. Hactenus GELLIVS, qui & Alexandri regis epistolam narrat, indignantis, quod libros acroamaticos vulgasset, & responsionem Aristotelis subjicit, dicentis, ita editos esse, ut ab iis solis, qui ipsum audiant, cognosci possint. Sed de hac librorum Aristotelis conditione infra dicendum est pluribus. Multa hac de duplici Aristotelis methodo, & disciplinarum quoque in eam rem divisione apud veteres [u] & recentiores [v] dicta sunt, qui consulendi sunt, cum prolixioribus nobis ea de re hoc loco esse non liceat. Cum vero non exotericas tantum disciplinas egregie traderet, sed & acroamaticas nova arte doceret, magna numero discipuli confluebant, quorum multi apud veteres memorantur. Hacque ratione ad decimum tertium annum usque Athenis docuit, nemine illi obicem ponente, Alexandri potentia, cui erat commendatissimus, præsidium ei præbente.

q) Lib. V. s. 36.
r) l. c. p. 423.
s) Lib. V. s. 2.
t) Lib. XX. c. 4.
u) Vid. CLEM. ALEXANDRIN. *Strom. l. V.* AMMON. in *Categorias.* THEMIST. *Orat. p. 319.* CICERO *de fin. l. V.* PLVT. *l. c.* LVCIAN. in *vit. Auct. T. III. p. 103.*
v) Vid. laudati FABRICIO *Bibl. Græc. vol. II. p. 176.* quibus adjici possunt MENAG. *ad* LAERT. *l. V. s. 27.* VOSSIVS *de sectis c. XVII. §. 9. 10.* HORNIVS *Hist. phil. l. VII. c. 9.* PICCART. *intr. in phil. Arist. c. 10.* FASCHIVS *de variis modis trad. mor. c. V. 9. 10. p. 488.* MORHOF. *Pol. T. II. l. I. c. 8. & 11.*

Seceſſus Chalcidem.

§. VII. Etſi vero nec odia, nec æmulatio Ariſtoteli Athenis docenti deerant, cum circa ea tempora maxima ingenia in id conniterentur, ut novas ſectas conderent, & familiam ſibi ex diſcipulis colligerent, quantum poſſent, maximam, nemo tamen infenſum in eum animum dictam ob cauſam declarare auſus eſt. Alexandro autem Olymp. CXIV. 1. extincto, invidia, quæ ſub cinere quaſi hactenus latuerat, in flammam erupit, gravemque Ariſtoteli perſecutionem excitavit. Varie rem narrant veteres; [w] alii enim percepta contra vitam ejus conſpiratione Athenis clam diſceſſiſſe, ajunt; alii ad ſycophantas atque delatores cauſam conjiciunt; fide vero digniores referunt, inimicos in ſalutem Ariſtotelis conſpirantes eo perduxiſſe Eurymedonta, Demophilumque, illum, ſacrorum antiſtitem, hunc virum non ignobilem, ut Ariſtotelem impietatis accuſarent, ſententias ejusmodi eum invehere cauſantes, Athenienſium ſacris adverſas, hymnum item in Hermiam, tanquam Deum, ſtatuamque in templo Delphico cum honorifica inſcriptione poſitam. Qua in re parum veriſimilitudinis fuiſſe, cum ſupra oſtenſum ſit, veriſimile eſt, quod etiam ORIGENES [x] tradit, paratum ipſi judicium fuiſſe, ut impio, propter quædam dogmata ipſius ſuſpecta impietatis Athenienſibus. Qui licet non addat, quæ potiſſimum dogmata intelligat, alio tamen loco [y] Peripateticis tribuit, *negare eos, quicquam prodeſſe preces ad Deum fuſas & ſacrificia.* Nec a vero abludit ita Ariſtotelem ſtatuiſſe, qui ſummum primumque motorem a providentia ſublunarium removit, & immutabilem ejus motuum ordinem ſtatuit, ut in ſequentibus demonſtrabitur. Nam quid preces, quid ſacrificia valent, ſi nec ordo & ſeries eventuum a Deo mutari poteſt, nec hominum curam agit numen? Everſis autem ſacrificiis cultuque Deorum, everti totum ſacerdotum munus, res, proventus, facile intelligebant, quorum intererat, unde mirum non eſt, & ſacerdotes Ariſtotelem tanquam virum impium accuſaviſſe, & Areopagi judices, eum pro noxio habuiſſe homine, qui vincula pietatis, religionisque, atque ipſius etiam reipublicæ doctrina ſua ſolveret, ideoque Socraticum ei vitæ finem deſtinaſſe. Id quod ipſe innuit, quando amicis fugæ cauſam exquirentibus reſpondit: *noluiſſe ſe committere, ut Athenienſes bis peccarent in philoſophiam*, quo ad Socratica fata reſpexiſſe, recte monet AELIANVS. [z] Fuga itaque ſibi conſuluit, clamque Chalcidem, oppidum ad Euripum ſitum, ſeceſſit, ut tutius ibi lateret; ex quo patet, falſos eſſe, qui apologiam pro ſe ad Areopagitas dixiſſe tradunt. [a] Caditque hæc Ariſtotelis fuga non in annum tertium Ol. CXIV. ut vult Apollodorus, [b] ſed in annum ſecundum, ut notat DIONYSIVS HALICARNASSEVS, alias rationes temporis vitæ Ariſtotelis ſibi non conſtant, eæ enim ita ſe habent:

Ariſto-

w) LAERT. *l. V. ſ. 5.* ATHEN. *l. XV. pag. 697. ſeq.*
x) *Contra Celſ. l. I. p. m. 52.*
y) *ib. l. II. p. m. 68.* Conf. BAYLE *l. c. not. G. p. 325.*
z) AELIAN. *l. III. c. 36.*
a) Recte id in dubium vocat ATHEN. *l. c.*
b) Apud. LAERT. *l. c.*

Ariſtoteles naſcitur	*Olymp. XCIX. 1.*	
Platonis in diſciplinam ſe tradit annum agens decimum ſeptimum	*Olymp. CIII. 1.*	
cum exegiſſet annos	- -	16
Plato moritur, ille diſcedit ad Hermiam	*Olymp. CVIII. 1.*	
cum annos apud Platonem triviſſet	- -	20
manet apud Hermiam ad	*Olymp. CVIII. 4.*	
	annos, ſc.	3
Mitylenen fugit ibique moram nectit ad	*Olymp. CIX. 2.*	2
in aula Philippi & Alexandri moratur ad	*Olymp. CXI. 2.*	8
Athenis annis duodecim exactis	- -	12
decimo tertio Chalcidem aufugit	*Olymp. CXIV. 2.*	
Chalcide ad finem vitæ moratur	*Olymp. CXIV. 3.*	
annum fere	- -	2
annos natus obit		63

Qua in ſerie annorum Ariſtotelis ſupponitur, annum XIII. moræ apud Athenienſes non totum ibi exegiſſe, ſesquiannum Chalcide triviſſe; quod ſi integri tredecim anni computentur, eodem anno, quo ſeceſſit, obiiſſe neceſſe eſt. [c] Vnde nec Eumelus [d] audiendus eſt, qui LXX. annos ei tribuit, nec STANLEIVS, [e] qui ut LXIII. annos conficiat, annos natum octodecim, cum XIX. ageret Athenas veniſſe ait, ſeceſſum vero Mityleneum omittit, quod hiſtoriæ Ariſtotelis adverſum eſſe, ex hactenus diſputatis liquet.

§. VIII. Non diu vero Chalcide ſupervixit Ariſtoteles, & præſenſiſſe obitum teſtamentum ejus indicat, ſumma cura ſcriptum, [f] & GELLIVS [ff] teſtatur, qui *annos*, ait, *natum jam fere duos & ſexaginta, corpore ægro affectoque ac ſpe vitaque tenui fuiſſe.* Addit is, *omnem ejus ſectatorum cohortem ad eum acceſſiſſe, orantes obſecrantesque, ut ipſe deligeret loci ſui & magiſterii ſucceſſorem, quo poſt ſummum ejus diem, perinde ut ipſo, uterentur ad ſtudia doctrinarum complenda excolendaque, quibus ab eo imbuti fuiſſent. Cum vero & Theophraſtus Lesbius, & Menedemus Rhodius reliquis ingenio & doctrina præſtarent, Ariſtotelem vinum petiiſſe & Rhodium & Lesbium, & utroque guſtato & laudato, dulcius tamen Lesbium prædicaviſſe, ſicque tacita ratione Theophraſtum Lesbium ſe ſucceſſorem velle, hominem ſuavitate inſigni linguæ pariter atque vitæ, indicaviſſe.* Quæ tamen fabulam ſatis aperte redolent. [g] De morte vero

Mors Ariſtotelis.

c) Placuit hoc SCHOTTO *l. c.*
d) Apud LAERTIVM *l. V. ſ. 5.*
e) *l. c. p. 427.*
f) Integrum extat apud LAERT. *l. V. ſ. 11.*
ff) *Lib. XIII. c. 5.*
g) Demonſtravit id cl. HEVMANN. *Act. phil. vol. II. p. 676.*

vero ejus veterum narrationes variant. Quod ſi Antipatri, qui ex diſcipulis ejus fuit, *epiſtola de morte Ariſtotelis* ſupereſſet, certiora forte dari poſſent; ea vero hodie deſideratur: [b] audiendi itaque alii ſunt; inter quos tradunt quidam, [i] propoſitam ei fuiſſe quæſtionem, de mirifica Euripi indole, quam cum ſolvere non poſſet, præ pudore & anxietate mortuum eſſe, vel, ut alii rem enarrant, in litore conſidentem ubi aliquandiu attente eum conſideraſſet, poſtremo præcipitem ſeſe dediſſe in illum, dicentem, *quoniam Euripum Ariſtoteles capere non potuit, Ariſtotelem Euripus jam capiat.* Sed quam parum veriſimilitudinis in hac narratione ſit, ex prima ejus fronte conſpicitur, eaque fide digniſſimorum abunde refutatur teſtium, alia de morte ejus tradentium. [k] Alii aconitum bibiſſe, ajunt, [l] ſive ab Athenienſibus, ut id faceret, perinde ac Socrates, damnatum, ſive eorum ut effugeret judicium; verum & hæc ſine teſtibus, & invita fide hiſtoriæ dicuntur. Quam ſine dubio Apollodorus, Dionyſius Halicarnaſſeus, Cenſorinus, Laërtius, aliique merentur, qui affirmant, [ll] ſtomachi infirmitate eum periiſſe, nimiis vigiliis & ſtudiorum contracta exceſſu. Indefeſſum enim adeo fuiſſe LAERTIVS ait, ut, cum ad quieſcendum ſe componeret, æneam ſphæram teneret in manu, pelvi ſubjecta, eo conſilio, ut dilapſa illa e dormientis manu in pelvim ſubjectam ſono illius expergiſceretur. Clamaviſſe autem in mortis agone conſtitutum: *cauſa cauſarum miſerere mei*, itemque ad diſcipulos dixiſſe: *non ſine ratione dixiſſe Homerum, in terram Deos ſublevandorum hominum cauſa deſcendiſſe*, & quæ alia ejusmodi narrantur, fabulæ ſunt ineptientis Græculi Chriſtiani, qui librum *de pomo* conſarcinavit, [m] indignæ, quibus viri docti calculum adjiciant. [n] Magnis vero honoris teſtimoniis memoriam ejus coluerunt Stagiritani, qui corpus ejus in patriam traduxere, & delubrum atque aram ſuper ejus ſepulchrum excitavere, quod Ariſtoteleum appellaverunt: [o] menſemque, quo id factum ab urbe nominaverunt, ut documentum eſſet reſtitutæ per Ariſtotelem libertatis. Alios honores & laudes poſteriorum temporum poſtea tangemus.

Matrimonium & liberi.

§. IX. Matrimonium duplex Ariſtoteles iniit, primum cum Pythaide Hermiæ ſorore, de qua ſupra egimus: alterum cum Herpylide cive ſua, quacum novo poſt Pythaidis mortem, quam acerbe luxerat, fœdere junctus fuiſſe videtur. Sunt, qui concubinam tantum fuiſſe aſſerant, [p] quod tamen

b) Vid. IONSIVS *de Script. hiſt. phil. l. I. c. 13. pag. 71.*

i) IVSTIN. MARTYR *cohort. ad Græc. p. 34.* GREGOR. NAZIANZ. *Orat. III. p. 79.* aliique.

k) Vid. TANAQ. FABER *Ep. Crit. l. I. ep. 14.* BAYLE *l. c. not.* Z. PATRICIVS *l. c. p. 11.* miramur itaque AVCTOREM *obſ. X. T. VIII. Obſ. Hal. p. 250.* eam repetiiſſe.

l) HESYCHIVS in *Ariſtot.* SVIDAS *l. c.* FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 109.*

ll) Vid. LAERT. *l. c. ſ. 9. 16.* DION. HALIC. CENSORIN. *de die nat. c. 14.* conf. BAYLE *l. c. not.* E. LILIENTHAL. *Sel. lit. obſ. 5. pag. 144.*

m) Videndus omnino FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. II. p. 166.*

n) Fecerunt id COEL. RHODIGINVS *Ant. lect. l. XVIII. c. 31. p. 868.* & nuperrime AVCTOR *Hiſt. crit. phil. T. II. p. 270.*

o) Indicare hanc appellationem delubrum copioſis exemplis docuit FABRIC. *Bibl. Gr. vol. I. p. 257.* conf. *Otium Vindelicum Mel. III. p. 270.*

p) ATHENAEVS *l. XIII. p. 599.* PROCLVS *ad Heſ. op. v. 406.* qui hæc refutat.

tamen, cum Timæum, inimicum erga Ariſtotelem animum gerentem auctorem habeat, ſuſpectum eſt; certum vero cum ea usque ad vitæ exitum concorditer vixiſſe.[q] Ex Pythaide filiam ſuſcepit, ejusdem nominis, quæ SEXTO EMPIRICO[r] auctore, tertio nuptias iteravit. Primum enim Nicanori, Ariſtotelis familiari nupſit, Procli deinde, a quo Proclem & Demaratum Theophraſti auditores filios ſuſcepit; poſtremo Metrodoro,[s] Chryſippi Gnidii diſcipulo, Eraſiſtrati magiſtro, cui filium peperit, quem parentis nomine Ariſtotelem inſignivit. Ex Herpylide filium ſuſcepit, cui a patre Nicomachi nomen impoſuit.[ſſ] Eſt is Nicomachus, a quo magna moralia Ariſtotelis nomen gerunt; ſive quod ad eum ſcripta ſint, quod plerique volunt, ſive quod ipſum auctorem habeant, quod poſt CICERONEM[t] quibusdam viſum eſt. Erat enim Theophraſto cariſſimus, & ſub ejus ductu plurimum in philoſophia profecerat,[u] tribuitque ei SVIDAS[v] octo phyſicorum libros, & ſex libros ethicorum. Vix itaque meretur fidem Ariſtocles apud EVSEBIUM,[w] qui eum, ait a Theophraſto educatum, juvenem poſtea bello cecidiſſe, quod inde refutari poteſt, quod libros ſcripſerit.

§. X. Hæc vita fuit philoſophi, ad tantam famam elati, quantam conſecutus eſt fere nemo. Quem ſi corporis conditione exiſtimes, talem vix credas. Parvis enim erat oculis, voce gracili, cruribus exiguis,[x] & juvenis cum eſſet, lingua hæſitabat,[y] naſoque erat elato, qualem marmor VRSINI[z] exhibet. Quod vero natura negabat, arte effecit, ornatum corporis & veſtimentorum adhibuit, quod diſplicuiſſe Platoni, ſupra ex Aeliano notavimus. Comam enim totondiſſe, barbam raſiſſe, veſtem inſignem geſtaviſſe, veteres affirmant.[a] Valetudine quoque erat infirma, ſtomachique laborabat imbecillitate, quam tamen temperantia & animi moderatione, oleoque calente in olla applicato ſuſtentavit,[b] ſicque ad LXIII. æta-

Corporis & animi virtutes & vitia.

q) Laudat ejus in ſe amorem in teſtamento, unde ſatis de futuris ei proſpexit.

r) *Pyrrh. hyp. l. I. c. 12. ſ. 258.*

s) LAERT. *l. V. ſ. 53.* Anonym. MENAG. *ad* LAERT. *l. IV. ſ. 35.* & ex eo SVIDAS. Erat is celebris medicus Eraſiſtrati præceptor. Conf. LE CLERC *Hiſt. de la Medecine P. II. l. I. c. 2. p. 295.*

ſſ) LAERT. *l. V. ſ. 53.*

t) *De fin. l. V. c. 5.*

u) EVSEBIVS *præp. l. XV. c. 2.*

v) *T. II. v. Nicomachus p. 625.* conf. VOSSIVS *de ſectis l. c.* PATRICIVS *l. c. p. 47.* & quæ ei regerit SAM. RACHELIVS *Intr. in phil. mor. Ariſt. c. 9.*

w) *l. c.*

x) LAERT. *l. V. ſ. I.*

y) PLVT. *quomodo pueris leg. poëtæ T. I. p. m. 37.* AMMONIVS *ejusque interpres.*

z) Inter FVLVII VRSINI *imagines ex marmoribus* extat etiam Ariſtotelis effigies ad radices collis Quirinalis Romæ effoſſa, unde conjecit Vrſinus, eſſe eam, cujus meminit CICERO *ad Attic. l. IV. ep. 9.* quod in ejus muſeo fuerit, unde occaſio ei enata, Ariſtotelis formam in notis deſcribendi, quæ repetiit SCHOTTVS *l. c. p. 152. ſeqq.* qui eam etiam in fronte libri expreſſit, id quod in Wetſteniana quoque editione LAERTII factum eſt. Alias Ariſtotelis imagines exhibet GRONOV. *theſ. Antiq. Græc. T. II. tab. XC.* LAMBEC. *Biblioth. Vind. T. VII. p. 77.* alibique vid. PASCH. *de var. modis tradendi moralia p. 571. Intr. in rem lit. mor. vet. c. II.* quarum tamen pauciſſimæ veram effigiem exhibent. Egregie in ejusmodi imaginem Ariſtotelis a vero abludentem luſit olim CONRINGIVS, apud MAGIR. *Eponymol. crit. p. 75.* ubi inter alia appoſite de vultu Ariſtotelis:

Nulla tamen morum aſperitas non fœda lucerna
Non caput intonſum aut barba caprina fuit,
Annulus ornavit ſapientem, & ſplendida veſtis
Congreſſusque frequens horriditate procul,
Cecropis arx talem eſt venerata atque aula Philippi
Palla decens Phœbo & pulcra Minerva nitet.

Alia de imaginibus Ariſtotelis *l. c.* vide.

a) LAERT. *l. V. ſ. 16.* CENSORIN. *l. c.*

b) *v. ſupra citati.*

ætatis annum tamen vixit. De animi vero virtutibus atque vitiis adeo diſſentiunt non recentiores tantum, ſed & veteres, ut facilius ſit, eorum ſententias enumerare, quam certam ſtatuere. Ex utraque certe parte, tam in laudando, quam culpando eo nimium exceſſiſſe & præjudiciis plus, quam par erat, dediſſe ſcriptores, in confeſſo eſt. Et laudata quidem inſignis, ejus pietas FORTVNIO LICETO ſingulari libro, [c] celebrataque religio & agnitio ſummi numinis. [d] Imprimis vero Iudæi in aſſerendo ſibi ſuisque partibus Ariſtotele inſaniverunt, quorum de Ariſtotele fabulæ, ſi colorem abſurdæ ſententiæ quæras, Clearchum quendam appellant, quem pro Clearcho Peripatetico habent veteres, [e] qui Ariſtotelem in Iudæi Aſiatici notitiam veniſſe tradidit. Etſi enim hæc ex ſerie hiſtoriæ Ariſtotelis falſitatis facile convincuntur, [f] certumque eſt, nunquam in Aſiam veniſſe Ariſtotelem, uti ſupra quoque contra Ammonium demonſtravimus, & hinc ſequitur, nihil ſapientiæ Iudaicæ Iudæum illum Græcum cum Ariſtotele communicaſſe; occaſionem tamen inde arripuerunt Iudæi, eo potiſſimum tempore, quo Peripatetica philoſophia inter ipſos invaleſcebat, & inſanum in modum extollebatur, tantam philoſophiæ & ſapientiæ laudem Græcis invidentes, mentiendi, Ariſtotelem fuiſſe Iudæum de ſemine Iſraelis, Hieroſolymitanum de filiis Kolia, de tribu Benjamin, ut habet R. GEDALIAS. [ff] Alii, qui tam impudentem mentiendi licentiam exhorruerunt, finxere, morti proximum ad Iudæorum ſacra, inſtar proſelyti acceſſiſſe, & ſub vitæ finem librum ſcripſiſſe, in quo ea, quæ antea ſcripſerit, revocaverit, [g] eaque de re ad Alexandrum ſcripſiſſe. [h] Fuerunt etiam, qui Ariſtotelem plagii inſimularent, accuſarentque, illum cum Alexandro M. Hieroſolymam ingreſſum libros Salomonis evolviſſe, & cogitata Salomonis ſuis immiſcuiſſe. [i] Alia a viris doctiſſimis BASNAGIO, [k] FABRICIO, [l] BVDDEO, [ll] WOLFIO, [m] allata tacemus: [n] quorum hic recte pronuntiat, Iudæos hæc omnia propterea confinxiſſe, ut Ariſtoteles ceu gentilis ex proprio ingenio ſapere non videretur, ipſi vero excuſatius Ariſtotelicam philoſophiam, tanquam ex ſuis copiis derivatam, poſtliminio in ſuos uſus converterent: cujus rei ſpecimina ſuo loco complura dabit Iudaicæ philoſophiæ hiſtoria. Nec melius Græculi, qui agnita & implorata divina miſericordia, immo præguſtu Dei inter homines victuri, exſpiraſſe nugati ſunt. [o] Mirandum itaque, cum hæc ſupponantur, non eſt, de ſalute Ariſtotelis æterna aliquos non deſperaſſe,

c) De pietate Ariſtotelis erga Deum & homines & de animarum rationalium immortalitate ſecundum opinionem Ariſtotelis Patav. 1629. fol. Plures de pietate & religione ejus ſcriptores laudat FABRICIVS *l. c. p. 176. ſeqq.*

d) IONS. *de Script. hiſt. phil. l. I. c. 2. p. 7. 8.*

e) IOSEPH. *contra Apion. l. I.* CLEM. ALEX. *l. I.* EVSEB. *præp. l. IX. c. 5.*

f) Conf. IONS. *l. c. l. I. c. 18. p. 98.* BAYLE *l. c. not. B.*

ff) In *Schalſchelet h. p. 102.* ed. Ven.

g) BARTOLOCCIVS *Bibl. Rabbin. T. I p. 476.*

h) Exhibet epiſtolam præter alios IOH. ALENT in *theol. Iudaica hodierna p. b.*

i) HACKSPAN. *de uſu libr. Rabb. p. 284. ad calc. Nizzachon* LIPMANNI, IAC. THOMAS. *de plagio §. 364.*

k) Hiſt. des Iuifs T. III. c. 7. §. 14.

l) Bibl. Græc. T. II. p. 162.

ll) Hiſt. Phil. Ebræor. §. 32. p. 165.

m) Bibl. Hebr. P. I. p. 217.

n) Add. IOH. FRIDERICVS *de religione Ariſtotelis contra Iudæos, Regiom. 1705.*

o) Dictum hac de re ſupra.

raſſe, & neſcio quem ei locum inter illos tribuiſſe, qui ad lucem ſupernaturalem viam inter gentes præpararunt. [p] Certe inter Patres eccleſiæ veteris non defuerunt, qui aſſererent, multos excellentiſſimos & ſanctitate imprimis conſpicuos viros, maxime ex iis, qui ſcholaſticam eruditionem ſecuti fuiſſent, Ariſtotelicæ philoſophiæ ſubſidio ad ſublimiſſimarum veræ fidei doctrinarum cognitionem penitiorem perveniſſe. [q] Gratitudinem porro prædicant, qua non amicos tantum, ſed & patriam atque præceptorem Platonem proſecutus eſt; moderatum item animum, modeſte de rebus magnis ſentientem & multum prius conſiderationem & dubitationem commendantem: [r] veritatis ſtudium tale, quod omnem humanam auctoritatem ei poſtponeret, dicente illo: Amicus Plato, amicus Socrates, magis tamen amica veritas: diligentiam vero improbumque laborem, quantum in paucis ejus ætatis reperias: [s] immo virtus nulla eſt, qua non Ariſtoteles enituiſſe prædicetur. [ſſ] Ex altera vero parte non defuerunt quoque, qui Ariſtotelem, tanquam peſſimum bipedum omnium deſcriberent, nullumque non vitiorum atque ſcelerum genus ei objicerent. Quarum calumniarum fontes ab adverſariis Ariſtotelis profectas fuiſſe, veteres non negant. Nec id Athenis tum florentibus mirandum, ubi cum ſectæ magna invidia invicem flagrarent, nemo fere philoſophorum alteri parcebat. Accedebat, quod apte monet Ariſtocles apud EVSEBIVM [t] Ariſtotelem magna apud principes gratia florentem, & inſigni diſcipulorum numero auctum, hac imprimis ex cauſa odium & inimicitiam aliorum ex æmulatione profectam meruiſſe. Suntque inter veteres plures Ariſtotelis obtrectatores noti, qui nihil prætermiſerunt, ut memoriam Ariſtotelis obtrectationibus denigrarent. Inter hos agmen fere ducebat Timæus Tauromenites, graviter ideo caſtigatus a Polybio, [u] qui audacem illum & levem ac temerarium fuiſſe aſſerit, ac de civitate Locrenſium graviter mentitum, odioſum & ſero eruditum ſophiſtam, qui celebrem pharmacopolæ officinam paulo ante clauſiſſet, præterea paraſitum, qui in aulas atque ædes omnium ultro inſilire ſolitus ſit, & helluonem & cupedinarium ac gulæ ubique ſervientem. Eandem

p) Pertinet huc edita a LAMBERTO DE MONTE *Colonienſi 1487. Quæſtio magiſtralis, oſtendens per auctoritates ſcripturæ divinæ, quid juxta ſaniorum Doctorum ſententiam probabilius dici poſſit de ſalvatione Ariſtotelis Stagiritæ*, de quo libello vid. BAYLE *l. c. not. R.* HEVMANN. *de anon. p. 103.* BVDDEVS *Hiſt. Eccl. V. T. T. II, p. 1973.*

q) EVSEB. *præp. l. XV. c. 8.*

r) AMMONIVS, & Latinus ejus interpres.

ſ) Exemplum ejus ſupra de ænea ſphæra manu detenta attulimus, niſi hoc confictum forte ſit.

ſſ) Inſana prorſus ſunt elogia, quæ recentiores non ſolum, ſed & veteres Ariſtoteli tribuerunt. Omnium inſtar eſſe poteſt inſania Averrois ex merito caſtigata IVSTO LIPSIO *Man. ad philoſ. Stoic. l. I. diſſ. IV. p. m. 17.* & MALEBRANCHIO *de inquir. ver. l. II. c. 7. p. m. 215.* Plura qui cupit, adeat HORNIVM *Hiſt. phil. p. 194.* TH. POPEBLOVNT *Cenſ. cel. aut. p. 32.* TOB. MAGIRVM *Eponymolog. crit. p. 82.* G. PASCHIVM *de inventis nov-antiquis c. II. §. 17. p. 60.* LAVNOIVM *de fort. Ariſt.* paſſim. TRIBBECHOVIVM *de DD. Schol. p. 218.* VOSSIVM *de ſectis c. XVII.* & MELANCHTHONEM in *Apol. A. C. p. 62.* ut innumera exempla taceamus, ſuo loco in hiſtoria hujus philoſophiæ usque ad noſtra tempora diligenter annotanda.

t) *Præp. l. XV. c. 2.*

u) In CONSTANTINI PORPHYROGEN. *Collectaneis*, quas obſtetricante PEIRESCIO. edidit HENR. VALESIVS *p. 46.* & ex eo SVIDAS *loc. cit.*

fere dicam illi ſcripſiſſe Epicurum, [v] ATHENAEVS teſtatur. [w] Nec peperciſſe ait Ariſtocles* Ariſtoteli Alexinum & Eubulidem, neſcio quam Philippi offenſam comminiſcentes, Hermiæque familiaritatem calumniantes; id quod in hominibus Dialecticis, qui omnes ſui temporis philoſophos perſequebantur, mirandum non eſt. Addit is: Democharem, philoſophum malæ fidei & proditionis in Athenas & patriam Stagiram, itemque in Olynthios eum accuſaviſſe; & Cephiſodorum Iſocratis auditorem eum, ut effeminatum & guloſum traduxiſſe, Lyconem vero, Pythagoream philoſophiam profeſſum, impietatem ei, uxore divinis honoribus culta, & ſupellectilem cupediis paratam & his ſimilia objeciſſe. Quæ quidem omnia non valde conſideranda eſſe monet, eo quod Democharis omnium fere calumniator fuerit philoſophorum, Cephiſidorus præceptoris contra Ariſtotelem invidia fuerit accenſus, [y] Lyco aperte mentitus ſit. Et his tamen auctoribus nixus eſt PATRICIVS [z] cum imaginem Ariſtotelis vitiorum maculis contaminatam delinearet, [a] qui ſi eruditioni & infinitæ lectioni animum ab offenſa & injuria, odioque in Ariſtotelem liberum junxiſſet, perfectam nobis, quod valebat, dediſſet hiſtoriam Peripateticam. Tandem, ut malam famam ex ſcriptis enatam quoque memoremus, non plagii tantum, [b] ſed & corruptorum ſcriptorum veterum inſimulatur, & atheiſmi atque impietatis religionem omnem evertentis accuſatur. [c] Tacemus, premi Ariſtotelem ſuſpicione, quod ad tam fœda facinora, quibus memoriam gloriamque ſuam commaculavit Alexander Macedo, eum principiis præceptisque inſtruxerit. Nos, ut decet hiſtoricum, & auctoritatis atque venerationis, & invidiæ odiique præjudicium abjiciendo, nec tantopere laudandum Ariſtotelem putamus, nec deprimendum, ſed diſtincte verſandum, & nec laudibus meritisque ejus detrahendum, nec vitia tacenda exiſtimamus. Et quod ad vitæ rationes attinet, in plerisque calumniam invidiæ filiam, eum contaminaſſe, ea, quæ attulimus, luculenter loquuntur. Nec enim juventutis luxum, nec Hermiæ conſuetudinem, nec moram in aula Philippi aliis teſtibus infamari, quam apertis juratisque Ariſtotelis hoſtibus, ſupra demonſtratum eſt. Illis autem fidem adhibere & veritatis legibus & æquitatis præceptis adverſum eſt. Eodem fundamento lubrico niti objectam erga præceptorem ingratitudinem, ſupra demonſtratum eſt, niſi Ariſtoteli vitio vertatur, quod laudi ducen-

v) Epicurum magnis ſuæ & ſuperioris ætatis viris philoſophis male dixiſſe, LAERTIVS *l. X. ſ. 8.* teſtatur, nec plane negat GASSENDVS *de vita & mor. Epicuri c. V. p. m. 144.* conf. IONSIVS *de Script. Hiſt. phil. l. I. c. 20. p. 108.*

w) *l. VIII. p. 354.* *x*) Apud EVSEB. *l. c.*

y) Conf. IONSIVS *l. c. l. I. c. 13. p. 68.* Iſocratem vero & Ariſtotelem æmulos fuiſſe ex LAERTIO *l. V. ſ. 3.* conſtat.

z) Sentinam vitiorum dixeris, ſi vera ſunt, quæ de Ariſtotele collegit PATRICIVS. Objicit ei phyſiognomiam malam, luxuriem, ſcortorum & puerorum amores, avaritiam, gloriæ cupiditatem, loquacitatem, cavilla & ingratitudinem, æmulationem, invidiam, & hujusmodi alia *l. c. p. 11. 12.* & paſſim. Neque tamen alios auctores laudat, quam quos adduximus.

a) PORPHYR. *vit. Pythag. n. 59. p. 49.* ed. Kuſteri.

b) Conf. IAC. THOMASIVS *de plag. l. c.*

c) *De atheiſmo Ariſtotelis* integram LICETI libro oppoſuit tractationem VALERIANVS MAGNVS; in atheorum quoque claſſe Ariſtotelem collocant PARCKER, *de Deo diſp. I. p. 65. Obſ. Hal. T. VIII. obſ. 10. p. 229. ſeqq.* THOM. FREIGIVS *Orat. p. 489. ſq.* B. BVDDEVS *theſ. de atheiſmo c. I. §. 15.* & *de Spinoziſmo ante Spinozam §. 15.* Rev. WOLFIVS *de Manich. §. XXXV. p. 148.* Plures nominant FABRICIVS *l. c. p. 177.* REIMMAN. *Hiſt. Ath. c. XXVII. p. 182.* BAYLE *l. c.*

ducendum ei esse putamus, quod ausus fuerit, Platonis systema, enthusiasmo magis & fanaticismo quam philosophia prognatum relinquere, & ideas cardinem Platonicæ philosophiæ ridendo, uno halitu cerebrinam philosophiam difflare. Accuratius enim & philosophice magis Aristotelem ratiocinatum, quam Platonem, nemo, qui utrumque sine præjudicio comparat, facile inficias iverit. Gulæ, temulentiæ & his similium vitia facile ab Aristotele removent, tum stomachi imbecillitas, quæ in victu moderatissimum esse coëgit, sine qua temperantia ad LXIII. ætatis annum vitam non prorogasset, tum laboris patientia & pertinacia, quam negare non audet PATRICIVS,[d] quaque dies noctesque, uti supra observavimus, veterum scriptorum volumina versavit. Vitæ vero morumque atque vestimentorum elegantiam, supra philosophorum ejus ætatis consuetudinem, nemo in Aristotele magnopere mirabitur, qui cogitat, a juventute in aula parentisque domo aulicis moribus temperata vixisse, & non scholæ tantum, sed & vitæ philosophiæ studia adaptasse.[e] Alia, quæ ei vitio vertuntur, vel solis inimicorum accusationibus constant, fidemque non merentur, vel recte considerata facile ferri & excusari possunt. In his recte, nisi fallimur, numeramus, quod Alexandrum ita formaverit, ut orbis universi imperium animo complexus, mirabili vitiorum virtutumque mixtura finem obtinuerit. Etsi enim nec negandum est, philosophiæ moralis Aristotelicæ principia multum ad id contulisse, nec laudandum, temperamentum vitiorum pro virtute in ea admitti, adscribendum tamen id est systemati, quod semel constituit Aristoteles, quodque aulæ ratio atque mores postulabant, immo, si rem recte æstimes, quod hodienum in plerisque aulis exprimitur, & maximopere laudatur. Religionis vero Aristotelis conditionem non adeo egregiam fuisse, consideratis principiorum, quæ admisit, sequelis, facile largimur,[f] de atheismo ejus postea, ad philosophiam ejus deducti, curatius tractaturi. Probabile tamen non est, omnem eum religionem publicam contemsisse atque irrisisse : Socratis enim exemplo monitum & cautiorem redditum publicis persecutionibus se exposuisse, & ad decimum tertium tamen annum illæsum durasse, verisimilitudine caret. Veteres diligenter secutum, & infinitam in iis lectionis copiam præ se ferre nemo negabit, qui semel ejus scripta inspexit, quæ vel hoc quoque nomine historiæ philosophicæ studiosis commendanda sunt. Pervertisse tamen haut raro & obscurius quoque exposuisse eorum dogmata, ut facilius ea refutaret, lectoremque ab examine averteret, negari nequit. Culpandusque in eo præcipue est, quod inique cum veteribus egerit, & nec candide satis eorum scita protulerit, & ea tantum fini tantæ lectionis voragini se immersserit, ut omnes

d) l. c. p. 12.

e) Addi his potest, nec magnopere ei vitio verti potuisse, si verum esset, quod tamen satis probari nequit, pharmacopoleo extructo eum quæstum fecisse. Iis enim artibus, a patre erat institutus. Nec respuit philosophia, seplasiarium, cerdonem, servum, ut exemplis hactenus allatis constat.

f) Conferenda, quæ supra §. 7. de accusato impietatis Aristotele diximus.

omnis ætatis philoſophos deprimeret, [ff] qua de re poſtea quoque dicemus, & quæ ejus philoſophiæ vitia ſint, etiam ex temperamento & vitæ ratione, quam ſequebatur, deducenda exponemus. Vt igitur de magno philoſopho ſententiam noſtram aperiamus, inter maxima eum ingenia numerandum eſſe, cum viris doctis [g] inter Ἀριστοτελομαίνοντας minime referendis fatemur, & magnis naturæ, ingenii, & eruditionis atque diligentiæ dotibus inſtructum fuiſſe, aſſerimus; in quo vero ambitio & ſtudium cunctis contradicendi, & aulæ mores, atque conditio Græciæ elegantioris multum contulere, ut illas laudes non meruiſſe cenſendus ſit, quas ei inſani ejus cultores tribuunt.

Scripta Ariſtotelis.

§. XI. Extant magni ingenii & incredibilis diligentiæ Ariſtotelis ſpecimina, ſcripta ejus, quæ ex multis naufragium paſſis evaſerunt. Non enim infinita fere veterum monumenta tantum legit & excerpſit, ſed & magnum librorum numerum ipſe confecit, videndum apud LAERTIVM, [h] cujus diligentiam auxit PATRICIVS, [i] qui librorum titulos in ordinem claſſeſque redegit. Hiſtoriam vero eorum literariam multo, quam Patricius, diligentius enarravit vir in his literis ſummus, IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, [k] cujus labori cum non habeamus, quod magnopere addamus, lectorem philoſophicæ hiſtoriæ amantem ad librum, quo carere is non poteſt, merito remittimus. Pauciſſimos horum librorum vivus exire in vulgus Ariſtoteles paſſus eſt, [l] ſuntque plures, qui interciderunt, [m] quam ii, qui ad nos pervenerunt, hisque admixti ſpurii & falſum Ariſtotelis nomen mentientes, unde incertitudo haud levis criticis non noſtræ tantum ætatis, ſed & veteribus exorta eſt, qui pro genuinis Ariſtotelis fœtibus habendi ſint? Sunt vero, qui hodie ſub Ariſtotelis nomine manibus teruntur, vel logici argumenti, & in his, categoriæ, Pythogrio cuidam a nonnullis tributæ, de interpretatione nominum & verborum, id eſt, de enuntiationum vi ac ſignificatione, quem librum Grammaticam philoſophicam non inepte vocavit RAPINVS; [n] analyticorum priorum libri duo, & analyticorum poſteriorum libri totidem, doctrinam de ſyllogiſmo & de demonſtratione complectentes; topicorum libri octo: locos unde probabilia deſumuntur explicantes; de ſophiſticis elenchis libri II. falſarum argumentationum genera enarrantes. Iunctim hæc ſcripta logica edi ſolent ſub *organi* titulo, eo quod dialecticam ὄργανον ὀργάνων vocet Ariſtoteles, cujus optimam editionem

ff) Obſervant id docti viri paſſim, conf. HORNIVS *Hiſt. phil. p. 197.* PAGANIN. GAVDENTIVS diſſ. exoterica *de Ariſtotelis veterum contemtu Piſ. 1640. 4.* VOSSIVS *de ſect. l. c.* & quos adducit TH. POPE-BLOVNT. *cenſ. cel. auct. p. 32.*

g) Ita de Ariſtotele quoque ipſi ejus inimici & in his PATRICIVS ſtatuunt, qui εὑρετικώτατον, *inventionis maximæ*, atque αἰτιολογικώτατον *in reddendis rerum cauſis maximum* vocat *l. c. p. 12. 252.* Conf. qui eadem fatentur magni viri P. BAYLE *l. c.* HEVMANNVS *act. Philoſ. Vol. I. p. 496.* H. GROTIVS *præf. ad I. N. & G.* aliique a BLOVNTIO & MAGIRO *ll. cc.* adducti.

h) l. V. ſ. 22.

i) l. c. T. I. l. II. p. 13. ſeq. qui obſervat tres viros celeberrimi nominis Ariſtotelicos libros in ordinem antiquitus digeſſiſſe, Hermippum Callimachium Smyrnæum, Andronicum Rhodium, & Adraſtum Aphrodiſeum.

k) Bibl. Græc. Vol. II. p. 109. ſeqq.

l) Conf. PATRICIVS *l. c. p. 71.*

m) Enumerat eos FABRICIVS *l. c. p. 185. ſeqq.*

n) Reflexions ſur la Logique p. 735.

tionem curavit IVLIVS PACIVS ABERIGA.[o] Physici argumenti sunt: physicæ auscultationis, sive doctrinæ naturalis libri VIII. principia & affectiones rerum naturalium explicantes; de cœlo libri IV. de generatione & corruptione libri II. de meteoris libri IV. de anima libri III. parva naturalia, sive libellorum physicorum XI. sylloge; historiæ de animalibus libri X. de partibus animalium earumque causa ac ratione libri IV. de plantis libri II. de coloribus liber, de audibilibus libellus, & de admirandis narrationibus collectio, adversus dogmata Xenophanis, Zenonis Eleatæ & Gorgiæ libelli tres [p] ventorum loca & appellationes; quibus præter librum de mundo, incertum an ad eum referri debeat [q] adjiciuntur, liber de physiognomia; & problematum sectiones XXVIII. Metaphysici generis sunt, metaphysicorum libri XIV. Mathematici, quæstiones mechanicæ, de lineis insecabilibus liber. Ethicam doctrinam exponunt; Ethicorum ad Nicomachum libri X. magnorum moralium libri II. moralium ad Eudemum libri VII. a quibusdam Theophrasto vel Eudemo tributi; de virtutibus & vitiis libellus; de republica libri VIII. de cura rei familiaris liber unus. Rhetoricam exhibent, artis rhetoricæ libri III. rhetoricæ ad Alexandrum liber; Poëticam tradit liber de arte poëtica. [r] Quorum scriptorum Aristotelis editionem Græcolatinam post ISAACVM CASAVBONVM[s] curavit GVILIELMVS DVVALLIVS Parisiis MDCXXXIX. IV. Vol. f. Multa de horum librorum, auctore, argumento, editionibus, interpretationibus, νοθείαις, & quæ his sunt similia, disputantur, quæ tamen nec hujus loci sunt, & occupata jam a FABRICIO, qui adeundus est. Hoc unum notari e re nostra est, fecisse mira fata, quæ omnia Aristotelis scripta cum tota ejus bibliotheca passa sunt, ut non levis scrupulus viris cautis subnatus sit, utrum genuini sint, qui ad nos pervenerunt, libri Aristotelis, nec ne? Rem a STRABONE, [t] PLVTARCHO, [u] ATHENAEO, AMMONIO, & ex his a recentioribus multis [x] passim enarratam paucis sic habe: Cum primus Aristoteles bibliothecam construxisset, eam cum scriptis suis Theophrasto, quem successorem designaverat, tradidit: Theophrastus omnes libros suos Neleo Scepsio testamento legavit; is deportatos Scepsin moriens hæredibus reliquit, viris ἰδιώταις, quique nulla eruditione tincti erant, eosque sine ordine asservabant. ATHENAEVS [y] vero refert: a Neleo Ptolomæo Philadelpho venditos Aristotelis libros fuisse, & Alexandrinæ bibliothecæ illatos, in qua sine dubio in magno illo incen-

o) *Francof. apud hæredes Wechel. 1598. 8.* quæ editio præstat prioribus.

p) Hos libellos solos & mechanica, quod sine dubio Aristotelis sint, controversia vacare contendit PATRICIVS *l. c. p. 26. 34.* & tamen merito dubitari ait IONSIVS *l. I. c. II. p. 56. de S. H. P.*

q) Vindicat Aristoteli FABRICIVS *l. c. p. 127. seq.* Adeo vero dogmata aperte Platonem & Zenonem redolentia Aristotelis doctrinæ repugnant, ut in eam GASSENDVS ingressus sit sententiam. Aristotelem sub vitæ finem animum mutasse; id quod absque teste & verisimilitudine dicitur. Rectius itaque eum, quem nunc habemus, librum abjudicari Aristoteli luculenter, nisi fallimur, demonstravimus, & rationibus FABRICII satisfecimus in *Otio Vindel. Mel. II. p. 120. 174. seqq.*

r) His accedunt philologica quædam.

s) Vtimur nos editione Lugdunensi *1591. fol. Vol. II.*

t) *l. XIII. p. 609.*

u) In *Sylla T. V. p. 143.*

x) Excitavimus potiores *in Otio Vindelico Mel. I. §. 6. p. 80.* inter quos maxime videndus est P. BAYLE *Dict. T. IV.* art. *Tyrannio not. D.*

y) *l. I. p. 3.*

cendio, a Iulio Cæſare excitato, conflagraverunt; id quod vel de quibusdam tantum Ariſtotelis ſcriptis vel de ἀπογράφοις inde deſumtis intelligendum eſſe videtur. Intelligentes vero Nelei hæredes, magna cura colligere Attalicos reges Pergami bibliothecam, quibus tunc parebant Scepſii, theſaurum iſtum librarium in ſubterranea ſpecu temere condiderunt, in qua ultra CXXX. annos delituerunt, quo tempore quam labem quamque injuriam ab aëre vermibusque paſſi ſint, facile intelligi poteſt. Poſtremo ex Ariſtotelis & Theophraſti progenie quidam protractos corruptosque vendidere Apelliconi Tejo, homini peripateticæ philoſophiæ amatori, qui cum opibus maxime valeret, aliasque bibliothecas coëmiſſet, hanc quoque Ariſtotelis magno ære redemit. Et curam quidem librorum, ſitu & vermium corruptione ſqualentium habuit Apellico, doctrina tamen ad eos emendandos impar: is itaque libros illos Ariſtotelis deſcribendos curavit, eorumque qui detrimentum aliquod paſſi erant, lacunas male ſedula diligentia explevit, unde non potuere non codices fieri corruptiſſimi. His cum accederent manus aliorum, doctrina quidem Peripatetica non deſtitutorum, ſed qui ex ingenio locis corruptis medelam afferre tentabant, & ubi codices defecerant, conjectura in innumeris locis utebantur, Ariſtotelis ſcripta alia fere reddidere, quam ex manu auctoris ſui prodierant. Auxere hanc incertitudinem Romani: ſtatim enim poſt Apelliconis mortem Sylla occupatis Olymp. CLXXIII. 4. Athenis, bibliothecam illam involavit, Romamque deportari curavit. Ibi nactus veniam utendi codicibus Ariſtoteleis a bibliothecariis Tyrannio Grammaticus, Ariſtotelis ſtudioſiſſimus, frequentiorem eorum editionem fecit, tum librarii quidam, amanuenſibus minus doctis uſi, neque cum exemplari deſcripta comparantes infinitam corruptarum lectionum farraginem produxerunt. Fecit vero mira hæc librorum Ariſtotelis viciſſitudo admodum incertam doctrinam Peripateticam. Antiquiores enim poſt Theophraſtum Peripatetici, genuinis Ariſtotelis libris deſtituti, cum non alios, niſi exotericos, eosque pauciſſimos haberent, nullam partem philoſophiæ ad mentem Ariſtotelis accurate poterant explicare: & qui poſt vulgatas editiones ex Tyrannionis ἀπογράφοις, manus interpretandæ Ariſtotelis philoſophiæ admoverunt, aſcititia a nativis, aliena & ſpuria a genuinis diſcernere non poterant. Ex qua librorum Ariſtotelicorum hiſtoria, quantum innumeris, quos poſtea paſſi ſunt, interpretum commentariis[z] tribuendum ſit, liquet.

Philoſophiæ Peripateticæ conſideratio generalis.

§. XII. Comprehenditur his in libris ea Peripateticæ philoſophiæ ſumma, qualem poſt reſtitutam inter Romanos ſcholæ huic faciem nativam exhibuere Ariſtotelis interpretes. Qui enim eos anteceſſerunt Peripateticæ ſectæ doctores, nullam philoſophiæ partem accurate potuiſſe explicare, in antecedentibus monuimus. Philoſophia itaque Ariſtotelis, quoad ea

z) Adjiciuntur catalogi interpretum Operibus Ariſtotelis editionis Caſaubonianæ & Duvallianæ, ſed non ſatis digeſti, potiores indicant PATRICIVS & FABRICIVS *ll. cc.* itemque SCHOTTVS *l. c.* Add. PHIL. LABBEI *brevis conſpectus Ariſtotelis & Platonis Græcorum interpretum typis editorum Paris 1657.*

ea in libris ejus, hodie ſub ejus nomine extantibus, comprehenditur, ſummatim jam exhibenda eſt. Antequam vero ὡς ἐν συνόψει celeberrimi philoſophi ſyſtema lectori exhibemus, præmonenda quædam ſunt, ſine quibus fruſtraneum prorſus ſuſcipiemus laborem; ad ea itaque attentum eſſe jubemus lectorem intimas rationes ſyſtematis Ariſtotelici noſſe cupientem. Scilicet

I. Ineluctabilis obſcuritas ſcriptorum Ariſtotelis.

I. Tanta eſt obſcuritas ſcriptorum Ariſtotelis, quam partim ipſe deſtinato iis induxit conſilio, partim e variis circumſtantiis fatisque, quæ acciderunt, renata eſt, ut non diffiteantur, qui intime rimati fuiſſe mentem Ariſtotelis videntur, tantum non impoſſibile eſſe, in veram philoſophi mentem atque ſententiam penetrare, hasque tenebras penitus diſcutere. Magnus hic ſe nobis offerret campus, in conſiderationem ſcriptorum Ariſtotelis, eorumque partium tum externam tum internam exſpatiandi, ſi id noſtrum pateretur inſtitutum, finesque hiſtoriæ philoſophiæ univerſali poſiti, vel repeti & augeri atque illuſtrari poſſent ea, quæ de hoc argumento PATRICIVS & imprimis vir doctiſſimus PETRVS IOANNES NVNNESIVS [a] dixerunt. Sed in compendium breve contrahenda ſunt omnia, eaque dicenda tantum, quæ lectorem cautum atque providum in examinanda Ariſtotelis philoſophia facere poſſunt. Præmonendum vero eſt, Ariſtotelem non in figuris atque dictione poëtica, neque in dialogorum anfractibus, ut præceptor ejus Plato fecit, latere voluiſſe, nec fabularum integumentis ſe texiſſe, evitaviſſe etiam Pythagoreorum numeros atque ſymbola, & affectatam Heracliti obſcuritatem, ſed dictionem maxime propriam adhibuiſſe, & tamen adeo mentem ſuam atque ſententiam veram abſcondiſſe, ut ipſe ad Alexandrum M. de vulgatis ab eo editisque philoſophiæ ſuæ myſteriis ſcripſerit: [b] *acroamaticos libros, quos editos quereris, & non perinde, ut arcana abſconditos, neque editos ſcito eſſe, neque non editos; quoniam ſcilicet iis ſolis, qui nos audiunt, cognobiles erunt.* Effecit vero id partim philoſophandi genere, partim ſcribendi modo: cum enim arcanam philoſophorum methodum, ob innumeras, quas philoſophorum ſecuritati & auctoritati præſtabat, utilitates ſervare voluiſſet, neque tamen eadem, ut reliqui, qui ante eum iſta docendi ratione uſi erant, via incedere conſtituiſſet, aliter rem aggreſſus eſt. Scilicet Socraticæ apud Platonem methodo diſputandi innutritus ſæpe numero philoſophorum ante ſe opiniones affert, exponit, roborat, examinat, diſcutit, refutat, idque tam ſubtiliter, & nunquam fere addito mutatæ orationis ſeriei indice, ut incertus hæreat lector, num de ſua vel de aliorum opinione loquatur, quod multos decepit interpretes, ut Ariſtotelis eſſe putaverint, quæ aliorum philoſophorum ſunt, quæque a domeſticis ejus opinionibus, non niſi ſumma adhibita attentione, diſtin-

a) In oratione, *de cauſis obſcuritatis Ariſtotelis earumque medela, Inſtitutionibus Peripateticis* adjecta, de qua ſupra. Eam ſeparatam quoque cum BART. IOS. PASCHALII Or. *de optimo genere explanandi Ariſtotelem*, & IO. BAPT. MONLORII Or. *de utilitate analyſeos Ariſtoteleæ* recudit WECHELIVS *Francof. 1591. 8.*

b) GELLIVS *l. XX. c. 5.*

distingui possunt. Hunc in finem sæpe aliorum scripta consulit, quæ devoravisse legendo supra docuimus, exque iis multa in rem præsentem affert, raro tamen eos indicat fontes, unde sua desumsit, quod non potest non ingentem parere difficultatem. Ipsa vero philosophiæ ratio apud Aristotelem has obscuritatis causas magnopere auget. Vtitur enim plerumque notionibus abstractis, universalibus, & novas ac insolitas ideas rerum excitantibus, & dum metaphysica veste philosophiam naturalem & moralem induit, non deformem tantum, sed & præter naturalem & alienam reddit ejus faciem, quam vix agnoscunt, qui non ipsam quasi cogitandi naturam in ejusmodi terminorum & notionum personas transmutant. Sæpe numero quoque ideis notionibusque indeterminatis vagisque adhibitis, cum ipse claram certamque cogitationum ideam non haberet, lectorem mire delusit, corvosque vacuos dimisit hiantes. Accedit his summa, quam affectabat brevitas; supposita multa tanquam nota, quæ lectorem tamen fugiunt, quæsitæ enunciationes rotundæ, & dictio strictissima; probationes vel plane non, vel alieno loco ob nimiam brevitatem positæ; & quæ alia sunt, quibus vere illud HORATII evenit:

- - brevis esse laboro,
obscurus fio. - - -

Cumque mathematicarum disciplinarum esset peritissimus, multa ex iis quoque translata in philosophiam, præcipue naturalem, quæ non nisi ab illarum peritissimo intelligi possunt, & alienis rebus applicata miram obscuritatem pariunt. Laborat etiam exemplorum, quibus dicta illustrat paucitate, quæque affert obscuriora sunt, quam res patitur, quam illustrare aggreditur. Sunt quoque in Aristotelis scriptis plusçula sibi contradicentia, quæ nullis interpretationis sanæ artibus & regulis in concordiam redigi possunt, sive is revera diversis temporibus scribens aliter senserit, mentemque mutaverit, sive dormiente attentione negligentior factus ad systematis rationem & nexum non semper respexerit, sive aliter prorsus intelligi voluerit; quæcunque enim ejus rei causa est, necessariam ea parit obscuritatem. Vt vero magis lateret, scribendi rationem in subsidium vocavit, multisque nominibus in eadem re utitur, sæpe res diversas una eademque voce designat, qua nominum ambiguitate, cum nullibi fere nominum vocumque definitiones addat, totum incertum reddit lectorem, qua potissimum significatione sit intelligendus. Addit his Nunnesius, ipsam sermonis proprietatem, minus usitatam, quam presse sæpius secutus est Aristoteles, obscuritatem gignere, idque vocis ἐντελέχεια exemplo luculenter illustrat. Tacemus particularum singularem in Aristotelis scriptis usum, abruptumque haud raro sermonem, magnis quasi passibus ad id quod demonstrare instituit, grassantem, qui lectorem respirare, & colligere cogitationes non sinit, ut evanescant, quæ antea legentis impressa sunt memoriæ. Constructiones rariores & a communi dicendi inter Græcos genere dissonantes, quas argumento philosophico miro artificio, sed non sine obscuritatis effectu,

effectu, applicabat, prætermittimus. His cauſis obſcuritatis Ariſtotelis internis accedunt externæ plurimæ. Quis enim certum ac indubium aliquid ſperet ex libris ſitu, ſqualore vermibusque corruptis, & ab imperitis manibus emendatis? quis non aliena ex conjectura ſupplentium plurima acceſſiſſe conjiciat? & quis genuina ab adulterinis, aſſuta a nativis diſcernat ſatis, & veram Ariſtotelis mentem definiat? Dedit vero fatum hoc ſcriptorum Ariſtotelis aliam quoque obſcuritatis cauſam; everſus enim ordo librorum Ariſtotelis, immo totius ſyſtematis, & confuſa plurima, ita ut naturalis ratiocinandi via, qua inceſſit philoſophus, non pateat, & per ambages & errores lectores deducantur, incerti, quo tendant, quove ducantur. Cumque pauciſſimi inter editos libri ſint, de quibus non dubitatum ſit, an Ariſtotelem parentem agnoſcant, mirum non eſt, cautum providumque veteris philoſophiæ interpretem prorſus incertum reddi, quid pro Ariſtotelico habendum ſit, quid rejiciendum pro ſpurio? Addi his poſſent plura, &, qua ratione infinita interpretum cohors ſuas opiniones & cogitationes obſcuro Ariſtotelis textui adplicans, & in diverſiſſimas explicationes trahens, multum has obſcuritatis cauſas, auxerit, oſtendi, quantasque tenebras Ariſtoteli induxerint Arabum commentarii, in ſcholas quoque Occidentis introducti, exponi; niſi in ſecunda hiſtoriæ hujus periodo latius de his differendi occaſio ſe offerret. Cum itaque nec ipſe ſemper Ariſtoteles clare intellexerit, quid dicat, ſtatuatve, nec alios, niſi quos admiſit, intelligere id voluerit, totque modis ea, quæ reſtant, corrupta ſint, quis non cum Themiſtio [c] fateatur, dementiæ ſimile eſſe, ſi quis legendis libris illius ſperet, ſe ſententiam illius conſecuturum. [d]

II. Ipſe præterea ſcopus, quem in condendo philoſophiæ ſyſtemate Ariſtoteles reſpexit, conſiderandus eſt, qui homini ſupra modum ambitioſo & elati animi is potiſſimum fuit, ut ſuper omnes ſe philoſophos efferret, & novum ac diverſum ab eorum dogmatibus ſyſtema condendo, novæ ſectæ auctor fieret, quæ reliquorum lumina extingueret, & acuminis gloriam ipſi conciliaret. Hoſpitem plane atque peregrinum eſſe oportet in ſcriptis Ariſtotelis, qui hoc non palpat. *Ille enim*, verbis utimur acutiſſimi LVD. VIVIS [e] eleganter hac de re commentantis, *ut indefeſſo illo ſuo ſtudio omnes, quotquot ante ſe quicquam ſcripſerant, evolverat, legerat, excuſſerat: ita neminem præterivit, quem non carperet, ratus, tantum in ſe derivaturum gloriæ, quantum aliis omnibus ademiſſet, tanquam ſublimior eſſet ceteris acutiusque ac longius proſpiceret.* Acuteque in hanc rem dixit magnus VERVLAMIVS. [f] *Ariſtotelem more Ottomanorum, putaviſſe, regnare ſe tuto haud poſſe, niſi fratres ſuos omnes contrucidaſſet.* Multum vero labis inde in ipſam philoſophiæ Ariſtotelicæ conſtitutionem irrepſit. Cum enim non tam rebus ſæpe, quam verbis, ſententias innovaret, iisque, quæ non ſine veritate atque experien-

II. Scopus philoſophiæ Ariſtotelis.

c) Apud NVNNES. *l. c. p. m. 5.*
d) Conf. PATRICIVS *l. c. p. 37. Otium Vindel. Mel. I. §. 9. p. 105. ſeqq.* L. VIVES *de corrupt. art. lib. I. pag. m. 56.* qui dicta mire illuſtrat.
e) *De cauſ. corrupt. art. l. I. p. m. 26 ſeq.*
f) *De augm. ſcient. l. III. c. 4. T. I. Opp. p. m. 212. ſ.*

tia dicta ſunt a veteribus, novam tamen opponere philoſophiam vellet, neceſſe fuit, veterum ſententias partim corrumpere, partim eas rejiciendo inanes & a vero alienas eligere, partim incertis vagisque vocibus vacuis ſenſu vero principiis philoſophiam replere, partim ad λεπτολογίας confugere, & his omnibus obſcuritatis affectatæ beneficio inter ſe connexis gloriam apud rerum imperitos in argumento ſæpe difficiliori comparare. Quod quam vehementer acumini ejus ingenii naturali & veritatis inventioni, cui aptiſſimus natura erat, obſtiterit, tota ejus philoſophia & imprimis naturalis probat.

III. Philoſophia aulæ moribus aptata.

III. Fuit vero alia quoque vitæ Ariſtotelis circumſtantia, quæ haud exiguum in philoſophiam ejus influxum habuit. A pueritia enim in aula Amyntæ cum parente Nicomacho verſatus vitæ aulicæ mores & elegantiam aſſumſit, & in alteram quaſi naturam tranſire paſſus eſt. Poſtquam vero a Philippo rege Alexandri M. præceptor electus eſt, occaſionem habuit philoſophiam regulis aulæ, & ambitioni ejus, quem educabat, attemperandi. Relicta itaque imaginaria republica Platonis, cum Socratica quoque ethica videretur nimis humi ſerpere, totam philoſophiam moralem ita formavit, ut & Alexander M. & qui ejus amici erant, vel ſub Ariſtotele duce ad gloriam & dignitates graſſabantur, animum inde ita formare diſcerent, ut fine optato fruerentur. Diligenti tantum ethicæ Ariſtotelicæ inſpectione opus eſt, ut hac de re convincamur, & vel ſola virtutis definitio & connexio ſatis de iſto Ariſtotelis ſcopo loquitur. Ex quo patet, quam miſere ſe decipi paſſus ſit orbis philoſophicus, qui per tot ſecula veram felicitatis moralis viam in ethica Ariſtotelis inveniri poſſe ſibi perſvaderi paſſus eſt.

IV. Philoſophia naturalis incerta & vaga.

IV. Neque circa phyſica dogmata ſine conſideratione generali dimittendus eſt Ariſtoteles. Diximus ſcilicet, conſtituiſſe philoſophum ab omnibus phyſicis ante ſe abire, novumque ſyſtema effingere. Satis hoc in libris phyſicis, præſertim in libro de anima, & quem contra Zenonis Xenophanis & Gorgiæ dogmata ſcripſit, prodidit. Ita vero a clara & naturalem ſcientiam juvandi apta methodo, materiam per particulas conſiderandi minimas diſcedens, alia principia excogitare coactus eſt, quæ iis opponantur; nam Platonis quoque materiam, ſemper fluxam & per partes minimas mutabilem reſpuebat. Cum vero ideas quidem per ſe exiſtentes τερετίσματα eſſe atque difficiles nugas intelligeret, naturam tamen rerum in ſpeciebus formisque ejusmodi rerum quæreret, ad principia phyſica, Platonis non meliora, delapſus totam rerum naturalium ſcientiam corrupit, & principia nobis obtruſit, iſto nomine minime digna, quippe quæ nec clara, nec aliter niſi in mentis abſtractione extantia, ideisque vagis vocibusque nihili expreſſa, naturam rerum magis abſcondunt, quam exponunt. [g]

V. Ne-

g) Elegantem de his nævis ſatyram in phyſica præcepta Ariſtotelis exhibent *Menagiana T. II. p. 9.* repetitam, & annotationibus doctiſſimis illuſtratam in *Actis philoſ. vol. III. p. 1. ſeqq.*

V. Neque prætermittendum hic eſt, adhibuiſſe Ariſtotelem, exemplo Platonis edoctum, cui in nulla re eruditione & ingenii acumine cedere volebat, ſæpiſſime mathematicarum diſciplinarum ſubſidia, negarique nequit, non ubique male id illi ceſſiſſe. Verum, cum nimiam brevitatem & obſcuritatem ſectatus ſit, & rationibus mathematicis expreſſerit, quod natura ſua ab iis valde abhorret, non difficilis tantum intellectu, ſed & alienus haud raro ab argumenti nativa facie factus eſt. Cui num medelam adhibuerit IOSEPHVS BLANCANVS,[b] dicent, qui ejus librum viderunt. *V. Mathematica intempeſtive immixta.*

VI. Etſi vero multa in Ariſtotelis philoſophia, immo plura, quam inſanis ejus admiratoribus videtur, deſiderari omnino poſſunt debentque; improbandus tamen eorum mos eſt, qui nihil dignum laude in ea deprehendunt, nec ſe philoſophari recte poſſe credunt, niſi in totum Ariſtotelem & quæcunque ejus nomen gerunt, debacchantes, cuncta proculcent, nullaque in re pretium ei ſtatuant, cum tamen nec ubique dormiverit Ariſtoteles, & haud pauca dixerit tanto ingenio digna, licet fateamur, ipſum ſyſtematis habitum atque naturam, magnis nævis non carere,[i] improbemusque morem eorum, qui melioribus & ſanioribus ſpretis, exſangue Ariſtotelicæ philoſophiæ cadaver cœco ſeqvuntur applauſu atque obſequio. Imprimis vero laude digna eſt Ariſtotelis in exotericis diſciplinis, poëtica imprimis & rhetorica eruditio, quæ magnum ſatis ingenium prodit, a plerisque tamen neglecta eſt. *VI. Ariſtotelis philoſophiæ non omne denegandum pretium.*

§. XIII. Vt vero ſpeciali magis delineatione Ariſtotelis philoſophiam depingamus, paucis eam, qualem libri, qui ſub ejus nomine ambulant, exhibent, conſiderare juvat, prolixiora vero apud eos quærere jubemus, qui poſt renatas literas in genuinum librorum Ariſtotelis ſenſum & philoſophiam haud infeliciter inquiſiverunt. Quos quia ad recentiora tempora, ultimamque hiſtoriæ philoſophicæ periodum delapſi, ex inſtituto nominabimus, brevitati conſulentes eos hoc in loco prætermittimus. Diviſit vero, exponente LAERTIO,[k] Ariſtoteles philoſophiam bifariam, aliam enim in agendo, aliam in contemplando conſiſtere ait, eamque practicam, hanc theoreticam dixit. Huic inſtrumentalem ſubjecit, logicam. Quam philoſophiæ diſtinctionem non ab eo excogitatam fuiſſe, ſed ex Platonis philoſophia transſumtam, ex Platonicæ philoſophiæ delineatione ſupra allata, manifeſtum eſt. Logicæ autem hanc potiſſimum rationem habuit: *Logica Ariſtotelis.*

I. Scopus logices duplex eſt, veriſimile ac verum, ſive veritas probabilis & certa. Ad illam tendit dialectica, quæ probabilibus rationibus de veritate differit; ad hanc analytica, quæ certis demonſtrationibus nititur.[l]

b) De locis in Ariſtotele mathematicis Bonon. 1615. 4. conf. ERASMVS apud TH. POPEBLOVNT. *Cenſ. cel. aut. p. 34.*

i) De cenſoribus & reprehenſoribus Ariſtotelis infinita dici poſſent, quæ tamen alieni ab hoc loci ſunt. Omnibus fere præferendus eſt GASSENDVS in *Exercitationibus paradoxicis adverſus Ariſtoteleos.* Plura hac de re ad recentiora tempora deducti dicemus.

k) Lib. V. ſ. 28.

l) ibid. Dialecticam recte differendi facultatem vertit ALDOBRANDINVS, eo quod tota ad differendum tendit. Hinc CICERO *de fato*, totam logicam differendi rationem vocat, eo quod huic ſcopo totam logicam ſubordinabat, & ad hunc finem omnia

II. Veritas vero demonſtratur, deque ea differitur per ſyllogiſmum, vel demonſtrativum & analyticum, vel topicum & dialecticum; ſyllogiſmus enunciationibus conſtat, enunciationes terminis ſimplicibus.

III. Terminus trifariam diſtinguitur, in homonymum, ſynonymum & paronymum. Homonymus eſt, qui commune nomen de rebus diverſis adhibet; ſynonymus, ubi nomen & rei definitio conveniunt; paronymus, quo denominata, eadem de re, caſu & terminatione differunt. [m] Solent Peripatetici doctores his, quæ anteprædicamenta vocant, addere terminum analogum, quo idem nomen uni rei primario, alteri ſecundario & improprie convenit, & præmittere doctrinam de prædicabilibus, ſive modis prædicandi generalibus, ad quæ, quoniam peculiari tractatione de iis nihil dixit Ariſtoteles, PORPHYRIVS introductionem ſcripſit; quorum prædicabilium quinque numerant, genus, ſpeciem, differentiam, proprium & accidens, qua de re Peripateticæ logicæ, quæ ubique hæc myſteria crepant, conſulendæ ſunt.

IV. Termini univoci ad decem claſſes generales revocantur, quæ categoriæ, ſive prædicamenta vocantur. Doctrina illa ex Pythagorica ſchola deſumta, quæ cum numerum denarium omnium perfectiſſimum haberet, intra eum omnes prædicamentorum claſſes concluſit, primusque Archytas Tarentinus fuiſſe dicitur, qui hanc entium ſcalam conſtituerit: a quo cum didiciſſet hanc ſapientiam Plato, cum eo in Italia converſatus, Ariſtoteles myſteria præceptoris vulgando, arcanam doctrinam propalaſſe fertur. Ita quidem FR. PATRICIVS, [n] qui Simplicii & Iamblichi auctoritate utitur, libellum περὶ τᾶ παντὸς, Archytæ tribuentium, ut plagii hac in re Ariſtotelem inſimulet. Et Archytæ quidem libellum hodienum ſupereſſe infra ad Pythagoreos deducti, docebimus, Ariſtotelem tamen ſua huic ſurripuiſſe, ſine teſtibus dicitur. Nec alia forte ratio eſt, quæ ante Patricium LVDOVICVM VIVEM, [o] & poſt eum IONSIVM [p] movit, ut libelli de categoriis, qui Ariſtotelis nomen gerit, auctorem hominem Pythagoreum vel Platonicum eſſe ſuſpicarentur; ſine cauſa forte gravi, cum veteres, teſte AMMONIO [q] librum de categoriis inter genuinos numerare non dubitaverint.

V. Referuntur vero decem iſtæ entium claſſes vel ad ſubſtantiam, quæ per ſe exiſtit, vel ad accidens, quod eſt in alio, tanquam in ſubjecto.

VI. Subſtantia eſt vel prima, quæ maxime proprio ſenſu ita dicitur, & de

omnia referebat Ariſtoteles. Id quod probe notandum, quia ſine eo intelligi nequit, cur prædicamentorum, & enunciationum doctrinam ad logicam retulerit, & Grammaticam magis philoſophicam, quam artem ratiocinandi nobis dederit. Græci enim ex communi loquacis patriæ more pulchre ſibi philoſophati fuiſſe viſi ſunt, ſi pulchre de rebus diſſeruiſſent. Et ex his illuſtranda ea ſunt, quæ habet LAERTIVS *l. c.* qui totam logicam Ariſtotelis ad diſſerendi artificium tranſtulit.

m) De categor. c. I. T. I. opp. p. 8.

n) Diſcuſſ. Peripatet. T. II. l. I. p. 182.

o) De cauſis corrupt. art. l. III. p. m. 97. qui obſervat quoque, hæc ad primam philoſophiam non ad logicam pertinere. Quorum prius verum eſt, poſterius falſum, ſi Ariſtotelis ſcopum conſideres, qui genera rerum ad conſtituendas definitiones ex iis depromſit.

p) De Script. Hiſt. philoſ. l. I. c. 2. p. 4.

q) l. c.

de altero neque prædicari poteſt, neque ei inhærere; vel ſecunda, quæ in prima ſubſiſtunt, ut genera & ſpecies.

VII. Accidentis novem genera atque claſſes ſunt: quantitas, relatio, qualitas, actio, paſſio, quando, ubi, ſitus, habitus. [r]

VIII. Quantitas eſt vel continua vel diſcreta; quæque nec contraria habet, nec admittit magis & minus & denominat res, ut dicantur quantæ, æquales vel inæquales.

IX. Relatio eſt, cujus tota natura ad alium refertur: & admittit magis & minus, & natura ſua relata facit ſe conſequentia, & natura conjuncta.

X. Qualitas eſt, a qua res dicuntur quales, habetque quatuor ſpecies; naturalem diſpoſitionem & habitum, naturalem potentiam & impotentiam, paſſionem & paſſibilem qualitatem; formam & figuram. Ea vero & intendi atque remitti poteſt, & admittit contrarietatem; & denominat res, ut dicantur ſimiles & diſſimiles.

XI. Actio & paſſio, illa agentis, hæc patientis motum ſignificat, & admittunt contraria poſſuntque intendi & remitti.

XII. Quando tempus, ubi locum, ſitus & habitus externas hujus nominis circumſtantias rei ſitæ vel habitu veſtitæ innuunt.

XIII. Poſt prædicamenta hæc conſiderandi ſunt termini, qui ad hoc claſſium rerum ſyſtema reduci nequeunt, ſuntque 1. oppoſita, quæ vel relative, vel contrarie, vel privative, vel contradictorie ſibi opponuntur, 2. prius, 3. ſimul, 4. motus, 5. habere. [s]

XIV. Ex terminis componitur enunciatio vel propoſitio, quæ ad doctrinam de interpretatione proprie pertinet. [t]

XV. Vox mentis conceptuum ſignum eſt, qui cum vel ſimplici perceptione, quæ nec vera nec falſa eſt, vel perceptione, quæ ex vero & falſo participat, percipiantur, vocem faciunt vel ſimplicem & incomplexam vel complexam.

XVI. Nomen eſt vox ex inſtitutione ſignificans, ſine connotatione temporis, cujus nulla pars per ſe ſignificat & ſeparatim.

XVII. Verbum eſt vox connotans tempus, cujus nulla pars per ſe aliquid poteſt ſignificare, & eſt ſemper nota eorum, quæ de alio dicuntur.

XVIII. Oratio eſt vox ex inſtituto ſignificans, cujus pars ſignificat ſeparatim.

XIX. Inter orationes ea ſola enunciativa eſt, & ad hermeneuticam ſpectat,

r) Multum vapulat Ariſtoteles recentioribus VIVI, GASSENDO aliisque *ll. cc.* quod rerum omnium claſſes intra decenarium numerum concluſerit, cum plures admittant. Culpa vero non tam in Ariſtotelem, quam Pythagoreos primos doctrinæ hujus inventores conjicienda eſt, qui decenario numero perfectiſſima abſolvebant.

s) *ib. c. 10. T. I. p. 17. ſeqq.*

t) Ipſe ARISTOTELES librum *de interpretatione* inſcripſit *T. I. p. 11.* Tanti hanc doctrinam fecit ISIDORVS *Orig. l. II. c. 27. ut non atramento ſed mente calamum tinxiſſe* diceret. SANCTIVS vero *Minerv. l. I. c. 5. p. m. 37.* indignum librum & tractationem Ariſtotelis nomine judicat: conf. PATRIC. *T. I. l. III. p. 21.* Medium nos tenendum cenſemus, & cogitandum, Ariſtotelem ut ipſe *c. 6.* fatetur, hæc ſcripſiſſe *πρὸς τὰς σοφιστικὰς ἐνοχλήσεις, contra ſophiſtarum moleſtias*, quo fine ceſſante, pleraque Ariſtotelicæ dialecticæ, quæ ſuo tempore non contemnendum in his uſum præſtitit, inutilia ſunt & difficiles nugæ.

ctat, quæ verum vel falſum ſignificat, reliquæ ad rhetoricam & poëticam pertinent, conſtatque ea ſubjecto & prædicato, & copula.

XX. Propoſitiones quinquevariam dividuntur, in ſimplices & complexas, affirmantes & negantes, univerſales, particulares, indefinitas & ſingulares, impuras & modales. Modales ſunt vel neceſſariæ vel poſſibiles, vel contingentes, vel impoſſibiles.

XXI. Propoſitionibus porro accidunt tria, oppoſitio, æquipollentia, & converſio.

XXII. Oppoſitio vel contradictoria eſt, vel contraria vel ſubcontraria.

XXIII. Aequipollentia eſt, per quam duæ propoſitiones eandem rem ſignificant, atque una ſimul veræ eſſe vel falſæ poſſunt.

XXIV. Converſio eſt terminorum tranſpoſitio, ita ut affirmatio & negatio cum veritate tamen eadem maneat. Attendit in hac enuntiationum conſideratione Ariſtoteles non ad conceptuum, qui verbis exprimuntur naturam, ſed ſermonis proprietatem, ut ita logicam ſophiſtis in verborum cavillationibus artem quærentibus præſidium opponeret: unde multa hac in re dicta ſunt, quæ attentione ad idearum intellectus naturam habita, falſa ſunt, vel otioſe dicta, in quo demonſtrando ſubtiles fuere *artis cogitandi* auctores Galli [u] & Germanus G. GERHARDVS TITIVS, [x] ut alios taceamus.

XXV. Syllogiſmus eſt oratio, qua poſitis quibusdam aliud neceſſario conſequitur. [z]

XXVI. Materia ſyllogiſmi tres termini ſunt; forma eſt legitima materiæ diſpoſitio ſecundum figuras & modos.

XXVII. Figura eſt medii termini & extremorum recta ordinatio, ut recte concluſio deducatur. Modus eſt diſpoſitio propoſitionum pro quantitatis & qualitatis ratione.

XXVIII. Figuræ ſyllogiſmorum ſunt tres; prima, ubi medius terminus eſt ſubjectum majoris propoſitionis & prædicatum minoris; habetque modos, quibus dextre concluditur, quatuor; ſecunda figura medium terminum prædicat de duobus extremis; & quatuor modis recte concludit; in tertia figura medium utrique extremo ſubjicitur, & ſex modos habet legitime concludendi. [a]

XXIX. Omnis ſyllogiſmus conſtruitur in aliqua ex tribus iſtis figuris, & perficitur per primam figuram & reducitur ad modum univerſalem primæ figuræ.

XXX. Sunt & aliæ ratiociniorum formæ ſex: converſio terminorum, inductio, exemplum, abductio, inſtantia, enthymema, quæ tamen omnes cum ſyllogiſmi virtute conſtent, ad eum reduci poſſunt & debent. [b]

XXXI. Ad inveniendos ſyllogiſmos opus eſt, 1. ut termini problematis

u) *Art de penſer l. II. ch. 2. ſeqq. p. m. 160. ſeq.*
x) *Art. cogit. c. 6. p. 96. ſeqq.*
z) Prolixe doctrinam de ſyllogiſmo exponit, *analyt. prior. l. I. T. I. p. 40. ſeqq.*
a) Quartam addidit Galenus, nullius fere uſus.
b) *Anal. prior. l. II. c. 23. ſeqq. p. 73 ſeqq.*

matis ſumantur, & res, de qua agitur, ſupponatur, nec non definitiones, proprietates, conſequentia, antecedentia, repugnantia; 2. Vt eſſentialia, propria & accidentia, certa & probabilia inter ſe diſcernantur; 3. Vt eligantur conſequentia univerſaliter; 4. Vt eligantur antecedentia, quibus res univerſaliter conſequens eſt; 5. Vt nota univerſalis jungatur non conſequenti, ſed antecedenti; 6. Vt conſequentia accipiantur proxima, non remota; 7. Itemque antecedentia proxima non remota; 8. Vt eligantur, quæ univerſi rei ſunt conſequentia, itemque ea, quibus univerſis res ipſa conſequitur.[c] Mire in his dilucidandis & ad ſingulorum problematum propria applicandis induſtrius & ad obſcuritatem usque ſubtilis eſt Ariſtoteles, brevior & clarior futurus, ſi ſermonis naturam ab idearum atque notionum proprietate diſtinxiſſet, & ad hanc, non ad illam, reſpexiſſet.

XXXII. Omnis diſcurſus, ſcientiam gignens, nititur prævia aliqua cognitione rerum de quibus diſcurrendum.[d]

XXXIII. Scire eſt intelligere quod res ſit, quod talis ejus cauſa ſit, & quod aliter ſe habere non poſſit.[e]

XXXIV. Demonſtratio eſt ſyllogiſmus ſcientiam pariens.

XXXV. Derivatur vero ſcientia apodictica a cauſis veris, primis, immediatis, notioribus, quæque, ut aliunde demonſtrentur, opus non habent.

XXXVI. Scientia demonſtrativa non datur niſi rei neceſſariæ, unde & demonſtratio ex neceſſariis rebus conſiſtit.[f] Veriſſimum in ſe axioma, vehementer corrupit Ariſtotelis ſchola, præceptorem, ut videtur, non ſatis aſſecuta: ille enim de neceſſitate id conſequentiæ potiſſimum intellexit, unde & regulas univerſalis conſequentiæ hoc loco explicat, illa de ſubjecti neceſſitate intelligens, cum entium moralium nullam phyſicam neceſſitatem videret, illis certitudinem apodicticam denegavit, phyſicis aſſeruit, cum e contrario neceſſitas conſequentiæ clariſſima ſit in rebus moralibus, quarum naturam & definitionem intelligimus, quæ in phyſicis ob ignoratas rerum eſſentias non datur. Id quod ad illuſtranda ea tenendum, quæ poſtea dicentur.

XXXVII. Dictum de omni eſt, quod competit omni & per ſe, & ſemper.[g]

XXXVIII. Vniverſale primum eſt, quod in unaquaque re eſt per ſe ipſum, quatenus ea res eſt.

XXXIX. Demonſtratio fit ex concluſionibus æternæ veritatis:[h] ex quo ſequitur, rerum fluxarum nec demonſtrationem dari, neque ſcientiam, neque definitiones quoque. Πρῶτον καὶ κύριον δόγμα hoc Platonicæ philoſophiæ fuiſſe, quo fundamento tanquam lapide angulari, totus cardo doctrinæ de ideis vertebatur, ſuo loco probavimus. Nec recedere ab hac ſententia auſus eſt Ariſtoteles, etſi pulchre videret, ideas, ſive ſubſtantias a rebus

c) *ib. l. I. c. 27. p. 65. ſeqq.*
d) *Analyt. poſt. l. I. c. 1. p. 103.*
e) *ib. c. 2. p. 104.*
f) *ibid.*
g) *ib. c. 4. p. 78. ſeqq.*
h) *ib. c. 8. p. 109. ſeqq.*

rebus abſtractas inane figmentum cerebri Platonici eſſe : cum vero errorem iſtum, eſſentias rerum in ejusmodi naturis communibus verſari, non dimitteret, ad opinionem, Platonica non meliorem, delapſus, ejusmodi naturas communes, in rebus ſingularibus ſubſiſtentes aſſeruit, [i] quas cum ſubjectum demonſtrationis neceſſarium & æternum eſſe contenderet, de iis demonſtrationem dari poſſe, affirmavit, rebus vero moralibus, ſemper mutationi, ut credebat obnoxiis demonſtrationem denegabat. Quæ omnia quam erronea ſint, facile intelligent, qui ad rerum naturam accuratius attendunt. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ monuiſſe ſufficiat, qui hiſtoriam, non examen Peripateticæ philoſophiæ ſcribimus.

XL. Aliud vero eſt, rem noſſe, quod ſit, & rem noſſe quare ſit; hinc duplex demonſtrationis genus eſt, unum τῦ ὅτι, quod a poſteriori demonſtrat, alterum τῦ διότι, quod a priori demonſtrat, quodque genuinum maxime eſt & perfectiſſimum. [k]

XLI. Scientiæ opponitur ignorantia, quæ duplex eſt, vel puræ negationis, vel pravæ diſpoſitionis, hæc illa multo deterior eſt, oriturque a falſo ſyllogiſmo, cujus medium falſum eſt, quemadmodum illa a ſenſuum vitio. [l]

XLII. Nulla ſcientia a ſenſibus immediate oritur, qui in ſingularibus verſantur, cum ea ſit univerſalium, conducunt tamen illi ad eam, quatenus univerſale ex ſingularibus ſenſui obviis intelligitur. [m]

XLIII. Inductio itaque fit, ubi a ſingularibus ſenſu perceptis demonſtratio ad univerſalia deducitur.

XLIV. Syllogiſmus dialecticus eſt, qui concluſionem ex probabilibus deducit. Probabile autem eſt, quod videtur omnibus, vel plerisque, vel ſapientibus atque præſtantiſſimis quibusvis. [n]

XLV. Dialectica autem ars eſt conjecturandi, unde nec finem ſemper aſſequitur.

XLVI. In quavis propoſitione, & problemate quoque declaratur vel genus, & differentia, vel definitio, vel proprium, vel accidens. [o]

XLVII. Eſt vero definitio oratio, explicans naturam rei, proprium, non quid res ſit, ſed quid in ea ſit, & cum ea reciprocetur, exponit: genus eſt, quod de pluribus ſpecie differentibus in quid prædicatur: Accidens eſt, quod poteſt abeſſe vel adeſſe. [p]

XLVIII. Dialectica argumenta nituntur, vel inductione vel ſyllogiſmo: ſuosque unde deſumuntur, loculos habent: [q] inductio adverſus indoctos, ſyllogiſmus adverſus doctiores adhibendus eſt.

XLIX.

i) Plura hac de re diximus in *Hiſt. phil. de ideis S. I. §. 8. p. 130. ſeqq.*

k) ibid. c. 10. p. 110.

l) ib. c. 18. p. 117. ſeqq. Accuratius diſtinxiſſet in ignorantiam, quæ etiam verſatur circa res ſenſibus non objectas, & inter errorem.

m) Habuiſſe Ariſtotelem hanc theſin ex Platonis ſchola, dubium non eſt, unde totus univerſalium amore captus eſt, non ſine diſpendio veritatis: cum & ſingularium certa detur notitia ex evidentia ſenſuum citra ratiocinationem intellectus.

n) Topic. l. I. c. 1. p. 110. ſeqq.

o) ib. c. 3. p. 112.

p) ib. c. 4.

q) ib. c. 10. p. 113. ſeqq. locos vero topicos *l. II. p. 119.* decem ponit, quibus diſſerendi artem inſtruit, & ſui temporis moribus ſatisfacere conatur.

XLIX. Elenchus eſt ſyllogiſmus concluſioni a reſpondente defenſæ contradicens: qui ſi falſi ſint, ſophiſtici dicuntur. [r]

L. Sunt vero elenchi ſophiſtici vel in dictione, vel extra dictionem.

LI. Sophiſmatum in dictione ſpecies dantur ſex: homonymiæ, amphiboliæ, compoſitionis, diviſionis, accentus, figuræ dictionis.

LII. Sophiſmatum extra dictionem ſpecies ſunt ſeptem: fallacia accidentis; fallacia a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter; fallacia ignorationis elenchi; fallacia conſequentis; fallacia petitionis principii; fallaciæ non cauſæ, ut cauſæ; fallacia plurium interrogationum.

LIII. Decipit autem ſophiſta vel falſitate, vel paradoxo, vel ſolœciſmo, vel tautologia, quas ſibi metas conſtituit.

Philoſophia naturalis Ariſtotelis.

§. XIV. Hæc in Logica Ariſtoteles conſtituit: tanquam inſtrumento quibus veritates, imprimis theoreticæ erui debent, [s] unde ad eas quoque refert LAERTIVS. [t] Sequitur pars theoretica, quæ vel phyſicam, vel metaphyſicam, vel mathematicam comprehendit. Etſi vero non plerique tantum libri phyſici, qui ſub Ariſtotelis nomine ambulant, in dubium vocentur a PATRICIO [u] quique eum ſequuntur, LAERTII quoque catalogus librorum Ariſtotelis alium eorum ordinem inſtituat, optime tamen eam ſequemur librorum phyſicorum ſeriem, quam ab ejus exegetis accepimus. Ita vero in illis ſtatuitur:

I. Principium rerum naturalium non unum eſt, ut Eleaticis viſum, nec homœomeriæ, ut Anaxagoræ, nec atomi, ut Leucippo & Democrito, nec ſenſibilia elementa, ut Thaleti ejusque ſcholæ, & Empedocli, nec numeri, ut Pythagoreis, nec ideæ, ut Platoni placuit. [x] Eruditum & diligentem in his rerum naturalium principiis veterum exponendis ſe præſtitit Ariſtoteles, ſed nimis brevem, & non ſatis candidum. Vnde intelligi ſatis nequit, niſi illorum doctrinæ aliunde diſcantur: lucem itaque fœnerari Ariſtoteli conatus eſt SCIPIO AQVILIANVS, [y] qui cum & ipſe brevis atque obſcurus ſit, & præcipue Ariſtotelem ſequatur, nova illuſtratione opus habet.

II. Contraria ſibi invicem rerum principia eſſe oportet, atque oppoſita per habitus & privationes. Provocat in his Ariſtoteles ad philoſophorum antiquorum conſenſum, qui & ipſi ita rationes phyſicas expediunt, e. g. Parmenides ponendo frigidum & calidum, Democritus atomos & vacuum, & ſic reliqui.

III. Principia vero ſunt, quæ neque ex ſe mutuo, neque ex aliis ſunt, ſed ex quibus ſunt omnia. Atque talia ſunt prima contraria, quæ cum prima ſint, ex aliis eſſe nequeunt, & contraria cum ſint, non ex ſe invicem exiſtunt.

r) *De elench. ſophiſt. T. I. p. 173. ſeqq.*

s) Conferenda de hac Ariſtotelis logica quæ collegit Ven. WALCHIVS in *Hiſtor. Logic. l. II. c. 1. ſ. 1. §. 8. Parerg. Acad. p. 529. ſeqq.*

t) *l. V. ſ. 23.*

u) *l. c. T. I. p. 39. ſeqq.*

x) *Phyſ. l. I. c. 3. 4.*

y) *De placitis philoſophorum ante Ariſtotelem Mediolani 1615. 4.* libellus eſt rariſſimus, cujus novam editionem additionibus & illuſtrationibus auctam dudum meditamur.

IV. Sunt vero principia illa nec infinita, alias enim ad naturam rerum via nulla pateret, nec tamen duo tantum; ex ſolis enim contrariis gigni poſſet nihil, quia ſe mutuo potius deſtruerent.

V. Principia itaque rerum naturalium tria ſunt: contraria duo; forma & privatio, & res, quæ utrique pariter ſubjicitur, materia. Quorum duo illa, forma & materia rem conſtituunt; privatio rerum conſtitutionem, niſi per accidens, non ingreditur, quatenus nempe materiæ competit.[z]

VI. Res omnes educuntur ex eo, quod potentia eſt, nempe materia prima, non vero ex eo, quod eſt actu, neque ex eo, quod non eſt, quod purum ſit nihilum.

VII. Materia autem[a] neque generatur, neque corrumpitur, ſed eſt prima, & infinitum rerum omnium ſubjectum, ex quo illæ formantur primario non per ſe, ſed per accidens educuntur, & in quod poſtremo omnia reſolvuntur. Probe hæc definitio materiæ tenenda eſt, ut, quo ſenſu Ariſtoteles contra veteres phyſicos, nec formam nec materiam in cauſis naturalibus negantes diſputaverit, intelligatur. Omnes ſcilicet, qui de rerum naturalium cauſis diſſeruerunt, philoſophi, in eo conſenſerunt, eſſe aliquod ſubjectum, ex quo formata ſint omnia, quæcunque in ſenſus noſtros incurrunt, cuique formæ rerum imprimantur, id quod materiam plerique vocant. Hanc materiam ut negare non poterant, ita quid eſſet, & qua ratione formas rerum reciperet, dicere vix poterant, & ad varias hypotheſes recurrebant. Plerique in minimas particulas diviſam, æterno motu ferri, & a cauſa rationali conjungi non negabant, quidam caſu ita coaleſcere ſtatuebant; formas tamen rerum non deprehendebant. Hinc materiæ particulis ineſſe ejusmodi qualitates eſſentiales, & vel prima elementa in iis hærere, variis modis poſtea modificatas afferebant, ut Empedocles, Thales & qui hos ſequebantur, vel univerſarum rerum naturas, certo particularum generi ineſſe, & ſimilares particulas jungi contendebant, ut Anaxagoras. Quod cum diſpliceret Platoni, nec is materiæ fluxum negare auderet, adeoque formas & eſſentias rerum aliunde derivare haberet neceſſe, ad ideas recurrit, ſive eſſentias ex Deo emanantes & rerum materiæ impreſſas. Facile vidit Ariſtoteles, homo acutiſſimus, eſſe hæc ſomnia ingenii, nec ita rerum naturalium cognitioni conſuli. Vt itaque aciem aptius inſtrueret, materiam quidem accepit, qualitatibus omnibus penitus orbatam, quæ nec qualitatem nec quantitatem ullam haberet, adeoque corpus quoque non eſſet, ſed tamen ſubjectum ſe æternum objeciſſet, cui vero formæ ſpeciesque imprimerentur, & inhærerent, unde & ſequitur materiam in ſe incorpoream eſſe, cum corporis natura ſit, qualitatibus veſtiri. Quod ut ipſe ARISTOTELES, eo loco ubi pluribus de hac re agit,[b] luculenter innuit, ita perverterunt Ariſtotelis ſententiam, qui, cum corpus non eſſe materiam viderent, Deum ipſum eſſe materiam primam contenderunt, qui ſolus ſine corpore, ab

z) *ibid. c. 8.*

a) *ib. c. 9. p. 261.* ubi novam ſe hypotheſin edere jactat.

b) *Metaphyſ. l. I. c. 6. T. II. p. 450.*

ab æterno, infinitus, &c. ſit, qua in hæreſi Almaricum fuiſſe, in hiſtoria philoſophiæ medii ævi dicemus. Ariſtoteles itaque hac materiæ definitione Empedocli aliisque elementa materiæ ineſſe ſtatuentibus, itemque iis, qui qualitates ineſſe materiæ credebant, ſe oppoſuit, novam ita philoſophandi de naturalibus hypotheſin excogitaturus. Quam tamen ante eum jam tenuerunt Pythagorei, inter quos TIMAEVS LOCRVS[c] materiam definivit eſſe ab omni forma & figura per ſe immunem ac liberam, quaslibet tamen formas recipientem. Quem ſecutus eſt PLATO in *Timæo*[d] paria tradens. Ariſtoteles vero, qui, ut novæ gloriam inventionis ſibi vindicaret, veterum lumina pervertere ſolebat, negans,[e] quæ Plato habet de materia, certi ac definiti quid ſignificare, primum ſe gloriatus eſt, qui hanc materiæ incorporeæ notionem, tanquam verum corporum principium invenerit, & notione abſtracta & metaphyſica uſus materiam definiverit,[f] quæ per ſe ipſam neque quid, neque quantum, nec aliud quidpiam eorum, quibus ens denominatur, dicatur. Quæ ſi recte obſervaſſent Ariſtotelis ſectatores, & jactantiam magiſtri, qua in hac materiæ definitione ab omnibus veterum ſe abire oſtentabat, ſeducere ſe non paſſi eſſent, ut crederent, aliud illum dicere, quam quod Plato, Pythagoras aliique dixerunt, qui materiam omnibus corporis qualitatibus & affectionibus ſpoliatam dixerunt, non in tot abſurdas & contrarias de materia prima Ariſtotelis ſententias fuiſſent delapſi. [ff] Immo recentiores quoque parcius inſaniæ accuſaturos fuiſſe hanc doctrinam, ſi veram veterum & Ariſtotelis mentem recte perſpexiſſent, egregie monet, qui incomparabili judicio lucem argumento huic accendit, ven. MOSHEMIVS,[g] quem, ne nimii ſimus, legi conſulique velimus. Ceterum notionem materiæ abſtractam in metaphyſica conſiderandam eſſe contendit Ariſtoteles, eo itaque reliqua ſervanda ſunt, quæ de ea dici poterant.

VIII. Eorum quæ ſunt, quædam natura ſunt, quædam ob alias cauſas: illa principium in ſe univerſa motus habent, hæc vero minus. Eſt vero natura principium & cauſa motus atque quietis in eo, in quo primo per ſe & non per accidens ineſt. Ineſt autem natura ſubſtantiis materialibus; proprietates autem naturales conveniunt cum ipſa natura, quæ duobus conſiſtit, materia & forma: forma tamen magis natura eſt, quam materia, quia in actu conſiſtit.[h] Obſcuriſſimus eſt in definienda naturæ notione Ariſtoteles, ut incertum ſit, quid per eam intellexerit? Non enim eſſe certam ſubſtantiam conſilio res omnes diſtribuentem & a rebus materialibus diverſam, in quam ſententiam præter alios diſceſſit RADVLPHVS CVDWORTHVS,[i] naturam genitricem cui magnopere favebat, hoc loco ſe vidiſſe ſomnians, ex eo intelligi poteſt, quod cum materia hæc natura arctiſſime connexa eſt, ejusque neceſſitati alligata.[k] Quærenda itaque eſt hæc natura in rebus materia-

c) *De anima mundi, Opuſc. Phyſ.* GALEI *p. 544.*
d) Conf. CICERO *Acad. Qq. l. I. c. 7.*
e) *De gener. & corrupt. l. I. c. 2. T. I. p. 385.*
f) *Metaphyſ. l. VII. c. 3. T. II. p. 708.*
ff) Conf. MORHOF. *Polyhiſt. T. II. l. II. P. I. c. 12. p. 226.*
g) *Ad* CVDWORTHI *Syſtem. intellect. c. V. Sect. II. §. 27. n. 2. p. 944. ſeqq.*
h) Ita *Phyſic. l. II. c. 1. p. 262.*
i) *Syſtem. intellect. p. 157.*
k) *Phyſ. l. II. c. 11.*

libus, in quibus, ait, esse principium & causam ut moveantur, & quiescant, in quibus primo per se & non per accidens subsistunt. Suspicatur hic doctissimus MOSHEMIVS, ' formam illam, quæ materiæ conjuncta naturam constituit, Aristoteli esse calorem illum animalem, ex sole & astris natum, quem universis rebus inesse, & generationis universæ causam esse alibi pronuntiat. Nos omnino in eo pollicem premimus viro acutissimo, Aristotelem ipsum accuratam notionem naturæ animo haud informavisse: quisquis enim attente initia libri secundi auscultationum physicarum legerit, palpabit, Aristotelem de principio naturali, quo forma & materia conjunguntur, motuque in actum deducuntur, sollicitum, cum vi hypotheseos semel adamatæ Deum, ut Plato, vel substantias divinas, quales ideæ, in partes vocare non posset, & tamen novum quid dicere vellet, animo sibi notionem vagam concepisse, adhibitoque nomine nihili, sic nodum, quem solvere nequibat, dissecuisse: revera enim nihil dixit, cum non tantum materia, cui tamen secundario ad naturam faciebat accessum, non sit causa efficiens, sed subjectum patiens motus; sed & forma ut materiæ jungatur, causa efficiente ad id opus habeat: unde recte, nisi fallimur, Philoponus, naturam virtutem internam motus effectricem dixit esse. [l] Cum vero Aristoteles claram & distinctam ideam naturæ non habuerit, frustra agunt, qui clariora ei affingunt, lucemque obscurissimo principio inferunt. Mirarique desinimus, quoslibet fere interpretes Aristotelis inveniisse in natura Aristotelis, cui dicere poterant, tu mihi sola places. Id quod luculento exemplo eorum, quæ patrum nostrorum memoria de natura inter viros acutissimos disputata sunt, illustrari posset, nisi brevitati consulendum esset. Quod si conjecturis locus aliquis in re obscurissima est, ab Aristotelis systemate non alienum putamus esse, si per naturam intelligatur influxus necessarius atque naturalis intelligentiæ ultimæ sphæræ præsidentis, quo formæ ita inducuntur in materiam, & motus naturalis in iis ita producitur, ut res omnes inde oriantur. Quem influxum Averroës & sequaces in intellectum aliquem universalem transformaverunt. Non ignoramus, longe aliam plerisque videri intelligentiæ hujus operationem; verum qui Aristotelis physicam attentius considerat, facile sentiet, ad ejusmodi quid naturam Aristotelis redire. Verum conjecturæ nudæ non inhæremus.

IX. Causarum quatuor genera sunt; materialis ex qua res omnes fiunt; formalis per quam fiunt, quæque ratio essentiæ est in re qualibet; efficiens, a qua fiunt; finalis propter quam fiunt. Causæ autem vel proximæ sunt, vel remotæ, vel principales vel accessoriæ, vel actuales vel potentiales, vel particulares vel universales. [m]

X. Fortuna & casus variorum effectuum causa sunt. Fortuna est causa accidentalis, quæ intervenit rebus consilio & deliberatione susceptis:

l) Ad *l. c.* CVDWORTHI.
ll) Conf. CLAVD. BERIGARDVS *Circul. Pisan. P. I. p. 37.*
m) *Phys. l. II. c. 3. p. 165.*

ſceptis: caſus latius adhuc patet, eſt enim cauſa accidentalis interveniens rebus ad finem quendam, ſaltem a natura deſtinatis. [n] Mire & hic notionibus vagis, vocibusque nihil certi ſignificantibus philoſophantes deludit Ariſtoteles, quem admiſſa ſemel hypotheſi, de motu rerum omnium ex prima cauſa per intelligentias ſphæris cœleſtibus præſidentes, quæ rationalis cauſæ directionem in ſublunaribus ſuſtulit, ad ejusmodi aſyla ignorantiæ confugere coëgit. Caſum enim & fortunam in cauſis ponit efficientibus & tamen, certam eis, unde oriantur, cauſam aſſignare nequit. [o]

XI. Natura ſemper agit propter finem, non temere atque prout caſus tulerit. Quæ enim natura efficiuntur, ſemper vel maximam partem, eodem modo procedunt, fine tamen quandoque excidit ſuo, ut in monſtris. [p]

XII. Neceſſitas duplex eſt, vel abſoluta vel conditionata: illa a materia eſt, hæc a forma vel fine. [q]

XIII. Motus eſt actus ejus, quod eſt potentia, cum actu eſt. Ita ſatis obſcure philoſophus generalem & abſtractam motus ideam ſibi concipiens, definivit actum, qui convenit potentiæ, ut potentia eſt, ſeu ad quem potentia, ut potentia, proxime inſtituta eſt. [r]

XIV. Infinitum eſt, quod habet ſine fine tranſitionem; [s] ejusmodi actus infinitus in natura non datur: dantur tamen entia potentia infinita.

XV. Locus eſt immediata atque immobilis corporis continentis ſuperfices, ſuntque in loco ea, quæ ab alio corpore continentur: quæ vero aliud ſupra vel extra ſe corpus non habent, in loco non ſunt: quieſcunt vero corpora in loco ſuo naturali, nam eo tendunt, tanquam pars divulſa a toto. [ſſ] Diſtinguit hunc locum externum ab interno Peripatetica philoſophia, hic enim prædicamentum ubi eſt, invito forte Ariſtotele, quem ſibi hac in re contradixiſſe, pulchre demonſtrat BERIGARDVS, [t] dignus qui hac de re legatur.

XVI. Vacuum locus eſt, corpore deſtitutus, atque tale in natura vacuum non datur: eo enim dato omnis tolleretur motus; quia in vacuo neque eſt ſuperius vel inferius, neque pars ulla, ad quam motus tendat. [u]

XVII. Tempus eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius, quæ temporis partes momento præſenti conjunguntur, ſicuti puncto lineæ partes. [v] Oppoſuit hanc definitionem temporis Ariſtoteles Pythagoræ & Platonis ſcholæ, [w] quorum ille per tempus ſphæram quam motus mundi deſcribit intelligit, hic motum cœli: [x] Sunt tamen, tradente SEXTO EMPIRICO, [y] qui hanc temporis definitionem Platoni adſcribunt. Ariſtotelis tamen

n) ib. c. 4. 5. p. 166. ſeq.

o) Accidentaliter enim operari ait *l. c.* & indefinitam atque obſcuram cauſam vocat, ſatis prodens, neſciiſſe ſe meliora, quæ veteribus a ſe reprehenſis opponeret.

p) ib. c. 8.

q) ib. c. 9.

r) Phyſ. auſc. l. III. c. 1. p. 272.

s) ib. c. 4. 5. p. 274.

ſſ) l. IV. c. 3. p. 282.

t) l. c. p. 53.

u) l. IV. c. 6. p. 285. ſeq.

v) ib. c. 10. 11. p. 287. ſeqq.

w) ib. c. 12. p. 290. neutrum tamen nominat, videndus autem PLVT. *de plac. phil. l. I. c. 21. 22.* SIMPLIC. *ad l. c. Phyſ. p. 165.* SEXTVS *Pyrrh. hyp. l. III. ſ. 136. adverſ. Phyſ. l. II. ſ. 176.* & FABRIC. *ad h. l.*

x) ib. ſ. 228. & loco cit. Pyrrh. hyp.

y) l. c. c. 14. p. 292.

tamen ſyſtemati convenit, in quo motus ab æterno motore oriundus numerari poteſt, & relatione ad prius & poſterius habita tempus dicitur. Numerus itaque hic non intelligitur mathematicus, ſed numerabilitas hoc eſt, motus ipſe, quatenus poteſt numerari.

XVIII. Omnis motus & mutatio in tempore fit, eſt enim in quovis motu celeritas tarditasve, quæ tempore definiuntur. Hinc cœlum, terra, mare, in tempore ſunt, quia moveri poſſunt.

XIX. Tempus, cum ſit numerus numeratus, ſine numerante dari non poteſt; cujus partes anima ſuſtinet. [z]

XX. Quies privatio motus in corpore eſt, quando, ubi & quatenus motui eſt aptum. [a]

XXI. Neque motus datur, qui fiat in inſtanti, fit enim in tempore. [b]

XXII. Quicquid movetur in toto aliquo tempore, neceſſario etiam movetur in qualibet ejus parte.

XXIII. Omnis motus finitus eſt, fit enim in tempore. [c]

XXIV. Quicquid movetur, id moveri ab alio oportet, ſive exterius, ſive interius movetur. [d]

XXV. Quia vero in infinitum ejusmodi progreſſus motus non datur, ſequitur inde, neceſſario deveniendum eſſe ad primum quendam motorem, qui ab alio moveatur nullo, omnisque motus fons & origo ſit. [e]

XXVI. Eſt vero, qui fons motus eſt, primus ille motor immobilis, alias enim alius eſſet motor, qui ipſum moveret, quia nihil movere poteſt ſe ipſum: æternus, quia moventur omnia ab æterno; & alias, ſi motus incepiſſet, non potuiſſet primus motor movere, tempusque æternum non eſſet: indiviſibilis & quantitatis expers; infinitus enim motor primus eſſe debet, quia in tempore infinito movet, infinita potentia vero, in quantitate finita, qualis corporis eſt, eſſe nequit. [f] Mire non ſibi tantum placuit hac primi motoris, ſive, Dei demonſtratione Ariſtoteles, ſed & ſectatoribus is viſus eſt, qui doctrinæ de Deo puritate omnibus præferretur. [ff] Quam abſurda vero, & nec intelligibilia ſatis, nec ſana & cum vera Dei notione conſonantia dixerit Ariſtoteles, primi motoris non naturam tantum, ſed imprimis motum activum explicans, poſtea, ubi ſyſtema metaphyſicum Ariſtotelis excutiendum erit, dicemus. Præſenti loco hoc unum adjicimus, non poſſe demonſtrari ſecundum Ariſtotelis ratiocinia primum motorem, niſi ſupponatur motus æternus, quod cum ipſis Ariſtotelis principiis contradicat, faſſi ſunt Peripateticæ ſcholæ inter recentiores celeberrima nomina, FRANCISCVS PICCOLOMINAEVS, [g] IACOBVS ZABARELLA, [h] & qui Ariſtotelem cum Ionicis acute commiſit CLAVDIVS BERIGARDVS, inanem

z) Phyſ. l. V. c. 2. p. 295.
a) ib. c. 3. p. 297.
b) ib. c. 6. p. 300.
c) ib. c. 7.
d) ib. c. 6. l. VIII. c. 1. ſeqq. p. 319. ſeqq.
e) ibid.
f) ibid. c. 7.
ff) Dicetur hac de re paulo infra, ubi de religione & impietate Ariſtotelis agendum.
g) De cœlorum motoribus.
h) De inventione æterni motoris, conf. BAYLE *Dict. T. IV.* art. *Zabarella not. G. H.*

anem esse totam Aristotelis de primo motore demonstrationem: qua de re ad horum virorum historiam delatis plura dicenda sunt.

XXVII. Cœlum perfectum est, quoniam ex perfectis corporibus componitur, omnemque complectitur perfectionem, ipsumque ab alio comprehenditur nullo. [i]

XXVIII. Tot sunt simplicium corporum species, quot sunt simplicis motus variationes; simplex autem motio localis gemina est; vel circularis vel rectilinea. Hæc vel a centro recedit, vel centrum petit, quorum utrumque fit vel simpliciter, vel secundum quid & suo modo. Hinc sequitur, cum quadruplex motus simplex rectilineus sit, quatuor dari elementa, id est corpora simplicia. Quoniam vero & circularis motus est, qui cum eorum essentia non convenit, sequitur inde dari quintam aliquam essentiam, a reliquis elementis diversam, divinæ magis & perfectioris naturæ; id vero est cœlum. [k] Novum hac quoque in parte εὕρημα se habere gloriatus est Aristoteles, quod si tamen veteres consulimus, fatendum est, motum illum cœli circularem, & distinctam cœli divinioremque naturam non Platoni tantum, sed & Pythagoreis quibusdam placuisse, quibus more suo, eam surripuit Aristoteles. Prius Xenocratis testimonio probat SIMPLICIVS, [l] posterius ex loco OCELLI LUCANI [m] constat, qui diserte cœli naturam divinam, & ingenitam, a parte mundi genita & mutationi semper obnoxia distinguit. Ob hanc enim reliquamque de elementorum mutatione doctrinam Peripateticæ simillimam libellum Ocello cum SAM. PARCKERO [n] abjudicare, temerarium putamus. Ejusmodi enim plagia sæpe commisisse Aristotelem in confesso est.

XXIX. Cœlum est neque grave, neque leve, quia neque a centro recedit, neque ad id tendit, ut solent levia & gravia; sed circulari motu movetur.

XXX. Et quia cœlum contrarium non habet, generationis & corruptionis, accretionis & deminutionis atque alterationis expers est. [o]

XXXI. Mundus nec ipse infinitus est, neque extra eum datur corpus infinitum; nullum enim corpus infinitum esse potest. [p]

XXXII. Vnicus est mundus, si enim plures essent, motu in alterum delati ex loco proprio essent delapsuri. [q]

XXXIII. Æternus quoque mundus est, adeoque nec generari, nec corrumpi potest. [r] Decantatissimum hoc Aristotelis dogma est, qui & hanc sibi gloriam vindicat, quod primus mundum æternum & origine & fine docuerit, omnes enim ante eum γεννᾶν τὸν κόσμον καὶ κοσμοποεῖν, mundo cer-

i) *De Cœlo l. I. c. 3. p. 337.*
k) *ib. c. 2. p. 338.*
l) Vid. NVNNESIVS *ad Vit. Arist. p. 127.*
m) *De mundo, Op. Phys.* GALEI *p. 527.*
n) *De Deo disp. IV. s. III. p. 367.* conf. BVRNET. *Archæol. philos. l. I. c. II. p. 425.* qua de re infra quoque agetur.
o) *Cap. 3. p. 339.*
p) *Cap. 7. p. 343.*
q) *Cap. 8. p. 345.*
r) *Cap. 12. p. 351.* quod pluribus locis probat, nec veteres negant. Conf. IAC. THOMAS. *de exust. mundi Stoica. diss. IV. p. 58.* BAYLE *Dict. T. III.* art. *Pomponace. Hist. universelle p. 12.* CVDWORTH. *Syst. int. c. IV. §. 14. p. 285.*

certam generationem & efformationem adſcripſiſſe, aſſerit. [s] PHILONIS [f] vero jam tempore fuerunt, qui Ariſtotelem hujus dogmatis auctorem negarent, & Pythagoreis quibusdam id tribuerent, quemadmodum CENSORINVS [ff] non Pythagoreis tantum omnibus, ſed Platoni quoque illud tribuit, obſervante GASSENDO. [t] Et de Platonis quidem opinione ſuo loco actum eſt, monitumque, non audiendos eſſe Platonicos recentiores, qui ut Platonem cum Ariſtotele in concordiam redigerent, docuerunt, mundum quidem genitum eſſe, ſed ab æterno. Quod vero ad Pythagoreos attinet, non Epicharmum tantum, ſed Empedoclem quoque aliosque huc referri videas. [u] Imprimis vero OCELLVS LVCANVS notiſſimo libello, hanc de mundo æterno ſententiam propugnavit. Fatendum tamen præter unum Lucanum, reliquos fere omnes, quibus etiam Eleatici jungi poſſunt, non eandem de æternitate mundi, quam Ariſtoteles tenebat, ſecutos fuiſſe ſententiam, ſed ab omni æternitate vel effluxus mundorum ex ſinu DEI, vel ſucceſſiones & mutationes innumerabiles ſomniaſſe. Ocelli tamen ſententiam Ariſtotelis dogmati maxime affinem eſſe, ipſa libelli inſpectio docet: quem ſi excipias, reliquos non plane cum Ariſtotele conſenſiſſe, etſi mundum æternum dicerent, recte notat MOSHEMIVS, [v] Lucani vero fœtum Peripatetici hominis eſſe, facilius dicitur, quam probatur; unde non absque veriſimilitudine conjicimus, Ariſtotelem in exſcribendis veterum ſcriptis exercitatiſſimum & callidiſſimum, Ocelli potiſſimum ſcrinia in phyſiologia ſua condenda expilaſſe. Neque tamen poterat aliter Ariſtoteles, qui mundum neceſſarium primi motoris vel effectum vel ſubjectum ponebat, quæ ipſa quoque ratio æternam ei durationem adſcribere Ariſtotelem coëgit; ut ita fruſtra agant, qui eum finem mundo per diluvionem hiemis & conflagrationem æſtatis poſuiſſe cum CENSORINO [w] aſſerunt. Etſi enim partibus mundi mutationes & vaſtationes accidere non negabat, ridiculum tamen putabat, ob parvas brevesque mutationes univerſum moveri aſſerere. [x] Suſpecta itaque corruptionis loca ſunt veterum, quæ aliud dicunt, recte obſervante IACOBO THOMASIO. [y] Id quod propter eos potiſſimum monendum eſt, qui omnem movent lapidem, ne Ariſtoteles revelationis veritati officiat, quique adeo omnem in eo operam collocant, ut evincant, Ariſtotelem non ex ſua ſententia mundum vel a parte ante, vel a parte poſt, ut loqui amant, æternum decreviſſe. [z] Contradixiſſe vero Ariſtotelem hoc dogmate ſibi, nec ipſi ejus aſſeclæ paulo candidiores negant, dum genitum eſſe, & ab æterno tamen exiſtere impoſſibile alio loco putat. [a] Verum hominem a veteribus recedere volentem, cum meliora non haberet, ita fuiſſe lapſum, mirandum non eſt.

XXXIV.

s) l. c. c. 10.
f) An mundus ſit incorruptibilis p. 940.
ff) De die nat. c. 18.
t) Phyſic. ſ. I. l. I. c. 6. p. 162.
u) CVDWORTH. l. c.
v) ad h. l.
w) loc. cit.
x) Meteorolog. l. I. c. 14. T. I. p. 424.
y) l. c. p. 60. ſeq.
z) Vid. quos nominat BERIGARD. *Circ. Piſan. l. III. circ. 2. p. 56.* THOMAS. *l. c.*
a) Conf. IDEM *l. c.*

XXXIV. Natura ſuo motu cœlum fertur circulari, non tamen unius ille generis eſt per univerſum cœlum. Sunt enim orbes alii, qui motu incedunt primo mobili adverſo, ut viciſſitudini locus eſſet in rebus ſublunaribus, & generationibus atque corruptionibus. [b]

XXXV. Sphæricæ porro figuræ cœlum eſt. [c]

XXXVI. Primi mobilis motus æquabilis eſt, & plane uniformis, non enim habet initium, neque medium, neque finem. Sunt enim æterna, & primum mobile & primus motor, & varietatem nullam admittunt. [d]

XXXVII. Stellæ ejusdem naturæ ſunt cum corpore, quo ſuſtinentur, ſpiſſæ tamen magis ſunt, & compactæ: illæ caloris & lucis in inferioribus cauſa ſunt, dum motu ſuo aërem affricant & accendunt; id quod fit maxime in ſphæra ſolis. [e]

XXXVIII. Stellæ in cœlis defixæ non a ſe ipſis, neque proprio ſibi motu, verum ſecundum orbium ſuorum impulſus moventur.

XXXIX. Primum mobile celerrimo circumfertur motu; ſeptem, qui ei ſubjecti ſunt planetarum orbes, quo propiores ſunt ei, hoc celeriori motu ejus agitatione volvuntur: proprio vero motu hoc tardius procedunt, quo propiores ſunt primo mobili. [f]

XL. Stellæ rotundæ ſunt, & luna quoque. [ff]

XLI. Cœli centrum terra eſt, rotunda, in medio conſiſtens immota, quæ juxta cum aqua, unum conficit orbem. [g]

XLII. Elementum corpus eſt ſimplex, in quod alia corpora dividuntur, in quibus illud ſive actu exiſtit, ſive potentia. [h]

XLIII. Qualitates, quibus elementa moventur, ſunt gravitas & levitas, grave eſt, quod deorſum verſus centrum deprimit, leve, quod aſcendit ad cœli extrema. [i]

XLIV. Duo ſunt elementa, ſibi invicem contraria, unum ſimpliciter grave, terra; alterum ſimpliciter leve, ignis, quæ in partes tendunt contrarias. Inter hæc media interjacent, & ex utriusque extremi natura participant, aër & aqua.

XLV. Generationis & corruptionis perpetua eſt ſucceſſio, ſive ſimplex ea ſit, ſive accidentalis, cujus cauſa eſt, & primus motor, & materia prima, ex qua res omnes fiunt. [k]

XLVI. Aliud eſt alterari, aliud generari; in alteratione ſubjectum manet integrum, affectiones mutantur; in generatione totum mutatur; augmentatio & diminutio vero quantitatis, motus localis ſpatii eſt mutatio. [l]

XLVII. Augmentatio nutritionem ſupponit, quæ fit, quando alimen-

b) De cœlo l. II. c. 3. p. 355.
c) ib. c. 4. p. 356.
d) ib. c. 6. p. 358.
e) Cap. 7. p. 359.
f) Cap. 8. p. 359.
ff) Cap. 11. p. 361.
g) Cap. 13. 14. priori loco diligenter veterum de ſyſtemate mundano ſententias exponit, poſteriori rationibus ſatis levibus meliorem ſententiam deſerit.
h) De cœlo l. III. c. 3. p. 372.
i) ib. l. IV. c. 1. p. 378.
k) De gener. & corrupt. l. I. c. 3. p. 386.
l) Cap. 5. p. 390.

tum, ut ſubſtantia eſt, tranſit in corporis animati ſubſtantiam; augmentatio vero fit, ſi accedit ad corporis animati quantitatem.

XLVIII. Mutua phyſici contactus actio & paſſio eſt, inter res partim forma diſſimiles, partim materia ſimiles; utroque nitente, ut ſimile ſibi reddat patiens. [l]

XLIX. Principia & differentiæ elementorum, ſenſibus & tactui obnoxiorum, tactiles ſunt qualitates, quæ diſcrimen inter corpora ſenſibilia conſtituunt: & ſunt paria eorum ſeptem: calidum & frigidum, humidum & ſiccum, grave & leve, durum & molle, viſcoſum & aridum, aſperum & laeve, craſſum & tenue.

L. Primarum vero qualitatum agentes duæ ſunt, calor & frigus; paſſivæ duæ, humiditas & ſiccitas; calor homogenea congregat, frigus heterogenea diſſipat, humidum ægre continetur, ſiccum facile.

LI. Ex conjunctione caloris & ariditatis naſcitur ignis, ex caloris & humiditatis, aër; ex humiditatis & frigoris aqua; ex frigoris & ſiccitatis terra. [m]

LII. Omnia elementa poſſunt invicem in ſe transmutari, non generatione, ſed alteratione.

LIII. Omnia corpora miſta ex omnibus miſcentur elementis. [n]

LIV. Cauſæ miſtorum corporum tria ſunt, materia, qua aliquid poteſt eſſe & non eſſe, forma, quæ eſt ratio eſſentiæ, & cauſa effectrix univerſalis, motus cœli ſingularis. [o]

LV. Corporum miſtorum alia ſunt imperfecte miſta, alia perfecta; illa ſunt meteora, v. g. cometæ, galaxia, pluvia, nix, grando venti &c. [p]

LVI. Generationi corporum perfecte mixtorum opponitur putrefactio, cui obnoxia ſunt omnia, excepto igne.

LVII. Ex putridis animantia producuntur, calore naturali adjuvante.

Pſychologia Ariſtotelica.

§. XV. Prolixiſſimus in his omnibus non enarrandis tantum ſed & rationibus muniendis, & contrariis veterum phyſicorum opinionibus refutandis eſt Ariſtoteles, qui ad ſpecialiora quoque deſcendit, quæ tamen in brevi hac rudique ſummorum capitum doctrinæ naturalis Ariſtotelicæ expoſitione enarrari nequeunt, ubique tamen apud viros doctos, qui in genuinam Ariſtotelis mentem inquiſiverunt, queunt inveniri. Adjicienda tamen doctrinæ ejus de anima ſumma capita, ut qua ratione nobiliſſimum argumentum excuſſerit Ariſtoteles, pateat. Ita vero de animæ origine & natura diſputat, ut obſcuriſſime mentem explicet, unde non potuit non maximus interpretum ejus de mente illius circa doctrinam de anima oriri diſſenſus. Cujus rationem potiſſimum in ipſis philoſophiæ Ariſtotelicæ circumſtantiis quærendam putamus. Cum enim ſua φιλοσοφέμενα veterum placitis opponeret Ariſtoteles, & imprimis id ageret, ut a Platone diſcedens,

l) *Cap. 6. p. 393.*
m) *Lib. II. c. 2. 3. p. 400. ſeqq.*
n) *Cap. 8. p. 406.*
o) *Cap. 9. p. 406.*
p) Prolixe horum corporum naturam explicat *Meteorologicorum libris tribus prioribus, quarto* corporum perfecte miſtorum proprietates conſiderat.

ſcedens, novam & oppoſitam philoſophandi rationem introduceret, id agi ab eo oportuit, ut vel re ipſa, vel ubi hoc non poſſet, nominibus atque vocibus nova afferret. Prius vero cum facere non poſſet, & cum Platone diverſas animæ facultates in homine, diverſamque earum originem aſſereret, novis vocibus, novoque ſyſtematis ordine rem mutare, & obſcura tradere, cum clara non haberet, coactus eſt. Quapropter, inanis nobis labor videtur, velle Ariſtotelis ψυχολογίαν ad certas clarasque notiones reducere, nimiique illi recte eſſe cenſentur, qui, non, quid de anima ſtatuerit, ſed quid conſtituere debuerit, exponentes cuncta ad ſaniores opiniones trahunt. Verum de his in particulari ψυχολογίας hiſtoria amplius dicendum eſt. Nos inſtituti memores, ſummam doctrinæ ejus exponemus, quæ hæc eſt:

LVIII. Anima a ſe ipſa non movetur, quicquid enim movetur, movetur ab alio. Oppoſuit hoc Platoni, & ſcholæ Pythagoreæ, nec aliter patiebatur doctrina de motus origine. [q]

LIX. Anima eſt prima entelechia corporis naturalis organici, vitam potentia habens: eſt vero entelechia prima operationis principium, ſecunda ipſe actus. [r] Dici non poteſt, quantum operæ conſumſerint Ariſtotelis interpretes, ut obſcuriſſimæ definitioni lucem accenderent. Quid enim ἐντελέχεια ſit, nec ipſe clare definivit, nec, qui eum ſecuti ſunt, concordant, & clare intelligunt. Plerique actum primum definiunt, & Themiſtius τελείωσιν complementum & perfectionem alterius, qualis eſt forma rei materiatæ: ut ita anima ſit actus primus non reſpectu materiæ, ſed ſuarum functionum, quibus natura prior eſt, quasque in corpore organico exercet. Aliter tamen Averroës, & qui eum ſeqvuntur, qui formam non operantem per actum primum intelligit; aliter alii. Lepide, ſed ex vero Ariſtæus, collocutor BERIGARDI, [s] viri in doctrinis Ariſtotelicis earumque imbecillitatibus perſpicaciſſimi: *Difficultas tantum eſſe poteſt in voce actus, græce ἐντελέχεια, quam forte dicetis uſurpari tantum ab Ariſtotele pro forma, quæ materiam officit, eo modo, prout vobis placet:* ita enim res ſe habet; obſcuriſſimam vocem quilibet interpretum ad id traxit, quod placebat, quodque ſalvis Ariſtotelis principiis fieri poterat. Nec nos meliora dare audemus, dicemus tamen, quæ nobis ea de re in mentem venerunt. Agnoſcebat Ariſtoteles, obſcuriſſimam eſſe quæſtionem de anima, quam etſi ſubſtantiam eſſe probe videbat, naturam tamen ejus non noverat; hinc ex operationibus ejus, quæ in ſenſus incurrunt, eam indagandam eſſe, recte exiſtimans, obſervabat homines non tantum per eam vivere, & ſentire, ſed & intelligere, & hoc intellectus ac rationis uſu a reliquis animantibus viventibus & ſentientibus differre, id quod mox in ipſo limine tractationis [f] demonſtrat. Cum vero ideam ſive notionem abſtractam principii illius, quod ita corpore tanquam inſtrumento ad vivendum, ſentiendum

q) Operoſe *l. I. de anima T. I. p. 476. ſeqq.* veterum opiniones de anima examinat & refellit, more ſuo, ut aptius ſua inſtrueret, felicior in refutandis aliorum opinionibus, quam confirmandis ſuis.

r) *Lib. II. c. 1. p. 487.*

s) *Circul. Piſan. P. IV. circ. 2. p. 11.*

f) *Cap. 2. p. 487. ſeq.*

& intelligendum utitur, efformare vellet, & facile pervideret, ejusmodi ſubſtantiam eſſe debere, quæ tali perfectione gauderet, ut iſtas functiones in corpore organico edere poſſet: neſciret vero, cujusmodi illa ſubſtantia naturæ eſſet, vocem aliquam a confuſa, quam ſibi formabat notione deſumtam in definitione inſtituit, [ff] & ἐντελέχειαν dixit, id eſt, ſi dicendum quod res eſt, ſubſtantiam neſcio quam, quæ vitam rationalem & ſenſitivam in corpore organico producere apta eſt. [t] Quæ ut attento Ariſtotelis lectori ſua ſponte in mentem veniunt, ita morem Ariſtotelis, vocibus nihili notionibusque vagis & incertis rerum naturalium principia declarandi mire illuſtrant.

LX. Animæ tres facultates ſunt, nutriens, ſentiens & rationalis, quarum ſuperior inferiores potentia complectitur.

LXI. Facultas nutriens ea eſt, per quam vita rebus omnibus ineſt; ejus operationes ſunt generatio & nutritio. [u]

LXII. Facultas ſentiens ea eſt, qua animantia ſentiunt primum: Senſus vero mutatio eſt in organo a re ſenſibus oblata, procurata: Senſus enim ſe ipſum movere non poteſt. [v]

LXIII. Senſus externi ſunt viſus, auditus, olfactus, tactus & guſtus. [w]

LXIV. Omnes hi ſenſus ſpecies ſenſibiles a materia abſtractas accipiunt, ut cera figuram annulo inſculptam accipit, non ſimul accepta gemma.

LXV. Omnis ſenſus externus differentiam percipit rei, circa quam verſatur, diverſarum rerum vero differentias diſcernere nequit: communis itaque aliquis ſenſus datur, qui eas dijudicat: idque uno eodemque actu, dum in eo externi ſenſus conjunguntur omnes, quos dijudicat. [x]

LXVI. Senſus ab intellectu differt, illo gaudent omnia animantia, hoc pauciſſima. [y]

LXVII. Phantaſia a ſenſu & ab intellectu differt, quamvis ſine prævia ſenſus perceptione non detur, quemadmodum neque cogitatio absque ea exiſtit.

LXVIII. Eſt vero cogitatio, actio intellectus ſcientiam, opinionem & prudentiam comprehendens.

LXIX. Phantaſia eſt motus animalis, a ſenſu agente derivatus, quo motu varie animal afficitur, res concipiens modo veras modo falſas.

LXX. A phantaſia derivatur memoria, quæ res præteritas complectitur, & pertinet per ſe ad phantaſiam, per accidens ad intellectum, & in eadem animæ facultate ſedem habent. [z]

LXXI. Memoria eſt ex impreſſione imaginis cujusdam in anima a ſenſu facta, ubi hæc imago retineri non poteſt, humiditatis vel ſiccitatis exceſſu, ibi ceſſat memoria: cerebri itaque ad eam temperie opus eſt.

LXXII.

ff) Conf. CICERO *Tuſc. Qq. l. I. c. 10.* & qui potiora de hac voce erudite collegit ven. WALCHIVS *Parerg. Acad. p. 300.*

t) Conf. LEIBNIZ. *Theodicée P. I. §. 87. p. m. 130.*

u) ib. c. 4. p. 489.

v) Cap. 5. p. 491.

w) Cap. 6. p. 492.

x) Lib. III. c. 2. p. 500.

y) Cap. 3. p. 501.

z) De memor. & reminiſc. l. I. c. 1. p. 523.

LXXII. Reminiſcentia non reſumendo memoriam exercetur, ſed per diſcurſum & perquiſitionem diligentem ſeriei rerum. [a]

LXXIII. Somnus oritur ex ſtupore & ligatione quaſi ſenſuum: & occupat imprimis ſenſum communem.

LXXIV. Inſomnium eſt phantaſmatis apparitio per ſomnum oblati, orti ex remanentibus in organis ſenſoriis imaginibus rerum, circa quas ſenſus verſantur. [b]

LXXV. Tertia animæ facultas intellectus eſt, quæ homini propria eſt, eſtque ea animæ pars, quæ cognoſcit atque intelligit. [c]

LXXVI. Intellectus duplex eſt, patiens & agens.

LXXVII. Intellectus patiens eſt, per quem omnium rerum formas intellectus induit; agens, eſt potentia cognoſcens, quæ phantaſmata pariter & intellectum patientem illuſtrat. [d]

LXXIIX. Intellectus activus ſeparari a corpore poteſt, immortalis eſt, & æternus; & paſſionis eſt expers, nec commiſcetur corpori: intellectus paſſivus mortalis eſt.

LXXIX. Actio intellectus eſt duplex, vel indiviſibilium, id eſt, apprehenſionum ſimplicium, in quibus nec veritas, nec falſitas eſt; vel complexorum, ſive affirmationis & negationis; in hac ſola veritas & falſitas eſt. [e]

LXXX. Eſt porro intellectus agens vel theoreticus vel practicus; ille rem intelligibilem in actu conſtituit; hic rem bonam vel malam cognoſcit, dijudicat & voluntatem movet, ad eam appetendam & fugiendam. [f]

LXXXI. Localis motus in animali principia ſunt intellectus practicus & appetitus, ille quid ſectandum, fugiendumve ſit docet, hic appetit, vel averſatur. [ff]

LXXXII. In homine duplex eſt appetitus, voluntas nempe, quæ ſequitur judicium rationis, & appetitus ſenſitivus, qui vel iraſcibilis vel concupiſcibilis eſt, qui ſenſum ſequitur & phantaſiam.

LXXXIII. Soli homines phantaſia deliberante utuntur, quæ optimum eligit, hicque appetitus rationalis ſenſitivo, qui brutis communis eſt, imperare debet. [g]

LXXXIV. Vita eſt animæ cum calore naturali conſtans permanentia. [h]

LXXXV. Caloris principium in corde eſt, quod ſi extinguitur, mors ſequitur. [i]

§. XVI. Hæc eorum, quæ de anima differuit Ariſtoteles ſumma eſt, in qua haud pauca jure deſiderantur. Nihil enim clarum dixit de animæ origine, & ex quo fonte in corpus immittatur, licet de eo problemate fuſe differentem

An ſit anima immortalis Ariſtoteli?

a) ib. c. 2. p. 525.
b) De ſomno & vigil. c. 1. 2. p. 528.
c) De anima l. III. c. 4. p. 502.
d) Cap. 5. 6. p. 504. *e) ibid.*
f) ib. c. 7. p. 506. *ff) ib. c. 10. p. 473.*
g) ib. c. 11. p. 508.
h) De vita & morte c. 17.
i) ib. c. 18.

rentem audiverit Platonem: nihil porro de animæ immortalitate, quod clarum ſit, protulit. Et intellectum quidem agentem immortalem eſſe ait, paſſivum cum reliquis animæ facultatibus immortalitate privat, quæ tamen omnes, ſi eum audias, una in anima ſunt. Hinc gravis inter ſectæ Peripateticæ alumnos, ab ipſa protractorum in lucem librorum Ariſtotelicorum ætate ad recentiora usque tempora controverſia fuit, an anima juxta Ariſtotelem mortalis vel immortalis ſit? Et prius quidem non Chriſtiani tantum doctores Ariſtoteli tribuerunt, [k] ſed & Dicæarchus, quo familiariter uſus eſt Ariſtoteles, ſecutus eſt, [l] libris vero Ariſtotelis detectis ſchola Peripatetica Alexandro Aphrodiſienſi auctore conſtanter ita præceptoris mentem explicuit, qua de re in hiſtoria hujus ſectæ poſt C. N. tempora prolixius dicemus. Eidem parti ſe poſtea junxit Averroës, intellectum agentem ab anima hominis longo diſcrimine ſeparans, ut ſuo quoque dicetur loco; cujus opinionem poſtea Petrus Pomponatius, ejusque diſcipuli, Cæſar item Cremoninus, Andreas Cæſalpinus, & Ariſtotelicæ philoſophiæ inter Italos aſſeclæ plures receperunt. Aliter tamen, non medio tantum ævo aliqui, [ll] ſed potiſſimum poſt renatas literas illi, qui Ariſtotelem intra ſacra Chriſtianorum adyta receptum impie non philoſophatum fuiſſe contenderunt, qua de re lites inter Pomponatium & Auguſtinum Niphum, recentiorum temporum hiſtoriam philoſophicam enarraturi, plenius exponemus. Et exercuit quoque ſemper doctiſſimorum virorum induſtriam vexatiſſima quæſtio, [m] eo quod ſupra modum ſe occultet, ſententiamque mentis veram premat Ariſtoteles, ſine dubio Socraticam ſcholam, quæ pro immortalitate animæ pugnabat, immo religionem quoque gentis ſuæ publicam reformidans. Vnde nec diligentiſſimus Ariſtotelicæ doctrinæ, & errorum in ea ſcrutator FRANC. PATRICIVS certi quid hac de re conſtituere auſus eſt. [n] Nos clariora quidem & omnino certa dare non promittimus, ſi tamen criticas leges ſequimur, & Ariſtotelis ſcita attentius rimamur, non deſperandum eſſe putamus, ut veriſimili ratione, doceatur, animam hominis ſine apud Ariſtotelem non carere. Scilicet 1. præſupponendum eſt, quod ſupra ex philoſopho attulimus, certum eſſe, ex mente Ariſtotelis, quod non anima tantum ſenſitiva, ſed & intellectus paſſivus interitu non careant. De intellectu itaque activo tantum, qui judicat, quique ratiocinatur ſermonem eſſe neceſſe eſt. 2. Certum vero porro eſt, hunc intellectum activum ex Ariſtotelis mente extrinſecus ei advenire & immitti.

k) Patrum loca, quibus Ariſtoteli hunc errorem objecerunt affert FR. BALTVS *jugement des SS. Peres ſur la morale de la Phil. pay. ch. 17. p. 124. ſeqq.* omnium maxime luculentus eſt EVSEBIVS *præp. Ev. l. XV. c. 9. p. 808. ſeq.* qui Platonicorum contra eum in hoc argumento agmina producit, quocum conferendus IO. LAVNOIVS *de varia fort. Ariſt. c. I. p. 127. ſeqq.* & WALCHIVS *Parerg. Ac. p. 315.*

l) CICERO *Tuſc. Q q. l. I. c. 31.*

ll) In his Anonymus *de vita Pythag.* apud PHOTIVM *Cod. CCLIX.*

m) Non audet negare AVGVSTINVS OREGIVS in rariſſimo libro: *Ariſtotelis vera de rationalis animæ immortalitate ſententia Rom. 1633.* conf. BAYLE *dict. T. III.* art. *Oregius.* Aliorum & imprimis Bernardini Donati loca prolixe affert LAVNOIVS *l. c. p. 261. ſeqq.*

n) Libro cit. l. XII. p. 152. Rationes vero quæ pro Ariſtotele militant affert BENED. PERERIVS *de comm. rerum natur. principiis l. VI. c. 19. pag. 388.*

immitti.[o] Quem fontem animæ rationalis ſtudioſe quidem occultat, prodidit tamen loco quodam non obſcure, quid de eo ſentiat. Ait enim, poſtquam animam vegetativam & ſenſitivam extrinſecus non accedere demonſtraverat, quia cum actionis corporalis ſint, ſine corpore ineſſe nequeant: λείπεται δὲ, τὸν νῶν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον: *Reſtat itaque mentem ſolam foras ingredi, & ſolam divinam eſſe.* 3. Vnde vero immittatur mens ab anima diſtincta in corpus, id nuſquam diſerte tradidit, etſi eodem loco dicat, in ſemine contineri non ignem vel talem aliquam facultatem, ſed ſpiritum, & naturam, quæ in eo ſpiritu eſt proportione reſpondentem elemento ſtellarum. Ex quo loco eruditiſſimus MOSHEMIVS[p] colligit, calorem aliquem naturalem, ut alio loco vocat, ex ſideribus forte ſuccenſum & per univerſam rerum naturam fuſum eſſe, hujusque naturæ partem ſemen excipere ſicque mentem immitti. Vt enim hoc de mente ſive intellectu activo intelligatur, antecedentia obſtant, ubi diſerte tradit philoſophus: animam vegetativam in prima conceptione tantum eſſe, ſenſualem etiam, qua animal eſt procedente tempore recipi, & tum rationalem. Si vero tempore procedente demum fœtui jam concepto immittitur mens, ut hic luculenter docet, in ſemine maris immitti ea nequit.[q] Nec dubitamus nos, ipſum Ariſtotelem, hoc in loco vehementer confuſum, neſciviſſe, quid de animæ origine ſtatuendum ſit, & quod ipſe fatetur, dubitatione plenum eſſe, quonam tempore & quomodo & unde mentem recipiant, qui ea gaudent. Vnde quæ poſtea de ſeminis natura & calore, ſive de ſpiritu vitali tradit, non ad mentis ortum, ſed potius ad id, in quod mens divinæ originis & incorporalis naturæ immittitur, & ſedem ei præbet, referendum eſt.[r] 4. Reliquit itaque conjecturis definiendum[s] Ariſtoteles, quinam ille fons animarum ſit, vel mentium potius, ab omni materiali concretione ſeparatarum, & utrum illa mens una tantum eſſet in tota ſpecie humana, an ſua ſingulis tribueretur, an ut actus informans, an ut aſſiſtens. Quod ſi Ariſtotelis totam, quam nobis dedit, phyſiologiam conſideramus, omnino veriſimile putamus, intellexiſſe eum per fontem mentium intelligentiam æternam, in tota ſpecie humana unam, quæ omnibus hominibus adſit, non ut forma, ſed ut motor ſuo mobili.[ſ] Nec ab hac opinione, quæ conſtitutionem totius ſyſtematis phyſici apud Ariſtotelem fundamentum habet, diſſentiunt magnopere Alexander,[ſſ] Averroës & Zabarella, niſi in eo, quod primam intelligentiam eum fontem eſſe putent; cum potius intelligentia ultima intelligenda eſſe videatur, quæ intellectum univerſalem agen-

o) *De. gener. animant. l. II. c. 3. p. 819.* conf. GREG. NAZIANZ. *or. de Sp. S. p. 220.* ARISTID. QVINT. *de muſic. l. III. p. 134.* conf. WALCH. *Parerg. Acad. p. 305.*

p) Ad CVDWORTHVM *p. 67. & p. 1172. ſeqq.*

q) *De gener. animal. l. III. c. 11.* conf. CICERO *Tuſc. Qq. l. I. c. 10.*

r) Recte id quoque obſervatum cel. WALCHIO *p. 313.* & ante eum IAC. THOMASIO *l. c. §. 168. ſeq. p. 216. ſeqq.*

s) Recte id obſervatum BERIGARDO *l. c. p. 126.*

ſ) Omnes enim intelligentiæ Ariſtotelis aſſiſtentes tantum ſunt ſphærarum, non informantes.

ſſ) *De anima l. II. c. 15.* quocum facit etiam CHR. SONERVS *Metaph. l. V. c. 6.*

agentem omnibus hominibus communem conſtituit, quæ hominum phantaſiæ conjuncta, plures efficit quodammodo animas rationales.[t] Qua de re, quid contra Averroiſtas, Achillinum, Pomponatium, Portium aliosque ſcriptum, & ab iis reſponſum eſt, conſuli, ubi occaſio ſe exhibet, velimus. Quam de anima ſententiam Ariſtoteles a Platone mutuo accepit, & more ſuo obſcuravit, cui mens pariter ex anima mundi decerpta eſt. 5. His ſuppoſitis anima hominis, qua talis, mortalis neceſſario dicenda eſt. Etſi enim ipſa mens immortalis eſt, cum univerſalis illa anima non moriatur, ab homine tamen moriente, cui loco formæ impreſſa & immiſſa eſt, ſeparatur, & cum antea phantaſiæ juncta animam rationalem conſtituerit, nunc diſcedens cui aſſiſtentem ſe præbuerat, animam hominis mortalem deſerit: ſicque anima hominis, qua ejus anima eſt, mortalis eſt. Verum in re obſcuriſſima conjecturarum fatis eſt; unde reliqua, quæ dici poterant, non moramur, hoc unum obſervaviſſe contenti, non confundendum eſſe hunc animorum fontem Ariſtoteleum, non tantum cum univerſali ſpiritu ſive calore, qui vitæ ſenſitivæ fons eſt, & una cum ſemine immittitur, verum nec cum anima mundi Stoica & Platonica, animarum ſcaturigine. Stoica enim familia Deum ipſum per omnes mundi partes diffuſum, ut informantem ejus partem, fontem mentibus præbere ſtatuebat, Plato animam dividui & individui participem Deoque inferiorem, ſed divinæ tamen originis mentibus fontem aſſignabat; Ariſtoteles intelligentiam Deo inferiorem, ceu formam aſſiſtentem animis originem dare contendebat. Id quod ad diſtinguenda ſectarum placita omnino notandum eſt. [u]

Metaphyſica Ariſtotelis.

§. XVII. A rebus naturalibus, & mobilibus, ad conſiderationem earum rerum, quæ naturam rerum viſibilem & mobilem tranſcendunt, & immobiles ſunt, adeoque generaliorem cognitionem requirunt,[v] tranſit, quæ quoniam priores natura eſſe debent, quam res mobiles, ideo metaphyſicam primamque philoſophiam vocavit. Non enim ſolas mentis notiones & abſtractiones univerſales iſta philoſophiæ parte comprehendit, ut poſtea fecere, ſequius ſecundum Ariſtotelem philoſophantes Scholaſtici, ſed naturarum ſpiritualium ipſiusque DEI conſiderationem ea comprehendit; ſicque theologiam quandam naturalem atque philoſophicam exhibuit. Nuspiam vero

t) Niſi velis eſſe intelligentiam iſta adhuc inferiorem, ut volunt Arabum quidam, conf. IAC. THOMASIVS *de exuſt. mundi Stoica, diſſ. XIV. §. 153. p. 213. ſeqq.* & quos laudat SYRBIVS *phil. prim. p. 435.* qui tamen vix cum Ariſtotelis ſyſtemate conciliari poſſunt.

u) Conf. THOMAS. *l. c.* Sunt ex veteribus & in his ATHENAGORAS *leg. pro Chriſt. p. m. 7.* ed. Pariſ. & CLEM. ALEXANDRINVS in *Protrept.* qui referunt, Ariſtotelem Deum habuiſſe pro anima, cujus corpus ſtellæ & ſiderum fixorum ſphæra ſint. Vnde eum inter animæ mundi patronos retulit CVDWORTHVS *Syſt. intell. p. 181. ſeqq.* Eos vero non audiendos eſſe, nec trahendos in patrocinium animæ mundanæ, recte monuere IAC. THOMASIVS *l. c. p. 212.* & cl. MOSHEMIVS *ad l. c. Cudw.* nam qui mundi animam ſtatuunt, de informante, non aſſiſtente anima loquuntur: PP. vero dicti hanc non illam intelligunt, ait enim Athenagoras: *animam Deum eſſe ſphæræ ſtellarum fixarum, ratione motionis iſtius, cum ipſa non moveatur, ſed corporis motum efficiat eique præſit.* Nec hi accurate Ariſtotelis mentem exprimunt, non enim omnibus ſphæris, ſed ſupremæ tantum Deus præeſt, ut ille vult. Etſi vero animam quandam ſpiritualem univerſo ineſſe credidit, nempe θερμότητα ψυχικὴν, quæ omnia permeat, illa tamen ad intelligentias non pertinet, ſed ad cœli naturam, & elementi quinti eſt, a Deo diverſi.

v) Metaphyſ. l. VI. c. 1. T. II. p. 692. V. 1. p. 9.

vero obſcurior fere eſt Ariſtoteles, quam in hac doctrinæ parte, tum quod veterum doctrinas fuſe refert, argumenta eorum affert & refutat, nec tamen ſatis a ſuis diſtinguit: tum quod notionibus maxime abſtractis immerſus, cum claras & diſtinctas ideas non haberet, incertis vagisque ſæpiuſcule uteretur nominibus: quam difficultatem ejus ſenſa genuina eruendi auxerunt, qui in purioris doctrinæ partes eum rapere omnibus viribus ſategerunt. Diligenter itaque totus nexus dogmatum tenendus & expendendus eſt, & inde de mente philoſophi judicandum. Nos ordinem ab eo inſtitutum, quem in metaphyſicorum libris tradidit, iterum ſequemur, ubi hunc in modum ſtatuit:

I. Metaphyſica ens conſiderat, quatenus ens eſt, ejusque principia. Eſt autem terminus entis analogus, atque primo de ſubſtantia dicitur, cujus una eſt eſſentia, de accidentibus autem non ſimpliciter, ſed quatenus ſubſtantiarum communia ſunt attributa. Hinc primario hæc ſcientia agit de ſubſtantia. [w]

II. Primum atque univerſale principium & axioma hoc eſt: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, in eodem nempe ſubjecto, eodem tempore & modo atque reſpectu. Ad hanc univerſaliſſimam omnis veritatis regulam omnis demonſtratio redit, ipſa, quia prima veritas, eſt indemonſtrabilis. [x]

III. Ens eſt vel per ſe, vel per accidens, vel potentia, vel actu, vel in intentione, vel reapſe. [y]

IV. Entis per accidens nulla datur ſcientia, eſt enim ſpecies non entis, neque cauſam per ſe habet.

V. Ens per ſe diſtribuitur, ſecundum decem prædicamenta.

VI. Eſt vero ſubſtantia id ipſum, quod ſubjicitur, in quo conſiderantur, materia, forma atque ratio, & compoſitum, ex his proprio magis ſenſu poſteriora ens dicuntur, quam materia, quæ tamen vere quoque ſubſtantia eſt & primum ſubjectum. [z]

VII. Materia prima primum eſt ſubjectum, & ultimo ſupereſt ſublatis omnibus corporis affectionibus, hinc neque ſubſtantia completa eſt, neque quantitas, neque in alio prædicamento. Materia vero a forma ſeparari nequit, nec ſingularis eſt aut determinata. Probe hæc materiæ primæ definitio obſervanda eſt, qua ab omnibus corporis affectionibus abſtractam, quatenus ſolum ſubjectum primum & univerſale rerum omnium eſt, ſibi concepit, & quam metaphyſica notione ſibi efformavit, in rerum & principiorum naturalium circulum intruſit. Ex quo inanes Peripateticorum de natura materiæ primæ diſputationes facili negotio poſſunt dirimi.

VIII. Forma id eſt, quod re ipſa dicitur eſſe, ſive tota rei natura & eſſentia, quæ definitione comprehenditur: habent vero ſubſtantiæ ſenſibiles propriam definitionem, ens per accidens non item. [a]

w) *l. I. c. 1. l. V. c. 1. l. VI. c. 1.*
x) *l. IV. c. 4. p. 668. ſeq.*
y) *ibid. c. 7. p. 679.*
z) *l. VI. c. 3. p. 693.*
a) *l. VI. c. 6. p. 696.*

IX. Potentia eſt vel agens vel patiens. Potentia activa, eſt principium motus aut transmutationis in altero, vel quod inſtar habetur alterius.[b]

X. Potentia paſſiva eſt in patiente, nec poteſt motus hujus a motu agentis potentiæ divelli, etſi in diverſis ſubjectis ſint.

XI. Potentiarum aliæ ſunt rationales, aliæ rationis expertes.[c]

XII. Potentia manet in rebus, licet actu ſe non exſerat.[d]

XIII. Non dantur potentiæ, quorum actus ſunt impoſſibiles. Poſſibile enim eſt, quod ex aliqua potentia conſequitur, vel conſecuturum eſt.[e]

XIV. Potentiæ vel ſunt naturales, vel conſuetudine acquiruntur, vel diſciplina diſcuntur.

XV. Actus eſt, quando aliter res eſt, quam erat in potentia.[f]

XVI. Omnis actus prior eſt potentia, omnique eo quod potentia continetur, ratione, eſſentia & tempore.[ff]

XVII. Ens intentionale eſt vel verum vel falſum. Vere intellectus affirmat, ſi judicium rei conforme ſit; falſo, ſi conforme ſit minus.

XVIII. Sunt autem etiam verum & falſum in ſimplici rerum apprehenſione, non tamen per enunciationis modum, verum ſimpliciter & per modum perceptionis.

XIX. In rerum immutabilium ſcientia intellectus decipi non poteſt, ſed in ſolis rebus contingentibus & mutabilibus.

XX. Vnum entis affectio eſt, non ſubſtantia, ſed categorema, & prædicatum cujusque rei, in quantum ea eſt ens. Vni autem opponuntur multa. Ad unum refertur idem, æquale, ſimile.[g]

XXI. Diverſa ſive genere ſive ſpecie talia ſunt: genere diverſa ſunt, quæ eandem non habent materiam, vel genus; ſpecie diverſa ſunt, quorum idem eſt genus.[h]

XXII. Subſtantiarum tria ſunt genera, duo naturalium ſubſtantiarum, quorum unum corruptibile, ut animalia, alterum ſempiternum, ut cœlum. Tertium genus immobile eſt.[i]

XXIII. Dari perpetuam aliquam & immobilem ſubſtantiam, neceſſarium eſt, quia datur motus localis æternus, circularis cœlo proprius, qui initium habere non potuit. Si autem æternum tempus & motus eſt, neceſſario ſequitur, non tantum eſſe ſubſtantiam, in quo motus ſit, æternam, ſed ſubſtantiam etiam, quæ cum ipſa non moveatur, ſive, immobilis ſit non potentiam tantum movendi contineat, ſed & actu ipſa moveat, actu puriſſimo.[k]

XXIV. Subſtantias motus æterni effectrices materia oportet eſſe expertes, movent enim actu æterno, omnis expertes potentiæ.

XXV.

b) *l. IX. c. 1. p. 711.*
c) *c. 2. p. 712.*
d) *ib. c. 3.* Hoc oppoſitum Megaricis.
e) *ib. c. 4. p. 713.*
f) *ib. c. 6. p. 715.* Hoc vero non de tempore ſemper intelligendum eſſe, monet, ſed ratione & eſſentia ſemper.
ff) *ib. c. 10. p. 717.*
g) *l. II. c. 4. l. IV. c. 6. p. 678.*
h) *ib. c. 9. p. 680.*
i) *l. XI. c. 1. p. 738.*
k) *ib. c. 6. p. 740.* ſequimur vero verſionem doctiſſimi interpretis STANLEII, reliquis emendatiorem.

XXV. Talis ſubſtantia, circulari motu commota cœlum eſt; generationum vero & corruptionum vices non primo debentur cœlo, quod eodem modo ſemper movet, verum inferioribus ſphæris maxime ſolis.

XXVI. In æternum eſt igitur primum cœlum, æterno enim agitur motu, præter quod aliquid eſſe oportet, quod æternum movet, & ſubſtantia & actus eſt, & nunquam movetur.

XXVII. Primus ille motor movet appetendo & intelligendo, etſi ipſe non moveatur. Motio autem primi moventis quatenus eſt prima cauſa effectrix conſiſtit in ejus influxu, qua efficienter concurrit cum intelligentiis inferioribus ad movendas earum ſphæras.

XXVIII. Vis igitur effectrix primi motoris in applicatione conſiſtit virium motorum inferiorum, ad proprium ipſis opus, ad quod cum eis agendo concurrit ita, ut aliunde ejus actio non dependeat. Ita intelligentiæ cœlum movent, non generationis rerum inferiorum cauſa, ſed propter bonum iſtud pulcherrimum maximeque expetendum, cui conformari ſe cupiunt. [I] Difficillima hæc pars ſyſtematis metaphyſici Ariſtotelis, quæ vero totam rationem & fundamentum ejus complectitur. Poſtquam enim per ſcalas ſubſtantiarum ad primam ſubſtantiam aſcenderat, fontem omnis motus, quem e cœli motu circulari & perfectiſſimo atque æterno derivaverat, detecturus, tandem ad primum motorem pervenit, quia motus in infinito quærere cauſam ipſe videbat eſſe abſurdum, & tamen motum eſſe æternum ſtatuebat; quo jure, quave injuria, jam dicendi locus non eſt; ſufficit, Ariſtotelem ita fuiſſe ratiocinatum. Hunc motorem itaque immobilem eſſe & tamen æternum movere, ex hac cauſa erat neceſſarium; aſt modum, quo illum motum prima illa cauſa, & omnis motus principium efficeret, indicare, hic hærebat aqua philoſopho. Non enim ineſſe animam orbibus cœleſtibus, quæ inſita vi eos moveret, dicere licebat, licet id contendat CVDWORTHVS; [II] hoc enim toti ſyſtemati Ariſtotelico contrarium eſt, & primis ejus notionibus de materia, motuque locali; aſſiſtentes itaque ſphærarum cœleſtium, unde reliquarum infra lunam rerum motus penderet, motores excogitabat, & ut his motus cauſam aſſignaret, ſupremæ ſphæræ primum motorem alligabat. Quem cum omnis quantitatis & materiæ adeoque omnis quoque motus vacuum eſſe, dicere cogeretur, quia pro certo ſumebat, quodcunque movetur, movetur ab alio, proceſſum vero in infinitum recte repudiabat, tanquam contradictorium, alia movendi ratio, quam quæ in materia eſſet, excogitanda erat, qua ſphærarum ſuprema, & ſimul intelligentiæ reliquis ſphæris præſidentes moverentur. Difficillimæ vero quæſtioni ſolvendæ impar, cum de ſubſtantiæ ſimplicis immaterialis, immobilis natura parum haberet, quod diceret, a mentis humanæ ſimilitudine rationem deſumſit, ratus, movendi actum æternum in primo motore, eodem modo, quo in mente hominis, licet in perfectione metaphyſica, fieri.

I) *ib. c. 7. p. 742.*

II) *l. c. p. 183. ſeqq.* quam ſententiam jam evertit THOMASIVS, & poſt eum MOSHEMIVS *ll. cc.*

Ad animum vero humanum attendens, cum videret, ad mentis ideam & voluntatis decretum, ſequi motum non animæ tantum, ſed & corporis; localis motus, uti ſupra demonſtravimus, principia poſuit intellectum practicum & appetitum: [m] utrumque non tam efficienter quam finaliter operantes, hocque pro primario localis motus principio admiſſo, ſic egregie explicatam putabat quæſtionem, quæ tot magna ingenia, Ariſtotele longe ſuperiora exercuit, qua ratione anima agat in corpus? Hæc ad primum motorem applicans, cum aliud non haberet, quod cauſam motus, ita, ut tamen ipſe non moveretur, explicaret, dixit movere eum ὡς ἐπιθυμητὸν, ὡς τὸ ὀρεκτὸν, ὡς νοητὸν, ὡς τὸ ἐρώμενον, *ſicut appetibile, ſicut deſiderabile, ſicut intelligibile, ſicut amabile.* Fatemur, nihil jam nos clarius ſcire, qua ratione Deus moveat; adeo obſcura ſunt omnia, quæ dicit, nec miramur, ex hoc ligno finxiſſe ſibi Mercurium, qualem vellent, interpretes, certiſſimum enim eſt, Ariſtotelem ipſum ea non intellexiſſe, & quæ ipſi de mente hominis myſteria erant, cum ad Deum transferret, prorſus incognita & obſcura manſiſſe; ſed hæc in homine ita philoſophari per notiones vagas obſcurasque & ideas nihili ſueto, ut ignorantiam tegeret, eo magis ferenda ſunt, quo magis etiam hodie maximis viris nondum ſatis exploratum eſt, qua ratione ſpiritus puri moveant? motusque in materia cauſa queant eſſe efficiens? Non vero Deum in ſe tantum tanquam primum motorem conſiderabat Ariſtoteles, ſed tanquam eum, a quo reliquæ intelligentiæ dependerent, & forte etiam (licet mentem hac de re ſuam non expoſuerit) emanaverint. Quæ cum æternum motorem tanquam optimum & perfectiſſimum exemplar intueantur, & deſiderio ferantur, motum primi principii ſui admittendi, ipſi quoque modo intelligibili moventur, [n] ſphærasque ſuas movent, ſicque reliquis motus cauſa ſunt, & æterni quidem in circulari cœli motu, mutabilis vero in motu rectilineo. Verbo ut, quantum licet, clare mentem Ariſtotelis, prout nobis videtur, explicemus, id fere dixit, quod alii ita efferrent: Deus neceſſario eſſentiæ ſuæ, potentiæ & bonitatis actu & poteſt movere omnia & vult ea movere, ideoque reapſe moventur. Quod num ſolvendo difficillimo problemati aptum ſatis & ſufficiens ſit, noſtrum hoc loco non eſt diſpicere. Certe ſi qua in lucem protrahi poteſt obſcuriſſimum dogma, ita explicandum videtur, & detegenda hoc quoque loco magni viri aſyla ignorantiæ. Quæ enim interpretes attulerunt, coacta omnia ſunt, quæque imprimis Platonici recentiores, & in his Simplicius adducunt, aperte ſcopum conciliandi Platonem cum Ariſtotele produnt. Vnde abjicienda quoque ſententia, de Deo, ceu anima mundi, ſphæras movente, quæ miſero ſyncretiſmo & pudenda confuſione Platonicas hypotheſes miſcet cum Ariſtotelicis, vel potius utrasque turpiter pervertit.

XXIX. Primus hic motor perfectiſſima fruitur vita & jucundiſſima atque æterna, quæ in eo conſiſtit, ut ſe ipſum intelligat, & cum infinita delectatione contempletur. XXX.

m) *De anima l. III. c. 10.*

n) Hinc Alexandro Aphrodiſienſi & poſt eum accuratioribus Peripateticis obſervatum, Deum movere, non ut cauſam efficientem, ſed ut cauſam finalem, quod ex allatis lucem capit. Conf. *Conringiana p. 125.*

XXX. Hic primus motor Deus eſt, æternum ac vivum ens entium nobiliſſimum, ſubſtantia immobilis, a rebus ſenſibilibus diverſa, quantitatis corporeæ atque partium expers, quæque dividi nulla ratione poſſit. Sine his enim æternus & primus motor eſſe non poſſet. [o]

XXXI. Poſt primam illam ſubſtantiam, cœli primi motorem alias eſſe oportet ſubſtantias materiæ expertes, æternasque, inferiorum ſphærarum motibus præfectas, & juxta numerum & ſeriem ſphærarum præſidentes. [p]

XXXII. Deos eſſe primas illas ſubſtantias cœlum moventes, antiqua traditio eſt, atque ea vere divina doctrina eſt: quod addunt vero, forma hominum eſſe eas, vel aliorum animantium, id ad rudem tantum plebem inſtituendam inventum eſt, legum & vitæ commoditatis cauſa. [q] His dæmonologia Ariſtotelica comprehenditur, quæ occaſionem ejus interpretibus dedit diſquirendi, num dæmones crediderit, id quod illi affirmarunt non ſine contentione, quorum intererat Ariſtotelem in ſcholas & cathedras theologicas admiſſum ab omni maleſana doctrina liberari penitus, & chriſtianis dogmatibus conciliari; negarunt viri quidam docti paulo acutiores & præjudicio iſto non impediti; [r] dubius hæret CVDWORTHVS. [s] Quæ vero pro hac re afferuntur loca, [ff] partim obſcura ſunt, quia incertum, quo ſenſu nomen dæmoniorum intellexerit, quamve ei poteſtatem ſubjecerit Ariſtoteles, partim ex aliorum loquuntur opinione. Nobis in hac re allato Metaphyſicorum librorum loco ſtandum eſſe, æquiſſimum videtur, quo aperte dicitur, dari ejusmodi intelligentias, & ſubſtantias ſimplices atque immateriales, easque Deos illos eſſe, quas majores, & viri priſci in mythologiis expoſuerunt: reliqua fabulis annumeranda eſſe: quibus verbis reliqui dæmones plane excluduntur, & ad præſides ſphærarum cœleſtium numerus eorum alligatur. Quibus an preces & ſacrificia offerenda ſint, cultusque & veneratio divina, cautus non explicuit; veriſimile tamen, Ariſtotelem ea inter iſtas fabulas, ad popellum deliniendum & compeſcendam plebeculam, excogitatas, retuliſſe. Cum enim omnia ex naturæ neceſſitate motusque æterni lege agant, iis quæ ſub luna ſunt, vel naturæ calidive univerſalis motui, vel intellectus univerſalis agentis conſilio, vel caſui & fortunæ permiſſis, ut ex phyſiologia Ariſtotelis ſequitur, cur quæſo preces & ſacrificia maximopere commendet, & inanibus cruciet laboribus hominum animos philoſophus? Vtrum vero hæ intelligentiæ a Deo genitæ ſint, de eo Ariſtoteles mentem non explicuit, qui enim a CVDWORTHO [t] affertur locus, huc non pertinet; nec monet inepte doctiſſi-

o) Loca Ariſtotelis congeſſit IONSIVS *de Scr. Hiſt. phil. l. I. c. 1. p. 9.* & ven. WALCH. *Parerg. Ac. p. 248.*

p) *ibid. c. 8. p. 743.* q) *ibid. p. 744.*

r) COQVAEVS *ad* AVGVSTIN. *de C. D. l. II. c. 4. n.* O. TOB. MAIOR. diſſ. *de nat. & cultu angelor. §. 2.* MOSHEM. *ad l. citandum* CVDW. CONRINGIVS *Conringian. p. 127.* qui eum *Met. l. IV. c. 8.* vel ex communi opinione loqui, vel quartum illud animalium genus intelligi putat, quod *l. III. de gen. an. c. 11.* ſub luna habitare putat.

s) *Syſt. intellect. c. IV. §. 24. p. 491.*

ff) *l. c.* & *Rhetor. l. II. c. 33.*

t) *l. c. c. IV. §. 24. p. 497.* Valde occupatus erat animus magni viri, cum præſtantiſſimum librum ſcriberet, hypotheſibus & rationibus Platonicorum recentiorum, juxta quorum cogitata ſæpe perperam aliorum philoſophorum placita explicat.

ctiſſimus ejus interpres, vix poſſe intelligi, qui potuerint a Deo gigni, qui ab æterno ſphæris ſuis alligati ſunt. Nam æternam rerum omnium, qualis nunc eſt, faciem admittebat Ariſtoteles, nec admittere non poterat, falſa motus idea & definitione deluſus: unde fruſtra ſunt, qui vel materiam vel mundum Deum ex ſe produxiſſe Ariſtoteli tribuunt; [u] vel plane creationem ex nihilo inſana interpretatione illi affingunt. [v] Vtrum vero non conceperit animo, intelligentias non generationis quidem, neceſſariæ tamen emanationis & eſſentialis dependentiæ nexu in origine ſua primæ intelligentiæ jungi, de eo diſputari forte poſſet, firmatque conjecturam, quod Deum finem motus illorum neceſſarii fecerit: qui cum externus eſſe nequeat, quia omnia in hoc ſyſtemate divino neceſſaria ſunt, internus eſt, & ita ex eſſentia atque natura ejus, & intelligentiarum ab eo dependentia oriri debet. Verum in incertiſſima re nihil definimus.

Atheiſmus Ariſtotelis.

§. XVIII. Hæc eſt metaphyſicæ, Ariſtotelicæ facies, quæ plura quidem, quam quæ allata ſunt, comprehendit, his tamen præcipuis fundamentis atque capitibus nititur; quæ enarraſſe pro inſtituti noſtri ratione, ſatis erit. Liceret jam nobis ad moralem philoſophiam Ariſtotelis progredi, niſi promiſſi ſupra facti memores occaſio moneret, de religione & pietate Ariſtotelis paucis differere; de qua non niſi expoſita ſyſtematis ejus metaphyſici ſive theologici facie judicari poſſe, diximus. Vt vero fidem liberemus, & an jure vel injuria in atheorum claſſem Ariſtoteles referatur, definiamus, prolixe non congeremus ea, quæ magnus veterum & recentiorum numerus vel pro Ariſtotele, vel contra eum dixit. Loca utriusque partis pleraque adduxere viri de ſacris & elegantioribus literis præclare meriti, IOH. GEORGIVS WALCHIVS, [w] IOH. ALBERTVS FABRICIVS, [x] IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS, [y] quibus facile plures addi poſſunt, [z] qui ab iis, qui peculiarem atheiſmi hiſtoriam quærunt, conſuli debent. Nos inſtituti memores, paucis mentem hac de re noſtram ita explicamus, ut veterum dogmatum ſtudioſo occaſio detur, accuratius & ordine debito in rem ipſam inquirendi. Et primo quidem in ipſa athei definitione & ex eo transſumendo nomine accurate hic verſandum eſſe monemus. Solet enim bifariam vox hæc accipi: Vel enim philoſophum indicat, qui directa ſyſtematis ratione Deum ex univerſo tollit, & nihil niſi univerſum hoc varie modificatum pro numine habet; vel talem innuit, qui Deum quidem aſſerit, talem vero de Deo ſibi effingit ideam, quæ veram de Deo notionem evertit, Deumque facit quaſi non Deum. Referuntur etiam a non-

u) Ita Alexandrini Platonici, ut ſuo Platoni reformato Ariſtotelem conciliarent, ſed perperam, ut enim motus, ita tempus quoque illi æternum eſt. Hoc vero poſito ortus mundi a Deo locum non habet, quia tempus, & mundus, qui in Deo eſt, prius & poſterius in præſenti jungit.

v) Vide quos nominat MOSHEM. *ad Cudw. p. 211. n. 4.* & in diſſ. *de creat. ex nihilo l. c. §. 21. p. 980. ſeq.* Quorum hominum inſaniam poſt PERERIVM *l. c.* & PATRICIVM *l. c. T. V. l. IV. p. 400.* IAC. THOMASIVS *l. c. diſſ. IV. p. 58.* caſtigavit.

w) In luculenta tractatione *de atheiſmo Ariſtotelis Pareg. Acad. p. 298. ſeqq.*

x) *Del. argum. de V. R. C. c. VIII. §. 3. p. 307.*

y) *Hiſt. Atheiſmi S. II. c. 27. p. 182. ſeqq.*

z) Recentiſſime pulchre de hac re diſſeruit MOSHEM. *ad Cudw. p. 500.* Integram vero tractationem exſpectamus a cl. ZIMMERMANNO, qui per multos jam annos hiſtoriam atheiſmi molitur.

a nonnullis in hanc claſſem ii, qui dogmata venditant, facilem ad atheiſmum viam ducentia, qualia ſunt, negata DEI providentia, ſcepticiſmus moralis, mortalitas animæ, & quæ his ſunt ſimilia; ut taceamus ea, quæ a nonnullis de atheiſmo practico ſolent inculcari, quæ cum grano ſalis accipienda ſunt, & huc non advocanda, niſi turpis vita ex dogmatum natura oriatur. Multum in diſputatione de Ariſtotelis atheiſmo in neglecto hoc vocis diſcrimine peccatum & de verbo litigatum eſſe conſtat. Deinde & ad hoc attendendum eſſe jubemus, unde & ex quibus locis de celeberrimi philoſophi atheiſmo judicandum ſit? Solent enim nonnulli ex decerptis alieno loco verbis Stagiritæ de ejus religione judicium ferre, multi librum de mundo in ſubſidium vocant; quod tamen utrumque perperam fieri ex eo facile intelligi poteſt, quod liber de mundo incertæ fidei ſit, & ipſa potiſſimum totius ſyſtematis phyſiologici conſtitutio & ſumma ſit conſulenda. Ad quam attentum ſervantes oculum non negamus, ſi prima, quam poſuimus, ſignificatione de atheiſmo Ariſtotelis quæratur, eum ab hac macula abſolvendum eſſe. Motorem enim primum non deſcribit tantum, tanquam primam rerum omnium cauſam, ſed eum quoque mundo contradiſtinguit, & a materia totum natura ſeparat, ſubſtantiam ei per ſe, motum, intellectum & appetitionem tribuit, & ſupra omnia ponit, & ab eo totam rerum univerſitatem, non ut a cauſa informante, ut loqui ſolent, ſed ut ab aſſiſtente & extra movente dependentem facit; eumque Deum vocare nullus dubitat, eique ſubordinat intelligentias reliquas. Quod ſi vero altera ſignificatione de atheiſmo Ariſtotelis quæramus, valde timemus, ut quod homini a partium ſtudio alieno faciat ſatis, patroni Ariſtotelis pro eo afferre queant. Ejusmodi enim admiſit placita, quæ veram Dei naturam plane evertunt. Deum ille quidem facit motus omnis cauſam, verum non adjungit tantum ei vinculo neceſſario materiam; nec ullam ei in formanda illa poteſtatem tribuit, & formatam jam ad latus ponit, ſed & mundum cum omni ornatu ſuo æternum; motumque illum non a libera voluntate, ſed a naturæ neceſſitate derivat; impotentiſſimus itaque Deus eſt, qui non poteſt aliter, niſi quatenus vinculum illud, quo neceſſario cum mundo colligatur permittit. Quemadmodum itaque Deus immutabilis eſt, ita & mundus in ſe ſpectatus, & imprimis pars ejus primaria cœlum, non deterioris in eo quam Deus, conditionis. Nec poteſt quoque Deus ille aliquid, nec vult, quam quod neceſſario facit, nec id propter alios, ſed propter ſe. Æternæ enim ſuimet ipſius contemplationi deditus, nihil in tota univerſitate curat, de nulla re proſpicit, immo nec reliquarum intelligentiarum cura tangitur, ſed non aliter, quam primum mobile in machina, neceſſaria naturæ ſuæ lege movet, ſicque machinæ inſtar motum cum reliquis participat. Quæ æterna motorum cum ſphæris mundanis combinatio omnem prorſus libertatem DEI ejicit, & Deum ſua perfectione ſpoliat. Nec æternitas Deo adſcripta multum juvat, cum motui ab eo producto & æterno adjungat Ariſtoteles tempus æternum, quod prius habet & poſterius, quod non poteſt non eſſe in

æternitatem Dei injurium. Nec poteſt Deus Ariſtotelis eſſe immenſus vel omnipræſens, qui extremæ ſphæræ alligatus, a mundi partibus ſemotus agit, otioſus plane ſui contemplator; unde nec precibus honorari, nec ſacrificiis placari, nec mala punire, nec bonos juvare vel poteſt vel vult, longe deterior Deo Epicureo, qui præſtantiæ tamen cauſa colendus eſt. Nec intelligentiæ ei miniſtrant, quæ non aliter niſi partes machinæ, ad motum totius neceſſario cooperantur, de rebus ſublunaribus nihil ſollicitæ. Quæ itaque Dei partes ſunt? qui nec mundum condidit, nec ejus curam agit, nec liberior eſt machina quacunque, nec cultu Deo debito poteſt coli, nec a quo beneficia in homines ulla proficiſcuntur? Nec multum valent, quæ in contrarium afferuntur; magnificis enim verbis pauca & exilia dicendo vehementer lectores decipit Ariſtoteles. Vocat Deum operationem, [a] verum neceſſariam, ſuæque machinæ intentam; ſeſe tantum curantem, ſe contemplantem. Immortalis eſt & vita, ſed talis, quæ nulla actione conſtet, niſi movendi virtute neſcio qua inexplicabili, quæ in contemplatione ſui, indeque orto deſiderio & appetitu intelligentiarum conſiſtit. Curam vero aliquam hominum gerere etſi dicere videtur aliquo loco [b] Ariſtoteles, certum tamen eſt, eum ἐξοτερικῶς & ad populum eo in loco philoſophari. [c] Nec pro Ariſtotele militat, quod excipitur, opponere eum neceſſarium in conceptu Dei, non libero, ſed accidenti; non enim locum habere poteſt hæc diſtinctio, quia accidentis hic nulla datur conſideratio, ad quod libertas quoque referri debet. Non urgebimus dogmata, quæ atheiſmum quidem directe non involvunt, impia tamen ſunt, & ad eum facile ducunt, quale illud eſt, de intellectu agente uno univerſali, omnibus hominibus communi, quod Spinoziſmi accuſare in Abælardo, homine Ariſtotelis ſtudioſiſſimo non dubitavit P. BAYLIVS: mortalitas animæ, ſcepticiſmus moralis & his ſimilia. Alia, notata a viris doctis paſſim præterimus, & in his etiam, quod non facile ſyſtema ſit, quod revelationi tantopere contra eat, quam Ariſtotelis, cujus ſpecimina egregia paucis dedit magnus CONRINGIVS, [d] in philoſophi placitis accurate verſatus. Objicere præter hæc poteramus Ariſtoteli inconſtantiam in tradenda vera de Deo ſententia, gravi ἐγκλήματι ei exprobratam a CICERONE [e] & LACTANTIO, [f] niſi patientia lectoris non eſſet abutendum. Paucis ut dicta in unum contrahamus, CLAVDII BERIGARDI [ff] potius verbis, quam noſtris, utemur, eo quod in eodem cum Ariſtotele luto hæſiſſe viris magnis, præter rem viſus ſit. Ita vero acutiſſimus philoſophus: *Hoc in Ariſtotele occurrit reprehendendum, quod poſuit mundum, ejusque materiam primam*

a) De cœlo l. II. c. 3. *b) Ethic. l. X. c. 7. 9.*

c) Hinc dubitanter loquitur, & quidem non de Deo ſummo, ſed de diis, ſive intelligentiis, quarum ultima hominum res dirigit, dum mentem cum iis communicat. Hoc nihil ad providentiam Dei.

d) l. ſupra cit.

e) De nat. Deor. l. I. c. 13.

f) Inſt. div. l. I. c. 5.

ff) Præf. Circul. Piſan. P. I. Addi his poteſt, quod SEXTVS EMPIRICVS *adv. Math. l. X. f. 33.* Ariſtoteli objecit, Deum extremo cœli circulo inhabitare, vid. *de cœlo l. I. c. 3.* cum itaque is cœlum extremum occupet, quod locum tamen, ſi audias philoſophum, non habet; Deus neceſſario ſpatioſus locus extramundanus eſt. conf. cel. FABR. *ad l. c. Sexti.*

mam æternam, primum motorem primæ duntaxat ſphæræ medio circulo inſiſtentem, libertatis expertem, nihil aliud aptum intelligere niſi ſe ipſum, nec aliud efficere, quam motum æternum, proinde nec mundum, nec aliud quidquam ex nihilo creare poſſe, item de reliquis intelligentiis, quarum infimam videtur facere intellectum agentem & animam unam communem toti ſpeciei humanæ, unde ſurgit innumerabilium errorum ſeges.

Philoſophia practica Ariſtotelis.

§. XIX. Alteram philoſophiæ partem principalem, practicam atque moralem conſtituit Ariſtoteles, eamque in ethicam, politicam & œconomicam diſtribuit. Primæ ſcientiæ præcepta in libris *ad Nicomachum*, & in libris *magnorum moralium* atque libello *de virtutibus;* ſecundæ in *politicorum* libris octo; tertiæ in *œconomicorum* libris duobus tradidit. Etſi vero ſatis copioſus eſt in exponendis philoſophiæ moralis atque civilis placitis, exilis tamen & jejunus ob dictas ſupra cauſas plerumque eſt, neque argumentum exhaurit. Cujus potiſſimum inde ratio deducenda eſt, quod vera moralis philoſophiæ principia & honeſtatis fontes ignoravit, & abſurdis falſisque metaphyſicæ & phyſicæ notionibus corruptus nec facultatum animi humani indolem intellexit, nec naturam moralitatis perſpexit, falſaque inſuper perſuaſione ductus, in morali argumento non dari certum æternumque demonſtrationis ſubjectum, adeoque nullam quoque dari poſſe demonſtrationem, pernicioſum Scepticiſmum moralem invexit. [g] Alienum itaque non eſt, jejunam videri philoſophiam moralem Ariſtotelis iis, qui eam de naturæ moralis principiis naturalibus præcipere debere recte ſtatuunt. [h] Aliter tamen Ariſtoteles, qui cum phyſicam magis, quam ethicam, voluntatis humanæ notitiam poſſideret, [i] ea quæ mores hominum fingunt, ex civili potius felicitate, qualem ipſe in aula principum ſectabatur derivavit, quam ex natura hominis morali hauſit. [k] Mirum itaque eſt, potuiſſe per tot ſecula ethicæ Ariſtotelicæ viros non obeſæ naris pollicem premere, cum in nulla philoſophiæ parte magis pauper ſit, quam in hac, in qua aulicum quidem hominem, in aula Philippi vel Alexandri ad magnam fortunam aſpirantem, non infeliciter finxit, veram vero voluntatis humanæ felicitatem non promovit, nec eas homini regulas præſcripſit, quæ internam actionum humanarum honeſtatem reſpiciunt. Id quod nec ſalvis principiis ſyſtematis ſui facere poterat, nec magnopere ſcopus ejus poſtulabat, qui fuit, ut ex opinione hominum, in vita politica felicitatem ſectan-

g) Hinc *moral. l. II. c. 3. T. II. p. 16.* ait: *Scientiam parum aut nihil ad virtutem valere, ſed exercitationem, uſum & habitum.* Quod quale fundamentum habeat, ex iis intelligi poteſt, quæ ſupra de ſubjecto demonſtrationis ex ejus mente diximus. Hinc dijudicandi ſunt, qui, ut ſcepticiſmum moralem ab Ariſtotele removeant, oſtendere conati ſunt, demonſtrationi in moralibus locum eum feciſſe, quod ANDR. LVDOVICVS KOENIGMANNVS *pec. diſſ. ad l. c. Kil. 1707.* & IO. BVRC. MAIVS *diſſ. quod Ariſtoteles demonſtrationem doctrinæ moralis non incertam ſtatuerit Kil. 1706.* egerunt.

h) Conf. cl. STOLLE *Hiſt. phil. moral. gent. §. LXVIII. p. 89. ſeqq. Obſ. Hal. T. II. obſ. 2.* & recentiores paſſim.

i) Conjicit inde SOREL. *de perf. hom. p. 329.* Ethicam Ariſtotelis magis eſſe appendicem phyſicæ, quam novam philoſophiæ partem, eo quod magis in affectuum natura & origine, quam objecto & modo explicando verſetur.

k) Monuit hoc jam BOECLERVS *Inſtit. pol. l. I. c. 6. p. 82.* & BOSIVS *de compar. prud. civ. §. 15. p. 5.* add. BVDDEVS *Iſag. Hiſt. theol. l. I. c. 4. §. 31. p. 296.*

tium, discipulum instrueret. Et hinc ratio quoque patet, cur pulchritudinem, nobilitatemque inter felicitatis partes numeraverit; [l] affectuumque physicam indolem cum morali natura confuderit, mediocritatem ubique postulans; [ll] cur nec pietatem, [m] nec internam honestatem inter virtutis septa receperit: talemque virtutis faciem depinxerit, quæ aulicis potissimum hominibus, ad regis exemplum se componentibus, placere poterat, [n] neglecta ea, quæ virum magis probum, quam splendidum magnumque inter homines facit. [o] Summa vero præceptorum ejus moralium hæc est: [p]

I. Felicitas moralis, non consistit in voluptate corporis, nec in divitiis, neque in gloria civili, potentia & nobilitate, neque in contemplatione rerum intelligibilium, sive idearum. [q]

II. Sed consistit morale hominis bonum sive beatitudo in functione animi & operatione secundum virtutem; ac, si plures virtutes sint, secundum optimam & perfectissimam. [r]

III. Vita hæc secundum virtutem perfectam voluptatem habet in se inclusam, & delectationem. [s]

IV. Sunt tamen bona externa instrumenta quædam ad res præclaras secundum virtutes agendas, v. g. amici, divitiæ, potentia civilis, nobilitas generis, pulchritudo.

V. Summum itaque bonum acquiritur actione virtutis. [ſ]

VI. Sunt vero virtutes vel theoreticæ vel practicæ. [ſſ]

VII. Virtus moralis consvetudine & usu acquiritur, & quidem activa, non contemplativa. [ſt]

IIX. Est vero virtus habitus proæreticus in mediocritate consistens, quatenus ad nos refertur, quæque ratione est definita, & judicio prudentum. [t]

IX. Mediocritas autem, seu medium est inter duorum vitiorum extrema, quorum unum in excessu peccat, alterum in defectu.

X. Intelligitur vero eo mediocritas, quæ in perturbationibus atque actionibus est. [u]

XI.

l) *l. c. l. I. c. 9. p. 9.* quod in eo carpit I. LIPSIVS *manud. ad phil. Stoic. l. II. diff. XXI. p. m. 214.* ad virtutis Peripateticæ scopum non attendens.

ll) Patet hoc ex iis quæ *l. II. c. 5. p. 17* de natura virtutis moralis disputat, quam in mediocritate omnium affectuum ponit, hucque etiam odium, atque iram advocat.

m) Quæ enim de cultu Deorum dixisse refert SENECA *nat. Qq. l. VIII. c. 30.* ἐξωτερικῶς dicta sunt.

n) Hinc fortitudinem activam aliis præponit *l. III. c. 6.* passivam, sive patientiam contemnit *l. IV. c. 5.*

o) Patet hoc ex descriptione magnitudinis, ambitionis filiæ, *l. IV. c. 3. 4.* conf. SPRIT *fausseté des vert. hum. P. II. c. 15. p. 149. sq.* conf. C. THOMAS. *Hist. Iur. nat. c. IV. §. 10. p. 46.*

p) Elegans philosophiæ moralis Peripateticæ compendium exhibet STOBAEVS *Eclog. phys. & eth. l. II. p. 184. seqq.* ed. Canteri; quod Latinum exhibet interpres STANLEII *p. 475. seqq.* Nos ipsa Aristotelis verba exhibemus, cœptum tramitem percurrentes.

q) *Mor. l. I. c. 3. 4. 5.*

r) *ib. c. 6. l. X. c. 6. p. 101.*

s) *ib. c. 9. p. 9.*

ſ) *ibid. c. 10.*

ſſ) *ib. c. 13. p. 13.*

ſt) *Lib. II. c. 5.*

t) *ib. c. 6.*

u) *Cap. 8. 9.*

XI. Virtus vero consilio & voluntate fit; unde spontanea actio est, cujus principium in nobis est. [v]

XII. Virtus tribus rebus perficitur, natura, consuetudine ac ratione. [w]

XIII. Virtutum primaria est fortitudo, quæ est habitus mediocritatis inter formidinem & confidentiam, vel audaciam. [x]

XIV. Temperantia est mediocritas inter voluptatum excessum & defectum sive ἀναισθησίαν. [y]

XV. Liberalitas versatur circa pecuniam, estque mediocritas inter profusionem & sorditiem. [z]

XVI. Magnificentia est mediocritas circa sumtus magnos decorum servans, & medium inter insolentiam & indecoram parsimoniam servans. [a]

XVII. Magnanimitas est mediocritas in tribuendo & appetendo magno honore & judicio de suis meritis, medium tenens inter humilem & superbum animum. [b]

XVIII. Modestia est mediocritas circa appetendos honores parvos, medium tenens inter honoris contemtum & ambitionem. [c]

XIX. Lenitas est mediocritas, versans circa iram, medium observans inter iracundiam & lentitudinem sive torporem. [d]

XX. Popularitas sive facilitas est mediocritas circa studium placendi in congressu hominum & vitæ humanæ consuetudine, evitatque morositatem atque abjectum placendi studium. [e]

XXI. Integritas sive candor est mediocritas, in colenda veritate, media inter arrogantiam & dissimulationem. [f]

XXII. Vrbanitas est mediocritas circa ludos & jocos, quæ scurrilitatem vitat & agrestes mores. [ff]

XXIII. Verecundia perturbationi s. passioni similior est, quam habitui, estque metus quidam infamiæ, mediaque est inter impudentiam & nimium pudorem. [g]

XXIV. Iustitia est mediocritas circa actiones justas & injustas, estque duplex, vel universalis vel particularis. [h]

XXV. Iustitia universalis est observantia legum ad conservationem societatis humanæ. [i]

XXVI. Iustitia particularis est, mediocritas inter æquales suum cuique tribuens estque duplex, distributiva & commutativa. [k]

XXVII. Iustitia distributiva est, quæ cuivis civium pro merito præmia & onera distribuit, nititurque progressione geometrica. [l]

v) *Lib. III. c. 5.* Non poterat aliter statuere Aristoteles, qui Deum a rerum humanarum cura excludebat, & cuncta ad casum, fortunam & consilium referebat. Quantum vero hoc principium ethicum in ecclesiam admissum detrimentum attulerit, alio loco dicendum est.

w) STOB. *eclog. eth. p. 184.*

x) *l. c. c. 9.*

y) *Cap. 13.*

z) *ib. c. 4.*

a) *ibid. c. 10.*

b) *ibid. c. 12.*

c) *ibid. c. 14.*

d) *Lib. V. c. 2. p. 44.*

e) *ibid. c. 3.*

f) *ibid. c. 8. 9.*

g) *Lib. IV. c. 1.*

h) *ibid. c. 7.*

i) *ibid. c. 11.*

k) *ibid. c. 13.*

l) *ibid. c. 15.*

k) *ibid. c. 7.*

XXVIII. Iuſtitia commutativa eſt, quæ in commutatione rerum cuivis, quod ei debetur, tribuit, ſervatque proportionem arithmeticam.

XXIX. A juſto æquum differt, quod eſt correctio legis, qua aliquid ei deeſt, propterea quia generaliter loquitur: virque æquus eſt, qui non eſt juris interpres in ſua cauſa durior, vel in deteriorem partem propenſus. [l]

XXX. Hactenus virtutes, quæ eam animæ partem, quæ ratione caret, concernunt; ſequuntur virtutes quæ ineſſe debent ei parti, quæ rationi prædita eſt; id eſt, intellectui. [m]

XXXI. Sunt vero virtutum intellectualium ſive theoreticarum ſpecies quinque; ſcientia, ars, prudentia, intelligentia, ſapientia. [n]

XXXII. In moribus tria fugienda ſunt, vitioſa diſpoſitio, incontinentia, feritas; primæ virtus, alteri continentia, tertiæ virtus heroica opponitur, qua viri divini efficiuntur. [o]

XXXIII. Cum virtute amicitia conjuncta eſt, eſt autem amicitia benevolentia perfecta inter eos, qui par pari referunt; ſuſcipitur autem vel propter voluptatem, vel propter utilitatem, vel propter virtutem, hæc perfecta, illa imperfecta eſt. [p]

XXXIV. Ea quæ amici in amicos conferunt, & quibus amicitia circumſcribitur, ex iis, quæ ſibi quisque exoptat ac tribuit, profluunt, [q]

XXXV. Benevolentia non eſt proprie amicitia, ſed ejus initium, concordia ejus adjunctum. [r]

XXXVI. Scopus vero amicitiæ eſt dulcis vitæ ſocietas. [s]

XXXVII. Voluptates inter ſe ſpecie differunt.

XXXVIII. Vt vero inhoneſtæ voluptates hoc nomine indignæ ſunt, ita honeſtiſſima voluptas eſt, quam vir beatus & perfectus ex actionibus ſecundum virtutem, atque functionibus, quæ ejus munus perficiunt, capit. [ſſ]

XXXIX. Beatitudo, quæ in actionibus virtuti conſentaneis conſiſtit, vel contemplativa, vel activa, eſt. [t]

XL. Contemplativa, quæ in contemplatione rerum poſita eſt, præſtantior eſt activa, quia & mens eſt pars hominis optima, & res, quæ mens contemplatur, optimæ ſunt: unde etiam voluptas ex ſapientia optima.

XLI. Externa beatitudo externorum bonorum minor eſt, quam quæ eſt ex actione virtutum; quæ tamen illam [u] etiam requirit.

Potiora hæc ſunt & ſumma quædam moralis philoſophiæ capita, quæ in *moralium* libris *ad Nicomachum* ſcriptis Ariſtoteles tradidit. Eadem in libris *magnorum moralium* & *eudemiorum* perſequitur, ut inſtituta docebit comparatio, a nobis brevitatis cauſa prætermittenda. [x] Etſi vero multa

l) *ibid. c. 14.*
m) *Lib. VI. c. 2. p. 55. ſeqq.*
n) *Cap. 3. 4. 5. 6. 7.* *o*) *Lib. VII. c. 1. p. 63.*
p) *Lib. VIII. c. 1. 6. p. 75. 78.*
q) *Lib. IX. c. 4. p. 88.*
r) *ibid. c. 5. 6.*
s) *ibid. c. 12.*
ſſ) *Lib. X. c. 5. p. 99. ſeq.* LAERT. *l. V. ſ. 30. ſeqq.* ORIG. *philoſ. p. 139. ſeq.*
t) *ibid. c. 7.*
u) *ibid. c. 8.*
x) Loca *magnorum moralium* & *eudemiorum* parallela ad marginem ethicorum notata exhibet CASAVBONI editio, quæ conſulenda.

ta in his ſunt, quæ ad morum honeſtatem veram & internam nihil afferunt, quædam quæ eam deſtruunt, non privandus tamen laude ſua eſt Ariſtoteles, qui multa quoque egregia & vitæ humanæ accommodata in his libris dixit,[y] plura hujus generis allaturus niſi conſtitutum illi fuiſſet, philoſophorum ante ſe veſtigia ubique relinquere, quod jejunam de undecim virtutibus tractationem peperit.[z] Cogitandum etiam, quod in fine ethicorum egregie monet, ea quæ dixerat, protheoriam eſſe ad vitam civilem in republica & ſocietate humana feliciter & beate tranſigendam; unde recte ſtatuunt,[a] qui hanc de moribus tractationem non pro ethica, ſed politicæ parte generali habent; illi enim ſcopum ipſius Ariſtotelis ſequuntur. Patebit hoc clarius illis, qui politicæ ſpecialis præcepta ab Ariſtotele tradita evolvent, in quibus non tantum ea, quæ ad integrum imperii corpus faciunt enarravit, ſed etiam illa docuit, quæ ad ſingulas ejus partes pertinent. In quibus etſi ſui temporis, hominum magnorum[b] in quorum conſortio vivebat, circumſtantias plerumque reſpexit, fatendum tamen eſt, vidiſſe virum acutum, & inter imperantes & conſiliarios eorum educatum, atque cum iis diu converſatum multa, quæ utiliſſima & egregia ſunt, nec ignoraviſſe, imperantium ſophiſmata & arcana, quibus reſpublicas plerumque moderantur.[c] Hæc vero porro enarrare, nec inſtitutum noſtrum patitur, ab hac prolixitate alienum; nec libri Ariſtotelis politici minime integri, quos interpretes ſolent ſupplere. Videndi vero, qui introductiones, analyſes & commentarios in libros politicos dederunt.[d] Eadem ratio *Oeconomicorum* Ariſtotelis eſt, qui ad nos mutili pervenerunt, & partem tantum aliquam exhibent. In quibus non contemnenda quidem tradit Ariſtoteles, ſed regionibus, moribus, inſtitutis Græcorum conſonantia, & ad ſuorum temporum rationes exacta: quæ cum noſtram ætatem, moresque, ac familiæ rationes parum juvent, merito a nobis prætermittuntur. Addunt in his omnibus Ariſtotelis ſequaces plura, quæ tamen magiſtri veſtigia non ubique premunt, quæ ex iis diſci debent, quæ Ariſtotelici genuini enarratores expoſuerunt, inter quos Alexander Aphrodiſienſis, maxime commendari ſolet. Caute vero legendi Eclectici, qui propter ſtudium conciliandi Ariſtotelem cum Platone utriusque philoſophiæ faciem commaculaverunt. De quibus omnibus erudite diſputat FRANCISCVS PATRICIVS,[e] & nos neceſſaria trademus ſuo loco.

y) Non negant hoc acres Ariſtotelis cenſores, & in his CHR. THOMASIVS *l. c.*

z) Erudite hoc demonſtratum *Obſ. Hal. T. IX. obſ.* 7. *p.* 200. *ſeqq.*

a) BOSIVS *l. c.*

b) Philippi, Alexandri, Antipatris & Antiochi.

c) Expendenda ſunt, quæ *Polit. l. IV. V. VI.* hac de re tradit, conf. CONRING. *ep. prælim. ad* MACHIAVELLI principem.

d) Ex his H. CONRINGII *introductionem*, HEINSII *paraphraſin*, FELDENI *analyſin*, PICCARTI *Commentarium* recte laudat BOSIVS *l. c.*

e) *Libro ſæpius laudato.*

SECTIO

* *

SECTIO II.

DE SVCCESSORIBVS ARISTOTELIS.

§. I.

Succeſſores Ariſtotelis.

Hactenus, quantum limites tractationis permiſere, Ariſtotelis & philoſophiæ ab eo traditæ hiſtoriam accurate ſumus perſecuti; reſtant fata ſcholæ ejus ad Romanorum usque imperium paucis enarranda. Supra vero jam innuimus, Ariſtotelem ſcholæ ſucceſſionem tradidiſſe Theophraſto Ereſio, homini elegantis ingenii & doctrinæ. Eum ſecutus eſt Strato Lampſacenus, Stratonem Lyco, hunc Ariſto Cejus, Ariſtonem Critolaus, Critolaum Diodorus. Ita enim Peripateticæ ſcholæ integram ad tempora usque Auguſti, ſucceſſionem enumerant PLVTARCHVS [a] & CLEMENS ALEXANDRINVS.[b] Aliter quidem eorum ordinem inſtituit pluresque nominat *Anonymus vitæ Ariſtotelis enarrator;* [c] is enim ita eos ordinat, ut Theophraſtum, Stratonem, Praxitelem, Lyconem, Ariſtonem, Lyciſcum, Praxiphanem, Hieronymum, Pritanen, Phormionem, Critolaum Lyceum exornaſſe doctrina ſua dicat. Id vero de doctorum in Lycei cathedra ſucceſſione intelligendum non eſſe, temporum rationes & ipſa virorum horum hiſtoria demonſtrant, nihil itaque aliud voluit, quam celebriores poſt Ariſtotelem Peripateticos enumerare; inter quos fuere viri multa eruditionis & philoſophicæ quoque cognitionis laude inclyti, quorum celeberrimos quoque infra indicabimus. Repetendum vero eſt, quod in præcedenti ſectione pluribus demonſtravimus, ſubductos fuiſſe Lycei doctoribus poſt Theophraſti mortem libros Ariſtotelis acroamaticos & philoſophicos plerosque, & ignoraviſſe eos veram conditoris ſectæ mentem; mirandum itaque non eſt, diffidere placita Peripateticorum Græcorum, ante C. N. ab Ariſtotele, eosque ſuam philoſophiam ex conjectura magis, quam inſpectione fontium genuinorum ad Ariſtotelis mentem conformaviſſe. [d]

Theophraſtus.

§. II. Dignum itaque Ariſtotele ſucceſſorem ſchola Peripatetica nacta eſt THEOPHRASTVM, cujus hiſtoria admodum manca eſt apud veteres, & fabulis inſuper paſſim impedita. [e] Natus eſt Ereſſi maritima Lesbi urbe in colle poſita, & frumenti copia celebri: [f] hinc Ereſius nuncupatus eſt. Patrem habuit Melantam, [g] SVIDAE [h] Leonem dictum, vitæ genere fullonem;

a) *De exilio T. II. p. m. 527.*

b) *Stromat. l. I. p. 301.* qui tamen Ariſtonem omittit. conf. PATRICIVS *Diſcuſſ. Perip. T. I. l. X. p. 133.* IONSIVS *de ſcript. Hiſt. phil. l. I. c. 2. p. 59.*

c) Apud MENAG. *Comm. in* LAERT. *p. 201.*

d) Legenda, quæ hac de re docte diſſerit PATRICIVS *l. c. p. 157.*

e) Potiora de Theophraſto collegit LAERTIVS *l. V. ſ. 36. ſeqq.* & MENAGIVS *ad h. l.* ex recentioribus poſt PATRICIVM *l. c. p. 132.* vitam Theophraſti critica manu exaravit cel. HEVMANNVS *Act. philoſ. vol. III. p. 661.* add. STANLEIVM *Hiſt. phil. P. V. p. 491. ſeqq.*

f) Vid. STRABO *l. XIII. p. 618.* BAYLE *Dict. T. II.* art. *Ereſe.* Non confundenda vero eſt cum Ereſſo Bœotiæ, quod ab ALDOBRANDINO *ad l. c. Laërtii* factum.

g) Apollodorus apud LAERT. *l. c.*

h) In *Theophraſtus T. II. p. 179.* Non infrequens vero unius viri apud veteres duo fuiſſe nomina.

nem; qui, cum opibus forte non deſtitueretur, filium Muſis dicavit, & Alcippo philoſopho, Ereſſi habitanti, [i] erudiendum tradidit, a quo rudimenta philoſophiæ hauſit. Poſtea valde juvenis [k] Athenas delatus Platonem audiendi occaſionem nactus eſt, hocque fatis functo Ariſtoteli in diſciplinam ſe tradidit. Cui tantopere ingenii acumen, quo alios anteibat, placuit, ut, quod de Xenocrate & Ariſtotele dixerat Plato, ad Theophraſtum & Calliſthenem hic retulerit. Cum enim ingenio perſpicaci, Muſaque facili & expedita uteretur Theophraſtus, obtuſus, tardusque vero ingenio eſſet Calliſthenes, illum freno, hunc calcare opus habere profeſſus eſt. [l] Formavit itaque ingenium natura excellens & ad optimarum artium ſtudia accenſum optimus magiſter, & eloquentiæ atque philoſophiæ præcepta diſcipulo tanto præceptore digno tam feliciter tradidit, ut in utroque diſciplinæ genere præceptori vehementer probaretur. Tradunt veteres, [m] Ariſtotelem, offenſum aſperitate nominis, quod gerebat prius Tyrtami, primum illud in Euphraſti, poſtea in Theophraſti nomen mutaviſſe, ut divinam, qua pollebat, eloquentiam ſignificaret. Veriſimile vero vix eſt, Ariſtotelem in magiſtri diſciplina adhuc verſantis juvenis nomen ambitioſa ſignificatione auxiſſe, qualia cognomina ab eloquentia deſumta poſt fata magnorum virorum iis demum adjecta ſunt: [n] videturque admiratio eloquentiæ, qua præter alios excellebat Theophraſtus, occaſionem primo quidem alluſioni poſtea rumuſculo & traditioni [o] præbuiſſe, ut in aliis quoque philoſophorum nominibus eveniſſe conſtat. [p] Ad mortem vero Ariſtotelis usque cum eo converſatus eſt, Chalcidemque eo ſecedente, & rogantibus Ariſtotelem diſcipulis ſucceſſorem, a præceptore delectus eſt, qui Lycei gloriam tueretur, & Peripateticæ ſcholæ præeſſet. [q] Ariſtotele itaque defuncto ſcholæ curam ſuſcepit Theophraſtus, vitamque in horto egit, Demetrii Phalerei contubernio uſus, [r] tantoque applauſu Peripateticam philoſophiam profeſſus eſt, ut teſte LAERTIO, [s] bis mille diſcipuli ad eum audiendum confluxerint, inter quos præter Demetrium Phalereum, Nicomachus quoque Ariſtotelis filius fuit, [t] teſtamento a parente Theophraſti curæ commen-

i) LAERT. *l. c.* apud quem editi Codd. habent Leucippus, mſc. vero, teſte MENAGIO Alcippus. Is cum Eleatico philoſopho, qui Ereſius non fuit, confundendus non eſt.

k) LAERT. *l. V. ſ. 36.* Natus enim eſt Ol. CII. 2. ut ex anno emortuali patet; Plato obiit Ol. CVIII. 1. quo XXIII. ætatis annum Theophraſtus vix exegerat.

l) STRABO *l. c.* LAERT. *l. c. ſ. 39.*

m) CICERO *Orat. c. 19. 24.* PLINIVS *præf. l. I.* LAERT. *l. V. ſ. 32.*

n) E. g. Ioanni & Dioni Chryſoſtomo.

o) Traditioni incertæ recte adſcribit QVINTIL. *Inſt. orat. l. X. c. 1.*

p) Addit his cl. HEVMANNVS *l. c. p. 671.* Theophraſti nomen non ſignificationis activæ ſed paſſivæ eſſe.

q) Dictum hac de re *ſect. præced.* ubi etiam fabella de ea recitata & exploſa eſt. Factum hoc eſſe Olymp. CXIV. ait LAERT. *l. c.* Vix vero probabile, Ariſtotele ſuperſtite eum Athenis docuiſſe, conceſſerant enim diſcipuli Ariſtotelis cum eo Chalcidem.

r) LAERT. *l. V. ſ. 39.*

s) *ib. ſ. 37.* SVIDAS 4470. habet, numerum vero in mendo cubare, recte monet KVSTERVS *ad h. l.*

t) Theophraſtum eum habuiſſe in deliciis, ſcripſit Ariſtippus, qui tamen cum plerosque philoſophos præter rem accuſaverit, fidem non meretur.

mendatus, & Eraſiſtratus medicus,[u] ex quorum diſcipulorum fama de præceptoris præſtantia facile judicari poteſt. Commendavit ſe quoque eruditionis elegantia, morumque ſuavitate Caſſandro & Ptolomæo regibus, qui eum ad ſe arceſſiverunt.[x] Adeo autem Athenienſibus acceptus fuiſſe traditur, ut cum Agnonides impietatis eum accuſare auſus eſſet, parum abeſſet, quin in ipſum crimen retorqueretur.[y] Etſi vero Athenis quoque cedere cum aliis philoſophis cogebatur, Sophocle Amphiclidæ filio Olymp. CXVIII. 2. legem ferente, qua omnes philoſophos publicas habere ſcholas vetabat, niſi, ſi quibus ejus rei ſenatus populusque licentiam dediſſet; ſi quis ſecus facere deprehenſus fuiſſet, ei mortis pœna dicta eſſet: rediit tamen, ſequenti anno, cum Athenienſes legis latæ puderet, ut eam abrogarent, & Sophocli quinque talentorum mulctam irrogarent;[z] magnamque docendo atque diſputando famam Lyceo comparavit. Erat enim teſte Pamphila apud LAERTIVM,[a] doctrina & eruditione ſumma, & laboris patientiſſimus maximeque induſtrius, ſummaque cum perſpicuitate & eloquentia docebat. Aitque Hermippus apud ATHENAEVM,[b] ſtatis eum horis in ſcholam veniſſe, veſte ſplendida ornatum (ita enim exemplum Ariſtotelis ſequebatur) ibique conſidentem ita diſſeruiſſe, ut ne geſtum quidem prætermiſerit unquam, qui argumento, de quo ageret, non conveniret. Erat enim non philoſophus tantum, ſed & philologus,[c] variæque eruditionis ſtrenuus cultor, unde & more Græcorum pecuniam ad philoſophorum legavit conventus, non ut luxuriæ, ſed temperantiæ, & eruditorum colloquiorum occaſionem præberent.[d] Laudatur etiam ejus beneficentia, & amor in patriam, quam a tyrannis oppreſſam bis liberavit.[e] Grandævus tandem Olymp. CXXIII. 3. obiit, teſtamento prius edito,[f] annos natus LXXXV. Qui enim plures ei annos tribuunt, codicum veterum vitiis falluntur.[g] Mirum itaque non eſt, tam decrepitum fuiſſe, ut lectica circumferretur;[h] id quod ægre tuliſſe, & morti proximus *accuſaſſe naturam* dicitur CICERONI,[i] *quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, quo-*

u) De celeberrimo hoc medico videndus CLERICVS *Hiſt. Med. P. II. l. I. c. 2. p. 293. ſeqq.* aliique, qui veteres artis ſalutaris doctores enumerant.

x) LAERT. *l. c. ſ. 37.* *y*) *ibid.*

z) LAERT. *l. V. ſ. 38.* ATHENAEVS *l. XIII. p. 610.* conf. SAM. PETIT. *ad leges Atticas*, MEVRSIVS *de fortun. Athenienſ. c. 3.*

a) *l. V. ſ. 36.* *b*) *l. I. p. 21.*

c) Philologia quid ſit, enarrat VOSSIVS *de Philologia c. IV. p. 22.*

d) ATHENAEVS *l. V. p. 186.* De hoc Græcorum more aliquoties jam diximus.

e) PLVTARCHVS *adv. Colot.*

f) LAERTIVS *l. V. ſ. 57.* quod an genuinum ſit, hæremus.

g) In *præf. Characterum* enim legitur, ſcripſiſſe ſe libellum annos natum XCI. & HIERONYMVS *Ep. II. ad Nepotian.* ait CVII. ætatis anno expleto mortuum: Id quod pro vero admittit & in Laërtio mendum ſubeſſe ſuſpicatur FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 235.* qui tamen non cogitabat, ita notationes temporum a Laërtio & PLINIO *l. XV. c. 1.* allatas non conſtare, & locum in *præf. charact.* gloſſema, quod in textum irrepſit, aperte prodere: unde male fecit CASAVBONVS, qui in prima editione mendum agnoverat, quod in altera Laërtium corrigendum putaret, conf. *Act. Phil. Vol. III. p. 678.* locus Hieronymi parum probat, apud quem vel nominis corruptio eſt, vel memoriæ lapſus. Certe Lucianus Theophraſtum tam grandævum non omiſiſſet.

h) LAERT. *ſ. 41.* qui *ſ. 40.* ait: paulum ante mortem a laboribus ceſſaviſſe; viribus nempe deficientibus, quod tamen SVIDAS *l. c.* ita interpretatur, eum nuptiis diſcipuli præſentem a morte præventum, quod merito rejicit HEVMANNVS *l. c. p. 678.*

i) *Tuſc. Q. q. l. III. c. 28.* id vero Ariſtoteli tribuit SENECA *de brev. vit. c. 1.* qui eleganter de hoc

quorum id nihil intereſſet; hominibus quorum maxime interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet: quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita eruditetur: conquerebatur itaque, ſe tum, cum illa videre cœpiſſet, extingui. Addit & alia ad diſcipulos morientis monita LAERTIVS,[k] ſatis in iis exponendis obſcurus, quæ eo tendunt, „gloriæ ſtudio in vita humana „ multa jucunda amitti; nos vero, cum vivere incipimus, mori, adeoque „ gloriam, tanto impendio quæſitam vix attingi, ejusque ſtudium inane eſſe. „ Eſſe itaque vanitatem vitæ majorem, ejus gloria. Ideo hortabatur diſci- „ pulos, ut vel ſapientiæ ſtudium omitterent, cum grandis labor ſit, qui a „ paucis ad gloriam poſſit exantlari, vel omnes in eam vires intenderent, „ matureque ſectarentur, ut magna inde proveniat gloria. „ Inter quæ animum reddidiſſe dicitur, funusque ejus totus Athenienſium populus pedibus proſecutus eſt. Scripſit librorum ingentem numerum, quos cum magna eruditione fuerint referti, omnes enumeravit LAERTIVS.[l] Eos quidem recenſuerunt olim & digeſſerunt Andronicus & Hermippus, quorum tamen diligentia prohibere non potuit, ut potior pars periret. Superſunt *hiſtoriæ plantarum* libri X. *de cauſis plantarum* libri VIII. *de lapidibus, de ventis; de ſignis pluviarum, ventorum, tempeſtatis & ſerenitatis, de igne* libri II. *de odoribus, de ſudoribus, de vertigine* fragmenta, *de laſſitudinibus, de piſcibus in ſicco degentibus;* & præclarus libellus, qui *characteres morum vitioſorum* exhibet:[m] extat etiam fragmentum *metaphyſicorum*, & liber *de ſenſu*, de quorum librorum hiſtoria & deperditorum argumento poſt LAERTIVM & MENAGIVM, PATRICIVM & MEVRSIVM [n] omnium diligentiſſime differuit IO. ALBERTVS FABRICIVS,[o] qui videndus. Obtrectatores & adverſarios paſſus eſt imprimis Epicurum, & celebre ſcortum Leontium, quæ ſcripto quoque Theophraſtum refellere aggreſſa eſt. [p]

Dogmata Theophraſti propria.

§. III. Etſi vero inter chariſſimos diſcipulos primum apud Ariſtotelem locum Theophraſtus obtinuit, dignum tamen philoſopho, Ariſtotele, ut ait CICERO, non deteriore, quemque multi meliorem nominant, fecit, quod ſervili ſtudio in verba magiſtri non juravit, & non tantum multa præceptori intacta tractavit, & philoſophiæ Peripateticæ corpori adjecit, ſed &

hoc effato judicat. Recte vero ad *h. l.* monet I. LIPSIVS, alienum hoc eſſe ab Ariſtotelis ſententia *de gen. anim. l. V. c. 10.* tradentis, hominem plus temporis vivere, quam quodvis animal excepto uno elephante.

k) l. c. ſ. 41. conf. *Act. Phil. l. c. p. 667.*

l) ſ. 42. ſeqq.

m) Collectionem debemus cel. HEINSIO *Lugd. Bat. 1613. fol.* Characteres libellum non philoſophicum ſed rhetoricum eſſe nemo eſt qui ignorat. Optimam editionem debemus PETRO NEEDHAM *Cantabr. 1712.* conf. *Act. phil. l. c. p. 681.* FABRIC. *Bib. Gr. Vol. II. p. 241.* PASCHIVS *de variis modis tradendi moralia c. IV. §. 2. p. 363. ſeqq.*

n) In *Theophraſto L. B. 1638. 12.* edito & *T. X. theſ. antiq. Græc. p. 640.* recuſo: itemque in *notis ad Apollonium Dyſcolum p. 140.*

o) l. c.

p) Scito ſermone & Attico contra Theophraſtum ſcripſiſſe ait CICERO *l. I. de nat. Deor.* parum tamen. PLINIVS vero in præf. ait, natum inde proverbium, ſuſpendio arborem eligendi. conf. GASSEND. *vit. Epic. l. VII. c. ſ. p. m. 179.* MENAG. *Hiſt. mul. philoſ. §. 70.* BAYLE *Dict. T. III.* art. *Leontium.*

in multis ab Ariſtotele abiit, id quod diligenter notavit PATRICIVS. [q] Quod ut ſpecimine conſtet, pauca Theophraſti dogmata, quibus proprium judicium ſecutus eſt, ſubjicimus.

I. Totidem eſſe motus ſpecies, quot ſunt prædicamenta. Motus vero & mutatio Theophraſto, idem eſt, alteratio, auctio, generatio & contraria his, teſte SIMPLICIO, qui ejus rationem addit, quia motus actus ejus eſt in potentia, qua tale.

II. Locum eſſe immobilem ; nec eſſe ſubſtantiam quandam, ſed ordine & poſitione dici ſecundum naturas & virtutes.

III. Locum eſſe etiam in animalibus & plantis & generatim ipſis diſſimilaribus, ſive illa ſint animata, ſive inanimata, modo habeant naturam formatam : quia horum aliquis ordo & poſitio partium eſt ad totam ſubſtantiam, unde quælibet pars dicitur, habere ſuum locum.

IV. Inter motus numerandos eſſe appetitus, cupiditates, judicia, ſpeculationes animæ. In hac aſſertione quam maxime ab Ariſtotele receſſit Theophraſtus ; ſi enim hæc ad motum referuntur, primus motor, ſe contemplans, non eſt immobilis.

V. Non fieri omnia a contrario, ut vult Stagirites, ſed alia a contrario, alia a ſimili, alia ab eo, quod eſt actu.

VI. Motum ab actione non ſeparari ; id quod prima quoque Ariſtotelis principia impetit.

VII. Contraria ſub eodem genere non contineri : contrariaque contrariorum, ſecus ac viſum Ariſtoteli, eſſe principia.

VIII. Salſedinem a ſubjecta terra oriri, non a ſolis radiis, ut vult Ariſtoteles.

IX. Ventos oblique ferri, quia materia, ſive exhalatio illa partim terrea & gravis ſit, partim levis, ideoque partim ſurſum, partim deorſum niti, & ex illo diverſo niſu obliquitatem ventorum oriri, non vero ex circulari cœli motu, ut vult Ariſtoteles.

X. Vitam regi fortuna, non ſapientia.

XI. Mulas in Cappadocia parere.

XII. Non multam penſionem dare corpori animam habitationis in eo, ſed totam ſe ipſam apponere.

XIII. Nullam eſſe falſam voluptatem, ſed omnes eſſe veras, quod ſecus viſum Ariſtoteli & Platoni.

XIV. Vnum eſſe rerum omnium principium divinum, per quod omnia ſubſiſtunt & permanent. Dogma hoc Theophraſti attulit CVDWORTHVS, [r] neque tamen, quo ſenſu illud dixerit, adjecit. Poteſt enim ſenſu quoque Ariſtotelico locum habere, niſi enim primus motor eſſet, reliqua non moverentur, atque ita non ſubſiſterent, quod tamen longe alium ſen-

q) *T. I. l. XII. p. 154. ſeqq.* qui loca quoque SIMPLICII, ALEX. APHRODIS. OLYMPIODORI, CICERONIS, PLINII, ubi iſta afferuntur excitat.

r) *Syſtem. intell. c. IV. §. 24. p. 502.* Neque libellum metaphyſicorum fragmentorum ad manus habuit Ven. interpres, ut, quo ſenſu dixerit, diſpicere poſſet; contentus monuiſſe, multis viris doctiſſimis libellum non videri eſſe Theophraſti.

ſenſum fundit, quam eum, quem Cudworthus exſculpit, cui ſolenne eſt, Peripatetica philoſophemata in rationes Platonicas commutare. Verum hæc ὡς ἐν παρόδῳ,

Poterant his addiethica nonnulla ex illuſtrioribus ejus dictis, quæ LAERTIVS aliique referunt,[s] quæque in characteribus paſſim occurrunt; ſed quia ἐξωτερικὰ ſunt, nec ex ejus ſyſtemate petita, conſulto ea prætermittimus.

§. IV. Theophraſto in Lyceo ſucceſſit STRATO LAMPSACENVS patre genitus Arceſilao, vel Arceſio.[t] Eum inter diſcipulos Theophraſti omittit quidem LAERTIVS, alii tamen veterum inter eos recte numerant,[u] & ipſe quoque LAERTIVS[x] tertium poſt Ariſtotelem & Theophraſtum in Peripateticorum ſchola doctorem numerat. Maximam vero dignitatem atque famam eloquentiæ & eruditionis præſtantia conſecutus eſt, ex quo ſcholæ Olymp. CXXXIII. 3. præeſſe cœpit,[y] quam octodecim annos magna diligentia & doctrina ornavit. Tantaque ejus fuit exiſtimatio, ut rex Aegypti Ptolomæus Philadelphus eum ſibi præceptorem deligeret, tantique ejus eruditionem & inſtitutionem æſtimaret, ut regio munere LXXX. talentorum eum auxiſſe dicatur:[z] unde veteribus Peripateticorum optimus, ſummusque & coryphæus vocatur,[a] & πολλῆς τῆς ἀποδοχῆς ἄξιος, quo ſingulari elogio eum ornat LAERTIVS,[b] qui addit, in omni quidem eruditionis genere fuiſſe verſatiſſimum, maxime tamen in phyſicis. Qua in philoſophiæ parte, quia excellebat, κατ' ἐξοχὴν *phyſicus* dictus eſt;[c] moralem enim partem non prorſus quidem neglexit, paucis tamen attigit,[d] omnemque fere in explicandis rebus naturalibus induſtriam poſuit. Attigiſſe tamen partem quoque rationalem ex indice librorum, quem exhibet LAERTIVS,[e] quique eruditionis & diligentiæ ſummæ haud contemnendum ſpecimen eſt,[f] patet: dolendum vero, nihil eorum ætatem usque ad nos tuliſſe. Qui enim *de coloribus* extat liber, cur Stratonis ſit, quod contendit PATRICIVS,[g] non videmus.[h] Adeo vero tenuis fuit, ut ſine ſenſu moreretur, poſtquam rerum ſuarum curam teſtamento amicis commendaverat. Fuerunt inter veteres Stratones plures,[i] quorum ſine dubio hic fuit celeberrimus.

Strato Lampſacenus.

§. V. Digna vero, quæ expendantur, dogmata ſunt Stratonis, eo quod in Lyceo doctrina multa innovavit, & ab Ariſtotele & Platone quo-

Syſtema phyſicum Strato-

s) Potiora ex LAERT. *l. V. ſ. 37. 40.* PLVTARCHO, STOBAEO, ANTONIO & MAXIMO affert STANLEIVS *l. c. p. 493.* qui conſuli debet.

t) CICERO *Acad. Q q. l. II. c. 38.* LAERT. *l. V. ſ. 58.* SVIDAS in *Strato T. III. p. 382.*

u) CICERO *l. c. l. I. c. 9.* SVIDAS *l. c.* SIMPLICIVS in *Phyſ. l. IV. c. 53. l. VI. c. 23.* CLEMENS ALEX. *l. I. Strom. p. 301.* Anonymus MENAGII *p. 201.*

x) *l. c.*

y) Apollodorus apud LAERT. *l. c.*

z) *ibid.*

a) PLVT. *adv. Coloten T. III. p. m. 418.* SIMPLIC. *l. c.*

b) *l. c. ſ. 64.*

c) *citati.*

d) CICERO *de finibus l. V. c. 5.*

e) *ſ. 58.*

f) Inter Ariſtotelis opera.

g) *l. c. p. 44.* quocum facit H. CONRING. *epiſt. ad Rachelium.*

h) Aeque facile enim Theophraſto adſcribi poſſe, recte monent H. MERCVRIALIS *var. lect. l. III. c. 13.* & IOH. ALB. FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 136.*

i) Octo nominat LAERTIVS *l. c. ſ. 61.* plures cl. FR. PHIL. SCHLOSSER *Spicileg. de Stratone Lampſaceno §. I. p. 3. ſeqq.*

nis de Deo & mundi formatione.

que diſſentit; optandum itaque, ut ad manus eſſent ſcripta ejus, in quibus novum, quod formavit, philoſophiæ naturalis ſyſtema expoſuit. Illis vero deperditis difficile eſt, de veris ejus doctrinis recte ſtatuere; pauca enim ſunt, quæ de iis tradunt veteres, eaque extra ſyſtematis nexum relata, unde de vero ſenſu judicari non poteſt. [k] Mirandum itaque non eſt, in tam diverſas de ſenſu philoſophiæ Stratonis ſententias diſceſſiſſe magnos inter recentiores viros, quorum prout quilibet ejus hypotheſes partim inter ſe conjunxit, partim ſupplevit, ita varium quoque de iis formavit judicium. Diverſum enim eas ſenſum poſſe recipere, ex iis patebit, quæ mox amplius diſſeremus. Nondum itaque nos pœnitet, in definiendis Stratonis doctrinis, olim ad Pyrrhoniſmi ancoram confugiſſe, & incertum pronuntiaviſſe, quæ genuina fuerit Stratonis opinio. [l] Id quod tamen ita accipi volumus, ut aliqua tamen veriſimilitudine conjici queat, quæ forte Stratonis mens fuerit. Afferemus itaque & aliorum virorum, in cognoſcendis veterum doctrinis ſummorum opiniones, & aſſuemus huic purpuræ panniculos noſtros, quid nobis de ſenſu Stratonicæ phyſicæ videatur, modeſte explicaturi. Ita vero, ſi pauca, quæ veteres, & in his præcipue CICERO & PLVTARCHVS, nobis tradidere, colligamus, ſtatuiſſe dicitur:

I. Omnem vim divinam in natura ſitam eſſe, quæ cauſas gignendi, augendi, minuendive habeat, ſed careat omni ſenſu. [m]

II. Non opera Deorum opus ad fabricandum mundum, quæcunque ſint, effecta eſſe omnia natura, nec ut ille, qui aſperis & lævibus & hamatis uncinatisque corporibus, concreta hæc eſſe dicat, interjecto inani; ſomnia hæc eſſe Democriti non docentis, ſed optantis. [n]

III. Quicquid fiat, naturalibus fieri aut factum eſſe ponderibus & motibus. [o]

IV. Mundum non eſſe animal, id vero quod naturale eſt, ſequi illa, quæ ſunt ſecundum fortunam, vel fortuita, initium enim indere motum ſpontaneum; continuare vero poſtea affectiones naturalium rerum. [p]

Tria priora aſſerta CICERONEM auctorem habent, quartum PLVTARCHVM, quorum ipſa verba retulimus, quæ occaſionem præbuere viris ſummis & in veterum dogmatibus dijudicandis acutiſſimis, de religione Stratonis in diverſa abeundi. Plerique enim inter atheos primæ claſſis, Deum ex univerſo proſcribentium, referre Stratonem nulli dubitant. Neque tamen una eademque de atheiſmo Stratonis mens viris doctiſſimis eſt, ſed prout obſcuram nimisque brevem veterum narrationem intelligunt, & primum aliquod principium, ex quo aſſertiones illæ fluxiſſe credunt, ponunt,

Atheiſmus Stratonis.

k) CICERO *l. c.* PLVTARCH. *l. c.*

l) diſſ. ep. de *atheiſmo Stratonis Amoen. liter. Tom. XIII. p. 311.*

m) *De nat. Deor. l. I. c. 13.*

n) *Qq. Academ. l. IV. c. 38.* quæ fere repetit LACTANTIVS *de ira Dei c. 10.* *o*) *ubi ſupra.*

p) PLVT. *adv. Colot. T. III. p. m. 418.* Verba obſcuriſſima Græca damus ipſa: *τὸν κόσμον αὐτὸν, ἔ ζῶον, ἔναί φησι, τὸ δὲ κατὰ φύσιν ἔπεσθαι τῶν κάτα τύχην, ἀρχὴν γὰρ ἐνδιδόναι τὸ αὐτόματον, ἔτα ὕτω περαίνεσθαι τῶν φυσικῶν παθῶν ἕκαστον*, quæ verba quam diverſe verterint eruditi, ex verſionibus XYLANDRI, LESCALOPIERII ad CIC. *de nat. Deor. p. 58.* & CVDWORTHI *Syſt. intell. c. III. §. 6. p. 102.* inter ſe collatis intelligi poteſt.

nunt, ita diverſam atheiſmi Stratonis faciem depingunt. Et illuſtris quidem LEIBNIZIVS[q] eo potiſſimum nomine Spinozæ & Hobbeſio jungit Stratonem, quod neceſſitati ex ejus mente omnia adſcribenda ſint, quia docuerit, res omnes exiſtere ſine intelligentia & eligendi libertate, adeoque ſine Deo, quia neceſſitate rerum ita cogente, omnia ex propria exiſtant natura & eſſentia, ut neceſſario duo & tria faciunt quinque. PETRVS BAYLE[r] vero ideo Spinozæ præluſiſſe contendit, quod non alium Deum, quam ipſam naturam, ſive hoc univerſum agnoverit; cui calculum addit I. FR. BVDDEVS,[s] ita tamen, ut moneat, in eo Stratonem ab Epicuro diſſentire, quod ille materiam in plures particulas diſcerpat, mundoque det initium ex fortuito & temerario fortunæ impetu, cum mundum æternum ſtatuere neceſſe ſit Spinozæ. RADVLPHVS CVDWORTHVS[t] autem hylozoiſmi conditorem eſſe contendit, eo quod vitam ineſſe materiæ ſine ſenſu, ſine ratione, ſublato numine crediderit. Eſt etiam inter recentiores,[u] qui eum inter patronos & defenſores animæ mundanæ refert. Tacemus alios,[x] in eo conſentientes, referendum jure ſuo eſſe Stratonem inter atheos, quocunque demum ſenſu intelligantur rationes ejus phyſicæ. Non tamen ita deſperata Stratonis cauſa viſa eſt, ut non vel mitius cenſendum, vel nihil certi ſtatuendum eſſe contenderent alii viri docti, quorum prius FRIDERICO PHILIPPO SCHLOSSERO,[y] poſterius IAC. FRID. REIMMANNO[z] placuit. Longum vero eſſet & ab inſtituto noſtro alienum, rationes virorum doctiſſimorum ex utraque parte adductas afferre in medium,[a] nec arbitri nos in hac re partes, modulo nos noſtro metientes, ſumimus, ſed noſtram tantum hac de re ſententiam paucis enarramus, & modeſte aliis dijudicandam relinquimus. Et 1. quidem, quod jam monuimus, iterum inculcamus, vix poſſe de vero ſenſu aſſertionum Stratonis judicari, cum ipſius libri nobis deſint, unde de nexu totius ſyſtematis judicium fieri poſſet; quod facile fieret, ſi quos *de Diis*, *de ſpiritu*, *de cœlo* libros ſcripſit, nobis ſuppeterent. Adeo quoque obſcura ſunt, & inter ſe non cohærentia, quæ Cicero & Plutarchus tradunt, ut melius ſit, fatente MOSHEMIO,[b] ignorantiam fateri, quam incertis ſuſpicionibus indulgere, præſertim, cum ea, quæ a veteribus allata ſunt, varia ratione queant explicari. 2. Quod ſi tamen conjecturis aliquid indulgendum, & iſtis veterum locis inſiſtendum eſt, diſtinguenda ſunt certa ab incertis; & ea, quæ veteres Stratoni aperte tribuunt, ab iis, quæ tanquam conſectaria viri eruditi ex con-

q) *Theodicée p. m. 428.* ed. rec.

r) *Dict. T. IV.* art. *Spinoza not. A.* add. *Rep. aux Qq. d'un Provinc. T. III. p. 1237. Cont. des penſ. ſur les cometes T. II. p. 520.*

s) *De Spinoziſmo ante Spinozam, Anal. hiſt. phil. p. 316. ſeqq. theſ. de ath. c. I. §. 16.*

t) *Syſtem. intell. c. III. §. 4. p. 100.*

u) Marq. D'ARGENS *philoſophie du bons ſens Refl. III. §. 3. p. 329.*

x) IENK. THOMAS. *Hiſt. atheiſmi c. VI. p. 140.* CLERIC. *Bibl. choiſ. T. II. art. I. §. 7. p. 27.* PARCKER *de Deo diſp. VI. ſ. 11. p. 525.* MOSHEM. *ad* CVDWORTH. *l. c. not. 2. Auctores hiſtoriæ univerſalis, p. 29.*

y) Diſſ. *de hylozoiſmo Stratonis Lampſaceni Witteb. 1728.*

z) *Hiſt. atheiſmi ſect. II. c. 27. §. 3. p. 186.*

a) Allatæ eæ ſummatim *Amoen. lit. l. c.*

b) *Ad l. c.* CVDWORTHI, qui cum prudenter multa de atheiſmo Stratonis dixerit, nobisque facem prætulerit, cum his conferendus eſt.

conjectura adjecere, eaque in ſubſidium vocanda, quæ alibi de eo referuntur. His præmiſſis, 3. certum eſt, Stratonem a negotio fabricandi mundi Deum prorſus removiſſe, nec locum ei ullum feciſſe. Hoc adeo uno veteres teſtantur, ut non niſi absque omni pudore negari queat. 4. Certum porro eſt, ſyſtema particularum minimarum, qualitate deſtitutarum, & in infinito vacuo fortuito & temerario motu coaleſcentium, quod Leucippo & Democrito arriſit, Stratonem exploſiſſe, adeoque inter atomiſticos philoſophos, Deum a mundi fabrica excludentes non poſſe referri. 5. Quin & hoc Plutarchi teſtimonio verum eſt, non admiſiſſe eum mundi animam ratione & conſilio materiam formantem. 6. Tandem & hoc indubitatum eſt, non aliud ad materiæ formationem principium requiſiviſſe, quam quod naturaliter materiæ ineſt; quodve naturam obſcuriſſimo vocabulo nominavit, eique vim divinam, quæ cauſas gignendi, augendi minuendive habeat, ſed careat omni ſenſu adſcripſit. Quæ natura 7. non poteſt eſſe univerſalis quædam anima ſive vis materiæ formatrix, & per univerſam materiam fuſa, alias enim mundum tanquam animal concepiſſet, quod negat Plutarchus. 8. Etſi vero obſcurus eſt locus Plutarchi, evidens tamen eſt, poſuiſſe eum in formando mundo principia quaſi tria, τύχην, φύσιν, αὐτόματον, & ſtatuiſſe, fortunam, ſive fortuitos motus ciere naturam in materia latentem, eam vero proprio inſtinctu & motu certis ponderibus & motibus formationem peragere. 9. Adjicimus his, quod prætermiſere viri docti, & nos poſtea veterum teſtimoniis probabimus, Stratonem reduxiſſe eſſentias rerum ad qualitates, & imprimis ad elementa frigidi & calidi, ideoque ens, ſive ſubſtantiam definiviſſe, permanentiam entium. Hæc veterum dictis conſentanea eſſe, & ſi illis ſtandum eſt, omnino Stratoni tribuenda, negari poterit, qui rem recte conſiderat, nemo. 10. Ex his vero conjectura fieri debet, qua forte ratione ſyſtema phyſicum ordinaſſe Strato cenſendus ſit, quæ, ſi quid judicamus, eo redeunt: rerum naturalium principium non eſſe Deum, ex machina quaſi advocandum, nec latentem in materia peculiarem divinam animam, quæ omnia finxerit, nec fortuitum atomorum concurſum ex ſola particularum diſpoſitione qualitates, menſuras & pondera rerum producere nunquam aptum; ſed ineſſe cuilibet materiæ particulæ vim ſuam propriam, quæ pro conditione qualitatum, eam propria virtute movere, formareque, atque moderari, ſicque ſubſtantias producere valeat, certosque producere effectus potens ſit. Hanc vero vim non ſe excitare ipſam, ſed antecedere fortunam, id eſt, fortuito caſu accedere aliquid, quod latentem brutamque hanc vim excitet, qua excitata cuncta proprio & interno naturæ latentis motu & vi ſecundum certas proportiones, qualitatibus rerum proprias formari & perfici. [c] Ita ſi Stratonem explicemus, cuncta non cohærent tantum, ſed & relationibus veterum conſonant, & manifeſtum eſt, qua ratione a Democriti,

c) Eundem fere in modum Stratonis ſyſtema ſe habuiſſe conjiciunt viri celeberrimi IOH. ALB. FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 311.* & IOH. LAVR. MOSHEMIVS *ad l. c.* CVDWORTHI.

criti, Platonis, Ariſtotelis aliorumque ſyſtematibus recedens Strato, proprium ſibi rerum naturalium principium finxerit. II. Ex his vero altera de atheiſmo Stratonis quæſtio excutienda eſt, ad quam, ut diſtincte reſpondeamus, obſervandum eſſe monemus, nuſquam veteres tradere Stratonem Deos plane negaſſe, & prorſus nihil tale, quod divinam naturam habet, præter vim illam latentem in materia agnoviſſe. Neque enim hoc ex ſyſtemate ſequitur, quod mundum ex materia juxta motus principia ſine Deo fingit, ut exemplo Ariſtotelis & Democriti atque Epicuri patet, qui ab omni hoc formandæ materiæ negotio Deum excluſerunt, & tamen, eſſe illum aſſeruerunt. Quin ſi conjecturis locus eſt, ex verbis CICERONIS Strato negat, opera ſe Deorum uti ad fabricandum mundum, recte concludi poſſe videtur, non negaſſe Stratonem Deos, de quibus etiam librum ſcripſit, ſed tantum improbaviſſe eorum philoſophorum morem, qui ad Deum confugiunt, cum cauſas rerum naturalium, in ipſa natura latentes explicare debeant: videturque medium voluiſſe tenere inter Platonem & Ariſtotelem, quorum ille divinam animam Deosque ad formandum mundum advocat, hic plane non formatum, ſed ab omni æternitate fuiſſe aſſeruit, quod neutrum philoſophice ſatis fieri putaviſſe videtur Strato. Eximendus itaque atheorum primæ claſſis numero, eatenus eſſet Strato, quatenus de Diis nec negavit, nec aſſeruit quicquam, quod ad nos pervenerit, & quatenus incertum eſt, num præter vim illam naturæ, divinum aliquid eſſe conceſſerit. Quæ enim AVGVSTINVS[d] & LACTANTIVS[e] dicunt, feciſſe Deum corporeum, ſineque mente ſibi finxiſſe, conſectaria magis ſunt, quæ ex aſſertis Stratonis derivavere hi eccleſiæ doctores, in ejusmodi nectendis conſequentiis ſumme faciles, quam ipſa Stratonis dogmata. Interim nec hoc negandum eſſe videtur, removiſſe eum omnem Dei concurſum ad materiam, eamque, cum Deo coæternam crederet, cum toto Lyceo, naturam iſtam per ſe ineſſe materiæ credidiſſe: quod veriſimilius nobis videtur, magisque cohærere cum placitis Stratonis, quam quod olim ſtatuimus, [f] vim illam a Deo ab æterno materiæ inditam, eamque ſibi relictam deinde eſſe. Videtur enim Strato in eo non receſſiſſe a Lycei doctrina, Deum non eſſe conditorem mundi, ſed tantum novam rationem formati mundi geneſin ſine Deo explicandi excogitaviſſe. Ex quibus omnibus tandem inferimus, etſi inter apertiſſimos primæquæ claſſis hoſtes Dei nondum referri queat, proxime tamen ab iis abeſſe, cui materia æterna, Deus ab ea excluſus, resque omnes inſita vi formatæ dicuntur, quæ omnia Dei notionem indirecte evertunt. Sicque non militavit quidem in Spinozæ caſtris Strato, qui Deum plane ex materia relegavit, non melius tamen ratiocinatus eſt, cum modificationibus materiæ omnes res ſecundum eum conſtent.

§. VI. Reliqua, quæ temporis injuriam evaſerunt fragmenta philoſophiæ Stratonis hæc ſunt: *Reliqua doctrina Stratonis.*

V. Ens

d) *De C. D. l. V. c. 10.* e) *l. c.* f) *Amoenit. lit. l. c. p. 319. ſeqq.*

V. Ens esse permanentiam entium. Refert hanc entis, vel substantiæ potius definitionem, & reprehendit PROCLVS, [g] cui διαμονὴ τῶν ὄντων audit. Etsi vero satis obscura est hæc definitio, videtur tamen, si quæ supra dicta sunt, conferantur, id potissimum velle, substantias qua tales, ex subsistentia, quæ inter se entia variis qualitatibus mixta habet, ortas, sibi invicem quasi fundamento niti, ita ut una ex alia oriatur. Quæsiviisse enim non in formis substantialibus, sed in qualitatibus varie inter se mixtis naturam & essentiam rerum, testantur AVCTOR *recognitionum Clementis* [h] & SEXTVS EMPIRICVS. [i] Qualitates vero illas in frigido & calido quæsiviisse ex STOBAEI [k] loco, etsi corrupto, ingeniose conjicit FABRICIVS. [l]

VI. Animæ sedem esse in superciliorum meditullio. [m]

VII. Animam per sensuum instrumenta, tanquam per quædam foramina prospicere & se exercere, & ita arcte junctam esse cum sensibus, ut a sensibus ratione operationis differre non videatur. Ita Stratonis & Ænesidemi opinionem exponit SEXTVS EMPIRICVS, [n] sicque eum intelligendum esse, ut inter animam & sensus tamen discrimen sit, licet aliud prima verborum facies innuere videatur, ex antecedenti thesi recte concluditur. Opposuitque TERTVLLIANVS [o] Stratonem iis, qui cum Dicæarcho, & medicis Andrea atque Asclepiade, ita abstulerunt principale, dum in animo ipso voluerunt esse sensus. [p] Non itaque animi operationem sustulit Strato, eam vero ita cum corporis sensibus conjunxit, ut sine his illa cognoscere & judicare non possit.

VIII. Tempus esse mensuram motus & quietis.

IX. Tempora definere in individuum, corpora autem & loca secari in infinitum, & moveri, quod movetur, in tempore individuo totum simul & confertum dividuum spatium, & non prius in priori. [q]

X. Omne corpus gravitatem habere & ad medium ferri. [r]

XI. Illud, quod extra cœlum est, tanti ambitus esse, ut universum capiat; ideo suapte natura vacuum esse, verum semper corporibus impleri, & sola cogitatione considerari, tanquam per se subsistens. [s]

XII. Non solum animam irrationalem (appetitum) moveri, sed & rationalem, actiones enim animæ motus esse. [ſ]

XIII. Primum frigidum aquæ adscribendum esse. [ſſ]

XIV. Cometas esse lumen sideris nube comprehensum densa, sicut fit in lucernis. [t]

XV.

g) In Timæum l. IV. p. 242. 243.

h) Lib. VIII. c. 15. ibi enim pro Callistratus, Strato legendum esse recte suspicatur FABRICIVS *ad* SEXTI *l. citand.*

i) Pyrrh. hyp. l. III. c. 4. f. 32. eadem repetit *auctor historiæ philosophicæ* GALENO *tributæ.*

k) Eclog. phys. c. 13. p. 27.

l) Ad l. c. Sexti.

m) PLVT. *de plac. phil. l. IV. c. 5.* TERTVLL. *de anima c. 15.*

n) Adv. Math. l. VII. f. 350. *o) loc. cit.*

p) Librum Stratonis, quo probavit sensum non esse sine intelligentia memorat PLVT. *de solert. animalium.*

q) Vtrumque Stratoni tribuit SEXTVS *Pyrrh. hyp. l. III. c. 17. f. 137. adv. Mathem. l. X. f. 155. 177.* conf. SIMPLIC. *physic. l. IV. p. 168.* STOBAEVS *Eclog. phys. p. 19.*

r) In *l. I. de cœlo c. 86.*

s) IDEM *l. IV. Phys. c. 53.* *ſ) ib. l. VI. c. 23.*

ſſ) PLVT. *de primo frigido T. II. p. 499.*

t) IDEM *de plac. phil. l. III. c. 2.*

XV. Animi affectus & ſenſus in principe parte eſſe & non in affectis locis. In hac enim parte ſitam tolerantiam, ut in terribilibus & dolorem afferentibus, utque in fortibus & timidis. [u]

XVI. Potentiam ſeminis ſpirituoſam eſſe, adeoque corpus. [v]

XVII. Duo tantum eſſe, vocem & rem, & in voce verum & falſum eſſe. [w]

§. VII. Stratonem circa finem Olymp. CXXVII. defunctum in cathedra ſecutus eſt LYCON, Troadenſis, Aſtyanactis filius, [x] vir eloquens, & in educandis inſtituendisque pueris exercitatiſſimus, qui pudore & laudis ſtimulo, quaſi calcaribus utebatur, & frenis ad regendos eorum animos; maximeque improbabat, ſi quis animum mature doctrina non imbueret, & ſero ſapiens annos ſibi reddi optaret. Elocutionis vero copia in eo erat uberrima, adeo, ut præpoſita nomini Γ littera, *Glyconem* quidam appellarent, dicendi dulcedinem in eo admirati. [y] Scribendo tamen multum ſibi fuit inferior. [z] Non vero pueris tantum utiliſſimum ſe præſtitit, ſed Athenienſes quoque multoties conſilio in rebus dubiis adjuvit. [a] Et hanc quoque prudentiam rerum gerendarum cauſam fuiſſe veriſimile eſt, quod maxima apud Attalum & Eumenem reges gratia floreret, qui regia eum munificentia alebant. Antiochus quoque ejus convictum expetiit, obtinere tamen non potuit. [b] Erat autem, more doctorum in Lyceo, cultu mundiſſimus adeo, ut toga uteretur ad exceſſum delicata & pretioſa; [c] & cum corporis habitu eſſet robuſtior, exercitia corporis omnia ſolertiſſime obibat, athleticis rebus agilitate maxime idoneus. [d] Scholam vero rexit per XLIV. annos [e] integros, denatus anno ætatis LXXIV. podagræ conſumtus doloribus. Vtrum libros ſcripſerit, vel a Stratonis placitis receſſerit, veteres tacent; unum hoc notat CLEMENS ALEXANDRINVS, [f] finem conſtituiſſe veram animi lætitiam: quo referendum etiam videtur, quod PLVTARCHVS [g] ait, Ariſtonem ejus diſcipulum, librum ſcripſiſſe, cujus titulus, *Lycon* fuerit, in quo animarum dogmata mixta fabulis, id eſt, mythologico dicendi genere propoſita ſint, apta ex voluptate concitare divinum furorem. Ex hoc enim loco conjici recte poteſt, Lyconem de animæ gaudio philoſophatum fuiſſe, Ariſtonem vero dulci fabularum lepore doctrinam in ſe jucundam temperaviſſe. Sunt & alii hujus nominis veteribus memorati, a Peripatetico hoc diſtingvendi, ex quibus unus huic quoque ſectæ, alter Pythagoreæ, adhæſit. [h] *Lycon.*

u) *ib. l. IV. c. ult.* *v*) *ib. l. V. c. 4.*

w) SEXT. EMPIR. *adv. Math. l. VIII. ſ. 13.* id Stoicis, reliqua Ariſtoteli oppoſita.

x) LAERT. *l. V. ſ. 68.* qui Panthœdi dialectici auditorem vocat.

y) PLVT. *de exilio.*

z) LAERT. *ſ. 66.* CIC. *de fin. l. V. c. 5.* cui oratione locuples, rebus ipſis jejunior, audit.

a) LAERT. *ſ. 67.* *b*) *ibid.*

c) *ib.* & ATHEN. *l. XII. p. 546.* qui plura de ejus luxu habet.

d) *ib.* Ad hunc corporis robuſti habitum alludit HORAT. *Ep. l. I. ep. 1. v. 30.* ut recte obſervatum HEINSIO *ad h. l.*

Nec quia deſperes invicti membra Glyconis
Nodoſa corpus nolis prohibere chiragra.

e) LAERT. *l. c.* apud STANLEIVM *p. 501.* male expreſſi ſunt XL. anni.

f) *Stromat. l. II. p. 416.*

g) Quomodo juveni audiendi poëtæ.

h) LAERT. *ſ. 69.*

Ariſto Cejus. §. VIII. Lycone decedente cathedram in Lyceo occupavit ARISTO in inſula Ceo, Iulide natus, unde CEIVS & Iulietes dicitur, [i] qui præceptorem in cathedra Peripatetica Olymp. CXXXIIX. ſecutus eſt. Critolai γνώριμον, id eſt, familiarem diſcipulum vocat SEXTVS EMPIRICVS, [k] quod tamen, cum ſucceſſio ſcholæ Peripateticæ ſupra veterum teſtimoniis probata non admittat, quæ Ariſtonem Iulietem ante Critolaum ponit, vel falſum plane eſt, & error veterum, vel de juniore aliquo Ariſtone intelligendum eſt. [l] Bionis vero Boryſthenitæ æmulum fuiſſe STRABO teſtis eſt. [ll] Scripſit, CICERONE [m] auctore *multa & polita, ſed oratio auctoritatem non habuit; gravitasque in concinno & eleganti viro, quæ philoſophum decet, deſiderata eſt.* Quo judicio Cicero ad gravem doctrinam de anima, fabulis ab Ariſtone, uti ſupra dictum, involutam & temeratam reſpicere videtur PATRICIO, [n] quod tamen vero parum videtur ſimile, philoſophicas enim doctrinas μυθολογικῶς enarrare, præſtantiſſimi philoſophi ſolebant. Propius vero eſt, Ariſtonem materiam ſcribendi elegiſſe ſæpius philoſopho non dignam, & luxuriatum etiam fuiſſe in dictione; quam conjecturam liber *amatoriarum ſimilitudinum*, quem teſte ATHENAEO [o] ſcripſit, confirmat. De placitis vero ejus & ſcriptis difficile eſt ſtatuere, eo quod veteres Ariſtonem Cejum Peripateticum, & Ariſtonem Chium frequenter inter ſe confuderunt, ſuntque, qui pleraque huic adſcripta Peripatetici eſſe contendunt; [p] alii [q] contrarium tenent. Habuit etiam diſcipulum cognominem ex Coo inſula oriundum, quem teſtamento hæredem inſtituit, qui a præceptore diſtingvendus eſt. Alium Ariſtonem ſeniorem memorat LAERTIVS. [s]

Critolaus. §. IX. CRITOLAVS, qui Ariſtonem excepit, Phaſelide, celeberrima Lydiæ urbe, ortus fuit, [ll] Ariſtonis diſcipulus, ut ſupra dictum eſt. Delegatum fuiſſe, ob eloquentiam, qua præſtabat, ab Athenienſibus, ut cum Carneade & Diogene Romam mitteretur, ibique dicendi facultatem Romanis probaviſſe, ſupra in Carneadis vita retulimus, & quæ circa ejus ætatem atque tempus difficultates moveri ſoleant, memoravimus. Quamvis autem eſſet diſertiſſimus, rhetoricam tamen teſte SEXTO EMPIRICO [t] & QVINTILIANO [u] damnavit, ut quæ artificium potius ſit malum, quam ars, qualem eſſe, pertinaciter negabat. Id quod mirum nemini debet eſſe, cogitanti, ſemper, & potiſſimum circa Critolai tempora, internecinum inter philoſophos & oratores fuiſſe odium, utraque parte alteri detrahente: cujus exemplum nobis Academia quoque ſupra exhibuit. Ætatem ultra LXXX. annum

i) LAERT. *l. VII. ſ. 164.* STRABO *l. X. p. 658.*
k) *Adv. Rhetor. l. II. ſ. 61.* quod confirmat QVINTILIAN. *l. II. c. 15.*
l) Præfert hoc jure cel. FABRICIVS *Bibl. Gr. vol. II. p. 280. 294.* & *ad locum* SEXTI.
ll) *l. c.* ζηλώτης vero *imitatorem* quoque innuit.
m) *De finib. l. V. c. 5.*
n) *l. c. p. 155.*
o) *Lib. X. p. 419. l. XV. p. 674.*
p) LAERTIVS *l. VII. ſ. 163.* Panætii auctoritate uſus.
q) Conf. BAYLE *Dict. T. I.* art. *Ariſto not. G.*
r) STRABO *l. XIV. p. 658.*
s) *Lib. V. ſ. 27.*
ſſ) PLVT. *de exil. T. II. p. m. 527.* CICERO *l. c.*
t) *Adv. Grammat. l. II. ſ. 15. 20.* & FABRIC. *ad h. l.*
u) *Lib. II. c. 17. Inſtit. Orat.*

annum protraxiſſe volunt, [v] licet impeditæ ſint temporis ejus rationes. Diſtinguendus vero Critolaus Peripateticus ab aliis hujus nominis. [w] Inſtitiſſe veſtigiis diſciplinæ Peripateticæ, pauca, quæ de ejus placitis veteres conſervarunt, docent. Inter quæ præter doctrinam de Deo, quem cum Diodoro diſcipulo ætheris purimentem dixiſſe refert STOBAEVS [x] maxime dogma de mundi æternitate notandum eſt, de quo memorabilia quædam refert PHILO, [y] habuiſſe eum doctrinam de mundi & humani generis ortu, totamque coſmogoniam pro invento fabularis theologiæ, excogitato ad illiciendos fatuos, & decipiendos credulos, quod naturæ operi contraria aſſerat, multisque argumentis in primos homines ex terra natos inſurrexiſſe, & contendiſſe, humanum genus eſſe æternum, ergo & mundum, qui, cum ſuamet cauſa ſit eſſentiæ, ut ceteris rebus omnibus, ſempiternus eſſe debeat, cum nihil præterea ſit, unde deſtructionem quoque metuat. Addit plura, apud ipſum legenda, Ariſtotelicum hoc de argumento dogma mire illuſtrantia. Summum porro bonum ſtatuebat [z] eſſe, perfectionem vitæ recte fluentis, ſecundum naturam, quæ compleatur ex tribus generibus, quo in dogmate ab Ariſtotele parum diſceſſit; quare & *προγονικὴν τελειότητα*, *perfectionem a majoribus in Lyceo traditam* eum intellexiſſe, recte monuit CLEMENS ALEXANDRINVS. Refert etiam CICERO, [a] *animi bona corporisque atque externa, velut in lance eum appendiſſe, tantumque, dixiſſe, propendere iſtam lancem, cui impoſita ſint animi bona, ut terram & maria deprimat.*

§. X. Critolai diſcipulus DIODORVS fuit, quem in ſchola ei ſucceſſiſſe, ex ſupra demonſtratis evincitur. Quis vero fuerit, quem docendi modum tenuerit, quamdiu cathedram occupaverit, quem ſibi ſucceſſorem delegerit, altum apud veteres eſt ſilentium. Vnum hoc notavit CLEMENS ALEXANDRINVS, hunc finem hominis ſtatuiſſe, ut ſine omni moleſtia & honeſte vivat. Sunt, qui putant, [c] Erymneum, quem Athenionis præceptorem fuiſſe ATHENAEVS [d] ait, ſucceſſorem ejus fuiſſe, nititur vero hoc mera ſuſpicione, definitque in Diodoro Peripatetica ſucceſſio; ab eo enim usque ad Andronicum Rhodium, qui undecimus ab Ariſtotele Lycei doctor numeratur, tres deſiderantur, veteribus indicti. Cum Diodoro itaque Peripateticæ ſcholæ hiſtoria in prima definit periodo: aliquot tamen viri celebres non prætermittendi nobis ſunt, qui ex hac ſecta magnam ſibi famam acquiſiverunt. *Diodorus.*

§. XI. Non enarrabimus vero ſectatores Ariſtotelis omnes, ejusmodi enim catalogos ſcriptionis noſtræ ſcopus & modus non admittit, ſed aliquos, qui inter Græcos ex Lyceo prodeuntes nomen ſibi paraverunt celebre, *Aſſeclæ alii Ariſtotelis.*

v) LVCIAN. in *longæv. T. II. p. m. 829.*
w) Vid. VOSSIVS *de hiſtor. Græc. l. III. p. 348.*
x) *Eclog phyſ. l. I. c. 1. p 2.*
y) *Quod mundus ſit incorruptibilis p. m. 943. ſeqq.*
z) CLEM. ALEX. *Strom. l. II. p. 416.*
a) *Tuſc. Qq. l. V. c. 17.*
b) *Strom. l. I. p. 301.* conf. CICERO *de finibus l. V. c. 5. Ac. Qq. l. IV. c. 42.* CLEM. *l. II. p. 415.*
c) PATRICIVS *l. c. p. 114.* FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 300.* OLEARIVS *ad* STANLEIVM *pag. 504.*
d) *Lib. V. p. 211.*

lebre, adducere ſatis erit; reliquos dabunt, qui Peripateticorum indices confecerunt PATRICIVS [e] atque FABRICIVS, [f] ut alios taceamus: Plerique tamen eorum, quos doctiſſimorum virorum collegit induſtria, poſt renovatam Peripateticæ ſcholæ faciem & productos in lucem Ariſtotelis libros vixerunt, quod argumento eſt, non adeo magnam Lycei fortunam inter Græcos fuiſſe, ex quo cum Theophraſto Peripateticæ literæ quaſi ſepultæ ſunt. Qui enim eum ſequebantur, nomen magis, quam doctrinam Peripateticam tuebantur. Ii itaque maxime notandi ſunt, qui vel Ariſtotelem ipſum audiverunt, vel ex Theophraſti diſciplina prodierunt, & genuinam Peripateticæ philoſophiæ faciem pernoverunt. Inter quos Dicæarchus, Eudemus, Heraclides Ponticus, Phanias, Demetrius Phalereus, & Hieronymus Peripateticæ philoſophiæ gloriam eruditione ſua maxime auxerunt.

Dicæarchus. §. XII. DICAEARCHVS, Phidiæ filius Meſſenius fuit ex Sicilia, Ariſtotelis diſcipulus, [ff] & nobile Lycei ornamentum, qui & hiſtoricis ſcriptis & philoſophicis diſputationibus celebre nomen conſecutus eſt. CICERONI enim non ἱστορικώτατος tantum audit, [g] ſed & Peripateticus magnus & copioſus; [h] qui & alibi, [i] quanti hunc virum fecerit, luculenter prodit. Nos nec hiſtoricam nec geographicam ejus eruditionem hic conſideramus, de utraque ad DODWELLI diſſertationem de Dicæarcho [k] lectorem remittentes; ſed, quæ philoſophica adamavit placita, a nobis prætermitti non poſſunt. Statuit enim

I. Nihil eſſe omnino animum, & hoc eſſe nomen totum inane, fruſtraque & animalia & animantes appellari, neque in homine ineſſe animum vel animam, nec in beſtia. Vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel ſentiamus, in omnibus corporibus vivis æqualiter eſſe fuſam, nec ſeparabilem a corpore eſſe, quippe quæ nulla ſit, nec ſit quicquam niſi corpus unum & ſimplex, ita figuratum, ut temperatione naturæ vigeat atque ſentiat. Ita CICERO [l] deliciarum ſuarum, Dicæarchi, ſententiam exponit, quem acerrime contra immortalitatem animorum diſputaſſe, innuit. Confirmant id alii quoque veterum, [ll] patetque ex CICERONIS alio loco, [m] eum in Corinthiaco, & in Lesbiacis libris, vehementer in hanc doctrinam in-

e) Diſcuſſ. Perip. T. I. l. X. p. 127. ſeq. ubi de auditoribus, ſectatoribus & expoſitoribus Ariſtotelis agit, eorumque varias philoſophandi rationes *l. XII. p. 152. ſeqq.* exponit.

f) Bibl. Græc. vol. II. p. 272. conſuli quoque cum fructu poſſunt IONS. *de Scr. Hiſt. phil.* paſſim. VOSSIVS *de hiſt. Gr. l. I. c. 9. p. 40.* Catalogum quoque Peripateticorum, licet negligenter ſatis confectum exhibet LEONARD. COZZANDVS *de magiſterio antiq. philoſ. l. II. c. 2. p. 157. ſeqq.*

ff) CICERO *Tuſc. Qq. l. I. c. 10. 21.* SVIDAS *T. I. v. Dicæarchus p. 585.*

g) Ad Attic. VI. 2.

h) De officiis l. II. c. 5.

i) Ad Attic. II. 12. qui & *ep. 2.* eum magnum hominem vocat.

k) Eam cum Dicæarchi fragmentis geographicis inſeruit *T. II. Geographorum Græcorum Oxon. 1703. 8.* editorum IO. HVDSONVS vir clariſſimus. BAYLIVS etiam *Dict. T. II.* art. *Dicearque p. 285.* quædam ad eum pertinentia collegit. add. IONS. *de Script. hiſt. phil. l. I. c. 16. p. 85.* FABR. *Bibl. Gr. vol. II. p. 295.* VOSS. *de Hiſt. Græc. l. I. c. 9. p. 46.*

l) Tuſc. Qq. ll. cc.

ll) PLVT. *contra Colot.* EVSEB. *præp. l. XV. c. 9. p. 810.* CIC. *ad Attic. l. XIII. ep. 31.* SEXT. EMPIR. *Pyrrh. hyp. l. II. c. 3. f. 31. adv. Mathem. l. VII. f. 349.*

m) Tuſc. Qq. l. I. c. 31.

inſurrexiſſe, & imprimis, ut notat PLVTARCHVS,[n] Platonem oppugnaviſſe. Obſervavimus|vero ſupra quoque, augere ita veriſimilitudinem ejus ſententiæ, quæ animæ mortalitatem aſſertam tribuit Ariſtoteli hanc Dicæarchi diſputationem: tota enim ea cum ſyſtemate Ariſtotelis phyſico & pſychologico convenit. Quid vero veteres,[o] & recentiores ea de re contra Dicæarchum & qui ejus opinionem ſequuntur diſputaverint,[p] hujus loci, enarrare non eſt.

II. Humanum genus ſemper fuiſſe. Sententiam γνησίως Ariſtotelicam Dicæarcho tribuit CENSORINVS,[q] videnturque ad hoc argumentum pertinuiſſe quæ CICERO[r] habet: *eum collectis ceteris cauſis eluvionis, peſtilentiæ, vaſtitatis, beluarum etiam repentinæ multitudinis, quorum impetu quædam hominum genera ſint conſumta, docuiſſe plures eſſe deletos homines hominum impetu, id eſt bellis & ſeditionibus.* Iſta enim reſponſione objectionem eludebat, quæ impoſſibilitatem æternitatis mundi ab initiis regnorum & hominum multitudine derivabat.

III. Divinationes quoque plerasque rejeciſſe, niſi quæ fiunt, cum animus hominis ita ſolutus eſt & vacuus, ut ei plane nihil ſit cum corpore, aſſerit CICERO.[s] Quam tamen doctrinam cum primariæ hypotheſi, animam nihil eſſe, niſi vitam vimque corporis, conſiſtere non poſſe, recte monuit P. BAYLE. Quæ vero ita explicari poſſunt, ut vis illa, quæ ineſt corpori, quamque animam alii philoſophi vocant, vigilanti vel in ſtatu ordinario verſanti homini certis externorum ſenſuum legibus & vinculis conſtricta dicatur, quibus vel ſomno vel furore ſolutis divino, vis illa libere moveatur, ut alibi ait CICERO, & virtutem in divinatione naturalem explicet. Non negamus tamen Peripateticum philoſophum ita contradictionem nondum evitare; verum iſta tamen Peripateticis principiis convenienter dicta ſunt.

IV. Neſcire quæ eventura ſunt, melius eſſe, quam ſcire. Magnum Dicæarchi librum fuiſſe, in quo hæc defenderat, teſtatur CICERO. [ſſ]

V. In civilis quoque philoſophiæ cognitione mirabilem fuiſſe, teſtatur quoque CICERO,[t] qui libros *de Pellenæorum, Corinthiorum & Athenienſium rebuspublicis vehementer commendat.* Refertque SVIDAS[u] librum Dicæarchi de Spartanorum republica, quotannis in ephororum prætorio lectum eſſe, puberibus auſcultantibus, idque lege apud Lacedæmonios ſancitum diuque obſervatum fuiſſe. Male eum librum tribuit Dicæarcho Lacedæmonio, Grammatico, Ariſtarchi diſcipulo MEVRSIVS.[v]

VI.

n) l. c. inſurrexiſſe quoque contra Platonis Phædrum ex CICER. *ad Attic. XIII. 39.* colligitur, conf. FABRIC. *l. c. p. 298. f.* add. CICERO *Tuſc. Q q. l. VI. c. 34.* LAERT. *l. III. f. 38.* putabat enim, juveniliter eum ac moleſte de amore præcepiſſe.

o) TERTVLL. *de anima c. 15.* LACTANT. *ep. 10.*

p) Conf. BAYLE *l. c. not. L. M.*

q) De die nat. c. 4.

r) De offic. l. c. conf. FABRIC. *l. c. p. 297.*

s) De divinat. I. I. c. 3. l. II. c. 48.

ſſ) De divinat l. II. c. 51.

t) Ad Attic. II. 2. *u) l. c.*

v) In *Indice Miſc. Laconic. v. Dicæarchus*, notatus ideo BAYLE *l. c.* ſed in ipſo libro *l. IV. c. 19. p. 334.* nihil de Lacedæmonio habet Meurſius, unde conjicimus, indicem a Pufendorfio editore vel alio confectum fuiſſe non inſpecto ſatis ipſo libro.

VI. Prætereundum quoque non eſt, diligentem poſuiſſe in eo operam Dicæarchum, ut altitudines montium regum cura & impenſis emetiretur, & rationes inde geographicas deduceret. Scripſiſſe vero *de montium dimenſione in Peloponneſo* obſervant DODWELLVS & FABRICIVS. [w]

Eudemus.

§. XIII. EVDEMVS Rhodum patriam habuit, Ariſtotelem præceptorem, ad quem is ethica ſcripſit, licet ſint, qui ea ad Eudemum auctorem referant. [x] Scripſiſſe enim ad imitationem magiſtri philoſophica teſtatur AMMONIVS, [y] notatque Boëthius, auxiſſe eum logicam Ariſtotelis ſyllogiſmo hypothetico, & quinque aliis modis primæ figuræ, & ſeptimo tertiæ. [z] Deſideratur etiam non ſine jactura hiſtoriæ philoſophicæ, ejus hiſtoria geometrica & aſtrologica veteribus paſſim memorata. Plura de eo vide apud PATRICIVM, FABRICIVM, [a] & MEVRSIVM. [b]

Heraclides Ponticus.

§. XIV. HERACLIDIS, Eutyphronis filii, Heracleotis e Ponto vitam ex veteribus enarravit Timagenes, [c] & collegit ex aliorum memoriis LAERTIVS. [d] Is cum dives eſſet, Athenas conceſſit, & Platonem audivit, Pythagoricam quoque philoſophandi rationem ſectatus, refertque SVIDAS, [e] Platonem in Sicilia abiturum, præſidem ſcholæ reliquiſſe Heraclidem. Poſtea Speuſippo in diſciplinam ſe tradidit, noviſſime vero Ariſtotelem ſecutus. Adeo tumenti fuit corpore, ut illum Athenienſes non Ponticum, ſed pompicum appellarent; moribus vero & inceſſu quoque gravem, humanum & verendum fuiſſe LAERTIVS teſtatur, qui & hoc addit, veſte uſum fuiſſe mollicula, qua in re morem Lycei, præceptorem ſequentem, imitatum fuiſſe, ex exemplis ſupra allatis conſtat. Non vero doctrina tantum philoſophica & mathematica, ſed & dictionis & orationis genere vario & diſtincto, quodque maximam capiendi animos atque oblectandi vim habebat, eminuit, multisque libris doctiſſimis eruditionem probavit, quorum indicem confecit LAERTIVS. [f] Fabulam vero Græcam ſapiunt, quæ de dracunculo ab eo nutrito, & cum moreretur, lecto impoſito, ut ad Deos relatus crederetur, narrant LAERTIVS & SVIDAS, adeo puerilia ſunt, & vero non ſimilia. Plura de eo dabunt VOSSIVS, [ff] FABRICIVS, [g] & MENAGIVS. [h] Non confundendum vero eſſe cum ſcriptore allegoriarum Homericarum alibi monuimus. [i] Triginta enim ex veteribus Heraclidas diverſos collegit IONSIVS. [k]

Phanias.

§. XV. PHANIAS, ſive Phænias Ereſius, Theophraſti civis e Lesbo inſula fuit, quem Epheſium fuiſſe perperam quidam SVIDAE codices vocant,

w) *ll. cc.* PLINIVS *l. II. c. 65.* GEMINVS *Elem. Aſtron. c. 14.*
x) Vid. FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 156.*
y) *Ad Categorias p. 13.*
z) Conf. PATRIC. *l. c. p. 49. 75. 153.* FABR. *l. c. p. 300.* IONS. *l. c. c. 15. pag. 79.*
a) *ll. cc.*
b) In *deſcriptione Rhodi l. II. c. 9.*
c) Is enim, teſte SVIDA *de claris Heracleenſibus* ſcripſerat.
d) *Lib. V. ſ. 86. ſeqq.*
e) In Ἡρακλείδης *T. II. p. 70.*
f) *l. c. ſ. 87. 88.*
ff) *De hiſtoricis Græc. l. I. c. 10. p. 45.*
g) *loc. cit.*
h) *Ad* LAERT. *l. c.*
i) Supra in *Homero.*
k) *Lib. II. c. 11.* conf. *l. I. c. 17.*

cant, [l] qui eum Ariſtotelem audiviſſe tradit. Diligentem non naturæ tantum, ſed & hiſtoriæ philoſophicæ interpretem fuiſſe, ex libro de *Socraticis* veteribus laudato, [ll] aliisque ingenii ejus monumentis, quæ enarrat VOSSIVS, [mm] colligitur. Qua in re, dubium non eſt, Ariſtotelis hiſtoriæ philoſophicæ plurimum tribuentis exemplo fuiſſe excitatum. Scripſit vero etiam logica, ut ex loco quodam AMMONII [n] colligere eſt. Alius vero Phanias, Poſidonii Stoici diſcipulus eſt, quem cum Peripatetico confudit VOSSIVS. [o]

§. XVI. Omnes vero, enumeratos hactenus nominis celebritate, vitæque fatis per proſpera & adverſa jactatus facile ſuperat DEMETRIVS PHALEREVS, nobiliſſimus Peripateticus, dignusque Theophraſto præceptore diſcipulus, cujus plurimi veterum meminerunt, ex quibus vitam ejus collegit LAERTIVS. [p] Is cum raro, quod notat CICERO, [q] exemplo & doctrinæ ſtudiis & regenda civitate princeps eſſet, a Caſſandro, Macedonum rege Olymp. CXV. 4. Athenienſibus præfectus eſt. Quem principatum non tyrannide occupavit, ſed prudentia geſſit, popularemque ſtatum reſtauravit: namque & reditibus & ædificiis civitatem auxit, tantamque inde populi gratiam meruit, ut CCCLX. ſtatuis, intra totidem dies confectis, [r] honoraretur, quod nulli ante eum contigerat. Decem autem annos cum optime rempublicam adminiſtraſſet, invidia civium preſſus, qui oligarchiam odio habebant, abſens capitis damnatus eſt, id quod Demetrii, Antigoni filii juſſu factum eſſe tradidit Phavorinus. [s] Tantusque fuit populi furor, ut cum abſens damnaretur, ejusque poteſtas corporis data non eſſet, in æs debaccharetur, ſtatuasque omnes ſubverteret, & turpiſſime haberet. Ipſe vero Antigoni metu ad Ptolomæum Lagida, cognomento Soterem, confugit, & apud eum in tanto honore fuit, ut, quod AELIANVS [ſſ] teſtatur, primas in ferendis rogandisque legibus partes teneret. [t] In hac vero in Ægypto commoratione accidiſſe tradunt, [u] ut Alexandriæ oculorum uſum amitteret, a Serapide autem reciperet, quem pro hoc beneficio pæanibus honoravit, apud Athenienſes poſtea decantare ſolitis. Cum autem regi auctor fuiſſet, ut liberos, quos ex Eurydice haberet, regni ſucceſſores deſignaret, non filium Beronices, poſtea Philadelphum dictum, rex ei non obtemperavit, ſed vivus adhuc Philadelphum in regni ſocietatem aſcivit, quæ res Demetrio exitio fuit. Alta enim mente injuriam reponens Philadelphus, parente fatis functo, honoribus eum privavit,

Demetrius Phalereus.

l) Vid. FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 308.* in KVSTERI vero editione recte expreſſum eſt Ereſius, Φ enim pro ε ex mendo irrepſiſſe, palam eſt.
ll) Vid. IONS. *l. c. p. 84.*
mm) *l. c. p. 49.* *n*) *De Categor. p. 13.*
o) *loc. cit.*
p) *Lib. V. ſ. 70. ſeqq.* conf. MENAG. *ad h. l.*
q) *De legibus l. III.*
r) Quot nempe dies annus tum haberet, inde VARRO:

Hic Demetrius æneas tot aptu'st,
Quot luces annus habet abſolutus.

conf. STRABO *l. X.* PLIN. *l. XXXIV. c. 6.*
s) LAERT. *l. c. ſ. 77.* *ſſ*) *Lib. III. c. 17.*
t) Dicitur ſuaſiſſe Ptolomæo, ut philoſophorum de regno & politia libros legeret, quippe in eis reperiri, quæ amici reges monere non auderent, quod refert PLVT. in *apophthegm.* Fuga vero Demetrii in Ægyptum incidit in Ol. CXVIII. 2.
u) LAERT. *ſ. 76.*

vavit, & certæ provinciæ exilio deſtinavit, ubi cum triſtiſſimam vitam paulum exegiſſet, aſpidis morſu interiit: id quod deſtinato conſilio, ut e vivis tolleretur, factum eſſe CICERO [v] aſſerit. Et hæc quidem certis veterum teſtimoniis conſtant. Quod vero poſt Ariſteam Ariſtobulus, Philo, Ioſephus, & plerique veterum eccleſiæ doctorum tradiderunt, Demetrio Phalereo muſeo & bibliothecæ regiæ, Alexandriæ a Ptolomæo Philadelpho præfecto conſilium deberi, curandæ verſionis Græcæ bibliorum Hebræorum, magnis dubiis expoſitum eſt, valdeque in diverſa traxit viros in arte critica ſummos. [w] Seriem enim rerum & Hermippi apud LAERTIVM [x] teſtimonium obſtare monent, quo minus vera iſta ſint, cum quam primum regno ſolus admotus eſſet Philadelphus, Demetrium rure cuſtodiendum curaſſet, ubi aſpidis morſu interierit. Addunt [y] & Demetrium, & poſt eum Zenodotum Epheſium iſto tempore bibliothecarium Ptolomæi Lagidis, non Philadelphi fuiſſe. Cui tamen nodo ſolvendo hanc reſponſionem adhibent VOSSIVS [z] uterque, pater & filius, verſionem ſacrorum librorum curante Demetrio Phalereo factam eſſe illo tempore, quo ſimul regnarunt Ptolomæus Lagi & filius ejus Philadelphus. Poſterius vero telum ut declinet eruditiſſimus HVMPHREDVS PRIDEAVX, [a] ſtatuit, Demetrium ſupremum bibliothecæ præfectum, Zenodotum vero ejus cuſtodem, quem ſubbibliothecarium barbare vocant, fuiſſe. Nos hic prolixe argumenta utriusque partis diſcutiendo moram non nectimus, dicturi ea de re ex inſtituto in hiſtoria philoſophiæ Iudaicæ; ſed id unum monemus, quod totam rem ſubruit, Ariſteæ, Ariſtobuli & Ioſephi Iudæorum teſtimonia deſtitui fundamento ſolido, quod verſio illa publica auctoritate regum Ægypti confecta fuerit, & manifeſtam Iudæorum arrogantiam præ ſe ferre, qua Patres veteris eccleſiæ ſeducti traditionem hanc rei ſacræ, ut putabant, honorificam, ſine ulteriori examine admiſerunt; probabiliſſimumque eſſe, ſuſceptum fuiſſe laborem hunc privato Iudæorum in Ægypto commorantium ſtudio. Ita nec diſertum Hermippi teſtimonium rejici, nec bibliothecæ Alexandrinæ conditæ epocha mutari, nec Zenodoti bibliothecarii munus levi & non probata exceptione infringi opus eſt. Sed ut ad Demetrium Phalereum redeamus, Theophraſti auditor in philoſophia & eloquentia dignum tanto præceptore diſcipulum ſe præſtitit, &, quod teſtatur LAERTIVS, [b] & librorum numero & verſuum multitudine omnes ſui temporis Peripateticos ſuperavit, doctiſſimus & peritiſſimus omnium. Probat etiam librorum ejus index, ab eo conſignatus, in omni doctrinæ genere, partim hiſtorico, partim politico, partim poëtico, partim rhetorico, partim philoſophico fuiſſe verſatiſſimum. Quæ ſcripta ſtilo philoſo-

v) *Orat. pro Rabirio.*

w) Vid. poſt SCALIG. *ad Euſeb.* aliosque HVMPHR. HODY *de LXX.* Interp. *c. 9.* quique hiſtoriam hujus verſionis expoſuere.

x) *loc. cit.*

y) IONS. *de Scr. hiſt. phil. l. I. c. 18. p. 101.*

z) G. I. VOSSIVS *de Hiſt. Gr. l. I. c. 12. p. 37.* IS. VOSSIVS *l. c.*

a) *Hiſt. Iud. Vet. Teſt. P. II. l. I. p. 19.*

b) *ſ. 80.*

loſophico, oratorio tamen robore & virili eloquentia permiſto conſignavit, [c] ut adeo dolendum ſit, ea nobis temporis injuria erepta eſſe: qui enim ad eum refertur libellus elegans *de interpretatione*, *νοθείας* ſuſpectus eſt. [d] Fuiſſe vero virum non eleganter tantum doctum, ſed & probum rectique & honeſti amantem, dicta, quæ de eo refert LAERTIVS [e] atque ſententiæ pulcherrimæ comprobant. A multis vero Demetriis, [f] veteribus memoratis, addito Phalerei nomine facile diſtingvitur. Eſt inter eos Alexandrinus quoque philoſophus quidam, & ipſe Lyceo addictus, cujus meminit ATHENAEVS, [ff] cum Phalereo non confundendus.

§. XVII. Tandem & HIERONYMVS RHODIVS non tacendus nobis eſt, quem cum Arceſilao & Lycone contentiones aluiſſe, LAERTIVS [g] teſtatur. Ariſtotelis itaque diſcipulum dum vocat ATHENAEVS, [h] nihil aliud dicit, quam ſecutum fuiſſe diſciplinam Ariſtotelis, ut recte notat IONSIVS, [i] qui & VOSSIVM [k] reprehendit, qui Hieronymum ad Ptolomæi Lagi tempora refert. Lycon enim Olymp. CXXVII. ſcholæ præeſſe cœpit, cujus ille temporibus vixit. Peripateticum imprimis nobilem, ſvavem item & doctum vocat CICERO, [l] & frequenter ejus ſcripta laudant veteres. [ll] Summum bonum dixit, non dolere. [m] *Hieronymus Rhodius.*

c) *ib. ſ. 82.* Luculentius CICERO in *Orat. ſed Phalereus Demetrius meo judicio præſtitit, cujus oratio cum ſedate & placide loquitur, tum illuſtrant eam quaſi ſtellæ quædam tralata verba & immutata.* Et paulo poſt ſententias & locos communes ſine contentione diſputatos ab eo laudat. Et *off. l. I. init.* eum vocat *diſputatorem ſubtilem, oratorem parum vehementem.*

d) Vid. FABRIC. *Bibl. Græc. vol. IV. p. 423.* & quos laudat.

e) *ſ. 82.*

f) Viginti nominat LAERT. *ſ. 83.* quibus plures addit MENAGIVS.

ff) *Lib. X. XII.*

g) *Lib. I.V. ſ. 41. l. V. ſ. 68.*

h) *Lib. X.*

i) *De Scr. Hiſt. phil. l. II. c. 3. p. 129.*

k) *De Hiſt. Gr. l. I. c. 9. p. 48.*

l) *De Orat. c. 56. de fin. l. V.*

ll) Vid. MEVRS. in *Rhodi deſcript. l. II. c. 10. p. 99.* FABR. *Bibl. Gr. vol. II. p. 303.*

m) Adeoque, voluntatem non eſſe expetendam CICERO *de fin. l. II. c. 3.* hinc *l. V.* dubitat, an Peripateticus vocandus ſit. Inde conjicit, PATRIC. *diſc. T. I. l. XII. p. 157.* hunc primum fuiſſe, qui Peripateticam doctrinam cum aliis aliarum ſectarum doctrinis miſcuit. Hic enim Ariſtotelis libros non vidit.

* *

CAPVT OCTAVVM.

DE SECTA CYNICA.

§. I.

Cynicorum nomen & origo.

Nondum Socraticos diſcipulos, qui poſt præceptoris fata ſectam condidere, dimittere hiſtoriam philoſophiæ Græcanicæ enarrantibus licet; reſtat enim Antiſthenes, Socratis diſcipulus, qui Cynicam ſectam inſtituit, ex qua enata eſt Stoica, quarum hiſtoriam jam pandemus. Cum enim reliqui, qui ex diſciplina magni viri prodierant, variarum doctrinarum hypotheſibus, quarum ſemina a Socrate ſe accepiſſe gloriabantur, inhærerent, Antiſthenes e contrario virtutis magis cultum, ad quem pleraque Socrates retulerat, quam ſubtiles ſpeculationes diſcipulorum ejus imitandum ratus, novum & inſolitum diſciplinæ genus excogitavit, quod Cynicum dictum eſt. Cujus appellationis originem varie repetunt veteres atque recentiores. Quidam enim veterum a publico Athenienſium gymnaſio Cynoſarge dicto, quod elegit Antiſthenes, ut in eo doceret, Cynicam ſectam dictam putant; [a] quod admittunt etiam recentioris ætatis viri quidam doctiſſimi,[b] qui a loco ſectæ nomen hæſiſſe, ut Academicæ ab Academia, Stoicæ a Stoa, contendunt. Multi vero veterum, obſervantes, non omnes Cynicos in iſto gymnaſio docuiſſe, ut Academici in Academia, ſed ſolum Antiſthenem, ad mores potius ſectæ Cynicæ, iſtam appellationem reſpicere, tradunt. Cum enim caninos in omnes fere homines dentes hæc ſecta exerceret, & dicacitate inſolita omnes, quos ex inſtituto ſuo corripere fas erat, allatraret, &, quod plerique veterum aſſerunt, canino quoque more decori rationem inſuper haberet omnem, nec quæ naturalia ſunt, turpia putaret, licet talia aliis viderentur: canum appellationem ſortitam fuiſſe, nec ipſis Cynicis valde ingratam, aſſerunt. Nos utramque ſententiam non incommode copulari poſſe putamus, & utrumque occaſionem nominis dediſſe credibile putamus. Docebat enim Antiſthenes in Cynoſarge, novamque ibi ſectam condendi ſtudio intentus ſeveriſſimam auſpicabatur diſciplinam: cui cum nomen imponendum eſſet, repudiato Antiſtheniorum [d] titulo, a loco nomen hæſiſſe eo magis veriſimile eſt, quo magis eadem appellandi ratio in ceteris, quæ ex Socratis ſchola ortæ erant, ſectis obtinuerat. Cum vero ipſe ſectæ auctor canino more homines allatrando, totius civitatis repre-

a) Horum aliquos nominat LAERT. *l. VI. ſ. 13.* HESYCH. ILL. etiam & SVIDAS in *Antiſthen. T. I. p. 230.* id recipiunt.

b) MEVRS *ad* HESYCH. *p. 115.* & *Athen. Att. l. II. c. 12.* FABR. *Bibl. Græc. vol. II. p. 360.* IONS. *de Scr. hiſt. phil. l. I. c. 8. p. 39.* & *differt. Perip. I. p. 422.* VOSSIVS *de ſectis c. XVII. §. 3.* aliique.

c) LAERT. *l. III. c. 15.* AVGVSTIN. *de C. D. l. XIV. c. 20.* PLAVTVS *in Perſ. Act. I. ſc. I. v. 43.* APVLEIVS *florid. XIV. p. m. 355.* Conſentiunt recentiorum multi, & in his LIPSIVS *Manud. ad phil. Stoic. l. I. diſſ. XIII. p. m. 78.* cl. STOLLIVS *Hiſt. phil. moral. p. 97.* conf. VOSSIVS *l. c.* MENAG. *ad* LAERT. *l. VI. ſ. 13.* & STOLLIVS a ſe diverſus diſſ. *de Antiſthene Cynico §. XI. p. 16.*

d) ARISTOT. *l. VIII. c. 3. Metaphyſ.*

prehenſorem ageret, appellatio inter Græcos non inuſitata, qua dicaces homines, imprimis philoſophi, canes vocabantur, [e] tanquam e re ipſa nata ſectæ hæſit, & qui in Cynoſarge docebat, vere canis eſſe dictus eſt, id quod LAERTIVS [f] diſerte teſtatur. Etſi vero ſectæ, a magiſtro vel loco, appellationem rejiciebant Cynici, [g] qui Herculis imitatores ſe eſſe præ ſe ferebant, cui Cynoſarge dicata erat, qui a cupiditatum noxiarum & vitiorum monſtris Herculis inſtar civitatem purgarent; [h] non diſplicuit tamen poſtea nomen philoſophis ex hac ſecta, ut Diogenis exemplo patet, ſcommatis [i] injuriam in libertatis philoſophicæ laudem vertentes, cum non amplius in Cynoſarge docerent, ſed per omnia urbium compita & imprimis loca ſacra & publica diſcurrerent, reprehenſuri, quoſcunque emendatione opus habere noverant. Id quod eo facilius evenire potuit, quo magis perditiſſimis tunc moribus tota fere vivebat Græcia.

Cynoſarge.

Fuit autem Cynoſarge ex locis Athenarum publicis, extra urbis mœnia verſus meridiem, in editiore paulo loco haud procul a Lyceo ſita, cum luco adjacente. Nomen nacta eſt a cane albo, quaſi ὁ κυνὸς ἀργᾶ ναὸς, canis albi templum, cujus occaſionem, docente SVIDA [k] hæc fuit. Civis quidam Athenienſis, Didymum, Suidas vocat, rectius Diomum alii, vide MEVRSIVS [l] & MENAGIVS [ll] ſacra in larario domeſtico fecerat; cui cum, canis quidam albus (celerem alii, vocem ἀργὸς interpretantur, ut eſt apud HESYCHIVM [m]) carnem abſtuliſſet, & hunc in locum deportaſſet, vehementer perturbatus Diomus oraculum de ea re interrogavit, quod eum in illo loco, ubi canis carnem depoſuiſſet, fanum Herculi extruere juſſit. Quod cum feciſſet, non ſolum fanum illud, ſed & locus Cynoſarges dictus eſt. Non vero Herculis tantum delubrum, ſed & Hebes, quæ Iovis filia Herculi nupta fuit, Alcmenes etiam ara & Iolai, laborum Herculis ſocii, fuit, teſtante PAVSANIA. [n] Præter templum gymnaſium quoque ibi excitatum celeberrimum, in quo peregrini nothique exercebantur. Erant vero nothi, qui vel alterutra ex parte ad Athenienſes pertingerent, ſive qui patre aut matre Athenienſi procreati eſſent. Lege enim cautum erat, ut qui patribus quidem, non vero matribus Athenienſibus nati eſſent, pro nothis haberentur, liberique legitimi non putarentur, certis quoque ſignis & conſuetudinibus diſtinguerentur, quo & illud pertinebat ut non niſi in Cynoſarges gymnaſio exerceri, ungique liceret. Id quod ad hunc locum ideo potiſſimum relatum eſt, quod ipſe Hercules in hunc cenſum quodammodo referretur, Deorum & mortalium connubio genitus. Eundem in locum etiam liberti remittebantur:

e) Ita Ariſtippum canem vocatum eſſe ſupra diximus, conf. *Acta phil. vol. II. p. 902. 918.* & quæ ibi afferuntur.

f) ἀπλοκύων LAERT. *l. VI. ſ. 13.*

g) Oenomaus apud IVLIAN. *Imp. Orat. VI. p. 187.* ὁ Κυνισμὸς ἤτε Ἀντισθενισμός ἐστιν ἤτε Διογενισμός.

h) Dio *L. IV. de regno p. 64.* IVLIANVS *l. c.* Inde Antiſthenes apud EVSEB. *præp. l. XV. c. 13. p. 816.* Herculeo vir animo AVSON. *epigr. 27. 28.* LVCIAN. *Vitar. auct. T. III. p. m. 107.* APVLEI. *l. c.* add. MENAG. *ad* LAERT. *l. VI. ſ. 2.* FABR. *Bibl. Gr. vol. II. p. 361.*

i) Ita vocat LAERT. in *proœm.*

k) *T. II. v.* κυνόσαργες *p. 398.*

l) *Athen. Attic. l. I. c. 2.*

ll) *Ad* LAERT. *l. VI. ſ. 13.*

m) *p. 572.* *n)* In *Atticis.*

eratque ibi curia quædam, coram qua illi, quos illegitimos esse suspicio erat, examinabantur, quique libertate falso usi convincebantur, pro servis vendebantur. Quam tamen ignominiam loco, teste PLVTARCHO [o] is sustulit, qui cum una tantum parte sanguine Athenienſi natus esset, juvenes quosdam nobili familia ortos induxit, ut eum comitati in Cynosarge cum ipso ungerentur. Conf. illustrissimus POTTERVS, [p] & qui loca veterum omnia diligentissime collegit, venerandus nobis socer PHILIPPVS IACOBVS CROPHIVS, [q] quem honoris causa nominamus. Cum itaque Themistoclis auctoritate locus etiam ingenuis pateret, philosophi etiam in eo discere cœpere, & imprimis Antisthenes, more Platonis, Cynosargen in hunc finem elegit. Licet conjiciendum quoque sit, Antisthenem matre Phrygia natum, nascendi conditione ad eum locum compulsum fuisse.

Antisthenis vita.

§. II. Fuit vero Antisthenes, Antisthenis Athenienſis filius, matre natus vel Thressa, ut vult LAERTIVS, [r] vel Phrygia, ut habet PLVTARCHVS. [s] Inde vero constat, ex legitimis Athenarum civibus non fuisse, quia non nisi ingenuis civibus ex utraque parte natis civitatis jus patebat. [ſ] Id quod tamen exprobrantibus quibusdam miro acumine elusit Antisthenes. [ſſ] In prælio etiam cum admodum juvenis fortiter rem gessisset, indigenam virtute æquare admiratus & confessus est Socrates. [ſt] Gorgiam sophistam is initio audivit, & oratoriam dicendi vim ab eo edoctus, feliciter expressit. [t] Solidiora vero appetens ad Socratem discessit, atque ita Socratica disciplina & moribus captus est, ut profectus haud contemnendos sub tanto præceptore faciens, suis apud Gorgiam condiscipulis persuaderet, ut secum Socratem præceptorem sequerentur. Notumque est ex PLATONE, [u] Socratis discipulos, uti sophistarum omnium, ita Gorgiæ imprimis odio exarsisse, reductos atque revocatos ex dialectica palæstra ad morum & philosophiæ severitatem duce Socrate, id quod Antisthenis potissimum cohortationibus factum esse, ex his non sine verisimilitudine colligitur. Tanto vero ardore audiendi Socratis flagrabat, ut in Piræeo habitans, quotidie XL. stadia emetiretur, ut ad Socratem accederet. [v] Qui cum missis inanibus philosophorum disputationibus virtutis culturam discipulis & voce & exemplo commendaret, & contemto vanitatis gloriæque servitio mercedem virtutis in ipsa virtute quæreret, multa quo-

o) In *Themistocle.*
p) *Archæol. Græc. l. I. c. 9. p. 36. 39.*
q) *De Gymnasiis Athenienſium literariis p. 25. ſqq.*
r) *Lib. VI. ſ. 1.* SVIDAS in *Antisthenes Tom. I.*
s) *De exilio T. II. p. m. 530.*
ſ) PLVT. in *Pericle.*
ſſ) Respondit enim matrem Deorum quoque fuisse Phrygiam: itemque, Athenienses dominatos cochleis & locustis non esse nobiliores, quæ domi quoque nascantur.
ſt) LAERT. *l. c.*
t) *ib. ſ. 2.* Inde ætas & tempus Antisthenis colligi potest, Gorgias enim Ol. LXXX. jam inclaruit, & valde senex Ol. C. supervixit. Hunc ante Socratem audivit Antisthenes. Socrates vero Olymp. XCV. e vivis sublatus est: oportet itaque eum ante hæc tempora audivisse. Quia vero ante philosophiæ studium militiam secutus est, recte inde conjicitur, ante Ol. XC. natum fuisse. conf. IONSIVS *de Scr. Hist. phil. l. I. c. 8. p. 40.* cl. STOLLE diss. *de Antisthene Cynico §. 4. p. 6.*
u) In *Gorgia*, passimque alibi.
v) LAERT. *l. c. ſ. 3.*

quoque propter eam fortiter faceret ac patienter ferret, hæc potiſſimum Socratica virtutis conſtantia adeo commovit Antiſthenem, ut hoc maxime philoſophiæ genus imitari, & facto exprimere conſtitueret. Non itaque ex divitiis veſtium cultum, non ex laude hominum famam, ſed patientiam potius & ſtudium emendandi corruptos hominum mores, ſequi conſtituens, adhuc in diſciplina verſatus Socratis, viliori amictu, peneque attrito uſus eſt:[w] cujus partem magis attritam cum aliquando in conſpectum daret, Socrates, in pernoſcendis animorum moribus & charactere feliciſſimus, latentem in ea re ambitionem deprehendens, *quin deſinis*, inquit, *apud nos te ipſum oſtentare.* Veneno ſublato Socrate, cum boni omnes tanto facinori indignarentur, lepido commento occaſionem dedit, Melitum morte afficiendi, Anytum in exilium mittendi. [x] Nempe in Ponticos juvenes, qui Socratis fama illecti Athenas venerant, ut eum audirent, cum incidiſſet, ad Anytum eos adduxit, illum, dicens, ſapientia Socratem multum ſuperare, quæ res adeo indigna viſa fuit audientibus, &, quid amiſiſſent, in Socrate, cogitantibus, ut ex urbe Anytum ejiciendi conſilium caperent, idque exſequerentur. Sublato itaque præceptore, cum diſcipuli Socratis ſcholas aperirent, ipſe quoque Cynoſargen locum elegit, in quo gymnaſio virtutis & tolerantiæ vacuique a paſſionibus animi præcepta & voce & exemplo inculcaret. Vt itaque ſe moribus ſeveriſſimæ, quam meditabatur, philoſophiæ attemperaret, barbam promiſit, [y] tunicam abjecit, ſolo pallio uſus, idque præter conſvetudinem philoſophorum ſordidum & detritum duplicavit, peraque atque baculo mendici inſtar inceſſit. Sicque habitum abjicientis omnes vitæ commoditates philoſophi aſſumſit. Paupertatem vero libero conſilio ſequens, ut divitias, gloriam, nobilitatem & quæ alia exiſtimationem homini pariunt, ſusque deque habere appareret, ſimplici & parabili victu contentus vivebat, [a] &, quod non ſine veriſimilitudine ex vitæ genere concluditur, cælebs; Crates enim primus fuit, qui uxorem ad ſequendum Cyniciſmum perduxit, ut infra dicetur. Non vero ſibi tantum, ſed & aliis philoſophandum ratus, eloquentiam, quam poſſidebat, vivam atque efficacem ad emendandos hominum animos, corripiendos malos, exagitanda vitia, & commendandam virtutem adhibuit. Idque fecit miro reprehenſionum dictorumque acumine, quo mordaci quaſi ſtilo pungebat, & calcare animum excitabat, cujus exempla pluſcula ingenio Antiſthenis digna legi poſſunt apud LAERTIVM[b] & STO-

w) AELIAN. *Var. Hiſt. l. IX. c. 36.*

x) LAERT. *l. VI. ſ. 10.*

y) Diodorus Aſpendius apud LAERT. *l. VI. ſ. 13.* SVIDAS in καθήνεμ *T. II. p. 221.* unde patet, falſam eſſe imaginem Antiſthenis ex gemma, quæ imberbis occurrit in LAERTIO MEIBOMII.

z) Pallium gerebant philoſophi omnes, Antiſthenes vero, tunicam abjecit, & pallium in ſiniſtro humero duplicatum, dextero ita ſubjecit, ut ipſe humerus nudus & exertus exſtaret, id quod tamen Diogenem primum feciſſe alii tradunt: cujus imaginem exomide indutam exhibet Fulvius Vrſinus, & ex eo ALBERT. RVBENIVS *de re veſtiar. l. I. c. 7.* atque FABRIC. *ad* SEXT. *Pyrrh. hyp. l. I. c. 14. ſ. 153.* conf. SALMAS. *ad Tert. de pallio p. 213. 372. 395.* OCT. FERRARIVS *de re veſtiaria Vet. P. II. l. IV. c. 19.*

a) Exemplum jucundum habes apud LAERT. *l. VI. ſ. 9.*

b) *Lib. VI. ſ. 3. ſeqq.*

STOBAEVM, & ex his apud STANLEIVM. [c] Summa vero in carpendis hominum moribus utebatur libertate, cujus exemplum dedit in tradu&to amare Platone, quem peculiari dialogo, cui cynicum Sathonis nomen præfixit, exagitaſſe ſupra in Platone narravimus. [d] Ita vero placuit quidem dicacitas Antiſthenis argutis ſententiolis, parodiis & hujus generis aliis di&tis [e] aures demulcens, & liberrime vitia perſtringens; magnam vero au&tori conciliavit, ut in his fere fieri ſolet invidiam; quæ nomen ei ſimplicis canis contraxit, [f] quod omnes ſine pudore atque reſpe&tu allatraret. Diſcipulos vero, ut eidem vitæ generi adſueſceret, acerbe eos excepit, dureque habuit, medicorum ita ſe exemplum ſequi profeſſus, qui ita ægrotos quoque exciperent. [ff] Dida&trum vero non popoſcit, quod contemtum ei & negle&tum paraviſſe ipſe ſubinnuit. Pauci enim ex di&tis cauſis diſcipuli confluebant, cum plerique & vitæ aſperitatem & decori negle&tum, & publicam invidiam, quæ huic diſciplinæ adhærebat, ſubterfugerent; etſi is multos invitaſſet; tandem indignatus virtutis contemtum, nemini poteſtatem audiendi ſe permiſit, [g] & Diogenem quoque a ſua converſatione repulit; qui qua ratione tandem ejus conſilium expugnaverit, poſtea dicemus. Libris itaque ſcribendis præcipuum tempus impendiſſe probabile eſt; decem enim tomis ejus ſcripta conſtitiſſe, teſtatur LAERTIVS, [h] qui titulos quoque eorum enumerat. Quorum multitudinem reprehendens Timon, ingenioſum eum nugatorem vocavit.[i] Nihil tamen eorum ad nos pervenit, præter duas *μελέτας* ſive *declamationes* ſub Ajacis & Vlyſſis nomine compoſitas. [k] Temperamento utebatur cholerico-melancholico, ex quo prima animi diſpoſitio & inclinatio ad Cyniſmum repetenda eſt. Faſtum enim & ambitionem animi in vita dura & ſingulari gloriam quærenti Socrates jam objecit. Inde voluptatis oſor, adeo, ut eam ſummum malum appellaret; & amicos moneret, ne digitum quidem deliciarum cauſa extenderent. [l] Et hæc quoque ratio eſt, cur mulierum ſexum odio proſequeretur, & ubi poſſet, conviciis proſcinderet; [ll] curque inſanire ſe malle diceret, quam voluptate frui. [m] De diis & religione gentis parum decore ſenſiſſe, de uno Deo vero præclare, teſtatur Vellejus apud CICERONEM, [n] narrans, *in eo libro, qui phyſicus inſcribatur, populares Deos multos, naturalem unum eſſe, dixiſſe, & hac ratione ſuſtuliſſe vim ac naturam Deorum*: id quod in Socratico philoſopho mirandum non eſt. Indignius vero eſt, Herculis imitatore & diſcipu-

c) *Hiſt. philoſ. P. VI. p. 508. ſeqq.*

d) Deriſiſſe quoque ejus faſtum, quem equo ſuperbe ornato comparabat, aliquot exemplis probat LAERT. *l. c.*

e) Imprimis argute ludebat verborum *ἀμφιβολίᾳ*, cujus elegans exemplum eſt apud LAERT. *l. V. ſ. 3.*

f) LAERT. *l. VI. ſ. 13.*

ff) *ib. ſ. 4.*

g) AELIAN. *l. X. c. 116.*

h) *ſ. 15.* Acumen & concinnitatem ejus laudaſſe Theopompum IDEM *ſ. 14.* ait, & ad libros hos provocat.

i) *ib. ſ. 18.*

k) Conf. IONS. *l. c. c. VIII. p. 39. ſeq.* FABR. *Bibl. Gr. vol. I. p. 786.* STOLL. *l. c. p. 9. ſeqq.*

l) THEODORET. *Serm. XII.*

ll) LAERT. *ſ. 3.*

m) *ib. ſ. 13.* SEXT. EMPIR. *Pyrrh. hyp. l. III. c. 23. ſ. 181.* GELLIVS *l. IX. c. 5.*

n) *De nat. Deor. l. I. c. 13.*

ſcipulo, qualis videri voluit Antiſthenes, quod narrat LAERTIVS:[o] ad laborantem morbo ingreſſum Diogenem, quæſiviſſe, num amico opus haberet? & cum diceret ille: quis me doloribus abſolvet? ſicam oſtendiſſe, dicentem; hæc abſolvet; illum vero reſpondiſſe: doloribus non vita ſe abſolvi cupere. Mortem enim ita ferre Herculeum plane non eſt. Sunt etiam plures Antiſthenes veteribus memorati,[p] qui cum noſtro confundendi non ſunt: inter quos Peripateticus quidam eſt, auctor libri *de ſucceſſionibus philoſophorum*, quem cum noſtro eundem eſſe putavit IOANNES MEVRSIVS.[q]

Philoſophiæ Cynicæ facies in genere deſcripta.

§. III. Vt vero faciem quoque philoſophandi generis, quod novum excogitavit Antiſthenes, accurate teneamus, ipſe ſcopus, quem ſecutus eſt ille & ſequaces, expendendus & cum moribus illorum componendus eſt. Qua ratione Cynicæ ſectæ inſtitutum conſiderantibus, talia potiſſimum de ea occurrunt, quæ multis veterum narrationibus repugnant. Quam malis enim magnus eorum numerus Cynicorum ſectam deſcripſerit coloribus, narratiunculæ paſſim apud Græcos de Cynicis pervulgatæ loquuntur, quarum falſitatem in ſequentibus detegemus; non itaque in Cyniſmi ratione exquirenda ad fabellas vulgi dicteriis increpationibus Cynicorum exacerbati, ſed ad eos recurrendum eſt, qui ſine amaritudine de ſecta & inſtituto Cynicorum diſſeruerunt. Id imprimis Oenomaus fecerat, quem *hiſtoriam ſectæ Cynicæ* ſcripſiſſe veteres[r] teſtantur. Eam vero deperditam eſſe in parte ſecunda hujus tractationis pluribus docebimus. Suppetunt tamen IVLIANI Imperatoris *orationes duæ de Cynicis* tractantes,[s] MAXIMI TYRII peculiaris de iis diſſertatio,[t] & elegans locus Epicteti apud ARRIANVM,[u] quibus LVCIANVM[x] merito adjicimus. Qui viri diſertiſſimi eo magis audiendi ſunt, quo magis tres priores doctrinæ moralis integritatem quam maxime commendaverunt, quartus philoſophos verbo tales, facto vitaque alios, acerbe exagitavit. Quorum obſervationes ſi cum vita Cynicorum antiquorum (de reliquis enim ſub imperatoribus Romanis alio dicemus loco) comparemus, hæc potiſſimum de Cyniſmo notanda veniunt:

I. Quo ſenſu dicatur ſecta? vitæ, non ſcholæ deſtinata.

I. Cynicos auctore Antiſthene, externa quidem familiæ facie, vitæque & habitus ratione peculiarem conſtituiſſe philoſophorum ſectam, & habuiſſe quoque viros philoſophos inter ſe haud poſtremæ notæ; foviſſe quoque dogmata quædam moralia, huic ſectæ propria, & eatenus errare eos, qui ſectam eam negarunt, & ſingulare tantum vitæ inſtitutum eſſe con-

o) *ib. ſ. 18. 19.* qui mollius eum perferre morbum præ amore vitæ dixit.

p) Vide enumeratos LAERT. *l. c.* & MENAG. *ad h. l.* IONS. *l. c.* STANLEIO *l. c.* FABR. *l. c.*

q) In *Bibl. Att.* conf. FABR. *l. c.*

r) SVIDAS *T. II. v. Oenomaus p. 667.* IONS. *de Scr. Hiſt. phil. l. III. c. 7. p. 246. Acta philoſ. vol. II. pag. 901.*

s) *Orat. VI. & VII.*

t) *Diſſ. XXI. de vita Cynica.*

u) *Diſſ. Epictet. l. III. diſſ. 22.*

x) In *vit. auct.* & *in Cynico*, in *Demonacte*. Alios qui de Cynicis egere enumerant *Acta philoſ. vol. II. pag. 899.*

contenderunt, notatos ideo LAERTIO [y] certum tamen esse, ipsos, qui hanc sectam nobilitarunt, philosophos, non tam systematis alicujus theoretici, quam vitæ philosophicæ certis regulis, principiisve nixæ genus fuisse sequutos, & ita practicam aliquam philosophiam, luxurianti & voluptatibus plane demersæ Græciæ in medicinam offerre, præjudicia vulgaria jugulare, affectuum tumultus compescere, ambitionis, voluptatis & avaritiæ radices animo evellere, sicque σοφὸν φάρμακον liberrima mente & ore perditissimæ genti propinare, salutisque certam & rationalem ostendere viam voluisse. Ad quod probandum non alia inductione exemplisve opus est, quam vitis primorum Cynicorum, virorum vere magnorum, qui, tantum abest, ut sectam instituere peculiarem contenderint, ut negaverint potius, notante Oenomao apud IVLIANVM, [z] Cynicos vel in Antisthenis verba, vel in Diogenis jurare, sed sapientissimos quosque ac fortissimos sibi imitandos proponere, ut recte verba ejus explicuit doctissimus FABRICIVS. [a] Hinc in verba sua ire discipulos nemo Cynicorum coëgit, sed vitæ institutum & bella atque pugnas contra scelerum & passionum monstra commendavit. Quem finem ut consequerentur, non paupertatis tantum & continentiæ atque tolerantiæ excoluerunt studium, sed in id quoque conniſi sunt quam maxime, ut a passionum & cupiditatum tumultu liberi evaderent. Integerrimos itaque mores castamque & ab omni scelere puram vitam Cynismum postulavisse, ex his palam est. Id quod probe prospexerunt, qui Cynicum vitæ genus in se spectatum tanquam divinum, sanctum, venerabile, maximis prædicaverunt laudibus, inter quos imprimis EPICTETI [b] verba adduci merentur, quoniam finis Cynismi ex iis luculenter cognoscitur, licet non negemus, eum studio assimilandi gentilium philosophorum instituta, sanctissimæ ecclesiæ Christianæ doctorum vitæ, plus dixisse & postulavisse, quam primo Cynismi conditori Antistheni in mentem venit. Ita vero, postquam graviter monuerat, non in eo Cynicam versari vitam, ut quis lacernam gestet, foris cubet, duriterque dormiat, peram adjungat & baculum, & passim petere atque obvios conviciis lacessere incipiat: *Primum tuis in rebus non amplius te tui similem esse oportet, nec quicquam eorum facere, quæ nunc facis. Non incusandus Deus, non homo, appetitus tibi plane auferendus est, aversatio ad ea sola, quæ arbitrii nostri sunt, transferenda, non te iracundum esse decet, non indignabundum, non invidum, non misericordem - - illud tenendum Cynico rerum omnium loco, quibus celant homines sua, esse verecundiam; neque enim debere vitæ suæ quicquam occultare:* Et porro: *Vbi ita se paraverit verus Cynicus, his contentum esse non posse, sed scire debere, se a Iove legatum esse, ut hominibus, quæ bona, quæ mala sint, nuntiet, ut, quantis in erroribus versentur, demonstret, utque in alio loco bonorum malorumque naturam, quam ubi sunt, quærant, ubi vero sunt non*

y) *Lib. VI. s. 103.*
z) *Orat. VI. p. 187.*
a) *Bibl. Gr. vol. II. p. 361.*
b) *l. c. p. m. 301.* edit. Hier. Wolfii.

non cogitent. Hæc vera renuntianda eſſe, nec metu percelli. Sed tota elegantiſſima diſſertatio legenda eſt, & conferenda cum Iuliano, Luciano & Maximo Tyrio, unde abundantiſſima lux dictis affulgebit. Fecit hæc morum non ſimplicitas tantum & integritas, ſed auſteritas quoque, ut Zeno inde anſam arriperet, pauculis mutatis, & adſcitis diſciplinis philoſophicis, quas Cynici rejiciebant, novam ſectam condendi, quæ Stoica dicta eſt, quæ non Cynicos tantum ſummo loco habuit, ſed & ipſa a diſcipulo Cynoſarges orta parum in morali philoſophia a Cynica diſſentit. Vtrique enim ſectæ, notante LAERTIO, [c] placuit, finem eſſe, ſecundum virtutem vivere, Zenoque Cyniſmum dixit brevem ad virtutem viam, & utrique ſectæ quædam ſocietas eſt. Inde IVVENALIS [d]

Et qui nec Cynicos nec Stoica dogmata legit,
A Cynicis tunica diſtantia.

II. Hanc ἕνσασιν, [e] ſive vitæ rationem ſecutos fuiſſe, hancque vitæ paſſionibus & ſceleribus intaminatæ normam ob oculos habuiſſe Cynicos veteres, hiſtoria Cyniſmi veteris & primi teſtis eſt, brevibusque complexus eſt omnia LAERTIVS, [f] *Cyniſmum habitum fuiſſe brevem ad virtutem viam; placere Cynicis ſimplicem & parabilem victum, quippe qui ſobriis cibariis utantur, & ſolis palliis: divitias, gloriam, nobilitatem contemnere; plerosque etiam aqua tantum frigida & herbis uti, operimentisque forte oblatis tegi & doliis habitare.* Ita vixiſſe Antiſthenem, Diogenem, Cratetem LAERTIVS locuples teſtis eſt. Quæ doctrinæ & vitæ Cynicæ ſocietas *II. Vitæ Cynicæ auſteritas.*

III. Eo potiſſimo fundamento inædificata eſt ab Antiſthene, qui a Socrate id acceperat: [g] finem hominis eſſe, vivere ſecundum virtutem, virtutem hanc doctrina acquiri poſſe, non vero amitti; amore dignum ſapientem eſſe, nec peccatis obnoxium, ſimilique amicum eſſe & fortunæ nihil permittere. Quæ vero inter virtutem & vitia media ſint, indifferentia eſſe. Quæ omnia Stoici quoque in ethicam ſuam receperunt. Hoc ut re ipſa præſtarent, vita dura paupereque, & non tantum commoditatibus, ſed & cultu Græciæ uſitato ſe privante uſi ſunt, barbam promittentes, & mendicorum inſtar duriſſimam agentes vitam, ut non tantum ita cupiditatibus frenum injicerent, ſed & aliorum in ſe converterent oculos, & attentionem atque venerationem excitarent, rati, melius ita propiusque ad hominum animos, quos emendare cupiebant, viam apertum iri. *III. Fundamentum Cyniſmi.*

IV. Ita rem ſuam inſtituiſſe Cynicos, quorum vitam enarraturi ſumus, ex hiſtoria eorum patebit. Illa vero non ſine magna veriſimilitudine conjiciendi occaſionem exhibet, magnos hos viros, & ingenii acie & animi robore inſignes, plus inſtituiſſe, atque affectaſſe, quam ſcopus requirebat, *IV. Cur tanta acerbitas vitæ quæſita?*

c) *Lib. VI. ſ. 103.* conf. LIPS. *Manud. Phil. Stoic. l. I. diſſ. XIII. p. m. 75.*
d) *Satir. XIII. v. 121.*
e) Hac voce utitur LAERT. *l. c.*
f) *l. c. ſ. 105.* Viderunt hoc recentiorum quidam, magis ſobrie de Cynicis primis ſentientes, vid. VOSSIVS *de ſectis c. XVII. §. 9.* HORN. *Hiſt. philoſ. pag. 209.*
g) *ibid.*

ut plus, quam decebat, poſtulando, virtutis ſtudioſos ad id præſtandum, quod ſatis eſſet, allicerent, cum ſemper aliquid a rigore remittere ſolere homines in virtutis palæſtra, experientia doceat. Non negavit hoc Diogenes, vir vere magnus, teſtatus, imitari ſe chori magiſtros, illos enim tonum excedere, ut reliqui congruum tonum arriperent.[b] Et hanc cauſam eſſe patet, cur interdum hi viri, nec judicii acumine nec bona mente deſtituti, naturam *non tantum vincere, ſed excedere etiam*, quæ SENECAE[i] vox eſt, tentaverint, ſicque virtutis tramitem ſuo modo reliquiſſe videantur.

V. Ambitio Cynicæ virtutis mater.

V. Etſi vero hæc omnia, veteri hiſtoria teſtante, negari nequeunt, non magnopere tamen iis refragabimur, qui ambitionem quandam animi elatioris virtutem hanc Cynicorum heroicam peperiſſe contendunt.[k] Quis enim ab hominibus vera & cœleſti ad emendandum animum luce non colluſtratis alia expectet, quisve ultimam hanc animæ tunicam ab iis non exutam valde mirabitur? Vidit hoc probe Socrates, quem Antiſthenem ideo acute pupugiſſe, ſupra indicavimus. Eſt tamen, quod monendum in hac re putamus; nempe non ſolum virtutem naturalem cum Chriſtiana & divina non confundendam eſſe, ſed aſcribendum etiam illum auſteritatis exceſſum temperamento, quo viri illi gaudebant, ad ejusmodi vitæ genus & rationem maxime propenſo.

VI. Artes liberales repudiatæ.

VI. Vt vero Cynici extraordinarium hunc virtutis cultum eo formoſius fingerent, & inani verboſæ philoſophiæ ſtrepitu a tanto virtutis exercitio non avocarentur, artes liberales repudiabant, contendentes, illis, qui naturæ bonitate moderato eſſent animo, literas diſcendas non eſſe, ne rebus ad ſe nihil pertinentibus diſtrahantur. Quare & rationalem & naturalem philoſophiæ partem rejiciebant, ſola morali contenti, diſciplinas quoque mathematicas penitus tollebant. Quod etſi vitio iis dari queat, duplici tamen ratione excuſari poteſt. Nam nec ipſe Antiſthenes hoc ex ſuo finxit ingenio, ſed a Socrate accepit; nec id abſolute ad diſciplinarum harum contemtum & ignominiam trahendum eſt, ſed reſpectu potius ad ea, in quibus vivebant, tempora ſtatumque Græciæ intelligendum. Tum vero in encyclicarum ſcientiarum vanitate & inanibus ſcientiarum theoreticarum diſputationibus inſaniviſſe Græciam tantum non omnem, in confeſſo eſt: quæ cum ab animi emendatione non tantum philoſophos avocarent, ſed & in luxu voluptateque, quibus ſe inebriabant Græci, plerosque confirmarent, mirum non eſt, homines acres, vehementes, & emendationem morum violentis remediis quærentes, ita in bonas literas inſurrexiſſe.

VII. Decori ratio mutata.

VII. Tandem & hoc circa conſtitutionem Cyniſmi conſiderandum eſt, rationem decori, inter Græcos tum obtinentem multum ad mores ſingulares & communi hominum judicio adverſos contuliſſe. Tanta enim vanitate

b) LAERT. *l. VI. ſ. 35.*
i) *De brevit. vitæ c. 14.*
k) ESPRIT *de la fauſſeté des V. H. P. II. ch. 21. p. 192. ſeqq.* STOLLE *Hiſt. phil. mor. gentil. §. 83. pag. 120.*
l) LAERT. *l. VI. ſ. 103. ſeq.*

tate externam actionum elegantiam, & ſplendorem vitæ civilis ſectabantur Græci, imprimis Athenienſes, ut non tantum cives plerique voluptatibus ea de cauſa & ſuperbiæ taciti immergerentur, ſed & ipſi philoſophi immunes ſe ab hac vanitate præſtare non poſſent, cujus rei exempla in Ariſtippo, Ariſtotele, Theophraſto, Arceſilao, Stilpone, Lacyde aliisque jam in præcedenti tractatione obſervavimus. Modeſte hæc & moderate reprehendebat Socrates, ipſe ab externa iſta jactantia alienior; Antiſthenes vero nec judicio illo, quo Socrates, nec animi moderatione uſus, in alterum extremum currens, externam decori rationem, tanquam virtuti inimicam neglexit & abjecit, & quæcunque non ex virtutis lege fierent, indifferentia, [m] adeoque omne decorum externum inſuper habendum eſſe judicavit. Quod cum magnam ſapientiæ & fortitudinis ſe ipſum quaſi vincentis, laudem homini temperamento & indole ſua triſtiori compararet, ſectatores ad finem ſuum melius aſſequendum itidem adhibuerunt, nihil in eo judicio reliquorum hominum tribuentes. Et ex hoc fonte ſingularis & abjecta quoque nec decori ſatis obſervans vita Cynicorum orta eſt.

VIII. Odium & invidia Cyniſmum ſecuta.

VIII. Hæ ex conſiderata Cyniſmi indole ſponte ſe hactenus obtulere obſervationes. Adjiciendum quoque eſt, quod finis ſemel electi exſecutio poſt ſe trahebat. Cum enim homines emendare vellent, libertatem arripuerunt ſolito majorem alios corripiendi & reprehendendi: quod cum facerent non ſine ingenio & acumine, & limites quoque initio non tranſilirent, cetera neque benevolentiam neque invidiam magnopere timentes, quippe qui nec amittere quid metuerent, nec acquirere concupiſcerent; magnam illis gratiam ac favorem peperit, & admirationem quoque apud reges & principes conciliavit. [n] Vbi vero libertas poſtea in dicacitatem verſa eſt, & ſcurræ populi fiebant Cynici mordaces, ut canit HORATIVS, [o] accidit quidem, ut vulgus in eos oculos conjiceret, & fortes eos exiſtimaret; prudentiores autem impudentiam horrerent, ſicque odium & indignatio libertatem ſequeretur Cynicam, cujus elegans & facundus teſtis eſt LVCIANVS, [p] omnino de ea re legendus.

IX. Cyniſmus degenerans.

IX. Aliud quoque ex eadem, quæ initio ex admiratione Cyniſmo enata erat, benevolentia damnum emerſit. Cum enim ex virtutis atque fortitudinis opinione magna Cynicorum eſſet apud omnes exiſtimatio, acceſſere ad ſectam homines ignavi, turpes, caninaque impudentia turgidi, qui Cyniſmum ex ventris mendicantis expletione, morum impudentia, & externa ſpecie judicantes peſtiferam labem optimo inſtituto adſpergebant, & ſcurras magis ac gnathones, quam philoſophos ſe præſtabant. Id quod magnam Cynicæ ſectæ contraxit infamiam; & valde imperatorum Romanorum ætate obtinuit, ſectæque tandem interitum attulit. Qua de re

m) *ibid. ſ. 105.*

n) Exemplo eſſe poſſunt Diogenes & Crates.

o) *Epiſt. I. 17.*
Mordacem Cynicum ſic eludebat, ut ajunt,
Scurror ego ipſe mihi, populo tu.
Ita Ariſtippus Diogenem ridebat.

p) In *vit. auct. T. III. p. 108. ſeqq.*

re cum ſuo loco prolixe dicendum ſit, hic nonniſi illud addimus, primos Cynicos cum poſterioribus non eſſe confundendos.

X. Fabulæ de Cynicis unde ortæ?

X. Facile conſtare ex his arbitramur, quæ fuſe hactenus diſſeruimus, unde tot fabellæ, totque obtrectationes, quibus Cynicorum memoria apud veteres & recentiores polluta eſt, ortum habuerint? Cum enim viam a trita prorſus diſcedentem Cynici ingreſſi eſſent, decorique rationem exiguam haberent, odium vero & invidiam oris libertate in ſe concitarent, multam quoque pſeudocynicorum mala vita ipſis ignominiam affricaret, non potuit non inſtitutum totum virtuti dedicatum, tanquam inſaniæ & malitiæ opus; traduci. Accedebat, ut fieri ſolet, vulgi petulantia Cynicos habitu, forma vultuque totos a reliquis hominibus alienos ſcommatibus excipientis, barbam vellentis, lapidibus impetentis, quæ magna patientia, excipiebant, ita vero mille narratiunculis & fabellis occaſionem præbebant. Quas auxit poſtea Sophiſtarum diligentia, quæ fictis orationibus, epiſtolis, narrationibus, & his ſimilibus, Cynicis, in quorum vita ſingulari occaſionem inveniebant, acumina ſua frigida adhibendi, plurima affinxit,[q] cujus locuples teſtis vita Diogenis eſt. Quibus omnibus rite expenſis, neminem fore confidimus, qui ſtudium improbaverit attentum, vera a falſis & veriſimilia a diſſimilibus diſtinguendi, & de receptis apud multos veterum narratiunculis dubitandi, vel ſuſpendendi etiam iudicium. Quod ſi in tota hiſtoria philoſophica ullo loco neceſſe eſt, in Cynicorum hiſtoria maxime requiritur.

Philoſophia moralis Antiſthenis.

§. IV. His præmiſſis, paucis enarranda ſunt placita Antiſthenis moralia, quæ ipſi tribuit LAERTIVS.[r] Hæc vero ſunt:

I. Sufficere virtutem ad beatam vitam, nullo indigentem niſi Socratis viribus.

II. Virtutem vero doctrina acquiri poſſe.

III. Virtutem operum eſſe, & in actione conſiſtere, nec verborum ambitione, nec diſciplinarum apparatu opus habere.

IV. Virtutem totam ſapientiam abſolvere, omnibus in eam deſinentibus.

V. Sapientem ſibi contentum eſſe, ipſius enim eſſe omnia, quæ aliorum ſunt.

VI. Gloriæ damnum bonum eſſe, præſtare enim eundem uſum, quem labor.

VII. Sapientem in republica vivere non ſecundum leges, ſed ſecundum virtutis præcepta.

VIII. Sapientem pulcherrimis feminis nubere generandæ ſobolis gratia.

IX. Sapienti nihil peregrinum & inſolubilis difficultatis videri.

X. Virum probum amabilem eſſe.

XI.

q) Luculentum exemplum habes inter QVINTIL. *Declamationes CCLXXXIII. p. m. 493. ſeq.* ed. Obrechti.

r) *Lib. VI. ſ. 11. 12.*

XI. Amicos esse, inter quos virtus conjungat amorem.

XII. Virtutem arma esse, quæ auferri nequeant.

XIII. Virtutem esse bonum non virorum tantum sed & feminarum.

XIV. Inimicos observandos esse, eis enim primis vitia nostra innotescere.

XV. Bona sola esse, quæ honesta sunt, mala quæ inhonesta.

XVI. Mala omnia peregrina existimanda esse & ad nos nihil pertinentia.

XVII. Murum tutissimum esse sapientiam, eam enim expugnari non posse.

Plura passim veteres conservarunt; hæc vero sufficiunt, ut nos doceant, in tradenda morali sapientia Antisthenem neque in verbis methodoque, neque in re ipsa discessisse a Socrate. Nihil itaque his addimus.

§. V. Discipulum Antisthenes habuit Diogenem, Sinope, Ponti civitate, patre Icesio, vel Iceta trapezita natus; [s] qui non tantum eruditionis fama, sed præcipuæ Cynicæ vitæ singularitate celeberrimum sibi nomen peperit. Cleonis nomen initio habuisse, ait SVIDAS, [ff] pro quo Cyon legit MENAGIVS, [t] exigua verisimilitudine. [u] Natum esse Olymp. XCI. 3. ex mortis tempore, quod Olymp. CXIV. archonte Hegesia nonaginta annos nato accidit, recte colligitur. [x] Adolescentiam male exegisse, veteres non negant, varie tamen rem narrant. [y] Diogenem enim, Eubilides tradit, cum patre adulteratæ pecuniæ reum aufugisse; alii narrant pecuniæ publicæ a patre acceptæ corruptionis reum, & in crimine deprehensum, solum præ metu vertisse, patre in vincula conjecto & in iis mortuo, Delphos vero delatum, Apollinem interrogavisse, num quod animo proposuisset, ut famam sibi in posterum conciliaret, esset prosequendum? quod erat παραχαράξαι τὸ νόμισμα, Deum annuisse; illum vero ambiguo sensu agnito, [z] tandem ad mutandum animum, quod jubebat Apollo, se convertisse; id quod alii, ante fugam factum esse, & male intellectum adulterandæ pecuniæ occasionem dedisse, contendunt. Quæ fabulam quidem sapiunt, eo fine excogitatam, ut tota vita Diogenis mira & extraordinaria videretur, id tamen evincunt, malæ notæ ejus fuisse juventutem. Fuga tamen, quam arripuit, occasionem ei dedit Athenas videndi, quo cum servulo Manete, qui ab eo postea aufugit, [a] delatus est. Ibi cum Antisthenem vidisset, vel rerum suarum desperatione, vel speranda ex novo instituto, nominis gloria commotus, illi in disciplinam se dare constituit. Is, ut supra tetigimus, [b] eo quod discipulos paucos invenerat, indignatus discipulum porro admittere recusabat; & Diogeni, ut cessaret & abi-

Diogenes Sinopensis.

s) LAERTIVS *l. VI. f. 20.*

ff) *T. I. v. Diogenes p. 529.*

t) *Ad* LAERT. *l. c.* non Clyon, ut ait KVSTERVS *ad l. c.* SVIDAE.

u) Canis enim nomen post ea demum tempora propter Cynicam vitam accepit.

x) Si nempe mortis tempus, in eum diem rejicias, quo mortuus est Alexander M. Quibus vero difficultatibus laboret hæc sententia, infra dicemus.

y) LAERT. *l. c.*

z) Νόμισμα enim morem atque consuetudinem receptam etiam significat.

a) Noluit eum quærere, a canibus Delphis postea discerptum LAERT. *l. VI. f. 55.* & quos *ad h. l.* laudat MENAG.

b) AELIAN. *V. H. l. X. c. 16.*

abiret, præcipiebat. Cum vero Diogenes eum frequentare non desineret, minis eum abegit, & his nihil proficiens, postremum baculo caput ejus comminuit. Neque tamen ita deterritus Diogenes voluntatem atque consilium eum audiendi mutavit, sed capite ostenso, *cæde*, inquit, *difficulter enim baculum invenies, cui satis ad me abigendum erit duritiei, nisi me tuis prius præceptis imbueris.* Qua animi constantia commotus Antisthenes eum in disciplinam recepit, & ingenium acerrimum ac sponte currens mox freno repressit, mox ei calcar addidit. Erat enim animo multo magis, quam Antisthenes, fervido, cujus in dicendo remissionem improbabat: [c] qui cum novæ disciplinæ magna patientia & fortitudine se accommodaret, eam non tantum egregie effinxit, quam requirebat, personam, sed Cynismum quoque ad perfectionem perduxit. Platonis quoque disputationibus interfuisse, ait AELIANVS, [d] illi vero non placuit, qui juvenem feroci animo se efferentem Herculis furentis nomine notavit: quemadmodum Platonis quoque philosophiam exagitavit Diogenes. [e] Vt itaque duram, quam excogitaverat Antisthenes philosophiam exprimeret, abjecto divitiarum & honoris, quo antea torquebatur, desiderio, spontaneam paupertatem elegit, tunicam abjecit, pallium duplicavit, in locis publicis, in viis, & apud amicos, vel ubicunque poterat, habitavit, peram & baculum sumsit, & tenuissimo vesci cibo cœpit; [f] quam frugalitatem didicisse a mure, cum egestate pressus ob acrimoniam in reprehendendo a nemine hospitio exciperetur, adeo ut summitatibus foliorum vesci cogeretur, narrat ATHENAEVS. [g] Illum enim cum micis panis se saturare videret, lætus ac tranquillus, se Athenienſium lautitiis carere posse, intellexit. Tandem, ut vulgi habet traditio, postquam diu nullum locorum discrimen habuerat, sive cœna capienda esset, sive somnus, sive sermones ferendi, sed publica sibi loca ad hos fines extructa esse affirmaverat, [h] cellam jussit amicum sibi parare; quod cum ea, qua vellet, festinatione factum ab illo non fuisset, in dolio habitare cœpit, quod in Metroo repositum erat; de qua vulgi narratiuncula, [i] nostra ætate inter celeberrimos viros CHRIST. AVGVSTVM HEVMANNVM & IACOBVM HASAEVM multis disputatum est, quæ vero historicæ fidei leges respicienti se non satis probat.

Dolium Diogenis.

Accurate enim multæque eruditionis præsidio fultus fabulam hanc de dolio Diogenis ex historia philosophica ejecit cl. HEVMANNVS [k] non minori tamen doctrinæ & ingenii apparatu eam restituere atque pro vera narratione defendere satagit cel. IACOBVS HASAEVS. [l] Enarrabimus paucis

c) DIO *Orat. VII. init.*
d) *Lib. XIV. c. 33.*
e) LAERT. *l. VI. f. 40. 53.* qui & alia infensi in Platonem animi exempla affert. Omnes enim philosophos allatrabat.
f) *ibid. f. 23.*
g) *Lib. XIII. c. 26.*
h) LAERT. *l. VI. f. 23.*
i) Ad epistolam Diogenis provocat LAERT. *l. c.* quam exhibet IS. CASAVB. *ad h. l.* illa vero cautum lectorem facile patitur subolfacere ex quo fonte hæc narratio hausta sit, modo officinam cogitet, ubi istæ epistolæ prodierunt.
k) *Act. philos. vol. II. p. 58.*
l) Cujus diss. *de doliari habitatione Diogenis Cynici* HEVMANNVS exhibuit *Pœcil. T. I. l. IV. n. 6. pag. 586.*

paucis virorum doctiſſimorum ſententiam & utriusque partis argumenta, noſtramque modeſte adjiciemus opinionem, lectori judicium de tota re permittentes. Vrget vero HEVMANNVS I. antiquiſſimos habitationis Diogenis doliaris teſtes eſſe IVVENALEM, [m] qui ita:

Dolia nudi
Non ardent Cynici. Si fregeris altera fiet
Cras domus, aut eadem plumbo commiſſa manebit
Senſit Alexander, teſta cum vidit in illa
Magnum habitatorem.

Poſt hunc LVCIANVM, [n] tertium LAERTIVM. [o] Iuvenali vero fidem derogare, quod, alii hiſtorici eandem rem narrantes, PLVTARCHVS, ARRIANVS, CICERO, VALERIVS MAXIMVS, quos laudat MENAGIVS [p] nihil plane de dolio Diogenis habeant, ſed apricatum fuiſſe dicant: Lucianum, narrantem: Diogenem, obſidionis, quam metuebant a Philippo Corinthii, tempore otioſum in Craneo volviſſe dolium narrantem, nec alium habere teſtem; & ſuſpectum eſſe, quod multa philoſophis affinxerit, Laërtium vero, tradentem habitaſſe in dolio Metroi, & fractum a petulante juvene dolium Diogenis reſtituiſſe Athenienſes, non tantum ſibi ipſi contradicere, qui priori loco publici alicujus dolii, in poſteriori privati mentionem faciat, ſed & fidem amittere, provocando ad epiſtolas Diogenis ſuppoſititias, quas Soſicrates & Satyrus pro talibus, ipſo Laërtio teſte, agnoverunt. 2. Tacere domum Cynici portatilem omnes reliquos ex veteribus, qui Diogenis mentionem fecerint, & quidem iis in locis, ubi neceſſario hanc ejus domum memorare debuiſſent. 3. Domum non habuiſſe, affirmare ipſum LAERTIVM, [q] recte id notante BAYLIO, [r] ſed in publicis ædificiis commoratum, & in ſenectute in domo Xeniadis, quæ convenire cum habitatione doliari nequeant. 4. Non itaque everſa antiquiorum hujus rei teſtium fide provocari poſſe ad ORIGENEM, SVIDAM, GREGORIVM NAZIANZENVM, AVSONIVM & Anthologum a MENAGIO [s] adductos, qui ex ſuſpectis his fontibus ſua hauſerint. 5. Negari tamen non poſſe, eſſe hanc narratiunculam antiquiorum Iuvenalis tempore, & eſſe ex eo genere, quas *fabuloſas vulgi voces* recte nominat CONRINGIVS. Oppoſuit his doctiſſimus HASAEVS I. SENECAE teſtimonium, qui ante Iuvenalem dolii Cynici meminit, [f] & in dolio ſe complicuiſſe ait. 2. A ſilentio veterum non eſſe ducendum argumentum, cum multæ queant eſſe cauſæ, cur mentionem dolii Diogenis prætermiſerint. 3. Nihil fuiſſe inſolitum, & conſtare loco ARISTOPHANIS [ff] pauperculos & nauci homines, qualem affectavit Diogenes, habitare in cellis, doliis & ædiculis portatilibus: & fuiſſe dolia tantæ capacitatis, ut habitare quis in eo queat. 4. Iuvenalem & Senecam hæc non excogitaviſſe, adeoque eorum

m) *Sat. XIV. v. 308. ſeqq.*
n) *Quomodo conſcribenda hiſtoria T. II. p. m. 364.*
o) *Lib. VI. ſ. 23. 43.*
p) *Ad Laërt. l. VI. ſ. 32. 38.* q) *ſ. 52.*
r) *l. c. not. B.* s) *Ad Laërt. ſ. 23. 78.*
f) *Ep. 90.* ff) In *equitibus.*

rum tempore antiquiores rei teſtes ſuperfuiſſe, nec deeſſe Iuvenali fidem homini docto & probo. 5. Nec Luciani fidem temere rejici vel probari poſſe, mendaciis & fabulis excogitatis philoſophis illuſſiſſe: nec habere ejus narrationem de homine ſingularia affectante aliquid, quod vero non ſit ſimile. 6. Etſi concedi debeat, epiſtolas philoſophorum a Sophiſtis eſſe confictas, ſupponere tamen eorum fictiones veram aliquam circumſtantiam, ut veriſimilitudinem orationis conſequantur. 7. Non tollere habitationem Diogenis in dolio Metroi, privatum dolium, quod poſtea elegit, & ædium, in quibus habitaſſe dicitur Laërtio, mentionem innuere idem dolium, quod certum habitationis pauperrimæ genus fuerit. 8. Potuiſſe Diogenem, relicta vel Athenis vel Corinthi domo, tandem in domo Xeniadis conſenuiſſe, vel interdum ad priorem habitationem recurriſſe. Veriſimile vero eſſe, fuiſſe dolium non ligneum, ſed teſtaceum, ſive vas aliquod capax & magnum, quod facile volvi potuerit & tamen non frangi, cum viæ in urbibus Græcis lapidibus ſtratæ non fuerint. Multa hæc & elegan-ti eruditione illuſtravit Haſæus, cujus præmatura mors, cum HEVMANNO occaſionem eripuiſſet, ipſi reſpondendi, dedit ad fratrem THEODORVM HASAEVM, virum celeberrimum reſponſoriam epiſtolam. [t] In quo urget ſilentium ſcriptorum, qui non noſſe tantum, ſed meminiſſe etiam dolii, ſi fuiſſet, debuerant; monet vero, patere ex loco Senecæ, Diogenem interdum in dolio quodam ſe abſcondiſſe, cum fortuita habitatione, ubicunque locorum eſſet, uteretur; hincque fabulam ortam videri; locum Ariſtophanis non de doliis proprie dictis, ſed poëticæ dictionis genere de paupercu-lis manſionibus plebeculæ agere: nec eſſe probabile, habitare potuiſſe homines in ejusmodi vaſis. Niti vero totam rem traditione vulgi, nec a poſſibili ad verum poſſe concludi. Diogenem vero vix ſpiritum trahentem tantæ capacitatis dolium non potuiſſe volvere. Non ſumimus nobis inter tantos viros arbitri partes, ſed lectoris judicio totam rem relinquimus, inſtituti tamen noſtri memores rationes adjicimus, cur ex hiſtoria philoſophica ejiciendam fabulam putemus. Nec urgemus ſilentium veterum, eo in loco caſuque omnino magni ponderis, ubi rei mentionem facere potuerant & debuerant, ſed id expendendum putamus, quod reſpectu habito ad totam vitæ conſvetudinem Diogeni obſervatam, cuilibet veriſimillimum videbitur, Diogenem vitam pauperem, & ab omni commoditate deſtitutam quærentem præcipue, cum hoſpitiis, ut habet AELIANVS, [u] " non amplius exciperetur, commoratum non in ædificiis tantum publicis, ſed & in dolio ſive vaſe, quod in Metroo erat; hanc vero vitæ circumſtantiam, cum miram dederit occaſionem, ridiculam faciendi totam ejus hiſtoriam, ſicque lectores oblectandi, iſtis narratiunculis exornatam fuiſſe, & ſic ad poſteros traductam, tandem Senecæ, Iuvenali reliquisque materiam ſcribendi præbuiſſe. Hoc qui veriſimile eſſe negat, ille Diogenis hiſtoriam nunquam critico expendit oculo. Nec negamus, ſupereſſe antiquiores teſtes

t) *Pœcil. l. c. p. 614.*

u) *Lib. III. c. 21.*

teſtes Seneca, Iuvenali & Luciano, qui epiſtolas philoſophorum antiquiores putamus iſtis ſcriptoribus: verum ita fontem quoque totius fabulæ deteget prudens criticus. Cum enim Sophiſtæ, eloquentiæ in acumine dictionis lumen & elegantiam quærentes laudem venarentur, ejusmodi philoſophis dicta, factaque affinxerunt, quæ occaſionem quidem eleganter dicendi offerrent, miſere vero hiſtoriarum fidem corrumperent, id quod innumeris exemplis probari poſſet, ſi id ageremus, & non paſſim jam ad hæc digitum intendiſſemus. Habet porro Eubuli vel Eubulidis potius narratio de mora Diogenis in domo Xeniadis fidem reliquis præſtantiorem & cohæret cum tota ejus hiſtoria, ea vero omnes has fabulas evertit: juxta eas enim non Corinthi tantum, ſed Athenis quoque in dolio vixit; & ætate decrepitus cum Alexandrum M. alloqueretur in Craneo doliarem habitationem habuit: utrumque vero Eubilidi contradicit. Tacemus, quod in ſequentibus probabimus, fabellarum plena eſſe omnia, quæ de Diogenis cum Alexandro M. colloquio traduntur: & fuiſſe mendaces earum architectos ſui non memores, tradentes Athenis in dolio habitaſſe, & tamen Corinthi ita vixiſſe, unde, quod eſt apud DIONEM [v] confictum eſt, æſtate Corinthi, hieme vero Athenis commoratum eſſe, quod ſine teſte dicitur, ut aliqua tantum ratione contradictiones tollerentur. Adjicimus his, EPICTETVM apud ARRIANVM [w] prolixe de Diogene diſſeruiſſe, totiusque quaſi vitæ ejus dediſſe σύνοψιν, attuliſſe ſpecimina tolerantiæ & fortitudinis, ex ejus loco, habitatione, victu, captivitate & his ſimilibus, nihil tamen de dolio habere, quo tamen mirificum diſſertationi ſuæ lumen inferre potuiſſet, narrare vero talia, quæ rationes noſtri & vitæ ſeriem, qualem expoſuimus, mire probant, fabulasque has evertunt. Ait enim: *Quamvis terram illi fuiſſe patriam, nulla vero eximia: captum non deſideraviſſe Athenas, nec illius loci familiares, atque amicos; deinde Corinthi venditum, ita ibi ſe geſſiſſe, ut Athenis, & libere diſſeruiſſe, libertatem ſibi non eripiendam aſſeruiſſe; regibus non ſuccubuiſſe, a voluptate, a gloria, a pecuniæ cupiditate victum non fuiſſe, externasque res tanquam alienas contemſiſſe, &c.* Omiſiſſetne Epictetus dolium, ſi illud noviſſet? Et an non ea, quæ de Corinthiaca vita affert, produnt inſuperabilem traditionis difficultatem, Athenis & Corinthi dolium volviſſe, cum aſſerat, captum, deſiderio videndi Athenas non amplius fuiſſe detentum? Nulli itaque dubitamus, ab hac quoque fabella hiſtoriam liberare philoſophicam.

Vt vero tolerantiam, quam præ ſe ferebat, & duritiem diſceret, æſtate fervente arena volvere ſe, nive obtectas ſtatuas amplecti in hieme ſolitus eſt; ſtipe etiam collecta vivere, & mendicantem obambulare primum cœpiſſe, refert LAERTIVS, qui multa, quæ hac occaſione acute dixit, collegit: [x] qui & addit, non nudis tantum pedibus per nives incedere ſolitum, ſed crudas quoque carnes comedere conatum fuiſſe, ventriculi tamen im-

v) *Orat. VI. p. 86.* w) *Lib. III. diſſ. XXIV.* x) *l. c.* Repetiit ea STANLEIVS *l. c. p. 513.*

becillitate inductum consilium mutavisse. Vt vero finem Cynismi, quem cum præceptore sibi constituerat, attingeret, moresque perditissimos Græciæ emendaret, magna libertate & acerbitate cives Athenienses, & quicunque occurrebant, reprehendere cœpit, parumque curæ habuit sive dignitate & opibus conspicui essent, sive ex infima plebis fece, qui ad eum audiendum confluebant; maximeque in reprehendendis potentioribus acerbissimum se præstitit, cujus plurima exempla atque dicta, acumen quidem ingenii, sed pungens & amarum prodentia veteres, & imprimis DIO CHRYSOSTOMVS [y] collegere; erat enim eloquentissimus, & mirabilis in dicendo, adeo ut oratione facile quemlibet caperet: [z] argutis vero sententiolis ita reprehensiones condiebat, ut, qui valde ab eo istis læderentur, ingenii tamen admirarentur elegantiam. Commendabat enim laboris tolerantiam, temperantiam, frugalitatem, pugnamque contra vitia injungebat acerrimam; liberrime vero carpebat hominum stuporem, fastum, voluptates, stultitiam & alios ineptientium hominum mores, quos Cynicæ vitæ habitu se superavisse gloriabatur. Vnde cum in Isthmiis aliquando coronam sibi pineam imposuisset, Corinthii vero, ut eam poneret, qui non vicisset, monerent, maximos, dixit, vicisse se athletas & fortissimos antagonistas, pauperiem atque exilium & ignominiam, iram præterea, tristitiam, concupiscentiam, metum, omniumque ferocissimam belluam dolosam illam & blandientem voluptatem.[a] His itaque artibus ita severissimam disciplinam temperavit, ut, quem omnes revererentur, plerisque tamen summus videretur, multisque, ut qui omnes sapientia antecelleret, censeretur; [b] aliis furenti similis haberetur, ex vulgo vero multis in contemtu esset, ut mendicus & nauci homo, quidam etiam eum lacesserent, ossa, ut cani, objicientes, manum immittentes pallio, & invitum etiam detinentes. Quos tamen sive favores sive odia hominum æquissimo pertulit animo, sibi ubique similis, & regium in mendici habitu animum præ se ferens: id quod viris dignitate conspicuis eum valde commendavit, & auctoritatem conciliavit atque reverentiam. Vixit itaque non sine existimatione Athenis, nec, ut videtur, deseruisset hanc Musarum sedem literarumque emporium, nisi casu quodam in alias sedes fuisset delatus. Iam senex enim iter suscepit Æginam, in quo a piratis captus, Scirpalo duce, in Cretam deductus est, ut venderetur. Vbi cum præco ex eo quæreret, quam sciret artem? hominibus imperare, respondit, & se vendi præcepit ei, qui domino egeat. Tandem Corinthium quendam, nomine Xeniadem, prætereuntem digito monstrans, hunc domino egere, huicque vendi se oportere, monuit. Cui, cum illum emisset, mox præcepit, ut sibi, licet servo, non aliter, quam soleat medico, pareret. Is

y) DIO *Orat. IX. p. 139.*

z) LAERT. *l. VI. s. 75.*

a) DIO *l. c.* qui plures in hanc rem affert sententias, *Or. VIII. p. 132. seqq.*

b) *ibid.*

c) LAERT. *l. VI. s. 29.* suspectæ autem etiam de hac vitæ Diogenis parte narrationes veterum sunt, non puram mansisse historiam, sed ex ingenio sequentium temporum multa afficta Diogeni. Amicis vero eum redimere volentibus non paruisse ait LAERT. *s. 75.*

Is itaque Corinthum abductum cum ingenii excellentiam animique libertatem demiraretur, manumisit, liberosque ei commisit suos, quibus imperaret, rei quoque familiaris curam ei demandavit, quam ita administravit, ut, faustis sideribus eum in domum suam ingressum esse, Xeniades diceret: Observatu vero dignum est, qua ratione educaverit curæ suæ traditos juvenes. Refert enim LAERTIVS: [d] non permisisse, ut in palæstra, athletarum more, a pædotriba exercerentur, sed quantum corporis viribus & sanitati sufficeret: poëtarum, aliorumque scriptorum sententias, inque eis suas etiam, ipsis præbuisse ediscendas: utque memoria omnis facilius retineretur doctrina, brevi conspectu totam eam oculis subjecisse. Docuisse etiam domi ministrare, cibo uti tenui, & aquæ potu, vesteque vili, ad cutem usque tonsos, sine tunica, discalceatos, silentes ac sibi tantum inter ambulandum intentos, ita ut facile Cynici discipuli agnoscerentur, venationibus vero assvefeciisse. Quod cum suo emolumento fieri juvenes intelligerent, magna eum benevolentia prosecuti sunt, & diligentissime parentibus commendaverunt. Neque vero domini tantum & traditæ juventutis felicitatem promovere contentus, frequentissimum, cum propter mercaturam, tum propter Isthmiorum solennia emporium eo adhibuit, ut Græciam quoque emendaret, unde & ad portum, & in Craneo, quod gymnasium erat, ante urbem, sæpius degens, turbæ, quæ ibi confluebat, promiscuæ virtutis præcepta more methodoque sua explicuit, eorumque insaniam castigare & sanare conatus est. In Isthmiis quoque, ubi maxima confluebat hominum multitudo, hominum affectus, studia, mores observabat, & in quibus sibi maxime displicerent, indicabat. Vbi cum propter vitæ & oris singularem habitum multi ad eum confluerent, omnibus facilem se præbuit, illisque qui acerbitatem ejus non metuebant, saluberrima emendandi animi virtutisque præcepta commendavit, quorum multa congessit DIO. [f] Inter quæ tamen multa sunt, quæ oratorum magis diligentiæ, eloquentiam in acute & sapienter dictis, quæ viris magnis tribuebant, affectantium, quam ipsi Diogeni debentur. Et hoc quoque in loco celebre illud cum Alexandro M. colloquium habuisse dicitur, cujus tamen historia tam male cohæret, ut non dubitemus, eam, tanquam magna ex parte confictam, explodere.

Colloquium cum Alex. M.

Pertinet enim hoc quoque colloquium inter incertos istos rumuscu-los, qui de Diogene dubia fide traduntur, totque contradictionibus laborant, ut omnem fere fidem amittant. Rem a PLVTARCHO [g] & post hunc ab aliis quoque enarratam paucis sic habe. Græci in Isthmi conventu instituto bellum cum Alexandro adversus Persas gerere decreverant, ejusque ducem post patris Philippi mortem eum constituerant. Hic cum

d) *s. 30. 74.* GELLIVS *l. II. c. 19.*
e) DIO *ll. cc.*
f) Potiora ex his repetiit STANLEI. *p. 516. seqq.*
g) In *vita Alexandri T. IV. p. m. 455.* & *de fortit. Alex. T. II. p. 352. seqq.* DIONE *Orat. VIII. p. 131.* LAERT. *l. VI. s. 38. 60. 69.* SENECA *de benef. l. V. c. 4.* ARRIANO *exped. Al. l. VII. c. 1.* & *dissert. Epictet. l. III. c. 22.*

multi primarii in civitatibus viri multique ad ipſum philoſophi gratulandi cauſa acceſſiſſent, ſperabat Diogenem quoque Sinopenſem idem facturum, qui tum apud Corinthum in Craneo degebat. Sed cum is nihil admodum curans Alexandrum otioſus in Craneo deſideret, ipſe ad eum profectus eſt. Iacebat tum Diogenes ſoli obverſus, & tot hominum adventu excitatus, paululum levato corpore adverſus Alexandrum proſpexit. Cumque is diceret, *Alexander ſum ille Magnus;* reſpondit: *ego vero Diogenes canis.* Ab eo ſalutatus, ut aliquid peteret, monitus, hoc ſe petere dixit, ut a ſole recedat, cujus radiis haberet opus. Stupefactus Alexander admiratusque magnitudinem animi, amicis philoſophum ridentibus dixit: *vellem Diogenes eſſe, niſi eſſem Alexander.* Addunt alia acute ad Alexandrum dicta Diogenis MAXIMVS & ANTONIVS, quæ vero falſitatem prima fronte produnt. Nec meliora multo ſunt, quæ ita narrantur, quæque eleganti paraphraſi delineavit DAN. HEINSIVS,[b] nam plurimæ vitæ Diogenis circumſtantiæ repugnant. 1. In Xeniadis domo habitaviſſe ad mortem usque Diogenem ſupra Eubulidis teſtimonio confirmavimus, hæc vero narratio Craneum ei locum aſſignat. 2. Supponit hæc narratio traditionem de Diogene in dolio habitante, id vero non Corinthi, ſed Athenis factum eſſe, in antecedentibus probavimus, quo loco tum non fuit Alexander. 3. Quod ſi cum DIONE[i] aliisque aſſeratur, Athenis in hieme, Corinthi in æſtate fuiſſe, licet id teſtibus idoneis deſtituatur, nihil tamen rem juvat. Series enim rerum Macedonicarum evincit, hunc Græciæ conventum, in quo Alexander dux electus eſt adverſus Perſas, actum eſſe in hieme, Philippus enim ſub auſpiciis Ol. CXI. 1. adeoque paulo poſt hujus anni ſolſtitium, quo agebantur ludi Olympici, a Pauſania necatus eſt, Alexandro non præſente. Is accerſitus patris interfectores late perſecutus eſt, & correptos tandem e vivis cruce ſuſtulit, tum exercitu collecto in Theſſaliam profectus eſt, & ſuppreſſis rebellibus, conventum demum Græciæ edixit, quæ omnia ante hiemis tempora perfici non potuere. Tum vero Athenis, non Corinthi fuiſſe dicitur Diogenes. Inficetum porro eſt, quod tradit LAERTIVS[k] dixiſſe regem: *Ego ſum Alexander M.* tum enim vix viginti annos emenſus erat Alexander, & regium demum axioma acceperat, magnus poſt expeditiones Perſicam & Indicam demum dictus. Poſt eas vero non rediit in Græciam, ſed Babylone extinctus eſt. Et tamen Alexander fortunæ magnitudine inſolens factus, quod poſt devictam Aſiam demum accidit, in his narrationibus ſupponitur. Laborant itaque magnis difficultatibus, quæ hac de re traduntur, & ſi non omnia, pleraque tamen commentitia eſſe produnt. Difficile quoque eſt, veriſimile a falſo diſcernere. Conjectura tamen non prorſus improbabili ducti credimus, Diogenem, qui antea circa Olympica certamina Iſthmum & Corinthum per paucos dies inviſiſſe, & in Craneo forte differuiſſe videtur, ſenem jam, adeoque circa Olymp. CX. circiter, qua ultra ſeptuaginta vitæ annos

nume-

b) Orat. XVII. p. m. 284. ſeqq. *i) Orat. VI. p. 86.* *k) ſ. 60.*

numerabat, captum & Corinthum a Xeniade deductum, ad Alexandrum, Græciæ conventum habentem noluiſſe diſcedere, eum ſalutatum: regem vero hominis in Græciæ panegyri iſta omnibus Græcis innoteſcentis & ob vitæ ſingularitatem famoſi videndi deſiderio correptum ad eum forte in Craneo obambulantem vel deſidentem acceſſiſſe, & ab eo Cynico more, id eſt, ſine reverentia regibus debita fuiſſe exceptum: hæc enim hiſtoriæ Diogenis ſatis reſpondent. Reliqua additamenta ſunt, ab iis adjecta, qui Romanenſem fabulam ex vita Diogenis exſculpſerunt, unde neceſſarium non putamus de reſponſis Diogenis regi datis prolixe judicare. Fecit id P. BAYLE[l] qui laudat, & STOLLIVS[m] qui culpat. Incertiſſimum enim eſt, utrum Diogenis, an aliorum, debeantur ingenio.

Sunt, qui dicant, mox poſt Antiſthenis mortem, Athenarum pertæſum Corinthum migraviſſe, in Craneo habitantem, hiemem vero Athenis tranſegiſſe, ubi eſſet tolerabilior; non cohærent vero ea cum reliqua vitæ ejus hiſtoria; nec meliori fundamento nituntur, quam magnus lepidarum narratiuncularum numerus, quæ Diogeni hac ſola ex cauſa tribuuntur, quod pro publico Græci populi ſcurra haberetur, qui feſtivi ingenii ſolertia ad acerbos jocos & ludicras reprehenſiones abuſus fuerit, cujus generis plurima narrat LAERTIVS,[n] & ex eo STANLEIVS.[o] Ea enim & ſcopo philoſophiæ Diogenis, & auctoritati atque reverentiæ, qua fruebatur, apud prudentes omnes, contraria ſunt, neque etiam hiſtoriæ ejus conveniunt apteque reſpondent, & ex incertis hominum traditionibus orta ſunt, qui Cynicæ libertatis, quam non ſine vehementia & acerbitate adhibebat Diogenes, prætextu uſi, omnis ætatis fabellas, Mileſiis non meliores, ei tribuerunt, more noſtra etiam ætate recepto, qui multas nobis in hiſtoria literaria & civili fabulas peperit,[p] viris magnis indignas, qualem Diogenem fuiſſe ea loquuntur, quæ hactenus veterum teſtimoniis nixi attulimus. Erat enim ingenio ſublimi, acuto, & veterum quoque lectione ſubacto, judicio vero animi adeo ſubtili, ut hominum inclinationes & ſtudia, quibus ſibi maxime placerent, accurate pernoſceret. Animum vero alebat excelſum omnique fortunæ injuria ſuperiorem, laboris patientiſſimum, aërisque & corporis incommoda ſpernentem,[q] &, quæ mutare nequibat, fortiter, & ſine metu ferentem. Pauciſſimis contentus,[r] menſas divitum & regias quoque opes contemnebat, divitiis uſus omnibus theſauris ſuperioribus, ſerena mente ac in omni vitæ caſu tranquillo animo. Magna vero animi propenſione ferebatur ad corripiendos hominum mores, emendandam Græciam, redarguenda vitia, & proferendam in apricum

l) l.c. not. D.

m) Hiſt. phil. mor. §. LXXVII. p. 106.

n) Lib. VI. ſ. 24. ſeqq.

o) p. 520. ſeqq. Qui reliqua paſſim occurrentia apud Ælianum, Plutarchum, Dionem, Stobæum, Antonium, & Maximum adjecit.

p) Collectionem iſtam dictorum Diogenis non majore jure dixeris Diogeniana, quam Taubmanniana dicuntur, ſales & joci, illepidi & indigni erudito viro, qui tribui ſolent Frid. Taubmanno, vel Friſchlino & ſimilibus. Exempla enim hujus rei plurima in hiſtoria literaria ſuperſunt.

q) Hinc nudipes in nive inceſſit, cujus rationes affert DIO *Orat. VI. p. 80. ſeq. l. VI. ſ. 34.*

r) ibid.

cum plerorumque hominum inſaniam, id quod magno, & divinitus quaſi inſtigato regioque animo ſuſcepiſſe ait EPICTETVS, [s] qui & alibi [t] libertatem mentis & linguæ neque reges reformidantem magnopere laudat. Nec duro nodo alium, niſi durum cuneum quærendum eſſe, facile Diogeni perſuadere potuere mores ſui temporis perditiſſimi, quos tot ejus ætatis philoſophi improbabant, & in his maxime Socrates, nemo vero iſta libertate corripuit, qua Diogenes. Qui nec potentibus, nec principibus viris pepercit, [u] nec Deorum gentilium præſentiam ridere extimuit: [x] quod cum plurimos valde offenderet, & a mendico philoſopho, majorem reverentiam ſpectatiſſimæ dignitatis ſummique axiomatis viris debente ferendum non eſſe exiſtimaretur, multorum ei obtrectationes & invidiam concitavit, quæ infamia philoſophum cetera magnum contaminavit, multisque præter rem eum oneravit calumniis. Vivus enim canis dictus, [y] offæque & oſſa tanquam cani objecta ſunt, id quod tamen patienter excepit, & ad dicendi & redarguendi licentiam arripuit; [z] quanquam ſine dubio fabulæ ſint, quæ de eo cum canibus ſepeliri jubente, feruntur. Hinc impudentiſſimi ſcurræ vita & dicta illi tributa, moresque adeo canini adſcripti ſunt, ut omni non decori tantum, ſed & honeſtatis ratione proſcripta, turpiſſimam vitam egiſſe, publiceque corporis mollitie uſus fuiſſe, eamque ratiunculis etiam defendiſſe dicatur. [a] Quo & illud pertinet, quod in Ariſtippi vita tetigimus, conſveviſſe eum cum Laide, quæ olentem & lacerum Diogenem gratis admiſerit. [b] Has enim narratiunculas inter fabulas referendas eſſe, excogitatas vel ab iis, qui ejus reprehenſiones oderant, vel ab illis, qui philoſophos traducebant, vel ab his, qui popelli aures ejusmodi affaniis demulcere ſolebant, ſola elogia magnorum virorum, quibus virtutis cultu nihil fuit ſuperius demonſtrant, qui virum eum divinum vocare non erubeſcunt, ideo a Deo miſſum, ut & verbis & exemplo homines emendaret, & a vitiorum jugo liberaret: [c] id quod in propudioſæ libidinis & caninæ impudentiæ hominem non cadit. Repugnant quoque iſti rumuſculi partim naturæ & indoli Diogenis ab ejuſmodi exceſ-

ſu

s) Apud ARRIAN. *diſſ. XXI. l. III.*

t) *ib. c. 26. p. m. 380.*

u) LAERT. *l. VI. ſ. 43.* qui captum & ad Philippum ductum magno animo ejus aviditatem reprehendiſſe, ex Dionyſio Stoico referr. Reprehendit hanc dicendi invitis & non audituris veritatem licentiam SENECA *ep. 29.* Recte addit: *Diluitur magni viri auctoritas, nec habet apud eos ſatis ponderis, quos poſſet minus obſolefacta corrigere. Id enim Diogeni accidit.* Pertinet huc, quod accenſa in meridie lucerna homines quæſiverit, quid enim hoc eſt aliud, niſi omnes promiſcue homines præter ſe habere pro inſanientibus.

x) Exempla affert LAERT. *ſ. 37. 39.* qui tamen ideo in atheorum numerum referendus non eſt. conf. BAYLE *Dict. T. II.* art. *Diogene, not. N. p. 294.* qui accuſationes diluit. add. REIMMAN. *Hiſt. Ath. c. XXVI. §. 2. p. 181.* BVDDEVS *theſ. de Atheiſmo c. I. §. 18.* CVDWORTH. *Syſt. int. c. IV. §. 22. p. 478.*

y) LAERT. *ſ. 45.* LVCIAN. *in vit. auct. T. III. pag. 108.*

z) *ib. ſ. 33. 61. 47. 60. 55.* modo vera ſint hæc omnia, & non luſus eorum, qui ſcurram eum Atticum fuiſſe credunt.

a) DIO *Orat. VI. p. 90.* LAERT. *ſ. 69. 46. 49.* PLVT. *de rep. Stoic. T. III. p. m. 23.* ATHEN. *l. IV. p. 158.* & ex PP. multi laudati BAYLIO *l. c. not. L.*

b) ATHEN. *l. XIII. p. 588.*

c) Inter hæc teſtimonia EPICTETI *l. c.* quo graviorvix fuit philoſophus, maxime notari merentur. conf. LE VAYER *de virt. gentil. T. V. opp. p. 134. Act. phil. vol. II. p. 151. 152.*

ſu animi valde abhorrenti, partim etiam ſeriei hiſtoriæ, & rationibus temporum, & inanem traditionem ſemet ipſam evertenten produnt.

Obſcœnitas Cynicorum.

Dubitavit jam de harum obtrectationum Cynicis factarum veritate AVGVSTINVS [d] ſed ita, ut arbitraretur, Diogenem & illos, qui hoc feciſſe referuntur, *potius concumbentium motus dediſſe oculis hominum, neſcientium, quid ſub pallio gereretur, quam humano premente conſpectu potuiſſe illam peragi voluptatem. Ibi enim philoſophos non erubuiſſe videri, ſe velle concumbere, ubi libido ipſa erubeſceret, ſurgere.* Hoc vero parum habet veriſimilitudinis. Majori veri ſpecie his opponimus non temperamentum tantum, ſed & totam vitam ſectæque inſtitutum Diogenis voluptatibus corporis maxime adverſum. Non enim philoſophiæ tantum exercitationem ad id potiſſimum, teſtante LAERTIO [e] referebat, ut facillime voluptates contemnerentur, ſed & vitam agebat voluptatibus plane contrariam, fame, inedia, duritie ita corpus exedentem, ut credibile non ſit, ſine Baccho & Cerere non friguiſſe Diogenis Venerem. Accedit extremum, quo ducebatur erga mulieres odium, quas ſuſpendio dignas cenſuiſſe, cum ab olivarum arboribus quasdam pendere vidiſſet, tradit LAERTIVS, [f] quod ſequioris ſexus odium in tantum ſe mutaviſſe amorem, ut cum Laide ſcorto congrederetur, veriſimile non eſt. Tota vero de conſvetudine cum Laida narratio fabulæ ſuſpecta eſt vehementer: nam tempora male cohærent. Lais enim ſeptennis in Sicilia a Nicia capta Olymp. XCI. Corinthum abducta eſt, eo itaque tempore, quo Diogenes Corinthi vitam degit, quod ab Olymp. CX. fuiſſe ſupra demonſtravimus, LXXX. ætatis annum ſupergreſſa eſt, Diogenes LXX. quis, quæſo, credat, anum adeo vetulam tunc communibus totius Græciæ amoribus, & elegantis non minus Ariſtippi, quam olentis Diogenis amplexibus deſideratam fuiſſe. Quod ſi objiciatur, non decrepitam Laidem, ſed adhuc ætate & forma florentem Diogeni ſui copiam feciſſe, quando is ad Olympica deſcenderet Corinthum, neque hoc conſtare poteſt, cum teſtimoniis veterum certum ſit, Laidem adeo ſuperbam & quæſtui ex corpore faciendo inhiantem fuiſſe, ut non niſi magnis ſumtibus amatores admitteret, & inde Axine diceretur, teſte AELIANO. [g] Decrepitam enim pauperibus tantum ſui poteſtatem feciſſe ait ATHENAEVS. [h] Tacemus alias inſuperabiles difficultates in Laidis hiſtoria occurrentes, quas in Ariſtippi vita tetigimus, & pluribus enumerat P. BAYLE [i] qui & recte monet, plerasque has fabellas Athenæum auctorem habere, qui veterum ſcrinia ideo compilavit, ut philoſophis ægre faceret. Quæ vero de proprii corporis abuſu a Diogene adhibito traduntur, componi non poſſunt cum univerſali, qua uſus eſt auctoritate apud Athenienſes, cum ſtrenua, quam tantopere exercuit, contra voluptа-

d) *De C. D. l. XIV. c. 20.*
e) *Lib. VI. ſ. 71.*
f) *Lib. VI. ſ. 52.*
g) *Lib. XIV. c. 35.* conf. GELLIVS *l. I. c. 8.*
h) *Lib. XIII. p. 588.*
i) *Dict. T. III. art. Lais, not. N.*

luptates pugna, cum laudibus viri divini & legati Dei, quas ei veteres unanimi ore tribuunt. Et vero videtur admodum ſimile, excogitatam fuiſſe iſtam calumniam ab iis, quos nimia mordacitate & voluptatum reprehenſione læſerat & in ſe armaverat Diogenes. Quod eo facilius fieri potuit, quo magis naturalia, id eſt, quæ ad naturæ neceſſitatem pertinebant, qualia ſunt, edere, bibere, ſomnum capere, ventrem vel veſicam exonerare, non eſſe turpia, crederet, quia honeſtatem intrinſecam non haberent, in quibus eum valde indifferentem fuiſſe, facile Laërtio aſſerenti largimur. Hæc ad imputandas actiones turpes & ab omni honeſtatis ſpecie remotas adhibentes ejus calumniatores, non reveriti ſunt dicere, eum ἀισχρεργεῖν in conſpectu hominum non erubuiſſe: quod in tantæ integritatis viro, qualis fuit Diogenes, credi minime poteſt.

Facile itaque a canina impudentia morum abſolvimus Diogenem, difficilius tamen a faſtu animi elatioris, qui ſibi in ſingulari & duro vitæ genere, quod admiratores habebat plurimos, imitatores perpaucos, vehementer placuit, tantumque ſapientiæ gradum ſe attigiſſe ſibi perſvaſit, ut dignus eſſet, qui toti emendandæ Græciæ ſufficeret. [k] Quam animi ſuperbiam, dicacitatem & acerbitatem reprehenſionum, contemtumque philoſophorum ſui temporis omnium, [l] immo magiſtratuum [ll] quoque peperiſſe, eſt in confeſſo. [m] Quemadmodum neglecta quoque omnis decori ratio probari non poteſt, cum ſapientia mendici nec peram nec vultum poſtulet. Scripſiſſe etiam dicitur dialogos, epiſtolas & tragœdias, quas tamen multi veterum non Sinopenſis Diogenis eſſe contendunt, [n] videturque cum Diogene Oenomao, circa Olymp. XCIV. inter Tragicos Athenienſium claro fuiſſe confuſus, ut accidit quoque MENAGIO. Certe epiſtolas, quæ hodie ſub ejus nomine feruntur, ſubleſtæ fidei eſſe, ex illis recte conjicitur, quæ ſupra de epiſtolis philoſophorum diximus. [o] [p] De mortis tempore & genere valde inter ſe diſſentiunt relationes veterum. [q] Obiiſſe Corinthi annos natum circiter XC. eodem die, quo ad plures abiit Babylone Alexander Magnus, Demetrius apud LAERTIVM auctor eſt, eadem tradentibus PLVTARCHO[r] & SVIDA.[s] Fuit vero is, notante AELIANO [t] VI. Thargelionis Olymp. CXIV. 1. His vero repugnat, quod narrat LAERTIVS. [u] Cratero precante, ut ad ſe veniret, reſpondiſſe, malle ſe Athenis ſalem lingere, quam apud Craterum frui menſa magnifice inſtructa: hæc enim innuunt, Diogenem poſt Alexandri M. mortem vivum ſuperfuiſſe, cum Craterus

k) AELIAN. *l. III. c. 29.*

l) Euclidis ſcholam vocabat χολήν, bilem, Platonis διατριβήν, κατατριβήν, Dionyſiaca certamina miracula ſtultorum, oratores turbæ miniſtros LAERT. *l. VI. ſ. 24.* qua ratione Ariſtippum & Platonem exagitaverit, ſupra dictum eſt. vid. *ſ. 25.*

ll) Videns magiſtratus, hieromemnonas dictos, furem, qui ex ærario phialam furripuerat, ducere, dixit: *magni fures parvum ducunt. ib. ſ. 45.*

m) Exprobravit hunc faſtum ei Plato *ib. ſ. 26. 41.* conf. FONTENELLE *dial. des morts p. 175.* FRID. MENZIVS diſſ. *de faſtu philoſophorum virtutis colore infucato in imagine Diogenis Cynici Lipſ. 1712.* cl. STOLL. *Hiſt phil. moral. §. LXXVI. p. 103.*

n) LAERT. *ſ. 80.*

o) Ad *l. c. Laërt.* conf. FABR. *Bibl. Gr. vol. I. pag. 418.*

p) Conf. MENAG. *l. c.*

q) Eas collegit LAERT. *ſ. 79. ſeq.*

r) In *Sympoſiac. l. VIII. 1. T. III. p. m. 272.*

s) In *Diogene T. I. p. 529.*

t) *Lib. II. c. 25.*

u) *ſ. 57.*

terus cum rege usque ad ejus mortem vixerit. Cui tamen difficultati medicina facilis adhiberi potest, hanc quoque traditionem inter eas numerando, quæ præter rem Diogeni tributæ sunt, ab aliis forte philosophis profectæ, quas sine judicii discrimine more suo consarcinavit Laërtius, [x] unde tempus mortis dictum veritati congruere non dubitamus. Majus vero dissidium est de genere mortis, quod varie referunt veteres. Eubilides [y] apud Xeniadem consenuisse ait, atque functum vita a filiis ejus fuisse sepultum, & notabile est, quod Xeniadi roganti, quomodo se mortuum componi vellet? respondisse dicitur, apud LAERTIVM. [z] Alii præcepisse volunt, ut in stercoretum ad fratres canes projiceretur, quod scomma a calumniatoribus ejus sine dubio profectum est. AELIANVS [a] morbo lethali afflictum de ponte se dejecisse ait, qui prope gymnasium erat, custodi vero mandasse, ut ubi exspirasset, in Ilissum eum abjiceret; verum morbo lethali correpto tantum virium fuisse intelligi vix potest. Sunt qui eum, cum bovis crudum pedem comedisset, colica obiisse dicant; illi vero non recordati sunt, Diogenem a carnibus crudis mature abstinuisse, quas stomachi imbecillitas non ferebat. [b] Alii in itinere ad certamen Olympiæ febri correptum, accubuisse in crepidine viæ, & elisо gutture elusisse febrem perhibent. Familiares autem ejus, referente Antisthene apud LAERTIVM, [c] eam maxime probabant narrationem, qua animam reprimendo spiritum reddidisse dicitur: in Craneo enim pallio obvolutum invenientes, deprehendisse mortuum. De sepultura magna inter amicos coorta dissensione, magistratus jussu, juxta portam, qua in Isthmum itur, sepultus est, tumulo columna imposita ex Pario marmore cum cane. Statuis quoque posthæc æneis cives eum honorarunt. [d] Plurimos apud veteres memorari Diogenes supra jam observavimus, [e] nostrum patria & vitæ ac sectæ ratio a reliquis facile distinguit.

§. VI. Philosophiæ aliquod systema Diogenes non reliquit; sed præceptoris more magis de virtutis actione quam contemplatione sollicitus fuit. Quas vero ad illam promovendam regulas commendaverit, ex his intelligendum est: [f] *Præcepta moralia Diogenis.*

I. Duplicem esse exercitationem, alteram animi, corporis alteram. Priori genere diligenter defunctis exoriri frequentia phantasmata ad virtutis opera perficienda. Alteram vero sine altera imperfectam esse, cum in corpore pariter atque animo bonus habitus (εὐέξια) & robur virium confirmata requirantur. Exemplo id mechanicarum aliarumque constare artium, athletarum & musicorum.

x) Plurimos anachronismos & contradictiones historicas in Diogenis historia esse, monuit etiam BAYLE *l. c.*

y) Eubulum vocat LAERT. *f. 30.*

z) *ib. facie sc. solum premente, fore enim brevi, ut inferiora sursum vertantur*, quod ad Macedonum regnum trahit LAERTIVS; nos ex Diogeni affectis fuisse suspicamur.

a) *Lib. VIII. c. 14.* b) LAERT. *f. 76. 77.*

c) *ibid.* HIERON. *ad Iovin. l. II.* conf. BAYLE qui plura sibi contradicentia notat.

d) *ibid. f. 77.*

e) In *Diogene Apolloniate.* Conf. LAERT. *f. 81.* & MENAG. *ad h. l.* Alium Diogenem Cynicum Vespasiani nobis ætas suggeret.

f) LAERT. *l. VI. f. 71. seq.*

II. Facile vero virtutem parari poſſe exercitio.

III. Nihil in vita absque exercitatione perfici poſſe, eam vero nihil non vincere poſſe. Homines vero, qui labores ſuſcipere debebant naturæ convenientes, & felicitatem promoventes, ſtulta ratione inutilibus vacantes ſua culpa & dementia infelices eſſe.

IV. Ipſum itaque voluptatis contemtum conſvetudine & exercitatione jucundiſſimum fieri.

V. Plus naturæ, quam legi tribuendum eſſe.

VI. Omnia ſapientum eſſe, tanquam amicorum Dei, quibus cum diis communia ſunt omnia.

VII. Sine lege civitatis conſtitutionem non dari; ſine republica bene conſtituta vero nullum uſum eſſe civitatis. Sine lege vero nullum uſum eſſe conſtitutionis reipublicæ. Civitatem & rempublicam, idem eſſe, adeoque ejus conſtitutionem ſine lege non eſſe. [g]

VIII. Nobilitatem & gloriam contemnendam eſſe, eſſe enim ornamenta malitiæ atque integumenta.

IX. Solam rectam civitatem mundi eſſe. Aliter hoc accepit STANLEIVS, [h] qui tranſtulit: ſolum popularem ſtatum reipublicæ honore dignum eſſe, ſed præter mentem Diogenis, qui omnem nobilitatis & titulorum prærogativam cum malis artibus acquiri cerneret, ſtatum mundi ſive ſocietatis potius humanæ naturalem laudavit, ubi pares omnes ſunt, excellit, qui virtute alios antecellit.

X. Muſicam, aſtronomiam, geometriam nihil ad virtutis uſum valere. [i]

XI. Philoſophiæ finem eſſe paſſiones animi & cupiditates vincere. [k]

XII. Ex philoſophia hoc lucrum oriri, ut ad omnem fortunam parati ſimus. [l]

XIII. Stultos eſſe, qui virtutem docerent, & laudarent, eam vero non ſequerentur.

XIV. Mulieres communes eſſe oportere, & nuptiarum vanum nomen eſſe, liberos etiam communes eſſe oportere. Valde ſuſpecta hæc ſunt, & tributam ei præter rem indifferentiam actionum moralium ſupponunt, quam tamen ei non placuiſſe, ſupra oſtendimus.

XV. Non inhoneſtum eſſe, ex templo aliquid ſumere, multo minus impium carnibus humanis vel ferinis veſci. Nempe omnia in omnibus eſſe, ſeque invicem permeare, e. g. panem eſſe in carne, hanc in aliis, pane & carne per poros tranſpirantibus. Hæc ex tragœdia Diogeni adſcripta, dubiæ fidei eſſe, [m] ipſe monet Laërtius, nosque ſupra diximus, eum a talibus abhorruiſſe. [n]

XVI.

g) Verba LAERTII obſcura ſunt, in quibus mendum ſuſpicantur STEPHANVS & OLEAR. *ad* STANLEIVM *p. 520.* Nos textum Græcum ſecuti ſumus ita, ut ratiocinium ſenſum clarum funderet. Paulo aliter Stanlejus, & obſcurius interpres Laërtii.

h) l. c. p. 520.

i) LAERT. *l. VI. f. 73.*

k) Multa in hanc rem apud DIONEM *Orat. VI. VII. VIII.*

l) LAERT. *l. c.*

m) Philiſci potius vel Paſiphontis eſſe monet.

n) Inutiles enim ſtatuebat ſpeculationes phyſicas, vid. LAERT. *f. 28.*

XVI. Animalia irrationalia, rationis & aëris partem percipere, ſed vel ob craſſitiem, vel ob abundantiam humorum neque intelligere, neque ſentire, ac fere affecta eſſe eo modo, quo ſunt inſanientes, qui de mentis exiverunt poteſtate. Ita quidem de Diogene PLVTARCHVS,[o] quem de Diogene Cynico intelligit IACOBVS RONDELLVS in erudita obſervatione, quam debemus P. BAYLIO.[p] Is eadem in ſententia hæſiſſe Diogenem Cynicum, qua poſt Antonium Pereiram, medicum Hiſpanum, Renatus Carteſius fuit, bruta eſſe machinas rationis & ſenſus expertes contendens, convenire hæc ſyſtemati Cynico putat, non morali tantum, ſed & naturali. Eſſe enim juxta hoc ſubſtantias vel completas vel incompletas; illas ex natura ſua, has ex participatione vel imitatione tales. Has duplicis generis eſſe, quarum illud imitetur ſpiritus, moventes ſe linea circulari, hoc animam, moventem ſe linea recta; motum vero circularem eſſe corporum cœleſtium, & imprimis circuli lactei, unde paſſiones oriri veteribus placuerit: motum rectilinearem eſſe verſus terram; hanc cum ſequantur beſtiæ, animæ paſſiones in iis non eſſe juxta Diogenem, nec habere ullam divinorum corporum ſimilitudinem, ſed hebeſcere animæ uſum denſitate corporis. In morali vero philoſophia cum animum a perturbatione omni paſſionum vacuum, & ſenſus fere omnis expertem pro fine conſtituerit non philoſophiæ tantum, ſed ipſius naturæ, veriſimile eſſe, beſtiarum paſſionibus & ſenſu vacuarum exemplum illum ſibi propoſuiſſe. Bene vero nobiſcum egiſſet doctiſſimus Rondellus, in veterum quidem philoſophorum hiſtoria verſatiſſimus, ſed conjecturis audentior, ſi alium nobis explicationis ab ingenio & doctrina non deſtitutæ teſtem dediſſet, quam MACROBIVM,[q] hominem ſyncretiſmo Platonico-Ariſtotelico corruptum, qui explicationem hanc Platonicam de origine animæ ſententiam cum Ariſtotelica miſere conjungentem, vel confundentem potius peperit, quæque adeo nec Platonica, nec Ariſtotelica, multo minus Cynica eſt. Diogeni enim Cynico Platonicam philoſophiam placuiſſe, nec illud, quod adducit Rondellus, Tiberiani probat: *Diogenem hæreditatem omnem Platonis invadentem, nihil ibi plus aurea lingua, inveniſſe*, nec cum Laërtio conſpirat, qui, riſiſſe phyſiologiam Platonis Diogenem, teſtatur. Nec quæ veteres unanimiter referunt, poſthabuiſſe Cynicos ſpeculationes phyſicas, cum his conveniunt, quæ miram ſubtilitatem ingenii, tantopere Diogeni inviſam, redolent. Non itaque de Diogene Cynico, ſed de Apolloniate Plutarchi verba intelligenda eſſe, nemo dubitaverit,[r] qui Ionicæ ſectæ, cui ille adhæſit, placita de anima ſupra capite primo hujus libri enarrata, expenderit. Is enim cum animam, uti omnia alia quæ ſunt, ex aëre formatam eſſe ſtatueret, ut Ariſtotelis teſtimonio ſupra probavimus, non aliam rationem differentiæ inter animas brutorum irrationales & rationales ho-

o) *De placit. philoſ. l. V. c. 20.*
p) *Dict. T. III.* art. *Pereira not. C. p. 650. ſeqq.*
q) *Somn. Scipion. l. I. c. 12.*
r) Melius hæc quoque reſpondent ordini a Plutarcho obſervato.

minum afferre potuit, quam, impedire corporis diſpoſitionem & craſſitiem atque abundantiam humorum, quo minus aërium principium, quod animam conſtituit, uſum habere, & exſerere ſe queat. Quæ quia principiis Ionicis conſentanea ſunt, ſupra [s] ad Diogenem Apolloniatem, phyſicum retulimus. Differtque hæc ſententia a Carteſii hypotheſi, qui animam ſenſitivam ineſſe brutis negavit, cui tantum operationem denegavit Diogenes. Verum hæc alieni loci ſunt.

Oneſicritus aliique diſcipuli Diogenis.

§. VII. Dura vero licet & adverſa ſenſui atque opinioni, quæ homines plerumque tenere ſolet, fuerit Diogenis philoſophandi ratio, nec is more præceptoris diſcipulos requireret, tanta tamen, teſte LAERTIO [t] vis ei dicendi & perſuadendi fuit, ut, cum ONESICRITVS quidam Æginenſis Athenas alterum ex filiis ſuis mitteret, Diogenem is audiens, apud eum remaneret: & cum miſiſſet fratrem ejus, majorem natu, Philiſcum, & ipſe detineretur, tandem vero & pater adveniret, & ſermonum Diogenis illecebris captus cum eo philoſopharetur. [u] Audivit eum etiam Phocion, cognomento bonus, & Stilpo Megarenſis, & alii viri politici. Et Oneſicritum quidem, quem Æginenſem diximus, Demetrius vero Aſtypalenſem facit, [x] etiamſi Cynica philoſophia, & maſculo dicendi genere Diogenis caperetur, nomen tamen ſectæ Cynicæ, quæ vitæ magis inſtitutum, quam ſyſtema aliquod philoſophiæ, tradebat non dediſſe, ex eo patet, quod caſtra Alexandri ſecutus, ad Indiam usque cum eo penetraverit, navis regiæ gubernator: [y] qualia munera fugiebat vita Cynica. Diſputaviſſe hunc Oneſicritum cum Indorum gymnoſophiſtis, & adduxiſſe Calanum ad Alexandrum Magnum, ſuperiori libro jam tradidimus; nugasque agit LVCIANVS, [z] qui cum eo in ignem ſe conjeciſſe & vivicomburio vitam finiviſſe ait, Peregrino ſimilem. Inter hiſtoricos vero Alexandri locum obtinuiſſe, aliunde notum eſt. [a] Preſſius vero Oneſicrito Diogenis inſtitutum Monimus & Crates ſecuti ſunt.

Monimus.

§. VIII. MONIMVS Syracuſanus fuit, famulus initio Corinthii trapezitæ, qui hac occaſione Diogenis diſcipulus factus eſt. Multoties ſcilicet ad hunc Monimi dominum veniebat Xeniades, quem Diogenem emiſſe, manuque miſſum filiis erudiendis & rei domeſticæ adminiſtrandæ præfeciſſe, ſupra diximus: qui cum ſervi ingenium, doctrinam, mores valde commendaret, cupido inceſſit Monimum, Diogenem audiendi. Cujus eloquentiæ vi captus, cum conſilium cepiſſet, ſe Diogeni in diſciplinam tradendi, & ſervilis conditio obſtaret, furere ſe ſimulavit, omnemque de menſa heri pecuniam deturbavit; qua ratione cum manumiſſionem obtinuiſſet, ad Diogenem ſe contulit, ejusque ſuaſu Cratetem quoque audivit

s) *Cap. I. §. 21.*

t) *Lib. VI. ſ. 76. ſeqq.*

u) SVIDAS in *Philiſcus T. III. p. 603.* qui vero textum Laërtii corrupit, & quæ ad Diogenem referenda erant, ad Philiſcum retulit, quod prætermiſit KVSTERVS.

x) LAERT. *l. VI. ſ. 84.* AELIAN. *de animal. l. XVI. 39.* PALLADIVS *de Brachm. p. 39.* PLVT. in *Alexandro T. V. p. m. 495.*

y) *Citati,* ARRIANVS *de exped. Alex. l. VII. pag. 149.*

z) In *Peregrino T. IV. p. m. 289.*

a) Conf. VOSS. *de hiſtor. Gr. l. I. c. 10. p. 60.* FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 223. ſeqq.*

divit & ſectæ Cynicæ alios, qui domino ejus, furere ipſum, nec eſſe ſatis mentis compotem perſuadere non deſinebant, ut ita liberius philoſopharetur. Laudavit eum Menander, tanquam virum ſapientem, doctum & difertum, licet contemtiorem atque humilem, qui gloriæ ſtudium fortiter neglexit, magnoque animo Cyniſmi duritiem pertulit, a Cynicis vero moribus diverſus nec ſcurra nec ſordidus fuit. [b] Scripſit nonnulla, quæ ludicra prima fronte viſa, ſenſus continebant reconditos, ex quibus memorantur *de appetitionibus* libri duo & *protrepticus;* quem morem ſervaſſe Cynicos omnes, auctor libri *de interpretatione* ait, ut ridicula præcepti vicem ſubirent, admonitionis & ſententiæ, quoniam ut ait HORATIVS:

- - - ridiculum acri
Fortius & melius magnas plerumque ſecat res.

§. IX. Memorabilis vero ſententia eſt, quam de Monimo referunt veteres, dixiſſe, ut id Menandri verbis exprimamus:

Τὸ ὑπολῃφθὲν τύφον εἶναι πᾶν.

Monimi decretum philoſophicum de cognitione intellectus.

Cujus ſententiæ meminerunt ANTONINVS [c] atque SEXTVS EMPIRICVS, quorum ille: *Ea quæ a Monimo dicta ſunt docere, in opinione ſita eſſe omnia, horum autem utilitatem comparere, ſi quis, quæ feſtive ab illo ſcripta ſunt* (modum ſcribendi ludicrum de ſeriis intelligit) *quatenus veritatem habent patrocinantem admiſerit.* Clarius SEXTVS, poſtquam Monimum inter eos retuliſſet, qui criterium veritatis ſuſtulerunt, ait: [d] *Anaxarchum ac Monimum, aſſimilaſſe res ſcenæ imagini, & exiſtimaſſe, eas eſſe ſimiles iis, quæ incurrunt in ſomno & furore.* Et paulo infra: [e] *Monimus Cynicus dixit, omnia eſſe typhum, ſive opinionem inflatam, de iis, quæ non ſunt, ac ſi ſint.* Qua ſententia recte ex veteribus laudati & ex recentioribus GATAKERVS, MENAGIVS & FABRICIVS [f] obſervant, præluſiſſe Monimum Scepticis, idem tenentibus, & inanem hominum opinionem, vera ſe videre credentium, quæ talia non ſint, caſtigaviſſe. Cum vero hoc dogma a Diogene didiciſſe non legatur, non inepte quæritur, quomodo ad id delatus fuerit Monimus? Et refert quidem SEXTVS: [i] *dixiſſe Xeniadem Corinthium, omnia eſſe falſa, & omnem phantaſiam, & omnem opinionem eſſe fallacem, & ex non ente fieri, quicquid naſcitur, & quicquid corrumpitur in nonens interire.* Qui Xeniades Corinthius, ſi idem qui Diogenis herus, fuiſſet, facile inde intelligeretur, ex quo fonte hanc aſſertionem Monimus hauſerit. Verum Xeniadem hunc a Diogenis hero diverſum

b) Sequimur emendationem H. GROT. in *notis ad Excerpta ex Tragicis p.* 727. qui Menandri verſus ita expreſſit:

Fuit olim Monimus ſane philoſophus,
Sed ignobilior. Pera huic una non erat,
At enim vero tres. Is caninum habitum ferens
Nihil dicebat ſimile iſtis ſententiis,
Puta, te ipſum noſce, quæque coacta ejusmodi
Sed nec mendicans quicquam, nec ſorde obſitus
Non conſtat, inquit, ea de re, quæ ſumitur.

c) *De ſe ipſo l. II. §. 15.*
d) *Adv. mathem. l. VII. ſ. 87.*
e) *Lib. VIII. ſ. 7.*
f) *Ad l. c.* ANTONINI *p. m.* 73.
g) *Ad.* LAERT. *l. VI. ſ. 83.*
h) *Ad* SEXTI *l. c.*
i) *l. c. l. VII. ſ. 53.*

verſum eoque multum antiquiorem eſſe, ex eo recte demonſtratur, quod teſte SEXTO [k] ejus Democritus, meminerit. Cum tamen hoc ἀκαταλήψιας dogma Corinthiis jam ante Monimi tempora notum fuerit, a vero non prorſus abludit, Monimum in Xeniadis vel Democriti libros incidiſſe, cum hæc Corinthi audiviſſet, & inde in philoſophiam ſuam, cui ad contemnendam & ejiciendam hominum ſuperbiam egregie inſerviebat, tranſtuliſſe. Xeniades vero ex Zenonis Eleatæ vel Xenophanis philoſophia didiciſſe videtur, nec aliud dicit, quam quod veterum plerique, & inter hos Eleatica imprimis ſchola aſſeruerunt, res omnes ex materia conſtantes fluere, nec materiam ſemper mutabilem entis nomine dignam eſſe; non eſſe enim re ipſa quicquam, ſed in momenta mutari, & fieri ſemper aliud ex alio, ex quibus per ſe ſequitur, vanam eſſe hominum de certis rerum eſſentiis opinionem: id quod Pythagoram & Platonem adduxit, ut materiæ æterna principia, numeros & ideas adjungerent. Cavendum tamen, ne Eleaticos, Xeniadem, Monimum, ex nonente fieri omnia inter creationis ex nihilo aſſertores numeremus; nonens enim hic non enti ſenſu generaliori ſumto, ſed ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtenti opponitur. [l]

Crates.

§. X. Nobiliſſimus vero poſt Diogenem Cynicorum fuit CRATES Thebanus, [m] Aſcondi filius Thebanus, nobili genere ortus, cui parens præter ſanguinis nobilitatem magnas opes reliquerat. [n] quos tamen fortunæ favores, qui plerumque ſervitutem animis contrahunt, libero rejecit animo, & tranquillæ inter paucas & pauperes fortunæ circumſtantias vitæ deſiderio captus ad Cynicam ſectam ſe contulit. Occaſionem varie narrant veteres. [o] Antiſthenes in *ſucceſſionibus* tradit, cum in quadam tragœdia cerneret Telephum ſportulam tenentem reliquoque habitu vilem; ad Cynicam ſectam ſe contuliſſe, venditoque patrimonio, cum ducenta fere talenta ex eo collegiſſet, diviſiſſe civibus. Diocle vero auctore, agros ſuos pecoribus paſcendis permiſiſſe, & quicquid pecuniæ haberet, in mare projeciſſe; [p] quosdam vero ex propinquis ab eo vitæ inſtituto illum revocantes verberibus abegiſſe. Aliter Demetrius Magneſius ait; pecuniam eum apud trapezitam depoſuiſſe, ea conditione, ut ſi quos filios relinqueret, nulla eruditione conſpicuos, vulgique vitam agentes, iis pecuniam redderet: ſin philoſophiam amplecterentur, populo divideret, philoſophos enim pecunia opus non habere. Relicta itaque patria, in qua Bryſonem

k) *l. c.*

l) Hæret de eo GASSENDVS *Phyſ. ſect. I. l. III. c. 1. T. I. Opp. p. 232.* Recte vero ex numero eorum, qui creationem ex nihilo ſtatuunt, Xeniadem ejiciunt FABR. *ad l. c.* SEXTI, & MOSHEMIVS diſſ. *de creatione ex nihilo §. XII.* inſerta CVDW. *Syſtemati intell. p. 970. ſeq.*

m) Vitam ejus, teſte LAMPRIA *de ſcriptis patris*, PLVT. ſcripſit, quæ tamen hodie deſideratur. Quædam ſatis confuſe collegit LAERTIVS *l. VI. ſ. 85. ſeqq.* SVIDAS in *Crates T. II. p. 370.*

n) *ibid. ſ. 87.* qui CC. talenta narrat. PLVTARCHVS *de vit. ær. al. T. II. p. m. 437.* octo tantum numerat.

o) LAERT. *l. c.* APVLEIVS *apolog. p. m. 202. florid. p. 355.* PLVT. *l. c.* ORIG. *contra Celſ. l. II.* SIMPLIC. *ad Epict. enchir. c. 10.*

p) Culpabat ideo Cratetem Apollonius, quod nec hominibus nec pecoribus profuiſſet. PHILOSTRATVS *vit. Apoll. l. I. c. 13.* STANLEIVS *Hiſt. phil. P. VI. p. 537.* vel interpres potius ad Cratetem retulit, quod de Anaxagora dixit Apollonius.

ſonem

ſonem [q] antea audivit ad Diogenem ſeceſſit, & conſtantiſſime illi adhæſit, magnoque animo Cynicæ vitæ inſtitutum ſecutus eſt. Externo enim vultui natura invenuſto, decori negligens, Cynicæ vitæ pauperiem & ſorditiem adjecit. Erat enim facie turpis, auctus gibbere, & ſenex incurvus incedebat, [r] baculum ſumebat & peram, tantumque externi ornatus mundique erat incurius, ut idem ſibi videretur, ſive ſindone ornaretur, quo aliquando incedens ab ædilibus Athenienſium reprehenſus eſt, [s] ſive pellem ovis pallio aſſutam haberet, ſive rideretur. [t] Didicerat enim a Diogene, ad hæc omnia æqualem & immotum ſervare animum. Tanta vero patientia fuit, ut cum Thebis, alii Corinthi factum eſſe dicunt, a principe gymnaſii flagris cæſus eſſet, pedibusque præterea traheretur, rideret, & jocaretur: quod & a citharœdo quodam verberibus male habitus fecit. [u] Animo vero non moleſto & ſubtriſti, ut ſolebat Diogenes, ſed jucundo ſemper uſus vitam tanquam feſtivitatem quandam, ut ait PLVTARCHVS [x] per riſum & jocum, exigebat, qua ratione etiam, licet quoscunque carperet, gratus tamen & acceptus omnibus extitit, ubique locorum libenter & cum gratia admiſſus: quapropter, cum ubique honorifice exciperetur, *oſtiorum apertor* dictus eſt, [y] quod nomen ideo accepiſſe PLVTARCHVS [z] refert, quod jocoſe & jucunde & honeſtis utendo nominibus reprehenderet. Ex quo tanta ei enata eſt auctoritas, ut, teſte APVLEIO, [a] *lar familiaris apud homines ætatis ſuæ Athenis coleretur, nulla domus ei unquam clauſa eſſet, nec eſſet patrisfamilias tam abſconditum ſecretum, quin eo tempeſtive Crates interveniret, litium omnium & jurgiorum inter propinquos diſceptator & arbiter.* Qua ille auctoritate ita uſus eſt, ut Herculis inſtar, quem Cynici ſequebantur, adverſum iracundiam & invidiam, avaritiam atque libidinem, cæteraque animi humani monſtra & flagitia, pugnaret, eas omnes peſtes mentibus exigeret, familias purgaret, malitiam perdomaret, ipſe quoque ut Hercules ſeminudus, & clava inſignis & Thebis oriundus. [b] Qua in re ad magiſtri imitationem maxima libertate vſus eſt, qua nec Alexandro M. peperciſſe dicitur. [c] Feminarum etiam, quæ pudicitiam proſtituerant, acerbiſſimus erat inſectator, [d] quas, ut omnes vitiorum ſectatores, acutis dictis, & ſententiis argutis reprehendebat; merenturque legi, quæ

q) Fuit is Achæus philoſophus, LAERT. & SVID. *l. c.* quem ideo inter Cynicos retulit FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 361.* incertum vero, annon Crates eum audiverit, antequam Cyniſmo nomen dediſſet. conf. IONSIVS *l. II. p. 118.*

r) LAERT. *l. VI. ſ. 90. 91. 93.* APVLEIVS *l. c. p. m. 355.*

s) IDEM *ſ. 90.* videtur vero hoc joci magis & reprehenſionis quam ornatus cauſa feciſſe, ut philoſophos, imprimis Peripateticos ambitioſe ſe veſtientes pungeret.

t) ibid.

u) LAERT. *l. VI. ſ. 89.* alii aliis tribuunt, vid. MENAG. *ad h. l.* Ita enim accidit Cynicis, ut omnium philoſophorum ludicra dicta, joci atque ſales illis, tanquam ſcurris Græciæ publicis tribuerentur.

x) PLVTARCH. *de tranq. animi T. II. p. m. 252.*

y) LAERT. *l. VI. ſ. 86. 98.*

z) Sympoſiac. II. T. III. p. m. 150.

a) l. c.

b) ibid.

c) LAERT. *l. 6. ſ. 93.* Quod ſi verum eſt, Cynicum ejus faſtum prodit: parum tamen urbanitati Cratetis laudatæ convenit.

d) ib. ſ. 90.

quæ collegit LAERTIVS [e] ejus apophthegmata, quæ ingenii amœnitatem & egregiam disciplinam moralem spirant. Vxorem habuit Hipparchiam, de qua in sequentibus dicemus, non vitæ tantum, sed & Cynismi sociam, filias vero discipulis locavit. Scripsit *epistolas*, quibus egregiam, teste LAERTIO, [f] stilo plane Platonico philosophiam complexus est: quæ tamen perierunt, [g] Tragœdias quoque gravitate sententiarum commendatissimas elaborasse dicitur LAERTIO, qui fragmenta exhibet, quædam, licet dubium sit, annon alterius Cratetis tragœdi fuerint. [h] Floruit Olymp. CXIII. & distingui debet ab aliis hujus nominis, & Cratete Academico, de quo supra actum.

Hipparchia. §. XI. Vxorem, uti diximus, Crates duxit Hipparchiam, inter mulieres philosophantes celeberrimam, Marona Thraciae urbe, ortam. Quam qua ratione duxerit, dignum narratu est. [i] Erat illa genere & divitiis potens, & a multis & magnis procis petebatur: illa vero Cratetis amore ita capiebatur, ut parentibus minaretur, mori se velle, nisi huic in matrimonium tradatur. Cratetem itaque adibant, rogantes, ut ipse ei amorem hunc sui ex animo evelleret. Quod cum is verbis diu frustra tentavisset, paupertate & deformitate sua eam deterreri posse, ratus, interscapulium retexit: quod erat aucto gibbere, peramque cum baculo & pallium humi posuit, eam sibi supellectilem esse puellæ professus, eamque formam, quam viderat: proinde sedulo consuleret, ne post querela eam caperet. Enim vero Hipparchia conditionem accepit: & jam dudum sibi provisum satis, & satis consultum respondit, neque ditiorem maritum, neque formosiorem uspiam gentium posse invenire. Cynicam itaque vitam elegit, tunicaque abjecta pallium duplicatum sumsit, [k] & vitam cum eo in conjugio egit, liberis quoque fœcundam, uti in antecedentibus diximus. Addunt, præter LAERTIVM, [l] SEXTVS EMPIRICVS, [ll] APVLEIVS, [m] & ex Doctoribus ecclesiæ THEODORITVS, [n] CLEMENS ALEXANDRINVS [o] atque LACTANTIVS, [p] quam primum se Crateti dedisset, duxisse eam Cynicum in porticum, ibique in loco celebri coram luce clarissima accubuisse, coramque virginem imminuturum fuisse, paratam pari constantia, ni Zeno procinctu palliastri a circumstantis coronæ obtutu magistrum in secreto defendisset. Quæ si vera essent, validum iis argumentum exhiberent, qui Cynicos omnem decori honestatisque rationem exuisse clamant. Verum dubi-

e) *l. c.* & STANLEIVS *p. 537. seqq.* qui alia quoque collegit.

f) *ib. f. 98.*

g) Quae enim hodie supersunt, editae cum *Heracliti & Diogenis epistolis Basil. 1601. 8.* sine dubio supposititiae sunt, vt reliquae philosophis tributae. Quod quia agnoscit cel. STOLLIVS *Hist. liter. P. II. c. 1. §. 41.* merito miramur, eum in *Hist. phil. moral. gent. §. LXXXI. p. 115.* ex istis epistolis syllogen dogmatum Cratetis moralium exhibuisse.

h) vid. FABRIC. *Bibl. Gr. Vol. I. p. 642.* conf. *p. 419.* MENAG. *ad l. c.* LAERTH.

i) LAERT. *l. VI. f. 96.* APVLEIVS *l. c.*

k) Recte itaque monuit LAVR. CRASSVS Hipparchiam sumta veste virili secutam fuisse Cratetem, quod ei exprobrabat Theodorus Atheus. Quem perperam ideo notat BAYLE *Dict. T. II. art. Hipparchie not. F.*

l) LAERT. *loc. cit.*

ll) *Pyrrh. hyp. l. I. c. 14. l. III. c. 24.*

m) *l. c.*

n) *De cur. Graec. affect. serm. XII.*

o) *Stromat. l. IV.*

p) *l. III. c. 15.*

dubitari ea de re non tantum poteſt, ſed & debet. Iisdem enim argumentis, quibus fabulas de Diogene ſupra deteximus, ſuſpecta fit narratiuncula. Non teſtes coævi, ſed longo a Cratetis tempore intervallo remoti; ſilentes propiores, etiam ubi ſingulare & inuſitatum exemplum fas erat adduci; res ipſa tota contraria ſpectatiſſimæ tantaque veneratione cultæ virtuti Cratetis, quæ non omne tantum quod inhoneſtum eſſet, reprehendebat, ſed & libidinem & impuritatem vatiniano proſequebatur odio. Nec perſuaderi poteſt attentis ad Cratetis hiſtoriam lectoribus, virum conſtantiæ laude inter divinos homines relatum, contraria ſuis dogmatibus conjugi ſuaſiſſe; ita vero docebat: [q] ornare mulierem id, quod honeſtiorem eam faciat; talem autem præſtare non aurum, non ſmaragdum, non coccum, ſed quæcunque gravitatis, moderationis & pudoris eam induant facie. Hæc cum feminis commendaret Crates, in quem tanquam virtutis doctorem intuebatur Hipparchia, qui potuit pudorem, quem ſupra omnia mulieres difficillime ponunt, [r] ita abiicere omnem, ut publice cum ſponſo congrederetur? Confirmat hæc admodum ſilentium Epicteti, Athenaei atque Luciani itemque Stoicorum. Epictetus, qui cœlibem vitam Cynico commendaverat, obiectum ſibi Cratetis conjugium repellens, ſingularem quidem eam rem eſſe ait, & ſingularem mulierem, quæ alter Crates eſſet; nihil vero de nuptiis his dicit, dicturus, ut incommoda earum oſtenderet, ſi res ita ſe habuiſſet, [s] Athenæus vero & Lucianus, qui tanta diligentia philoſophorum opprobria congeſſerunt, num tacuiſſent infandam proterviam, ſi id veriſimili argumento objicere Cynicis fuiſſent auſi? quorum tamen uterque Cratetis ſæpius meminit. Nec ratio dari poteſt, cur Stoici, eorumque conditor, Zeno tanta admiratione proſecuti ſint Cratetem, ſi proſcripto omni pudore ita vixiſſet. Non dubitamus itaque hanc quoque hiſtoriolam inter fabellas referre, quibus vulgus aures ſolent paſci, quæque ideo excogitatæ fuere, ut vel Sophiſtæ occaſionem haberent, ſplendide de Cratete fingendi, vel philoſophomaſtiges, mentiendi. Omitti itaque potuiſſent, quæ vel PETITVS & BARLAEVS in has nuptias luſere, vel dixit P. BAYLIVS. [t] Etſi vero impudentiæ litaviſſe probabile non eſt, veriſimile tamen eſt, contra morem Græcorum Hipparchiam conviviis interfuiſſe, [u] Qua occaſione Theodorum Atheum, quocum diſputaverat, eam riſui ceterorum expoſuiſſe, ſupra diximus. Vtrum ſcripſerit aliquid, incertum eſt, licet id tradat SVIDAS, malus veterum, imprimis LAERTII conſarcinator. [x]

§. XII. Hipparchiæ frater fuit METROCLES, & ipſe diſcipulus Cratetis. [y] Is initio Theophraſtum audivit, & Xenocratem quoque, [z] poſtea *Metrocles.*

q) STOBAEVS *ſerm. CXLIII. p. 662.*

r) Notat hoc MENAGIVS *Hiſt. philoſ. mul. §. 63.* qui vel hoc argumento motus de narrationis veritate dubitare debuiſſet.

s) ARRIAN. *diſſ. Epictet. l. III. diſſ. 22.*

t) *Dict. T. II.* art. *Hipparchia not. C. D.*

u) LAERT. *ſ. 79.*

x) Conf. FABRIC. *Bibl. Gr. Vol. II. p. 363.*

y) LAERT. *l. VI. ſ. 94.*

z) STOBAEVS *ſerm. CCXXXVII. p. 778.* ex Teletis epitome *de comparat. divit. & paupertatis.*

ad Cratetem delatus eſt. Puſillo vero timidoque fuit animo, adeo, ut in Academia philoſophiæ operam navans, timeret, ne fame ipſi ſit pereundum, licet affatim ei res familiaris ſuppeditaret, unde commode viveret. [a] Fame quoque ſe enecaſſet, cum aliquando inter recitandum crepitus ventris eum interpellaſſet, pudore atque dolore animi ſuppreſſus, niſi eum Crates primo verbis, poſtea verbis fruſtra conſumtis, exemplo revocaſſet. [b] Ejus vero inſtitutione ita mutatus eſt, ut cum antea ne ſe quidem alere poſſe confideret, licet neceſſaria ei ſuppeterent, alium tamen poſtea alere auderet, quamvis nihil amplius ei domo ſuppeditaretur. [c] Vitam vero Cynicam ducens, hieme inter oves, æſtate in veſtibulis templorum dormiens, provocavit ad certamen de felicitate Perſarum regem Babylone hiemantem, & æſtivo tempore in Media degentem. [d] Libros vero ſuos ipſe combuſſit, ſomnia & nugas ſua eſſe exiſtimans, quod & dictatis Theophraſti feciſſe dicitur: [e] quod argumento eſt, parum eum ſcientiis tribuiſſe, vitamque magis Cynicam, quam diſciplinam philoſophicam adamaſſe. Moderatum tamen ſapit animum, quod tradidiſſe, auctor eſt LAERTIVS. [f] Res alias pecunia comparari, ut domum; alias tempore & diligentia, ut diſciplinas liberales; divitias vero nocere, niſi quis recte utatur. Obiit ſenex, ſe ipſum ſuffocando. Diſcipulos Theombrotum habuit & Cleomenem. Theombroti auditor fuit Demetrius Alexandrinus, Cleomenis Timarchus Alexandrinus & Echecles Epheſius, qui etiam Theombrotum fuit ſecutus: Echecles diſcipulum habuit Menedemum.

Menedemus. §. XIII. In MENEDEMO, Coloti Lampſaceni [ff] diſcipulo, vita Cynica degeneravit in furorem. Is enim, teſte Hippoboto [g] eo usque ſuperſtitionis pervenerat, ut ſumto habitu furiæ, circumcurſitaret, dicens, ſpeculatorem ſe ab inferis adveniſſe iis, qui peccant, ut ad inferos redux, ea quæ vidiſſet, inferorum diis renuntiaret. Veſte itaque pulla, tunica talari, aſtricta puniceo balteo, pileo Arcadico capiti impoſito, cui intexta erant elementa duodecim: cothurnis tragicis, barba prolixa, virga in manu fraxinea incedebat. Narrat hæc quoque SVIDAS, [h] & totidem quidem verbis, quibus Laërtius, ſed Menippo tribuit, ſine dubio vel propria feſtinatione vel ex ſcriptorum, quos adhibebat, ut ſæpius ei accidit, deceptus incuria. Diſcipulum & familiarem habuit Cteſibium, Chalcidenſem, ſanguine ſibi junctum; hominem ingenii feſtivi & ad jocos atque ſales argutos nati, qui ea elegantia & jucunditate differendi liberum ſibi ad cœnas divitum aditum para-

a) ibid.

b) LAERT. *l. c.* quod exemplum eſt, Cynici qua ratione naturalia non eſſe turpia putarent. conf. MENAG. *ad h. l.*

c) STOBAEVS *l. c.* qui Cratetis de pecuniæ uſu apud philoſophantem ſententiam quoque affert.

d) PLVTARCH. *an vitioſ. ad infelic. ſufficiat T. II. p. m. 121.* Eadem ſententia tribuitur Diogeni Athenis hieme, Corinthi æſtate degenti, unde, quam incerti hi rumuſculi ſint, liquet. Rationem vero vivendi duram, quam ſecutus eſt Metrocles, idem Teles prolixe proſequitur, qui locus vitæ Cynicæ circumſtantias valde illuſtrat.

e) LAERT. *ſ. 95.*

f) l. c. qui etiam ſequentia habet.

ff) Non confundi debet cum Colote Epicureo.

g) LAERTIVS *l. VI. ſ. 102.*

h) In Φαὸς *T. III. p. 589.*

paravit: cujus meminit ATHENAEVS, [i] ex quo diſcimus, eum vixiſſe ſub rege Macedoniæ Antigono.

§. XIV. MENIPPVS Sinopenſis patria, ortu Phœnicius Gadarenſis fuit, conditione ſervus Batonis, Pontici hominis. [k] Qui cum opibus inhiaret, Thebas ſe contulit, libertatemque ab ea civitate fuit adeptus. Ibi mercatoribus pro fœnore pecuniam locavit, pignore quoque accepto. Poſtremo mercatoria fraude omnibus bonis ſuis emunctus, laqueo vitam finivit. Libros ejus, niſi ab aliis acceperit, [l] multo riſu refertos fuiſſe veteres teſtantur, imitatusque eſt ſcribendi genus σπϑδογελοῖον ſatyris ſuis Varro, quas ideo Menippeas vocavit, teſte GELLIO. [ll] Quem morem poſtea ſecuti ſunt PETRVS CVNAEVS & IVSTVS LIPSIVS. [m] LVCIANVS autem aliquot dialogis [n] ad irridendos philoſophos Menippi perſona uſus eſt. Non confundendus vero eſt cum Menippo Lycio, itidem Cynico, ſed Apollonii Tyanenſis ætate vigente, [o] de quo ſuo loco dicetur. Alios Menippos enumerant LAERTIVS & MENAGIVS. *Menippus.*

* *

CAPVT NONVM.

DE SECTA STOICA.

SECTIO I.

DE ZENONE EIVSQVE PHILOSOPHIA.

§. I.

Cynicæ ſectæ propago fuit Stoica, cujus conditor Zeno Cratetis diſciplina in morali philoſophia formatus eſt. Hinc dicti Stoici tunica tantum a Cynicis diſtantes, ut ſupra dictum. Elegantius vero rem ornavit ſuam Zeno, & non tantum de morali philoſophia ſollicitus morum præcepta tradidit, ſed & univerſæ philoſophiæ ſyſtema ex præceptorum, quos audiverat, doctrinis conflatum excogitavit, novamque ita philoſophandi viam aperuit, cuius hiſtoriam hoc capite exponemus. Dolemus *Scriptores de Stoicis.*

i) *l. I. p. 15. l. IV. p. m. 162.* Debet is addi catalogo Cynicorum, quem dedit FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 360.* qui tamen alio loco Cteſibii Cynici meminit *p. 592.* not. Emendationes quasdam hujus catalogi, COZZANDI indice longe plenioris habes *Act. Phil. Vol. II. p. 912. ſeqq.*

k) LAERT. *l. VI. ſ. 99.*

l) Quidam enim Zopyri & Dionyſii Colophoniorum eſſe, quos recenſet Laërtius libros, contendunt, alii Meleagro Gadarenſi, riſus Cynici captatori tribuunt, vid. LAERT. *l. VI. ſ. 100.* MENAG. *ad h. l.* IONSIVS *l. IV. p. 338.* FABRICIVS *l. c. p. 364.*

ll) *l. II. c. 18.*

m) In *ſatyris Menippeis.*

n) In *Icaromenippo T. I. p. m. 674.* in *Charonte & Menippo T. III. p. 81.* in *Menippo & Philonida T. III. p. 97.* conf. *T. IV. p. 140.* qui etiam, in *Diog. & Polluc. T. I. p. m. 240.* prodit, vel in Craneo, Corinthi, vel in Lyceo Athenis degiſſe. Niſi hæc ipſe Lucianus ei decori, quod poſtulabat dialogus, cauſa attemperaverit.

o) Ita quidem Menippum apud EVNAPIVM *proœm.* eundem cum noſtro eſſe, non cum Lycio, de quo PHILOSTR. *vit. Apoll. l. IV. c. 25.* putat FABRICIVS *l. c.* qui tamen expreſſe *l. c.* ad tempora Apollonii refertur ab Eunapio.

vero non extare Apollonii Tyrii *indicem philoſophorum Zenoniorum eorundemque librorum*, quem laudat STRABO,[a] & ſæpius citat LAERTIVS;[b] vixit enim is Ptolomæi Auletæ temporibus, quibus admodum inclareſcebat Stoica familia. Licet vero ſibi perſuaſerit doctiſſimus IONSIVS,[c] extare hujus Apollonii Tyrii πίνακα τῶν ἀπὸ Ζηνώνος φιλοσόφων, in bibliothecis Galliæ & Angliæ, certum tamen eſt, longe aliud ſcriptum eſſe, fabulamque aliquam eroticam de Apollonio quodam Tyrio rege.[d] Conſulenda itaque poſt LAERTII diligentiam, quam inſignem in modum auxit MENAGIVS, & ea, quæ poſt multos veterum CICERO atque SEXTVS EMPIRICVS retulere, ipſa Stoicorum, quæ ſuperſunt ſcripta, & imprimis tria illa porticus ornamenta SENECA, EPICTETVS & ANTONINVS imperator, jungendaque, quæ ex recentioribus viri eruditiſſimi collegerunt de Stoica philoſophia. Quorum quia labores recenſuit doctiſſimus HEVMANNVS,[e] eo lectorem dimittimus, laudata potiſſimum IVSTI LIPSII induſtria, qui in *manuductione ad philoſophiam Stoicam* & in *diſſertationibus de phyſiologia Stoica*,[f] utiliſſimum & eruditum nobis exhibuit philoſophiæ Stoicæ compendium, quod poſtea GASPAR SCIOPPIVS iterum expreſſit.[g] Merito his jungimus THOMAE GATAKERI in *Antonini de ſe ipſo libros commentaria*, in quibus multa ex veteribus pleno quaſi horreo collegit, quæ lucem Stoicæ philoſophiæ accendunt clariſſimam. Cogitavit IONSIVS[h] quoque de *Stoicorum hiſtoria*, nunquam tamen edita; & laudat etiam MORHOFIVS[i] librum *de philoſophia Stoica*, magni viri DANIELIS HEINSII, quod tamen non aliud ſcriptum videtur eſſe, quam *oratio ejus de philoſophia Stoica*,[k] in qua breviter & eleganter manuductionis Lipſianæ ſummam more ſuo enarravit. Addi ex recentioribus catalogo Scriptorum de Stoicis eorumque philoſophia cl. HEVMANNI poſſent plures, ſi nobis conſtitutum eſſet, bibliothecam ſcriptorum hiſtoriæ philoſophicæ conſarcinare: nos vero ad alia vocamur, ideoque hæc lectoris potius diligentiæ, paſſim ejusmodi indices deprehenſuri[l] relinquimus, & ipſorum Stoicorum præcipuorum hiſtoriam & philoſophiam enarramus. Fuit vero ſucceſſio Stoicæ familiæ hæc: Zeno Cittieus, Cleanthes, Chryſippus, Zeno Tarſenſis, Diogenes Babylonius, Antipater Panætius, Poſidonius. Præter eos multi quoque Stoici ante C. N. celebres fuerunt,[m] ex quibus quosdam inſigniores infra nominabimus.[n]

§. II.

a) *l. XVI. p. 757.*

b) *l. VII.* qui de Stoicis agit.

c) *De Script. hiſt. philoſ. l. II. c. 18. p. 208.* cujus judicium ſecutus eſt THOMAS BVRNETIVS *archaeol. phil. l. I. c. 13. p. 438.*

d) Latine edita eſt a M. WELSERO, conf. FABRIC. *Bibl. Græc. Vol. II. p. 399.* VOSSIVS de *hiſtor. Latin. l. III. p. 729.* quem tamen ipſe laudat Ionſius.

e) *Act. philoſ. Vol. I. p. 741. ſeqq. Vol. II. p. 168. ſeqq.*

f) Vtimur *editione Lugduno Batava 1646. 12.*

g) In *manuduct. ad philoſ. mor. Stoicorum* conf. *Acta philoſ. l. c.*

h) *l. c.*

i) *Polyhiſt. lit. T. II. l. II. P. I. c. 8. p. 191.*

k) *Orat. XXIV.*

l) Videndus MORHOFIVS, STRVVIVS, aliique, SEV. LINTRVPII *additiones* ab HEVMANNO allatas augebit ALB. THVRAE *Idea hiſtoriæ liter. Danorum.*

m) Indicem Stoicorum, poſt COZZANDVM *de magiſt. philoſoph. l. II. c. 3. p. 298.* dedit cel. FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 386. ſeqq.*

n) Succeſſionem Stoicam, qualem dedimus, probat LAERTIVS *l. VII.* conf. IONSIVS *l. II. c. 1. p. 115.* LIPSIVS *Manud. l. I. diſſ. 2. p. 52.*

§. II. Sectam condidit ZENO, [o] Cittii, urbe maritima in insula Cypro, [p] natus, unde, ut ab aliis Zenonibus apud veteres illustribus distinguatur, Cittieus dici solet, qualem se dici ipse vivus voluit. [q] Aedificarunt vero hanc urbem Phœnicum coloniæ, [r] quae causa fuit, ut Zeno quibusdam Phœnicius dictus sit [s] curque exprobratum ipsi, quod advena esset ignobilis. [ss] Pater enim Mnaseus, quem Demeum alii vocant, mercatorem egit, filium tamen & naturali inclinatione, & oraculi monitu, [t] totum literis se dedentem, mature philosophiæ assvefecit. Mercaturam enim exercens Athenas saepe invisebat, compluresque libros imprimis Socraticos, Zenoni juveni asportabat. Annos natus XXX. vel quod alii volunt, XXXII. [u] Aethenas venit, tum mercaturæ causa, ut purpuram ex Phœnicia advectam venderet, tum philosophiæ gratia, ut quos scribentes legerat, differentes audiret, factumque tum est, ut rejecta mercatura totus philosophiæ se manciparet studiis. Varie tamen rem narrant veteres. Quidam magnam pecuniæ summam [v] secum attulisse dicunt, mercibusque divenditis philosophiae se totum dedisse, nautis interea locata fœnore pecunia, ut patrimonium augeret. Alii navem ad Piræum naufragium fecisse asserunt, eum vero nihil ista jactura commotum, fortunæ beneficium praedicavisse, quo ad philosophiam compelleretur, & expeditius philosophari posset. Alii navis jacturam, referunt, passum, Athenas ascendisse, & librario assedisse, atque Xenophontis commentariorum secundum legisse; quo delectatus interrogaverit librarium, ubinam tales morarentur viri? Qui, opportune tum praetereunte Cratete, digito illum monstraverit, huncque sequi jusserit: hocque fecisse, & sic Cratetis discipulum factum esse. [x] Quarum narrationum posterior verisimilior est prioribus; licet secunda cum tertia facile conciliari queat. Tantam enim pecuniæ summam hominem, philosophiae genus pauper & inops sequentem conservavisse probabile non est. Videturque ipsa Cratetis vita, contemto omni rerum hujus vitae usu, pauciſſimis contenta, occasionem dedisse Zenoni facultatibus suis spoliato, philosophiam eandem sequendi. Crateti itaque adhæsit eiusque magnum in agendo & dicendo animum vehementer admiratus, cujus tamen decori omnis neglectum & impudentiam devorare non potuit, licet animo ei hoc præjudicium evellere, ridiculo facto Crates laboraverit. [y]

Zeno Cittieus sectæ auctor.

Phi-

o) Vitam scripsit Apollonius Tyrius, de quo supra. Incertum vero, vtrum peculiare scriptum fuerit, an pars indicis Stoicorum. conf. FABRIC. *l. c. p. 389.* HEMMINGI vero FORELLI diss. *de Zenone* non vidimus.

p) Male Macedoniæ urbem facit CVIACIVS *Observ. l. III. c. 38.* ut recte observatum IONSIO *l. c. p. 114.* Potiora de hac Cypri urbe collegit MEVRSIVS *in Cypri descript. l. I. c. 10 p. 30.*

q) LAERT. *l. VII. s. 12.* Erat enim clara mercatoribus & viris doctis. vid. MEVRSIVS *l. c. l. II. c. 29. p. 161.*

r) CIC. *de fin. l. IV.* LAERT. *l. VII. s. 1.* conf. BOCHART. *Georg. S. P. II. l. I. c. 3. p. 370.*

s) CICERO *l. c.* LAERT. *s. 3.* SVIDAS *v. Zeno T. II. p. 8.*

ss) CICERO *Tusc. Qq. l. V. c. 12.*

t) Interrogatus Apollo, quo pacto optime vitam duceret, respondit, si mortuis concolor fieret, quod ille ad improbum legendi & studendi laborem retulit.

u) LAERT. *l. VII. s. 2. 28.*

v) Mille talenta habet LAERTIVS *s. 13.* STANLEIVS *P. VII. p. 542.* centum ait, forte quod illa summa incredibilis est pro privato homine.

x) LAERT. *s. 2.* SENECA *de tranq. anim. c. 14.* PLVT. *de cap. ex host. utilit. T. II. p. m. 200.*

y) Narrat rem LAERTIVS *s. 3.* quem vide.

Philoſophicis vero tum meditationibus ſe totum addixiſſe, liber, *de republica*, tum ab eo ſcriptus argumento eſt, quem ſub canis cauda confectum eſſe, inde quidam liberius jocati ſunt. [z] Non tamen ſolis præceptis morum addiſcendis contentum erat igneum Zenonis ingenium; nec probabat ille Cynicos, omnes reliquas diſciplinas rejicientes. Ad alios itaque philoſophos divertit, & imprimis Stilponem audivit decennio perpetuo, [a] indignante eumque, licet fruſtra, retrahente Cratete. [b] Præter hunc Xenocratem quoque audivit, utriusque vero inſtitutione vehementer delectatus eſt. [c] Hippoboto porro auctore, inde ad Diodorum Cronum venit, apud quem dialecticæ ſtudio tanto fervore ſe dedit, ut ejus argutias magni redimeret.[d] Tandem collectis undiquaque ingenii divitiis Polemonem audiendum adhuc eſſe ratus eſt; [e] videturque tum jam ſcopus Zenonis, ſectam ex confuſis inter ſe & corraſis variorum ſyſtematibus condendi patuiſſe. Ferunt enim Polemonem dixiſſe: *Non latet nos Zeno, te Phœnicio more* [f] *per horti januas irrepere, atque dogmata furari.* [ff] Nec deceptus eſt opinione ſua Polemo. Conflato enim novo ex aliorum doctrina, philoſophiae ſyſtemate, communicandam cum aliis excogitatam ſapientiam putans, novam ſectam erexit, & philoſophiam ſuam docere cœpit. Cumque publica Athenienſium loca philoſophorum cathedræ jam occupaſſent, ipſe porticum elegit, a Polygnoti aliorumque figuris *Pœcilen* appellatam,[g] in qua qui antea ex eruditorum numero convenerant, Stoici dicebantur, [h] ex qua conſuetudine tandem Stoicorum nomen Zenonis affeclis adhæſit, cum prius Zenonii dicerentur. [i] Huc maximus diſcipulorum factus eſt concurſus fama Zenonis illectorum, qui ſubtiliſſimus erat in diſputando, qua arte tunc ſumma eruditionis laus quærebatur; diu enim cum Philone dialectico ſe exercuerat, atque una ſtudio vacaverat: [k] cui cum elegantem virtutis in vita expreſſæ, imaginem adderet, & ſeveram moralis diſciplinæ faciem exprimeret, mirum non eſt, non tantum diſcipulorum amorem & applauſum conſecutum fuiſſe Zenonem, ſed & regum principumque favorem atque benevolentiam meruiſſe. Imprimis

z) *Ibid.* Dicemus hoc de libro paulo infra.

a) LAERT. *l. VII. ſ. 2.*

b) Iucunde repreſſit Cratetem, pallio eum a Stilpone retrahentem, dicens: *Rectius feceris o Crates, ſi auribus philoſophiæ ſtudioſos teneas. Svada itaque eos trahe. Si vim feceris vero, corpus habebis quidem, animum Stilpo* LAERT. *ſ. 24.*

c) *ibid. ſ. 2.*

d) *ib. ſ. 25.*

e) *ib. ſ. 35.* SVIDAS *l. c.*

f) i. e. fraudulenter.

ff) Inde judicandum eſt, quousque ad Socraticos referri queant Stoici, quod aliqui faciunt, vid. VOSSIVS *de ſect. c. XIX. §. 4.* MORHOF. *Polyhiſt. T. II. p. 2.* Scilicet hoc intuitu tantum moralis philoſophiæ valet, reliquas enim partes neglexit Socrates. Oſtendemus tamen, Zenonem multa quoque debuiſſe Platonicis.

g) Fuit hæc porticus, ex multis, quibus Athenæ ſuperbiebant, celeberrima, dicta etiam Piſianactia, & poſtea Pœcile, ſive varia, propter ingentem pulcherrimarum tabularum numerum, quas excellentiſſimi pictores Polygnotus, Mycon & Pandæmus Phidiæ frater pinxerant, vid. PLINIVS *H. N. l. XXXV. c. 9.* LAERT. *l. VII. ſ. 5.* & MENAG. *ad h. l.* SVIDAS *v. Polygnotus T. III. p. 143. T. II. p. 228.* Earum picturarum argumentum exponit PAVSANIAS *l. I. p. 27.* qui & ſtatuarum ibi poſitarum meminit. *p. 13. 78.* Suſtulere eas poſtea Romani, vid. SYNES. *ep. 54. 135.* Hæc porticus, quae reliquas antecellebat, ſenſu eminenti dicta eſt Stoa. Conf. cl. CROPHIVS diſſ. *de gymn. liter. Ath. p. 49. ſeqq.*

h) LAERTIVS *l. VII. ſ. 6.* Poëtis, HESYCHIVS Grammaticis locum ibi differendi datum fuiſſe, nomenque Stoicorum aſſerit.

i) LAERT. *l. c.*

k) *ib. ſ. 15. 16.*

mis vero maximi Zenonem fecit Antigonus Gonates Macedoniæ rex, qui eum, quoties Athenis commorandum ei erat, audivit, eumque iteratis, ad ſe veniret, precibus invitavit. Affert Antigonii ea de re literas, & Zenonis quoque reſponſoriam epiſtolam LAERTIVS, [l] quas genuinas eſſe non dubitant magni viri IVSTVS LIPSIVS, [ll] PETRVS GASSENDVS, [m] THOMAS STANLEIVS, [n] rectius dubitantibus ALDOBRANDINO [o] & FABRICIO. [p] Perſæus enim Zenonis diſcipulus, quem ad Antigonum miſiſſe ſuo loco dicit LAERTIVS, LXXII tantum vitæ annos Zenonem attigiſſe refert, in Zenonis vero ad Antigonum epiſtola, ſenectutis veniam ſibi dari poſcit, eſſe enim octogenarium. Ipſa quoque dictio, & totus epiſtolarum harum habitus reliquis, quæ ex Sophiſtarum ſcholis prodierunt, adeo ſimilis eſt, ut veriſimillimum ſit, ex eadem officina illas prodiiſſe, ſi etiam, quod nonnulli contendunt, concedamus nonageſimum ætatis annum Zenonem ſuperaviſſe. Dubitari tamen nequit, non audiviſſe tantum Antigonum Zenonem, ſed magna etiam veneratione eum ſuſpexiſſe: narrantque veteres, [q] dixiſſe Antigonum: nunquam ſe angi & æſturare ſolitum, quod ſciret, niſi quando cum Zenone congrederetur: quod ideo factum fuiſſe conjicit EPICTETVS, quod vellet ei placere, quod tamen extra illum poſitum fuerit. Nec aliter Athenienſes, apud quos tanta auctoritate Zeno pollebat, ut caſtellorum apud eum claves deponerent, ut cui ſoli publica libertas tutiſſime concederetur, qui & aurea corona & ærea imagine eum honorarunt. [r] Sed & magnus ejus honor fuit apud Cypri incolas, tam indigenas, quam ex coloniis ortos, ſive Sidonios, unde ortum ipſe trahebat. [s] Erat, teſte Apollonio, corpore gracili, ſtatura ſatis procera, & corneolus, facie gravi & ſevera, ſupercilio adducto, valetudine minus firma, quam tamen magna temperantia fulciebat, unde etiam a conviviis abſtinuit, ciboque plerumque uſus eſt ficubus recentibus, pane & melle. [ſſ] Id quod miro convicio objectum illi eſt a comicis, eſurientis philoſophiæ genus illi exprobrantibus, & in proverbium abiit, ut Zenone continentiores dicerentur, qui ſummum in his gradum attigiſſent. [t] Non obſtante autem frontis & oris ſeveritate, facilem tamen ſe omnibus præbebat, nec cœnam etiam, ſed frugalem & parcam, apud amicos recuſabat, [u] popularemque oſtentationem devitans, extremum, ne cui moleſtus eſſet accumbentium, occupabat locum. Neque cum pluribus, quam duobus vel tribus obambulabat, turbamque devitabat hominum, adeo ut interdum con-

l) *l. c. ſ. 7.*
ll) *Manud. ad Phil. Stoic. l. I. diſſ. 10. p. m. 55.*
m) *Vit. Epic. l. III. c. 1. p. m. 80.*
n) *l. c. p. 545.*
o) Ad LAERT. *l. VII. ſ. 28.*
p) *Bibl. Græc. Vol. II. p. 414.*
q) ARRIAN. *diſſ. Epict. l. III. c. 13.* SIMPLIC. *ad Enchir. c. 51. p. m. 187.* AELIAN. *l. IX. c. 26.*
r) LAERT. *ſ. 6.* MENAG. *h. l.*
s) LAERT. *ſ. 6.* qui ita intelligendus eſt.
ſſ) *ib. ſ. 1.*
t) *ib. ſ. 27.* ubi Philemonis verſus recitantur.
u) Antigonum ſæpe apud eum cœnaſſe refert LAERT. *l. c.* quas regias dapes frugalitate conditas fuiſſe, Zenonis apparatus prodit, qui fuit,

ἂς ἄρτος, ὄψον ἰσχὰς, ἐπιπιεῖν ὕδωρ.
Panis unus; caricaque & aquam bibere.

CLEM. ALEX. *Strom. l. II. p. 413.* conf. LAERT. *ſ. 25.* qui paulo aliter hos Philemonis verſus legit.

confluenti populo numos diſtribueret, ne ſibi moleſtias crearet. A faſtu vero adeo alienus fuiſſe dicitur, ut nudos quoque ſurdosque in familia haberet, quod falſe ei objecit Timon in ſillis. Rem vero familiarem ſumma frugalitate & exiguis expenſis curabat, ita ut peregrinam tenuitatem ea redoleret; ſervulo uſus eſt unico, ut habet LAERTIVS, [v] ut SENECA [w] vero, nullo. Neque id tamen avaritiæ vitio, ſed naturæ paucis contentæ ſeveritate; avarum enim minime fuiſſe mire probavit, Demochare illum ſalutante, atque dicente, ſi quid opus haberet, ſcripturum ſe Antigono, præbituro omnia: adeo enim illi indignatus eſt, ut nunquam poſtea cum illo congrederetur. Mirabilis quoque erat in redarguendo, Cynicamque argute dicendi & carpendi artem magna jucunditate & ſvavitate temperabat; circumciſe & quaſi ex longinquo redarguens, cujus exempla multa nobis ſervavit LAERTIVS, [x] qui ſaluberrima quoque monita, quibus virtutis exercitium commendavit, recitat. Sic veſtitu quoque Cynicum præceptorem in eo imitatus eſt, quod vile & tenue pallium, quod & ipſe duplicabat, adhiberet; tunica tamen ſervata, quam veſtitus rationem Stoici poſtea conſtanter tenuerunt, eandemque vultus gravitatem & auſteram faciem, quam magiſter temperamenti & diſciplinæ, in qua educatus fuerat, ductu expreſſerat, affectarunt. Etſi vero magnus ubique erat Zeno, obtrectatoribus tamen & inimicis non caruit, fueruntque inter philoſophos ei coævos, qui, cum magno ingenii acumine, & vivida eloquentia pollerent, non ſine vehementia in Zenonem ſurrexerunt. Inter eos excelluiſſe, & non ſine animi vehementia ſe naſcenti Stoiciſmo oppoſuiſſe Arceſilaum & Carneadem, Academiæ mediæ & novæ conditores, in antecedentibus dictum eſt, ubi, etiam pluribus demonſtravimus, qua, ratione ἀκαταλήψεως dogma Stoicis ὑπολήψεσιν oppoſuerint. Iungendus his Epicurus eſt, circa eadem, quo florebat Zeno tempora, nempe Olymp. CXX. ut SVIDAS [z] ait, vel A. V. C. CDLXX. ut definit GELLIVS, [a] novam ſectam condens, licet paulo fuerit junior, ante Zenonem tamen ſenem denatus. Is enim cum reliquarum ſectarum ducibus, tum præcipue Zenoni, qui magna gloria tum effloreſcere cœperat, & vitæ & diſciplinæ, & doctrinæ ratione ſe oppoſuit. Zeno enim auſterum ſervabat vultum, naturaque ſubtriſtis & contracta fronte incedens, ſummam præ ſe ferebat gravitatem, quam ſectatores ad ſuperſtitionem usque imitabantur: hinc ſapiens Stoicus magni apud plerosque habitus. Epicurus vero natura humanior, & qui ultra vitæ humanæ ſortem philoſophiam non urgebat, hypocriſin apud plerosque Stoicos, certe inania & naturam humanam excedentia vota, quæ nunquam implerentur, ea eſſe pervidens,

v) ſ. 14. 16. qui hæc omnia narrat.

w) Conſol. ad Helviam c. 12.

x) ſ. 17. ſeqq.

y) Hinc ſola tunica a Cynicis diſtare dicti ſunt IVVENALI *Sat. XIII.* corpus radebant, & viliſſimo victu vivebant. PERSIVS *Sat. III. v. 54. ſeqq.*

Quæque docet ſapiens braccatis illita Medis
Porticus, inſomnis quibus & detonſa juventus
Invigilat ſiliquis & grandi paſta polenta.

z) l. c.

a) Lib. XVII. c. 21. Plura de hac æmulatione Zenonem inter & Epicurum dicemus infra *c. XIII.* ubi de Epicuro & ejus philoſophia.

videns, quæ de ſapiente ſuo magnifice dictabant, philoſophiam non ſolum moralem humano animo magis attemperavit, & quam Zeno in exilium egerat, voluptatem, in hortos ſuos revocavit; ſed & derelictis phaleris, quibus populo placere ſtudebat Zeno & affeclæ, vitam egit cum diſcipulis ad animi tranquillitatem valde comparatam. Inde magnæ inter Zenonem & Epicurum atque utriusque ſectatores obtrectationes & calumniæ, & oppoſita quoque inter ſe dogmata; ut poſtea quoque dicemus: quod quia latius expoſuit eruditiſſimus GASSENDVS, [b] eum adiri a lectore cupimus, brevitati conſulentes. Non unius vero generis ſunt; quæ Zenoni objecta ſunt. Inter quæ primarium eſt, eum invidia odioque tantum ductum ex aliorum inventis gloriam ſibi quæſiviſſe, & ſurreptis præceptoribus melioribus non tam novam philoſophiam, quam nova verba diſcipulis vendidiſſe, & *exiguam*, ut ait CICERO, *cauſam habuiſſe, cur a præceptoribus, præſertim Platonicis diſcederet.* Supraque jam obſervatum eſt, Polemonem mature, hanc Zenonis fraudem detexiſſe. Nec quæ LIPSIVS, [a] pro Zenone affert, talia ſunt, ut multum rem ejus juvent; ſi enim Pythagoreorum, Platonicorum, Heraclitique, cujus libros Zeno legerat, [e] atque Cynicorum & Dialecticorum philoſophia cum Stoico ſyſtemate comparetur, apparebit luculenter, verum eſſe, quod ait CICERO, [f] *Zenonem non tam rerum inventorem fuiſſe, quam novorum verborum, & qui decori magis atque verecundiæ rationem haberet.* Adjiciunt his, qui Zenonem culpant, non erubuiſſe virum, qui tantam morum ſeveritatem, tamque auſteram virtutem præ ſe ferret, calumniis adverſariorum doctrinam vitamque commaculare, & imprimis Epicurum, ejusque philoſophiam, tanquam ad morum corruptionem tendentem, apud populum denigrare; qua in re graviter peccaſſe contra Epicurum, ſuo loco demonſtrabimus. [ff] Sunt & alia, apud LAERTIVM [g] legenda, quæ æmuli ejus in ejus potiſſimum ſcriptis reprehendebant, quæ maximam partem ex opere ejus *de republica* excerpta ſunt, & paradoxa Stoica ſapiunt, ab aliis non ſatis intellecta, quædam etiam ad diſciplinam Cynicam referri debent, in qua tum verſabatur, cum celeberrimum librum conſcriberet: qualia ſunt, quod pecuniam, rerum permutationis & commerciorum cauſa tollebat, quod eundem virorum & mulierum veſtitum eſſe jubebat, & his ſimilia. [h] Addi poſſunt his longe graviora, & imprimis, quod SEXTVS EMPIRICVS [i] ipſis Zenonis verbis profert: non eſſe turpe, naturam matris fricare, ut turpe non ſit, alia corporis parte dolentem fricando juvare,

b) In *vita Epicuri l. III. c. 1. p. 79. ſeqq.*

c) *De finibus l. IV.*

d) *Manud. ad phil. Stoic. l. I. diſſ. XV. p. m. 85. ſqq.* Is enim eclecticam philoſophandi rationem Zenoni vindicat, quem tamen præceptorum plagiarium fuiſſe collatio ſyſtematis Stoici cum præceptorum Zenonis decretis probat.

e) Conf. FABR. *Bibl. Gr. vol. II. p. 413.*

f) *De finibus l. III.* Hinc & *Tuſc. Qq. l. V.* vocat eum ignobilem verborum opificem. Ideo objectum Stoicis ſpinoſum de verbis differendi genus, ſalſeque deriſi a comico apud ATHEN. *l. XIII.*

Audite Porticenſes, mercatores nugarum,
Verborum arbitri & cenſores.

ff) Conf. GASSENDVS *l. c.*

g) *Lib. VII. ſ. 32.* MENAG. *ad h. l.*

h) Hinc ſupra jam ex LAERT. relatum, dix ſſe quosdam, librum ſub cauda canis exaratum fuiſſe.

i) *Adv. mathem. l. XI. ſ. 191.* conf. *Pyrrh. hypotyp. l. III. ſ. 205. 245.* CHRYSOST. *adv. gentiles T. I. p. 662.*

immo & pædicare licere. Vt tamen verum fateamur, impetrare a nobis non poſſumus, ut credamus, Zenonem a morum & vitæ integritate tantam laudem conſecutum, ut in proverbium abiret ejus continentia, ita, poſthabito omni pudoris, honeſtatis & verecundiæ diſcrimine, fuiſſe tam impudenter philoſophatum, eumque, quem ob verecundiæ & decori meliorem rationem habitam laudat CICERO, [k] impudentia Cynicorum ſordes adæquaſſe. Nec hoc a ſecta Stoica ſimpliciter dictum fuiſſe credi poteſt, quæ ſanctiſſima ſecta habita fuit, & in voluptates vehementer declamavit; ac jurato atque vatiniano odio in voluptatem Epicuri inſurrexit, quem paria objiciendo & retorquendo reſpondiſſe, nuſpiam legitur. Recte itaque ex his concluditur, eſſe hæc ex eorum numero, quibus fama & exiſtimatio Zenonis ſectæque ab eo inſtitutæ lacerata eſt, *περίφασιν* vero atque colorem quæſitum eſſe, vel ex Cynicæ ſectæ opprobriis, a qua parum diſtare Zeno & ſequaces credebantur, vel ex iis Zenonis & Chryſippi Scriptorum locis, quibus naturale a morali, indifferens ab honeſto, & decorum ab utroque nova hactenus & inaudita ratione differre præcipiebant. Quibus cum naturalia non habere turpitudinem contenderent, ſed id ex virtutis tantum, quæ ſola honeſtatem parit, actione oriri diſputarent, adverſarii id, quod *κατά τι* dixerunt, *ἁπλῶς* ſumentes gravemque iis calumniam impingentes, memoriam eorum injuſte denigrarunt. Qui tamen, cum iisdem Epicurum armis eſſent aggreſſi, paſſi ſunt & puniti in eo, in quo peccaverunt. Multa ſcripſit Zeno laudata ex veteribus a LAERTIO [l] & ex recentioribus præter MENAGIVM, [m] MEVRSIO, [n] & FABRICIO, [o] inter quæ maxime celebratur opus ejus *de republica*, in quo eruditionem veteres non negant, culpant vero, quod Platonis rempublicam refutaturus [p] id fecerit iniquius, quædam etiam parum verecunde in ea dixerit; id quod ex Cyniſmo habuiſſe, ſupra ex Laërtio obſervavimus. [p] Fuit etiam inter ea Zenonis ſcripta *interpretatio Heſiodi*, ideo notanda, quod teſte CICERONE: [q] in ea *ſuſtulerit omnino uſitatas præceptasque cognitiones Deorum, neque enim Iovem, neque Iunonem, neque Veſtam, neque quenquam, qui ita appelletur, in Deorum habere numero, ſed rebus inanimis atque mutis per quandam ſignificationem hæc docere tributa nomina.* Quem morem theogonias veterum ad rationes philoſophicas applicandi, & Deos in rerum naturæ partibus quærendi in ſchola Stoicorum celeberrimum fuiſſe, priore jam libro monuimus, & ad CORNVTI & SALLVSTII provocavimus libros. [r] Diu vero vixit Zeno, & quod Apollonius ait LVIII annos ſcholæ præfuit, [s] quod tamen falſum eſſe oportet, ſi Perſæum, ejus *γνώριμον* ſequimur, qui LXXII tantum annos vivendo attigiſſe ait. XXII anno enim ad philoſophiam animum applicuit, decemque annos in Academiæ &

k) *loc. cit.*
l) *Lib. VII. ſ. 4.* ll) *Ad l. c. Laërt.*
m) In *Cypro l. II. p. 168. ſeqq.*
n) *Bibl. Gr. vol. II. p. 414.*
o) PLVT. *de fort. Alex. Or. I. T. II. p. m. 348.*
p) *Vid. not. mox præced. (k)*
q) *De nat. Deor. l. I.*
r) Qui extant in collectione *mythologicorum* TH. GALEI.
s) LAERT. *ſ. 28.*

& Stilponis disciplina hæsit, tum Polemonem audivit, novamque demum sectam condidit. Vel itaque deferendus est Apollonius, vel Persæus, & sequendi, qui LAERTIO [s] & LVCIANO [ss] referentibus XCVIII annum attigisse asserunt. [t] Exegisse totam vitam sine morbo ait LAERTIVS, [u] & qui hunc exscripsit SVIDAS. [v] Quorum tamen ille alio loco, [w] Diocle auctore laudato, refert, Zenonem aliquando longum incurrisse morbum: quod confirmant ea, quæ habet PLINIVS, [x] pro miraculo, referens, haberi & solitarium exemplum reperiri, Xenophilum musicum centum & quinque annis vixisse, sine ullo corporis incommodo. Zenonis enim exemplum, si verum fuisset, Plinium non omissurum fuisse, probabile est. Tandem voluntaria morte ex vita excessit, cujus occasionem hanc fuisse referunt. [y] Cum e schola abiret, lapsus digitum fregit. Manu igitur terram feriens repetiit istud:

En adsum, quid me urges, precor?

Atque sic domum se conferens, vel, ut alii, eo ipso loco, vitam laqueo finivit, id quod fame factum esse alii referunt. Consentaneum hoc spontaneæ mortis genus ejus placitis fuisse, in sequentibus pluribus dicetur. Post mortem rogatu Antigoni, qui magnæ fortitudinis & immutabilis virtutis virum amissum acerbe dolebat, [z] Athenienses in Ceramico sepulchrum extruxerunt, & statuis atque decreto eum honorarunt; quod si genuinum est, admodum honori cedit Zenoni: laudatur enim, [a] quod complures annos in civitate velut philosophus versatus sit, atque in reliquis vitæ muniis vir bonus esse perstiterit, ac juvenes, qui disciplinæ causa ad illum convenerint, ad virtutem & frugalitatem exhortando ad ea, quæ sunt optima, intenderit, vitam suam verbis ac doctrinæ suæ consentaneam exemplar omnibus proponens. Valde vero timemus, ut non rhetoris potius alicujus, quam Athenienſium illud decretum opus sit. Illi enim in hujusmodi thematibus se diligenter exercuerunt, quod qui non attendit, facile suppositicia pro genuinis habet, ut ipsi IO. MEVRSIO viro antiquitatum Græcarum peritissimo accidit. [b] Ceterum cum multi ex veteribus Zenones memorentur, noster ab iis accurate distinguendus est. Inter hos Zenonem Musæi F. Sidonium nominat eumque ex Stoa philosophum, nostrique præceptorem vocat SVIDAS. [d] Id quod constare simul nequit, cum auctor Stoicorum sectæ fuerit Zeno Cittieus. Vnde non inepte conjecere

s) loc. cit.

ss) In *longævis T. II. p. m. 821.*

t) Ponunt vero annum emortualem Zenonis HIERON. & EVSEB. in Chronicis Ol. CXXIX. 1. SVIDAS in *ἄνεις T. I. p. 378.* nonaginta ei annos tribuit, & ad quosdam provocat, qui LVIII tantum annos vixisse ferunt. Verum annos, quibus scholæ præfuit, cum annis vitæ eum, more suo festinantem confudisse, manifestum est.

u) s. 28.

v) In Zenon. l. c.

w) Lib. VII. s. 162.

x) Lib. VII. c. 40.

y) ib. s. 28. SVIDAS *ll. cc.*

z) ib. s. 15. conf. *Otium Vindel. Mel. III. p. 266.*

a) ib. s. 6.

b) In *Themide Attica* eum sæpius rhetorum exercitationes pro legibus veris habuisse observat FABR. *Bibl. Græc. vol. I. p. 526.*

c) Zenones varios enumerat LAERT. *l. VII. s. 14.* MENAG. *ad h. l.* IONS. *de Scr. Hist. phil. l. II. c. 1. p. 116. seqq.* inter eos Stoici fuere, Sidonius Tarsensis, Zeno Chrysippi discipulus, & Zeno Diphili, conf. FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 415. 416.*

d) in *Zeno Mus. F. Sidonius T. II. p. 8.*

viri acuti, [e] esse eum vel Zenonem juniorem, nostri non præceptorem, sed discipulum, cujus meminit LAERTIVS: [f] vel, quia Suidas dicit, fuisse eum Diodori Croni discipulum, pro: *Stoicus*, ponendum esse, apud Suidam, *Eristicus*, cui sectæ initio addictus erat Zeno Cittieus. Qui enim Zenonem Sidonium Epicureum huc advocant, propter sectæ nomen audiendi non sunt.

Observationes generales de philosophia Stoica.

§. III. Novam vero, quam excogitasse Zeno dicitur philosophiam recte porro intuituri, generalia quædam prius monenda sunt, ad naturam Stoicæ philosophiæ pernoscendam, judiciumque de ea formandum certum & justum magnopere necessaria, quæ ex historia nascentis & adolescentis Stoicismi lucem capiunt, eamque reliquæ Stoicæ philosophiæ fœnerantur. Respiciendum vero est ad conditorem sectæ, ejusque circumstantiæ, fuse hactenus explicatæ, eo modo considerandæ, quo influxum in systema ejus philosophicum habuere. His consultis observamus:

I. Multa ex præceptorum scholis assumsit Zeno.

I. Doctrinam præceptorum, quam Zeno in schola Academicorum, sive Platonicorum genuinorum, Eretriacorum sive Eristicorum, & Cynicorum, qui Socraticam philosophiam quodammodo conservaverant, didicerat, plurimum ad novum systema philosophiæ Stoicæ contulisse. Tetigimus hoc jam in antecedente §. & quantum opus erat, fontes annotavimus, unde Zeno sua hauserit, monentes simul, ideo plagii a Polemone aliisque fuisse insimulatum, & accusatum, quod vetera mutatis nominibus retineret, & pro suis venderet. Factum id imprimis circa Pythagoræ & Platonis philosophiam, quam duce Xenocrate, & post hunc Polemone per decennium fere didicit. Hanc cum deserere opus haberet, novam sectam conditurus, aut nova invenienda erant, aut veteribus nova danda nomina. Prius fieri non tam facile erat, homini intra subsellia discipulorum tot annos latenti, & ad novum systema suis forte oculis raro respicienti. Nova itaque facies, novæ definitiones, novumque quasi philosophicarum doctrinarum theatrum aperiendum erat, ut reapse a Platone recessisse videretur. Qua de re supra [g] jam, cum contentionis inter Arcesilaum & Zenonem causa exponenda esset, quædam monuimus. Conquesti id sunt Academici, [h] Zenonem nihil novi reperisse, sed emendasse tantum superiora immutatione verborum: ostendique id latius posset, & ex comparatione philosophiæ Platonicæ cum Stoica prolixe ostendi, qua ratione novam dicendi & philosophandi de rebus naturalibus & moralibus viam ingressus fuerit Zeno, nisi nostræ tractationis limites excederet. Quod tamen quia eleganter fecit CICERO [i] qui summam eorum, in quibus ab Academia prima recessisse sibi Zeno visus est, docte & perspicue exposuit, laboris non pœnitebit lectorem, accuratas veterum systematum rationes pernoscendi cupidum, si is attente brevem illum doctrinæ Stoicæ conspectum cum Platonis doctrina contulerit. Apparebit enim ex ista comparatione, quæ occasionem dede-

e) IONS. MENAG. FABRIC. *ll. cc.*
f) *f. 16.*
g) *Cap. VI. sect. II. §. 6.*
h) Apud CICER. *Acad. Qu. l. IV. c. 6.*
i) *Lib. I. c. 10.*

dederint Zenoni, ex aliorum philoſophorum ſyſtematibus quædam quaſi infarciendi & cum iſtis conciliandi, & quousque Stoica cum Platonicis conſentiant. Id quod ex eodem fundamento Antiochum Aſcalonitam publice profeſſum, ſicque odia Academicorum & Stoicorum tollere conatum fuiſſe, ſupra memoravimus. Præter Platonis ſucceſſores audivit etiam Zeno Diodorum Cronum Dialecticum per multos annos: cujus ſtudia & artes etſi juſtis menſuris comparabat, quæ neque triticum neque aliud quidpiam, quod cujuspiam ſit pretii, ſed paleas & ſtercora metiantur;[k] damnabat is tamen non tam dialecticæ ſtudium, quam ratiociniorum ſterile & jejunum argumentum, ipſam vero differendi artem tanti faciebat, ut pro uno dialectici argumenti expoſitione, cum centum drachmas Diodorus poſtularet, ducentas ille ultro porrigeret.[l] Factum inde eſt, ut dialectica horum hominum ad Zenonem, & ab hoc ad totam ſectam tranſiret, ut ex iis patebit, quæ poſtea de logica Stoica dicemus. Nec aliter cum Cynica ſecta evenit, cui Zeno poſtremo adhæſit, quam totam fere in Stoam translatam fuiſſe, in præcedentibus indubitatis veterum teſtimoniis evicimus. Nec aliunde Stoica virtus hauſta, quam ex Cynoſarge, inde virtutis color, & præcepta, eo tantum diſcrimine, ut naturam vincere Stoici, excedere conarentur Cynici, ut recte SENECA:[m] reliqua omnia communia; virtutem ſufficere ad beatam vitam, eam in rebus factisque eſſe, non in verbis; ſapientem ſibi ſatis eſſe, ejus enim omnia; nihil ei novum videri; regem eſſe, non ad legem, ſed virtutem vivere; ſola bona pulchra, mala turpia; denique finem hominis, ſecundum naturam vivere:[n] & quæ alia fuerunt præcepta virtutis a Cynicis pariter atque Stoicis adoptata. Recte itaque LAERTIVS,[o] communionem & ſocietatem quandam eſſe, dixit, his duabus ſectis, & Cyniſmum eſſe brevem ad virtutem viam, ad quam rationem ipſe Zeno ſapientem conformari voluit. Reſtat nobilis Stoicæ philoſophiæ pars, eaque a ceteris magis diſſentiens phyſiologia. Neque tamen hanc quoque ſuis arvis debuit Zeno, ſed aliunde & imprimis a Pythagoreis & Heracliteis accepit, ita, ut Pythagoreorum quidam & Platonici hanc admiſerant. Platonem enim magnam Pythagorei & Heraclitei ſyſtematis partem in ſuam philoſophiam recepiſſe, ſupra demonſtratum eſt, & oſtenſum etiam Pythagorea & Heraclitea ejus in Academia ſucceſſoribus paſſim arriſiſſe. Ea audiverat in hac ſchola Zeno, indeque, quod ſupra tetigimus, occaſionem nactus eſſe videtur, ipſa Heracliti ſcripta conſulendi. Cum vero Plato dualiſtici ſyſtematis patronus, materiæ tantum fluxum ex Heracliti phyſiologia in ſuas partes recepiſſet, Zeno, qui abſurdam duorum principiorum nullo nexu ſibi neceſſario junctorum abſurditatem evitare cupiebat, præeunte Italica ſchola, utrumque principium in unum totum coire coëgit, & ut harmoniam inde univerſi eliceret, more Pytha-

k) STOBAEVS. *l. I. diſſ. XIII. p. m.* 77. VOSSIVS *de ſect. c. XIX. §. 3.*
l) LAERT. *l. VII. ſ. 25.* *o*) *Lib. VI. ſ. 104.* conf. ARRIAN. *diſſert. Epict. l. III. diſſ. XXII.*
m) *De brevit. vitæ c. 14.*
n) Conf. LIPSIVS *Manud. ad philoſ. Stoic.*

Pythagoræ & Heracliti ignem, recte monente CICERONE, [p] elegit, quem fluxæ materiæ inderet, ficque Platonis phyſiologiam cum Pythagorea & Heraclitea commutavit, & ex parte quoque in concordiam ire juſſit. Quod etſi pauci viderint, [q] qui Stoicam philoſophiam deſcripſerunt, facile tamen verum eſſe deprehendetur ab iis, qui utriusque philoſophi doctrinam de natura rerum conferent. Patebit enim luce meridiana clarius: Heraclito & Zenoni, Deum eſſe ignem; materiam rerum omnium eſſe in perpetuo fluxu; orta eſſe ex illo igne omnia, & in eum reverti; durare eum ſine initio & fine; & neceſſario naturæ ſuæ motu ac æternis legibus omnia movere, omnibus providere, eumque motum eſſe fatum, quo omnia conſerventur; eſſe eum rationalem, fontemque animorum; ſtellas exhalationibus nutriri; animum hominis ex divina mente decerptum eſſe, & quæ alia ſunt dogmata Pythagoræ, Heraclito & Zenoni communia, quæ ſatis probant, hunc illorum vitulo araſſe. Ex quibus omnibus, niſi nos omnia fallunt, aperta luce conſtat, quos fontes derivaverit in arva ſua Zeno Stoicorum auctor.

II. Vitia veterum recepta in ſyſtema Zenonis.

II. Ex hac philoſophiæ Stoicæ origine, ſecutum eſt incommodum, quod plerumque in ejusmodi ſyncretiſmo philoſophico accidiſſe, multis exemplis teſtatur hiſtoria philoſophica; ut ſcilicet vitia illorum ſyſtematum, ſimul in novam philoſophiam tranſmigrarent. Id quod inductione luculenter poteſt demonſtrari. Nam quod ad partem philoſophiæ rationalem attinet, notum eſt, ex hiſtoria Dialecticorum ſupra data, quam exoſa ea ſecta propter cavillationes, jejunas argumentationes & ſophiſmata fuerit, & quod odium conceperint in eam viri graves, quod omiſſis magnis in exilibus & inutilibus verſaretur. Eandem prorſus faciem & nativam indolem ſuſcepit dialectica Stoicorum, quorum diligentia in ſubtilitatibus logicis ad nauſeam usque conquiſitis ad inſaniam ſe exercuit. Inde objectum illis a CICERONE [r] *ſpinoſum diſſerendi genus, & quod vellant de ſpinis, atque oſſa nudent, quodque pungant, quaſi aculeis, interrogatiunculis anguſtis, quibus etiam, qui aſſentiuntur, nihil commoventur animo, & iidem abeant, qui venerant.* Id quod non adverſarii criminationem eſſe, ut frigide reſpondet LIPSIVS, [s] ſed re ipſa niti, ea quæ apud veteres & imprimis apud SEXTVM EMPIRICVM de logica Stoicorum reſtant, ſatis evincunt. Id candide agnovit SENECA, [t] qui eleganter: *Scilicet, niſi interrogationes vaferrimas ſtruxero, & concluſione falſa a vero naſcens mendacium adſtruxero, non potero a fugiendis petenda ſecernere! Pudet me, in re tam ſeria ſenes ludimus, mus ſyllaba eſt, mus autem caſeum rodit, ſyllaba ergo caſeum rodit. Puta nunc me iſtud non poſſe ſolvere: quod mihi ex iſta ſententia periculum imminet? quod incommodum? ſine dubio verendum eſt, ne quando in*

p) *De nat. Deor. l. III. c. 14.*

q) Obſervavit id OLEAR. diſſ. I. *de Heraclito* STANLEIO *p. 853.* inſerta, ſed demonſtrare alibi promiſit, id quod morte præventus non implevit.

r) *De finibus l. III. IV.*

s) *l. c. diſſ. XV. p. 86.*

t) *Ep. 48.*

in muſcipula ſyllabas capiam, aut ne quando, ſi negligentior fuero, caſeum liber comedat. O pueriles ineptias! in hoc ſupercilia ſubduximus? in hoc barbam demiſimus? hoc eſt, quod triſtes docemus & pallidi? Paria & alibi [u] habet apud ipſum legenda. Et hæc prima controverſiarum inter Zenonem & Epicurum exortarum & incruentorum bellorum acies fuit, Epicuro has inanes & inutiles logicæ Stoicæ ſtrophas irridente, eique canonicam ſuam opponente, quæ paucis regulis omnem veri cognitionem dirigeret. [x] Neque mirum videri debet lectori attento, philoſophos tantam gravitatem morum affectantes, ſuamque virtutem non regibus tantum æquiparantes, ſed & præponentes, in his quisquiliis & paleis ſapientiam quæſiviſſe. Magna enim ambitione cum tenerentur, non poterant non hanc dialecticæ contentioſæ & ſubtiliter differentis gloriam, quam inſano deſiderio tum temporis deperibat Græcia, omnibus ſectari viribus. Vt itaque invincibilis artis famam conſequerentur, eandem viam, quam Dialectici, Eriſtici, & hujus furfuris alii, ingreſſi ſunt, & de nulla re diſtincte & præciſe cogitantes & definientes, voces adhibuerunt, nihil præciſum, nihil definitum ſignificantes, vaga vocabula, quæ cum certi nihil determinent, inſolubilem faciunt ratiocinationem. [y] Quo modo cavillationes quidem Stoicorum prudentioribus inviſæ fuere admodum, [z] ipſi tamen, ut judicium & ſenſum veri corruperat Græcia, laudem dialecticorum ſummorum reportarunt, [a] & æternitati iſtis nugis ſua inſcripſere nomina: cujus luculentum nobis in ſequentibus exemplum erit Chryſippus, poſt Zenonem maximum Stoæ ornamentum, aſt & maximus nugator. Hæc de dialectica Stoicorum. Cum morali philoſophiæ parte idem evenit, ut iisdem incommodis vitiisque laboraret, qua Cynicorum ethica defecit. Cum enim recte ei objectum ſit, ſupra naturam ſe efferre, eamque penitus exuere, & ſublimia præter modum hominis petere, eandem dicam merito Stoicis ſcripſere veteres. Nam & illi in meteoris orationis magniloquentiam quærentes ampullatis verbis, & ſententiarum pondere naturæ menſuram excedentibus ſapientiam moralem oſtentabant. Vnde Stoicorum arrogantia in contumeliam & convicium abiit, [b] & ſuperbia objecta in dogmatibus, quæ faſtum ubique & ventum habeat. Quæ ita quidem a deamata ſibi ſecta avertere conatur LIPSIVS, [c] ut FABII [d] judicium probet dicentis: *minus indulſiſſe eloquentiæ Stoicos veteres, ſed cum honeſta ſuaſiſſe, tum in colligendo probandoque plurimum valuiſſe, rebus tamen magis, quam id quod ſane non quæſiverunt, oratione magnificos;* parum tamen Stoicis præſidium affert, quorum non verba tantum

u) Ep. 82. 113. conf. CICERO *Tuſc. Q q. l. IV.*

x) Conf. GASSENDVS *vit. Epicuri l. III. c. 4. p. m. 90.*

y) Conferendus, qui eleganter hac de re differit SAMVEL. PARCKERVS *diſp. VI. de Deo ſ. 9. p. 519.*

z) Conferenda erudita diſquiſitio B. FABRICII *de cavillationibus Stoicorum*, ejus *Syllogæ diſſertationum inſerta.*

a) Vid. ven. WOLF. *ad* ORIG. *philoſophum. pag. 142.* & quos porro laudat.

b) Hoc Rubellio Plauto objectum apud TACITVM *Annal. l. XIV.*

c) l. c. p. 88.

d) Inſtit. Orat. l. X.

tum ſed & dogmata, ad inanes ventos, & impoſſibilem naturæ humanæ perfectionem ſolis cogitationibus otioſorum ingeniorum redeuntia inter iſta meteora numeranda ſunt, quæ aures capiunt, animumque pungunt, verum non emendant. [e] Tandem & phyſiologiæ a Pythagora, Platone, & Heraclito mutuum acceptæ vitium idem cum ſuo fonte eſt, ut ad enthuſiaſmum ducat. Quod enim de Platonis ſyſtemate phyſiologico & methaphyſico dictum eſt, eo magis in Stoicos quadrat, quo magis animam hominis non ex anima mundi a primo Deo gradu & natura ſatis diverſa, ſed ex ipſo DEI gremio univerſam materiam pervadentis derivaverunt, & in eum reduxerunt; immo res tandem omnes in Iovem redituras eſſe, & conflatum iri in unam maſſam aſſeruerunt, quo deteſtabilior enthuſiaſmus, quique proxime ab atheiſmi peſte abeſt, excogitari vix poteſt. [f]

III. Innovata præter rem multa.

III. Non in eo tamen ſubſtitit Zenonis induſtria, ut præceptorum cogitationes exprimeret, & in unum quaſi corpus redigeret; ſed novam quoque iis dare faciem conſtituit, multaque mutare aggreſſus eſt, ut nova viderentur. Qua in re ſi rectum ſemper judicium conſuluiſſet, & emendatis veterum ſyſtematum nævis meliora ſubſtituiſſet, non haberemus forte, quod magnopere ſyſtemati Stoico objiceremus. Verum aliter inceſſit Zeno, qui cum innovare ſæpe ſine magna cauſa multa cuperet, nec tamen domi haberet, unde meliora ſurrogaret, contradicendi, vel media potius inter veteres via incedendi ſtudio [ff] ad deteriora prioribus delapſus eſt. Cujus memorabile exemplum eſſe poteſt phyſiologia Stoica. Placebat Zenoni anima mundi a Platone admiſſa; placebat materia fluxa rerum omnium formis & rationibus ſeminalibus recipiendis apta; diſplicebat principium duplex ab Academia conſtitutum; diſplicebat Deus, qui non poſſet, quicquid vellet in materiam, quam tamen originem malorum eſſe, æque ac Plato credebat. Syſtema itaque immutaturus, dum duplex principium rejiciebat, unumque totum, Deo & materia conſtans ponebat, quorum ille cauſa efficiens, hæc materialis eſſet, Deum non ut Plato externe materiæ præfecit, ſed interne immiſcuit, & infudit, & ita cum materia copulavit, ut neceſſario naturæ univerſi vinculo cum ea & in ea ageret, ſicque anima mundi non a Deo tantum dependeret, ſed ipſe Deus eſſet. Qua ratione difficultates non minuit, ſed auxit, impietatem vero longe majorem expreſſit, Deum enim, cum Heraclitum ſequi conſtituiſſet, ignem dicens, omnia moventem & pervadentem, natura, libertateque ſua prorſus privavit, & mundum cum Deo confudit, ut poſtea dicemus. Quod non feciſſet, ſi maluiſſet ipſam DEI naturam conſiderare, quam Heracliteis principiis, Platonica emendare, id quod ſecus accidit, valdeque phyſiologiam Stoicam corrupit.

IV. Di-

e) Conf. SAM. WERENFELS *de meteor. Orat. Opp. p. 613.*

f) Conf. *Otium Vindel. Mel. II. §. 4. 5. p. 138.*

ff) Inde Stoici *herciſcundi*, id eſt, medium ſecuti, ſunt dicti; vid. SERVIUS *ad* VIRG. *Æn. l. III. v. 68.* & STEPH. MORINUS pec. diſſ. *de Stoicis herciſcundis.*

IV. Dictum porro in antecedentibus eſt, oppoſuiſſe philoſophiam ſuam Zenonem tum Academicis, ſenſuum certitudinem & veritatis judicium atque comprehenſionem negantibus, tum Epicuro, voluptatem in ſtatu animi quieto & tranquillo quærenti & commendanti. Vtrumque in conſtituenda philoſophia Stoica influxum habuit ſolito majorem. Non enim enatæ tantum inde doctrinæ plurimæ, quæ Academicis Stoicisque opponebantur, ſed & contradictionis ſtudio ad extrema itum & aſſerta multa ſunt, quæ limites egrediuntur, quæque parce magis & modeſte dixiſſet Zeno, niſi ea adverſariis objeciſſet. Et hanc veram cauſam eſſe putamus, cur in morali potiſſimum philoſophiæ parte exorbitantia multa & humanæ voluntatis naturam excedentia Zeno aſſeruerit, ut eo fortius Epicuro adverſaretur. Qui cum voluptatem commendaret, animumque in doloris carentia tranquillum, Zeno ſapientem finxit, non ab omni tantum voluptatis ſenſu vacuum, ſed & omnis affectus atque commotionis animi expertem, & inter equuleos atque tormenta beatum. Qua ratione, quod in Cynicis improbabat, quod naturam excederent, ipſe poſtea admiſit, & dum torporem & ignaviam moralis diſciplinæ fugit, ad ſpecioſa quidem ſed impoſſibilia & naturam hominis ſuperantia præcepta ſe vertit, quæ nimiam præ ſe ferebant ſapientiam, verborum potius jactantia, quam re ipſa præſtandam. Recte vero EVRIPIDES:

IV. Oppoſitæ philoſophiæ Stoica aliis ſectis.

Non vel hoc noxa vacat
Si mens ineſt ſapientibus ſapiens nimis.

V. Sed & temperamentum Zenonis moresque hominis conſiderandi ſunt, quos plerumque ad formandum ſyſtema conferre aliquid in prolegomenis monuimus, & luculento exemplo probat philoſophia Stoica. Fuiſſe vero natura acerbum & moroſum, & temperamento ad melancholicum inclinaſſe, ſupra diximus, quamvis & cholerici non exiguam poſſediſſe partem vel inde elucet, quod a Cynicorum circa decorum ἀδιαφορίᾳ valde abhorruerit, nec regibus quoque ſubmiſſum humilemque teſtatus fuerit animum. Hanc naturalem temperamenti, quod & corporis ratio & victus conditio fovebat, conditionem augebat diſciplina Cynica, auſteris quidem ſed ſuperbis etiam præceptis, ad magna & excelſa, ſed triſtia & acerba, animum Zenonis formans. Quæ cum admirationem ei conciliarent haud exiguam, opinionemque excitarent conſummatæ virtutis, externo quoque veſtitu, victu, oratione effictam, mirum non eſt, Zenonem ſapientem ſuum talem formaſſe, qualem ſe ipſum fingebat. Quæ cum ſupra humani animi naturam moresque eſſent, ea quæ in Zenone propter temperamenti, educationis & conſuetudinis vim ſuo modo erant naturalia, in diſcipulis, præceptorum magiſtri ſeveritatem ejusque exemplum imitari ſatagentibus, virtutem fictam & pictam, quæ nulla re ipſa eſſet, ſed in externo habitu, barba, vultu vocibusque magnificis conſtaret, genuerunt. Vili enim habitu incedebant, barbam promittebant, ad cutem deradebantur, pallidique & ſubtriſtes apparebant, virtutis veræ plerumque expertes. Factum inde eſt, ut &

V. Syſtema Zenonis ejus circumſtantiis conforme.

ipſi inter Stoicos viri graves [g] mores horum hominum μέχρι τῦ λέγειν, ἄνευ τῦ πράτ]ειν philoſophantium [h] improbarent, & Stoica hypocriſis plerisque veterum eſſet deteſtabilis, qui paſſim acerbe in hos homines, Curios & Catones ſimulantes, & bacchanalia viventes, invecti ſunt, [i] & Stoicis exprobrarunt, magnifica quidem eos promittere, ſed nihil eorum apud illos reperiri, qui felicitatem in Stoica philoſophia quærant. Qua de re cum nemo lepide magis dixerit, quam LVCIANVS, [k] is imprimis conſulendus eſt, longior enim ſermo ejus eſt, quibus vivis coloribus Stoicos depingit, quam ut hic deſcribi poſſit, jucunde vero & clariſſima luce rem hanc illuſtrat. Nec juvat rem Stoicorum, quod pro cauſa eorum magno conatu affert THOMAS GATAKERVS, [l] *in unaquaque ſecta repertos, citharis, lyris, tubis, lituis compares, quæ eorum utique, quæ aliis modulantur, canunt, crepant, perſonant, nihil quicquam audiunt, percipiuntque ipſæ; & ubique, etiam inter Chriſtianos eſſe homines ignava opera & philoſopha ſententia.* [m] Non attendit enim vir diligentiſſimus, ſectæ, quam deperibat, amore captus, non eſſe ſermonem de hominibus, ex doctrinæ, quam ſequuntur, præceptis vitam non inſtituentibus, ſed de ipſa philoſophiæ, quam ſequebantur, conſtitutione & natura, quæ talis fuit, ut neceſſario homines vel miſeros, & felicitatem ex ea conſequi deſperantes, vel hypocritas gigneret, cum impoſſibile ſit, Stoicam felicitatem aſſequi, virtutemque ſapientis Stoici facto exprimere, quod de Chriſtianorum diſciplina dici nequit, quæ non virtutis modo perfectam & humano animo conformem depingit faciem, ſed media quoque exhibet, quæ ad eam exprimendam ſufficiant, quod præſtare nequit philoſophia Stoica, quæ ſi ſequenda eſt, homines naturam exuere humanam oportet. Nec objici & pro Stoicæ philoſophiæ cauſa adduci in exemplum poſſunt viri graves virtutisque, quantum inter gentiles licebat, perfectæ, qui ex Stoica familia profecti ſunt. Nam, licet etiam, de quo tamen dubitari queat, hanc iis inſediſſe virtutis elegantiam concedamus, duo tamen ſunt, quæ maximopere obſtant, quo minus inde de Stoicorum philoſophia magnifice ſentiamus. Vnum eſt, quod alia principia habuere vivendi, alia differendi, [n] & naturæ, educationis, temperamenti & ejusmodi cauſarum moralium beneficio ad eam virtutis præſtantiam enixi fuerint, quam Stoicæ philoſophiæ beneficio nunquam fuiſſent aſſecuti. Alterum concedendum quidem eſſe, quod PLVTARCHVS [o] ait: *habere Stoicam doctrinam, ſi in magnam & acrem naturam incidit, aliquid lubricum & anceps, ſin autem cum gravi & miti ingenio temperetur, magnos impetus dare ad verum bonum & virtutem:* fluere vero hos impetus ex peſſimis principiis, eſſe animum Dei particulam, univerſo, ſive natu-

g) EPICTETVS *paſſim*, vid. ARRIAN. *diſſ. l. IV. c. 9. l. III. c. 23.*

h) Idem apud GELLIVM *l. VII. c. 19.*

i) Videndus IVVENALIS *Satyr. II.* PLVTARCHVS *de Stoicorum repugnantiis.* HORATIVS *Serm. l. II. Sat. 2.* & RAPPOLDVS *Comm. ad l. II. Serm. c. 9. p. 310.* ut alios prætereamus.

k) In *Hermotim. T. II. p. m. 287. ſeqq.* & in *Mycillo ib. p. 622. ſeqq. add.* quæ collegit GATAKERVS *ad Antonin. in præloquio p. m. 34.*

l) l. c.

m) GELLIVS *l. XIII. c. 8.*

n) Conf. G. I. VOSSIVS *de theol. gent. l. II. c. 49. p. m. 580.*

o) In *Cleomene.*

naturæ, Deo per omnia fuſo, convenienter vivendum, & æternis univerſi legibus, neceſſario obtemperandum eſſe, quæ impietatem gignunt Spinozæ ethica nulla parte meliorem, quæ externe quidem ſplendet, interna vero natura ſua omnia ſanæ philoſophiæ principia miſere corrumpit. Vnde merito miramur, non de grege eruditorum, ſed ex ducibus & primæ dignitatis viris, quosdam, & imprimis LIPSIVM & GATAKERVM,[p] quos fundamenta morbida & peſtilentia ethicæ Stoicæ non latebant, tantum Stoicæ philoſophiæ tribuiſſe, ut cum SENECA,[q] ſanctiſſimam & fortiſſimam ſectam nominare, vel illos ſolos philoſophos eſſe, fateri non erubuerint.

VI. Verbis Stoicorum non fidendum.

VI. Poſſunt hæc ſufficere, ut attento cautoque hiſtoriæ philoſophicæ lectori oculi aperiantur, ad dignoſcendam veram & nativam. Stoicæ philoſophiæ faciem. Quia vero nulla inter Græcos ſecta fuit, quæ tantopere conquiſito ſua illevit fuco, quam Stoica, monendus eſt Stoicæ philoſophiæ noſcendæ cupidus de duobus momentis, quæ neglecta magnos viros præcipites egerunt, ut Stoicam philoſophiam ſummopere deprædicarent, eamque ſanæ philoſophiæ præceptis, quin ſanctiſſimis Servatoris regulis & religionis Chriſtianæ dogmatibus in plerisque conſonare crederent.[r] Primum id ſpeciatim inculcat, quod generali obſervatione, in tota hiſtoria philoſophica tenendum eſſe, in limine hujus tractationis commendavimus, quodque in Stoicæ philoſophiæ conſideratione neglectum magnos errores peperit: expendenda eſſe verba & ſententias Stoicorum non extra ſyſtematis nexum, ſed juncto toto conſequentiarum ſyrmate, quo ex principiis ſemel admiſſis concluſiones derivantur. Accidit enim viris magnis, ut ſpecioſis Stoicorum dictis de Deo, de animo, de officiis ſeducti, neſcio quos theſauros ſe inveniſſe putaverint, qui intra ſyſtematis nexum & ex vero ejus ſenſu conſiderati carbones exhibebant. Longo exemplorum agmine probari hoc poſſet, niſi inſtituti obſtaret ratio, ſed nos alio loco[s] luculenta ejus rei ſpecimina copioſe adduximus, quæ adeunda ſunt, quibus ea de re ſcrupulus aliquis, poſt illa, quæ in ſequentibus dicenda ſunt, remanſerit. Alterum, quod probe attendere lectorem jubemus momentum ad Stoicos quidem poſt Chriſti nati tempora viventes, ſcriptisque atque diſſertationibus ſuis philoſophiam porticus illuſtrantes pertinet, hoc vero loco ideo tenendum eſt, quod horum tantum ex iſta ſecta hominum nobis ſcripta ſuperſunt, vetuſtiorum Stoicorum, Zenonis, Cleanthis, Chryſippi & reliquorum libris dudum temporum injuria deperditis. Sedulo vero ad horum, qui Chriſti nati & publice prædicatæ evangelii doctrinæ tempora ſecuti ſunt, philoſophorum ſcripta & philoſophandi rationes attendentibus manifeſtum fiet, hos homines, qui ſanctiſſimam ſe ſectam eſſe gloria-

p) *ll. cc.*

q) *ep. 83.*

r) Dicetur hac de re in ſequentibus paſſim, & quidem de eccleſiæ Doctoribus, Stoiciſmum in eccleſiam introducentibus *T. III.* de viris vero eruditis Stoicam philoſophiam recentiori ætate reſuſcitantibus *T. IV.* Conſulenda quoque ſunt, quæ in *Otio Vindelico Mel. I. & II.* diximus, & exempla attulimus.

s) *l. c. p. 98. 135. 146. 164. 166.* add. b. BVDDEVS diſſ. *de erroribus Stoicorum*, IAC. THOMASIVS *de exuſtione mundi Stoica*, alii.

ti ſunt, cum viderent, religionis Chriſtianæ præſtantiam ubique & per omnes imperii Romani partes recipi, & tanquam ſanctiſſimam diſciplinam coli, invidia doctrinæ Stoica præcepta multis paraſangis ſuperantis, & æmulatione gloriæ ductos haud pauca, non verba tantum & ſententias, ſed dogmata quoque concernentia in ſuos uſus vertiſſe, & accommodaſſe Stoico ſyſtemati: ut ita Chriſtiani non haberent, quod magnopere gentilium philoſophis objicerent; vel etiam gentiles in peregrina religione admirarentur, quod non domi natum invenire poſſent. Latiſſimus hic campus eſſet, exemplis id luculentis docendi, quæ tamen nec locus capit, prolixis diſſertationibus nimis anguſtus, nec inſtitutum poſtulat. Diximus tamen, niſi, omnia nos fallunt, copioſe & luculenter ſatis ea de re alio loco, [t] quæ conſulat, ſi tanti videbuntur, qui ea de re convinci ſe exemplis deſideraverit. Nos unum ex multis eligimus, eo illuſtrius, quo magis multam de ſenſu Stoici ſyſtematis diſputandi occaſionem viris doctis exhibuit, quoque magis in apricum ponit, quam ſubdole rem ſuam egerint Stoici, ut ſalvis parentis ſui placitis ſectæque decretis, propiores revelatæ veritati viderentur. Doctrinam innuimus, de providentia DEI, & fato, in Stoicorum Scholis celeberrimam. Quam cum ita poſt Zenonem propoſuiſſet Chryſippus, ut fortuito Epicureorum concurſui, atomorum potiſſimum eſſet oppoſita, & æternam atque indeclinabilem ſeriem rerum & catenam volventem ſemet ipſam ſeſeque implicantem per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus connexa eſt, ſignificaret, cui ordini neceſſario Deus ipſe a Stoicis duris vocibus ſubjiciebatur: impiam & abſurdam doctrinam aggreſſi Chriſtiani doctores facile everterunt. Quibus ut ſe opponerent Stoici poſt C. N. efflorescentes parce magis & ſobrie ea de re philoſophandum & Chriſtianis, quoad voces magnificas de Deo accedendum rati, fatum in providentiam mutarunt, & eleganter de ea commentati ſunt, nihil tamen quoad rem ipſam in Stoico ſyſtemate mutantes, ſed providentiæ voce, & libertatis aſſertione, eandem, quam Chryſippus neceſſitatem univerſi inculcantes. Magna itaque in dignoſcenda doctrina Stoicorum cautio adhibenda eſt, & cuncta ad principia, quæ Stoæ pater, Zeno, primum admiſit & ſectatores rata habuere examinanda, nec Senecæ, Antonini, Epicteti verbis fidendum, ſed larva ſub dolo philoſophorum generi detrahenda eſt. Quod ubi provida ratione fit, diſparebit, ceu nebula ſolis radiis diſpulſa jactata concordia inter Porticum Zenonis & Salomonis, & quid judicandum ſit, de genuino Stoicæ philoſophiæ ſyſtemate, mediocri attentione poterit dignoſci. [u]

VII. Stoici diſſentientes.

VII. Tandem neque hoc obſervaviſſe abs re erit, Stoicos præſtantiores plerosque non ſemper conſenſiſſe, ſed in diverſa abeuntes Zenonis ſyſtema ſæpiuſcule reliquiſſe. Id quod non Epictetus tantum, Seneca & his ſimiles

t) In diſſertatione: *de Stoicis ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus*, quæ extat *Temp. Helvet. T. III. p. 260.*

u) Agnovit hoc ipſe tandem LIPSIVS *Cent. I. Epiſt. ſelect. ep. 97.* conf. BALTVS *defenſe des SS. Peres accuſer de Platoniſme. pref. c. ji.*

ſimiles fecere, ut ſuo loco demonſtrabitur, ſed a Chryſippo quoque, Diogene, Panætio, Poſidonio factum eſt. Annotabimus itaque in ſequenti horum virorum hiſtoria diligenter, in quo a communi & recepto porticus ſyſtemate receſſerunt.

Decreta Stoicorum de philoſophia in genere.

§. IV. His, quæ neceſſario monenda fuerant, de philoſophia Stoica præſuppoſitis, facilior jam nobis via patet ad ipſam ejus conſiderationem. Quam ut apte & accurate delineare poſſemus, optandum propter rationes ſupra dictas, eſſet, ut Zenonis, Chryſippi & Stoicorum ante Chriſtum natum ſcripta nobis ſuppeterent: quibus quoniam caremus, ad eos confugiendum eſt, qui reliquias ex iis nobis ſervaverunt, CICERONEM, PLVTARCHVM, LAERTIVM, SEXTVM EMPIRICVM, SIMPLICIVM, STOBAEVM,[v] & ex Patribus eccleſiæ aliquos, quorum loca pleraque congeſſit diligentia eruditiſſimorum virorum IVSTI LIPSII, THOMAE GATAKERI, THOMAE STANLEII.[x] Cum his vero Stoicorum ſequiorum ſcripta conferenda ſunt, & quæ SENECA, ANTONINVS, EPICTETVS, PHVRNVTVS, qui ſoli fere ex innumero Stoicorum grege ad nos ſcriptis pervenerunt, de Stoica philoſophia commentati ſunt, conjungenda: nec negligenda ea, quæ extra ſectam conſtituti de ea retulerunt. Immo, Epicurea & Platonica quoque philoſophia, quibus Stoicam in plerisque vel oppoſitam fuiſſe, vel ex hac derivatam ſupra demonſtravimus, non negligenda, ſed diligenter conferenda eſt, ut ita nativam Stoæ mentem dignoſcamus. Priusquam vero ſingularum philoſophiæ partium decreta exponimus, paucis enarrandum eſt, quid de philoſophia in genere ſenſerint Stoici. Ita vero:

I. Sapientia eſt rerum humanarum divinarumque ſcientia; philoſophia, ſive ſapientiæ ſtudium, exercitatio eſt artis ad ſapientiam accommodatæ. Definitionem hanc Stoicis tribuit PLVTARCHVS,[y] quam ex Platonis vel Pythagoræ, unde Plato eam deſumſit, ſchola accepiſſe Zenonem, ex iis liquet, quæ capitis ſexti ſectione prima[z] de definitione philoſophiæ Platonica differuimus. Receſſit tamen aliquantum a Platone Zeno, & paulo aliter hæc ejus definitio intelligenda eſt, quam in Academia veteri intelligebatur. Cum enim Zeno ideas Platonis & numeros Pythagoræ miſſos faceret, quibus res divinæ in illorum philoſophia conſtabant, ad alia neceſſario reſpicere debuit. Cum vero mundus non Dei tantum opus, ſed & ipſe Deus ſit, ut poſtea indubitatis Stoicorum teſtimoniis probabimus, facile inde intelligitur, quæ res divinæ ſint, circa quas ſapientia & philoſophia verſatur, & qua ratione phyſiologia magna & nobiliſſima pars ſit philoſophiæ Stoicæ? Diſcrimen vero inter ſapientiam & philoſophiam ponere in Platonica quoque Schola[a] Zeno didicit, qui id a Pythagoreis acceperunt. Quod diſcrimen non ineleganter expoſuit SENECA[b] de philoſophiæ

v) *Libris ſupra laudatis.*
x) Paſſim is egregia Stoicorum ſcriptorum fragmenta exhibet, dignus qui conſulatur.
y) *De placit. phil. l. I. c. 1. T. II. p. m. 3.* SENECA *ep. 89.*
z) §. *16.*
a) Demonſtratum id quoque ſupra *l. c.*
b) *l. c.*

phiæ definitione & diuiſione docte commentatus, quando ita : *Primum tibi dicam, inter ſapientiam & philoſophiam quid interſit. Sapientia perfectum bonum eſt mentis humanæ ; philoſophia ſapientiæ amor eſt & affectatio. Hæc oſtendit, quo illa pervenit.* Et paulo poſt: *Illud quaſi conſtet, aliquid inter ſapientiam & philoſophiam intereſſe, neque enim fieri poteſt, ut idem ſit, quod affectatur, & quod affectat.* Plura dabit LIPSIVS.[c] Adjecere quidam ut eſt apud SENECAM,[d] definitioni: *noſſe quoque cauſas rerum*, id quod tamen Seneca putat ſupervacuum, quia cauſæ divinorum humanorumque partes ſunt. Alias definitiones exhibent SENECA & LIPSIVS,[e] quæ tamen pleræque ſunt exotericæ, remque non exhauriunt, quas apud eos ipſos benevolus lector leget. Sapientiam vero duplicem ſibi fingebant Stoici, τέλειον ſive conſummatiſſimam, & προκόπτοντα ſive proficientem; illa perfectiſſimus virtutis habitus eſt, quem nulli mortalium attingere licet, ad quem tamen omnes collineant, hæc profectus ſapientiæ, & habitum graſſantis ad eam viri denotat. Inde frequens apud SENECAM [f] diſtinctio inter conſummatæ ſapientiæ virum & procedentis: hunc ſtudioſum eſſe ſapientiæ, illum adeptum ſapientiam ait. Proficientes vero in tres claſſes dividi alibi [g] monet. Primi ſunt, qui ſapientiam nondum habent, ſed jam in vicinia ejus conſtiterunt; ſecundum genus eſt, qui & maxima animi mala & affectus depoſuerunt, ſed ita ut poſſint in ea relabi; tertium illud genus, extra multa & magna vitia eſt, ſed non extra omnia. Ex his primum genus, qui omnes affectus ac vitia poſuerunt, quæ erant complectenda didicerunt, quibus vero adhuc inexperta fiducia eſt, [h] ſummus quaſi philoſophorum gradus eſt, ad ipſam enim ſapientis perfecti naturam accedere, impoſſibile putabant humanæ imbecillitatis memores, & ſufficere ſtatuebant, ſi in vicinia conſtitiſſet philoſophus. Ea vero de re falſe Stoicos ridet LVCIANVS, [i] qui acute, poſtquam neminem Stoicorum perfecte felicem & ſapientem factum, ex ipſius porticus decretis monuerat, ait: *Non ſufficere, ſi quis ſaltem felicitati proximus ſit, poſteaquam nihil inde fructus & utilitatis capere poſſit: nihilo ſecus enim extra viam ſub dio diverſari eum, qui juxta oſtium ſtet excluſus, quam qui eminus adhuc labore itineris conficiatur: niſi quod veriſimile ſit, illum non mediocri perturbatione diſcruciari, videntem in propinquo ea, quibus privatus eſt.* Sed & reliqua legenda ſunt, quibus luculenter Stoicos in ea re nugari docet. Ceterum nec hoc ſapientiæ diſcrimen excogitavit Zeno, ſed ex Academia prima mutuum accepit. [k]

II. Eſt autem ſapientiæ accommodata unica ars ac ſuprema, virtus. Virtutis vero nomen latiſſime ſumtum, tria ejus genera comprehendit, naturalem, moralem & logicam. Naturalis eſt, qua in mundum & res mundanas

c) *Manud. l. II. diſſ. VII. p. 145.*
d) *l. c.*
e) *ll. cc.*
f) *ep. 72. de conſtant. c. 18.*
g) *ep. 75.*
h) conf. *ep. 71.* conf. LIPSIVS *l. c. diſſ. IX. p. 185.*
i) *loco ſupra laudato.*
k) PLVTARCHVS *l. c.*

danas inquiritur; moralis quæ circa vitam occupatur humanam, logica quæ rationem concernit. Probe in hac assertione observandum est, sapientiam et virtutem esse Stoicis idem, id quod, sine dubio a Cynicis, hi a Socrate acceperunt, sed alia significatione. Socrates enim præter moralem philosophiæ partem, reliquas non curabat, ad felicitatem animi parum aut nihil tribuentes; nec aliter Cynici, qui morali parte retenta, naturalem & rationalem, uti supra dictum, rejiciebant. Zeno vero, qui infausto sidere ex Cynosarge & Academia novam porticus philosophiam conflabat, Cynicorum quidem verba retinuit, sed notionibus Academiæ adplicuit, quæ, cum non naturalem tantum sed & rationalem philosophiam excoleret, Zeno, ne sua Venus minus esset formosior, eodem eam comsit ornatu, & virtutem ita non in sola actione, sed in contemplatione quoque rerum naturalium, & in sermone posuit, unde triplex ei philosophia enata est, Platonicæ in hac quoque parte æmula.

III. Virtus itaque cum triplex sit, triplicem etiam philosophiam esse oportet, naturalem, moralem & rationalem.[l] Quarum philosophiæ partium usum distinctum quidem, sed ad commune fiduciæ & fortitudinis emolumentum facientem luculenter descripsit ANTONINVS,[m] dignus qui ea de re audiatur: *Oportet*, inquit, *unumquodque ita considerare, & agere, ut & activa facultas consummetur, & contemplativa simul perficiatur & fiducia ex certa rei cujusque scientia orta servetur, latens quidem, nec abscondita tamen: tunc enim simplicitate, tunc gravitate frueris, tunc rei cujusque notitia distincta, quid ex natura sua existat, quem locum in mundo habeat, quam diu duratura sit, ex quibus conflata sit, quibus possit obvenire, qui dare eam & auferre possint.* Ceterum nullam partem alteram antecedere, sed mistas esse invicem omnes, multi contendebant, [n] quidam rationalem primum, tum naturalem, tertium moralem partem ponebant, SENECA[o] vero invertit; Chrysippus de naturali ultimo loco egit.[p] Nos itaque eam, qua ipsi Stoici usi sunt libertatem secuti, illum potissimum adhibebimus ordinem, quem natura & constitutio philosophiæ Stoicæ postulat. Supponit nempe, uti modo ex Antonino observatum, activa facultas contemplativam, quæ naturam rei scrutatur, hæc rationalem, ut indicem;[q] Logicam itaque Stoicorum primo quidem considerabimus, Physicam vero & Ethicam ordine subjiciemus.

§. V. Logicam itaque Stoicorum considerraturis,[r] hæc potiora gentis in his subtilitatibus ævum plerumque non sine opprobrio suæ & aliarum *Logica Stoica.*

l) ibid. SENECA *l. c.* LAERT. *l. VII. s. 40.* qui similia, quibus divisionem hanc illustrarunt Stoici affert, quocum conferendus SEXTVS *adv. Mathemat. l. VII. s. 17.*

m) l. X. §. 9.

n) LAERT. *l. c.* & imprimis SEXTVS *l. c. s. 20. seq.* & FABRICIVS *ad h. l.*

o) l. c.

p) PLVT. *de Stoic. repugnantiis* qui addit, in physicis de Deo postremo Chrysippum egisse.

q) Conf. *Hist. philos.* GALENO tributa *c 3.*

r) Scriptores huc facientes laudant *Acta phil. Vol. I. p. 746.* inter quos eminet ADAMVS BVRSIVS in *Dialectica Ciceronis ex Stoicorum maxime sententia* qua usus est STANLEIVS *p. 556.* in describenda Dialectica Stoicorum, qui potest sufficere.

rum ſectarum virorum, meliora videntium & probantium, [s] traducentis aſſerta occurrunt:

I. Logica duabus partibus abſolvitur, rhetorica & dialectica. Rhetorica eſt ars bene dicendi de iis, quæ copioſam orationem requirunt; Dialectica vero eſt differendi ſcientia, oratione, quæ interrogando & reſpondendo abſolvitur. [t] Hoc inter dialecticam & rhetoricam diſcrimen indicare ſolebat Zeno manu adſtricta, & expanſa. Dialecticam enim eſſe rotundam & compreſſam expoſitionem rei, rhetoricam autem expanſionem & dicendi facultatis amplitudinem. [u] Ceterum ſcientiam differendi quoque dicebant Stoici eſſe rhetoricam, mutuum accepta definitione a Xenocrate, ut aliis quoque, ſed paulum differenti vocis ſignificatione. Xenocrati enim ars & ſcientia idem, Stoicis vero pro eo, quod eſt habere firmas ac ſtabiles comprehenſiones. [x]

II. Rhetorica tripartita eſt, deliberativa, judicalis, demonſtrativa. Partes ejus: inventio, elocutio, diſpoſitio, pronuntiatio. Orationis rhetoricæ partes ſunt exordium, narratio, confutatio, epilogus. [y] Oppoſuiſſe ſe in hoc Stoicis Academicos novos, ut rhetoricam ex philoſophiæ cancellis eliminarent, [z] ſupra diximus.

III. Dialectica eſt ſcientia, id eſt, certa & ſtabilis comprehenſio aut habitus, in viſorum perceptione non devians: habetque virtutes alias ſub ſe, nempe lapſus ſive erroris devitationem, circumſpectionem, ne fallaciis abripiamur, firmitatem contra redarguentes, & gravitatem ſive conſtantiam, viſa ad rectam rationem revocare aptam. [a]

IV. Cum Dialectica conſideret & voces & res vocibus ſignificatas, primo loco eſt doctrina de viſis & ſenſu, quæ fundamentum ſunt eorum, quæ ex iis ſubſiſtunt, oratione expoſitorum.

V. Senſus junguntur a quadam quaſi impulſione oblata extrinſecus, quæ Græcis *Φαντασία*, Latinis viſum, dicitur. Ita CICERO, [c] cujus verba mire illuſtrat locus BOETHII [d] ad finem paginæ adducendus. Phantaſiam impreſſionem eſſe in animo, non inepte dixit LAERTIVS, [e] ſumta nominis translatione a ſignis ceræ per annulum expreſſis. Ita enim ab externis objectis imagines rerum ſenſibus & hinc phantaſiæ imprimi ſtatuebant Stoici; recentiores intellectum impurum dixere.

VI.

s) SENECA *ep. 48.* LVCIAN. in *Hermotim. T. II. p. m. 390. 391.*

t) LAERT. *l. VII. ſ. 42.* SEXT. EMP. *adv. Mathem. l. II. ſ. 6.*

u) SEXT. EMP. *adv. Math. l. II. ſ. 7.* CIC. *de finib. l. II. c. 6. de Orat. c. 32.* QVINTIL. *l. II. c. 20.*

x) SEXT *l. c.*

y) LAERT. *l. c.* SEXT. *l. c.*

z) *Cap. VI. ſ. 3.* Objectiones ab Academicis hac in parte Stoicis factas enarrat SEXT. *l. c. ſ. 20. ſeqq.*

a) SEXT. *l. c.* LAERT. *l. VI. ſ. 46.* SVIDAS in *Dialectica T. I. p. 559.* & in *διεξοδικ. T. I. p. 577.*

b) LAERT. *ib. ſ. 41.*

c) *Acad. Q. l. I. c. 11.*

d) *De conſol. philoſ. l. V. metr. 3. p. m. 233.*

Quondam porticus attulit
Obſcuros nimium ſenes,
Qui ſenſus & imagines
E corporibus extimis
Credant mentibus imprimi,
Vt quondam celeri ſtilo
Mos eſt æquore paginæ
Quæ nullas habeat notas
Preſſas figere literas.

Ex quo carmine intelligi poteſt, quousque a Platone receſſerit Zeno, quem rationibus Platonicis oppugnat Boëthius, innatas ideas propugnans.

e) *ſ. 45.*

VI. Ad hæc quæ viſa ſunt, & quaſi accepta ſenſibus aſſenſio accedit animorum, quæ in nobis poſita & voluntaria eſt.

VII. Viſum cum ipſum per ſe cernitur, comprehenſibile dicitur, cum acceptum jam & approbatum eſt, comprehenſio, ſi ita comprehenſum, ut convelli ratione non poſſet, ſcientia. [f]

VIII. Iudicium eſt perfectio, qua diſcernitur res.

IX. Criterium bifariam dicitur; uno modo, id quod attendentes alia quidem facimus, alia neutiquam: altero; id quod ubi attendimus, alia dicimus eſſe, vera, alia falſa. Alter modus criterii, quo judicamus, quid ſit, vel non ſit, dicitur tribus modis: ſenſu communi, proprio, & maxime proprio. Senſu communi dicitur pro quavis comprehenſionis menſura etiam naturalis, v. g. viſus, guſtus; ſenſu proprio vero pro omni menſura comprehenſionis artificialis; ut circinus eſt criterium artificiale, &c. maxime vero proprio ſenſu dicitur omnis menſura comprehenſionis rei obſcuræ. Quo ſenſu, quæ ad vitam pertinent, criteria amplius non vocantur, ſed ſola logica ad veritatem inveniendam a philoſophis adhibita.

X. Logicum criterium eſt vel quod judicat, id eſt, homo, vel per quod judicatur, id eſt, ſenſus, vel relatio qua intercedente judicatur, id eſt, applicatio phantaſiæ. [g]

XI. Criterium autem eſt phantaſia comprehendens, id eſt, ea, quæ ab illo, quod revera exiſtit, proficiſcitur. Alii Stoicorum aliter, qui tamen tria illa, de quibus criterium dicitur, inter ſe confundunt. Chryſippo eſt criterium ſenſus & anticipata perceptio, (πρόληψις) quæ eſt naturalis rerum & propoſitionum univerſalium cognitio. [h] Eundem fere in modum Epicurei quoque ſtatuebant.

XII. Senſus eſt ſpiritus a parte principali animæ, quæ dirigit, (τῦ ἡγεμονικῦ) ad organa ſenſuum pertingens. [i]

XIII. Viſum eſt lumen ſe ipſum, & a quo derivatur exhibens, unde a lumine phantaſia dicitur. [k]

XIV. Eſt autem viſum impreſſio in animæ parte principali, quam cum depreſſione & eminentia, ut in cera fit, conjunctam putavit Cleanthes, Chryſippus vero alterationem tantum animæ eſſe putavit. [l] Valde ſubtiles hac in parte ſunt Stoici, quorum hac de re philoſophemata exponit SEXTVS EMPIRICVS: [m] quæ omnia tamen eo redeunt, ut viſum dicatur impreſſio facta in intellectu a ſenſibus, cum evidentia conjuncta. Quæ an in cerebri fiat partibus, an in ipſa judicandi facultate, quæ eſt in animo, diſputabant Cleanthes & Chryſippus, quæ tamen pleraque ad vocum & verborum contentiones redeunt.

f) CIC. *l. c.* qui omnino legendus.

g) SEXTVS *l. VII. adv. Math. f. 29. ſeqq.* diligenter ad hoc attendendum eſt, ſine quo controverſiæ Stoicorum cum Academicis intelligi nequeunt.

h) LAERT. *l. c. f. 49.*

i) *ib. f. 52.*

k) PLVT. *de placit. phil. l. IV. c. 12.* SEXT. EMP. *l. VII. f. 163.*

l) LAERT. *f. 50.*

m) *Lib. VII. f. 228. ſeqq.*

XV. Comprehenſio facta ſenſibus vera eſt & fidelis, normam enim ſcientiæ eam dedit natura, nihilque illa perſpicuitate & evidentia clarius.[n]

XVI. Quicquid vero apprehenditur, per ſenſus apprehenditur, cum nihil ſit in intellectu, quod non fuerit prius in ſenſu. [o] Id quod Porticus Academiæ oppoſuit.

XVII. Viſorum alia ſenſibilia ſunt, alia minus ſenſibilia ſunt, quæ per ſenſus, tanquam per inſtrumentum percipiuntur. Non ſenſilia ſunt, quæ percipiuntur animo ſolo, ut incorporea omnia. Senſilia formata ex rebus exiſtentibus concedendo & approbando producuntur, ſunt autem viſorum quoque apparentiæ quædam, quæ ita exiſtunt, ac ſi ex revera exiſtentibus formarentur.

XVIII. Viſa alia rationalia ſunt, alia irrationalia, illa hominum ſunt & vocantur, notiones, (ἔννοιαι) ſuntque vel artificialia vel non artificialia.

XIX. Sunt porro alia probabilia, quæ tranquillum & æquabilem motum in anima cient, i.e. quibus ſine dubitatione aſſentimur, & acquieſcimus, alia improbabilia, quibus ab aſſenſu revocamur; quædam & probabilia & improbabilia ſunt ex diverſa ad hoc vel illud relatione. Porro alia vera ſunt, quæ vere prædicari poſſunt, alia falſa, quæ vere prædicari non poſſunt, vera pariter & falſa, quæ certa relatione vera, alia falſa ſunt: generalia viſa neque vera neque falſa ſunt, e. g. arbor in genere, homo barbarus in genere.

XX. Verorum viſorum alia ſunt non comprehenſibilia, quæ morbo vel mentis perturbatione obveniunt, alia comprehenſibilia, ad quæ requiruntur tria: 1. ut exiſtat ab eo, quod eſt, 2. ut conveniat cum eo, quod eſt, 3. ut nihil habeat, quod impediat.

XXI. Phantaſia ſive viſum diſtingvendum eſt a phantaſmate, & phantaſtico, quod nihil habet, ex quo, tanquam revera, exiſtat. [p]

XXII. Verum eſt id, quod eſt, & quod ex adverſo alicujus ponitur: ſive, ut Zeno, quod ita animo eſt impreſſum, ex eo, unde eſt, ut eſſe non poſſit ex eo, unde non eſt.

XXIII. Verum & veritas inter ſe differunt: illud eſt, quod verbo profertur, adeoque incorporeum eſt. Veritas corpus eſt, quo proferuntur omnia vera. [q]

XXIV. Comprehenſio (κατάληψις) eſt ſcientia firma & vera, ut manu compreſſa aliquid firmiter tenetur. [r] Eſt hoc quam maxime Academiæ novæ oppoſitum, quæ hanc comprehenſionem negabat, uti ſupra expoſitum.

XXV.

n) CICERO *Acad. Qq. l. I. c. 11. l. II. c. 6.*

o) ORIG. *contra Celſ. l. VII. p. m. 367.* edit. Hœſch.

p) Latiſſime hactenus allata perſequitur SEXT. *l. VII. ſ. 242. ſeqq.* quocum conferendus PLVT. *l. c.* & NEMESIVS *de natura hominis c. 6.*

q) Prolixe id exſequitur SEXTVS *Pyrrh. hyp. l. II. ſ. 81. ſeq. adv. Math. l. VII. ſ. 38. ſeqq.* λεκτὸν vero corpus non eſſe dicebant Stoici, vid. SENECA *ep. 117.* Φωνὴν vero corpus dicebant, vid. LAERT. *l. VII. ſ. 54.* & MENAG. *ad h. l.* FABRIC. *ad l. c. Sexti.*

r) Hinc Zeno digitis extenſis, viſum, paulum conſtrictis, aſſenſum, manu compreſſa & pugno comprehenſionem adumbrabat, vid. CICERO *Acad. Qq. l. IV. c. 47.*

XXV. Quicquid autem a mente comprehenditur, comprehenditur vel incurſione evidentium, & per ſenſus, vel per tranſitum & incidentem ratiocinationem (κατ' ἐναργειαν περιπλωτικῶς) ſive per collectionem demonſtrationis; idque vel aſſimilatione, vel compoſitione, vel analogia & proportione, idque vel augmentatione vel diminutione.[s] Addit his LAERTIVS, [ſſ] fieri etiam per transpoſitionem, contrarietatem, privationem, tranſitionem, & naturam.

XXVI. Animo viſis, quæ a ſenſibus imprimuntur, commoto, oritur aſſenſio, ſive approbatio (συγκατάθεσις) qua viſa noſcuntur & dijudicantur, eſtque in hominis poteſtate, ut viſa arbitraria non ſunt, ſed vi quadam ſua ſeſe hominibus ingerunt. Hocque inter inſipientem & ſapientem intereſt, ut is viſa omnia, qualia animi ſui pulſu viſa ſunt, talia putat & approbat; hic non ſtatim commotus aſſenſum commodat. Id quod exemplo ſoni alicujus formidabilis luculenter explicat GELLIVS.[t]

XXVII. Notiones homo innatas non habet, ſed in lucem editus quoad ἡγεμονικὸν, chartæ puræ ſimilis eſt, cui inſcribendæ literæ: fit id a ſenſibus, quorum impreſſionis memoriam retinemus, quarum notionum complurium ubi facta eſt collectio, oritur inde experientia. Ita quidem PLVTARCHVS, [u] ex quo ſimul patet notiones, ideasque omnes innatas proſcripſiſſe Stoicos. Aliter tamen LIPSIVS, [x] qui anticipatas notiones vult eſſe ex ratione, id eſt parte in nobis divini ſpiritus merſi; quæ ſi in ſuo loco & luce luceat, tota pura, ſincera, recta, divina ſit; nunc corpore velut carcere, clauſa coërceatur, & opinionibus agitetur aut abducatur, & tamen retineat originis ſuæ flammulas, quæ ſe in ſenſibus & judiciis omnibus, hominibus innatis & inſitis exſerant, has eſſe ἐννοίας & προλήψεις. Auctoritate utitur CICERONIS, [y] qui notionem definit *inſitam & ante perceptam cujusque formæ cognitionem, enodatione indigentem.* Verum mire pervertit vir præclarus mentem Stoicorum, eamque in ſenſus Platonicos transmutat. Si enim, quod ſupra diximus, nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu, univerſales quoque iſtæ notiones, quas anticipationes dixere Stoici, neceſſario per ſenſus demum τῷ ἡγεμονικῷ id eſt, rationali & principali animæ parti illabuntur. Nec hoc vult Cicero, quod ex eo probat Lipſius, ſed id tantummodo innuit, ineſſe menti naturalem intelligendi, & aſſentiendi viſis facultatem, ei vero inſeri per ſenſus prima vice objecta offerentes, formarum ſive idearum imagines & cognitiones, quibus deinde in mente aſſervatis, cum viſa alia offeruntur, & ad hanc communem normam applicantur, illa quaſi enodantur, & explicantur, applicatione ſcilicet notionis generalis ad ſingularem facta. Quæ niſi ita explicemus, tota corruit Stoicorum doctrina de viſis & notionibus.

s) *Adv. mathem. l. IX. ſ. 343. ſeqq.*

ſſ) *ſ. 52. 53.*

t) *Lib. XIX. c. 1.* & ex eo AVGVSTIN. *de C. D. l. IX. c. 4.*

u) PLVT. *de placit. philoſ. l. IV. c. 11.* conf. *Hiſt. de ideis Sect. I. §. 10. p. 154.*

x) *Manud. ad P. S. l. II. diſſ. 11. p. 161.*

y) In *Topic.*

XXVIII. Sunt autem notionum aliæ naturales, quæ ſine ulla artis induſtria gignuntur; aliæ induſtria & doctrina comparantur. Hæ proprie notiones vocantur, illæ anticipationes. [z]

XXIX. Viſum, ſi rationali animo obtingat, conceptio mentis vocatur, (ἐννόημα). [a]

XXX. Notiones communes omnibus hominibus ſunt, & notioni notio non repugnat. Pugna itaque hominum oritur in accommodatione ad res ſingulas. Prolixe de hoc axiomate differit EPICTETVS, [b] demonſtraturus, erudiri nihil aliud eſſe, quam diſcere notiones naturales rebus ſingulis accommodare illis & naturæ congruenter, ac poſtea diſtingvere, alia eſſe in noſtra poteſtate, alia non.

XXXI. Si, quod ſenſu comprehenditur, ita comprehenſum eſt, ut convelli ratione non poſſit, ſcientia nominatur, ſin aliter inſcientia: ex qua exiſtit etiam opinio, quæ eſt imbecilla & cum falſo incognitoque communis. [c]

XXXII. Tria inter ſe conjugata ſunt, id quod ſignificat, quæ eſt vox; id quod ſignificatur, res voce declarata, quæ mente apprehenditur, id quod eſt, res, extra nos ſubſiſtens. Multi hic ſunt Stoici, in loco, quem vocant, vocis, ubi de ejus origine, orationis partibus, ſolœcorum & barbarorum natura, de amphiboliis, voceque canora & muſica agitur, [d] quæ cum totam fere grammaticam occupent, & ad noſtrum inſtitutum proprie non pertineant, apud alios, imprimis apud AVGVSTINVM, [e] Stoicorum placitis inſiſtentem, quæri poſſunt. Paucis præcipua complexus eſt STANLEIVS. [f]

XXXIII. Definitio eſt oratio, quæ reſolvendo reſpondet ad quæſtionem, quid ſit res: nihilque debet complecti eorum, quæ non inſunt definitis, & indicare debet proprium, quod nullam aliam in rem transferri poſſit. [g]

XXXIV. Definitionum autem duo ſunt genera prima. Vnum earum rerum, quæ ſunt, alterum earum quæ intelliguntur: illa ſunt, quæ cerni tangive poſſunt; hæc ſunt, quæ animo tantum poſſunt intelligi, v. g. ſi civitatem, gentem, tutelam definias. [h]

XXXV. Definitiones aliæ ſunt partitionum, cum res ea, quæ proponitur, quaſi in membra diſcerpitur; aliæ diviſionum, quæ formas omnes complectuntur, quæ ſub eo genere ſunt, quod definitur.

XXXVI. Diviſio eſt generis in ſpecies ſuas proximas ſectio.

XXXVII. Genus plurium notionum, quæ ad unum referuntur, eſt comprehenſio: Species eſt, quod ſub genere continetur, ſummum genus, quod ſub alio nullo eſt, ſpecies infima, quæ aliam ſpeciem continet nullam. [i]

XXXVIII.

z) PLVT. *l. c.*
a) *ibid.*
b) Apud ARRIAN. *l. I. diſſ. 22.*
c) CIC. *Qq. Acad. l. I. c. 11.*
d) SEXT. *l. c.* LAERT. *l. VII. ſ. 43.* hinc Stoici architecti verborum audiunt CIC. *de Offic. l. I. c. 7.*
e) In *Dialectica T. I. Opp. p. 266.* ed. Frob. conferenda quoque quæ affert SEXT. EMP. *adv. Gramm.* & FABR. ad eum.
f) *p. 566. ſeqq.*
g) LAERT. *l. VII. ſ. 60.* SEXT. *Pyrrh. hyp. l. II. c. 16.* CIC. *Topic. c. 6.*
h) CICERO *l. c. c. 5.*
i) LAERT. *l. VII. ſ. 60.*

XXXVIII. Ex notionibus & vocibus res cognoſcuntur, Stoicis dictæ τυγχάνοντα: quæ ſunt res obtingentes, & perceptioni ſubjiciuntur, extra nos exiſtentes.

XXXIX. Res in quatuor genera ſubdividuntur: in ſubſtantias, qualitates, quodammodo ſe habentia abſoluta, & quodammodo ſe habentia relativa. Hac ratione Stoici prædicamentorum numerum contrahebant. [k]

XL. Ea quæ dici poſſunt, (λεκτὰ) quæque ad facultatem animi enunciativam pertinent, conſiderata quatenus de alio dicuntur, categoremata audiunt, quatenus in voces erumpunt, verba, quando in mente retinentur, dici parata, λεκτά. [l]

XLI. Quæ dici poſſunt, alia ſunt ex ſe perfecta, alia deficientia. Illa ſunt, quæ plenam habent enunciationem, quæque vel plenum quidem ſignificant, ſed neque verum, neque falſum, vel affirmant & negant verum aut falſum, quæ axiomata vocantur.

XLII. Categorema eſt, quod de alio enunciatur, aut res ex aliquo aliquibusve compoſita: ſuntque quatuor ejus ſpecies, recta, ſupina, neutra, activa & paſſiva reciproce. [m]

XLIII. Axioma eſt, in ſe perfecta res, quæ enunciari poſſit quantum in ſe ipſa. [n]

XLIV. Axiomata ſunt vel ſimplicia, quæ non conſtant ex axiomate uno bis ſumto, vel pluribus differentibus; vel non ſimplicia, quæ quodammodo ſunt duplicata, & ſtant vel propoſitione una in diverſas partes diſcerpta, vel propoſitionibus diverſis: in quibus, quod collocatur poſt conjunctionem ſi, vel, ſiquidem, vocatur antecedens, & primum, vel initium, reliqua finis, vel conſequens, vel ſecundum. v. g. Lux eſt, ſi dies eſt. Araneæ Stoicorum ſubtilitates etiam hoc in loco valde conſpiciuntur, qui more dialecticis proprio, non ad notionum intellectus naturam, ſed verborum latitudinem & ſignificationem attendentes, dum ipſam ratiocinandi & concludendi regulam negligebant, multa ſine fructu ſubtiliter, ſed inutiliter diſputabant, quas ideo ξυμάτια δύσινα μελετᾶν dixit LUCIANUS. [o] Regulas connexorum, adnexorum, conjunctorum, caſualium, declarantium, oppoſitorum, poſſibilium, neceſſariorum &c. axiomatum exponit LAERTIUS, [p] nobilia tricarum Stoicarum ſpecimina. Recte SENECA: *o pueriles ineptias! in hoc ſupercilia ſubduximus? in hoc barbam demiſimus? hoc eſt, quod triſtes docemus & pallidi?*

XLV. Axiomatum alia ſunt probabilia, quæ ſpeciem ad aſſentiendum habent, alia rationalia, quæ plura veri momenta habent, alia paradoxa, quæ ſapientibus tantum probantur. [r]

XLVI. Argumentatio (λόγος) conſiſtit ex ſumtione (λῆμμα) aſſumtione,

k) SIMPLICIUS *in Categor.*
l) LAERT. *l. VII. ſ. 63.*
m) *ib. ſ. 64.* & MENAG. *h. l.* SUIDAS in κατηγορ. *T. II. p. 278.*
n) *ib. ſ. 65.* & MENAG. *h. l.*
o) In *Hermot. T. II. p. 290.*
p) *Lib. VII. ſ. 71. ſeqq.* conf. SEXT. *adv. Mathem. l. VIII. ſ. 411. ſeqq.*
q) *Epiſt. 48.*
r) LAERT. *ſ. 75.* CIC. *parad. c. 1.*

tione, (προσλῆμμα) & illatione (ἐπιφορά). Vtebantur vero Stoici ſyllogiſmis tantum hypotheticis, qui qua ratione a ſyllogiſmo Ariſtotelis differant, exponit ALEXANDER APHRODISAEVS. [s]

XLVII. Argumenta ſunt vel concludentia vel minus; illa vel ſyllogiſtice concludunt, vel non. [f]

XLVIII. Syllogiſmi (hypotheticos intelligi modo monuimus) ſunt vel connexi, vel conjuncti vel disjuncti.

XLIX. Argumenta concludentia ſyllogiſtica diſponuntur juxta modos. Modorum autem duo ſunt genera, ſimplicium & compoſitorum. [ff]

L. Argumenta, quæ ſyllogiſtice non concludunt, ſunt illa, quæ via ſyllogiſmorum concluſionem non eliciunt, & tamen categorice concludunt. [t]

LI. Argumenta non concludentia ſunt, in quibus oppoſitum concluſionis repugnat nexui ſumtionum. [u]

LII. Fallaciarum varia ſunt genera, [v] argumentum quieſcens ſive ſorites, mentiens, inexplicabile, ignavum, dominans, velatum, electra, cornutum, crocodilites, reciprocum, deficiens, meſſor, calvus, occultus, inficians. Hæc ſophiſticorum, argumentorum genera, ex dialecticorum ſcholis ad Stoicos tranſierunt, unde, quæ ſuo loco de eorum cavillationibus diximus, hic repetenda ſunt: quæ cum mire quoque ad exagitandos adverſarios adhiberent Stoici, cavillationes inde Stoicæ viris gravibus deteſtabiles in vulgus notæ factæ. Quæ quam miſeræ fuerint, dignus eſt, qui legatur, SAMVEL PARCKERVS. [w]

LIII. Methodus duplex eſt, vel vulgaris & popularis, vel ſubtilis & philoſophica, quæ apud Stoicos fuit ſubtilis, ſpinoſa, brevis: quam logicæ nomine honorabant.

LIV. Vulgaris diſputandi ratio vel continua oratione abſolvitur, vel interrogando & reſpondendo. Prior analytica dicitur, poſterior rhetorica, topica, dialectica. [x]

Phyſiologiæ Stoicæ ſcriptores.

§. VI. A dialectica ad phyſiologiam Stoicorum progredimur, eo magis attenta conſideratione dignam, quo magis magnificorum atque ſplendidorum verborum ornatu ſummam jactavit ſapientiam, & fundamenta præbuit morali philoſophiæ parti, quibus ad nubes usque ſurgeret. In eâ vero recte & intime pernoſcenda omnino illa attentio præ reliquis adhibenda eſt, quam ſupra in tota philoſophia Stoica excutienda commendavimus. Itaque ea ratione ordinanda ſunt phyſica Stoicorum dogmata, ut natura principiorum ſemel admiſſorum, & conſectariorum inde derivatorum poſtulat, relictis obſcuris & confuſis locis, [y] in quæ Stoici veteres naturalem

s) In *Analyt. prior.* apud STANLEI. *p. 583.*
f) LAERT. *l. VII. ſ. 77. 78.* SIMPLIC. *ad Epict. c. 58. p. m. 193.* ed. Wolf.
ff) LAERT. *l. VII. ſ. 76.*
t) *ib. ſ. 68.*
u) *ib. ſ. 77.*
v) *ib. ſ. 82.* Pleraque deſcribit STANLEIVS *p. 588. ſeq.*
w) *De Deo diſp. VI. ſ. 9. p. 519. 520.*
x) CIC. *de off. l. II. c. 10. de fin. l. I. c. 7. l. II. c. 6. l. III. c. 1.* SENECA *ep. 14. 90.*
y) Dividebant Stoici naturalem philoſophiam in locum de corporibus, de principiis, de elementis, de Diis, de loco, de vacuo, vel generalius, de mundo, de elementis, de cauſis LAERT. *l. VII. ſ. 132.*

lem philoſophiam ſolebant diſpeſcere, & ad naturalem hunc ordinem revocanda, quæ veteres de decretis Stoicorum circa res naturales referunt. Quam viam inſtituerunt recentiori ætate duumviri de Stoica philoſophia egregie meriti IVSTVS LIPSIVS & IACOB. THOMASIVS, ab omnibus legendi, verum etiam interſe conferendi, qui accuratum de phyſiologia Stoica judicium cupiunt. LIPSIVS enim, cui *phyſiologiæ Stoicæ libros tres* [z] debemus, magna eruditionis & lectionis copia, veterum pleraque de phyſica Stoicorum narrata, artificiali quidem ordine diſpoſuit, & elegantiſſimum philoſophiæ naturalis Stoicorum compendium nobis reliquit, ſed præpoſtero Stoicæ philoſophiæ amore & præjudicio ductus, ſana pleraque & externis vocibus conſona præcipere Stoam, multa ſequius, quam decebat, & poſtulabat Stoici ſyſtematis ratio, interpretatus eſt, & errores maximos vel celavit, vel frigide excuſavit. IACOBVS vero THOMASIVS, ut in veterum decretis philoſophicis diſcernendis acutiſſime videbat, & accurato judicio in nexum ſyſtematum penetrabat, ita non integram quidem Stoicam phyſiologiam expoſuit, potiora tamen ejus dogmata in *exercitationibus de exuſtione mundi Stoica, & diſſertationibus XXI. ad hiſtoriam philoſophiæ Stoicæ facientibus*, [a] tanta colluſtravit luce, ut ab eo potiſſimum tempore myſteria Stoæ penitus patuerint. Qui ei labor eo felicius ſucceſſit, quo magis a præpoſtero conciliandi Chriſtianam religionem cum gentili philoſophia ſtudio animo toto abhorruit, eos deteſtatus, qui inter tenebras & lucem paciſci pergunt. Cujus obſervationes ſi prudenter adhibeantur, nec LIPSIVS, nec qui Stoicorum quoque philoſophiam moralem excuſſit THOMAS BVRNETIVS, [b] nec, qui Lipſium potiorem partem ſecutus eſt STANLEIVS [c] impedient, quo minus nativam & germanam Stoiciſmi mentem quis deprehendat, erroresque animadvertat ſumme deteſtabiles. Quam viam, luminibus Thomaſianis uſus, vir ſummus IO. FRANC. BVDDEVS [d] feliciter ſecutus eſt, quamque & nos alibi [e] ingreſſos eſſe, nunquam nos hactenus pœnituit, nec pœnitebit unquam.

§. VII. Eſt vero hæc phyſiologiæ Stoicæ ſumma: *Phyſiologiæ Stoicæ ſumma.*

I. Antequam aliquid erat, erat chaos, ſive ſtatus rerum confuſus & tenebricoſus. Status ille rerum exhibebat materiam, quæ eſt rerum omnium qualitatibus indutarum, ſeminaliumque rationum receptaculum, & eſſentia ſive natura, [f] ſuo principio quaſi gravida. Status hic chaoticus eſt, quem Stoicos præſuppoſuiſſe, SENECA [ff] luculenter prodit, & ſtatus poſt

z) Vtimur editione *Lugd. Bat. 1643. 12.*
a) *Lipſ. 1674. 4.*
b) *Archæol. philoſoph. l. I. c. 12. p. 433. ſeqq.*
c) *l. c. p. 622. ſeqq.* idem fecit MORHOFIVS *Polyhiſt. lit. T. II. l. II. P. I. c. 8.*
d) In *diſſertationibus de erroribus Stoicorum*, quæ extant inter *Analecta hiſtoriæ philoſophicæ.*
e) In *Otio Vindelico paſſim*, in diſſ. de *fato Stoico Am. liter. T. IIX.* & in diſſ. de *Stoicis ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus Temp. Helv. T. III. p. 208.*
f) LAERT. *l. VII. ſ. 150.* STOBAEVS *eclog. phyſ. c. 14.*
ff) *Conſolat. ad Polyb. c. 20.*

poſt conflagrationem mundi delineat, ubi hoc univerſum, quod omnia divina humanaque, ut ille ait, complectitur, diſſipabitur, & in confuſionem veterem tenebrasque demergetur. [g] Qui ſtatus chaoticus, ut domi eum jam didiciſſe Zenonem a Phœnicibus & ex parentum traditione probabile eſt, ita inter Græcos fuit receptiſſimus, ut ex hactenus enarratis veterum phyſiologorum ſyſtematibus notum eſſe exiſtimamus.

II. Chaos illud ordinatum inque aſpectabilem formam emergens mundus eſt, & natura. Communiſſimæ hæ univerſi appellationes ſunt, apud Stoicos; exempla apud SENECAM aliosque facile deprehenduntur. [h]

III. Eſt vero natura ſive mundus totum illud, ex quo conſtant, quodque comprehendit omnia. [i] Diſtinguebant vero Stoici totum ab univerſo; univerſum enim eſſe infinitum, adjuncto inani, totum mundum ſeorſim ab inani ſubſiſtere, auctore PLVTARCHO [k] aſſerebant. Quod & alii paſſim obſervarunt.

IV. Totum hoc in quo omnia continentur, & unum eſt, & partes ſunt omnia illius atque membra. [l]

V. Sunt vero in hoc uno & toto principia, quæ ab elementis diſtinguenda ſunt, [ll] duo efficiens & patiens. Et patiens quidem, ut recte LAERTIVS, [m] qualitatis exſors materia, efficiens autem, ratio, quæ in ipſa eſt, ſive Deus. Probe ad hoc primum univerſæ phyſiologiæ Stoicæ axioma & palmarium fundamentum attendendum eſt, quod & Stoici ubique aſſerunt, & alii illis tribuunt. [n] Notum enim ex tota veterum theologia, quam curioſis hactenus & attentis perluſtravimus oculis, eſt, eundem principiorum duorum, efficientis & ſubjectæ illi materiæ numerum, omnes fere philoſophos admiſiſſe. Sed diverſa id ratione factum eſt. Quidam, Perſarum imprimis ſyſtema ſecuti, duo ſibi æternum oppoſita, & eſſentiali diſcrimine non tantum adverſa, ſed nullo quoque eſſentiali nexu inter ſe juncta principia Deum & materiam admiſere. Hos ſecutum eſſe Anaxagoram, & poſt eum Platonem, totamque Academiam veterem ſupra, niſi fallimur, luculenter demonſtratum eſt. Hoc ſyſtema, perſpicuitatis gratia dualiſticum vocamus. Alii res quidem omnes duobus iſtis principiis conſtare ſatis intelligebant, ſed cum dualiſtici ſyſtematis ſe ipſum duorum principiorum abſolutorum & ἀντικειμένων abſurditate evertendis, difficultate premerentur, utrumque uni toti incluſere, & neceſſario atque eſſentiali inter ſe nexu copula-

g) Conf. IAC. THOMASIVS *de exuſt. mundi Stoica diſſ. VIII. p. 77. Otium Vindel. diſſ. II. p. 148.*

h) CICERO *de nat. Deor l. II.* LACTANT. *Inſtit. div. l. VII. c. 3.* SENECA *conſolat. ad Helv. c. 8. Otium Vind. p. 146.* LIPSIVS *l. I. diſſ. IV. p. 23.*

i) SEXT. *adv. Math. l. IX. f. 332.* SVIDAS in *πᾶν T. III. p. 15.* CYRILL. *contra Iulian. l. II. p. 46. Hiſt. philoſ.* GALENI *c. 38.* STOBAEVS *eclog. phyſ. c. 25.*

k) *De plac. phil. l. II. c. 1.* LAERT. *l. VII. ſ. 143.*

l) SENECA *ep. 97.* ANTON. *l. IV. §. 40.* & quæ fuſe ad hunc affert GATAKERVS *p. m. 164.* edit. Londin.

ll) Qua ratione diſtinguantur principia ab elementis, explicant PLVTARCH. *de plac. phil. l. I. c. 2.* STOBAEVS *eclog. phyſ. c. 13.* LAERT. *l. c.* Vtitur tamen SENECA *ep. 89.* elemento pro principio.

m) *l. VII. ſ. 134. 156.*

n) SENECA *ep. 65.* ANTONIN. *l. II. §. 2. l. IV. §. 21.* CICERO *Ac. Qq. l. IV. c. 16.* LACTANT. *l. VII. c. 3.* conf. LIPSIVS *l. c. diſſ. IV. p. 19.* GATAKER *ad ll. cc. Ant.* WOLFIVS *de Manichæiſmo ante Manich. §. 36. p. 151.* BVRNET. *Archæol. p. 436. Otium Vindel. l. c. p. 140.* BVDDEVS *l. c.* aliique paſſim.

pulaverunt: idque duplici ratione factum esse, tradita hactenus luculenter docent. Quibusdam enim rectum visum est, Deum ita materiæ in uno toto, quod chaos dixere, copulari, ut hæc perpetua emanatione ex ejus sinu progrederetur, & certo tandem tempore ab inhabitante divina anima formaretur, quod supra systema emanativum vocavimus, & non barbaris tantum plerisque, sed & Græcis philosophis, qui poëtica ratione, docebant, quosque theologos Græcorum supra diximus, placuisse, clarissime ostendimus. Quidam φιλοσοφικωτέρως rem explicare satagentes, non emanasse quidem materiam ex Deo, quod absurdum & contradictorium non minus esse videbant, asserere audebant, Deum tamen sive causam efficientem & rationalem ita arcte & intimo naturæ universi vinculo connectebant, ut anima corpori, ovoque vitellus inclusus est, hancque vim esse plasticam & formatricem materiæ intrinsecam & necessariam docebant, ut ita necessaria & naturalis pars chaos Deus esset. Quæ systematis physiologici facies præter Ionicos Thaletem & Anaximandrum, Pythagoreis, Eleaticis, & Heraclito, aliisque placuit.[o] Cum itaque Zenoni ab Academia recedere constitutum esset, isque nec in dualistico, nec in emanativo systemate veritatem, manifesta contradictione eversam cerneret, ad tertium dilapsus est, quod, ut a reliquis distinguamus, Stoicum supra aliquoties vocavimus, quamquam longe vetustius sit Zenone. Ita quidem absurda evitabat Zeno duo maxima, ut nec duo principia, quorum quodlibet ab altero nulla ratione dependeret, sed absolutum & infinitum utrumque esset, admitteret, nec materiam, natura sua e diametro Deo, causæ activæ adversam ex ejus sinu educeret, quorum utrumque principiorum horum naturam evertit; revera autem, cum non aliud haberet, unde utriusque originem arcesseret, utrumque inter se confudit, ea ita inter se connectendo, ut una natura essent. Id quod ex sequentibus erit manifestissimum.

VI. Vtrumque principium corporeæ naturæ est; quicquid enim facit vel patitur aliquid, corpus est, unde omnia, quæ sunt, corpora sunt.[p]

VII. Causa efficiens, sive Deus est purissimus ac liquidissimus æther, ignisque artificialis, habitans in cœli extrema circumferentia, in qua divinum omne fixum locatumque est. Adeoque Deus etiam ad corporalia pertinet. Nihil hic damus, quod non ipsis Stoicorum verbis expressum sit. Ita enim Cleanthes & Chrysippus apud LAERTIVM[q] & ipse SENECA.[r] Accepisse hanc Dei definitionem Zenonem a Pythagoreis & Heraclito, §. III. demonstravimus. Clavis vero hæc assertio est, totius

o) Videnda, quæ de systematibus Græcorum philosophorum physiologicis erudite disputat IACOBVS THOMASIVS *l. c. diss. II. p. 29. seqq.* ubi discrimen horum systematum adjecto quoque Peripatetico & Democritico figuris satis feliciter expressit.

p) LAERT. *l. VII. s. 55.* PLVT. *de Stoic. repugnantiis*, add. MENAG. *adl. c. Laërt.* LIPS. *l. II. diss. IV. p. 144.* qui prolixe hæc probat. Adeo vero insanivere hic Stoici, ut etiam affectus in corporum numero posuerint, vid. SENECA *ep. 106.* & virtutes *ib. ep. 113.* quæ qua ratione satis excusat ignorat LIPSIVS. Ridet hæc ipse SENECA *ep. 102.*

q) *l. VII. s. 138.*

r) *ep. 89.* conf. PLVTARCH. *de plac. phil. l. I. c. 7.* ORIG. *philosophum. c. XXI. p. 143.* WOLF. *ad h. l.* LIPSIVS *diss. VI. p. 26.* GATAKER. *ad Anton. l. IV. §. 23. Otium Vind. l. c. p. 138. seqq.* & ibi adductos.

phyſiologiæ Stoicæ, quæ veros ejus ſenſus recludit. Complectitur enim hic ignis omnes rationes ſeminales, juxta quas fato ſingula deinde fiunt, ut ait PLVTARCHVS. Forma itaque rerum omnium in igne hoc divino conſtat, quæ cum extremo cœlo reſideat, ſe in omnes materiæ partes fundit, ut Heraclito quoque, & Hippaſo, & ex parte quoque Parmenidi placuit: quin & Hippocratis calidum parum ab igne Stoicorum diſtat. Quam indignus itaque Deus Stoicorum divina natura ſit, quamque craſſos Stoici de divinis foverint conceptus, quæque inde abſurda & impia quoque ſequantur, facile intelligit,[s] qui non, prope hæc a religione noſtra abeſſe incaute cum LIPSIO[ſſ] ſtatuit. Et vocat quidem SENECA Deum incorporalem rationem, ſed id corpori tantum craſſiori opponitur, quicquid enim eſt, Stoicis corpus eſt: nihilque incorporale præter infinitum, quod extra mundum eſt vacuum, animus corporeus, vox corporea,[t] & ita Deus quoque.

VIII. Materia principium patiens eſt; natura qualitatibus deſtituta, quæ iners jacet, res ad omnia parata, ceſſatura ſi nemo moveat.[u] Diſtinguendum eſſe, ex his patet, materiæ notionem, a corporis notione, quæ latius patet. Vnde materia corpus eſt craſſius, ineptum ad movendum aliquid, ſed moveri aptum.

IX. Opponitur itaque materiæ natura agens, ignisque ille artificialis, ſumma arte res omnes, juxta rationes, quas continet, ſeminales producere ex materia aptus; qui cum craſſiori iſto modo corpus non ſit, incorporale quoque & immateriale principium recte dicitur.[v]

X. Ejusdem quoque vi oppoſitionis, etſi corpus eſt, eſt tamen ſpiritus. Probe hæc notanda ſunt, ne a Stoicis, totam dicendi rationem philoſophis receptam mutantibus, novasque vocibus ſignificationes inducentibus decipiamur, id quod illis accidit, qui ſpiritus immaterialis appellatione ſeducti, Stoicos Deum rerum corporearum numero exemiſſe cenſuerunt. Quemadmodum enim animus hominis, ex Deo decerptus, Stoicis tum dicitur σῶμα ἀραιότερον καὶ λεπτομερέστερον *corpus tenuius & ſubtilius*, tum πνεῦμα ἔνθερμον, *ſpiritus calidus*, ſive *igneus*,[w] ita etiam Deus corpus quidem illis eſt, quia vacuo tanquam rei incorporeæ opponitur, ſed ſpiritus ex igne ſubtiliſſimo conſtans.[x]

XI. Eſt porro rationalis cauſa ſempiterna, incorruptibilis, & ingenita, quæ omni ſubſtantiæ proprias qualitates formavit. Magnifice de Deo loqui Stoicos omnes fere eorum paginæ docent, & allatus LAERTII locus pro-

s) Conf. BVRNETIVS *l. c.* CVDWORTH, *Syſt. int. c. IV. §. 25. p. 502.*

ſſ) *Conſol. ad Helv. c. 8.*

t) PLVTARCH. *de Stoic. repugn.* qui has nugas falſe ridet.

u) SENECA *ep. 65.* LAERT. *l. VII. ſ. 150.* MENAG. *ad h. l.* STOBAEVS *eclog. phyſ. c. 14.* PLVTARCH. *de plac. philoſ. l. 1. c. 3.*

v) LAERT. *l. VII. ſ. 147.* PLVT. *l. c. l. I. c. 6.* Inde principia ἀσώματα dicuntur apud LAERTIVM. *ſ. 134.* ut legunt viri docti, licet & communis lectio ex dictis queat ferri. Eſt enim & Deus & materia corpus; incorporea vero, ſi elementis opponantur.

w) PLVTARCH. *de repugn. Stoic. T. III. p. 3.*

x) conf. illuſtr. SPANHEMIVS *ad Iuliani Cæſares p. 110. 111.*

y) *l. VII, ſ. 140.*

probat: caute vero intelligendi ſunt, & ad principia ſua revocandi: juxta quæ Deus non magis æternus eſt, & ingenitus, quam materia, & ideo tantum opifex & conditor univerſi, quia ex neceſſitate naturæ ſuæ mundum, mota & qualitatibus ornata materia, produxit. Nihil vero indignam hanc Dei notionem magis probat, quam quod Deus ille finitus eſt. Sequitur id ex natura corporis, quod infinitum eſſe nequit, tum ex natura mundi, qui finitus eſt, & cujus Deus pars eſt: tum ex figura mundi, quæ globoſa eſt, & intra quam Deus, tanquam anima latet. [z] Vnde vnum infinitum Stoicis eſt, quo mundus circumfunditur, vacuum immenſum, &, quod partem vacui conſtituiſſe videtur, tempus etiam inter incorporea relatum, cujus præteritum & futurum infinita ſunt, præſens finitum. [a] Quicquid igitur de Deo magnifice blaterant, ſemper cum hac reſtrictione intelligendum eſt, ut mundi ambitu & connexione definiatur atque circumſcribatur, qua ratione non poteſt non vera Dei notio prorſus everti.

XII. Præterea cauſa iſta efficiens, bona eſt, & perfecta, quæ omnes in ſe perfectiones continet. [b] Magnifice, de eo Cleanthes, dignus qui audiatur. [c]

Si, quale ſit bonum rogas, ita accipe:
Eſt ordinatum, juſtum, & eſt ſanctum, pium,
Sui potens, commodum aliis, pulchrum, decors,
Rectum atque conſtans, ſemper autem conferens,
Expers metu, dolore, curis omnibus,
Iuvans, benignum, ſtabile, amicum, amabile,
Honore dignum confitendum.
Et glorioſum, non ſuperbum, quod gerit
Curam omnium, placens & viribus valens,
Aevi vetus, culpæ inſcium, ſemper manens.
Ah vilis ille, opinionem qui adſpicit
Tanquam duce hac venturus ad veri ſcopum.

Sublimia & auguſta verba nos legere, non negamus LIPSIO, toti fere extra ſe rapto, [d] latere vero anguem in herba doceri pluribus poſſet, niſi in ſequentibus dicenda rem ipſa manifeſtarent. Vnum hoc monemus, nec Spinozam deterius locutum eſſe, totique huic divinorum attributorum deſcriptioni calculum adjeciſſe, licet non minus, ac Stoici Dei naturam unica ſua ſubſtantia, non plane eundem quidem in modum, ac Stoici, toto ſuo, ſed ſimilem tamen everterit.

XIII. Eſt vero cauſa hæc efficiens & rationalis, provida, curamque gerit totius ejusque partium, ut illud in natura ſe conſervet ſua. Cele-

z) *ibid.*

a) quia modus eſt & menſura motus mundani, *ib. ſ. 141.*

b) Potiora Stoicorum loca, quibus magnifice de Deo loquuntur, attulimus in diſſ. *de Stoicis ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus, loco ſupra laudato.*

c) Servavit hos nobis verſus CLEMENS ALEXANDRINVS *admonit. ad gent. p. 47.* Hymnum etiam Cleanthis non minus magnificum & auguſtum nobis ſervavit STOBAEVS & ex eo HENR. STEPHANVS *poëſ. philoſ. p. 49.* quem repetit CVDWORTHVS *Syſt. int. c. IV. §. 25. p. 515.*

d) *l. c. l. I. diſſ. X. p. 47.*

berrimum & κύριον δόγμα ſcholæ Stoicæ, quod imprimis impietati Epicureæ ſectæ oppoſitum eſt, [e] quoque ſupra illam ſapuiſſe, cauſamque defendiſſe meliorem ipſi etiam Epicuri advocato, PETRO GASSENDO, [f] viſi ſunt. Cum enim Epicurus totus atomiſtico Leucippi & Democriti ſyſtemate occupatus, &, quod putabat, auguſta de immortalibus diis opinione omnem negotii curæque laborem ab iis removente impeditus, Deum omni mundi vel fabricandi vel gubernandi cura ſolviſſet, Stoici Deum, ex intermundiis Epicuri, quaſi ex exilio, ad ipſum mundum gubernandum revocarunt, mundoque ita immerſerunt, ut non tantum ex ejus agitatione & formarum communicatione aſpectabilis mundus eniteret, ſed & totus ejus inhabitantis & agitantis virtute & impulſu, quoad minimas ejus partes conſervaretur. Hinc aſſerta providentia, etiam in minima, & magnifice de ea paſſim præceptum. Quæ loca quia poſt GATAKERVM [g] & LIPSIVM [h], ſtrenuos providentiæ Stoicæ aſſertores, diligenter & erudite collegit, & inſtructa aptiſſime acie quid pro providentia Stoicorum dici queat, expoſuerit, eruditiſſimus IOANNES IACOBVS ZIMMERMANNVS, [i] quem amicitiæ cauſa nominamus, iis citandis ſuperſedemus, ad unum SENECAE libellum *de providentia*, ſive, *cur viris bonis mala accidant, cum ſit providentia*, provocantes. Nec patitur inſtituti ratio, ut prolixa diſſertatione totum de providentia Stoica argumentum excutiamus, prolixius, quam limites noſtri patiuntur, futurum. Quare exorandus nobis lector eſt, ut viros eruditiſſimos & magni nominis, VOSSIVM, [k] THOMASIVM, [l] BVDDEVM [m] adeat, qui, niſi toti fallimur, rem plane confecerunt, demonſtraruntque non injuriam feciſſe Stoicis Vellejum, providentiam Stoicorum fatidicæ anus nomine exagitantem, [n] recteque impietatem in hoc dogmate, Epicuri non meliorem vel leviorem reprehendiſſe priſcæ eccleſiæ doctores. [o] Diximus nos quoque, & luculento ex ANTONINI [p] loco, rem in luce meridiana poſuimus in epiſtola ad amicum veteranum, celeberrimum SCHELHORNIVM, [q] & alibi; [r] quæ ſi tanti videbuntur, poſſunt adiri. Brevibus, nos, quantum licet hic, monemus 1. verba Stoicorum, quod negari nequit, ſplendida & auguſta de providentia DEI non ex locis exotericis, & ubi ad vulgus differuerunt, ſed ex iis ſcriptorum ſuorum teſtimoniis dijudicanda eſſe, ubi rem ipſam ex ſuis principiis deducunt, & in toto conſequentium inter ſe doctrinarum ſyrmate de providentia diſputant. 2. Recordandum etiam, quod ſupra jam monuimus, & recte

e) Stoicos adeo hanc ob cauſam in Epicurum invectos, ut impenſius non valerent, ait PLVTARCHVS *adv. Stoic.* & proh! proh! vah! vah! inclamaſſe, quod tollens providentiam anticipationem de Diis labefactet.

f) *De vita Epicuri l. III. c. 4. p. 91.*

g) *In præloquio ad Antonin. p. 11.*

h) *l. c. diſſ. XI. p. 51. ſeqq.* conf. quæ *diſſ. citata* diximus.

i) In *Muſeo hiſt. theol. phil. Brem. Vol. I. P. I. p. 1. ſeqq.*

k) *Theol. gentil. l. II. p. m. 158.*

l) *l. c. p. 166. ſeqq.*

m) *l. c. Anal. hiſt. phil. p. 147. & Supplem. Hiſt. theol. litter. p. 37. ſeqq.*

n) CICER. *de N. D. l. I.*

o) Loca eorum affert BALTVS, *Iugement de SS. Peres ſur la morale des payens c. 10. p. 71.*

p) *l. VII. §. 9.*

q) *Amoenit. liter. T. VIII. p. 443.*

r) In *Otio Vindelico Mel. II. §. 10. p. 165. ſeqq.*

& recte vidit doctiſſimus ex ſocietate Ieſu theologus, FRANCISCVS BALTVS, [s] Stoicos poſt C. N. in doctrina de providentia DEI verbis ſuis ſe attemperaviſſe propius diſciplinæ Chriſtianorum, quæ, ſine dubio, ratio eſt, cur elegantiſſime de providentia differat Epictetus. [t] 3. Quin & hoc præſupponendum eſt, quod in tota Stoica philoſophia excutienda ſupra poſtulavimus, totius ſyſtematis phyſiologici apud Stoicos connexionem in partes vocandam, & ſecundum principia ſemel admiſſa explicandam eſſe iſtam providentiam. Hæc ubi accurate obſerventur, patebit 4. Stoicos providentiam quidem non totius tantum, ſed & partium ejus, ſingularum, etiam minimarum, Deo adſcripſiſſe, ſed illi, qui ipſe neceſſaria, eſſentialis & interna pars illius totius ſit, quique, cum, tanquam cauſa efficiens, & principium agens, internam materiam, & quicquid ipſe ex materia formavit, vivificet, agitet & pervadat, intrinſeca neceſſitate ei implicitus & connexus, non aliter agat, materiam penetret, formet atque diſponat, quam totius natura, & imprimis latentes in ipſo cauſæ formales, ſive rationes ſeminales patiantur & requirant. Nec eſſe hanc Dei voluntatem, quæque in ea ponitur curam, aliud, quam motum illum activum ignis cœleſtis & artificialis, ſive ſubtiliſſimi corporis, qui materiæ craſſioris compagem primum in mundi faciem effinxit, & in eo interne latens eodem modo et ratione ſuſtentat. Ex quo per ſe ſequitur, non eſſe hanc voluntatem liberam ſubſtantiæ divinæ & ab omni materiæ contagio liberæ determinationem bonitate & ſapientia nixam, cuncta ad optimos fines liberrime electos dirigendi & gubernandi, quo ſenſu providentiæ vocem capiunt, qui porticum Zenonis hac in re cum Salomonis porticu conciliant, ſed eſſe neceſſariam, & ex interna combinatione nexuque ortam ſequelam effectuum & cauſarum, ex natura animæ mundanæ, vel totius potius naturæ ſive mundi ortam, quæ certis & inevitabilibus cauſarum & eventuum nodis & nexibus ea facit, ordinat, dirigit, quæ non poſſunt non ex natura totius, cujus Deus pars eſt, evenire. Hanc neceſſariam cauſarum & eventuum catenam, qua omnia in unum quoddam, machinamque mutuis ſe pulſibus urgentem combinantur, ineſſe quidem naturæ divinæ, quæ ſola agens cauſa ſit, nec habere extra ſe cauſam aliam, & eatenus etiam liberam eſſe Dei voluntatem, ſed oriri tamen ex intrinſeca ſeminalium rationum & totius natura & neceſſitate, adeoque Deum ipſum huic æternæ ſeriei cauſarum & immutabili legi ſubjectum eſſe, cujus cum animi noſtri pars ſint, neceſſario quoque & ineluctabiliter ille voluntati & curæ huic divinæ parere ἑκὼν ἀκὼν cogatur. Hinc quod providentia illis dicitur, alio nomine fatum eſſe, adeo abſolutum & inevitabile, ut nec Deus, nec materia, nec, qui ex utroque conſtat, mundus ei ſubtrahi queat. Quicquid hic carptim & in ſumma tantum diximus, id luculentiſſimis Stoicorum effatis comprobari poteſt, & locis ſupra adductis probaverunt viri laudati. Quæ cum ita ſe habeant, relinquenda eſt providentia genti ſubdolæ, & ad fucum faciendum

s) *l. c. p.* 70.

t) ARRIAN. *l. I. diſſ.* 12.

dum & palliandam impietatem natæ, & detergendus pietatis color, quem incautius ex Chriſtianorum ſacrariis ei illevere viri docti, magis pie, quam caute hac in re incedentes. Clarius vero deteſtabilis providentiæ facies diſpaleſcet, ubi ſequentia quoque conſiderabuntur dogmata, quidque fatum Stoicum ſit, in lucem claram ponetur: illud enim omnes, quæ pro Stoicis dicuntur, apologias, uno ictu evertit. Ita enim porro decreverunt:

XIV. Variis vero ratio iſta ſive principium efficiens agensque nominibus inſignitur. Nam & mundus dicitur, cujus præſtantior pars eſt, & natura, & fatum, & Iupiter, atque Deus. Recte ex mente ſectæ ſuæ SENECA: " *Quid aliud eſt natura, quam DEVS? & divina ratio toti mundo & partibus ejus inſerta? quoties voles, tibi licet, aliter hunc auctorem rerum noſtrarum compellare.* Et paulo poſt: *Quæcunque voles, illi nomina proprie aptabis, vim aliquam effectumque cœleſtem continentia. Tot appellationes ejus poſſunt eſſe, quot munera.* Quibus verbis potiſſimum ad hanc Stoicorum conſuetudinem reſpicit, qua munera, vel operationes potius per omnes mundi partes ſe diffundentis & eas agitantis animæ divinæ, ſive rationis, in totidem Deos mutarunt, ſicque πολυθεότητι & vulgari religioni philoſophicam larvam induerunt. Ita enim Iupiter aër, Vulcanus ignis, Veſta terra ſunt, id eſt, partes Dei, vel ipſe Deus in his partibus habitans, ut ex iis videre eſt, quæ SALLVSTIVS & PHVRNVTVS de hoc argumento ſcripſere. Qua de re poſtea quoque quædam monebimus, ubi de Diis Stoicorum dicetur. Hoc unum adjicimus, non diſtinguendam eſſe naturam Stoicam ab ipſo Deo, ubi enim diſtinguere videntur,* nihil aliud intelligunt, quam ordinem & rationalem motum, quo Deus omnia in mundo pervadit. Male itaque naturam genitricem ex ea exſculpit CVDWORTHVS. *y*

XV. Quoniam principium hoc agens non eſt extra mundum, ſed in eo comprehenditur, & cum materia unum totum conſtituit, ita ut ſit totum quod videmus, & totum quod non videmus, ideo neceſſario inhabitat materiam, quæque ex ea formata ſunt, eaque pervadit, penetrat, & ita agitat, ut totius ratio poſtulat. Sicque Deus mens eſt univerſi. Hoc conſtanter Stoici, *z* nec aliter quoque ex admiſſo ſemel principio ſtatui poterat, cum Deus non extrinſecus materiæ accedat, ſed intrinſecus in materia quaſi lateat. Luculenter MANILIVS:

- - vivere mundum
Et rationis agi motu, cum ſpiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem,
Omnia pervolitans corpusque animale figuret.

Quæ

u) *De benefic. l. IV. c. 7. Quæſt. nat. l. I. c. 45.* LACTANT. *l. II. c. 9.* conf. LIPSIVS *diſſ. V. p. 22.*

x) Zeno apud LAERT. *l. VII. ſ. 148.*

y) *Syſt. intell. c. III. §. XXIIX. p. 132.* recte ideo notatus Ven. MOSHEMIO *ad h. l.*

z) SENECA *Q q. nat. præfat.* PLIN. *Hiſt. nat. l. II. c. 6.* ORIGEN. *philoſophum. c. 21. p. 143.* ANTONIN. *IV. 40. V. 14. V. 30. VII. 75.* & GATAKER. *ad IV. 21. 29.* LIPS. *diſſ. IIX. p. 36.* & plerique, qui Stoicorum philoſophiam delinearunt: inter *κυρίας* enim *δόξας* eorum eſt.

Quæ non poterant dici σοϊκοτέρως ; non enim divinus tantum ſpiritus per omnes materiæ partes etiam minimas penetrat, easque pervadit, ſed & vi rationum, & formarum ſive qualitatum, quas in ſe habet, materiæ figuram dat, ſicque mundus corpus animale fit. Vnde κόσμος ἐσία ἔμψιχος καὶ αἰσθητικὴ, *natura animata & ſentiens, ſive animal*, immo Deus dictus eſt. [a] Non hoc novum Zenonis ἕυρημα, ſed totius antiquitatis dogma fuit, quæ tamen prout ſyſtema naturæ ſibi formavit, ita animam mundi quoque mundo adhibuit. Plato enim & quicunque duplex admiſere principium, animam quidem mundi inditam eſſe divinam non negabant, verum non ſolum ex Deo eam fingebant, minoris gradus, dignitatis & naturæ, ut emanationis leges poſtulant, ſed & libere materiæ, ad formandum mundum inditam ſtatuebant, ſic ut materia aliquando ſine illa anima eſſet. Qui vero emanativum ſyſtema ſecuti ſunt, Deum quidem tanquam animam materiæ æternum ineſſe contendebant, ſed ita, ut materia eſſet aliquis ejus effectus, & productus quaſi fœtus, qui ab iſta divina anima vi emanationis ſuæ dependet & vivificatur atque agitatur, non formaliter, ſed emanative, ſi pauliſper barbare loqui fas eſt. Aliter poſt Pythagoreos Heraclitus, & qui eum ſecutus eſt Zeno, qui cum præter corpora nihil eſſe, quod revera exiſteret, cenſerent, materiam in ſubtiliſſimam ejus partem, ignem æthereum & craſſiorem dividentes, cum natura ſua unum totum, una natura, una eſſentia eſſet, agentem quidem partem a patiente diſtinxerunt, ita tamen conjunxerunt utramque, ut formaliter & informando, pars agens in patiente habitaret, eam penetraret, & formaret. Non itaque anima mundi Stoica habitat in mundo, ut homo in veſte, quam exuere poteſt, nullo naturali & neceſſario vinculo ei junctus; ſed ut anima in corpore, formam hominis conſtituens, omnesque corporis partes ita penetrans, ut ſine ea homo non ſit. Recte itaque dixit acutiſſimus THOMASIVS, [b] animam mundi Stoicam non eſſe formam aſſiſtentem, ut Platoni placuit, ſed informantem: quam diſtinctionem præter rem rejicit doctiſſimus REIMMANNVS, [c] nam, licet ſcholam ſapiat, rem tamen accurate explicat.

XVI. Quia vero omnes mundi partes penetrat divina hæc univerſi mens, ideo etiam omnibus ejus partibus intime præſens eſt, omnia novit, & tanquam cauſa agens in quavis materiæ parte, omnia efficit. Valde in his quoque attributis Dei extollendis & deprædicandis magnifici ſunt Stoici, [d] hypotheſi vero primoque fundamento ſemel admiſſo, una manu quod extruxere, altera dejiciunt. Etſi enim Deus hic, quicquid in mundo fit, ejus cauſa eſt efficiens, cum materia nihil agere queat, ſed tantum ad omnia recipienda parata & apta eſt: non tamen poteſt agere, ut Deus Platonis vel Anaxagoræ libera in materiam voluntate, ſed neceſſitatis vinculo, quo tan-

a) Poſidonius & alii apud LAERT. *l. VII. ſ. 139.*
b) *l. c. diſſ. XIV. p. 177.*
c) *Hiſtor. atheiſmi c. XXVII. p. 185.*
d) ARRIAN. *l. I. diſſ. 14.* ANTONIN. *l. III. §. 16.* SENECA *ep. 41.* conf. GATAKER. *ad Ant. l. c.*

tanquam pars totius materiæ colligatur, ea agit, quæ natura totius requirit, nec agere aliter poteſt. Neceſſitas itaque, ut ait SENECA ipſe ſua eſt, qua ipſe conſtringitur. Ex quo luculenter patet, quam injurii in veram omnipotentiæ divinæ notionem Stoici fuerint. Nec hoc ſolum; ſed non poteſt omnia in hanc materiam Deus, & quicquid vult efficit, ſed in multis rebus, verbis SENECAE utimur, illum tractanda deſtituunt. Idem de omniſcientia dixeris, & omnipræſentia; ea enim ignis ſubtiliſſimi, in ſuprema ætheris parte reſidentis, & per omnes mundi partes ſe diffundentis præſentia eſt, quæ quantum diſtet a divinæ naturæ immenſitate & omnipræſentia, primo intuitu cognoſcitur. [e]

XVII. Spiritus porro hujus agitatione & operatione cum is in materiam ageret, ita formatus eſt mundus, ut qualitates, quæ in ipſo erant, illi imprimeret, ſicque mundum fingeret; hinc conditor parensque rerum omnium eſt; & quoniam eam perpetua agitatione penetrat & pervadit, ut natura conſervetur, ideo conſervator quoque & adminiſtrator ejus eſt. [f]

XVIII. Non tamen libera voluntatis determinatione ad condendum mundum acceſſit Deus, ſed cum pars totius eſſet, natura in ea comprehenſus, tandem diſrupto quaſi materiæ cortice, in qua latebat, agitatum a ſe mundum intrinſeca natura produxit; unde etiam aliter non operatus eſt, quam natura totius, & interna tum agentis, tum patientis partis neceſſitas permiſit.

XIX. Eſt itaque in natura totius æterna & immutabilis lex atque ordo cauſarum atque effectuum, ita arcte inter ſe implicitarum, tamque neceſſario inter ſe nexu junctarum, ut in mundo aliter, nihil agi, fieri & evenire queat, quam hic ordo, hæcque naturæ lex poſtulat. Et hoc quidem fatum eſt.

XX. Fato itaque huic ſubjecta ſunt omnia, & nihil in univerſo eſt, cui non imperet. Adeoque ipſe Deus fato regitur, nec poteſt is aliter agere, quam æternus & ſacer ille atque inexplicabilis nodus & catena rerum omnium permittit. Detrahit hæc aſſertionum Stoicarum quaternio larvam toti phyſiologiæ Stoicæ, & quam inermis eorum Deus ſit, quam impia & in Dei & humani animi libertatem injuria hæc ſecta, manifeſtum facit. Nihil hic hominibus his affingimus, ſed propria eorum decreta damus. Ex quibus Chryſippi imprimis definitio notanda, quam ſervavit GELLIVS: [g] *Fatum eſt ſempiterna quædam & indeclinabilis ſeries rerum & catena, volvens ſemet ipſa & implicans, per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque eſt.* Nec aliter SENECA: [h] *Fata nos ducunt, & quantum cuique reſtet, prima naſcentium hora diſpoſuit. Cauſa pendet ex cauſa, privata ac publica longus ordo rerum trahit: non incidunt cuncta, ſed veniunt.* Et ita quoque paſſim Epictetus & ANTONINVS.

e) conf. *Otium Vindel. Mel. II. §. 10. p. 165. ſeqq.* SENECA *præf. Qq. nat.* GELLIVS *l. VI. c. 11.*

f) Conf. LIPSIVS *diſſ. XI. p. 51. ſeqq.*

g) *Lib. VI. c. 2.*

h) *De providentia c. 5.*

NINVS. [i] Nec regeri poteſt, quod ex SENECA objecit LIPSIVS, [k] in omnes ſe partes vertens, ut impietatem a Stoicis avertat: *Non externa Deos cogere, ſed ſuam illis in legem voluntatem eſſe.* Ludit enim Seneca ambiguitate vocis, Deus, qua non tantum pars agens, ſed & totum hoc, quod ex agente & patiente parte conſtat, intelligitur. Hujus univerſi voluntas, natura, diſpoſitio, fatum, neceſſitas, cum, non diffitente Seneca, unum idemque ſint, voluntas Dei hanc neceſſitatem gignere, recte quidem dicitur, aſt non libere, ſed neceſſitante natura ſua, id eſt mundi: quod ſi vero Deus pars intelligatur totius, efficiens, & illi ordini & neceſſitati totius non minus, quam materia ſubjicitur, & *eadem neceſſitas*, monente SENECA, [l] *& Deos alligat, ac irrevocabilis divina pariter atque humana curſus vehit. Ille ipſe omnium conditor ac rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur, ſemper paret, ſemel juſſit.* Ad quas voces ipſe exhorreſcit LIPSIVS, quas fruſtra mitigare jubet, cum ita ſyſtema naturæ ſemel electum poſtulet. [m]

XXI. Nihil tamen habet extra ſe cauſa illa rationalis, quo cogatur, cum non ſit aliud præter totum, niſi vacuum infinitum: unde nihil aliud ipſam quaſi neceſſitat, niſi ſua natura, quam & ipſa ſequitur, & quæcunque partes ejus ſunt, ſequi debent. Hinc libertas Dei & hominis conſtat. Ita quidem Stoici, qui invenuſtum fati pullum mire ſe comſiſſe & exornaſſe putant, Deumque a fati neceſſitate liberaſſe, ſi neceſſitatis cauſam ad voluntatem & naturam DEI referant, & homini quoque libertatem aſſeruiſſe putant: utrumque doloſe, & verbotenus tantum; quid enim eſt, quod ait SENECA: [n] *Nec Deus ob hoc minus liber eſt, aut potens: ipſe enim eſt neceſſitas ſua.* Annon voce libertatis, ludit philoſophus, quæ ea facit, quæ natura ſua ita ferente, non facere non poteſt? Ita & homo liber eſt, cujus libertatem eleganter deſcripſit Cleanthes: [o]

Duc me parens, celſique dominator poli
Quocunque placuit, nulla parendi mora eſt.
Adſum impiger: fac nolle, comitabor gemens;
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt,
Malusque patiar, quod pati licuit, bono.

Quod hoc exemplo illuſtraſſe Stoicos refert PSEVDO-ORIGENES: [p] *Alligetur vehiculo canis; ſi quidem voluerit ſequi, tum ſimul & ſequitur & trahitur, per neceſſitatem quaſi fatum exſequens etiam id, quod liberum eſt; ſi vero noluerit, prorſus a neceſſitate cogetur; eadem prorſus hominum conditio; cogentur enim neceſſario vel inviti in illud deſcendere, quod fatali conſtitutum lege.* Ita ſcilicet miro connubio jungebant

i) *Lib. IV. §. 10. 24. 34.*
k) *Diſſ. XII. p. 57. ſeqq.*
l) *l. c.*
m) Conf. THOMAS. *l. c.* VOSS. *theol. gent. l. II. p. 578.* BVDDEVS *Anal. p. 417.* CVDWORTH. *ſyſt. c. 1. §. 3.* MOSHEM. *ad h. l.* Otinm *Vindel. p. 166.*
n) *Præf. Qq. natur.*
o) Græcos verſus exhibet EPICT. in *Enchirid. c. 52.* Latinos SENECA *ep. 107.*
p) *Cap. XXI. p. 144.* notandum hoc, ad dijudicandas LIPSII interpretationes, qui frigidam Stoicis ſuffundit.

Stoici libertatem & neceſſitatem, & vocibus ludentes, veram libertatis notionem prorſus evertebant.

XXII. Partes & effluvia ſpiritus hujus mundani ſive univerſi, cum per totum univerſum diſtribuantur, & quicquid eſt materiæ, ſit animatum; oriuntur inde dæmones, quorum plena ſunt omnia. Paſſim hac de re Stoici, quorum tamen mentem omnium maxime perſpicue explicuit Varro apud AVGVSTINVM. [q] Multa etiam affert LIPSIVS, [r] qui tamen ut Stoicam diſciplinam cum Chriſtianorum placitis in concordiam redigeret. Platonicorum recentiorum, qui Stoica quoque receperunt, ſuisque attemperaverunt, placita cum Stoicis genuinis ſæpiuscule confundit. Diſtincte hac in re incedendum putamus; & quidem 1. certum eſt, Stoicos non tantum ex Deo ſive anima mundi omnia Diis repleviſſe, ſed originem quoque & ortum eorum inde derivaviſſe, PLVTARCHI [s] teſtimonio conſtat, qui, *Chryſippum*, ſcribit, *& Cleanthem ſuis dictis cœlum, terras, aërem, mare Diis repleviſſe, nullumque horum ab interitu liberum aut ſempiternum ſtatuiſſe, ſolo Iove excepto, in quem reliquos omnes conſumi putant.* 2. Diſtinguebant tamen Stoici inter Deos hos, & primarios eſſe divinitatis partes in ſole atque ſideribus reſidentes ſtatuebant, quibus ſcilicet rationem & mentem ineſſe ex conſtanti curſu, cum aliis quoque ſectis concludebant: & in his ſoli principatum aſſignabant. Hinc cœleſtia omnia, quæ moventur, in Deorum numero habenda eſſe cenſebant. [f] Non quod ipſa corpora hæc Deos eſſe putarent, ſed quod animas divinas in iis eſſe, ſtatuerent, eſſe enim dæmonas θείας ψυχικὰς, *ſubſtantias animatas*, docebant. [ff] 3. Præter hos, minores etiam dæmonas, ſive heroas ſtatuiſſe, animas nempe a corpore ſeparatas, bonos ſi bonæ, malos ſi malæ, idem PLVTARCHVS [t] aſſerit, in quo tamen non conveniſſe inter ſe Stoicos, quæ de varia ipſorum, circa animarum poſt mortem ſententia dicentur, docebunt. Illud CICERONIS [u] teſtimonio conſtat, placuiſſe plurimis, *homines illuſtres, quorum animi remanerent, atque æternitate fruerentur, Deos rite habitos eſſe, quum & optimi eſſent, & æterni*, modo hoc a Stoicis dictum non ſit, ad conciliandam, quod ſolebant, religionem vulgi cum decretis porticus. 4. Præter cœleſtes vero iſtos Deos, ineſſe quoque reliquis mundi partibus divinitatis radios partesque, & ex ipſa mundi anima ſequitur, & multis Stoicorum effatis conſtat, & peculiari libello expoſuit PHVRNVTVS. Nec hæc vero a quopiam negantur; ſed de eo quæritur, an has divinitatis partes, quas mundi partibus inſidere credebant Stoici, Deos peculiares fecerint, vel, an poëtarum tantum Deos φυσικῶς explicantes, philoſophicam iis virtutis divinæ in iis latentis ſignificationem dederint, ſubſtantias vero anima conſilii virtutisque capace conſtantes eſſe negaverint? Ita quidem

q) *De C. D. l. VII. c. 6.*
r) *Lib. I. diſſ. XVIII. XIX. XX. p. m. 93. ſeqq.*
s) *De Stoicorum repugnant. T. III. p. m. 29. ſeq.* conf. CVDWORTH. *c. 4. §. 25. p. 506.*
f) Prolixe CICERO *l. II. de nat. Deor.* conf. LACTANT. *l. II. c. 5.*
ff) PLVT. *de plac. philoſ. l. I. c. 8.* *t*) *l. c.*
u) *De nat. deor. l. II. c. 24.* conf. LAERT. *l. VII. ſ. 151.*

dem celeberrimus MOSHEMIVS, [v] qui præter naturas in ſtellis latentes & magnorum virorum animos nullis aliis numinibus Stoicorum familiam ſerviviſſe putant. Nobis altera ſententia vero videtur ſimilior, & Stoicorum placitis conformior. Non provocabimus ad SALLVSTIVM, qui præter ſupermundanos Deos, mundanos, mundum conſtituentes inducit, eum enim Stoica Platonicis adulteraſſe facile largimur, ſed Cleanthem & Chryſippum teſtamur, quos non cœlum tantum, ſed & terras, aërem & mare Diis repleviſſe ex PLVTARCHO [w] monuimus, & SENECAM [x] teſtem laudamus, licet de veritate placitorum ſectæ ſuæ, ut ſolet, fluctuantem, qui diſerte *majores*, ait, *Stoicos homines, unicuique noſtrum, pædagogum dediſſe Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ, ex eorum numero, quos Ovidius ait de plebe Deos: Singulis enim & genium & Iunonem dediſſe.* Probabimusque ſequenti theſi hos Deos minores, Stoicos rerum omnium in terra exiſtentium gubernationi præfeciſſe, hisque ſacrificiorum reliquique cultus divini rationem ſuperſtruxiſſe. Quæ, niſi cæcutimus, neceſſario evincunt, Stoicos præter Deos in ſideribus habitantes alios quoque Deos ſive dæmonas in elementis, præter cœlum reliquis, reſidentes ſtatuiſſe, non virtutis tantum per omnia fuſæ particulas, ſed ſubſtantias divinæ naturæ, *ἀνθρώπων συμπάθειαν ἔχοντας, hominum quæ affectibus tangantur*, ut ait LAERTIVS, [y] adeoque ſacrificiis placari queant. Nec aliud patitur reſolutio totius mundi, qua omnes Dii in Iovem redibunt & conflabuntur: fit vero illud non quoad cœlum tantum, ſed & reliquas partes mundi, quibus ita Deos hos ineſſe oportet, ſi in Iovem reducendi ſint.

XXIII. Datus vero ſingulis non tantum hominibus genius atque Iuno, [z] factorumque dictorumque obſervator & cuſtos, qui præſidet, dirigit, ſanctequeque reverendus eſt: ſed & omnibus mundi partibus dæmones gubernatores & præſides præfecti ſunt. [a] Nec aliud ſunt magna numina, Iupiter, Iuno, Vulcanus, Neptunus, Ceres, quam divinitatis partes in aëre, aqua, igne, terra &c. reſidentes. [b] Multa hac de re differunt Stoici, & imprimis cuſtodem, geniumque præſidem, partem DEI, cuilibet datum valde commendant; varie tamen de eo loqvuntur, & interdum quidem, ut peculiarem ſubſtantiam intelligentem ab homine diverſam innuere videantur, ſæpe tamen, ut mentem hominis ipſam, quæ & ipſa pars Dei eſt, intellexiſſe videantur. Nec hoc in Stoicis mirum eſt, qui dum cum vulgo interdum loqvuntur, ſectæ principia tantum non deſerunt. Accedit, quod nec ipſi ſatis noverint, quid de geniis naturisque Deo cognatis ſtatuendum ſit. Clare hoc confeſſus eſt SENECA: [c] *Multa cognata numini ſummo & vicinam ſortita potentiam, obſcura ſunt. Aut fortaſſe, quod magis mireris, oculos noſtros & implent & effugiunt. Sive illis*

v) Ad CVDWORTH. *ſyſt. intell. c. IV. §. 25. p. 508.*
w) *De Stoicor. repugnantiis l. c.*
x) *Epiſt. 110.* y) *ſ. 151.*
z) SENEC. *ep. 110.* PLIN. *l. II. c. 7.* ARRIAN. *l. I. diſſ. 14.*
a) Conf. LIPSIVS *l. c. diſſ. XIX. 20.*
b) LAERT. *l. VII. ſ. 147.* MENAG. *h. l.* PHVRNVTVS *l. c.*
c) *Qq. nat. l. VII. c. 31.*

tanta ſubtilitas eſt, quantum conſequi humana acies non poſſit, ſive in ſanctiore ſeceſſu majeſtas tanta delituit, & regnum ſuum, id eſt, ſe, regit, nec ulli aditum dat, niſi animo. Inde modeſtiam & verecundiam commendat, cum de ſideribus, de ſtellis, de natura deorum diſputatur.

XXIV. Quoniam Dii hi ex Dei anima effluxerunt, inque mundi partibus habitant, neceſſario ſequitur, mundo per conflagrationem univerſalem reſoluto, Deos quoque in unum Iovem confuſum, & in antiqua elementa verſum iri.[d] Et hoc quoque plerique Stoicorum, Antipatro Tarſenſi diſſentiente, qui hanc aliis quoque ex Stoicorum grege adſcribit, quorum tamen plerique cum Chryſippo, principiis ſuis convenienter: excepto igni nullum Deum interitu vacare, ſed cæteros omnes æque natos & obituros dixere. Non tamen ignis divini partes pereunt, ſed tantum Dii ex iis exiſtentes & facti, radiis Iovis in ipſum, tanquam in ſolem, retractis.

XXV. Etſi vero Deus provida univerſi cura tangitur, & pro conditione atque natura totius, tanquam anima ejus illud agitat, *non poteſt tamen, licet bonus ſit, & bona velit, quicquid fit in mundo, bonum omne evenire, quia Deum multis in rebus tractanda deſtituunt; & a magno artifice formantur prava multa, non quia ceſſat ars, ſed quia id, in quo exercetur, materia inobſequens arti eſt.* Nobilis hæc eſt quæſtio, quæ toties maxima ingenia in anguſtias redegit, unde mala oriantur? Malum vero cum vel naturale vel morale ſit, hac quidem theſi SENECA,[e] cujus verba dedimus, phyſici mali cauſam aperuit. Nec aliter alio loco:[f] *non poteſt artifex mutare materiam, hæc paſſa eſt.* Hinc quæcunque mali naturalis veniunt nomine, Stoicis conſequentia fati, ita ex materiæ conditione diſponentis, ſunt. Multis tamen magnisque anguſtiis & difficultatibus hic ſe implicatos ſenſerunt Stoici, valde ea de cauſſa preſſi a CICERONE & PLVTARCHO.[ff] Ille recte opponit: *dicere ipſos* Stoicos, *nihil eſſe, quod Deus efficere non poſſit, & quidem ſine labore ullo; Deorum enim numine moveri omnia poſſe: materiam vero rerum totam eſſe flexilem & commutabilem, ut nihil ſit, quod non ex ea, quamvis ſubito fingi convertique poſſit. Ejus autem univerſæ rectricem & moderatricem eſſe divinam providentiam, hanc igitur, quocunque ſe moveat, efficere poſſe, quicquid velit. Itaque aut neſcire, quid poſſit, aut negligere res humanas, aut quid ſit optimum, non poſſe judicare.* Hic Stoicos reprehendit, quod mala a Deo neceſſaria conſequentia derivent: non enim materiam ex ſe malum ſubminiſtrare, cum expers ſit qualitatum, & quascunque recipiat differentias, eas vero ab illo habeat, qui eam movet & format. Si vero illam ratio inſita format, quæ alioquin ſe nec movere, nec formare poſſet, neceſſe eſſe, malum, ſi nullam cauſam habeat, ex nihilo, ſi vero a principio movente

d) PLVT. *de rep. Stoic. T. III. p. m. 29.* SENECA *ep. 9. Conſ. ad Marc. c. ult.* add. LIPS. *l. II. diſſ. XXII. p. 255.* THOMAS. *diſſ. VII. p. 75.*

e) *Præf. Q q. natural.*

f) *De providentia c. 5.* conf. LIPSIVS *l. II. diſſ. II. p. 133. l. I. diſſ. XIV. p. 75.*

ff) Vtriusque locum docte illuſtrat cel. WOLF. *de Manichæiſmo ante Manichæos §. XXXVII. p. 153. ſeq.* Plutarchi etiam THOMASIVS *diſſ. XII. p. 162. ſeqq.* conf. CVDWORTHVS *c. IV. §. 13. p. 231.*

vente exiſtat, a Deo profectum eſſe. Vterque Stoicos abſurdi convincit; ſequi enim, recte concludunt, aut Deum mali cauſam eſſe, aut eſſe id ex nihilo, quorum utrumque Stoicis principiis repugnat, cum non negent, materiam obſequentem eſſe & parare promtam. Nec habent Stoici, quo ex hoc labyrintho evadant, niſi ut ad fatum provocent, & cohærentias quasdam univerſi, in quas nec Deus aliquid poteſt. Ita Chryſippus de cauſis morborum, an ex providentia? apud GELLIVM [g] reſpondet: *Non fuiſſe hoc naturæ conſilium, nec conveniſſe auctori naturæ parentique rerum omnium bonarum. Sed cum multa atque magna gigneret, pareretque aptiſſima & utiliſſima, alia quoque ſimul agnata eſſe incommoda, iis ipſis, quæ faciebat, cohærentia, non per naturam, ſed per ſequelas quasdam neceſſarias facta.* Ita vero iterum vineta ſua cædunt Stoici. Fati enim illius, quod accuſant, neceſſitas, nonniſi in toto, quod Deo & materia conſtat, quærenda eſt, adeoque, cum nihil aliud ſit quam neceſſaria conſequentia eorum, quæ ex natura univerſi eveniunt, vel in Deo, vel in materia, vel in utroque quærenda eſt mali naturalis origo. Ex quibus luculenter patet, non potuiſſe non Stoicos mali originem in materia quærere, licet id, præter rationem neget P. BAYLE, recte ideo notatus a ven. WOLFIO, [h] licet hoc ipſo ſyſtemati ſuo contradixerint. Quod nos minime miramur, memores Zenonem ſyſtema ſuum ex diverſis aliorum principiis conflaſſe, & Platonica ex Heracliticis emendare voluiſſe, vel potius gryphes jungere equis conatum fuiſſe, quo plerumque contradictionum fons eſſe ſolet. Ceterum quo nomine malum inſigniverint Stoici, erudite ediſſerit WOLFIVS, [i] qui videndus.

XXVI. Quanquam vero ita ſit, ut ratione quadam principali neceſſario coacta atque connexa fato ſint omnia, ingenia tamen ipſa mentium noſtrarum perinde fato ſunt obnoxia, ut proprietas eorum eſt & qualitas. Nam ſi ſint per naturam primitus ſalubriter utiliterque facta, omnem illam vim, quæ extrinſecus ingruit, inoffenſius tractabiliusque tramittunt. Sin vero ſunt aſpera, & inſcita, & rudia, nullisque artium bonarum adminiculis ſuffulta, etiamſi parvo, ſive nullo fatalis incommodi conflictu urgeantur; ſua tamen ſcævitate, & voluntario impetu in aſſidua delicta & errores ruunt. Ita omnium luculentiſſime Chryſippus apud GELLIVM [k] moralis mali cauſam exponit, qui etiam homines illos non audiendos eſſe monet, qui aut ignavi, aut nocentes & audaces, cum in culpa & maleficio revicti ſunt, ad fati neceſſitatem perfugiunt. Verum recte Chryſippo objecit PLVTARCHVS, [l] nullam eſſe intemperantiam, nullam fraudem, cujus non ſit Iupiter architectus. Cum enim ingenia iſta ſcæva, naturam ſuam & qualitatem aſperam & inſcitam non a ſe habeant, ſed a cauſa prima & movente, quæ qualitates induxit materiæ, impetus quoque ille voluntarius, ut vocat Chryſippus, quem a natura ſua habent, ab ea quoque ortum

g) N. Att. l. VI. c. 1. conf. THOMAS. *l. c. diſſ. XIII. §. 18. ſeqq. p. 170. ſeqq.*
h) l. c.
i) l. c. §. XXXVIII. p. 158. ſeqq.
k) Lib. IV. c. 2.
l) loc. cit.

ortum habere debet. Vidit hoc LIPSIVS [l] per naturam ſive Deum, quæ prima cauſa eſt, homines alios aliter factos, ideoque ad bona aut mala inclinare; putat tamen juvare diſtinctionem Chryſippi inter cauſas perfectas & principales, atque adjuvantes & proximas, quam CICERO [m] affert: ſcilicet cauſas illas primas & inſitas temperari aut flecti leviter a voluntate poſſe, quæ inter proximas juvantesque cenſeatur. Verum non vidit vir acutiſſimus, voluntatem quoque nihil habere, quod non a movente prima cauſa acceperit, adeoque ejus libertatem proprie nullam eſſe, licet eam magnifice deprædicent Stoici. [n] Etſi enim animus a cauſa externa, nempe quæ extra mundum eſt, non cogatur, vel impediatur, ipſe tamen ſibi natura ſua, neceſſitas eſt, quæ cum naturæ univerſæ catena indiſſolubili nexu cohæret, nec aliter agere poteſt, quam fatum, legesque univerſi & complicatus cauſarum & eventuum nexus & ordo permittunt. Quæ omnia, ſi cum reliquis phyſiologiæ Stoicæ aſſertionibus comparentur, luculenter Stoicos convincunt, mali eos moralis cauſam in Deo aſſertis ſuis poſuiſſe, licet verbis alia longe docuerint.

Atheiſmus Stoicorum.

§. VIII. Prima hæc & potior phyſiologiæ Stoicæ pars eſt, quæ principium potiſſimum agens & efficiens, ſive Deum, rerum omnium auctorem & conditorem nobis exhibuit, quæque theologia Stoica dici recte poteſt. Ex dictis jam de atheiſmo ſectæ Stoicæ judicari debet, ad quam quæſtionem diverſimode reſponderunt, qui de atheiſmo veterum philoſophorum diſputarunt. Magnum eorum numerum, cum qui impietatis eos accuſarunt, tum qui pie & ſobrie de Deo eos ſtatuiſſe contenderunt, recitat ven. IAC. FRID. REIMMANNVS, [o] quibus, ſi id ageremus, plures poſſent ſine magno labore adjici. Nec rationes utriusque partis examinabimus, id quod in peculiari tractatione de atheiſmo veterum debet fieri; ſed id tantum monemus, dari tertiam de atheiſmo Stoicorum ſententiam, quæ inter apertos quidem Numinis hoſtes eos non refert, talia vero eos aſſeruiſſe ſtatuit, quæ veram Dei notionem evertunt, & facilem ad negandam omnem divinitatem viam aperiunt. Quam ſententiam poſt CVDWORTHVM, [p] ſecutus eſt præſtantiſſimus MOSHEMIVS. [q] Nec, ab ea nos alienos non eſſe diffitemur, rationibus ſupra de theologia Stoica adductis id evincentibus, ſtatuiſſe quidem Stoicos, eſſe Deum, & de eo quoque magnifice paſſim & elegantiſſime fuiſſe locutos; præſertim ſi extra ſyſtematis nexum verba eorum audiantur & intelligantur: ita vero totam de divinis doctrinam phyſiologiæ ſuæ intertexuiſſe, ut non pejus forte de Deo potuerint differere. Talis enim Stoicorum Deus eſt, qui deterior hocque nomine indignior eſſe nequit. Nam 1. pars mundi eſt, totumque tanquam pars informans cum materia conſtituit; 2. materiam æternam ſibi habet eſſentialiter adjunctam; 3. neceſſitatis

l) *Diſſ. XIV. p. 71.*
m) *De fato.*
n) Epict. apud ARRIAN. *l. I. diſſ. I.* conf. GATAKER, *ad Anton. II. 9.* HVET. *Q. Alnet. l. II. c. 10.*
o) *Hiſt. atheiſmi c. XXVIII. p. 190. ſeqq.*
p) *Syſt. intellect. c. IV. §. 25. p. 502. ſeqq.*
q) *Ad h. l. p. 507.*

tatis fatalis & ineluctabilis ex totius natura oriundæ legibus subjectus ita est, ut agere aliter nequeat, quam fata disposuere; 4. naturæ est corporeæ, ignisque non quidem elementaris, corporeus tamen & æthereus, adeoque 5. spatiosa extensione per totum mundum dispersus est; 6. res omnes necessaria essentiæ suæ agitatione non movet tantum & format, sed & ceu forma rerum ita essentiali vinculo illis connexus est, ut separari nunquam ab iis queat. 7. Ante mundi creationem sive productionem, quæ per æternas periodos repetitur, inclusus materiæ, tandem interna agitatione materiam tantum necessaria expandit fati lege, eandemque in sinum suum reducit; adeoque 8. non emanative tantum, sed & formaliter est τὸ πᾶν, sive rerum universitas, natura, totum, mundus. 9. Formas, qualitates, rationes seminales, & essentias rerum omnes formaliter in se habet, & ita formas & qualitates materiæ imprimendo, se ipsum rebus imprimit omnibus. 10. Providere mundo non aliter potest, quam æternæ fati leges postulant; 11. nec agere potest, quicquid vult, sed materiæ inobsequentis renitentia impeditur. 12. Non dæmones tantum omnes, sed animum quoque humanum tanquam partes & membra comprehendit. 13. Malum vel ipse in materiam, agendi vi destitutam induxit, vel certe illud impedire non potuit. 14. Nec alia quoque boni malique præmia & pœnas dispertiri potest, quam quæ bonum & malum necessaria causarum & eventuum consecutione per se sequuntur. Iudicem jam constituimus lectorem, a partium studio alienum, reique intelligentem, annon, qui Deum talem ponit, eumque vi systematis sui ita enervat, parum melior judicandus sit eo, qui aperte Deum negat? & annon Stoici indirecti ejus numinis hostes censendi sint, quem tantis laudibus efferunt? etsi apertam impietatem non fuerint professi. Cuncta enim eo redeunt, Deum esse ignem subtilissimum naturæ sive mundi, omnia penetrantem & vivificantem, qualis Deus ab orthodoxa notione numinis immensum distat. Aliud tamen persvadere nobis voluit V. cl. IO. CHRISTOPHORVS BVRGMANNVS, [r] qui id sibi negotii datum esse credidit, ut Stoam a Spinozismo & atheismo exculparet. Rationes quibus se ad juvandam Stoicorum theologiam accinxit, hæ sunt: 1. Constantissime docere Stoicos, esse Deum, & insanos habere eos, qui negare hanc veritatem audeant, maximam quoque partem religionis ponere in cultu Dei. 2. Docere eos, Deum esse æternam, rationalem a materia mundoque distinctam substantiam, intellectu, prudentia & potentia instructam, qui ignis artificialis dicatur sensu improprio & metaphorico, more Chaldæorum & Democriti. 3. Opponi Deum natura sua materiæ quæ sine qualitatibus fuerit, donec Deus eam ornaret. 4. Distingui etiam a mundo, hunc enim perire, Deum esse æternum. 5. Esse quidem mundi animam, qui ideo Deus sensu dicatur improprio, non tamen unam cum mundo

r) Differt. *de Stoa a Spinozismo & atheismo exculpanda.* Mireris b. Spenerum ab eo Spinozismi accusari, qui Stoicos exculpare aggreditur.

do ſubſtantiam eſſe, ut vult Spinoza, ſed differre natura ſua a materia, quam inhabitat. Poteramus totam hanc diſputationem, quam erudite auctor urget, ita concedere, ut nec athei proprie dicti, nec Spinozæ anteceſſores Stoici dicantur. Intereſſe enim haud uno nomine diſcrimen inter Stoicorum & Spinozæ ſyſtema utriusque comparatio facile evincit, & Deum ſibi formaſſe Stoicos atque a materia diſtinxiſſe, ex ſupra dictis eſt manifeſtum. Quia vero hæc non ſufficiunt, ad orthodoxiam Stoicorum aſſerendam, paucis, & quantum inſtitutum noſtrum patitur, monemus; non extra ſyſtematis connexionem de Deo Stoicorum judicandum eſſe, ſed totam ſeriem decretorum Stoicorum eſſe conjungendam. Quod ubi fit, impoſſibile putamus, Stoicos hac in parte exculpare. Ea enim, quæ ſupra attulimus, ita comparata ſunt, ut naturam DEI prorſus evertant, nec poteſt is Deus dici, qui ita univerſo ſacro quodam nodo implicatur, ut nihil poſſit, niſi quod neceſſitas, ejus, cujus pars eſt, poſtulat. Non negant, fatemur, Stoici Deum, ſed tanquam partem univerſi formalem & eſſentialem, vel, quod idem eſt, mundi animam informantem: nec negat Spinoza Deum, nec attributa ejus, ſed unam ſibi ſubſtantiam, uti Stoici, unum totum, comminiſcitur. Agnoſcunt Stoici in Deo rationem æternam, ſed nec liberam, nec intellectualem, verum neceſſariam ſequelam cauſarum & effectuum, ignis ſubtiliſſimi, ex natura totius oriundam, quæ a libera ratione DEI longiſſime diſtat, nec melioris commatis eſt, quam cogitatio, quam Spinoza Deo ſuo tribuit. Idem de æternitate judicium eſto, cum nec Spinoza Deum ſuum æternum eſſe neget. Qui & ipſe dum oppoſitas modificationes cogitationem & extenſionem in una ſubſtantia ponit, non minus diverſiſſima coire coëgit, quam Stoici, Deum & materiam coire in unum totum cogentes. Ignem vero proprie dictum Deum Stoicis viſum eſſe, teſtimonia veterum ſupra adducta evincunt. Ex his vero patet, Deum ceu animam mundi, non aſſiſtentem, ſed informantem mundi cauſam, & non partem tantum eſſentiæ, ſed formam eſſe, quæ ſententia ab impietate proxime abeſt. Nam & SPINOZA [s] dixit: Deum rerum omnium cauſam immanentem, ut ajunt, non vero tranſeuntem eſſe, & moveri omnia in eo: quæ Στοικώτατα ſunt, ſed impia plane. Etſi vero non negamus, Stoicos non unam quidem ſubſtantiam, ut Spinozam conſtituiſſe, Deumque & materiam in ſolis modificationibus poſuiſſe; certum tamen eſt, exque ſupra adductis liquidum, totum unum, naturam unam, ex cauſa rationali & agente atque ex patiente compoſitam Deum & materiam eos feciſſe, quæ eſſentialiter inter ſe juncta ſint, & ſine deſtructione ſua ſeparari nequeant. Cuncta enim ex Iove, in Iove & ad Iovem eſſe, ex germano Stoicorum decreto dixit ANTONINVS. [f]

Materia ejusque affectiones.

§. IX. Vt vero porro, quid de altero principio, materia Stoici dixerint, quaque ratione ex ea a cauſa agente & rationali omnia producta fuiſſe docuerint, manifeſtum faciamus, ad phyſiologiam Stoicam, a qua

s) *Epiſt. 21.* f) *Lib. IV. §. 23.*

a qua paulisper digressi sumus, redeundum est. Ita vero porro decreverunt:

XXVII. Prima rerum omnium, qualitatibus indutarum essentia sive natura, est materia prima. Est vero materia, ex qua unumquodque fit, & vocatur essentia atque materia; essentia, quatenus in universis est, & generaliter spectatur; materia, quatenus in singulis considerari potest.

XXVIII. Materia in universum, & generaliter spectata æterna est tota, ac neque crescit, neque decrescit. Trigam hanc positionum Stoicarum ex Chrysippo affert LAERTIVS: [ff] nec aliter rationes inire poterant Stoici, qui cum aliis philosophis sine restrictione fatebantur: ex nihilo nihil fieri, indeque æternum subjectum, in quod causa efficiens ageret, postulaverunt. [t] Videtur quidem quodam loco dubitare SENECA, an materia æterna sit, vel Deus ipsam formet: verum non ex sectæ suæ sententia loquitur, sed quæstiones philosophicas in naturalibus enodandas proponit; inter quas non exigui momenti ea fuit: an Deus materiam ex sinu suo educat, vel an ea tantum data & subjecta utatur, sicque an formas, quibus materiam ornavit, tantum in adjacens subjectum inducat, vel ex se ipso quasi effundat. Frustra itaque sunt, qui ex hoc Senecæ loco constare arbitrantur, creationem ex nihilo, inter problemata Stoicorum a Seneca relatam esse. Certe, quæcunque etiam Senecæ mens fuit, de qua docte disputat MOSHEMIVS, [v] Stoicorum principia, æternam Deo adjungentia materiam, & necessarium causæ efficienti, subjectum postulantia, creationem ex nihilo rejiciunt.

XXIX. Materia tamen singulorum incrementi & decrementi est capax, neque enim semper manet eadem, verum separatur & miscetur, ita ut partes ejus diffluant separatione, mistæ vero conjunctione augeantur.[w] Exemplum esse potest conflagratio mundi, ubi quidem singulorum materia conflatur, universalis tamen in Iove manet eadem.

XXX. Est vero materia non stabilis, sed semper in mutatione versatur: omnia enim rapiuntur, fluminum more, quicquid videmus, currit cum tempore; nihil ex his, quæ videmus, manet. [x] Ipsa tamen materiæ essentia non mutatur, vel perit, nihilque eorum, quæ ab oculis abeunt, & in rerum naturam, ex qua prodierunt, ac mox processura sunt, reconduntur, consumitur: desinunt enim ista non pereunt. [y] Ab Heraclito hanc doctrinam Stoicos accepisse non diffitetur SENECA. [z]

XXXI. Materia vero non infinita est, sed finita, mundi enim terminis circumscribitur: patique quoque & cogi potest ad omnia, si enim immutabilis esset, nihil ex ea fieri posset. Hinc dividi in infinitum posse con-

ff) Lib. VII. s. 150.

t) ANTONIN. *l. IV. §. 4.* SENECA *ep. 36.* conf. LIPSIVS *l. II. diss. II. p. 132. seqq.* & quæ diximus *Amœnit. literar. T. VIII. p. 306.*

u) Præf Q q. nat.

v) Differt. *de creatione ex nihilo,* inserta CVDWORTHO *Syst. intell.*

w) LAERT. *l. c.* STOBAEVS *ecl. physic. c. 14.*

x) SENECA *ep. 58.* ANTONIN. *l. II. §. 17. l. V. §. 35.* conf. GATAKER. *ad Ant. II. 17. p. m. 76. Hist. de ideis sect. I. §. 8. p. 127. Amœn. liter. T. VIII. pag. 314.*

y) SENECA *ep. 38.*

z) IDEM *ep. 58.*

ſequitur, ipſa tamen, docente Chryſippo, infinita non eſt; nihil enim, quod diviſionem admittit, infinitum eſſe poteſt, materia vero continua eſt. [a] Oppoſitam eſſe hanc aſſertionem Epicureis, qui individua corpuſcula poſuere, cum Stoicis placeat, nihil in natura rerum minimum eſſe, quod dividi non queat, ut ait CICERO, [b] ex oppoſitione clarum eſt.

XXXII. Ex materia, rebusque, quæ ex ea fiunt, atque ex ratione mundi, quæ tanquam ſemen, ut viſum Zenoni, [c] per eam diſcurrit, conſiſtit mundus. Qua tamen voce, Deus quoque, interdum etiam cœlum intelligitur. [d]

XXXIII. Diſcrimen tamen eſt inter univerſum & mundum, univerſum enim eſt infinitum, adjuncto vacuo: totus vero mundus ſeorſim a vacuo exiſtit, & ab eo circumdatur, forma globi, vel turbinis, vel ovi, cujus centrum terra eſt. [e] Vacuum itaque Stoici admittebant, verum non in mundo, ut diſerte PLVTARCHVS, ſed extra mundum. [f] Nec locum habere poſſe conflagrationem mundi putaret, niſi vacuum iſtud infinitum ſtatuatur, tunc enim mundus in Iovem contrahitur, & reſolvitur, quod ſine vacuo fieri nequit. [ff] Hoc vacuo tanquam limitibus cum mundus adeoque Deus etiam definiatur, ratio inde deſumenda eſt, cur prima principia Deum & materiam fecerint finita.

XXXIV. Mundum vero ex materia ita condidit juxta Zenonem: Ab initio cum nihil eſſet, præter Deum & materiam, Deus omnem eſſentiam, quæ igneæ fuit naturæ, in aërem primo, inde in aquam convertit, utque planta ſemen continetur, ita Deus, qui mundi ratio eſt prolifica, hujusmodi ſemen in humore depoſuit, quod facilem rerum producendarum præberet materiam. Pars vero ejus naturæ ſubſidens in terram coaluit, pars, aqueam retinuit naturam; pars exhalans in aërem abiit, ex cujus exhalatione ignis emicuit. Ita quatuor elementorum generationem a Zenone explicatam deſcribit LAERTIVS. [g] Paulo aliter Cleanthes apud STOBAEVM, [h] ita tamen, ut in fundamento cum Zenone conveniat: Ex uno fieri omnia, & redire in unum, revolutione æquali & perpetua. Vniverſa natura igne accenſa, partem ejus mediam primum ſubſediſſe, tum proximas illi partes ſenſim ſenſimque extinctas fuiſſe. Madefacto autem univerſo, ignem extremum, renitente medio, rurſum in contraria ferri, & univerſi conſtitutionem ordiri, atque hunc univerſi conſtitutionis circulum nunquam deſinere. Mundi hæc eſt creatio Stoica, quam ſummo Deo tribue-

a) LAERT. *l. VII. ſ. 150.* poſtulat hoc vacuum mundum determinans, conf. LIPS. *p. 137.* Ceterum apud LAERT. *l. c.* materia ἀπαθητὴ dicitur, quod vel ſcriptum perperam, & cum Stephano & Caſaubono mutandum eſt in ἀπαθητὴ vel ἐμπαθητὴ, vel intelligendum tantum de mutatione eſſentiæ, quatenus materia univerſaliter conſiderata principium eſt.

b) *Acad. Qq. l. I.* conf. PLVT. *de Stoic. repugnantiis.*

c) STOBAEVS *eclog. phyſ. c. 14.*

d) LAERT. *ſ. 138.* & laudati LIPSIO *l. I. diſſ. V. p. 25. l. II. diſſ. VI. p. 154. Otio Vindel. Mel. II. §. 5. pag. 145.*

e) PLVT. *de plac. l. II. c. 1. 2.*

f) *ib. l. I. c. 18.*

ff) Inde Poſidonius apud PLVT. *l. c. l. II. c. 9.* vacuo non majus ſpatium tribuit, quam quod ſufficere mundo poſſit in illud reſolvendo.

g) *ſ. 141. 142.*

h) *l. c. c. 20.*

tribuebant, nempe igni artificiali, ita tamen, ut etiam Diis minoribus, qui in Iove comprehenduntur, & in mundi creatione explicantur, aliquod opus ſit. Cum enim ignis ille divinus non omnia ſimul feciſſet, ſed, tradente ex Stoicis LAERTIO, [i] in ſummo loco, quem æthera appellant, conſtitiſſet, ibi primum immobilium aſtrorum orbis natus eſt, deinde errantium, & poſt hunc demum aër, aqua, & extremum ſubſidens terra. Dii itaque in aſtris reſidentes, ſive ignis divinus qui in eos defluxit, ad elementorum formationem ſe accinxerunt, tendente igne divino, cujus partes ſunt, ad medium ſive centrum unde eruperat, ut ita per totam materiam ſe diffundat. Ex his intelligi poſſunt loca CICERONIS & SENECAE, [k] quæ Deos in partem conditi mundi vocant, quibus lucem erudite affudit MOSHEMIVS. [l]

XXXV. Animal eſt mundus, ſenſus, mentis, rationis compos, atque naturam animatam ſenſu præditam habet. Vt enim anima noſtra inde avulſa in corpore habitat, ita mens & providentia per omnes ejus partes pertingit, & pars ejus princeps æther eſt, vel cœlum, vel, ut Cleanthi viſum, ſol. In eo enim diſſentiebant Stoici, quæ illa principalis pars eſſet, quorum varias ea de re opiniones refert, LAERTIVS. [ll]

XXXVI. Quatuor ſunt elementa præter materiam qualitate non veſtitam, ignis, aqua, aër, terra; ignis calidus eſt, aqua humida, aër frigidus, terra arida. Quin etiam in aëre eadem pars eſt: ſummo in loco ignis exiſtit, qui æther appellatur, in quo generatur prima inerrantium ſtellarum ſphæra. Proximo loco aër eſt, tum aqua ſubſiſtit. Baſis omnium terra eſt, in medio eorum conſtituta. [m]

XXXVII. Elementorum duo ſunt levia, aër & ignis, gravia duo, terra & aqua, quæ ad centrum, proprie loquendo tendunt, ipſum tamen centrum, grave haut eſt. [n]

XXXVIII. Omnium elementorum alterni recurſus ſunt: quicquid alteri perit, in alterum tranſit, aër in ignem, ſed non ſine igne eſt; tranſit aër in humorem, ſed nihilominus non ſine humore eſt: & aëra & aquam facit terra, ſed non magis unquam ſine aqua eſt, quam ſine aëre: omnia enim ſunt in omnibus. Ita SENECA, [o] & qui hanc Stoicorum doctrinam verſibus exponunt, OVIDIVS [p] & LVCRETIVS. [q] Eſt tamen hoc diſcrimen juxta Porticum, ut aër & ignis movendi vim habeant, atque efficiendi, reliquæ partes aqua & terra, accipiendi & quaſi patiendi. [r]

XXXIX. Primum elementum ignis eſt, qui in cœlo ſive æthere locum habet. Eſt vero cœlum extrema circumferentia, in quo ſedem habet, quicquid eſt divinum. [s]

i) f. 137.

k) CIC. *de leg. l. I. c. 8.* SENECA *de benef. l. VI. c. 23.*

l) Ad CVDWORTH. *Syſt. int. c. IV. §. 25. p. 512.*

ll) f. 142. CIC. *de nat. Deor. l. II.* LIPS. *l. II. diſſ. VIII. p. 164.* cum cautione tamen legendus. Habuit hoc quoque Zeno a Platone.

m) ib. f. 136. LIPS. *diſſ. XI. p. 186.* BVRNET. *Archæol. phil. l. I. p. 437. ſeqq.*

n) STOB. *ecl. phyſ. c. 17. p. 32.*

o) Nat. Qq. l. III. c. 20.

p) Metamorph. l. XV.

q) Lib. I. v. 781.

r) CIC. *Acad. Qq. l. I.*

s) LAERT. *l. VII. f. 138.*

XL. Sunt autem duæ ignis ſpecies; alia inartificialis eſt ignis, vitæ uſibus reperti; artificialis alia, res omnes augentis & conſervantis, qualis in ſtirpibus & animalibus; nempe calor, ſive ardor quo omnes mundi partes fultæ ſuſtinentur. *f*

XLI. Vltimus ille & altiſſimus, atque undique circumfuſus & extremus omnia cingens atque complexus ardor, qui æther nominatur, Deus ſummus eſt. Qui in extrema quidem cœli circumferentia habitat, ad medium vero totius fertur, & circa ejus ambitum conſiſtit. Probe hoc tenendum eſt, ut de phyſiologia & theologia Stoicorum recte judicari queat. Nam hinc clariſſime patet, Stoicorum Deum non eſſe alium, quam ignem illum arte & perfectione cuncta perficientem, quæ in natura ſunt, ſive ſubtiliſſimam partem materiæ, craſſiori opponendam. Hæc quia leviſſima & agillima totius pars eſt, ſurſum tendit, & ambitum mundi continet, quia vero ad medium mundi, unde exiit, fertur, cuncta quoque permeare, & cuncta movere neceſſe eſt. Et hæc phyſica ratio eorum eſt, quæ ſupra theologice de Deo dicta ſunt. Quæ ita explicata, ut par eſt, utrum tam ſplendida & ſacris Chriſtianorum placitis confinia ſint, ac putant, qui concordiam inter Senecam & Paulum, Zenonem & Petrum meditantur, lector vel mediocriter attentus facillime judicabit.

XLII. Sol puriſſimus ignis eſt, & major terra: ſed & orbiculari figura, juxta cum mundo: Ignis quidem eſt, quoniam omnia, quæ ignis præſtat. Major vero terra, quia omnem eam illuſtrat, & ipſum etiam cœlum. *ff* Ignem vero artificialem, id eſt ratione & intellectu præditum intelligi, ex adducto STOBAEI loco *t* patet, ubi eum ignem, quem τεχνικὸν, φύσιν καὶ ψυχὴν dixerat, naturam aſtrorum conſtituere docet Zeno.

XLIII. Itaque ſol Deorum merito princeps & dux eſt. Naturali hoc ſequitur conſequentiæ neceſſitate ex adductis. Ita tamen, ut fallatur LIPSIVS, " qui PLINIVM Stoice dixiſſe ait: *Solem eſſe totius animam, ac planius mentem, hunc principale naturæ regimen ac numen credere decere:* quamvis non neget quosdam Stoicos ſupremum ætherem: ἡγεμονικὸν, ſive mentem naturæ rectorem dixiſſe. Stoici enim germani ſolem non primam omnium rerum cauſam, quæ omnia fecit, ſed principem inter Deos factos conſtituebant, adeoque inter opera ſummi Dei reponebant. Teſtamur ANTONINVM *v* & EPICTETVM, *w* quorum ille: *Quis ſolem condidit? quis terræ fructus?* hic autem: *Qui ſolem ipſum & fecit & circumagit, parvam ſuorum operum partem, ſi cum univerſo conferatur, is vero non poteſt animadvertere omnia.* Rectiſſime, ſi Stoica principia ſequaris. Nam ſupremus DEVS in extremitate mundi cœlive eſt, quem locum ſoli Stoici non aſſignabant.

XLIV.

f) STOBAEVS *c. 24. p. 57.* Qui φύσιν καὶ ψυχὴν dixiſſe ait. Recte itaque ignem naturæ rationalem dixeris, quod τεχνικὸν πῦρ Zeno vocavit.

ff) LAERT. *f. 144.* LIPS. *diſſ. XII. p. 195.*

t) vid. *not. præced. (f)*

u) *Diſſ. XIII. p. 197.* qui Platonica & Stoica miſcet.

v) *Lib. III. §. 26.*

w) ARRIAN. *l. I. c. 14.*

XLIV. Nobiliſſima puriſſimaque ætheris parte ſidera gignuntur, neque ulla præterea admiſta ſunt natura, totaque ſunt calida atque pellucida, ut ea quoque rectiſſime & animantia eſſe, & ſentire atque intelligere dicantur. Vere & ex mente Stoicorum ita CICERO: [x] nam Poſidonius quoque [y] ſtellas corpora divina eſſe ex igne æthereo compoſita dixit. Ceterum ſenſum atque intelligentiam aſtrorum maxime ex ordine eorum demonſtrabant, atque conſtantia; itemque ex motu, prout concludebant, voluntario; qua de re ratiocinia eorum legi poſſunt apud CICERONEM. [z] Et hæc genuina ratio eſt, cur ſidera inter numina retulerint, de qua re conferenda, quæ §. VI. diximus.

XLV. Cum nullus non paſtu indigeat ignis, ſtellæ quidem terræ, marisque ac fluminum vaporibus paſcuntur. [a] Etiam ad hanc poſitionem Stoicorum attendendum eſt, non tantum ad detrahendam diis eorum larvam, qui vaporibus terræ marisque nutriri opus habent, ſed & ad perſpiciendam cauſam conflagrationis mundi; nam putabant, ubi alimenta hæc plane deficere contingeret, ignis violentia totum hoc univerſum correptum iri. Plura dabit IAC. THOMASIVS. [b]

XLVI. Quia ſidera partes ſunt ignis divini & naturalis ſenſuque & intelligentia gaudent, ideo futura quoque portendunt, nec unius tantum aut alterius rei ſigna dant, ſed ſæpe totum fatorum ſequentium ordinem nuntiant, & quidem decretis evidentibus, longeque clarioribus, quam ſi ſcriberentur. Veriſſime ex mente ſcholæ ſuæ hæc tradit SENECA, [c] cum enim ſummi & divini ætheris nobiliſſima pars ſint ſidera, ille vero fati legibus agit, & diſponit, magnæ quoque hæ partes ejus iisdem non tantum, quas ſcripſerunt legibus, ut ait Seneca, parent, ſed & toti fatorum catenæ ita innexa ſunt, ut ex maxima cauſæ principalis ſecundum fati leges agentis parte, decreta hæc queant intelligi. Non itaque præter mentem ſectæ ſuæ dixit MANILIVS:

- - - conſcia fati
Sidera diverſos hominum variantia caſus.

perperam caſtigatus a LIPSIO. [d] Nam dependent fati caſus a divino igne, Deo, cujus nobiliſſima pars ſunt ſidera.

XLVII. Proprie ſol & luna, ſtellæ (ἀστέρες) dicuntur, ab his autem differunt ſidera, (ἄστρα) quod hæc etiam ſtellæ vocari poſſint, illæ vero non item ſidera. [e]

XLVIII. Stellarum inerrantium circuli ita ſeqvuntur: Saturnus, Iupiter, Mars, Mercurius, Venus, Sol, Luna. Inter quinque priores principatum ducit Venus, quia proximus ſol ei eſt. [f]

XLIX.

x) *Acad. Qq. l. II. c. 15.*
y) Apud STOB. *l. c. p. 54. ſeq.*
z) *De nat. Deor. l. II. c. 15.* LIPS. *diſſ. XIV. p. 201.*
a) Et ſol quidem exhalatione maris, luna fluminum fontiumque, aſtra, terræ, vid. PORPHYR, *de antr. Nymph. p. m. 112.* ed. Rom. LAERT. *l. VII. ſ. 142.*
b) *l. c. diſſ. VI. p. 73.*
c) *Qq. nat. l. II. c. 32.* conf. *ep. 80.*
d) *Diſſ. XIV. p. 210.*
e) STOB. *l. c. p. 55.*
f) CIC. *N. D. l. II. c. 20.*

XLIX. Infimam ætheris partem occupat luna, quæ eſt ſtella intelligens, ſapiens, igneæ naturæ, cui tamen terrena admixta eſt. Poſidonio cum magna Stoicorum parte ex igne & aëre miſta eſt, cui etiam miſtioni maculas lunæ in acceptis ferunt. Terra mole ab ea ſuperatur, perinde ac ab ſole, & communem quoque cum eo ſphæricam figuram habet, motuque ſpirali procedit, qui geminus ei eſt, communis cum mundo ab oriente ad occidentem, & contrarius per ſigna zodiaci. *ff*

L. Poſt lunam aëris orbis ſequitur, inter mare medius atque cœlum, figura rotunda. Hæc Iuno eſt.

LI. Aër dividitur in tres regiones, ſummam, mediam & infimam. Summa pars calidiſſima eſt, & ſicciſſima, & ob hoc etiam tenuiſſima, ob viciniam æternorum ignium. Pars ima & vicina terris denſa & caliginoſa eſt, quippe quæ terrenas exhalationes recipit; media pars temperatior quam utraque, parte altera, frigidior tamen ſiccitate & humiditate.

LII. Ventus aëris eſt fluxio. *g*

LIII. Pluvia nubis eſt in aquam converſio, ubi ex terra marive vi ſolis ſurſum elatus humor penitus non potuit diſſipari. *h*

LIV. Terra mundi pars denſiſſima & fulcrum, ut oſſa ſunt in animalibus, diffuſam circa ſe ex æquo habet aquam. *i* In medio autem terra conſiſtit, eſtque, ut centri poſtulat natura, & una & finita, figura rotunda, quam & aqua habet, ejusdem cum terra centri. *k*

LV. Occulto itinere mare ſubit terras, & palam venit, ſecreto revertitur, colaturque in tranſitu mare, quod per multiplices anfractus terrarum verberatum amaritudinem ponit, & in ſinceras aquas exit. *l*

LVI. Terra immobilis conſiſtit. *ll*

LVII. Vnus mundus eſt; ita Epicureis infinitos mundos ſtatuentibus contradicentes Stoici; hac potiſſimum ratione uſi, quæ ex ſemel admiſſis principiis neceſſario ſequebatur: totum corporeum eo abſolvi, id eſt, univerſam materiam, & quicquid realiter & corporaliter exiſtit, nempe Deum & materiam eo comprehendi. *m*

LVIII. Æternus mundus eſt, ſi pro toto ſumatur, Deum & materiam complectente, qui ab æterno fuit, æternumque durabit. Si vero per mundum intelligatur, quod ornatum & conſtitutionem jam talem habet, peribit mundus, uti ortum accepit. *n* Poſteriori ſignificatione LAERTIVS *o* intelligendus eſt, tradens: Stoicis plerisque placere, corruptibilem mundum eſſe, & eodem modo, quo ſenſibilia omnia, gigni & reſolvi. Partes enim cum corrumpi queant, totum quoque corrumpi poſſe. Poſſe quoque in

ff) LAERT. *ſ. 145.* STOB. *p. 59.* PLVT. *de pl. phil. l. II. c. 25.* & de facie in orbe lunæ *T. III. p. m. 353.* conf. BVRNET. *l. c.*

g) PLVT. *de plac. phil. l. III, c. 7.*

h) LAERT. *l. VII. ſ. 153.*

i) STOB. *l. c. p. 48.*

k) LAERT. *l. VII. ſ. 155.* PLVT. *l. c. c. 9. 10.* LIPS. *diſſ. XVI. p. 219. ſeq.*

l) SENECA *Qq. natur. l. III. c. 4.*

ll) *ib. l. VII. c. 2.* LIPS. *diſſ. XIX. p. 223. ſeq.*

m) LAERT. *l. VII. ſ. 140.*

n) PHILONIS *de mundo incorrupt. p. m. 940.* & DIDYMI apud EVSEB. *præp. l. IV. p. 816.* loca lege apud LIPS. *l. II. diſſ. XX. p. 241.*

o) *Lib. VII. ſ. 141.* THOMAS. *p. 62.*

in deterius mutari mundum, quia ficcitati & inundationi obnoxius eſt, ſicque tandem deleri. Aliter tamen Boëthus & Poſidonius, quibus & Panætius adjicitur, & Diogenes Babylonius, qui mundi conflagrationem impugnant, eum æternum eſſe defendentes.[p]

LIX. Lege vero mundi inundatio & conflagratio non ſecus, quam hiems & æſtas, veniet. Illa quicquid habitatur, obducet, necabitque omne animal, orbe ſubmerſo. Prolixe de hoc mundi diluvio SENECA,[q] qui novam ex hac inundatione terram, extinctis pariter feris, in quarum homines ingenia tranſierant, promittit, ubi novus dabitur homo inſcius ſcelerum & melioribus auſpiciis natus. Qui adeo placet LIPSIO,[r] ut e ſacris literis & eventum & cauſam hauſiſſe putet. Nec ab omni veriſimilitudine abludit, veterem de diluvio traditionem, quæ per omnes fere gentes pervagata eſt, & cujus notitiam imprimis Phœnices habuiſſe videntur, ad Zenonem ex hac gente oriundum, parentum forte traditione, perveniſſe. Cave tamen diluvium Stoicum cum ſacro confundas. Illud enim neceſſaria fati, id eſt cauſarum & eventuum in mundo lege evenit, adeoque per æternas periodos repeti debet : ut hiems neceſſaria tempeſtatis diſpoſitione quotannis revertitur, quæ a diluvio ſacris oraculis memorato longiſſime diſtant.

LX. Altera præter cataclyſmum iſtum mundi deletio fiet ignis combuſtione, ubi totus conflagrabit. Accendetur enim mundus potentia illius ignis, qui in omnibus rebus latitat, quæ longis temporum intervallis humorem conſumens omnem, omnia in ſuam naturam convertet, cuncta conflabuntur in unum, & in Iovem, vel chaos potius priſtinum reducentur. Fiet hæc conflagratio certis & mundi fato ac legibus deſtinatis periodis annorum. Decantatiſſimum hoc de mundi conflagratione Stoicorum dogma eſt, cujus forte excogitandi anſam a veteri traditione, quæ inter barbaros viguit, igne mundum aliquando deletum iri, accepit Zeno, ſed ita ſyſtemati ſuo adaptavit, ut prorſus ab ea diverſa ſit. Quam ut recte intelligamus, 1. obſervandum eſt, neceſſitatis ſive fati lege hanc conflagrationem ex mente Stoicorum evenire. Cum enim natura totius ita connectatur, & catenæ inſtar inter ſe omnia ſequantur, ut a principio ad finem cuncta decurrant, & ab eo in circulo ad initia ſua recurrant, atque in orbem vertantur, neceſſario ejusmodi mundi finis ſtatuendus eſt, quo ignis ille artifex mundi, ſive naturalis, qui ex chao quaſi erumpens rebus omnibus & formam dedit, & illas permeando & vivificando ſuſtentavit, conſumto tandem nutrimento, ſiccitatem inducet & conflagrationem, qua cuncta in unam conflabuntur maſſam, & in priſtinum reducentur chaos, ex quo poſt aliquam quietem ignis ille divinus novum iterum mundum producet, idque æternis viciſſitudinibus repetet. Longum liceret hujus dogmatis teſtium agmen producere,

p) PHILO *de mundo incorr.* CICERO *de N. D. l. III. c. 46.* STOBAEVS *Eccl. phyſ. c. XXIV. p. 44.*

q) *Q q. nat. l. VI. c. 29.*

r) *diſſ. XXI. p. 247.*

cere, nisi otium nobis feciſſet LIPSII[s] & THOMASII[ss] induſtria. Videri tamen poſſunt præter alios ex Stoicorum numero SENECA[t] atque ANTONINVS.[u] Eleganter ex Stoicorum mente OVIDIVS:[v]

Ecce quoque in fatis reminiſcitur, affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptaque regio cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Oppoſitam vero eſſe hanc fatalem & neceſſariam mundi deſtructionem, ut alia quoque phyſiologiæ Stoicæ capita Epicureis, non eſt quod dubitemus. Illis enim non minus, quam Stoicis, placebat, mundos tandem diſſolutum iri, ut infra capite XIV. demonſtrabimus; id vero nulla fati neceſſitate, ſed atomorum, quæ coaluerant temeraria & fortuita reſolutione & diſſipatione fieri docebant.[w] 2. Quia vero certa periodo hæc conflagratio ex fati lege evenire debet, hinc certis tantum temporibus durare mundum, hisque exactis renovari mundi faciem univerſali conflagratione & reſtitutione in prima principia ſtatuebant Stoici. Quam fatalem temporis periodum ut deſignent Stoici, annum magnum varia veterum opinione commendatum & traditum, in partes vocant, & NEMESIO[x] teſte, ſtellas ajunt errantes, cum ad idem & in longitudine & in latitudine ſignum referantur, in quo initio erant, cum primum mundus eſt conditus, certo temporum ambitu conflagrationem & interitum rerum efficere, & de integro mundum eodem reſtitui. Quot vero annis iſte magnus annus & fatalis rerum omnium periodus definiatur, de eo inter Stoicos non convenit, quorum hac de re placita & conjecturas attulit THOMASIVS,[y] qui multa eruditione hunc annum magnum illuſtravit, ipſe pluribus videndus. 3. Cauſam vero ἐκπυρώσεως illius ſupra jam attigimus, conſumtum alimentum, quo ignis per omnia latitans alebatur, unde ſiccitas primo, mox conflagratio exoriri debet.[z] 4. Modum vero, quo illa eveniet, eleganter, more ſuo depinxit SENECA, qui ita ad Marciam:[a] *Cum tempus advenerit, quo ſe renovaturus mundus extinguat, viribus iſta ſuis ſe cædent, & ſidera ſideribus incurrent, & omni flagrante materia, uno igne, quicquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit.* Id momento futurum alio loco[b] non minus pulchre. 5. Dum vero ita omnia ardent, ſolvuntur, conflantur, neceſſario quoque Deos omnes, & in his principes ſtellas & ſidera, occupabit incendium, Diique confundentur in unum ut ait SENECA.[c] Commode alter, tragœdus:[d]

Cœli regio concidet,
Certos atque obitus trahet
Atque omnes pariter Deos
Perdet mors aliqua & chaos.

Alia

s) *Diſſ. XXII. p. 248. ſeqq.*
ss) *Diſſ. XI. p. 160. ſeq.* add. GATAKER. *ad Antonin. V. 21.* IAC. WINDETVS *de vita functorum ſtatu Sect. III. p. m. 64.* alios nominat WOLFIVS ad PSEVDO-ORIG. *phil. p. 146.*
t) *Conſol. ad Marc. c. ult. Q. nat. l. III. c. 27. ep. 9. & 71.* u) *loc. cit.*
v) *Metamorph. l. I. v. 256.*
w) Conf. LACTANTIVS *l. VII. c. 1.* MINVC. FELIX, in *Octavio c. 34. §. 2. p. 127.* qui tamen minus accurate Stoicos & Epicureos jungit.
x) *De natura hom. c. 38.*
y) *Diſſ. V. p. 62. ſeqq.*
z) PHILO *de incorrupt. mundi p. m. 940.*
a) *c. ult.* b) *Q. nat. l. III. c. 27.*
c) *Epiſt. 9.* d) *Herc. Oct. v. 1112.*

Alia Stoicorum teſtimonia adducta a LIPSIO [e] & THOMASIO [f] præterimus; ſatis evidenter enim hæc ex toto phyſiologiæ Stoicæ ſyſtemate fluunt. 6. Vt vero iſta ignis depaſtio omnium quæ ſunt, fieri queat, habeatque ignis, ubi ſe extendat, ideo vacuum infinitum a Stoicis aſſertum eſſe, ſupra jam demonſtravimus. Addimus locum PLVTARCHI, [ff] quia luculentus eſt: *Ignem, Stoici ajunt, ſemen eſſe mundi, & poſt exuſtionem mutare mundum e corpore minore, habentem jam tumoris & amplitudinis multum, & vacui regionem immenſam occupantem, quæ ipſa immenſa facta ſit illo augmento. Rurſumque, cum gignitur mundus, ſenſim abire & collabi magnitudinem; ſubeunte ſcilicet, cum generatio exiſtit, & contrahente ſe in ſe ipſam materie.* 7. In unam ita maſſam conflato toto mundo reſtituitur ſtatus chaoticus, quem Iovis nomine ſignificant Stoici, qui *ita pauliſper acquieſcet ſibi, reſoluto mundo*, ut ait SENECA, [g] *ſuisque cogitationibus intentus quaſi deliteſcet;* quo 8. novus iterum, poſcente ita fati ordine & orbe, *orietur mundus, integer, omne animal*, ut habet SENECA, [h] *ex integro generabitur, dabiturque terris homo inſcius ſcelerum, & melioribus auſpiciis natus.* Verbo cuncta primævam integri mundi naſcentis recuperabunt faciem, *idemque mundi ornatus*, ut ait CICERO, [i] *orietur.* 9. Neque tamen diu durabit illa felicitas, ſed quod ex natura materiæ, quam totam corrigere Deus, ſive ille ignis divinus, non poteſt, neceſſario ſequitur, prior redibit corruptio. *Innocentia*, ut porro SENECA, [k] *non diu durabit, niſi dum novi ſunt homines, cito nequitia ſurrepet.* 10. Cum itaque & tum emendatione opus habebit natura degenerans, redibit conflagratio, ſicque æternis periodorum orbibus orientur & conflagrabunt mundi. [l] 11. Ex qua brevi conflagrationis Stoicæ hiſtoria clarum eſſe putamus, quantum a Chriſtiana diſtet, cum & fatalis ſit ac neceſſaria, & naturalibus atque mechanicis quibusdam legibus conſtet, & æternis periodis repetatur, &, quo minus prior corruptio iterum irrepat, impedire nequeat, [ll] quæ omnia indigna ſunt Deo, qualem, quem hoc in dogmate Stoici fingunt, ridet PHILO, [m] talem monens a Stoicis induci Deum, qui ſimilis ſit pueris, qui ſæpe juxta litora per luſum ex arena tumulos excitant, & poſtea manibus ſuis iterum deſtruunt. Quæ ſine dubio movere Boëthum, Poſidonium, Diogenemque Babylonium & Panætium, quos ſupra memoravimus, quibus ex Numenio Zenonem Sidonium addit LIPSIVS, [n] ut inſulſam doctrinam abjicerent. Craſſum enim dogma eſſe, recte judicavit BVRNETIVS, [o] magnus cetera conflagrationis mundi patronus. Sed meliora non dabant principia ſemel admiſſa, & liquidiorem

e) *l. c. p. 255.*
f) *Diſſ. VII. p. 75. ſeqq.*
ff) *de repugnant. Stoic. T. III. p. m. 462.*
g) *Epiſt. 9.* conf. PLVTARCH. *l. c.*
h) *Qq. nat. l. III. c. ult.* PLVT. *l. c.*
i) *De nat. Deor. l. II.*
k) *l. c.*
l) Numen. apud EVSEB. *præp. l. XV. p. 820.* TATIANVS *adv. gentes p. m. 145.* ed. Paris.
ll) THOMAS. *l. c.*
m) *l. c.*
n) *l. c. p. 261.* conf. MENAG. *ad Laërt. l. VII. ſ. 142.*
o) *Archæol. philoſ. l. I. c. 7. p. 374.*

traditionem non admittebat Heraclitus, in eodem luto hærens,[p] quem ſecutus eſt Zeno.

LXI. Rebus omnibus ita poſt conflagrationem in priſtinum ſtatum reſtitutis, & redeuntibus per orbem, redibunt etiam homines. En reſurrectionem Stoicam, de qua eleganter SENECA.[q] *Mors quam pertimeſcimus ac recuſamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies.* Cave tamen hanc reſurrectionem cum Chriſtianorum reſurrectione confundas, quod præter veteres quosdam HVETIO,[r] accidit. Illa enim fati lege recurrit, nec homines reſtituit meliores & feliciores, ſed in priſtinam miſeriam detrudit. Hinc ipſe adjicit dictis SENECA: *hanc diem multos recuſaturos fuiſſe, niſi obliţos reduceret.*

LXII. Tempus, inter res incorporeas ultimum locum occupat; de natura ejus non prorſus inter ſe Stoici conveniunt. Zenoni intervallum eſt motus & menſura celeritatis ac tarditatis, ſecundum quam ſunt & fiunt omnia. Chryſippo motus intervallum eſt, mundi motum conſequens; Poſidonio tempus in genere infinitum eſt, in parte vero, præteritum tantum & futurum; præſens enim tanquam punctum quaſi, quod ſub ſenſum cadit, conſiderandum eſt.[s] Patet ex dictis, Stoicis inter ea, quæ realem exiſtentiam habent, tempus non retuliſſe, quia incorporeum fecerunt, id eſt, actionis & paſſionis expers, incorporeum enim eſt, quod eſſe poteſt, ſed in corporibus non eſt,[ſſ] quale eſt vacuum, quod ideo a loco diſtinguebant, quod hic queat occupari. Ex his vero recte colligitur, Stoicos ignoraſſe, quid de his incorporeis ſtatuendum ſit, & cum ens phyſicum de iis negarint, in mentis tantum notione & relatione ea quæſiviſſe.

Anthropologia Stoica.

LXIII. Homo mundi imago eſt, & mundus in ipſo. Nam & ille conſtat corpore & anima, ut totum.[t] Hinc dignitas hominis patet, qui proximus a Diis collocatus eſt. Egregie ex Stoæ decretis MANILIVS:[u]

Quis dubitet poſthæc hominem conjungere cœlo,
Eximiam natura dedit linguamque capaxque
Ingenium, volucremque animum, quem denique in unum
Deſcendit Deus atque habitat, ipſumque requirit.

LXIV. Principium humano generi ex novo mundo conſtitutum fuit, primique homines ex adminiculo divini ignis, id eſt, Dei providentia, geniti ſunt. Ita Stoicorum de generatione humani generis ejusque ortu ſententiam enarrat CENSORINVS,[v] quem tamen non aliter intelligendum eſſe, principia Stoicorum naturalia ſuadent, quam ignem divinum rationes

p) Dabimus teſtimonium LAERTII, remque ipſam *c. XIII.*

q) SENECA *ep. 36.* Chryſippus apud LACTANT. *l. VII. c. 23.* ANTONIN. *l. V. §. 13. l. X. §. 7. l. XI. §. 1.* GATAKER. *ad h. l.* ORIG. *philoſophum. p. 147.*

r) *Qq. Alnetan. l. II. c. 23.* conf. BVRNET. *theor. tellur. l. IV. c. 5. p. 278. ſeqq.* *Otium Vindel. p. 37.* Non tamen id omnibus Stoicis placuiſſe obſervat THOMASIVS *l. c. diſſ. X. p. 156. ſeqq.*

s) STOBAEVS *c. 11. p. 20. ſeq.* SEXT. EMPIR. *Pyrrh. hyp. l. III. c. 17. ſ. 136. l. II. adv. Phyſ. ſ. 218.* LAERT. *l. VII. ſ. 141.*

ſſ) SEXT. EMP. *adv. Logic. l. II. ſ. 263. 400. 407.*

t) LIPS. *l. III. diſſ. II. p. 273.* qui Stoicis phaleris nimis capitur. *u*) *l. II.*

v) CICERO *de legib. l. I.* SENECA *ep. 90.* LIPSIVS *l. III. diſſ. III. p. 282. ſeqq.*

nes ſeminales omnium rerum continentem, eam partem materiæ, quæ apta erat inſtituto, humanam mentem imprimendo, qualitates formamque hominis impertiviſſe. Ad æternam enim rationem toti inditam, & vim omnium ſeminum ſingula proprie figurantem cunctarum rerum ortum referebant. Nihil hic creationis liberæ cogitandum; cuncta neceſſario, fatique lege evenere; *perpetuis enim curſibus*, interprete CICERONE, [w] *& converſionibus cœleſtibus credebant extitiſſe, quandam maturitatem ſerendi generis humani:* quod ſparſum in terras atque ſatum, divino auctum ſit animorum munere.

LXV. Hominis ſemen, quod ipſe emittit, cum humido miſcetur animæ partibus, pro ratione comiſtionis parentum. Eſt autem id, ſecundum Chryſippum ſpiritus, quoad eſſentiam. A totis corporibus id defluere, Sphærus dixit, ideoque & omnes corporis partes gignere; mulieris autem ſemen infœcundum eſſe, utpote ſpiritu non intenſum, & modicum item & aquoſum. [x] Cave vero, per ſpiritum hic aliud intelligas, quam materiam ſubtiliorem, ſenſu Stoico. [y]

LXVI. Semen tamen corpus modo producit non animam, quod futuri hominis rationem omnem comprehendit, & totius corporis, & ſequentis ætatis, in parvo occultoque lineamenta ſunt: [z] anima vero non in utero concipitur, nec cum carnis figulatione compingitur atque producitur, ſed & effuſo jam partu nondum vivo infanti extrinſecus imprimitur. [a] Anima itaque ſecundum Stoicos non niſi naſcenti infanti inſinuatur, ut ait LACTANTIVS, [b] aëris quippe rigore percuſſo, ut vim animalem raperet, & vocalem ſonum redderet, quod cum Aeneſidemo Stoicis tribuit TERTVLLIANVS. [c] Vnde ſequitur fœtum in utero non aliter ali ac creſcere, niſi ut plantam: [d] immo longius progreſſi alii ex Stoicis, partem uteri, non animal fœtum eſſe dicebant, decidentem ex utero, ſicut maturi fructus decidunt ex arboribus. [e] Quas abſurdas & pueriles nugas vehementer improbant in Stoicis TERTVLLIANVS [f] atque PLVTARCHVS. [ff]

LXVII. Animus, ſi primam ejus originem inſpexeris, non eſt ex terreno gravique concretus corpore, ſed ex illo cœleſti ſpiritu deſcendit, [g] cujus divini ſpiritus pars eſt ac ſcintilla, ex igne cœleſti ac divino, qui in æthere cœloque habitat, cujusque pars in ſempiternis illis ignibus habitat, quæ ſidera & ſtellæ vocantur. [h]

w) *l. c.*

x) LAERT. *l. VII. ſ. 158.* quique in hanc Stoicorum doctrinam commentatur LIPSIVS *l. c. p. 296.* conf. SENECA *Q q. Nat. l. II. c. 6.*

y) conf. LIPS. *l. c. diſſ. VII. p. 301. ſeq.*

z) SENECA *l. c. l. III. c. 29.*

a) TERTVLLIANVS *de anima c. 25.*

b) *l. III. c. 10.*

c) *l. c.*

d) PLVTARCH. *de repugn. Stoic. T. III. p. m. 31.*

e) IDEM *de plac. phil. l. V. c. 15.*

f) *l. c.*

ff) *De repugn. Stoic. l. c.*

g) SENECA *ad Helv. c 6.*

h) CICERO in *Somn. Scip.* PLINIVS *l. II. c. 26.* Epictetus paſſim, vid. ARRIAN. *l. I. diſſ. XIV. l. III. diſſ. XXIV.* ANTONIN. *l. IV. §. 4. l. II. §. 4. l IX. §. 8.* ex recentioribus LIPSIVS *diſſ. IIX. p. 307.* GATAKER. *ad ll. cc. Antonini* & ad *l. IV. §. 21.* BVDDEVS *Anal. hiſt. phil. p. 90.* & qui de fonte animorum plura congeſſit THOMASIVS *l. c. p. 249.* quibus, ſi placet, adde, quæ in diſſ. *de Stoicis, ſubdolis Chriſtianorum hoſtibus l. c.* diximus.

LXVIII. Eſt itaque animus hominis particula Dei, ſive animæ mundanæ, a Deo quaſi avulſa, non ab ipſo tantum, ſed ex ipſo facto, & anima mundi fons eſt animarum.

LXIX. Anima quid ſit, difficile quidem expedire eſt, [i] (ita enim Heraclitus quoque, Zenonis dux) quod ſi tamen animorum fontem conſulimus, ignis animus eſt, ſive ſpiritus igneæ naturæ. [k] Spiritusve calidus, intelligens, rationalis. Recte hanc aſſertionum trigam Stoicis tribui, non allata tantum veterum teſtimonia, & ipſa, quibus uſi ſumus, verba Stoicorum probant, ſed & ratio ſyſtematis phyſici in Porticu perſonantis evincit. Cum enim omnia, quæ movendi, regendi, agitandi vim habent, naturam, eſſentiam fontemque habeant in anima mundi, qui ignis ille artifex & naturalis eſt, in æthere habitans, & in ſtellis atque ſideribus potiſſimam portionem reſidentem conſtituens, materiam vero omnem penetrans, & agitans, non poſſunt non animæ particulæ eſſe naturæ divinæ, & eſſentia animarum in igne conſtitui, illarumque etiam ortus ex ſideribus derivari, cum partis ratio totum ſequatur. Modificationem tamen aliquam adhibebant Stoici, qui facile videbant, ignis tanti ferendi capacem hominis naturam non eſſe, inde ſtatuebant, teſte PLVTARCHO [l] & PSEVDO-ORIGENE, [ll] animam ſive ignem iſtum divinum, in partu hominis inditum ab aëre refrigerari ac durari, &, mutato ſpiritu, fieri animal. Hauſit hanc doctrinam Zeno partim ab Heraclito, qui animam ex igne illo naturali etiam derivavit, partim a Platone, qui animam mundi fontem animarum conſtituit, ita tamen ut originem divinam referret.

LXX. Animæ itaque & mortales & immortales ſunt. Dubii & diverſum inter ſe de duratione animarum ſentientes Stoici. Certe indigne tanto philoſopho SENECA: [m] *Fortaſſe, ſi modo ſapientium fama vera eſt, recipitque nos locus aliquis, quem putamus periiſſe, præmiſſus eſt.* Exagitatos propterea Stoicos fuiſſe ab Epicureis, quibus tamen æternitatem & immortalitatem animorum opponebant, alio loco [n] probatum dedimus, & quam incerti hac de re fuerint, variæ hac de re Stoicorum opiniones loquuntur, quas diligenter enarravit MENAGIVS. [o] Cleanthes, omnes animas ad conflagrationem mundi permanere, Chryſippus, ſolas ſapientium exiſtimat, ſi LAERTIO [p] fides, quod tamen omnibus Stoicis tribuit PLVTARCHVS, [q] quocum conſentit Numenius apud EVSEBIVM. [r] Nec aliter SENECA. [s] Epictetus vero, [ſſ] & ANTONINVS [t] animas corpore ſolutas mox in animam mundi confundi, & in aërem

i) Fatetur SENECA *N. Q. l. VII. c. 24.* & CICERO *Tuſc. Q q. l. I.*

k) Teſtimonia Stoicorum præter LIPSIVM *diſſ. IIX. p. 313. ſeqq.* collegit GATAKERVS *ad Ant. l. IV. §. 21.*

l) *l. c.*

ll) *c. XXI. p. 146.*

m) *epiſt. 63.*

n) *not. (x) citando.*

o) Ad LAERT. *l. VII. ſ. 157.*

p) *l. c.*

q) *De plac. phil. l. IV. c. 7.*

r) *l. XV. p. 816.*

s) *Conſol. ad Marc. c. ult.* Fluctuaſſe tamen, ex dictis patet.

ſſ) ARRIAN. *l. III. diſſ. XIII.* conf. LIPS. *p. 321.*

t) *l. IV. §. 13. 21.* conf. GATAKER. *ad h. l.* TZETZES *chil. VII. hiſt. 147.*

aërem ſubvectas ſuccendi, & igni univerſali inſeri aſſeruerunt. Et huc illi ex Stoicis ponendi, qui animas in undis extingui poſſe credebant, quam abſurdam ſententiam, licet a Stoicis plane removeat doctiſſimus THOMASIVS, " nonnullos tamen inſaniviſſe non negat, cum hoc ex natura animæ corporeæ, qui ignis eſt ab aëre condenſatus, adeoque extinctionis capax, ſequatur. Abſurdiores ſunt, ex Stoicis iſti, SENECAE [v] memorati, qui exiſtimant animam hominis magno pondere extriti permeare non poſſe, & ſtatim ſpargi, quia illi non fuerit liber exitus. Ea enim ne Stoicis quidem principiis conſona ſunt, cum nec aër, nec flamma, nec animus, ejusdem tenuiſſimæ naturæ, Seneca recte monente, ſcindi vel ſupprimi queat. Quin & hoc notandum, quod hoc Senecæ loco obſcurius innuitur, animas, ex multorum Stoicorum mente, non ſtatim, quam ex corpore diſceſſerunt, ſpargi, ſed corpori in ſepulchro adeſſe, donec putrefiat & eſſe deſinat. [w] Ex dictis jam vanitas phyſiologiæ Stoicæ clare patet, quæ licet animorum immortalitatem non alia ratione aſſerere potuerit, quam ut redeuntibus per orbem fatalem rebus cunctis, animi quoque priſtini redeant, immortalitatem animorum tamen ſpem magnam dicere Stoicos juſſit, qua tota vita humana contineretur. Quam inconſtantiam Elpiſticorum nomen Stoicis *ἀπὸ τοῦ στόμματος* dediſſe, peculiari diſſertatione [x] veriſimile fecimus.

LXXI. Redibunt quidem animæ in corpora priſtina poſt univerſalem rerum omnium conflagrationem, ſuisque inſerentur corporibus; ea vero *μετενσωμάτωσις* non confundenda eſt cum *μετεμψυχώσει* Pythagoræ & Platonis, quæ cum Stoicis aſſertis ſtare nequit, [y] quamque iis perperam tribuunt LACTANTIVS [z] & DAMASCENVS. [a] Aliis vero ex Stoicis, non easdem ſed ſimiles animas in univerſali revolutione anni magni corporibus indi placebat. [b]

LXXII. Anima corpus eſt, eſt enim, & agere poteſt, ſed corpus tenuiſſimum, quod oculis videri nequit. Id ex adductis clarum eſt. [c]

LXXIII. Octo animæ ſunt partes, ſenſus nempe quinque, facultas generandi, facultas loquendi, parsque principalis, (*τὸ ἡγεμονικὸν*). Eſt vero pars animæ princeps quæ viſa format, item ſenſum & appetitum, vocaturque ea ratiocinatio, ſedemque in corde habet, vel ut alii malunt, in capite, tanquam in ſphæra ſua. Ab hac parte reliquæ ſeptem naſcuntur & diriguntur. [d]

LXXIV. Poſt mortem animæ ſedes eſt inter ſidera, atque inter Deos, ubi naturæ operum contemplatione fruitur, donec in conflagratione in Iovem cum reliquis Diis confundatur. Magnifice paſſim de hac animarum

u) diſſ. *de morte in undis gentilibus inviſa*, quæ extat *Obſ. Hal. T. VII. obſ. 9. p. 127.*

v) *Epiſt. 57.*

w) SERVIVS ad VIRGIL. *Aeneid. III. 64.*

x) *Diſſ. de Secta Elpiſticorum*, quæ extat *Miſcell. Berolin. T. V. art. ult.*

y) Conf. IAC. THOMASIVS *l. c. p. 156. Otium Vindel. l. c. p. 26.*

z) *l. III. c. 18.*

a) *De hæreſi* apud LIPSIVM *diſſ. XII. p. 325.*

b) Vid. THOMASIVS *l. c.*

c) LAERT. *l. VII. ſ. 157.* PLVTARCH. *de plac. philoſ. l. IV. c. 2. 3.* LIPSIVS *diſſ. XIII. p. 327.*

d) LAERT. *l. VII. ſ. 157.* PLVTARCH. *de placit. l. IV. c. 4.*

rum poſt mortem ſede Stoici, imprimis SENECA, [e] qui tamen ἐξωτερικῶς magis, quam ex vera animi ſententia, philoſophatus eſt. Diſtincte tamen Stoica de ſtatu animorum poſt mortem doctrina intelligenda eſt. Nam hoc 1. ad eos tantum pertinet, qui poſt mortem animos, diſſoluto corpore, non diſſolvi, & in univerſam mundi animam non abire, ſed exiſtere usque ad mundi ſuccenſionem ſtatuebant. 2. De bonorum hoc tantum animis valet, ignobiliores enim & malæ ex Stoicorum ſententia cum corpore diſſolvuntur. 3. Non tamen ad ſidera & ſtellas aditum iis faciebant, ſed, (SENECAE [f] verba damus) *paulum ſupra nos commorari ſtatuebant, dum expurgant inhærentia vitia, ſitumque mortalis ævi excutiunt.* Quod latius explicat PLVTARCHVS, [ff] qui *animas iſtas*, ait, *fati lege vagari ea in regione, quæ terram & lunam interjacet, ibi impiorum pœnas luere; piorum certum tempus, quantum ad luſtrandum & corporis, utpote malæ cauſæ, pollutiones abolendas ſufficit, in aëris puriſſima parte degere, quam prata Ditis appellant, deinde veluti ab exilio in patriam reductas, gaudium deguſtare, quale maximum percipiunt, qui ſacris initiantur, trepidatione ac ſuavi ſpe permiſtum. Multas enim extrudere æſtuandoque projicere, jamjam lunam ſubire affectantes; nonnullas etiam, quæ jam eo pervenerint, ſubverſas videre, tanquam in profundum devolvi. Quæ autem ſurſum evaſerint, ac firmiter ſint collocatæ, primum coronari pennis conſtantiæ, & vim roburque æthereum accipere, ac fieri ſtabiles & pellucidas.* Ex quibus manifeſtum eſt, duplex animarum purgatorium ſtatuiſſe Stoicos, unum, quod infra lunam in aëre eſſet, alterum, quod in luna ejusque cavernis, & earum maxima, quam penetralia Hecates dici idem PLVTARCHVS ait, exiſteret. Etſi vero hæc ad accommodandos fabulari theologiæ ſenſus phyſicos pertinere, & Stoicorum ea in re ſtudium ſingulari exemplo illuſtrare, negari nequeat, nihil tamen eſt, quod non Heracliteis de igne mundi rationibus, ex quibus eos hanc quoque de purgatione animarum in orco doctrinam Stoicos recepiſſe Plutarchus tradit, conveniat. Lunam enim ignem turbidum dixere Stoici, aërem vero obſcuriorem adhuc & craſſiorem partem, ut ſupra demonſtratum. Anima itaque mala & ignobilis in aërem diſſipata, & materiæ contagio gravata, æſtu aëris vehementiſſime agitati donec plane diſſipetur, rapitur, & hic infernus Stoicorum eſt: leviores & parti naturæ ſuæ conformiter magis viventes animæ, ignis, id eſt naturæ ſuæ levitate ad orbitam lunæ adſcendunt, qui cum ignis turbidus ſit, neceſſe eſt eos luctari & purgari, donec naturali motus lege, qua ignis ſurſum tendit, eluctentur, & cognatis inſerantur ſideribus. Qua ratione aliquam præmiorum & pœnarum ſpem relinquebant Stoici, [g] phyſicis licet & mechanicis phyſiologiæ ſuæ principiis addicti. 4. Neque tamen hæc omnibus pla-

ce-

e) In *conſolationibus* paſſim.
f) *Ad Marciam c. 25.*
ff) *De facie in orbe lunæ T. III, p. m. 383.* conf. THOMASIVS *de loco animorum poſt mortem ex Manetis doctrina, in Hiſt. Sapient. & Stult. T. I. p. 70.*
g) LACTANT. *l. VII. c. 7.*

cebant Stoicis, ridetque has fabulas præter Epictetum, [b] SENECA, [i] qui clare: *Illa, quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula eſt. Nullas, ſcimus, imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne - - luſerunt iſta poëtæ & vanis nos agitavere terroribus. Mors omnium dolorum ſolutio & finis eſt: ultra quam mala noſtra non exeunt, quæ nos in illam tranquillitatem, in qua antequam naſceremur, jacuimus, reponit.* Ex quo Senecæ loco evidens eſt, eum ſtatum hominis eundem, qui ante naſcendi initia habuit, ubi anima in mundi anima, corpus in materia delituit, poſt fata poſuiſſe.

LXXV. Anima ſapiens & philoſophia erudita ſolis & lunæ & ſtellarum curſus diſcit, eaque videt, quæ in terra didicit. Prolixe hæc IVLIVS FIRMICVS, [k] quem tanquam filium & ſatellitem Stoicorum laudat LIPSIVS, [l] qui tamen ipſe videt, Platonica ea magis eſſe, quam Stoica, unde non inſiſtit argumento, quod SENECAE intactum. Provocaſſet rectius ad Senecam ſuum, qui loco, [ll] alibi ipſi LIPSIO adducto, ea de re eleganter, modo ex animi ſententia, certe ex Stoicorum mente: *Parens tuus, Marcia, illic nepotem ſuum, quanquam illic omnibus omne cognatum eſt, applicat ſibi nova luce gaudentem, & vicinorum ſiderum meatus docet: nec ex conjecturis, ſed omnium ex vero peritus in arcana natura libens ducit. Vtque ignotarum urbium monſtrator hoſpiti gratus eſt, ita ſciſcitanti cœleſtium cauſas, domeſticus interpres, & in profunda terrarum permittere aciem juvat. Delectat enim ex alto relicta ſuſpicere.*

§. X. Principiis his phyſiologicis innititur doctrina Stoicorum moralis, quæ delineanda nobis jam eſt. Eam in hos locos Chryſippus & ſequaces dividunt. [m] De appetitu; de bono & malo; de paſſionibus animi; de virtute; de fine; de prima æſtimatione; de actionibus; de officiis; exhortationes & dehortationes. Zeno tamen & Cleanthes, ſubtilitates has, dialecticis potiſſimum diviſionibus nixas non curabant; licebit itaque etiam nobis, poſthabito Stoicorum ordine dialectico naturalem, quo ſe dogmata conſequuntur, ut in phyſicis fecimus, ſequi, & decreta Stoicorum moralia ex ipſis fundamentis ſuis deducta enarrare. Ea vero in his potiſſimum verſabantur: *Philoſophia moralis Stoicorum.*

I. In vita hominis ante omnia reſpiciendum ad finem. [n] Eſt vero finis, cujus cauſa fiunt omnia, ipſo ob quam ſit, habente nullam; vel ad quem omnia referuntur in vita, cum ipſe ad nihil referatur. [o]

II. Finis

h) ARRIAN. *l. III. diſſ. XIII.*
i) *Ad Marciam. c. 19.* conf. *ep. 117.*
k) *Aſtronom. l. I.*
l) *diſſ. XV. p. 336.*
ll) *l. c. c. 25.*
m) LAERT. *l. VII. ſ. 84.* Recentiores ethicam Stoicorum explanatores enumerant *Acta philoſ. Vol. I. p. 747. Vol. II. p. 163. 445.* Quibus merito addenda cel. BVDDEI *Introd. in philoſoph. mor. Stoicorum ex mente Antonini* præfixa ANTONINO Lipſiæ edito.
n) SENECA *epiſt. 95.*
o) *ib.* STOBAEVS *Eclog. eth. l. II. c. 3. p. 172.* ed. Canteri.

II. Finis trifariam dicitur, primo bonum, quod finis eſt ultimus, ſecundo ſcopus, qui eſt vita ad illum ducens, tertio expetendorum extremum, ad quod reliqua omnia referuntur. [p]

III. Finis vero hominis eſt naturæ convenienter vivere. Definitionem hanc Zenonis varie auxere ſectatores, quorum explicationes referunt LAERTIVS & STOBAEVS. [q]

IV. Eſt vero natura nihil aliud, quam lex & ratio totius mundi, & agitantis & vivificantis atque penetrantis omnia divini ſive cœleſtis ignis; ſicque naturæ convenienter vivere, naturæ communis ductum leges motusque ſequi eſt, ſive ſe ad totius naturam, tanquam partem, componere. [r]

V. Cum vero naturæ potior pars Deus ſit, cujus agitatione omnis materia movetur, formatur, diſponitur, Dei vero particula ratio humana, ſive princeps animæ pars ſit, hinc naturam ſequi, Deum ſequi, rationem ſequi communem, vel legem mundi, idem ſignificat. Palmarium hoc totius ethicæ Stoicæ fundamentum eſt, cui reliqua omnia innituntur, quodque plenis buccis ubique Stoici crepant, [s] quorum teſtimonia, ne nimii ſimus, collecta habes apud LIPSIVM, [ff] STANLEIVM [t] & MENAGIVM. Arcte vero ita phyſica & ethica Stoicorum cohærent. Omnia enim ex uno conſtant toto, cujus partes res omnes ſunt: quod cum fati legibus regatur, homo, qui μικρόκοσμος eſt, & ex univerſo decerptus, vivere debet, ut partem totius decet, & diſpoſitioni, ordini, atque naturæ ejus, quam agitans intra Spiritus cœleſtis urget, convenit, ut ita partem totius recte effingat. Huc enim omnia Stoicorum, quæcunque de fine differunt, collineant; nam quod Chryſippo, vivere ſecundum experientiam eorum, quæ ſecundum naturam eveniunt; quod Cleanthi, communis naturæ ſequela; quod Diogeni Babylonio, rationi vitæ obtemperare, in iis eligendis & reſpuendis, quæ ſecundum naturam ſunt eligenda vel reſpuenda; quod Panætio, vivere juxta appetitiones a natura nobis inditas; quod Poſidonio, vivere contemplando veritatem ac ordinem univerſi, illud univerſi eſt naturam, motum, leges & rationes ſequi, & contraria rejicere, ſicque rationem toti rerum naturæ inditam, Deumque partem ejus agentem tanquam partem imitando exprimere. Eundem in modum de fine Stoico differit CICERO, [u] qui videndus. Idem reſpexere veteres Iureconſulti, jus definientes, quod natura omnia animantia docuit: lex enim naturæ omnibus mundi partibus ineſt, qua omnia ex cauſis ſuis originem ſumunt, & ad certos eventus decurrunt. [x]

VI. Vivere vero ſecundum naturam, idem eſt, ac, vivere ſecundum virtutem. Pulchrum enim & bonum atque virtus, & quod participat ex virtu-

p) *ib.* CIC. *de fin.* paſſim.
q) LAERT. *l. VII. ſ. 86. ſq.* STOB. *l. c. p. 171.* LIPS. *Introd. phil. mor. diſſ. XIV. p. m. 179.* MENAG. *ad l. c. Laërt.* r) *citati.*
s) SENECA *ep. 41.* ANTONIN. *l. VI. §. 15.*
ff) *l. c.*
t) *P. VII. Hiſt. philoſ. p. 608.* conf. GATAKER. *ad* ANTON. *l. II. §. 11.* BVDDEVS *Analect. H. P. p. 145. 146.*
u) *De fin. l. II. c. 11.*
x) Conf. IO. SCHILTER. *Manud. philoſ. moral. ad Iurisprud. c. II. §. 1. p. 38.*

virtute, termini ſunt æquipollentes, unde conſequitur, ut idem ſit beatitudo, quod, vivere ſecundum virtutem. [y]

VII. Inſiti vero animo humano ſunt igniculi & ſemina vivendi ſecundum virtutem, quia pars eſt animæ mundi ſive Dei, cujus nutui parendum, & ad cujus leges vivendum eſt. Magna ea de re præcipiunt Stoici, [z] quæ tamen, caveas, conſentanea putes dictis eccleſiæ doctorum, [a] qui inſita honeſti præcepta, & ſcintillam rationis præeuntibus ſacris oraculis aſſerunt. Stoica enim ratio, non communis recti bonique conſcientia, ſed eſſentialis particula rationis univerſi, id eſt Dei, cujus diſpoſitioni, ordini legibusve parendum eſt. Hinc a Stoicis tantæ animæ in virtutis vita vires tributæ, quia Dei pars & membrum eſt. Paucis omnia luculenter complectitur PHILO: [b] *Hoc illud eſt apud eos, qui optime philoſophati ſunt, decantatum ultimum, ſive finis bonorum, conſentienter naturæ vivere; quod fit, cum animus ſemitam virtutis ingrediens, per veſtigia ductumque rectæ rationis ambulat, id eſt, ſequitur Deum.*

VIII. Cum itaque convenienter & conformiter fiunt omnia dæmoni, qui ſingulis adeſt (id eſt particulæ divinæ naturæ, quæ homini intime præſens eſt, ut ſupra dictum) atque id ex conſilio & diſpoſitione ſupremæ illius cauſæ, quæ toti præeſt, idque gubernat, tum eſt hæc vita beata ad virtutem. [c] Patet ex his, genium cuilibet præſentem, non tantum eſſe ipſam eam particulam, DEI, quæ τὸ ἡγεμονικὸν animæ conſtituit, ſed internam quoque virtutis regulam atque legem & fundamentum felicitatis moralis in eo latere.

IX. Summum vero bonum eſt, vivere cum intelligentia earum rerum, quæ natura evenirent, eligente ea, quæ eſſent, ſecundum naturam, rejicienteque contraria. [d]

X. Cuilibet itaque ſuus Deus & dæmon, ſuaque felicitas domi & intra eſt. Prope enim Deus eſt, intus eſt, ſacerque intra hominum ſpiritus ſed & bonorum malorumque omnium obſervator & cuſtos. Animusque bonus & rectus Deus eſt in humano corpore habitans. [e]

XI. Sola igitur virtus ſufficit ad beatitatem, maximumque ejus inſtrumentum eſt. Summum quoque bonum non in carne, ſed in animo ponendum eſt. [f]

XII. Quo poſito, ſequitur, res, quæ extra nos ſunt, nihil facere ad beatitatem bonumque, cum ſola bona ſint, quæ honeſta. Multus in his urgendis præceptis eſt Epictetus, [g] verumque ἀπαθείας apud Stoicos fundamentum eſt. [h]

y) STOB. *l. c.*

z) SENECA *ep. 41.* ANTON. *l. VI. §. 15.* HORAT. *Ep. I. 18.*

a) Ita LIPSIVS *Manud. diſſ. XVIII. p. 198.*

b) *De migratione Abrahami.*

c) LAERT. *l. c.*

d) CICERO *de fin. l. II. c. 11.*

e) SENECA *ep. 16. 31. de vita beata c. 15.* conf. quæ habet LIPSIVS *diſſ. XIX. p. 200.* GATAKER. *ad Antonin. VII. 35.* ARRIAN. *l. I. diſſ. XX.*

f) SENECA *ep. 74. 76.* EPICT. *Enchir. c. 1. 2.*

g) *ib.* & apud ARRIAN. *l. I. diſſ. I. l. III. diſſ. XXIV.*

h) Conf. HEINSIVS *Orat. p. m. 278.* PASCHIVS *Introd. in phil. mor. veter. c. VI. p. 614.*

XIII. Cum itaque ſolum bonum ſit honeſtum; omnia, quæ extra nos ſunt, corpus, poſſeſſio, gloria, magiſtratus, eo nomine indigna ſunt, ſuntque imbecilla ſervientia, prohibenda. [i]

XIV. Summa ſapientia eſt, bonum a malo diſtingvere. [k]

XV. Rerum aliæ bonæ ſunt, aliæ malæ, demum indifferentes aliæ. [l]

XVI. Bonum eſt, quod ita perfectum eſt, ut ad felicitatem perducat, juxta naturam creaturæ rationalis. [m] Inter varias definitiones Stoicorum hæc maxime ſcopum ferit, licet pleræque conveniant, ut ex iis videre eſt, quæ affert LAERTIVS. [n] Cum enim natura creaturæ rationalis ea ſit, ut tanquam pars toto adhæreat, eique apte jungatur, ſicque omnia fluant, ut hæc univerſalis totius ratio poſtulat, facile inde intelligitur, bonum in ejus ſtatus perfectione ponendum eſſe. Et huc etiam omnes Stoicorum boni definitiones tendunt, ut homo ita perficiatur, ut illud ei eveniat, quod ad univerſi naturam conſervandam, & perfectionem ejus tuendam pertinet. Hinc luculenter ANTONINVS: *Illud eſt unicuique parti bonum,* [o] *quod univerſi fert natura, quodque ad eandem conſervandam ducit.* Quia vero in toto partis unius utilitas & conſervatio ex altera & antecedente, neceſſitatis lege, & implexu connexuque rerum, quæ providentia, ſive naturæ fatique ordine diſpenſantur, fluit, hinc felicitas Stoicis εὐροια dicta eſt; quam luculenter Latinis auribus ita explicuit SENECA: [p] *Virtutem nobis oſtendit ordo ejus & decor, & conſtantia, & omnium inter ſe actionum concordia, & magnitudo inter omnes efferens ſeſe. Hinc intellecta eſt illa beata vita, ſecundo defluens curſu, arbitrii ſui tota.* Et rotunde atque perſpicue EPICTETVS: [q] Μὴ ζήτει τὰ γίνομενα γίνεσθαι ὡς θέλεις, ἀλλὰ θέλε γίνεσθαι τὰ γίνομενα ὡς γίνεται, καὶ εὐροήσεις. *Noli poſtulare, ut quæ fiunt, fiant ſecundum voluntatem tuam; ſed ita fieri concupiſce, quæ fiunt, ut fiunt, & vita tibi felix decurret*, id eſt, cuncta ex naturæ abſoluto ordine te tranquillo fient. Commendat hanc εὔροιαν vehementer ANTONINVS, [r] nec poſſunt aliter Stoici, cum vera felicitas ſit, partem ejus, quem in tota natura conſtituimus, & ſequelas ejus bene effingere. Contraria æſtuatio in malis dicta δυσροεῖν, apud Epictetum. [s] Vtitur & ARISTOTELES [t] εὐροίας voce, verum ea cum Stoica ſignificatione confundenda non eſt: eſt enim illi εὐζωΐα καὶ εὐπραξία, in electione mediocritatis libera ejusque executione conſtans, quæ contraria prorſus eſt τῇ εὐροίᾳ Stoicæ, quæ libenter ea facit & perfecte exequitur, quæ neceſſitas totius poſtulat.

XVII.

i) EPICT. *l. c.* SENECA *ep. 118. 120.* ANTONIN. *l. II. §. 1.* GATAKER. *ad h. l.*

k) SENECA *ep. 71.*

l) LAERT. *l. VII. ſ. 102.*

m) Diogenis hæc definitio apud LAERT. *l. VII. ſ. 88.* conf. CIC. *de fin. l. III. c. 10.* quam nos recte explicuiſſe, egregius SENECAE *ep. ult.* locus, oſtendit.

n) *l. c.* conf. CICERO *de fin. l. III. c. 10.* SEN. *ep. 118.*

o) *Lib. II. §. 3.*

p) *Epiſt. 120.*

q) *Enchir. c. 13.*

r) Paſſim, præſertim *l. X.* conf. SEXT. EMP. *Pyrrh. hyp. l. III. c. 21. ſ. 172.* LAERT. *ſ. 88.*

s) MENAG. *ad h. l.* GATAKER. *ad Ant. V. 34.* ARRIAN. *l. II. diſſ. XVII.*

t) *Nicomach. l. I. c. 10.*

XVII. Bonum itaque eſt, quicquid utile & honeſtum eſt, utrumque enim a bono ſeparari non poteſt; utilitas eſt, ſe habere ad totum illud, quod eſt principium dirigens. Bonum eſt ipſa virtus, & ad quod motus & natura abſoluta impellit. [u]

XVIII. Hoc autem bonum non acceſſione, neque creſcendo, aut cum ceteris comparando, ſed propria vi ſua & ſentimus & appellamus bonum. [x]

XIX. Acceſſiones boni ſunt gaudium & lætitia. [y]

XX. Malum eſt, quicquid bono opponitur, ſive imperfectio male ex ratione totius fluens; acceſſiones ejus animi ægritudo, afflictio & ſimilia. [z]

XXI. Bonorum alia virtutes ſunt, alia acceſſiones, ut gaudium ſpes; rurſus, bonorum alia ſunt præſentia, alia intermittunt: porro aliud bonum a quo utilitas peti poteſt, aliud per quod petitur utilitas; aliud quod utilitati inſervire poteſt. Bonorum etiam alia ſunt extra animum, alia in animo; alia efficientia, alia ad finem conducentia; alia propter ſe, alia propter aliud expetenda; alia in motu, alia in affectione conſiſtunt; alia abſoluta, alia relativa &c. Plura apud Stoicos his ſimilia occurrunt, qui ex legibus Dialecticæ mire ſubtiles in diviſionibus ſe præbebant. [a]

XXII. Perfectum bonum pulchrum vocatur, quoniam omnibus numeris a natura abſolutum eſt, & perfectam habet proportionem. [b]

XXIII. Omnia bona æqualia ſunt, & quodcunque bonum eſt, idem etiam appetendum. Bonum quoque neque incrementis, neque decrementis aptum. [c] Diſcedebat hoc dogmate Porticus a Lyceo, Peripatetici enim, uti ſupra dictum, explicante CICERONE, [d] omnia bona ad beate vivendum pertinere putant, doloremque in malis ponunt, & tria quoque bonorum genera ſtatuunt, eo beatum magis eum dicentes, quo ſit corporis aut externis bonis plenior. Stoici contra omnia alia afferebant; omne quod bonum æſtimetur, complecti vitam beatam; dolorem, qui ad animum non pertineat, in malis non eſſe, & ſapientem in tormentis beatum eſſe; naturæ bona frequentia beatiorem vitam non efficere, aut magis expetendam. Alia non tangimus apud Tullium videnda. Nominum tamen magis hanc controverſiam eſſe, quam veram, cenſuit eo jam tempore, ubi illa viguit Carneades, quod licet improbet, & majorem, quam verborum diſcrepantium, pugnam eſſe judicet CICERO, recte tamen rem ponderantibus, ad logomachias referendum eſſe apparebit. Longe aliam enim bonorum definitionem formabant Ariſtotelis ſequaces, quam Zeno. Illi enim cum vitæ potiſſimum civilis beatitudinem ſtatusque politici felicitatem homini commendarent, ad quam beatitatem conſtituendam multa fortunæ quoque ſive externa bona requiruntur: non potuere non animi qui-

u) SEXT. EMPIR. *l. c. c. 20.* LAERT. *ſ. 92.*
x) CICERO *de fin. l. III. c. 10. 34.*
y) LAERT. *l. c.*
z) *ib.* STOB. *Ecl. eth. c. IV. p. 166.*
a) LAERT. *ſ. 95. ſeqq.* SEXT. *l. c. c. 23.* STOB. *l. c.* LIPS. *p. 221.*
b) LAERT. *ſ. 100.*
c) LAERT. *l. VII. ſ. 101.*
d) *De finibus l. III. c. 12.*
e) *Ethic. Eudem. lib. VI. c. 13. Magn. moral. l. I. c. 2.* & quæ ſupra *c. VII. Sect. I. §. 19.* ea de re dicta ſunt.

dem bona præſtantiſſima dicere, & per ſe maxime expetenda, externa tamen bona ad civilem iſtam felicitatem tam neceſſaria ponere, ut virum licet bonum, illis tamen orbatum, beatorum numero exemerint. Aliter quidem & diverſiſſime Stoici ſentiebant, ſed ad ſtatum tantum hominis naturalem, eamque conditionem, quam in mundo, tanquam pars ejus, habet, reſpiciebant. Hinc non negant quidem Stoici, externa bona poſſe a ſapiente ad felicitatem adhiberi, ipſam tamen felicitatis rationem in virtutis, naturæ univerſi, & ſequelæ Dei ſe accommodantis, poſſeſſione requirebant, & nihil inde bonum niſi honeſtum, ſenſu licet Stoico, nihil malum, niſi quod impium, inhoneſtumque eſſet, licet quis externis corporeisque bonis auctus eſſet, ſtatuebant; id quod Peripateticis, de ſtatu civili diſſerentibus, & externam civis felicitatem quærentibus proprie non contradicebat, qui & ipſi in ſe virtutis rationem inter ſummas felicitates ponebant. Recte itaque poſt Carneadem Antiochus, [f] & AVGVSTINVS [g] ſtatuebant: eos vocabulis diſcrepantes rebus interim conveniſſe, licet id improbet GATAKERVS, [h] nimia Stoicæ ethicæ admiratione impeditus, quo minus veros Porticus ſenſus videret. Qui tamen nec illud CICERONIS improbare potuit: *Honeſtum ſaltem inter hos certamen fuiſſe, cum omnis eſſet de virtutis dignitate contentio; hoc tantum intereſſe, quod partes primas alteri, alteri totas integrasque virtuti concederent.* Fortius in hac beatitudinis notione diſſidebant Stoici ab Epicuro, qui in voluptate eam, uti infra docebitur, poſuit. Et tamen SENECA [i] profeſſus eſt: *Non eſſe magnum in quo diſſideant, quam enim legem Stoici virtuti dicant, eam illum voluptati dicere:* non male, ſi modo addidiſſet, Epicurum in natura hominis morali, bonum ad tranquillitatem animi quærentis, quæſiviſſe, quod in phyſica humanæ naturæ connexione cum toto Stoici quærebant. Mirum itaque non eſt, *ſancta & triſtia etiam*, ut fatetur SENECA, [k] *Epicurum præcipere*, licet magis ad humani animi naturam, attenderit, quam Stoici, metaphyſicis nugis μετεωρίζοντες.

XXIV. Licet vero ſolum bonum ſit, quod honeſtum, malumque id ſolum, quod turpe; tum inter hæc & illa, quæ nihil valeant ad beate miſereve vivendum, exiſtant, eaque indifferentia ſint, quæ nec proſint, nec noceant; [l] poſſunt tamen ea vel æſtimari, vel non æſtimari. Subtiliſſimos hic ſe oſtendunt Stoici, dialecticæ ſuæ artificia rebus moralibus, ut cothurnos puſioni adaptantes, εὐρεσιολογίας haud ſemel ideo a veteribus accuſati. [m] Non morabimur iſtis diſputatiunculis, quæ otioſa triſtiſſimorum ſenum ingenia ſatis produnt, lectorem; leget, ſi volet, eas vel apud SEXTVM EMPIRICVM [n] vel apud LIPSIVM, [o] quorum uterque lucu-

f) Apud CIC. *de N. D. l. I.*
g) *De C. D. l. IX. c. 4.*
h) Præloq. ad ANTONIN. *p. 3.* ubi de hac pugna erudite diſſerit. conf. GEORG. PAVLI ROETENBECCII diſſ. *de Stoicorum & Ariſtotelicorum circa gradum neceſſitatis bonorum externorum ad ſummam beatitatem diſceptatione.*
i) *De vita beata c. 13.*
k) *Epiſt. 33.*
l) CICERO *de finib. l. III, c. 15.* LAERT. *l. VII. ſ. 102.*
m) *ibid. ſ. 105.*
n) *Pyrrh. hyp. l. III. c. 22. ſ. 177.* *add.* CICERO *l. c.* STOBAEVS *ecl. eth. c. IV. p. 174. ſeq.*
o) *l. c. diſſ. XXII. p. 217. ſeqq.*

luculentus & copioſus eſt. Hoc unum monere, ſeries tractationis poſcit, Stoicos indifferentia tamen æſtimaviſſe, prout vim aut uſum ad eam vitam haberent, quæ eſt ſecundum naturam, hincque indifferentia diſtinxiſſe in προηγμένα καὶ ἀποπροηγμένα, producta ſive propoſita & rejecta, id eſt ea quæ æſtimata aliis vel præponuntur vel rejiciuntur. Cujus diſtinctionis quale fundamentum Zeno poſuerit, CICERO [p] accurate explicat, qui videndus. Sed & prælatorum vel productorum, & rejectorum varias diſtinctiones afferunt Stoici, quæ de artibus eorum dialecticis, telis araneārum haud diſſimilibus, luculenter teſtantur. Recte quoque objecit SEXTVS EMPIRICVS [q] unumquodque indifferentium, pro variis circumſtantiis & relationibus, interdum productum videri, interdum rejectum: ut ſi divitibus quidem tyrannus inſidietur, pauperes autem tranquille degant, nemo non pauper eſſe malit, quam dives, adeo, ut tum divitiæ cenſeantur in numero rejectorum, quæ alias inter producta numerantur: nihil itaque natura eſſe indifferens. Cuncta enim ita conſiderantur, juxta ipſos Stoicos, ut relationem habeant ad vitam, quæ eſt ſecundum naturam, quantumque vel incommodum vel commodum afferunt, unde & commoda τὰ προηγμένα dixit SENECA. [r]

XXV. Intelligi inde poſſunt paradoxa Stoica, ſive, inopinata decreta, quæ prima ſignificatione peregrina quidem videntur, vera tamen natura ſua ſunt, qualia multa de ſapiente ſuo prædicavere Stoici. Talia ſunt: Sapientem eſſe ſeverum, negotiis abſtinere, ſanitate mentis non excedere, non dolere, divinum eſſe, ſolum eſſe ſacerdotem, vatem, non opinari, Cynicos imitari; ſolum eſſe liberum, regem, gerendo magiſtratui idoneum; neſcire peccare, innocuum eſſe, non miſereri, non eſſe benignum, in deſerto vivere nolle, ſolum amicum eſſe, omnia recte facere, ab amoribus alienum non eſſe, ſe ipſum e vita, ſi ita occaſio ferat educere; eſſe magnum, optimum œconomum, ſolum eſſe nobilem & ingenuum, optimum medicum, non mentiri, non fallere neque falli, liberis recte uti, a calumnia immunem eſſe, ſolum non eſſe exulem, ruſticum, ingratum, inconſtantem &c. Quorum explicationem exhibuere præter CICERONEM, [s] LAERTIVS, [t] & imprimis STOBAEVS, [u] quos recentiores quidam ſecuti ſunt. [x] Ea enim pleraque in verborum nugas deſinunt, aliamque verbis, quam habent, ſignificationem ex ſyſtemate morali Stoico deſumtam affingunt. Sapientem ſcilicet dupliciter Stoici conſiderant, vel conſummatæ ſapientiæ, vel procedentis uti ſupra jam dictum. Ad ſapientem perfectiſſimum paradoxa Stoica pertinent, quem tamen in rerum natura non extare facile Stoici annuebant. Aſt qui illa impugnabant, quod ſæpe factum eſt; communem verborum ſignificationem urgebant: quam ubi declinarant Stoici, & verba ſua

p) l. c. c. 16. conf. SENECA *ep. 74.* GELLIVS *l. XII. c. 5.* SVIDAS *in* ἀδιαφορία *T. I. p. 22.*
q) l. c. c. 24. ſ. 192.
r) Epiſt. 74.
s) Is ſex paradoxa explicata exhibuit.
t) Lib. VII. ſ. 117. ſeqq.
u) l. c. p. 176. ſeqq.
x) LIPS. *diſſ. III. ſeq. l. III. p. 251. ſeqq.* SCIOPPIVS *elem. phil. Stoic. c. 125.* STANLEI. *p. 612. ſqq.* conf. PASCHIVS *de variis modis tradendi moralia, & introd. in rem lit. veter. p. 615.*

ſua explicuerant, ea quæ prima ſpecie admirationem movebant, re explicata, riſum movere, ut teſtatur CICERO. Candide agnovit id & confeſſus eſt SENECA, qui *magna*, ait, *promittitis, & quæ ne optari quidem, nedum credi poſſint. Deinde ingentia locuti, cum negaſtis pauperem eſſe ſapientem, non negatis ſolere illi & ſervum & veſtem & tectum deeſſe: - - Ita ſublato alte ſupercilio, in eadem, quæ ceteri deſcenditis, mutatis rerum nominibus.* Quibus quæ opponit LIPSIVS adeo frigida ſunt, & principium petunt, ut iis refellendis tempus impendi non debeat. Proditque ſecta in his paradoxis Stoica nativum familiæ ſuæ vitium, magnis verbis exigua & parva dicere, & verborum ſuperbia animos capere, frigidumque hanc in rem venari acumen: unde recte de iis PLVTARCHVS, [y] *omnia εἰς τὴν τῶν ἑώλων καὶ ψυχρῶν ἀγορὰν, in evanidorum ac frigidorum claſſem abjicienda eſſe.* Cuncta enim ad logomachias & meteora referebantur, qua de re docte commentantem, vide ſis, WERENFELSIVM. [z]

XXVI. Anima ſphæræ inſtar uniformis ſibi natura ſua eſt, cum nec ad exterius quicquam ſe extendit, nec cum eodem ullo intus concurrit, nec conſidit & comprimitur: ſed lumine illo illuſtratur, quo veritatem rerum omnium ceterarum, tum & in ipſa ſitam cernit. Ita de interno animæ lumine, ſive intellectus luce ANTONINVS, [a] qui facile intelligi poteſt, ſi recordemur, quod in phyſicis planum fecimus, animum hominis, eſſe divinæ eſſentiæ, adeoque ignis illius naturæ artificis particulam. Hanc rationem ex univerſi anima decerptam, menti ineſſe, Stoici conſtanter aſſerebant, & ab anima ſentiente & bruta diſtinguebant. Inde non in tres tantum partes hominem dividunt, ex quibus conſtet, corpuſculum, animulam, mentem; & in mentis ſive rationis, quæ tantum propria homini dicitur, cultu, repudiatis iis, quæ corpus & animulam reſpiciunt, & arbitrii noſtri non ſunt, maximam partem ponunt: ſed & mentem liberatam tum a corpuſculi & animulæ perturbationibus, tum a vertigine rerum externarum, puramque ac liberam ſibi viventem, deſtinataque volentem, ſphæræ aſſimilant, ſibi tantum viventem, & tranquille ac genio propitio degentem vitam. [b] Hæc Stoicorum inter mentem, animam & corpus diſtinctio [c] probe obſervanda, non vero cum Paulinis, ut evenit GATAKERO, [d] confundenda eſt, quibus πνεῦμα aliud longe eſt, quam Stoicorum νοῦς. Rectius cum intellectu Peripateticorum univerſali comparaveris, [e] qui νοῦς quoque illis dicitur, quanquam & Plato & ſequaces ita diſtinxerint, unde ſine dubio ſua Zeno furatus eſt. Luculenter vero diſcrimen ex ſectæ ſuæ mente exponit ANTONINVS, [f] qui expendendus. Scilicet corporis ſenſus ſunt, animæ affectus, mentis decreta. Priora & feris communia ſunt.

XXVII.

y) *De repugnant. Stoic. T. III. p. m. 11.*
z) *De logomachiis erudit. Opp. p. 461. ſeq.*
a) *Lib. XI. §. 12.*
b) IDEM *l. XII. §. 3.* conf. GATAKER. *ad h.l.*
c) IDEM *l. II. §. 2. l. VI. §. 32.*
d) *Ad l. c.* Antonini.
e) Conf. BVDDEVS *Anal. hiſt. phil. p. 142.*
f) *l. III. §. 16.*

XXVII. Anima libera eſt, ut agere queat, quod vult, neque enim extra quicquam eſt; quod jubere vel cogere queat: & cum Dei pars ſit, viribus quoque propriis gaudet & interna natura ſua ad virtutem parandam. [g]

XXVIII. Quod ſi vero animus conſideratur, quatenus neceſſario naturæ ſuæ vinculo toti cohæret, & pars ejus eſt, fati legibus ſubjectus, agere aliter non poteſt, quam prout nexus atque nodus ille ſacer, qui omnia colligat, poſtulat, & æterna cauſarum & eventuum fert ſequela. Quia vero & Deus ipſe huic fato ſubjectus eſt, & homo ejus pars eſt, liber nihilominus eſt, ut Dei providentia libera dicitur, quia natura ſua tantum ita ferente ducitur. Clarius hæc illa explicant, quæ ſupra ſtrictim ea de re inter phyſica Stoicorum de natura, fato, lege, libertateque totius diximus. Ex iis enim patet, eam non eſſe hominis libertatem, ut ex animi decreto agere queat vel non agere, vel ſequi hoc, illud relinquere; hoc enim illi denegandum eſt, qui catenæ fati implicitus, non poteſt aliter, quam univerſi ratio, & ſequela poſtulat: ſed libertatem hominis omnem conſiſtere in eo, ut ſponte ſequatur, quo fata eum trahunt, retrahuntque, ſicque ſe illi ordini attemperet, quem niſi ſequatur, coactum ſequi oportet. Qua de re Cleanthis ſupra verſiculos protulimus. Luculenter paſſim ea de re ANTONINVS, [h] qui non tanto ſtudio ſe occultat, ac Epictetus & Seneca, libertatis Stoicæ magnifici laudatores, qui tamen omne moralitatis fundamentum ita tollunt, dum hoc obſequium commendant. Audiamus SENECAM [i] ipſum: *Contrariis rerum æternitas conſtat: ad hanc legem animus noſter aptandus eſt; hanc ſequatur, huic pareat, & quæcunque fiunt, debuiſſe fieri putet, ne velit objurgare naturam. Optimum eſt pati, quod emendari non poſſis, & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui imperatorem gemens ſequitur; quare impigri & alacres excipiamus imperia, nec deſeramus hunc operis pulcherrimi curſum, cui, quicquid patimur intertextum eſt. Hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradit. &c.* En libertatem Stoicam.

XXIX. Simul objecta ſpecies cujuspiam eſt, quod bonum eſſe videtur, ad id adipiſcendum impellit ipſa natura. [k]

XXX. Primus animantis appetitus eſt, ſeipſum tuendi & ſervandi, qui ab initio natura ei convenit. Vbi vero natura id quod ſuum eſt, quærens unice ea invenit, quæ ſuæ conveniunt conſtitutioni, voluptate omnia animantia afficiuntur. [l] Ita ſe ab Epicureis diſtinguunt Stoici, appetitionem animantium primam ad voluntatem ferri afferentes, timebant enim, ſi natura voluptatem poſuiſſe in iis rebus videretur, quæ prima appetuntur, ne

g) Magnifice SENECA *ep. 41.* conf. *ep. 51.*

h) Lib. VII. §. 31. l. VIII. §. 41. l. X. §. 32. l. IV. §. 32. l. V. §. 3.

i) Ep. 107. Eadem eleganter ut ſolet, tradit Epictetus & in his libertatem jactat *l. III. diſſ. XXVI. p. m. 369.* qui cum Senecæ verbis conferri meretur. Add. *Amœn. lit. T. VIII. p. 446. ſeqq.*

k) CIC. *Tuſc. IV. 6.* STOB. *l. c. p. 175.* ubi etiam Stoica nomina appetitus practici explicantur.

l) LAERT. *l. VII. ſ. 85.* CICERO *de fin. l. IV. c. 5. l. V. c. 9.*

ne multa turpia ſequantur. [m] In verbis vero potiorem diſſenſum eſſe, recte intellectum utriusque ſectæ dogma declarat.

XXXI. Hanc appetitionem ſequuntur rerum cognitiones (καταλήψεις), & deſiderium inde enatum, ea conſequendi, quæ ad conſervationem naturæ ſuæ pertinent. [n]

XXXII. Vbi itaque homo intelligit, quid ſit, quod verum bonum poſſit dici, prima ea eſt conciliatio hominis ad ea, quæ ſunt ſecundum naturam. Simul autem cepit intelligentiam vel notionem potius, viditque rerum agendarum ordinem, & concordiam, ea æſtimat & ratione colligit, illud eſſe per ſe expetendum bonum, quod poſitum eſt in eo, quod convenientia (ὁμολογία) dicitur. Et hæc initia ſunt officiorum. [o]

XXXIII. Quando natura objecto ſpeciei cujusdam commota, ad id adipiſcendum impellitur ipſa natura, idque conſtanter prudenterque fit, βούλησις, id eſt, voluntas appellatur, ſin minus, libido: Si cum ratione movetur animus placideque atque conſtanter, tum illud gaudium dicitur, cum autem nimis & inaniter animus exultat, lætitia nimia dicitur. Si mala cum ratione declinamus cautio eſt, quæ ſine ratione & exanimatione humili, metus. Et hæ tres affectuum bonorum mentis ſpecies ſunt, quæ conſtantiæ nomine veniunt. Primarii hi ſecundarios continent. [p]

XXXIV. Ex falſis mentis procedit perverſio, inde autem variæ paſſiones & perturbationum cauſæ oriuntur, quæ ſunt averſæ a recta ratione contra naturam animæ commotiones, [q] ſuntque quatuor libido & lætitia, metus & ægritudo: quæ cum judicio fiant & opinione, peculiares habent ſpecies earumque definitiones. [r]

XXXV. In omnibus iſtis affectibus regnat opinio; eſt vero opinio aſſenſus infirmior; hinc perturbationes judicia ſunt, v. g. avaritia de pecunia quod honeſta ſit &c. Eſt autem opinio ſubitaneum quiddam ortum ex motu contrahente elationis mentis irrationalis, & præternaturalis, quatenus rationi non obſequitur. Sunt enim perturbationes violentæ. [s]

XXXVI. Omnium perturbationum fons eſt intemperantia, quæ eſt a tota mente, & a recta ratione, defectio, ſic averſa a præſcriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi nec contineri queant. [t]

XXXVII. Perturbationibus mens morbum contrahit quaſi, qui a parte ſibi oppoſita habet extremum ſuum. Multi in comparandis animorum perturbationibus cum morbis corporum fuere Stoici, qua in re Chryſippum induſtriam exercuiſſe teſtatur CICERO, [u] qui hanc rem pluribus exponit.

XXXVIII. Virtus eſt conveniens animi per omnem vitam diſpoſitio. [x]

XXXIX.

m) LAERT. *l. c.* CIC. *l. III. c. 5.*
n) *ibid.*
o) CICERO *l. c. c. 6.*
p) CICERO *Tuſc. Qq. l. IV. c. 6.* LAERT. *l. VII. ſ. 115.*
q) CIC. *l. c.* LAERT. *ſ. 110.*
r) *ll. cc.* STOBAEVS *p. 176.* ex his STANLEIVS *p. 598. ſeqq.*
s) *Citati.*
t) CIC. *l. c. c. 9. 10. 22. 23.* LAERT. *ſ. 115.*
u) *l. c.* conf. LAERT. *ſ. 115.* STOBAEVS *l. c.*
x) LAERT. *ſ. 89. 90.*

XXXIX. Virtuti contrarium eſt vitium; conſtatque vel ignorantia rerum earum, quarum cognitio virtutem abſolvit, vel vitiis, quæ ignorantiæ non ſunt. [y]

XL. Virtutum aliæ ſunt theoreticæ, aliæ practicæ. [z]

XLI. Virtutum aliæ primæ ſunt, aliæ primis ſubordinantur. Primariæ quatuor numerantur prudentia, temperantia, fortitudo, juſtitia. Prudentia verſatur circa officia, temperantia circa appetitus, fortitudo circa tolerantiam, juſtitia circa diſtributionem. Quælibet alias ſibi ſubordinatas comprehendit. [a]

XLII. Omnes virtutes, quæ ſcientiæ ſunt & artes, præcepta habent communia, & finem eundem, quamobrem etiam ſeparari nequeunt, invicem conjunctæ; quique unam habet omnes poſſidet, qui juxta unam vivit, juxta omnes vivit. [b] Intelligendum hoc de origine, modo, ſcopo & fine virtutis, non de objecto, cujus ratione virtus multiplex eſt.

XLIII. Virtutem qui habet, non contemplatione tantum, verum actione etiam valet, iisque rebus exercendis, quæ officium præſcribit.

XLIV. Medium inter virtutem & vitium nihil eſt, ut inter baculum rectum & curvum non datur medium. [c] Recte hoc & ex Stoæ mente intelligendum eſt. Nam non hoc illis placebat, non eſſe inter virtutem & vitium medium; talia enim indifferentia dari ſupra probavimus; ſed opponebant hoc Peripateticis, qui gradum atque exceſſum vel defectum in virtutibus & vitiis ponebant, contra quos diſputat ex Porticus præceptis CICERO. [d]

XLV. Virtus poteſt doceri, poſſunt enim ex malis boni fieri. [e]

XLVI. Virtus ipſa propter ſe ipſam eſt, non ob metum aliquem vel ſpem; in ea enim felicitas ſive beatitudo conſiſtit, dum efficit, ut naturæ convenienter vivatur. Variaſſe hic Panætium & Poſidonium, & docuiſſe, non ſufficere virtutem, ſed bona etiam valetudine & affluentia rerum, & robore, & reliquorum neceſſariorum, tradit LAERTIVS. [f] Ita in Peripateticorum caſtra tranſibant.

XLVII. Actionum, quæ ab appetitu procedunt, quædam officia ſunt, quædam præter officia, quædam neutræ. Officium prælatum eſt, cujus ut probabiliter acti ratio reddi poſſit, ut quod vitæ ſit conveniens, quæque actio naturæ dictatis eſt conſentanea. Præter officium eſt actio, quam omittere ratio exigit; neutræ actiones ſunt, quas neque præcipit, neque prohibet ratio. [g] Laudandi in eo magnopere Stoici, quod neglectam hactenus doctrinam de officiis diligenter in ſcholis ſuis tradidere, & juris naturalis principia atque regulas explicuere, hactenus omiſſas: id quod philoſo-

y) Prioris exemplum eſt injuſtitia, intemperantia, poſterioris, puſillanimitas *ib. ſ. 93.*

z) Panætius *ib. ſ. 92.*

a) *ibid.* STOBAEVS *p. 167.*

b) LAERT. *ſ. 125.* STOBAEVS *l. c.* PLVTARCH. *de Stoic. repugnant. T. V. p. 10.*

c) STOB. *l. c.* LAERT. *ſ. 127.*

d) *de fin. l. IV.* conf. ALDOBRAND. *ad l. c. Laërt.*

e) LAERT. *ſ. 91.*

f) *ib. ſ. 89.* conf. ANTONIN. *l. I. §. 16.* GATAK. *h. l.*

g) *ib. ſ. 108.* CIC. *de fin. l. II. c. 17. de Offic. l. I, c. 3.* STOBAEVS *l. c.*

loſophiam moralem Stoicorum ICtis Romanis commendavit, ut ſuo demonſtrabitur loco.

XLVIII. Officia duplicis generis ſunt, vel κατορθώματα vel καθήκοντα. Illa recte facta appellantur, ſuntque actiones juxta virtutem patratæ,[h] vel, quod ANTONINVS[i] habet, quæ a rationis cientur prodeuntque principio, & ad propoſitum ſibi finem recta proficiſcuntur, unde & actiones rectæ vocantur. Hæc media ſunt, vel communia facta, quorum, cur fiant ratio probabilis dari poteſt: rationes vero illæ oriuntur ex diſcuſſione dubiorum, quæ circa ea exiſtunt, a quibus ad agendum impellimur.[k] Notandum tamen καθήκοντα etiam in genere Stoicis quælibet officia deſignare.[l] Recta facta a nemine niſi a ſapiente perfecto attingi poſſunt, media omnium hominum ſunt.

XLIX. Etſi vero officia varie diſpeſci & in claſſes dividi poſſunt, prout varia objectorum dantur genera;[m] recte tamen & luculenter dividuntur in officia erga Deum, erga ſe ipſum, erga proximum.[n]

L. Religionis, ſive officiorum erga Deum ſumma eſt, rectas de eo habere opiniones, & pie eum colere.

LI. Recte vero de Diis opinatur, qui numen credit eſſe, rerumque humanarum curam gerere, etiam ſingularum; rebus humanis præſto eſſe, non ad bona vere ſic dicta duntaxat, ſed & ad vitæ hujus commoda & adminicula ſuppetias ferre.[o]

LII. Deus itaque ante omnia colendus, ad omnia invocandus, per omnia cogitandus, in omnibus agnoſcendus, & comprobandus, de omnibus laudandus & celebrandus; huic uni in omni negotio ſimpliciter obſequendum, ab ipſo, quicquid obvenerit, animo promto atque lubenti excipiendum atque amplexandum; nihil melius, nihil conducibilius, nihil tempeſtivius exiſtimandum, quam quod ille voluerit; quocunque ducere voluerit, citra tergiverſationem atque murmurationem obſequendum, locum, ſtationemque quam aſſignaverit, etiamſi mortem oppetere oporteret, tuendam & tenendam. Splendide de his, quæ magna cura collegit GATAKERVS,[p] & poſt eum I. FR. BVDDEVS,[q] differuere Stoici, ex principiis tamen phyſiologicis explicandi, quæ impios pulcherrimorum verborum ſenſus produnt.[r] Cogitandum etiam, imitatos Stoicos, quorum in ſcriptis pleraque hæc pietatis præcepta legimus, Chriſtianos ne viderentur hi θεοσεβέστεροι, quod alio loco[s] probavimus, fierique eo magis potuit, quo magis ratio totius ſyſtematis Stoici id permittebat, ut ex hactenus allatis eſt manifeſtum.

LIII.

h) CICERO *l. c.*
i) l. V. §. 14.
k) CICERO *l. c.*
l) Conf. BVDDEVS *Introd. in philoſ. mor. Stoicor. ex mente Antonini ſect. VI. §. 1. 2. p. 92. ſeq.*
m) Exempla habes in EPICTETI *Enchir. c. 37.* ARRIAN. *l. II. diſſ. XIV. l. III. diſſ. II.* SIMPLIC. *ad Enchir. Epicteti.*
n) ANTON. *l. I. §. 12. l. IIX. §. 27. l. IX. §. 22.* conf. DACIER *ad h. l.*
o) EPICTET. *l. c.* & ARRIAN. *l. I. diſſ. XII. 14. 16.* ANTONIN. *l. II. §. 11. l. VI. §. 43.* SENECA paſſim.
p) Præloq. ad Antonin. p. m. 11. *q) l. c.*
r) IDEM *Anal. hiſt. phil. p. 164. ſeqq.*
s) Diſſ. *de Stoic. ſubdolis Chriſt. imitatoribus.*

LIII. Eo tendere debet homo, officii erga ſe memor, ut ab omni affectu liber evadat, fiatque ἀπαθὴς, quem qui gradum conſecutus eſt, vir ſapiens eſt. Plena hujus præcepti ſunt Stoicorum ſcripta, [t] qui tamen ita intelligendi ſunt, ut primo obſervemus, hanc vacuitatem a perturbationibus & ægrotationibus mentis ſoli ſapienti perfecto obtingere, qualem in rerum natura non inveniri aliquoties monuimus: & ad quem tantum reſpexere, tanquam ad perfectum exemplum, unde affectuum aliquem in proficiente ſapiente uſum & moderationem eſſe non negarunt. [u] Deinde & hoc notandum, tria in perturbationibus momenta diſtinxiſſe Stoicos, primam animi a viſis commotionem, fortuito factam, conſenſionem voluntatis atque impetum. Primum momentum ad morales affectus non trahebant, monetque clare SENECA: [x] *Nihil ex his, quæ animum fortuito impellunt, affectum vocari debere; iſta enim pati magis animum, quam facere; ſed affectum eſſe, non ad oblatas rerum ſpecies moveri, ſed permittere ſe illis, & hunc fortuitum motum ſequi.* [y] Hoc probabant, & inculcabant, impetum, qui ſine aſſenſu mentis eſſe nequit, ſupprimendum eſſe. Ex quibus patet, Stoicos ἀπαθείας patronos, ab iis, qui μετριοπάθειαν commendarunt, non valde diſſidere, licet Peripateticorum affectus alterius generis ſint, quam Stoicorum.

LIV. Iuſte & ſapienter ac cum ratione ſapiens ſe ex vita educet; nec hoc tantum in neceſſitate ultima facit, ſed cum primum illi cœperit ſuſpecta eſſe fortuna. Nihil exiſtimat ſua referre, faciat finem an accipiat. [z] Cauſæ aſſertæ αὐτοχειρίας; non tantum, quia vita inter indifferentia eſt, & ipſa mors, ſumi igitur, non ſumi poteſt; ſed etiam quod interdum nexus rerum ita poſtulat, nec ſapiens ultra vivere in commodum bonum poteſt. Quod paſſim explicat SENECA, [a] *ſi qua dolor impedimento futurus ſit ad omne, propter quod vivitur, exeundum e vita eſſe.* Id quod non ad ſenectutis tantum incommoda, ſed ad res quoque lætas & corpus validum extendebant. Rem ex Stoicorum mente præclare explicat CICERO: [b] *Cum ab his, quæ ſecundum naturam fiunt, omnia proficiſcantur officia, non ſine cauſa dici, ad ea referri omnes noſtras cogitationes, & in his & exceſſum e vita & in vita manſionem. In quo enim plura ſunt, quæ ſecundum naturam ſunt, hujus officium eſſe, in vita manere, in quo autem ſunt plura contraria, aut fore videntur, hujus officium eſſe, e vita excedere.* Plura dabunt PLVTARCHVS [c] & STOBAEVS, [d] & ex recentioribus LIPSIVS. [e] Hinc exempla virorum magnorum, Stoi-

t) Vid. SENECA *ep. 16. 85.* CIC. *Ac. Qq. l. I.*

u) SENECA *de ira l. I. c. 8.* conf. LIPSIVS *Intr. in Phil. Stoic. l. III. diſſ. VII. p. 281. ſeqq.* ARRIAN. *l. III. diſſ. II.*

x) *De ira l. II. c. 3.*

y) Ideo Zeno affectus in rationali parte ponebat, ſecus ac alii philoſophi, conf. LIPS. *l. c. p. 284. ſeq.* Hinc non φαντασίας ſed συγκαταθέσεις, id eſt non viſorum incurſum, ſed approbationem huc revocat Epictetus apud GELLIVM *l. XIX. c. 1.*

z) SENECA *ep. 80.* LAERT. *l. VII. ſ. 130.*

a) *Epiſt. 58.*

b) *De finib. l. III. c. 17.* conf. STOBAEVS *l. c.* ANTONIN. *l. III. §. 1.* SENECA *ep. 17. 58. 70.*

c) *De repugn. Stoic. l. c.*

d) *l. c.*

e) *l. III. diſſ. XXII. p. 305.* GATAKER. *ad Antonini l. c.* Simile elegans adhibet Epictetus apud ARRIAN. *l. I. diſſ. XXV.* quo cum conferendus

cis præceptis imbutorum vetus narrat hiſtoria, qui vitæ finem ſua manu fecerunt, qualis fuit Cato Vticenſis.

LV. Sibi vivere & latere, & ſecurum & ſe contentum eſſe, ſapientis eſt. [f]

LVI. Conſummato die, cum ſapiens ad nocturnam quietem ſe recipit, interrogare animum ſuum, totumque diem ſcrutari, facta ac dicta remetiri, errores agnoſcere & emendare, magna pars officii viri boni eſt. Et Sextium hoc feciſſe & ſeſe, eleganti loco docet SENECA, [g] & quæ inde commoda ſequantur, enarrat. Tranſumtum hoc eſſe, ex diſciplina Pythagorica, ex iis liquebit, quæ capite ſequente de ea dicentur.

LVII. Præcipuum vero & nobiliſſimum ſapientis officium eſt, animum recte cognoſcere, ſibique non ignotum eſſe, eumque ad virtutis exercitium excolere. Inde vero & contemtus ſui & humilitas, & voluptatum fuga ſequitur. [h]

LVIII. Ab eo, quod ſapiens officii ſui eſſe novit, nulla vel vitæ nedum alius rei cujuspiam cupidine abduci, nulla mortis, cruciatusve, nedum damni aut detrimenti formidine abigi ſe permittit. [i]

LIX. Summa officiorum erga hominem ſibi congenerem conſtant dilectione omnium, [k] etiam inimicorum. [l] Fluit hoc quidem ex aſſertis Stoicis, mundum unam civitatem, unam patriam, unam familiam eſſe, cunctos eſſe partes univerſi, a quibus nemo ſe ſeparare poſſit, niſi communitate tota excidere velit, [m] adeoque, quod externis vocibus ſplendida præcipit, arcano ſenſu impietatem ſatis craſſam tegit: eleganter tamen & pie, ſi externas voces ſequeris, paſſim ea de re Stoici præcipiunt, quos magnificas has voces Chriſtianis quaſi furripuiſſe, vero eſt ſimillimum. [n]

LX. Boni itaque viri eſt, proximum diligere cordicitus, & curare et ſuſtinere, abſtinere injuria, eum beneficentia proſequi, nec ſibi ſoli genitum cenſere ſe, aut vivere, ſed in commune bonum, ac beneficum cunctis, pro facultatibus viribusque ſe exhibere; re ipſa, reique bene geſtæ conſcientia citra mercedem, teſtemque, commodive proprii intuitum contentum agere, a beneficio uno præſtito ad aliud tranſire, nec unquam benefaciendo defetiſci, nec extra ſe proinde quicquam vel laudis humanæ, vel lucelli aut aucupari aut expetere. [o]

LXI. Peccata omnia paria ſunt: Eſt & hoc inter paradoxa Stoicorum, quod paſſim inculcant. Rationem explicat LAERTIVS, [p] quia verum vero

dus ANTONIN. *l. V. §. 31.* conf. BVDDEVS *Anal. p. 192. Introd. in phil. mor. Stoic. Sect. VI. §. 12. p. 118. ſeqq.*

f) SENECA *epiſt. 55. 60. 68. 77.*

g) *De ira l. III. c. 37.*

h) Loca Stoicorum attulere GATAKERVS & BVDDEVS, quos conſule. Humilitati & voluptatis fugæ ut conſulerent Stoici, humi cubare ſolebant, quod ipſum Antoninum feciſſe ſuo loco enarrabitur, vid. CAPITOLIN. *c. II. vit. Ant.* & CASAVBON. *h. l.* qui etiam in Comm. *de veterum lectis & ſtragula veſte*, hunc morem inde ad Chriſtianos perveniſſe ait. conf. ANTONIN. *l. I. §. 16.*

i) ANTONIN. *l. VII. §. 44.*

k) IDEM *l. c. §. 12. 29. l. IX. §. 28.*

l) IDEM *l. IV. §. 37. l. VII. §. 26. l. XI. §. 9. 13.*

m) IDEM *l. XI. §. 8.* conf. BVDDEVS *analect. p. 201.*

n) Plura de eo dicta in diſſ. *de Stoicis Chriſt. imit.*

o) Loca Stoicorum huc pertinentia diligenter collegit GATAKERVS *præloq. ad Ant. p. 12. 13.* BVDDEVS *diſſ. prælim.* & nos *diſſ. citata.*

p) CICERO *parad. III.* LAERT. *l. VII. ſ. 120.* qui tamen refert Heraclidem Tarſenſem & Athenodo-

vero magis tale non eſt, neque falſum falſo, ita nec fraus fraude, nec peccatum peccato, nam qui parvum vel magnum delinquit, pariter abeſt a recto. Paria habet CICERO. [q] Id vero recte intelligendum eſt; paria enim eſſe peccata tradebant, ſi formaliter, ut loqui ſolemus, conſiderentur, quatenus nempe a virtutis via recedunt, quæ non niſi una eſt; non vero ſi materialiter expendantur. Rem explicat Chryſippus, [r] vel quisquis auctor eſt, excerptorum STOBAEI; [s] *Feruntur & manant omnia ab uno malitiæ fonte, judicio in omnibus peccatis eodem, id eſt pravo; ſed per cauſam externam, circa quam judicia perficiuntur, diſſimilia redduntur peccata in qualitate.* Pertinere vero & hoc ad λεπτολογίας Stoicas ex dictis patet, & a veteribus paſſim in Stoicis notatum eſt. [t]

LXII. Sapiens non ignoſcit, non miſeretur. [u] Ejusdem generis, quo reliqua, paradoxum, alieno verborum ſenſu decipiens. Ignoſcere enim Stoicis hoc loco idem eſt, ac pœnam contra jus fasque, malo homini remittere, qui ſciens volensque peccavit; miſereri, idem eſt, ac ſenſu miſeriæ ita tangi, ut cum perturbatione animi eum commoveat, & miſeriæ participem faciat. Vtrumque in ſapientem cadere non poſſe, ex notione ſapientis liquet. Non vero prohibebant parcere delinquentibus, imprimis ob cauſas varias delicti rationes extenuantes, ſed id non veniæ, ſed clementiæ opus eſſe dictabant. Pariter vehementer commendabant, ſuccurrere alienis lachrymis, dare manum naufrago, exſuli hoſpitium, egenti ſtipem: ſed iſta tranquilla mente hilarique vultu, proſcripta ægritudine animi ob alienarum miſeriarum ſpeciem fieri debere injungebant. [x] Vt igitur convitiis eorum, quibus male ideo audiebat ſecta Stoica, tanquam nimis dura, occurreret, monet SENECA: *Nullam benigniorem lenioremque eſſe, nullam amentiorem hominum, & communibus bonis attentiorem, ut cui propoſitum ſit, uſui eſſe & auxilio, nec ſibi tantum, ſed univerſis ſingulisque conſulere.*

nodorum imparia peccata feciſſe. *conf. Interpp. ad h. l.*

q) *l. c.* & de *fin. l. III.*

r) Ita ſuſpicatur LIPSIVS *diſſ. XXI. p. 360.*

s) *Eclog. eth. p. 183.* conf. LIPSIVS *l. III. diſſ. XXI. p. 360.*

t) Inſurgit eleganter in hoc paradoxum Stoicum HORATIVS *l. I. Serm. Sat. III.* hacque occaſione & reliqua ridet, imprimis illud: ſolum ſapientem eſſe regem:

vellunt tibi barbam
Laſcivi pueri: quos tu niſi fuſte coërces,
Vrgeris turba circum te ſtante, miſerque
Rumperis & latras magnorum maxime regum.

conf. PLVT. *de com. not. & de rep. Stoic.*

u) SENECA *de elem. l. II. c. 6. 7.*

x) Conf. LIPSIVS *diſſ. XIX. p. 349. ſeqq.*

SECTIO

* *

SECTIO II.
DE DISCIPVLIS ET SVCCESSORIBVS ZENONIS IN SCHOLA STOICA.

§. I.

Successores & discipuli Zenonis.

Detentis diu apud Zenonem tandem ad discipulos & successores progrediendum est, qui vel eo vivo acceptam a præceptore doctrinam tenuerunt, vel eam propagaverunt, & in Porticu post magistri fata docuerunt publice. Multos vero habuisse Zenonem discipulos testatur LAERTIUS, [a] qui aliquos quoque nominat: [b] Philonidem Thebanum, Calippum Corinthium, Posidonium Alexandrinum, Zenonem Sidonium, Cleanthem Assium ejus successorem. Addit his Persæum, Aristonem Chium, Erillum, Dionysium Metathemenum, Sphærum, Athenodorum Solensem, nobilia inter Stoicos nomina. Illorum ex parte mentio fiet in sequentibus, de his strictim adhuc commentandum.

Persæus.

§. II. PERSAEVS, [c] Demetrii filius Cittieus fuit, quem alii ejus familiarem fuisse, [d] alii servorum [e] unum extitisse, ajunt, qui ab Antigono ad eum describendorum librorum causa fuerant missi. Floruit itaque circa Olymp. CXXX. ut ex ætate Antigoni & Zenonis patet. Quod si epistolæ Zenonis fides est, misit eum Zeno, senex jam, ad Antigonum Gonatam, [f] ut eum novæ philosophiæ præceptis imbueret: dubiam tamen ejus fidem esse, ex ipso Persæo supra demonstravimus: Reversum tamen esse ad Antigonum, & tantum apud eum gratia valuisse, ut Acro-Corintho eum præficeret, a qua arce non Corinthi tantum, verum etiam totius pendebat Peloponnesi salus, veterum testimoniis constat minime suspectis. [g] Id tamen munus, philosopho minus aptum gerenti teste PAVSANIA fortuna non respondit. Arcem enim dolo Aratus Sicyonius expugnavit, dum Persæus convivio interesset. Is igitur Persæum arce dejecit, & mortis supplicio affecit, [h] quamvis PLVTARCHVS [i] tradat, eum evasisse, & falsitatem Stoici paradoxi: solum sapientem ducem esse, aliter ab Arato edoctum agnovisse. [k] Vatiniano eum odio prosecutum fuisse Menedemum Eretriensem, eo quod Antigono, Eretriensibus in Menedemi gratiam rempublicam restituere promittenti auctor fuerit, ne faceret, supra jam tetigimus. [l] Ferebantur LAERTII [m] tempore scripti ab

a) *l. VII. f. 36.*

b) *f. 38.* conf. MENAG. *ad h. l.*

c) Dorothei etiam nomen gessisse ait SVIDAS in *Persæus T. III. p. 100.*

d) LAERT. *f. 36.*

e) ATHEN. *l. IV. p. 162.* GELLIVS *l. II. c. 18.* SVIDAS *l. c.*

f) Dictum hac de re supra *Sect. I. §. 2.*

g) ATHENAEVS *l. c.* PAVSANIAS *in Corinth. c. 8. p. 130. & Achaic. c. 8. p. 511.*

h) PAVSANIAS *l. c.*

i) In *vita Arati T. VI. p. m. 296.*

k) Conf. LIPS. *Manud. l. I. diss. XII. p. 67. seq.*

l) LAERT. *l. II. f. 143.*

m) *l. VII. f. 36.* MEVRSIVS in *Cypro l. II. c. 31. p. 167.* FABRIC. *Bibl. Græc. Vol. II. p. 408.*

ab eo libri aliquot, qui vero interciderunt. Ex eorum aliquo decerpſit CICERO: [n] eos habitos eſſe Deos, a quibus magna utilitas ad vitæ cultum eſſet inventa. Diſcipulum habuit Hermagoram Amphibolitanum, cujus dialogi SVIDAE [o] memorantur.

§. III. ARISTO, Miltiadis filius Chius fuit, Phalantus cognominatus, forte ob calvitiem, & Siren, [p] ab eloquentiæ, ut conjicimus, dulcedine. [q] Patriæ Chii, maris mediterranei inſulæ inter Samum & Lesbum, confuſione cum Cea inſula accidit, ut Ariſto Cejus, cujus ſupra inter Peripateticos meminimus, & Ariſto Chius mirum in modum miſcerentur. Hinc ſcriptorum confuſio tanta, ut Panætius ex iis, quæ narrat LAERTIVS, [r] ſolos epiſtolarum ad Cleanthem libros ei relinquat, reliquos Peripatetico tribuat. In diſciplinam a Zenone admiſſus, propter loquacitatem diſplicuit, [s] cum ſermonis brevitatem ſectaretur Zeno. Perſæum quoque ſectatus eſt, ejusdem aſſentator, quod multa is apud Antigonum gratia valeret. [t] Nam voluptati vehementer, imprimis ætate provectiore, litaſſe, diſcipuli Eratoſthenes Cyrenæus, & Apollophanes tradiderunt. [u] Et hæc quoque cauſa fuiſſe videtur, cur a Zenone deficiens, cum is longo morbo implicaretur, ad Polemonem diſcederet, & paulo poſt propriam in Cynoſarge ſectam conderet, in qua aliquot etiam diſcipulos habuit, Ariſtonios nominatos; quæ tamen ſecta mox eviluit. Arceſilaum acerrime inſectatus eſt, omnemque philoſophandi rationem Academicam & Scepticam acerbe oppugnavit, [x] quæ ratio eſſe videtur, cur præfractum & ferreum vocaverit CICERO, [y] licet hoc etiam ad ſectæ inſtitutum pertinere queat, quam IDEM [z] difficilem & arduam fuiſſe teſtatur. De libris ejus videndi LAERTIVS [a] & ex eo FABRICIVS. [b] Momentum vero ideo in Stoicæ ſectæ hiſtoria habet, quod multa mutavit in ſyſtemate Stoico, propriam ſectam meditatus. Statuebat enim: *Ariſto Chius.*

I. Finem in rebus inter virtutem & vitium mediis conſiſtere, hoc eſt, indifferentibus, ita ut neutram in partem quis impellatur, neque minimam in iis differentiam admittat. Sapientem enim omnia decore agere. [c] Ita rejiciebat illa media, quæ Zeno in adiaphoris conſtituerat.

II. Phyſicam pariter & logicam repudiandam eſſe. Illam enim ſupra nos eſſe, hanc nihil ad nos pertinere: ſolam moralem philoſophiam ad nos ſpectare. [d] Videtur Stoicorum cavillationibus dialecticis fuiſſe offenſus, eos

n) *De nat. Deor. l. I. c. 15.*
o) *T. I. v. Hermagoras p. 857.*
p) LAERT. *l. VII. ſ. 160. ſeq.* conf. GODF. BVCHNER. diſſ. *de Ariſtone Chio, Ien. 1725.*
q) Qua ratione Satyrum tibicinem permoverit eloquentiæ dulcedine, ut tibia igni deſtinata philoſophiæ amore accenderetur, narrat AELIAN. *l. III. c. 33.*
r) *l. c.* Dictum hac de re ſupra *c. VII. ſ. 2.*
s) LAERT. *l. VII. ſ. 18.*
t) IDEM *ſ. 162.* ATHEN. *l. VI. p. 251.*
u) IDEM *l. VII. p. 281.*
x) LAERT. *ſ. 162.*
y) *ibid.*
z) *De legib. l. I. c. 13. Tuſc. Qq. l. V. c. 30.*
a) *l. c.*
b) *Bibl. Gr. vol. II. p. 390.*
c) LAERT. *ſ. 160.* SVIDAS *in* τέλος CLEM. ALEX. *Strom. l. II. p. 179.* CIC. *Acad. Qq. l. IV. cap. 41.*
d) LAERT. *l. c.* SEXT. EMP. *adv. Math. l. VII.* SENECA *ep. 89.*

eos enim telis aranearum assimilabat, quæ etsi subtilitatis & artis aliquid habere videantur, utilitatis tamen habeant nihil. Notat & hoc in Aristone SENECA, [e] quod singularia officia vel monitiones parum curaverit, generalibus intentus.

III. Virtutes nec esse multas, ut Zeno docebat, nec unam, quæ multis appelletur nominibus, ut Megarici: sed analogiam & relationem eas inter se habere. [f]

IV. Sapientem non opinari. In hoc paradoxo asserendo ei obluctatus fuit Persæus. [g]

V. Nihil differre aliud ab alio, nec esse res ullas præter virtutes & vitia, inter quas quicquam omnino intersit. [h] Pertinere hoc non ad indifferentiam logicam, quo sensu idem dixit Pyrrho, sed ad moralem, ex primo asserto patet.

VI. Homines ideo nasci, ut secundum virtutem vivant. [i]

VII. Neque formam Dei posse intelligi, neque in Diis sensum esse, omninoque dubitare se, Deus animans sit, nec ne. Assertionem hanc ex Aristone repetit CICERO, [k] & post eum recentiores aliqui, qui ideo Aristonem inter atheos numerarunt. [l] Videturque ideo his viris doctis vetus illud repetiisse, quæ supra nos nihil ad nos. Verum accuratius paulo, quam solet, in impingenda hac atheismi macula versandum est. Repetendum scilicet Aristonem in multis a Zenone recessisse, & physicam rejeciisse, quia ea, quæ ad naturam Dei mundique pertinent, tam ardua illi visa sunt, ut attingere veros sensus non liceret. Hoc ut demonstraret, ad ipsam Zenonis theologiam provocavit, qua ignem subtilissimum in æthere habitantem & per totum mundum se diffundentem Deum esse asseruerat. Inde conclusit Aristo, si Deus ignis ille artificialis sit, nec Dei formam posse intelligi, & in Diis sensum non esse, & dubitandum esse, an animal sit? cum nihil horum igni, quamvis subtilissimo, conveniat. Non itaque Deum in genere negasse Aristo dicendus est, sed Deum Stoicum, qui contradictoria quasi dogmata contineat. Qua ratione Aristo ex atheorum numero eximendus est. Obiit ex eo quod caput ejus calvum solaris æstus afflixisset. [m] Habuit discipulum, Eratosthenem Cyrenæum, Olymp. CXXVI. 1. natum, [n] quem præter Aristonem Lysanias Grammaticus, & Callimachus vir doctus & in omnibus disciplinis versatus erudiverunt, quibus ducibus ad optimarum disciplinarum eruditionem magnis passibus grassatus est, & celeberrimum sibi nomen in poëtica & grammatica arte, philosophia, & imprimis in mathematicis disciplinis peperit, sic ut Beta eruditorum dictus sit. [o] Is pri-

e) *Ep. 44.* illas ad pædagogos remittebat.
f) LAERT. *l. VII. s. 161.* *g*) LAERT. *s. 162.*
h) CIC. *de fin. l. V. c. 25.*
i) LACTANT. *l. VII. c. 7.*
k) CIC. *de N. D. l. I. c. 14.*
l) LESCALOPIER. *ad h. l. p. 60.* BAYLE *Dict. T. I. art. Ariste not. C. T. I. p. 321.* REIMMANN. *Hist. ath. c. XXVIII. §. 4. p. 194.*
m) LAERT. *s. 164.*
n) SVIDAS in *Eratosthenes T. I, p. 850.* LVCIAN. *Longæv. T. II. p. 834.*
o) Citati PLIN. *l. II. c. 108.*

primus fuit, cui nomen philologi datum eſt, [p] quia in philologia excellebat. Ob eam eruditionem a Ptolomæis Philopatore, & Epiphane bibliothecæ Alexandrinæ præfectus eſt. [q] Ceterum Ariſtoni relictæ ſectæ Stoicæ comes quaſi adjungendus eſt Dionyſius, ideo Metathemenos dictus, Heracleenſis, quia dolore, ut ſupra in Ariſtippo dictum, [r] victus Cyrenaicam, quod quidam contendunt, vel Epicuream potius ſectam elegit, finemque voluptatem poſuit. [s] Eruditionis variæ qua pollebat, teſtimonia ſunt ſcripta, quæ enumerat LAERTIVS. [ſ]

§. IV. ERILLVS, ſive Herillus, ita enim Cicero conſtanter nominat, Carthaginenſis fuit, temeratæ pudicitiæ in juventute reus; ut igitur caſtitatis ejus inſidiatores abigeret, caput ejus radi Zeno curavit. [ſſ] Diſceſſit & ipſe in quibusdam a præceptore: docuit enim: *Herillus.*

I. Finem ſcientiam eſſe; hoc non de nuda cognitione intellexit, ut CICERO [t] paſſim ejus ſententiam interpretatur, ſed teſte LAERTIO & SVIDA ita ſtatuit: ſemper ita vivendum eſſe, ut cuncta ad vitam cum ſcientia referas. [u] Qua ratione non tam ſpeculationum certitudinem, quam normæ, ad quam vivere debeas, commendavit. Scientiam autem definivit eſſe habitum ex viſorum, quæ ſub rationem cádunt, perceptione.

II. Aliquando tamen nullum eſſe finem, eum enim a rebus quandoque mutari, ut ſi idem æs & Alexandri & Socratis fiat ſtatua. [v]

III. Differre autem finem & quod fini eſt ſubordinatum, alterum enim ſapientibus æque ac ſtultis, alterum ſapientibus ſolis eſſe propoſitum.

IV. Quæ inter virtutem ſint ac vitium, eſſe adiaphora. [w] Libros ejus breves quidem, verum ſucci ac ſenſus plenos continuiſſe ea, in quibus a Zenone in diverſa abiit, teſtatur LAERTIVS: [x] hinc præter Cleanthem & Chryſippum in eum arma moviſſe, probabile eſt, quem duos libros *de hypotheſibus Herilli* ſcripſiſſe ait LAERTIVS. [y] Diſcipuli Herillii dicti ſunt, quo nomine a CICERONE [z] tanquam peculiaris ſecta Socratica cenſentur. Ea vero ſurgente ſole orta, cadente cecidit.

§. V. SPHAERVS Boryſthenites ſive Boſphoranus fuit, primumque Zenonem, poſt Cleanthem audivit, [a] cumque in philoſophia egregie proficiſſet, Lacedæmone docuit, & Cleomenem teſte PLVTARCHO, [b] erudivit. Poſtea ad Ptolomæum Philopatora Alexandriam ſe contulit, [c] ibique Stoicam eruditionem probavit, cum paradoxon Stoicum defenderet: ſapientem non opinari, & rex ei aviculas ex cera propoſuiſſet, quibus ille *Sphærus.*

p) SVETONIVS *de clar. grammat. c. 10.*
q) Plura de eo in Grammaticorum hiſtoria quærenda ſunt. conf. FABR. *Bibl. Græc. vol. II. p. 471.* ubi plura de eo & ejus cataſteriſmis hodie extantibus.
r) *Cap. III. §. ult.*
s) LAERT. *ſ. 166.* MENAG. *ad h. l.* conf. *l. V. ſ. 92. l. VII. ſ. 23. 37.* IONS. *De S. Hiſt. phil. p. 350.* FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 403.*
ſ) *ibid. ſ. 166. ſeq.*
ſſ) LAERT. *l. VII. ſ. 165. 167.*
t) Paſſim *l. II. de fin. Tuſc. Qq. l. IV. V.*
u) LAERT. *l. c.* SVIDAS in *τέλος T. III. p. 444.*
v) LAERT. *l. c.* *w*) *ibid.*
x) *ibid. ſ. 174.*
y) *ſ. 194.* conf. FABR. *l. c. p. 404.*
z) *De orat. l. III. c. 17.*
a) LAERT. *ſ. 177.*
b) *In Cleomene.*
c) ATHENAEVS *l. VIII. c. 13. p. 354.*

deciperetur. Distinguebat enim inter phantasiam comprehensionis & probabilitatis, & in illa, id est, clara perceptione sapientem non opinari, non in hac, confessus est, in ea enim falli ipsum posse dixit. Quæ nobile exemplum logomachiarum Stoicarum exhibent: quale & illud est, quod regessit objicienti: Ptolomæum ab eo pro rege non haberi: οὐκ εἶναι τοιοῦτον δὲ ὄντα τὸν Πτολομαῖον, καὶ βασιλέα εἶναι, [d] quorum verborum sensum non cepere interpretes LAERTII: Eo is tendit, natura quidem sua non esse Ptolomæum regem, quoniam vero eas qualitates & affectiones nactus sit, quæ ad regem requiruntur, ideo regem esse. Id enim εἶναι & τοιοῦτον εἶναι apud Stoicos significabat. Hominem imprimis bene definientem antiquis Stoicis habitum esse, testatur CICERO. [e] Libros ejus enumerat LAERTIVS, [f] inter quos est unus *de Heraclito*, quem primum Zenonianæ philosophiæ fontem fuisse, supra demonstravimus. Alios etiam de veteribus philosophis, v. g. *de Socrate*, *de Eretriacis philosophis*, *de elementis Empedoclis* exaravit libros. Tandem & ATHENODORVS Solensis, cum Cordylione Catonis familiari & Tarsensi, Augusti præceptore [ff] non confundendus, enarrandus est, ideo, quod contra communem Stoicorum doctrinam peccata æqualia esse negavit. [g]

Athenodorus.

Cleanthes.

§. VI. Zenoni defuncto successit in schola CLEANTHES, Asso Lyciæ, non Æoliæ, ut volunt STANLEIVS [h] & FABRICIVS, urbe ortus, Phaniæ filius. Is pugil primo fuit, tantæ paupertatis, ut drachmas tantum quatuor in bonis haberet, cum se ad Cratetem conferret. Ab eo ad Zenonem modestius philosophantem se contulit, eique constanter adhæsit, & in ejus doctrina perstitit. Laudem imprimis apud veteres meruit industria ejus atque laborum tolerantia, adeo ut in proverbium abiret. [k] Cum enim non haberet, ex quo viveret, paupertate cogente noctu in hortis hauriendæ aquæ operam locabat, quo posset interdiu vacare philosophiæ studiis: unde etiam φρεάντλος, *exhauriens puteos* dictus est. Quia vero perfecta tamen in tanta vitæ inopia fruebatur sanitate & integro corporis habitu, more Athenienſium in judicium pertractus est, ut rationem ederet, qua vitam sustentaret. Is cum hortulanum testem adduxisset, cui operam suam locare solebat, feminam item, cujus pinsebat farinas; adeo judices Areopagitas admiratione tolerantiæ & diligentiæ perculit, ut decem illi minas de publico ærario præbendas decernerent, quas tamen accipere vetabat Zeno. [l] Cumque aliquando ad spectaculum juvenes deduceret, ventus pallium evolvens, eum sine tunica esse, ostendit, id quod tantum ei applausum excitavit, ut publica is veste donaretur. [ll] Aliud diligentiæ specimen enarrat

d) LAERT. *l. VII. s. 177.*
e) *Tusc. Qq. l. IV.* *f*) *l. c.*
ff) De utroque *P. II.* hujus Hist. dicendi se offeret occasio, conferendus interea LIPS. *Manud. l. I. diss. XII. p. 70.* & FABRIC. *l. c. p. 391.*
g) LAERT. *l. c. s. 171.*
h) *Hist. phil. P. VIII. p. 643.* quem recte correxit b. OLEAR. Lyciæ enim urbem intelligi ex STRABONE *lib. XIII. pag. 610.* patet.
i) *Bibl. Græc. vol. II. p. 394.*
k) Narrant rem præter LAERTIVM *l. VII. s. 168.* SVIDAS in *Cleanthes T. II. p. 322.* VALER. MAX. *l. VIII. c. 7.* SENECA *ep. 44.*
l) Is obolos eum afferre jussit, quibus tantum corrasit, ut alium nutrire posset: LAERT. *l. c.*
ll) LAERT. *s. 169.*

enarrat LAERTIVS, [m] eum Zenonis magiſtri ſui dictata teſtis boumque oſſibus excepiſſe, quod ad chartam emendam pecunia non ſuppeteret. Etſi vero ingenio erat tardior, & ἀφύσικος, quo nomine mactatur a LAERTIO,[n] id eſt, naturæ dotibus deſtitutus, adeo ut aſinum condiſcipuli vocitarent,[o] pertinaciſſimo tamen ſtudio ita Zenonis diſciplinæ adhæſit, ut totam ejus philoſophiam comprehenderet: id quod eleganter expreſſit, dicteriis eum inceſſentibus diſcipulis reſpondens: aſinum ſe quidem eſſe, ſed ſolum ferre Zenonis ſarcinam poſſe. Id quod ipſe quoque Zeno teſtatus eſt, eum publice laudando, [p] & omnium plauſum meruit, ita ut Hercules novus diceretur, [q] & Zenoni, quem undeviginti annos audiverat, [r] ſucceſſor in ſchola deſtinaretur. Nec aliam vivendi rationem poſtea inſtituit, licet ab Antigono aliquando 3000. minis donaretur. [s] Tantaque ejus in Porticu fuit exiſtimatio, ut plurimi ejus inſtitutione uterentur, unde Stoicorum parens CICERONI [ſ] dictus eſt, inter quos Chryſippus quoque fuit, quem perperam ejus præceptorem facit VALERIVS MAXIMVS. [ſſ] Laudatur præter eruditionem Stoicam, quæ tamen teſte HIERONYMO [t] more ſectæ ſpinoſa fuit, propter laboris patientiam, animi pauciſſimis contenti continentiam, & parſimoniam, tolerantiam item injuriæ, & quæ aviæ ejus virtutes fuere, quæ celebre ei nomen pepererunt.[u] Laudabat enim ipſe veteres, quod olim in philoſophia res maxime curaſſent, cum hodie verba curentur, indeque cauſam derivabat, cur antiquiore ætate in tanta philoſophorum paucitate, plures tamen, quam ea ætate ſumma virtute enituiſſent. [v] Obiit inedia, cum LXXX. ætatis annum eſſet ſupergreſſus, [w] & abſtinentiam a cibo per biduum propter ulcus oris vel linguæ ei medici ſvaſiſſent: melius enim ſe habens, ſe dimidium viæ jam abſolviſſe profeſſus eſt, biduumque adhuc abſtinuit, & Stoica principia ſecutus ſic extinctus eſt.[x] Scripſit multa, quorum catalogum exhibet LAERTIVS, [y] quæ tamen omnia temporis invidia nobis eripuit, præter unum hymnum, quem ſupra ſectione prima laudavimus. [z] *Archæologias* ſcripſiſſe, teſtatur LAERTIVS, quas cum traditionibus fabuloſis ATHENAEO [a] memoratis idem ſcriptum eſſe, acute conjecit MENAGIVS. [b] Solebant enim Stoici vetera μυθολογέμενα, philoſophicis exornare rationibus, & ad ſyſtemata applicare naturalia. [c] Poſt mortem a civibus, vel Romanis potius ſenatus magnificentia, ſerius aliquantum egregia ſtatua ornatus eſt. [d] Alios duos Cleanthes nominat MENAGIVS. [e]

m) *ſ.174.* *n*) *ſ. 170. conf.* BARTH. *ad Claud. p. 101.*
o) *ib. ſ. 171.*
p) PLVT. *de vit. ær. alieno T. II. p. m. 475.*
q) LAERT. *ſ. 170.* *r*) *ib. ſ. 174.* *s*) *ibid.*
ſ) *De N. D. l. III.* *ſſ*) *l. c.*
t) *Lib. I. in Rufin.*
u) Huc faciunt apophthegmata adducta a LAERT. & STANLEIO *ll. cc.*
v) STOBAEVS *Serm. CCXII. p. 715.* ideo quoque laudaſſe Arceſilaum, quod vita doctrinæ incertæ non reſponderet, ſupra dictum in Arceſilao.
w) LXXX. ponit LAERTIVS, IC. LVCIANVS in *Longævis.* *x*) LAERT. *ſ. 176.* *y*) *ſ. 171. 176.*
z) Poſt Vrſinum eum edidit H. STEPHANVS in *Poëſi philoſ. p. 49. 124.* integrum vero ſyſtemati ſuo intellectuali *c. IV. §. 25. p. 515.* inſeruit RAD. CVDWORTHVS cum metaphraſi Latina IAC. DVPORTI. Totam eum Stoicismo ſcatere, etſi elegantiſſime perſonet, ſupra oſtendimus.
a) *Lib. XIII. p. 752.* *b*) *Ad l. c. Laërt.*
c) Id Cleanthem cum Chryſippo & Zenone facere ſolitum tradit CIC. *de N. D. l. III.*
d) SIMPLICIVS *ad Epict. p. m. 217.* ed. Wolf.
e) Ad LAERT. *l. VII. ſ. 176.*

Chryſippus. §. VII. Nemo tamen poſt Zenonem ſectam Stoicam ornavit magis atque nobilitavit quam CHRYSIPPVS, dignus, de cujus hiſtoria accurate diſpiciatur, [f] cum genium ſectæ nemo apertius prodiderit. Solis ortus eſt, [ff] urbe Ciliciæ, quæ Pompejopolis poſtea dicta eſt. Patrem Tarſenſem habuit, Apollonium, unde vel a parentis origine vel a vicinia Tarſenſem quidam [g] faciunt. Patrimonium fiſco regio addictum fuiſſe, tradit LAERTIVS, cauſam ejus rei tacens, [h] fœneratorem vero fuiſſe, & fœnoris fœnus accepiſſe prodit LVCIANVS, [i] niſi acerba ſatyra conficta philoſophis ſcelera objeciſſe conficta, hominem ad ridendos philoſophos totum compoſitum dicamus: quod tamen veriſimilius eſt, quam quod alii volunt, eum patrimonium regiis impendiſſe miniſteriis, quod verba LAERTII non exhaurit. Athenas delatus, Zenonem, juxta nonnullos, [k] audivit, vel potius, ut melioribus auctoribus relatum Cleanthem, a quo tamen, vivo adhuc, diſſentit: [l] id quod in Stoicorum ſchola non adeo infrequens fuiſſe, exemplis hactenus pluribus conſtitit. Refert tamen LAERTIVS, quoties adverſus eum diſputando proceſſiſſet, tanta ductum pœnitentia fuiſſe ut crebro diceret:

In ceteris felix ſatis videor mihi:
Aſt cum Cleanthe non ſuccedit res mihi.

Stoicæ ita philoſophiæ addictus reliquos mature ſuperavit, animi dotibus præclare a natura inſtructus. Laudant enim veteres in eo ſubtile ingenii acumen, in ima veritatis penetrans, unde & verſutus & callidus CICERONI [ll] audit. Studium quoque ejus & induſtria tanta fuit, ut quotidie quingentos verſus ſcribere ſolitus ſit, [m] cujus teſtimonium luculentum ſunt plurimi ab eo exarati libri. Audax præterea & promtiſſimus in diſſerendo & diſputando, qua in re totam fere vitam conſumſit. Vitiis vero non minus ingenii inſignis vehementer veteribus diſplicuit, etiam ex ipſa ſecta Stoica: hinc SENECA, [n] *ingenii ejus tanquam Græci acumen nimis tenue, quod in ſe retunditur, & in ſe replicatur, quod etiam, cum agere aliquid videtur, pungit, non perforat*, reprehendit. Tanta quoque ſui fiducia occupabatur, ut a præceptore doctrinas tantum ſibi exponi poſtularet, argumentorum inventionem ſuæ relinquendam poſceret induſtriæ.[o] Aliudque affert exemplum animi alta ſpirantis LAERTIVS; [p] a quodam interrogatum, cui filium commendaret, dixiſſe, mihi: nam ſi quempiam me excellere putarem, ipſe apud eum philoſophiæ

f) Pleraque de eo habet LAERTIVS *l. VII. ſ. 179. ſeqq.* reliqua veterum loca diligenter excuſſit P. BAYLE *Dict. T. II.* art. *Chryſippe p. 166. ſqq.* add. LIPSIVS *Manud. l. I. p. 56.*

ff) LAERT. *l. c.* STRABO *l. XII. p. 462.* SOLIN *c. 42.* ORIG. *contra Celſ. l. IV. p. m. 202.*

g) SVIDAS in *Chryſippus T. III. p. 691.* conf. FABRIC. *Bibl. Gr. vol. III. p. 392.*

h) Lancea ſe exercuiſſe ait *ſ. 179.*

i) In *vit. auct. T. III. p. m. 123.*

k) Apud LAERT. *ſ. 179.*

l) Hinc enatus Antipatro Tarſenſi liber *de diſcordia Cleanthis & Chryſippi*, cujus meminit PLVT. *de repugnant. Stoic. T. III. p. m. 4.* FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 385.*

ll) *De Nat. Deor. l. III. c. 10.*

m) Id ancilla ejus teſtata eſt, LAERT. *ſ. 180.*

n) *De benef. l. I. c. 3.*

o) LAERT. *ſ. 179.*

p) *ſ. 183.*

phiæ operam darem. Et huc referendum quoque eſt, quod nulli regi, more temporis ſui, ſcriptum ullum dedicavit, honoresque animi elatione ductus, aſpernatus eſt. [q] Etſi vero ſatis Stoice vivebat, vehementi tamen diſputandi contentione adeo inviſus aliis factus eſt, ut odia philoſophorum reliquorum, præcipue ex ſecta Academica & Epicurea, in eum quaſi conſpiraverint. Et quamvis mire ad quodvis excogitandum eſſet celer & acutus, & contradicendi ſtudio in omnes verteretur partes, non feliciter tamen ſatis contra adverſarios rem ſectæ ſuæ defendiſſe viſus eſt, conqueſtique ſunt Stoici, *dum ſtudioſe omnia conquiſierit, contra ſenſus & perſpicuitatem, ab Academicis diſputata, contraque omnem conſvetudinem contraque rationem, ipſum ſibi reſpondentem inferiorem fuiſſe, itaque armatum ab eo fuiſſe Carneadem.* Quæ CICERONIS [r] verba confirmat PLVTARCHVS; [s] illos ipſos, qui vim dicendi in Chryſippo admirati ſunt, adeo frequenter & ſerio adverſas ſuæ ſententiæ rationes propoſuiſſe, ut non tantum non cujusvis eſſet, perſpicere, quid ipſi placuerit; ſed & Carneades argumentis tantum a Chryſippo in utramque ſententiam prolatis uſus fuerit, ad eum aggrediendum; ideoque iſtos acclamaviſſe ei illud HOMERI:

Infelix tua te vis perdet,

quod magnas contra ſe dicendi anſas præbuerit illis, qui placita ipſius labefactare animum intenderent. Quin & hoc Chryſippo accidit, quod plerumque viris etiam magnis, ſed ſpiritu contradictorio gravidis accidere videmus, ut haut raro contradicendi & diſputandi æſtu abreptus ſibi contradiceret, cujus exempla pluſcula PLVTARCHVS, [t] in libello, quem *de Stoicis contradictionibus* reliquit, attulit: unde non Chryſippea omnia pro genuinis Stoicis habenda ſunt. Ceterum negari non poteſt, eruditionem poſſediſſe maximam, copiamque lectionis abundantiſſimam, qua cum plurimos veterum libros legeret & excerperet, eaque loca ſuis infarciret, ut ampliora eſſent, & nube teſtium uteretur, [ſſ] objectum [x] ei eſt præter rem [y] plagium. Iſta vero doctrinæ magnitudine & ingenii acumine, hoc ſectæ ſuæ, quin & aliorum meruit judicium, ut fulcire putaretur porticum Stoicorum, [v] & de eo dici ſoleret: [w]

Ni Chryſippus fuiſſet, Porticus non eſſet.

Aliter tamen de eo adverſarii & imprimis Epicurei, qui non candide ſatis cum magiſtro egiſſe, eumque præter culpam ſuam denigraſſe, conqueſti ſunt. [x] Etſi vero totam Zenonis philoſophiam illuſtravit, præcipue tamen

q) *ib. f. 185.*
r) *Acad. Qq. l. IV. c. 27.*
s) *De repugnant. Stoic. T. III. p. m. 7. ſeq.* conf. BAYLE *Dict. l. c. not. F.*
t) Pleræque enim repugnantiæ ex Chryſippo hauſtæ ſunt. conf. SCIOPPIVS *Elem. phil. mor. p. 165.* cujus verba adducit, BAYLE *l. c. not. E.*
ſſ) LAERT. *l. VII. ſ. 181. 182.*
t) ZWINGER. *theatr. vit. hum. vol. XIX. f. 3560.*
x) Non enim aliorum ſcripta ſua fecit, & pro ſuis venditavit, ſed loca prolixa eorum allegando ſua amplificavit, conf. IAC. THOMASIVS *de plagio liter. §. CCCLXXXVIII. p. 169. ſeq.*
v) CIC. *Acad. Qq. l. IV. c. 38.* Plura teſtimonia collegit MENAG. *ad* LAERT. *l. VII. ſ. 183.*
w) LAERT. *l. c.*
x) EVSEB. *præp. l. VI. c. 6.* conf. GASSEND. *vit. Epicuri l. III. c. 2. p. m. 86.*

men in dialecticis verſatus eſt, cujus argutias reliquis quoque diſciplinarum philoſophicarum partibus affricuit; tantaque ejus fuit, apud deliciarum iſtarum amatores admiratio, ut faſſi fuerint, ſi apud Deos dialecticæ uſus eſſet, non futuram eam aliam, quam Chryſippeam. [y] Non vero dictio tantum ejus minus commendabatur, ſed & ipſa illa argutandi ſubtilitas, in ſcirpo ſæpe nodum quærens, vel anilibus etiam argumentis in re maxime ſeria utens vehementer viris gravibus ex hac ſecta diſplicuit, [z] qui virilitatem ſectæ Stoicæ conciſis & minutis argutiolis, frigidis etiam ineptisque fabulis enervaſſe, queſti ſunt. Nec docendi tantum & diſputandi rationem, verum etiam ipſas, quas propoſuit doctrinas carpunt paſſim veteres, multaque ei in morali præcipue philoſophiæ parte paradoxa & minus ſana tribuunt, imprimis vero ſunt, qui ſevere ei fœdam exprobrent obſcenitatem. Ajunt enim turpiſſime de Iunone & Iove ſcripſiſſe, & talia, quæ nemo, qui puritatem oris tueri cupiat, dicere velit. Quod licet eo tenderet, ut Iovis & Iunonis amores naturalibus argumentis explicaret, ut ſolebant Stoici, dictionem tamen eam fuiſſe dicebant, quæ proſtibulis dignior eſſet, quam Diis. [a] Reprehendunt etiam, quod inceſtus licitos eſſe, docuerit, & nuptias cum matre filiave permiſerit: quod mortuorum carnibus veſci præceperit, & quæ alia ſunt hujus generis memorata a LAERTIO. [b] Quæ licet more tantum Stoicorum παραδόξως dixiſſe, vel ut diſputationi portam aperiret, affirmaſſe, adeoque dialectice magis, quam moraliter de iſtis argumentis diſſeruiſſe, veriſimile ſit, ſapiunt tamen ea ingenii in iſtis nugis atque tricis gloriolam venantis vanitatem animumque valde profanum. Graviora ſunt, quæ ei objicit perſpicaciſſimus P. BAYLIVS, [c] qui inter numinis hoſtes eum referre non dubitat, loco nixus PLVTARCHI, [d] qui refert: *Chryſippum & Cleanthem, cum implevisſent ſuis dictis, cœlum, terras, aërem, mare, diis, nullum horum ab interitu liberum aut ſempiternum ſtatuiſſe: ſolo Iove excepto, in quem reliquos omnes conſumi putent.* Ex quo dogmate abſurda quædam atque contradictoria Plutarchus, & cum eo Bælius, colligit, qui ita Deum non immutabilem, ſed mutabilem, & corruptibilem eſſe, colligunt. [e] Non attendit vero vir doctiſſimus, ut ſæpius ſolebat, ad totum ſyſtema Stoicum, cui receptum erat: ignem divinum ſive Deum per mundum fuſum omnes quidem mundi partes animare, verum in conflagratione univerſi, etiam iſtis mundi partibus combuſtis, retra-

y) LAERT. *ſ. 180.* Specimen ejus mirare in ſophiſmate, Sorites, dicto, unde *finitor acervi* dictus eſt PERSIO *ſat. ult.* conf. CASAVB. *ad h. l.* BAYLE *l. c. not. O.*

z) Vid. SENECA & EPICTETVS *ll. cc.* CICERO & PLVT. *ll. cc.* LVCIANVS *l. c.* qui miſere Chryſippum ſalſeque exagitat. conf. b. IO. ANDR. SCHMIDII diſſ. de *Chryſippea brutorum logica*, GATAKER. *l. c. p. 18.* LIPS. *Manud. p. 58.*

a) LAERT. *ſ. 187.* ORIG. *l. IV. contra Celſum p. m. 202.* qui ait, Chryſippum interpretatum picturam in Samo, ubi Iuno depicta eſt, morem gerens Iovis non nominandæ libidini.

b) *ſ. 187.* conf. G. ALB. HAGENDORN. *de moralibus Chryſippeis.* PASCH. *Intr. in rem lit. mor. l. III. §. 4. p. 611.*

c) *l. c. not. I.*

d) *De communibus notionibus adv. Stoicos T. III. p. m. 459.*

e) Plutarch. vero communibus, id eſt popularibus notionibus inſiſtit, Bælius philoſophicis, ad quod vir acutus & diligentiſſimus non ſatis attendit.

retractum iri divinitatis particulas in iis habitantes in Iovem, id quod ſupra luculenter, niſi fallimur, confecimus. Ex his vero conjicere potuiſſet acutiſſimus criticus, non de ſummo Deo ſermonem eſſe, ſed vel de Diis minoribus, vel de mundi potius partibus ab anima divina animatis, adeoque fruſtra vel populariter tantum argumentari Plutarchum, qui impietatem Chryſippo non alio nomine objicit, quam quod populares Deos interitui objiceret. Nec illi proprie pereunt, ut vult Bælius, & comburuntur, Iove in alium locum ſecedente; quæ nunquam Stoici dixere, ſed reducuntur in centrum ex quo progreſſi ſunt, retrahitque ignis divinus ſuas particulas, donec novo periodo eas emittat rurſus, idque æterna & inevitabili fati lege, quam Chryſippum omnium fortiſſime aſſeruiſſe, ſupra adducta ejus definitione fati demonſtratum dedimus. Nec receſſit Chryſippus a ſcholæ ſuæ decretis, ſed totam phyſiologiam ſuam iisdem, quibus Zeno, fundamentis ſuperſtruxit, de qua cum memorabilem locum nobis ſervaverit CICERO, eum, etſi longiuſculum apponere e re lectoris eſſe exiſtimamus, ut Chryſippeæ phyſiologiæ ſpecimen & ſupra dictorum exemplum habeat. Ita vero TVLLIVS: [f] *Ait Chryſippus, vim divinam in ratione eſſe poſitam, & univerſæ naturæ animo atque mente: ipſumque mundum Deum dicit eſſe, & ejus animi fuſionem univerſam: tum ejus ipſius principatum, qui in ratione & mente verſetur, communemque rerum naturam univerſa ac omnia continentem, tum fatalem umbram, & neceſſitatem rerum futurarum. Ignem præterea, & eum, quem antea dixi, æthera, tum ea, quæ natura fluerent, atque manarent, ut aquam, & terram, & aërem, ſolem, lunam, ſidera, univerſitatemque rerum, qua omnia continerentur, atque homines etiam eos, qui immortalitatem eſſent conſecuti. Idemque diſputat, æthera eſſe eum, quem homines Iovem appellarent, quique aër per maria manaret, eum eſſe Neptunum, terram eam, quæ Ceres diceretur: ſimilique ratione perſequitur vocabula reliquorum Deorum. Idemque etiam legis perpetuæ & æternæ vim, quæ quaſi dux vitæ, & magiſter officiorum ſit, Iovem dicit eſſe, eandemque fatalem neceſſitatem appellat, ſempiternam rerum futurarum veritatem: quorum nihil tale eſt, ut in eo vis divina ineſſe videatur.* Et hæc quidem in primo libro, *de natura Deorum. In ſecundo autem vult Orphei, Muſæi, Heſiodi, Homerique fabulas accommodare ad ea, quæ ipſe primo libro de Diis immortalibus dixerat, ut etiam veterrimi poëtæ, qui hæc ne ſuſpicati quidem ſunt, Stoici fuiſſe videantur.* Nihil in his omnibus eſt, quod non exacte & luculenter totius ſectæ Stoicæ theologiam & phyſiologiam referat, quare iis explicandis, quæ ſupra abunde dicta ſunt, ſuperſedemus. Ex his vero conſequitur, Chryſippo non aliter impietatis maculam poſſe inuri, niſi quatenus potiſſimum Stoæ fulcrum, princepsque Stoicorum fuit, & hæc ſecta ab impietate haud procul abfuit, uti ſupra demonſtravimus. Recte vero vir celeberrimus inde concludit, [ff] fati neceſſitati & legi illum tum

f) *De nat. Deor. l. I. c. 15.* ff) *not. H.*

tum Deum, tum homines eorumque voluntatem ſubjeciſſe, omniaque catenæ eventuum cum cauſis connexorum inevitabili ſubjeciſſe, ſicque Deum mali auctorem feciſſe, & hæc male a Lipſio excuſari & pingi. Ita enim fatalis illa neceſſitas omnino evincit. Sed ut ad Chryſippum redeamus, is potiſſimum propter ingentem ſcriptorum, quæ exaravit, numerum, memorandus eſt, qui ad DCCV. aſſurgebat, quorum catalogum, licet forte mancum,[g] nobis ſervavit LAERTIVS,[h] unde eum ſupplere conati ſunt viri quidam docti,[i] qui de iis adeundi ſunt. Inter hos, libros CCCXI. fuiſſe, dialectici argumenti, veteres perhibent, traditque VALERIVS MAXIMVS,[k] octogeſimo adhuc anno ſcriptum logicum exactiſſimæ ſubtilitatis cœpiſſe conſcribere. Nihil vero ex his omnibus exiguo philoſophiæ malo, ſupereſt, præter pauca ἀποσπασμάτια, quæ CICERO, PLVTARCHVS, SENECA, GELLIVS, nobis ſervaverunt, paſſimque laudatur ejus liber *de providentia*, licet de fato duriſſima tradiderit, ex quo colligi poteſt, more ſectæ ſuæ horrendis decretis pulchriorem eum fucum illeviſſe. Habuere vero eadem Chryſippei libri vitia, quæ πολυγράφοις plerumque accidere ſolent. Supra enim diximus, deſideratam fuiſſe ſoliditatem, & reſponſiones adverſariorum objectionibus largiſſime & fortiſſime allatis fuiſſe inferiores; addimus his, tam multa cum ſcriberet, in idem argumentum ſcribendi identidem incidiſſe, & quicquid in mentem ipſi venerit, literis committentem, ſæpe in aliis priora emendaviſſe, aliorumque teſtimoniis declaraviſſe: ita vero ſcriptorum locis ſua referſiſſe, ut Apollodorus dixerit: ſi quis tolleret de Chryſippi libris, quæ aliena ſunt, vacuam illi chartam iri relictum.[l] Obiit Olymp. CXLIII. ætatis anno LXXXIII.[ll] vel, ut alii volunt LXXIII.[m] Ridiculum vero eſt, quod de mortis ejus cauſa quidam narrant: riſu effuſum, dum ficus comedere aſinum videret, ſuæque, quæ ei miniſtrabat, aniculæ merum ei etiam præbere juberet, animam efflaviſſe.[n] Alii vocatum ad ſacrificium hauſto vino dulci incidiſſe in vertiginem atque obiiſſe quinto die tradunt. Poſt mortem in Ceramico interiori, ſive gymnaſio Ptolomæo[o] ſtatua ei poſita eſt, quæ ſedentis forma manumque extendentis eum, teſte CICERONE,[p] referebat. Colligit inde LAERTIVS,[q] exiguo & tenui fuiſſe corpore, quod fere poſt equum, proximo poſitum loco delituerit, ideoque Carneadem eum vocaviſſe Κρύψιππον, ab equo occultatum. Verum frigide hic conjicere Laërtium facile intelligi poteſt, cum ſedentis ſtatua, etſi juſtæ menſuræ, poſt equum ejusque ſeſſorem

g) STANLEIVS *P. VII. p. 651.*

h) *ſ. 189. 202.*

i) MEVRSIVS *ad Chalc. p. 31.* & in *Bibl. Gr.* IONSIVS *S. H. Phil. l. II. c. 8.* STANLEI. *l. c.*

k) *l. IIX. c. 10.* conf. BAYLE *l. c. not. B.*

l) LAERT. *ſ. 180.* BAYLIVS *l. c. not. C.* hæc conſtare non poſſe arbitratur, putatque in verbis Laërtii pro διοῤθώμενος ponendum eſſe ἀδιοῤθώμενος: dicere enim Laërtium, eum ex feſtinatione inemendate & tumultuarie ſcripſiſſe, alio loco *l. X.* Sed nihil in Laërtio mutandum eſt, ſed id vult Laërtius: Chryſippum, cum eadem ſæpe ſcriberet, priora mutaſſe, & emendaſſe, ſicque ſibi ipſi contradixiſſe, cum nihil diu ſatis, quod ſcriberet, eſſet præmeditatus.

ll) LVCIAN. in *Macrob. T. II. p. m. 829.* VAL. MAX. *l. c.*

m) LAERT. *l. c. ſ. 184.* SVIDAS *l. c.*

n) LAERT. *ſ. 184.*

o) Conf. MEVRS. *de Ceramico gem. c. 15. p. 46.* ex veteribus PAVSANIAS in *Attic. c. 17.*

p) *l. I. de fin. c. 11.*

q) *l. c.*

rem omnino deliteſcat. Poſitaque cum ſit ſtatua mortuo, ut ſolebat Athenis, intelligi non poteſt, quî Carneades, qui cum vivo controverſias fovit, eum hoc nomine potuerit traducere? Sunt & alii Chryſippi veteribus memorati, [r] a quibus nominis celebritate & ſectæ inſtituto facile diſtinguitur. Imagines ejus paſſim hodie occurrunt. [s]

§. VIII. Chryſippo in Porticus cathedra ſucceſſor datus eſt ZENO, quibusdam Tarſenſis, aliis Sidonius. [ſſ] Patrem Dioſcoridem Stoicæ philoſophiæ gnarum fuiſſe, ex eo colligi poteſt, quod ad eum libros ſcripſerit Chryſippus. [t] Paucorum autorem librorum, ſed plurimorum diſcipulorum magiſtrum fuiſſe LAERTIVS [u] tradit. Reliqua ad eum pertinentia fere deſiderantur omnia. Non receſſiſſe videtur a Stoicæ ſectæ placitis, niſi quod in illa de conflagratione mundi ſententia aſſenſionem retinuiſſe ajat Numenius apud EVSEBIVM. [v] Sunt, ut jam ſupra monitum, qui non Chryſippum, ſed Zenonem hunc a Carneade ſumto prius ad purgandum caput helleboro, oppugnatum dicant. [w] *Zeno Tarſenſis.*

§. IX. Poſt Zenonem in doctorum Stoæ publicorum numero apparet DIOGENES Seleucia natus, [x] qui tamen frequenter propter viciniam Babylonius audit. Præceptoribus uſus eſt Chryſippo & Zenone Tarſenſi, a quo, ut philoſophiæ daret operam, perſuaſum fuiſſe, PLVTARCHVS [y] tradit. Tanta vero diligentia Stoicæ philoſophiæ impendit operam, ut magnus & gravis Stoicus dici CICERONI [z] meruerit: quæ ſine dubio cauſa Athenienſes permovit, ut eum Carneadi & Critolao legatis Romam mittendis adderent: qua de re in Carneadis vita dictum eſt. Laudabile in eo eſt, quod SENECA narrat, ei de ira differentem adoleſcentem protervum conſpuiſſe, hocque illum leniter & ſapienter tuliſſe, non quidem iraſci ſe, dicentem, ſed dubitare tamen, an iraſci oporteat? Periere libri ejus *de divinatione, & Minerva*, quos memorat CICERO. [a] Ad longam is illum vixiſſe ſenectutem dicit, [b] LVCIANVS [c] LXXXVIII expleviſſe annos tradit. *Diogenes Babylonius.*

§. X. ANTIPATER Tarſenſis Diogenis ſucceſſor fuit & diſcipulus. Alii Sidonium faciunt, vel Antipatrum potius Tarſenſem, & Sidonium eundem fuiſſe, credunt, [d] quos alii [e] inter ſe melius, noſtro judicio, diſtinguunt. Homo acutiſſimus CICERONI, [f] inter magnos vero Stoicæ ſectæ auctores *Antipater Tarſenſis.*

r) Videndi de iis IONS. *l. c. l. II. c. 8. p. 154.* MEVRS. *l. c.* MENAG. *ad* LAERT. *l. IIX. ſ. 186.*

s) In VALENTIS *Cilicia numis illuſtrata*, GRONOVII *theſ. Antiq. Græc. T. III. lit. S.* in Diog. Laërt. WETSTENII.

ſſ) LAERT. *l. VII. ſ. 38.* SVIDAS *T. II. v. Zenon p. 9.*

t) ibid.

u) ib. FABRICIVS *l. c. p. 415.*

v) De præp. ev. l. XV. c. 18. p. 830.

w) Conf. IONS. *de S. H. P. l. II. c. 1. p. 116.*

x) LAERT. *l. VI. ſ. 81.* LVCIAN. in *long. T. II. p. m. 829.*

y) De vit. Alexandri T. II. p. 347.

z) Tuſc. Q q. l. III. c. 12.

a) De divin. l. I. c. 3. de N. D. l. I. c. 15.

b) De ſenectute c. 7.

c) l. c.

d) VOSSIVS *de nat. Log. c. IIX. §. 18. de ſectis philoſ. c. XIX. §. 12.* STANLEIVS *P. VII. p. 655.* LIPSIVS *Manuduct. l. I. diſſ. XI. p. 61.* IONSIVS *l. II. c. 1. p. 114.*

e) Ipſe VOSSIVS *de hiſt. Græc. l. III. p. 324.* IONSIVS *l. I. c. 13. p. 71.* FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 388.* De Sidonio vide LAERT. *l. VII. ſ. 29.* CIC. *de fato c. 3. de Orat. l. III. c. 50.* ubi verſiculos ex tempore fudiſſe dicitur.

f) De officiis l. III. c. 12.

res SENECAE[g] audit. Cum Carneade non quidem voce, ſcriptis tamen, vehementer contendit, unde *καλαμοβόας* dictus eſt.[h] Varia ſcripſit veteribus memorata, de quibus conſulendus IO. ALB. FABRICIVS.[i] Non confundi vero debet, ut a STANLEIO[k] factum, cum Antipatro Tyrio.[l]

Panætius.

§. XI. PANAETIVS Rhodius, a ſeniore ejusdem nominis diſtinguendus,[m] hunc in ordine ſucceſſionis Stoicæ excepit. Is majores bellicis rebus claros habuit,[n] ipſe vero philoſophorum caſtra ſecutus eſt, magnam nactus nominis gloriam;[o] hominem enim ingenuum fuiſſe & gravem CICERO[p] teſtatur, quæ cauſa Scipionem & Lælium permovit, ut eum amicitia & familiaritate ſua dignarentur. Humane enim magis & naturæ animi convenientius philoſophatum fuiſſe, GELLIVS[q] teſtatur, qui *ἀπάθειαν* eum improbaſſe refert. Sic & alios philoſophos Ariſtotelem, Xenocratem, Theophraſtum, Dicæarchum ſemper in ore habuit,[r] Platonisque magnus admirator fuit, quem omnibus locis divinum, ſapientiſſimum, ſanctiſſimum, Homerumque philoſophorum appellabat,[s] ſententiam tamen ejus de immortalitate non probabat. Aſtrologorum prædictiones contra reliquorum Stoicorum mentem rejeciſſe CICERO[t] teſtatur, qui tres ejus *de officiis* libros vehementer commendat. Apud Romanos certe, apud quos inter primos philoſophiam Romæ docuit, ut ſuo loco tradetur, ſumma in exiſtimatione fuit, & principibus viris chariſſimus.[u] Diu vixiſſe ex CICERONE colligi poteſt, Athenis vero obiit.[v] Diſcipulos habuit magnos viros Mneſarchum, Poſidonium, Lælium, Scipionem, Fannium, Hecatonem, Apollonium Nyſeum, Polybiumque.[x] Non de philoſophia tantum, ſed & de ejus hiſtoria meruit, ſcripto *de ſectis* libro, quem laudat LAERTIVS,[y] qui tamen cum reliquis periit. Illos, qui convivandi cum eo cauſa convenere, Panætiaſtas vocatos eſſe, ATHENAEVS tradit.[z]

Poſidonius.

§. XII. Tandem & POSIDONIVS Syrus Apameæ natus,[a] Rhodique diu diverſatus, unde Rhodius quoque dicitur, inter Stoicos primi nominis nominandus eſt. Non magiſtratum tantum Rhodi geſſit, ſed etiam Stoicam philoſophiam in ſchola publica docuit,[b] Athenis enim in Porticu doce-

g) Epiſt. 92. ARRIAN. *l. III. diſſ. XXI.*

h) PLVTARCH. *de garrulit. T. II. p. m. 319.*

i) l. c. p. 388. *k) l. c. p. 655.*

l) Meminit ejus CICERO *de Off. l. II. c. 24.* & vixit Carneadis temporibus. Alius eſſe videtur Antipater Tyrius, Catonis Vticenſis familiaris. vid. FABR. *l. c. p. 388.* quem tamen miſcet OLEAR. *ad l. c.* STANLEI.

m) SVIDAS *T. III. v. Panætius ſen. p. 18.* FABRIC. *l. c. p. 406.* MEVRS. *Rhod. l. II. c. 10. p. 101.*

n) STRABO *l. IV. p. 655.*

o) Vid. CIC. *Ac. Qq. l. IV. c. 33. De fin. l. I. c. 2. de offic. l. II. c. 14.*

p) l. IV. c. 9.

q) l. XII. c. 5. conf. CIC. *de fin. l. IV. c. ult.*

r) CICERO *de finib. l. IV. c. ult.*

s) IDEM. *Tuſc. Qq. l. I. c. 32.*

t) De divinat. l. I. c. 3. 7. l. II. c. 42.

u) CICERO *de fin. l. IV. c. 9.* conf. LIPSIVS *l. c. p. 63.*

v) SVIDAS *l. c.* triginta vixiſſe annis poſtquam libros de officiis ſcripſerat, refert CICERO *de offic. l. III. c. 2.* Aut itaque ſcripſit valde juvenis, aut obiit ſenex. Hoc LIPSIO placet *l. c.* illud IONSIO *de Scr. Hiſt. phil. l. II. c. 13. p. 178.* qui nativitatis annum ponit Ol. CLII. mortis Ol. CLXX. quem videſis.

x) CICERO *de div. de officiis, in Bruto* & alibi paſſim.

y) l. II. ſ. 87.

z) l. V. p. 186. ubi etiam Diogeniſtas, Antipatriſtas, &c. memorat, qui ejusmodi *συνόδους* convivandi cauſa habuerunt.

a) STRABO *l. VII. p. 316. l. XIV. p. 655.*

b) Conf. veterum teſtimonia apud MEVRS. *de Rhodo l. II. c. V.*

docebat Mneſarchus.[c] Tanta vero ejus fuit celebritas, ut ad eum audiendum ex Syria decedens Pompejus; cum Rhodi appuliſſet, & limina ejus acceſſiſſet, percuti fores a lictore de more vetaret, & faſces ſubmitteret. Cumque audiviſſet, graviter eum eſſe ægrum, quod vehementer ejus artus laborarent, voluit tamen nobiliſſimum philoſophum viſere, quem ut vidiſſet & ſalutaviſſet, honorificisque verbis proſecutus eſſet, moleſteque ſe ferre dixiſſet, quod eum non poſſet audire, tum ille: tu vero, inquit, potes: nec committam ut dolor corporis efficiat, ut fruſtra tantus vir ad me venerit: itaque graviter & copioſe de hoc ipſo, nihil eſſe bonum, niſi quod honeſtum eſſet, diſputavit, dolore ſuppreſſo & neglecto.[d] Eum ſe ipſum quoque audiviſſe ait CICERO,[e] Romam vero a M. Marcello A. V. C. DCCII. adductum SVIDAS[f] teſtatur. Laudatur ob modeſtiam & veritatis ſtudium,[g] librosque erudite ſcriptos, inter quos cum unus etiam *de mundo* fuerit,[h] inducti ſunt quidam, ut libellum de mundo, qui Ariſtoteli tribui ſolet, Poſidonii fœtum eſſe dicerent.[i] Totus enim libellus iſte hypotheſibus ſcatet Stoicis. Sphæram, teſte CICERONE[k] artificioſam conſtruxit, cujus ſingulæ converſiones efficiebant in ſole & in luna & in quinque ſtellis errantibus, quod efficitur in cœlo ſingulis diebus & noctibus. Memorantur & alii veteribus Poſidonii a noſtro diſcernendi.[l]

§. XIII. Et hi quidem, celeberrimæ inter Græcos ſectæ Stoicæ, potiores fuere doctores magna nominis laude incluti, reliqui, vel minorum gentium fuerunt, aliis memorati,[m] vel poſt C. N. vixerunt in ſecunda hujus hiſtoriæ parte enarrandi. Nominari tamen debet IASON,[n] Poſidonii nepos, qui ei in ſchola apud Rhodenſes ſucceſſit, cujus ſcripta laudat IONSIVS.[o] Addi poſſent mulieres Stoicæ,[p] niſi vitæ potius conſtantia, quam philoſophiæ laude emicuiſſent. Et hic quidem Socraticæ ſucceſſionis ramus ultimus eſt. *Iaſon.*

c) CICERO *Acad. Qq. l. IV.* IONSIVS *de Scr. Hiſt. phil. l. II. c. 13. p. 180.*

d) Rem narrat CICERO *Tuſc. Qq. l. II. c. 25.* conf. PLIN. *l. VI. ep. 30.* LIPSIVS *manud. l. I. Diſſ. XI. p. 64.* MENAG. *ad* LAERT. *l. VII. ſ. 39.*

e) *De N. D. l. I. c. 3.* Phaniam quoque diſcipulum habuit LAERT. *l. VII. ſ. 38.*

f) SVIDAS in *Poſidonius T. III. p. 159.*

g) GALENVS apud LIPS. *l. c. p. 65.*

h) LAERT. *l. VII. ſ. 142.*

i) ALDOBRAND. *ad* LAERT. *l. VII. ſ. 138. 152.* Add. GASSENDVS *T. I. opp. p. 145.*

k) *De N. D. l. II. c. 34.*

l) Inter hos eſt Poſidonius Alexandrinus, Zenonis Cittiei diſcipulus, vid. LAERT. *l. VII. ſ. 38.* Alios enumerat FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 410.*

m) Catalogum habes apud FABRIC. *l. c.*

n) Menecratis Niſæi filius, Poſidonii e filia nepos. SVIDAS in *Iaſon T. II. p. 91.*

o) *l. III. c. 2. p. 218. De S. H. P.*

p) MENAG. *Hiſt. mul. philoſ. p. 74.*

* *

CAPVT DECIMVM.

DE SECTA ITALICA, SIVE PYTHAGORICA.

SECTIO I.

DE VITA ET PHILOSOPHIA PYTHAGORAE.

§. I.

Connexio ſucceſſionis philoſophiæ Græcanicæ.

Majorem hactenus partem ſectarum Græcanicarum perluſtravimus, earumque condidimus hiſtoriam, quotquot nempe a Thalete ortæ philoſophiam inter Græcos propagarunt. Reſtat alter ſucceſſionis philoſophiæ Græcæ, quam initio diximus, ramus, ſectarumque a Pythagoræ ortarum hiſtoria, eadem methodo pertractanda. Quemadmodum enim ex Ionica ſecta tota Socraticorum cohors prodiit, ita ex Italica ſecta Eleatica, Heraclitea, Epicurea & Pyrrhonia enatæ ſunt. Et ſunt quidem, ut ſupra capite primo dictum, qui tres ſectarum philoſophicarum fontes agnoſcunt, Eleaticam pro tertia ſectarum matre conſtituentes, verum id ſine cauſa ſatis gravi fieri ibidem demonſtravimus. Sectam itaque Italicam hoc capite perluſtrabimus, quæ, ut mos erat antiquitus, a loco, ubi condita floruit, parte Italiæ inferiore, nomen accepit, ſerius ab auctore Pythagorica nominata. [a] Quæ pars Italiæ cum præter vicinas inſulas, Græcis coloniis ſcateret, Græcia inde magna vocata eſt, hincque ſectæ in his oris natæ recte Græcis accenſentur. Priusquam vero celeberrimi Italicæ ſcholæ parentis hiſtoriam exponimus, dicendum nobis paucis eſt, de præceptore ejus Pherecyde, hominum inter Græcos philoſophantium fere primo, qui tamen ſectam nullam condidit, adeoque ad ſectam nullam referri commode poteſt. Is enim Pythagoram ad philoſophiæ diſciplinam perduxit, dignusque adeo eſt, qui in veſtibulo hiſtoriæ Pythagoricæ paulo attentius conſideretur.

Pherecydes præceptor Pythagoræ.

§. II. PHERECYDES, Babys vel Badys filius [b] gente Syrus vel Syrius, non ex Syriæ regione, ut, præter veteres quosdam, viſum eſt GROTIO, [c] ſed ex Syro inſula, quæ una eſt ex Cycladibus, [d] Delo vicina, circa Olymp. XLV. [e] ortus eſt. Diſciplina philoſophica ubi efformatus ſit,

a) Antiquius nomen ſectæ Italicæ, quam Pythagoreæ, unde frequenter apud veteres occurrit, vid. LAERT. *l. I. ſ. 13.* ARISTOT. *de cœlo c. 1.* CICERO in *Cat.* & ex recentioribus IO. SCHEFFER *de nat. & conſtit. philoſ. Ital. c. 2. p. 10.* L. VIVES *ad* AVG. *de C. D. l. IIX. c. 2.* BVDDEVS *Anal. hiſt. phil. p. 41.* Extat tamen nomen Pythagoreorum jam apud ARISTOTELEM *Meteorolog. l. I. Metaph. c. 6.*

b) Prius STRABO *l. X.* habet, & SVIDAS in *Pherecyd. T. III. p. 592.* poſterius LAERTIVS *l. I. ſ. 116.* exigua pronunciationis diverſitate.

c) *Ad Matth. VII, 6.*

d) SVIDAS *l. c.* hinc CICERO Syrum dicit paſſim, PLINIVS *l. VII. c. 56.* Syrium.

e) SVIDAS *l. c.* conf. DODWELL *de æt. Pyth. p. 4. ſeqq.* qui Bentlejum ad Olymp. XXXV. Pherecydem referentem notat, quod hiſtoricum cum philoſopho confuderit.

ſit, veteres diſſentiunt. LAERTIVS Pittaci diſcipulum fuiſſe ait,[f] exigua veriſimilitudine,[ff] cum nec iſti viri ſapientes præceptores juvenum ſe præſtiterint, uno Thalete excepto, nec ratio philoſophiæ Pittaci cum Pherecydis conveniat; ex quo ſequitur, fruſtra quoque eos[ff] eſſe, qui Pittacum patre Thrace natum Thracicis inſtitutis imbutum fuiſſe, nulla prorſus veriſimilitudine aſſerunt.[g] SVIDAS, communi tantum rumore ductus, refert,[h] præceptorem eum non habuiſſe, ſed propria ſe exercuiſſe induſtria, comparatis ſibi arcanis Phœnicum libris. Quæ quoque HESYCHIO placuerunt,[i] & recentiori ætate viro magno, nuperque ingenti eruditi orbis & elegantiorum literarum jactura denato, nobisque, dum viveret, amiciſſimo ISAACO DE BEAVSOBRE,[k] qui cum, more ſuo, hanc opinionem elegantiſſima eruditione ornaverit, omnino audiendus & expendendus eſt. Is vero non SVIDAE tantum & EVSEBII[l] auctoritate, a Phœnicibus ſua transſumſiſſe Pherecydem tuetur,[m] ſed & probat dogmatum Pherecydis theologicorum conſenſu cum Phœnicibus, quæ Manichæis vicina fuiſſe putat, ſtatuiſſeque non tantum principia eſſe duo, Deum & materiam, ſed eſſe etiam Ophionidem Deum, a Pherecyde introductum, non alium, niſi ſerpentem ſeductorem, indeque eum, FICINO[n] auctore, bellum quoque angelorum rebellium contra Deos didiciſſe, quod dogma ad Platonem poſtea pervenerit: eſſe itaque probabile, Pherecydem arcanos Chami libros apud Phœnices ſancte cuſtoditos nactum, ſuam inde theologiam efformaviſſe. Licet vero hæc magna eruditione ornet vir præſtantiſſimus, fatemur tamen, infirmas admodum videri nobis rationes, quas affert. Suidæ enim & Euſebii auctoritatem eo minus momentum habere, notum eſt, quo magis uterque ſine critico examine rapuit & congeſſit, quæ ſcopo ſuo inſervire putavit, quæque theologiæ barbaricæ, quam ſemina Chriſtianæ continuiſſe Patres eccleſiæ credebant, honorifica eſſe exiſtimavit. Nec conſenſus theologiæ Phœniciæ cum Pherecydis placitis urgeri poteſt. Patebit enim ex infra dicendis, eadem fere tradidiſſe Pherecydem[l], quæ theologi barbari & Græci vetuſti plerique imprimis theogoniarum ſcriptores aſſeruerunt, nec ea eſſe Phœnicia magis, quam Aegyptiaca, vel Orphica & hujusmodi alia. Quæ vero a ſerpentum Deo rationes deducuntur, belloque inter Deos aſſerto, adeo obſcura ſunt,[o] & more Pherecydis ad imitationem veterum theologorum, ſymbolice tantum dicta, ut impoſſibile ſit, certam vel veriſimilem tantum eorum dare explicationem, cum ſuo loco jam demonſtratum ſit, veteres theogoniarum ſcriptores, quos ſecutus eſt Pherecydes, partes mundi naturales in Deos converſas, hominesque magnos inter

f) *l. c.*

ff) Hermippus apud IOSEPH. *contra Apion. l. I.* quem ſequitur VOSSIVS *de ſectis c. VI. §. 2. p. 29.*

g) Notaverunt idem SCHEFFERVS, *l. c. p. 15.* & IOH. FR. BVDDEVS *de peregr. Pythag. §. VII. Anal. hiſt. phil. p. 9.* *h*) *l. c.*

i) EVSTATHIO quoque in *l. XV. Odyſſ.*

k) *Hiſt. des Manichéens P. II. l. I. ch. 7. §. 4. ſeqq. p. 325. ſeqq.*

l) *Præp. l. I. c. 16. p. 41.*

m) Apud MAX. TYR. *Diſſ. XIX. p. 711.* ed. Heinſ. EVSEB. *l. c.*

n) In *argum. Apolog. Socrat.*

o) Comparat ideo Pherecydem CLEMENS ALEXANDR. *l. V. p. 571.* Heraclito obſcuro dicto.

ter Deos relatos inter ſe miſcuiſſe, ſicque theologiam & philoſophiam naturalem, quam ex traditione acceperant, cum hiſtoria veteri fœde confudiſſe, & inextricabiles ita nodos in explicandis theogoniis nobis ſtruxiſſe. Adeo quoque, ſi de hac re ſupra ſuo loco dicta, conſulamus, theogoniſticum ſyſtema [p] a Manichæo diverſum eſt, ut probabile non ſit, Pherecydem vel theogoniſtarum alium de lapſu & rebellione dæmonum quicquam tenuiſſe, vel tetigiſſe. Nec Euſebii vel Ficini interpretationes audiendæ ſunt, quos indignos in hac re judices eſſe, ſyncretiſticum eorum ſtudium cuncta veterum cum ſacris conciliandi evincit. Nec meliora ſunt, quæ de Chami libro, ex quo ſua accepiſſe Pherecydes viro doctiſſimo dicitur, auctore Iſidoro, Baſilidis filio, [q] qui ſub Trajano & Hadriano vixit, allata ſunt. Hos enim homines hæreticos veterum plurimis ejusmodi libros magno ſuppoſuiſſe numero, PLOTINVS jam conqueſtus eſt, & innumerabilis ejusmodi librorum ſeges, quæ primis poſt natum Servatorem ſeculis effloruit, teſtatum fecit. Alii itaque & ſuſpecti minus teſtes producendi ſunt, ſi credi debeat, ex Chami libris ſua clam hauſiſſe Pherecydem: præſertim cum ea, quæ Pherecydi adſcribit MAXIMVS TYRIVS [r] nec propria ſint Phœnicibus, ſed communia omnibus theologis vetuſtis, materiæ a mente commotæ acceſſiſſe litem & amicitiam; nec accurata ſatis, cum amor non ad ſumma principia ex eorum mente pertineat, ſed ad ſecundaria & ſubordinata. Sed de his in ſequentibus plura; hæc enim in præſentia ſufficiunt, ut oſtendant, Suidæ & Heſychii hac in re traditionem de ſurrepta Phœnicibus theologia Pherecydis veriſimilitudine carere. Nobis ceteris expenſis omnibus probabilitate non deſtituta videtur IOSEPHI [s] ſententia, Pherecydem philoſophiam ſuam in Aegypto didiciſſe. Hoc non tantum ſuadet commune omnis fere Europæ tum temporis præjudicium, Aegyptum ſedem eſſe omnis eruditionis, quod plerosque magnos viros coëgit in Aegyptum deſcendere, & ejus regionis theologiam & philoſophiam addiſcere; ſed & ratio docendi ſymbolica, qua Pherecydes uſus eſt, cujus exemplum poſtea adducemus, quæ tota Aegyptiaca eſt. Immo ipſa doctrinæ Pherecydeæ facies Aegyptiacæ haud diſſimilis id ſatis demonſtrat, ut ex ejus delineatione, ſi cum Aegyptiacis *libro primo* deſcriptis conferatur, luculenter pateſcet: Et vel ſolum de immortalitate dogma, quod magno veterum conſenſu Pherecydi tanquam primo inter Græcos aſſertori adſcribitur, Aegyptiacas origines ſatis prodit. Non audiendus itaque eſt SVIDAS, [ſſ] ſui, ut ſolet immemor, qui paulo poſt ζηλοτυπῆσαι τὴν Θάλητος δόξαν, *opinionem Thaletis ſectatum fuiſſe*, ait, qua in conjectura epiſtola Pherecydis ad Thaletem, quam exhibet LAERTIVS, [t] deceptus eſſe videtur, quam fictam & ὑποβολιμαῖον eſſe, omnes fere lineæ produnt, & acute demonſtravit

p) Conſuli hic debent ea, quæ de theogoniſtico ſyſtemate ſupra ſuo loco dicta ſunt. Hiſtoriam veterem qui in iis invenit, facile, quam infirme a V. C. adducta ſint, videt.

q) Apud CLEM. ALEX. *l. VI. Strom. p. 642.*

r) *l. c.*

s) *l. c.*

ſſ) *l. c.*

t) *l. c. ſ. 122.*

vit magnus SALMASIVS. [u] Aliter TZETZES,[v] qui Thaletis præceptorem facit, non feliciori conjectura. Reliquæ vitæ Pherecydis circumſtantiæ apud veteres paucæ atque mancæ ſunt; plerique ſtupenda & præter naturalia de eo memorant: navem plenis velis utentem mergendam, prædixiſſe, & mox eveniſſe illo inſpectante: hauſta ex puteo aqua prædixiſſe terræ motum poſt triduum & ita eveniſſe, Meſſanam capiendam ab hoſtibus prædixiſſe; Epheſiis victoriam morte ſua paraviſſe, quæ omnia latius exponit LAERTIVS. [w] Exiguam tamen ea omnia fidem inveniunt, ſi ea repetantur, quæ *libro ſecundo* de Epimenide, Orpheo, Lino, Muſæo, Melampode, Abari, aliisque obſervavimus, fuiſſe magnis viris inter veteres pleraque ea afficta, ut tradita ab ipſis religionis decreta auctoritatem inde acciperent, occaſione a peritia eorum phyſica deſumta. Attendenda quoque eſt Porphyrii apud EVSEBIVM [x] obſervatio, Theopompum, qui iſta narrat, ea ſuffuratum eſſe Androni, Pythagoræ tribuenti. Quod licet veriſimile omnino videatur, prodit tamen, cuncta ad decipiendum popellum excogitata fuiſſe, ut in ſequentibus de Pythagora quoque demonſtrabimus. Primus de natura rerum inter Græcos ſcripſiſſe dicitur LAERTIO,[y] quod cum Thaleti ipſe LAERTIVS & alii veterum[z] tribuant, multum inde laborem ſuſcipit MENAGIVS, [a] ut utrumque Laërtii locum inter ſe conciliet. Quæ tamen vel cum magno BOCHARTO ita facile conciliantur: Pherecydem primum fuiſſe, qui de rerum natura aliquid in literas retulerit: Thaletem enim nihil ſcripto reliquiſſe ſupra obſervatum eſt, vel, quod nobis magis placet, Pherecydem, teſte STRABONE [b] & APVLEIO [c] poſt Cadmum Mileſium primum fuiſſe, qui verſuum nexu repudiato, conſcribere auſus ſit, paſſis verſibus, ſoluto loquutu, libera oratione fabularem theologiam. Certe librum *de natura & Diis*, quem laudat LAERTIVS ita ſcriptum fuiſſe, ex initio libri ab eo adducto patet. [d] Fuiſſe etiam ab eo in Syro inſula heliotropium, ſive parapegma, quo ſolſtitia & æquinoctia & ſiderum orientium & occidentium ſignificationes per aliquot annorum ambitum ſignificabantur, aſſerit LAERTIVS. [e] Suſpicatus tamen eſt, non ſine ingenio eruditiſſimus BOCHARTVS, [f] ejus in Syro inſula ſciatherii haud obſcuram mentionem fieri apud HOMERVM, [ff] cujus rationes apud ipſum quærendæ ſunt, ſane ſciatheriorum uſum longe antiquiorem Pherecydis ætate eſſe, ex Hezechiæ Iudææ regis hiſtoria notum eſt. De morte ejus

u) Ad SOLIN. *p. 842. ſeqq.*

v) *Chil. II. hiſt. 55.* apud MENAG. *ad* LAERT. *ſ. 119.* ubi Pherecydes etiam perperam Aſſyrius dicitur, ut & apud AVGVSTIN. *ad Voluſian. ep. 3.*

w) *l. c.* & quos ex veteribus *ad h. l.* laudat MENAG.

x) *De præpar. Ev. l. X. c. 2. p. 464.*

y) *l. c.* conf. SCIPIO AQVILIANVS *de plac. phil. ante Ariſt. c. XVIII. p. 77.* qui tamen valde jejunus eſt.

z) LAERT. *l. c.* LACTANT. *l. III. c. 14.*

a) Ad LAERT. *l. I. ſ. 116.* *b*) *Lib. I.*

c) In *floridis* conf. PLIN. *l. VII. c. 56.* SALMAS. *Exerc. Plin. p. 591.*

d) Conf. FABRIC. *Bibl. Græc. vol. I. p. 779.* SVID. Theogoniam ſ. Theologiam, de generationibus Deorum nominat, ea vero idem de natura rerum opus mythologice conſcriptum fuiſſe videtur.

e) *ſ. 119.*

f) *Geogr. S. l. I. c. 14. p. m. 445.*

ff) *Odyſſ. o. v. 402.*

ejus variant veteres: [g] Quidam, ut prædixerat, mortuum inventum, ab Ephesiis in agro Magnesio, post partam victoriam; sepultum ajunt magnifice. Quidam profectum Delphos e monte Corycio se ipsum dejeciſſe memorant: plerique [b] morbo pediculari consumtum tradunt, quod ideo justa Deorum indignatione ei eveniſſe ait AELIANVS, [i] quod discipulis jactaverit, se, etiamsi nullam Diis rem sacram faceret, nihil injucundius vel tristius vitam agere, quam qui hecatombas sacrificarent. Quæ ab invidia sacerdotum, philosophos superstitionis oppugnatores premente excogitata fuisse, nemo temere dubitabit. Pythagoram discipulum hunc præceptorem suum sepeliviſſe ait Aristoxenus, de quo infra [k] pluribus. Ætatem ei LXXXV. annorum quidam tribuunt, Olymp. LIX. floruisse LAERTIVS ait: Fuere alii quoque Pherecydes & imprimis Athenienſis, Genealogus dictus, ob enarratas theogonias, qui confundi cum nostro non debet. [l]

Doctrina Pherecydis.

§. III. Philosophia, vel theologia potius Pherecydis qualis fuerit, difficile est statuere. Tum quod ænigmatice, ut tum temporis solebant, & sub allegoriarum velo dogmata proposuit, tum quod pleraque interciderunt, & pauciſſima tantum fragmenta nobis relicta sunt. Nos ea sparsim disjecta colligemus & conjecturis nostris, ubi alia desunt, tantisper illustrabimus, donec alii clariorem lucem afferent. Præsupponimus vero, quod in antecedenti §. jam tetigimus, verisimile esse, Pherecydem eandem theologiam, quam ex Ægypto in Græciam transtulere theologi antiquiſſimi, tenuisse, eam vero non versuum quidem nexu & ligata oratione, sed dictionis tamen genere poëtico & mythico expreſſiſſe. His suppositis non plane desperandum esse putamus de vero sensu initii libri ejus de rerum initio: [u] *Ζεὺς μὲν καὶ χρόνος εἰς ἀεὶ, καὶ χθὼν ἦν. Χθονίη δὲ ὄνομα ἐγένετο γῇ, ἐπιδεὶ αὐτῇ Ζεὺς γέρας διδοῖ. Iupiter quidem idem semper ac tempus, & tellus erat. Telluris autem nomen terra fuit, postquam Iupiter ei præmium dedit.* Pro χρόνος apud HERMIAM [m] est Κρόνος, Saturnus, quo modo etiam apud Laërtium legendum esse conjecit ISAACVS CASAVBONVS, [n] ille tamen mox addit: Ζῆνα sive Iovem, esse ætherem; χθονίην terram, κρόνον tempus. Et hoc quidem recte, ita enim theogoniæ omnes, quæ Iovi & chao tempus adjunxere. Paria fere habet CLEMENS ALEXANDRINVS, [o] apud quem Iupiter Ζὰς dicitur. Χθονίην vero terram explicant, non LAERTIVS modo, sed & SEXTVS EMPIRICVS, [p] HERMIAS, [q] & MAXIMVS TYRIVS, [r] aquam vero illum cum Thalete ista voce intellexisse ACHILLES TATIVS [s] vult, reprehensus ideo a IO. ALBERTO FABRICIO. [t]

Neque

g) Apud LAERT. *l. c.*
b) Loca eorum adduxit MENAG. *ad h. l.*
i) *Lib. IV. c. 28.*
k) Vid. interim quos laudat MENAG. ad LAERT. *l. I. f. 118.*
l) Vid. SVID. in *Pherec. Athen. l. c.* VOSSIVS *de hist. Græc. l. IV. c. 4.* MENAG. *ad* LAERT. *l. I. f. 119.* SALMAS. *Exerc. Plin. p. 599.* DODWELL. *de æt. Pyth. §. 4. p. 101.*
u) LAERT. *l. I. f. 119.*
m) In *irrif. gentil. c. 12.*
n) *l. c.*
o) *Strom. l. VI.*
p) *Pyrrh. hyp. l. III. c. 4. f. 30. adv. Math. l. IX. f. 359.*
q) *loc. cit.*
r) *Diſſ. XIX. p. 171.*
s) *Iſagog. in* ARAT. *c. 3.*
t) *Ad l. c.* SEXT. EMP.

Neque tamen utraque pars aliter intelligi poteſt, quam de ſtatu chaotico, χθὼν enim Pherecydis aliud nihil eſt, quam Mot Phœnicum, vel chaos theologorum, vel aqua etiam Thaletis; terræ enim nomen chaos poſt ſuſceptum mundi ornatum tantum accepit. ff Scilicet plerique veterum chaos tanquam maſſam turbidam cœnoſo limo infectam conſiderabant, quia globi terraquei prima elementa in eo latuiſſe credebant: qua de re ſupra actum. Addit his MAXIMVS TYRIVS, t adpoſuiſſe Dei & chaus, principiis amorem: quod facile concedi poteſt, non vero intelligi debet, de principio aliquo abſoluto, ſed ſubordinato, nempe motu illo ſemel in tempore impreſſo chao a Iove, ut homogenea coirent, diſcederent a ſe heterogenea, quæ itaque ad materiam ſemel a Deo commotam & quaſi imprægnatam referenda ſunt. Difficilius explicatu eſt, quid χρόνος, vel tempus quæ eadem eſſe notavimus, ſignificent? Cel. MOSHEMIO u videtur Pherecydes ſidera, quorum annuis curſibus conficiuntur & menſurantur ſecula, æterna feciſſe, & cum terra Deo adjunxiſſe: his vero obſtat, quod chaos formam poſt tempus demum, quod ab æterno apud Iovem fuit, a Iove acceperit, ad eam autem ſidera quoque pertineant: monetque ipſe vir magnus, ſtatuiſſe quosdam tempus, antequam tempus illud eſſet, quod mundi converſione afficitur. Nobis, ſubobſcuram quidem Pherecydis phyſiologiam fuiſſe, non negatur, ad veterum vero Græcorum theologorum mentem explicandam eam eſſe, non abs re ſtatuitur. Eo enim, uti hiſtoria Pherecydis nititur, ita rem ſatis luculenter id explicat. Nam I. ex dicto Laërtii loco verbisque Pherecydis apertum eſt, Iovem, tempus, & maſſam terraqueam ſive limoſam, i. e. chaos unum fuiſſe. Mutat quidem poſt SALMASIVM, v cel. BEAVSOBRIVS w verba Pherecydis ἐὶς ἀεὶ, in εἰς ἀεὶ, quia priora abſurdum ipſi ſenſum fundere videbantur; ſed præter rem; nihil enim aliud dixit Pherecydes, quam quod Græcorum theologorum alii quoque profeſſi ſunt: Iovem, tempus & chaos unum conſtituiſſe. x II. Inde vero ſequitur, incluſum Iovem in chao ab immenſo tempore latuiſſe. III. Tempus vero ſemper ſimul adfuiſſe: tempus autem cum absque motu antecedentis & conſequentis concipi nequeat, recte inde concluditur, Pherecydem Deum non otioſum & immobilem, ſed æterna emanatione materiæ & expulſione ex ſinu ſuo activum feciſſe. IV. Vbi vero, neſcio an fati neceſſitate vel latentis Dei arbitrio materia formari cœpit, impreſſum eſſe amorem & litem, id eſt leges motus mechanicas, quæ homogenea componerent, heterogenea ſepararent: Eum porro V. amorem præmium Iouis fuiſſe, id eſt ejus tanquam principii activi beneficio exortum, adeoque non ad primaria univerſi principia referendum eſſe. Forte huc quoque pertinent, quæ Pherecydi

ff) LAERT. *l.c.*
t) *l. c.*
u) *Ad* CVDWORTH. *p. 441.*
v) *In Solin. p. 841.*
w) *l.c. p. 328. not. 3.*

x) Repetendum hic ex TATIANO *l. c.* Iovem ex mente Pherecydis eſſe ætherem ſubtiliſſimum. Ex eo enim ſequitur, Pherecydem chaos Iove gravidum eundem fere in modum conſtituiſſe, ut Stoici fecere.

tribuit PROCLVS: [y] Iovem in amorem converſum eſſe, cum vellet mundum condere, niſi hæc Pherecydis potius genealogi fuerint, quod placet cel. MOSHEMIO. [z] VI. Hunc amorem per varias rationum ſeminalium in materia latentium virtutes a Iove impreſſas varium mundo ornatum & figuram & partes dediſſe, quem mundi ornatum, cum pallio variegato comparaviſſe Pherecydem, tradit CLEMENS ALEXANDRINVS. [a] VII. Ex his varios Deos ortos eſſe, ſive homines illi terrigenæ, vel e cœlo delapſi fuerint, ſive partes mundi; nam deficientibus monumentis Pherecydis nihil de eo ſtatui poteſt: hoc vero ſimillimum vero eſt, & Ogenos CLEMENTI ALEXANDRINO [b] memoratos & Ophionides, [c] & bella Deorum [d] in hunc cenſum referri debere, cum tota Deorum natione Pherecydi memorata. VIII. Ex quibus omnibus ſequitur, quod Pherecydi ARISTOTELES [e] tribuere videtur τὸ γεννῆσαν ἄριστον εἶναι, *cauſam eam, quæ omnia genuit, optimam eſſe.* IX. Ex his intelligi quoque atque explicari poteſt, obſcurum emblema Pherecydis a CLEMENTE ALEXANDRINO [f] conſervatum, quo quercum alatam & pallium, quod in ea eſt, variegatum depinxit, licet ejusmodi ſymbola mille interpretationes recipiant, prout quis Pherecydi mentem tribuit, unde CHR. SANDIVS [ff] animæ imaginem, FABRICIVS [g] naturæ univerſæ, BEAVSOBRIVS [h] divinitatis ſymbolum in hoc Pherecydis ænigmate inveniſſe ſibi viſi ſunt. Nos ſalvo magnorum virorum honore & judicio neutrum Pherecydis mentem exprimere putamus, ſed ad ipſum, quod explicatum dedimus, Pherecydis ſyſtema reſpiciendum eſſe ſtatuimus, quod eleganti emblemate ita depinxiſſe nobis videtur. Quercus enim, uti omnium arborum duriſſima & æternitati proxima, ita æternæ materiæ, Deo æterno gravidæ, ſive chaus cum Iove juncti imago eſt; cum vero materia æterna emanatione jactata fuerit, unde tempus utrique principio addidit Pherecydes, illa motus in chao viciſſitudo alarum ſymbolo expreſſa eſt. Cum denique chaos in varium & ornatiſſimum mundum formaretur, pallium varium, ſymbolum eleganter ei appictum eſt. Ne vero ſolis conjecturis noſtram firmemus explicationem, notabilem locum CLEMENTIS ALEXANDRINI [i] dictis jungimus, ubi literatiſſimus eccleſiæ doctor obſervat, Pherecydem ea, quæ HOMERVS ita dixit:

Tellurem, mareque & cœlum fabricatus in illo eſt
Oceani magnam & vim fluminis indidit illi,

ita ſua feciſſe: Ζᾶς ποιεῖ Φάεος μέγα τε καὶ καλὸν, καὶ ἐν αὐτῷ ποικίλλει γῆν

y) *Comm. in Tim. Plat. l. III. p. 156.* conf. CVDWORTH. *Syſt. int. c. IV. §. 33. p. 615.*

z) *Ad h. l.* conveniunt vero etiam ſyſtemati Syrii philoſophi: & uterque in eodem argumento, ſed diverſa ſcribendi ratione verſatus eſt.

a) *Strom. l. V. p. 569.*

b) *l. c.*

c) MAXIM. TYR. *l. c.* EVSEB. *l. c.*

d) MAX. TYR. *l. c.*

e) *Metaph. l. XII. c. 4.* conf. MOSHEM. *ad* CVDWORTH. *p. 207.*

f) *Strom. l. VI. p. 642.*

ff) *De orig. animæ p. 90. ſeq.*

g) *Cod. Pſeudepigr. V. T. T. I. p. 293.*

h) *Hiſt. Manich. P. II. l. I. c. 7. p. 330. ſeq.*

i) *Strom. l. VI. p. 621.*

γῆν καὶ Ὠγῆνον, καὶ τὰ Ὠγήνε δώματα. *Iupiter facit magnum pulcherrimumque pallium, & varie in eo deſcribit terram & Ogenum, & domos Ogeni.* Quo teſtimonio luculenter evincitur pallium iſtud varium, globi terraquei & cœlorum, a Iove ex chao formatorum ſyſtema eſſe. Sed conjecturarum ſatis eſt. Alterum, quod magno veterum conſenſu [k] dogma Pherecydi tribuitur, eſt immortalitas animæ, quam inter Græcos introduxit. Didiciſſe illud in Ægypto dubium non eſt, qua ratione vero illam immortalitatem aſſeruerit, veteres non explicant. SVIDAS [l] ad popularem tantum rumorem provocat, primum fuiſſe, qui animarum ex uno corpore in aliud migrationem docuerit. Neque tamen hoc a veroſimili prorſus abludit. Nam ſi vera ſunt, quæ AVGVSTINVS [ll] tradit, dogmate hoc Pherecydem incitaſſe Pythagoram ad philoſophiæ ſtudium amplectendum, probabile eſt, eundem in modum Pherecydem illud amplexum fuiſſe, ut Pythagoram; &, ſi in Ægypto illud didicit, μετεμψύχωσιν ſimul inde attulit. Reliqua de Pherecydis philoſophia omnia intercidere, vel quod ſectam non condidit, quæ ipſius placita propagavit; vel quod liber ejus adeo obſcurus fuit, ut intelligi non potuerit, indeque neglectus & tandem deperditus eſt, vel quod Pythagoras, ut ſolus ſaperet, eum ſuppreſſit, quod ab ejus ingenio alienum credi non debet. Quæcunque vero ex his cauſa fuit, nobis certe nihil amplius ſupereſt, quod de Pherecydea philoſophia adjiciamus.

§. IV. Hic Pherecydes Pythagoram primus, uti fertur, ad philoſophiam adduxit, cujus viri cum ſuper reliquos Græciæ totius philoſophos omnes fama eminuerit, hiſtoria ejus curate excutienda atque tradenda eſt. *Scriptores hiſtoriæ Pythagoricæ.* In eo vero non exiguus facilisque labor vertitur, ita enim cum Pythagoræ ejusque philoſophiæ hiſtoria comparatum eſt, ut nulla hiſtoriæ philoſophicæ pars ſit, quæ pluribus laboret difficultatibus, adeo omnia incertitudine, mendaciis, contradictionibus, fabulisque ſcatent, & teſtimoniis ejusmodi nituntur, quæ exiguam merentur fidem & examinata ad lapidem lydium fidei hiſtoricæ, fiunt ſuſpectiſſima. Alias difficultatis fere inſuperabilis in Pythagoreæ philoſophiæ hiſtoria cauſas in ſequentibus delineabimus. Et fuit quidem in eo quam maxime diligens veterum curioſitas, ut venerabilis a multis ſeculis philoſophi vitam resque geſtas colligeret, earumque ex iſtis traderet hiſtoriam. Quos non minori diligentia ſecuti ſunt recentiores multi, qui iis, quas nobis tempus non invidit, veterum memoriis uſi, Pythagoræ hiſtoriam enarrarunt. Et ex veteribus quidem ipſa Theano mulier Pythagorica, de qua in ſequentibus agetur, de Pythagora ſcripſiſſe SVIDAE [m] dicitur. Præcipue vero ad Ariſtoxeni vitam Pythagoræ paſſim veteres [n] provocant, cujus tamen non minus, quam

k) Vide citatos MENAGIO *ad* LAERT. *l. I. ſ. 117.*

l) *l. c.*

ll) *Ep. ad Voluſ. III. T. II. opp. p. 308.* quod tamen, quia a ſolo Auguſtino traditur ſuſpectum eſt MOSHEMIO *ad* CVDWORTH. *p. 27.*

m) In *Theano T. II. p. 169.* conf. IONSIVS *de Scr. Hiſt. phil. l. I. c. III. p. 22.*

n) Loca ad eum citavit MEVRSIVS, IONSIVS *l. c. c. XIV. p. 73.* FABR. *Bibl. Græc. vol. II. p. 257.* VOSSIVS *de hiſt. Græc. l. I. c. 9.* Fuit ea pars libri

περὶ

Hermippi, Lyconis Iaſei, Moderati aliorumque a C. RITTERSHVSIO [o] nominatorum enarrationes vitæ Pythagoræ temporis injuria perierunt. Ex his veterum commentariis ſua conſarcinarunt LAERTIVS, PORPHYRIVS & IAMBLICHVS, quorum diligentiæ quicquid fere ſingulare de Pythagora novimus, acceptum debemus. LAERTIVS ſcilicet *octavum hiſtoriæ philoſophicæ librum* Pythagorica hiſtoria implevit: PORPHYRII vero *vitam Pythagoræ* primum CONR. RITTERSHVSIVS, [p] deinde LVCAS HOLSTENIVS, [q] & poſt hos hoc ſeculo LVDOLPHVS KVSTERVS, eruditis illorum ſuisque annotationibus illuſtratam [r] edidit. IAMBLICHI *de vita Pythagoræ* commentarios, primus vulgavit IOANNES ARCERIVS, [s] qui tamen nec codicibus ſatis caſtigatis uſus eſt, nec verſionem juſtam & apte ſatis textui Græco reſpondentem exhibuit. Meliorem itaque & fideliorem dedit VLRICVS OBRECHTVS V. C. quam cum textu Græco & annotationibus doctis publici juris fecit, Porphyrio adjuncto, LVDOLPHVS KVSTERVS. [ſ] Præter triumviros hos, de Pythagora ſcriptores veteres, legitur etiam vita Pythagoræ ab ANONYMO conſcripta apud PHOTIVM, [ſſ] quam biographiis Pythagoricis a ſe curatis adjecit laudatus KVSTERVS. [t] Afferunt quoque ad eandem rem nonnulla SVIDAS, [u] IVSTINVS, [v] APVLEIVS, [w] PSEVDO ORIGENES [x] aliique ex veteribus hiſtoriæ literariæ commentatoribus. Alios qui paſſim quædam Pythagoram concernentia tetigerunt præterimus, in ipſa tractatione ſuis locis nominandos. Recentiorum, in enucleanda Pythagoræ hiſtoria occupatorum nomina cum pleraque enarraverit doctiſſimus HEVMANNVS, [y] lectorem brevitati conſulturi ad eum ablegamus. Nominandi tamen ſunt præter alios, ANDREAS DACIERIVS, qui vitam Pythagoræ ita deſcripſit, ut merito cautum lectorem, admirationis & antiquitatis præjudicio non impeditum requirat, ſi recte & ad veritatis normam illius laboribus uti velit: [z] & vir celeberrimus IO. IAC. LEHMANNVS, [a] qui doctiſſimo commentario, pleraque, quæ veteres de Pythagoræ hiſtoria & philoſophia tradiderunt, diligenter congeſſit. Optandum vero eſſet, ut vel IOACH. KVHNII liber *de vita & philoſophia Pythagoræ*, [b] vel

IO.

περὶ ἀνδρῶν, quem inſigniter laudat PLVT. *quod non ſvaviter vivi poſſit ſec. Epicurum.*

o) Ad PORPHYR. *vit. Pyth. n. 1. p. 5.*

p) *Aldorf. 1610. 8.*

q) *Rom. 1630. 8.* addita *vita Porphyrii.* Repetita editio *Cantabrig. 1655.*

r) *Amſtelod. 1707. 4.*

s) *Baſil. 1598. 4.*

ſ) Vna cum Porphyrio.

ſſ) *Cod. CCLIX.*

t) Exhibet vero ea non vitam, de qua pauca habet, ſed doctrinam Pythagoræ, quam tamen titulus promittit, unde conjiciendum eſt, aliquid deeſſe.

u) In *Pythagoras T. III. p. 231.*

v) *Lib. XX. c. 4.*

w) *Florid. l. I. p. m. 256.*

x) *Philoſophum. c. 2.*

y) *Act. philoſ. vol. I. p. 370. vol. II. p. 487.* Inter eos conſuli merentur STANLEIVS *Hiſt. philoſ. P. VIII. p. 658. ſeqq.* BAYLE *Dict. T. III. art. Pyth. p. 741.* IO. SCHEFFER. *de nat. & conſt. phil. Ital. Wit. 1701. 8.*

z) Gravem ea de re dicam Dacierio ſcripſit FRANC. BALTVS *Iugem. des SS. Peres, ſur la morale des payens l. III. ch. 17. p. 487. ſeqq.* conf. CLERC. *Bibl. choiſ. T. X. p. 182. ſeqq.*

a) In *Hiſt. phil. Pythagoricæ*, quæ *prodromum obſ. ad Hiſt. phil.* BVDDEI exhibet.

b) Promiſſus not. ad AELIAN. *l. II. c. 36.*

IO. SCHEFFERI amplum *de Pythagora ejusque philoſophia* opus, [c] vel IACOBI WINDETI liber *de paralleliſmo Pythagoræ atque Origenis* [d] oculis noſtris non fuiſſent ſubtracti; cum dubium non ſit, quin a viris his doctiſſimis & in critica veterum hiſtoria exercitatiſſimis lux multa hiſtoriæ Pythagoricæ fuiſſet accenſa. Licet vero ex adductis pateat, non vacuum relictum eſſe hac in parte philoſophicæ hiſtoriæ campum, ſi tamen fatendum, quod res eſt, non tantum inde adjuta eſt, Pithagoræ hiſtoria, ut non inſuperabiles nodi, & ineluctabiles difficultates, quæ ſecari magis quam ſolvi poſſunt, occurrant plurimæ, & hiſtoria Pythagorica denſiſſime ſimilis ſit ſylvæ, in qua poſt cæſas arbores plurimas, parum lucis, viæ & ordinis reſtitutum eſt, adeo omnia, vel pleraque ſaltem incerta, confuſa, ſuſpecta vel aperte falſa & conficta ſunt. Cujus rei rationes atque cauſas ut exponamus, quæ plurimæ ſunt, imprimis lectorem ad ipſas Pythagoreæ hiſtoriæ circumſtantias attendere jubemus, quæ non potuere non magnam inducere obſcuritatem & incertitudinem. Vt enim ea taceamus, quæ commode magis in ſequentibus de incertitudine philoſophiæ Pythagoricæ differemus, vel ſola Pythagoræ & ſequacium pertinacia, nihil de rebus ſuis, quamdiu fere ſecta iſta floruit, vel ſcripto comprehendentium, vel in vulgus exire patientium, ſatis nos convincit, dubias eſſe narrationes omnes & incertas eorum, quotquot poſt Pythagoreorum ætatem de iis ſcripſerunt. Nam cum ſesqui ſeculo juniores ſint illis, qui etiam proxime ætate ad eos accedunt, cumque nullis domeſticis & genuinis monumentis vel memoriis uti potuerint, ſed ex vulgi tantum fama & traditione, quæ toties fallax & vaga atque vana eſt, ſua retulerint, judicari ex his facile poteſt, quantum illis fidei decedat, ad integram veramque Pythagoræ tradendam hiſtoriam. Accedit, quod eo jam tempore, ut poſtea demonſtrabimus, hiſtoria Pythagoræ falſa miraculorum jactatione fœde & ipſorum Pythagoræ ejusque diſcipulorum ſtudio, & populi ſuperſtitione depravata fuerit, ut adeo non potuerit non jam primis naſcentis hiſtoriæ Pythagoricæ temporibus immenſa fabularum & mendaciorum ſeges effloreſcere. His accidere alia; confuſi Pythagoræ inter ſe plures, adſcriptæ res mirabiles, de aliis viris antiquis magnis Pythagoræ, resque ſæpe ſimplices & naturales, ut Θαυμασίς famam augerent, in miracula mutata, & quæ alia ſunt, de quibus curatius dicendi ſe in ſequentibus exhibebit occaſio. Et tamen propiores hi fontes nobis deſunt, & paucæ laciniæ nobis reſtant, ab ejusmodi hominibus decerptæ, qui ſuſpecta fide ea in re egerunt, Porphyrium & Iamblichum innuimus, parum fidos hiſtoriæ Pythagoricæ enarratores. Qui non tantum multis Pythagora ſeculis juniores ſunt, & ideo non aliam fidem merentur, quam adducta ab iis patiuntur teſtimonia;

Difficultates & incertitudo hiſtoriæ Pythagoricæ.

c) Cujus prodromus erat liber ſupra laudatus.

d) Provocat ad eum *de vita funct. ſtatu ſect. V. p. m. 106.*

e) Τερατολογίας jam Socratis tempore Pythagoreis objectas eosque ideo a viris gravibus contemtos fuiſſe, ex *epiſtola* XENOPHONTI tributa *ad Æſchin. p. 1000.* palam eſt. Eandem epiſtolam exhibet etiam EVSEBIVS *præp. l. XIV. c. 12. p. 745.* remque ipſam confirmabit non Pythagoræ tantum, ſed etiam Empedoclis hiſtoria.

nia; ſed in ipſa quoque conſarcinanda Pythagoræ hiſtoria, tot fabulas aperte ſe prodentes, tot contradictiones ex corraſis utcunque veterum narrationibus conflatas exhibent, ut parum illis, ſi accurate verſandum & judicandum ſit, fidei tribui queat, cum omnia veri & non ſuſpecti teſtis requiſita iis deſint, & aperte pateat, eos nec potuiſſe, nec voluiſſe veritatem in hac hiſtoriæ parte ſcribere. Et eruditionem quidem atque inſignem lectionis copiam iis, præcipue Porphyrio, homini ſuæ ætatis in hac eruditionis parte facile principi, non denegamus; eam vero non adhibuerunt, ut debebant, ſed incertos paſſim rumuſculos ſecuti, nihil fere, quod ſuſpectum erat, critico examini ſubjicientes, elegerunt, modo id in rem ſuam facere viderent. Mirandum itaque non eſt, quod eorum ἀβλεψίαν & incogitantiam ſatis prodit, plurima eos ad Pythagoram retuliſſe, quæ, vel ſolis temporum rationibus ad oculum demonſtrari poſſunt, ad eum referri non poſſe, quod in ſequentibus luculentis exemplis conficiemus. Non itaque examinata ab illis teſtium, quos ſecuti ſunt, fides, multa quoque memoriæ præſidio fretis perperam relata & ſecus, quam debebat, expoſita. Multo vero magis fidem illis omnem eripit peſſima voluntas, veritatem non ſcribendi. Fuere nempe hi homines ex Ammonii Plotinique ſchola, quibus conſtitutum fuit, omnia obtorto rapere collo, fingere & mentiri quidvis, & admiranda quælibet pro veris aliis commendare & obtrudere, modo ſectæ & religioni, quam ſequebantur, faveret. Quod etſi ſuo tempore, ubi peſſimum hominum genus vivis coloribus depingetur, ex inſtituto demonſtrabimus, dabimus tamen in gratiam eorum, qui durius nos cum philoſophis celeberrimi nominis agere putaverint, confitentes reos. Ita enim ipſe IAMBLICHVS: [f] Καὶ τοῦτό γε πάντες οἱ Πυθαγορεῖοι ὁμῶς ἔχουσι πιστευτικῶς, οἷον περὶ Ἀριστέου Προκοννησίου καὶ Ἀβάριδος τοῦ Ὑπερβορέου τὰ μυθολογούμενα, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα λέγεται· πᾶσι γὰρ πιστεύουσι τοῖς τοιούτοις, πολλὰ δὲ καὶ αὐτοῖ πειρῶνται· τῶν τοιούτων δὲ τῶν δοκούντων μυθικῶν ἀπομνημονεύουσιν, ὡς ἐδὲν ἀπιστοῦντες ὅ, τι ἂν εἰς τὸ θεῖον ἀνάγηται. *Vnde omnes pariter Pythagorei proni ſunt ad fidem adhibendam talibus, qualia de Ariſtæa Proconeſio & de Abaride Hyperboreo commenta referuntur; & quotquot alia ſunt generis ejusdem. Omnibus enim ejusmodi adhibent aſſenſum, multa quoque & ipſi comminiſcuntur; ſæpeque talium, quæ fabuloſa videntur mentionem faciunt: tanquam nihil non credentes quod ad Deum refertur.* Veriſſima de ſecta ſua hæc profeſſum eſſe Iamblichum, ejus ſuo tempore demonſtrabit hiſtoria, fidem vero omnem eos ita decoxiſſe, quilibet vel mediocriter attentus intelligit. Multo vero magis omnem ideo fidem amittunt, quod hoc hominum genus in tota conſtituenda ſecta ſua, & imprimis in confingendis & adulterandis veterum libris eo potiſſimum reſpexit, ut creſcentis indies & fœdiſſimæ ſuperſtitionis tenebras diſpellentis lucis Evangelicæ incrementis omnes iſtas artes, mendacia, commenta, dogmata, totam-

f) *De Vit. Pyth. n. 159. p. 116.*

totamque ſectæ ſuæ conſtitutionem opponeret, id quod luculentiſſime demonſtravit ven. MOSHEMIVS ff & nos ſuo loco ex inſtituto exponemus, heic loci, id quod ex re noſtra eſt, monuiſſe contenti, has ipſas Porphyrii & Iamblichi vitas Pythagoræ, ex veteribus inepto ſtudio & peſſima conſarcinatas fide fuiſſe, ut haberent vaferrimi impoſtores, quod miraculis maximis Servatoris & diſcipulorum ejus opponerent, & Pythagoram non minorem fuiſſe Chriſto Ieſu demonſtrarent. Ita enim eventurum ſperabat infernalis, qui hos homines inſpirabat genius, ut vel miraculis Chriſti Pythagorea, aliaque hujus generis, e. g. Apollonii, non minora crederentur, ſicque fœdiſſimæ ſuperſtitioni eadem quæ Chriſtianæ religioni, fulcra ſuppeterent; vel ſuſpectis ex mentiendi libidine & audacia miraculis & hiſtoria Pythagoræ, ſuſpecta quoque fierent miracula & hiſtoria Chriſti, hæcque cum illa ſimul riderentur, quorum utrumque factum eſſe, quoad illud Philoſtrati, quoad hoc Luciani exemplum luculenter probat. Vt hæc a viris doctiſſimis paſſim g obſervata plene cognoſcat lector, non alio labore opus eſt, quam ut fabulas de Pythagora Romanenſes, quo nomine hanc hiſtoriam omnium optime deſignabimus, cum evangelica hiſtoria conferat, non ſine jucunditate enim deprehendet, Pythagoram, ejusque miracula vel τερατολογίαν potius Porphyrii & Iamblichi de eo, ea potiſſimum fini fuiſſe conſarcinatas, ut Ieſu vero θαυματέργῳ opponerentur. Cur enim Pythagoras Apolline parente natus & humano generi profuturus ab ipſo oraculo declaratus, animaque ex Dei conſortio in ejus corpus delapſa dicitur, quam ut conceptioni Salvatoris admirandæ videatur æmulus. Cur nautæ eum in navi tanquam Deum ſuſpexerunt? niſi quod id Chriſto accidiſſe ſacra teſtetur hiſtoria? Cur inter Deum & homines mediatorem egiſſe jactant, quam quod prima hæc eſſet Ieſu Nazareni gloria? Cur non multarum tantum, quæ in terra geſtæ ſunt rerum, ſed & earum quæ in cœlo evenerunt notitia Pythagoræ tribuitur, quam ut omniſcienti Ieſu non videatur inferior? Cur aliquot locis ſimul viſus fuiſſe fingitur, niſi ut omnipræſenti Ieſu paria feciſſe credatur. Cur ventis & tempeſtati imperaſſe narratur, niſi quod Ieſum imperium in ventos & maria exercuiſſe legitur? Plura daremus, niſi ex paucis hiſce ſatis impoſtorum horum ſcopus poſſet detegi, reliquaque facile ex ipſa, quam traditurі ſumus, Pythagoræ hiſtoria poſſent colligi. Quæ omnia cum ita ſe habeant, non intelliget tantum attentus lector, nuſquam criticas, quas in prolegomenis commendavimus, regulas neceſſarias magis eſſe, quam in hiſtoria Pythagoræ; ſed ignoſcet quoque nobis, ſi in ſequenti tractatione plura invenerit, quæ, quid falſum, quid ſuſpectum ſit, exponunt, quam, quæ, quid ſtatuendum quidve admittendum ſit, ſtatuunt: cujus

ff) *De turbata per Platonicos recentiores eccleſia, Syllog. diſſ. ad H. E. pert. p. m. 89. ſeqq.*

g) LLOYDIVS & DODWELLVS *de ætate Pythag.* & qui eos ſecutus eſt CLERICVS *Bibl. choiſ. T. X. p. 90. T. XXVII. p. 430.* MOSHEM. *l. c.* BVDDEVS *de peregr. Pyth. §. 10. Anal. hiſt. phil.* HEVMANN. *act. Phil. Vol. I. p. 14.* LVD. KVSTER. *ad* IAMBLICH. *n. 11. p. 7.* HVET. *Dem. Ev. Prop. IX. c. 147. §. 5. p. 646.* VOSSIVS *de ſectis p. 19.*

jus rei cauſa tum in ipſo Pythagora ejusque diſcipulis, tum in iis, qui ejus hiſtoriam in acta retulerunt, uti diximus, quærenda eſt.

Pythagoræ ortus & nativitas.

§. V. PYTHAGORAS itaque, cujus hiſtoria enarranda eſt, Samius fuit, ſi plerorumque fidem ſequimur.[h] Sunt tamen, quibus aliter placet. Quidam enim Tyrrhenum dixerunt, ex una inſularum, quas ejectis Tyrrhenis Athenienſes poſſederunt.[i] Alii, teſte Lyco apud PORPHYRIVM,[k] Phliaſium dicunt, nonnulli Metapontinum: alii Syrium, Tyro Phœniciæ urbe oriundum. Fuit, quoque apud PLVTARCHVM,[l] qui Hetruria oriundum diceret, eo argumento uſus, quod in ſymbolis ſuis talia expreſſerit, quæ apud Tuſcos uſu venerint, quod quam frigidum ſit, nemo non videt.[ll] Videtur vero hæc de Pythagoræ patria incertitudo partim ex diverſis Pythagoris apud veteres celebratis, partim ex incerta parentis patria orta eſſe, cum generis ortus cum patria confunderetur.[m] Parens enim ejus Mneſarchus, aliis Metapontinus, aliis Tyrrhenus, Phliaſius aliis, Tyrius item dicitur, alii Samo natum volunt.[n] Quæ narrationes veterum diverſæ, qua ratione queant in concordiam redigi, curioſum magis, quam utile putamus, diſputare.[o] Id unum obſervaſſe non abs re erit, recte ex veterum narrationibus colligi, Mneſarchum Pythagoræ parentem, alienigenam, mercaturæ cauſa Samum profectum, ibi civitatis jure donatum fuiſſe, inque hac inſula degentem filios, & in his Pythagoram, genuiſſe. Quæ enim IAMBLICHVS, de Mneſarcho ex Ancæi Samii, Iove parente, geniti familia nato, nugatur, ad τερατολογίας Pythagoricas pertinent, quæ Pythagoræ divinum non tantum ortum, ſed familiam quoque & originem affinxerunt.[p] Diſſentiunt etiam in parentis nomine deſignando veteres, quibusdam enim Marmacus,[q] aliis Demaratus[r] dictus eſt, plerique Mneſarchum dicunt, quem inter ſellularios artifices gemmis faberrime ſculpendis laudem magis, quam opem, quæſiiſſe ait APVLEIVS.[s] PORPHRIO tamen & IAMBLICHO auctoribus mercaturam frumenti exercebat; forte, quia in illam artem non quæſtus, ſed laudis cauſa, incumbebat, utrumque inſtituit. Nec certiora vel meliora de nativitate Pythagoræ referri poſſunt, cum ſectæ ſtudium, cuncta ad παραδοξολογίαν referentis pleraque adulteraverit, & inſignibus auxerit mendaciis, manibus quoque palpandis. Narrant enim:[ſſ] Mneſarcho Samio ad mercaturam Delphos cum uxore non-

h) Lycus apud PORPHYR. *n. ſ. p. 8.* IOSEPH. *l. II. contra Apion. p. 1061.*

i) LAERT. *l. IIX. ſ. 1.*

k) *l. c.* conf. CLEM. ALEX. *Strom. l. I. p. 300.*

l) *Q q. conviv. l. IIX. c. 7. T. III. p. m. 286.*

ll) Reprehenditur *ibid. p. 288.* rectèque obſervatur, earum rerum uſum habuiſſe Pythagoram ex Aegypto. conf. IVST. LIPS. *Manud. l. I. diſſ. VI. p. m 31.*

m) Multis enim hactenus exemplis conſtitit, tales ſæpe philoſophos dictos eſſe, ad quos genus referebant e. g. Thales Phœnicius.

n) IAMBLICH. *c. 2. n. 5. ſeqq.* PORPHYR. *n. 1. ſeq.* SVIDAS *l. c.* LAERT. *l. c.* & quæ viri docti ad hæc loca notarunt, quæque collegit STANLEIVS *P. IIX. p. 658. ſeqq.*

o) Conſuli tamen ab his, qui iſtis delectantur, poſſunt IOH. SCHILTER. diſſ *de diſcipl Pythagoræ*, quæ adjecta eſt *Manud. phil ad Iurispr. §. 6. p. 516.* & B. BVDDEVS *Anal. hiſt. philoſ. p. 8.*

p) *l. c.* ignobilem fa.it LACTANTIVS *l. III. c. 18.* majori veriſimilitudine, ſi locus Apuleji jungatur.

q) LAERT. *l. c.*

r) IVSTIN. *l. XX. c. 4.* ubi tamen nomen ex Marmaco corruptum putat VOSSIVS *ad h. l. p. m. 305.*

s) APVLEIVS *flor. l. I. p. 357.* LAERT. *l. c.* TZETZ. *Chil. I. hiſt. 369.*

ſſ) IAMBLICH. *l. c.*

nondum manifeſte gravida profecto prædixiſſe Pythiam, cum reſponſum de navigatione in Syriam peteret, hanc quidem ad votum lucroſamque fore, uxorem vero jam prægnantem, filium parituram, qui omnium, quotquot unquam vixerunt, pulchritudine & ſapientia præſtantiſſimus humanoque generi ad omnem vitæ rationem quam maxime profuturus eſſet: hinc Mneſarchum collegiſſe, dona illi divina affutura: & uxorem inde mutato Parthenidis nomine Pythaidem, filium vero mox Sidone in Phœnicia natum, Pythagoram vocaviſſe. Quæ Epimenidis, Eudoxi & Xenocratis fabulis, [t] tum temporis Apollinem cum Parthenide congreſſum gravidamque inde per Pythiam pronuntiaſſe afferendo non audet augere IAMBLICHVS," licet animam Pythagoræ, perpetim Apollinis affeclam, vel proximiori commercio eidem conjunctam ad homines delapſam eſſe, indubium putet. Quas hominis nugas ex cauſis ſupra expoſitis recitaſſe, eſt refutaſſe. Eadem incertitudine & ineluctabili obſcuritate laborat tempus nativitatis Pythagoræ. Et eos quidem audiendos non eſſe, qui Numæ Romanorum regi coævum ejusque præceptorem ſtatuunt, ſupra loco ſuo luculenter evictum eſt. Alii ad Olymp. XLIII¾. alii Ol. XLVIII. 3. alii Olymp. LIII. 3. natales ejus referunt. Qui diſſenſus eo magis attentionem meretur, quo magis a vero Pythagoræ tempore magna pars hiſtoriæ ejus dependet, & ineluctabiles inde exſurgunt difficultates. Quas ut tolleret triga virorum inter Britannos celeberrimorum, & artis criticæ accuratione maximam laudem conſecutorum, multam adhibuit eruditionem. Primus enim RICHARDVS BENTLEIVS [v] nuper magna elegantiorum artisque criticæ jactura denatus, occaſione ætatis Phalaridis de vera ætate & æra Pythagoræ curioſe diſpexit. Ponit is nativitatis annum Olymp. XLIII. 4. eo potiſſimum argumento ductus, quia Pythagoras, teſte Eratoſthene, in ephebis cum adhuc eſſet, in certaminibus Olympicis Ol. XLVIII. victoriam reportaverit. Aliter reverendiſſimus GVILIELMVS LLOYDIVS, qui peculiari diſſertatione [w] vernacula gentis ſuæ lingua edita de chronologia Pythagoræ eruditiſſime diſputavit, & παραλληλησμὸν reliquorum ejus ætatis philoſophorum curioſe annotavit. Is rejecto Pythagora victore in Iſthmiis, quem a philoſopho diſcernendum eſſe monet, mortis tempus, tanquam magis notum ex melioris fidei ſcriptoribus ſupponit, & ita nativitatis annum cum anno tertio Olymp. XLVIII. coincidere ſtatuit. Tertius eruditiſſimus HENRICVS DODWELLVS, duabus diſſertationibus [x] hanc diſputationem aggreſſus copioſe de ætate Pythagoræ differuit, & nativitatis annum Olymp. LII. 4. poſuit, Porphyrii potiſſimum atque Iamblichi fidem ſecutus. Ejus rationibus manus quoque dedit IO. FRANCISCVS BVDDEVS, [y] potiora vero doctiſſimorum horum virorum argumenta adduxit IOANNES CLERICVS. [z] Nec

t) PORPHYR. *n.* 2. qui Apollonium auctorem laudat. Ejusmodi vero traditiones de viris magnis apud veteres fuere frequentiſſimæ.

u) *l. c. n.* 7.

v) In diſſ. *de epiſtolis Phalaridis.*

w) *De chronolog. Pythag. Lond. 1699. 8.*

x) *De ætate Phalaridis & Pythagoræ Lond. 1704. 8.*

y) *Præf. ad Analecta Hiſt. philoſ. p. 10. ſeqq.*

z) *Biblioth. choiſie T. X. p. 81. ſeqq.*

multum a Dodwelli rationibus recedit STANLEIVS. [a] Nobis pro inſtituti ratione argumenta virorum doctiſſimorum, magna ea de re contentione diſputantium enarrare non licet, cum prolixiora ſint, quam locus noſter capit, facileque ſumma ejus, ſi libri Anglici rarius apud exteros occurrentes ad manus non ſint, apud Clericum legi poſſit: id vero omnino monendum eſſe exiſtimamus, incerta eſſe omnia, quæcunque de ætate Pythagoræ diſputantur, cum totidem omnes opiniones contra ſe habeant teſtes, quot pro iis militant, ita ut deſperandum nobis videatur de ætate Pythagoræ certi quid ſtatuere. Cujus afferti rationes graves ſatis deprehendent, qui in hiſtoria veteri haud perfunctorie verſati ſunt. Illos enim latere nequit, [b] veteres hiſtoricos ad temporum rationes vel plane non, vel negligenter ſatis attendiſſe, & παραλληλισμῷ cum celebrioribus epochis, non accurate, ſed leviter tantum inſtituto, miſere rationes temporum corrupiſſe, id quod hiſtoriæ quoque Pythagoricæ accidit. Incertiſſimas has notationes temporum cum acciperent a vetuſtis ſcriptoribus homines nugivenduli, quibus in corradenda Pythagoræ hiſtoria id imprimis propoſitum erat, ut in fabulam eam commutarent, & Pythagoram heroëm hominibus majorem, omnibusque celeberrimis philoſophis præſtantiorem, & ab iis, quos ſapientiæ principes orbis ſuſpiciebat, eruditum mentirentur, omnia plane confuſa ſunt, & ex veteribus id modo electum, quod ſcopo ſuo inſerviret, addita multa, quæ omnibus iſtis rationibus chronologicis contradicerent. Quæ ubi pro veris & indubitatis factis admittuntur, mirum non eſt, tempora Pythagoræ inter ſe concordare non poſſe. Etſi vero hæc ad Iamblichum, Porphyriumque & hujus generis alios proprie pertinent, negari tamen non poteſt, vetuſtiores quoque incertiſſimos in chronologia Pythagoræ duces eſſe. Cum enim, quod ſupra jam monuimus, res geſtæ Pythagoræ non ab ipſo vel diſcipulis ejus mox in acta relatæ ſint, ſed longo poſt tempore ex fama & rumuſculis hominum corraſæ, nec coævi Pythagoræ ſcriptores multa de eo retulerint, Dicæarchus, Ariſtoxenus, Hermippus & his ſimiles vero incertiſſimum traditionis fontem, non digna monumenta, quæ illis deerant, ſecuti, inepte magis omnia congeſſerint, quam digeſſerint: amor etiam τῶν μυθολογημένων, ipſo monente Thucydide, plurimas jam tum fabulas veris, ſine temporum harmonia vel leviter conſiderata admiſcuerit; intelligi ex his facile poteſt, ſequentium temporum homines, accuratius ad tempora & hiſtoriam attendentes in tanta confuſione ſolis conjecturis niti potuiſſe: quarum fundamenta & cauſas cum plerumque non enumeraverint, impoſſibile plane eſt, hunc labyrinthum ſine errore feliciter ſuperare. Exoramus itaque lectoris patientiam, quod candide incertitudinem inſuperabilem fateri, quam os illi oblinere, & incerta pro certis vendere malumus. Ne vero, totos nos ad Pyrrhoniſmum hiſtoricum deſcendiſſe objiciatur, fatemur

a) *P. IIX. p. 670. ſeqq.*

b) Exemplum ſupra in ætate Ionicorum definienda vidimus.

temur Lloydii rationes nobis longe graviores, & verisimiliores videri Dodwellianis, quas plerique viri docti sequuntur. Illæ enim cum veterum historicorum gravissimorum computo conveniunt, quo iter Aegyptiacum Pythagoræ in Ol. LIII. 2. vel 3. incidit. Dodwellus vero pro certo supponit, quod Iamblichus tradit, Pythagoram a Cambyse captum Babylonem adductum fuisse, ibique magos convenisse; quod cum ante Olymp. LXIII. 3. quo anno Cambyses Aegyptum invasit, fieri non potuerit, XXII. vero annis ibi Pythagoras jam tum commoratus fuisse dicatur; sequitur inde, vel omnes alias rat ies temporum, a veteribus allatas, qui iter Aegyptiacum ad Ol. LII. referunt, falsas esse, vel commentitiam esse captivitatem & iter Babylonicum Pythagoræ: id quod nobis vero videtur simillimum, ob rationes postea producendas. Vt vero, quomodo inter se dissentiant LLOYDIVS & DODWELLVS, lector, uno intuitu videat, en chronologiæ Pythagoreæ seriem, qualem uterque instituit.

	Secundum LLOYDIVM,	DODWELLVM.
Nascitur Pythagoras ex plerorumque opinione in insula Samo æt. 1.	Olymp. XLVIII. 3. Ante N. C. 586.	LII. 4. LIII. 1. ante N. C. 568.
Proficiscitur ex Samo ad Thaletem & Pherecydem L. æt. 18. qui natus Ol. XLV.	Ol. LIII. 1.	LVI. 3. 4. LVII. 1.
Abit in Aegyptum a Polycrate Sami tyranno commendatus regi Amasi L. æt. 19. D. 22.	Ol. LIII. 2. 567.	LVIII. 1. 2.
Redit Samum D. æt. 56.		LXVI. 3. 4.
Ex Samo in Italiam solvit L. æt. 41. D. 60.	LVIII. 3. 546.	LXVII. 2. 3.
Inclarescit in Italia L. æt. 47.	LX. 1. 540.	
Cyro succedit Cambyses L. æt P. 58.	LXII. 3. 4. 529.	
Pythagoras Crotona *Metapontum decedit* L. æt. 60.	LXIII. 1. 2. 527.	
Crotonam secedit D. æt. 63.		LXVIII. 1. 2.
Crotona Metapontum D. æt. 79.		LXXII. 2. 3.
Cambyses Aegyptum invadit,	LXIII. 3. 4. 523.	LXIII. 4.

Pythagoram captivum abducit Pherecydes obit ſepultus a Pythagora æt. 72.	Ol. LXVI. 2. 515.	LIX. 1. 2.
Bellum oritur inter Sybaritas & Crotoniatos æt. L. 78. D. 61.	LXVII. 4. 509.	LXVII. 4. LXVIII. 1.
Obit Pythagoras juxta Euſebium æt. 80.	LXVIII. 3. 506	
alios æt. 90.	LXX. 4	
Iamblichum æt. 99.		LXXVII. 1. 2.

Diſcrimen computi utriusque & difficultates ſuo loco non negligemus. Conſuli tamen illi quoque poſſunt, qui paſſim eas tetigerunt.[c] Illud unum certum exiſtimamus, Pythagoram ante Olymp. XLIII. 4. & poſt Olymp. LII. 4. natum non eſſe, cui tamen ſpatium cum XXXVI. annorum intercedat, multa inde exſurgit hiſtoriæ Pythagoreæ incertitudo atque obſcuritas.

Educatio

§. VI. Eadem incertitudine laborant, quæ de inſtitutione & educatione Pythagoræ adoleſcentis narrantur. IAMBLICHVS [d] refert: Mneſarchum, ex Syria reducem Samum, ampliſſimis auctum opibus, merciumque præſtantiſſimarum copia locupletem templum Apollini Pytheo dedicaviſſe, ſuis ſumtibus inſtructum. Filii vero animum præſtantiſſimis artibus ut imbueret, Creophili primum deinde Pherecydis Syri inſtitutioni tradidiſſe. Aliter LAERTIVS, [e] qui parentem ejus, tradit, Samo Lesbum commigraſſe, filiumque ibi a Zoilo patruo Pherecydi Syro commendatum diſciplinæ ejus commendaſſe. Alii Pythagoram pugilem, [f] audita Pherecydis de immortalitate animorum diſputatione, motum doctrinæ novitate, animum ad Philoſophiam applicuiſſe, ferunt, [ff] quod parum tamen habet veriſimilitudinis, licet a vero non abludat, iſtud dogma Pythagoræ vehementer arriſiſſe. Videtur enim Pythagoras pugil a Pythagora philoſopho omnino diſtinguendus eſſe. Quod ſi conjecturis locus eſt, ſeries rerum Pythagoræ poſcere videtur, ut ex Phœnicia redux primum Pherecydi, tumque in patria Samo Hermodamanti, qui Creophilus cognominatus fuit, [g] in diſciplinam traditus fuiſſe dicatur. Poſt mortem parentis, quem

c) SCHEFFER. *l. c. p. 170.* VOSSIVS *de ſcient. math. p. 149.* HORNIVS *hiſt. phil. p. 173.* WOLF. *ad* ORIG. *philoſ. p. 25.* PETAV. *rat. temp. P. I. p. 135.* LIPSIVS *Manud. l. c.* IONS. *de S. H. Phil. l. II. c. 3. p. 128.* MENAG. *ad* LAERT. *l. IIX. ſ. 45.* FABRIC. *B. G. Vol. I. p. 449.*

d) *c. 2. n. 9.*

e) *l. IIX. ſ. 2.*

f) Conf. IONS. *l. IV. c. ult. p. 343.*

ff) AVGVSTIN. *ad Voluſ. ep. III. T. II. Opp.*

g) Hermodamantes, quem APVLEIVS *l. c.* Leodamantem vocat, Samius fuit, cognomento Creophilus, vid. PORPH. IAMBL. *l. c.* MENAG. *ad* LAERT. *l. IIX. ſ. 2.* quem vel ex familia, vel nepotem Creophili Homeri hoſpitis fuiſſe tradunt, *ibid.* De quo Creophilo Homeri hoſpite & præceptore poſt STRABONEM *l. XIV.* & EVSTATH. *in Iliad. B. p. 250.* SEXTVM EMP. *adv. Math. l. I. ſ. 48.* videndus eſt FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. I. p. 23.* APVLEIVS vero *l. c.* audiendus non eſt, qui Leodamantem, vel Hermodamantem potius Cre-

quem filium omnibus fere ſacrorum præfectis commendaviſſe IAMBLICHVS [b] ait, dignam tanta expectatione vitam, conſummatiſſimi philoſophi imaginem exprimentem, egiſſe porro nugatores garriunt: ſcilicet nihil ſibi ad ſummam gravitatem & temperantiam feciſſe reliquum, ita ut adoleſcentem natu grandiores honorifice reverenterque colerent, viſusque ſtatim omnes admiratione impleret, ſic ut multi Dei filium eſſe merito aſſeverarent. Ornaſſe eum religionem & doctrinam & peculiarem victus rationem, & animi firmitatem, corpusque ad modeſtiam compoſitum; in dictis factisque comparuiſſe internam quietem, & immutabilem tranquillitatem, nulli animi perturbationi & proterviæ indulſiſſe, adeoque tanquam bonum quendam dæmonem in Samiorum urbe peregrinatum fuiſſe. Quæ omnia ideo ab his hominibus conficta fuiſſe, ut Pythagoras Chriſto opponeretur, hominibusque perſuaderetur, extitiſſe inter gentiles etiam aliquos, qui Chriſtum, Dominum noſtrum, tam ſanctitate doctrinæ & vitæ, quam miraculis non ſolum æquaſſent, ſed etiam viciſſent, recte notavit doctiſſimus KVSTERVS. [i] Nec vero videntur ſimiliora, quæ porro adjicit IAMBLICHVS, [k] ejus adhuc ephebi inſignem celebritatem Miletum ad Thaletem, & Prienen ad Biantem delatam urbes etiam circumjectas peragraſſe, multosque de juvene proverbium Samii comati paſſim divulgaſſe, eumque ſparſis in Deum laudibus Deum feciſſe. Etſi enim Samium comatum Pythagoram pugilem dictum fuiſſe, facile veterum teſtimoniis evinci poteſt, fruſtra tamen in id conniti videtur cel. BENTLEIVS, ut oſtenderet, eum cum noſtro eundem fuiſſe, cum haud obſcura veterum teſtimonia contrarium ſuadeant. [l] Poſtea duodeviceſimum annum egreſſus, cum tyrannidem Polycratis jam tum ſubnaſcentem præſentiret, noctu clam omnibus eum Hermodamante ad Pherecydem, tum ad Anaximandrum phyſicum, & denique Miletum ad Thaletem trajeciſſe IAMBLICHO [ll] dicitur. Quod ſi verum eſt, rediiſſe Pythagoram ex hoc itinere Samum oportet, a rege enim Polycrate in Aegyptum diſcedentem commendatum fuiſſe Aegypti regi infra dicemus. Mire tamen hic

Creophili illius ſenioris diſcipulum facit, tempora enim obſtant: & ſenex debuit eſſe hic Creophilus junior, cum Pythagoram inſtitueret, ſi, quod IAMBLICHVS vult, nepos illius ſenioris fuit. Si vero in ſenium vergit, probabile non eſt, cum Pythagora in Ioniam ſeceſſiſſe.

b) n. 6. *i) ad h. l.* *k) ibid.*

l) Olymp. XLVIII. Pythagoram quendam juvenem exercitatum & peritum pugilem in Olympiacis certaviſſe, eumque comatum, atque purpuratum ejectum ex puerorum ludo atque irriſum continuo viros petiiſſe atque viciſſe, refert Eratoſthenes apud LAERTIVM *l. IIX. ſ. 47.* Hunc Pythagoram philoſophum fuiſſe, illi ſtatuunt, qui Samii comati proverbium ad eum referunt, quod IAMBLICHVS & PORPHYRIVS *ll. cc.* faciunt, male ita rationibus chronologicis conſulentes. Huic tamen Eratoſthenis loco & teſtimonio chronologiam Pythagoræ inædificavit BENTLEIVS *p. 52.* cujus rationes enarrat CLERICVS *Bibl. choiſ. T. X. p. 87. ſeq.* Rem in medio relinquunt LLOYDIVS, & IONSIVS *l. IV. p. 343.* quem ſequitur MENAGIVS *ad l. c.* LAERT. DODWELLVS vero, *l. c. p. 153.* cujus chronologiæ Pythagoreæ hæc quam maxime obſtant, iſtam opinionem vehementer oppugnat rationibus a CLERICO *l. c. p. 139.* adductis. Nobis LAERTIVM attente inſpicientibus luculenter ſatis pugil a philoſopho diſtingui videtur. Affertur enim epigramma in illum, ubi patre Crateo ſatus dicitur. Philoſophi vero patris nomen fuit Mneſarchi vel Marmaci, non Cratei, unde & LAERTIVS quoque eos inter ſe diſtinguit. Retuliſſe vero Iamblichum proverbium illud ad philoſophum, mirum non eſt, ita enim omnia corradebat, quæ heroi ſuo glorioſa eſſe putabat.

ll) c. II. n. II. p. 8. APVLEIVS *l. c.* STRABO *l. XIV.*

hic diſſentiunt alii; LAERTIVS [m] a Pherecyde non diſceſſiſſe, niſi poſt ejus obitum, & tum demum Samum redeuntem Hermodamantis ſe diſciplinæ commiſiſſe, & poſtea ad barbaros demum profectum eſſe refert, quæ elegantius & melius cohærent, quam narratio Iamblichi, quæ ea fini contorta & corraſa videtur, ut nullus vir magnus eſſet, qui Pythagoræ præceptor & admirator non fuerit. Alii apud IAMBLICHVM [n] & PORPHYRIVM [o] afferunt, Pythagoram ex Italia in Delum profectum eſſe ad præceptorem Pherecydem, ut ei pediculari morbo laboranti opem ferret, inque hac cura ad mortem usque ejus perduraviſſe, defunctoque doctori ſuo juſta ſolviſſe. Dicæarchus autem hoc iter Pythagoræ ex Italia plane ignorat, & Pherecydem mortuum eſſe ait, antequam hic Samum reliquerit. [p] Quibus ſi jungimus diverſas de morte Pherecydis narrationes, [q] adeo ſuſpecta fit tota de Pherecyde a Pythagora ſepulto hiſtoria, ut vel tota tanquam conficta abjicienda ſit, vel ſtatuendum, Pythagoram juvenem apud Pherecydem ad obitum ejus manſiſſe, eoque ſepulto demum rediiſſe Samum, & Hermodamantis diſciplinæ adhæſiſſe, inde vero ad barbaros profectum eſſe. Quæ ſpeciminis loco eſſe poſſunt, quam mire vitæ Pythagoreæ enarratores ſibi contradicant. Ex Delo Samum itaque rediiſſe oportet Pythagoram; exinde vero excurriſſe in Ioniam, ſi fides APVLEIO & IAMBLICHO [r] habenda eſſet, ubi, Thaletis familiaritate gaviſum, & penes Anaximandrum Mileſium naturalia commentatum fuiſſe, perhibent. Quia vero philoſophia Ionica adeo diſſimilis eſt Pythagoreæ, ut ne veſtigium quidem appareat, ejus principia didiciſſe Pythagoram, nec hoc iter cum reliqua Pythagoræ hiſtoria cohæret, merito illud inter incerta & ſuſpecta relinquimus, nec veriſimile putamus, Thaletem Pythagoræ conſuluiſſe, ut in Aegyptum navigaret, & ſacerdotibus Memphiticis & Dioſpolitanis ſe adiceret. Capite enim primo hujus libri demonſtratum dedimus, jejunam deprehendiſſe Thaletem Aegyptiorum philoſophiam, & meliori atque planiori ordine incepiſſe ipſum philoſophari; ſic ut credi nequeat, eum juvenem Græcum, optimis naturæ dotibus inſtructum ad miſeros hos fontes, cum in Græcia meliora ſuppeterent, ablegaſſe. Probabilius eſt, commune ejus temporis præjudicium, omnem ſapientiam apud barbaros hauriendam eſſe, & imprimis theologiam quam maxime appetebat Pythagoras, a gentibus iſtis ſolis eſſe petendam, Pythagoram inſtigaviſſe, ut in Aegyptum ſolveret. Vt itaque ſapientiæ ſtudio ſe dignum præberet, corpusque etiam ad ejus habitum præpararet, vini carnisque uſu omnique ingurgitatione abdicatis, intra tenues facilesque digeſtu cibos ſe continuit, ac hinc ſomni modi-

m) *l. IIX. ſ. 2.* *n*) *c. XXX. n. 184. 252.*

o) *n. 55.* Eadem tradit DIODORVS SICVLVS in *Excerptis Valeſ. p. 243.*

p) Apud PORPHYR. *n. 56.*

q) Addi poſſet argumentum deſumtum ex epiſtola Pherecydis moribundi ad Thaletem. Thales enim, qui ei ſupervixiſſe dicitur, Ol. LVIII. 1. obiit, unde ſequeretur, Ol. LVII. 3. 4. Pherecydem obiiſſe, vid. LAERT. *l. I. ſ. 122.* Verum hanc epiſtolam ſuſpectam eſſe ſuo loco jam monuimus: nec opus eſt, ut hæc inter ſe concilientur, duos comminiſci Pherecydes, quod SALMASIO placuit *Exerc. Plin. p. 591.*

r) *ll. cc.* Prior Epimenidem quoque audiviſſe in hoc itinere refert, id quod in reditu factum eſſe LAERT. *l. IIX. ſ. 3.* contendit.

modicus, ac excitatior tum animæ puritatem, tum corpori exactiſſimam & indeflexam ſanitatem comparavit, ut hæc nobis narrat IAMBLICHVS.[s] qui porro addit, prius Phœnices, quibus ex quorundam opinione originem debebat, inviſere conſtituiſſe, Miletoque Sidonem ſolviſſe, facile inde in Ægyptum deſcenſurum: ibi verſatum cum prophetis, qui Mochi phyſiologi poſteri erant, & cum ceteris Phœniciæ hierophantis, cunctisque initiis Bybli & Tyri, ac iis, quæ in multis Syriæ partibus ſingulari modo celebrantur, ſacrorum ceremoniis initiatum eſſe. Quamvis vero hæc ita Iamblichus referat, ut vel mediocriter attento appareat, heroëm ſuum eum ita finxiſſe, ut ſectæ ſuæ abſolutiſſimum eſſet exemplar, cum in his myſteriis illa ſummam quæſierit ſapientiam, non omni tamen caret veriſimilitudine, Pythagoram Phœniciam prius adiiſſe, cultusque arcani, cui cognoſcendo inhiabat, notitiæ invigilaſſe, cum parentis negotia in his locis olim frequentia facilem ei aditum parare potuerint. Quæ vero de Mochi poſteris jactantius narrat, ſomnia hominis, omnem ſapientiam Pythagoræ ſuæ vindicantis eſſe, ex iis patet, quæ in hiſtoria philoſophiæ Phœnicum de hoc philoſopho diximus. Quanquam, ſi quis cum CLERICO[t] viro acutiſſimo, totum hoc orientale Pythagoræ iter in dubium vocare velit, pertinaciter repugnandum non eſſe putamus. Illud certe inter mendacia Alexandrinæ, unde profectum eſt, ſcholæ, referendum eſt, apud Phœnices arithmeticam ſuam philoſophicam didiciſſe Pythagoram. Alio enim loco [u] demonſtravimus, Phœnices non aliam niſi vulgarem arithmeticam excoluiſſe. Nec melioris commatis ſunt, quæ porro narrat IAMBLICHVS: [x] Pythagoram in templo montis Carmeli ſæpe ſolum verſantem a nautis Ægyptiis, qui ad littus illud appulerant, lubenter receptum ob formoſitatem ejus lucrum pretiumque ingens, ſi venundarent, ſibi pollicendi occaſionem quidem dediſſe: animadverſa vero ab illis ejus gravitate, cum ex improviſo ipſis ex ſummo montis vertice alias inacceſſo deſcendens apparuiſſet, ſacroque ſilentio ſervato, in eodem habitu per triduum ſine ſomno, cibo, potuque immotus permanſiſſet, ipſique ſecundo curſu uterentur, aliam longe iis de ſe injeciſſe opinionem, dæmonem vere divinum in Ægyptum e Syria tranſire ſecum; ideoque honeſtius, quam ſolebant, iter tranſigentes, curſu peracto exſcendentem alternis exceptum manibus honorifice navi extuliſſe, & in puriſſima arena illo collocato aram congeſſiſſe, & fructus arboreos, primitiasque mercis, quam vehebant, ſacrificaſſe; illum vero, etſi jejunio imbecilliorem, ubi diſceſſiſſent, nihil tamen fructuum ſumſiſſe, ſed habitu oris tranquillo ad vicina habitacula perveniſſe. Hæc enim adeo inſigniter impuni-

s) *Lib. III. n. 13. 14.* Meminiſſe vero oportet, Platonicos recentiores biographias ſuas de heroibus ſectæ ſuæ ita inſtruxiſſe, ut virtutum cardinalium exempla ex iis elucerent perfectiſſima, ut ex EVNAPIO PORPHYRIO, MARINO videri poteſt; eadem maxime IAMBLICHI cura fuit, hinc iſta omnia allata, quæ magis enarratoris fabulam, quam hiſtoriam veram ſapiunt.

t) *l. c. p. 98.*

u) *Amœnit. literar. T. VII. p. 188.*

x) *ib. n. 14.* PORPHYR. *l. c. n. 11.*

punitatem mentiendi, & ex hoc philoſopho dæmonem quendam confingendi præ ſe ferunt, ut merito iſtis nugis & ineptiis omnem fidem Iamblichus amittat. Nec hæc meliori fide digna ſunt, quam quæ ab his Alexandrinorum philoſophorum mendaciis excogitatæ ſunt gerræ, Pythagoram tum temporis ad Iudæos excurriſſe, & admiſiſſe ſacræ legis ceremonias, [y] vel ſacræ Carmelitanæ familiæ nomen dediſſe, quæ fabula merito omnibus, qui naſum habent, exploſa eſt, [z] quemadmodum Hermippum quoque recte notat SCHEFFERVS, [a] contendentem a Thracibus quædam hac occaſione didiciſſe Pythagoram. Miſſis his ineptiis omnibus, illud ex hiſtoria Pythagoræ tanquam certo proximum notamus, [b] abiiſſe ex Samo inſula Pythagoram, commendatum Amaſi regi, magno eruditorum, imprimis Græcorum, amico, [c] ut faciliorem ad ſacerdotum collegia nanciſceretur aditum. Qui tamen regis auctoritate pertinaciam ſacerdotum vix expugnare potuit, ut ſacris eum ſuis initiarent. Primo enim libro prolixe expoſuimus, quam inexorabiles hi homines in communicandis myſteriis ſuis cum peregrinis fuerint, quamque ſollicite omnia occultaverint, quæ ſapientiam aliquam præ ſe ferebant. Refert enim Antiphon, [d] Pythagoram, cum ad Amaſim veniſſet, literas ab eo ad ſacerdotes accepiſſe; ab Heliopolitis autem, ad quos primus pervenerat, ad Memphitas, tanquam ſeniores, ablegatum fuiſſe; a Memphitis eodem prætextus genere Thebas fuiſſe miſſum. Thebanos vero metu regis deprecari mandatum non audentes, abſterruiſſe Pythagoram laborum & ærumnarum, quas arcana diſciplina poſtulabat, magnitudine & moleſtia, & ideo dura admodum & a Græcorum religione plane abhorrentia injunxiſſe, ſperantes fore, ut deſiſteret. Illum vero miranda patientia & promtitudine cuncta executum, eos in ſui ita admirationem rapuiſſe, ut eum arcanæ doctrinæ participem facerent. Inter has vero arcanæ diſciplinæ ceremonias circumciſionem quoque fuiſſe, non recepta tantum gentis conſvetudo, ſine qua ad ſacra ſua nemo admittebatur, evincit, ſed & teſtimonio ſuo roborat CLEMENS ALEXANDRINVS, [e] qui addit, Pythagoram habuiſſe in Ægypto Sonchidem archiprophetam præceptorem. Dicitur etiam Diogeni & Antiphonti, triplex literarum genus, epiſtolicum, hieroglyphicum & ſymbolicum didiciſſe, & quoscunque noverat ſacerdotes ſingularis eruditionis acceſſiſſe,

y) Dicetur hac de re paulo infra conf. HENRIC. ASCAN. ENGELKEN *An Pythagoras proſelitus factus & conſequenter ſalvatus ſit?* PFANNER. *Syſt. theol. gent. pur. c. I. p. 14.* RABENERI *Amœn. hiſt. phil. p. 117.* Eadem ſententia arriſit SELDENO *de I. N. & G. l. I. c. 2. p. 13.* SCHEFFERO *l. c. p. 14.* Plures infra nominabimus, ubi de itinere Babylonico dicendum. GROTIVS *Ep. DLII. p. 217.* ab Eſſenis ſua mutuatum eſſe, inſigni anachroniſmo ſtatuit. Omnia vero hæc ſine teſtis ſufficientis fide & probabilitate dicuntur, vid. cel. LENFANT. *Bibl. Germ. T. II. art. 5. p. 125.* BVDDEVS *H. E. V. T. T. II. p. 1077.* FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 450. not.* qui alios quoque huic opinioni addictos nominat, & refutat. Cuncta enim Hermippi & Porphyrii teſtimoniis nituntur; de quibus quid ſentiendum ſit, poſtea dicemus. Reliqua argumenta longe infirmiora ſunt.

z) Nota ſunt, quæ hac de re contra SEB. AS. PAVLO diſputavit DAN. PAPEBROCHIVS vid. *Act. er. 1696. p. 502.* FAYDIT *lettre ſur le monachiſme & Carmeliſme pretendu de Pythagoras Rep. des lettres 1703. p. 472.* IO. FRID. MAYER. diſſ. *an Pythagoras fuerit Iudæus vel Carmelita?* BASNAG. *Hiſt. des Iuifs T. II. p. 592.*

a) l. c. p. 15. BVDDEVS *Anal. hiſt. phil. p. 10.*

b) LAERT. *l. VIII. ſ. 3.* PORPHYR. *l. c. n. 5.*

c) HERODOT. *l. II. c. 172.* DIODOR. *l. I. c. 2.*

d) ll. cc.

e) Stromat. l. I. p. 302.

ceſſiſſe, ut ab iis in arcanis diſciplinis erudiretur, & ita, quod VALERIVS MAXIMVS [f] addit, gentis ejus literis aſſvefactus & præteriti ævi ſacerdotum commentarios ſcrutatus innumerabilium ſeculorum obſervationes cognoviſſe. Quæ omnia, ut circumſtantiis philoſophiæ Ægyptiacæ ſatis reſpondent, ita veriſimilitudine ſuo modo non carent, nec probabilitatem exuit, quod IAMBLICHVS [g] habet, XXII. annis, quos in Ægypto abſumſerat, in adytis templorum, aſtronomiam, geometriam, & omnium Deorum initia didiciſſe; probe tamen repetendum memoria eſt, quod de Ægyptiorum philoſophia & theologia agentes ſuo loco demonſtravimus, [h] partim anilem & impiam ſuperſtitionem totam illam ſapientiam fuiſſe, partim exiguis initiis conſtitiſſe, parumque ultra rudimenta noſtræ ætatis ſurrexiſſe; ex quibus conjectura facilis fieri poteſt, eam, quam in Ægypto didicit, eruditionem Pythagoras, iſtas laudes non mereri.

§. VII. Ex Ægypto in orientem perveniſſe Pythagoram magosque Babyloniorum adiiſſe, immo ad Indos usque penetraſſe, & cum Gymnoſophiſtis collocutum fuiſſe, magno conſenſu multi veterum, qui poſt N. C. ſcripſerunt, tam gentiles, quam eccleſiaſtici ſcriptores tradunt, quorum narrationes prius exponemus, & deinde accurato expendemus examine. Occaſionem, qua Pythagoras ad Babylonios Perſasque pervenit, ita narrat IAMBLICHVS: [i] poſtquam viginti duos annos in Ægypto abſumſerat, a Cambyſis milite, Ægyptum invadente inter captivos Babylonem adductum eſſe, ibique cum Perſarum magis lubentibus lubentem ipſum verſatum, illorum ſtudia religionemque perfecte imbibiſſe, & numerorum muſicæque artis & aliarum diſciplinarum faſtigium aſſecutum, annos duodecim in his orientis oris commoratum eſſe, tumque demum Samum rediiſſe annos jam circiter ſexaginta natum. Nec aliter CICERO, [k] EVSEBIVS, [l] APVLEIVS, [m] LACTANTIVS, [n] VALERIVS MAXIMVS, [o] licet hi captivitatem non memorent, ſed tantum Perſarum magos conveniſſe dicant. Imprimis inter magos iſtos, quos tunc frequentaſſe dicitur, Zabratus quidam nominatur, cujus ope a prioris vitæ ſordibus expurgatus fuerit, &, quibus rebus homini ſerio abſtinendum, didicerit, tum quem de rerum natura & principiis univerſi docentem audiverit. [p] Alexandro de ſymbolis Pythagoricis apud CLEMENTEM ALEXANDRINVM [q] Nazaratus, SVIDAE [r] Zares, CYRILLO [s] Zaran, aliis Zaratas dicitur. Quæ nominis cum Zoroaſtre, celeberrimo Perſarum mago, affinitas quosdam eo adduxit, ut ſtatuerent, Pythagoram ipſum Zoroaſtrem audiviſſe, quam opi-

Iter orientale.

f) Lib. VIII. c. 7.

g) Cap. IV. n. 18. quanquam moræ tempus recte in dubium vocet BENTLEIVS *l. c. p. 69.*

h) Repetenda hæc eo magis ſunt, quo magis inde mora Pythagoræ ſtudiumque in Ægypto, ejusque circumſtantiæ lucem capiunt, ad quæ brevitati conſulentes lectorem remittimus.

i) Cap. IV. n. 19. p. 15.

k) De fin. l. V. c. 19.

l) Præp. Ev. l. X. c. 4. p. 470.

m) l. c.

n) Lib. IV. c. 2.

o) Lib. VIII. c. 7.

p) Diogenes *de incredibil.* apud PORPHYR. *n. 10. 12.*

q) Strom. l. I. p. 304. EVSEB. *præp. l. VIII. c. 6.*

r) In *Pythag. T. III. p. 231.*

s) Contra Iulian. l. IV. p. 133.

nionem noſtra ætate eleganti eruditione ornavit deſideratiſſimus BEAVSOBRIVS. [t] Alii, quibus Zoroaſtris ætas ſupra Pythagoræ ætatem aſcendiſſe viſa eſt, non quidem Zoroaſtrem, aliquem tamen ex Iſraëlitarum prophetis in captivitate tum Babylone verſantibus eum audiviſſe, & vel Ezechielem vel Danielem, vel alium quendam ex gente ſancta virum iſto ſub Zaratæ nomine intelligendum eſſe credunt. [u] Certe ingens eruditorum turba, [x] poſt plerosque eccleſiæ veteris doctores in eo conſentit, Pythagoram in hac in Perſica atque Babylonica mora multa a Iudæis ibi degentibus didiciſſe: quam ſententiam, ut roborent, partim ad Hermippi teſtimonium apud IOSEPHVM [y] & ORIGENEM, [z] & Ariſtobuli apud CLEMENTEM [a] & EVSEBIVM [b] provocant, partim convenientiam doctrinarum Pythagoricarum cum Iudaicis teſtem advocant, quin & adorandi divini nominis יהוה myſterium ibi didiciſſe, & tetractis ſua expreſſiſſe volunt. [c] Etſi vero hæc non conjecturis tantum dicantur ab ingenio ſe commendantibus, ſed magna etiam nube teſtium confirmentur, quam rejicere, nimis temerarium eſſe, vir quidam doctus, [d] ſtatuit, non negamus tamen, cuncta, quæ de hoc orientali itinere referuntur, fidem nobis non facere ſatis tutam, & pleraque ita ſe habere, ut non ſuſpecta tantum ſint falſitatis, ſed & plena contradictionum. Quod ut evidenti demonſtratione planum faciamus lectori I. obſervamus, ipſam illam captivitatem Pythagoræ ineluctabili premi difficultate, temporum rationibus obſtantibus. Certum enim eſt, & a chronologis omnibus conceſſum, Ægyptum Cambyſem invaſiſſe quinto regni ſui anno, qui incidit in Olymp. LXIII. 3. & annum Nabonaſſareum CCXXIII. IAMBLICHVM vero ipſum ſi ſequimur, [e] patebit, iter Pythagoræ in Italiam ad Olymp. LXII. referendum eſſe, & tamen is aſſerit a Cambyſe captivum abductum XII. annos Babylone hæſiſſe, & in patriam reducem propter Syloſontis tyrannidem alias regiones adiiſſe, tumque demum in Italiam diſceſſiſſe ſcholamque erexiſſe. Vnde rationibus Iamblichianis ut conſulat cl. DODWELLVS, aliter rem inſtituendam ratus, ſerius natum ſtatuit, & ætatis anno XXII. Olymp. LVIII. 1. demum ad peregrinationes literarias ſe accinxiſſe, in Ægypto XXII annos vixiſſe, Olymp. LXIII. ætatis anno XLIV. Babylonem captivum abductum, & poſt trium luſtrorum moram æt. LVI. rediiſſe, tumque inſulas finitimas obiiſſe, reducemque æt. LVIII. Olymp. LXVII. 2. Sami, tandem æt LX. Olymp. LXVIII. 1. in

t) Hiſt. des Manichéens P. I. l. I. c. 2. §. 2. p. 30. ex veteribus APVLEIVS *l. c.* conf. SELDEN. *de Diis Syris Synt. II. c. 1. p. m. 211.* IO. HENR. VRSIN. *de Zoroaſtre Ex. I. ſect. IV. p. 24.*

u) Apud CLEM. ALEX. *l. c.* & noſtra ætate illuſtris HVETIVS *Dem. Evang. Pr. IV. p. 54. 83. 186. 274.*

x) Quosdam nominat FABRICIVS *Bibl. Græc. vol. I. p. 450. not. e.* quibus addi poſſunt. IAC. WINDET. *de vita funct. ſtatu ſect. V. p. m. 83.* PFANNER. *Syſt. theol. gent. c. XXII. §. 27. p. 512.* IO. SCHEFFER, *de phil. Ital. c. IV. 5. p. 16.* CAMP. VITRINGA *Obſ. SS. l. I. obſ. 2. p. 120. 130.* VSSER. *Annal. p. 151.* STANLEIVS *P. VIII. p. 666.* VOSSIVS *de ſect. c. VI. §. 5.* CVDWORTH. *Syſt. int. c. IV. §. 20.* ut alios obſcurioris nominis taceamus.

y) Contra Apion. l. I. p. 1048.

z) Contra Celſum l. I. p. m. 13.

a) Stromat. l. I. p. 342.

b) Præp. Ev. l. IX. c. 6. p. 410.

c) Conf. BASNAGE *l. c. T. III. p. 531. ſeqq.*

d) Cl. LEHMANNVS *Hiſt. phil. Pyth. p. 348.*

e) Cap. VII. n. 35.

in Italiam veniſſe, & Crotone rerum ſuarum ſedem fixiſſe. Ita vero, dum Iamblicho ſubvenit vir eruditiſſimus, rationes non tantum chronologicas reliquorum hiſtoricorum, quorum præſtantior fides quam Iamblichi nugatoris eſt, omnes peſſundat, ſed & ipſi Iamblicho contradicit, qui diſerte tradit, in Italiam veniſſe Olymp. LXII. cum ſtadio viciſſet Eryxidas Chalcidenſis. Easdem fere rationes ſequuntur DIODORVS, [f] qui Olymp. LXI. ſub Archonte Thericle, CLEMENS ALEXANDRINVS, [ff] qui ſub Polycrate, Olymp. LXII. in Italiam veniſſe teſtantur, ut taceamus quæ LIVIVS [g] & CICERO [h] habent, quorum ille adventum in Italiam, Servio Tullio regnante, hic ſub regno Tarquinii ſuperbi factum aſſerit, quæ omnia propter unum Iamblichum, ſibi ipſi non conſtantem, uno oris halitu difflare, prorſus ineptum videtur, recte idem monentibus viris magnis BENTLEIO, LLOYDIO, [i] CLERICO. [k] Non urgebimus vitæ, mortisque tempus, quod ad centenarium fere numerum hi extendunt, ſecundum alios maturius eveniſſe, cum tota ætas Pythagoræ incerta ſit: hæc enim ſufficiunt, ut Iamblichi fidem elevent, qui, mendacia ſua temporum rationibus non impediri, ex ſectæ ſuæ perſuaſione credidit. II. Nec multum juvabit hiſtoriam Pythagoræ, ſi relicto ſibi Iamblicho, Pythagoram ante Cambyſis invaſionem in orientem profectum eſſe, ſtatuamus: nam & hæc reliquorum hiſtoricorum relationi contradicunt, [l] ad quos cum provocaverit PORPHYRIVS, [m] ſatis alias in laudando evehendoque Pythagora profuſus, eo magis ad eorum teſtimonium attendendum eſt. Ille vero & Antiphontis narrationem exponit, qui poſt commorationem Ægypti in Ioniam reverſum Pythagoram & ludum in patria aperuiſſe ſcripſit; & Ariſtoxenis auctoritate ait, eum jam annos natum XL. cum Polycratis tyrannidem vehementiorem cerneret, quam ut ſibi ingenuo homini imperium ejus ferre liceret, hac occaſione in Italiam diſceſſiſſe, quod etiam ex aliorum relatione confirmat. Quæ ut melius, quam Iamblichiana, cohærent, & a Laërtio quoque Themiſtio, Suida aliisque narratis magis reſpondent, ita itineris orientalis fidem maximopere elevant. III. Neque his obſtare arbitramur teſtium nubem, qui, Pythagoram magos adiiſſe, dixerunt. Omnes enim illi non pro multis, ſed tantum pro duobus vel tribus teſtibus reputandi ſunt. Sunt enim vel Pythagorei, quique hos ſecuti ſunt recentiores Platonici, vel doctores eccleſiæ. Illorum ſtudium in eo potiſſimum verſatum eſſe, ut Pythagoram, quem primum & præcipuum ſectæ ſuæ patronum ducemque venerabantur, ſapientiam omnium orbis incolarum pernoviſſe, aliosque ita præcelluiſſe oſtenderent, ſupra jam rationibus non contemnendis evicimus. Hi inani præjudicio, Pythagorea cum Hebræis convenire, ducti, ne ſapientia a Græ-

f) *Excerpt. Peireſc. p. 241.*

ff) *Strom. l. I. p. 302. 332.* Polycrates enim perfidia Orœtæ Olymp. LXIV. 2. periit. Pertinent itaque huc omnes, qui apud PORPHYR. *l. c.* Pythagoram Polycratis tyrannidem exoſum in Italiam abiiſſe dicunt. vid. LAERT. *l. VIII. ſ. 3.*

g) *Lib. I. c. 18.*

h) *Tuſc. Qq. l. I. c. 18.* GELLIVS *l. XVII. c. ult.*

i) *ll. cc.*

k) *l. c. p. 96. ſeq.*

l) Antiphon & Ariſtoxenus.

m) *n. 8. 9. p. 12. 13.*

cis prodiiſſe videretur, pro barbaricæ philoſophiæ antiquitate & auctoritate pugnis calcibusque pugnaverunt; quam cum Hebræa genuiſſe ipſis crederetur, facile ab iis admiſſæ fabulæ de itinere Babylonico Pythagoræ, ut ita a Iudæis inſtitutus fuiſſe videretur. Vtrisque igitur cum hoc iter Pythagoræ orientale placuerit, ut partibus ſuis faveret, ſuſpecta eorum fides eſt. Nec IV. ad quos provocantes vides, ut commercium cum Iudæis evincant, Hermippus, & Ariſtobulus magnum opinioni pondus addunt: hujus enim fidem ſupra jam rejecimus argumentis haud levibus ducti, & alio quoque loco idem evincemus: illius vero teſtimonium, non tantum unicum eſt, ſed ex calamo quoque Iudæi, genti ſuæ innata ſuperbia Græcanicæ philoſophiæ origines vindicantis profectum, forteque ab eo non accurate inſpectum, certe Origeni ipſi lectum non eſt. [n] Diogenis autem verba apud Porphyrium, ut apud CYRILLVM [o] quoque leguntur, κατ' Ἑβραίους, non habent, & videntur hæ voces ex margine in textum Porphyrii ſerius irrepſiſſe, & gloſſema olim fuiſſe, lectoris in hac opinione verſantis; veriſimile enim non eſt, Porphyrium, pluribus teſtibus, qui hæc negant & Pythagoram ex Ægypto domum reverſum affirmant, adductis, Diogenis verba in contrarium aſſuiſſe, ſi ita ipſe legiſſet, ut hodie in Codd. leguntur. Reliqui, qui iter hoc Pythagoræ orientale tangunt, famam ſeqvuntur, a Platonicis Alexandrinis ſparſam, ut ſectæ ſuæ caput eo magis extollerent. V. Nec meliori fundamento nituntur, quæ de Zabrato vel Nazarato mago Pythagoræ præceptore incerto dubioque rumore veteres referunt. Neque enim quis ille fuerit, neque ubi quave ratione Pythagoram erudiverit, conſtat, & variæ de eo ſententiæ aperte produnt, vulgi tantum rumorem & Pythagoreorum jactantiam hunc Zabratum peperiſſe: cadente enim totius itineris orientalis fide, & hæc quoque evaneſcunt. Ridendi vero merito ſunt, qui neſcio quem ex viris ſanctis gentis Hebrææ iſto nomine indigitari putant: nihil enim, quo iſta ſententia probetur, afferunt; præter id, de quo tamen diſputatur, commercium interceſſiſſe Pythagoræ cum Hebræis, qui quam contemti inter Babylonios fuerint, præter paucos quosdam viros, rerum gubernationi admotos, ad quos Pythagoræ acceſſus vix patuiſſet, conſtat. Et ſic fabula quoque corruit, quam Iudæorum faſtus peperit, Pythagoram proſelytum factum eſſe, [p] quam operoſe refutare opus haut eſt, cum ſola negatione corruat: rectеque LACTANTIVS [q] negat, Pythagoram ad Iudæos acceſſiſſe. Nec magna veriſimilitudine ſe probat virorum doctiſſimorum TH. HYDEI, [r] HVMPHR. PRIDEAVX [s] & ISAACI DE BEAVSOBRE [t] ſententia, Zabratum hunc eſſe Zoroaſtrem; eumque

n) ORIG. enim *l. c.* ad ſolum rumorem provocat: fertur Hermippus &c.

o) *Lib. X. contr. Iulian.* Quæ vero KVSTERVS *ad l. c.* PORPHYR. *p. 14. n. 21.* affert, ut confirmet voces has addendas eſſe, infirma ſunt, & a ſolo PP. teſtimonio petita.

p) MENASSE BEN ISRAEL *de immort. anim. l. IV. c. 21. p. 171.* conf. SCIP. SGAMBATVS *Archiv. V. T. p. 453.* S. R. WOLF. *Bibl. Hebr. vol. I. p. 983.* ven. HENR. SCHARBAV. *Iudaiſmus detectus p. 108.* & quos ſupra §. *VI. not. y* laudavimus.

q) *Lib. IV. c. 2.*

r) *De rel. vet. Perſ. c. XXIV. p. 309. c. XXXI. pag. 379.*

s) *Hiſt. V. T. T. I. p. 278. 289. ſeqq.*

t) *l. c.*

eumque audiviſſe Pythagoram: quam incerta enim omnia ea ſint, quæ de Zoroaſtris ætate Arabes, quos laudatiſſimi viri ſequuntur, dicunt, tertio capite libri primi luculenter oſtendimus: nec ſatis quoque tempora concordant: ſi enim verum eſt, Pythagoram a Cambyſe captum duodecim annos Babylone vixiſſe, hoc tempus infra Hyſtaſpis Darii patris ætatem eſt, quo vixiſſe Zoroaſter Arabibus dicitur. Sin prius iter Pythagoræ incidiſſe dicatur; quia Olymp. LXII. jam in Italiam ſolvit, impoſſibile fuit, ut audiverit Zoroaſtrem, quem circa Olymp. LXV. demum prodiiſſe, a laudatis viris afferitur. Apparebit etiam ex iis, quæ infra de ſyſtemate Pythagoreo dicentur, non tam affinia inter ſe eſſe Zoroaſtrea & Pythagorea dogmata, ac putant hi viri docti, id quod ipſe Beauſobrius vidit, qui Pythagoream de duplici principio ſententiam, Magis dualiſtis potius, quam Zoroaſtreis affinem eſſe concedit. Cum itaque ne Iamblichiana quidem chronologia Pythagoræ, quæ tamen Pythagoram reliquis juniorem facit, cum Zoroaſtris temporibus, ſive Græcos, ſive Arabes ſequaris, conveniat, fundamento quoque tota conjectura hæc caret, meritoque rejicitur. Ex quibus omnibus, paucis tantum ut inſtitutum noſtrum patitur, diſputatis, recte, ſi leges fidei hiſtoricæ & artis criticæ conſulantur, colligitur, multo veriſimiliorem eorum opinionem eſſe, qui nunquam perveniſſe ad Orientales Pythagoram putant, " ſed ex Ægypto Samum rediiſſe, & ex Samo in Italiam delatum ſtatuunt, contrariam ſententiam pro oſtentatione Pythagoreorum, omnium terrarum eruditionem præceptori vindicantium habentes. Ex his vero facillimo labore intelligi poteſt, quid de illorum traditione ſtatuendum ſit, qui Indos quoque & Gymnoſophiſtas adiiſſe, & ab iis diſciplinam ſuam accepiſſe Pythagoram afferunt, quod magno verborum apparatu præter alios [x] nugatur PHILOSTRATVS, [y] cujus frivolæ rationes cum ex iis ſatis queant refutari, quæ ſupra libri primi capite quarto de Brachmanum & Indorum veterum philoſophia diximus, lectorem brevitatis cauſa eo ablegamus. [z] Omnes vero abſurditate vincit quorundam opinio, Pythagoram etiam ad Gallorum Druidas perveniſſe, quam ex veteribus Alexander Polyhiſtor, [a] ex recentioribus THOM. BVRNETIVS [b] & IACOBVS MARTINIVS [c] VV. CC. receperunt. Apertiſſime enim inani illo falſoque præjudicio Pythagoreorum, omnis iſta traditio nititur, non fuiſſe ſapientium collegium in ullo orbis angulo, quod non adierit Pythagoras. Quod ſi recte probari deberet, teſtimoniis fide dignis evincendum eſſet, Pythagoram iter ad eos ſuſcepiſſe, eumque a Druidibus, ſua tam ſollicite celantibus

u) Ita viri doctiſſimi LLOYDIVS, BENTLEIVS, CLERICVS *ll. cc.* FABRICIVS *l. c.* LENFANTIVS *Bibl. Germ. T. II. p. 124.* GVNDLINGIVS *Hiſt. phil. mor. c. VII. §. 1. not. l. p. 74.* BVDDEVS *Hiſt. eccleſ. V. T. T. II. p. 1077.* & nuperus *Hiſtoriæ criticæ philoſophiæ* auctor Gallus *T. II. p. 50.* qui ſi pari animo plures fabulas ex Pythagoræ hiſtoria ejeciſſet, elegantem de ea nobis tractationem exhibuiſſet.

x) APVLEIVS *l. c.* Alex. apud CLEM. ALEX. *l. c.* PORPHYR. *l. c.* conf. SCHEFFER. *l. c.*

y) Vit. Apollonii l. VI. c. 11. p. 245.

z) Dicetur etiam de eo ſuo loco, ubi de Apollonio.

a) Apud CLEM. ALEX. *l. c.*

b) Archæol. philoſ. p. 341.

c) Religion des Gaulois T. I. p. 184. 185. conf. cl. FRICKIVS *de Druid. §. 15. p. 19.*

bus fuiſſe admiſſum, ut in Ægypto factum eſſe conſtat: non vero ad unius alteriuſve Græculi teſtimonium, ex præjudicio ſectæ Pythagoreæ enatum provocandum, vel dogmatum quorundam communium conſenſus [d] urgendus eſſet: quæ omnia plane nihil probant, & contorta inſuper ſunt, nec eam ſententiarum harmoniam exhibent, quam videre ſe viri docti putant. Verum & de hac re ſupra, [e] quantum ſatis, dictum & oſtenſum eſt, Druidum ordinem, dogmataque longe vetuſtiora eſſe Pythagora, & metempſychoſin Gallorum differre a Pythagorea. Addimus hoc unum, teſte DIODORO [f] Gallos tempore demum Alexandri Græcis innotuiſſe, adeoque ignotos & latentes a Pythagora adiri non potuiſſe.

Schola domi erecta.

§. VIII. Ex Babylonia itaque, ſi Iamblicho credimus, [g] vel ſi probabiliores rationes ſequimur, ex Ægypto in patriam redux, cum multis annis abfuiſſet, vix a ſenioribus quibusdam agnitus eſt, non minori, quam antea, in admiratione habitus, quod majora pulchritudinis, ſapientiæ & divinitatis argumenta domum reportaſſe videretur, ut hæc nobis narrat IAMBLICHVS, [h] qui ita porro tradit: patriam eum invitaſſe, ut participatione inventorum ſuorum communi emolumento prodeſſe vellet: Pythagoram non renuiſſe, ſed Ægyptiacam per ſymbola docendi elegiſſe methodum, quam nec ſatis capiebant Samii, nec diligenter in hanc rem incumbebant, ita ut nemo ei adhæreret. Fraude itaque rem aggrediendam ratum, juvenem quendam pauperem ex palæſtra domum abductum eo adduxiſſe, ut ſcientiarum a ſe præcepta ſibi tradi pateretur, promiſſa alimonia, ad curam corporis ſufficiente. Ita quidem arithmeticam & geometriam eum docuiſſe, propoſito de ſingulis, quæ didiciſſet, theorematibus, præmio: ita vero ejus ſtudium adeo accendiſſe, ut, cum præmium ſe poſtea daturum negaret, juvenis ingenioſe cauſato Pythagoræ, ſe victus quærendi cauſa demonſtrationibus amplius inſudare non poſſe, mercedem & alimenta ultro obtulerit, ſicque ipſe alter quaſi evaſerit Pythagoras, cujus quoque nomen geſſerit. Quia vero tantam ſapientiam Samus non capiebat, aliter populi animos ſibi devinciendos & in ſuas partes pertrahendos eſſe ratus, Delum abiit, ibique ſacerdotibus ſe adjunxit, & ad aram incruentam, quæ poſt corneum altare fuit, Apollini Genitori precibus ſacrificavit. [i] Delo poſtea diſcedens, ad omnia loca, in quibus oracula eſſent, ſe contulit, ibique teſte Ariſtoxeno complura moralium dogmata, ab Ariſtoclea, ut PORPHYRIVS [k] habet, vel Themiſtoclea, ut LAER-

Itinera in Græcas inſulas.

d) Eam oſtendere ſategit illuſtris SELDENVS in *Anal. Anglo-Britan. pag. 881.* quæ, ne imponant, legenda, quæ eleganter hac de re differit BASNAGE *Hiſt. des Iuifs T. III. p. 537. ſeqq.*

e) Lib. I. c. 8.

f) Lib. VII. conf. SCHEFFER *l. c. p. 15.* qui ideo pro γαλάτων apud Alexandrum Polyhiſt. χαλδαίων legi vult: quæ tamen emendatio & durior eſt, & non neceſſaria. Vidimus enim ejusmodi ἀνησορησίας in hiſt. Pyth. eſſe apud veteres frequentiſſimas.

g) Rumorem, quod a Gillo quodam Crotoniatarum principe redemtus fuerit, tanquam minus probabilem rejicit APVLEIVS *l. c.*

h) Cap. V. n. 20.

i) LAERTIVS *lib. VIII. ſ. 13.* incruenta vero ara dicta eſt, quod non victimæ, ſed ſolum frumentum, & hordeum, & placentæ offerrentur. IAMBLICH. *n. 25.*

k) n. 41.

LAERTIVS,[l] tradit, accepit, quæ ſacerdos Apollinis fuit, ut ita ex divino fonte ſua hauſiſſe videretur. Poſtea Lacedæmonem & in Cretam navigavit, quæ inſula propter Iovis myſteria tum temporis fuit celeberrima, ibique a Corybantibus ſive Dactylis, Cybeles ſacerdotibus, in ſpecum Idæ montis, ubi Iovem ſepultum eſſe ferebatur, adductus eſt, traditque PORPHYRIVS,[m] ibi ſe unius ex Idæis Dactylis ſacerdotibus, cui Morgo nomen fuit, curæ addixiſſe, & ab eo Ceraunio lapide fuiſſe purgatum, noctuque juxta flumen agni nigri vellere redimitum. Quæ ut felicius ſuccederent, Epimenidem porro adiiſſe tradunt, Cretenſem, de quo ſupra prolixe egimus, hominem fanaticum, vel ut APVLEIO[n] vocatur, fatiloquum, cum eo in Idæum antrum deſcendiſſe, nigra lana amictum, & dies ter novenos ibi ex lege diſciplinæ ſacræ exegiſſe, Iovique parentaviſſe, ejusque vidiſſe pulvinar. Ita celebrioribus Græcorum quoque myſteriis initiatus, ad Olympicum certamen deſcendit,[o] ibique in admiratione omnium verſatus, cum de cognomine interrogaretur, non ſe σοφὸν, ſed φιλόσοφον primus dixit.[p] Alii tamen Sicyone id eveniſſe, alii Phliunte dicunt, narratque Heraclides apud CICERONEM,[q] ibi cum Leonte principe Phliaſiorum docte & copioſe diſſeruiſſe quædam, cujus ingenium & eloquentiam cum admiratus eſſet Leon, quæſiviſſe ex eo, qua maxime arte confideret? at illum reſpondiſſe: artem quidem ſe ſcire nullam, ſed eſſe philoſophum. Admiratum Leontem novitatem nominis quæſiviſſe, quinam eſſent philoſophi, & quid inter eos & reliquos intereſſet? hoc Pythagoram, ſimili deſumto a mercatu in ludis Græcorum celeberrimis haberi ſolito, ita explicuiſſe, ut hos ſe appellare diceret ſapientiæ ſtudioſos, qui in hanc vitam ex alia vita & natura profecti gloriæ, pecuniæ aliarumque rerum ſtudio pro nihilo habito, rerum naturam ſtudioſe intuerentur. Quod vero diſcrimen inter ſapientiam atque ſapientem, & inter philoſophiam & philoſophum poſuerit, infra dicendi erit locus. Ita vero celeberrimo & ubique poſtea recepto nomini originem dedit, cum naturæ interpretes antea ſapientes dicerentur.[r] Ita non aucta tantum eruditione, myſteriis celebrioribus, quæ didicerat, ſed & auctoritate atque ſapientiæ fama in patriam redux, in ipſa urbe ſcholam exſtruxit, Pythagoræ hemicyclium poſtea dictam,[s] ubi Samii de republica conſulturi convenire ſolebant, ibique moralis potiſſimum doctrinæ præcepta, quæ ad reipublicæ emolumentum faciebant, tradebat.[ſſ] Extra urbem vero, magno-

l) LAERT. *ſ. 8.* ubi ſoror vocatur, ſine dubio ex mendo, ἀδελφῆς pro ἐν Δελφοῖς poſito, vid. CAS. & MENAG. *ad h. l.* conf. MENAG. *Hiſtor. mulier. philoſoph. n. 77. p. 499.*

m) *n. 17.* LAERT. *ſ. 3.* De his Cretenſium myſteriis & ſacerdotibus, Iodis etiam & Curetibus dictis, videndus HOLSTENIVS *ad* PORPHYR. *l. c.* & MEVRSIVS in *Creta c. III. p. 73. c. IV. p. 78.* conf. PORPHYR. *de antro nymph. p. 120.* ed. Rom.

n) *l. c.* conf. PORPH. LAERT. *ll. cc.* Quidam Epimenidem Pythagoræ diſcipulum faciunt, ſed melius ita tempora concordant, conf. LLOYD. *l. c.* CLERIC. *l. c. p. 97.*

o) VALER. MAX. *l. VIII. c. 7.*

p) LAERT. *l. I. ſ. 12. VIII. 8.* IAMBLICH. *c. VIII. n. 44. c. XII. n. 58.*

q) *Tuſc. Q q. l. V. c. 3.*

r) Repetenda, quæ in prolegomenis de hac re diximus.

s) IAMBLICH. *c. V. n. 26.* PORPHYR. *n. 9.*

ſſ) Arcanas enim diſciplinas tradebat in antro.

gnorum virorum, & imprimis legislatorum veterum exemplo,[t] ut venerationem doctrinæ suæ conciliaret, antrum parabat, studiis ejus philosophicis aptatum, in quo partem diei noctisque maximam cum amicis differendo transigebat, & imprimis in mathematicarum scientiarum cultura, totus cum discipulis hærebat. Aitque IAMBLICHVS," cum ita ingens philosophiæ accessio facta esset, totam Græciam in ejus admirationem consensisse, ut eorum, qui philosophiæ operam navarent, plurimi atque optimi quivis, ipsius studio Samum se contulerint, ad ejus disciplinam admitti desiderantes. Quæ an verisimilia sint, & non adjecta a Iamblicho, ut celebritatem Pythagoræ eo luculentius confirmaret, ipse cautus lector dispiciet. Et hæc quidem vitæ Pythagoræ enarratores, ad quorum fidem ea omnia redeunt, quæ qualis quantaque sit, supra diximus. Quod si eam vero admittimus, ut pleraque verisimilitudine non carent, a fraude & impostura, ut erant seculi illius mores, Pythagoras liberari non potest, qui eas ipsas artes adhibuit, quibus callidissimum hominum genus, sacerdotes, homines decipere, suamque firmare auctoritatem solebant. Factum id esse, arcana disciplina, mysteriisque, nescio quam divinæ originis auctoritatem, & sublimiorem sapientiam præ se ferentibus, introductis, sacrisque & molestis ceremoniis adhibitis, plus una hactenus vice monuimus. Cum itaque eruditionem suam contemni Pythagoras videret, religione & arcanæ doctrinæ opinione famam & auctoritatem sibi conciliare satagens, his mysteriis initiari, & improbo hominum generi se adscribi voluit, ut, quod philosophia non dabat, religio ipsi acquireret, nomen celeberrimum. Non dubitandum itaque, modo hæc omnia vera sint, quæ veteres narrant, Pythagoram in eandem furciferorum classem referendum esse, in quam Epimenidem aliosque hujus furfuris retulimus, qui fraudibus piis, & religionis ceremoniis speciosæ obtentu divinitatis famam aucupati sunt. Nec aliud loquitur antrum a Pythagora extra Sami urbem electum, quam videri eum voluisse, arcanos cum numinibus congressus & disciplinæ cœlestis traditionem habuisse. In ejusmodi enim antris numina inspirasse sibi leges & disciplinam tradidere Numa, Minos, & his similes.[v]

Iter & mora in Italia.

§. IX. Ex Samo in Italiam profectum esse Pythagoram, omnes uno ore testantur, veteres, qui de rebus ejus commentati sunt, certissimum ita ut hoc iter Italicum Pythagoræ sit : incertiora vero sunt, quæ de causa ejus, incertissima, quæ de tempore narrantur. IAMBLICHVS[w] enim tradit : cives Samios Pythagoram ad omnes legationes traxisse, secumque mune-

t) Minois exemplum imitatum fuisse, ipse monet IAMBLICHVS *n.* 27. Erant autem multa ejusmodi antra numinibus & oraculis celebria, Nympharum in Ithaca, Mythræ apud Persas, Bacchi in Naxo, Paridis in Arcadia, imprimis Bœotia ejusmodi antris ferax fuit, & inter ea celeberrimum Trophonium, de quo videndus PAVSANIAS in *Bœoticis*, in horum similitudinem efficta adyta. conf. PORPHYR. *de antro Nymph.*

u) *l. c.* Non vero ita secum consentit Iamblichus, qui socordiam Samiorum aspernatum in Italiam profectum esse ait *n.* 28.

v) Legenda quæ erudite de fraudibus in ejusmodi antris adhiberi solitis adque aucupandam divinam auctoritatem admissis differit ANT. VAN DALE *de oraculis gent. diss. II, p. m. 226. seqq.* edit. prior.

w) *c. s. n.* 18.

muneribus publicis fungi coëgiſſe ; quod cum conſiſtere cum philoſophiæ ſtudio non poſſe vidiſſet, ſtatuiſſe declinare adminiſtrationes, & exemplum eorum ſequi, qui ante ipſum philoſophiam excolentes, vitam inter peregrinos exegerint : licet non neget, alios cauſam hujus conſilii in ſocordiam Samiorum in literis referre, quam aſpernatus Pythagoras eam ſibi patriam eſſe regionem exiſtimaverit, quæ plurium diſcendi cupidorum ferax eſſet. Alii Samo relicta in Italiam eum contendiſſe dicunt, quod ferre Syloſontem non poſſet, fratrem Polycratis, qui privatam poſt fratris fata vitam agens, Dario Hyſtaſpide poſtea patrocinante, Sami tyrannus eſt factus.[x] Longe major vero de tempore, quo Pythagoras in Italiam ſolvit, diſſenſus & controverſia eſt, quam ſupra jam ὡς ἐν παρόδῳ tetigimus. Et illorum quidem opinionem, qui Numæ temporibus Pythagoram in Italiam veniſſe contenderunt, libro primo[y] jugulavimus. Nec admittenda PLINII[z] lectio, qui Pythagoram Veneris, planetæ indolem exploraſſe ait Olympiade circiter XLII. A. V. C. CXLII. quo Tarquinius Priſcus regnavit. Illo enim tempore Pythagoram nondum natum eſſe conſtat, cubat vel in mendo locus, vel Plinium memoria decepit. Aliter auctores, quos LAERTIVS[a] ſecutus eſt, qui tradunt, Pythagoram offenſum tyrannide Polycratis, qua rempublicam occupari videbat, in Italiam ſolviſſe; Polycrates vero Ol. LXIV. 2. periit cruci affixus, quo STRABO[b] quoque reſpicere videtur, idque Ariſtoxenus apud PORPHYRIVM[c] confirmat. Hinc Ol. LXI. hoc iter ſuſcepiſſe Pythagoram DIODORVS[d] ait, Ol. LVIII. 2. vero LLOYDIVS computat; cujus rationes ſi ſequimur, iter Delum Phliuntemque in hac ad Italos profectione ſimul ſuſceptum eſt.[e] IAMBLICHVS[f] Ol. LXII. 2. in Italiam ſolviſſe auctor eſt ; quæ tamen rationes omnes ſi admittantur, captivitas Pythagoræ iterque Babylonicum, quæ ante Ol. LXIII. 3. 4. accidere non potuere, falſa ſunt. Vnde, ut his conſulerent viri docti, iterque Babylonicum aſſererent, profectionem Pythagoræ Italicam anno demum LX. ætatis ejus, Ol. LXVII. 2. 3. ſuſceptam eſſe contendunt.[ff] Nos, quæ nobis vero propius accedere videantur, cum ſupra expoſuerimus, dicta otioſe non repetemus, hoc unum, ſupra prætermiſſum, addentes, patere ex APVLEIO,[g] ſuo tempore incertam, & dubio rumore nixam captivitatem Pythagoræ iterque Babylonicum viſum eſſe, quod ubi abjicitur, & Pythagoras circa Ol. LVIII. LIX. vel LX. in Italiam diſceſſiſſe ſtatuitur, melius omnia cohærent, & veterum dictis magis conſonant: quo fundamento admiſſo Dodwelliana & Stanlejana chronologia concidit. In Italiam vero delatus, in meridionalibus Italiæ partibus, quas Græci poſſidebant, a quibus

x) STRABO *l. XIV. p. 638.* Alii ad ipſam Polycratis tyrannidem referunt apud LAERT. *l. IIX. ſ. 3.*
y) *c. IIX.*
z) Conf. STANLEIVS *P. IIX. c. 10. p. 672.* Alio loco *l. XXXVI. c. 9.* rege Semneſerteo in Aegyptum eum veniſſe tradit, quo de loco vid. BAYLE *Dict. T. III.* art. *Pythagoras not. B. p. 742.*
a) *l. IIX. ſ. 3.*
b) *l. c.* niſi ad Syloſontem reſpicere dicas.
c) *n. 9.*
d) *Excerpt. Peireſc. p. 241.*
e) Conf. CLERIC. *l. c. p. 115.*
f) *c. VII. n. 35.*
ff) DODWELLVS & STANLEIVS *ll. cc.*
g) *l. c.*

diverſis temporibus variæ in eas coloniæ deductæ erant,[h] conſedit. Fuitque Crotona, urbs in ſinu Tarentino ſita, prima, in quam delatus eſt, cujus corruptis valde moribus vivebant incolæ & imprimis voluptati litabant. Illuc cum iret, miraculum accidiſſe narrant, dignum memoratu: incidiſſe in piſcatores, ſagenam piſcibus onuſtam in profundo trahentes, illisque definito prædixiſſe numero, quanta multitudo capta eſſet: illis igitur pollicentibus, ſe, quicquid imperaturus eſſet, facturos, ſi eventus dictis reſpondiſſet, mandaſſe, ut piſces omnes dinumeratos vivos dimitterent. Fuiſſeque hoc imprimis admirandum, quod ne unus quidem piſcium, dum extra aquam detinerentur, extinctus ſit, ipſo dum hæc agerentur, præſente & ſoluto piſcatoribus pretio piſcium Crotonam contendente. Illos ſtatim, quod acciderat, divulgaſſe, & ita omnibus injeciſſe cupidinem tanti videndi hoſpitis. Ita quidem fabulam narrant PORPHYRIVS[i] atque IAMBLICHVS,[k] quorum mentiendi libidinem & cauſam egregie deprehendimus, ſi, qui eandem rem narrant, PLVTARCHVM,[l] & APVLEIVM[ll] conſulamus, ætate ſuperiores; & iſto, quo Porphyrius & Iamblichus, animo Pythagoræ hiſtoriam expendendi non impeditos. Illi enim hoc tantum narrant, Pythagoram emta tota piſcium captura, captos dimitti juſſiſſe, ut pro amicis & familiaribus captivis precium liberationis perſolveret; communi enim anima utentes noluiſſe interfici, cum injuria neminem afficiant: ideo & Pythagoreos a piſcium eſu abſtinere. Rem in ſe nec miram, nec a vero valde abludentem ſcopo ſuo, Pythagoræ hiſtoriam hiſtoriæ I. C. opponendi aptaturi Porphyrius & Iamblichus, cum legiſſent, Salvatorem totam aliquando piſcium capturam diſrupta ſagena ſervaviſſe, mire perverterunt, & piſcium prædixiſſe numerum, nec unum eorum extingui paſſum eſſe Pythagoram, ſtrenue mentiti ſunt. Qua ratione etiam alias de Pythagora traditiones (nam & hanc pro ſolo rumore venditant Plutarchus & Apulejus) in miracula verterunt homines audaciſſimi. Quamprimum Crotonam advenit, ut Dicæarcho[m] traditum, quaſi adventante viro, plurimarum regionum peragratione claro, & eximio, atque peculiari naturæ beneficio fortunam proſperrimam ducem nacto, (facie enim, ſtatura procera, & moribus gratiam & decorem referebat) ita Crotoniatarum civitas affecta fuit, ut poſtquam ſeniorum, ex quibus civitatis illius magiſtratus conſtabat, animos cepiſſet, habitis apud adoleſcentulos juvenes, pueros, & feminas, ejus gratia in cœtum juſſu magiſtratus coactas, adhortationibus,[n] tota fere civitas in ejus amorem raperetur, multosque is auditores nanciſceretur, non viros ſolum, ſed & feminas, etiam ex vicina barbarorum regione, regios quoque principesque viros. Ita emendabat Crotoniatarum mores, & ad frugalitatem

h) Vocata etiam eſt Græcia ſubciſiva, & Græcia magna. Nomen hoc a Pythagoræ diſcipulis demum accepiſſe, nugæ ſunt IAMBLICHI *c. XXIX. n. 166. c. VI. n. 23.*

i) n. 25.

k) c. VII. n. 36.

l) Qq. Sympoſ. l. IIX. q. 8. T. III. p. m. 289.

ll) Apolog. p. m. 209.

m) PORPHYR. *l. c.*

n) IVSTIN. *l. XX. c. 4.* Orationes ipſas exhibet IAMBLICHVS *c. VIII. n. 37. c. IX. n. 45. c. X. n. 51. c. XI. n. 54. ſeqq.* quas tamen eum ex ingenio ita confinxiſſe dubium non eſt, ut ſæpe ſolent hiſtorici.

tem révocabat, & ad virtutem ſingulas hominum ætates & ſexum mira eloquentiæ efficacia excitabat:[o] aitque IAMBLICHVS,[p] ſexcentos fuiſſe, quos non tantum ad capeſſendam philoſophiam oratione ſua permoverit, ſed qui collatis etiam in unum facultatibus, communem vitam ſequerentur, de qua vivendi ratione Pythagorea poſtea dicemus. PORPHYRIVS[q] vero plusquam duo millia fuiſſe, auctore Nicomacho tradit. Non vero Crotonæ tantum ſubſtitit, ſed philoſophiæ quoque præſidio reliquis Italiæ & Siciliæ urbibus Græcis ſubveniendum ratus, quas in ſervitutem redactas noverat, ad libertatem illis animum erexit, & in priſtinum ſtatum per ſuos auditores illarum cives aſſeruit, adeoque liberas fecit præter Crotonem Sybarim, Catanem, Rhegium, Himæram, Agrigentum, Tauromenas, & alias quasdam[r] magna ubique auctoritate uſus, multisque conciliatis diſcipulis, cum XL. fere annis ibi moram feciſſet.

§. X. Facile ex dictis hactenus colligi poteſt, Pythagoræ non parum honoris & auctoritatis apud Crotoniatas reliquosque illius regionis urbiumque incolas comparatum fuiſſe, cujus varia nobis ſpecimina vitæ Pythagoræ conſarcinatores enarrant. Tradit enim PORPHYRIVS:[s] civitates in libertatem vindicatas eum ſalutaribus inſtruxiſſe legibus per Charondam Catanæum & Zaleucum Locrum: depoſuiſſe imperia tyrannos ipſo audito; & veniſſe ad eum Lucanos & Meſſapios & Picentinos, & Romanos, [ff] ſuſtuliſſeque omnes omnino diſcordias ab Italiæ Siciliæque civitatibus, tam internas quam externas. Tyranni quoque ut ejicerentur, orationibus ſuis paſſim effecit, & ita Agrigentum quoque a Phalaridis tyrannide liberaſſe IAMBLICHO dicitur.[t] Crotoniatæ quoque cum Sybaritis ejus conſilio bello congreſſi ob interfectos legatos, victoria potiti ſunt.[u] Et his alia non minora porro referunt. Sunt tamen in illis quoque haud leves nodi, quos facilius feces, quam ſolvas. Referuntur enim inter diſcipulos Pythagoræ non a PORPHYRIO tantum & IAMBLICHO, ſed aliis[v] quoque Zaleucus & Charondas, eos vero ætate Pythagoræ longe ſuperiores fuiſſe, veterum teſtimonia evincunt,[w] & nobis quoque libri ſecundi capite ſecundo obſervatum eſt, ut ita luculento exemplo pateat, Pythagoreos non attendiſſe ad rationum chronologicarum ſeriem & fidem, modo omnes viros antiquitus celebres Pythagoræ ſuo aſſeruerint, cujus exemplum in Numa quoque vidimus. Similem difficultatem habet Phalaridis ejecti & occiſi hiſtoria & tempus, multum chronologiam Pythagoræ implicitam reddens, qua de re nota ſunt, quæ inter RICH. BENT-

Auctoritas inter Italos.

o) Conf. BAYLE *l. c. not. C. p. 742.* Reſpexit huc CLAVDIANVS *Conſ. Theod. v. 156.*

Annon Pythagoræ monitus, annique ſilentes
Famoſum Oebalii luxum preſſere Tarenti?

p) *c. V. n. 29.*

q) *n. 20.* ita etiam ipſe IAMBLICHVS *c. VI. n. 30.*

r) *ib. n. 33.* s) *n. 20. ſeqq.*

ff) Dignus, qui cum his Porphyrii verbis conferatur, locus eſt LIVII *l. I. c. 18.* ut conſtet, quam parum veriſimilitudinis habeat, Romanos ad Pythagoram veniſſe leges accepturos.

t) *c. XXXI. n. 214. ſeq.*

u) Hiſtoriam belli narrat DIODOR. *l. XII.* IAMBLICH. *c. XXX. n. 177. ſeqq.*

v) SENECA *ep. 90.* LAERT. *l. VIII. ſ. 16.*

w) DEMOSTHEN. *orat. adv. Timocr. p. 469* EVSEB. *in Chron.* conf. BENTLEIVS *apol. de epiſt. Phal. p. 339.* FABRIC. *Bibl. Græc. Vol. I p. 516. 519. ſeq.*

BENTLEIVM ad Olymp. LVII. 4. referentem, & HENRICVM DODWELLVM Olymp. LXIX. 1. eveniſſe ſtatuentem, aliosque magna animorum contentione diſputata ſunt, [x] quæque notabili exemplo confirmant, quam parum certi ſit in hiſtoria & chronologia veteri, quam mentiendi audacia, ſectæ Pythagoreæ, uti ſupra dictum, familiaris, miris modis corrupit.

Miracula. Et hæc quoque magna ex parte mater fuit miraculorum, quæ de Pythagora referuntur. Provocat enim PORPHYRIVS [y] ad auctores antiquos & præjudicatæ auctoritatis, qui tradiderint, etiam ad bruta animalia usque præcepta admonitionesque ejus ſeſe extendiſſe. Vrſam Dauniam agros depopulatam comprehenſam & diu contrectatam adjuraſſe, ut dimiſſa nunquam amplius ex montibus atque ſylvis redierit: Bovem temere fabas depaſcentem, in aurem inſuſurrando a fabis comedendis arcuiſſe: aquilam ex aëre prætervolitantem detraxiſſe, rurſumque dimiſiſſe. Caucaſum fluvium tranſeuntem & cum multis amicorum adlocutum eſſe, & clara eum ac liquida voce cunctis audientibus dixiſſe: [z] Salve Pythagora. Quin etiam una eademque die & Metaponti in Italia, & Tauromenii in Sicilia, amicis, quos utrobique habebat, adfuiſſe, & in publico cœtu allocutum fuiſſe: [a] Commemoratas eſſe prædictiones terræ motuum certiſſimas, ventorum violentorum grandinisque profuſiſſimæ compreſſiones, peſtis averruncationes præſentiſſimas, tempeſtatum tam in fluminibus, quam in mari ſerenationes, quæ miracula non ipſe tantum perpetraverit, ſed & diſcipuli Empedocles, Epimenides, Abaris [b] ab eo didicerint. Animi porro corporisque affectus carminibus & incantationibus ſedaſſe, & univerſi concentum auribus percepiſſe. His alii [c] alia adjiciunt: multa eum prædixiſſe, quæ poſtea evenerunt, Sybari ſerpentem letiferum & hirſutum comprehendiſſe, rurſusque dimiſiſſe, alioque loco ſerpentem morſu occidiſſe, & ſexcenta hujus generis alia, quæ indubitata fide & certitudine immota conſtare, ejus admiratores ſibi perſuadent. Factum inde eſt, ut inter γοήτας ſive magos celeberrimos a multis cum veterum [d] tum recentiorum [e] numeraretur, jamque Timon [f] in Sillis diceret, eum a magica ad philoſophiam declinaſſe. Alii meras præſtigias & impoſturas fuiſſe dicebant, quam objurgationem mire confirmat, quod Hermippus [ff] & Scholiaſtes SOPHOCLIS [g] narrant: in Italiam delatum ſubterraneam feciſſe ſpecum, matrique præcepiſſe, ut mortuum eum diceret, quæ agerentur vero,

x) Libros hac de cauſa ſcriptos enumerat FABRICIVS *l. c. p. 405.* conf. CLERIC. *l. c. p. 82. 130. ſeqq.*

y) *n. 23. ſeqq.* & hunc ſecutus IAMBLICHVS *c. XXIIX. n. 134.*

z) Eadem fere narrant LAERT. *l. IIX. ſ. 11.* AELIAN. *l. II. c. 17.* APOLLON. *hiſt. com. c. 6.*

a) Citati PHILOSTRAT. *vit. Apoll. l. IV. c. 10. p. 147.*

b) Verum Abarim & Empedoclem non fuiſſe diſcipulos Pythagoræ, ſed ante congreſſum cum illo iſtis jam artibus celebres, ſupra demonſtratum eſt.

c) Anonym. apud PHOTIVM *Cod. CCLIX.* ad calc. PORPHYR. *p. 58.* EVSEB. *præp. l. X. c. 3.*

d) PLVTARCH. in *Numa T. I. p. m. 117.* CHRYSOSTOM. *Homil. II. in Ioan.* LVCIAN. in *vitar. auct. T. III. p. m. 1025.* APVLEIVS *apolog. p. m. 209.* PLINIVS *l. XXIV. c. 17. l. XXX. c. 1.*

e) Conf. MENAG. *ad* LAERT. *l. VIII. ſ. 36.* NAVDE *apologie des grands hommes accuſer de Magie c. X. p. m. 136. ſeqq. p. 146.* & quos *h. l.* nominat.

f) LAERT. *l. VIII. ſ. 36.*

ff) Apud LAERT. *l. VIII. ſ. 41.*

g) *Ad Electr.*

vero, ut tabulis inſcriberet, tempusque adnotaret. Deinde eum deſcendiſſe in ſpecum, matrem vero præcepta eſſe exſecutam, donec ex locis illis ſubterraneis rediret. Aliquo elapſo tempore ex ſpecu adſcendiſſe, ſqualidum ac macie confectum, advocataque concione dixiſſe, ex inferis ſe aſcendere, atque, ut fidem faceret ſibi, recitaſſe, quicquid interea eveniſſet. Narraviſſe etiam de rebus apud inferos geſtis mirabilia, & quæ de amicis fatis functis viderit, quosque cruciatus conſpexerit. His Crotoniatas affectos in lacrymas & ejulatus prorupiſſe, Pythagoramque divini quid habere exiſtimantes, uxores ſuas in diſciplinam ei dediſſe, ut ejus doctrina inſtituerentur. Adduntque his, quæ poſtea quoque tangentur, expoſuiſſe, [b] quis ante ingreſſum in hoc corpus fuerit, quodque Aethalides fuerit ante Trojanum bellum, Mercurii filius, tum Euphorbus, Hermotimus poſtea, inde Pyrrhus Delius, poſtremo Pythagoras. Quam tranſmigrationis Pythagoreæ hiſtoriam ſalſe ridet, & impoſturam philoſophi ridiculo colloquio detegit LVCIANVS. [i] Quod ſi de ipſa re accuratum judicium ferendum eſt, diſtinguendi ſunt Pythagoras, Pythagorei, & hiſtoriæ Pythagoreæ conſarcinatores, qui omnes ad has fabulas ſymbolam contulerunt. Et Pythagoram quidem ipſum impoſtorem fuiſſe, nulli dubitamus afferere, fidem faciente tota Pythagoræ hiſtoria, quæ vitæ rationes, itinera, philoſophandi modum, conſortia cum ſacerdotibus, myſteria adhibita & hujus generis alia, ea potiſſimum fini enumerat, ut non deteriorem fuiſſe Pythagoram reliquis viris θαυμασίοις, qualis Epimenides & Abaris fuerunt, pateſceret. Cur enim ſacerdotum, qui callidiſſimi impoſtores fuerunt, ſocietatem tam ſtudioſe ſectatus eſt? cur myſteria tantis moleſtiis didicit? cur antrum ſacrum effinxit? cur mendacia de inferis adhibuit? cur animæ migrantis in corpora hiſtoriam expoſuit? niſi ut ſuperſtitioſum populum deciperet? Nec id mirabuntur, qui iſtius temporis genium pernoverunt, quibus ejusmodi ſacris fraudibus plena erant omnia, & quibus iſtis præſtigiis divini commercii fama & emolumentum inde proveniens maximum, præcipue a legislatoribus & theologis, non ſine lætiſſimo quærebatur eventu. [k] Hæc cum viderent diſcipuli & ſectatores, auctoritatis præjudicio ex ipſa diſciplina Pythagorea faſcinati, non tantum in majus elata ad alios propagarunt, ſed infreni mentiendi in ſacris licentia, quam ſupra Iamblichi teſtimonio probavimus, corrupti immenſum in modum auxerunt, & ita circumſtantiarum fictarum ornatu pinxerunt, ut præceptoris admiratio omnes homines caperet. Quod ut felicius conſequerentur, omnium fere præſtigiatorum hiſtoriolæ ad Pythagoram relatæ ſunt: quæ cum non accuratis monumentis deſignarentur, ſed orali traditione per vulgus ſpargerentur, aucta, mutata & ornata atque comta ſunt, ut cujusque inge-

b) LAERT. *l. VIII. ſ. 4.* ſcholiaſtes APOLLON. *l. I. v. 645.* PORPHYR. *l. c.* MENAG. *l. c. Laërt.*

i) In *Gallo T. II. p. 613.* Non itaque ſolus Hermippus & ſcholiaſtes Sophoclis pro impoſtore habuere Pythagoram, quod contendit tamen ad eum excuſandum cl. LEHMANNVS *l. c. p. 359.* Tacere vero Porphyrium & Iamblichum mirum non eſt, non enim hæc honorifica erant heroi, quem ornabant ac comebant.

k) Hoc expendendum probe circa apologiam NAVDAEI qui *l. c.* Pythagoram ab omni fraude liberat.

ingenio placuit. His ſubſidiis potiti Alexandrini Platonici, ut haberent, quod miraculis Chriſti opponerent, ex rumuſculis iſtis dubia fide & incerta traditione ſparſis ingentes hiſtorias commenti ſunt, quibus ut fidem facerent, ad auctores diu deperditos provocaverunt; ſicque θαυμασίων Pythagoreorum hiſtoria tandem enata eſt, quam diverſorum hominum & ſeculorum collectionem impoſturarum eſſe, recte dixeris. Ex quibus etiam patet, non omnia tribuenda eſſe Pythagoræ, quæ ſequentium temporum jactantia ei tribuit.[l] Quæ in mentiendo non adeo memor fuit, ut non fraudem & mendacia paſſim proderet, id quod excuſſis plerisque, quæ de eo referuntur miraculis facile oſtendi poſſet, ſi id locus pateretur. Quid enim magis ridiculum, quam fluvium Pythagoram ſalutaſſe, de quo tamen veteres ita diſcordant,[ll] ut manibus palpari queat, vulgi rumuſculis totam narrationem deberi. Quid inſulſius, bovem a fabis abſtinere monitum, paruiſſe, cum fabarum interdictus eſus nugis Pythagorici ingenii tantum nitatur? Quid ineptius, quam audire muſicam cœleſtem, quæ in ſolo Pythagoræ ingenio habitans, cum ipſo evanuit? Luſtrationum, incantationum, averruncationum & hujus generis aliorum ſpecimina edidiſſe Pythagoram facile credi poteſt, ejusmodi enim impoſturas tum frequentiſſimas fuiſſe, ſupra de theologis Græcis verba facientes retulimus; meras vero fuiſſe fraudes tum quoque obſervavimus. Nobis itaque hæc Pythagoreorum miraculorum hiſtoria meliori fide digna non videtur, hiſtoria magi celeberrimi Ioannis Fauſti, quam otioſa hominum ingenia, forte & invidia peperere, educavit credulitas, proſcripſit examen prudens & accuratum. Plura non addimus, videnda apud CLERICVM,[m] STOLLIVM,[n] NAVDAEVM,[o] BAYLIVM,[p] aliosque.[q]

Virtutes & vitia.

§. XI. Animi corporisque dotibus atque virtutibus prorſus ſuper alios, eminuiſſe Pythagoram, plerisque relatum eſt, quo βιόγραφοι ejus ad extollendam illius conditionem, humana ſpecie, ut contendebant, majorem aſtute uſi ſunt. Adoleſcentem jam ſingulari formæ præſtantia, facie venerabili, morumque dexteritate tanquam bonum inter homines dæmonem Samiis viſum eſſe, IAMBLICHVS[r] refert: ex quo de virili ætate judicium, ſi hos homines ſequimur, ferendum eſt. Adeo vero venuſtæ formæ fuiſſe multi veterum tradunt, ut eum Apollinem, qui ex Hyperboreis veniſſet, diſcipuli opinarentur,[s] additque IAMBLICHVS,[t] annis LVI expletis, pulchriorem etiam & magis divinam faciem ejus enituiſſe. Nec id negat Timon,[tt] acerbus philoſophorum reprehenſor, ſed ſermonis leporem & fa-

l) Id hoc ſenſu concedi poteſt BVDDEO monenti *Obſ. Hal. Lat. T. II. obſ. X. p. 204. ſeqq.*

ll) Alii enim ex ſupra citatis hunc, alii alium fluvium nominant, conf. MENAG. *ad l. c.* LAERT. PERIZON. *ad l. c.* AELIANI.

m) *l. c. p. 90.* add. LLOYD. *l. c. præf.*

n) *Hiſt. phil. mor. gent. §. CXIX. p. 205.* qui cuncta nervoſe comprehendit.

o) *l. c.*

p) *Dict. T. III.* art. *Pythagore, not. K. p. 745. ſeqq.* ubi etiam de ſpeculo agit, quo Pythagoram in luna alio loco degenti aliquid indicare potuiſſe mentiti ſunt.

q) Conf. SCHILTER. *de diſcipl. Pythag. §. 11. p. 522. Manud. phil. mor.* & quos copioſe laudat.

r) *c. II. n. 10.* plura ſupra jam de ejus allata adoleſcentia.

s) *ib. c. V. n. 20.* LAERT. *ſ. 11.* AELIAN. *l. II. c. 26.* conf. MENAG. *ad l. c. Laërt.*

t) *ib. n. 11.* *tt*) LAERT. *l. VIII. ſ. 36.*

& faciei venuſtatem ad venandos homines adhibuiſſe objicit. Barbam promiſiſſe, & ſeculi mores ſuadent, & MARTIALIS [t] innuit, Pannicum ita ridens:

Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas
Quicquid & hirſutis ſqualet imaginibus,
Sic quaſi Pythagoræ loqueris ſucceſſor & hæres,
Præpendet mento nec tibi barba minor.

Oculos vero & faciem tantam majeſtatem inſediſſe narrant, ut vehementer, qui cum eo eſſent, illa percellerentur, juvenisque acriter ab eo reprehenſus laqueo ſtatim vitam finiverit. [u] Veſtimentis porro referunt candidis, coronaque aurea uſum eſſe; [v] vel, quod LAERTIVS [w] habet, ſtolam illum candidam ſemper ac mundam, ſtragulam item candidam e lana adhibuiſſe. Quæ Laërtii narratio occaſionem dedit viris doctis, [x] eos ex veteribus reprehendendi, qui lineas tantum veſtes geſtaſſe Pythagoram, lana, pecori detracta, pro profano veſtitu habito, contendunt, [y] recteque dixiſſe LAERTIVM putant, lineorum uſum nec dum ad illa loca penetraviſſe. Neque tamen ob unum Laërtium plura veterum teſtimonia, quæ diſerte Pythagoram a lana pecori detracta abſtinuiſſe perhibent, deſerenda ſunt; deceptum enim illum eſſe, vel ex eo patet, quod lini uſum tum nondum fuiſſe dicat, cum tamen THVCYDIDES λινᾶς χιτῶνας antiquiſſimum veſtimenti genus, paulo ante ſua tempora dicat in uſu eſſe deſiiſſe. [z] Conveniens quoque doctrinæ Pythagoræ erat, a lana abſtinere; abhorrebat enim a morticinio, quodque cæſis animalibus detractum erat, ob communem eorum cum hominibus naturam: quare & veſtitum ex animantibus comparatum impurum habuiſſe ait Apollonius. [a] In victu parcum, in potu modicum fuiſſe, atque ſæpe ſolo melle ac pane contentum vixiſſe, vinumque interdiu non guſtaſſe, obſonium illi fuiſſe ut plurimum cruda vel elixa olera, marinis raro uſum eſſe, paſſim narratur. [b] Addit his PORPHYRIVS, [c] cœnam pane ex milio & pulte & oleribus, rariſſime autem carne ex victimis ſacrificiorum, neque ea promiſcue ex quavis parte conſtitiſſe. Deorum penetralia ſubiturum ibique aliquandiu commoraturum, cibis famem ſitimque arcentibus ut plurimum fuiſſe uſum: & fami quidem arcendæ compoſuiſſe ex ſemine papavaris & ſeſamo, ac cortice ſcillæ probe lotæ, donec a ſucco exteriori repurgaretur, ex floribus aſphodelorum, & foliis malvæ, ex polenta, hordeo atque cicere: quæ omnia æquali pondere minutim conciſa Hymettio melle in maſſam redegerit: contra ſitim autem præparaſſe ex ſemine

t) *Lib. IX. ep. 47.*
u) PLVT. *de diſc. adul. & amici T. III. p. m. 177.*
v) LAERT. *ſ. 19.* IAMBLICH. *c. XXI. n. 100.* AELIAN. *l. XII. c. 32.* conf. MENAG. *ad l. c. Laërt.*
w) *l. c.*
x) IS. CASAVBONO & MENAG. *ad l. c. Laërt.*
y) IAMBLICH. *l. c.* APVLEIVS in *Apolog.* PHILOSTRAT. *vit. Apoll. l. I. c. 1. l. VIII. c. 7. p. 333.*
z) Conf. OLEAR. ad PHIL. *vit. Apoll. l. I. c. 1. p. 5.*
a) *Lib. VIII. c. 7.*
b) *ib. ſ. 19.* IAMBLICH. & PORPHYR. *ll. cc.*
c) *n. 34.* conf. SCHRADERVS *diſſ. I. de Pythag. §. 23. p. 41.*

ſemine cucumeris, & uva paſſa pingviori exemtis acinis, & flore coriandri, item ex ſemine malvæ ac portulacæ, ac caſei ramentis, ex polline farinæ & pinguedine lactis; cuncta hæc melle inſulano inter ſe commiſcuiſſe. Quo cibo & potu plane ſingulari uſus fuiſſe videtur, ubi diutius ab hominum conſortio ſeparatus vivebat, ut in antris & adytis ſacris ſæpe ab eo factum; non tantum ut ſuſtentandis corporis viribus ſufficeret, ſed ut ſanguinis quoque motus excitaretur concitatior, ſicque quem affectabat, enthuſiaſmus promoveretur. Ita vero corpus quaſi in quodam æquilibrio ſervabat, ut eodem ſemper habitu ſibi eſſet ſimile. Animi vero, ut porro refert PORPHYRIVS, ſimiles ſemper mores ex vultu relucebant: nec is voluptate largius diffundebatur, nec mœrore contrahebatur, neque unquam gaudio vel dolore occupatus apparebat. At nec ridentem illum vel flentem unquam quis vidit. Quæ omnia an tanta gravitate ſervaverit Pythagoras, fides penes hos ſcriptores eſto, quanquam veriſimile ſit, Pythagoram, egregium ſimulatorem, iſtam vultus gravitatem, qua potuerit, arte, affectaſſe, ut ſupra communem hominum conditionem eminere crederetur, & divini quid in eo reſidere videretur. Quod vero Ariſtoteles apud LAERTIVM [d] ait: nunquam deprehenſum fuiſſe ὅτε διαχωρῶντα, neque veneri operam dantem, neque ſe inebriantem, occaſionem dedit ALDOBRANDINO, [e] ut hæc de peregrinationibus a Pythagora voluptatis cauſa non ſuſceptis frigide & contra veritatem hiſtoriæ Pythagoræ, quæ tot nobis peregrinationes narrat, explicaret. Non enim hoc vult ſcriptor vetus, ſed, tantam Pythagoræ verecundiam fuiſſe, prædicat, ut neque exonerandi alvi reddendæve urinæ cauſa deceſſiſſe e via, [f] neque venere coram aliis uſus fuiſſe unquam viſus ſit. Commendat porro IAMBLICHVS [ff] prudentiam ejus œconomicam, tum potiſſimum demonſtratam, cum Alcæi adiiſſet hæreditatem. Exercitationes quoque matutinas domi proprias habebat, animum ſuum ad lyram componens, & veteres quosdam Thaletis pæanas accinens. [g] Quin & ſaltationes quasdam ſaltitabat, quas agilitatem atque ſanitatem conciliare exiſtimabat. Nec deambulationes promiſcue cum multis conficiebat, ſed uno tantum vel altero comite in templis aut lucis; ſeligens ſibi loca ab omni ſtrepitu remotiſſima & amœniſſima. [h] Etſi vero hæc facile credi queant, nec virtutum naturalium dona Pythagoræ deneganda ſint, patet tamen ex tota vitæ ejus hiſtoria & philoſophandi quoque inſtituto, eo tetendiſſe primarium ejus ſcopum, ut more ſeculi, [i] quo vivebat, doctrinam non cœlitus tantum accepiſſe crederetur, ſed & dæmon inter homines verſans haberetur, quem in finem abſurdiſ-

d) *ſ. 19.*
e) *Ad h. l.*

f) Id enim διαχωρᾶν apud Græcos ſignificare, multis veterum locis probari poſſet, ſi id ageretur. Male itaque Interpres Latinus quoque: *nunquam viſus eſt ſaturari.* Miramur hæc Menagium prætermiſiſſe.

ff) *Cap. XXX. n. 170.*
g) PORPHYR. *l. c.* *h*) *ibid.*

i) Hunc temporum illorum morem ut exempla plurima ſupra quoque, ubi de theologis Græcis & barbaris dictum, tacta, probant, ita imprimis is hic attendendus eſt, quia magnam facit veriſimilitudinem, Pythagoram ſe ei aſtute attemperaviſſe.

diſſimæ ſuperſtitioni litabat. Cujus rei argumentum, præter ea, quæ in antecedentibus adduximus, imprimis aureum femur eſt, quod Abaridi inter Olympica certamina oſtendiſſe, ut is crederet, recte ſe Pythagoram pro Apolline habuiſſe, tanto conſenſu veteres tradunt, [k] ut vix dubitari queat, rem ita a Pythagora fuiſſe inſtitutam, licet doctiſſimus KVHNIVS [l] rem incertam eſſe putet, propter rationes Abaridis chronologicas, quas cum Pythagoreis non ſatis conſpirare ſuo loco monuimus; quoniam enim dubia eſt ætas Scythæ, tot veterum teſtimonia non tam facile convelli poſſunt. Quod ſi verum hoc eſſe conceditur, videre nemo poſſit, qua ratione ab inſigni impoſtura Pythagoras liberari queat, cujus eum propter hanc quoque cauſam reum ex veteribus egerunt PLVTARCHVS [ll] & LVCIANVS, [m] qui falſe eum traducit. Non defuere quidem, qui, ut ab inſigni culpa Pythagoram liberarent, alium veterum narrationibus ſubeſſe ſenſum, contenderunt, & ſuſpicati ſunt, Pythagoram vel alchemiæ myſterium Abaridi tradidiſſe, vel ſymbolico dicendi genere divinam ei originem aperuiſſe, [n] vel pulcherrimum tantum femoris habitum oſtendiſſe, cum aurea dici ſoleant, egregia & pulchra, [o] vel ex femore Pythagoræ, fricato & accenſo igneum halitum auro ſimilem prodiiſſe, [p] vel icteri morbo femur luteum colorem induiſſe: verum ea omnia contorta eſſe, & ſine ulla veriſimilitudine dici, quilibet videt, qui diſerta veterum loca cum iis contulerit, quæ luculenter tradunt, oſtenſo aureo femore Abaridi Pythagoram de divinitate ſua fidem feciſſe. [q] Nec mutandi metalla ars eo quidem tempore cognita fuit, ut ſupra probatum; ictero vero, vel fricatione colorem aureum induiſſe nulla vel levi probabilitate dicitur. Nihil itaque aliud inde colligendum, quam pertinere hoc aureum femur ad θαυμάσια Pythagoræ, quo veteres omnes retulerunt, effeque illud luculentum impoſturæ ſpecimen, quo vir vaferrimus hominibus illuſit, ut diviniores ſibi origines aſſereret. *Aureum femur.*

§. XII. Familiam aluit Pythagoras, ducta uxore, genitisque ex ea liberis, ut adeo, quod Ariſtoteles apud LAERTIVM [r] dicit: ἐδὲ πώποτε ἐγνώσθη ἔτε διαχωρῶν ἔτε ἀφροδισιάζων, non ad abſtinentiam a Venere, ſed ad verecundiam Pythagoræ modeſtiſſime ea utentis referendum ſit. Vxorem duxit Theano, quam Crotone ortam dicit SVIDAS, [s] & Didymus apud CLEMENTEM ALEXANDRINVM, [ſſ] Creſſam vocat, filiam Pythanactis, PORPHYRIVS. [t] Quæ non concorditer tantum cum marito vixit, familiæque etiam poſt ejus fata præfuit, ſed philoſophiam quoque *Vxor, & familia.*

k) PLVTARCH. in *Num. T. IV. p. m. 116. ſeq.* AELIAN. *l. II. c. 26. l. IV. c. 16.* LAERT. *l. VIII. ſ. 11.* IAMBLICH. *c. XIX. n. 92. c. XXVIII. n. 135. 140.* PORPHYR. *n. 28.*

l) *Ad l. c.* AELIANI.

ll) *l. c.*

m) *In Gallo l. c.*

n) THEOD. CRVGERVS progr. *de aureo femore Pythagoræ ἀποδεώσεως; ejus ſigno.*

o) SCHRADERVS *diſſ. I. de Pyth. p. 36.*

p) LICETVS *de monſtr. l. II. c. 48.*

q) Vnus LVCIANI locus omnes has conjecturas evertit.

r) *ſ. 11.*

s) In *Theano T. II.*

ſſ) *Strom. l. I. p. 309.*

t) *n. 4.*

conjugis didicit, & ſcholam poſt ejus obitum rexit. [u] Inſano ejus amore flagraſſe Pythagoram, poëta vetus apud ATHENAEVM [v] tradit; laudantque veteres non tantum pulchritudinem ejus, ſed & caſtitatem & conjugalem fidem. [w] Alii tamen non uxorem, ſed filiam Pythagoræ fuiſſe, dicunt, Brontini Crotoniatæ uxorem, [x] cujus tamen natam quidam dicunt. Libros quoque ei veteres tribuunt, de quibus videndus MENAGIVS. [y] Ex hac uxore duos filios [z] ſuſcepit Pythagoras, Telaugem & Mneſarchum avi nomine inſignitum: alii [a] Duridis Samii auctoritate Arimneſtum addunt, Democriti præceptorem, ut Telauges Empedoclem inſtituit. Filias quoque aliquot memorant, Saram, Myiam, Arignoten; [b] additur aliis Damo, [c] quo tamen nomine quibusdam [d] filius fuiſſe Pythagoræ dicitur. Totam hanc familiam parentis philoſophiam edoctam, eruditionem illius temporis præſtantiſſimam tenuiſſe, & ad poſteros quoque poſt parentis obitum propagaſſe, veteres teſtantur, quorum teſtimonia congeſſit MENAGIVS [e] de his feminis philoſophis pluribus videndus. Incertum tamen eſſe, quod multi veterum perhibent, ſcriptis eas parentis philoſophiam comprehendiſſe, [f] ex iis apparebit, quæ poſtea de ſcribendi apud Pythagoreos more dicentur. Aluit etiam ſervos duos veteribus commemoratos, Aſtræum & Zamolxidem Thracem, quorum utrumque philoſophiæ myſteria docuiſſe traditur. De Aſtræo a Mneſarcho ſub populo invento mira & fabulæ proxima refert Diogenes *de incredibilibus* [g] *ultra Thulen*, eumque ab Anaximandro Geometriam edoctum, Pythagoræ dono datum, & ab eo, exploratis ingenii & corporis circumſtantiis, in diſciplinam & familiaritatem receptum eſſe tradit. Zamolxidis Getarum legislatoris hiſtoriam ſupra inter ſeptentrionis philoſophos tetigimus, quibus hoc loco hoc tantum adjicimus, Græcos quidem magno conſenſu Zamolxidem Thracem Pythagoræ diſcipulum & ſervum facere, [h] provocantque IAMBLICHVS [i] & PORPHYRIVS [k] ad Dionyſiphanem ejus auctorem: monuiſſe vero jam HERODOTVM, [l] idem ſe quidem a Græcis accepiſſe, exiſtimare ſe vero, Zamolxin multis annis ante Pythagoram vixiſſe. Quæ ſententia veriſſima omnino videtur eſſe, cum inter vetuſtiſſimos legislatores Getarum Zamolxis referatur, qui ei divinos

u) THEODORIT. *therap. l. II.*

v) *Lib. XII.* conf. MENAG. *Hiſt. mul. philoſ. n. 79. p. 500.*

w) Patet id ex apophthegmatibus ejus apud CLEM. ALEX. *Strom. l. IV. p. 522.*

x) IAMBLICH. *c. XXVII. n. 132.*

y) *l. c.* add. FABRIC. *Bibl. Græc. vol. I. p. 512.* Matrem & filiam fuiſſe cognominem quibusdam placuit, & ad hanc epiſtolæ relatæ, quæ ſub Theanus nomine circumferuntur, & GALEVS inter ſcripta Pythagorea exhibet *Op. Myth. p. 740. ſeq.* De quibus tamen epiſtolis quid ſentiendum ſit, aliquoties jam dictum eſt.

z) SVIDAS *l. c.* PORPHYR. *n. 3.*

a) PORPHYR. *n. 3.*

b) IDEM *l. c.* IAMBLICH. SVIDAS *ll. cc.* Anonym. PHOTII *p. 57.* BENTLEI. *Apol. ep. Phalar. p. 383.* DODWELL. *de ætate Pythag. p. 124.* MENAG. *l. c.* FABRIC. *l. c. p. 509.*

c) LAERT. *l. VIII. ſ. 42.* IAMBLICH. *c. XXVIII. n. 146.* MENAG. *l. c. n. 90.*

d) SVIDAS in *Pythag. l. c.* *e*) *l. c.*

f) Vid. laudati MENAGIO & FABRICIO *ll. cc.* PORPHYRIVS *l. c.* ſcripta hæc ſuo adhuc tempore extare dicit.

g) Apud PORPHYR. *n. 10. ſeq.*

h) LAERT. *l. VIII. ſ. 2.* quosque *ad h. l.* in partes vocat MENAGIVS, STRABO *l. XVI. p. 762. l. VII. p. 297.* ORIG. *contra Celſ. l. III. p. 144.* CYRILL. *contra Iul. l. VI. p. 208.*

i) *n. 104.*

k) *n. 15.*

l) *Lib. IV. c. 95. 96.* conf. BENTLEI. *p. 58.* LLOYD. *l. c.* CLERIC. *l. c. p. 90.*

vinos honores tribuerunt; unde longe antiquiorem fuiſſe neceſſario ſequitur. Videturque vel nominis ejusdem ſervum habuiſſe Pythagoras, confuſum poſtea cum legislatore Getarum, vel affinitas quædam doctrinæ de ſtatu animarum poſt mortem Græcos induxiſſe, ut hunc quoque Pythagoræ diſcipulum crederent, licet multo prius hoc dogma habuerint Scythæ & Hyperborei; vel abſurda Pythagoreorum conſvetudo, omnes viros celebres inter barbaros vel magiſtros vel diſcipulos Pythagoræ conſtituendi, hunc Zamolxim ſervum effinxiſſe.

§. XIII. Certiora, hactenus traditis, non ſunt, quæ de morte Pythagoræ veteres paſſim narrant, cujus & tempus & genus varie refertur. Olymp. LXVIII. obiiſſe, duo mſc. Codd. Chronici Euſebiani notant, quæ recta ſunt, ſi ſupponatur, natum eſſe Olymp. XLVIII. & LXXX annos expleviſſe, quod Heracliti aſſertum apud LAERTIVM. [m] Alii tamen ejusdem Chronici codices, quos ſecutus eſt magnus SCALIGER, Ol. LXX. 4. ponunt, quod tempus & illis placet, qui XC. annos vivendo attigiſſe Pythagoram ſtatuunt; quos ſequitur etiam LLOYDIVS. [n] Alii, quorum calculos ſequitur DODWELLVS, quique centenario proximum obiiſſe, Hermippo apud LAERTIVM [o] credunt, Olymp. LXXVII $\frac{1}{2}$. ponunt. Anonymus vero PHOTII CIV. annos vitæ curſu abſolviſſe dum tradit, ab omnibus, qui ex veteribus de morte Pythagoræ retulerunt, deſeritur. Nec mirandus hic diſſenſus eſt, cum ſatis negligentes veteres, ad quorum fidem tamen recurrendum eſt in conſtituendo die Pythagoræ emortuali, in rationibus temporum annotandis fuerint. Nec magis certa ſunt, quæ de mortis genere & cauſa paſſim apud veteres narrantur. Et hoc quidem dubio carere videtur, Pythagoram ejusque diſcipulos, quibus ſingularem vitæ rationem & conſvetudinem valde a reliquorum hominum vita abeuntem præſcripſit, & morum ſingularitate & rejectione eorum, qui explorati non ad ſocietatem ejus admittebantur, & legum novarum publicatione & rerum publicarum, quam moliebantur, emendatione & immutatione, invidiam iramque incolarum magnæ Græciæ, præcipue Crotonæ, Metapontique in ſe concitaſſe, qua ad opprimendum Pythagoram ejusque diſcipulos & factionem conſpiraverint. [p] Qua vero ratione id evenerit, diverſiſſime narrant veteres. Heraclides apud LAERTIVM, [q] Pythagoram ait, poſtquam in Delo Pherecydi juſta perſolviſſet, rediiſſe in Italiam, & cum in domo Milonis Crotoniatæ convivii celebritatem offendiſſet, Metapontum veniſſe, ibique cum vivere diutius nollet, inedia vitam finiviſſe. His vero chronologia Pherecydis obſtat, quæ manifeſte evincit, maturius hoc Pythagoræ in Delum iter ab eo ſuſceptum eſſe, de quo ſupra cum actum ſit, nihil hic repetimus. Aliter Hermippus apud eundem LAERTIVM: [r] bello

Mors.

m) *Lib. VIII. ſ. 44.* conf. MENAG. *ad h. l.* LLOYD. *l. c.* CLERICVS *p. 124.*
n) *l. c. citati.*
o) *ſ. 40.*
p) Prolixe hoc enarrat Apollonius apud IAMBLICH. *c. XXXV. n. 25. ſeqq.*
q) *Lib. VIII. ſ. 40.*
r) *ibid.*

inter Agrigentinos atque Syracuſanos exorto, Pythagoram exiiſſe cum ſociis, Agrigentinis opem laturum: his autem in fugam verſis, illum in fabarum campum incidiſſe, quem cum circumire vellet, a Syracuſanis fuiſſe interfectum. Reliquos vero, ad triginta quinque Tarenti fuiſſe crematos, cum primariis civitatis in reipublicæ adminiſtratione contraire vellent. Quæ mire placent DODWELLO, [s] cujus chronologicæ rationes cum narratione Hermippi reliquis melius concordant. Verum omni prorſus caret veriſimilitudine [t] virum nonagenarium, qui per totam vitam non Marti, ſed Muſis litaverat, relicta ſchola in bellum profectum prælio interfuiſſe, & Pythagoream ſapit fabulam, maluiſſe Pythagoram occidi, quam fabas in agro florentes pedibus proculcare. Alii ita rem narrant: " conſediſſe Pythagoram in domo Milonis, cum ſociis, eam vero domum quempiam ex his, quos ille admittere noluerat, per invidiam incendiſſe, vel, ſecundum alios, ipſos Crotoniatas tyrannidis ſuſpicione & metu hoc perpetraſſe, Pythagoram igitur cum per incendium evaſiſſet, ſolum relictum eſſe, & in agrum quendam fabis plenum intrantem ibi conſtitiſſe, ac dixiſſe: Capi præſtat, quam has dari peſſum, cædique ſatius eſt, quam loqui, (vel in mœrore potius vagari [x]) atque ita jugulum perſecutoribus nudaſſe, compluresque ex diſcipulis circiter XL. fuiſſe interemtos, paucos effugiſſe, interque hos Archytam Tarentinum & Lyſidem. Quæ ex Ariſtoxeno atque aliis IAMBLICHVS [y] atque PORPHYRIVS [z] ita prolixius exponunt: Inſidias Pythagoreis a longo tempore ſtructas eſſe: tandem conſpiraviſſe contra eos Crotoniatas. Cylonem enim Crotoniatam, hominum potentem & violentum, ſed a Pythagora rejectum, a quo in conſortium recipi anxie cupiebat, cum factione ſua adverſus Pythagoram ejusque amicos conſurrexiſſe. Pythagoram itaque odio cedentem, Metapontum ſe contuliſſe, ibique mortuum eſſe. Etſi vero aliquandiu Pythagorei ſe virtute ſua ſuſtinerent, tamen Cyloniorum inſidiis factum eſſe, ut domus Milonis in qua Pythagorei de militia deliberaturi, conſederint, igne ſubjecto cum ipſis viris combureretur, duobus tantum dilapſis, Archippo, [a] qui Tarentum petierit, & Lyſide, qui in Græciam abierit, Thebasque profectus Epaminondam docuerit: reliquos Pythagoreos omnes, Archyta Tarentino excepto, Italia emigraſſe, atque Rhegium confluentes, ibi una vixiſſe. Dicæarchus vero apud PORPHYRIVM, [b] ipſum Pythagoram adfuiſſe ait, cum illa conſpiratio erumperet; & ab amicis comprehenſum, primum Caulonium portum, inde Locros petiiſſe. Rejectum a Locrenſibus Tarentum vela feciſſe, & eodem ibidem, ut Crotone, modo exceptum Metapontum abiiſſe, ubique ſeditionibus in Pythagoreos orientibus. In Metapontina vero factione ipſum periiſſe Pythago-

s) *l. c.*
t) Conf. CLERIC. *l. c. p. 157.* conf. MENAG. ad LAERT. *l. VII. ſ. 39.* BAYLE *l. c. not. P.*
u) LAERT. *ſ. 39.*
x) Vid. I. CASAVB. *ad h. l.*
y) *Cap. XXXV. n. 248. ſeqq.*
z) *n. 54. ſeqq.*
a) Ita melius legi, quam apud alios Archytam, ex dicendis infra de hoc philoſopho patebit.
b) *n. 29.*

thagoram, cum ad Muſarum ædem confugiens neceſſariis omnibus deſtitutus in ea permanſiſſet. Sunt & alia, quæ diverſimode narrantur, quibus non immoramur, nec enim in tanto veterum diſſenſu certi quid ſtatui poteſt, præter hoc unum, ipſam Pythagoreæ ſocietatis conſtitutionem delendæ ſectæ occaſionem dediſſe, & Pythagoram ſenio gravem oppreſſiſſe: in reliquis enim circumſtantiis paſſim ἀσύσατα regnant. Poſt mortem,[c] qui vivus numinis inſtar cultus erat, non minore ſuperſtitione Dei inſtar honoratus eſt. Crotoniatæ domum ejus in ædem Cereris converterunt;[d] & per nomen ejus juravere ſectatores:[e] ſtatua quoque, Deorum monitu ipſi poſita eſt[f] a Romanis, ut taceamus Carpocratianos ejus imaginem Ieſu imagini junxiſſe.[g] Ceterum, ut hoc quoque addamus, multi fuere Pythagoræ,[h] quorum unus & alter philoſophi temporibus vixit, quorum cum noſtro confuſio hiſtoriam Pythagoricam mire turbavit, imprimis Pythagoras Lacedæmonius Numæ coævus & Pythagoras Samius pugil, quorum res noſtro paſſim perperam tribuuntur.

§. XIV. Non minori ſententiarum divortio diſputatur, utrum Pythagoras aliquid ſcripſerit, ſcriptumve reliquerit? Affirmativam tanta fiducia ſequitur LAERTIVS,[i] ut contrarium ſentientes nugari dicat, & ad Heraclitum provocans tria eum volumina ſcripſiſſe ait, *de inſtitutione*, *de civilitate*, *de natura*, ſive *pædeuticum*, *politicum*, *phyſicum*. Fuiſſe enim ait, ex Heracliti teſtimonio hiſtoriarum præ aliis omnibus peritum, veterumque ſcripta evolventem inde ſuam ſapientiam collegiſſe, polymathiam artesque vafras, (κακοτεχνίην). Heraclides vero Serapionis filius in epitome Sotionis[k] ſex ejus tractatus commemorat, primum *de univerſo*, metrice ſcriptum, ſecundum, *ſermonem ſacrum*, tertium *de anima*, quartum *de pietate*, quintum *Helothalem*, quod nomen fuit parentis Epicharmi; ſextum *Crotonam* aliosque tractatus duos, unum *de natura*, alterum *de Diis*, quibus comprehenſam doctrinam exiguo tempore Abarim docuerit, memorat IAMBLICHVS:[l] quorum alter *ſermonis ſacri* titulo inſignitus fuiſſe, & ex arcanis maxime Orphei doctrinis decerptus dicitur, vel ab ipſo Pythagora concinnatus, vel ex commentariis Pythagoræ, quas Damoni filiæ reliquerat, a Telauge conſcriptus, de quo ſupra in hiſtoria Or-

Scripta.

c) Epitaphia quædam exhibet LAERTIVS *ſ. 44. ſeqq.*

d) LAERT. *ſ. 15.* IVSTINVS *l. XX. c. 4.* PORPHYR. *n. 4.* conf. *Otium Vind. Mel. III. §. 8. p. 270.*

e) PORPHYR. *n. 20.* & HOLSTENIVS atque RITTERSHVS. ad *h. l.* HIEROCLES in *aur. carm. p. 225. 230.* conf. OMEIS *ethic. Pyth. p. 113.* IAMBLICH. *n. 28. Otium Vindel. p. 272.*

f) PLVT. in *Numa T. IV.* PLINIVS *H. N. l. XXXIV. c. 6.* conf. BAYLE *l. c. not. A.* Quosdam ſtatuam Sami a Polycrate in Iunonis templo erectam Pythagoræ fuiſſe ſtatuentes refutat APVLEIVS in *florid. l. c.*

g) AVGVSTINVS *de hæreſ. ad Q. V. D. n. 7. T. VI. Opp.*

h) LAERT. *l. VIII. ſ. 46.* decem enumerat, quibus tres addit STANLEIVS *p. 698.* conf. MENAG. *ad l. c. Laërt.* MEVRS. *ad Ariſtoxen. p. 150.* viginti nominat, IONS. *de Scr. Hiſt. phil. l. IV. p. 343.* viginti novem. conf. DODWELL. *l. c. p. 114.* FABRIC. *Bibl. Gr. vol. I. p. 451.*

i) *Lib. VIII. ſ. 6.* conf. CLEM. ALEX. *l. I. Strom. p. 332.*

k) LAERT. *l. VIII. ſ. 7.*

l) *Cap. XIX. n. 90.* Obſervavimus vero *Amœn. lit. T. VII. p. 198. ſeq.* locum hunc eum ſenſum habere poſſe, docuiſſe, Pythagoram Abarim ea, quæ poſtea libris iſtis duobus comprehenſa ſunt.

Orphei mentio facta eſt. [m] Alia, paſſim memorata, & in his librum *de virtutibus medicis herbarum*, quem pertinacem famam antiquitatemque Pythagoræ tribuere PLINIVS [n] dicit, præterimus. [o] Quæ veterum ſuffragia recentiores etiam quosdam in partes traxere. Fuerunt tamen inter veteres & numero & auctoritate potiores, qui candide faſſi ſunt, nullum, quod genuinum eſſet, Pythagoræ ſcriptum extare, nec ſcripſiſſe quicquam Pythagoram, in quorum numero eſt PLVTARCHVS, [p] IOSEPHVS, [q] LVCIANVS, [r] PORPHYRIVS, [s] ARISTIDES [t] hisque tempore poſteriores multi, & recentiores quoque plerique, quorum nomina alio loco produximus. [u] Nec dubitamus huic parti probabiliores rationes ſequenti accedere, natura potiſſimum & indole philoſophiæ Italicæ methodique a Pythagoræ deamatæ adducti. Poſtea enim indubitatis veterum teſtimoniis evincemus, Pythagoram ſollicite caviſſe, ne quid doctrinarum ſuarum in vulgus emanaret, huncque in finem & τὸ αὐτὸς ἔφα introduxiſſe, & ſymbolicam methodum adhibuiſſe, & jusjurandum interpoſuiſſe. Cui curæ reſpondere non potuit ſtudium conſignandi doctrinam ſuam, peculiaribus ſyngrammatibus. Etſi vero pertinaciter pugnare nolimus, Pythagoram quædam, quæ ad alias rerum ſuarum rationes pertinebant, ſcripto forte conſignaſſe, adeo tamen hoc ad doctrinas philoſophicas trahi non poteſt, ut potius ab his argumentum peti queat, Pythagoram nullum librum philoſophici argumenti ſcripſiſſe. Refert enim IAMBLICHVS, [x] quicquid ſcriptum reliquerit Pythagoras, morientem Damoni filiæ commendaſſe, monitæ, ut ſecretum cuſtodiret, quæ parentis quoque juſſis mordicitus inhæſerit. Quod ſua abſcondendi ſtudium ſi in ἐξοτερικοῖς tam diligenter ſervavit Pythagoras, quis credat τῶν ἐσωτερικῶν librum eum conſignaſſe? Parum vero nos movent ſcripta Pythagoræ apud veteres paſſim tributa. Vt enim taceamus, nomen Pythagoræ ὁμώνυμον occaſionem quibusdam dediſſe, libros Pythagoræ Samio ſupponendi, e. g. Pythagoræ medici ſcripta, [y] ipſum Pythagoreorum ſtudium meletemata ſua more ſeculi ad magiſtrum referendi, hos libros Pythagoricos aperte produxit. Quod ipſius IAMBLICHI [z] teſtimonio probamus, teſtantis, diſcipulos Pythagoræ, quæ ex ore ejus audita exceperunt, & in literas retulerunt, ea ne pro ſuis quidem venditaſſe, ſed retuliſſe ad Pythagoram, tanquam quæ ipſius eſſent. Plura, alio loco prolixius expoſita, [a] hic non cumulamus, ſed Dicæarchi aliorumque accuratiorum, ut ipſe monet PORPHYRIVS, [b] auctorum fidem & relationem ſequimur: *Pythagora præ*

m) Conf. MENAG. *ad Laërt. l. VIII. ſ. 7.* FABR. *Bibl. Gr. vol. I. p. 119.* Cercopi Pythagoreo tribuebat Epigenes, Hippaſo LAERTIVS, Arignotæ SVIDAS. Fuit vero duplex, unus metricus, alter proſaicus dialecto Dorica conſcriptus.

n) Lib. XXIV. c. 17. conf. *l. XIX. c. 5.*

o) Enumerat omnia ſcripta Pythagoræ tributa FABRIC. *Bibl. Græc. vol. I. p. 453.*

p) De fortuna Alexandri T. II. Opp.

q) Contra Apion. T. I. p. 1046.

r) De lapſu in ſalut. T. III. p. m. 198.

s) l. c. n. 57.

t) Orat. II. pro Rhet. T. III. p. 495.

u) l. c. Amœnit. lit. conf. FABR. *l. c. p. 452.*

x) Cap. XXVIII. n. 146.

y) LAERT. *l. VIII. ſ. 47.* collato PLINIO *l. XIX. c. 5.*

z) Cap. XXIX. n. 158.

a) Amœnit. lit. l. c.

b) n. 57.

præ mœrore propria manu e vivis ſublato, exuſtisque igne diſcipulis, unum alterumve, & in his Lyſidem & Archippum evaſiſſe, qui deficientem cum combuſtis, quam hucusque in pectoribus arcanam reconditamque cuſtodierint, præter quædam intellectu difficilia, quæ exterioris admiſſionis auditores memoria repetebant, ſcientiam, exiguos ſcilicet philoſophiæ igniculos, obſcuros eos admodum & perveſtigatu difficiles conſervarint, verentesque, ne philoſophiæ nomen inter homines interiret penitus, commentaria quædam ſummatim compoſuerint, & antiquorum ſcriptis & eorum, quorum ipſi meminerant, in unum redactis. Illud certum eſt, & a IAMBLICHO[c] quoque conceſſum: inter tam multa annorum curricula & ætates nihil unquam Pythagoricorum hypomnematum confectum elaboratumque apparuiſſe, ante Philolai tempora, qui primus libros Pythagoricos tres Dioni vendidit,[d] ut in Platone dictum.[e] Inter ſcripta vero Pythagoreorum, præceptori præter rem tributa nullum eſt celebrius aureis carminibus, licet ea exotericam magis, quam interiorem, doctrinam contineant, quæ docto commentario illuſtravit HIEROCLES.[f] Illa enim non Pythagoræ, ſed Pythagoreis tribuenda eſſe, veteres, ipſique Platonici non negant,[ff] & ex dictis facile colligi poteſt. Num vero vel Lyſidis, vel Philolai, vel Epicharmi, quod STANLEIVS[g] putat, vel Empedoclis, quæ FABRICII[h] conjectura veriſimilitudine non deſtituta eſt, opus ſint, in tanta rei incertitudine definiri non poſſe putamus. Vſus vero eſt Pythagoras & ſequaces plerumque dialecto Dorica,[i] cujus tunc uſus frequentior erat in parte Italiæ inferiore : idque etiam fragmenta Pythagorica hodienum extantia docent.

§. XV. Hactenus inter denſas incertis viis ſylvas oberravimus, ipſius Pythagoræ hiſtoriam vitamque deſcribentes ; parumque plani certique vidimus ; paulo clarior jam lux affulget & ſemita expeditior, ubi ratio docendi a Pythagora adhibita explicanda eſt, in qua delineanda veteres non adeo diſſentiunt. Cuncta tamen inter ſe diſtinguenda ſunt, probeque ſeparatim expendenda, cum confuſio & huic parti tenebras induxerit. Pleraque vero, ſi veteres conſulimus, ad hæc potiſſimum momenta redeunt: *Ratio docendi Pythagorea.*

I. Auditorum atque diſcipulorum accuratum ante omnia diſcrimen Pythagoras inſtituit, methodumque duplicem, vulgarem nempe & arcanam, quam *Auditores duplicis generis.*

c) *c. XXXI. n. 200.*

d) Fuiſſe eos tres libros ſupra ex Laërtio adductos veriſimillimum eſt, rectèque obſervatum FABRICIO *l. c. p. 453.*

e) Non obſtat hactenus dictis Heracliti teſtimonium, ad quod provocat Laërtius, illud enim non dicit, Pythagoram libros ex aliis conſcripſiſſe, ſed hauſiſſe eum ſapientiam ſuam ex monumentis inter peregrinandum collectis ; fruſtraque hæc trahit Laërtius ad initium libri phyſici. Tria enim illa ſyngrammata ſtudioſe occultata cum primus publicaverit Philolaus, ea videre Heraclitus non potuit, pulchre hoc ex ipſo LAERTIO *ſ. 15.* obſervante DODWELLO *de æt. Pythag. p. 119. ſeq.* Nec antea potuit eos inſpicere Heraclitus, qui Pythagoreorum ſectæ addictus haud fuit, ſed neminem audivit. Quæ vero pro aſſerendis Pythagoræ ſcriptis attulit LEO ALLATIVS *de ſcript. Socratis* erudite repreſſit B. OLEARIVS *pec. diſſ.* quæ STANLEII *hiſt. phil. P. III, p. 198.* inſerta eſt.

f) Dicetur de eo *T. II.* ſuo loco.

ff) Vide nominatos FABRICIO *l. c. p. 460.*

g) *Hiſt. phil. P. VIII. p. 699.* h) *l. c. p. 461.*

i) IAMBLICH. *c. XXXIV. n. 241.* qui prolixe de cauſa adhibitæ dialecti Doricæ diſſerit.

quam in Aegypto non ſine magno ſacerdotum commodo & auctoritatis atque emolumentorum incremento adhiberi didicerat, in uſum quoque traduxit. Adaptaſſe enim Pythagoram ſcholæ ſuæ faciem, quantum circumſtantiæ patiebantur, Aegyptiacis ſcholis, inſtituta comparatione facile evinci poteſt. Scilicet non perire paſſus eſt vir callidiſſimus, quæ magnis moleſtiis, & ſumtibus didicerat in Aegypto, quæque ad extollendam inſtituti, quod meditabatur, auctoritatem, nominisque, quam quærebat, famam ad divinitatem relatam, augendam facere poſſe noverat. Publica itaque oratione laudabat quotidie virtutem, & vitia luxuriæ, caſusque civitatium ea peſte perditarum enumerabat; matronarum quoque ſeparatam a viris doctrinam, & puerorum a parentibus frequenter habebat, docebatque nunc has pudicitiam & obſequium in viros, nunc illos modeſtiam, & literarum ſtudium, hasque diſputationes aſſidue inſtituebat. ut prolixe IAMBLICHVS,[k] paucis IVSTINVS[l] docet. Ita docebat in templis, in gymnaſiis, aliisque locis publicis. Hi vero auditores ad ſcholam Pythagoræ proprie non pertinebant, ſed ſua conſuetudine vitæque inſtituto ac legibus vivebant, & a genuinis Pythagoræ diſcipulis pro profanis, atque extraneis habebantur,[m] ſcilicet qui indigni eſſent, ut intimioris ſapientiæ fierent participes, cum e contrario intimioris admiſſionis diſcipuli, amici, ſocii, familiares vocarentur, nominibus his ſpeciali ſignificatione ad eos ita applicatis, ut non niſi in intimam diſciplinam admiſſos ſignificarent.[n]

Exoterica doctrina.

Eſoterici.

II. Præter hos publicos Pythagoræ auditores erant alii quoque, qui diſciplinæ ejus propius ſe dederant. Refertque IAMBLICHVS,[o] ſexcentos fuiſſe, quos non tantum ad capeſſendam philoſophiam oratione ſua permoverit, verum etiam dicto ſuo audientes habens, bonorum vitæque communione junxerit, unde κοινόβιοι nominati ſint, quæ vox una cum ſimili inſtituto non ad philoſophos tantum, ſed ad Chriſtianos quoque tranſiit.[p] In hanc vero communionem qui volebat recipi, ſeſeque Pythagoræ ad diſcendum obtulerat, cum prius ἐφυσιογνωμόνει, qua voce utitur GELLIVS,[q] id eſt ex vultu reliquisque habitus externi morumque circumſtantiis animi inclinationem atque diſpoſitionem explorabat, atque dijudicabat. Primo enim, ut luculenter IAMBLICHVS[r] exponit, inquirebat, quo affectu quis parentes aliosque familiares fuiſſet proſecutus: deinde notabat riſus ipſius intempeſtivos, ſilentium, ſermonisque abuſum: tum quo cupiditatibus modo indulgeret, quos haberet ſibi familiares, & quo pacto cum iis viveret; denique quibus potiſſimum rebus interdiu vacaret, quibus idem gauderet,

Eorum exploratio.

k) c. VIII. ſeqq.

l) l. XX. c. 4.

m) IAMBLICH. *c. XXXII. n. 237.*

n) ib. c. XXXV. n. 257. SVIDAS *T. I. v.* ἑταῖρε *p. 876.* SCHEFFER. *de nat. phil. Ital. c. XI. p. 99. ſeqq.*

o) c. V. n. 29.

p) A Pythagoreis ad Iudæos in Aegypto tranſiiſſe infra *T. II.* de therapeutis acturi docebimus. Inde ad aſcetas, & ab his ad monaſteria inſtitutum pervenit. Obſervavit id ipſe HOLSTENIVS *ad* PORPHYR. *n. 20. p. 27.* qui & ſimilia ab aliis philoſophis ſuſcepta eſſe, erudite docet.

q) N. A. l. I. c. 9. ubi luculenter de diſciplina Pythagorica agit, quod Gellii caput docto commentario illuſtrat IOH. SCHILTERVS diſſ. *de diſcipl. Pyth. §. XIX. ſeqq.* ſuffixa *manud. phil. mor. ad Iurispr. p. 532. ſeqq.* conf IAMBLICH. *c. XVII. n. 71.* SCHEFFER. *l. c. c. XVII. p. 108. ſeqq.*

r) l. c. l. XX. n. 94. PORPHYR. *n. 33.* SCHILTERVS & SCHEFFERVS *ll. cc.*

deret, doleretve: inſpiciebat & vultum & inceſſum, & totius corporis motum, atque ex nativis faciei lineamentis ipſos ita noſcitabat, ut manifeſta indicia obſcuris animorum inclinationibus indagandis adhiberet. Quin &, quod IDEM alio loco[s] addit, ad animi commotiones virtutesque tum intellectus, tum voluntatis attendebat, obſervabatque inter explorandum, an capaces eſſent, ea ſilentio cuſtodire, quæ didiciſſent, deinde, an eſſent modeſti, an vehementiori affectui ſuccumberent, an contentioſi, an ambitioſi forent, ſi inſtructi a bonis moribus viderentur, tum porro in docilitatem & memoriam inquirebat; initio quidem, an prompte & perſpicue aſſequerentur, quæ dicta erant: deinde quo amore, quave moderatione tradita amplecterentur? & an abeſſet animi ferocia ſuæ inſtitutioni inimica, placidique & tractabiles ſequerentur mores. Atque hæc in probatione diſcipulorum ſpectabat, hucque ducebat prima eorum exercitamenta: ſicque exploratos aptos quos deprehenderat ad ſocietatem admittebat, ſin vero ineptum quempiam deprehenderet, eum tanquam alienum (ἀλλόφυλον) & extraneum procul rejiciebat, cujus exemplum ſupra in Cylone habuimus rejecto, quod toti poſtea ſocietati interitum attulit.

III. Neque vero ita exploratos intima mox admiſſione dignabatur, ſed purgandis a cupiditatum imperio animis intentus, per varias ἀσκήσεις ſive exercitia philoſophica probabat, & an ſuperandis cupiditatibus ſuffecturi eſſent, tentabat.[t] Id ut efficaci quadam ratione efficeret, primariis animi cupiditatibus, voluptati, ſuperbiæ & avaritiæ, peculiaria afflictionum & moleſtiarum genera opponebat, quam tamen initiandi rationem non excogitavit ipſe, ſed apud Aegyptios, reliquosque, quos adierat, ſacerdotes, didicit, apud quos ejusdem fere generis initiationes uſu veniſſe, aliquot locis ſupra notavimus. Voluptati ut temperantiam opponeret, tenui eos victu potuque aſſuefaciebat, qui nec palatum delectaret, nec cupiditates irritaret, unde & carnium, niſi quæ ex ſacrificiis eſſent, uſum prohibuit, qua de re poſtea, ubi de victus ratione Pythagorea agendum erit, commode magis dicetur.[u] Nec potus alius admiſſus præter aquam, niſi veſperi, ubi explorationi adhuc ſubjectis vini parum permittebat. Imprimis vero abſtinentiam ita eos exercere jubebat;[x] apparato omni cupediarum genere, quæ in ſolennioribus conviviis apponi ſolent, cum diutiſſime oculos ſuos paviſſent, eoque ſpectaculo cupiditates natura inſitas ad eſum provocaſſent, ſtatim menſam tolli, atque ita impranſos abire jubebat.[y] Veſtimentis autem uti non aliis patiebatur, quam quæ puritatem & humilitatem ſpirarent. Somni porro tentaturos jubebat eſſe parciſſimos; quæque alia noſcebat ad cupiditates

Exercitationes philoſophicæ.

s) *n. 94.*

t) Conferenda erudita B. BVDDEI diſſ. de *ἀσκήσει philoſophica Anal. hiſtor. philoſ. p. 109. ſeqq.* & diligenter excutiendum argumentum, quod propter ſimilitudinem inſtitutorum inter Chriſtianos receptorum multam lucem hiſtoriæ ſacræ fœnerabitur. Pythagoreos enim aſcetæ imitati ſunt, vt erudite probavit S. Rev. S. DEYLINGIVS *Obſ. SS. T. III. p. 443. ſeqq.*

u) Videndi interim IAMBLICHVS *c. XXIV. n. 106.* PORPHYR. *n. 34.* LAERT. *l. VIII. ſ. 19.* SCHEFFER. *l. c. XIV. p. 140 ſeq.*

x) Eſotericis vinum plane prohibebat, conf. IAMBLICH. *n. 108.* SCEFFER. *p. 149.* BVDDEVS *l. c. p. 419.*

y) DIODORVS in *Excerpt. Valeſ. p. 245.*

extrinſecus accerſitas, ut voluptates foverent, extinguendas imperabat, cujus rei rationes philoſophicas eleganter enarrat IAMBLICHVS,[z] omnino hac de re ipſe legendus. Quin & innatæ omnibus intemperantiæ diverſiſſima experimenta & caſtigationes, ac igne ferroque peragenda ſufflamina, quæ homines ignavi ſuſtinere aut pati non poſſent, opponebat, ut ita non voluptates tantum ſupprimeret, ſed & fortitudini animam aſſuefaceret.[a] Quem cruciatibus animum purgandi morem ab Indis didiciſſe SCHEFFERO quidem viſum eſt,[b] quos ſimilia inſtituiſſe libro primo docuimus: quia vero incertiſſimum eſt, utrum Pythagoras unquam ad Indos penetraverit, veriſimilius creditur, apud Aegyptios hunc morem vidiſſe, qui apud omnes fere barbaricæ philoſophiæ & theologiæ antiſtites receptus fuit.[c] Superbiæ opponebat contemtum. Quem enim externa exploratione præmiſſa ad interius tentamen admiſerat, eum triennio contemtim haberi jubebat: nec tamen intermittebat, ejus conſtantiam, verumque diſcendi ſtudium, & an adverſus gloriam ſatis firmus honorisque contemtor eſſet, obſervare.[d] Quæ etiam ex Aegypto petiiſſe Pythagoram, facile ex PORPHYRIO,[e] diſcere potuiſſet SCHEFFERVS,[f] fontes, unde has ἀσκήσεις hauſerit, Pythagoras perquirens, ubi κακοπάθειαν καὶ προσάγματα σκληρὰ, *afflictiones & ærumnas duriſſimas* Pythagoram ſuſtinuiſſe, is diſerte teſtatur. Vt ita contemtui animum aſſueſcerent, a condiſcipulis variis interrogationibus, objectionibus, concluſionibus, fallaciis vexati ſunt, qui mos ad noſtras quoque ſcholas inde derivatus fuit.[g] Forte ad hanc exercitationem pertinet, quod ATHENAEVS[h] narrat, Pythagoreos ſqualidis uſos eſſe veſtibus: hoc enim ad omnes promiſcue diſcipulos non poſſe referri, inde colligi poteſt, quod veſte pura & candida, uti poſtea dicetur, uſi fuerint: unde recte conjicitur, tentationi adhuc ſubjectos ita humilitatem didiciſſe: licet & hoc ex Pythagoreorum conſuetudine certum ſit, ſacris operaturos etiam initiandos ſtola alba amictos fuiſſe.[i] Avaritiæ oppoſuit Pythagoras ſponteam paupertatem; non enim pauciſſimis tantum contentos vivere jubebat, ſed & omni facultatum ſuarum imperio privabat. Quicquid enim poſſidebant, in commune conferre tenebantur; hæc bona diſpenſanda committebantur diſcipulorum iis, qui ei rei deſtinati erant, Politicique & Oeconomici dicebantur, ut qui legibus ferendis familiæque regendæ idonei eſſent.[k] Pertinuit tamen hæc bonorum communio non ad ſolos acuſmati-

Bonorum communio.

z) *c. XXXI. n. 204. ſeqq.*
a) *ib. c. XVI. n. 68. c. XXXII. n. 225.*
b) *l. c. p. 138.* eum ſequitur, BVDDEVS *l. c. p. 422. ſeqq.*
c) Apud eos enim iſtis βασάνοις exercitum Pythagoram fuiſſe teſtatur PORPHYRIVS *n. 8.*
d) IAMBLICH. *c. XVII. n. 72.*
e) *l. c.*
f) *l. c. p. 137.*
g) Hinc enim origo vexationum Academicarum, quæ depoſitiones vocari ſolent, derivanda, conf. BVDDEVS *l. c.*
h) *l. IV. p. 161.*
i) IAMBLICH. *c. XXVIII. n. 149.* Ita conciliari inter ſe poſſunt veteres, contraria narrantes, conf. SCHEFFER. *l. c. p. 152.* BVDDEVS *l. c. p. 429.*
k) IAMBLICHVS *c. XVII. n. 72.* GELLIVS *l. c.* Dubitat quidem SCHEFFERVS *l. c. p. 155.* locis quibusdam Iamblichi inductus, putatque acuſmaticos ſua habuiſſe propria, ſed refelli ex eo poteſt, quod, ubi rejecti fuiſſent, ſua receperint, unde ad ærarium ſocietatis ſua depoſuiſſe certum eſt. Obſignabatur tamen, ut teſtatur PSEVDO-ORIGENES *philoſophum. c. II. p. 44.* quod depoſuerant, ut recipere poſſent.

ſmaticos & initiandos, ſed omnem ſocietatem Pythagoream obſtrinxit, quippe quæ communi conſortio, ſive cœnobio vivebat: amicorum enim omnia communia eſſe debere, & æqualitatem inter eos accuratam obſervandam, quæ nihil ſibi proprium reputaret, identidem diſcipulis injungebat. [l] Etſi vero hæc bonorum ſocietas, quam diu cum Pythagoreis quis vivebat, durabat, unde inſeparabilem dixit GELLIVS,[m] licebat tamen, ſi quem inſtituti pœnituiſſet, tum facultates ſuas, quas ad commune contuliſſet, repetere, tum enim etiam cum augmento recipiebat & ſic diſcedebat. [n] Tandem ut hæc omnia uno quaſi vinculo exercitia inter ſe colligaret, echemythiam illis, quæ vox Pythagoreorum ſolennis fuit, ſive ſilentium indixit. Vbi, non confundendum eſt hoc exotericorum ſilentium, cum ſacro ſilentio, quo omnes Pythagoræ diſcipuli jure quoque jurando obſtringebantur, ut nemini, qui extra ſectam eſſet, quicquam doctrinarum Pythagoricarum proderent, id enim ad omnes ſectæ huic addictos pertinebat & ſanctiſſime ſervabatur. Qui vero in diſciplinam ejus recipi cupiebant, eis vel quinquennii vel triennii, vel biennii, prout circumſtantias poſtulare credebat, ſilentium imperabat. [o] Quo manu eos ducere voluiſſe contendit IAMBLICHVS, [p] ad linguam refrenandam, & intentum atque indefeſſum examen difficiliorum ſpeculationum, earumque ruminationem; alias rationes, a Pythagoreis adductas, cur moleſtiſſimum magiſter ſilentium introduxerit, brevitatis cauſa præterimus. [q] Nec negari forte prorſus debet, attentionis, imperii in linguam, modeſtiæ & tranquillitatis ſtudium ita commendare diſcipulis voluiſſe Pythagoram: valde tamen dubitamus, an hic ſolus hominis callidiſſimi ſcopus fuerit, & annon affectatæ auctoritatis cauſa, utque pro Deo quodam haberetur, mature ſervo obſequio diſcipulos aſſuefecerit, ut tanquam ex tripode dicta effata ſua reciperent, & pro divinis ea haberent, quod conſecutum quoque eum eſſe, ut inter ſuos numinis inſtar coleretur, veteres conſtanter tradunt. [r] Non ſolum enim in prolegomenis monuimus, ad ejusmodi philoſophorum circumſtantias attente reſpiciendum eſſe, propter influxum, quem in conſtituendis doctrinis earumque methodo plerumque ſervaverunt, ſed in plerorumque etiam philoſophorum ſyſtematibus certis rationibus conflatis id uſu veniſſe, hactenus obſervavimus; adeoque ſcopum quoque hunc Pythagoræ tribuere eo minus veremur, quo magis plurima ejus rei hactenus accepimus teſtimonia. Certe & ſilentio iſto, & receptione cœca omnium, quæ tradebat, dogmatum auctoritatis præjudicium firmaviſſe, nemo temere negabit, nec male

Echemythia.

l) citati, PORPHYR. *n. 20.* inde cœnobiorum in eccleſia originem repetendam eſſe, recte vidit HOLSTENIVS *ad h. l.* Plura de hac communione bonorum habet IAMBLICHVS *c. V. n. 29. c. VI. n. 30. c. XVIII. n. 81, c. XXX. n. 168.*

m) l. c.

n) IAMBLICH. *n. 168.*

o) IAMBLICH. *c. XVI. n. 68. 72.* GELLIVS *l. c.* APVLEIVS *l. c.* AELIANVS *l. IV. c. 6.* PSEVDO-ORIG. *l. c.* LVCIANVS *vit. auct. T. III. p. m. 102.* LAERT. *l. VIII. ſ. 10.* aliique multi.

p) l. c.

q) Proſixius eas exponunt RITTERSHVS. *ad Malch. n. 19. p. 20.* SCHEFFER. *c. XII. p. m.* SCHILTER. *l. c. p. 545.* PASCH. *introd. in rem lit. moral. vet. c. IV. §. 8. p. 662.*

r) IAMBLICH. *n. 30. 150.* AEL. *l. IV. c. 27.* PORPHYR. *n. 20.*

vir quidam doctiſſimus pædantiſmi philoſophico-didactici ideo Pythagoram accuſavit. [s] Non tacebimus tamen duo momenta, quæ oppoſuere viri quidam eruditiſſimi. Primum SCHEFFERVS [t] monet, viſum eſſe quibusdam hoc ſilentium tantum ad negatam interrogandi de auditis & recitatis poſt ſindona doctrinis licentiam pertinere; cum iis, teſte GELLIO [u] fas neque fuerit percontari, ſi parum intellexerant, neque commentari, quod audierant, contra morem aliorum philoſophorum, inter quos antiquiſſimum philoſophandi genus fuit per quæſtiones & reſponſiones. Recte vero idem quoque monet, aliter de hoc ſilentio loqui veteres, & ad omnem linguæ uſum negatum extendere. APVLEIVS [x] enim ſilentium hoc vocat vocis exilium, & initiandos hos elingues, quique loquitari dediſcant, linguamque omnem coërceant. Nec aliter LVCIANVS & PLVTARCHVS, [y] ut alios prætereamus. Etſi vero facile concedi queat, eis extra philoſophandi exercitia occupatis pauca quædam ad eſotericos, quæ vitæ neceſſitas requirebat, licuiſſe profari, [z] certum tamen eſt, ſi veterum teſtimoniis ſtandum eſt, ipſo philoſophandi ſtudio diſtrictos & diſciplinæ cœnobii Pythagorei adſtrictos linguam ab omni voce edenda continuiſſe. Alterum objicit acutiſſimus HEVMANNVS, [a] non ſatis evidenter evictam eſſe hujus ſilentii exiſtentiam, teſtibus, qui de eo loquuntur, nimis a Pythagoræ ætate remotis. Quod licet non inviti concedamus, & de tota Pythagorea hiſtoria ſupra obſervaverimus, deeſſe nobis teſtes omni exceptione majores & coætaneos, ob arcanam diſciplinam ab his philoſophis deamatam, & mature extinctam ſectam, tantus tamen inter veteres de hoc ſilentio conſenſus eſt, ut veriſimilitudine non careat, præcipue cum rationibus Pythagoræ, quas in conſtituenda hac ſocietate philoſopbica ſecutus eſt, apprime conveniat. Accedit, quod jam innuimus, ſilentii rationem per ſe rem Pythagoreis fuiſſe ſanctiſſimam, eosque de rebus & doctrinis ſcholæ ſuæ, imprimis de iis, quæ ad res naturales & divinas pertinebant, [b] tam pertinaciter tacuiſſe, ut maluerint mortem perferre, quam de iis quædam propalare in vulgus, jurejurandi interpoſita & ad hæredes quoque & ſucceſſores propagata fide, [c] id quod ex Aegypto quoque in ſuam ſcholam Pythagoras tranſtulit. Cui ſilentio ſectæ, ut diſciplina quoque inſerviret, vero valde eſt ſimile, mature ſilentio ſervando eum diſcipulos aſſuefeciſſe. [d] Sed nondum duriſſimæ diſciplinæ ſatis erat, verum nec videre licuit initiandis Pythagoram, nec audire aliter niſi poſt velum loquentem, [e] nec erudiri contingebat ab ipſo, ſed tantum ab uno eſotericorum, qui præcepta magi-

s) cel. DAV. KOELERVS *pec. diſſ.*

t) l. c. p. 117.

u) l. c. *x) l. c.*

y) locis ſupra citatis.

z) Veriſimile enim non eſt, plane nihil, etiam extra diſciplinam conſtitutis loqui licuiſſe, cum ſocietatis ipſius ratio & neceſſitas aliud poſtulaverit.

a) Act. philoſ. Vol. I. p. 729.

b) Recte hoc notatum IAC. WINDETO *de vita funct. ſtatu ſect. V. p. 88.*

c) IAMBLICH. *c. XXXI. n. 188. c. XXXII. n. 226. ſeqq.* PORPHYR. *n. 19.* RITTERSHVS. *ad h. l.* Plura veterum teſtimonia adduximus *Amoenit. liter. T. VII. p. 200. ſeqq.*

d) Imitatus quoque eſt Orpheum, ſimile inſtitutum ex Aegypto in Græciam afferentem, conf. FABRIC. *Bibl. Græc. Vol. I. p. 118.*

e) IAMBLICH. *c. XVII. n. 72.* conf. SYRBIVS *de Pythagora intra ſindonem noſcendo.*

magiſtri nuda proponebat, rationibus & demonſtrationibus omiſſis, [f] quæ indigna philoſopho methodus ſatis prodit, quo animo affectus Pythagoras cupiverit diſcipulos. Rationum omnium inſtar erat, quo & ipſis ſatisfiebat, & ad alios loquentes utebantur: αὐτὸς ἔφα, Pythagoram ita dixiſſe: [g] id quod tamen ad ſolos exotericos pertinuiſſe, recte monet SCHILTERVS. [h] Hos itaque initiandos nomen manebat exotericorum, & acuſmaticorum ſive acuſticorum; [i] quod extra ſindonem conſtituti, ad ipſum Pythagoram non admittebantur, & ſolo auditu paſcebantur, immo nec ipſum quidem Pythagoram audiebant, ſed Hippaſum plerumque, vel alium mathematicorum. Quidam illos quoque Pythagoriſtas, hos Pythagoreos dictos eſſe, putant. [k] Cujus tamen nominis alii alias ſignificationes quærunt; & ſi veteres quidem conſulimus, Pythagoriſſæ illi dicti ſunt, qui, ut ait Theocriti SCHOLIASTES, [l] *non improbabant, ſed probabant, & imitabantur Pythagoreos, non tamen in totum erant ejus ſectæ & dogmatis*, ſed, ut IAMBLICHVS [m] dixit, ζηλωταὶ γνησίων Πυθαγορείων. Qui enim Pythagoriſtas dictos putant eos, qui amictu corporis tenui & ſqualido uſi ſunt, cujus explicationis idem ſcholiaſtes meminit, tempora confundunt, nec ſatis attendunt, negligentiam in amictu ſerius & vix ante Diodorum Aſpendium inter Pythagoreos invaluiſſe. [n] Ceterum quisquis interius admitti cupiebat, eum, ſi minimum, biennium, plerumque vero triennium vel quinquennium etiam ita explorari tentarive oportebat: cujus diſciplinæ rigidiſſimæ, ſi quis impatientior, cœnobiticæ vitæ renunciaret, dimittebatur is quidem, & ſua cum augmento vel duplum, recipiebat, ſimul autem monumentum ei, tanquam mortuo ab homacois, ſive ſociis illius diſciplinæ extruebatur, qui ſi quando illis obvius factus eſſet, cum eo, tanquam cum aliis quibusdam agebant, ipſum vero dictabant mortuum. Imo adeo ſevera fuit Pythagoræ diſciplina, ut ſi poſt peractam exploration-nem, poſt quinquennale ſilentium, poſt tot diſciplinarum orgia & initiationes, poſt tot animæ purgationes, poſt peragrata tot theoremata, ſegnior quis atque hebetior reperiretur, tali homini in ſchola cippus aliquis & monumentum ſepulchrale erigeretur, dein auro argentoque onuſtus auditorio exigeretur, & pro mortuo haberetur. [o] Quem Pythagoreorum morem cum Hipparchus omiſiſſet, graviſſime a Lyſide reprehenſus eſt, cujus hac de re epiſtola, modo genuina ſit, paſſim extat. [p]

IV. Poſt quinquennale ita tentamen & ſilentium, qui Pythagoræ probati dignique habebantur, dogmatibus arcanis participandis, interioris admiſſionis fiebant diſcipuli, inde ἐσωτερικοὶ dicti, & intra velum audiebant juxta *Eſotericorum conditio & nomina.*

f) *id. c. XVIII. n. 81.*
g) *Citati*, CICERO *de nat. Deor. l. II.* VAL. MAX. *l. VIII. c. 6.* & veteres paſſim.
h) *l. c. p. 551.*
i) IAMBLICH. *c. XVIII. n. 81. 82.* Anonym. PHOTII *l. c.* PORPHYR. *n.* 37. RITTERSHVS. *ad h. l.*
k) SCHEFFERVS *l. c. p. 101.*
l) *Ad Idyll. XIV. f. 102.*
m) *c. XVIII. n. 80.* Anonym. PHOTII *l. c.* SVIDAS in *Pyth. T. III. p. 236.* conf. MENAG. *ad Laërt. l. VIII. ſ. 38.*
n) conf. SCHILTER. *l. c.*
o) IAMBLICH. *c. XVII. n. 37. ſeqq.*
p) Inter *Epp. Philoſoph.* In GALEI *Opp. myth.* apud IAMBLICH. *l. c. n. 75.*

juxta videbantque præceptorem, cum antea extra velum, citra ejus aſpectum nudo auditu morum præcepta non ſine moleſtia percepiſſent. [q] Tumque mutata tota philoſophandi ratio, nihil ſub ſymbolis præceptum, quod non luculenter explicaretur, rationes ubique expoſitæ, & imprimis rerum naturalium & divinarum notitia clare tradita, & tota docendi via illi oppoſita, quam in erudiendis acuſmaticis tenebant familiares Pythagoræ, ei muneri præfecti. Et his quidem eſotericis nomen datum mathematicorum, quibus, definiente GELLIO, [r] *poteſtas erat, verba facere, & quærere, quæque audiſſent, ſcribere, & quæ ipſi opinarentur, expromere.* Hi γνήσιοι ὁμιλέται, quo nomine eos ſalutat CLEMENS ALEXANDRINVS, [s] id eſt *genuini diſcipuli*, proprie Pythagorei [t] dicti ſunt; mathematici vero, ut porro ſubjicit GELLIVS, " *ab iis artibus, quas jam diſcere atque meditari inceptaverant*, quoniam geometriam, & gnomonicam, muſicam, cæterasque item diſciplinas altiores μαθήματα veteres appellabant. Idem confirmat Anonymus PHOTII. [x] Ex his, qui iſtis ſcientiæ ſtudiis ornati ad perſpicienda mundi opera & principia naturæ procedebant, phyſici nominabantur, & theoretici, licet hoc nomen, ad ſpeculationis naturalis ſummum caput, Deum & divina proprie pertinuiſſe veriſimile ſit. Non enim de natura tantum, ſed de Diis quoque ad intimæ admiſſionis diſcipulos differuiſſe Pythagoram, Abaridis exemplo conſtat. [y] Pythagoreorum vero mos fuit, inde ad Platonem & Ariſtotelem tranſmiſſus, mathematicis ſcientiis tanquam gradibus ſcalisque uti ad diviniorem philoſophiam, [z] qui hoc culmen attigerant, τέλειοι θεωρητικοὶ & σεβαστικοὶ dicebantur, id eſt religioſi, ut recte aptato ad noſtri ſeculi mores nomine vertit HOLSTENIVS. [a] Immo & viros dictos eſſe, ſenſu ſpecialiori ex IAMBLICHO [b] colligere licet, quod nomen ex Aegypto [c] in Græciam, forte a Pythagora, translatum, poſtea ad Cynicos & Stoicos [d] delatum eſt. Et quia inter hos eſſent, quos vel adminiſtrandis ſocietatis facultatibus, rebusque familiæ regendis præficiebat, vel ad ferendas leges ad civitates mittebat, quidam inde œconomici, politici & nomothetici dicti ſunt. [e] Quæ diſcipulorum Pythagoricorum genera ad exotericos pertinere putat eruditiſſimus SCHEFFERVS, [f] eo quod circa humana occuparentur, ſed egregie fallitur. Ipſe enim ad quem provocat PHOTII [g] Anonymus, luculenter non ad Pythagoriſtas, ſed Pythagoreos refert, quos diſcipulos Pytha-

q) *l. c. n. 72.*
r) *l. c.*
s) *Stromat. l. V. p. 575.*
t) Diſtinguit tamen Anonymus PHOTII inter Pythagoricos, ipſius Pythagoræ familiares, & Pythagoreos, eorum diſcipulas; verum apud veteres promiſcuus utriusque nominis plerumque uſus eſt.
u) *l. c.*
x) *p. 56.* Porph.
y) IAMBLICH. *c. XIX. n. 90.*
z) Videndus NICOMACHVS *Intr. ad Arithmeticam* & IAMBLICHVS *Comm. in eandem.*
a) Anonymus PHOTII *l. c.*
b) *c. XXXVI. n. 266.*
c) Notum illud hierophantæ Aegyptii ad Solonem: *Vos Græci ſemper eſtis pueri etc.* quod ſupra retulimus.
d) Conf. LIPSIVS *Manud. ad phil. Stoic. l. II. diſſ. I.*
e) IAMBLICH. *c. XVII. n. 72.* ubi expreſſa voce vocat γνωρίμους, *familiares* Pythagoræ.
f) *l. c. p. 106.*
g) *l. c.*

thagoricorum, id eſt familiarium Pythagoræ fuiſſe dicit & IAMBLICHVS [h] ex politicis legislatores dicit ἄνδρας δικαιοπραγεῖν βουλομένους, *qui ad ſummum virtutum civilium cultum pervenire contendant*, alioque loco narrat, ex primariis & perfectiſſimis diſcipulis quosdam miſiſſe, qui Græcorum urbes ſalutaribus legibus inſtruerent, [i] quos & alibi luculenter ſatis ab acuſmaticis diſtinguit, [k] quin ipſe locus, [l] quo tamen vir doctus nititur, diſcrimen inter acuſmaticos & politicos ponit; quanquam ex hoc loco manifeſtum quoque eſt, politicos a theoreticis fuiſſe munere, ſtudiis & occupatione diſtinctos: unde recte infertur, non uni diſciplinæ generi eſotericos vacaviſſe, ſed prout quis ſcientiam aliquam adamaſſet, ita a Pythagora fuiſſe inſtructum. Ceterum non viri tantum ita philoſophabantur, ſed & feminis ad hæc ſacra patebat aditus, unde feminarum Pythagoricarum indices paſſim offendas. [m] Illæ μαθήτριαι dictæ, ut viri μαθηταί. [n] Quæ conſuetudo ſine dubio ideo a Pythagora obſervata, & ex ejus ſchola in Græcanicas translata eſt, quod apud barbaros quoque feminas non excluſas fuiſſe a myſteriis viderat. *Feminæ Pythagoricæ.*

V. Habitabant hi Pythagoræ diſcipuli in unum, poſtquam in unam familiam ſocietatemve coiverant, quod ipſis κοινοβιῶν nomen conciliaſſe, ſupra docuimus: domus vero ingens, in qua una cum liberis & conjugibus vivebant, ὁμακόϊον, commune auditorium vocata eſt, [o] unde diſcipulis quoque Pythagoræ nomen hæſit, ut ὁμάκοοι dicerentur. Nec arbitrariam illi ſequebantur vitam, ſed ad regulam totum diem componebant, quos recte nomine, ex eccleſia translato, canonicos vocites. Dignaque eſt ratio, qua per totum diem vivebant, quæ curioſius exploretur. Scilicet nemo e viris Pythagoreis, ut ait IAMBLICHVS, [p] id eſt, ex eſotericis e lecto ſurgebat, quin prius in memoriam ſibi revocaret, atque ita reminiſcendo recognoſceret, quæ pridie acta erant: quæ ita in memoriam revocabat, ut mente recenſere niteretur, quid primum dixerit, vel audiverit, vel domeſticis ſuis e lecto ſurgens præceperit, quid ſecundum, quid tertium; ſicque & agendorum habebat rationem, ut omnia memoria repetere allaboraret, eo ordine, quo ſingula illorum evenerant; ſin expergefacto plus otii ſupereſſet, tum etiam eorum, quæ nudius tertius acta erant, reminiſcebatur. Non licebat autem, niſi ante ſolis ortum ſurgere, ut ſcilicet orientem ſolem adoraturi obſervarent. [q] Vt vero nihil, quod deliberatum non mane eſſet, ſuſcipiebant, ita veſperi quoque, teſte EODEM, [r] acta retractabant, eademque opera intellectum ſimul & memoriam exercebant: notique ſunt verſi- *Vivendi ratio Pythagorea.*

h) *Cap. XXIV. n. 108.*
i) *Cap. XXX. n. 172.*
k) *n. 72.*
l) *n. 150.*
m) Apud IAMBLICH. *c. ult.* MENAG. *Hiſt. mul. philoſ. n. 76. p. 499.* FABR. *Bibl. Græc. vol. I. p. 508. ſeqq.* Sunt tamen inter eas, quæ ingenio confictæ videntur, vel nomina quarundam confuſa.
n) Anonym. PHOTII conf. SCHEFFER. *l. c. pag. 106.*
o) IAMBLICH. *c. VI. n. 30.* PORPHYR. *n. 20.* CLEM. ALEX. *Strom. l. I.* & veteres paſſim.
p) IAMBLICH. *c. XXIX. n. 165.*
q) *ibid. n. 256.*
r) *ibid.* PORPH. *n. 40.*

verſiculi aurei carminis, quibus illud veſpertinum examen philoſophaturis maxime commendatur: [s] Sed & muſicam mane medicinæ inſtar, (κάθαρσιν nominabant [t]) adhibebant, & ſaltationem quoque inſtituebant, pro inſtrumento vero lyra utebantur, tibias aliquid molle & pompæ accommodatum liberisque hominibus indignum reſonare putantes: inque uſu erant illis Homeri & Heſiodi ſelecti verſus, quibus animos cantando emendabant. Sed & alio tempore muſica utebantur, ad affectus animi corrigendos, "quam Pythagoram atque Empedoclem mira arte exercuiſſe & affectus vehementiſſimos compeſcuiſſe narrant. [x] Erantque ſcholæ Pythagoræ certæ artis in hunc finem diſpoſitiones, unde ἐξάρτυσις, ſive adaptatio; συναρμογαὶ, ſive concinnitas, & ἐπαφαὶ, ſive attactus excogitatæ, quas idoneis carminibus efficere, animique habitudinem in contrarios affectus utiliter traducere laborabant. Sed & cubitum ituri per odas quasdam & peculiares cantus mentes repurgabant a diuturnis perturbationibus, & illo, qui adhuc in auribus tinniebat, ſtrepitu, ſicque tranquillam & vel paucis, vel bonis ſomniis comitatam quietem ſibi conciliabant; ſurgentes autem alterius moduli cantibus a lecti torpore ſoporisque gravedine ſeſe liberabant, id quod præter IAMBLICHVM, veteres paſſim teſtantur. [y] Ita præparati juxta præſcriptum ad ſcientiarum ſtudia ſe applicabant, & matutinas, quidem ut porro IAMBLICHVS, [z] deambulationes ſoli in hujusmodi locis ſuſcipiebant, ubi quies & congruum ſilentium, ut templa, luci, & alia, animis remittendis apta erant. Non enim cum quoquam converſandum exiſtimabant, antequam ipſi animum ſuum bene conſtitutum rectèque compoſitum haberent: eo autem conducere ſolitudinem: nam ſtatim a lecto ſurgentes in turbam prorumpere, turbulentum eſſe cenſebant. A matutina deambulatione congreſſus inter ſe inſtituebant, imprimis in templis, vel ſi id non daretur, in locis ſimilibus: tempus autem iſtud docendo, diſcendo, moribusque excolendis conſumebant. Ab hujusmodi ſcholis deinde ad corpora curanda ſe convertebant: plerique unctione & curſu utebantur, pauciores lucta in hortis & nemoribus, quidam etiam halterum jactu [a] aut ſaltatione cum manuum geſticulatione ſtudioſe eligebant exercitia corporis vires roboratura. In prandio panis erat & mel, vinum vero per diem non guſtabant. A prandio civilia tractabant negotia, tam peregrinos, quam hoſpites concernentia. Circa veſperam iterum ibant deambulatum, non tamen ſinguli ſeorſim, ſicuti mane ſolebant, ſed bini ternive,

s) *Nec feſſa in dulcem declines lumina ſomnum,*
Quin ter cuncta prius reputaveris acta diei
Quæ prætergreſſus, quid geſſi in tempore? quid non?
Et de matutino tempore:
E ſomno primum evigilans cum ſtrata relinquis,
Diſponas animo luce expedienda futuro.

t) Purgationis hoc genus philoſophicæ omiſit D. BVDDEVS in diſſ. *de καθάρσει Pythagorico-Platonica*, quæ in *Anal. hiſt. philoſoph.* extat.

u) IAMBLICH. *c. XXV. n. 110.* ubi certis affectibus certos cantus & modulationis genera oppoſita fuiſſe narrat.

x) *ibid.* conf. SENECA *de ira l. III. c. 9.* AELIAN. *var. hiſt. l. XIV. c. 23.* EVSTATH. *ad Hom. Iliad. 1. p. 643.* Scholiaſtes Hermogenis, cujus luculentum locum adduxit FABR. *ad* SEXT. EMP. *l. VI. adv. Math. ſ. 7.* QVINTIL. *Inſtit. orat. l. I. c. 10. l. IX. c. 4.* aliique.

y) Vid. quos laudat SCHEFFER. *l. c. p. 179.*

z) IAMBLICH. *c. XXI. n. 96. ſqq.*

a) Vid. MERCVRIALIS in *gymnaſtica.*

nive, in memoriam ſibi mutuo revocantes, quæ didicerant, & in præclaris ſtudiis ſe exercentes. Ambulatione defuncti ad balnea ſe conferebant, lotique inibant convivia, quæ intra decem convivas terminabantur. Hisque congregatis libatio & ſacrificia ſuffimentis & thure celebrabantur; hinc ad cœnam ibant, cui ante occaſum ſolis finis imponebatur. Poſt cœnam iterum fiebat libatio, dein lectio ſequebatur. Mos autem erat, ut natu minimus legeret, natu vero maximus præſideret, quid'que, aut quomodo legendum eſſet, præciperet. Abituris pincerna libamen infundebat, peractaque libatione generalia vitæ præcepta ſenior injungebat. Hæc Iamblichus, quæ omnia erudite illuſtrat SCHEFFERVS,[b] qui, ne nimii ſimus, ipſe videndus.

VI. Non vero totius tantum diei negotia diſponebat diſcipulis Pythagoras, ſed & victus & amictus rationem eam illis præſcribebat, quam & tuendæ ſanitati prodeſſe, & philoſophiæ ſuæ præceptis convenire judicabat. Quod ad victum attinet, ita de iis exponit IAMBLICHVS:[c] *In genere omnes improbaſſe cibos, qui flatulenti eſſent, quique ſtomacho tumultum excitare poſſent; alios vero his diſſimiles commendaſſe, qui ſcilicet habitum corporis conſervent, adſtringantque: unde & milium nutritioni aptum judicaviſſe: omnino autem eos cibos rejeciſſe, qui Diis ingrati eſſent, quique nos a Dei familiaritate abducerent. Monuiſſe quoque cavere ab iis, qui facultatem divinandi, puritatem animæ, caſtitatem, ſobrietatem, aut virtutis habitum impedirent: denique reſpuiſſe omnia ſanctitati adverſa, & tum ceteram animi puritatem, tum oblatas in ſomno ſpecies obfuſcantia. Theoreticorum vero ſummis & principibus, qui maxime ſevera lege agitaturi eſſent, omnia ſuperflua vetitaque ciborum genera ſimul ac ſemel ſubmoviſſe: ac ne unquam vel animata ederent, vel vinum biberent, vel Diis hoſtias immolarent, vel ullo denique modo animalia læderent, quin iis potius debita jura ſtudioſiſſime ſervarent, auctorem extitiſſe. Idem & legislatoribus injunctum, ut ab animalibus propter juſtitiam omnibus ſervandam abſtinerent. Ceteris tamen, qui vitam non adeo ad unguem expurgatam, ſacramque & philoſophicam agerent, poteſtatem dediſſe, certa quædam animalia attingendi, iisque abſtinentiam imperaviſſe, definito tempore circumſcriptam; his præcepiſſe: cor non rodere, cerebrum non comedere, quod in iis ſedes ac veluti ſcalæ quædam ſapiendi vivendique conſiſterent. Etiam abſtinentiam ab aliis propter divinæ rationis naturam injunxiſſe: hincque malva abſtineri voluiſſe, quoniam ſympathiæ inter cœleſtia & terrena index eſſet, item a melanuro, quia Diis infernalibus ſacer eſſet, item ab erythino; fabarum quoque eſum prohibuiſſe, propter multas ſacras naturalesque rationes.* Adducendus erat locus Iamblichi totus etſi longiuſculus, quoniam facem præfert, ad judicandum de iis, quæ de legibus Pythagoræ cibariis recentiores, veteres ſecuti varie diſputant,[d] quæ, ne

Victus & amictus ratio.

b) *l. c. p. 160.*
c) *c. XXIV. n. 106. ſeqq.*
d) Conf. de legibus Pythagoræ cibariis præter SCHILTERVM *l. c. p. 536.* SCHEFFERVM *l. c.*

ne nimii ſimus, ſummatim tantum enarrabimus. Et primo quidem de abſtinentia a carne & piſcibus valde dubitatum eſt, utrum ea ad omnes diſcipulos etiam exotericos pertinuerit, an tantum ad eſotericos, & ex his perfectiores modo, & ſublimiori theoriæ gradu conſtitutos. Prius Anonymus PHOTII [e] afferit, qui omnes Pythagoræ diſcipulos ab animalibus abſtinuiſſe, & ex ſolis victimis certo tempore guſtaviſſe refert. Idem placuit SENECAE, [f] PLVTARCHO, [g] CLEMENTI, [h] PORPHYRIO: [i] Quos ſecuti ſunt ex recentioribus multi. [k] Nec rationes illis deſunt; urgent enim, Pythagoram diſcipulos eam ob cauſam a venatione abſtinere juſſiſſe, [l] &, quod monet SENECA, [m] dixiſſe, *omnium inter omnia cognationem eſſe, & aliorum commercium in alias atque alias formas tranſeuntium: nullam animam interire, nec ceſſare quidem, niſi tempore exiguo, dum in aliud corpus transfunditur. Interim ſceleris hominibus ac parricidii metum feciſſe, cum poſſint in parentis animam inſcii incurrere, & ferro morſuve violare, in quo cognatus aliquis ſpiritus hoſpitaretur.* Hæc Seneca, qui in ſequentibus quoque exponit, qua ratione Sotion hanc ei abſtinentiam a carnibus perſvaſerit. Alii vero hanc abſtinentiam a carnibus non ad totum Pythagoreorum chorum, ſed ad eſotericos tantum, neque ad hos omnes, ſed tantum ad perfectiores & religioſiores reſpexiſſe afferunt, teſtesque laudant PORPHYRIVM [n] atque IAMBLICHVM. [o] Nos, ſi hos ſequimur, certum putamus, eam non ad omnes pertinuiſſe, & tantum τοῖς θεορητικωτάτοις præceptum fuiſſe, ut ab omni ἐμψύχων eſu abſtinerent: fuit tamen quædam etiam a carnibus abſtinentia omnibus Pythagoræ diſcipulis communis, qua non licebat eis comedere carnes, niſi certi generis, imprimis eas, quæ ex victimis eſſent, ut ipſe teſtatur PHOTII anonymus. Nec ratio τῆς μετεμψυχώσεως declinanda eſt. Statuebat enim, teſte IAMBLICHO, [p] Pythagoras: *Animam humanam in ea ſaltem animalia non ingredi, quæ mactare fas eſt: ideoque ex immolabilibus ea ſola comedenda, quæ pro victimis cædere licet, a cæteris omnibus abſtinendum; hæcque acuſmaticis præcepiſſe.* Ex quo loco, ſi Iamblichi auctoritatem ſequimur, quam LAERTIVS [q] quoque firmat, ſequitur, carnium hoc interdictum ad pollutas carnes, quæque victimæ haud eſſent, relatum fuiſſe, & acuſmaticos quoque obſtrinxiſſe. Ideo & a morticinis abſtineri juſſit, cujus quoque lanam reſpuiſſe ad veſtem ſupra obſervatum eſt. Piſcium tamen eſu omnibus interdixiſſe, veteres plerique

l. c. p. 143. BVDDEVM *l. c. p. 413.* IO. LVDOV. BOYE *pec. diſſ.* IO. MICH. WEINREICH. *de abſtin. carnis Pyth. Miſc. Lipſ. T. IV. obſ. 85. p. 65. ſeqq.* ANT. GVNTH. HECHVS *pec. diſſ.* DODWELLVS *l. c. p. 125. ſeqq.* qui carnis eſum introduxiſſe Pythagoram pugilem, prohibuiſſe philoſophum contendit, conf. CLER. *l. c. p. 141.*

e) *l. c.*
f) *Epiſt. 108.*
g) *De eſu carnium T. II. p. m. 371.*
h) *Pædag. l. II. c. 1.*
i) *De abſt. a carn. l. I. c. 24.*
k) Vide nominatos SCHILTERO *l. c. p. 556.* PHIL. CAROLI *Obſ. ad Gell. l. IV. c. 11. p. 264.* STOLLE *Hiſt. phil. mor. gent. §. 130. p. 216.*
l) IAMBLICH. *c. XXI. n. 100.*
m) *l. c.*
n) *l. c. c. 27. de vit. Pyth. n. 34.*
o) *l. c. n. 98.*
p) *n. 85.*
q) *Lib. VIII. ſ. 35.*

que teſtantur, [r] & IAMBLICHVS etiam raro, monet, veſci ſolitos opſonio amari petito, [s] quod id genus cibi propter certas cauſas uſui illis ad victum non eſſet. Cauſas is non aperit, LAERTIVS [t] vero, piſces ſacros ideo non guſtandos præcepiſſe, ait, quod fas non ſit, eadem diis & hominibus apponi; EVSTATHIVS [u] autem eam cauſam affert, quod ἐχεμυθίας ſymbolum ſint. Fabas edere cur prohibuerit, infra melior dicendi locus erit, ubi de medicina Pythagorea dicendum. Malva cur abſtinendum eſſe voluerit, IAMBLICHVS explicuit, [x] qui alio loco lucem obſcure dictis fœneratur, obſervans ideo herbam hanc ſympathiæ inter cœleſtia & terrena indicem dici, quia ſoli ſeſe obvertit. [y] Sed & malvæ folium eſſe ſanctiſſimum dixit Pythagoras, teſte AELIANO, [z] ad cujus locum videnda ſunt, quæ commentatur IACOBVS PERIZONIVS. Porro & ab ovis abſtinuiſſe ut ab animalibus oviparis LAERTIVS [a] teſtatur, quod ſcilicet nutrire plurimum, & genituram uberem præbere, veneremque concitare obſervetur: quam rationem PHOTII anonymus etiam affert, cur carnibus veſci ſuos non voluerit. Alia leviora non attingimus, a SCHEFFERO [b] expoſita, qui legendus. Quod ad potum attinet, eadem ratione ut de carnibus diſpoſuit. Contemplativis omnis vini uſus interdictus erat, ut diſerte teſtatur IAMBLICHVS, [c] eo quod mentis ſinceritati & integritati officeret, cui theoretici præ aliis ſtudebant. Reliquis vino uti licebat, ſed non interdiu, uti ſupra ex Iamblicho traditum. Aqua vero pura, & panis mundus unus in dies duos, ut habet Alexis apud ATHENAEVM [d] & olera & maza, plerasque cœnas Pythagoreorum replebant. Veſte uſos fuiſſe Pythagoreos, præceptorem imitatos, candida & munda, ſupra jam dictum, ubi etiam an lino tantum vel lana confici jufſerint veſtimenta pluribus egimus. Imprimis vero in cultu Deorum & ſacrificiis peragendis non niſi veſte pura & candida, in qua nemo dormiverit, eſſe in templum intrandum præcepit, quod mire pervertit ARCERIVS, nigram rufamve veſtem a IAMBLICHO [e] innui putans, qui nigrum & fuſcum colorem, ut ſomnum, ignaviæ, ſymbolum eſſe, ideoque vitatum a Pythagora, dixerat. Ceterum licet conjugibus uti liberosque procreare ſuis non interdicebat Pythagoras, fortitudinem tamen, & moderationem vehementer injungebat, ventrique imperari jubebat, & ad generandam ſobolem rationes medicas ſaluberrimas præſcribebat, & conjugii fidem quam maxime commendabat. [f]

r) PLVT. *l. c.*
s) *n. 98.* opſonium vero idem hoc loco eſt, ac cibus.
t) *ſ. 34.*
u) *Odyſſ. μ. p. 1720.* x) *n. 109.*
y) In *Protrept. Symb. XXXVIII.*
z) *Lib. IV. c. 14.* conf. SCHEFFER. *l. c. p. 143.*
a) *l. c.*
b) *l. c. c. 9.* de gallo gallinaceo albo.
c) *l. c.* Ita & Apollonius Tyaneus, rigidus Pythagoreiſmi obſervator apud PHILOSTRAT. *l. I. c. 15.*
d) *l. IV. c. 17.* locus dignus qui legatur; ita enim:

Οἱ Πυθαγορίζοντες γὰρ ὡς ἀκούομεν
Οὔτ' ὄψον ἐσθίουσιν, οὔτ' ἀλλ' οὐδὲ ἕν,
Ἔμψυχον, οἶνον τ' οὐχὶ πίνουσι μόνοι
- - τὰ δὲ, καθ' ἡμέραν τάδε
Ἄρτος καθαρὸς ὡς ἑκατέρῳ, ποτήριον
Ὕδατος - - -

e) *Cap. XXVIII. n. 153.*
f) *Cap. XXXI. n. 209. ſeq.*

Methodus duplex.

VII. Ex his facile intelligi poteſt, duplicem adhibuiſſe Pythagoram docendi methodum vulgarem & arcanam. Hoc enim in ſcholis Ægyptiorum Græcorumque theologorum initiatus didicerat, idque ipſius ſcopus, quem in conſtituenda ſocietate philoſophica ſequebatur, poſtulabat. Vulgari vero methodo virtutis præcepta omnibus parænetica docendi ratione commendabat palam, cujus exempla aliquot orationum cohortantium ad virtutem exponit IAMBLICHVS; [g] altera, quæ arcana fuit, Ægyptiacæ docendi viæ æmula imaginibus ſymbolisque conſtabat, quorum cum poſtea pluribus mentio facienda ſit, nihil de iis hoc loco addimus. His ſymbolis utebantur Pythagorei, ubi coram ἀλλοφύλοις & extra familiam ſuam conſtitutis de ſapientia & doctrina præceptoris differendum erat, cum ipſi facile invicem ſe intelligerent, a nemine vero, qui his ſacris initiatus non erat, intelligi poſſent. Erantque iſta ſymbola, recte monente IAMBLICHO, [h] *ſi quis arcanos ſenſus non attigiſſet, ridicula & anilia, nugisque & gerris plena, ubi vero ſignificatio, ſenſusque latens evolutus eſſet, profundam philoſophiam exhibebant.* Tantumque fuit in reticenda & recondenda Pythagoræ doctrina diſcipulorum ejus ſtudium, ut ne acuſmaticis quidem, ſive qui initiari cupiebant, & in diſciplinam Pythagoræ ſe dederant, omnia ejus dogmata proponerentur, ſed, quæ res naturales & divinas exponebant, phyſicis & ſebaſticis, uti ſupra dictum, reſervarentur, & obſcuriſſime nudarum veritatum moralium aſſertiones illi a quodam intimæ admiſſionis diſcipulo acciperent. Tandem, ut accurate cuſtodiretur, & a vulgi auribus ſemoveretur ſapientia Pythagorica, cavebant Pythagorei, ne quid ſcripto emanaret in vulgus: hinc totam Pythagoræ doctrinam in pectoribus, ut ait PORPHYRIVS, [i] arcanam reconditamque cuſtodiebant, nihilque ſcriptis conſignabant, præter quædam intellectu difficilia, quæ exterioris admiſſionis diſcipuli memoria repetebant. Cum vero plerique Pythagorei a Cyloniana factione delerentur, Lyſis & Archippus, qui domo tunc aberant, commentaria quædam, ne tota ſcientia interiret, ſummatim compoſuerunt, & quæ alii reliquerant, in unum corpus redegerunt: præcipientes filiis & filiabus ac uxoribus, ne cuiquam extra familiam eorum copiam facerent, idque continua quadam ſucceſſione privatim poſteris denuntiantes, permulto tempore obſervarunt. Platonis tamen tempore, ubi ſecta ad finem vergebat, non tantum Philolaus ſcripta Pythagorica vendidit, [k] ſed Archytas quoque Tarentinus [l] commentaria ſua cum Platone communicavit. Fecit vero hoc abſcondendi ſua ſtudium, ut non ſolum quod ſupra expoſuimus, tota Pythagoræ hiſtoria fieret obſcuriſſima & incertiſſima, verum etiam ex tot ejus diſcipulis pauci nobis innoteſcerent, ut ex eo Pythagoræ diſcipulorum catalogo videre eſt, quem contexuit IAMBLICHVS, [m] in quo tamen ſunt qui-

g) *Cap. XXII. n. 101. ſeqq.*
h) *n. 103. ſeqq.*
i) *n. 57. 58.* & qui eum exſcribit IAMBLICH. *c. XXXV. n. 252.* conf. *Amœnit. liter. T. VII. p. 200. ſeqq.*
k) Probatum id ſupra *in Platone.*
l) Vid. PLATO *epiſt. XII.*
m) *l. c. c. XXXVI. n. 266.* ex quo catalogum Pythagoreorum confecit FABRIC. *Bibl. Græc. vol. I. pag. 480.*

quidam, qui ad hanc ſectam non pertinent. [n] Eorum, quorum doctrinæ ad nos pervenit memoria, in ſequentibus dabimus hiſtoriam.

Obſervationes criticæ generales de philoſophia Pythagoræ.

§. XVI. Facilis ex his, quæ hucusque de rebus Pythagoræ, veterum ſuffulti teſtimoniis, diſſeruimus, conjectura eſt, certiora atque luculentiora de ipſa philoſophia atque doctrina Pythagorica expectari non poſſe, multisque & hanc quoque Pythagoricæ hiſtoriæ partem tenebris circumſeptam eſſe, & inſuperabilibus premi difficultatibus. Res itaque omnis etiam hic quoque ad conjecturas redit, quarum rationes & fundamenta ut recte conſtituantur, ſequentia præmonenda ſunt, antequam de ipſa Pythagoræ philoſophia & doctrinis diſpicimus.

I. Philoſophia Pythagoræ incerta.

I. Quam incerti ſint fontes, ex quibus notitia philoſophiæ Pythagoricæ hauriri poteſt, demonſtrari luculentius nequit, quam ſi ea repetantur, quæ de methodo Pythagoræ & ſequacium arcana late in ſuperioribus diſputavimus. Ipſe enim, ut probabilior fert ſententia, Pythagoras nihil ſcripſit, certe nihil, quod non manifeſtæ fraudis ſuſpectum ſit, ad nos pervenit. Nec diſcipuli quicquam, quod interioris diſciplinæ & doctrinæ eſſet, in literas retulerunt, ſed obſcura quædam & ſymbolica in commentarios relata, tanquam ænigmata & gryphos ſuis ita commendaverunt arcane cuſtodienda, ut aureum vellus draconibus traditum, vel Heſperidos poma cuſtodienda commendata eſſe, credas. Lyſis vero & Archippus, arcanam, quam in memoria hactenus ſervaverant, doctrinam, non clara luce, ſed exiguis, teſte PORPHYRIO [o] igniculis obſcuram admodum & perveſtigatu difficilem conſervarunt, & collatis obſcuriſſimis antiquorum ſcriptis, methodo Pythagorica, id eſt, tenebris obſepta in literas retulerunt. Neque tamen horum quoque commentaria ſuperſunt, ſed infelix condendi ſtudium ea omnia abſtulit. Pythagorei vero, qui poſt magiſtrum floruere, cum ſua Pythagoræ ſuppoſuerint, valde ſuſpecti ſunt, an præceptoris, quem vivum non audierunt, mentem tam obſcure & per ænigmata traditam recte intellexerint, nec ne? ſymbolicam enim docendi methodum aptam eſſe, ut quicquid otioſis & ingenii fœcundioris agitatione commotis hominibus veſani in mentem venit, ei applicari, & ex ea probari queat, ſupra nobili Ægyptiacæ philoſophiæ exemplo probavimus. Neque in eo plus juſto ſuſpicaces nos eſſe queratur aliquis: PORPHYRIVM [p] enim teſtem adducimus, candide fatentem, *τῷ μὴ ἀντικρὺς Πυθαγορικὸς εἶναι τὸς ἐνφέροντας ταῦτα: quod nec ii, qui in vulgus ea proferebant, veri Pythagorici erant.* Quis itaque in tanta incertitudine certi quid de Pythagoricis doctrinis promittat? quisque genuinos reperiat fontes, unde liquida hauriri queat earum notitia?

II. Deficientiæ monumenta pleraque.

II. Quod ſi concedamus, non a vera Pythagoræ doctrina abludere ea, quæ ultimi ex hac ſecta viri memoriæ poſteritatis ſcriptis tradiderunt, parum

n) E. g. Zaleucus, Charondas, Zamolxis pleroſque confictos putat LLOYDIVS *l. c.* conf. BENTLEI. *de epiſt. Phalar. p.* 85.

o) *l. ſupra citato.*

p) *n.* 53.

rum tamen inde juvamur, cum pleraque omnia temporum nobis eripuerit iniquitas, quæ vero reſtant, valde ſuſpecta ſint, & incerta, num a Pythagoreis profecta ſint, & genuinam hujus ſectæ doctrinam ſapiant? Nam ſervavit quidem nobis aliquot Pythagoreorum fragmenta STOBAEI diligentia, ex cujus florilegio duas collectiones ſcriptorum Pythagoricorum nobis exhibuere viri docti; unam moralem, in qua Hippodami, Euryphani, Hipparchi, Archytæ, Theagis, Metopi, Cliniæ, Critonis, Polique diſſertationes morales, licet mutilæ, comprehenduntur, iisque Pythagoræ, Lyſidis, Theanus, Meliſſæ & Myæ epiſtolæ adjiciuntur, [q] alteram politicam, itidem ex STOBAEO collectam, variorum Pythagoricorum monita politica ſiſtentem: [r] dudum vero viri haud obeſæ naris de integritate eorum ſcriptorum dubitarunt, [s] & ſuſpicati ſunt, conficta eſſe ab iis, qui proximis poſt C. N. temporibus Pythagoream diſciplinam reſtaurare, infelicibus licet auſpiciis, aggreſſi ſunt. Quorum argumenta etſi levia putat optimus FABRICIVS, [t] fatebitur tamen, ea ſua non carere probabilitate, quisquis accurate expenderit, quam diligenter veri Pythagorei ad id attenderint, ne quid de rebus moralibus aliter, niſi *συμβολικῶς* & *αἰνιγματικῶς* proponerent, ſicque veros ſcholæ ſuæ ſenſus ſtudioſe occultarent; quamque ſtudioſum in ejusmodi fingendis fuerit atque audax illud hominum genus, quod poſt Servatoris inter homines verſantis tempora Chriſtianæ doctrinæ invaleſcentis & puritate ſua magnas victorias reportantis æmulatione accenſum, Pythagoricam diſciplinam, tanquam ſanctiſſimam, illi opponere tentavit. Certe ea ipſa fraus, quæ in ſuppoſitis Pythagoræ ejusque filiabus epiſtolis, accuratioribus criticis non ignoratur, juſtæ facit ſuſpicioni locum, reliqua quoque feliciora naſcendi fata non habuiſſe. Et tamen hæc omnia moralem tantum & politicam philoſophiæ partem concernunt, in qua ſuæ licet methodo uſi etiam ad exotericos Pythagorei differebant. De naturali & theologica parte, nihil nobis, quod veriſimiliter Pythagoreis tribui queat, ſupereſt; cujus rationem ſupra ex Iamblicho adduximus, quod hæc ad *Θεωρητικοτάτες* tantum pertinuerint, quibus jurejurando ſilentium erat imperatum.

III. Diverſi interpretandi modi.

III. Eſt & aliud, quod valde ſuſpecta facit monumentorum Pythagoricorum fragmenta, quæ ſuperſunt, diverſa ſcilicet interpretandi doctrinas Pythagoræ ratio apud eos quoque, qui ſe interius revelaſſe velum & acroamatica dogmata propalaſſe jactant. Ait enim IAMBLICHVS; [u] diverſos interpretandi modos apud Pythagoreos exiſtere; unum proprium ſectæ Pythagoricæ nec facile evulgandum; alium vero popularem, & qui tradi omnibus communiter queat, tertium denique medium inter utrumque,

q) Poſt HENR. STEPHANVM, qui *Diogeni Laërtio* ea ſubjecit, & DAN. HEINSIVM, qui priori ſuæ *Maximi Tyrii* editioni addidit, *Collectioni* ſuæ inſeruit THOM. GALE *Cantabr. 1671. Amſt. 1688. 8.* quam titulo *Opuſculorum mythologicorum, phyſicorum & ethicorum* dedit, *pag. 659. ſeqq.*

r) IAC. SPONDANVS Latine vertit, ſubjuncta ſunt ARISTOTELIS *Politicis* cum comm. PET. VICTORII editis *Baſileæ 1589. fol.*

s) HERM. CONRING. in *propoliticis c. XV. p. 104.* IAC. THOMASIVS *de virt. cardin. diſſ. I.*

t) *Bibl. Gr. l. II. c. 13. vol. I. p. 513.*

u) In *protreptico c. 21.*

que, non plane popularem, nec palam Pythagoricum, ſed nec penitus ab utroque remotum. Ex quo loco manifeſtum eſſe, alibi monuimus, [x] eos, etiam cum arcanorum venditarent explicationem, non intrinſecam iſtam, quam vocabant, ſapientiam, ſed mediam quandam tradidiſſe, ſatisfacturos ſcilicet hominum, imprimis potentium curioſitati, ſine religionis violatione, diverſumque ab eſoterico explicandi genere acroamaticum confingentes. Incerti itaque reddimur, annon fumos nobis vendiderint, qui iſta jactarunt.

IV. Auget hanc philoſophiæ Pythagoricæ incertitudinem plagium hominum philoſophantium & Pythagoreis ſua eripientium, & aliena poſtea affingentium; qua de re ita PORPHYRIVS: [y] *Plato, Ariſtoteles, & Speuſippus, item Ariſtoxenus & Xenocrates, ut Pythagorei affirmant, utiliſſima quidem pro ſuis venditarunt, paucis quibusdam immutatis; vulgaria autem & leviora, & quæcunque ad ſubvertendam atque irridendam Pythagoreorum ſcholam ab invidis & calumniatoribus poſtea excogitata fuerunt, coacervarunt, & ut ſectæ ejus propria reliquerunt.* Quam querimoniam non prorſus temere eſſe, fidem nobis hactenus fecit Platonis, Ariſtotelis, Speuſippi & Xenocratis hiſtoria. Quod vero magna invidia preſſa fuerit ſchola Italica, infelicia ejus fata, quæ Crotoni, Tarenti & Metaponti paſſa eſt, ſatis loquuntur, & veriſimile eſſe ſvadent, multa quoque in deterius a calumniatoribus fuiſſe afficta. Quis vero iſta a genuinis diſcernet? quis veros characteres, quibus philoſophia Pythagorica dignoſci queat, hodie enarrabit?

IV. Multa Pythagoræ afficta.

V. Plurimum vero ad incertitudinem hiſtoriæ philoſophiæ Pythagoreæ attulit Plato, quem ex Pythagoræ fluentis arva ſua irrigaſſe ſupra jam probavimus, rectеque obſervavit CICERO, [z] ideo Tarentum migraſſe ad Archytam, & ad reliquos Pythagoreos, Echecratem, Timæum, Acrionem, Locros, ut, cum Socratem expreſſiſſet, adjungeret Pythagoreorum diſciplinam, eaque, quæ Socrates repudiabat, addiſceret. Nec id negabit quisquam, qui utriusque doctrinas inter ſe comparaverit. Ita vero palam quoque fit, Platonem, quod & Speuſippus & Xenocrates aliique ex Academiæ primæ doctoribus fecere, accommodata ad ſyſtema Platonicum philoſophia Pythagoræ multum eam ad doctrinas ſuas inflexiſſe, ſicque genuinam philoſophi Samii mentem corrupiſſe. Id quod ferri poſſet, ſi aliunde vera Pythagoræ doctrina poſſet hauriri. Verum ereptis nobis paucis iſtis fragmentis Pythagoricis ſola Platonica ſchola reſtat, ex cujus fide de doctrina Pythagoræ judicandum eſt: ex quo ſole meridiano clarius elucet, adulterina pro genuinis, ſpuria pro nativis nobis obtrudi poſſe, rectеque hanc ſuſpicionem foveri, illos homines ſua pro Pythagoricis nobis venditaſſe. Ex hac vero ſchola ubi Alexandrini ſyncretiſtæ prodiere, qui quam maxime

V. Plato Pythagoricam philoſophiam adulterans.

x) *Amœnit. lit. T. VII. p. 208.*
y) *n. 53.*
z) *De finibus l. V.* plura veterum teſtimonia adduximus *Amœn. lit. l. c. p. 182. ſeqq.*

maxime de hiſtoria & philoſophia Pythagorica mereri cupiebant, dici non poteſt, quantum incertitudo hiſtoriæ hujus philoſophiæ aucta ſit. Hi enim homines inſano prorſus ſtudio flagrabant, omnes orbis religiones & doctrinas cum Pythagoricis & Platonicis conciliandi, unde non potuere non ineptiſſimos vetuſtiſſimis doctrinis ſenſus affundere, & quod Platonicis factum eſſe ſupra demonſtravimus, Pythagoricis quoque inferre detrimentum. Horum vero hominum ſcripta potiores fontes ſunt, ex quibus Pythagoræ doctrina hauriri debet. Quis itaque certi & indubitati quid inde ſe cogniturum ſperabit? quis ſubdolis philoſophis fidem adhibebit ſatis tutam?

VI. Doctrina Pythagorica neglectim relata.

VI. Accedit his omnibus, quod ea, quæ commune memoriarum Pythagoricarum naufragium evaſere, non tam doctrinas nobis exhibeant, quam hiſtoriam ſectæ, ejusque conditoris, & quæ dogmata referunt, tantum ὡς ἐν παρόδῳ nec eo ordine atque modo referunt, ut tuto de ſyſtematis nexu judicari queat; id quod etiam THOMAS BVRNETIVS [a] obſervavit. Cauſam ejus rei facile intelliget, qui ad ea attendit, quæ copioſe hactenus differuimus. Dogmata enim ſua ſumme celabant philoſophi Italici, de magiſtri vita & miraculis multa narrabant, vel etiam mentiebantur, ut auctoritatem ſectæ conciliarent. Intercidente ſecta intercidit etiam doctrina, & obſcuri quidam remanebant igniculi, lucis extinctæ teſtes triſtiſſimi; hos ſufflabant, lucemque novam inde excitare ſtudebant homines ἀλλόφυλοι & aliis ſyſtematibus innutriti, qui doctrinam cohærentem dare non poterant. Vbi vero ſecta Pythagorica reſtitui poſt C. N. cœpit, conjecturis omnia data ſunt, & paucis tantum de philoſophia actum Pythagoræ, ejus vero vita culta, aucta, & ad inſaniam ornata mendaciis, ut miraculis Chriſti opponeretur, quod non efficacius fieri poſſe ſperabant, quam ſi incognitas doctrinas oggererent, quas nec ipſi ſatis tenebant, nec ſpes erat, ſimplici Evangelii candori ſemel adſvetos pro veritatibus ſanctiſſimis habituros.

VII. Mathematicæ diſciplinæ reliquis intruſæ, hæque illarum notionibus obſcuratæ.

VII. Nondum difficultatum in diſcenda philoſophia Pythagorica ſatis eſt, ſed & expendendum, quod & veteres tradunt, & totus philoſophiæ iſtius habitus aperte prodit, Pythagoram more temporis illius, quo vivebat, & præceptorum ſuorum quos in Ægypto habuerat, non tantum diſciplinas mathematicas philoſophiæ, præſertim naturali & divinæ, id quod laudandum erat, præmiſiſſe, ſed hanc quoque illis ita attemperaſſe, ut totam phyſicam & theologiam ſuam notionibus mathematicis repleret, quæ rem adeo non explicabant, ut potius obſcuriſſimam cognitionem efficerent. Cujus nobile exemplum doctrina de numeris eſt, quam a Pythagora eſſe, nemo quidem negaverit, incertum tamen & obſcuriſſimum eſſe, quæ arcana phyſica & theologica illis indicare voluerit, poſtea enucleatius trademus. [b] Quod ſi etiam ſupponimus, quod probabile eſſe, deinde oſtendemus, ita cauſas, formasque rerum ſpiritualium & naturalium explicare vel obſcu-

a) *Archæol. philoſ. l. I. c. 11. p. 424.*

b) Conf. *Amœn. lit. l. c.*

obſcurare potius & velo ſuo involvere voluiſſe Pythagoram, fatendum tamen eſt, quod jam ARISTOTELES[c] obſervavit, & pulchre oſtendit BVRNETIVS, [d] *inepte hæc omnia fieri, & ſtulte hos philoſophos, nimia ſubtilitate peccantes, ſtuduiſſe tenuibus aranearum filis divam naturam tenere, quæ non niſi ferreis aut adamantinis catenis ratione rigida fidisque obſervationibus ſe conſtringi patitur.* Qua ratione ut Plato quoque peccaret, & Ariſtoteles, Pythagoræ potiſſimum exemplo ſeductus uterque eſt.

VIII. Ad enthuſiaſmum redeuntia pleraque.

VIII. Quod ſi tamen ea, quæ veriſimili aliqua ratione Pythagoræ tribui poſſunt, præſertim quæ ſunt *φυσιολόγικα καὶ θεολογέμενα*, accurate expenduntur, & cum toto docendi & vivendi modo & characteribus Pythagoræ comparantur, patet inde luculenter, hominem ingenio magis, quam judicio valentem ad enthuſiaſmum cum imaginationis fortiori impulſu, tum voluntatis affectatione quam maxime pronum fuiſſe, &, ut ſibi divinos honores arrogavit, ita hunc ſibi finem philoſophiæ conſtituiſſe, ut non morali quadam ſimilitudine, ſed naturæ paritate homines in divinam naturam mutaret, Deosque eos tandem efficeret. Finem aurei carminis eum non legiſſe oportet, qui hæc negat, facileque is convincetur, ubi ad ipſam Pythagoræ phyſiologiam & theologiam explicandam accedemus. Hic vero id præmonendum vel ideo fuit, ne ad animi Pythagorici characteres, qui magnum in condendum ſyſtema influxum habere ſolent, minus attendentes, præjudicio auctoritatis & antiquitatis ſeduci nos patiamur, ut divina & ſancta putemus ea, quæ externa facie quidem nitent, intus vero ſtultiſſimi ſcatent enthuſiaſmi ſcabie.

IX. Scriptores de philol. Pythag. caute legendi.

IX. Ex dictis jam, niſi fallimur, facili labore diſci poteſt, quanta cautione animus præmuniendus ſit, ſi in indagandis Pythagoræ dogmatibus offendere nolimus, quantaque attentione & non ſine examine critico legendi ſint, qui de philoſophia Pythagorica ſcripſere. Dolendum vero eſt, nobis nec Ariſtotelis de hoc argumento librum, [e] nec Didymi, Philolai, Moderati Gaditani, Androcydis, Diogenis, Antiphanis, Alexidis Tarentini, Ariſtophanis Rhodii, Cronii, Numenii, Thraſylli, Hipparchi, Zenonis & aliorum, ad quos provocant LAERTIVS, PORPHYRIVS, IAMBLICHVS, STOBAEVS aliique, monumenta [f] ſuppetere; certum enim eſt, multa nos melius luculentiusque ex iis cognituros fuiſſe, quæ dicti viri vel feſtinantis calami negligentia, vel partis, cui addicti erant, ſtudio perperam, ſaltem minus accurate retulerunt. Eadem, immo majore etiam accuratione in legendis & conſulendis iis opus eſt, qui ex recentioribus doctrinam Pythagoricam explicare conniſi ſunt, quos potiores laudat cl. HEVMANNVS. [g] Plerique enim animum ab auctoritatis, antiquitatis, &

c) *Metaph. l. XIII. c. 4.*
d) *l. c. p. 429.*
e) Conf. IONSIVS *de Scr. Hiſt. philoſ. l. I. c. II. pag. 54.*
f) Conf. IONSIVS & FABRICIVS *ll. cc.*
g) *Act. philoſ. vol. I. p. 373.* inter hos eminet MIC. MOVRGVES *Plan theologique du Pythagoreiſme* vid. CLERIC. *Bibl. choiſ. T. XXVII. p. 424. ſeqq.* IO. SCHEFFERI vero libri *de philoſophia Italica*, quorum prodromus eſt tractatio *de natura & conſtitutione philoſophiæ Italicæ*, lucem non viderunt.

hypotheſeos ſcholæque præjudicio immunem ad hoc negotium non attulerunt, quo fieri non potuit, ut non multa ſe videre acute crederent, quæ oculatiores & iſtis præjudiciis non impediti cernere nequeunt.

Doctrina Pythagoræ de philoſophia in genere.

§. XVII. Sequendi itaque in delineanda Pythagoræ doctrina philoſophica duces ſunt, qui poſſunt inveniri, nec paſſus ullus ſine cauta attentione ſuſcipiendus eſt, cogitandumque, quibus potiſſimum auctoribus aliquid Pythagoræ tribuatur, nec fides danda aliter, quam teſtium patitur conditio. Hos ſi ſequimur, ſequentia placuere Pythagoræ; & quidem de philoſophia in genere:

I. Philoſophiæ ſcopus eſt, inſitam nobis mentem ex impedimentis vinculisque eruere atque vindicare: ſine qua nullus omnino ſanum aliquid verumque, cujuscunque tandem ſenſus ope atque beneficio, diſcere atque perſpicere poteſt [b] Huic purgationi inſerviviſſe exercitationes atque afflictiones ſupra memoratas totamque diſciplinam Pythagoræ, in antecedentibus luculenter oſtendimus, & ſuo quoque loco diximus, qua ratione & occaſione philoſophiæ nomen appellationi ſapientiæ prætulerit, qua de re in ſequentibus plura tradentur.

II. Perpurgatæ menti utilia quædam & profutura exhibenda ſunt, quibus ſemet ipſam ſenſim ad rerum æternarum ejusdemque generis & incorporearum, perpetuo ſecundum idem atque eodem modo ſe habentium contemplationem aſſuefaciens, a minutioribus ordine progrediatur, ne ſubita, atque repentina mutatione avertatur atque renuat, ob tantam tamque diuturnam nutrimenti pravitatem. [i]

III. Mathematicis itaque ſcientiis & ſpeculationibus illis, quæ inter corpora atque incorporea mediæ ſunt, & quaſi in utrorumque confinio, veluti præexercitationibus utendum eſt paulatim, ad contemplationem eorum, quæ vere exiſtunt: artificioſa quadam ratione mentis oculos a rebus corporeis nunquam ſecundum idem atque eodem modo in uno eodemque ſtatu vel tantillum permanentibus, ad alimentorum deſiderium abducendo. Hæc de diſciplinarum propædeumaticarum neceſſitate, uſu & ſcopo ex mente Pythagoræ PORPHYRIVS, qui totus Platonis ſermone utitur, qui eundem in modum de ideis loquitur. Quoniam vero Plato, hanc ipſam doctrinam in Italica ſchola hauſit, & ſyſtema ei ſuum potiſſimum inædificavit, uti ſuo loco dictum; hinc probabile eſt, ipſum Pythagoram ita inſtituiſſe; Mathematicas enim ſcientias inter propædeumata eum retuliſſe, dubitari nequit: numerorumque doctrinam, ceu ſymbolum intelligibilium principiorum introduxit, & ut his aſſueſcerent diſcipuli, notionibus abſtractis eos uti diſciplinis mathematicis docuit, quod has ſemina latentis in anima ſcientiæ continere putaret, μαθημάτων enim nomine ab eo appellatas eſſe PROCLVS [k] monet, ideo quod omnis μάθησις ſive diſciplina ſit reminiſcentia, quæ non extrinſecus animæ adveniat, qualis eſt ſenſuum,

b) PORPHYR. *n. 46.* *i) ibid.* *k)* In *Euclid. l. I. p. 13.*

ſenſuum, cognitio & opinio; ſed ab iis quæ nobis apparent, excitetur atque intus perficiatur, a cogitatione in ſemet ipſam converſa.

IV. Totus mathematicarum diſciplinarum ambitus in quatuor partes dividitur, quarum duæ multitudinem, duæ magnitudinem ſpectant. Multitudo ſpectatur vel in ſe, vel in alio; magnitudo vel quieſcit vel movetur. Multitudinem in ſe conſiderat arithmetica, in alio muſica; magnitudinem quieſcentem geometria, mobilem ſphærica contemplatur.

V. Infinitum mens, iſtas ſcientias producens a multitudine & magnitudine removet, & circa ſolum finitum verſatur. Mens enim in ſe ipſa habet omnia multitudinis & magnitudinis principia, quoniam tota ex æqualibus in ſe ipſa partibus, unaquaque & indiviſibilis cum ſit & diviſibilis viciſſim, mundumque ex ideis producit, eſſentialis finitatis & infinitatis particeps fit, ex rerum, quas intelligit, contemplatione: intelligit vero ea, ex parte finiti, quod eſt in eis, non ex parte infinitatis vitæ. Ita PROCLVS[l] Pythagoreos ratiocinatos eſſe tradit, apertum vero eſt, poſterioris temporis homines, principiis Pythagoricis uſos, hæc ipſis ratiocinia ſuppoſuiſſe, ut plerumque fieri ſolet, factumque eſt in veterum ſyſtematibus explanandis ſæpius: unde hæc non moramur, ſed ad ipſas has diſciplinas conſiderandas progredimur.

§. XVIII. Arithmeticam nobiliſſimam apud Pythagoreos ſcientiam fuiſſe, compertum eſt, teſtaturque LAERTIVS,[m] circa eam potiſſimum Pythagoræ ſtudium verſatum fuiſſe. Cum enim huic potiſſimum methodo in Ægypto eſſet innutritus, qua rerum naturalium principia notionibus, figuris & terminis geometricis & arithmeticis, depinguntur, pleraque, quæ de rerum naturalium & ſpiritualium conſtitutione, natura modoque diſputare in animo habebat, ejusmodi ſymbolis propoſuit.[n] Etſi vero hoc indubitatum eſſe videtur, Pythagoram de ſpirituali & naturali mundo numerorum ſymbolis philoſophari voluiſſe, incertum tamen non ſolum eſt, ſed & plane impoſſibile, dicere, quid per illos numeros intellexerit, quave ratione de rebus ſpiritualibus atque naturalibus iſta arithmetica philoſophica philoſophatus ſit. Cujus cauſam ii facile perſpicient, qui ea, quæ de arcana Pythagoræ doctrinæ methodo ſupra dicta ſunt, memoria repetunt, vel fata quoque philoſophiæ Pythagoricæ, cum ipſo ferme magiſtro extinctæ cogitant. Ex dictis enim nullo negotio perſpicitur, hæc myſteria τοῖς Θεωρητικωτάτοις tantum revelata, ad pauciſſimos Pythagoræ diſcipulos perveniſſe, ab iisque ita ſtudioſe fuiſſe celata, ut impoſſibile fuerit, ex iis quicquam expiſcari eos, qui intra velum admiſſi non eſſent: paucas vero ſcintillas, quæ in animis reliquorum ſervabantur, fatali incendio, quod non domum tantum, ſed & ſectam Pythagoræ fere totam delevit, fuiſſe extinctas.[o] Laterem itaque lavant, qui ſe hæc ænigmata explicare, & his numeris, qui

Arithmetica.

l) l. c.

m) Lib. VIII. ſ. 12. add. PSEVDO-ORIGENES *philoſophum. c. II. p. 30.*

n) Conf. ED. HERB. DE CHERBVRY *de relig. gentil. c. X. p. 89. ſeq.* ed. Amſt.

o) Eo etiam tendunt, quæ doctiſſimi viri THOM. BVRNETIVS *Archæol. philoſ. l. I. c. XI. p. 428.* & IO. LAVR. MOSHEM. *ad* CVDWORTH. *c. IV. §. 20. p. 444. ſeqq.* prudenter de hac re monent.

dudum ob obſcuritatem in proverbium abierunt, accendere lucem laborarunt. Non deſunt quidem ex veteribus & recentioribus, qui arithmeticam hanc philoſophicam, ex mente Pythagoræ explicare aggreſſi ſunt; id quod ex veteribus ANONYMVS, [p] NICOMACHVS GERASENVS, [q] & IAMBLICHVS, [r] SEXTVS item EMPIRICVS; [s] ex recentioribus IOACHIMVS CAMERARIVS, [ff] & IO. MEVRSIVS [t] præſtitere, ut alios taceamus, quorum hac de re cogitationes in compendio exhibuit cl. IO. IAC. LEHMANNVS; [u] verum hi omnes, ſuas nobis potius opiniones, vel etiam arithmetices vulgaris præcepta, quam Pythagoræ doctrinas theologicas & phyſicas explicant. Pleræque enim iſtæ explicationes Platonicos ex Ammonii & Plotini ſchola, certe ex Alexandrinis cathedris oriundos auctores habent, quorum hominum infelix ſtudium cuncta veterum dogmata pro lubitu fingendi, miſcendi, conciliandi atque exponendi, toties jam notavimus. Vnum, quod ſpecie aliqua ad conciliandam obſcuriſſimæ doctrinæ lucem afferri poſſe videtur, non tacebimus. Nempe ſupra demonſtratum eſt, Platonem, cum ſcholas Pythagoreorum inviſiſſet, inde doctrinam de ideis retuliſſe. Cum itaque dogma de ideis cum doctrina de numeris Pythagoræ multis modis conveniat, veriſimile eſt, Pythagoram eodem fere modo numeros intellexiſſe, quo Plato ideas, & innuiſſe, quod acute conjicit BVRNETIVS: [x] *Quemadmodum numeri progrediuntur ab unitate ſive monade, omnium ſimpliciſſima radice, in magis magisque compoſitos, novasque induunt proprietates in illo progreſſu: ita a Deo ſimpliciſſimo recedere gradatim rerum productarum claſſes, retinereque characteres aliquo modo ſuis numeris analogos: ſicque rerum ortum & emanationem a primo ente progreſſumque per varios ordines a ſummis ad ima, ſi non ratione explicita, ſaltem per ſymbola & ſimilitudines explicuiſſe.* Augebitur hæc veriſimilitudo, ſi obſervetur, Pythagoram eodem fere loco numeros habuiſſe, quo ideas ſuas Plato habuit, & utrumque inanem, & otioſam doctrinam ad enthuſiaſmum retuliſſe. Diligenter enim utramque doctrinam comparantibus palam eſt, non eidem tantum fundamento inædificaſſe Pythagoram numeros & Platonem ideas, nempe emanationi rerum ſive entium ſpiritualium eorumque variorum ordinum ex ſummo Deo; ſed & eodem modo numeros definiviſſe, & diſtinxiſſe, ex eodem etiam fonte, Deo, derivaviſſe; eandem iis dignitatem adſcripſiſſe, & principia ſenſibilium ex iis feciſſe, ratione quoque mentis humanæ, numeros & ideas eodem loco poſuiſſe, eique ad liberandum ex carcere corporis animum & aſcenſum ad Deum numeros pariter, ut ideas objectum conſtituiſſe, finem quoque numerorum ut idearum, cognitionis poſuiſſe,

p) In *theologumenis arithmeticis Pariſ. 1543. 4.* editis.

q) Ejus *introductionis arithmeticæ* hodie deperditæ ſummam ſervavit PHOTIVS *Cod. CLXXXVII.*

r) In *Comm. in Nicomachi introductionem arithmeticam*, quam cum verſione Latina notisque ſuis edidit SAMVEL TENNVLIVS *Arnhemiæ 1668. 4.*

s) *Pyrrhon. hypotyp. l. III. c. 18. adv. Math. l. X. f. 248. ſeqq.*

ff) In *explicatione in duos libros Nicomachi*, quam ſuffixit Iamblicho TENNVLIVS.

t) *De denario Pythagorico.* OSII, KIRCHERI & PETRI BVNGI nugas ſilentio præterimus.

u) In *hiſt. Pythag. obſerv. illuſtr. p. 393. ſeqq.*

x) *l. c.*

ſe, Deo fieri ſimilem, immo ipſum fieri Deum. Quæ omnia allatis veterum teſtimoniis & expoſita utriusque philoſophi phyſiologia peculiari ſchediaſmate hiſtorico philoſophico, [y] quantum licuit, planum fecimus, Nec hæc noſtra tantum opinio eſt, ſed dudum viri eruditiſſimi in hac fuere ſententia, ex quibus imprimis RADVLPHVS CVDWORTHVS, [z] THOMAS BVRNETIVS, [a] IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, [b] DAN. GEORG. MORHOFIVS, [c] IOANNES CLAVBERGIVS [d] & ISAACVS BEAVSOBRIVS [e] videndi ſunt. Nec magnopere huic officere putamus ſententiæ, quod doctiſſimus CVDWORTHI interpres [f] urget, longe aliud eſſe numeros, aliud ideas mentisque notiones; non enim hic de conceptibus mentis, ſed de formis rerum atque exemplaribus, quæ intelligibilia ſunt, ſermonem eſſe, totus Platonicæ philoſophiæ habitus & ſumma oſtendunt. Non reticebimus tamen difficultatem, quæ hanc quoque opinionem premit. Scilicet quicquid de numeris Pythagoræ ſcimus, illud omne ex Platonicorum ſchola profectum eſt, nec aliunde ſua hauſerunt Plutarchus, Sextus Empiricus, Clemens Alexandrinus, Lactantius, quique veterum alii obſcuriſſimam doctrinam attigerunt. Platonem vero non ipſum tantum doctrinas præceptorum adulteraſſe, ſupra demonſtratum eſt, ſed ejus quoque ſequaces, & imprimis juniores Platonici cuncta veterum ſyſtemati ſuo ex tot aliorum opinionibus, centonis inſtar, conſuto, adaptarunt: hos vero teſtes, hos auctores, hos interpretes ſequi oportet, niſi in his tenebris cœcutire prorſus velimus. Quod ſi itaque expoſitæ ſententiæ de numeris Pythagoræ nobis objiciat aliquis, in ejusmodi rebus nihil explorati licere decernere, [g] nos facile habebit conſentientes, qui id operoſe eodem, quo de his differuimus, loco, confecimus. Sed propius tamen accedamus ad hanc numerorum doctrinam, quam his potiſſimum aſſertis conſtitiſſe veteres tradunt:

I. Studium numerorum omnium nobiliſſimum eſt, quorum ſcientiam exactiſſimam qui poſſidet, is ſummum bonum habet. [h] Probavit hoc ipſe Pythagoras, qui teſte LAERTIO [i] maxime vacavit circa ſpeciem mathematicæ, arithmeticam, &, quod AELIANVS [k] habet, eum hominem ſapientiſſimum fuiſſe, dixit, qui numeros inveniſſet, poſt illum, qui rebus nomina impoſuiſſet.

II. Numeri ſunt vel intellectuales vel ſcientifici. [l]

III. Numerus intellectualis eſt, quod in divina mente ante omnia ſubſiſtebat, a quo & ex quo omnia in ordinem ſunt deſcripta, & per ſeriem in-

y) De convenientia numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis, Amœnitat. liter. T. VII. p. 173. ſeqq.

z) Syſt. int. c. IV. §. 21. p. 466.

a) l. c.

b) Ad ORIG. *philoſophum. p. 31.*

c) Polyhiſt. liter. T. II. l. I. c. 2. §. 4. p. 13.

d) Peculiari epiſtola inſerta TENNVLII *notis in* IAMBLICH. *p. 177. ſeqq.*

e) Hiſt. des Manichéens T. I. P. II. l. I. c. 6. §. 6. pag. 313.

f) l. c. not. 7.

g) ibid.

h) THEODORET. *Therap. l. XI. p. 152.*

i) Lib. VIII. ſ. 8.

k) V. H. l. IV. c. 17. conf. STOBAEVS *eclog. phyſic, c. 2.*

l) IAMBLICH. *ad Nicom. p. 5.* TENN. *h. l.*

indiſſolubilem ſtant diſtincte connumerata. Ita IAMBLICHVS, [m] qui & hoc addit: Hippaſi ſectatores, qui acuſmatici dicti ſunt, numerum exemplar primum in creatione mundi, normamque dixiſſe, ſecundum quam creator mundi operandum judicavit de mundo a ſe creando. Philolaus vero teſte EODEM [n] numerum dixit vinculum potentia ſua ſuſtinens æternam rerum mundanarum permanſionem, ſibique innatum. Alia apud PORPHYRIVM [o] aliosque in eundem ſenſum tacemus. Ante hos vero omnes ARISTOTELES [p] dixit, *τὸς ἀριθμὸς αἰτίους εἶναι τοῖς ἄλλοις τῆς οὐσίας Numeros cauſas eſſe rebus reliquis eſſentiæ.* Quæ ſi vera ſunt, idem numerus eſt ac idea, nempe cauſa æterna & exemplaris eſſentiæ rerum ſenſibilium.

IV. Numerus ſcientificus eſt, extenſio & operatio rationum ſeminalium, quæ unitati inſunt, & productio in actum, ſive progreſſio multitudinis a monade incipiens, & regreſſio in eandem deſinens. [q]

V. Diſtinguendum itaque eſt inter *μονάδα καὶ ἕν*, unitatem & unum: unitas in intellectualibus exiſtit, unum in numeris; [r] vel, ut Moderatus habet, unitas eſt in numeris, unum in numerabilibus. Archytam tamen & Philolaum unitatem & unum indiſcriminatim appellaviſſe, THEON SMYRNAEVS [s] obſervat.

VI. Scientificorum numerorum duo genera ſunt, æqualis & inæqualis. Numerus æqualis eſt, qui in maxima & minima pariter diviſionem admittit, in maxima ratione magnitudinis, in minima ratione multitudinis, juxta naturalem duorum iſtorum generum oppoſitionem. Inæqualis eſt, qui hoc non admittit, ſed in duas partes inæquales dividitur. [t]

VII. Non unusquisque numerus infinitus eſt, ſed par tantum ſive æqualis, eſtque cauſa ſectionis ejus, quæ in partes æquales in infinitum extrahitur, & propria ſua natura gignit infinitatem in rebus, in quibus exiſtit. Limitatur vero ab inæquali, ſi enim id accedat, impedit ejus ſectionem in partes æquales. [u]

VIII. Impar numerus maſculæ virtutis eſt, Diisque cœleſtibus proprius, æqualis indigens eſt & imperfectus, atque femineus, & inferis proprius. [x] Numerus vero, qui ex potentia & multiplicatione paris & impanis prodit *ἀρρενοθήλυς*, id eſt, hermaphroditus dicitur. [y] Hæc ſymbolice dicta eſſe, quilibet videt, qua ratione vero ad numeros intelligibiles applicari queant, difficilior quæſtio eſt, quæ hujus loci non eſt. Emanationem vero entium ſpiritualium ex primo ſummoque principio & fonte intelligibilium

m) *l. c. p. 11.* *n*) *loc. cit.* *o*) *n. 48.*

p) *Metaph. l. I. c. 6.* Ita etiam PLVTARCH. *de plac. phil. l. I. c. 3.* Hinc intelligere licet, cur Lyſidem numerum dixiſſe Deum afferat ATHENAGORAS *Apol. p. 49.* & HIEROCLES *ad Carm. aur. p. 224.* ex *ἱερῷ λόγῳ* referat, Deum eſſe numerorum numerum. Non enim primus tantum numerus in Deo tanquam cauſa reperitur, ſed & numeri in mente divina exiſtunt.

q) IAMBLICH. *l. c. p. 11.* STOBAEVS *l. c.*

r) Anonymus PHOTII *l. c.*

s) *Mathem. Plat. c. 4.*

t) Nicomach. apud PHOT. *l. c.*

u) THEMIST. in *phyſ. l. III f. 25. p. 67.*

x) MACROB. *Saturn. l. I. c. 13. Somn. Scip. l. I. c. 6.* SERVIVS *ad Ecl. Virg. V. v. 65.* PLVT. *de Iſid. & Oſir.*

y) *Theolog. arithm.* conf. MEVRS. *l. c. c. II.*

lium indigitari, alio loco [z] luculentis veterum teſtimoniis demonſtravimus, ad quem lectorem brevitatis cauſa ablegamus.

IX. Vnitatis & identitatis atque æqualitatis ratio cauſaque amicæ conſpirationis atque mutuæ affectionis & conſervationis univerſi, ſecundum idem atque eodem modo ſe habentis, monade repræſentatur: unum enim illud, quod in particularibus conſpicitur, tale exiſtit, partibus unitum & conſpirans, ob primæ cauſæ participationem.

X. Diverſitatis autem atque inæqualitatis, omnisque dividui & in continua mutatione verſantis & modo hoc, modo illo modo ſeſe habentis biformem rationem binarius exprimit: nam & binarii in rebus particularibus talis natura eſt.

XI. Idem autem eſt, ſive biforme, ſive inæqualiforme, ſive diverſimodum dicatur.

XII. Eadem ratio etiam in ceteris numeris obtinet, ſinguli enim certarum quarundam potentiarum locum vicemque ſuſtinent. [a]

XIII. Monas ſive unitas, eſt quantitas, quæ decreſcente multitudine omni numero privata quietem ac ſtatum accipit; [b] inde & μονὰς dicitur ἀπὸ τῦ μένειν, quod ſtet, atque in eadem ſemper ratione maneat, vel ἀπὸ τῦ μεμονῦσθαι, quod a multitudine ſeparetur. [c] Vocaturque mens, hermaphroditus, Deus, bonum, materia & omnium receptrix, chaos, ratio ſeminalis, ſubſtantia, ſimplex exemplar, forma ac ſpecies, Iupiter, & his ſimilia. Abundant ejusmodi nominibus ſæpe obſcuriſſimis vixque ſanam & claram interpretationem admittentibus *theologumena arithmetica*, ex quibus aliisque ea diligenter collegit MEVRSIVS, [d] qui tamen, quid ſignificent, non explicuit. Nec anguſtia loci permittit, ut, quantum rei obſcuritas patitur, ei lucem fœneremur: præcipue cum pleraque ſymbolica ſint, variasque interpretationes recipere apta. Vt tamen ſpecimen arithmeticæ philoſophicæ habeamus, qua ad reliqua intelligenda, tanquam clavi uti nobis liceat, paucis obſervamus, Pythagoreorum interpretes (ad hos enim totam hanc explicationem referendam eſſe, ſupra monuimus) in explicanda numerorum doctrina I. reſpexiſſe ad notionem numeri generalem & abſtractam, ſive metaphyſicam, [e] eaque ſemel conſtituta, II. ad prima & immutabilia rerum omnium principia, eorumque originem & emanationem eam applicuiſſe; [f] III. hisque poſitis eorum cum rebus ſenſibilibus, ad conferendam iis formam & eſſentiam, conjunctionem reſpexiſſe, ſicque IV. Rerum ſenſibilium eſſentiam & naturam iſtis numeris recludere tentaſſe. Probant hoc numerorum philoſophicorum fundamentum, quæcunque ab his hominibus de iis dicuntur, quæ vel plane intelligi nequeunt, vel

z) *Amoen. lit. T. VI. p. 233.*
a) PORPHYR. *l. c. n. 48. ſeq.* ex Moderato Gaditano.
b) IDEM apud STOBAEVM *ecl. phyſ. c. 2.*
c) IAMBLICH. *ad Nicom. p. 13.* TENNVL. *ad h. l.*
d) *l. c.*
e) In ea explicanda imprimis deſudavit Nicomachus.
f) Huc reſpexiſſe videntur *theologumena arithmetica.*

vel juxta hunc canonem explicanda ſunt. Proditque id luculenter magni inter eos nominis philoſophus Moderatus Gaditanus, qui diſerte:[ff] *Cum primas formas, primaque principia oratione perſpicue explicare nequirent, quod & intellectu & prolatu difficillima ſint, ad numeros manifeſtioris doctrinæ cauſa confugere, geometras atque literatores imitati. Vt enim hi literas earumque poteſtatem tradituri, ad notas illas confugiunt, easque veluti prima docendi elementa eſſe dicunt: nihilominus poſtea docent, notas illas non eſſe elementa, ſed illarum opera vera elementa cognoſci; & geometræ cum formas incorporeas verbis proponere non valeant, ad figurarum deſcriptiones confugiunt, dicentes, hoc Δ triangulum eſſe, non quod hoc ipſum, quod ſub aſpectum cadit, triangulum eſſe velint, ſed iſtud, quod ejusmodi figuram obtinet, quodque hujus ope conceptum atque cognitionem trianguli animo repræſentat: idem ergo & Pythagorei in primis rationibus ſive affectionibus formisque fecere, cum enim incorporeas formas ac prima principia verbis tradere non poſſent, ad demonſtrationem per numeros confugerunt.* His ſuppoſitis aliqua adductorum nominum ratio dari poteſt. Mens enim vocatur, quia principia intelligibilia tota mens ſunt,[g] & prima eorum cauſa atque fons, qui eminentiſſimo modo monas dicitur, puriſſimus ſpiritus atque mens eſt. Hermaphroditi nomen habet, quod ex primo fonte non alterum tantum principium, cujus ex ſinu reliqua intelligibilia prodierunt, ortum eſt, ſed & ipſum ſibi primum illud principium cauſa & origo ſui eſt. Deum vero ideo monadem nominaſſe, quod neque principium habeat neque finem, præter MACROBIVM,[h] anonymus PHOTII[i] auctor eſt: & eadem quoque ratio eſt, cur bonum appelletur. Materiam vero, chaos, tartarum, ſtyga, rationem ſeminalem, & his ſimilia ſine dubio ita dixere hi homines, ſyſtematis ſui principiis innutriti, quod ex Deo non immaterialia tantum omnia, ſed & ipſam materiam effluxiſſe crederent: quod utrum Pythagoricum ſit, nec ne, poſtea dicemus. Quanquam ſi eo ſenſu, quo poſt barbaros quosdam & theologos Græcos vetuſtiſſimos Pythagoræ viſum eſſe, poſtea veriſimili ratione demonſtrabimus, intelligatur, ut Deus cum materia perpetua agitatione ex eo fluente uno toto conjunctus dicatur, ut Stoici quoque poſtea ſtatuerunt, hæc nomina ſalva eſſe poſſunt. Cupidinem vero & concordiam dixere, quod prima intelligibilium cauſa ex ſe non modo omnia producat, ſed & inter ſe jungat & animet. Veſtam etiam vocarunt, haud obſcuro indicio, in media mundi parte his hominibus viſum eſſe potiſſimam deitatis partem reſidere.[k] Reliqua nomina ad metaphyſicas unitatis notiones & abſtractos conceptus ſine dubio referri debent. Ex his de reliquorum quoque numerorum nominibus, quæ explicare inſtitutum noſtrum non patitur, judicari luxque aliqua capi poteſt. Et ex his quo-

ff) Apud PORPHYR. *l. c.*

g) ALEXAND. APHRODIS. *in Metaph. maj. c. 5.*

h) *Somn. Scip. l. 6.*

i) *Vit. Pyth.*

k) PLVT. in *Numa.* Solem vero in medio mundi eſſe, Pythagoricum dogma fuit, infra conſiderandum.

quoque ſententia probabilis ferri poteſt de quæſtione, utrum per monadem intellexerit Pythagoras Deum, an materiam? Eſſe enim inter ejus ſequaces, qui informem materiam, ex qua fiunt omnia, monada dixerint, facile ex NICOMACHI GERASENI definitione demonſtrari poſſe, putant viri eruditi, nam ὕλην *dici monada* ait, *quia res omnes miſcet, & deinde omnium receptrix eſt, chaos, confuſio, contemperatio.* Quæ imprimis recte, ſaltem ex Empedoclis mente dici contendit CVDWORTHI interpres præſtantiſſimus.[l] Nos ſi ſupra præſuppoſita adhibemus, Nicomachum præciſione mentis & abſtractione monadem definiviſſe, non inepte judicari putamus; numeri enim initium cum ſit unitas, materia ſive ſubjectum eſt, ex quo reliqui omnes exſurgunt, & in quo omnes latent, non diſtincta quidem connumeratione, ſed chaotica, vel, ut luculentius dicamus, virtuali diſpoſitione. Ex hoc itaque loco ad numerum intellectualem, Deum, non aliter concludi poteſt, niſi Deum, univerſitatis in ſuo ſinu comprehendere materiam, rationes ſeminales, diſpoſitionem, &c. unde deinde formatus vel Deo informatus mundus tanquam numerus binarius oritur. Quod a philoſopho, Alexandrinum ſyſtema ſequente, dici, non eſt mirandum. Eadem de loco HERMIAE[m] judicanda exiſtimamus, cui *monas initium omnium* dicitur, *e cujus figuris & numeris elementa fiunt.* Cunctis enim rebus compoſitis cum initia adſcriberent hi homines ex ſimplicibus, ea monades dixere, licet ex ſenſibilium claſſe eſſent. Hoc niſi teneamus nunquam ex hoc labyrintho nos extricabimus.

XIV. Dyas, ſive numerus binarius, indefinita & indeterminata a monade tanquam materia exiſtit, eſtque tumoris cauſa & diviſionis. Ejusdem generis eſt hæc NICOMACHI[n] definitio, ut monadis, quæ ſcilicet dyada in abſtracto conſiderat: hincque pleraque orta ſunt nomina, quibus apud eum, & in *theologumenis arithmeticis*, inſignitur, quando ſiniſtrum, inæquale, inſtabile, mobile, contentio, materia, cauſa diſſimilarium, informis, indefinitus, paritatis principium, tolerantia, Iſis, diſcordia &c. vocatur, qualia etiam apud PLVTARCHVM, PORPHYRIVM aliosque occurrunt, diligenter collecta a IO. MEVRSIO.[o] Cuncta enim eo tendunt, binarium numerum, & ſibi non conſtantem, cum reliqui ex eo procedant, & nullam certam formam admittentem, cum additis reliquis numeris variæ inde exſurgant formæ, paſſum eſſe variationis cauſam, addito numero, ſicque matrem vel materiam reliquorum numerorum factum eſſe. Ita monadem patri, dyadem matri vel uxori comparant. Quam rationem ſimilitudinis Pythagoreos ex ſignis Zodiaci genus ex maribus & feminis æqualiter mutantibus, deſumſiſſe exigua veriſimilitudine conjicit SEXTVS EMPIRICVS,[p] rectеque obſervat præſtantiſſimus FABRICIVS,[q] Pythagoreos hoc

l) MOSHEM. *ad* CVDWORTH. *ſyſt. intell. c. IV. §. 20. p. 446.*

m) Irriſ. philoſ. gentil. §. 16. ἀρχὴ τῶν πάντων ἡ μονὰς, ἐκ δὲ τῶν σχημάτων αὐτῆς, καὶ ἐκ τῶν ἀριθμῶν, τὰ στοιχεῖα γίνεται.

n) l. c.

o) l. c. p. 26.

p) Adv. mathem. l. V. ſ. 8.

q) Ad h. l. & ante eum Anonymus vetus ad *Ptolomæi Tetrabiblon.*

non ab aſtrologis, ſed hos ab illis hæc accepiſſe. Rectius hæc inde arceſſuntur, unde Pythagoras ſymbolicam philoſophiam accepit, ab Aegyptiis aliisque barbaris,[r] quos ſexum in divinis admiſiſſe primo libro oſtendimus;[s] unde ſua quoque, uti ſupra dictum, Orpheus habuit. Hos præceptores cum imitata ſit Pythagoræ ſchola, mirum non eſt, in eodem luto eam hæſiſſe, [t] & eadem ratione de cauſis rerum fuiſſe philoſophatam. Vtrum vero dyas materia ſit Pythagoræ ejusque ſequacibus, & an illa independens a monade principium, ſaltem ei oppoſitum, deſignet,[u] incerta pugna & eventu diſputari, obſcuritas rei ipſa ſatis prodit. Nos, canonis ſemel poſiti memores, diſſentientes veterum explicationes conciliari poſſe non deſperamus, modo notiones diſtinguamus. Si enim ex mente Pythagoreorum idea binarii abſtracta & metaphyſica ad intelligibilia in ſe conſiderata applicetur, dyas principium alterum eſt, ex quo reliqua ſunt intelligibilia, quod Plato mentem divinam mundumque idealem vocavit, tuncque nomina illa binario addita relative ad monadem intelligenda ſunt. Sin principiis phyſicis explicandis adhibeantur, dyas quidem non inepte materia dicitur, verum non nude & in ſe conſiderata, ſed quatenus ex Deo emanans, vel ſecreta, addita ejus vi genitrice, commota eſt ad productionem rerum omnium.[v] Ita enim obſcuriſſima veterum loca lucem capiunt, quamvis non inviti fateamur, adeo tenuia ſibique contradicentia eſſe, quæ de Pythagoræ mente circa materiam veteres referunt, ut certi quid plane definiri nequeat. Certius eſt, Platonicos recentiores, Pythagoræ interpretes ita de numero binario cogitaſſe. Illis enim ſolenne fuit, præciſione mentis neſcio quas ſibi notiones fingere, quæ, rebus ſenſibilibus adplicatæ, alium longe ſenſum induunt, quam ob cauſam obſcuriſſimi & inanes homines ſibi relinquendi ſunt. Sed cum infra de theologia Pythagoræ acturis pluribus hæc tangenda ſint, illis in præſentia non immoramur.

XV. Numerus ternarius primus eſt, qui ſunt actu inæquales; primus item perfectus & medius & proportio, quo potentia monadis ad actionem & extenſionem deducitur.[x] Ita ternarium numerum, ſive τριάδα definiunt *theologumena arithmetica*, quæ, ut apertum, abſtracte eam conſiderant. Quid vero Pythagoras iſta triade ſymbolice intellexerit, definiri ob variam ejus applicationem & incertitudinem explicationum hominum ſequioris ætatis non poſſe putamus. Nam non tantum ad phyſicas doctrinas eam retulit Pythagoras &, teſte GELLIO,[y] ejus numeri cubum vim habere lunaris circuli, dixit, ſed & muſicæ & geometriæ univerſæ poteſtatem ab eo numero dependere, quin etiam rerum ad aſtronomiam cœleſtiumque naturam

r) Phœniciis ſexum in divinis placuiſſe obſervat BOCHARTVS *Geogr. S. l. IV. c. 2. p. m. 242.*

s) Conf. PLVT. *Qq. Sympoſ. l. VIII. q. 1.*

t) ORIG. *philoſ. c. II. p. 39.* conf. WOLF. *ad h. l.* & de *Manich. ante Manich. §. 29. p. 116.*

u) Ita viſum PLVTARCHO *de plac. philoſ. l. I. c. 7* qui materiam bruto & malo dæmone animatam & informem intelligit.

v) Ex his emendanda, vel explicanda potius, quæ in *Amoenit. lit. l. c.* hoc de argumento diximus, & repetiit cel. BEAVSOBRIVS *Hiſt. Manich. T. II. p. 153.*

x) *theologum. arith.* conf. MEVRS. *l. c. c. V. p. 35.* IAMBLICH. *vit. Pyth. c. XXVIII.*

y) *l. I. c. 10.*

turam ac ſcientiam pertinentium vim omnem habere, eamque ad ſubſtantiæ productionem impellere, ſi NICOMACHO [z] fides eſt, tradidit. Sunt, quibus SS. Trinitatis myſterium iſto numero ſubobſcure innuiſſe Pythagoras viſus eſt,[a] quibus ſe jungit RAD. CVDWORTHVS;[b] eos vero vel hoc nomine non audiendos eſſe patet, quod ſententiæ ſuæ non aliud robur afferant, quam quod æque incertum immo falſum eſt, Pythagoram a Iudæis ſanctiores doctrinas didiciſſe. Nec meliora ſunt, quæ pro hac opinione afferenda afferuntur: transſumſiſſe hoc triadis in monade comprehenſæ myſterium Pythagoram ab Orpheo; nam, nec trinitatem Orphicam tantæ vetuſtatis eſſe ſupra evicimus, ut vel ipſi Orpheo, vel Pythagoræ, placere potuerit, nec Platonicorum effatis tantopere fidendum eſt, qui cuncta in rem ſuam vertunt, torquent, rapiunt, ſuasque nugas veterum præcipuis impudenti plerumque mendacio tribuunt. Obſervatque egregie celeberrimus Cudworthi Interpres,[c] ipſam triados Pythagoricæ naturam, quæ rerum omnium initium, medium & finem comprehendere veteribus dicitur,[d] huic aſſerto repugnare. Igitur etiam hanc trinitatem Pythagoricam poſt velum relinquimus. Nomina ternionis ex veteribus collecta exhibet MEVRSIVS,[e] quæ ipſis tenebris obſcuriora ſunt.

XVI. Tetras ſive numerus quaternarius omnium perfectiſſimus eſt, primus item ac primigenius & radix omnium.[f] Celeberrima hæc Pythagoreorum tetractys eſt, tantopere horum hominum laudibus celebrata, tamque diverſe explicata a plerisque, ut facilius noctem diei jungas, quam has interpretationes inter ſe concilies. In numero ſcientifico cur potiſſimum locum occupet, eam potiſſimum rationem affert HIEROCLES,[g] quod denarii vis ſit quaternarius, cum 1.2.3.4 ſimul ſumta, decem conficiant, quodque ſit arithmetica medietas inter unitatem & numerum ſeptenarium, & prima ſolida figura in quaternione inveniatur. Vnde audiendus non eſt celeberrimus olim Ienenſium mathematicus ERHARDVS WEIGELIVS,[h] qui Pythagoram ad quaternionem tantum computaſſe putat, eamque numerandi rationem ingenioſe explicat: decem enim numerorum finem conſtituiſſe Pythagoram, nemo eſt qui ignorat.[i] Quem vero inter ſymbolicos numeros locum quaternario tribuerit Pythagoras, & quid in ejus theologia, phyſiologia & ethica ſignificet, tam diverſis agitatum & diſputatum eſt veterum & recentiorum opinionibus, ut poſt moleſtiſſimum earum omnium examen, multo incertior diſcedas, quid tetractys Pythagorea ſibi velit, quam ante id ſuſceptum fueris. Quidam magni nominis viri, qui Pythagoram a Iudæis purioris doctrinæ ſemina accepiſſe credunt,

z) *l. c.*

a) HVET. *Qq. Alnet. l. III. c. 2. p. m. 93.* aliique concordiæ rationis & fidei aſſertores.

b) *l. c. p. 446. ſeqq.*

c) *Ad h. l. p. 30.*

d) ARISTOT. *de cœlo l. I. c. 1. T. I. p. 337.*

e) *l. c. p. 44.*

f) IREN. *l. I. c. 1.* conf. MEVRS. *l. c. p. 47.* ORIG. *philoſ. p. 33.*

g) *Ad aur. carm. v. 47. p. 227.* ejus rationes caſtigat CVDWORTHVS *l. c. p. 449. ſeq.*

h) In *tetracty Pythagorica*, & *Aretologiſt. p. 350. ſeqq.* conf. IOH. WALLIS. *Opp. T. I. p. 65. ſ.* STVRMIVS *Matheſ. enucl. p. 6.*

i) Conf. FABRIC. *Bibl. Græc. Vol. I. p. 458.*

innuiſſe eum putant,[k] venerabile nomen tetragrammaton, יהוה, illudque ſacroſanctum ſuis colendum præcepiſſe contendunt. Aliis, quibus, tanquam fabula, recte rejicitur, Pythagoram aliquid a Iudæis accepiſſe, hæc ſententia exploditur,[l] quid vero ſtatuant de *ipſa* tetracty, incerti hærent. Sunt, jam a PLVTARCHO[m] memorati, qui quatuor animæ facultates, ex quibus veluti partibus animam humanam componebant, intelligi volunt, quamquam incerti ſint, quas facultates virtutesve animi intelligere debeant. Alii ad animam mundanam,[n] alii ad quatuor virtutes cardinales[o] Pythagoreos reſpexiſſe autumant. Alii, qui Empedoclem ad hanc tetractyn potiſſimum reſpexiſſe obſervant, quatuor elementa, ex quibus ille animam conflatam fuiſſe, quæque æternæ naturæ eſſe ſtatuit, illum intellexiſſe putant.[p] Alia ſententiarum divortia & diverſiſſimas opiniones, ne nimii ſimus, præterimus. Et hi quidem omnes, etſi tanto opinionum intervallo inter ſe diverſi, ad notiſſimos verſiculos aurei carminis provocant,

Οὐ μὰ τὸν ἁμέτερα ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν
Παγᾶν ἀενάου φύσεως, ῥίζωμά τ' ἔχουσαν

qua ratione eos legit SEXTVS EMPIRICVS[q] tam diverſa enim duorum horum verſuum lectio eſt, ut diverſæ quoque inde exſculptæ ſint non verſiones tantum, ſed & explicationes: quas referre, &, quibus ſingulæ premantur, difficultates exponere, nec otii, nec inſtituti noſtri eſt, pleraque nervoſe & breviter complexus eſt MOSHEMIVS.[r] Ipſa tot ſententiarum divortia ſatis produnt, obſcuriſſimum ænigma conjecturis incertis non tam ſolvi, quam potius implicatius reddi. Nec, ut verum candide & modeſte fateamur, nos meliora habemus, quæ lectori propinemus, malumusque noſtram fateri ignorantiam, in rebus quas ipſe magiſter neſcire alios voluit, quam incertis conjecturis lectori noſtras opiniones pro Pythagoreis obtrudere: qua in re magni viri, multæque in veterum rebus eruditionis, IACOBVS THOMASIVS & IOH. LAVR. MOSHEMIVS[s] nobis exemplum præiverunt. Pauca tantum adjicimus, quæ veriſimilitudinis leges non migrare, ſupra poſita probant. 1. Non eſſe verſiculum hunc ab ipſo Pythagora, ſed a Pythagoreo quodam: hi vero cum puras non ſervaverint doctrinas præceptoris, ſed ex ſuo ingenio multa vel adjecerint vel mutaverint, cujus exemplum Empedocles eſſe poteſt; ſequi inde, quod ex hoc ipſo verſu de tetracty Pythagoræ judicium ſatis accuratum formari nequeat. 2. Admiſſo etiam verſiculo tanquam

k) HVET. *Dem. Ev. Pr. IV. c. II. §. 8. p. m. 53.* CVDWORTH. *l. c.* SELDEN. *de Diis Syr. l. II. c. 1. p. 20.* IAC. LYDIVS *de Iuram. l. III. §. 2. p. 302.* conf. quos nominant THOM. BVRNET. *Archæol. philoſ. l. I. c. 11. p. 428.* MOSHEM. *ad l. c. Cudworthi.*

l) HENR. MORVS *defenſ. Cabb. philoſ. c. II. p. 125. ſeq.* MOSHEM. *l. c.* cl. IOH. FR. HOMBERGK *de Themide p. 155.*

m) *De plac. philoſ. l. I. c. 3. conf.* IAC. THOMAS. *de exuſt. mundi Stoica diſſ. XXI. p. 251.*

n) GASSENDVS *Phyſ. S. I. l. I. c. 5. T. I. Opp. p. 157.* inclinat huc etiam THOMASIVS *l. c.*

o) FABRICIVS *proleg. ad* MARINI *vitam Procli.*

p) Conjectura hæc eſt MOSHEMII *l. c. p. 452.*

q) *Adv. Math. l. IV. ſ. 3. l. I. adv. Log. ſ. 94.* aliter legunt IAMBLICH. *de vit. Pyth. c. XXVIII.* aliter *theolog. arithm. p. 20.* aliter MACROBIVS *Somn. Scip. l. I. c. 6.* alii aliter.

r) *l. c. p. 451. n. 37.*

s) *ll. cc.*

quam genuino, incertum esse, num ista tetractyos traditio, & juramentum per tradentem factum, ad Deum animæ istud quaternionis principium infundentem, vel ad Pythagoram, ejus notitiam discipulis facientem referendum sit; per Pythagoram enim ejus assectas juravisse, supra jam docuimus. [t] Aeque vero incertum esse, num in illis versiculis, vox ἔχεσαν, ad παγὰν, vel ad τετράκτυν referatur, adeoque tetractys a Deo, fonte æternæ naturæ distinguenda sit, nec ne? 3. Probabile porro esse, Pythagoram & sequaces quaternionis symbolo non solum in describendis Dei tum attributis, tum emanationibus, sed & in delineandis animi quoque quin & rerum naturalium proprietatibus tanquam numero symbolico usos fuisse; nec a scopo tantopere aberrare eos putamus, qui inde tot diversas de tetracty Pythagorica sententias ortas esse statuerint. 4. Operam itaque atque oleum eos perdere, qui lucem tetracty Pythagoricæ affundere, & rem obscurissimam in claritate majore ponere laborant. Quare & lectorem his non amplius detinemus, monitum, ut imprimis a Platonicis recentioribus sibi imponi non patiatur, qui omnia alia, quam γνησίως Pythagorica nobis exhibent.

XVII. Pentas numerus primus complexus est omnis numeri speciem, parem & imparem, binarium nempe & ternarium. [u]

XVIII. Numerus senarius perfectus est. [x] Creationem mundi innuisse vult CLEMENS ALEXANDRINVS, [y] qui commune PP. præjudicium sequitur, Pythagoram fuisse discipulum Iudæorum. Eo vero numero sanitatem quoque significasse, LVCIANVS [z] indigitat, qui triplicis trianguli inter se alternatim juncti figuram ad suos in literis præfixisse, & ita sanitatem precatus fuisse ait.

XIX. Septenarius numerus, venerabilis est, perfectus, & rebus sacris quam maxime convenit. [a] Propter perfectionem septimestres quoque partus vivere statuebant, de qua opinione dignus est qui legatur LAVR. RAMIREZ DE PRATO. [b] Aliis tamen inter gentiles Aegyptiacam opinionem sequentibus, ater & infelix visus est, hincque intermissi labores: quæ ad seram istam numeri hujus rationem revocanda non sunt, vel sabbathum aliquod inde gentile exsculpendum. [c] Nomina hujus numeri post Nicomachum vide apud MEVRSIVM. [d]

XX. Octonarius primus cubus est, & solus, in decem, numerus par in pari. [e]

XXI.

t) HIEROCLES *l. c.* IAMBLICH. *vit. Pyth. n. 150. 162.*

u) Conf. MEVRS. *c. V.* THEON *mathem. Platon. c. 44.*

x) IDEM *l. c.* y) *Strom. l. VI. p. 683.*

z) *De lapsu inter salut. T. III. p. m. 198.* VOSSIVS *de idololatr. l. IX. c. 36.*

a) *Nicomach. ap.* PHOT. *l. c. Theolog. arithm.* MACROB. *l. I. c. 6.* MEVRS. *l. c.*

b) In *Pentacontarcho p. 24.* ed. Fabric.

c) De septenario numero veterum sententias X VARRONIS libro *de hebdomadibus* exponit GELLIVS *l. III. c. 10.* septimum numerum ante Pythagoram sacrum fuisse, ex Homero & Hesiodo apud CLEM. ALEX. *Strom. l. V.* EVSEB. *præp. l. III. c. 12.* patet. Ab Aegyptiis Planetarum ordinem sequentibus derivat VOSSIVS *de orig. idol. l. II. c. 34. p. 489.* alii ex Sabbatho in paradiso instituto, vid. MORHOF. *polyhist. T. I. l. I. c. 12. p. 118.* incerto omnes fundamento. conf. I. I. SYRBIVS diss. *de Sabbatho gentili*, MARSHAM. *Can. chron. Sec. IX. p. 197.*

d) *l. c.*

e) *theol. arithm.*

XXI. Enneas eſt primus ab impari quadratus.[f]

XXII. Numerus maximus denarius eſt, qui & quaternarius eſt, & rationes tum numerales tum harmonicas omnes continet.[g] Ad decem enim numerantes pedem ad unitatem referunt.[h] Hinc abacus Pythagoricus.

XXIII. Ex arctiſſima inter Deos & numeros amicitia oritur Arithmomanthia, ſive divinatio ex numeris, qua Pythagoras uſus eſt, & quem Abarim quoque docuit.[i] Cujus fundamentum in connexione ſubſtantiarum inter ſe omnium intellectualium, ſive deorum & dæmonum conſtitutum explicat fragmentum ἱερὸς λόγος, quod affert IAMBLICHVS.[k] Pleraque vero vel ad ſuperſtitionem, vel ad fraudes & mendacia pertinuiſſe, dubitari nequit, unde explodendi ſunt, qui neſcio quæ myſteria Pythagorica ex numeris ad divinandum quoque apta ex recentioribus ſomniant.[l]

Muſica. §. XIX. Poſt arithmeticam muſicæ potiſſimam rationem habebat Pythagoras in præexercitationibus philoſophicis, eam enim ad καθάρσεις referebat, quibus animum ſanare & ab affectuum morbis repurgare contendebat, quod qua ratione fecerit, IAMBLICHVS [m] exponit, qui videndus. Mane itaque & veſperi diſcipulos ea uti juſſit, ut ſupra pluribus docuimus. Enatus hinc iis, qui Pythagoream doctrinam explicare conati ſunt, latiſſimus de muſica Pythagoreorum dicendi campus, quæ tamen ejusdem ſunt, ac ſuperiora, commatis, & poſteriorum temporum cogitata pro vetuſtiſſimis Pythagoricis nobis venduntur. Summam tamen eorum audire operæ pretium eſt, ut de re ipſa conſtet, prolixiora & ſpecialiora in hiſtoria muſices & ſcriptoribus veteribus quærenda ſunt, qui de muſica ſcripſere,[n] quibus noſtri inſtituti hujusque loci non eſt diu immorari. Placuiſſe vero Pythagoræ & diſcipulis veteres referunt:

I. Muſica eſt contrariorum apta compoſitio multorumque adunatio & diſſentientium conſenſus.[o]

II. Muſica judicanda eſt non ſolo auditus monito, in ſonituum differentiis percipiendis, ſed proportionibus accommodandus eſt intellectus, quæ ſæpe minus ſenſuum perceptioni conveniunt, ſed ratione comprehenduntur.[p] Ita Pythagorica muſicorum familia philoſophica ratione artem perſequens, ab Ariſtoxenia ſe diſtinguebat, quæ ſenſu harmoniam dijudicabat, eaque ex cauſa Pythagoreos ridebat, hocque proportionum criterio opprobrium, teſte PTOLOMAEO,[q] iis faciebat. Ariſtoxenus vero non Ari-

f) *ibid.*
g) ATHENAG. *leg. pro Chriſt. p. m. 6.* ed. Par.
h) PLVTARCH. *de plac. phil. l. I. c. 3.*
i) IAMBLICHVS *c. XXVIII. n. 146.*
k) *l. c.*
l) PETRVS BVNGVS in *myſterio numer.* conf. IOH. ANDR. SCHMID *de geomantia pulveri inſcripta p. 13.* CASP. PEVCERVS *de variis divinandi generibus p. m. 179. ſeqq.* pertinet huc ſphæra Pythagorica divinatoria, quam ab APVLEIO, ut fertur, Latine redditam affert CASP. BARTHIVS *adverſ. l. XXX. c. 7.*
m) *c. XXV. n. 110.* conf. BVDDEVS diſſ. *de* καθάρσει *philoſoph. Anal. hiſt. phil. p. 373. ſeqq.*
n) Veteres & recentiores de muſica veteri ſcriptores diligenter more ſuo enarrat I. A. FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 257. ſeqq.* Inter illos eminuere Pythagorei, conf. editores muſicorum veterum MEVRSIVS, WALLISIVS, MEIBOMIVS, & VOSSIVS *de ſcient. mathem. c. XXII. §. 4. ſeqq. p. 93. ſeqq.*
o) THEON SMYRN. *mathem. Plat. c. I. p. 15.*
p) PTOLOMAEVS *harm. c. x.*
q) *l. c.*

Ariſtotelem tantum audivit, ſed etiam Pythagoricis præceptis imbutus fuit, & de hiſtoria quoque Pythagorica egregie meruit, licet ab utraque, in qua inſtitutus erat, ſecta diſcederet. [r]

III. Certis itaque & immutabilibus regulis & canonibus inædificanda muſices harmonia eſt, unde & canonica dicitur, non ab inſtrumento, quod canon dicitur, ſed a rectitudine, quoniam ratio rectum invenit, harmonicis canonibus ſive regulis uſa. Eſt itaque, ſi Pythagoricum ſermonem reſpicias, canonicus generatim loquendo harmonicus, qui ratiocinatione occupatur circa id, quod ex harmonia conſiſtit: & ut muſicus harmoniæ initium a ſenſu ducit, ita canonicus a regulis & ratiocinatione circa proportiones occupata. [s]

IV. Vocis duæ ſpecies ſunt, una continua altera intervallis procedens. Illa, quæ manifeſtas atque inter ſe diſtinctas ſonorum tenſiones non reddit, utimur loquentes ac legentes; hæc in cantu uſurpatur, & in omni ſono ſiſtitur, ac manifeſtam reddit, quæ in omnibus partibus eſt, mutationem. [t]

V. Nomina ſonorum ab illis in cœlo verſantibus ſeptem ſtellis, terramque circumeuntibus ſunt appellata; ex ipſo enim circumductu orbium ſonus naſcitur, ac ſtrepitus; isque eſt vel magis fluctuans, aut contra magis reluctans, adeoque magnitudine & celeritate vocis & loco inter ſe diverſus. Sonus vero hic, quia ictum certa numerorum obſervatio moderatur, cunctis divinis legibus & ſtata ratione procedentibus, modulamen dulce & muſicum efficit. [u] Hæc Pythagoram auditu percepiſſe jactabant vaniſſimi homines, [x] primumque tradidiſſe. Inde factum, ut conſonantiarum ſoni planetis applicarentur, quæ PTOLOMAEVS & NICOMACHVS prolixe explicant, qui videndi.

VI. Arithmeticæ harmoniæ proportiones ſunt diapaſon, diapente, diatesſaron: Quas qua ratione invenerit Pythagoras, ita narrant veteres: [y] meditabundus aliquando, num auditui aliquod excogitare poſſet adminiculum firmum ac erroris expers, prope fabri ferrarii officinam obambulans audivit malleos ſuper incudem ferrum emollientes, ſonosque congruos red-

r) Ariſtoxenus Tarentinus, Spinthari muſici filius, patris primum & Lamprii Erythræi diſcipulus, inde Xenophili Pythagorici & demum Ariſtotelis, qui cum in ſucceſſione ſcholæ ei Theophraſtum prætuliſſet, adeo eum offendiſſe dicitur SVIDAE in Ariſtox. *T. I.* ut peſſime de eo defuncto dixerit, cujus tamen contrarium teſtatur Ariſtocles apud EVSEB. *præp. l. XV. c. 2.* ejus elementa harmonica poſt MEVRSIVM debemus M. MEIBOMIO inter *ſeptem muſicos veteres T. I. Amſt. 1652. 4.* Animam nihil eſſe niſi harmoniam affirmavit. Scripſit *βίας ἀνδρῶν vitas virorum*, id eſt, Pythagoreorum, Pythagoræ, Archytæ, Hipponis, Xenophili & aliorum, vid. VOSSIVS *de hiſt. Græc. l. I. c. 9.* IONSIVS *de Script. hiſt. philoſ. l. I. c. 14. p. 72.* FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 255.* qui de ſcriptis ejus deperditis agunt. GELLIO *N. A. l. IV. c. 11.* audit *vir literarum veterum diligentiſſimus*, PLVTARCHVS vero, *quod non liceat ſuaviter vivere ſec. Ep.* non ſine magna voluptate legi poſſe ejus vitas aſſerit, conf. quos laudat MATTHESONIVS in *der Orgelprobe præf. p. 22. ſeq.*

s) PORPHYR. in *Harm. Ptolom.*

t) NICOMACH. *manual. harmon. l. I. c. 2. p. 2. ſeq.*

u) *ibid.* conf. VOSSIVS *de ſcient. math. c. XX. p. 81.*

x) IAMBLICH. *vit. Pyth. c. XIV. n. 65.* conf. GEBHARDVS *de harmonia cœlorum Pythagorica.*

y) CENSORIN. *de die nat. c. 10.* BOETH. *de muſic. c. 10.* MACROBIVS in *ſomn. Scip. l. II. c. 6.* NICOMACH. *l. c. c. 6. n. 10.* GAVDENT. *iſag. harm. p. 13.* IAMBLICH. *l. c. c. XXVI. n. 115.* aliique. Nos Nicomachum & Iamblichum ſequimur.

reddentes, una tantum conſonantia excepta: & agnovit in illis concentum diapaſon, & diapente, & diateſſaron, illum vero, qui inter diateſſaron & diapente medius eſt, vidit inter ſe quidem ſymphoniæ expertem eſſe, ſupplere autem, quod in iis exuberat. Ingreſſus itaque in officinam variis experimentis cognoſcit, ſoni diverſitatem naſci ex malleorum magnitudine, non ex cudentium viribus vel ferri converſione vel figuris malleorum. Ponderibus itaque malleorum maxime æqualibus accurate exploratis domum rediit, unicumque paxillum parientibus ab angulo ad angulum infixit, deinde ab hoc paxillo quatuor chordas ejusdem materiæ & magnitudinis atque craſſitiei & æqualiter contortas ex ordine ſuſpendit, ſingulisque ſingula pondera ab infima parte alligavit, cumque ita longitudinem fidium omni modo exæquaſſet, binas ſimul chordas alternatim pulſans dictam conſonantiam invenit. Nam illam, quæ maximo pondere 12. tendebatur, cum ea, quæ minimum pondus 6. habebat, ſimul pulſam diapaſon reſonare deprehendit. Porro maximam illam, ad minimæ proximam 8. pondera habentem, diapente conſonare obſervavit; unde hanc in ratione ſesqui altera (ἐν ἡμιολίῳ) conſtituit. Ad eam, quæ huic proxima, quoad gravitatem, iſta minorem, ſed reliquis majorem, quæ novem pondo eſſet, ipſam diateſſaron efficere, & proportionem habere ad chordam 12. ponderum ſesqui tertiam, ad chordam minimam 6. ponderum, ſesqui alteram. Quod itaque eſt inter diapente & diateſſaron, hoc eſt, quo diapente conſonantia ſuperat diateſſaron, confirmabatur eſſe in ſuperoctava ratione, in qua novem octo, & utrinque probabatur quod concentus diapaſon, qui ſyſtema dicitur, eſſet contextus quidam junctis diapente & diateſſaron ut dupla ratio ſyſtema eſt ſeſqui altera & ſuper tertiæ in his numeris 12. 8. 6. aut contra ipſius diateſſaron & diapente, ut duplum, ſuper tertii & ſesqui alteri, ut puta in tali ordine 12. 9. 6. Hac via proportionum ratione ſtabilita facili artificio illam communem paxilli, qui duobus parietibus ab angulo ad angulum affixus erat, lineam, ex qua chordæ religatæ erant, transtulit ad caput inſtrumenti, quod chordotonon vocabat; chordas vero clavorum ſuperiorum, commenſurata ad ponderum proportionem eorundem converſione, intendebat: hacque norma uſus, ad varia deinceps inſtrumenta experimentum applicabat, eamque ubivis proportionum deprehendebat conſonantiam. Nominabat autem hypatem ſonum numeri ſenarii participem, meſen, octenarii, qui illius exiſtit ſupertertius; parameſen vero novenarii quidem participem, tono autem acutiorem, quam eſt meſe, atque illius ſuperoctavam; neten denique de duodenario participantem; cumque compleviſſet ſonis proportionalibus ſecundum genus diatonicum interjecta ſpatia, octo chordarum compaginationem conſonis numeris ſubjecit, duplo, ſesqui altero, ſupertertio, atque horum differentiæ ſuperoctavo. Chromaticum vero genus & enharmonicum ex hoc declaravit. Ex his patet:

VII.

VII. Genera tria ſunt, diatonicum, chromaticum enharmonicum, quorum naturam & indolem muſici veteres editi a MEIBOMIO prolixe deſcribunt: [z] qui tamen in quibusdam inter ſe diſſentiunt.

VIII. Generis cujusvis gradus & progreſſus quidam naturales ſunt, & diatonici quidem hi: hemitonium, deinde tonum, atque hoc eſſe diateſſaron ſyſtema duorum tonorum, & hemitonii: Deinde adſumto alio tono, hoc eſt eo, qui eſt, interpoſitus, diapente fieri ſyſtema, trium tonorum quod ſit & hemitonii. Deinde huic hemitonium & tonum, aliud diateſſaron hoc eſt, ſupertertium. Vt in Pythagorica lyra, quæ eſt octo chordarum, quæque aut ſecundum conjunctionem ſyſtema quoddam exiſtit tetrachordi, & pentachordi: aut ſecundum disjunctionem duorum tetrachordorum tono inter ſe invicem ſeparatorum, a graviſſimo ſono progreſſus ſit ille, ut quinti a ſe ſoni invicem omnes diapente conſonent, hemitonio pedetentim in quatuor regiones tranſeunte, in primam nempe, ſecundam, tertiam, quartam. [a]

IX. Muſicæ ſublimitas, ut per numeros magis, quam ſenſu percipiatur, canon monochordi probe diſcendus eſt. Hoc præcepiſſe ſuis Pythagoram moribundum refert ARISTIDES; [b] nam illius inventum fuit; quapropter Arimneſtus, Pythagoræ filius tabulam æneam in templo Iunonis dedicavit, cui præter alias artes canon quoque muſicus inſcriptus fuit, ſublatus poſtea a Simo muſico, qui ſibi canonem vindicans, tanquam inventum ſuum publicabat. [c]

X. Cantibus & rythmis aptaque certorum modorum modulatione mores atque affectus emendantur, animorumque facultatum harmoniæ ad ordinem primigenium revocari poſſunt, ſicque medela corporis & animi morbis afferri. Hoc non tantum docuiſſe ait IAMBLICHVS, [d] Pythagoram diſcipulos ſuos, ſed iis quoque certos attactus & apparatus muſicos (ἐξαρτύσεις καὶ ἐπαφὰς) præſcripſiſſe, ac divina quadam ratione modulationes quasdam diatonicas, chromaticas & harmonicas ita attemperaviſſe, ut illis facile in contrariam flecterent partem & circumagerent vehementiores animæ affectus, convenienti modulatione veluti medicamine ſalubri temperatos. Ex quibus clarum eſt, non in ſolis modis eorumque uſu, ſed ipſis potius melodiis earumque attemperatione hos effectus muſicæ poſuiſſe Pythagoram, quæ cum hodie ignorentur, fruſtra diſputatur, qua ratione

z) Videndus imprimis ARISTIDES *de Muſic. l. I. p. 18. 19.* cui harmonia appellatur *illud genus, quod minimis abundat intervallis, a coagmentando dictum. Diatonum, quod tonis abundat, quandoquidem in ipſo vox vehementius diſtenditur. Chroma, quod per hemitonia contenditur.*

a) NICOMACH. *l. c. p. 14.* quæ ut intelligantur, veteris muſicæ notitia requiritur, cui præter alios a FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 270. ſeq.* & MATTHESONIO *l. c.* allegatos lucem affundunt MAR. MERSENN. in rariſſimis *Q q. in Geneſ. p. 1515. ſeqq.* & in *octo harmonicorum libris, quatuorque de inſtrumentis muſicis Pariſ. 1648. fol.* & *de harmonia ib. 1644. 4.* & IO. BAPT. DONI *de præſtantia muſicæ vet. Rom. 1635. 4.* & *annot. in eum ib. 1640. 4.* IO. FELLVS *de muſica antiqua Græca ad calc. Arati Oxon. 1672. 8.* editi.

b) l. c. l. III. p. 116.

c) PORPHYR. *n. 3.* HOLSTEN. *ad h. l.* LAERT. *l. VIII. ſ. 12.*

d) c. XXV. n. 65.

effectus tam mirabiles, quales veteres referunt musica vetus sortita sit. [e] Errare vero eos, inde quoque manifestum est, qui diversorum modorum effectus, quantitatibus graduum localibus tonorum vel hemitoniorum tribuunt, licet multi veterum ita loqui videantur, cum potius ad diversa genera cantionum, earumque qualitatem moralem referendi sint. [f] Tropi quidem, definiente BOETHIO [g] sunt constitutiones in totis vocum ordinibus vel gravitate vel acumine differentes, quæ vero qualitatibus, ordine, mensura & his similibus quam maxime variant. Ceterum, observante PORPHYRIO [h] habuit Pythagoras certa carmina peculiaria, quibus corporum morbis medebatur, quæ tamen non ad nudos musicæ effectus, sed etiam ad ἐπῳδὰς referenda sunt. Incantationibus enim & magicis carminibus usum esse, ipse tradit hoc loco Porphyrius. Dorium vero modum præ ceteris adhibebant Pythagorei. Ridet hanc medicinam musicam more suo SEXTVS EMPIRICVS, [i] in dubium vocat cl. STOLLIVS. [k]

XI. Lyra philosophanti utendum, non tibia, quæ aliquid molle & pompæ accommodatum liberisque hominibus indignum resonat. [l]

XII. Imprimis mane ac vesperi musica animus repurgandus est. Fuisse hanc consvetudinem inter Pythagoreos receptam, supra observavimus. [m]

Geometria. §. XX. Præter arithmeticam & musicam magnum quoque pretium geometriæ Pythagoras statuit, quam cum didicisset in Ægypto, ipse primus inter Græcos ad quandam perfectionem perduxit. Exilia enim fuisse, præcipue quæ theoreticam geometriam concernunt, quæ a Mœride reperta tradebant Ægyptii, primo libro luculenter demonstravimus, & ex inventis quoque Pythagoræ geometricis patet, quæ Ægyptios latuisse oportet. IAMBLICHO [n] itaque nescio quæ geometrica mysteria quæ in Ægypto Pythagoras didicit, crepanti, fides habenda non est. Verisimiliora sunt quæ tradit, accepta ab Ægyptiis auxisse, & discipulis tradidisse, quo forte sensu accipiendus est PROCLVS, [o] qui affirmat, primum eum geometriam in formam scientiæ redegisse, principiis ejus inde a primis initiis consideratis. Ante Pythagoram enim præter Ameristum & Hippiam, Thales in eo studio fuerat versatus, ut hujus libri capite primo observatum. Quod enim Thales in Ionia fecit, Pythagoram feciſſe in magna Græcia omnino probabile est; quanquam, si verum sit, Pythagoram audivisse Thaletem, ad hunc initia, ad illum perfectior constitutio geometriæ theoreticæ referri debet. [p] Conjunxit vero Pythagoras numeros cum figuris geometricis, ut

e) Multa hac de re affert MERSENNVS *Qq. in Genes. p. 1530. seqq.* exempla habes apud SENEC. *de ira l. III. c. 9.* AELIAN. *l. XIV. c. 23.* IAMBL. *vit. Pyth. n. 112.* PORPHYR. *n. 30.* QVINTIL. *l. I. c. 10. l. IX. c. 4.* SEXTVM EMP. *adv. Math. l. VI. s. 8.*

f) Legi merentur, quæ erudite hac de re disputat MATTHESONIVS *l. c. §. 67. seqq. p. 30. seqq.*

g) *Lib. IV. c. 14.*

h) *l. c.*

i) *l. c. s. 23.* effectum tamen negare non audet.

k) *Hist. phil. mor. gent. §. CXXIV. p. 215.* conf. MERSENNVS *l. c. p. 1533.*

l) IAMBLICH. *l. c. n. 111.* SENECA *de ira l. III. c. 9.*

m) *ibid.* conf. SCHEFFER. *l. c. c. XIV. p. 166.*

n) *c. XXIX. n. 158.*

o) In *Euclid. l. II. præf. p. 19.*

p) Conf. VOSSIVS *l. c. c. XIII. p. 49.* & *addend. p. 433.*

ut rerum principia adumbraret, hinc ſtatuit, ſi fides PROCLO, [q] cui pleraque debemus:

I. Punctum proportione unitati, lineam binario, ſuperficiem ternario, corpus quaternario reſpondere.

II. Punctum eſſe unitatem habentem poſitionem.

III. Lineam binarium eſſe, quia ſecunda ſit, atque prima ab indiviſibili motione.

IV. Superficiem ternario ſimilem eſſe, quoniam omnes figuræ ſuperficiei primam triada agnoſcant.

V. Circulum, qui rotundarum figurarum princeps eſt, triadem occulte complecti, centro ſpatio, & circumferentia. [r]

VI. Triangulum manifeſte ternario contineri, adeoque ſimpliciter eſſe principium generationis & formationis generabilium, & proportiones omnes, naturales æque ac elementorum conſtitutionis eſſe trigonas. Plura addit Proclus, ut rebus naturalibus hæc applicet, quæ luculenter ejus ingenium ad tricas maximopere inclinans, redolent.

VII. Quadratum divinam præcipue repræſentare eſſentiam, eo enim maxime purum ſignificari ordinem atque intemeratum. Pertinent huc etiam theoremata a Pythagora, forte a diſcipulis etiam, inventa, qualia ſunt. [s]

VIII. Sola hæc tria polygona totum ſpatium circa aliquod punctum implere triangulum æquilaterum, & quadratum & hexagonum æquilaterum & æquiangulum.

IX. Triangulum quodvis angulos internos æquales habere duobus rectis.

X. In triangulo rectangulo quadratum, quod imponitur lateri angulum rectum ſubtendenti, æquale eſſe quadratis, quæ imponuntur lateribus angulum rectum continentibus. Hoc theoremate invento hecatomben Pythagoram ſacrificaſſe Muſis, refert Apollodorus, [t] PLVTARCHVS [u] bovem, PORPHYRIVS [x] bovem ex farina confectum, quod cruenta ſacrificia offerre non ſoleret. Qua ratione ſtatuam Herculis aſſecutus ſit narrat GELLIVS [y] qui videndus.

§. XXI. In Aſtronomia hæc placuiſſe, ſi non ipſi Pythagoræ, quod tradunt, certe Pythagoreis, veteres referunt: *Aſtronomia.*

I. Tria eſſe, quæ cœli nomine dicuntur. Primo quidem ipſam ſphæram inerrabilem ſive firmamentum, ſecundo, diſtantiam illam, quæ eſt a firmamento usque ad lunam; tertio univerſum mundum, cœlum ſcilicet & terram. [z]

q) In *Euclid. l. III.* ex quo potiora refert STANLEIVS *Hiſt. philoſ. P. VIII. p. 741. ſeqq.*

r) Latentes virtutes geometricas in rebus naturalibus qua ratione expreſſerint, videſis PSEVDOORIG. *philoſ. c. II. p. 35.* quos ideo recte ridet BVRNETIVS *Archæol. phil. l. I. c. 13. p. 425.*

s) PROCLVS *l. c. p. 81. ſeqq.*

t) LAERT. *l. VIII. ſ. 12.* VITRVVIVS *Archit. l. IX. c. 1.*

u) *l. ſupra cit.*

x) *n. 36.*

y) *Lib. I. c. 1.*

z) Anonymus PHOTII *l. c.*

II. Decem esse sphæras cœlestes (duodecim enim, qui narrat, Anonymus PHOTII audiendus non esse videtur) quarum novem tantum oculis nostris pateant, stellarum nempe fixarum, septem planetarum, & terræ nostræ; decimam ἀντίχθονα esse, id est oppositam terræ nostræ. [a] Quid vero antichthon Pythagoreorum sit, & an cœlum, [b] vel luna, quod post veteres quosdam [c] placet BVRNETIO [d] & BVDDEO, [e] an aliud, erudite disquirit, veterumque ea de re diversas exponit opiniones IAC. THOMASIVS, [f] qui legendus. Quod si SIMPLICII [ff] hac de re cogitata, quæ omnium proxime veritati accedere videntur, sequimur, Pythagorei, cum in cœlestibus quoque propter harmoniam mundi universalem numerorum elementa quærerent, & decadem perfectissimam omnium ponerent, novem, quas videmus sphæris addidere decimam, antichthona, terræ nostræ oppositam, ut totum æqualiter compactum deprehenderetur, [g] licet nec vidissent, nec scirent, qualis ἀντίχθων illa esset. Ejusmodi enim notiones & ideas nihili sæpissime excogitavit arrogans ignorantia & δειλεῖα τῆς ὑποθέσεως.

III. Medium in mundo locum ignem obtinere, vel, ut STOBÆVS [h] exprimit, in medio quatuor elementorum igneum unitatis globum esse, circa quem reliquæ mundi partes moventur atque volvuntur.

IV. Terram immotam non esse, neque in medio globi positam, sed suspensam, quippe quæ sit ex sideribus circa positum in medio ignem actis, hoc ipso motu diem noctemque efficiens. Nobilis & decantata hypothesis, quam post Nicolaum Copernicum totus fere hodie recepit orbis mathematicus. Eam Philolao quidam tribuunt, sed receptum in schola Pythagoræ dogma fuisse, PLVTARCHI [i] & aliorum testimonia evincunt, Philolaus vero primus, ut alia quoque, vulgavit, [k] ex quo passim veteribus receptum fuit. Male itaque SIMPLICIVS, [l] ut malesano, cui adhærebat, syncretismo faveret, per istum ignem vim procreantem, nutrientem, excitantem intelligi, quæ medio insit terræ contendit. Ille enim ipsius ARISTOTELIS testimonio facile refutatur. Quod si CLEMENTI ALEXANDRINO [ll] fides est, hanc hypothesin in Ægypto didicit Pythagoras, ubi scarabeus globum ex fimo formatum volvens, eam significasse dicitur.

V. Magnum annum Saturni ambitu definiri, qui XXX. annis cursum absolvit, ut Iupiter XX. Mars II. Sol I. parique spatio Mercurius & Venus, Luna menstruo. [m] Sed & methodum planetarum anticipationes & retardationes

a) PLVT. *de an. procreat. T. III. p. m. 98. seqq.*
b) CLEM. ALEX. *Strom. l. V. p. 614.*
c) SIMPLICIVS *ad* ARIST. *de cœlo l. II. c. 13.*
d) *Archæol. philos. l. I. c. XI. p. 424.*
e) *Hist. phil. c. III. §. 41. p. 102.* Huic opinioni obstat, quod antichthon nostris oculis non exposita sit sec. Pythagoreos.
f) *Obs. Hal. Lat. T. IV. obs. 191. §. 28, 29.*
ff) *l. c. p. 113.*
g) ARISTOT. *l. c. T. I. p. 363.*
h) *Eclog. physic. l. I. c. XXV. p. 7.* ubi tamen ignis ille universalis ab igne extremo distinguitur. Quod ex Empedoclis hypothesi de duplici sole lucem capit, de quo infra.
i) *In Numa T. I. p. m. 123.* Philolao vero adscribit *de placit. phil. l. III. c. 12.* & LAERT. *l. VIII. s. 85.*
k) Conf. VOSSIVS *de sectis c. VII. §. 41. de scient. math. c. XXXIII. §. 8.* ANONYM. *Photii l. c.*
l) *l. c.*
ll) *Strom. l. V. p. 556.*
m) ANONYM. *Photii l. c.*

dationes atque anomalias per eccentricitates & epicyclos explicandi quidam ad Pythagoram referunt, [n] alii Eudoxum inventorem faciunt.

VI. Planetas motum habere εὔρυθμον & intervalla muſicis diaſtematis congrua, ſonitusque varios reddere, pro ſua quemque actitudine, ita concordes, ut dulciſſimam quidem melodiam concinant, ſed nobis auditu non perceptibilem, propter vocis magnitudinem. Id qua ratione computaverit Pythagoræ ſchola, apud CENSORINVM [o] legi poteſt, qui tamen aliter rem explicat, quam PLINIVS. [p]

VII. Venerem & phoſphorum & heſperum eſſe. Ejus naturam Pythagoram primum detexiſſe ait PLINIVS, [q] quo cum conſentit LAERTIVS: [r] illum tamen, dum Olymp. XLII. id factum eſſe contendit, erraſſe, ex iis manifeſtum eſt, quæ ſupra de Pythagoræ ætate diſputavimus. Sed & alia inventa tribuunt Pythagoræ veteres. Ita enim primus obliquitatem eclipticæ obſervaſſe dicitur PLVTARCHO, [s] quod alii Anaximandro alii Oenopidæ Chio [ſ] tribuunt, idque forte, ſuo de quovis loco, recte.

VIII. Lunam ceterosque globos planetarum habitabiles eſſe. Inter doctrinas Orphicas hanc quoque ſupra retulimus, ex quo forte fonte eam hauſit Pythagoras. [ſſ]

IX. Eſſe antipodas, quibus ſuperius ſit, quod nobis infra. [t] Platonem tamen antipodas primum deſignaſſe, ſupra idem LAERTIVS nos docuit.

§. XXII. Hiſce diſciplinis propædeumaticis præparatos diſcipulos ad ipſa philoſophiæ adyta ducebat, & arcanam ſapientiam iis tradebat, de rebus tum divinis tum naturalibus, tum moralibus & humanis differens. [u] Antequam vero placita, quæ Pythagoræ in ſingulis philoſophiæ partibus tribuuntur, recenſemus, prius, quid de philoſophia ejusque ſtudio in genere differuerit, exponendum eſt, ſine quo reliqua non intelligi poſſunt. Dolendum vero, pleraque, quæ hic afferri poſſunt, Platonicis deberi, quorum fides qua ex cauſa hac in re ſuſpecta ſit, in limine hujus capitis enarravimus. Cum tamen certiora nobis non ſuppetant, illi audiendi ſunt. Eo vero potiora redeunt: *Philoſophia in genere.*

I. Sapientia & philoſophia multum inter ſe differunt. [v]

II. Sapientia vera eſt ſcientia quædam, quæ verſatur circa pulchra, eaque prima divina, & incorruptibilia, quæ eodem modo ſe ſemper habent, & ob quorum communionem etiam cetera pulchra quis dixerit. Ita IAMBLICHVS, [w] qui brevius alio loco: ſapientia eſt ſcientia veritatis, quæ eſt in entibus.

III.

n) GEMINVS *aſtrol. c. 1.* IAMBLICH. *c. VI. n. 31.* ſecutus.
o) *De die natali c. 13.*
p) *Lib. IX. c. 21. 22.*
q) *Lib. II. c. 8.*
r) *Lib. VIII. ſ. 14.*
s) *De placit. philoſ. l. II. c. 12.*
ſ) CENSORIN. *l. c. c. 19.*
ſſ) Conf. FABRIC. *Bibl. Gr. vol. I. p. 132.*
t) LAERT. *l. VIII. ſ. 26.*
u) GELLIVS *l. I. c. 9.*
v) IAMBLICH. *vit. Pyth. c. XII. n. 59. c. XXIX. n. 159. Intr. in Nicomach. arithm. p. 5.* conf. TENNVL. *ad h. l. p. 75.* PORPHYR. *n. 53.*
w) *ll. cc.*

III. Entia hæc ſunt, quæ ſunt expertia materiæ, æterna, & per ſe efficientia, qualia ſunt incorporalia.

IV. Quæ per participationem illorum entia vocantur, ut corporea, materialia, generationi & corruptioni obnoxia, illa tantum æquivoce talia, adeoque vere neutiquam entia ſunt. Exponit his IAMBLICHVS,* cujus verba exhibemus, cardinem & ſummam totius philoſophiæ Pythagoreæ. Quæ cum emanationis lege rerum omnium eſſentias ex primo & infinito ente, ſive Deo, derivaret, certosque gradus, claſſesque & ordines rerum omnium, quæ ex Deo emanarunt poneret, neceſſario ad ejusmodi naturas ſpirituales, ſimplices, æternas, & divinas, id eſt ex Deo ortas devenit, quæ rebus fluxis materiæque in omnes partes mutabili & inſtabili eſſentiam, naturamque per communicationem largirentur. Pleni ſunt de his principiis rerum, ſive entibus vere talibus interpretum philoſophiæ Pythagoreæ libri, cum, ſi hos audias, Pythagoras, quæ numeris ſuis occultavit, ita intelligi voluerit. Diximus vero ſupra Platonem ideas ſuas inde hauſiſſe, easque idem prorſus eſſe, quod intelligibilia Pythagoreis tributa. Non itaque prolixa eorum explicatione detinebimus lectorem, ſed ad ea remittimus, quæ capite ſexto de Platonis philoſophia latiſſime diſputavimus: cuncta enim conveniunt, cum intelligibilia eundem locum teneant, quem ideæ, ut alibi [y] invictis, niſi toti fallimur, argumentis probavimus. Duo tamen momenta merito dolemus, primo quod ab ipſis Pythagoreis genuinis & veteribus ſcripta non ſuperſint, ex quibus judicari queat, an Plato eandem prorſus viam ingreſſus fuerit, vel aliquo modo a ſemita Pythagorea receſſerit? deinde, quod plerique qui Pythagorica ex Platonicis illuſtraverunt, & de intelligibilibus ſive de ὄντως ὄντων cognitione multa garrierunt, quales ſunt PLOTINVS, PORPHYRIVS, IAMBLICHVS, PROCLVS hisque ſimiles, infauſto conciliandi omnes veterum doctrinas cum nugis tricisque ſuis ſtudio pleraque corruperint, adeo ut plane incertum ſit, quantum ipſi ſcholæ Italicæ tribui debeat. [z] Sed cum tota hiſtoriæ Pythagoricæ conditio aliam præ ſe faciem non ferat, nec certiora promittat, his quoque contentos nos eſſe oportet. Ceterum quæ attributa, quaſve proprietates entibus vere talibus tribuerit hoc hominum genus, nemo ſubtilius explicuit, quam PORPHYRIVS, [a] qui ab iis, qui hiſce delitiis gaudent, ipſe adeundus eſt. Nobis enim per hæc dumeta repere, hasque colligere ſpinas, propter inſtituti noſtri limites non licet.

V. Sapientia verſatur circa ea, quæ proprie, non vero circa ea, quæ æquivoce ſunt entia: quoniam corporalia neque ſciri poſſunt, neque cognitionem firmam admittunt, cum ſint infinita, nec ſcientia ſe patiantur comprehendi: ita ut reſpectu univerſalium ſe habeant, ac ſi non eſſent, nec inſuper definitioni includi queant.

VI.

x) *l. c. n. 160.*

y) *Amœn. lit. T. VII. p. 174. ſeqq.*

z) Idem de MICH. MOVRGES *plan de Pythagoreiſme* obſervandum, pleraque enim ex Platonicis dijudicantur.

a) *De occaſionibus ad intelligib. ſ. ſententiis p. m. 79. 91.* ed. Rom. conf. SCHEFFER. *l. c. c. VIII. p. 56. ſeqq. Hiſt. de ideis ſect. I. §. 2. p. 8. ſeqq.*

VI. Entium vero proprie talium, quæque ſemper circa eadem & eodem modo permanent, atque vere cum nomine ſuo coëxiſtunt, ſcientiam & intellectum ſequi ſolet intellectus entium æquivoce talium, etiamſi non intendatur eo ſtudium. [b]

VII. Hanc ſcientiam qui affectat, & ad eam curam ſuam intendit, philoſophus eſt. [c] Pythagoras qua occaſione quave ex cauſa nomen hoc loco ſapientiæ introduxerit, ſupra expoſuimus. Addimus ibi dictis, nomen ſapientis non philoſophantibus de divinis & humanis tantum tributum, ſed & eruditis omnibus, immo artificibus quoque, judice NICOMACHO GERASENO, [d] Pythagoram impuliſſe, ut ſapientis nomen repudiaret. Qua de re digna ſunt quæ legantur, allata a IO. SCHEFFERO. [e]

VIII. Philoſophia itaque occupata eſt, circa omnia genera entium: quorum alia in univerſum omnibus accidunt, alia vero eorum pluribus, alia vero ſingulis: prima ſapientia ſive philoſophia potius prima conſiderat, altera peculiares ſcientiæ. Quisquis vero reſolvere potis eſt, omnia entium genera ad unum idemque principium, iterumque ex eo componere & enumerare, hic ſapientiſſimus eſt, & veriſſimus. Ita luculenter Perictyone Pythagorica apud STOBAEVM. [f]

IX. Finis philoſophiæ eſt, ut per cognitionem entium vere talium mentes ad intuitivam tandem promotæ cognitionem Deo fiant ſimiles, immo ipſi Dii. Clare hoc aureum carmen in fine:

Sic ubi depoſito conſcendes corpore cœlum
Immortalis eris Deus, æternumque beatus.

Plura dabit SCHEFFERVS [ff] & nos alio loco. [g]

X. Ad hunc ultimum finem ducit veritas, ſive cognitio entium æternorum, verorum, immutabilium. [h]

XI. Vt hunc finem mens conſequatur, omnibus curis id agendum, ut mens expurgetur, meliorque reddatur, atque ſic demum ei utilia & divina infundantur, communicenturque, ne vel a corpore recedere timeat, vel ad incorporea accedens, præ ſplendore illorum fulgentiſſimo oculos avertat, aut ad paſſiones, qui animam corpori, veluti quibusdam clavis fibulisque affixam tenent convertatur, ſed adverſus omnia, quæ generationi ſubſerviunt, itemque adverſus affectus, qui nos in terram detrahunt, tota perſiſtat indomita. [i]

XII.

b) IAMBLICH. *l. c.*
c) IDEM *Introd. in Nicomach. p. 5.*
d) *Arithm. l. I.*
e) *l. c. p. 33. ſeqq.* Sapientiam eminentiori ſenſu vindicabat Pythagoras Deo LAERT. *l. c.* conf. LACTANT. *l. III. c. 2.*
f) *Serm. I. p. 7.* Perictyone, quæ a matre Platonis diſtingvenda eſt, inter mulieres Pythagoricas numeratur, librique ei *de ſapientia & de harmonia feminæ* tribuuntur, quos tamen ei ſuppoſitos eſſe RICH. BENTLEIVS *apol. pro diſſ. de epiſt. Phalaridis p. 381. ſeq.* contendit. Eam perperam in virum mutat SCHEFFER. *l. c. p. 51.*
ff) *l. c. c. VI. p. 43.*
g) *Amœn. lit. l. c. p. 245. ſeqq.* Platonem hunc philoſophiæ finem pauliſper limitaſſe ſupra monuimus.
h) SCHEFFER *l. c. c. VIII. p. 58. Hiſt. de ideis l. c.*
i) IAMBLICH. *c. XXXII. n. 228.* PORPHYR. *n. 46.* RITTERSHVS. *ad h. l.* SCHEFFER. *l. c. pag. 53.*

XII. Fieri hoc vero non poteſt, niſi per mortem philoſophicam, id eſt liberationem ab omni corporis commercio; quæ ut attingatur, primo quidem neceſſe eſt, noſcere ſemet ipſum, animam eſſe in re aliena, & ſubſtantiæ prorſus diverſæ devinctam; ſecundo colligere ſemet ipſum a corpore & quaſi e diverſis locis, ita ut omnino liber ſis ab ejus affectionibus, & operatione ſenſuum: liberare ſe etiam a doloribus, ira, metu, cupiditate cibi & potus, & rerum venerearum; & ſtudere, ut corporalium affectionum motus, ad irrationale, voluntate nec conſentiente nec advertente, moveantur, ſic ut omnia in vacuitatem affectuum definant. Prodit his PORPHYRIVS,[k] quo horum hominum tendat philoſophia, in enthuſiaſmum definens.[l] Qualem ipſum Pythagoram affectaſſe, eumque Platonem imitatum fuiſſe, ex dictis conſtat. Imprimis vero mortis hujus philoſophicæ initia facienda inculcata ſunt a coërcitione ventris, ut ex aurei carminis verſu nono & decimo diſci poteſt, pluribusque docent HIEROCLES[ll] & IAMBLICHVS.[m] Quam purgandi rationem Pythagoream tenuiſſe accurate Apollonium Tyaneum, ſuo loco ex PHILOSTRATO[n] docebimus. Cauſam ineptæ doctrinæ recte tum in emanationis ſyſtema, cuncta ad enthuſiaſmum revocans, tum in odium materiæ, cui cauſa mali adſcripta fuit, rejicias.

XIII. Ita liberatum a corpore in ſe verti oportet, cæteris, quæ extra ſunt, oblivioni traditis.[o] Huc illud Pythagoræ λάθε βιώσας, *latenter eſſe vivendum*, quod, tanquam Pythagoricum ſtrenue imitati ſunt Apollonius[p] atque Proclus.[q]

XIV. Ita recte conſtitutæ menti aſcendere ad Deum licet, contemplationique rerum divinarum & æternarum ſe totam tradere. Celeberrima hæc in Pythagoreo-Platonicorum ſcholis ἄνοδος eſt, qua mens originis ſuæ conſcia, ad fontem, unde emanavit, ut eſt in oraculis, redit, & contemplatione τῶν ὄντως ὄντων intuitiva cum Deo ſe jungit, inque Deum redit.[r] Sunt qui hæc a Zoroaſtre didiciſſe Pythagoram volunt,[s] quæ, quo loco habenda ſint, ex iis, quæ de itinere ejus orientali, deque fide oraculorum Zoroaſtri tributorum ſuo loco diſputavimus, liquet.

XV. Vt vero hæc feliciter procedant, Deus in auxilium vocandus eſt, & dæmones boni,[ſ] imprimis vero genius πάρεδρος ſive tutelaris.

XVI. Tantis opibus ad hunc finem conſequendum acquirendis preces adhibendæ ſunt, & invocatio Deorum.

XVII. Cognitionem entium vere talium qui conſecutus eſt, ſapientiam veram adeptus, nihil miratur, cum rerum omnium formas cauſasque eſſen-

k) Περὶ ἀφορμ. *Sent. 34. p. m. 85.*
l) Conf. cel. G. MICH. HANSCH. *de enthuſiaſmo Plat. ſect. VII. §. 7. p. 92. ſeqq.* *ll*) Ad *h. l.*
m) *Vit. Pyth. c. XXXI. n. 187.*
n) *Vit. Apoll. l. I. c. 8. p. 9.*
o) Conf. SCHEFFER. *l. c. c. IX. p. 76.*
p) PHILOSTRAT. *l. VIII. c. 11.*
q) MARINVS in *vita Procli.*
r) SCHEFFER. *l. c. p. 77.* BVDDEVS *Anal. hiſt. phil. p. 371.* IOH. FRIDEM. SCHNEIDER diſſ. *de ἀνόδῳ Pythag.* *s*) *cit.*
ſ) *Aur. carm. v. 61. 62.* HIEROCLES *h. l.* IAMBLICH. *protrept. c. III.* SEXTVS EMPIR. *adv. math. l. VI. ſ. 50.*

eſſentiales teneat. [ff] Ita ſcopum, quem & alii ſibi fixere philoſophi, [t] ad ineptiſſimam doctrinam commendandam adhibuere philoſophiæ Pythagoreæ interpretes.

XVIII. Philoſophia vel circa agenda verſatur, vel circa cognitionem, adeoque vel practica vel theoretica eſt. [u]

XIX. Initium vero faciendum eſt a virtutis præceptionibus & tum ad veritatem progrediendum, hoc eſt ab actione ad contemplationem. [v] Hinc commendatio virtutis, quæ a veteribus unanimi fere conſenſu Pythagoræ tribuitur. [w]

XX. Contemplatio intelligibilium, ſive entium fere talium animi tranquillitatem & libertatem a rebus terrenis eum turbantibus poſtulat. Hinc otium philoſophicum teſte IAMBLICHO [x] Pythagoreis tantopere deamatum: quem in finem ipſum Pythagoram negotia diſcipulorum politicis & œconomicis commiſiſſe, ut reliqui divinis meditationibus eo liberius indulgerent, ſupra docuimus.

XXI. Sequitur inde, civilibus negotiis non facile permittere, ſe philoſophum.

XXII. Philoſophia ratione auditorum eſt vel exoterica vel eſoterica. [y] Illa nudas veritates ſine demonſtratione proponit, ſub ſymbolis & ſimilitudinum atque allegoriarum velo; hæc veritatis rationes & demonſtrationes iis proponit diſcipulis, qui apte ad id præparati ſunt. Rem ipſam ſupra jam, de methodo Pythagoræ differentes prolixe ſatis atque clare expoſuimus; unde hoc unum addimus: ex conditione philoſophiæ exotericæ ad eſotericam non concludendum eſſe; potuit enim, ut recte monet CLERICVS, [z] egregia dicere ad vulgus & acuſmaticos, impietatis vero myſteria initiatis reſervare.

§. XXIII. Egregia præcepiſſe Pythagoram circa philoſophiam activam ſive moralem, facile nobis perſuadent ea, quæ ad exotericos dicta veteribus memorata ſunt, & officia diverſæ ætatis & conditionis hominum inculcant. [a] Quid interioris admiſſionis diſcipulis præceperit, difficilius dictu eſt, tum propter methodum ſymbolicam, qua moralem philoſophiam tradidit, quæque variis interpretationibus ſubjecta diverſas nobis veterum conjecturas, non diffitente IAMBLICHO [b] pro Pythagoricis doctrinis obtruſit, tum propter demonſtrationes initiatis tantum reſervatas, quæ nos de genuino ſenſu ſcopoque judicare non ſinunt, ſic ut ſcopæ tantum diſſolutæ [c] colligi queant, vel Pythagora juniorum ſcriptorum cogitationes & *Philoſophia activa.*

ff) PLVTARCH. *de auſcult. T. IV. p. m. 139.*
t) Vid. quos laudat SCHEFFERVS *l. c. p. 55.*
u) HIEROCLES *l. c. p. 2.*
v) *ib. p. 4.*
w) LAERT. *l. VIII. ſ. 32.* CLEM. ALEX. *Strom. l. II. p. 417.* IAMBLICH. *protrept. c. 9. p. 58.* STOBAEVS *ecl. eth. c. III. p. 164.*
x) *Protrept. c. 14.* conf. SCHEFFER. *l. c. p. 64.*
y) IAMBLICH. *vit. Pyth. c. XXII. p. 101.* SCHEFFER. *p. 84.*
z) *Bibliotheque choiſ. T. X. p. 185.*
a) Prolixe ea recitat IAMBLICHVS *vit. Pyth. c. VIII. ſeqq.*
b) *c. XVIII. n. 86. ſeq.*
c) Agnovit hoc quoque IAMBLICHVS *c. XXXIV. n. 247.* τοσαῦτα ἅντις κῃ ἀπὸ τῶν σποράδην λεγομένων τεκμήρια ἂν παράθοιτο περὶ Πυθαγόρου κῃ τῶν Πυθαγορείων; *quis tot & tanta e ſparſim dictis de Pythagora & Pythagoreis documenta apponere queat?*

φιλοσοφέμενα pro Pythagoricis admitti debeant. Etſi enim ſupra jam indicatum eſt, extare hodie fragmenta ſcriptorum moralium & politicorum a Pythagoreis editorum, neminem tamen fugit, quam incerte ea fidei ſint. Verum hæc aliter in hac quidem hiſtoriæ philoſophicæ parte non conſtant. Manet tamen hæc Pythagoram gloria, quod primus, teſte ARISTOTELE[d] fuerit, qui moralem philoſophiam excoluit, idque in magna Græcia præſtitit, quod poſt ejus tempora Socrates Athenis. Secta enim Ionica, quæ paulo maturius, quam Pythagoras, philoſophari cœpit, rerum naturalium indagationi ſoli ſe tradidit, moralem neglexit, ut ſupra capite primo obſervatum. Potiora vero, quæ Pythagoram de activa philoſophia tradidiſſe veteres referunt,[e] hæc ſunt:

I. Duo virtutum genera ſunt; privatæ aliæ, quæ nos ipſos reſpiciunt, & publicæ, quæ ad alios referuntur.

II. Hinc duæ partes moralis philoſophiæ ſunt, pædeutica & politica.[f]

III. Pædeutica inſtituit hominem ad virtutem; ejus ſex capita recenſet IAMBLICHVS:[ff] inſtitutionem, ſilentium, abſtinentiam a carnibus, fortitudinem, temperantiam, ſagacitatem. Et eadem fere methodo commentarium quoque de vita Pythagoræ elaboravit, ut oſtenderet, hac potiſſimum via ad ſummam virtutem Pythagoram perveniſſe.

IV. Hominis virtus eſt hominis naturæ perfectio.

V. Virtuti hæc tria neceſſaria ſunt, ratio, facultas & conſilium. Ratio judicat & contemplatur, facultas reſiſtit & moderatur, conſilium amat & amplectitur. Primum partis animæ rationalis pars eſt, alterum ratione carentis, tertium utriusque.

VI. Virtutum omnium numerum, nec non virtutis ortum & conſtitutionem ex animæ partibus licet cognoſcere; etenim animi partes primæ ſunt duæ, altera compos rationis, expers altera; illa judicamus & contemplamur, hac ferimur & appetimus. Hæ porro conſentiunt inter ſe vel diſſentiunt, quæ quidem pugna ac diſcordia propter nimium vel parum exiſtit.

VII. Cum igitur rationis compos pars moderatur expertem, tolerantia gignitur & continentia; cum altera imperat, paret altera, & inter ſe ambæ conſentiunt, virtus naſcitur.

VIII. Species autem virtutis & partes hoc modo ſunt conſiderandæ, ut partes animi, quarum altera ratione prædita, carens ratione altera, quæ porro vel iracundia, vel cupiditas: quarum illa ulciſcimur & defendimus nos; hac propriam corporis conſtitutionem appetimus & deſideramus. Hæc METOPVS Pythagoreus,[g] quocum CLINIAS & THEAGES conſentiunt, quorum ultimus hoc porro addit:[h]

IX.

d) *l. I. c. 2. Magn. moral.*

e) Loca veterum huc facientia magnam partem collegit MAGNVS DANIEL OMEIS in *Ethica Pythagorica Altdorf. 1693. 8.* unde ſua hauſit P. BAYLE *Dict. T. III.* art. *Pythagore.*

f) LAERT. *l. VIII. ſ. 6.* qui libros his titulis Pythagoræ tribuit.

ff) *Protreptic. c. 6.*

g) *Op. ſc. mythol.* TH. GALEI cura edit. *p. 684.*

h) *p. 689.*

IX. Ratio cognitioni, ira robori, cupiditas appetitui præeſt; cum igitur hæc tria una compage in unum rediguntur, tum virtus & concordia in animo gignitur, ſi divelluntur, vitium oritur atque diſcordia.

X. Cum ratio partes animi ratione carentes moderatur, tolerantia gignitur, & continentia, dum labores illa, voluptates hæc moderatur: cum melior pars imperat & præeſt, virtus exiſtit, ita, ut cupiditati ratione imperante, fiat temperantia, cum iracundiæ, fortitudo, cum partes omnes imperant juſtitia.

XI. Iuſtitia vitia cuncta, & virtutes animi inter ſe diſcernit, & animi partium compagis quædam eſt conſtitutio virtusque perfecta & ſuprema. Magno conſenſu hanc virtutum partitionem ſequuntur Platonici recentiores, quorum hac de re cogitationes ad eorum tempora delati deſcribemus: [i] qui hos Pythagoreos ſe ſequi profitentur. Non diffitemur tamen, hæc nobis fragmenta ideo *νοθείας* ſuſpecta eſſe, quod tam pulchre recentiorum Platonicorum philoſophemata iis reſpondent, [k] & ratiocinia quoque eandem ſcholam aperte ſapiunt, quæ antiquitatis faciem non præ ſe ferunt, ejusmodi acumina ignorantis. Sed de his judicium eſto penes lectorem.

XII. Vitia verbis celanda non ſunt, ſed reprehenſionibus emendanda ad virtutem. [l]

XIII. In univerſa hominum vita ætates quædam inter ſe diſtributæ ſunt, quæ *ἐνδεδασμέναι* Pythagoreis dicuntur, neque cujusvis eſt, illas ſecum invicem connectere: ſubvertitur enim una ab altera, niſi quis ab incunabulis id, quod in ſe hominis eſt, bene rectеque inſtitutum habet. [ll]

XIV. Debet itaque cum educatione pueri ita comparatum eſſe, ut ſi ad probitatem, ad ſobrietatem, ad fortitudinem exacta fuerit, potiſſima ejus pars in adoleſcentiam, & ex hac in virilem ætatem transferatur: cujus plerumque contrarium fit.

XV. Nunquam itaque homini concedendum, ut, quod lubet, perpetret, ſed ſemper adjungendus, qui præſit, ita ut quilibet civium legitimo decentique imperio pareat.

XVI. Sapiens nihil non eorum expectare debet, quæ homini accidere poſſunt, quæque in ejus poteſtate non ſunt, ſed ea fortiter ferre. [m]

XVII. Injuſſu itaque imperatoris, Dei, de præſidio & ſtatione vitæ decedendum non eſt. [n] Ita rejecit Pythagoras *αὐτοχειρίαν*, præcipue quod fortitudini eſſet contraria.

XVIII. Proſcribenda, a ventre luxuria, a rebus omnibus exceſſus, robur enim animæ eſt temperantia, & lumen quatenus paſſionibus ea expers eſt. [o]

i) Videndus interim FABRICIVS *proleg. ad vitam Procli* a MARINO ſcriptam.

k) Quam audaces enim in fingendo & ſupponendo fuerint, aliquoties jam notavimus.

l) STOBAEVS *Serm. LXVI. p. 250.*

ll) IAMBLICH. *vit. Pyth. c. XXXI. n. 201.* Qua ratione vero Pythagoras hominis ætates diſtinxerit, explicat LAERTIVS *l. VIII. ſ. 10.* ad quem viros doctos vide.

m) IAMBLICH. *l. c. n. 224.*

n) CICERO *de Senect. c. 20.* conf. OMEIS *l. c. p. 30.*

o) PORPHYR. *vit. Pythag. n. 39.* STOBAEVS *ſerm. XXXVII. p. 114.*

XIX. Continentiam poſſidere, maximi roboris & divitiarum inſtar eſt.[p] Ea vero non in gula tantum, ſed ventre quoque coërcendo, moderandaque venere ſervanda eſt; vanæque & ſuperfluæ cupiditates fugiendæ.

XX. Ebrietas itaque pernicies eſt, omnisque impletio vitanda, nec transgrediendus modus cibi potusque.[q]

XXI. Venerea hyeme non æſtate facienda, in autumno ac vere facilius quidem feruntur, omni autem tempore gravia ſunt, & ad ſanitatem minime idonea.[r] Videtur Pythagoras concubitum, tanquam rem philoſopho non ſatis dignam, reſpexiſſe; interrogatus enim, quando concumbendum? tunc, inquit, cum te ipſo infirmior fieri vis. Neque tamen conjugium totum reſpuit, ſed & ipſe conjugatus vixit, & conjugibus officia præclare præſcripſit.[s]

XXII. A voluptate cavendum eſt, tanquam a re ſummæ cautionis indiga, nullo enim nos alio, quam iſto affectu magis decipimur, & in peccata præcipites agimur: hinc eo contendendum eſt, ne unquam ad voluptatem collineantes, aliquid incipiamus, ſed bonum honeſtumque primo loco ſpectandum, utilitas vero commoditasque in ſecundis collocandæ, & hæc quidem judicio non vulgari opus habent.[ſſ]

XXIII. A prima ſtatim juventute proficientium curæ attendendum, ut mature, quæ appetenda ſunt appetant, vanasque & ſuperfluas cupiditates fugiant, adeoque ab hujusmodi perturbationibus puri & imperturbati maneant, eosque ipſos contemnant, qui eo, quod cupiditatibus impliciti ſunt, dignos ſe contemtu reddiderunt, quod iis ſæpe contingit, quibus in eminentiori poteſtate conſtitutis cupiditates imperant.[t]

XXIV. Duplex tamen voluptatum diſcrimen eſt: una plebeja atque faſcinatrix, altera ſolida, & gravis atque ab omni ſcelere aliena. Illa ventri & veneris libidinibus, opum profuſione, indulget; hæc in rebus honeſtis ac juſtis & ad vitam neceſſariis conſiſtit, hæc admittenda, illa ut Sirenum cantus, fugienda.[u]

XXV. Maximum homini bonum in ſapientia ſitum eſt, robur enim, & murum & arma ſapienti ſapientia præſtat.[v]

XXVI. Politices capita ſunt: communis converſatio, amicitia, cultus Deorum, pietas in mortuos, & legum latio.[w]

XXVII. Eſt quædam vivendi cum aliis ratio opportuna, alia importuna; quæ inter ſe differunt diverſitate ætatis, dignitatis, neceſſitudinis, meritorumque, & ſi quid aliud diſcriminis inter homines occurrit.

XXVIII. Iuvenibus erga ſenes omni iræ aut comminationis ſpecie omnique ferocia abſtinendum, & tota hujusmodi importunitas devitanda.

XXIX.

p) ibid. ſerm. XXXIX. p. 136.
q) LAERT. *l. VIII. ſ. 9.*
r) ibid.
s) IAMBLICH, *c. XXXI. n. 206. Excerpta Peireſc. p. 247.*
ſſ) IAMBLICH. *n. 204.*
t) ibid. n. 206.
u) PORPHYR. *vit. Pyth. n. 39.*
v) STOBAEVS *Serm. XXVIII. p. 77. 82.*
w) IAMBLICH, *vit. Pyth. c. VI. n. 32.*

XXIX. Par dignitatis quoque ratio eſt, nam cum viro, qui ad veram virtutis dignationem pervenit, neque decorum neque tempeſtivum eſt, familiarius liberiusque agere. *

XXX. Eſt autem varius quidam & multiformis temporis opportuni uſus, qui in omnibus affectibus, actionibus, diſpoſitionibus, colloquiis & interpellationibus occurrit, qui aliquatenus quidem, non vero univerſaliter præceptis deſcribi poteſt. Ei decorum & concinnitas tanquam pediſſequæ adhærent. y

XXXI. Amicitia datur omnium erga omnes. z

XXXII. Certamen & contentionis ſtudium removendum eſt ab omni in univerſum amicitia, ſi fieri poſſit; ſi non, ſaltem ab ea, quæ nobis cum parentibus & in genere cum ſenioribus aut cum benefactoribus intercedit, in qua ne minimum quidem cicatricum vel exulcerationum eſſe debet. a

XXXIII. Hoc fieri poteſt, ſi uterque amicorum invicem cedere, iramque comprimere ſciverit, imprimis junior.

XXXIV. Emendationes & correptiones, (quas παιδαγωγίας nominabant Pythagorei) multa cum clementia cautioneque a ſenioribus erga juniores fieri debent, plurimumque ſolicitudinis affectusque ex parte corripientium prominere: ita enim decoræ & utiles fiunt.

XXXV. Nunquam ab amicitia fides neque ſerio, neque per jocum removenda.

XXXVI. Amicitia non eſt reprobanda propter infortunium, vel aliam quandam infirmitatem, quæ rebus humanis intervenit, ſed unica, probabilis, quæ ſit cauſa rejiciendi amici, eſt inemendabilis malitia.

XXXVII. Inimicitia tantum contra plane improbos obfirmato animo gerenda, ſtrenueque decertandum, niſi mores mutaverit adverſarius & ad bonam mentem redierit: idque non verbis, ſed factis. b

XXXVIII. Nunquam diſſidio, quantum in nobis eſt, occaſio danda eſt, ſed quam maxime quisque poteſt, rixæ hujusmodi principiis obſtandum.

XXXIX. In amicitia, quæ vera & ſincera futura eſt, quam plurima debent eſſe definita ac legibus ſuis circumſcripta, &, ut decet, diſtincta, ac providendum, ne quid temere fiat, nullumque colloquium perfunctorie inſtituatur, ſed cum pudore, cum præſenti animo, & bono ordine.

XL. Peregrinæ amicitiæ, quantum licet, declinandæ, mutuus amicorum amor ad mortem illibatus ſervandus. Eminuit in eo Pythagorea fides & amicitia, cujus nobile exemplum de Phinthia & Damone veteres referunt. c Alia narrat IAMBLICHVS, d qui addit: e etiam inter ſe ignotis, immo & nunquam viſis amicitiæ officia exhibere ſtuduiſſe, dummodo ſigna

x) *ibid. c. XXX. n. 180.*
y) *ibid. n. 182.*
z) *ib. c. XVI. n. 69. c. XXXIII. n. 229. c. XXX. n. 181.*
a) *ibid. n. 230.*
b) *ibid. n. 231. 232.*
c) VALER. MAX. *l. IV. c. 7.* LACTANT. *l. V. c. 18.* CICERO *de Offic. l. III.* IAMBLICH. *n. 162.* ex Ariſtoxeno.
d) *c. XXVII. n. 162.* e) *n. 237.*

ſigna quædam communis ſectæ agnoſcerent, cujus rei elegans exemplum exponit.

XLI. Omne vero circa amicitias ſtudium, ad divinarum naturarum commixtionem, ad unionem cum Deo, ad divinæ mentis animæque communionem, verbis factisque dirigendum eſt. *f*

XLII. Omnia quidem præcepta moralia ad divinum numen tendunt, eſt vero hoc principium, quo omnis vita ordinatur, ut Deum ſequamur. *ff* Paria ſupra ex Stoicis audivimus, quos ſimile cum Pythagoreis fundamentum habuiſſe, ex iis patebit, quæ in ſequentibus de phyſiologia & theologia Pythagoræ dicemus.

XLIII. Cum Deus ſit, & omnibus imperet, in confeſſo eſt, quod bonum a Domino petendum ſit, qui bona tribuit illis, quos amat. *g*

XLIV. Hoc de numine concipiendum eſt: quod exiſtat, quodque ita ſe gerat erga humanum genus, ut illud inſpiciat minimeque negligat. Id itaque dignum eſt quod univerſis imperet, ejusque eminentia & inſpectione opus habere animal a natura ad proterviam inclinans, a quo moderatio & ordo proveniret.

XLV. Vnusquisque, naturæ ſuæ mutabilis conſcius nunquam pietatis cultusque obliviſci debet, ſed aſſidue menti ſuæ proponere numen, tanquam quod hominum actiones obſervet, iisque indeſinenter invigilet.

XLVI. Dii colendi ſunt non noſtris figuris alligati, ſed per divinas imagines, tanquam qui omnia complectuntur, omnibus provident, & formam habent, tam quoad naturam, quam quoad figuram toti univerſo ſimilem. *h* Probe hæc theſis notanda eſt, ex qua per velum quaſi Pythagoricæ theologiæ fundamentum & verum ethicæ principium perſpicitur. De quo infra.

XLVII. Colendi vero Dii ſunt luſtrationibus, & initiationibus, & pura veſte ac mente. Hoc qua ratione peregerit Pythagoras, IAMBLICHVS *i* prolixe narrat.

XLVIII. Quotidie hymnis honorandum numen, & obſervanda omina, & vaticinia, & ſortes omnes fortuito oblatæ.

XLIX. Animalia a perfectis *k* non immolanda, ſed thus, milium, placentæ, favi & ſuffimenta. *l*

L. Pietas & religio verſantur in animis, cum rebus divinis operam damus. *ll*

LI. Dii & heroës non eodem honore habendi; ſed Diis cum laudibus, amictuque candido & caſto corpore honores exhibendi: heroibus poſt meridiem. *m*

LII.

f) *n. 240.*
ff) *ib. n. 86.*
g) *ib. c. XXX. n. 174. ſ.*
h) *ib. c. XXVIII. n. 151.*
i) *ibid.*
k) Dictum hac de re ſupra. Acuſmaticis licebat nonniſi raro immolare animalia, gallum gallinaceum, vel agnum, vel alia recens nata, boves vero minime.
l) *ibid. n. 149.*
ll) CICERO *de legib. l. II. c. 11.*
m) IAMBLICH. *l. c.* LAERT. *l. VIII. ſ. 35.*

LII. Ea puritas expiationibus, luſtrationibus atque aſperſionibus paratur, [n] abſtinendo ab iis omnibus, quibus interdicere ſolent ii, qui myſteriis præſunt.

LIII. Iuramentum juſtum eſt, indeque Iupiter juratorius; (ὅρκιος dicitur) præſtandum vero eſt tarde, præſtitum vero ſervandum promtiſſime.[o]

LIV. Corpora defunctorum non ſunt igni comburenda. [p]

LV. Poſt Deos & dæmonas maximam parentum & legum quisque rationem habere debet, iisque non ficte, ſed & ex animo obſequi. [q]

LVI. Patriis legibus & conſvetudinibus inhærendum eſt; nam neque utilitati, neque ſaluti publicæ conſulunt ii, qui legibus, rebusque novandis ſtudent. Magnam ad leges ferendas & respublicas conſtituendas diligentiam attuliſſe Pythagoreos, præſertim eos; qui legislatores dicti ſunt, & ex optimis atque intimis Pythagoræ diſcipulis erant, ſupra obſervatum eſt. Nam, multis civitatibus ut leges ferrent, a præceptore ablegati ſunt. Id quod imitatus Pythagoram Plato, & ipſe de republica ordinanda cogitavit. Num vero ad ſimiles nugas delapſus ſit Pythagoras ac Plato, deficientibus monumentis dici nequit. Et hæc quidem de morali ſive activa Pythagoræ philoſophia.

§. XXIV. Theoretica philoſophia apex totius doctrinæ Pythagoreæ fuit, & arcanorum ſumma, unde difficillimus labor [r] eſt, Pythagoram, quod quidam viri docti conniſi ſunt, intra ſindona noſcere. Nos veteres ſequemur, contendemusque ut cohærens aliquod Pythagoricæ phyſiologiæ ſyſtema ex veterum relationibus & conjecturis veriſimilibus aſſequamur. Quod tamen pro indubitata Pythagoræ doctrina vendi non poteſt, cum rationes ſupra dictæ maxime obſtent. Vnde utendum eſt eo, quod veteres de illo nobis reliquere. Ita vero docuiſſe dicitur: *Theoretica.*

I. Philoſophiæ theoreticæ finis eſt, nihil admirari: nam philoſophica ratio admirationem atque ſtuporem, ab hæſitatione atque ignorantia profectum eximit, ſingularum rerum cognitione atque enarratione per cauſas ſuas exhibita. [s]

II. Eſt vero theoretica philoſophia duplex; vel enim de iis, quæ mente cernuntur, atque de Diis repetitam altius ſcientiam tradit, vel univerſam rerum naturalium doctrinam exhibet. Ita IAMBLICHVS, [ſſ] qui alio etiam loco, [t] quid Pythagoras in theoreticis ſcientiis præſtiterit, enumerat, nempe eum de diis, de heroibus, de dæmonibus, de mundo, de ſphærarum atque aſtrorum omni-

n) Vid. LOMAIERVS *de luſtrationibus gentilium.*

o) LAERT. *l. VIII. ſ. 32.* de juramento per auctorem tetractyos ſupra dictum.

p) IAMBLICH. *c. XXVIII. n. 154.* ubi etiam ritus ſepeliendi Pythagoricos obſervabis.

q) ib. c. XXX. n. 175. PORPHYR. *n. 38.*

r) Verſati ſunt in eo præter MICH. MOVRGVES in *delineatione Pythagoreiſmi*, cujus ſummam exhibet CLERIC. *Bibl. choiſ. T. XXVII. p. 424.* SCIPIO AQVILIANVS *de placit. phil. ante Ariſt. phyſic. l. I. c. 20. p. 86.* MORHOF. *Polyhiſt. T. II. l. II. c. 6.* I. IAC. SYRBIVS *de Pythagora intra ſindona noſcendo*, ſive *introd. in phyſicam Pythagoræ*, aliique.

s) PLVT. *de audit.*

ſſ) c. XXIX. n. 157. 158.

t) c. VI. n. 31.

omnigeno motu, oppoſitionibus, eclipſibus, & inæqualitatibus, eccentricitatibus, epicyclis, & de omnibus in univerſo cœlo terraque & intermediis naturis, ſive apparentibus, ſive occultis, rectam notionem dediſſe, perque ipſum diſciplinam & theoriam, & ſcientifica omnia, quæ mentis oculos maxime acuunt, & ab aliis ſtudiis profectam cœcitatem abſtergunt, ut vera totius univerſi principia & cauſas poſſit perſpicere, inter Græcos locum inveniſſe. Quæ etſi ad ſuæ ſectæ encyclopædiam, ejusque formam canis Pythagoræ temporibus tribuendam Iamblicho dicta omnino videntur, certum tamen eſt, in theoreticæ philoſophiæ ſtudio, primarios Pythagoræ diſcipulos conſenuiſſe, ſummumque in ea ſapientiæ apicem quæſiviſſe, teſte omni exceptione majore doctrina de numeris, quæ ſymbolica fuit principiorum ſpiritualium & naturalium. [u] Agendum itaque cum de theologia, tum de phyſica Pythagorica.

Theologia. III. De Deo naturisque divinis ad populum loqui difficile & periculo plenum, eo per ſuperſtitionem occupato, profanis itaque myſteria verbis narrare nefas. [v] Commune hoc Pythagoræ erat cum plerisque philoſophis & theologis, præſertim antiquioribus, [w] qui doctrinam de Deo, cultui inter populos introducto potiſſimam partem adverſam, ideo occultaverunt, ut eo tutius laterent, & a ſacerdotum, quæſtum & auctoritatem in vulgari theologia quærentium inſidiis eſſent immunes. Certe in Ægypto id didiciſſe Pythagoram, ex iis, quæ libro primo de theologia Ægyptiorum diſſeruimus, manifeſtum eſt. Inde vero, quam incertæ de theologia Pythagoræ conjecturæ ſint, liquet. Quid vero veteres ei tribuant, ex ſequentibus diſci poteſt.

IV. Deus animus eſt, qui per univerſas mundi partes, omnemque naturam commeans atque diffuſus ex quo omnia animalia, quæ naſcuntur, vitam capiunt. Ita Pythagoræ definitionem Dei concepit LACTANTIVS,* CICERONEM, [y] ut videtur ſecutus, qui non minus luculenter: *Pythagoram cenſuiſſe, Deum eſſe animum per naturam rerum omnium intentum & commeantem ex quo animi noſtri carperentur.* Quæ teſtimonia etſi ætate ſatis a Pythagora remota ſunt, non ſine veriſimilitudine tamen hanc ei opinionem tribuunt, cum hæc omnium earum gentium, quas inviſerat, & apud quas didicerat theologiam Pythagoras, doctrina fuerit, totaque diſciplina Orphica, quam maxime imitatus eſt, eo fundamento, ut ſupra demonſtratum, nitatur. Egregie hoc confirmant ea, quæ ejus ſectatoribus tribuit CLEMENS ALEXANDRINVS: [z] *Deum eſſe totum in mundi circulo, ſpeculatorem, vel directorem potius totius generationis, univerſorum contemperationem, qui ſemper eſt, & ſuas facultates deducit ad opus, omnium operum, in cœlo luſtratorem, patrem omnium, mentem & animationem*

u) IAMBLICH. *protrept. l. I. c. 29.* videndus quoque SCHEFFERVS *l. c. p. 94.*

v) CLEM. ALEX. *Strom. l. IV. p. 477.* IOSEPH. *contra Apion. l. II. p. 1077.*

w) Conf. BAYLE *l. c. not. O. p. 747.* PFANNER. *Syſt. theol. gent. pur. c. II. §. 11. p. 58.*

x) *Lib. I. c. 5.* idem habet MINVCIVS FELIX *c. XIX. 7.*

y) *De nat. Deor. l. I. c. 12. de ſenect. c. 21.*

z) *Paræn. ad gent. p. 47.*

nem (ψύχωσις τῷ ὅλῳ κύκλῳ) *universi circuli rerum, omnium motum.* Quæ animam mundi divinam non poterant describere luculentius. Nulli itaque dubitamus, verisimili ratione hanc assertionem Pythagoræ tribuere. Difficilior vero quæstio, num Deum tanquam animam assistentem, vel ut informantem, Pythagoras mundo indiderit, id est, num vel liberæ voluntatis accessione, vel naturæ universi necessaria & inevitabili connexione Deum cum mundo conjunxerit? quæ ut rite discernamus, ad sequentia porro attendendum est.

V. Deus est natura rerum, quæ motus propria & intrinseca causa est rebus omnibus. Ita verba THEOPHILI ANTIOCHENI [a] intelligimus, asserentis, Pythagoram ὁρίζειν Θεὸν φύσιν καὶ αὐτοματισμὸν εἶναι τῶν πάντων. Aliter verti solet, & quidem REINESIVS, [b] quem secutus est cel. WOLFIVS: *Pythagoras affirmat, Deum naturam esse, & omnia fortuita fieri;* quapropter ille quoque vel sexcentos esse testes scribit, de Deo longe aliter sensisse Pythagoram: & recte quidem, si hanc versionem admittas, nunquam enim Pythagoræ in mentem venit, omnia fortuito moveri, naturæ cujusdam cœco & temerario impulsu, ut vel sola Iamblichi & Porphyrii ex veterum scriptis excerpta loquuntur. Sed versionem hanc mentem Pythagoræ non assequi, ex iis Pythagoreorum verbis manifestum est, quæ modo ex Clemente Alexandrino adduximus, quæque apud IVSTINVM MARTYREM [c] quoque & CYRILLVM ALEXANDRINVM [d] occurrunt. Dabimus Iustini Græca, ut inde accuratum fieri judicium queat: εἰ δὲ καὶ σαφεστέραν ἀπόδειξιν περὶ ἑνὸς Θεοῦ τῆς Πυθαγόρου δόξης ποθεῖτε γνῶναι, ἀκούσατε τῆς αὐτοῦ δόξης· ἔτω γὰρ ἔφη, ὁ μὲν Θεὸς εἷς· αὐτὸς δὲ οὐχ ὥς τινες ὑπονοοῦσιν, ἐκτὸς τοῦ διακοσμήσιος, ἀλλ' ἐν ἑαυτῷ ὅλος ἐν ὅλῳ τῷ κύκλῳ, ἐπισκοπῶν πάσας τὰς γενέσιας ἐστι, κράσις ἐὼν τῶν ὅλων, αἰώνων, καὶ ἐργάτας τῶν αὐτοῦ δυνάμεων καὶ ἔργων. ἀρχὰ πάντων, εἷς, ἐν οὐρανῷ φωστὴρ, καὶ πάντων πατὴρ, νοῦς καὶ ψύχωσις τῶν ὅλων, κύκλων ἁπάντων κίνησις· ἔτω μὲν εἷς ὁ Πυθάγορας. Prodit Dorica dialectus, desumta esse hæc verba ab istis ecclesiæ doctoribus ex scripto aliquo vetusto Pythagoreo, præceptoris doctrinam de Deo exponente, unde verisimilitudine sua non caret, eum ita de Deo statuisse. Hoc fragmento Pythagoreo, admisso 1. clarum est, cur Deus vocetur Theophilo φύσις, natura scilicet, quia Deus non extra universum hoc est, sed in natura rerum ejusque circulo continetur, ut anima tota est in toto corpore; 2. patet etiam, cur αὐτοματισμὸν τῶν πάντων eum dixerit, eo quod non tantum rebus omnibus originem, motusque dederit initium, sed quod ipse anima & formalis causa motus, nempe principium internum & spirituale (ψύχωσιν apte vocat) movens mundum ejusque circulos sit, unde non animam tantum & motorem mundi, sed ipsam κίνησιν καὶ ψύχωσιν dixit, ut informantem esse animam mundi declararet. 3. Sed & hoc ob-

a) *Lib. III. ad Autolyc. c. 5. p. 290.* ed. Wolf.
b) *Var. Lect. l. III. p. 444.*
c) *Orat. ad gentes p. 18.* ed. Paris.
d) *Lib. I. adv. Julian. p. 30.* mire hunc locum pervertit CVDWORTH. *Syst. intell. c. IV. §. 20. p. 446.* ut Pythagoram cum Platonicis suis conciliaret.

obſervandum eſt, quod additur, Deum eſſe φωσφόρα ἐν οὐρανῷ, illuminans lumen in cœlo; ita enim naturam Dei propius explicat, eſſe nempe hanc animam mundi ignem, ſive lucem illam intelligibilem, ſubtiliſſimam, activam, in circulorum univerſi extrema parte reſidentem, [e] quæ omnia illuminat, omnia producit, & non æterna tantum ſive entia intelligibilia, ex ſe producit, ſed & materiam craſſiorem movet, informat, vegetat, & circuli in ſe redeuntis forma animat. Quæ omnia probe attendenda eſſe, ut vera Pythagoræ de Deo ſententia deprehendi queat, ea quæ paulo infra diſſeremus, manifeſte evincent.

VI. Deus quoad corpus, lumini, quoad animam veritati ſimilis eſt, didiciſſe hoc a Magis vult PORPHYRIVS:[f] quod an verum ſit, ex iis, quæ ſupra de itineribus & præceptoribus Pythagoræ differuimus, judicari poteſt. Nec ſoli Magi fuere, qui Oromaſden οὐράνιον πῦρ, ſive *eſſentialem naturæ ignem* dixere, [ff] ſed plerique etiam barbari, ut primo libro obſervatum: mirum itaque non eſt, Pythagoram Deum habuiſſe pro igne [g] mundi maxime ſimplici, id eſt ſubtiliſſima & ſimpliciſſima parte univerſi, cui tamen mentem, conſilium, veritatem aliasque affectiones ſpirituales tribuit. Hinc porro de Deo docuiſſe dicitur, quod his addendum:

VII. Eſſe principium, nulli ſenſui aut dolori expoſitum, ſed inviſibile, incorruptum, quodque ſola mente apprehendi queat; id quod ei tribuit PLVTARCHVS. [h] Etſi enim hoc de principio aliquo mere ſpirituali intelligi poteſt, patet tamen ex dictis, opponi id tantum craſſiori materiæ, inertique moli, activo & ſubtiliſſimo naturæ igne commovendæ & formandæ: cui omnia illa prædicata conveniunt. Et hæc quidem pauca illa monumenta ſunt, quæ apud veteres de Pythagoræ theologia reperiuntur, & ex quibus de ejus doctrina de Deo judicari debet, quæque tandem, poſtquam diu ſatis arcano cuſtodita erant, in vulgus emanarunt. Vt itaque mentem quoque noſtram de his Pythagoræ dogmatibus paulo explicatius exponamus, I. iterum monemus, hæc non pro certa & indubitata ejus ſententia venditari poſſe, eſſeque non tantum incertum, quid philoſopho tantopere ſua occultanti de Deo vere placuerit, ſed & eſſe inter memorias veterum quasdam, quæ his repugnant. [i] Quod eo minus mirandum eſt, quo magis conjecturis plerique confiſi de Pythagoræ mente judicarunt, ut poſtea quoque obſervabimus. II. Veriſimile tamen eſt, hunc in modum, ut allata veterum loca docent, ſi non ipſum Pythagoram, certe Pythagoreos, ab eo edoctos, ſtatuiſſe. Nam ea & Pythagoræ ingenio, temperamento, ſcopo philoſophiæ, præceptoribus, aliisque circumſtantiis egregie conveniunt, & libri vetuſtiſſimi fragmentum, non uni, ſed pluribus viris eruditis & in hujus ſectæ hiſtoria verſatiſſimis, quales veteres iſti doctores fuere, viſum & lectum,

e) Ita etiam Alexander apud LAERT. *l. VIII. ſ. 25.* Anonymus PHOTII *l. c.*

f) *n. 41.*

ff) ORIG. *philoſophum. c. II. p. 41.*

g) Ignem vero hunc & ætherem veteribus unum eſſe, aliquoties jam monuimus.

h) In *Numa T. IV. p. m. 117.*

i) Talia ſunt, quæ duplex ei principium adſcribunt, infra tangenda.

lectum, luculenter innuit, & unica ratio ſic patet, diſſentientia veterum teſtimonia inter ſe conciliandi. III. His rationibus itaque ductis veritati propius accedere videtur nobis; Pythagoræ illud ipſum ſyſtema de Deo placuiſſe, quod Zeno poſtea, Pythagorica myſteria imprimis a Polemone edoctus, adoptavit nempe, eſſe Deum animam mundi, partemque univerſi hujus activam, ignem nempe non elementarem, ſed naturæ, ſive mundanum, ſubtiliſſimamque partem univerſi, quæ ita mundum ſive materiam potius animet, informet, & in viſibilem aſpectum producat, ut ſimul in eo comprehendatur, ut anima in corpore. Doctrinæ ipſius ſignificationem poſt ea, quæ prolixe capite antecedente de theologia Stoica dicta ſunt, exponere, non putamus neceſſarium, explicanda vero hæc & probanda ex præmiſſis & allatis veterum effatis, ut qua ratione de Deo Pythagoras philoſophatus ſit, luculenter pateat. Suppoſito nempe iſto ſyſtemate IV. patet, qualis ille Deus Pythagoricus ſit? nempe ignis mundi ſubtiliſſimus, activa movendi, formandi, fingendi, certisque legibus cuncta diſponendi facultate præditus, qui licet in ſe ſubtiliſſima materia ſit, ſenſu tamen veteribus receptiſſimo incorporalis eſt, & craſſioris materiæ dimenſionibus non eſt ſubjectus; [k] quique, cum naturali & intrinſeca vi polleat, ſe movendi, cuncta intimo & eſſentiali nexu ſecum juncta ita movet, ut tandem formam conſequantur viſibilem. Nihil enim horum eſt, quod non in allatis veterum teſtimoniis ſatis luculenter ei tribuatur. V. Tota quoque ita phyſiologia Pythagoræ, qualis apud veteres deſcribitur, aptiſſime cohæret. Nam ita Deus non mens tantum & anima mundi eſt, ſed & ipſa ψύχωτις ſive vita & formalis ratio ejus in mundo. Eſt porro ille Deus materiæ craſſiori ita oppoſitus, ut ipſe ſit principium activum, hæc paſſivum, & ipſi ſe ſubjiciendam præbeat & formandam; hucque omnia prædicata Dei quæ in ſchola Pythagoræ occurrunt, referenda ſunt, quæ ei ſplendida non minus, quam apud Stoicos, attributa tribuunt. Ita vero Deus quoque non extra mundum eſt, [l] ut ex allatis PP. locis patet, ſed intra mundi circulum continetur, immo ipſe mundus eſt; faſſi enim id ſunt ejus interpretes. [ll] Porro Deus iſte, ſive ignis mundanus, quem artificialem dixere Stoici, Pythagorei eodem fere ſenſu intellectualem, ſive intelligibilem fecere, fons eſt & principium, unde omnia entia activa intellectualia, ſubtiliſſima, formamque materiæ informi conciliantia, emanarunt, hincque ipſa anima noſtra pars Dei eſt, & particula ab eo avulſa. Et hinc quoque lumen capiunt, quæ de mundi formatione Pythagorei diſſeruerunt, quibus poſtea ex hac ſyſtematis forma lucem accendemus. VI. Ita vero &

k) Probe tenendum, veteres, etſi corpora non eſſe Deum & animum dicerent, non tamen utrumque ab omni prorſus materia removiſſe, ſed ἀσώματον & ſpirituale dixiſſe, quod graviori corporis moli opponitur, ut eſt ex multorum ſententia anima hominis. Invictis argumentis & luculentis teſtimoniis id probavit MOSHEM. *ad* CVDWORTHVM *Syſt. int. c. I. §. 17. p. 36. n. 3.* Id quod eo magis monendum eſt, quoniam plerique a ſolis vocibus, incorporale, ſpirituale &c. concludunt eam, quam nos ſub iſtis vocibus comprehendimus immunitatem ab omni prorſus materia intelligi.

l) Extra mundum enim ſpatium, vel vacuum potius eſt.

ll) Conf. ANONYM. *Photii n. 15. p. 62.* ed. Kuſt.

ſymbolica principiorum Pythagoræ phyſiologicorum enarratio, quæ monadis & dyadis nomine & poteſtate adumbratur, quæque tam diverſis veterum interpretationibus vexata eſt, egregiam lucem fœneratur & omnia apte cohærent. Nam his, quæ hactenus differuimus, ſuppoſitis, ita cuncta ex mente Pythagoræ inter ſe fluunt: 1. ex nihilo nihil fit, 2. omnia itaque conſtant uno toto, adeoque monas non tantum principium omnium rerum, ſed chaos quoque & comprehenſio eſt, etiam rationum ſeminalium, quam monadi definitionem tribui, ſupra obſervavimus. 3. Habere vero in ſe iſtam unitatem, quod unum & totum, Stoici, veteres chaos dixere, non tantum αὐτοματισμὸν, id eſt, activum aliquod principium, ſed & principium alterationi & mutationi obnoxium, nempe materiam craſſiorem, paſſivam, mutabilem & alterabilem, ſicque 4. dyada gigni quidem a monade, hancque eo ſenſu eſſe hermaphroditum, & a potiore parte cognominatum, Deum; ſed ſi id quod activum, formativum & movens eſt, a paſſivo, informi & mobili diſtingvatur; tunc dyadem iſtam monadi opponi, totamque diverſam eſſe, ſicque monadis notionem ad deſignandam partem ſpiritualem, (ſenſu ſcilicet Pythagoreo & Stoico) dyadis ad materiam craſſiorem delineandam adhibendam eſſe. 5. Ex animatione & formali agitatione materiæ facta a monade ſive anima iſta mundi, tandem productum mundum formatum, hacque triade perfectiſſimum univerſi opus productum eſſe: in quo cum omnia peculiari principiorum particularium tum intelligibilium, tum materialium conjunctione conſtent, inde reliquos numeros exortos eſſe, donec decem circulorum configuratione & conſtitutione totus mundus abſolute perfectus ſit. [m] 6. Monada vero, ſive Deum, ignemve illum divinum, ut materiam informaret & pervaderet, ex ſe produxiſſe, & emanationis lege eduxiſſe alia principia, Deos, dæmonas, heroës, animas, ut illa materiam inhabitando, agitando, & formando, eſſentias formasque rerum ei largirentur: hasque potentias & intelligentias emanativas numerorum quoque ſymbolis adumbrari poſſe. Ita, niſi toti fallimur, removetur velum Pythagoræ, & per numerorum ænigmata ipſa Pythagoræ doctrina perſpicitur, tenebræque obſcuriſſimæ doctrinæ ſi non omnes, certe potiores diſpelluntur. VII. Confirmantur vero dicta non conjecturis & rationibus ſolum, ſed & teſtimoniis præter adducta loca, aliis veterum, qui viderunt, Pythagoræ Deum ita explicandum eſſe, ut æthera ſive ignem ſupremum deſignare dicatur. Ex quibus luculentus imprimis Alexandri in ſucceſſionibus philoſophorum locus eſt, ex commentariis Pythagoricis hauſtus, [n] qui primo quidem numerorum doctrinam ita theologicis & phyſiologicis principiis Pythagoræ applicat, ut dicat: principium omnium eſſe unitatem, porro ex unitate indefinitam dualitatem, veluti materiam auctori unitati ſubjeciſſe, ex monade vero ac indefinita dyade reliquos numeros gigni, ex numeris puncta, ex punctis lineas, ex quibus planæ figuræ conſtent, & planis autem ſolidas figuras, ex iis

m) Conferendus cum his Anonymus PHOTII l. c.

n) Apud LAERT. l. VIII. ſ. 25. ſeqq.

iis ſolida corpora & quatuor elementa, quæ per omnia tranſeant & vertantur, ex quibus fieri mundum animatum, intelligibilem, rotundum &c. Summum aërem ſemper moveri & eſſe liquidiſſimum ac ſaluberrimum, & quæ in eo ſunt immortalia ac idcirco divina, ſolem & lunam Deos eſſe, & reliqua ſidera, quippe in illis ſuperare calorem, qui ſit vitæ auctor, hominumque cum Diis cognationem eſſe, quod & homo caloris particeps ſit, inde & Deum noſtri curam gerere: fatum quoque eſſe univerſorum, & partem ejus cauſam adminiſtrationis. Quæ omnia clare ſatis docent, non tantum numerorum explicationem & adplicationem ad principia phyſiologica recte a nobis inſtitutam eſſe, ſed eſſe quoque Deum calorem ætheris ſummi per univerſum ſe diffundentis. Addi poteſt locus CHALCIDII, *o* qui clare indicat, materiam a Deo ſeparatam fuiſſe & iſto modo agitatam, quod vix aliter niſi ſecundum iſtam explicationem poteſt intelligi: id quod etiam de SEXTI EMPIRICI *p* loco non minus luculento eſt tenendum. VIII. Magnopere vero confirmant hanc ſyſtematis Pythagorei de Deo explicationem ex ſchola Pythagorica illi, qui abjecta numerorum doctrina atomos receperunt, & intelligibilium proprietates ſubtiliſſimis particulis materiæ tribuerunt, de quo in ſequentibus dicemus. Illis enim atomi nihil aliud ſunt, quam particulæ ætheris ſive ignis divini, & principia ſimplicia, activa, maximeque prima, ex quibus omnia facta ſunt. Nec intelligi aliter poteſt, qui diverſum ex uno & eodem prodierit, quod tamen veteres Pythagorei teſtantur, quam junctis ignis mundani, ſive ætheris divini particulis cum materia craſſiore, cuncta tandem formata apparuiſſe. Poteramus dictis plura adjicere, quæ nec extra rhombum dicta eſſent, nec inepta alicui obſcuriſſimæ philoſophiæ accendendæ luci, niſi inſtituti ratio vela tandem contrahere juberet; ubi tamen IX. duo adhuc monenda adjicimus; nempe nec confundendam eſſe in phyſiologia Pythagorica intelligibilium emanationem, ſeriem & ordinem, cum rebus ſenſibilibus, nec tamen ab iis plane eſſe ſeparandam: deinde non audiendos eſſe Platonicos recentiores, qui duplici ex cauſa ſuſpecti & inepti hac in re arbitri ſunt. Nam & Platonem venerantur, qui Timæi potius, quam Pythagoræ veſtigiis inſiſtens ſyſtema dualiſticum abſolutum recepit, Deumque a materia prorſus diſtinxit, nec niſi animam aſſiſtentem ex Deo emanantem mundo junxit: & hac quoque phyſiologiæ inepta facie confuſi totum veterum ſyſtema corrumpunt, cumque hi materiam æterno nexu Deo jungerent, materiam illi ex Dei eſſentia educunt; & materiam tantum non ſpiritualem faciunt; quum Pythagoras ſpiritus omnes etiam Deum revera materiales feciſſet. Vnde quæ de intelligibilium natura ab omni prorſus materia remota

o) *Comment. in Timæum c. XIII. §. 293. p. 387.* qui quidem putat, receſſiſſe Pythagoreos a magiſtri mente, fallitur vero, ut ex dictis conſtat. Vel enim locus ſignificat, quod præſtantiſſimus MOSHEMIVS vult diſſ. *de creat. ex nihilo §. XIII. p. 971. Syſt. Cudw.* materiam ex Deo genitam eſſe, vel quod nos malumus, & verbis Chalcidii ſimplicius reſpondet, cum unum totum eſſet, Deum ab eo toto ſe ſeparando materiam conſtituiſſe, ſicque duo principia effecta eſſe.

p) *Adv. mathem. l. X. ſ. 261. ſeqq.*

mota garriunt, [q] noſtræ explicationi non poſſunt objici, cum iſti homines arbitrorum partes ex dictis cauſis ſuſcipere nequeant. X. Tandem ut & hoc coronidis loco addamus, ex prolixe diſputatis duplex controverſia decidi poteſt, utrum Pythagoras duplex principium ſtatuerit? & an atheiſmi ſuſpectus ſit? Prius affirmavit PLVTARCHVS, [r] & aſſeruit quoque PSEVDO-ORIGENES [s] trahique huc ſuc modo poſſunt omnes ex veteribus, qui dyadem materiam unitati oppoſitam eſſe profeſſi ſunt, quorum loca diligenter adduxit cel. WOLFIVS: [t] quanquam hoc nondum ſufficit, ut Pythagoræ duplicis principii ſyſtema tribui queat, ſed materiam eum ita definiviſſe oportet, ut a monade nullo prorſus modo derivari queat: qua ratione PLVTARCHVS [u] Pythagoræ mentem interpretatus eſt, qui dyada materiam maligno quodam dæmone animatam eſſe Deoque oppoſitam ſtatuit. Plerique qui ita rationes ineunt, cum umbris luctari videntur. Non enim attendunt, materiam quidem omnino, tanquam alterum principium paſſivum, iners, quin immo mali quoque fontem & originem dyadis nomine a Pythagora deſcribi, ita vero, ut cum adhuc eſſet in monade, [x] id eſt, cum unum totum, materia Deo animata, & quaſi prægnans adhuc eſſet, nec dum ab eo ſeparata receſſiſſet, ad univerſi naturam pertineret, & ſic demum ſilva, ſive materia indeterminata & immenſa duitas ab una ſingularitate inſtituta, recedente a natura ſua ſingularitate & in duitatis habitum migrante, exiſteret ſeparata, ut CHALCIDIVS [y] pulchre rem explicat. Ita vero ſyſtema dualiſticum, duorumve principiorum aliter illi tribui non poteſt, quam ſenſu modificato & comparato, ut Stoicis. Aliter Timæus, quique hunc maxime ſecutus eſt Plato, qui duplex independens principium invicem ſibi oppoſitum eligentes, longe alia ratione de natura differuerunt, eaque quæ comparate dixerat Pythagoras, abſolute poſuerunt. Interim tamen oppoſita unitatis & binarii ſive Dei rerum ſpiritualium fontis, & materiæ, rerum ſenſibilium ſubjecti ratio probe tenenda eſt: etſi ex una chaus origine proceſſerint, &, ſi clare loquendum, a vera materiæ notione neutrum liberari queat. Nam ita unitatem & intelligibilia deſcribebant Pythagorei, ut reſpectu habito ad fluxam, mutabilem & inertem materiam, ſtabilem, activam & ſpiritualem eis naturam adſcriberent, ſicque materiæ opponerent, quod & Stoici fecerunt. Sic & de atheiſmo Pythagoræ ex dictis judicandum eſt. Cum enim Deum & naturam unum eſſe diceret, id eſt, ut Ciceronis verbis utamur, animum per naturam rerum omnem intentum & commeantem, qui arctiſſimo & eſſentiali vinculo illi jungeretur, viſus eſt poſt veteres quosdam, imprimis THEOPHILVM ANTIOCHENVM, [z] recentioribus quibusdam [a] Spinoziſmi vel atheiſmi labem ſibi

Pythagoras an duplex principium ſtatuerit?

Pythagoras an atheus?

q) Prolixe de iis PORPHYR. in *ſententiis ad intellig. ducentibus.*

r) *De Iſide & Oſir. de gener. animæ ex mente Timæi.* *s*) *l. c. p. 39.*

t) *De Manichæiſmo ante Manichæos §. XXIX. p. 116 ſeqq.*

u) *ll. cc. & de plac. philoſ. l. I. c. 7.*

x) Monas hic non Deus a materia ſecretus, ſed cum ea in chao adhuc junctus eſt. Vnde licet dyas mali principium ſit, non tamen ſequitur illud eſſe ex monade. *y*) *l. c.* *z*) *l. c.*

a) BASNAGE *Hiſt. des Iuifs T. III. c. 10. p. 537.* IO. HENR. FOPPIVS *de Atheiſmo phil. gent. cel. ex. I. c. 9. 10.*

ſibi contraxiſſe, a qua tamen macula poſt REINESIVM[b] & CRENIVM,[c] BVDDEVM[d] & REIMMANNVM[e] & BEAVSOBRIVM[f], VV. cc. multa eruditione Pythagoram liberare conatus eſt B. IO. IACOBVS SYRBIVS.[ff] Qui licet potiſſimum Platonicos ſequiores Pythagoræ interpretes ſequatur, quos injuſtos & indignos hac in re arbitros eſſe ſupra monuimus, recte tamen obſervat, omnes ejusmodi locutiones ad Deum αἰσθητὸν pertinere, nempe animam mundi, quæ ejus partes penetret, & ideo mundus quoque dicatur: nam hoc omnia loca ſupra adducta evincunt, & dogma quoque illud Stoicis quoque receptum evidenter probat: vacuum neceſſarium eſſe, ut cœlum ex infinito ſpiritu reſpiret,[g] quod latentem in mundo divinum ignem ſupponit. In eo vero vir doctiſſimus, inque veterum doctrinis pernoſcendis verſatiſſimus, quem in his literis præceptorem habuiſſe, gaudemus, a Platonicis ſequioribus ſeduci ſe paſſus eſt, ut putaret, hanc mundi animam a mundo intelligibili & multo magis a Deo ſummo diſtinctam eſſe, quæ quidem ſententia CVDWORTHO[h] etiam placuit, qui recentiorum Platonicorum trinitatem apud Pythagoram ſe inveniſſe videri voluit, recte ideo a ven. MOSHEMIO[i] notatus: repugnat autem diſertis veterum, quæ adduximus, teſtimoniis, & aperte incognitam vetuſtis philoſophis hypotheſin de trinitate aliqua metaphyſica in Deo, ſapit, ideo non admittenda. Deus enim, anima mundi, ignis divinus, ratio in mundo verſans, & quæ alia ſunt hujusmodi nomina, idem ſunt, & unum Deum indicant. De atheiſmo itaque Pythagoræ, ſi vera ſunt, quæ ei tribuuntur a veteribus, locis citatis, eodem modo pronuntiandum, ut de Stoicis, quos phyſiologiam ſuam ex Pythagoreis & Heracliteis fontibus hauſiſſe præcedente capite demonſtravimus. Deum enim adeo non negavit Pythagoras, nec materiam brutam Deum conſtituit, ut potius ſine Deo ſyſtema ejus conſiſtere nequeat: ſed dum Deum uni toti quaſi immerſit, & ab eo tandem ſeparatum naturali & eſſentiali vinculo cum materia copulavit, dumque ignem eum naturæ, in extremo mundi circulo reſidentem, ut habet PHOTII Anonymus,[k] dixit, facile patet, quam prope ab impietate phyſiologia Pythagoræ abſit, quamque apta ea ſit vel ad atheiſmum, vel ad enthuſiaſmum seducere. Quo vero modo Deum rerum viſibilium conditorem dixerit, ex dictis abunde liquet.

VIII. Poſt ſummum Deum tres dantur intelligibilium ſpecies, Dii, dæmones, heroës; qui & naturæ atque dignitatis gradu, & cultu iis debito diſtin- *Intelligibilia.*

b) *l. c.* BAYLE *Rep. aux Qq. d'un Provinc. T. II. p. 333.*
c) *Animad. hiſt. & phil. P. XII. p. 183.*
d) *Theſ. de atheiſmo c. I. §. 19. p. 56. Hiſt. Eccleſ. V. T. T. II. p. 1079.*
e) *Hiſt. atheiſm. c. XXV. p. 152.*
f) *Hiſt. Manich. T. II. p. 174.*
ff) Diſſ. *de orig. atheiſmi p. 42.* add. HASAEVS diſſ. *de philoſ. gent. falſo ſuſpectis c. 3.*

g) ARISTOTEL. *phyſ. l. IV. c. 6.* hinc intelligitur, utrum reſpiratio hæc propria vel impropria ſit, quod poſterius contendit SYRBIVS.
h) *l. c. p. 444. ſeqq.*
i) *ad h. l.*
k) *n. 15. l. c.* Ex his vero, quæ olim de theologia Pythagoræ in *Otio Vind. Mel. II. §. 14.* diximus, emendanda ſunt.

ſtinguuntur. Dii enim ſemideis, in honore præferendi, hominibus autem heroës.[l] Aliter tamen in carmine aureo[m] ordinantur, ubi heroës dæmonibus præferuntur, qui terreſtres vocantur, vel a manſionis loco, vel a præfectura, quam acceperunt, vel a corporis natura, quo amiciuntur. Dum vero Deos vocat Pythagoræ ſchola ſpiritus illos primi ordinis, palam eſt, eos, ex philoſophiæ Italicæ decreto, ex Deo emanaſſe; unde tria hæc genera, tres emanationum ſpiritualium ex ſummo ignis divini fonte profluentium ſpecies ſunt, quibus ſi quartum addas, animam humanam, habes totam emanationis divinæ ſcalam. Natura vero & dignitate inter ſe diverſa eſſe iſta genera, ex eodem principio ſequitur, quo magis enim emanativum a fonte ex quo emanavit, diſtat, eo magis puritatem & ſimplicitatem naturæ amittit, ſuoque principio eſt inferius. Id quod facilius comprehenditur, ſi recordemur, quod modo demonſtratum dedimus, Deum fontem ignis eſſe longe puriſſimi & ſimpliciſſimi, per omnem materiam, craſſiorem ſcilicet, diffuſum, ex quo cum iſtæ intelligentiæ ortæ ſint, ejusmodi naturarum gradatio neceſſario obtinere debet. Et hinc ratio quoque petenda eſt, cur his dæmonibus corpus quoque, licet ſubtiliſſimum adſcripſerint, quod ſcilicet ab inferiori parte traherent. Ita enim HIEROCLES[n] (horum enim hominum auctoritate ſtandum eſt) de illis Ἥρως ψυχὴ λογικὴ μετὰ φοτεινοῦ σώματος, *heros eſt animus rationalis corpori lucido conjunctus.* Multa hac de re dici poſſent lateque diſputari, qua ratione Platonici juniores contendant, hos inter ſe ſpiritus eorumque corpora diverſa eſſe, quaque ratione quidam inter eos inſano deſcendendi in corpora graviora amore teneantur. Verum ea nec hujus loci ſunt, cum ad nugas potius Platonicorum Alexandrinæ ſcholæ debeant referri, & juſto ſunt prolixiora. Quod vero doctiſſimus CVDWORTHVS[o] affert argumentum, cur rationi conſentanea videatur hæc Pythagoreorum diſciplina, præter ſolum Deum omnes naturas corpore liberas, non aliter perfici & abſolvi, quam ſi ad eas, materiæ aliqua accedat portio, quam animent, ſcilicet, quod ſenſus omnis ex certa materiæ & ſpiritûs conjunctione oriatur, & frigidum eſt,[p] ipſamque Dei ſubſtantiam incorpoream evertere aptum, & rationibus Pythagoricis adverſum eſt, quibus iſtud ὄχημα magis propter emanationis naturam, qua ſubtiliſſimi ætheris particulæ emanantes, craſſiora indumenta aſſumunt, quo magis a fonte recedunt, aſſertum eſt,[q] ut vel ex animæ origine & conjunctione cum corpore terreſtri videri poteſt. Ceterum ex eodem emanationis intelligibilium ex ſummo Deo principio, non nomen tantum Deorum, ſed

l) LAERT. *l. VIII. ſ. 23.*

m) *v. I. ſeq.*

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεούς, νόμῳ ὡς διάκειται
Τίμα· καὶ βέσον ὅρκον· ἔπειθ' ἥρωας ἀγανούς
Τούς τε καταχθονίους σέβε δαίμονας, ἔννομα δέζων.
Aeternos venerare Deos, ut lege receptum eſt,
Et juſjurandum ſerva; heroasque ſupernos.
Terreſtresque colens genios fac congrua legi.

conf. GISB. CVPER. *obſ. l. III. c. 16.* & ex veteribus HIEROCLES *ad h. l.* eundem ordinem ſervat IAMBLICH. *c. VI. n. 31.* HIEROCLES *in aur. carm. p. 36.* PORPHYR. περὶ ἀποχῆς *l. II. §. 38. p. 82.*

n) *l. c. ſ. 67. p. 212.*

o) *Syſt. intell. c. V. ſect. III. §. 32. p. 1083.*

p) Conf. MOSHEM. *ad h. l.*

q) Lucem his fœnerabuntur ea, quæ de Zoroaſtris diſciplina *l. I.* docuimus, & infra *Tomo II.* de Cabbaliſtico ſyſtemate dicentur.

ſed & honor cultusque divinus, quem iis tribuebant Pythagorici, derivandus eſt. Deus enim, egregie obſervante CVDWORTHO,[r] non his tantum philoſophis, ſed plerisque philoſophorum familiis ſubſtantia eſt, homine præſtantior, ex materia ſenſus experte haud procreata, tamque alte poſita, ut juſtis a mortalibus honoribus affici debeat. Et hinc judicandum eſt, quatenus polytheiſmi accuſari queant, quod nimia fiducia aliquot locorum male intellectorum facit FRANCISCVS BALTVS.[s]

IX. Hæ intelligibiles ſubſtantiæ, anima præditæ ſunt, heroës quoque animæ ſunt a corpore ſeparatæ, boni ſi bonæ, mali ſi malæ.[t]

X. Subſtantiarum harum intelligibilium fons Deus eſt, ſive anima mundi, ex qua emanant: unde cum ab eo non tantum dependeant, ſed & in eo ſint, Deus ſubſtantia eminentiori ſignificatione vocandus eſt, monasque, quæ omnia in ſe complectitur, radix intelligibilium omnium; " acceperunt tamen ab eo propriam ſubſtantiam immutabilem, veram, nunquam aliter ſe habentem, adeoque ſimplicem. Nihil in his omnibus eſt, quod non Plato quoque receperit, qui ideas ita deſcripſit, quasque hos Deos eſſe capite quinto demonſtravimus: unde illa hic quoque repetenda ſunt. Ita vero intelligi poſſunt, quæ de monade & reliquis numeris ex Deo ſive unitate oriundis garriunt obſcuriſſimi philoſophi, quaque ratione multitudinis numeri eſſe, & tamen ſimplici natura gaudere queant. Multa hac de re quoque dabunt juniores Platonici, quorum tamen frigida plerumque acumina pleraque ſcholæ Italicæ ignorata fuere.

XI. Totus aër plenus eſt animarum, quæ dæmones & heroës exiſtimantur,[x] ſequitur hoc neceſſario ex anima mundi ubique diffuſa, quæ iſtos in ſe dæmones complectitur. Attulit hoc dogma Pythagoras ex Aegypto, unde & Thales hauſit, a quibus philoſophiæ Græcæ principibus ad alios quoque dimanavit.

XII. Ab his dæmonibus, qui in aëre verſantur, immittuntur ſomnia & ſigna, morbi ac ſanitates, neque ſolum hominibus, verum etiam brutis. Ad hos expiationes & averrunca pertinent, & divinationes & cetera id genus.[y] Multa hic dici poſſent, ſi quæ recentiores Platonici Pythagoreis tribuunt, & ex iis prolixo libro diſputavit IAMBLICHVS,[z] enarrare vellemus, verum his hominibus ſuo infra loco depingendis ſua relinquenda ſunt. Pythagoram tamen eadem opinione fuiſſe infectum, dubium eſſe non poteſt, ſi vera ſunt, quæ biographi ejus tradunt, incantationibus curaſſe morbos. Nam ea opinione ipſa Aegyptus occupatus fuit, ubi Pythagoras didicit, morbos, præcipue difficiliores & implicatos a dæmonibus immitti, eosque ægrotorum poſſidere corpora, cujus fundamentum ex ipſa anima mundana derivandum eſt, ex quo præfectura dæmonum derivata eſt.

r) *l. c. c. IV. §. 14. p. 261.*
s) *Iugement des SS. Peres ſur la morale des payens c. VII. p. 42.*
t) PLVT. *plac. phil. l. I, c. 8. T. II. p. m. 14.*
u) Loca veterum adduximus *Tom. VII. Amoen. liter. p. 228. ſeqq.* conf. MOVRGVES *l. c. diſſ. II.* CLERIC. *l. c. p. 446.*
x) LAERT. *l. VIII. ſ. 32.*
y) *ibid.*
z) *De myſter. Aegyptiorum.*

Qua de re libro primo actum : pleraque doctiſſime enodavit MOSHEMIVS. [a]

XIII. In duodecim orbium ſupremo ſive firmamento reſidet prima cauſa, & quicquid illi vicinum eſt, id firmiter atque optime compoſitum eſt, quæ longius abſunt, minime firma ſunt. Ordo conſtans ſervatur usque ad lunam; infra eum omnia promiſcue feruntur.

XIV. Hinc malum quoque neceſſario circa terræ regionem exiſtit: quandoquidem ea ad totum mundum fundi inſtar obtinet, proprium ſcilicet & commodiſſimum receptaculum eorum, quæ in imo ſubſidunt. Ita AVCTOR ANONYMVS Photii, [b] qui locus plane illuſtris eſt, ad probandam ejus, quod Pythagoreis tribuimus, ſyſtematis veritatem. Apparet enim ex eo, ignem mundanum in extrema cœli parte reſidere, & puriſſimas partes emanantes, intelligibilia prope hunc Deum eſſe; quo longius reliqua diſcedunt, eo minus firma eſſe; ineſſe ſideribus divinitatis partes, ſive Deos; in terra, ab hac cauſæ activæ & perfectiſſimæ emanatione remotiſſima, ſtabilitatem intellectualium non inveniri, ob materiæ craſſitiem; hincque malum eſſe. Quæ omnia ſine illo ſyſtemate plane conſiſtere nequeunt.

XV. Cæteras quidem partes omnes providentia & ſtabili ordine atque fato, divinæ voluntati obſequente gubernantur; ſed quæ infra lunam ſunt, ea a quatuor cauſis reguntur, Deo, fato, noſtro conſilio & fortuna. Ita laudatus pergit ANONYMVS, [c] & ſatis luculenter Pythagoream de fato & providentia doctrinam enumerat. Scilicet cum cuncta, quæ emanatione producuntur, id eſt intelligibilia omnia divina & cœleſtia, (quæ tamen & ipſa revera materia ſubtiliſſima conſtare ſupra docuimus) neceſſaria emanationis ſive divini motus & actionis lege exiſtant, & a ſumma cauſa non exiſtentia tantum ſed & influxu dependeant, omnino fatum & immutabiles leges ſunt, quæ cum certo ordine, fineque ex naturæ univerſi conditione ſcriptæ ſint, providentia dicuntur, eodem fere, quo apud Stoicos, ſenſu. Infra lunam vero cum hic influxus in partes materiæ craſſiſſimas propter earum inertiam non detur, hinc dixere, promiſcue phyſica cuncta ferri; quia tamen anima hominis particula eſt, a divino æthere avulſa, hinc neceſſario aſſerendum erat, quædam in poteſtate & conſilio hominis eſſe, quædam fortuna regi, quædam ad hominis ſcilicet felicitatem pertinentia providentia ſive fato dirigi. V.g. navem conſcendere vel non, in noſtra eſt poteſtate; at tempore ſereno procellas & tempeſtatem ſubito oriri, ex fortuna pendet, navem ſubmerſam præter ſpem conſervari, id divina fit providentia vel fato. [d] Fati autem a fortuna diſcrimen id eſſe dictus auctor ſtatuit: illud ſeriem, ordinem & ſequelam habet, fortuna autem caſu temerario contingit. Accepit ex hoc ſyſtemate multum Plato, aliquid Ariſtoteles, aliquid Zeno, qui tamen omnes ad ſua placita emendarunt. [e] Ex his

a) *l. c. p. 884. ſeqq.*
b) *l. c. n. 10. p. 60.* ed. KVST.
c) *l. c. n. 11.*
d) *ibid.*
e) Plura hac de re diximus in *Otio Vindel. Mel. I. §. 7. p. 86. ſeq.*

his vero manifeſtum eſt, providentiam Pythagoricam cum Chriſtiana non confundendam eſſe, quippe quæ phyſica magis eſt, quam moralis: licet adhuc melior ſit Stoica, dum homini aliquam libertatem relinquit, quam Stoica tollit. Interim tamen has fati leges, hunc naturæ ordinem, id eſt Deum ipſum ſequi, ſumma philoſophiæ moralis fuit non tantum apud Stoicos, ſed & apud Italicos philoſophos. *f* Dijudicari hinc & conciliari poſſunt etiam ii, qui contendunt, Pythagoreos providentiam negaſſe, quod aſſerit THEOPHILVS ANTIOCHENVS, *g* cum iis, qui providentia cuncta regi aſſerunt; illi enim de ordine rerum, quæ ſub luna ſunt, naturali, hi de morali loquuntur. *h* Hinc IAMBLICHVS, *i* Pythagoram refert, coram Phalaride demonſtraſſe, eſſe utique divinam providentiam, quæ hominum omnem expectationem ſuperet, ex bellis inexpugnabilibus, & morbis incurabilibus, aliisque calamitatibus, quæ dæmonum quorundam aut Deorum operatione immittuntur. Et ut, qualis illa providentia ſit, nempe ſeries fati per ordines cœleſtes pertingens, intelligatur, Abarim docuiſſe, pergit, quod a cœlo in res aëreas & terreſtres tranſitus quidam & deſcenſus fiat, quod omnia cœli ordinem ſequantur, quodque animæ facultas libera ſuique juris ſit, quippe quæ divinioris originis eſt, quam ut inferiores dæmones in eam aliquid poſſint. Et ex his locus LAERTII *k* de providentia Pythagorea ſubobſcurus lucem ſatis claram accipit.

XVI. Homo, mundi compendium eſt, quia non tantum ex quatuor elementis conſtat, ſed & omnes mundi virtutes continet; habet enim facultatem divinam, ſcilicet rationalem; habet naturam elementarem, nimirum vim nutritivam atque auctricem, ſuique productricem, at ſingulis tamen his inferiorem. Ita pſychologiam Pythagoreos exorſos eſſe ANONYMVS Photii *l* porro refert; quæ cum dicto quoque ſyſtemate rite cohærent. Pars enim divina animæ ab æthere divino divulſa, (quo nomine Pythagoram refutat CICERO, *m*) cum particula divinæ, quæ mundum penetrat, animæ ſit, rationalis neceſſario eſt, & pars ita ignis mundani ſive naturalis: reliquæ hominis partes ab elementis participant, de quibus infra dicemus.

XVII. Datur divinatio, quæ eſt nuncia propitiæ Deorum voluntatis, & qui hanc occupationem in pretio habet, is ſimul videtur exiſtimare, Deos eſſe, qui vero horum alterutrum ſtultum cenſet, ille utrumque ſtultitiæ damnat. *n* Sequitur hoc ex deſcripta hactenus divinæ naturæ per omnia diffuſæ operatione nexuque omnium rerum & ſequela atque ordine phyſico, exque animæ conditione divina. Varia vero cum ſint divinationum genera, ſola ea, quæ per ſacrificia fiunt, Pythagoram improbaſſe refert PLVTARCHVS. *o* Qui rationem tamen non addit, quæ vero non

f) Hinc patet, non ſatis bene Pythagoreorum in hac doctrina præcepta cohærere.
g) l. c. *h)* IAMBLICH. *c. XXVIII. n. 145.*
i) ib. c. XXXII. n. 217. ſeqq.
k) l. VIII. ſ. 29.
l) l. c. *m) loco ſupra laudato.*
n) IAMBLICH. *c. XXVIII. n. 134.* qui clariorem his lucem accendit *de myſter. Aegypt. Sect. III. c. 12. 13. ſeqq.* conf. THOM. GALE *ad h. l.*
o) De placit. phil. l. V. c. 1. T. II, p. m. 44.

alia fuiſſe videtur, quam quod iſta divinatio ex inſpectis ſacrificiorum extis fiebat. A ſacrificiis vero cruentis abhorrebat Pythagoras.

XVIII. Quidquid apparet, debet conſtare ex iis, quæ non apparent, quod autem ex aliquibus conſtat, non eſt principium, ſed id quod illud ipſum conſtituit.

XIX. Non poſſunt autem eſſe corporea, quia ea, quæ intelligentia concipiuntur, de iis debent præcedere, alias ipſa eſſent id, quod præcedunt: nec poſſunt corporea eſſe æterna, ut ſint omnium principia, ex quibus ſequitur atomos non eſſe principia univerſalia rerum naturalium. Prolixe Pythagoricas has diſputationes contra atomos enarrat SEXTVS EMPIRICVS, [p] ſaltem ad eorum mentem inſtitutas, quæ acumine non carent. Nervus totius diſputationis is eſt, cum æterna debeant eſſe principia, non ſufficere, ut æterna ponantur, (omnes enim philoſophi æterna principia ponunt) ſed recurrendum cogitatione ad intimas, quibus ab æterno talia eſſe potuerint, quibusque conſtent, rationes, neque in corporali textura acquieſcendum, ſed ad intelligibilia & incorporalia aſcendendum eſſe. [q] Hincque concluſiſſe, ait, Pythagoram, cum rerum omnium principia tranſcendat numerus, eum verum eſſe & univerſale principium. Patet ex his, Pythagoram non numeri rationem ſcientificam, ſed intelligibilem intellexiſſe, nempe id quod in rebus omnibus omnium primum & incorporale dicitur; unde & atomos rejecit. Quia vero, ut ſupra demonſtratum eſt, ſchola Italica ad ſubtiliſſimam mundi materiam ætherem, ignemve divinum reſpexit, eumque rerum omnium fontem principiumque poſuit, ſequitur inde, ejus minimas partes non tantum corporeis moleculis, atomisque illum oppoſuiſſe, ſed illis quoque intelligibilem, ſive ſpiritualem naturam adſcripſiſſe, quæ natura, origine & conſtitutione prior ſit omni corporeo, etiam atomo. Et ſic intelligendus nobis videtur obſcurus ARISTOTELIS [r] locus, qui poſtquam eorum enarraſſet opinionem, qui animam ex particulis minimis rotundis compoſitam dicunt, hæc adjicit: *ἔοικε δὲ καὶ τὸ παρὰ τῶν Πυθαγορείων λεγόμενον τὴν αὐτὴν ἔχειν διάνοιαν ἔφασαν γὰρ τινὲς αὐτῶν, ψυχὴν εἶναι τὰ ἐν τῷ ἀέρι ξύσματα οἱ δὲ τὸ ταῦτας κινοῦν, videtur autem & id, quod a Pythagoreis dicitur, idem ſignificare: dixerunt enim quidam eorum, animam eſſe ramenta illa, quæ ſunt in aëre, alii vero id quod hoc movet.* Vbi fruſtra nobis videtur Ariſtoteles eſſe, quique ejus auctoritate utitur CVDWORTHVS, [s] ut inter atomorum patronos ponatur Pythagoras; nam *ξύσματα* illa, omni corporeo, etſi materialia ipſa ſint, priora poſuere Pythagorici, & radios ſive effluvia potius æterni ignis ætherisve divini putaverunt, quidam vero ad internam in iis latentem eaque moventem retulerunt virtutem. Quæ poſtea Empedocli, aliisque ſemipythagoreis occaſionem dedere, obſcuros, & revera nihil ſignificantes numeros

p) *Adverſus mathem. l. X. f. 248. ſeqq.*
q) conf. FABRICIVS *ad h. l.*
r) *De cœlo l. I. c. 2. T. I. p. 478.*
s) *Syſt. intell. c. III. §. 14. p. 111.*

ros in particulas minimas, ab atomis Democriti tamen caute distinguendas transmutandi. Num vero Pythagoras numeros principia posuerit, tantum in genere causarum exemplarium, quod ex recentioribus etiam contendit BVRNETIVS,[t] an materialium, intricatior nobis quæstio videtur, in tanta rei obscuritate non satis decidenda. SCIPIO AQVILIANVS[u] inter Pythagoreos distinguit, & Pythagoram atque Alcmæonem posuisse ut materialia, alios Pythagoricos, ut exemplaria, ob idque quodammodo ut formas vel ut fines adhibuisse. Nobis utrumque certo modo conjungi posse videtur; quatenus enim ex primo intellectualium rerum fonte reliqua omnia quæ stabilia sunt, & revera entia promanarunt, materialia principia dici possunt; crassiorem vero materiam dum informant, non exemplaria tantum, sed & formæ sunt. Sed in re tam obscura, ubi palpare tantum licet, nihil certi definimus.

XX. Est itaque principium rerum unitas, per cujus participationem res unaquæque una dicitur; sin autem idem sibi alterum adjungatur, efficitur interminatus binarius.[x] Tantum supra de sensu horum principiorum dictum, quantum in re subobscura licebat, & satis esse potest. Inde vero fluere observavimus, Pythagoram principia quidem duo activum & passivum, Deum & materiam posuisse, sed quæ ex monade, sive uno toto, quod chaos veteres & Stoici quoque dixere, quasi exorta sunt, vel potius in eo latuerunt. Ex quibus definiri potest, an Magorum veterum, vel Manetis sententiæ de duobus principiis Pythagoras accesserit, quod posterius recte affirmat BEAVSOBRIVS,[y] cum Manetis doctrina multo accuratius cum Pythagoræ monade & dyade conveniat, quam Magorum, quibus ab æterno materia a Deo separata eique opposita fuit. Tacemus materiam, prout eam consideravit Pythagoras & activo principio oppositam, nunquam vel formam vel movendi vim, vel aliquid activi habere posse, quod tamen malo apud Magos principio tribuitur.

XXI. Complexus universi mundus dicitur ab ornatu ordineque. Pythagoram hujus nominis auctorem esse dicit PLVTARCHVS.[z] Ait tamen ANONYMVS Photii,[a] Pythagoram primum omnium cœlum appellavisse mundum, quia perfectum est, omnibusque animantium signis & nullo non pulchritudinis genere exornatum.

XXII. Mundus a Deo factus est, sed non tempore, verum cogitatione. Hoc apud STOBAEVM[b] Pythagoræ tribuitur, posterius tamen suspectum est, prodiisse ex schola Platonicorum recentiorum, qui ut Platonem cum Aristotele conciliarent, ejusmodi creationem mundi æternam commenti sunt. Nisi hoc velint Stobæi verba, non certo tempore, sed ab æterno Deum agitando & separando materiam intrinseca cogitationis suæ necessitate mundum produxisse, idque per æternas recurrere periodos, ut Stoicis quo-

t) *Archæol. philos. l. I. c. 11. p. 429.*
u) *De placit. philos. ante Arist. l. I. c. XX. p. 88.*
x) SEXTVS EMPIR. *l. c. §. 261.*
y) *Hist. de Manichéens P. I. l. I. c. 3. p. 31. seqq.*
z) *De placit. phil. l. II. c. 4. T. II. p. m. 20.*
a) *n. 14. p. 62.*
b) *Eclog. phys. l. I. c. 25. p. 48.*

quoque placuit. Hoc dubium non eſt, a Platone ea in parte differre ſcholam Italicam.

XXIII. Interire poteſt mundus, quod ad naturam ſuam attinet, quia corporeus, & ideo ſenſibus obnoxius, non autem peribit, providentia eum, & Deo continente.[c] Valde timemus, ne Plutarchus vel quisquis libelli de placitis philoſophorum auctor eſt, Platonis dogma cum Pythagorico confuderit. Si enim expoſitam hactenus phyſiologiam Italicam ſupponimus, mundus neceſſario finem habet, cuncta enim in monada, ſtatumque chaoticum redeunt, & ex monade novus mundus exoritur. Vnde Philolaus duplicem mundi interitum, igne & aqua aſſeruit,[d] quæ apud barbaros quoque fuere recepta, quos præceptores habuit Pythagoras.

XXIV. Inchoavit mundus ab igni & quinto elemento. Cum enim ſint quinque formæ corporum ſolidorum, quæ mathematica vocantur, e cubo orta eſt terra, e pyramide ignis, aër ex octaëdro, ſphæra univerſi ex dodecaëdro. Atque in his Pythagoram imitatus eſt Plato.[e]

XXV. Mundus animatus eſt, intelligens, ſphæricus, extra eum vero inane eſt, in quod & ex quo mundus reſpirat.[f] Tota theſis a Stoicis quoque recepta eſt, unde, ut brevitati conſulamus, explicationem lector hauriet.

XXVI. Dextra mundi oriens eſt, unde motus exiſtit initium, ſiniſtra occidens.[g]

XXVII. Ordinis univerſi omniumque in eo ſingularium cauſa fatum eſt.[h] Supra ſatis de hoc fato dictum: eſſe phyſicam rerum omnium diſpoſitionem & ordinem neceſſarium, PLVTARCHVS,[i] prodit, qui mundo neceſſitatem circumdatam eſſe, inter dogmata Pythagorea ponit.

XXVIII. Mundus harmonia muſica regitur.[k] Explicatum id dedimus ſupra, ubi de muſica Pythagorea dictum eſt.

XXIX. In ſphæra ſuprema reſidet prima cauſa, cui quicquid eſt proximum, id optimum, conſtantique legi conjunctum & ordinatum. Dictum & de hoc dogmate ſupra.

XXX. Aër terræ circumfuſus, immotus ac morbidus eſt, & mortalia omnia, quæ eo continentur: qui vero ſupra eum eſt, aër ſemper in motu eſt, purus, ſanusque, & quotquot eo continentur, immortales ſunt, adeoque divini. Hic liber æther, ut HIEROCLES habet, vocatur, & æther quidem, quippe qui materiæ ſit expers, ipſeque corpus exiſtat æternum, liberum, quia perturbationibus materiæ non ſubjicitur. Notabilis locus ad intelligendam phyſiologiam Pythagoream, ex quo Dei natura ſupra deſcripta eleganter probatur, & luculenter cognoſcitur, æthera ſupremum, ſive ignem

c) PLVT. *l. c.*
d) *ib. c. 5.*
e) *ibid. c. 6.*
f) LAERT. *l. VIII. ſ. 27.* ARIST. *de cœlo l. II. c. 1.*
g) PLVTARCH. *l. c. c. 10.*
h) LAERT. *l. c.*
i) PLVTARCH. *l. c. l. I. c. 25.* Quanquam hic locus proprie ignis divini omnia neceſſaria naturæ ſuæ lege agitantis diſpoſitionem innuere videtur. Hoc enim igne ſive Deo mundus circumdatus eſt ex phyſiologia Pythagorica.
k) SEXT. EMP. *l. VII. ſ. 95.* conf. quos nominat FABRICIVS *ad Pyrrh. hyp. c. XVIII. ſ. 57.* & *adv. Mathemat. l. VI. ſ. 30. not. D. p. 362.* KEPLERVS *de harmonia mundi.*

ignem iſtum mundanum immaterialem eſſe, ſtabilem, intellectualem, quod ad intelligendum horum philoſophorum ſermonem omnino notandum.

XXXI. Sol, luna, reliqua ſidera Dii ſunt. Hoc ex antecedenti dogmate ſequitur; magna enim Dei, ignis ſcilicet mundani pars in iis habitat. Ita iterum Stoici quoque, quin plerique inter barbaros, qui Deum mundi animam eſſe cenſuerunt.

XXXII. Quævis ſtella eſt mundus in æthere infinito, qui terram, aërem ætheremque continet. [l] Ex Orphicis, vel a barbaris potius hæc didiciſſe Pythagoram ſupra jam obſervavimus.

XXXIII. Sphærica ſolis eſt figura, cujus defectus luna ſubeunte contingit. [m]

XXXIV. Corpus lunæ igneæ eſt naturæ, atque a ſole illuſtratur, eclipſis vero lunæ obſtructio eſt & reverberatio profecta ab antichthone. [n]

XXXV. Terreſtris videtur luna & habitari ab animalibus majoribus nobis & pulchrioribus, quinquies decies noſtrorum quantitatem continentibus, neque ullum excrementum dejicientibus. [o] Hos lunæ incolas dæmones eſſe habitos ex IAMBLICHO [p] colligitur, qui lepidam narrat ſententiam, Italis Pythagoram adventantem, cum in diſciplinam ſe ei dediſſent, viſum eſſe dæmonem ex iis, qui lunam incolunt.

XXXVI. Cometa eſt ſtella, quæ non ſemper apparet, ſed ſtato tempore ſua revolutione exoritur. [q] Mirum in tanta rerum naturalium infantia Pythagoreos de corporibus cœleſtibus tantum ſapuiſſe, recte ideo laudatos BVRNETIO. [r]

XXXVII. Iris ſolis eſt reſplendeſcentia. [s]

XXXVIII. Poſt ſphæras cœleſtes infra lunam eſt ſphæra ignis, hinc aëris, deinde aquæ, ultimus ſubeſt orbis terrarum. [t]

XXXIX. Omnium elementorum corpora rotunda ſunt, igne excepto, qui conicus eſt. [u]

XL. Datur generatio & reſolutio ſive corruptio, res enim alteratione, mutatione & reſolutione elementorum fiunt. [x] Intelligendum hoc eſt, de ſola materia, quæ fluxa & mutabilis eſt, & de iis, quæ ex elementis componuntur. Formæ enim, ſive entia ſimplicia, intelligibilia, quæ naturam rei largiuntur, corrumpi nequeunt, ſed ſemper manent, non voluntate tantum conditoris, ſed natura quoque ſua, quæ æterna, ſtabilis & immutabilis eſt. Nihil itaque eſſentiarum vitarumque perit, ſed aliter tantum corpus,

l) PLVT. *l. c. l. II. c. 15.*
m) STOB. *l. c. p. 55.*
n) PLVT. *l. c. c. 28.*
o) *ib. c. 30.*
p) *c. VI. n. 30.*
q) PLVT. *l. c. l. III. c. 2.*
r) *l. c. p. 224.*
s) AELIAN. *l. IV. c. 27.*
t) ANONYM. *Phot. p. 60.*
u) PLVT. *l. c. l. I. c. 14.*
x) *ib. c. 24.*

corpus, quod accipit, componitur & ſecernitur. [y] Et hoc genuinum quoque transmigrationis animarum fundamentum eſt.

XLI. Æquis partibus mundo lux ac tenebræ inſunt, calidum item & frigidum, ſiccum ac humidum. Ex iis dum calor exuberat, æſtas, dum frigus, hiems fit: dum æquis vero partibus vigent, optima ſunt anni tempora: quorum id, quod viret, eſt veris grata ſalubrisque temperies, id vero, quod areſcit, autumni eſt inſalubris poteſtas. Immo & in ipſo die viret aurora, veſpera areſcit, atque adeo minus ſalubris eſt. [z]

XLII. Penetrat a ſole radius per æthera frigidum atque aridum; hic radius profunda penetrat, adeoque vivificat omnia, in quantum caloris participant, non omnia tamen animam habent. Anima enim avulſio eſt æthe-ris calidi & frigidi, differtque a vita anima: ipſa eſt immortalis, quoniam immortale eſt, a quo derivatur. [a] Poſito ſyſtemate ſupra explicato, hæc ſua ſponte ſequuntur.

XLIII. Ex terra nulla fieri poteſt generatio, ſed animantia a ſe invicem mediante ſemine generantur. Proceſſum vero generationis & formationis embryonis videſis apud LAERTIVM [b] ex Alexandro, & CENSORINVM, [c] qui rationes harmoniæ ad hoc argumentum adplicatas recenſet.

XLIV. Semper humanum genus fuit, nec finem habebit. Hoc Pythagoreis VARRO [d] tribuit, nec male, ſi eo ſenſu ſumatur, quo th. XXII. explicuimus. Animi enim ex æterna Dei emanatione ſunt; materia æternis periodis agitata ab anima mundi, ſive Deo, & producta ita omnia, & inter ea homines quoque. Ita inepto generationis æquivocæ figmento opus non erat Pythagoreis.

XLV. Anima numerus eſt, ſe ipſum movens. [e] Numerum & intelligibile idem eſſe, ex ſupra dictis notum: animam vero, ex mundi anima ſive æthere avulſam, ejus particulam eſſe, ſupra th. XV. obſervavimus, quæ hic repetenda ſunt.

XLVI. Anima generaliſſima diviſione in duas partes dividitur, rationalem & irrationalem. Irrationalis in iraſcibilem & concupiſcibilem. Illa φρὴν eſt, hæc νῦς & θυμός. [f] Prima anima ex mundi anima eſt, altera & tertia ex elementis.

XLVII. Omnium animantium animæ rationales ſunt, eorum etiam, quæ bruta vocamus: hæc tamen ſecundum rationem non agunt, ob pravam corporis temperiem, & ſermonis defectum. [g] Neceſſario ita ſtatuendum erat, admiſſa ſemel anima mundana. Hinc cognationem inter animalia bruta & homines eſſe Pythagoras aſſerebat, horumque ſtatuebat animas in illorum corpora migrare: ideoque a ſacrificiis cruentis abſtinebat, ut ſupra notatum.

XLIX.

y) Conf. CVDWORTH. *l. c. c. V. ſ. IV. §. 29. p. 1154. ſeq.*
z) LAERT. *l. VIII. ſ. 26.*
a) Alexander *in ſucceſſionibus* apud LAERT. *l. c. ſ. 27.*
b) LAERT. *l. VIII. ſ. 28.*
c) *De die natali c. 11.*
d) *De re ruſtica l. II. c. 1. p. 58.* ed. Steph. CENSORIN. *l. c. c. 4.*
e) PLVT. *pl. phil. l. IV. c. 2.*
f) *ibid. c. 4.*
g) *ibid. c. 20.*

XLIIX. Initium animæ eſt a corde ad cerebrum, & in corde quidem θυμὸς, animus ſedet, mens vero φρὴν & animus νῦς in cerebro ſunt. Ab his ſenſus quaſi ſtillant. Pars vero rationalis immortalis eſt, reliqua mortalia ſunt. Anima ſanguine nutritur, λόγοι vero facultatesve animæ ſpiritus (ἄνεμοι) ſunt. [b]

XLIX. Anima & facultates ejus inviſibiles ſunt, neque æther enim videri poteſt. Vincula animæ venæ ſunt, arteriæ & nervi: ubi vero invaluerit intra ſe ipſam compoſita vincula ejus rationes ſunt & actiones. [i]

L. Mens, (φρὴν) extrinſecus animæ inſeritur, [k] participatione divina, [l] (θείας μοίρας) ex univerſa mente divina ſive anima mundi decerpta. [m] Hinc immortalis eſt, quoniam immortale eſt id ex quo derivatur. Fundamentum dogmatis hujus ſupra ſatis illuſtravimus: hoc unum adjicimus, dixiſſe, teſte PLVTARCHO, [n] animum non eſſe Deum, ſed opificium Dei, quatenus ſcilicet emanativum ab emanante, particula a toto differt.

LI. Anima quaternionem in ſe habet. [o] Quid vero illa tetracty in animis intelligatur, adeo variant veteres, ut perſpicuum ſit, eos rem ignoraſſe. Nos, cum certiora non habeamus, ſilere malumus, quam conjecturas noſtras Pythagoræ ſupponere. Mentem, opinionem, ſcientiam, ſenſum, explicat PLVTARCHVS, quatuor elementa eſſe, viſum MOSHEMIO, quatuor virtutes, FABRICIO, de quibus videnda, quæ ſupra in arithmetica Pythagorica diximus.

LII. Animæ vincula venæ, corpus carcer eſt, [p] id qua ratione intelligendum ſit, ea declarant, quæ de philoſophia in genere ex mente Pythagoræ diſſeruimus.

LIII. Cognitionis octo ſunt organa: ſenſus, imaginatio, ars, opinio, prudentia, ſcientia, ſapientia, mens. Quatuor poſtrema homo communia habet cum Diis, priora duo cum beſtiis, opinio propria ei eſt. [q]

LIV. Anima ejecta in terram, vagatur in aëre, corpori ſimilis. [r] Duplici hæc ſenſu accipi poſſe, recte monet ALDOBRANDINVS, [s] vel de ejectione animæ lapſæ ex cœlo, antequam in corpus demittitur, vel de emigratione ex corpore, homine mortuo. Animas enim lapſas pœnas dare meritorum, Pythagoræ tribuit HIERONYMVS. [t] Fatendum tamen, incertum hoc plane eſſe, & videri ex Academia Platonis hauſtum, nec accurate etiam dicitur, animas ejici & vagari in aëre, ſed dicendum, animas immitti in corpora. Rectius itaque de emigratione animæ ex corpore Laërtii verba intelliguntur: non enim ſtatim novis corporibus immitti animas Pythagoræ placuit, ſed prius reduci vel ad æthereas, ſi bonæ fuerint,

b) LAERT. *l. VIII. ſ. 30.* ἄνεμοι videntur partes ſubtiliſſimæ ſanguinis, vel ſuccus nerveus eſſe, quem ſpiritus animales vocant. Sequimur OLEARII verſionem. Interpres enim mire omnia pervertit apud Laërtium.
i) *ibid.*
k) STOB. *eclog. phyſ. p. 93.*
l) CLEM. ALEX. *Strom. l. V. p. 590.*
m) CICERO *ll. cc.*
n) PLVT. *l. c. l. IV. c. 7.*
o) *Aur. carm.* PLVT. *l. c. l. I. c. 3.*
p) LAERT. *l. VIII. ſ. 30.*
q) ANONYM. *Photii n. 17. p. 64.*
r) LAERT. *l. VIII. ſ. 31.*
s) *ad. h. l.*
t) *Q q. ad Hebid. q. 10.*

rint, vel ad aëreas & tenebricoſas [w] ſedes, ſi malæ, indeque circulo neceſſitatis fative poſcente, tum demum in nova immitti corpora, vel humana vel bruta, prout diſpoſitio & conditio earum patitur, ipſæque purgatæ magis minusve ſunt. Hinc intelligenda, quæ ſequuntur LAERTII [x] verba: Mercurium animarum quæſtorem eſſe, atque ideo ductorem dici & janitorem, & terrenum, quod is ex corporibus, & ex terra & e mari animas educat, & puras quidem atque purgatas in excelſum ducere, impuras vero illis ne appropinquare quidem, neque invicem ſibi ipſis, ceterum vinciri a furiis infractis nexibus. Quibus verbis fabularis theologia doctrinæ philoſophicæ accommodatur, & innuitur, certum quendam dæmonem eſſe, huic potiſſimum negotio præfectum, qui ſedem animis deſignet poſt fata, purgatasque ſatis, ad excelſa & cœleſtia ducat, jungendas ſedibus divinis, impuras in tartaro, id eſt aëre gravi & tenebricoſo tamdiu devinctas detineat, donec corporibus iterum immittantur. Ex quibus patet, doctrinam de ᾅδου [y] ſedibus, ſive loco ſtatuque poſt mortem poſſe conſiſtere ex horum hominum ſententia cum μετεμψυχώσει, redituque animæ in aliud corpus. Ipſe certe Pythagoras, qui ſe memoriam prioris ſtatus accepiſſe a Mercurio jactabat, vidiſſe ſe dicebat, quæ in tartari ſedibus fierent, antequam novum corpus ſubiret. Nihil novi vero hac doctrina Pythagoras invenit, ſed ex Ægypto eam attulit, ut ex illis liquet, quæ de hac re libro primo diſputavimus.

LV. Nulla anima interit, ſed poſt certos fati circulos, definitasque temporum periodos, nova ſubit corpora, idque, quod fuit olim, fit rurſus. [z] Celebratiſſimum hoc transmigrationis animarum in ſchola Pythagorica dogma eſt, quod non arcanum tenebatur, ſed in vulgus emanabat, id quod a barbaris, parem ſententiam in vulgus ſpargentibus, accepit, & more ſuo imitatus eſt. Nec poterat aliter ſtatuere philoſophus, cum animæ naturam in numero tanquam particulam divini ætheris poſuiſſet, & intelligibilem ei conditionem adſcripſiſſet. Aſſertione enim XL. oſtendimus, vi naturæ emanationis, nihil quod ad ſtabilem, ſimplicem, & æternam naturam referri poteſt, interire, nec mutari, ſed nova tantum involucra quaſi, ex materia craſſiori, accipere. Quæ cum Pythagoram eo perduxiſſent, ut animas certo numero definitas præexiſtere ante corpora ſtatueret, neceſſario reditus animarum in nova corpora afferendus erat: cumque rerum omnium ex una anima mundana participantium cognationem aſſereret, ut diſerte tradit PORPHYRIVS, [a] non in humana tantum, ſed & bruta corpora migrare animas decernendum erat. [b] Egregie hanc Pythagoræ doctrinam deſcripſit OVIDIVS, [c] Pythagoram ita ſermocinantem inducens:

Morte

w) Hinc terræ motus a manium occurſu oriri credebat, ſi fides AELIANO *l. IV. c. 26.*

x) *l. c.*

y) Videndi doctiſſimi Britanni ROB. PARCKERVS libro raro: *de deſcenſu Chriſti ad inferos*, IAC. WINDETVS *de vita functorum ſtatu ex Hebræorum & Græcorum inter ſe comparatis ſententiis.*

z) PORPHYR. *vit. Pyth. n. 19.* LAERT. *l. VIII. ſ. 14.* conf. viri docti ad hæc loca. *a*) *l. c.*

b) Frigidis id rationibus negat PROCLVS in *Timæum l. V. p. 329.*

c) *Metamorph. l. XV. v. 158. ſeqq.*

Morte carent animæ: ſemperque priore relicta
Sede, novis domibus habitant, vivuntque receptæ.
Omnia mutantur; nihil interit, errat & illinc,
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus, eque feris humana in corpora tranſit,
Inque feras noſter: nec tempore deperit ullo,
Vtque novis fragilis ſignatur cera figuris,
Nec manet, ut fuerat, nec formas ſervat easdem,
Sed tamen ipſa eadem eſt, animam ſic ſemper eandem
Eſſe, ſed in varias doceo migrare figuras.

Quamvis enim Sulmonenſem poëtam his verſibus Stoicam μετενσωμάτωσιν, cum Pythagorica μετεμψυχώσει confundere, allatum exemplum prodat, recte tamen reliqua Pythagoræ tribuuntur, fundamentumque verum affertur, nihil, quod verum & ſtabile atque eſſentiale ſit, perire, ſolam materiam ſemper eſſe in mutatione: adeoque eandem tandem redire animam. Ita vero tradidiſſe Pythagoram, adeoque literali ſenſu hanc animarum in alia corpora migrationem accipiendam eſſe, non tantum tota phyſiologiæ Pythagoreæ conſtitutio probat, quæ hanc metempſychoſin poſtulat, ſed & doctrina Ægyptiorum, a quibus Pythagoras teſte DIODORO SICVLO [d] & HERODOTO [e] accepit, ut reliqua fere dogmata omnia. Illos vero κατὰ τὸ ἑητὸν animarum migrationem ſtatuiſſe, libro primo demonſtratum eſt. Nec alium ſenſum patiuntur ea, quæ Pythagoras jactavit, de ſua migratione, qui, ut ſupra narratum, in quibus antea corporibus fuerit, quo nomine antea gaviſus ſit, expoſuit, & initiatis indicavit, quæ antea ipſi quoque corpora ſubiiſſent. [f] Nec dici poſſet Pythagoras auctor fuiſſe metempſychoſeos inter Græcos, [g] qui de vera & literali migratione accepere, niſi ipſe ita intellexiſſet. Audiendi itaque non ſunt, qui inſipidi dogmatis abſurditate commoti, Pythagoram non proprie ad literam, ſed allegorice & improprie eam intellexiſſe volunt, & ita varias explicationes comminiſcuntur, contortas admodum & parum veriſimiles. Inter veteres ex ipſa Italica ſchola TIMAEVS LOCRVS [h] animarum migrationem inter falſos ſermones refert, quibus animi, qui veris non ducuntur, coërceri debent: quod tamen mirandum non eſt, ſyſtemate ejus phyſiologico, quod a genuino Pythagorico abiit, ita poſtulante. Ex recentioribus multi ſunt, qui pro Pythagora ab hoc abſurdo errore liberando, ſententiam tulerunt. REVCHLINVS [i] enim & DACIERVS [k] ad methodum Pythagoræ ſymbolicam confugiunt, & tanquam fabulam a philoſopho ad emendandos vulgi animos propoſitam fuiſſe contendunt, quod diſertis veterum teſtimoniis, quibus tamen ſtandum

d) Apud EVSEB. *præp. l. X. c. 8.*
e) *Lib. II. c. 123.*
f) IAMBLICH. *c. XIV. n. 63.*
g) PORPHYR. *l. c.* LAERT. *l. VIII. ſ. 14.* qui, ut ex ſequentibus patet, de ſolis Græcis eſt intelligendus, unde perperam notatur a Cl. HANSCHIO *de enthuſ. Plat. ſect. VII. §. 28. p. 119.*
h) *De anima mundi p. 566. Opuſc. myth.* GALEI.
i) *De art. Cabb. l. V.* conf. PASCHIVS *intr. in rem liter. mor. vet. c. IV. §. 10. p. 668.*
k) *Vit. Pythag. p. 81.*

eſt, aperte contradicit. [l] Alii ad ἐνσωμάτωσιν Stoicam revocant, putantque reſpexiſſe Pythagoram vel ad animam vegetativam & ſenſitivam; quæ cum ex elementis compoſita ſit, & in elementa redeat, ex quibus alia corpora, aliæque animæ ſenſitivæ, etiam animalium, brutorum naſcantur, ita redire in vitam dicatur, quæ modo AMBROSIVS RHODIVS [m] Pythagoram ſenſiſſe tuetur; vel ex anima mundana, in quam animæ reducuntur, novas animas immitti, ſicque in alia corpora migrare dici contendunt, [n] id quod ad corporum in animam mundanam ſideralem ex ſiderum corporibus oriundam reditum, indeque ortum hominis animalem applicat WHITHELORVS BVLSTRODIVS. [o] Quæ quam aliena ſint a tota phyſiologia Pythagoræ ſupra allata, attente conſideranti erit manifeſtiſſimum. LLOYDII, [p] FICINI, [q] MORNAEI [r] aliorumque hac de re cogitata brevitati conſulentes prætermittimus. Legibus itaque fidei hiſtoriæ omnium facient optime ſatis, qui ita Pythagoram tradidiſſe ſtatuunt: I. animarum ex divino æthere avulſarum, & ab eo participantium certum eſſe numerum; II. eas certis temporibus immitti in corpora; III. poſt ſolutionem vinculorum corporis in ſuperiores partes evadere, & IV. certo tempore in manium ſedibus detineri purgandas, tumque V. a materiæ inquinamentis magis liberatas melioribus, deturpatas vero paſſionibus materiæ, deterioribus brutisque corporibus immitti, hunc-que circulum toties revocari, donec ſatis purgatæ, ſemperque meliores & liberiores a contagio materiæ & terreſtrium affectuum tandem ad principium, ex quo decerptæ ſunt, primum, ætherem ignemve ſummum ſive Deum reducantur. Ita pœnæ & præmia poſt mortem ſatis amice cum migratione animarum concordant, [s] ratioque patet, quomodo animæ ſapientes dicantur a Pythagora inter Deos recipi, [ſſ] vel, quod PLVTARCHVS [t] Pythagoreis tribuit, quomodo animæ e corpore egreſſæ in animam univerſi abeant. Vtrumque enim de animabus tantum purgatis & poſt iteratas neceſſitatis periodos tandem liberatis juxta Pythagoræ phyſiologiam intelligendum eſt. [u]

Medicina. §. XXV. Naturali philoſophiæ ſubjicienda eſt medicina Pythagorica, quam non neglexiſſe philoſophum Samium teſtantur LAERTIVS, [x] AELIANVS [y] & IAMBLICHVS, [z] a Chaldæis eum didiciſſe vult APVLEIVS,

l) Conf. CLERIC. *Bibl. ſel. T. X. p. 185.*

m) *De tranſmigrat. animarum Pythag.* conf. *Act. phil. vol. II. p. 787. ſeqq.* huc quoque tendit explicatio CVRIONIS & SOVVERAINII *Plat. devoil. P. I. c. 18. p. 201. ſeq.* putant enim perpetuam materiæ mutationem innui.

n) ROB. PARCKER. *l. c. l. II. §. 47. p. 76.* IAC. WINDET. *l. c. ſect. III. p. m. 33.*

o) *Animarum tranſmigrat. Pythagorica defenſa,* vid. *Act. erud. 1693. p. 569. Obſ. Hal. T. II. obſ. X. p. 207.* quæ eſt B. BVDDEI.

p) *l. ſupra cit.*

q) Ad *Phæd. Platonis p. m. 332. l. X. de rep. p. m. 445.*

r) *De V. R. C. c. XV.*

s) Negat id BAYLE *l. c. not. T. T. III. p. 743.*

ſſ) Vid. *Aur. carm. v. ult.*

t) *De placit. phil. l. IV. c. 7.*

u) Ita conciliari poteſt CVDWORTH. qui *Syſt. intell. c. IV. §. 18. p. 367.* Pythagoreis tribuit, animas ſapientium virorum ſtatim ad cœleſtes ſedes proficiſci, & cel. MOSHEM. *l. c.* qui eas quoque migrare contendit. Illud enim de animabus perfecte purgatis intelligendum eſſe, finis carminis aurei evidenter probat.

x) *Lib. VIII. ſ. 12.* *y*) *Lib. IX. c. 22.*

z) *c. XXIX. n. 163.* PORPHYR. *n. 33.* CELSVS *præf.*

LEIVS,[a] quod magis de Ægyptiis verum eſt, inter quorum diſciplinas arcanas medicinam quoque fuiſſe, ex ſupra dictis notum eſt. Duplex vero ea apud Pythagoreos fuit, diætetica & therapeutica, illa diætam victusque rationem, laborisque, motus & quietis viciſſitudines moderatur, hæc morbis medetur. Et diæteticis quidem accuratiſſime Pythagoreos operam dediſſe, teſtatur IAMBLICHVS,[b] ex quo, qua ratione menſam inſtruxerint, ſupra prolixe enarravimus, quæ heic loci repetenda ſunt. Pleræque vero regendæ diætæ regulæ hæ fuere:

I. Ad ſanitatem conſervandam multum intereſt, ut rationes laboris victusque & quietis accurate inter ſe conferantur, cibisque etiam apparandis certus modus præſcribatur.

II. Omnes cibi, qui flatulenti ſunt, quique tumultum in corpore poſſunt excitare, vitandi ſunt, e contrario eligendi, qui corporis habitum confirmant & adſtringunt.

III. Rejiciendi cibi ſunt, qui Diis ingrati exiſtunt, quia nos a Dei familiaritate abducunt.

IV. Abſtinendum & ab iis cibis eſt, qui ſacri cenſentur, quia reverentia digni ſunt, neque communi hominum uſui conducunt.

V. Cavendum porro ab iis, qui facultatem divinandi, puritatem animæ, caſtitatem, ſobrietatem, aut virtutis habitum impediunt, quique ſanctitati adverſi ſunt, & oblatas in ſomno ſpecies obfuſcantes.

VI. Theoreticis ab omni carnis & vini uſu abſtinendum. Leges has cibarias ſupra, quantum ſatis, illuſtravimus, ad quæ recurrendum.

VII. Cor non rodendum, cerebrum non comedendum, a malva, melanuro, erythinoque abſtinendum. Rationes Pythagoræ ſupra quoque attulimus, quæ partim phyſicæ, partim theologicæ partim morales fuere: hinc inter ſymbola quoque recepta.

VIII. A fabis abſtinendum, propter multas ſacras naturalesque rationes. Ita, qui hæc omnia tradit IAMBLICHVS,[c] qui vero non explicuit, quæ iſtæ rationes ſint, cur a fabis tantopere Pythagoras abhorruerit, ut maluerit occidi, quam fabas in agro conculcare fugiendo. Hinc multum ingenia eruditorum hoc interdictum exercuit, ut in plerisque ſolet fieri, quæ ſola conjectura detegi poſſunt, ut ſunt in Pythagoricæ philoſophiæ hiſtoria fere omnia. Et Ariſtoxenus quidem, cujus verba ex libro *de Pythagora & ejus diſcipulis* nobis ſervavit A. GELLIVS,[d] quique cum Xenophilo Pythagorico aliisque, qui a Pythagoræ ætate haud multum aberant, familiariter converſatus eſt, ſcriptum reliquit: nullo ſæpius legumento Pythagoram uſum fuiſſe, quam fabis, quoniam is cibus & ſubduceret ſenſim alvum & levigaret: porculis item minuſculis & hædis tenuioribus victitaſſe. Addit his Gellius; errorem hunc ortum, quia in Empedoclis carminibus, qui diſciplinas Pythagoræ ſecutus eſt, hic verſus inveniatur:

Λειλοὶ πάνδειλοι κυάμων ἀπὸ χεῖρας ἔλεσθαι.

...hinc

a) *Florid. l. II. c. 15. p. m. 358.* b) *l. c.* c) *l. c.* conf. *n. 106.* d) *Lib. IV. c. 11.*

hinc enim opinatos plerosque, κύαμον legumentum vulgo dici. Sed qui diligentius ſcitiusque carmina Empedoclis arbitrari ſint, dixiſſe, κυάμους hoc loco teſticulos ſignificare more Pythagoræ ſymbolice ita appellatos: voluiſſeque homines a rei venereæ proluvio deducere. Vix tamen Ariſtoxenus fidem meretur, in tanto veterum teſtimoniorum conſenſu, quæ unanimi ore, fabis abſtinuiſſe Pythagoram & ſequaces referunt. Nec convenit cum regulis diæteticis Pythagoræ, quæ a flatulentis cibis ſuos arcebant: fabæ vero cum inflationem magnam habeant, recte inde CICERO, ipſi Gellio laudatus, infert, ab eis Pythagoram prohibuiſſe, ne errorem animis perturbationemque afferant. Neque tamen hæc ſola ratio phyſica ſufficere videtur, cur Pythagoras non eſum tantum fabarum ſuis interdixit, [e] ſed & bovem ab eo arcuerit, & ab iis conculcandis abſtinuerit, unde ad rationes phyſicas & arcanas alii confugerunt. Quidam [f] morali ſenſu interdictum accipientes, ideo a fabis abhorruiſſe dixere, quod a ſuffragiis, quæ fabis interdum fiebant, abſtinendum putaret. Id vero contrarium eſt philoſophiæ Pythagoræ, quæ rebuspublicis adminiſtrandis & legibus ferendis diſcipulos inſtruebat, unde & politici & legislatores dicti ſunt. [g] Alii, quorum ſententiam fuſe narrat PORPHYRIVS, [h] ad phyſicas rationes delapſi inde interdicti fabarum eſus rationem advocarunt, quod ex putredine in primo ſtatu chaotico ſingula exorta ſint, fabæ vero & homines ex ea ſimul efflоruerint, inde & dentibus comminutas & ferventibus ſolis radiis expoſitas, humani cruoris odorem reddere. Alii [i] naturam univerſi in iis adumbratam, quærunt alii portas inferni, quod geniculatæ non ſint, quam ſententiam, qua animarum ingreſſus & egreſſus ex ᾅδου indicari, quaque aſcenſus ad Deum ſymbolum feciſſe Pythagoras dicitur multa eruditione ornavit IACOBVS WINDETVS, [k] in quam pedibus quoque ivit BAYLIVS. [l] Vt verum autem fateamur, fruſtra hæc omnia dici, & ab ingenio magis, quam veriſimilitudine ſe commendare nobis videntur: nulla enim alia ratio adduci poteſt, quam pati hanc explicationem principia Pythagoræ philoſophica, quod rem nondum conficit. Nobis ab inutili & nil profutura diſquiſitione eo magis abſtinendum eſſe videtur, quo magis tam arcanam hanc rem habuere Pythagorei, [m] ut mortem oppetere, quam myſterium prodere maluerint. Quod quæſo, emolumentum vero, in rem nunquam detegendam operoſe inquirere? [n]

Cer-

e) IAMBLICH. *c. XIII. n. 61.*

f) Ariſtoteles laudatus LAERTIO *l. VIII. ſ. 34.* IAMBLICH. *c. XXXV. n. 259.* PLVT. *de educ. puer. T. I. p. m. 17.* LVCIAN. in *vitar. auct.*

g) Conf. cl. STOLLIVS *Hiſt. phil. mor. gentil. §. CXXIX. p. 129.*

h) *n. 42. 43.* ORIG. *philoſophum. c. II. p. 42.* conf. BAYLE *l. c. not. I. p. 744.* STANLEIVS *P. VIII. p. 797.*

i) LAERT. *l. c.* & MERIC. CASAVBON. atque MENAG. *h. l.*

k) *De vita functorum ſtatu ſ. V. p. 97. ſeqq.*

l) *l. c.* Parum abit THOM. SPIZELIVS *de literat. Sinenſ. Sect. XIII. p. 285.* ſed perperam intellecto Laërtii loco deceptus, putat, Pythagoram ſtatuiſſe in fabas quoque migrare animas. τὸ πνευματῶδες enim apud Laërtium non ſpirituales eſſe vel animatas fabas dicit, ſed flatibus generandis aptas, ut recte CICERO *de Divin. l. I.* explicuit.

m) Ita & MENAG. *ad h. l.*

n) Plures de hac re ſcriptores laudantur *Act. philoſ. vol. I. p. 230. vol. II, p. 488.* qui videndi.

Certe, ſi verum eſt, fabis interdixiſſe Pythagoram ſuis, veriſimilius ad rationes diæteticas, quam morales vel phyſicas refertur. [o] Diligentia vero recondendi hoc quoque myſterium magis inſtituti & diſciplinæ jurejurando obfirmatæ ſtudio, quam arcanæ ſignificationi adſcribendum, præſertim cum in Ægypto jam a fabis abſtinere didicerit Pythagoras.

IX. A piſcibus arcendus Pythagoreus. Rationem ejus ſupra expoſuimus.

X. Panis, & mel in prandio adhibenda, ille ex milio; olera item cruda & cocta. [p]

XI. Acetum ſcilliticum magnæ virtutis eſt, ad tuendam præſervandamque ſanitatem. Frequenter adhibuiſſe hoc medicaminis genus Pythagoreos, veteres paſſim produnt. [q]

In pharmacevtica medicina magica utramque faciebat paginam. Cataplaſmata, notante IAMBLICHO, [r] frequentius, quam qui eos anteceſſerant, adhibebant, ſed ungventa medicata (*φαρμακείας*) minus probabant: hisque ipſis ad vulnera potiſſimum ſananda utebantur, inciſiones vero & uſtiones minime omnium admittebant. Quosdam inſuper morbos incantationibus curabant, & muſica. Herbasque adhibebant magicas, quas primum in noſtro orbe celebraviſſe Pythagoram magos confectatum, primumque volumen de earum effectu compoſuiſſe, Apollini dicatum PLINIVS [s] ſcribit. Quæ an vera ſint, ex iis, quæ de ſcriptis Pythagoræ ſupra diſputavimus, dijudicanda ſunt. Nec negat Plinius, hoc volumen a quibusdam Cleemporo Medico adſcribi, qui eum forte ad Pythagoram, propter receptum ab eo morem herbis magicis utendi, retulit. Quasdam hujus generis herbas exponit idem PLINIVS, [t] qui legendus. Multas in hac therapevtica miraculoſas curationes a Pythagoreis confictas eſſe, ſolitis mendaciis præceptoris augere famam, nemo ſanus dubitet, dolendumque, anilem hanc Pythagoreorum ſuperſtitionem ex arvis medicæ artis nondum potuiſſe totam eradicari. Ceterum criticorum quoque dierum, [u] anni item climacterici [x] inventio Pythagoræ tribuitur, cujus potiſſimum fundamentum in abſurda hypotheſi de numerorum virtute, præſertim cubica, nititur, quod placere potuiſſe viris doctis & emunctæ naris, merito miramur. Rationes ejus omnes prolixo commentario expoſuit CLAVDIVS SALMASIVS, [y] paucis eas complexi ſunt SAMVEL TENNVLIVS, [z] & GER. IO. VOSSIVS. [a]

§. XXVI.

o) IAMBLICH. PORPHYR. *ll. cc.* LAERT. *l. VIII. ſ. 16.*

p) AVCTOR libri *de medicam facile parabil.* inter GALENI *Opera l. III. T. IV. p. 463.*

q) PLIN. *l. XXIII. c. 2.* conf. SCHVLZIVS *Hiſt. medic. Per. I. ſect. 2. c. 7. p. 271.*

r) *n. 163. c. XXXIV. n. 244.* STANLEIVS vertit, potiones medicatas, melius OBRECHTVS unguenta, quæ ad vulnera adhiberi ſolent.

ſ) *Lib. XXIV. c. 17. l. XXV. c. 11.*

t) *l. c.* conf. CLERIC. *Hiſt. med. P. I. l. II. c. 4. p. 91.* qui hanc therapeuticam recte eo derivat, quod Pythagoras morbis dæmones præeſſe ſtatuerit.

u) Conf. CELSVS *Med. l. III. c. 4.* SCHVLZ. & CLERIC. *ll. cc.*

x) CENSORIN. *de die nat. c. XIV.*

y) *De anno climacterico.*

z) Ad IAMBLICH. *intr. in arithm. Nicom. p. 129.*

a) *De theol. gentil. l. III. c. 20. p. 815.*

Symbola Pythagorica.

§. XXVI. Conſiderata hactenus, quantum inextricabiles difficultates patiebantur, philoſophia Pythagorica, coronidis loco, ſymbola ejus adjicienda ſunt, de quorum cauſis, modo, uſuque ſupra pleraque jam enarravimus. Pauca hic adjicimus, ſparſim tantum in antecedentibus obſervata:

I. Nihil in iis novi vel inuſitati adhibuiſſe Pythagoram, ſed receptæ inter barbaros, & Græcos quoque theologos methodo arcanæ ſe attemperaviſſe, quo factum, ut invidioſa in ſe diſciplina non ſuſpiceretur tantum, ſed & reciperetur tanquam maximus ſapientiæ his involucris latentis theſaurus. Licet, ſi verum fatendum, & veritatis atque ſapientiæ recta ratio habenda, totam diſciplinam ſuam, falſæ ſapientiæ ſuſpectam Pythagoras hac arcana methodo reddiderit. [b]

II. Confirmamur in eo admodum, uſu ſymbolorum a Pythagoreis adhibito in eum finem, ut de rebus & dogmatibus ſectæ ſuæ loquentes ab extraneis non intelligerentur. [c] Sapientiæ autem ſol radios ſuos colluſtrare neminem dedignatur.

III. Factum inde, ut ab ἀλλοτρίοις, & hujus ſectæ myſteriis initiatis ejusmodi ſymbola male intelligerentur, &, cum magna eſſet ſcholæ Italicæ exiſtimatio, literæ illi inhærerent: unde haud unum ſuperſtitionis anilis genus exortum eſt, quod vel noſtra ſecula exuere non potuere. Exemplo ſint ſymbola ſequentia: ne ſpeculum ad lucernam intuere; offenſa in veſtibulo vetula non egredere; ſal apponito; in poculi fundo reſiduum non relinquito; ſurgens e lecto ſtragulam complicato; in meridie ne dormito, & his ſimilia. [d]

IV. Ex his vero, attendentibus clarum eſſe poteſt, impoſſibile eſſe, certas Pythagoricorum ſymbolorum explicationes dare, unde ipſe IAMBLICHVS [e] ea cum oraculis Pythicisque effatis comparat. Non defuere quidem cum inter veteres, tum inter recentiores viri acuti, qui his tenebris lucem accendere conati ſunt. [f] Verum ipſe, qui ex horum numero eſt IAMBLICHVS [g] faſſus eſt, rationes his ſymbolis ob veriſimilitudinem additas, non eſſe Pythagoricas, ſed quorundam exteriorum, qui eas comminiſcantur, quive conentur probabilem quandam ſpeciem dictis affingere, id quod exemplo quoque diverſæ explicationis probat. Cum itaque interpretes ipſi incerti ſint, quid proprie ſub iſtis ænigmatibus ſchola occultaverit

b) Conf. prudenter dicta *Act. philoſ. vol. I. pag. 230.*

c) IAMBL. *c. XXXII. n. 227. protrept. c. 31.* SCHEFFERVS *l. c. p. 90. 91.* ſed & teſſeræ inſtar fuiſſe, qua Pythagorei ſe inter ſe dignoſcerent, ex IAMBL. *c. XXXIII. n. 237. ſeqq.* patet.

d) Exempla plura attulit MAGN. DAN. OMEIS *app. ethicæ Pythagoricæ n. 129. ſeqq.*

e) Paſſim, vid. *n. 105. 161. 247.*

f) Inter veteres ſymbola Pythagorica illuſtrarunt multi. Et Anaximandri quidem Mileſii junioris, Ariſtotelis, Alexandri Polyhiſtoris, Androcydis aliorumque ea de re ſcripta dudum intercidere. Ex iis, quos hodie legimus, conſuli poſſunt LAERT. *l. VIII. ſ. 17. ſeqq.* HIEROCLES *ad C. A. p. 297.* SVIDAS in *Pythag. T. III. p. 233.* PLVT. *Sympoſ. l. VIII. c. 8.* HIERON. *contra Rufinum T. II. p. 166. Opp.* IAMBL. *vit. Pyth. ll. cc.* PORPHYR. *n. 42. ſeqq.* & imprimis IAMBLICHVS *protrept. c. 21.* LILIVS GIRALDVS etiam *veteris philoſophi expoſitionem,* PLVT. falſo tributam inſeruit tractatui *de ſymbolis Pythagoræ.* Recentiores enumerant FABRIC. *Bibl. Græc. vol. I. p. 459.* & HEVMANNVS *Act. phil. vol. I. p. 377.* quibus addi poſſunt doctiſſimi viri STOLLIVS *Hiſt. phil. mor. gent. §. 129. ſeqq. p. 228. ſeqq.* LEHMANNVS *Hiſt. phil. Pyth. p. 423. ſeqq.*

g) *n. 86.*

verit Italica, immo cum ſuſpicari non ſine ratione liceat, variis ſignificationibus mox phyſicis mox theologicis mox moralibus adaptata fuiſſe, laterem lavare nobis videntur, qui in his veterum & recentiorum explicationibus Pythagoreæ diſciplinæ præcepta eaque genuina invenire ſe poſſe ſperant. Nuda itaque hæc ſymbola afferemus, lectoremque ad interpretes remittimus, qui, qua ratione hi intellexerint noſcere cupit.

§. XXVII. Ita vero ſymbola Pythagoræ recitat IAMBLICHVS: *Symbolorum ſumma.*

I. In templo progrediens adoratum, nihil interea, quod ad vitam facit, nec dicito, nec facito.

II. Perfunctorie templum ne ingreditor, neque ſi ipſiſſimas fores prætergrediaris.

III. Diſcalceatus nudisque pedibus ſacrificato atque adorato.

IV. Publicas vias declinans per ſemitas ingreditor.

V. Ab eo, quod nigram caudam habet, abſtineto.

VI. Lingvam ante omnia contineto, Deos ſequens.

VII. Ventorum ſpirantium ſonum adora.

VIII. Ignem gladio ne fodito.

IX. Aciem omnem abs te removeto & avertito.

X. Cum viro, cui onus impoſitum eſt, ſimul attollito.

XI. Dum calceamenta pedibus ſubduntur, pedem dextrum ante adferto. In pelluvium autem ſiniſtrum priorem inferto.

XII. De rebus Pythagoricis ſine lumine ne loquitor.

XIII. Iugum ne tranſilito.

XIV. Peregrinationem inſtituens, domum ne revertitor, furiæ quippe ſimul comitantur.

XV. Ad ſolem converſus ne meito.

XVI. Facula ſedem ne extergito.

XVII. Gallum alito quidem, ſed non ſacrificato, lunæ namque & ſoli ſacer eſt.

XIIX. Chœnici ne inſideto.

XIX. Nihil eorum, quod curvos ungves habet, alito.

XX. In via ligna ne feces.

XXI. Hirundinem tecto ne accipias.

XXII. Annulum ne geſtato.

XXIII. Dei formam & imaginem annulo ne inſculpito.

XXIV. Ad lucernam faciem in ſpeculo ne contemplator.

XXV. De Diis & divinis oraculis, nulli eorum, quæ admirabilia fidem derogato.

XXVI. Riſu in continenti ne concutitor.

XXVII. Ad ſacrificia ungves ne præcidito.

XXIIX. Dexteram ne cuivis injicito.

XXIX. E ſtragulis ſurgens ea convolvito & veſtigium confundito.

XXX. Cor ne edito.

XXXI. Cerebrum ne comedito.
XXXII. Pilos præſciſſos & ungvium præſegmina conſpuito.
XXXIII. Rubicundum non ſuſcipito.
XXXIV. Ollæ veſtigium in cinere aboletc.
XXXV. Cum ea, quæ aurum habet, non congreditor ad liberos procreandos.
XXXVI. Inprimis honorato figuram & greſſum, figuram inquam, & triobolum.
XXXVII. A fabis abſtineto.
XXXIIX. Malvam in horto quidem tuo plantato, ſed ea ne veſcitor.
XXXIX. Ab iis, quibus vita eſt animalis, abſtineto. Hactenus IAMBLICHVS, [b] qui explicationem quoque addidit. Adjicienda his alia, ex veteribus a STANLEIO [i] & LEHMANNO [k] collecta, inter quæ potiora magisque memorabilia hæc ſunt:
XL. Quæ de menſa ceciderint, non tollenda.
XLI. Panem ne frangito.
XLII. Sal apponito.
XLIII. Cibum in matulam ne injicito.
XLIV. Meridiano ſomno ne indulgeto.
XLV. Elixum ne aſſato.
XLVI. Cœlo tonante terram tangito.
XLVII. Ex curru ne comedito.
XLIIX. Mitis ſtirps non lædenda.
XLIX. Clara voce precandum.
L. Super terram non navigandum.
LI. Palma non plantanda.

Alia, quæ ex PSEVDO-PLVTARCHI libello habuit GYRALDVS tanquam incertæ fidei prætermittimus. Quanquam & hoc veriſimile eſt, non eſſe hæc ſymbola omnia ipſius Pythagoræ, ſed pleraque forte a diſcipulis, quædam etiam ab aliis illos imitantibus excogitata. In his litera Y, humanæ vitæ ſymbolum, bicorni ratione latam & anguſtam vitii & virtutis viam delineans eſſe videtur, quæ inde litera Pythagorica dici ſolet; [l] inter barbaras enim gentes ejus ſimilitudinis veſtigia jam apparent. [m] Tandem & hoc non prætereundum, Pythagoram uſum fuiſſe teſte PORPHYRIO [n] & CLEMENTE ALEXANDRINO [o] ſermone quoque allegorico & hieroglyphico, cujus illi exempla afferunt.

SECT.

b) Protrept. cap. ult.
i) l. c. p. 797.
k) l. c. p. 459. ſeqq. Qui rationes etiam a veteribus & recentioribus allatas diligenter enarrat.
l) LACTANTIVS *l. VI. c. 3.* PERSIVS *Satyr. III. v. 56.* AVSON. *edyll. XII.* & epigramma vetus VIRGILIO tributum.
m) In S. enim literis ipſisque *Proverbiis* Pythagora longe antiquioribus ejus ſymboli veſtigia jam apparent *c. XV. 24.* & inter Iudæos frequens fuiſſe ex MATTH. *VII, 13.* patet. Notumque colloquium Herculis Thebani ex fabulari theologia petitum, quod explicat XENOPH. *mem. l. II. p. 461.* & CICERO *offic. l. I. c. 32.*
n) Vit. Pyth. n. 41.
o) Strom. l. V. p. 571. ſed & peculiaribus diſciplinæ vocabulis uſos fuiſſe Pythagoreos IAMBLICHVS paſſim obſervat, nosque ſupra quædam tetigimus. Talia ſunt *ἐχεμυθῆν, n. 94. κατάρτυσις n. 95. παιδάρτασις n. 101. κάθαρσις n. 110. ἐξάρτυσις n. 114. συναρμογὴ ib. ἐπαφὴ ib. ἐπωδὴς ibid. ἡλικία ἐνδεδασμένη n. 201.*

* *

SECTIO II.

DE DISCIPVLIS ET SECTATORIBVS PYTHAGORAE.

§. I.

Discipuli Pythagoræ.

Multos habuiſſe diſcipulos Pythagoram, qui ex tota Italia ad eum confluxerunt, ex antecedentibus conſtat. Venere enim, ſi Ariſtoxeno fides eſt, [a] ad ipſum Lucani, & Meſſapii, & Picentini & Romani, [b] ut ſingulos, qui eruditionis ejus fama moti ad eum acceſſiſſe PORPHYRIO [c] & IAMBLICHO dicuntur prætereamus, quorum catalogum ſatis prolixum exhibet IAMBLICHVS. [d] Exoſos vero, & exardente invidia, vivo adhuc Pythagora, combuſtos ex parte, multos in exilium actos eſſe, ſupra quoque narravimus. Poſt mortem ejus non uxoris tantum Pythagoræ & liberorum curam atque educationem, ſed & ſcholæ ſucceſſionem ſuſcepit ARISTAEVS, filius Demophontis Crotoniata, qui Pythagoræ vixit ætate, ſeptem, ut IAMBLICHVS [e] habet, generationibus ante Platonem. Nemo enim erat, qui ex theoreticis doctrinam Pythagoræ melius teneret. Imprimis in ſcientiis mathematicis, quæ anſæ quaſi erant philoſophiæ Pythagoricæ, egregie verſatum fuiſſe, veteres teſtantur, qui librum ejus de locis ſolidis laudant. [f] Scholam is, quam a Pythagora acceperat, [g] tanquam ætate reliquis major, triginta novem annis rexiſſe & centeſimum fere ætatis annum attigiſſe dicitur STANLEIO, [h] qui tamen IAMBLICHI verba perperam accepit. Ariſtæo ſucceſſit MNESARCHVS, Pythagoræ filius, cum avo ejusdem nominis non confundendus, quem alii Mnemarchum vocant. ANONYMVS [i] tamen Photii hunc juvenem obiiſſe, & Telaugem in ſchola parentis ſucceſſiſſe tradit. Poſt hunc Bulagoras ſcholæ præfuit, cujus ætate Crotona direpta eſt. Huic ſucceſſit Tydas, vel quod malunt critici, [k] Gartydas vel Gortydas, Crotoniata, a peregrinatione, quam ante bellum & direptionem patriæ ſuſceperat, redux, qui tamen propter patriæ calamitatem vitæ pertæſus, ex mœrore ante diem obiit, poſtque tempus aliquod Areſas Lucanus, a quibusdam hoſpitibus in vita ſervatus ſcholæ regimen ſuſcepit. Ad hunc venit Diodorus Aſpendius, qui ob paucitatem Pythagoreorum in collegio [l] iſto receptus eſt. Et meminit quidem Diodori alicujus Aſpendii

Mneſarchus aliique ſucceſſores.

a) Apud PORPHYR. *n. 22.*

b) Dubium tamen hæc faciunt ea, quæ *libro primo* de philoſophia Romanorum diximus.

c) *l. c.*

d) IAMBLICH. *c. ult. n. 265.* auxit hanc ſyllogen diligentia FABRICII *Bibl. Græc. vol. I. p. 486.* qui adeundus. *e*) *l. c.*

f) Edidit in eum divinationes VINCENTIVS VIVIANVS. Vid. *Act. erud. 1703. p. 487.*

g) IAMBLICH. *l. c.* conf. de eo FABRIC. *l. c.* VOSSIVS *de ſcient. mathem. c. XIII. §. 5. p. 50.*

h) Iamblichus enim de Pythagora ait, eum XXXIX. annis ſcholam rexiſſe, & fere centenarium obiiſſe, ut recte quoque vertit OBRECHTVS.

i) *l. c. p. 56.*

k) Vid. SCHEFFER. *l. c. p. 172.* BENTLEI. *de epiſt. Phalarid. p. 83.* KVSTER. *ad h. l.*

l) Ita σύσημα vertendum eſſe demonſtravit MENAG. ad LAERT. *l. VIII. ſ. 45.* neque Obrechtus neque Stanlejus ad hoc attenderunt.

ATHENAEVS,[m] qui mutata secta, ad Pythagoreos accessit, quem eundem cum Tydæ successore putat SCHEFFERVS, [n] nec tempora repugnare contendit; Athenæo enim memoratum sub Ptolomæo Lagi vixisse; Tydæ vero successorem ex ultimis Pythagoreis fuisse, qui Aristoxeni tempore, teste LAERTIO, [o] his Ptolomæi temporibus viventis, floruerunt. Si tamen Iamblichum sequimur, minus ætas Diodori hujus temporibus Ptolomæi respondet. Eo scilicet auctore ab Aresa, quinto Pythagoræ successore, receptus est, quod ad tempora Ptolomæi extendi nequit. Teste enim ANONYMO Photii [p] Archytas successione octavus fuit a Pythagora, ante quem Diodorum istum fuisse oportet. Archytam autem Plato audivit, ante Alexandri M. tempora. Aut itaque duo Diodori Aspendii fuere, aut Iamblichus ætatem ejus neglexit, & incommodo loco posuit, id quod sæpius ab eo factum est. Sed & in aliis Italiæ & Siciliæ oris Pythagorei dispersi vivebant, & Heracleæ quidem Clinias & Philolaus, Metaponti Theorides & Eurytus, Tarenti Archytas, Locri Timæus. [q] Nec defuere mulieres, in systemate collegiove Pythagoreo philosophantes, quas post Philochorum Athenienſem, [r] deperditum, collegere MENAGIVS, [s] & FABRICIVS. [t]

Pythagorei alii.

§. II. Memorantur & alii, qui ex hac schola prodiere philosophi, legimusque hodie fragmenta Hippodami, Euriphami, Hipparchi, Theagis, Metopi, Critonis, Diotogenis, Callicratidæ & Charondæ, quæ nobis servavit STOBAEVS: [u] etsi dubium est, an genuina ea sint, nec ne. Sed & alii ex Pythagoreorum schola prodierunt, qui paulisper a genuina viri philosophia recesserunt, quales præter Empedoclem, Epicharmum & Ocellum Lucanum, de quibus in sequentibus dicendum, fuere ECPHANTVS Syracusanus, & Hippon Rheginensis. Ecphantus, qui alium habuit Crotoniatam cognominem, [x] Empedoclis vel præceptor fuit, vel discipulus, satis enim doctrina utriusque naturalis concordat. Eam sic exhibet STOBAEVS [y] & PSEVDO-ORIGENES: [z]

Ecphantus.

I. Non posse fieri, ut veram rerum notitiam adipiscamur. Quæ assertio nititur conditione materiæ fluxæ & semper in motu & mutatione versantis, ex quo manifestum est, vel deseruisse Ecphantum intelligibilia Pythagoræ, vel hanc tantum thesin, ut plures ex hac schola, de rebus tantum intelligibilibus accepisse.

II. Prima principia esse individua corpuscula, eorum tres differentias exsiste-

m) *Lib. IV. p. 163.*
n) *l. c. p. 172.*
o) *Lib. VIII. s. 46.*
p) *l. c. p. 56.*
q) IAMBLICH. *l. c.*
r) Scripsit is *collectionem heroidum*, sive *Pythagorearum feminarum*, teste SVIDA *T. III. p. 612.*
s) *Hist. mul. philos. §. 76. seqq. p. 499.*
t) *Bibl. Græc. vol. I. p. 508. seqq.*
u) Hippodami *Serm. CCXLIX. p. 822.* Euryphami *ib. p. 825.* Hipparchi *Serm. CCLIV. p. 812. seqq.* Theagis *Serm. I. p. 9.* Metopi, *ib.* Critonis *Serm. XXVIII. p. 84.* Diotogenis *Serm. CXLI. p. 422.* Callicratidæ *Serm. CLXXXIX. p. 645.* Charondæ, *Serm. CXLV. p. 467.* editionem GALEI supra memoravimus. Æschylum forte ob sententias Pythagoreorum exotericas inter eos numerat CICERO *Tusc. Qq. l. II.*
x) IAMBLICH. *c. ult. n. 267.* nostrum in catalogo Pythagoreorum omisit FABRICIVS.
y) *Eclog. phys. l. I. c. 25. p. 48. c. 13. p. 27.*
z) *Philosophum. c. XV. p. 102. seq.*

exſiſtere: magnitudinem, formam & potentiam: ex his oriri, quæ ſenſibus obvia.

III. Certum & hunc infinitum numerum eorum eſſe.

IV. Præter iſta corpuſcula eſſe inane. Addit hoc STOBAEVS, qui quoque monet, Ecphantum monadas Pythagoræ corporeas dixiſſe: id quod cum diſciplina Empedoclea convenit.

V. Corpora non gravitate, nec impulſu, ſed divina mentis vel animæ potentia moveri.

VI. Ita non tantum ex atomis conſtitiſſe mundum, ſed & providentia regi. Stobæi hæc ſunt, quæ ex antecedenti theſi ſponte fluunt. Ex his vero diſcrimen inter ſyſtema atomiſticum Semipythagoreorum & Democriticorum atque Epicureorum apertum eſt. Et nudaſſe quidem hæc corpuſcula qualitatibus aſſerit THEODORITVS, [a] ſi Diaphantus idem eſt, qui Ecphantus, quod placet cel. MOSHEMIO, aliter tamen Pſeudo-Origenes, qui præter magnitudinem, formam & potentiam iis tribuit.

VII. Hinc fieri, ut mundus norit videre; & propterea quoque unius ope potentiæ ſphæricum factum eſſe. Clarum eſt, in his Ecphantum facere mundum ἔμψυχον: adeoque a ſyſtemate Pythagorico, non nimis receſſiſſe.

VIII. Terram medium mundi moveri circa centrum ſuum orientem verſus.

Alter ex Pythagoreorum cenſu memorandus HIPPON eſt, Rhegi- *Hippon Rhegimus.*
nus, quem cum Hippone Pythagoreo, CENSORINO [b] laudato, qui aliis Metapontinus dicitur, ut Ariſtoxenus & Iamblichus Samium faciunt, eundem forte eſſe veriſimili ratione conjicit FABRICIVS. [c] Quidam Ionicæ ſcholæ adſcribunt, [d] & Thaletis diſcipulum faciunt, qui ARISTOTELEM [e] ſequi videntur, inter Ionicos ejus mentionem facientem. Sed id magis ratione principii phyſici, quod elegit, quam ratione ſectæ, quam ſecutus eſt, intelligi debet. Contemtim de eo judicat ARISTOTELES [f] propter εὐτέλειαν τῆς διανοίας; plerisque veterum, [g] qui ejus mentionem faciunt, inter atheos numeratur, unde & Melius quibusdam [h] dictus eſt, quod idem cum Diagora Melio ſentiret. Difficulter tamen de ejus atheiſmo judicari poteſt, cum opus ejus phyſicum, ad quod paſſim reſpiciunt veteres, olim jam interciderit. Quod ſi tamen CLEMENTI ALEXANDRINO [i] fides eſt, non moderate tantum & continenter vixit, ſed & ideo tantum in atheorum numerum relatus eſt, quod reliquis hominibus acrius hunc errorem perſpexit, Deos gentilium fuiſſe homines immortalitate a tempore fabulaque donatos. Vnde & alio loco, [k] hunc ſibi verſum monumento inſcribi juſſiſſe refert:

Hĭc

a) *De cur. Græc. aff. Serm. IV. T. II. p. 509.*
b) *c. V.*
c) *Bibl. Gr. vol. I. p. 777.*
d) CLERIC. *Bibl. ſel. T. II. p. 50.*
e) *Metaphyſ. l. I. c. 3. T. II. p. 645.*
f) *l. c.*
g) AELIAN. *l. II. c. 31.* EVSTATH. *ad Hom. od. γ. p. 135.* PLVT. *adv. Stoicos*, aliique poſtea nominandi. Ex recentioribus CLERIC. *l. c.* GVNDLING. *Gundlingian. P. XXII. p. 29. 157.* CVDWORTH. *Syſt. int. c. I. p. 123.* BVDDEVS *theſ. de atheiſmo c. I. §. 20. p. 79.*
h) ARNOB. *l. IV. p. m. 145.* CLEM. ALEX. *loco citando.*
i) *Adhortat. ad gentes p. 15.* ARNOB. *l. c.*
k) *l. c. p. 36.*

Hic eſt Hipponis tumulus, quem lumine caſſa
Æternis fecit Parca parem eſſe Deis.

Qua in re a Pythagoreæ ſcholæ placitis non abiit, quæ virorum magnorum ſapientia purgatorum nomina Deorum cœtui adſcribebant. Forte & in eo atheiſmi ſuſpicionem dedit, quod in phyſiologia ſua ad ſola principia materialia, prætermiſſa cauſa efficiente rationali reſpexit, ut eo tempore ſchola quoque fecit Ionica. Ita vero principia phyſica ordinaſſe [l] tradunt veteres:

I. Principia prima eſſe frigidum, quæ eſt aqua, & calidum, qui eſt ignis. Magno hoc conſenſu Hipponi tribuitur, ut videre eſt ex teſtimoniis PSEVDO-ORIGENIS, [m] SIMPLICII, [n] AVCTORIS hiſtoriæ philoſophicæ inter GALENI opera, SEXTI EMPIRICI [o] & HERMIAE. [p] Non audiendus eſt igitur AVCTOR *allegoriarum in Heſiodi theogoniam*, quem recentiores quidam [q] ſecuti ſunt, qui terram πρεσβυγενέστερον τῶν ἄλλων, *antiquiſſimum primumque rerum generatarum*, dixiſſe, vel generationis potius principium poſuiſſe teſtatur. Ceterum non negligenda ALEXANDRI APHRODISEI [r] obſervatio: Hipponem poſuiſſe pro principio ſimpliciter τὸ ὑγρὸν, humidum, indeterminate, non explicantem, aquane ſit, ut Thales, an aër, ut Anaximenes & Diogenes.

II. Procreatum ex aqua ignem, ſuperaſſe potentiam ejus, unde genitus fuit, & compoſuiſſe mundum. [s] Abſurda prima fronte hypotheſis, unde eam quoque inter veterum phyſicorum hypotheſes ARISTOTELI non memorari viſum eſt viris doctis, quod ignem & aquam res adeo contrarias inter ſe junxerit, recte tamen conſiderata, Pythagoreum ſyſtema clarius modo exprimit, & recte jungi ignem & aquam prodit. Pone enim materiam craſſiorem in monade ſive ſtatu chaotico contentam, fuiſſe τὸ ὑγρὸν, non tam aquam, quam humidum indeterminate, ut plerorumque vetuſtiſſimorum theologorum fuit ſententia; ſubtiliorem vero materiam, in eo contentam fuiſſe ignem, ſive Deum, quorum neutrum a Pythagoricis dogmatibus abludit, & habebis veram Hipponis phyſiologiam. Ea enim, teſte PSEVDO-ORIGENE, cauſam efficientem & formantem mundi igni tribuit, ex aqua vel chao progreſſo, & humidi naturam vincente.

III. Animam gigni ex humido, ſemine ex cerebro tanquam aqua vel humido ſtillante. Hunc ſenſum habere videntur obſcura PSEVDO-ORIGENIS verba: [t] Τήν τε ψυχὴν ποτὲ μὲν ἐγκέφαλον ἔχειν, ποτὲ δὲ ὕδωρ, καὶ παρὰ τὸ σπέρμα εἶναι τὸ φαινόμενον ἡμῖν ἐξ ὑγροῦ, ἐξ οὗ φησι ψυχὴν γίνεσθαι. Quod ſine ſenſu ita vertit GRONOVIVS: *Animam habere modo cerebrum, modo aquam. Et adeſſe ſemini, id quod nobis apparet, ex humore, unde ait animam gigni.* Verum autem ſenſum illum eſſe, quem expreſſimus, nemo dubitaverit, qui ad ARISTOTELIS [u] locum

l) *Conf. Obſ. Hal. Lat. T. II. obſ. 19. p. 433.*
m) *Philoſophum. c. XVI. p. 104.*
n) In *l. I. phyſic.*
o) *Pyrrh. hyp. l. III. c. 4 ſ. 30. adv. Math. l. IX. ſ. 361.*
p) *Irriſ. phil. gent.*
q) *Obſ. Hal. l. c.* & GASSEND. *T. I. opp.*
r) In *l. I. Metaphyſ. p. 12.*
s) ORIG. *l. c.*
t) *l. c.*
u) *De anima l. I. c. 2. T. I. p. 479.*

locum attenderit, dicentis: *Quidam magis etiam importuni, animam aquam esse dixerunt, ut Hippon: qui quidem ad hanc sententiam ratione seminis videtur compulsus, quia omnium semen humidum est, etenim redarguit eos, qui animam sanguinem dicunt, quia semen sanguis non est; hoc autem primam animam esse dicit.* Nec mirum, hæc placuisse Hipponi, quia illa in Pythagoreis scholis didicit, teste enim LAERTIO[x] Pythagoreis semen cerebri stilla est, eoque injecto ex cerebro sanies, humor, sanguisque profluit, e vapore autem anima ac sensus derivatur.

IV. Nihil esse ab interitu immune. Hoc ex asserto impietatis suspectum factum Hipponem non negat PLVTARCHVS,[y] addit tamen, non ausum esse dicere, Deum esse interitui obnoxium; sed talem naturam aliquam esse posse negantem, notitiam de Deo reliquisse in medio.

§. III. Addi posset his Xenophanes, Eleaticæ sectæ conditor, qui Telaugem, Pythagoræ filium præceptorem habuit,[z] verum de eo sequenti capite dicendum est. Forte plures fuere, quorum notitiam nobis eripuit vetustas & invidia, quæ diu supersesse hanc sectam prohibuit. Non enim ultra Alexandri M. ætatem duravit Pythagorea secta, tum enim vixere Xenophilus Chalcidiensis, Phanton, Echecrates, Diocles & Polymnestus Phliasii, Philolai & Euryti Tarentini discipuli[a] quos convenit Plato Tarenti; aitque etiam DIODORVS[b] Cephisodoro Athenis Archonte, Pythagoricorum philosophorum postremos, itemque Anaximenem Platonem & Aristotelem extitisse. Vidit tamen illos Aristoxenus quoque, teste LAERTIO,[c] qui Ptolomæi Lagi tempora circa Olymp. CXIII. attigit. Si itaque Olymp. LX. in Italia scholam instituisse Pythagoram, vel ibi floruisse cum LAERTIO[d] ponamus, ducentos duravit annos, si ad Ol. CXIII. computes, quo σύστημα, collegium conventusque Pythagoreorum, teste eodem, desiit. Aliquos enim Pythagoreos longius vitam produxisse, credibile est. Immo in Aegypto multa tum ex institutis Pythagoricis, tum ex doctrina hæsisse, ex quo Alexander M. Græcam philosophiam in illam regionem invexit, capite ultimo demonstrabimus. Causæ vero mature extincti sodalitii Pythagorei fuere plures. Quantam enim invidiam oris libertate, legum ferendarum cupiditate, emendandorumque hominum studio sibi conflarint, ut igne ferroque & exilio delerentur, supra jam exposuimus. Suspectam quoque & invisam sectam reddidit arcana disciplina, quæ extraneos quam maxime arcebat, eosque pro pollutis mortuisque habebat, qua re plerique deterrebantur, quo minus nomen societati darent, sic ut Diodori Aspendii ætate ad exiguum jam numerum σύστημα ἀνδρῶν, id est collegium Pythagoreorum

Duratio sect. Pythagoreæ.

x) *l. VIII. s. 28.*
y) *Adv. Coloten T. III. p. m. 459.*
z) LAERT. *l. I. s. 15.*
a) LAERT. *l. VIII. s. 46.*
b) *l. XV.*
c) *l. c.*
d) *ibid.* Apud eum autem, pro ἐννέα καὶ δέκα, legendum ἐννέα ἢ καὶ δέκα, non enim novendecim, sed novem vel decem generationibus duravit conf. MENAG. *ad h. l.* FABRIC. *Bibl. Gr. Vol. I. p. 501.* quod jam vidit LIPSIVS *Manud. phil. Stoic. p. 38.* conf. SCHEFFER. *l. c.*

reorum redactum sit. Incidere quoque in ea tempora, maxima dissidia inter urbes magnæ Græciæ, quibus magna earum pars extincta est, Pythagoreis passim dissipatis & in alias terras ejectis. [e] In Græcia quoque ex oriente magno philosophorum numero, qui ex Socratica schola prodiere, eviluit Pythagoricum institutum, [f] ab aliquo jam tempore propter τὸ τερατώδες contemtum. [g] Vnde mirum non est, mature sectam ipsam desiisse, quanquam initio maxima celebritate efflorescceret.

Celebriores Pythagorici.

§. IV. Absoluta generali Pythagoricæ sectæ historia, quidam adhuc considerandi veniunt philosophi, qui ex ea quidem prodierunt, in rebus tamen præcipue naturalibus sua quoque placita & propria dogmata aliquantum secuti sunt, magnum inde nomen sibi pepererunt. Inter hos jure eminent Empedocles, Epicharmus, Ocellus Lucanus, Timæus Locrus, Archytas Tarentinus, Alcmæon, Hippasus, Philolaus & Eudoxus, celeberrima inter Pythagoreos nomina, de quorum vita & placitis veteribus enarrata porro exponemus.

Empedocles.

§. V. EMPEDOCLES, post Pythagoram in hac secta maximi nominis Agrigentum patriam habuit, nobilissimam post Syracusas in Sicilia civitatem. [h] Genus nobile habuit, avi vero & parentis nomen apud veteres, quorum relationes exhibet LAERTIVS, [i] incertum est, hunc tamen plerique Metonem nominant. Audivisse ipsum Pythagoram Timæus [k] auctor est, quem sequuntur PORPHYRIVS [l] & IAMBLICHVS, [m] quibus tamen tempora repugnant. Floruit enim, referente LAERTIO [n] circa Olymp. LXXXIV. unde ante Olymp. LXXVI. natus esse vix potuit. Quod erudite probans DODWELLVS, [o] conjicit, eum alium audivisse Pythagoram Alipten, familiæ conditore juniorem: id quod tamen sine necessitate statui putamus, nec enim Timæi auctoritas tanta est, ut ea standum sit, cum satis nota sit Pythagoreorum cuncta ad præceptorem referendi, invita licet temporum serie, studium; nec Porphyrii & Iamblichi assertis secure fides adhibenda est, quos aliquoties temporum rationes misere confundentes deprehendimus. Probabilius itaque est, eum Pythagoreum quendam audivisse; hujus enim sectæ placitis plerumque inhæsisse doctrinæ ejus summa, quam in sequentibus exhibebimus, probat. [p] Quo vero ex hac secta philosopho præceptore usus sit, nec ipse prodidit, nec veteres aliter, nisi ex conjecturis incertissimis, tradunt. LAERTIVS [q] Telaugis epistolam memorat,

e) Secessere etiam in deserta loca, quæ vivendi ratio diu durare nequivit, conf. HIERON. *contra Iov. T. II.*

f) Conf. SCHEFFER. *l. c.* qui hæc omnia ex veteribus probat.

g) XENOPHON. *epist. p. 1000. Opp.*

h) Videndus de celeberrima urbe BAYLE *Dict. T. II.* art. *Agrigentum p. 547.* Hominum octingenta millia Empedoclis ævo continuisse credat, qui volet, nos vel in numeris errorem vel jactantiam subesse putamus, conf BOCHART. *Geogr. S. P. I. l. IV. c. 20. p. m. 286.* luxum Agrigentinorum acuto dicto reprehendit Plato apud LAERT. *l. VIII. f. 63.* AELIAN. *l. XII. c. 19.*

i) *l. VIII. f. 51.* Dolemus vehementer, immortalis nominis viri B. I. ALB. FABRICII syntagma *de vita, philosophia & Scriptis Empedoclis* promissum *Bibl. Græc. Vol. I. p. 566.* lucem non vidisse: pauca enim tantum collectanea supersesse testatur cl. REIMMARVS in *vita ejus, p. 210. 211.*

k) Apud LAERT. *l. VIII. f. 54.*

l) *Vit. Pyth. n. 29.*

m) *c. XXIII. n. 4.*

n) *l. c. f. 73.*

o) *De ætate Pythagoræ p. 220.*

p) Conf. PHILOSTRAT. *Vit. Apol. l. I. c. 1.*

q) *f. 55.*

morat, Brontinum & Hippaſum audiviſſe teſtantem, ſed fidem eam exiguam mereri recte addit. Quo enim loco hæ epiſtolæ habendæ ſint, ſatis notum eſt. Theophraſtus Parmenidis æmulum & in poëtica philoſophia imitatorem fuiſſe tradit, quod ad Xenophanem, quocum diu converſatus ſit, Hermippus refert, qui poſtea demum Pythagoreis congreſſum eſſe aſſerit: aliter Alcidamas, qui poſt Parmenidem, Pythagoram & Anaxagoram audiviſſe ait, ex quibus ſatis manifeſtum eſſe putamus, de præceptore Empedoclis nihil certi conſtare, licet dubium non ſit, in Italicis ſcholis inſtitutum, Pythagoreorum dogmata propalaſſe, quod hos ægerrime tuliſſe, hunc-que ideo ex conſortio excluſiſſe quidam veterum ſcriptorum memoria produnt.[r] Animo itaque ad rempublicam applicato, cum Metone vita functo tyrannis in patria pullulare cœpiſſet, Agrigentinis auctor fuit, ut ſeditionibus omniſſis, æqualitatem civilem amplecterentur. Multas itidem civium filias, quæ ſine dote erant, ex relictis ſibi opibus donatas viris elocavit.[s] Quæ res ei magnam apud cives venerationem conciliavit, qui regium quaſi axioma quoddam ei detulerunt;[t] unde & purpura veſtitus, & ſtrophio aureo caput redimitus, Phavorino teſte, inceſſit, crepidas item æreas & Delphicam ſumſit coronam,[u] comam aluit prolixam & ſervos habuit pediſſequos, ipſe vero gravis ſemper atque eodem ſemper habitu conſpectus fuit. Et tamen, ARISTOTELE[x] teſte, vel ideo fide digno, quod nec tempore adeo longe ab Empedoclis ætate abfuit, nec adulatione erga philoſophos ante ſe uti ſolitus eſt, ab omni imperandi faſtu fuit alieniſſimus; cujus indicium eſt, quod teſte Xantho, regnum cum ſibi deferretur, conſtanter renuit, & frugalitatem regum prætulit divitiis, & tyrannidem omnem & vim maxime peroſus, ad ſtabiliendam & defendendam civium æqualitatem plurimum contulit, cujus rei ſpecimina apud LAERTIVM[y] legi poſſunt. Non audiendus itaque Timæus[z] eſt, qui & contrariam reipublicæ ſententiam habuiſſe, ex aliorum ſuſpicione ait, & ſuperbiam ei exprobrat atque jactantiam, quod in carminibus ſuis hoc verſu uſus fuerit;

Χαίρετ', ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητὸς
Πωλεῦμαι.

Salvete, immortalis ego Deus, haud fero mortem.[a]

Prius enim allatis refutatur teſtimoniis, poſterius a ſyſtematis Pythagorei principiis alienum non eſt, quæ homines purgatos ſapientia, poſt fatales circuitus animarum Deos fieri, ſive in animam mundi divinam reduci jactavit: id quod Pythagoreum eſſe SEXTVS EMPIRICVS[b] & PHILOSTRATVS[c] jam notarunt. Non vero in republica tantum, ſed in ſchola

r) *ibid.*
s) LAERT. *ſ. 72. 73.*
t) *ibid.* Interpres Latinus ſenſum Laertii hic corrupit. Ex ejus enim verbis apparet, regia hæc ornamenta civi Empedocli tam egregie de ſe merito honoris cauſa Agrigentinos tribuiſſe.
u) Conf. MENAG. *ad* LAERT. *l. VIII. ſ. 69.*
x) Apud LAERT. *ſ. 63.*
y) *ib. ſ. 66.*
z) *ibid.*
a) Eandem ob hunc verſum dicam Empedocli ſcribit TERTVLLIANVS *de pallio c. 4.* & SVIDAS in ἀμύκλαι *T. I. p. 146.* HORATIVS in *arte.*
b) *Adv. mathem. l. I ſ. 302.*
c) *Vit. Apollon. l. VII. c. 7. §. 6. p. 335.* conf. OLEAR. *ad h. l. Amœnit. liter. T. VII. p. 247.*

quoque admirabilis viſus eſt, propter excellentem naturæ cognitionem, quæ multum ſine dubio attulit, ut ſtupenda ei a credula ſuperſtitione tribuerentur miracula, tantaque ejus eſſet admiratio, ut in eum ad Olympia venientem, omnium oculi converterentur, nec quenquam alium, quam Empedoclem in ore haberent. [d] Referunt enim, [e] ventos frugibus noxios potuiſſe arcere, indeque ἀλεξάνεμον, ventorum propulſatorem dictum fuiſſe; [f] muſica juvenem cædem minantem ad ſanam mentem revocaſſe, & ad ſuam diſciplinam amplectendam adduxiſſe, [g] Pantheam Agrigentinam feminam deſperato morbo laborantem ſanaviſſe, [h] & imprimis mulierem per XXX dies ſpiritu deſtitutam, quam plerique medici pro mortua habuiſſent, in vitam revocaſſe. [i] Dixiſſe Gorgiam Leontinum, ipſius diſcipulum, ſe præſente eum goëticam exercuiſſe, [k] verſusque compoſuiſſe, ſervatos a LAERTIO, [l] quibus pharmacis ſe morbos pellere, ventos compeſcere, tenebras & tempeſtates ciere, ſerenum reducere, homines ex Orco revocare poſſe, jactaverit. In qua veterum relatione potiſſimum ad Pythagoreæ ſcholæ morem reſpiciendum eſt, de quo ſupra ex Iamblicho monuimus, ſolitos fuiſſe eos, ejusmodi ὀλιγόπιστα καὶ ἄπιστα magna jactantia confingere, ut ſcholæ ſuæ auctoritatem extollerent, adeoque jam Socratis ætate propter iſtam inanem mirabilium jactantiam viris prudentibus & ſobrie philoſophantibus fuiſſe odioſos. Deinde ad morem quoque iſtius ævi attendendum eſt, quo viri magni, ut auctoritatem ſibi conciliarent inter populum, ejusmodi mirabilia de ſe oſtentarunt, cujus exempla pluſcula in Orpheo, Lino, Muſeo, Melampode, Epimenide aliisque veterum ſupra libro ſecundo attulimus. Et hos ſecutum Empedoclem, præſtantiores, quam ars & prudentia dare poſſunt, effectus jactaſſe, ſervatum a Laërtio carmen manifeſtum facit. Quam populi quoque de talibus viris expectationem cum præſtigiis & artibus callidiſſimis eluſerint viri aſtutiſſimi, dubium non eſt, Empedoclem eodem modo corvos deluſiſſe hiantes. Neque tamen omnia fraudibus & dolis imputanda eſſe exiſtimamus, ſed pleraque rerum naturalium & imprimis medicæ artis cognitioni tum temporis rariſſimæ tribuenda putamus, quibus deinde, ex more τερατολογίας Pythagoreæ circumſtantiæ præternaturales affictæ ſunt. Ventos enim noxios eum naturali acumine præeunte emendaſſe veteres innuunt, [m] qui antra & ſciſſuras montium unde emanarunt, obſtruxiſſe, Selinunte vero fluvium, fœtore ſuo peſtilentiam invehentem, duos alios amnes ſuis ſumtibus immittendo, integritati reſtituiſſe referunt. Muſica vero arte affectuum furores non ipſe tantum, ſed & tota Pythagoræ ſchola compeſcuit, ut ſupra obſervatum. Artis vero medicæ ſingulari prorſus peritia excelluiſſe Empedoclem dubio caret, [n] nec præ-

d) LAERT. *ſ. 66.*
e) *citati.*
f) IAMBLICH. *vit. Pyth. c. XXVIII. n. 143.* PORPHYR. *n. 30.* SVIDAS in *Emp. T. I. p. 724.*
g) IDEM. *c. XXV. n. 110.*
h) LAERT. *ſ. 69.*
i) PLINIVS *l. VII. c. 52.* LAERT. *l. VIII. ſ. 61. & l. I. ſ. 12.* & MENAG. *ad h. l.* GALEN. *de loc. aff.* ἄπνους *l. VI.*
k) LAERT. *l. VIII. ſ. 59.*
l) *ſ. 62.*
m) PLVTARCH. *de curioſ. T. I. p. m. 237.* LAERT. *l. VIII. ſ. 70.*
n) Conf. CLERICVS *Hiſt. de la medicine P. I.*

præter naturæ vim factum eſt, ut mulier per plures dies ex ſuffocatione uteri ἄπνοος facta, in vitam revocaretur, & mirabile exemplum plebs, non invito Empedocle in miraculum verteret. Quæ omnia, cum veterum & recentiorum Platonicorum mendaciis non parum augerentur,[o] ut ſe tantæ artis, quam crepabant, ſucceſſores & poſſeſſores eſſe oſtenderent, mirum non eſt, tanta de Empedocle miracula narrari, quæ nemo, cui ſanum eſt ſynciput admiſerit, quæque infeliciſſimo auſu a gentilibus miraculis Θεανθρώπου & Apoſtolorum oppoſita ſunt. Certe phyſicum, non magum Empedoclem fuiſſe, veteres[p] probe obſervant, præter medicæ artis peritiam in poëtica quoque excelluiſſe, fragmenta verſuum paſſim extantia & collecta ex parte ab HENRICO STEPHANO,[q] ſed diligentiori collectione & illuſtratione digna[r] teſtantur. Vnde non caret veriſimilitudine, opinio τοῦ πάνυ FABRICII, Auctoris *theologumenon arithmeticorum* teſtimonio[s] ſuffulta, quæ aureum carmen ad Empedoclem auctorem refert, cui, quæ objecit GOTTFRIDVS OLEARIVS,[t] eam non elevant.[u] Multa etiam ſcripſit, veteribus laudata, & in his librum *de natura*, verſu hexametro, aliumque *de luſtrationibus* ſive *expurgationibus*, qui hodie deſiderantur.[x] Hujus enim partem τὰ ἔπη χρύσεα eſſe, quod FABRICIVS ſuſpicatur, valde incertum eſt. Tragœdiæ vero Empedocli apud veteres[y] tributæ, non ejus ſunt, ſed junioris Empedoclis,[z] quem ejus nepotem, neſcio qua fide, facit SVIDAS:[a] quemque dictione admodum turgida uſum fuiſſe inde conſtat, quod Diodorus Epheſius tragicum ei typhum objecit.[b] Certe Empedocles philoſophus ab hoc poëta tragico diſtinguendus eſt.[c] Dolendum vero, multa ex carminibus ſuis Vulcano tradidiſſe Empedoclem,[d] quæque incendium evaſerunt, miſere a veteribus diſcerpta fuiſſe. In dicendi arte ſummum fuiſſe, & Satyri teſtimonio, & diſcipuli Gorgiæ Leontini, oratoris inſignis, exemplo conſtat.[e] De morte ejus vehementer inter ſe veteres diſcrepant.[f] Miraculoſam ex convivio Empedoclis evocationem cœleſti lumine illuceſcente narrat Heraclides, cujus traditio tamen aperte ſapit τερατολογίαν Pythagoricam, ut eam recitaſſe ſit refutaſſe, quanquam pluribus veterum, ipſiusque Romuli, exemplis conſtet, viros magnos vi arteve ex vivis clanculum ſublatos ita inter Deos connumeratos fuiſſe. Alii

l. II. c. 5. p. 93. SCHVLZ. *Hiſt. med. Period. I. ſect. II. c. 7. §. 38. p. 174.* Auris naturam jam cognoviſſe Empedoclem & ſtructuram anatomicam perſpexiſſe ex PLVT. *de plac. phil. l. IV. c. 16.* liquet.

o) Eo nomine Timæus Heraclidem reprehendit apud LAERT. *ſ. 71.*

p) PLVTARCH. *l. c.* paſſim hoc nomen Empedocli tribuitur.

q) In poëſi philoſophica 1574. 8. edita.

r) Eam meditatum fuiſſe FABRICIVM ſupra diximus.

s) p. 20. conf. *Bibl. Græc. Vol. I. p. 466.*

t) Ad STANLEIVM *p. 817.*

u) Objicit is verſus ejusdem ſententiæ repetitos quæ evincant non eſſe opus unius ſed ῥαψῳδίαν Pythagoricam. Verum vel ſcribentis incuria, vel deſcribentis negligentia repeti potuerunt.

x) Vid. FABRIC. *l. c.* qui & ſphæram ei tributam cum verſ. & notis Q. S. FL. CHRISTIANI exhibet.

y) LAERT. *ſ. 58.*

z) FABRICIVS *l. c. p. 646.* quem hæc omiſiſſe præter rem notat OLEAR. *l. c.*

a) l. c.

b) LAERT. *ſ. 70.*

c) Id quod tamen præter rem reprehendit in Morerio P. BAYLE *Dict. T. II.* art. *Empedocles p. 547.* Rectius tamen phyſicus a tragœdo, quam a poëta diſtinguitur: quia & ille poëſin excoluit.

d) LAERT. *ſ. 57.*

e) ibid.

f) ibid. ſ. 67. ſeq.

poſt revocatam feminæ ſuffocationem paſſæ vitam ex convivio poſt ſacrificium peracto ſurrexiſſe, Aetnamque petiviſſe tradunt, quo cum perveniſſet, in ignis crateras ſe injeciſſe, ignibus conſumtum, ut Deus effectus crederetur, poſtea, ut res ſeſe haberet, agnitum eſſe, una ex illius crepidis æreis vi flammæ ad exteriora rejecta. Quam traditionem plures ex veteribus ſequi [g] mirum videri queat, cum ad orificium Aetnæ ignivomum accedere ob ignis & ſulphuris halitum impoſſibile ſit, propiusque ejusmodi montibus accedentes mox ſuffocari, Plinii ſenioris exemplo conſtet. Recte itaque præter STRABONEM [h] hanc fabulam rejicit Timæus, [i] qui non ſine ratione tradit, incertum eſſe ejus obitum, in Peloponneſum enim ſe recepiſſe, nunquam omnino rediiſſe, nec mirum eſſe, quod ejus ſepulchrum ignoretur, quod & aliis accidit. Vix itaque Neanthi [k] tribuenda fides, qui, celebritatis cauſa Meſſanam curru profectum cecidiſſe, coxaque fracta ex hoc lapſu obiiſſe dicit, vel qui eliſo gutture vitæ finem feciſſe, vel in mare prolapſum extinctum eſſe aſſerunt. [l] Obiit vero, ſi Ariſtotelem ſequamur anno LX, ſi Neanthem, LXXVII ætatis exacto, quidam tamen ultra CIX annos eum vixiſſe aſſerunt, [m] quos tamen antiquitatis deſtitui teſtimonio, inde colligi poteſt, quod eum inter longævos non numeret LVCIANVS, diligens μακροβίων inter veteres enumerator. Statua ei poſt fata Agrigenti poſita eſt operta, [n] quæ poſtea ante Romanorum curiam aperta, conſtituta fuit, Romanis eam illuc transferentibus. Cum aliis vero hujus nominis [o] Empedocles phyſicus confundendus non eſt.

Philoſophia Empedoclis.

§. VI. Philoſophiæ Empedocleæ fragmenta, quæ ex carminibus ejus paſſim apud veteres extant, partim rationalem partem concernunt, partim phyſiologicam, & vel veritatis criterium exponunt, vel principia rerum ſpiritualium & naturalium. Obſcurius tamen ſuas expreſſit opiniones Empedocles morem ſectæ Italicæ, & poëſeos philoſophicæ ſecutus, dignas, quæ peculiari tractatione ex inſtituto a viro quodam veteris philoſophiæ probe gnaro illuſtrentur. Nos ad ſcopum præfixum intuentes potiora luce quadam colluſtrare tentabimus. Ita vero docuit:

I. Non a ſenſibus, ſed a recta ratione judicanda veritas. Recta vero ratio partim divina, partim humana eſt, ex quibus divina non poteſt proferri, humana autem poteſt.

II. Quoad ſenſus, non poteſt veritas comprehendi, niſi iis præſit ratio, quæ judicium hoc exerat. Senſibus enim abſtruſa ſunt omnia, &, ut habet CICERO, nihil nos ſentimus, [p] nihil cernimus, nihil omnino quale ſit, reperire poſſumus. III.

g) *ibid.* HORAT. *in arte* LVCIAN. *ver. hiſt. l. II. T. II. p. m. 495. Menip. & Aeac. T. IV. p. 43. Peregr. p. 268. fugitiv. p. 311.* TERTVLL. *de anima c. 31.* & PP. apud BALTVM *defenſe de SS. Peres l. I. c. 9. p. 63. 64.* OVIDIVS in *Ibin.*

h) *l. VI.*

i) LAERT. *ſ. 71.*

k) *ibid. ſ. 73.*

l) *ibid.*

m) *ibid.*

n) *ib. ſ. 71.* conf. *Otium Vindel. Mel. III. p. 265.*

o) Conf. FABRICIVS *l. c.* MENAG. *ad* LAERT. *l. VIII. ſ. 69.*

p) In *Lucullo c. 5.* Eleganter CLAVDIANVS *de conſ. Mallii Theod. v. 71.*

Alter in Aetneas caſurus ſponte favillas
Diſpergit, revocatque Deum, rurſusque receptis
Nectit amicitiis, quicquid diſcordia ſolvit
Corporis hic damnat ſenſus, verumque videri
Pernegat.

III. Licet vero ſenſuum judicium nullum ſit, eſt tamen rationis, quæ iis præeſt, quippe ea ad illa circumſpicit, quæ clara atque evidentia ſunt. Ternione hac aſſertorum canonica conſtat Empedoclea, quorum ſenſum verſus fundunt Empedoclis, a SEXTO EMPIRICO [q] nobis ſervati, qui tamen non negat, de vera mente Empedoclis veteres in diverſas opiniones abiiſſe, & eſſe quosdam, qui verſus Empedoclis hos:

Terram terreno, atque unda conſpeximus undam.
Aethere divinum nos æthera: vidimus igne
Claro ignem; lis lite, amor eſt conſpectus amore,

ſex ſenſuum criteria conſtituere, putent. Etſi vero in tanta carminum Empedocleorum obſcuritate difficile admodum eſt, de vera ejus mente certi quid ſtatuere, patebit tamen ex phyſiologiæ Empedocleæ ſyſtemate, quod mox explicabimus, quodque Pythagorea placita ſecutum fuiſſe demonſtrabitur, philoſophum Siculum, partim ad æterna & immutabilia rerum omnium principia; partim ad materiam fluxam, & ſemper in motu verſantem reſpexiſſe, & ad animæ quoque, tum rationalis atque ex divina mundi anima participantis, tum ſenſitivæ & ex elementis conflatæ naturam intuendo, de judicio mentis ita ſtatuiſſe: 1. Rationem eſſe vel hominis, vel Dei, hanc in anima mundi comprehendi, adeoque eſſe ineffabilem, eaque rerum naturas conſtitui. Illam ex divina ratione hominibus eſſe inditam. 2. Hanc divinæ rationis particulam, quæ in homine eſt, cognoſcere æterna, immutabilia, clara & divina principia, quæ rerum eſſentias conſtituant, quæ τὰ ὄντως ὄντα Italica ſchola vocat. Aſt 3. rerum materialium nullam eſſe cognitionem vel judicium certum, eo quod ſemper in motu fluxuque verſentur, hincque non dici poſſe, nos ſentire, videre, audire aliquid, cum quod hoc quidem momento exiſtit, in alio mox fugitivum abeat & evaneſcat. 4. Sentiri tamen & percipi poſſe rerum ſenſibilium motus ab anima ſenſitiva, cum cujuslibet principii ſive elementi, ex quo materia conſtat, natura in illa ſit, quæ iſtam materialium rerum naturam percipiat. [r] 5. Nihil tamen hoc ad rationem pertinere, ſed eam tum demum ſenſationibus iſtis excitatam ad æternas naturas, quæ rebus naturalibus eſſentiam largiuntur, reſpicere, & ita de rerum ipſarum natura judicare. 6. Ex quibus ſequitur, rationem non ineſſe ſenſibus, ſed horum perceptione tantum excitari, ad ea cognoſcenda, quæ non ex materiæ fluxæ & in mutatione ſemper verſantis, ſed ex intelligibilium natura cognoſcuntur. Hac ratione logica Empedoclea non inter ſe tantum cohæret, & apparens tollitur contradictio, ſed principiis quoque phyſiologicis Empedoclis apte reſpondet. Et ex his quoque vetus circa logicam Empedoclis controverſia dirimi poteſt, quam ARISTOTELES [s] jam tetigit, quamque aliter tollit CVDWORTHVS, [t] aliter ven. ejus Interpres, an apud

q) Adv. mathem. l. VII. ſ. 120. ſeqq.

r) Satis clare hoc innuit PLVTARCHVS *de plac. phil. l. IV. c. 9.* Senſum quemlibet pro ratione pororum, atque aditus, quo res admittit affici, ubi nempe recte ſe habeat, quod ſenſui cuivis conveniens eſt ſenſile.

s) De anima l. III. c. 3.

t) Syſtem. intell. c. I. §. 24. p. 29. ſeqq.

apud Empedoclem idem ſit ſentire ac cognoſcere? Ariſtotelem hoc illi tribuere, negari nequit, nec accurate is, ut plerumque ſolet, Empedoclis mentem propoſuit, ut haberet, quod in eo carperet: verum tamen eſt, nec ab anima ſenſitiva & ex elementis compoſita ſenſum eum ſuſtuliſſe, nec rationi denegaſſe vim, de æternis judicandi, quatenus illa materiæ fluxæ eſſentiam largiuntur, adeoque ſentire & cognoſcere non idem quidem eſſe, ſed in operatione tamen hominis ratiocinantis ſenſum & rationem intime conjungi. Hanc niſi ſignificationem dogmati huic tribuamus, nullus ſanus & cohærens ſenſus ejus emerget. Et hinc manifeſtum quoque eſſe putamus, male inter Scepticos referri Empedoclem, quod tamen nonnullis [u] placuit. Non enim is omnem cognitionis certitudinem negavit, ſed criterium a ſenſibus ſuſtulit, ipſis tamen ſenſationem, quæ cum ratiocinatione confundi non debet, permiſit.

Phyſiologia Empedoclis.

§. VII. Principia phyſiologica Empedoclis, quæ præter CVDWORTHVM, [x] SCIPIO AQVILIANVS [y] docte quidem, ſed obſcurius, quam par erat, nec ſatis accurate, explicuit, ex ſchola, cui adhæſit, Pythagorica explicanda eſſe nemo temere negaverit, qui ad ea attendet, quæ ſupra de ejus philoſophandi ratione & diſciplinæ fonte tetigimus. Id vero probe obſervandum eſt, Empedoclem rerum ſpiritualium, æternarumque & intelligibilium conſiderationem ſuppoſuiſſe magis, quam inſtituiſſe, & in naturali philoſophia ſua potiſſimam partem ad explicanda rerum ſenſibilium *φαινόμενα* reſpexiſſe. Vnde in iſtis brevior eſt & obſcurior, id quod plures inter veteres & recentiores ſeduxit, ut præpoſtere mentem Empedoclis explicarent. In ſubſidium itaque ea vocanda ſunt, quæ veteres de utroque rerum omnium principio eum ſtatuiſſe, dicunt, ut integrum Empedoclis ſyſtema patefiat. Illud vero, re penſitata, his conſtitiſſe propoſitionibus putamus:

I. Duplex rerum omnium principium eſt, activum aliud, aliud paſſivum, [z] illud monas eſt, ſive Deus, hæc materia. Sunt, qui hanc quidem theſin amicitiæ & diſcordiæ principiis indicatam ab eo fuiſſe volunt. Sed hos falli ex ſequentibus patebit, ubi demonſtrabitur, hanc *τῶ παντὸς ἀρχὴν νεῖκος καὶ φιλίαν*, ad materiæ ſemel a principio activo commotæ principia materialia pertinere. Id quod luculenter ſatis innuit ARISTOTELES, [a] qui *τὸ ἕν* ſive unitatem ante hæc principia poſuiſſe afferit, ex quibus reliqua omnia orta eſſe verſus Empedoclis ab Ariſtotele laudati dicunt. Quos AVCTOR libri *de mundo* [b] ad ipſum Deum refert, ex quo omnia facta ſunt, quem tamen in eo hypotheſi ſuæ inſerviviſſe, palam eſt. [c] Materia enim Empedocli ex Deo non eſt. II.

u) HVETIVS *de la foibleſſe de l'esprit humain l. I. ch. 14. §. 4. p. 101.* qui SEXTVM ſuo modo ſequitur.

x) In *ſyſt. itell.* paſſim; *vid. p. 30. ſeqq. 158. 452. 472. 966.*

y) *De placitis philoſ. ante Ariſt. c. XXII. ſeqq. p. 102. ſeqq.*

z) SEXTVS EMPIR. *adv. Math. l. IX. ſ. 4.*

a) *Metaphyſ. l. II. c. 4. T. II. p. 622.*

b) *c. 6. T. I. Opp. Ariſt. p. 475.*

c) Obiter inde argumentum quoque ſumi poteſt, libri hujus auctorem non eſſe Ariſtotelem. Verſus enim Empedoclis *l. c. Metaphyſ.* is ad rerum materialium principia refert, auctor libri *de mundo* ad efficiens ſive Deum. Vidit jam ex parte hanc *ψευδεξηγήσιν* CVDWORTHVS, ſed frigide excuſavit *Syſt. int. c. IV. §. 21. p. 472. ſeq.*

II. Principium activum unitas, ſive monas eſt. [d]

III. Monas illa intellectualis ignis eſt, atque Deus. [e] Pulchre ita exprimit Pythagoreorum de Deo ſententiam Empedocles, qui ita Deum natura ſua ignem divinum, æthereum, ſubtiliſſimum eſſe, ab Italicis philoſophis accepit.

IV. Ex hoc igne conſtant omnia, & in illud omnia reſolventur. Ita principia theologiæ & phyſiologiæ Empedocleæ exponit PSEVDO-ORIGENES, [f] qui ipſe notat, Stoicos cum his valde concordare. Nec receſſiſſe in his Empedoclem a Pythagoræ placitis, ex iis, quæ ſupra diximus de ejus doctrina, eſt manifeſtiſſimum. Inde vero recte quoque infertur, hunc Empedoclis Deum eſſe animam mundi cuncta pervadentem, cuncta moventem, formantem & vivificantem, & eodem fere modo, quo apud Stoicos, ex eo & materia, antea in ſtatu chaotico, unum totum conſtituentibus, omnia eſſe orta, inque hoc unum ſtatum nempe τὸ χάος cuncta mediante illo igne intellectuali reditura eſſe. Nam in his omnibus iisdem duci rationibus Empedoclem oportebat, quibus uſi ſunt Pythagoræ & Zenonis ſectatores: quas, ne prolixi ſimus, hic ad Empedoclis ſyſtema non applicamus. Ex hac mundi anima ſequitur dæmonologia Empedoclea a Pythagorica non diverſa, quæ lucem inde mutuam accipit. Iuxta Empedoclem enim:

V. Dæmonum plurimi vagantur (in aëre,) res terreſtres adminiſtrantes. [g] Hi enim dæmones illa intelligibilia, illæ naturæ claræ, lucentes, reales, καὶ ὄντως ὄντες ſunt, quas ex Italicorum placitis accepit Empedocles. Hactenus de activo principio Empedocles; ex quibus patet, eum nec Deum ſuſtuliſſe, nec alium poſuiſſe, quam Pythagoram. Et prius quidem diſerte etiam affirmat SEXTVS EMPIRICVS, [h] poſterius natura animæ rationalis, quam ex Deo eſſe, & ex eo participare, eodem SEXTO [i] notante, dixit, evincit. Et hæc quoque DEI pro anima mundana aſſertio hoc dogma Pythagoricum recipiendi occaſionem dedit, quod illi tribuit SEXTVS: [k]

VI. Eſt non tantum inter nos & Deos aliqua conjunctio, ſed etiam inter bruta animantia. Eſt enim unus ſpiritus, qui inſtar animæ totum mundum pervadit, & nos illis unit. Quamobrem & ea occidentes eorumque carnibus veſcentes, injuriam faciemus, ut qui cognatos interimamus. [l] Neceſſaria hæc conſequentia ex ſemel admiſſa anima mundi divina fluunt, quæ prolixe, adductis quoque Empedoclis verſibus exponit PORPHYRIVS, [m] qui videndus. Immo non inde tantum metempſychoſis per plan-

d) ORIGEN. *philoſophum. c. III. p. 49.*
e) *ibid.*
f) *Ibid.* CLEM. ALEX. *Strom. l. V. p. 599.*
g) *ibid.*
h) *Adv. mathemat. l. IX. ſ. 64.*
i) *Ibid. l. I. ſ. 303.*
k) *Ibid. l. IX. ſ. 303.*
l) Alia veterum teſtimonia idem aſſerentia laudat FABRICIVS *ad l. c.* Sexti.
m) *De abſtin. ab eſu carn. l. II. c. 21. 27.* verſus Empedoclis Latino carmine CHALCIDIVS *p. 286.* conf. OVIDIVS *Metamorph. l. XV. v. 127. ſeqq.*

plantas, lapides, arbores, & ſimilia Empedocli aſſerta derivanda eſt, ſed quod etiam, teſte SEXTO, [n] docuit, omnia eſſe ratione prædita, non ſolum animantia, ſed & plantas: cunctis enim divinus ille ignis, animusve ineſt. Et hinc facile dirimi quæſtio poteſt, an Empedocles fuerit atheus, nec ne? ex qua prius contendit THEOPHILVS ANTIOCHENVS, [o] nec multum refragatur cl. REIMMANNVS, [p] ad ſolam mechanicam philoſophiæ Empedocleæ rationem attendentes. Nam Deum illum admiſiſſe, licet certa ratione corporeum & per omnia diffuſum, ex dictis eſt manifeſtiſſimum. Idem itaque de Atheiſmo Empedoclis ſtatuendum eſt, quod de Pythagoræ & Stoicorum, quæ illis objicitur, impietate diximus, quorum placitis conſentanea eum aſſeruiſſe, inde liquet, quod Deum & materiam æterno rerum ordine & viciſſitudine, teſte LAERTIO [q] & STOBAEO [r] inter ſe copulavit; unde quousque ab atheiſmi labe immunis fuerit, nec ne, facile judicari poteſt. Et hæc quidem Empedoclea theologia eſt, ſive doctrina de principio rerum activo, jam de paſſivo, quid illi placuerit, diſpiciendum eſt.

Empedocles an atheus?

VII. Mundus unus eſt, non tamen univerſum abſolvit, ſed pars univerſi eſt exigua, reliquam partem materia abſolvit iners. [s]

IIX. Quatuor elementis priora ſunt exigua quaſi fragmenta quædam & minimæ moleculæ, [t] quæ ſunt elementorum elementa, & figuræ rotundæ: [u] & hæ ſolæ particulæ, ex infinita reliqua materia moventur.

IX. Materiæ huic in minimas particulas diviſæ qualitates inſunt primariæ amicitia & diſcordia, quarum illa partes homogeneas jungit, hæc heterogeneas ſeparat. Principia hæc duo Empedoclem pro fundamento omnis philoſophiæ naturalis habuiſſe, veteres [x] uno ore fatentur, ita tamen, ut de eorum ſignificatione & loco, quem in rerum naturalium cauſis tuentur, in diverſa ſcriptores abeant. Quidam enim duo abſolute prima principia intelligi, Deum & materiam, ſibi invicem adverſa contendentes [y] ad ARISTOTELEM [z] provocant, qui ita Empedoclis mentem ediſſerit: *Cum contraria bonis ineſſe naturæ apparerent, nec ſolum ordo & pulchrum, verum etiam inordinatio (ἀταξία) & turpe & plura mala quam bona, & turpia quam pulchra: ideo alius quidam amicitiam introduxit, & contentionem, utrumque utriusque horum cauſam.* Iuvat hanc opinionem

n) *Adv. Math. l. VIII. ſ. 287.* conf. ARISTOT. *de plant. l. I. c. 1.*

o) *Ad Autolyc. l. III. c. 2. p. 272.*

p) *Hiſt. atheiſmi c. XX. §. 2. p. 152.*

q) *Lib. VIII. ſ. 76.*

r) *Eclog. phyſ. c. 13. p. 25.*

s) PLVT. *de plac. phil. l. I. c. 5.* Ex his vero ſequitur, non dari vacuum extramundanum, quale tamen admiſit ſchola Pythagorea.

t) IDEM *l. I. c. 13.* Θραύσματα ἐλάχιστα.

u) STOBAEVS *l. c. c. 17. p. 33.* PLVT. *l. c. l. I. c. 17.*

x) Poſt ARISTOTELEM *ll. cc.* PLVT. *de plac. phil. l. I. c. 3.* CLEM. ALEX. *admon. ad gent.* LAERT. *l. VIII. ſ. 76.* SVIDAS in *Manes T. II. p. 491.* ORIG. *philoſoph. c. III. p. 49.* SEXT. EMP. *l. c.* Verſus Empedoclis ipſi cum explicatione leguntur apud PLVT. *l. c.* STOB. *l. c. c. 13. p. 25.* SEXT. *l. c.*

y) CLEM. ALEX. *l. c. c. 5.* ex recentioribus ven. WOLFIVS *de Manichæiſmo ante Manichæos §. 30. p. 121.* BAYLE *Dict. T. IV.* art. *Xenophanes not. I. p. 522.*

z) *Metaph. l. I. c. 4.* ibi vero hanc eſſe Empedoclis ſententiam negat, quod recte obſervat MOSHEM. *ad* CVDWORTH. *p. 159.*

nionem, quod litem & amicitiam ante elementa in cauſarum naturalium ordine Empedocles poſuit, illa vero cum materialem rerum cauſam conſtituant, concludunt inde, litem & amicitiam ad efficientem cauſam pertinere. Rectius tamen alii, hæc principia ad ſolam cauſam materialem referunt, cum illis particulas minimas, tanquam partem materiæ infinitæ præmiſerit, Deumque tanquam unum illud, unde iſta principiorum diverſitas exiſteret, ordine prætulerit. Non audiendi itaque ſunt, qui duas inde naturas exſculpunt, qua in opinione jam verſatus eſt CLEMENS ALEXANDRINVS.[a] Nihil enim aliud aſſeruit Empedocles, quam quod vetus theologia barbarorum & Græcorum docuit, in chao confuſa jacuiſſe rerum omnium ſemina inter ſe diverſiſſima, qualitatibus induta ſibimet contrariis, quæ cum ſemel commotæ eſſent, ortam inde pugnam & diſcordiam, quæ cum diu inter ea obtinuiſſet, junctas tandem particulas homogeneas, & natura ſua inter ſe concordantes, diffluentibus heterogeneis & ab iis ſecedentibus, quæ diverſæ naturæ eſſent. Eadem certamina cum materiæ fluxus perpetuus ſit; æterno rerum ordine ita fieri, ut inde elementa quatuor conflentur, & igneæ, aëreæ, aqueæ & terreſtres particulæ, digeſtæ ex confuſa maſſa coëant, ſicque res omnes ex quatuor iſtis elementis generentur. Hæc inter ſe rerum viciſſitudines & pugnas tamdiu, agitante igne divino, duraturas eſſe, donec omnia in ignem chaosque priſtinum redeant, exque iis nova iterum rerum facies exſurgat, æterna rerum periodo ita durante. Nihil in his omnibus eſt, quod non mythicæ Græcorum theologiæ jam placuerit, quæ eodem, quo Empedocles modo qualitates has in certas naturas poëtico dicendi genere commutavit. Nec aliter intelligi Empedocles, ſalvo ſyſtematis totius nexu poteſt, qua de re, ne prolixiores ſimus, celeberrimum MOSHEMIVM [b] legi velimus, qui Empedoclea hæc principia luce clara donavit. Et ex his intelligitur etiam, quam procul abſit Empedoclis amicitia & diſcordia a natura genitrice CVDWORTHI, [c] licet omnia alia ſibi videri contendat vir doctiſſimus.

X. Motus hic particularum minimarum, qui iſtas qualitates excitat, a monade, mente nempe divina, igneque intellectuali eſt. [d] Cura hæc & operatio mentis ineffabilis eſt, in mundo conſpicua, quam verſus Empedoclis commendant apud AMMONIVM.[e] Recte itaque motus initium a Deo eſſe, Agrigentino philoſopho tribuit CVDWORTHVS. [f] Ita enim ſyſtematis nexus poſtulat, quod omnia ex monade ſive igne intellectuali eſſe dicit: aſt materia iners non ex eo eſt, ergo motus ejus debuit ex eo procedere.

XI. Fuere vero iſta principia elementorum non ſimilaria tantum & rotunda ſed æterna quoque: [g] Adeoque non poteſt exiſtere aliquid, quod

a) *l. c.* b) *l. c.* c) *ibid.*
d) Neceſſario hoc ex *th. III. & IV. fluit.*
e) In *Ariſtot. de interp. p. 107.*
f) *c. V. ſect. I. §. 48. p. 809.* Verſus ipſos Empedoclis ad *h. l.* affert MOSHEM.
g) PLVT. *de plac. phil. l. I. c. 13. 17.* STOBAEVS *Eclog. phyſ. l. I. c. 17. p. 33. ſeq.* Differt itaque ſyſtema atomiſticum Empedoclis a Democritico, quod particulas diſſimilares ponit, & Anaxagoræ pro-

ante non fuit, nec poteſt perire quicquam. [b] Idem docuiſſe Pythagoram, allatis elegantiſſimis OVIDII verſiculis probavimus. Id vero de ipſa materia, non de ejus diſpoſitione, motu & formatione intelligendum eſt. Hanc enim ſolvi & per ignem ad ſtatum chaoticum reduci, ex Pſeudo-Origene ſupra obſervavimus. Fit tamen hoc æterna lege periodica; [i] unde in Empedoclis quoque phyſiologia, ut in Pythagorica æterna ſunt omnia, quæ eſſentiam habent, ſequitur inde porro, quod Empedocli tribuitur:

XII. Natura nihil eſt, niſi permixtio & divulſio elementorum. Solito clariores ſunt verſus Empedoclis: [k]

Iam quod naturam mortales nomine dicunt,
Hoc nihil eſt; neque enim mortem natura vel ortum
Humano præbet generi; nam mixtio tantum
Mixtorumque ſubeſt quædam ſecretio rebus,
Idque homines vulgo naturam dicere ſverunt.

Ex quibus ſimul patet, generationem proprie dictam & mortem apud Empedoclem non eſſe: cui tamen dogmati altius ſubſtratum fundamentum eſt, nempe eſſentias rerum in intelligibilibus illis naturis, quæ ex igne intellectuali emanant, conſiſtere, easque vi originis ſuæ eſſe æternas & immutabiles: quibus cum materia fluxa jungatur, quæ ſemper per elementorum mixtionem mutetur, neceſſaria ratione inde ſequitur, non res mutari, oriri & interire, ſed ſolam mixtionem particularum materiæ.

XIII. Sunt vero quatuor elementa, ignis, aër, aqua atque terra. Ignis Iupiter eſt, Iuno aër, Pluto terra, Neſtis aqua. LAERTIVS [l] ita verſus Empedoclis exhibet:

Iupiter albus & alma ſoror Iuno, atque potens Dis
Et Neſtis, lacrymis hominum quæ lumina complet.

Iſta vero elementa, eodem tradente, aſſidue verſant vices, nec deſinunt usquam, ſed eſt æternus eorum ordo, hinc iterum philoſophus: [m]

Nonnunquam connectit amor ſimul omnia, rurſus
Nonnunquam ſejuncta jubet, contentio ferri.

Conjunctione enim, mixtione & ſeparatione elementorum, rerum compoſitarum ortus & interitus, æterna viciſſitudinis lege ſecundum Empedoclem conſtant.

XIV. Mundus ſolis circumſcribitur ſphæra, quæ limitem ejus conſtituit. [n]

XV. Mundo exoriente primo ſecretus fuit æther, deinde ignis, poſt terra, qua nimis in arctum coacta ob impetum circumagitationis aqua ebulliit:

propius eſt, licet ὁμοιομερίαι ejus longe aliud ſint, quam θρύσματα ἐλάχιστα καὶ στοιχεῖα ὁμοιομερῆ Empedoclis. Ad quod non ſatis attendit CVDW. *c. I. §. 13. p. 18.*

h) Verſus Empedoclis habet PLVT. *adv. Coloten.*

i) LAERT. *l. VIII. ſ. 76.*

k) PLVT. *plac. phil. l. I. c. 30.*

l) l. c. conf. STOBAEVS *l. c. p. 25.*

m) PLVT. *l. c.* Quodvis vero in cujusvis locum ſuccedere *l. II. c. 7.* Empedocli tribuit.

n) IDEM *l. II. c. 1.*

liit: ex hac aër exhalavit, ac cœlum quidem ex æthere natum, ſol ex igne, reliqua circa terram quæ ſunt, condenſata coierunt, ex reliquis. [o]

XVI. Aëre ſolis impetui cedente, ſeptentriones declinarunt, ita ut partes, iis vicinæ in ſublime attollerentur, deprimerentur auſtrinæ: atque hæc inclinatio toti proinde mundo accidit. [p]

XVII. Dextra mundi pars eſt, quæ ad tropicum cancri vergit, læva, quæ vergit ad tropicum capricorni. [q]

XIIX. Cœlum ſolidum eſt corpus, ex aëre factum, ignis vi conſtipato, ut fieri ſolet cryſtallum: continet autem in utroque hemiſphærio igneam aëreamque naturam: [r]

XIX. Sidera igneæ ſunt naturæ, ex eo compoſita igne, qui æthere comprehenſus in prima ſecretione emicuit. [s]

XX. Stellæ inerrantes in cryſtallo cœli defixæ ſunt: planetæ vero liberi vagantur. [t]

XXI. Sol ingens eſt maſſa ignea, lunam mole ſuperans. [u]

XXII. Duo autem ſunt ſoles, quorum unus primigenius eſt ignis, in altero mundi hæmiſphærio, hæmiſphærium ſuo ſplendori ſemper oppoſitum implens. Sol vero, quem videmus, alterius hemiſphærii lumen eſt, aëre impleti, calore permiſto, quod a terra rotunda facta reflexione radiorum ſolis prioris in ſole cryſtallinæ formæ colligitur, atque motum ignei illius ſolis ſequitur. Obſcurum eſt, quid per alterum illum ſolem, primigenium intellexerit: quantum tamen ex allata PLVTARCHI [x] definitione colligi poteſt, ſol noſter eſt collectio radiorum reflexorum a terra ex luce mundum ambiente & terram irradiante profectorum. Antichthona Pythagoreorum occaſionem ſingulari hypotheſi dediſſe, ſuſpicatur IACOBVS THOMASIVS. [y] Certe Pythagoricis eam arriſiſſe, Philolai exemplo conſtat. Qua vero ratione intelligi queat, eleganti ichnographia [z] delineavit V. cl. GEORGIVS CHRISTOPHORVS EIMMARTVS. CVDWOTHVM [a] vero per ſolem primigenium, Deum, lucem intellectualem, intelligentem, non audiendum eſſe, recte notavit cel. MOSHEMIVS. [b] Hæc enim lux divina ſive ignis per mundum diffuſus eſt, nec ex elementis compoſitus, qualis ſol ille primigenius.

XXIII. Luna diſci formam habet: eaque duplo majore ſpatio a ſole, quam a terra, diſtat. [c]

XXIV. Duplex homini anima eſt, una ſuperior, ex divina mundi anima exorta, quæ pœnæ cauſa corpori immiſſa, divinam tenet originem. Altera ſenſitiva eſt, ex principiis elementorum mediante amore & conten-

o) *ibid. c. 6.*
p) *ibid. c. 8.*
q) *ibid. c. 10.*
r) *ibid. c. 11.*
s) *ibid. c. 13.*
t) *ibid.*
u) LAERT. *l. VIII. ſ. 77.*
x) *l. c. c. 20.*
y) *De antichthone Pythagor. Obſ. Hal. T. IV. Obſ. 19. §. 25.*
z) *Norimb. 1701.* edita, conf. CHR. THOMASIVS *ad l. c. p. 405.*
a) *c. I. §. 24. p. 34.*
b) *Ad h. l.* Provocat quidem Cudworthus ad SIMPLICIVM *in phyſ. p. 74.* qui Empedoclem, ait duos mundos ſtatuiſſe, νοητὸν καὶ αἰσθητὸν, verum recentiores Platonici ſuſpecti teſtes ſunt.
c) PLVT. *l. II. c. 27. 31.*

tione conflata. Probe tenenda eſt hæc theſis, ſine qua fruſtra ſyſtema Empedoclis phyſiologicum in concordiam redigitur. Supra enim SEXTI teſtimonium adduximus, quo conſtat, Empedoclem aſſeruiſſe non hominum tantum, ſed etiam brutorum animas ex univerſi ſpiritu eſſe decerptas. Sed & ipſi a nobis Empedoclis verſus allati ſunt, quibus animam ex elementis componi conſtat. Quæ omnia recte cohærent, iisque etiam, quæ de judicandi & percipiendi ſive ſentiendi criterio dixit, quæque ſupra explicuimus, apte reſpondent, ſi duplex anima ſtatuatur. Nec aliter, qui eosdem magiſtros conſuluit, Plato; etſi id neget CVDWORTHVS, [d] quem animam ex eodem & diverſo compoſuiſſe ſupra oſtendimus. Lapſum vero animæ purgatio ejus per migrationem evincit, & ſatis ea docent, quæ ex Iamblicho affert STOBAEVS, [e] qui fugam a Deo inter cauſas inordinatorum motuum numerat. Alia veterum loca [f] præterimus. Sed & animam iſtam ſuperiorem dæmonem eſſe lapſum & peccantem, ideoque in corpore vagantem, donec purgata ad Deum redeat, ſatis luculenter verſus Empedoclis innuunt, quos ſervavit PLVTARCHVS: [g]

Fata jubent, ſtant hæc decreta antiqua Deorum;
Si quid peccando longævi dæmones errant;
Quisque luit pœnas, cœloque extorris ab alto
Triginta horarum per terras millia oberrat,
Sic & ego nunc ipſe vagor, divinitus exul.

Sed & alibi [h] verſus alios Empedoclis affert, quibus per elementa præcipites agi & torqueri iſtos dæmonas philoſophus ait, donec purgati & ſupplíciis expiati priſtinæ naturæ locoque ſuo reſtituantur. Idem alibi quoque repetit, vagari dæmonas deorum ira deturbatos e cœlo. Id quod mirabitur nemo, qui cogitat, animam mundi non per animalia tantum etiam bruta, ſed per omnes omnino creaturas ſe diffundere, iisque adeſſe rationem divinam, ut ſupra demonſtratum. Lapſus vero, qua ratione queat explicari, ut ſalva maneat phyſiologia Empedoclea, difficulter patet, niſi, emanationis natura in ſubſidium vocata, eas ignis intellectualis partes quæ receſſerunt a Deo, ejusque natura longius, dicamus eo ipſo eſſe lapſas, dum materiæ contagio ſe inquinaverunt: quod tamen qua ratione peccatum fuerit, non pateſcit. Vnde ſuſpicamur, Empedoclem aliquid hic tribuiſſe proſopopoeiæ poëticæ, & naturam emanationis ſpiritualis, quam cum reliquis Pythagoreis admittebat, hac imagine poëtica adumbraſſe, quæ ἀλληγορικῶς dicta cum poſtea κατὰ τὸ ῥητὸν accepta eſſent, lapſum animorum introduxere. Etſi & hoc tacendum non eſt, potuiſſe antiquiſſimam inter barbaros traditionem Empedocli anſam præbere, eam cum placitis ſuis phyſiologicis ita conciliandi. Anima itaque cum & ipſa ex horum geniorum

d) *l. c. p. 32.*
e) *l. I. Eclog. phyſ. p. 112.*
f) Vid. PLVT. *adv. Colot.* PLOTIN. *Enn. IV. l. 8. c. 1. p. 468.*
g) De exilio, HIEROCLES in *aur. carm. p. 186.* PETRVS NEEDHAM *ad h. l.*
h) *De vit. ære alieno T. II. p. m. 475. & de Iſid. p. 144.*

rum numero ſit, [i] nec mortalis eſſe poteſt, nec ex initiis compoſita: ex quo ſequitur, eam, quæ ex elementis conflata eſt, aliam prorſus naturam habere. Et ad hanc animam ſenſitivam pertinet, quod Empedocli tribuit PLVTARCHVS, [k] ejus partem principalem ſedem habere in ſanguine.

XXV. Anima omnis generis animalium, plantarumque ſpecies induit, & tamdiu migrat, donec purgata penitus ad Deum revertatur, ejusque juncta ſedibus, immo naturæ ipſi, Deus fiat. Notiſſima hæc μετεμψύχωσις Empedoclea eſt, a Pythagorica diverſa in eo, quod non in animata, etiam bruta, ſed in inanimata quoque abire animas ſtatuat. Qua de re ipſe de ſe: [l]

Nam memini, fueram quondam puer atque puella,
Plantaque, & ignitus piſcis, pernixque volucris.

Fundamentum vero totius dogmatis ex antecedenti theſi clarum eſt, & ampliori illuſtratione non eget. Futuram vero felicitatem purgatis promiſiſſe mentibus, CLEMENS ALEXANDRINVS [ll] allatis Empedoclis verſibus docet.

XXVI. Animalium corpora, fortuito particularum ſimilarium concurſu efformata ſunt, operam interponente diſcordia & amicitia, unde & fortuiti concurſus ſigna & veſtigia interdum remanent, & initio animalia duplicis fuere generis. Verſus Empedoclis hac de re ſervavit AELIANVS: [m]

Multa genus duplex referunt animalia membris
Pectore vel capite aut alio, ſic ut videatur,
Ante viri retroque bovis forma aut vice verſa,
In pecore humanæ quondam veſtigia formæ.

Idem Empedocli tribuit ARISTOTELES [n] & PLVTARCHVS, [o] quem ideo fruſtraneo conatu purgat CVDWORTHVS. [p] Nec in eo quid eſt, quod phyſiologiæ Empedocleæ repugnet, cum materia ſemel a natura divina agitata juxta motus amicitiæ & contentionis moveatur. Inde vero ſequitur, providentiam Empedocleam, quam alicubi crepat, plane nullam eſſe: agitat enim mens divina materiam, mundumque verſat, & tamen contrarii hi & monſtroſi effectus inde exſurgunt. Ceterum Empedoclem motum cœleſtium & aliarum rerum naturalium τῷ αὐτομάτῳ permittere, teſtatur etiam ARISTOTELES, [q] aſt dum eum tamen Democrito & Leucippo opponit, palam eſt, non ad caſum plane fortuitum, ut his placuit, referenda ea eſſe, ſed ad materiæ ſemel a monade commotæ, motus ſpontaneos, ſuæque naturæ conformes, id quod etiam theologia Empedoclea ſupra memorata poſtulat.

XXVII.

i) PLVT. *de exil. T. II. p. m. 531.*
k) *De plac. l. IV. c. 25.*
l) LAERT. *l. VIII. ſ. 77.* & quæ ex veteribus ad *h. l.* affert MENAG.
ll) *Strom. l. V. p. 607.*
m) *De nat. animal. l. XVI. c. 29.*
n) *Phyſic. l. II. c. 4.*
o) *Adv. Coloten T. III. p. 413.*
p) *l. c. p. 33.* Conf. MOSHEM. *ad h. l.*
q) *l. c.*

XXVII. Mare eſt ſudor terræ, aduſtæ a ſole, qui nimia ejus compreſſione emittitur. [r]

XXVIII. Imago viſibilis objectorum atque radiorum conjunguntur, idque quod inde exiſtit, radii imaginis compoſitæ ſunt. [s] Pari fere ratione de ſpeculorum repræſentationibus eum ſtatuiſſe PLVTARCHVS [t] auctor eſt. Statuebat enim ex objectis ſpecies emanare, quod & aliis veterum placuit, & ex hypotheſi, materiam ſemper fluere & mutari, facile deduci potuit. Res enim ideo nec mutatæ, nec alteratæ dici poterant, cum rerum eſſentiæ, & naturæ intelligibiles illis junctæ immutabiles & æternæ ſint, nec corrumpi queant.

XXIX. Auditus vento interveniente peragitur, auris concavum impellente; quod cochleæ inſtar in gyros contortum atque intra aures ſtudioſe elaboratum in ea ſuſpenditur, & tintinnabuli inſtar feritur. [u]

XXX. In ſemine maris certæ corporis partes & membra continentur, aliæ vero in ſemine feminæ, hincque appetitus oritur venereus in alterum ſexum, partibus iſtis inter ſe jungi deſiderantibus.

XXXI. Prima fœtus reſpiratio in utero fit, aëre loco humiditatis ſenſim diminutæ per poros intrante, quem ubi calor naturalis expulit, eo recedente redit aër, ſicque fit inſpiratio & exſpiratio embryonis.

XXXII. Caro ex æqualibus quatuor elementorum partibus conſtat.

XXXIII. Semina plantarum ovorum inſtar ſe habent, quæ matura decidunt & excluduntur. Patet ex his ſpeciminibus, Empedoclem pro temporis ſui ratione plurimum in phyſica quoque ſpeciali valuiſſe, & forte a cognitione anatomica non fuiſſe deſtitutum. Modo genuina ſint & ab Empedocle profecta, quæ ei GALENVS [x] tribuit.

XXXIV. Æternum eſſe naturæ jus, cui omnibus obtemperandum ſit, ex Empedoclis verſibus apud ARISTOTELEM [y] colligit CVDWORTHVS, [z] quem tamen ea, quæ de jure non occidendi animantia dixit Siculus philoſophus, de univerſali jure perperam explicaſſe oſtendit MOSHEMIVS. [a] Recte tamen is contra GASSENDVM [b] tuetur, ejusmodi æternum jus Empedocli debuiſſe placere. Qui enim æternis fati legibus & viciſſitudini ex conjunctione Dei & materiæ omnia ſubjecit, illi hæc fatorum vel neceſſitatis æterna lex eſt, ut ex Stoico ſyſtemate patet. Et hoc τὸ τῶν πάντων νόμιμον, in laudatis ejus verſibus eſt, cujus nobilis pars eſt; omnia animæ mundanæ per latum æthera, tanquam ſplendoris ingentis, vel ignis intellectualis extenſæ conjunctione inter ſe cognata eſſe, hincque animantia non eſſe occidenda. Ita enim verba philoſophi ſe habent:

Ἀλλὰ τὸ μὲν πάντων νόμιμον, διάτ' ἐυρυμέδοντος
Αἰθέρος Ἠνεκέως τέταται, διὰ τ' ἀπλέτου αὐγῆς.

§. VIII.

r) PLVT. *plac. l. III. c. 16.*
s) *ib. c. 16.*
t) *c. 14.*
u) *Lib. IV. c. 6.* conf. SCHVLZ. *Hiſt. medic. Period. I. ſect. 2. c. 7. §. 38.*
x) *De ſemine l. II. c. 3.* & *hiſt. philoſ.* illi tributa.
y) *Rhetor. l. I. c. 13.*
z) *l. c. p. 32.*
a) *Ad h. l. n. 14.*
b) *Ad l. X. Laërt. T. V. opp. p. 158.*

§. VIII. Præter Empedoclem celebre quoque inter auditores Pythagoræ nomen fuit EPICHARMO Coo, Helothalis filio: [c] quem tamen Megarenſem quidam, alii Samium dicunt, [d] ut pater aliis Tyrſus, Tityrus & Chimarus appellatur. [e] Trimeſtris infans Megaras Siciliæ delatus eſt, atque inde Syracuſas, ubi philoſophiæ nomen dedit, [f] & Pythagoreos audivit, licet ſint, qui inter extraneos eum diſcipulos tantum numerent. [g] Cum vero partim Pythagoreorum legibus impeditus philoſophiam Pythagoricam propalare non auderet, partim ob Hieronis tyrannidem a publica philoſophiæ profeſſione abſtineret, [h] ad antiquam comœdiam ſtudium mentemque applicuit, [i] & in theatro ſubinde Pythagorica dogmata verſibus comprehenſa vulgavit, id quod male Pythagoreos habuit. Valde fuiſſe verſatum in naturali, ſalutari & morali philoſophia ſcriptis his de argumentis libris, aſſerit LAERTIVS. [k] Pauca tamen ex iis ſervata nobis a veteribus ſuperſunt. Libros enim ejus in Vaticana bibliotheca exiſtere, fides erit penes nonneminem, [l] qui id aſſerit. Nonagenarius obiit, [m] aliis [n] XCIX annos vixiſſe traditur, & poſt mortem ſtatua honoratus eſt, cujus inſcriptionem ſervavit LAERTIVS. [o] *Epicharmus.*

§. IX. Inter dicta Epicharmi, veteribus valde laudata & in ore habita, [p] ſequentia mentem ejus de doctrinis quibusdam philoſophicis exponunt: *Philoſophia Epicharmi.*

I. Fieri nequit, ut a nihilo quid primum proveniat.

II. Nec igitur quicquam primum provenit, nec quicquam ſecundum.

III. Dii ſemper extiterunt, nec deſierunt eſſe unquam. [q] Deos vero Epicharmi, ſolem, lunam, ſtellas, terram, aquam eſſe Menander docet apud STOBAEVM, [r] & ratio ſyſtematis Pythagorici poſtulat.

IV. Chaos vero cum primus Deorum genitus dicatur, mutatio fit in materia.

V. Materia vero perpetua in mutatione conſiſtit, & ſemper diverſa eſt a ſe: nec ſumus hodie, qui heri fuimus, vel erimus cras, qui fuimus hodie. Obſcuros & confuſos de his dogmatibus phyſicis verſus Epicharmi nobis ſervavit LAERTIVS, iisque lucem accendere poſt Scaligerum & Caſaubonum, non ſine eruditione conatus eſt Marquardus Gudius. [s] Qui ſi ita intelli-

c) LAERT. *l. VIII. ſ. 78.*

d) SVIDAS in *Epicharm. T. II. p. 842.*

e) *ibid.* IAMBLICH. *vit. Pyth. c. XXXIV. n. 241.* qui & filii ejus, Metrodori meminit, qui ſalutari arti nomen dedit, & patris ſcripta commentariis illuſtravit.

f) LAERT. *l. c.*

g) IAMBLICH. *c. XXXVI. n. 266.* qui potuit autem doctrinam Pythagoricam propalare, ſi extraneus auditor veras ejus rationes non percepit?

h) *ibid.* Libere tamen adverſus Hieronem ſe geſſiſſe teſtatur PLVT. in *apophth. T. III. p. m. 326.* & de *adul. ib. p. 172.* ubi levitatem jocandi in Epicharmo notat.

i) Conf. VOSSIVS *de poëtis*, FABRIC. *Bibl. Gr. vol. I. p. 645.* Fragmenta collecta habes in *ſententiis Comicorum*, & H. STEPHANI *poëſi philoſ. p. 54.*

k) *l. c.*

l) TIRAQVELLVS *de nobilit. c. 31.* quem ſequitur cl. SCHVLZIVS *Hiſt. med. Per. I. ſect. II. c. 7. §. 32. p. 171.* qui eum inter medicos quoque veteres refert, ait enim Laërtius, eum *ἰατρολογεῖν.* Non tamen confundendus eſt, cum Epicharmo medico, Demolochi Comici Syracuſani parente.

m) LAERT. *l. c.*

n) LVCIAN. in *longæv. T. II. p. 835.* VOSSIVS *l. c. p. 33.*

o) *l. c.*

p) IAMBLICH. *n. 166.* Platonem Epicharmi vitulo araſſe, ſupra ex LAERT. *l. III. ſ. 16.* notavimus.

p) Verſus Epicharmi ſervavit LAERT. *l. II. ſ. 11.*

r) *Serm. CCXXVIII. p. 753.*

s) Apud MENAG. *ad l. c. Laërt.*

telligantur, uti expoſuimus, & inter ſe cohærent, & cum placitis Pythagoricis, quæ Epicharmus ſecutus eſt, concordant. Duo enim principia ponebat, Deum & ex eo æternas naturas, intelligibilia Deosque, ad quos iſtas ſummas mundi partes ſchola Italica retulit: & materiam ſemper fluxam & in momenta mutabilem: illa mutari nequeunt, hæc ſemper verſatur in mutatione.

VI. Mors alienum quid eſt, & ad nos non pertinens, adeoque non extimeſcenda. Senſus hic eſt ſententiæ Epicharmi apud SEXTVM EMPIRICVM:[t]

Ἀποθανεῖν ἢ τεθνάναι, ἃ μοὶ διαφέρει.

Paulo aliter CICERO:[u] *Emori nolo, ſed me mortuum eſſe nihili æſtimo.* Duplici vero ſenſu hæc accipi poſſe, quilibet videt, vel Epicureo, quo ſignificat, poſt mortem nihil nos eſſe, adeoque nullis nos angi malis, vel Stoico, poſt mortem redire animas in Deum: Priorem ſenſum Epicharmo affingit Sextus, qui Epicurum ſuum hoc dogma Epicharmo ſurripuiſſe tradit: ſed id cum Pythagorico ſyſtemate, quod Siculus poëta ſecutus eſt, non convenit, & poſterior explicatio melius & aptius cohæret. Teſte enim PLVTARCHO[x] præclare Epicharmus docuit: concretum corpus fuiſſe, & diſcretum in mortem; rediiſſe unde venerat terram deorſum, ſpiritum ſurſum; in his nihil iniquum eſſe. Quæ genuina Pythagorica ſunt, & reliquis dogmatibus Epicharmi pollicem premunt.

VII. Ipſum hominis ingenium mosve (τρόπος) vel bonus vel malus dæmon eſt.[y]

VIII. Quisquis ſuapte natura proclivis ad bona fuerit, nobilis eſt, quamvis matre natus Aethiope.[z] Alia afferunt veteres paſſim, quæ collegit diligentiſſimus STOLLIVS,[a] ſed ea exoterica ſunt, & ad philoſophiam Epicharmi proprie non pertinent.

Ocellus Lucanus.

§. X. OCELLVS, Lucanus fuit, Archyta tempore prior, ejus enim nepotes ſe conveniſſe, & ab eis Ocelli ſcripta, *de lege, regno, ſanctitate* & *univerſi generatione* accepiſſe, is ad Platonem ſcripſit,[b] ex quo de ejus ætate conjectura fieri poteſt. Fratrem habuit Ocylum, & ipſum quoque Pythagoricæ ſectæ addictum.[c] Scripſit, uti dictum, *de univerſo* librum, qui hodienum extat, poſt CAROLVM EMANVELEM VIZANIVM[d] a THOMA GALEO[e] editum, ex quo librum ARISTOTELIS *de generatione & corruptione* fere transſumtum videri obſervavit SYRIANVS.[f] Non vero

t) *Adverſ. Mathem. l. I. f. 273.* qui tamen *f. 284.* non Epicharmo ſed Sophroni tribuit. Daviſii emendationem a FABRICIO *h. l.* allatam reſpuit ſeries verborum Sexti.

u) *Tuſc. Qq. l. I. c. 8.* ubi Epicharmum *acutum, nec inſulſum hominem, ut Siculum*, appellat.

x) *Conſol. ad Apollon. T. III. p. 233.*

y) STOBAEVS *Serm. XXXVI. p. 398.*

z) *ibid. Serm. CCXVIII. p. 727.*

a) *Hiſt. phil. moral. gent. §. CXXXVIII. p. 248. ſeqq.* & ante eum CONR. RITTERSHVSIVS ad OPPIANI *Halieut. l. I.* & ad PORPHYR. *n. 29. p. 38. ſeqq.* Auctorem fuiſſe introductarum inter Græcos aſpiratarum literarum Θ & Χ tradit Ariſtoteles apud PLINIVM *l. VII. c. 56.*

b) Extat epiſtola apud LAERT. *l. VIII. ſ. 80.*

c) IAMBLICH. *de vita Pyth. c. ult. n. 267.*

d) *Bonon. 1646. 4. Amſt. 1661. 4.* de aliis editionibus vid. FABRIC. *Bibl. Græc. Vol. I. p. 496.*

e) *Opuſc. Mythol. p. 506. ſeq.* ed. Amſtelod.

f) In *Metaphyſ. Ariſt.* verba edit. Galei præfixit PEARSONIVS.

vero more Pythagorico dialecto Dorica ſcriptus hodie extat, ſed communi, a grammatico ſine dubio aliquo ita mutatus, ut facilius intelligeretur, cum Pythagorica ſcripta ob Doricum loquendi morem obſcura fuerint admodum, ut ſupra dictum eſt. Dorice enim initio conſignatum fuiſſe, ex fragmentis apud STOBAEVM[g] occurrentibus patet, quæ primæ dialecti veſtigia ſervant. Non audiendi itaque ſunt, qui vel Ocellum e numero Pythagoreorum ejiciendum, vel ei hunc librum denegandum eſſe contendunt, quo maxime tendit doctiſſimorum ex Britanna gente virorum THOMAE BVRNETII[h] & SAMVELIS PARCKERI[i] de hujus libri auctore diſputatio. Hic enim ex Ariſtotelis ſcriptis librum compilatum eſſe contendit, & politiorem, putat, Atticorum ſermonem juniorem ætatem prodere, qualem longo poſt tempore conſecuti fuerint. Vti, porro monet, phyſicis quibusdam vocabulis, quorum inventor atque architectus Ariſtoteles perhibeatur, totumque argumentum Peripateticum eſſe, & prorſus Peripatetico more tractari, ut nihil aliud, quam Peripateticæ phyſiologiæ epitome videatur. Potiſſimum cum de elementorum mutatione & qualitatum, tum principum, tum ex iis ortarum varietate ad usque ſexdecim familias tractaverit : qualia primus Ariſtoteles accurate dixerit. Et ſapere hunc auctorem nihil Pythagoreum, cum absque numeris philoſophetur, ſed redolere Peripaticiſmum, quem quilibet prima facie agnoſcat, cum e contrario nemo e Pythagoreis tantopere a ſectæ ſyſtemate receſſerit. Quæ etſi erudite diſputantur, examen tamen non ſuſtinent. Fatetur enim ipſe vir doctiſſimus, potuiſſe ex Dorica ſicut & multi alii, ut ſæculo accommodentur, in Atticorum iſtam, qua ætas politior utebatur, poſtmodum verti: qua via, quasdam verborum ſignificationes novosque terminos, ut magis liber in ſe difficilis intelligeretur, ſimul irrepſiſſe vero eſt longe ſimillimum. Nec tam diſſimile eſt ſyſtema Ocelli Pythagoreo, quam viſum theologo celeberrimo. Supra enim in phyſiologiæ Pythagoreæ delineatione oſtendimus, 1. mundum genitum quidem a Deo, non vero in tempore, ſed in cogitationibus, adeoque revera eſſe æternum, non quidem ratione principii, ſed tamen ratione exiſtentiæ, initii & durationis; 2. mundo comprehendi omnia; 3. ex nihilo nihil fieri; 4. mundum cauſam rerum omnium eſſe efficientem, quia Deum comprehendit; 5. res omnes inter ſe fatali vinculo conjungi, hincque 6. æternam hanc fati legem eſſe, unde æterna mundi duratio ſequitur. Aſt hæc primaria & fundamentalia Ocelli dogmata ſunt, quibus ex ſchola Pythagoræ totum ſyſtematis ſui ædificium inædificavit. Nam nihil eſſe extra Deum & materiam, quibus partibus mundus conſtat, & utrumque principium eſſentiali fati vinculo ita uniri, ut Deus materiam æternum moveat, Pythagoræ & Ocelli κυρίαι δόξαι ſunt. Nec, quæ ſubtilius de elementorum mutatione differuntur, indigna ſunt ſchola Italica, cum Empedoclis exemplo conſtet, poſteriores Pythagoricos, relicta ob-

g) *Eclog. phyſic. l. I. c. 24.*
h) *Archæolog. philoſ. l. I. c. II. p. 425.*
i) *De Deo diſp. IV. ſect. 3. p. 367 ſeq.*

ſcura per numeros philoſophandi methodo de rerum naturalium cauſis ἁπλῶς magis & aperte mentem ſuam expoſuiſſe. Cumque Plato ab Archyta librum hunc acceperit, ſatis inde manifeſtum eſt, eum ante Ariſtotelem extitiſſe, & tranſtuliſſe inde more ſuo Stagiritam multa in ſyſtema ſuum, quod tamen longe aliam ſignificationem ſenſumque habet, quam Ocelli. Non ejiciendum itaque nobile antiquitatis philoſophicæ monumentum ex Pythagoreorum circulo, ſed ſcholæ ſectæque ſuæ relinquendus Ocellus, quem tamen ſubtilius magisque luculenter de rebus phyſicis diſputaſſe, quam veteres primosque Pythagoreos, & propria atque domeſtica habere principia non negamus. Sed ut ipſe Lector judicare, & cum Pythagoreo ſyſtemate Ocelli φιλοσοφέμενα conferre queat, en brevem ejus διατύπωσιν:

Philoſophia Ocelli.

I. Quædam certis indiciis, natura docente cognoſcuntur, quæ ratione probabili & conjectura diſcuntur.

II. Vniverſum nec interiturum unquam eſt, nec ullum unquam habuit ortum, ſed fuit ſemper & futurum eſt. Præcipuum hoc aſſertum eſt, in quo Ocellus abiiſſe a ſchola Italica putatur, ſed perperam. Vniverſum enim, Deum & materiam comprehendens. Semper extitiſſe Pythagoras, ut ſupra demonſtratum, docuit. Nec aliud hos philoſophos paſſum eſt aſſerere, axioma ſenſu abſoluto admiſſum: ex nihilo nihil fit. Mundus autem & univerſum ſenſu Pythagoreo & Stoico idem ſunt. Rationes vero ab Ocello contra generationem univerſi allatæ etſi Peripateticæ videntur PARCKERO, a Pythagoricis tamen non abludunt: cuncta enim natura generationis & mutationis nituntur. Pone vero horum loco naturam monadis & dyadis, & habebis Ocellum totum Pythagoreum.

III. Vniverſum totum hoc mundum indicat, qui ideo hoc nomen accepit, quod ex univerſitate rerum diſtinctus ornatusque ſit. Probe hoc tenendum eſt, ad intelligendam veram Ocelli doctrinam: is enim ornatum mundi, ab ejus natura diſtinguit, & hanc æternam eſſe aſſerit, quod pauci viderunt, qui Ocelli phyſiologiam culparunt, quod mundum hunc faceret æternum.

IV. Perfecta & abſoluta quædam naturarum omnium collectio eſt, extra quam nihil prorſus conſiſtit, ſed in quo univerſo vel ut partes, vel ut res adventitiæ & externæ (ἐπιγεννήματα) comprehenduntur.

V. Mundus cum nulla alia re, quam cum ſe ipſo connexionem & conſenſum habet: cum vero ſingulæ quæque res ex naturis non in ſe perfectis (αὐτοτελῆ) conſtent, opus habent connexione cum iis, quæ extra eas ſunt: e. g. animalia cum aëre, viſus cum lumine, ſtirpes cum terra.

VI. Sunt vero rerum eſſentiæ, naturæ & principia, quæ videri oculis non poſſunt, aliisque rebus cauſæ ſunt, cur perfectæ ſint, ſua vi perfectæ & abſolutæ. Satis luculenter Pythagoreas naturas æternas ſive intelligibilia reſpicit. Ait enim ea efficere, ut ſua ſponte reliqua ſerventur ac permaneant, rebusque aliis convenientiam & concentum præbere: quæ cum in

mundo

mundo non comprehendantur tantum, ſed & eum conſtituant, mundum inde concludit, ſempiternum eſſe & durare, & auctorem eſſe, cur aliæ res quoque durent & conſiſtant.

VII. Impoſſibile eſt, ut id quod eſt, aut ex nihilo fiat, aut in nihilum abeat. Quæ ratio totum hoc ſyſtema fulcit. Iisdem rationibus uſus eſt apud PHILONEM,[k] Critolaus Peripateticus, licet Peripateticum ſyſtema ab Ocelli differat.

VIII. Extra univerſum nihil eſt, cum omnia cetera in univerſo comprehendantur, ac totum, univerſumque idem habeatur, ac mundus: adeoque nec cauſa externa mundum poteſt deſtruere.

IX. Partes primæ & maxime honorandæ vi naturæ univerſi ſucceſſionis continuationem non habent, ſed mortalia; propriæque conſtitutionis progreſſionem recipiunt.

X. Quæ prima moventur, eodem modo & ſecundum ea, quæ ipſiſſima ſibi ſunt per circulum moventur. Miramur viros acutos, qui Peripateticam hanc diſputationem eſſe contendunt, non vidiſſe Pythagorea πρῶτα, τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχοντα, quæ cum æterna ſint & maneant, reliqua circa ea verſantia, mutationem ex alio in aliud patiuntur circulo naturali & fatali.

XI. Ignis enim ſi in unum cogatur, & denſeſcat, aërem, aër aquam, aqua terram producit: a terra viciſſim idem usque ad ignem, a quo cœperat, mutatio, circuitus peragitur. Homines vero, non ita redeunt, ſed diſſolvuntur. Manet itaque univerſum, partes & res adventitiæ intereunt & deſtruuntur.

XII. Figura mundi globoſa eſt, & motionis genus illud habet, quod in orbem fertur, tempus infinitum, in quo verſatur motus, ſubſtantia univerſi augeri & mutari in melius & deterius nequit.

XIII. Duæ in univerſo exiſtunt res, quarum altera generatio, altera generationis habetur cauſa.

XIV. Generatio eſt, in qua res ipſæ mutantur, generationis cauſa, ubi ſubjecta res eadem ſervatur & permanet, hæc cauſa efficiens & agens, illa recipiens & patiens eſt.

XV. Fatorum diſpoſitione impatibilis ac immobilis mundi pars diſtinguitur, lunæque curſu mortale & immortale ita dividit, ut ſupra eam ſit Deorum genus, infra eam natura contentionis, generationis & interitus.

XVI. In ea mundi parte, qua generatio dominatur, tria occurrunt; corpus contrectabile, quod ſubjectum eſt rerum oriundarum, quod omnia recipit: e. g. aër ex quo ſonitus, tenebræ & lux ex quibus color: ſecundum res contrariæ, ut mutationes & alterationes compleantur, tertium ſubſtantiæ, quarum illæ facultates ſunt, ut ignis & aqua, & aër & terra.

XVII. Harum facultatum quatuor numero ſunt, calor & frigus, ut cauſæ efficientes, ſiccitas & humor, ut cauſæ patientes; materia autem eſt, quæ omnia recipit, commune nempe quoddam, quod rebus omnibus ſubjicitur.

k) *De mundo incorruptibili.*

XVIII. Qualitates & differentiæ corporum aliæ primæ ſunt, aliæ ex primis ortæ, ſuntque numero ſexdecim, calor & frigus, humor & ſiccitas, hæ primæ; gravitas & levitas, raritas & denſitas, lævor & aſperitas, durities & mollitudo, tenuitas & craſſities, acumen & obtuſitas, hæ ortæ, & multiformes.

XIX. Ignis & terra extrema ſunt elementa, aqua & aër media.

XX. Ignis calidus & ſiccus eſt, aër calidus & humidus, aqua humida & frigida, terra frigida & ſicca.

XXI. Mutantur in ſe mutuo elementa, unumque ex altero oritur, cum uniuscujusvis elementi contraria interit facultas, cognata & ejusdem generis ſervatur. Ita deleto uno contrariorum pari generatio abſolvitur.

XXII. Ex cauſis efficientibus id quod in alio generat, eſt univerſa mundi pars, quæ ſupra lunam poſita eſt, propius vero ſol ipſe, qui appulſu ſuo & abſceſſu aërem continenter immutat & variat, unde omnis in terra mutatio. Sed & orbis ſignifer, qui obliquus eſt, ad ſolis motum, & univerſi ornatum confert, & efficit, ut in eo alia res gignendi, alia patiendi vim habeat.

XXIII. Cum mundi ornatus & diſpoſitio ſemper exiſtat, etiam quæ in eo diſpoſita digeſtaque ſunt, ſemper exiſtant neceſſe eſt. Cum mundo itaque æterno partes quoque ejus æternæ ſtatuendæ ſunt. Mens Ocelli eſt, ſemper univerſi rationem eandem fuiſſe, & ab æterno res immutabiles per ſe ſubſtitiſſe, generationi obnoxia ab æterno iſtam partium mutationem fuiſſe paſſa.

XXIV. Cum itaque in unaquaque mundi parte collocatum ſit aliquod eximium animalium genus, in cœlo Dii, homines in terra, dæmones in aëre (ἐν μεταρσίῳ) neceſſe eſt humanum genus eſſe perpetuum. Dæmonas dum auctor in ea regione aſſerit, quæ igni & aëri infra lunam tribuitur, manifeſte ſatis ab Ariſtotele diſſentit, cui nullus dæmon eſt, qui ſphæram non moveat aliquam cœleſtem.

XXV. Terræ partes vi mutantur & intereunt, ipſa terra nunquam interitura eſt.

XXVI. Hominis generatio non voluptatis, ſed ſobolis procreandæ cauſa ſuſcipienda eſt.

XXVII. Generationis facultatem infinite continuatam effecit Deus, ut homo divinitatis fieret particeps.

XXVIII. Homo univerſi hujus, tanquam domus alicujus & civitatis, maxima pars eſt.

XXIX. Manſuetiſſimum & optimum animalium homo eſt, unde & officia ejus fluunt. Hactenus Ocelli phyſiologia, ex qua patet, quid de ejus atheiſmo *l*) ſtatuendum ſit, qui eodem, quo totius Pythagoricæ ſcholæ phyſiologia relabitur. Servavit vero nobis STOBAEVS fragmentum ex libro Ocelli

l) Conf. REIMMANN. *Hiſt. atheiſmi c. XX. §. 3. p. 153. Hiſt. crit. de la philoſophie T. II. p. 99. Hiſtoire univerſelle p. 10.*

Ocelli de legibus, ex quo ſatis luculenter apparet, fruſtra eos eſſe, qui Peripatetice magis, quam Pythagorice ſyſtema ejus explicant. Ait enim

XXX. Corpora vita continet, hujus vero cauſa anima; mundum vero harmonia, hujus autem cauſa, Deus; familias vero & civitates, concordia, hujus autem cauſa, lex.

XXXI. Quod ſemper movet gubernat, quod ſemper patitur gubernatur; & illud quidem poteſtate prius, hoc vero poſterius; illud divinum eſt rationem habens, & mentis particeps, hoc vero genitum & rationis expers, & mutabile.

§. XI. TIMAEVS Locrenſis, Platonis ætate ſcholam Italicam nobilitavit, [l] quamquam Socratem & Timæum eodem ſeculo fuiſſe negat MACROBIVS. [m] CICERO [n] enim diſerte inter ceteros Pythagoreos Timæum Locrum acceſſiſſe, eumque cognoviſſe, & didiciſſe Pythagorea, teſtatur. Idem HIERONYMVS [o] aſſerit. Certe librum Timæi; *de rerum natura* acquiſivit, indeque Timæum ſuum conſcripſit. Aſtronomiæ eum peritiſſimum fuiſſe, & in ſcientia naturæ univerſi potiſſimum operam collocaviſſe PLATO [p] & CHALCIDIVS [q] aſſerunt. Libri brevis, ſed luculenti *de anima mundi* jacturam prævertit PROCLVS, qui commentariis ſuis in PLATONIS Timæum eum præmiſit, [r] unde ſæpius cum Platonis operibus & ſeparatim editus eſt, de quibus editionibus conſulendus eſt FABRICIVS. [s] Elegantem debemus GALEO, [t] verſionem emendatam poſt alios STANLEIO. [u] Tribuit præter hunc libellum Timæo *mathematica* quoque & librum *de vita Pythagoræ* SVIDAS, [x] de quo tamen merito viri docti [y] ambigunt. Etſi vero in hac de natura univerſi tractatione Pythagoreorum veſtigiis inſiſtit Timæus, duplici tamen potiſſimum nomine ab iis receſſit. Nam & partem architectonicam phyſicæ doctrinæ clarius expoſuit & relicta conſideratione univerſi tanquam unius & totius ſive monados, duas primas cauſas abſolutas poſuit, Deum ſive mentem fontem naturarum intelligibilium, & neceſſitatem ſive materiam, corporum ſcaturiginem; & ex acceſſu Dei ad materiam (libero an neceſſario non definivit, ut poſtea Plato, cui prius placuit) ejusque ſecundum ideam formatione mundi geniti hiſtoriam derivavit. Quam phyſiologiam cum ſupra in deſcribenda Platonis naturæ contemplatione expoſuerimus, repetenda ea hic non ſunt. Meretur tamen Timæi libellus cum Platonis Timæo conferri, ut inde pateat, in quo hic ab illo receſſerit. Dudum enim obſervatum eſt viris doctis, [z] Platonem, dum Locro lucem dare conſtituit, in nonnullis locis ſimplicem & rectum ſcriptorem anili ſuperſtitione, & commentis quibusdam ex Aegyptiorum ſcholis corrupiſſe, & puti-

Timæus.

da

l) Ocellum Timæi *πρόδρομον* & *præambulonem* vocat PROCLVS *l. III. in Tim. Plat.*
m) *Saturnal. l. I. c. 1.*
n) *De finib. l. V. Tuſc. Q q. l. I.*
o) *Apolog. contra Ruſin. fin.*
p) In *Timæo.* *q*) *Comm. in Tim. p. 75.*
r) Vid. FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. VIII. p. 523.*
s) *Vol. II. p. 21. & l. c.*
t) *Opuſc. mythol. p. 541. ſeqq.*
u) *P. VIII. Hiſt. phil. p. 802. ſeqq.*
x) *T. III. Tim. Locr. p. 472.*
y) IONSIVS *de Script. hiſt. phil. l. I. c. 6. p. 32.* FABRICIVS *l. c.*
z) GALEVS *præf. ad Timæum*, FABRICIVS *l. c.*

da quadam diligentia illuc congeſſiſſe, quæ commodius & modeſtius notantur a Timæo, veluti ſunt nugæ περὶ μεταφύσεως, in quibus nimius eſt Plato, quas explicat quidem, ſed confictas ait Timæus. Dum etiam dialogiſtica methodo Timæi phyſiologiam Plato explicuit, ſcriptorem ſatis luculentum, ſi Doricam dialectum tollas, obſcuravit. Ceterum in libera Locrorum civitate ſeniorem fuiſſe & reipublicæ præfuiſſe Timæum, aſſerit SYNESIVS. [a] Fuere & alii Timæi etiam Pythagorici, cum noſtro non confundendi. [b]

Archytas Tarentinus.

§. XII. Præter Timæum ex Pythagoreis Platonis præceptor inclaruit ARCHYTAS TARENTINVS, octavus, ſi PHOTII anonymus [c] audiendus eſt, ſucceſſor a Pythagora, Platoni coævus, qui eum convenit, & Pythagoream diſciplinam ab eo didicit. De *ejus Alcmæonis Timæi & Archyteorum* philoſophia librum ſcripſiſſe Ariſtoteles dicitur, [d] qui forte pars fuit libri ejus etiam deperditi, *de philoſophia Pythagoreorum*, quali tractatione Ariſtoxenus quoque *de Archyta* quædam tradidiſſe videtur. Tarentinus fuit Mneſagoræ, vel, ut vult Ariſtoxenus Heſtiæi filius. [e] Metaponti philoſophiam Pythagoream edoctus [f] celeberrimus in ſchola Italica evaſit philoſophus. Ipſum vero Pythagoram audiviſſe, quod aſſerit IAMBLICHVS [g] cum temporum rationibus non cohæret. Sectæ enim hujus parens inter Olymp. LX. & LXX. floruit, ut ſupra demonſtratum, Archytas Platonis converſatione uſus eſt Olymp. XCVI. vixitque adhuc, eo in Siciliam profecto, unde profecta ætate eſſe non potuit, cum primum eum Plato conveniret. Quibus poſitis recte a Photii anonymo octavus ille a Pythagora ſucceſſor ſtatuitur, cum ſeculum integrum inter utrumque intercedat. Vt vero IAMBLICHI fidem ſtabiliant, qui contrarium aſſerit, diverſam viam viri docti iniverunt. Et B. ANDREAS SCHMIDIVS, [h] ideo diſcipulum Pythagoræ dici putat, quod a genuinis ejus diſcipulis eruditus fuerit: id vero verbis Iamblichi repugnat, qui Archytam dicit Pythagoræ συγχρονήσαντα. Aliter itaque, cum verba hæc evidentia ſint, ſubveniendum ratus FRANCISCVS PATRICIVS, [i] duos Archytas comminiſcitur, ſeniorem & juniorem, quorum ille Pythagoram audivit, hic Platonis præceptor fuit. Sed hoc invitis veterum fit teſtimoniis, qui duos Archytas, ſeniorem & juniorem ignorant. Etſi enim Anonymus Photii & Iamblichus Archytam πρεσβύτερον vocant, non tamen hoc ætatis indicium eſt, ſed dignitatis, quam in republica habuit, quemadmodum & de Timæo SYNESIVS [k] dixit, ὅτι ἐπολιτάρχειτε καὶ ἐπρέσβευε καὶ τἆλλα ἐπολιτεύετο, *quod civitati tanquam ſenior præfuerit, rempublicam moderatus ſit.* Majori veriſimilitudine difficultati obviam iturus doctiſſimus DODWELLVS

a) *De dono aſtrolabii p. 307.*
b) Conf. FABRIC. *l. c.*
c) *n. 1.* ad calc. PORPHYR. *vit. Pyth.* ed. Kuſteri.
d) Conf. IONSIVS *de Scr. Hiſt. phil. l. I. c. 11. p. 54.* BVRNET, *Archæol. phil. l. I. c. 11. p. 431.*
e) LAERT. *l. VIII. ſ. 79.* SVIDAS in *Archytas T. I. p. 347.*
f) VALER. MAX. *l. IV. c. 1. n. 1.* STRABO *l. VI.*
g) *c. XXIII. n. 103.*
h) Elegantem is dedit diſſertationem *de Archyta Tarentino Ienæ 1683.*
i) *Diſcuſſ. Peripat. T. II. l. I. p. 182. ſeqq.*
k) *l. c.*

LVS, [l] non eum Pythagoram putat primum præceptorem habuiſſe, ſed alium juniorem Aliptam; nos vero ſupra jam indicavimus, incertiſſima eſſe, quæ de hoc Pythagora afferuntur, an unquam inter diſcipulos Pythagoræ fuerit. Nec Iamblichus de alio, quam Samio philoſopho, ſectæ parente loquitur. Rectius itaque Iamblichum deſeruit, ejusque in annotandis temporum rationibus ἀβλεψίαν reprehendit illuſtris BENTLEIVS. [m] Novo enim hoc exemplo conſtat, parum certitudinem chronologiæ hominem nugivendulum curaviſſe, modo corraderet, quæ Pythagoræ famam extollerent. Neque mirum Archytam eum inter coævos Pythagoræ numeraſſe, qui Leucippum, Alcmæonem, Hippaſum, Eurytum & Philolaum, omnes illo juniores Zamolxin, Charondam, Zaleucum ſeniores in hanc claſſem retulit. Tanta vero Archytas floruit eruditionis inter Italicos laude, ut magnos viros, Philolaum, Eudoxum [n] & Platonem [o] diſcipulos haberet. Addit his Empedoclem SVIDAS, [p] quem ex recentioribus ſecuti ſunt ERASMVS [q] & SAMVEL TENNVLIVS, [r] ſed & hoc, more Suidæ, confuſe & contra temporum fidem; Empedocles enim Olymp. LXXXIV floruit, Archytas Olymp. XCVI, adeoque hic illius præceptor eſſe nequivit, & veriſimilius diceretur, Archytam ab Empedocle philoſophiæ diſciplinam accepiſſe, de quo tamen ſilent veteres. Emicuit vero ejus eruditio non in philoſophiæ tantum præceptis, ſed & in mathematica cognitione; quantus enim in geometria fuerit, problematum analyſes LAERTIO [s] & VITRVVIO [t] memoratæ teſtantur. Imprimis autem in mechanica immortale nomen ſibi peperit; nam non primus tantum eam artem mechanicis principiis uſus, forma artis concepta tradidit, [u] ſed & machinis affabre effictis omnes in ſtuporem conjecit & admirationem. Cochleas enim fecit & trochleas, & imprimis ſimulacrum columbæ volans, quod tamen, ubi ſemel quieviſſet, ſe ipſum rurſus elevare non poſſet. [x] Crepitaculum quoque ab eo inventum, ſive πλαταγὴ, quod in proverbium abiit, etſi conjecturis magis, quam certa definitione dici queat, qualis illa machina fuerit. [y] Non vero philoſophica tantum eruditione & ſumma mathematicarum ſcientiarum peritia famam ſibi conciliavit, ſed & virtutis ornamentis & ſummis in rempublicam meritis in admiratione apud omnes habitus eſt. [z] Septies ideo reipublicæ præfectus eſt, cum ceteri plusquam annum imperare lege prohiberentur. Exercitui quoque præfectus nunquam victus eſt, ſemel invidiæ ceſſurus imperio ſe abdicavit, quo facto ſtatim in hoſtium poteſtatem exercitus venit. [a] Virtutum vero in eo cumu-

l) *De ætat. Pythag. loco ſupra cit.*
m) *De epiſt. Phalaridis p. 87.*
n) CICERO *de oratore*, LAERT. *l. VIII. ſ. 86.*
o) *ib. ſ. 79.* *p*) *l. c.*
q) *Chiliad. p. m. 550.*
r) Ad IAMBLICH. *Introd. in Nicomach. Geraſ. Arithmet. p. 80.* *s*) *l. VIII. ſ. 83.*
t) *l. IX. c. 3.* conf. VOSSIVS *de ſcient. math. c. XLVIII. §. 1. p. 286.* & imprimis B. SCHMIDIVS *l. c. S. III. §. 3. ſeqq.* *u*) LAERT. *l. VIII. ſ. 87.*
x) GELLIVS *l. X. c. 12.* quam machinam illuſtravit SCHMIDIVS *l. c.*
y) SVIDAS *l. c.* ERASMVS *Chil. p. m. 550.* SCHMIDIVS *l. c.* cl. FR. AD. LAMPE *de Cymbalis veterum, c. 9.*
z) LAERT. *ſ. 79.*
a) Ariſtoxenus apud EVNDEM *ſ. 87.* MENAG. *ad h. l.* AELIAN. *l. VII. c. 14.*

cumulum fuiſſe, veteres magno conſenſu prædicant, laudantque humanitatem, cum pueris ſervorum per otium ludere non dedignantis,[b] ſervisque benigne imperantis,[c] eosque ſi ira fuiſſet commotior, more Pythagoreo[d] non caſtigantis; morum modeſtiam, omnis fœditatis in ſermone abſtinentiſſimam, adeo, ut ſi quæ neceſſitate coacto obſcœna eſſent proferenda, muro potius inſcriberet, quam ore proferret,[e] candorem item pietatem & dexteritatem in adminiſtranda republica, de qua virtute egregia nobis dicta ejus veteres conſervarunt. [f] Erga peregrinos & hoſpites quanta benevolentia uſus ſit, præſtita Platoni hoſpitalitatis & amicitiæ officia, ſuo loco commemorata, loquuntur. Itineribus, bello, & reipublicæ adminiſtratione magnam licet vitæ partem conſumſerit, non tamen diligentia ejus philoſophiæ ſtudiis librisque ſcribendis [g] defuit. [h] Ex iis liber metaphyſicus *de univerſi natura* hodie ſupereſt, [i] in quo decem prædicamenta explicuit, fragmenta vero tractationem *de ſapientia* & *de bono viro & beato* ex Stobæo edidit THOMAS GALEVS. [k] Obitum ejus ex naufragio eleganti carmine cecinit HORATIVS. [l] De philoſophicis vero ejus placitis pleraque tacent veteres, præter ea, quæ de categoriis reſtant, unde ſua hauſit Ariſtoteles, Pythagoreorum compilator ſtrenuus. Pauca, quæ ex fragmentis apud veteres occurrunt, hæc monent:

Philoſophia Archytæ.

I. Naturam temporis eſſe numerum quendam, motum, vel etiam ſpatium naturæ totius univerſi. [m]

II. In motu naturali quocunque eſſe æqualem proportionem, & juxta eum omnia moveri. [n]

III. Virum bonum non ſtatim beatum eſſe, beatum vero etiam eſſe bonum. [o]

IV. Deum non tantum ſincera & omnis humanæ perturbationis experte virtute præditum eſſe, verum etiam ejus facultatem tranquillam & liberam pro æternorum factorum majeſtate ac magnificentia poſſidere: quam homo non poſſit aſſequi.

V. Quædam bona propter ſe expeti, quædam propter aliud, quædam propter utrumque: prima eſſe beatitudinem, ſecunda bonorum efficientia, tertia virtutes, & quicquid cum iis conjunctum eſt. Hæc vel ad animum, vel ad corpus, vel ad externa referri.

VI. Virtutem propter ſe eſſe expetendam.

VII. Virum bonum eſſe, qui virtute utitur in felicitate, in infelicitate, & in medio. VIII.

b) AELIAN. *l. XIII. c. 15.*

c) *ib. l. XII. c. 19.*

d) IAMBLICH. *c. XXXI. n. 197.* PLVT. *de inſtit. puer. T. I. p. m. 14.*

e) AELIAN. *l. XIV. c. 19.* ideo affectatæ virtutis eum redarguit STOLLIVS *Hiſt. phil. mor. gent. §. CXXXVI. p. 244.* nobis in viro ſpectatiſſimæ virtutis & dignitatis miranduin non videtur, ſed ex decori Pythagorici ratione profluxiſſe, v. *th. VI.*

f) Collecta exhibet SCHMIDIVS *l. c. Sect. I. §. 9.*

g) Numerorum ſymbolis doctrinam propoſuiſſe ait IAMBL. *c. XXII. n. 104.*

h) Enumerant ejus ſcripta FABRIC. *Bibl. Græc. Vol. I. p. 482. ſeq.* STANLEIVS *Hiſt. phil. P. VIII. p. 822.* SCHMIDIVS *l. c.*

i) *Venet. 1571. 4.*

k) *Opuſc. mythol. p. 673.* ex STOBAEI *Serm. I. p. 732.* ex IAMBL. *protrept. l. III.*

l) *l. I. Od. 28.*

m) SIMPLIC. *in l. IV. phyſ. Ariſt.*

n) ARISTOT. *problem. X. XVI. 10.*

o) Summa hæc eſt fragmenti *de viro bono & beato.*

VIII. Nihil aliud esse beatitudinem, quam virtutis in felicitate usum.

IX. Bona hominis non esse tantum totius, sed & partium, adeoque etiam corporis: Externa adnasci homini, & bona stipare, e. g. amicitiam, gloriam, divitias.

X. Deum præstantissimum ac principem esse, cui mens adhæreat, cujusque causa reliqua præsto sunt bona.

XI. Hominis beatitatem e scientia, virtute ac tertia felicitate componi.

XII. Scientiam esse deorum ac dæmonum sapientiam, tum hominum ac rerum ad vitam pertinentium prudentiam.

XIII. Virtutem vero moratum & optimum animi partis ratione carentis habitum.

XIV. Beatitudinem esse in virtute ad felicitatem adhibita.

XV. Nullam virtutem esse nimiam, decorum enim pro norma habere in rebus agendis: nimium vitia gignere, & virtuti reluctari sæpius.

XVI. Multa esse, quæ faciem virtutis pervertant, consvetudinem, perturbationes, ætatem, alia.

XVII. Animum & felicitatem & infelicitatem nimiam lædere, magis tamen priorem.

XVIII. Quicunque resolvere possit omnia genera, quæ sub uno eodemque principio conduntur, & deinde rursus componere ac numero compingere, eum esse sapientissimum & veraciſſimum, & ex hac specula posse Deum contemplari, atque omnia in rerum serie atque ordine ab illo sepparata. [p]

XIX. Deum esse principium, medium & finem rerum omnium, quæ secundum justitiam & rectam rationem perficiuntur. [q]

XX. Nullam capitaliorem esse pestem hominis, quam voluptatem. [r]

Pauca hæc, erepta temporis injuriæ, quam subtiliter & accurate philosophatus sit Archytas Tarentinus probant. Sunt in his nonnulla, quæ cum Aristotelis moralibus concordare, recte observavit IVSTVS LIPSIVS, [s] quæ iterum argumento sunt, Aristotelem, quod ei PORPHYRIVS [t] objecit, Pythagorea plurima in rem suam vertentem illorum arasse vitulo. Fuere Archytæ quoque alii [u] sed obscuræ famæ, nec facile cum Tarentino confundendi.

§. XIII. Timæo & Archyta ætate prior, fama tamen inferior fuit ALCMAEON Crotoniates, Perithi filius. [x] Pythagoram audivisse ipsum testatur ARISTOTELES [y] & post hunc LAERTIVS [z] & IAMBLICHVS, [a] quod vero in ultimos vitæ annos Pythagoræ incidit. Nomen vero in schola Italica sibi comparavit, & naturæ cognitione, & artis salutaris, in *Alcmæon.*

p) *Fragm. de Sap. l. c. p. 732.*
q) *ibid.*
r) Sermonem ejus refert CICER. *de senect. c. 12.*
s) *Manud. ad phil Stoic. l. III. diss VII. n. m. 278.* Ex libro ejus quoque *de opposi is* Aristotelem sua de hoc argumento accepisse observat SIMPLICIVS *Com. Cat. Arist. p. 97. 103.*
t) *Vit. Pythag. n. 53.*
u) SCHMID. STANLEIVS FABRIC. *ll. cc.*
x) LAERT. *l. VIII. s. 83.* CLEM. ALEX. *Strom. l. I. p 305.*
y) *Metaph. l. I. c. 5.* z) *l. c.*
a) *De vit. Pyth. c. XXIII n. 104.* Hinc ad Olymp. LXV. refert eum CIACCONIVS *loc. citando.*

qua excellebat, peritia. [b] Primus enim fuiſſe dicitur CHALCIDIO, [c] qui exſectionem aggredi auſus eſt. Id quod de brutorum quidem ſectione tantum intelligendum eſſe, viri quidam docti [d] ſtatuunt, Chalcidii tamen verba nihil determinant, nec ejus diligentiam ab humano corpore removent ſectionibus cognoſcendam. Primus quoque dicitur, [e] qui librum de natura ſcripſit; id quod tamen inter Græciæ tantum magnæ philoſophos intelligendum eſt, in Ionia enim ante Alcmæonem tale quid ſuſcepit Anaximenes, ut ſupra dictum, patetque ex initio ejus, valde modeſtum fuiſſe Alcmæonis de rebus phyſicis judicium. Quod ſi ALPHONSO CIACCONIO [f] fidendum, libri quoque *de inviſibilibus & de Diis* auctor Alcmæon eſt; verum is ſine dubio male verba Laërtii accepit, qui libellum Alcmæonis *de natura* hoc habuiſſe initium dixit: *De inviſibilibus & de mortalium* (malim, immortalium ſc. Deorum, verba enim non ſine mendo eſſe, recte vidit MERICVS CASAVBONVS, [g]) *rebus certam quidem ſcientiam Dii habent, hominibus autem conjiciendum eſt.* Fabularum quoque inventorem, ait ISIDORVS, [h] fuiſſe, quod tamen aut plane falſum eſt, hiſtoria eruditionis barbaricæ & Græcæ aliud teſtante, aut ad certam tantum ſymbolicæ methodi inter Pythagoreos introductam rationem referri debet. De placitis ejus philoſophicis pauca reſtant apud veteres, ARISTOTELIS libro *contra Alcmæonem* deperdito, quorum ſumma hæc eſt:

Placita Alcmæonis.

I. Ea, quæ inter homines multa ſunt, eſſe duo. Ita obſcuriſſimum Alcmæonis dogma non LAERTIVS [i] tantum retulit, ſed etiam, qui diligenter Pythagoreorum dogmata rimatus eſt ARISTOTELES. [k] Hinc vario modo lucem ei attulerunt interpretes. Ariſtoteles τὰς ἐναντιότητας τὰς τυχόσας, *contraria, quæ forte fortuna eveniant*, intellexiſſe tradit: qualia ſint, album, nigrum, dulce, amarum, bonum, malum, parvum, magnum & his ſimilia. Quæ frigida tamen videntur MERICO CASAVBONO, [l] qui ad rationes numerorum Pythagoricas confugit ubi monas Deus, dyas materia eſt, ille boni hæc mali fons & origo · ut ita dicat Alcmæon, in vita humana vincere & præponderare malum, præ bono. Valde tamen timemus, ne hæc coacta & a ratione Pythagoricæ philoſophiæ aliena ſint, cui non τὰ πολλὰ, ſed ἡ δύας huc referantur, neque hæc pro ſola & ſimplici materia. Nec videtur deferendus eſſe Ariſtoteles, qui Pythagoreos libros ipſe legit; eſſe in humana vita duorum extremorum viciſſitudinem & contrarietatem, & alternas e.g. laboris & quietis, ſanitatis & mortis, felicitatis & infelicitatis vices. Ratio in ipſa voce, τὰ πολλὰ, quærenda eſt, quæ materiam in infinitas partes, diviſibilem & mutabilem indicat. Vt enim

b) Conf. LE CLERC *Hiſt. de la Medecine l. II. c. 5. pag. 94.* SCHVLZ. *Hiſt. med. Per. I. ſ. II. c. 7. §. 33. pag. 172. ſ.*

c) *p. 368. ed. Fabric.* de oculi conſtructione quoque diſſeruiſſe, ex hoc loco patet. conf. SCHVLZ. *Spec. I. Hiſt. anatom. §. 32.*

d) CLERIC. *l. c.* 10. CONR. BARCHVSEN. *Hiſt. med. p. 127.*

e) Phavorinus apud LAERT. *l. VIII. ſ. 84.*

f) *In Biblioth.* cujus verba affert FABRIC. *Bibl. Græc. vol. XIII. p. 48. ſ.*

g) *Ad h. l.*

h) *Orig. l. I. c. 39.* conf. FABRIC, *l. c.*

i) *loc. cit.*

k) *Mataphyſ. l. V. c. 1.*

l) *Ad l. c. Laërt.*

enim ſubſtantiæ ſimplices, intelligibiles, æternæ, monades ſunt, adeoque unum, & idem, & immutabiles nullique alterationi obnoxiæ; ita materia multa eſt, nec propria eſſentia ſtabili & αὐτοσίᾳ gaudet, ſed ſemper in momenta mutatur, ut ex TIMAEI libro *de mundo* patet. In hac materiæ conditione, viciſſitudinem contrariorum obtinere, ex mente Alcmæonis recte dixit Ariſtoteles: ex contrariis enim materiæ mutationem & motus exiſtere, plerisque Pythagoreorum placuit, qui, uno pro fonte identitatis, multo pro ſcaturigine contrarietatis admiſſo, ſtatuebant teſte IAMBLICHO, [m] *nihil eſſe in natura rerum, quod non habet contrarium.* Id decem claſſibus comprehendiſſe Pythagoreos, erudite, licet obſcurius, quam par erat, expoſuit SCIPIO AQVILIANVS. [n]

II. Soli, lunæ, & reliquis ſideribus ab æterno ineſſe divinitatem. Valde culpat hanc aſſertionem CICERO, [o] quod mortalibus rebus immortalitatem Alcmæon tribuerit. Nec exiguam latere in ea abſurditatem contendit P. BAYLE; [p] rebus enim naturalibus & inanimatis, ut ſol ſint & reliqua ſidera, dum conſtituantur dii, majorem tribui cognitionem, quam homini, eo quod diis certam adeſſe rerum omnium cognitionem Alcmæon in libro *de natura* dixerit. Falluntur vero viri magni, qui non ſatis ad ſyſtema Pythagoricum, quod Alcmæon ſecutus eſt attenderunt. Illud enim ſequentes ſidera inter Deos referebant, non ex ſua natura, ſed propter inhabitantem mundi animam, divinique ignis præſtantiſſimam partem, cui cum cognitionem, immortalitatem, æternitatem tribuerint, mirum non eſt, paria attributa in ſideribus quoque eos collocaſſe. Nec habet hac in re Alcmæon quicquam a ſchola Italica alienum, quæ quo ſimpliciora corpora ſunt, eo præſtantiorem & diviniorem ætheris ignisve mundani partem in eis reſidere ſtatuit.

III. Animam immortalem eſſe; eſſe enim naturam per ſe mobilem (αὐτοκίνητον) & æternam motionem, adeoque Diis proximam eſſe. Ita STOBAEVS, [q] cui ſuccinit LAERTIVS, [r] qui addit: animam perpetuo moveri inſtar ſolis. Quem vero ſolem intellexerit, non addit, videturque Alcmæon reſpexiſſe ad ſolem illum Empedocleum, primum & ex ignis cœleſtis radiis collectum: Qui cum æternis fati, id eſt, neceſſitatis in mundi ſyſtemate legibus moveatur, animam ejusdem generis motum ciere ex ſe, cum divini ætheris ignisve particula ſit, ſtatuere ex phyſiologiæ præceptis ſemel admiſſis debuit.

IV. Lunam ſempiternam habere naturam, [s] ejusque defectum oriri a ſcaphæ converſione. Prius ex aſſerto ſecundo fluit, poſterius Heraclito quoque placuit, teſte STOBAEO [t] & PLVTARCHO. [u] Luna utrique ſcaphæ inſtar viſa eſt, qua ratione vero ducti ſunt, dici vix poteſt.

m) *Introd. in arithmet. Nicomachi p. 103. ſeqq.* qui multus eſt in eo demonſtrando.
n) *De placitis phyſ. philoſ. ante Ariſtot. c. XX. p. 92.*
o) *De nat. Deor. l. I. c. 11.*
p) *Dict. T. I.* art. *Alcmæon. p. 149.*
q) *Eclog. phyſ. p. 93.*
r) *l. c.* s) *ibid.* t) *l. c. p. 60.*
u) *De plac. phil. l. II. c. 27.*

Recte itaque ejus inquisitionem prætermisit IACOBVS THOMASIVS. [x]

V. Planetas fixis ex adverso, hoc est, ab occasu ad ortum moveri. [y]

VI. Audire nos inani, quod intra aurem est, id enim personare, appellente aëre; omnia enim sonare vacua. [z] Pertinet huc quoque, quod ARISTOTELES [a] in Alcmæone reprehendit, capras per aures respirare. Quod tamen non aliud innuere, quam meatum illum, anatomicis recentioribus tubam Eustachianam vocatum, cujus inventione gloriatus est Aristoteles, cum Alcmæoni debeatur, demonstrare conatus est cl. SCHVLZIVS. [b] Nec hoc a moribus Aristotelis abhorret, qui Pythagoreos expilavit & tamen reprehendit, ut furta non sentirentur. Contra Alcmæonis dicta enim eum scripsisse testatur LAERTIVS. [c]

VII. Humiditate & tepore, qui in lingva est, discerni sapores. [d]

VIII. In cerebro esse partem animæ principem, ea sentiri odores spirando ab ea attractos. [e]

IX. Primum in utero caput formari, partem scilicet principem. [f]

X. Fœtum in utero ali per totum corpus, quod spongiæ in modum recipiat, quæ alendo sunt idonea. [g]

XI. Somnum existere sanguinis in concursum venarum receptu: ejusdem autem diffusione nos evigilare, plenum autem abscessum mortis esse causam. [h]

XII. Continentem sanitatis causam esse æqualitatem (ἰσονομίαν) facultatum, nempe humidi, sicci, calidi, amari, dulcis, & reliquarum: una autem præpollente, morbum fieri. [i] Supponit hoc thesin primam omnia humana ex contrariis consistere: quæ ne homini noceant, æquilibrium eorum requirebat. [k] Hinc de morbis:

XIII. Accidere morbos variis ex causis; alios ob efficientem, propter excessum caloris vel siccitatis alios materialem ob causam, abundante aut deficiente alimento: alios veluti in aliquibus vasis, ut in sanguine, medulla, aut cerebro. Aliquando autem ab externis causis eos nasci, propter aliquas aquas, regionem, labores, necessitates, & his similia. [l]

Patet ex his philosophiæ naturalis Alcmæonis reliquiis, inter præstantissimos veteris orbis medicos artem salutarem rationali modo excolentes referendum eum esse. Ceterum nec cum aliis Alcmæonibus, [m] nec cum Alcmane poëta noster confundendus est. [n]

§. XIV.

x) *De loco animæ & scapha lunæ c. 5. §. 11.* in *Hist. Sapient. & stultitiæ a* CHR. THOMASIO edita *T. I. p. 72. seqq.*

y) PLVT. *l. c. l. II. c. 16.* STOB. *l. c. p. 54.*

z) PLVT. *l. IV. c. 16.*

a) *Hist. animal. l. I. c. 11.* THEOPHRAST. *de sensu p. 24.*

b) *ll. cc.* c) *l. V. f. 25.*

d) PLVT. *l. IV. c. 18.*

e) *ibid. c. 17.* f) *ibid.*

g) IDEM *l. V. c. 16.* h) *ib. l. V. c. 24.*

i) *ib. l. V. c. 30.* STOB. *serm. CCXLIII. p. 794.*

k) Hinc, ut est apud PLVT. *l. c. sanitas est concinna qualitatum temperies, certa sibi proportione respondentium.*

l) *ib.* STOB. *Serm. CXLII. p. 794.*

m) Enumerat eos FABRIC. *l. c.*

n) Ita ANT. CARISTIVS *Hist. mirab. c. 95.* qui Alcmæonem morbo pediculari obiisse tradit, quod ad poëtam referendum esse ex ARIST. *Hist. anim. l. V. c 31.* patet. conf. MEVRS *ad h. l.* Eandem confusionem admisit Carolus STEPHANVS, conf. LESCALOPIER. *ad Cic de N. D. p. 41.* BAYLE *l. c. not. A.* causa erroris orta inde, quod nomen Alcmæo-

§. XIV. Inter phyſicos ſectæ Italicæ nomen quoque ſibi comparavit HIPPASVS, quem Crotoniatam alii faciunt, alii Metapontinum, [o] alii Sybaritam. Illum enim peculiarem ſcholam collegiſſe, haud obſcure IAMBLICHVS [p] innuit, qui Hippaſi auditores acuſmaticos aliis ex Pythagoræ ſecta opponit, colligitque non inepte ex hac introductione Iamblichi SAM. TENNVLIVS, [q] plurimum ſcholam Hippaſi valuiſſe in arithmeticæ philoſophicæ rationibus, quia ſæpiſſime in hoc opere allegatur: mutaviſſe etiam quædam in rationibus demonſtrandi, ex eo liquet, quod THEON SMYRNAEVS [r] refert: inveniſſe eum cum Laſo Hermionenſi motus celeritate & tarditate conſonantiarum rationes, cum alii ex hac ſecta magiſtrum ſecuti, eas in ponderibus & longitudinibus quæſiverint. Quod ſatis manifeſte prodit, non in nudis propoſitionibus hæſiſſe Hippaſi ſcholam, ſed ad rationes quoque reddendas ſe applicuiſſe. Id quod confirmant ea, quæ de morte ejus IAMBLICHVS [s] refert, cum vulgaſſet, deſcripſiſſetque ſphæram duodecies pentagonon, eum in mari, ut impium, periiſſe, ſed inventionis nihilominus gloriam ipſi manſiſſe. Hæc enim non ad nudam figuram referenda eſſe, ſed ad rationem proportionis, ex pœna patet, quam non dogmata ſola, etiam exterioris admiſſionis diſcipulis expoſita, ſed ætiologias profanis pandentibus immitti a diis Pythagorei ſtatuebant. Falſum itaque eſſe oportet, quod alio loco IDEM [t] tradit, Hippaſi auditores ideo acuſmaticos dictos eſſe, quod eorum philoſophia circa auditionem, demonſtratione aut ratione deſtitutam verſaretur. Nam in eo nihil a reliquis τοῖς ἔξω diſcipulis Pythagoræ habuere diverſum, aliterque docuiſſe Hippaſum ex adductis conſtat. Nihil ſcripſiſſe ait Demetrius apud LAERTIVM, [u] qui tamen alio loco [x] *myſticum ſermonem* [y] ab Hippaſo conſcriptum fuiſſe, refert, ut Pythagoram calumniaretur: ex quo loco quoque colligitur, male eum in Pythagoræ ſcholam fuiſſe affectum. De dogmatibus ejus pauca nobis innotuere, quæ his conſtant: *Hippaſus.*

I. Principium rerum omnium eſſe ignem, eumque eſſe Deum. Conſtanti traditione hoc dogma Hippaſo veteres tribuunt, [z] monentque, ut infra demonſtrabitur, [a] Heraclitum idem ab Hippaſo accepiſſe. Nihil vero *Dogmata Hippaſi.*

Alcmæonis & Alcmanis unum ſit, ut ex THEODORITO *ſerm. I.* patet.

o) Primum auctorem habet IAMBLICHVS, qui *vit. Pyth. c. XVIII. n. 81.* ait, quosdam Crotoniatam dicere, alios Metapontinum. Hoc LAERT. quoque tradit *l. VIII. ſ. 84.* Sybaritam dici tradit STANLEIVS *P. VIII. p. 824.* in quo teſtimonium veterum deſiderat OLEARIVS ad *h. l.* reſpexit vero ſine dubio eques Anglus ad IAMBLICHVM *de vit. Pyth. c. ult. n. 267.* qui Sybaritam Hippaſum nominat. Et hunc Sybaritam quidem a Metapontino diſtinguit b. FABRIC. *Bibl. Gr. vol. I. p. 492.* ſed ex noſtra conjectura perperam. Eundem enim intellexiſſe Iamblichum, quem *n. 81.* Metapontinum dixerat, ex eo conſtat, quod in illo Pythagoreorum catalogo non alium Hippaſum, quam Sybaritam nominet, alias Metapontinum etiam adducturus, ſi alium intellexiſſet. Nec hæc ἀβλεψία in Iamblicho miranda eſt, ſæpe etiam a loco commorationis patria Pythagoreorum definita eſt, quæ incerta in Hippaſo fuit.

p) *Introd. in Nicomach. arithm. p. 11.*

q) *Ad h. l.*

r) *De muſic. c. 12.*

s) *De vit. Pyth. c. XVIII. n. 88.*

t) *ibid. n. 81.*

u) *Lib. VIII. ſ. 84.* *x)* *ſ. 7.*

y) Forte *ἱερὸν λόγον*, conf. FABRIC. *l. c.*

z) LAERT. *ſ. 84.* CLEM. ALEX. *protrept.* EVSEB. *præp. l. XIV. c. 14.* SEXT. EMP. *Pyrrh. hyp. l. III. c. 4. ſ. 30. adv. Math. l. IX. ſ. 361.* STOB. *Eclog. phyſ. c. 13.* TERTVLL. *de anima c. 4.* ubi tamen Hippaſus pro Hipparchus legendum.

a) CLEM. *l. c.*

vero novi in eo ſtatuit Hippaſus, ſed communem ſcholæ Pythagoricæ doctrinam ſecutus eſt, ut ex diſputatis hoc capite certiſſimum eſſe putamus. Videtur tamen Heraclitus, ut novi ſyſtematis rationem iniret, a præceptore Hippaſo abiiſſe, dum hic, more ſectæ ſuæ, igni divino materiam craſſiorem adjunxit, ille materiam in ignem illum quaſi reſolvit, ut poſtea dicemus. Stoici vero, cum eodem, quo Hippaſus modo docuerint, manifeſtum eſt, recte nos ſupra Pythagoream philoſophiam inter fontes Stoicæ doctrinæ retuliſſe.

II. Ex igne omnia orta eſſe, & in ignem omnia iri reſolutum. [b]

III. Ejus ignis natura conſtare etiam animam. [c]

IV. Ignis hujus extinctione gigni res omnes, ejusque partes craſſiores condenſatione in terram coaleſcere, quæ igni viciſſim ſolutæ, in aquam abeant, hanc exhalantem in aëra verti. [d] Patet ex hoc aſſerto, arctiſſime materiam craſſiorem Pythagoræ cum ſubtiliſſima, ſive igne divino Hippaſum conjunxiſſe, unde facile fuit Heraclito ex unius ignis illius modificatione & mutatione totam rerum naturalium ſcenam inſtruere.

V. Mundum & omnia corpora conflagratione ſolvenda eſſe. [e]

VI. Huic mutationi certum tempus, ſive periodos, definitum eſſe. [f] Nihil in his omnibus eſt, quod non ex ſyſtemate Pythagoreo & Stoico queat intelligi, unde lux decretis Hippaſi phyſicis acquiri poteſt.

VII. Vniverſum finitum eſſe, & ſemper in motu conſtitutum. [g] Etiam hoc Pythagoreum eſt: unde ſequitur, in mundo non dari vacuum, ſed extra mundum ſive univerſum, in quod mundus reſpiret, & moveatur. Hactenus Hippaſus, in eo ſolo a Pythagora diverſus, quod apertius de rerum natura philoſophatus eſt. Fuere & alii Hippaſi, [h] ſed minoris nominis atque famæ.

Philolaus. §. XV. Evulgatæ philoſophiæ Pythagoricæ auctor fuit PHILOLAVS Crotoniata, qui vero Heracleæ vixit, [i] Archytæ diſcipulus, qui Platonis tempore vixit. [k] Supra enim GELLII [l] aliorumque auctoritate probavimus, Platonem libros Pythagoricos vel ipſum emiſſe, vel a vidua & liberis Philolai Dioni venditos ab eo accepiſſe: quæ hic repetere otioſe ſuperſedemus. Patet vero ex IAMBLICHO, paupertatem adegiſſe vel ipſum Philolaum, quod is vult, [m] vel ejus viduam, quod TZETZES [n] contendit, ut contra jusjurandum quo obſtringebantur, ἀλλοφύλῳ libros Pythagoricos venderent: licet ex Iamblichi loco recte colligi queat, Dionem vel Platonem, eos libros ideo obtinuiſſe, quod & ipſe Plato ad familiam Pythagoreorum (ἀποσυγγενείας) pertineret. Diſputant etiam viri docti an ipſius Philolai, vel aliorum Pythagoreorum libri fuerint? Quod ſi verum eſt, Timæi librum inter eos fuiſſe, & ex illo ſuum Timæum Platonem conſarcinaſſe,

b) LAERT. *l. c.*
c) THEODOR. *l. V. Therap.* STOB. apud MENAG. *ad Laërt. l. c.*
d) PLVT. *plac. phil. l. I. c. 3.*
e) LAERT. *l. c.* *f) ibid.* *g) ibid.*
h) MENAG. & FABR. *ll. cc.*
i) IAMBLICH. *c. XXXVI. n. 266.*
k) CICERO *de oratore l. III.*
l) LAERT. *l. VIII. ſ. 15.* GELL. *l. III. c. 17.* & viri docti *ad h. ll.*
m) c. XXXI. n. 199.
n) Chil. X. Hiſt. CCCLV.

naſſe, poſterius magis probabile eſt. Ex his vero conſtat, IAMBLICHVM [o] non audiendum eſſe, qui ſui immemor Philolaum inter eos retulit, qui ipſum Pythagoram audiverunt. Eundem ad lapidem impingit PLVTARCHO [p] memorata traditio, poſtquam Pythagoreorum ſodalitia per ſeditiones ex urbibus ejecta fuerint, ſuperſtitibus Metaponti in domo quadam conſidentibus Cylonios ignem ſuppoſuiſſe, ita ut omnes perirent, Philolao excepto & Lyſide, qui juvenes robore & agilitate freti flammas evaſerint, Philolaum quidem in Lucanos aufugiſſe, eoque incolumem delatum aliis ſeſe amicis junxiſſe, qui jam rurſus coiverint, Cyloniis ſuperiores viribus. Supra enim ſectione antecedente probavimus, id accidiſſe vivo adhuc Pythagora. Philolaus vero Platonis tempore vixit, & Archytæ diſcipulus fuit, adeoque nonus a Pythagora, ætate ei multo inferior. Aut itaque tota fabula reſpuenda, aut PORPHYRIVS [q] ſequendus, qui pro Philolao Archippum, veteres ſecutus, ponit. Aliter quoque LAERTIVS, [r] qui Crotonæ in patria ob tyrannidis metum e vivis ſublatum eſſe tradit: qua ſuſpicione Pythagorei plerique, legislatoria auctoritate ſe rebus publicis immiſcentes, gravati ſectæ exitium attulerunt. Poſt mortem ex ejus canentis vocem ex ſepulchro auditam eſſe, Diis concinentem nugatur IAMBLICHVS. [s]

§. XVI. *Multis voluminibus de intelligendis rebus & quid quæque ſignificet, obſcure diſſertaſſe Philolaum, & priusquam de ſubſtantia animæ decernat, de menſuris, ponderibus & numeris juxta geometricam, muſicam atque arithmeticam mirifice diſputare, per hæc omnia universum extitiſſe confirmantem*, ſcribit CLAVDIANVS MAMERTVS, [t] nihil vero ex his voluminibus, licet forte ex parte ad Platonem, Speuſippumque pervenerint ſupereſt, [u] adeoque de ejus placitis philoſophicis ex paucis fragmentis apud veteres paſſim occurrentibus judicandum eſt, quæ veſtigia ſatis produnt, vera eſſe quæ Mamertus dixit, ſubtiliter quidem, ſed obſcure de rebus naturalibus ſecundum principia mathematica differuiſſe. Ita enim docuiſſe dicitur: *Doctrina Philolai.*

I. Rationem quidem de rebus judicare poſſe, ſed non communem, ſed diſciplinis mathematicis excultam, cum enim ſit univerſalium naturæ contemplatrix, habere quandam cum ea cognationem, cum ſit natura comparatum, ut ſimile comprehendatur ſimili. Dogma pure Pythagoricum, quod SEXTVS EMPIRICVS [x] Philolao tribuit, potiſſimum ad rationem

o) *c. XXIII. n. 104.* quem inconſultius ſequitur TENNVLIVS *ad Introd. in arith. Nicomachi p. 83.*

p) *De genio Socratis T. III. p. m. 486.*

q) *vit. Pyth. n. 57.* *r*) *l. c.*

s) *n. 139. 148.* Qui Eurytum diſcipulum hæc ita fuiſſe interpretatum ait. Ejus Eutryti, cum ſeniori Metapontino, Pythagoræ diſcipulo non confundendi diſcipuli, qui & ipſum Philolaum audiverunt, fuere teſte LAERT. *l. VIII. ſ. 56.* Xenophilus Chalcidenſis, Phanto Phliaſius, Echecrates, Diocles, & Polymneſtus Phliaſii, Pythagoreorum poſtremi, quos vidit Ariſtoxenus. Ex quibus iterum conſtitui Philolai tempus poteſt. Illi enim Ariſtoteli fuer[illegible] coævi, Philolaus itaque Platoni, qui & ipſe Eurytum audivit. Conf. BENTLEY *de epiſt. Phalar. p. 87.*

t) *Lib. II. de ſtatu animæ c. 2.*

u) Initia libri *de natura rerum* ex Demetrio *in homonymis* affert LAERT. *l. VIII. ſ. 85.*

x) *Adv. mathem. l. VII. ſ. 92.*

tionem animæ, quatenus ei ineſt numerus & harmonia univerſi reſpicit, unde &, pars quæ totius eſt, harmoniam ſive concentum univerſi, & imprimis univerſalium ſive intelligibilium percipit.

II. In mundo naturam apte coagmentatam eſſe ex infinitis & finitis, mundumque totum, & quæ ſunt in eo omnia. Ita librum *de natura rerum* exorſus eſt Philolaus, [y] qui reſpexiſſe videtur, ad materiæ partes infinitas, per formationis modificationem ad finitum quid determinatas, ut cognoſci queant. [z] Hinc ſequitur, quod porro IAMBLICHVS [a] ei tribuit:

III. Nihil, quod cognoſci debet, poſſe eſſe principium, quousque indeterminata & infinita ſunt omnia. Cum vero neceſſe ſit, eſſe naturam ſcientiæ, ut contempletur entia, a divina providentia tanta accuratione conſtituta; ſeparare & determinare invicem ſcientias debere, quod ab ipſis comprehenditur, cum *πόσον*, quotum, tum *πηλίκον* ſive quantum, & illud quidem objectum eſſe arithmeticæ, hoc geometricæ, & in alias quoque ſpecies ſubdiſtingui, unde totus mathematicarum ſcientiarum circulus exoriatur. Prolixius hæc explicans Iamblichus ipſe videndus eſt: non tamen videtur in eo Philolaus a communi diſciplinæ Pythagoricæ *τρόπῳ* multum receſſiſſe.

IV. Numerum eſſe vinculum potentia ſua ſuſtinens æternam rerum mundanarum permanſionem, ſibique innatum. Ita TENNVLIVS obſcure ſatis vertit verba IAMBLICHI, [b] quæ Græca damus: *Φιλόλαός φησι ἀριθμὸν εἶναι τῆς τῶν κοσμικῶν ἀϊδιότητος τὴν κρατιστεύουσαν καὶ αὐτογενῆ συνοχήν.* Quæ definitio numeri ex intimis Pythagoreæ philoſophiæ viſceribus petita eleganter docet, numeros nihil aliud eſſe, quam æterna illa & immutabilia principia, quæ cum per ſe conſiſtant, ſintque *αὐτὰ καὶ αὐτοσία* prædita, a Iamblicho *αὐτογενῆ* vocantur. Illis vero æternis naturis connectitur, & in unum quaſi ſyſtema conjungitur rerum omnium natura, quæ cum ex parte materiæ fluxa ſit, ſemperque mutabilis *διαμονὴν αἰώνιον* accepit, id eſt, per illa ſpiritualia & intelligibilia principia æternum durat, cum ea immutabilia ſint & immortalia.

V. Vnitatem non eſſe (ſolitarium) rerum omnium principium, & ſimiliter altera parte longioribus ſe ipſam præbere, tanquam carcerem ad generationem, neque eſſe metam ſecundum reflexionem recurſus & reditus; ſed hoc loco unitatis facere binarium. Obſcuriſſima verba, [c] ut ſunt Pythagorea omnia, hæc volunt, unitatem non eſſe cauſam ſimul efficientem & materialem, ſive ſubjectum generationis, ut ex ſe exeant & ad ſe redeant in generatione omnia; ſed requiri ejus loco binarium; in quem unitas ſe convertat, quique habeat rationem materiæ. Clarius hoc explicat Iamblichus paulo infra hunc in modum: *Conſtat igitur, omnia, quæ ſunt*

y) LAERT. *l. VIII. ſ. 85.*

z) Ita & PLATO in *Philebo*, oſtendiſſe Deum *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ πέρας*, de quo ſupra dictum. Habuiſſe hoc a Philolao allatum teſtimonium docet.

a) Introd. in Nicom. arithm. p. 7.

b) l. c. p. 11.

c) ibid. p. 109.

ſunt in mundo, eſſe ex forma & materia compoſita, & fieri, quemadmodum ex unitate & binario omnia numeri accidentia. Et paulo poſt: *Quoniam non erat ab initio, neque hodie erit principium, ſed inveniemus Deum rerum opificem etiam in principiis mundanis non habuiſſe vim generandi materiam, verum illam, cum æterna eſſet, aſſumſiſſe, & ex illa ſecundum formas & rationes numericas formaſſe & condidiſſe mundum*, &c. Ex his manifeſtum eſt, Philolaum Timæum, cujus librum *de mundo* habuerat, ſecutum pauliſper a Pythagoreo ſyſtemate receſſiſſe, & non ex monade dyadem, ſive ex uno toto, Deum & materiam more Stoico derivaviſſe, ſed duo independentia, & nullo modo connexa principia poſuiſſe, id quod Pythagoram non πρώτως ſed δευτέρως feciſſe ex ſupra dictis conſtat. Philolaum vero & Timæum cum auctores phyſiologiæ ſuæ Plato habuerit, ratio inde arceſſenda eſt, cur ſyſtema dualiſticum purum, ut ita dicam, ei placuerit. Quodſi itaque verum eſt, quod CLAVDIANVS MAMERTVS [d] Philolaum ſcripſiſſe ait: *Deum, qui ex nihilo fecit omnia, materiam incorporaſſe rebus omnibus*, per τὸ nihil, non ſenſu Chriſtiano, quod plane & privative nihil eſt, ſed ſenſu Platonico τὸ μὴ ὄν, nihilum Pythagoreorum & Platonicorum intelligendum eſt, ut docte obſervavit MOSHEMIVS. [e]

VI. Mundum unum eſſe, eum autem usque ad medium cœpiſſe exiſtere, & a medio ſurſum, quemadmodum deorſum quæque ſupra medium ſunt, infra medium ſitis eſſe oppoſita; nam inferiora eſſe infimis media ut ſuperiora ſupremis, ac reliqua ſimiliter; eodem ſe ad medium habere utraque. [f] Lucem obſcuræ theſi accendent ſequentia, de rerum ortu ex medio centro univerſi.

VII. Ignem in medio ad centrum eſſe, tanquam univerſi larem, Iovisque domicilium ac Deorum matrem, aramque & menſuram naturæ. Alium deinde ſupremum ignem eſſe; at natura primum eſſe medium, circa quod decem cœleſtia verſentur corpora, cœlum, planetæ, ſol & luna. Sub hac eſſe terram, ſub eaque antichthona, poſtque hæc omnia ignem Veſtæ rationem ad centrum habentem. Ac ſupremam quidem ambientis partem Olympum eſſe, ſub Olympo autem loca, quæ planetæ quinque cum ſole occupent, mundum: ſub his autem loca ſublunaria ac terrena, in quibus mutabilis rerum ortus regnet, cœlum. Poſtremo in ſtatis quidem cœleſtibus verſari ſapientiam; verum in ordine carentibus virtutem, ut illam perfectam, ita hanc imperfectam. Elegantem hanc non Philolai tantum, ſed totius ſcholæ Italicæ deſcriptionem ſyſtematis mundani ex mente Pythagoræ ſervavit nobis STOBAEVS, [g] quam prætermiſiſſe THOMAM BVRNETIVM, [h] cum de mente ſcholæ hujus circa rerum naturam ageret, merito miramur. Lucem vero accipit ex iis, quæ ſectione prima de hac re differuimus.

d) De ſtatu animæ l. II. c. 3. p. 106.

e) Diſſ. *de creatione ex nihilo §. XIV.* In CVDWORTHI *Syſtem. int. p. 972.*

f) STOBAEVS *Eclog. phyſ. c. 18. p. 34.*

g) l. c. c. 25. p. 51.

h) Archæol. phil. l. I. c. 11. p. 431. qui ſolito brevioreſt in explicanda phyſiologia Pythagorea.

VIII. Omnia neceſſitate ac harmonia fieri. Philolao recte tribuit LAERTIVS,[i] fatum enim hoc Pythagoreum eſt, rationes mundi harmonicas interna neceſſitate conſtituens. Muſicas proportiones huic harmoniæ explicandæ adaptaſſe, more Pythagoræ Philolaum IAMBLICHVS[k] teſtatur.

IX. Duplicem eſſe interitum mundi, unum igne cœlitus defluente, alterum lunari aqua per revolutionem aëris effuſa, atque horum exhalationes eſſe alimentum mundi.[l] Hæc περιοδικῶς fieri[ll] non Philolao tantum, ſed & reliquis ex hac ſchola placebat, unde æternitati mundi non obſtant. Accepere & hoc ab iis Stoici.

X. Terram in orbem circumferri circum ignem, obliquo circulo in morem ſolis & lunæ.[m] Philolaum primum celeberrimi dogmatis auctorem alii faciunt, alii Hicetam Syracuſanum.[n] Ante utrumque vero in ſchola Pythagoræ obtinuit, forte ex Aegypto allatum; Philolaus primus ſine dubio vulgavit.[o]

XI. Solem diſcum vitreum eſſe, qui reverberantem ignis mundani omnis ſplendorem accipiat, lumenque ad nos, quaſi per infundibulum transmittat; ut ſol videatur ignis in cœlo, id vero, quod ab eo procedit, ſpeculi inſtar ſe habeat; tertio vero ſplendor exiſtat, qui a ſpeculo iſto quaſi reflexus nobis diſpergitur atque hoc eſſe, quod ſolem vocamus, quaſi id dicas imaginis imaginem. Affine Empedoclis de ſole opinioni dogma Philolao tribuit PLVTARCHVS:[p] quod tamen improbat IAC. THOMASIVS,[q] qui Philolaum, putat, ſolem cum aliis ſuæ ſectæ in centro mundi poſuiſſe, & non duos ſoles, ſed duas tantum terras ſtatuiſſe. De quo in tanta Pythagoricorum ſcriptorum jactura ſtatui certi quid non poteſt.

Eudoxus. §. XVII. Tandem inter celebriores Pythagoreos EVDOXVS Cnidius quoque numerandus eſt, Aeſchinis filius, aſtronomus, geometra, medicus, legislator.[r] De eo librum ſcripſit Phanocritus,[s] qui vero intercidit. Is tanta in cognoſcendis rebus naturalibus & cœleſtibus ardore flagravit, ut optaret, Phaëtontis inſtar a ſole comburi, modo ejus naturam propius conſiderare ſibi daretur:[t] hinc & magna ejus in rerum cœleſtium ſcientiis peritia veteribus[u] valde laudatur, & inter præſtantiſſimos ſiderum ſcrutatores numeratur.[x] Geometriam ab Archyta didicit, artem ſalutarem a Philiſtione Locro.[y] Platonis quoque auditorem fuiſſe tradit Sotion, qui narrat:

i) l. c. *k) l. c. p. 146.*
l) PLVTARCH. *de plac. phil. l. II. c. 1.*
ll) Conf. SCALIGER. *de emend. temp. l. II. p. 109.*
m) PLVT. *l. c. l. III. c. 13.*
n) LAERT. *l. c.*
o) Conf. IAC. THOMAS. *Obſ. Hal. T. IV. obſ. 19. §. 18. ſeqq. p. 382. ſeqq.*
p) l. c. l. II. c. 20.
q) Ibid. §. 23. p. 385. ſeqq.
r) LAERT. *l. VIII. ſ. 86.* SVIDAS in *Eudoxus T. I. p. 886.* *s)* ATHENAEVS *l. VII. p. 276.*
t) PLVTARCH. *non ſvav. vivi poſſe ſec. Epicurum T. II. p. m. 95.* quod ideo dixiſſe Eudoxum, quod crederet, magnam divinitatis partem in ſole reſidere, eumque eſſe locum beatitatis non absque veriſimilitudine conjicit IAC. THOMAS. *Obſ. Hal. T. IV. obſ. 19. §. 27. p. 388.*
u) CIC. *de divin. l. II. c. 42.* GELLIVS *l. XVII. c. 21.*
x) Conf. viri docti ad LAERT. *l. c.*
y) ibid. ubi Siculus vocatur. Paſſim medicum hunc memorant veteres, laudati MENAGIO *ad h. l.* FABRICIO *Bibl. Gr. Vol. XIII. p. 366.* & hiſtoriæ medicæ ſcriptoribus CLERICO *Hiſt. med. P. I. l. III. c. 43. p. 253.* SCHVLZIO *Hiſt. med. P. I. S. III. c. 6. §. 3. p. 310. ſeqq.* qui etiam de Eudoxi meritis in artem ſalutarem videndi ſunt. Notandum vero imprimis hoc eſt, ab Eudoxo ad Chryſippum, ab hoc ad Eraſiſtratum, & ab eo ad multos medicos Pythagoreas hypotheſes perveniſſe, quarum veſtigia paſſim apparent.

rat:[z] cum annum ætatis XXIII ageret, ſummoque inter paupertatis anguſtias diſcendi ſtudio flagraret, Socraticorum gloria excitatum Athenas contendiſſe, cum Theomedonte medico, a quo & altus fuerit, cuique in deliciis fuiſſe, quibusdam dictum ſit. In Piræeum autem delatum Athenas quoque aſcendiſſe quotidie, ibique auditis ſophiſtis ad portum eſſe regreſſum: duosque ibi menſes moratum domum rediiſſe. Inde rurſus amicorum liberalitate adjutum in Aegyptum cum Chryſippo medico eſſe profectum, commendatitias ab Ageſilao literas ad Nectanebin regem ferentem, a quo & ſacerdotibus ſit commendatus. Ibi moratum annum unum & menſes quatuor mento attonſo atque ſupercilio, octo annorum cyclum [a] juxta quosdam deſcripſiſſe. Inde Cyzicum atque in Propontidem veniſſe, philoſophiam profeſſum: Mauſolum item Cariæ regulum videre voluiſſe, indeque Athenas reverſum habentem ſecum diſcipulos plurimos, Platoni, juxta nonnullos ægre ut faceret, qui eum admittere olim recuſaverat. Hactenus Sotion, cujus tamen narrationi intercedit STRABO,[b] qui Eudoxum cum Platone in Aegypto veniſſe, ſeque muſeum utriusque ibi vidiſſe ſibi oſtenſum ait. Cui velificatur EVSEBIVS,[c] Eudoxum Olymp. XCVII floruiſſe afferens. Prius & CICERO[d] afferit. Cujus tamen opinionis fundamentum ex eo recte refellitur, quod Eudoxus Platonem Athenas docentem audivit, id quod poſt iter Aegyptiacum eveniſſe, ſupra ex ipſa Platonis vitæ ſerie oſtendimus, quod Olymp. XCVIII circiter contigit, annum ætatis agente Platone XL. Eudoxus autem Nectanebi II. ab Ageſilao, qui fœdus cum eo inierat, commendatus eſt, qui ab Olymp. CIV. 2. ad Olymp. CVII. 2. regnavit. Quod ſi Nectanebin etiam I. ponas, id ante Olymp. CI. 2. quo is imperare cœpit,[e] fieri non potuit, quæ clare evincunt, Platonis in itinere ſocium non fuiſſe. Ad Dionyſium quoque juniorem Syracuſanorum tyrannum, ſi fides AELIANO,[f] divertit, cum is Platonem apud ſe haberet, id quod nonniſi poſt Olymp. CIII. 1. fieri potuit, quo Dionyſius ſenior obiit. Ex quibus rationibus erudite demonſtrat cel. IO. LAMIVS,[g] Strabonem in eo falſum fuiſſe, nec tempora inter ſe concordare. Patet vero ex dictis quoque non circa Ol. XCVII, ſed CIII floruiſſe. Magno vero honore non in patria tantum exceptus eſt, ſed in Græcia quoque, ubi civitatibus quibusdam,[h] more Pythagoreo leges condidit, easdem item, juxta Hermippum, in aſtrologia, geometria, aliisque præclariſſimis ſcientiis inſtituit. Non minus vero Ariſtagora filio doctiſſimo inclaruit, qui a parente eruditionem aſtronomicam & geometricam hæreditate quaſi accepit.

z) LAERT. *l. c.*

a) Male in octo annorum hiſtoriam mutat STANLEIVS *P. VIII. p. 825.* Interpretem Laërtii ſecutus. Quod ex MENAGIO *ad h. l.* diſcere potuiſſet, qui Laërtii interpretes ideo notavit, quod opus mathematicum in hiſtoricum mutaverint. Mirum itaque, eruditiſſimum OLEARIVM in hæc non animadvertiſſe.

b) *l. XVII.*

c) In *chronicis*, qui bis de eo loquitur, priori loco *Ol. LXXXIX. 3.* poſteriori *Ol. XCVII. 1.* ponit. Vtrumque perperam.

d) *De divinat.*

e) Rationibus hæc conſtant chronologicis ab VSSERIO firmatis. VOSSIVS *de ſcient. math. c. XXXIII. §. 13.* ad Ol. XCVIII. 2. refert.

f) *l. VII. c. 17.*

g) In erudito *de SS. Trinitatis doctrina* opere *l. II. c. 2. p. 82. ſeqq.*

h) Cnidiis LAERT. *l. c.* Mileſiis THEODOR. *Therapeut. l. IX.*

Imprimis inter ſideralis ſcientiæ cultores emicuit emendatione octaëteridis Harpalicæ,[i] quam conferendo eclipſium intervalla, quæ ab Aegyptiis acceperat, in errore verſari obſervaverat; qua tamen non ita verum ſolis lunæque curſum conciliavit, ut non Metonis enneadecaëtris prævaleret, qua de re in hiſtoria artis chronologicæ pluribus dicendum eſt.[k] Narrat vero SIMPLICIVS[l] inventis hypotheſibus circulorum revolventium, Calippum Cyzicenum, & Polemarchum Eudoxi familiares Athenas eſſe profectos, eumque Ariſtotele contuliſſe ſuper Eudoxi invento, & alia quidem correxiſſe, alia vero ſuppleviſſe: ac Ariſtoteli quidem placuiſſe hypotheſes homocentrorum, quia doctrinæ ejus convenire omnia moveri circa medium univerſi, diſplicuiſſe autem hypotheſes eccentricorum. Multa ſcripſit ad ſcientias mathematicas pertinentia,[m] ſed difficilia intellectu, ut notat SEXTVS EMPIRICVS,[n] laudata vero veteribus ob ſummam in his ſcientiis eruditionem. Nihil tamen ad nos pervenit, ARATVS vero, qui phænomena ſcripſit verſibus, Eudoxum potiſſimum ſecutus eſt,[o] juſſus ab Antigono rege Εὔδοξον ἐνδοξότερον[p] facere. Sed & hiſtoriam ſcripſiſſe ex ATHENAEO[q] colligitur, quam terræ deſcriptionem vocaviſſe, ex STRABONE[r] aliisque notum eſt. Voluptatem ſummum bonum dixiſſe ait Nicomachus apud LAERTIVM,[s] ille tamen addit,[t] tam incorruptis ſanctisque moribus vixiſſe Eudoxum, ut nemo doctrinam a Pythagoreorum ſeverioribus in ea re placitis recedentem in malam partem verterit. Obiit LAERTIO teſte ætatis anno LIII, ut ei prædictum fuiſſe fertur a ſacerdotibus Aegyptiorum. Audiendus itaque non eſt SCALIGER, qui nullo veterum teſte laudato CIII annos ei tribuit. "

* *

CAPVT VNDECIMVM.

DE SECTA ELEATICA.

§. I.

Origo ſectæ Eleaticæ.

Originem ſectæ Eleaticæ Italia quoque dedit, exorta enim Eleæ, ſive Veliæ, magnæ Græciæ urbe eſt; quam Phocæenſes Cyri temporibus condiderunt, cum iis ab Harpago obſeſſis, pars noctu aufugiſſet, quæ ad iſtas Italiæ oras delata urbem excitavit. Laudatque STRABO " Pytha-

i) De Harpali Octaëteride vid. SCALIGER. *de emend. temp. l. II. p. 66.* PETAV. *doctr. temp. l. II. c. 4.* DODWELL. *de cyclis diſſ. III. ſ. 30.*

k) Vid. ex vet. CENSORIN. *de die nat. c. XVIII.* ex recentioribus SCALIGER. *l. c. p. 67.* PETAV. *l. c. c. 6.* VOSSIVS *l. c.* SCAL. *ad Manil. l. I. v. 69.*

l) *Comm. in l. II. de cœlo.*

m) Vid. quæ ex veteribus notavit FABRICIVS *Bibl. Græc. Vol. II. p. 85. ſeq.*

n) *Adv. mathem. l. I. ſ. 301.*

o) Hæc inter ſe confundens SVIDAS male *l. c.* Eudoxum poëtam facit, ſcripſit enim proſa, ut ex iis videre eſt, quæ ex illo allegat Hipparchus.

p) Ἔνδοξον ob nominis claritatem vocatum tradit LAERTIVS *l. c.* *q*) *l. VI. p. 288. 395.*

r) *l. II. p. 100.* patet ex his locis, fuiſſe opus geographico - hiſtoricum: conf. MEVRS. *ad Apoll. Dyſc. c. 24.* VOSSIVS *de hiſt. Græc. l. I. c. 6.*

s) *l. c.*

t) *Nicom. l. X. c. 2.* *u*) Conf. VOSSIVS *l. c.*

a) *l. VI. p. 252.* conf. MENAG. ad LAERT. *l. IX. ſ. 28.*

thagoreorum, inter quos Parmenidem & Zenonem quoque numerat, diligentiam, quibus acceptum ex parte referendum ſit, quod civitas illa bonis legibus efflоruerit. Hac urbe, cum tres ſectæ hujus, cujus hiſtoria enarranda eſt, doctores celeberrimi, Parmenides, Zeno & Leucippus orti eſſent, nomen inde ea Eleaticæ accepit, quanquam auctor ejus Xenophanes Colophonius fuit. Qui cum in Italia Telaugæ, Pythagoræ filio in docenda philoſophia ſucceſſiſſet, [b] inde Eleatica ſecta ex Pythagorica prognata veteribus dicta eſt, ejusque ſectatores paſſim [c] Pythagorei dicti, quod tamen minus accurate fieri, ex eorum hiſtoria & doctrinæ, quod exhibebimus, compendio pateſcet. Sed & ipſa Eleatica ſecta inter ſe diſtinguenda eſt, inque duas claſſes ſeparanda, quarum illa metaphyſice magis, hæc phyſice de rerum natura diſſeruit, utraque ſibi in multis e diametro adverſa. [d] Priorem claſſem Xenophanes, Parmenides, Meliſſus & Zeno Eleates conſtituunt, poſteriorem Leucippus, Democritus, Protagoras, Diagoras, Anaxarchus; de quibus ſingulis jam porro dicenda eorumque vitæ & doctrinæ hiſtoria enarranda eſt.

§. II. Eleaticam ſectam condidit XENOPHANES, [e] patria Colophonius, patre Dexio, quem Orthomenem alii vocant, prognatus. [f] Tempus nativitatis incertum eſt, variantibus de ætate Xenophanis veterum teſtimoniis, ut fuere tum temporis ſcriptores in deſignandis veris temporum rationibus valde incurii, quod occaſionem poſtea dedit iis, qui illorum memoriis uſi ſunt, in diverſas admodum abeundi partes. Cum etiam per integrum ſeculum vixerit Xenophanes, fieri eo magis potuit, ut ad diverſos annos ille referretur. Hinc ad Olymp. XL eum refert Apollodorus apud CLEMENTEM ALEXANDRINVM, [g] EVSEBIVS [h] ad Olymp. LVI. LAERTIVS [i] Olymp. LX inclaruiſſe dicit. Etſi vero viginti Olympiadum inter extremos hos temporum limites differentia eſt, poſſunt tamen rationes Xenophaneæ ætatis chronologicæ pleræque in concordiam redigi, ſi ad vitæ diuturnæ moram & circumſtantias ejus attendatur, & certa vel veriſimilia ab incertis diſtinguantur. Inter prioris generis circumſtantias primo omnium referri merentur verſus Xenophanis ab ATHENAEO [k] ſervati, in quibus fugam Perſarum in Græcia memorat. Licet vero incertum ſit, an ii ad prælium apud Marathonam, vel apud Platæeam commiſſum referendi ſint, in quo utroque Perſæ a Græcis in fugam acti ſunt, certum tamen eſt, niſi verſus Xenophanis in ſuſpicionem ſuppoſitionis temere adducantur, ſi non Olymp. LXXV, quo tempore apud Platæeam Perſæ inferiores diſceſſerunt, Olymp. LXXII tamen, qua pugna ad Marathonam commiſſa eſt, adhuc vixiſſe Xenophanem, & poſt illud tempus ejus, illum meminiſſe. Refert porro Timæus apud CLEMENTEM ALEXANDRI-

Xenophanes ſectæ conditor.

Aetas ejus.

b) LAERT. *l. I. ſ. 16.* ſed id non de ſcholae ſucceſſione, ſed de ordine in philoſophando intelligendum eſt.

c) STRABO *l. c.*

d) Conf. BVDDEVS *Anal. hiſt. phil. p. 321.*

e) CLEM. ALEX. *Strom. l. I. p. 301.* LAERT. *l. I. ſ. 16.*

f) LAERT. *l. VIII. ſ. 18.*

g) l. c. conf. BAYLE *Dict. T. IV.* art. *Xenophanes not. A. p. 515.* qui conferendus de hoc Clementis loco.

h) In *Chron.* conf. SCALIGER in *Animadv. ad h. l.*

i) l. c. ſ. 20.

k) l. I. p. 54.

DRINVM [l] & PLVTARCHVS, [m] vixiſſe Xenophanem circa tempora Hieronis, Siculorum tyranni; LAERTIVS [n] vero, Empedocli, & Sotion, [o] Anaximandro fuiſſe coævum. Hiero vero tyrannidem ſuſcepit Olymp. LXXVI, cujus anno 4. natus eſt Empedocles, Anaximander vero Olymp. LVIII floruit. Addendum his, quod PSEVDO-ORIGENES [p] habet, vixiſſe eum, usque ad tempora Cyri, & quod LAERTIVS [q] tradit, ſucceſſiſſe in tradenda philoſophia inter Græcos Italiam inhabitantes Telaugæ Pythagoræ filio. Etſi vero ſupra oſtendimus, incertam eſſe mortis Pythagoræ epocham, certum tamen eſt, quamcunque etiam temporum ejus ſeriem ſequamur, ante Olymp. LXVIII, quo obiiſſe Euſebius dicit, Telaugem parenti ſuccedere non potuiſſe, & cum hunc demum ſecutus ſit Xenophanes, eum ſerius adhuc vixiſſe. Quibus omnibus accurata ſupputatione conſideratis deferenda omnino eſt Apollodori temporis Xenophanis deſignatio, ſi enim Ol. XL eum natum ſtatuamus, ultra CXXX annos vixiſſe eum oportet, quod ſine ullo teſte dicitur. Quod ſi EVSEBIVM ſecuti Olymp. LVI Xenophanem in lucem editum admittamus, reliqua omnia inter ſe in concordiam poſſunt redigi. Hoc enim tempore natus, puer fere literarum elementa hauſit, cum Anaximandri nomen inclareſceret: Anno ætatis vigeſimo quinto, ut ipſe tradit apud LAERTIVM, [r] id eſt Olymp. LXII in magna Græcia tunc temporis Pythagoræ diſciplinæ ſe fere totum tradente innoteſcere cœpit, & per LXVII annos hanc nominis celebritatem tuitus eſt & auxit, quod tempus in Olymp. LXXVIII incidit, quo XCII annum agebat Xenophanes. Ex quibus ſimul patet, utramque, quam a Græcis paſſi erant Perſæ cladem vivum eum attigiſſe, & verſibus ſuis memorare potuiſſe; circa ea quoque tempora, nempe Ol. LXXVII, in Siciliam, Hierone regnante, pervenire potuit, ubi cum ad C. ætatis annum, id eſt, usque ad Olymp. LXXXI initia vixerit, teſte CENSORINO, [s] omnino Empedocles quoque eum audire potuit. Ita veriſimili ſerie rationes temporum vitæ Xenophanis ordinantur, uno Apollodoro deſerto, [t] in cujus vetuſtis Codd. quibus Clemens & Sextus uſi ſunt, numerum corruptum fuiſſe, ſuſpicio eſt. Ait enim, vixiſſe usque ad tempora Darii & Cyri.[u] Si enim primum etiam annum imperii Darii, qui Olymp. LXV. eſt, admittamus, & τὸ ἐγένετο, quo Apollodorus uſus eſt, ſenſu contextui valde repugnante ſumamus pro nativitate, vix tamen ætas Xenophanis hunc terminum attingit; unde neglecto vel in mendo cubare paſſo Apollodoro, reliqua ſatis recto ſtant talo.

§. III.

l) *l. c.* *m*) In *apophthegm. T. I. p. 327.*

n) *ſ. 19.* ex cujus tamen relatione conjici poteſt, Empedoclem adoleſcentem, de magiſtro ſollicitum Xenophanem ſenem adiiſſe. *o*) *Ibid.*

p) *philoſoph. c. XIV. p. 94.* & ipſe Apollodorus apud CLEM. ALEX. *l. c.*

q) *l. I. ſ. 16.*

r) *l. IX. ſ. 19.* ubi hi verſus ejus adducuntur:

Luſtra decem atque tria hæc & binos deſuper annos
Applauſit dictis Græcia tota meis.
Natus eram tunc ipſe annos quinque atque viginti
Si poſſim de iſtis prodere vera modo.

s) *De die natali c. 15.*

t) Quem tamen admitti poſſe putat FABRICIVS *ad SEXT. adv. math. l. I. ſ. 257.* ſi XL. Ol. nativitatem ponas. Verum ita Hieronis tempora non attigiſſet. Apud STANLEIVM *P. X. p. 872.* omiſſus eſt numerus XL.

u) Poſterius Pſeudo-Origenem quoque dicere jam notavimus.

§. III. Sunt, qui neminem audiviſſe dicant, & αὐτοδίδακτον faciant; [v] alii Botonem Athenienſem quendam ejus præceptorem faciunt, alii, teſte LAERTIO [w] Archelaum Ionicum eum erudiviſſe, tradunt, quos non audiendos eſſe, tempus Xenophanis, quod modo poſuimus, refragatur. Archelaus enim circa Olymp. XC demum docuit, & Socratem inſtituit, quod tempus vivendo non attigit Xenophanes. [x] Pulſum patria Zanclæ & Catanæ Siciliæ oppidis degiſſe, LAERTIVS auctor eſt, patetque ex loco Hieronis, pauperiem ejus, de qua conquerebatur, quod ne duos quidem alere ſervulos poſſet, ſugillanti, in aula Hieronis vitæ ſuſtentandæ remedium quæſiviſſe, & cantatis publice carminibus ſuis, ut mos erat illorum temporum philoſophum non indecens, de victu ſibi proſpexiſſe. [y] Ex quibus conjicimus, in perſecutionibus contra Pythagoreos in Italia excitatis, Xenophanem quoque, etſi illorum partibus non addictum, ſolum vertere, & relinquere facultates ſuas fuiſſe coactum. Certe paupertas tanta fuit, ut filios propriis manibus ſepelire cogeretur. [z] Homero & Heſiodo infenſum fuiſſe, Timonis ſillographi teſtimonio [a] patet, qui vocat

Educatio & vita.

Ξενόφανην ὑπάτυφον, Ὁμηροπάτην, ἐπικόπην,
Xenophanem, non totum ſine typho, & fraudis riſorem Homeri.

Rationem ejus verſus ſequentes addunt:

- - *Numen ſimile undique atque haud homini, atque*
Conſtans usque ſibi docuit, totumque animum eſſe.

Scilicet cum fabulæ Homeri & Heſiodi Deorum fraudes, bella & ſeditiones memorent, quæ notioni Xenophanis de Diis e diametro repugnabant, eas, ut & alii philoſophi fecerunt, improbavit, &, quod ait LAERTIVS, carmina contra eos ſcripſit, eaque, quæ de Diis tradidere, exagitavit. Sed & Pythagoræ & Thaletis dogmatibus ſe oppoſuiſſe, & contraria docuiſſe, Epimenidem quoque ſugillaſſe IDEM [b] narrat. Quod occaſionem videtur dediſſe Timoni, acerbiſſimo philoſophorum irriſori, in *ſillorum libro ſecundo & tertio* dialogi more inducendi Xenophanem, ipſi percontanti reſpondentem. [c] Eruditionem excoluit, ſui temporis moribus convenientem, & præter philoſophiam carminibus quoque inclaruit: [d] patriæ quoque hiſtoriam condidit. [e] Maxime vero doctrinam phyſicam novam prorſus & in magna Græcia inauditam libro *de natura*, [f] complexus eſt. Vixiſſe ſatis modeſte, ut decet philoſophum, [ff] videtur. Annis decrepitus, quos ad

v) Forte hæc ipſe Xenophanes jactavit, ad novum ſyſtema reſpiciens, ut alii quoque philoſophi fecere. Conf. quæ de ſimili cauſa dixit BAYLE *Dict. T. III.* art. *Leucippe not. C. p. 100.*

w) *l.c.* x) PLVT. *l.c.* y) LAERT. *l.c.*

z) Niſi generoſitatis philoſophicæ hoc argumentum fuerit, quod etiam feciſſe Pythagoram & Pythagoricos Parmeniſcum & Oreſtadem tradit LAERT *l.c. ſ. 20.*

a) *ibid. ſ. 18.* SEXT. EMP. *Pyrrh. hyp. l. I. c. 33. ſ. 224.* conf. MENAG. *ad l. c. Laërt.* & FABRIC. *ad l. c. Sexti.*

b) *loc. cit.*

c) Conf. FABRIC. *l. c.* & ex veteribus LAERT. *l. IX. ſ. 111.*

d) Erudite de carminibus & ſcriptis Xenophanis diſſeruit FABRIC. *Bibl. Græc. vol. I. p. 557.*

e) De Colophonis ædificatione & de Italica in Eleam colonia LAERT. *ſ. 20.* conf. IONSIVS *de Script. hiſt. phil. l. I. c. 12. p. 67.*

f) FABRIC. *l. c.*

ff) Exemplum vide apud PLVT. *de vitioſo pud. T. II. p. 271.*

ad C. usque extendiſſe ſupra monuimus, tandem obiit. Sane LVCIANVS [g] audiendus non eſt, qui XCI annos ei tantum tribuit. Fuit & alius Xenophanes poëta Lesbius, a noſtro diſtinguendus. [h]

Obſervationes generales de ſectæ Eleaticæ philoſophia.

§. IV. Philoſophiam Eleaticæ ſectæ expoſituris ad generales prius obſervationes quasdam attendendum eſt, ut, qua ratione hac in via incedendum ſit, quidque tribui recte his philoſophis queat, quove certitudinis gradu adſcribi debeat, accurate teneatur. Scilicet

I. Dolendum quam maxime ſcripta Eleaticorum dudum periiſſe, nec extare, niſi exigua fragmenta a veteribus paſſim, tanquam tabulas ex naufragio, ſervata, quæ collegit HENRICVS STEPHANVS. [i] Cum enim hæc pauciſſima ſint, & laceræ tantum particulæ quædam, ex quibus de toto philoſophiæ Eleaticæ habitu judicari non poteſt, cuncta ad aliorum fidem redeunt, nosque certo & indubitato cognoſcendi Eleaticam philoſophiam fonte vivimus privati. [k]

II. Nec eorum, qui Eleaticorum ſcripta legerunt, eorumque doctrinas explicarunt, tuta ſatis fides eſt. Aut enim in ſuas eos partes pertrahere conati ſunt, quod non potuit non falſas ei ſubinde opiniones affingere; vel eos refutare ſunt aggreſſi, huncque in finem mentem ejus, ut facilius refellerent, perverterunt. Prioris exemplum PLATO eſt, qui in *Parmenide* Eleaticam philoſophiam exponere ſe mentitus, mentem Parmenidis, veteribus non negantibus, [l] adulteravit. Poſterius ab ARISTOTELE factum eſſe, qui *de Xenophane, Zenone & Gorgia* peculiari tractatione egit, ex iis notum eſt, quæ de ſubleſta Stagiritæ in exponendis philoſophorum ante ſe doctrinis fide adduximus. Ex quibus incertitudo hujus quoque hiſtoriæ veteris philoſophiæ partis, cognoſcitur, & neceſſitas apparet, caute verſandi in tribuendis illis ejusmodi opinionibus, quæ non ſine nominis invidia & famæ detrimento afferuntur.

III. Quod ſi eas, quas temporis nobis reliquit injuria, veterum de Eleaticorum philoſophia & philoſophandi ratione memorias intuemur, patet, duplicem illam methodum, qua iſtis, quibus hi philoſophi vivebant, temporibus omnem fere philoſophorum mundum uſum fuiſſe, ex enarrata hactenus hiſtoria conſtat, quæque aliam in vulgus doctrinam exire paſſa eſt, aliam arcanæ diſciplinæ alumnis tradidit, etiam Eleaticis placuiſſe; cujus imprimis de Parmenide mentionem facit LAERTIVS, [ll] & de reliquis quoque ex modo docendi poëtico conjici poteſt. Non vero communem tum Ægypti & Italiæ philoſophantis viam ſecuti ſunt, ſed & domeſticam rationem habuerunt. Cum enim materiæ fluxæ, & ſemper in motu verſanti ſenſuum fidem denegarent, adeoque rerum naturam non ex ſenſus & experientiæ teſtimonio excuterent, ſed ex certo quodam ſyſtemate metaphyſico explicarent,

g) In *macrob. T. II. p. 828.* *h*) LAERT. *l. c.*
i) In *poëſi philoſoph. p. 35. ſeqq.* Pluſcula tamen apud veteres occurrunt.
k) Conf. BAYLE *Dict. T. IV.* art. *Xenophanes not. B. p. 515.* REIMMANN. *hiſt. ath. c. XX. p. 204.* Cauſæ non ſine veriſimilitudine, in ſtudium reliquarum ſectarum hanc opprimendi, in adhibitam methodum poëticam & neglectum philoſophandi genus Eleaticum referuntur.
l) LAERT. *l. III. ſ. 53.* *ll*) *Lib. IX. ſ. 22.*

carent, fieri aliter non potuit, quin alia ratione ſecundum ſenſus & opinionem ad populum, aliter ſecundum rationem & intellectus judicium ad diſcipulos philoſopharentur. Cumque ad ejusmodi potiſſimum principia metaphyſica eſſent delapſi, quæ omnem rerum naturalium conſtitutionem everterent, [m] ſequebatur inde, differre inter ſe maxime doctrinam Eleaticorum exotericam & eſotericam, aliudque eos velle, cum ad populum loquuntur, aliud cum initiatis myſteria pandunt. Id quod non poteſt non magnam eorum philoſophiæ obſcuritatem conciliare, & magnis ejus hiſtoriam cumulare difficultatibus.

IV. Obſervandum & hoc eſt, quod de Xenophane ſupra LAERTII fide retulimus: oppoſuiſſe eum philoſophiæ ſuæ ſyſtema Epimenidi, Pythagoræ & Thaleti; quod, ſublatis auctorum nominibus, clarius diceretur, abiiſſe Xenophanem a ſyſtemate dualiſtico, id eſt duorum principiorum coævorum, quod multis veterum, imprimis ex theologis, placuit: a ſyſtemate monadiſtico, quatenus illud ex anima mundi & materia unum totum conſtituit; & a ſyſtemate Ionico veteri, quod neglecta cauſa efficiente & rationali ad ſolam materiam reſpiciebat. Difficultates inſuperabiles horum ſyſtematum, ſolo illo principio: ex nihilo nihil fit, male intellecto, nixorum, & abſurditates manifeſtas vidiſſe Xenophanem, hominem acuti ingenii, dubitari vix poteſt. Cum vero nec is a naturali iſto axiomate recedere auderet, nec ad veram ejus ſignificationem ſatis attenderet, ut ſuperaret difficultates, quas reliquos philoſophos non potuiſſe tollere, obſervabat, omnem proprie rerum generationem & mutationem, qua aliquid fit, tollebat, unumque totum, ſine motu, mutatione, ortu & interitu aſſerebat, hoc Deum, mundum, omnia, eſſe cenſebat. Ita quidem objectionibus quibus dicta ſyſtemata premebantur, quæque abſurditatem duorum principiorum independentium, animæ mundi informantis, motusque æterni ſine motore patefaciebant, evitabat, omnes vero ſimul notiones naturales evertebat, totamque naturalem philoſophiam peſſundabat. Quod, ut non plane ſine ſale & philoſophico acumine factum eſſe videri poſſet, materiæ fluxus & mutabilitas prætextum commodare coacta eſt, quæ certam rerum eſſentiam non admittens, ad ſenſuum tantum apparentias & incertam atque obſcuram fidem cuncta revocaret. Vt vero a reliquis ſectis non ſuperarentur in rerum naturalium, cui philoſophiam ſuam Eleatici addixerant, cognitione, ſecundum ſenſuum apparentiam de rebus phyſicis tractationem inſtituebant, ſatis habentes, ſi rationem aliquam non plane abſurdam afferre poſſent, cur ſenſibus phænomena natura talia, qualia videntur, apparerent. [n] Quod ut una manu deſtruebat, quod altera excitabatur, ita Leucippo occaſionem dedit Eleaticum ſyſtema in contrarias flectendi partes, ut poſtea dicemus.

m) Objecit hoc eis ARISTOT. *Phyſ. acroaſ. l. I. c. 2.* prolixiusque exponit BVRNET. *Archæol. phil. l. I. c. 12. p. 433.*

n) Conf. IO. GOTTFR. WALTHERI *ſepulchra Eleatica reſerata* vernaculo ſermone edita *c. III. §. 5. p. 16.*

Xenophanis philoſophia.

§. V. His præmiſſis ad Xenophanis placita phyſica progredientes, Ariſtotelem quidem ducem ſequimur, ita tamen, ut non tantum ad aliorum quoque ex veteribus teſtimonia reſpiciamus, ſed totam quoque ſyſtematis hujus connexionem intueamur, &, qua ratione propoſitiones naturali inter ſe ordine ſequantur, attendamus, quæ una nobis ratio eſſe videtur, in tam incerta via, quam Eleaticæ philoſophiæ hiſtoria nobis offert, veriſimili quadam ratione veros ejus ſenſus inveſtigandi: quam inierunt quoque ante nos viri doctiſſimi P. BAYLE, [o] GOTTFRIED OLEARIVS, [p] IO. GOTTFR. WALTHERVS. [q] Ita vero Xenophanes ſtatuiſſe dicitur:

Metaphyſica ſ. theologia.

I. Fieri non poteſt, quidpiam ut ex nihilo exiſtat.

II. Æternum itaque eſt, & ſemper fuit, quicquid eſt, ſive enim facta ſint omnia, ſive non omnia, hoc abſurdum ſequeretur, ex nihilo aliquid poſſe exiſtere.

III. Quod æternum eſt, eſt infinitum, neque enim principium habet, unde extiterit, neque finem.

IV. Quod infinitum eſt, unum eſt; ſi enim plura eſſent, unum finiret alterum.

V. Quod unum eſt, omni ex parte ſibi eſt ſimile, ſi enim diſſimile aliqua parte eſſet, non unum foret, ſed entia plura.

VI. Vnum quod infinitum eſt, & æternum, ſibique ſimile, id immobile & immutabile quoque ſit oportet, ſi locum enim mutare poſſet, non eſſet infinitum, ſed aliud eſſet ultra illud. Si vero ſine loci mutatione alteraretur, aliquid in eo exiſtere inciperet, quod prius non extitit, & quod exſtitit, eſſe deſineret; quod eſſet, ex nihilo fieri aliquid.

VII. Eſt itaque unum tantum, æternum, infinitum, immutabile, quo conſtant omnia. [r]

VIII. Deus eſt hoc unum, incorporeum, æternum, cujus ſubſtantia globoſa eſt; nihil illud cum hominibus commune habet, totum cernit, totum audit, non tamen reſpirat. Simulque eſt omnia, mens, prudentia, æternitas. [s]

IX. Nec corpore nec animo hominibus Deus comparandus eſt, qui nec formam & faciem habet hominis, nec affectibus humanis obnoxius eſt.

X. Deus hic eſt omnia, [ſ] nam omnia in ſe comprehendit. Hactenus Xenophanes ex ARISTOTELIS, CLEMENTIS ALEXANDRINI, [ſſ] LAERTII teſtimoniis de univerſo. Ex quibus patet, obſcuram & difficillimam eſſe Xenophaneæ metaphyſicæ hanc partem. Cum enim omnia ad id redeant, quid per unum, ens, æternum, infinitum, Deum, mentem, intelligatur, ejus autem ſignificatio varia eſſe queat, factum inde eſt, ut viri docti in diverſas de hac Eleaticæ metaphyſicæ parte ſententias diſcederent.

Et

o) *Dict. T. IV.* art. *Xenophanes not. B. p. 515.*
p) Ad STANLEI. *Hiſt. phil. P. X. p. 874.*
q) *l. c. c. III. §. 4. p. 15.*
r) Conferri cum ARISTOTELE *l. c.* debent CICERO *Acad. Qq. l. IV. c. 37.* ipſe ARIST. *Metaph. l. I. c. 5.* PSEVDO-ORIG. *philoſoph. c. XI. p. 95.*
s) LAERT. *l. IX. ſ. 19.* SEXT. EMP. *Pyrrh. hyp. l. I. c. 33.* CICERO *in Lucullo,* EVSEB. *præp. l. I. c. 8. l. XIV. c. 14.*
ſ) CICERO *Acad. Qq. l. IV. c. 37.*
ſſ) *Stromat. l. V. p. 601. l. VII. p. 711.*

Et P. BAYLE quidem, ut erat in veterum assertis, in systematis formam redigendis, supra modum acutus & ingeniosus, Xenophanis placita adductis veterum testimoniis suffultus, ita ordinavit & explicuit, ut Spinozæ impietati præluisse videri posset, asserendam esse unicam substantiam totius universi, inque ea omnia tanquam modificationes contineri. Quam explicationem post eum secuti sunt magni in his literis viri, IO. FR. BVDDEVS,[t] GOTTFR. OLEARIVS, [u] IO. CHRIST. WOLFIVS, [v] V. E. LOESCHERVS, [w] IO. GOTTFR. WALTHERVS.[x] Quia vero unum sensu Pythagoreo dici potest universum, eo quod Deum & materiam non initio tantum chaos continuerit, sed & hanc ille necessario & formali atque essentiali vinculo, tanquam anima penetret & permeet, qua ratione & Stoici Deum, mundum, universum, unum dixere; hinc Xenophanes Spinozæ præceptis aliis viris eruditis non tam affinis videtur, quod non universi materiam unum esse diceret, sed universitatem quidem unam esse, Deum autem rebus inesse omnibus (συμφυῆ τοῖς πᾶσι ut habet SEXTVS EMPIRICVS[y]) assereret, quam ei mentem tribuit magnaque eruditione hanc Xenophaneæ metaphysicæ explicationem ornat cel. MOSHEMIVS. [z] Tandem & sensu Platonico unum sumi cum queat, quo unum dicuntur omnia, quatenus ab uno æterno & infinito principio promanant, & ex eo proficiscuntur, inque eo tanquam in radice fonteque suo extant, hoc sensu pie magis Xenophanes præcepisse dicitur SIMPLICIO,[a] qui, laudato Theophrasto auctore, ait Xenophanem hæc non ut physicum scripsisse, sed tantum ut metaphysicum & theologum, & de ordine causarum differuisse. Quem ejus locum integrum adducit, ejusque partes sequitur RAD. CVDWORTHVS,[b] a cujus cogitatis non longe abit cl. REIMMANNVS[c] & IO. ALB. FABRICIVS.[d] Et sane difficile admodum ob dictas supra causas de vera Xenophanis mente statuere, cum non neutra tantum pars suis destituatur rationibus, sed & veterum testimonia inter se discrepare videantur, & Aristoteles depravatæ, quod imprimis ei objicit CVDWORTHVS, doctrinæ Xenophaneæ accusetur. Monet quoque apte cl. MOSHEMIVS [e] non magnopere de ejus scitis dimicandum esse; cum ipse nihil certi decreverit, sed cuncta opinione constare dixerit, quæ fallere possit, neque idcirco pro veris haberi voluerit, quæ disserebat. Ita enim, qui sentiant, opiniones mutare crebro, nullos dubitare, & nunc hoc, nunc aliud probare, ut vel animo affecti sint, vel sensuum commotionibus incitentur. Non expectanda itaque certa & definita Xenophaneæ theologiæ explicatio, sed relinquenda omnia, ipso Xenophane non invito, & ad hunc fontem nos ablegante, opinioni. Dicamus tamen eadem modestia, qua viros laudatissimos de hac re differuisse videmus, quid nobis de ea videatur, & quid in his explicationibus, supposita testimonio-

t) *De Spinozismo ante Spinozam, Anal. Hist. philos. p. 320.*
u) *l. c.* v) *Ad l. c. philos. Orig.*
w) *Deism. fanat. §. 2.*
x) *l. c.* Addi his potest ALDOBRANDIN. *ad Laërt. l. c.* Auctores Britanni *histor. universalis. p. 25.*
y) *l. c.*
z) Ad CVDWORTH. *Syst. int. c. IV. §. 20. p. 456.*
a) In ARISTOT. *Physic. f. 5. 6.*
b) *loc. cit.*
c) *Hist. atheismi l. I. c. 30. §. 2. p. 103.*
d) *Ad l. c.* SEXTI *p. 59.* e) *l. c.*

rum allatorum fide, probabiliter Xenophani tribuendum esse, sit verisimile. Et I. quidem Cudworthiana unius Xenophanei interpretatio omnium minime admittenda esse videtur: illi enim pleraque attributa uni a Xenophane tributa, & in his illud maxime, refragantur, quod Deum σφαιροειδῆ dixit: etsi enim Simplicio pollicem premit vir doctus, qui ideo sphæræ formam Deo tribui putat, ut ab omni eum parte similem & uniformem esse παντα̃χῆ ὅμοιον, declararet, aperte tamen hoc prodit syncretisticam Simplicii veteres interpretandi rationem, qua more scholæ eclecticæ veteres ita loqui coëgit, ut cum Platone consentirent. Apertum vero est, ideo Deo hanc formam tribuisse Xenophanem, quod is universo concludatur, id quod globi figuram habere cum multis veterum credidit. II. Altera unius Xenophanei explicatio, quæ secundum Pythagoreos & Stoicos sensus eam interpretatur, non sine verisimilitudine affertur, & ita unum hoc Xenophaneum illustrat, ut æternam rerum naturam ponat, adjuncta itidem mente æterna, at cum materia conjuncta, & per totam hanc molem fusa. Provocat ingeniosus ejus auctor ad SEXTVM EMPIRICVM, [f] qui tradit, unum esse omnia, καὶ τὸν Θεὸν συμφυῆ τοῖς πᾶσι, *Deum rebus inesse omnibus:* itemque ad CLEMENTEM ALEXANDRINVM, [ff] versus Xenophanis afferentem, quibus Deum nec corpore, nec animo hominibus similem esse asserit; ad Timonis etiam versus, [g] qui Xenophanem dixisse tradunt, Deum totum esse animum. Nec tamen desunt, quæ quis huic quoque explicationi objiciat. Nempe hanc hypothesin verum Pythagoreorum systema theologicum exhibere, supra invictis, nisi fallimur, argumentis demonstravimus; ast opposuit Xenophanes suum philosophiæ ædificium Pythagoreo non minus, quam Ionico Thaletis: utrumque vero cum animam divinam arctissime cum materia cohærentem statueret, aliter necessario Xenophanes statuisse, nec in eadem sententia fuisse, dicendus est. Neque, quæ afferuntur testimonia rem, si quid videmus, conficiunt. Sextus enim non Deum inesse materiæ, ut animam tradit, sed συμφυῆ εἶναι τοῖς πᾶσι, eadem natura sive substantia inesse universo, eique ita connatum, ut eandem naturam referat, quemadmodum varii habitus, qualitates, mores, affectiones, una cum anima nostra nascuntur, eique naturaliter concretæ inhærent: quæ non de divina aliqua substantia cum materia conjuncta, sed de affectione quadam intelligi possunt: id quod etiam Aristotelis locus postulat, qui diserte universo æternitatem, infinitatem, immobilitatem, rationem, aliaque attributa divina tribuit. Versus vero Xenophanis, qui advocantur, quique hoc volunt:

Maximus in genere est Divum atque hominum Deus unus
Qui nec corpore nec mente est mortalibus ullis
Assimilis,

hanc explicationem magis destruunt, quam astruunt. Si enim Deus hominis menti corpus inhabitanti & informanti, quod Pythagoreis & Stoicis placuit,

f) l. c. *ff) l. c.* *g) Apud* SEXTVM *l. c.*

placuit, non eſt ſimilis, qui potuit aſſerere, Deum in materia tanquam mentem eam informantem habitare? Nec Timonis verſus, quibus Deum νοερωτὸν καὶ νόημα eſſe dixit, aliter intelligi debere videntur, quam Deum ſolo intellectu concipiendum, nec materiæ extenſionem in eo quærendam, id quod lubentes largimur, ipſam materiam univerſi Xenophani non viſam Deum eſſe. Hinc III. nec in Bælii, Buddei, Wolfii aliorumque ſententiam totam deſcendere nos poſſe, ſalvis veterum effatis, putamus, qui unam tantum ſubſtantiam, ſuis affectionibus Deum totam repræſentantem intellexiſſe eamque ipſam ſubſtantiam uniformem ſibi Deum eſſe, dixiſſe & Xenophanem ſtatuunt. Adducta enim teſtimonia cum his non concordant, nec Spinoziſtica ſubſtantia in Xenophaneam præter verba, quadrat. Vt itaque IV. noſtram quoque modeſte opinionem, ut decet, in ſchola Eleatica, exponamus, ex hac & priori interpretatione, quartam conflandam quaſi eſſe putamus: qua Xenophanes 1. univerſum quidem natura & ſubſtantia prorſus unum ſtatuit, id quod nemo temere negaverit, qui non manifeſtis veterum verbis vim inferre audeat. 2. Peculiariter tamen & materiam ex qua conſtant omnia conſideravit, & vim in ea latentem divinam, quam non quidem ſubſtantiam eſſe putavit, ſed affectionem, talis tamen naturæ, quæ neceſſario ad materiæ naturam accedere debeat, eique naturaliter coaleſcere, ut univerſum ſuis rationibus perfectum & abſolutum exiſtat. Separavit itaque præciſione mentis, ſi hæc admittas, divinam iſtam vim Xenophanes a materia, aſt ei naturaliter, tanquam uni ſubſtantiæ, ineſſe dixit, ſicque univerſum illud totum, æternum, infinitum, immutabile conſtituere aſſeruit. V. Hæc ſi admittantur, veterum de Xenophanis mente teſtimonia concordant omnia. Deus enim non ſolum univerſum eſt, cum vis illa non niſi in eo lateat, ſed comprehenditur etiam in univerſo ita, ut ejus figura globoſa circumſcribatur, & is in omnibus ejus partibus ſenſibus percipiatur. Ita enim de Xenophane luculenter PSEVDO-ORIGENES: Φησὶ δὲ καὶ τὸν Θεὸν εἶναι ἀΐδιον, καὶ ἕνα καὶ ὅμοιον πάντη, καὶ πεπερασμένον, καὶ σφαιροειδῆ, καὶ πᾶσι τοῖς μορίοις αἰσθητικὸν, *Deum eſſe æternum, & unum, & ſimilem undique & finitum* (non potentia, ſed extenſione, fine & termino) *& rotundæ figuræ, & omnibus partibus ſenſui manifeſtum.* [b] Quæ ſatis clara ſunt omnia, ſi adductam explicationem admittamus, contorta, ſi vel ad animam mundi informantem, vel ad emanationem entium ex Deo illa trahamus. Patet vero hac quoque ratione, cur Deus totus animus ſit, quia vis illa divina latens ſentiri quidem in partibus mundi, intelligi vero non niſi ratione & intellectu, poteſt, ſicque Deus homini ſimilis non eſt, in quo mens non vim aliquam rationalem, ſed naturam ſive ſubſtantiam conſtituit. Ita vero & phyſiologia Xenophanis cum ejus metaphyſica cohæret, ex hac enim in materia habitante vi divina, innumerabiles mundi, & elementorum viciſſitudines efficiuntur, & materia fluxa, & in momenta mutabilis innumeris mutationibus, formationi-

b) *loc. cit.*

tionibus & impreſſionibus ſe conſpiciendam præbet, ſicque totum hoc cernit, totum audit, ratio, conſilium, prudentia toti ineſt, ut Xenophanem ſtatuiſſe tradit LAERTIVS. [i] Cave enim hac ratione, conſilio & prudentia, actionem aliquam liberam naturæ ſive ſubſtantiæ ex rationibus prævisis fines & effectus conſtituentis intelligas. Nihil enim aliud eſt, quam vis divinæ illius motus ſibi & univerſi diſpoſitioni reſpondens, quo omnes res conſtituuntur. Et ita quidem ſubductis rationibus de metaphyſica Xenophanis ſtatuendum nobis, ſi veriſimilitudinis leges ſequamur, videtur, conjecturam tamen attulimus, cui clariorem & meliorem a doctioribus & in his tenebris acutius cernentibus lucem accendi, æquiſſime patimur.

Phyſica. §. VI. Metaphyſicam hanc phyſiologiæ Xenophaneæ partem ſequitur phyſica, quæ hæc continet dogmata:

XI. Mundi infiniti ſunt, iique immutabiles. [k] Aliud tamen univerſum eſt, ex his mundis conſtans, aliud mundi illi, quæ inter ſe confundenda non ſunt.

XII. Quia verus motus non datur, ſequitur, nec dari veram generationem, nec interitum, vel alterationem veram & realem. [l] Immo nec initium nec finis ullus rerum datur. Non Xenophanis tantum hoc decretum eſt, ſed ſucceſſorum quoque in Eleatica ſchola, Parmenidis, Meliſſi, Zenonis, ut poſtea dicetur: quemadmodum etiam Diodorum Cronum contra veram motus exiſtentiam armis dialecticis pugnaſſe, ſupra narravimus, & Pyrrhonis ſequaces eandem viam ingreſſi ſunt. Sed hi propter rerum omnium incertitudinem, Diodorus propter argumentorum vim in utramque partem ancipitem, Eleatici vero ab his diverſi propter rationes metaphyſicas in hanc abſurdam ſententiam deſcenderunt. Ex allatis enim hactenus liquet, eos idea infinitatis, univerſi ſpecie, deluſos, illi omnem mutationem denegaſſe: cumque motus neceſſario alterationem inferat & mutationem, illud univerſum quoque immobile dixiſſe. Inde vero ſequitur porro, hanc immobilitatem, &, quæ inde deducitur, generationis & interitus ſive reſolutionis negationem pertinere ad univerſum, non vero ad partes ejus, & non phyſice, ſed metaphyſice conſiderandam eſſe. In univerſi enim partibus dari initia & fines rerum, modificationes & alterationes, adeo non negavit Xenophanes, ut non tantum res viſibiles, e. g. ſolem fieri & ex igniculis coaleſcere, & iterum extingvi diceret, ſed & teſte, poſt LAERTIVM, [m] HESYCHIO ILLVSTRI, [n] aſſereret primus, ὅτι πᾶν τὸ γινόμενον φθαρτὸν ἐϛὶ, *quod quicquid ortum habet, etiam interitum admittat & corruptibile ſit.* Sed hoc verum motum non conſtituere, ſenſu abſtracto & metaphyſico, viſum fuiſſe Xenophani, merito credimus. Ex iis enim, quæ apud Ariſtotelem ex ejus mente contra motum diſputantur, patet, eum motus notionem aliam, quam quæ in phyſicis obtinet,

i) *l. c.*

k) LAERT. *l. c.* immutabilitatem vero non ad materiam ex qua componuntur ſed ad ſubſtantiam, quam conſtituunt in univerſo referendam eſſe, ex theſi ultima conſtabit. conf. STOBAEVS *eclog. phyſ. p.* 52.

l) ARISTOT. *l. c.* ORIG. *philoſophum. l. c.*

m) *l. c.*

n) *p.* 52.

tinet, ſibi concepiſſe, & ad verum motum progreſſum a nonente ad ens ejusque exiſtentiam requiſiviſſe. Quo ſenſu notionis hujus ſemel admiſſo, ſequebatur, cum illud impoſſibile ſit, ut ex nihilo fiat aliquid, univerſum eſſe immobile, adeoque & partes ejus non ita moveri, ut ex ſtatu nihili procederent ad ſtatum exiſtentiæ. Quibus admiſſis de rerum tamen mutationibus differere poterat,[o] quas non alterationes, generationes & exſtinctiones rerum naturalium, ſed modificationes, eſſe putabat, hoc nomine indignas, eo quod rerum univerſi natura ſemper maneret immutabilis, ſoliusque materiæ æternum fluentis particulæ varie inter ſe modificarentur. Hac ratione ſi Eleaticos priores explicemus, de motu differentes, rationem facile dabimus, qui de rebus phyſicis differere, & phœnomena naturalia explicare, ſalva iſta hypotheſi potuerint,[p] quod tamen de iis negat ARISTOTELES,[q] conceptum motus metaphyſicum ad phyſicum transferens, ut, more ſuo, Eleatico ſyſtemate corrupto, eo vehementius illud premeret. Non negamus doctiſſimo BVRNETIO,[r] quacunque etiam ratione ſententia paradoxa explicetur, ἀσύσατον latere; & lubenter largimur, quod toties in theatro philoſophico fieri hiſtoria nos docet philoſophica, hypotheſin ſemel delectam & pro Iunone habitam ſeduxiſſe viros alias non ineptos ad has nugas abſurdas admittendas; certi tamen ex dictis ſumus, plerosque, qui de Eleaticorum phyſica diſſeruerunt, eos non recte intellexiſſe, & aliam, quam illi, motus ſignificationem ſibi concepiſſe. Vidit hoc, quo animi eſt acumine cl. MOSHEMIVS,[s] qui eleganter monet: certum ſe eſſe ex aſſidua & attenta veterum lectione, plerasque antiquorum de motu diſputationes & pugnas Andabatarum fuiſſe certamina, ex eo potiſſimum nata, quod non eandem omnes motus notionem & deſcriptionem in animo haberent. Qui motum enim ſuſtuliſſe Ariſtoteli, Sexto, Senecæ & aliis dicantur, talia tamen ſuis ſimul tradidiſſe præcepta, quæ nemo tradere poſſit, niſi homo, qui moveri multa fatetur. Ex quo conſtare arbitrandum, eos vocabulo motus ſingularem & ab uſu conſueto abeuntem poteſtatem ſubjeciſſe. Licet vero Eleaticam hac de re doctrinam inter ea referat vir præſtantiſſimus, quæ intelligi ſatis nequeunt, & incertiſſima ſunt, dicta tamen ſatis, niſi fallimur, evincunt, non ſine veriſimilitudine ea quæ explicuimus Eleaticis tribui. Nam quod de Xenophane hac in re dictum eſt, etiam ad reliquos ejus ſectatores trahendum eſt.

XIII. Hanc naturæ univerſi rationem & legem cum ſenſus non aſſequantur, ſed contrarium teſtari videantur, ſequitur, ſenſus eſſe fallaces, nec ſecundum eam rationem certe ac ſine offendiculo ratiocinari poſſe.

XIV. Nihil itaque certum ac indubitatum cognoſci poteſt, nec datur ejusmodi veritatis criterium, quo ſcientia conſtet, ſed cuncta reguntur opinione.

o) Hinc æterna mundorum exorientium & intereuntium viciſſitudo aſſerta, univerſo interim immobili & immutabili manente.

p) Id quod ad dubitationes Bælii & Wolfii VV. CC. notandum eſt.

q) *Phyſic. acroaſ. l. I. c. 2.*

r) *Archæol. philoſ. l. I. c. 12. p. 433.*

s) Ad CVDWORTH. *p. 471. n. 13.*

nione. Magnum, & ſi verum fatendum ſit, unicum Eleatici ſyſtematis fundamentum & præſidium theſes hæ continent, quas clare innuit Xenophanes verſibus apud SEXTVM EMPIRICVM,[s] PLVTARCHVM,[ſſ] & PSEVDO-ORIGINEM[t] occurrentibus, in quibus diſerte:

Εἰ γὰρ τὰ μάλιϛα τύχοι τετελεϛμένον εἰπὼν
Αὐτὸς ὅμως ϗκ οἶδε, δόκος δ' ἐπὶ πᾶϛι τέτυκται.
Licet maxime quid definitum dixerit aliquis,
Non tamen habet certam ſcientiam, ſed in omnibus adeſt tantum opinio.

Apertum ex his eſt, Xenophanem inter Acatalepticos quidem referri non poſſe, qui negabant, comprehendi aliquid poſſe, ſcientificam tamen certamque homini denegaſſe ſcientiam, & imprimis ſenſuum teſtimonium ad opinionis tantum revocaſſe fidem, ut ſyſtemati metaphyſico non tam aperte obſtaret. Equidem Ariſtocles apud EVSEBIVM,[u] ſolos eum ſenſus accuſaſſe ait, eumque inter eos numerandum putat, qui ſenſus, viſaque omnia funditus repudianda, rationi uni fidem habendam opinantur. Verum hoc aut prorſus falſum, & a mente Xenophanis alienum eſt, aut ita tantum intelligendum, ut ſyſtematis Eleatici conſtitutio poſtulat; ſenſibus & rationis argumentis inter ſe diſſidentibus, hisque illis contradicentibus, non ad ſenſuum teſtimonium, ſed ad rationis illationem attendendum, & huic præ illis fidem habendam eſſe. Hoc enim ſyſtema Xenophanis poſtulabat, quod ex ratiociniis quibusdam totum ita exſtructum eſt, ut ſenſuum fidem refelleret. Ex his judicanda ſunt, quæ de hoc argumento diſſerit P. BAYLE.[v] Et hinc ſequitur, ſecundum opinionem & veriſimilitudinem de rebus diſſerendum eſſe naturalibus.

XV. Quatuor dantur elementa.[w]

XVI. Vniverſarum rerum initia ſunt ex terra; PSEVDO-ORIGENES[x] ita effert: τὰ δὲ πάντα εἶναι ἐκ γῆς, *omnia eſſe ex terra;* ſed hoc ita intelligendum eſt, ut mediantibus elementis cuncta ex terra formata dicantur. Male vero atomos hic ſomniat DICKINSONVS,[y] cum ſyſtema Eleaticum vetus atomiſticum vix admittat.

XVII. Stellæ ex nubibus incenſis ortæ ſunt, interdiu autem extinguuntur, noctuque velut ardentes carbones iterum accenduntur. Dioſcuri autem nubeculæ ſunt, ex motu quodam interfulgentes.[z]

XVIII. Sol ex igniculis conſiſtit collectis ex humida exhalatione, ſive nubes eſt ignita, eaque ſingulis creatur diebus. Ex his PLVTARCHI,[a] STOBAEI[b] & PSEVDO-ORIGENIS[c] teſtimonio affertis patet, Xenophanem ſolem non pro certa quadam ac cœleſti ſubſtantia ſive natura, ſed pro certo μετεώρῳ vel naturæ φαινομένῳ habuiſſe, quod ſingulis diebus ex humidorum vaporum ex terra, unde omnia originem trahunt, exhalatione col-

s) *Adv. mathem. l. VII. ſ. 49.*
ſſ) *De audiendis poët. T. II. p. m. 24.*
t) *l. c. p. 94.*
u) *Præp. l. I. c. 8. l. XIV. c. 17.*
v) *l. c. not. B. p. 516. not. L. p. 523.*
w) LAERT. *l. c.* x) *l. c.* EVSEB. *l. c.*
y) *Phyſ. vet. & ver. c. XVIII. p. 253.*
z) PLVTARCH. *de plac. phil. l. II. c. 20.*
a) *l. c.*
b) *Eclog. phyſic. l. I. p. 55.* c) *l. c.*

collectum, & elevatione tandem subtilissimum redditum, originem trahit, & ita in ignis naturam, mutata elementorum in se invicem ratione, transit. Ex his sequitur, soluta ista igniculorum collectione, solem extingui, quod non tantum noctu fieri, sed & in solis defectione, Xenophanes apud PLVTARCHVM, [d] statuit, qui narrasse eum refert, ut fidem absurdæ doctrinæ faceret, fuisse aliquando, ut sol totum mensem deficeret. Ex his alia sequuntur, quæ Xenophani tribuuntur, quæque ita statuisse dicitur:

XIX. Cum sol nonnunquam in quandam terræ partem, nobis incognitam incidit, tum quasi laborans defectum patitur. [e]

XX. Sol recto quidem cursu in infinitum procedit, verum in orbem moveri videtur, ob intervalli magnitudinem.

XXI. Multi soles sunt, secundum terræ diversa climata, segmenta & zonas. Ex his assertionibus manifestum est, Xenophanem ex eo, quod semel de origine & natura solis dixerat; oriri solem ex terræ exhalationibus, putavisse, in quibuscunque terræ partibus proprios ita existere soles, vaporesque illos coacervatos, cuilibet regioni propria dare cœlestia lumina; licet unus ignis sit, ex omnibus illis regionum cunctarum exhalationibus per totum cœlum dispersus & diffusus, qui speciem solis cuilibet terræ conciliet, currentis per climatis tractum, licet videatur in circulum moveri. [f] Potuit tamen ex eo quoque multos soles asserere Xenophanes, quod multos dari mundos putaret, sed iis ratio a Plutarcho allata applicari nequit.

XXII. Luna nubes est constipata, [g] eamque ut auctor est CICERO, [h] Xenophanes dixit habitari, & esse terram multarum urbium & regionum. Posterius a Pythagoreis transsumsisse videtur Xenophanes, prius primis rerum naturalium generationibus, quales sibi concipiebat, convenienter dictum est. Ex terra enim cum nonsolum sol collectis exhalationibus exsistat, sed & nubes, eas compactiores in terræ formam coalescere, splendorem ex vaporibus tenuioribus oriri eamque circumdare, hincque lunam esse credidit. Quod si verum est, lunam habitari, diversam rationem necesse est, statuisse lunæ ac solis, quia illa ita quotidie extingui, ut sol, & singulis noctibus nova luna oriri nequiret, licet hoc de ejus splendore dici posset. Hinc, si admittendum est, quod PLVTARCHVS [i] ait, non soles tantum multos, sed & lunas pro climatum & regionum diversitate Xenophanem asseruisse, intelligendum est de vaporibus istam lunæ terram splendoris causa circumjacentibus, qui ex variis regionibus hausti, variam ei lucem conciliant. Ceterum ut absurda satis & ad populum tantum directa hæc de rebus naturalibus differendi ratio est, ita impedita & intellectu difficilis sententia, cum ipsa Xenophanis eo de argumento carmina nobis desint.

XXIII. Nubes exsistunt, cum a sole vapores sursum feruntur, & in aërem coguntur. [k]

d) *l. c. c. 24.*
e) *ib.* STOBAEVS *l. c. p. 56.*
f) Conf. MOSHEM. *l. c. p. 454.*
g) PLVT. *l. c. c. 25.*
h) *Acad. Q q. l. IV. c. 37.*
i) *l. c.*
k) LAERT. *l. IX. s. 19.*

XXIV. Anima ſpiritus eſt; quid vero per ſpiritum intellexerit LAERTIVS,[l] qui hæc refert, non tradit. Videtur vero eodem vocem hanc intellexiſſe ſenſu, quo Deum ſive univerſum mentem dixit, & per ſpiritum rem ſive vim potius ſenſibus non ſubjectam indicaſſe.

XXV. Multa minora eſſe mente. Τὰ πολλὰ ἥττω γῆς εἶναι, dixit LAERTIVS.[m] Obſcurum verborum ſenſum ea illuſtrant, quæ ſupra de ſimili Alcmæonis ſententia dicta ſunt, ubi demonſtravimus, multa res ſenſiles indicare: id enim Eleaticum ſyſtema poſtulat, quod τὸ ἕν, unum, quod univerſum eſt, immutabile, æternum, ſemper idem, animo quoque & ratione ſive vi divina prædituм rebus multis, in ſenſus incurrentibus, ſemper variabilibus & mutabilibus opponit. Vniverſi itaque rationem reſpiciendam, ejusque vim rationalem & divinam ſequendam, rerum ſenſibilium fraudes & fallacias, quibus meris luſibus homini imponatur, & unde rerum omnium mala & incommoditates oriantur, deſerendas eſſe. Ita Xenophanis mentem explicari debere, ipſa unius & multi notio, quæ in Eleatica ſchola obtinuit, & vocis ἥττων ſignificatio poſtulat. Conferendus cum his eſt poſt MERICVM CASAVBONVM,[n] PETRVS BAYLE.[o]

XXVI. Licet Deus ſit, divinatio tamen nulla eſt. Recte hoc ſequitur ex notione de Deo Xenophanea; illa enim vis divina univerſo tantum ineſt, nec ad partes ejus referri poteſt. *Vnum* vero *ex philoſophis fuiſſe Xenophanem, qui Deos eſſe diceret, divinationem tamen funditus tolleret*, perperam ait CICERO,[p] Epicurum enim paria aſſeruiſſe, recte obſervat PLVTARCHVS.[q]

XXVII. Mare ideo ſalſum eſt, quod magna mixtorum in eo confluit copia.[r]

XXVIII. Terram tempore ab humidó diſſolvi, probant conchæ in media terra repertæ, etiam in montibus, & Syracuſis in lapidicinis inventus piſcis & phocarum typus, in Paro autem in profunditate rupis forma apuæ, etiam cujuslibet marini generis cruſtæ in Melito. Quæ ab eo ſuperfuere tempore, quo omnia mari fuere obſeſſa; in limo enim exaruit typus.[s] Notabilis locus recentiorum induſtriæ, qui de ejusmodi diluvii ſpeciminibus egregia multa dixere, adjiciendus, ex eo enim nec veteribus[t] hæc ignorata eſſe liquet.

XXIX. Omnes tollentur homines, cum delata in mare terra convertitur in limum, poſtea renaſcentur in integrum, & hoc omnibus dat mundis fundamentum naſcendi.[u] Periodicus hic mundorum ortus & interitus valde probat explicationem motus & generationis a Xenophane negatæ ſupra datam. Non enim, nihil rerum ſenſibilium mutari dixit, cum ſemper fluxa ſit rerum materia, unde neceſſitas harum mundi periodorum ſequitur, ſed immutabile & immobile æternum illud, univerſum, ſive unicam ſubſtantiam eſſe. Ex quibus ſimul recte infertur, unicam ſubſtantiam Xenophanis a Spinoziſtica longe diſtare. §. VII.

l) Ibid. *m) ibid.* *r)* ORIG. *l. c.* *s) Ibid.*
n) Ad l. c. Laërt. *o) l. c. not. D. p. 517.* *t)* Conf. PLIN. *l. II. c. 103.* SENEC. *Q. nat. l. III. c. 20.*
p) De divin. l. I. c. 3. *q) l. c. l. V. c. 1.* *u)* ORIGEN. *l. c.*

§. VII. Xenophanis discipulus [x] eruditionis laude præceptore non inferior fuit PARMENIDES Eleates, Pyretis filius. Tempus ejus in Olymp. LXIX incidere, recte viri docti [y] ad LAERTII [z] locum, ex quo quidam Olymp. XXIX, alii Olymp. LXXIX exsculpsere, [a] annotaverunt. Qui enim vel hoc, vel illud admittunt, tempora Xenophanis, quem audivisse dicitur, non cogitant, quæ neutri notationi annorum conveniunt. Nec obstat, PLATONEM [b] inducere Parmenidem cum Socrate colloquentem, hoc enim invitis rationibus chronologicis fieri, supra jam ex ATHENAEO [c] annotavimus. Præter Xenophanem Anaximandrum quoque præceptorem habuisse tradidit Theophrastus, [d] quod si verum est, mature Parmenidem philosophiæ studio se tradidisse oportet, & ante Xenophanem Anaximandrum audivisse. Testis quoque est Sotion, [e] cum Ameinia & Diocheta Pythagoreis conversatum fuisse, paupere illo quidem, sed honesto viro ac bono, eum quoque imprimis secutum esse, & vita functo sacellum, tanquam heroi, dicavisse. Et hæc quoque causa est, cur inter Pythagoreos, vel Semi-Pythagoreos potius numeretur Parmenides, ut ex PORPHYRIO [f] & IAMBLICHO [g] disci potest. Cum opibus prius abundaret, vitamque ageret ex generis nobilitate splendidam, tantæque esset auctoritatis inter cives, ut legibus patriam juvaret, [h] quovis anno jurejurando firmandis, [i] ab Ameinia ex strepitu civili ad otium & silentium philosophicum traductus est, [k] ita ut philosophiæ totum se daret, in qua Zenonem, &, ut supra quoque innuimus, secundum quosdam Empedoclem discipulos habuit. Forte & Hermogenes, a quo Parmenideam philosophiam Plato didicit, [l] inter ejus discipulos referendus est. Sunt, qui amore eum minus casto illum prosecutum esse affirmant, [m] quod tamen rectius negant alii: [n] vitam enim Parmenideam pro optima & virtutis plena proverbii instar dixit CEBES. [o] Philosophatus est more seculi sui carmine, Xenophanem & Pythagoreos quosdam imitatus, quod ad arcanam referendum esse docendi methodum alibi diximus. Ex his versibus passim fragmenta occurrunt apud veteres, quæ ex parte collegit H. STEPHANVS, incertum tamen est, utrum omnia illa ad eum sint referenda. Parmenides orator, qui artem oratoriam scripsit, cum philosopho confundendus non est. *Parmenides.*

§. VIII. De Parmenidis philosophia anceps & incerta disputatio est, ut sunt Eleatica fere omnia: nam nec ipsa Parmenidis carmina supersunt, & *Philosophia Parmenidis.*

x) LAERT. *l. IX. f. 21.* SVIDAS in *Parmen. T. III. p. 53.*

y) Palmerius & Menagius.

z) f. 23.

a) Prius Stephanus habet, posterius Scaliger.

b) In *Parmenide.*

c) l. XI. p. 505.

d) LAERT. *l. c.* perversus est locus Laërtii apud STANLEIVM *P. X. p. 876.* qui Theophrastum in *epitome Anaximandri* citat. Hoc enim non vult Laërtius, sed testari in epitome Theophrastum, Parmenidem Anaximandri fuisse discipulum.

e) LAERT. *l. c.* Addi hæc possunt catalogo Pythagoreorum apud FABR. *Bibl. Gr. Vol. I. p. 481. 489.*

f) De antro nymphar. p. m. 1123. ed. Rom.

g) Vit. Pythag. c. XXIX. n. 166.

h) LAERT. *l. IX. f. 23.*

i) PLVTARCH. *adv. Colot. T. III. p. 434.*

k) Ita LAERT. *l. c.* qui hoc ab Ameinia non a Xenophane factum esse monet. Inde conjicimus, eum Pythagoreos audivisse ante Xenophanem.

l) LAERT. *l. III. f. 6.*

m) Vid. PLATO in *Parmenide.*

n) ATHENAEVS *l. XI. p. 505.*

o) In tabula.

quæ hodie ex iis leguntur fragmenta, paſſim obvia, exiguæ laciniæ ſunt ex integro Parmenidei ſyſtematis habitu decerptæ, de quarum connexione & ſenſu ex tota orationis ſerie judicari non poteſt. [p] Platonem vero, qui Parmenideam philoſophiam expoſuiſſe videri voluit, ſuſpectum eſſe, plus una vice monuimus. [q] Sed & reliquæ obſcuritatis cauſæ, ſupra de Eleaticis obſervatæ ad Parmenidem pertinent, inter quas duplex philoſophandi ratio, una ex veritate, altera ex opinione, Parmenidi quoque admiſſa, vehementer ejus ſententiam obſcuravit, Platonicorum vero conſilium, Parmenidem in ſuas partes pertrahendi, ejus philoſophiam miſere corrupit. Rejecto itaque Platone, quem poſtea ſolum audiemus, de Parmenide differentem, nec admiſſis Platonicis recentioribus, inſanis veteris philoſophiæ corruptoribus, relationes ſcriptorum veterum inter ſe comparandæ, & qua ratione cogitata Parmenidis inter ſe cohærere potuerint, diſpiciendum eſt, ut aliqua veriſimilitudine de ejus placitis metaphyſicis & phyſicis conſtet. Ea vero huc redeunt.

Philoſophia duplex eſt, vel ſecundum opinionem & ſenſum, vel ſecundum veritatem. Illa propter materiæ fluxum incerta & propter ſenſuum imbecillitatem lubrica & fallax eſt, hæc propter rationem, certa & immoto fundamento conſtans. Diſtinctionem in Parmenidis ſchola celebrem, ſed a veteribus, & ab ipſo forte Xenophane, acceptam afferunt PLVTARCHVS, Ariſtocles apud EVSEBIVM & LAERTIVS. [r] Priorem philoſophiæ Parmenideæ partem phyſicam recte appelles, poſteriorem metaphyſicam. In illa enim de rerum ſub ſenſum cadentium origine, natura, alteratione, interitu & aliis ejusmodi phænomenis philoſophabatur; & rerum ſenſibus ſubjectarum, quæve audiri, videri, tangique poſſunt, viciſſitudines & mutationes exponebat. Hæc cum materiæ ſemper fluxæ & in momenta mutabilis modificationibus & mutationibus conſtare cenſeret, & ex ſchola Pythagoreorum teneret, ita ex fluxis & mutationibus obnoxiis ſcientiam certam non dari, opinionem huic philoſophiæ parti tribuit, ſenſibus fallacibus hanc incertitudinem augentibus. Cum vero partim ex Pythagoreorum, quos adamabat, ſchola, partim, ex Xenophanis quoque doctrina admitteret, aliud eſſe debere ens certum, unum, immobile, quod vere ſubſtantiam efficiat, & ſola ratione cognoſcatur, quoque res omnes conſtent, metaphyſicam quoque partem conſtituit, quæ pro objecto non ea, quæ ſenſibus expoſita ſunt, ſed quæ ratione ſola & abſtractione mentali cognoſcuntur, habet. [s] Qualis vero illa metaphyſica fuerit, etſi, deficientibus monumentis Parmenideis vix dici certa ratione poteſt, non audiendi tamen ſunt recentiores Platonici, & in his præcipue SIM-

p) Satis etiam ſua more veterum recondebat dictionis figuris, SIMPLIC. in *Phyſ. Ariſt.* apud LESCALOPIER. in CIC. *de N. D. p. 45.* Probat id exordium libri ejus *de natura* apud. SEXT. *l. citando.*

q) Multo magis id de Platonicis recentioribus tenendum.

r) LAERT. *l. IX. ſ. 22.* EVSEB. *præp. l. I. c. 8. p. 23.* PLVTARCH. *adv. Coloten T. III. p. m. 416.*

s) Non PLVTARCHVS tantum loco adducendo id teſtatur, ſed ipſum PARMENIDIS libri *de natura* exordium ſatis amplum, quod ſervavit SEXTVS EMPIRICVS *adv. Mathem. l. VII. ſ. m. ſeq.* dignum quod cum his dictis conferatur.

SIMPLICIVS,[t] quem ſtudioſe ſequitur CVDWORTHVS,[u] qui per metaphyſicam partem, ſecundum veritatem philoſophantem, ſenſu Platonico rerum divinarum & ſupra naturam poſitarum, id eſt, ab omni rerum materialium natura abſtractarum contemplationem intelligunt, per partem phyſicam ſecundum opinionem philoſophantem, rerum corporearum conſiderationem innui putant. Patebit enim ex dicendis, in metaphyſica parte Parmenidem non ad ſpirituales naturas, ſed ad ipſam rerum omnium naturam in abſtracto conſideratam, ſive ad univerſi conſtitutionem metaphyſicam reſpexiſſe. Quod licet aliter videatur CVDWORTHO, qui ad ARISTOTELEM [x] provocat, Parmenidem phyſicis opponentem, nihil tamen Stagiritæ auctoritate infringitur, apud quem phyſici illi ſunt, qui ad ſolas rerum mutationes ſenſibus ſubjectas attendebant, quibus opponebat eos, qui generalia rerum principia & abſtractas notiones conſiderabant, quales erant Pythagorei; ipſe quoque Ariſtoteles docendi modum ita inſtituit, & de rebus ſenſibus objectis earumque mutationibus in phyſicis, de principiis rerum generalioribus & mentis abſtractione conſiderandis in metaphyſicis egit. Id quod adductis ejus locis contra Cudworthum docte tuitus eſt eruditiſſimus interpres. [y] Quando vero phyſicæ parti ad ſenſuum apparentiam philoſophanti opinionem tantum tribuit, veritatem vero denegat, non hoc ſenſu Sceptico, ſed Eleatico vel Pythagorico etiam intelligendum eſt. Non enim tam ſtupidus & cum ratione inſaniens Parmenides fuiſſe videtur, ut quæ phyſica ſenſibus fieri videmus, mera ſomnia & impoſturas eſſe, nihilque prorſus habere ex vero contenderet, licet hanc ei dicam dudum ſcripſerint veterum multi, [z] & ex recentioribus non ſine ingenio & acumine PETRVS BAYLE; [a] ita enim homo phyſiologus totam rerum naturam ſuſtuliſſet; aſt de rebus ille naturalibus & in ſenſus cadentibus principia haud obſcura expoſuit, & de cauſis rerum naturalium ſecundum ſenſus differuit. Sed referendum hoc more Pythagoreo, quem vehementer adamabat, ad materiæ conditionem, quæ cum fluxa, mutabilis & inſtabilis ſit, certam & ſtabilem rem ſola ratione comprehendi poſſe ſtatuit. Dudum ita pro Parmenide verba fecit, contra Colotis calumnias diſputans, PLVTARCHVS; [b] qui *poſtquam*, *multa*, oſtendiſſet, *Parmenidem dicere de terra, cœlo, luna, ac hominum procreatione*, addit: [c] *Quoniam autem omnibus aliis, ipſo etiam Socrate prior (non tamen Pythagora) ſenſit naturam habere opinione aliquid, aliquid mente comprehendendum; opinabile autem iſtud eſt inconſtans, & variis motionibus ac mutationibus obnoxium, & quod ob incrementa & decrementa alium ad alia reſpectum habens non ſemper eodem modo ſenſum afficiat: intelligibile vero alia ſpecies, quod eſt, ut ipſe cecinit:*

Aeter-

t) *l. c. f. 7. 17. 31.*
u) *Syſt. intellect. c. IV. §. 21. p. 466. ſeqq.*
x) *Phyſ. l. I. c. 2. T. I. p. 253.*
y) *Ad h. l. p. 461. not. 3.*
z) ARISTOTELES, SEXTVS, Colotes apud PLVTARCHVM *ll. cc.* Ariſtocles apud EVSEBIVM *præp. l. XIV. c. 17. p. 756.*
a) *Dict. v. Xenophanes T. IV. p. 515.* b) *l. c.*
c) Conferendum dictum libri ejus *de naturâ* exordium in *fine*.

Aeternum, integrum ſemper, ſemperque quieſcens,

ſuique ſimile, & conſtanter ſuam naturam conſervans; heic vocabulis calumniam ſtruens Colotes, ac de rebus ad verba trahens diſputationem, ſimpliciter ait Parmenidem, quia unum ens ponat, omnes res abolere. Reliqua, ne nimis prolixi ſimus, licet rem valde illuſtrent, omittimus; hæc enim, quo ſenſu phyſicam a metaphyſica ſua diſtinxerit, ſatis declarant.

Metaphyſica Parmenidis.

§. IX. Metaphyſicam philoſophiæ partem eodem fere modo, quo Xenophanes, inſtituit Parmenides, quædam tamen ex Pythagoreorum accepta ſcholis ſibi ſervavit ſoli. Ita vero ratiocinatus fuiſſe dicitur:

I. Ex nihilo nihil fit.

II. Omne rerum principium unum, immobile, & immutabile eſt.

III. Vnum itaque univerſum eſt.

IV. Vnum illud æternum eſt, & originis expers, ac ſphærica indutum forma.

V. Solum hoc unum ens vere eſt, reliqua omnia nonentia ſunt, adeoque nihil.

VI. Nulla itaque res generatur, vel corrumpitur, ſed ſpecies tantum ejus rei nobis imponit.

Ita Parmenideam metaphyſicam nobis exhibent ARISTOTELES, [d] PSEVDO-ORIGENES, [e] PLVTARCHVS, [f] & Ariſtocles apud EVSEBIVM. [g] Quæ Xenophaneæ metaphyſicæ valde affinia eſſe, & laudati auctores monuere, & ipſa docet inſpectio. Valde tamen de ſenſu eorum in diverſa abierunt non veteres tantum, ſed etiam recentiores, præſertim illi, qui de Parmenidea theologia ſolliciti atheiſmi culpam ei vel imputarunt, vel ab ea illum liberarunt. Prius fecere triumviri in veterum dogmatibus judicandis acerrimi ingenii PETRVS BAYLE, [h] IOH. FRANC. BVDDEVS, [i] & NICOL. HIERONYMVS GVNDLINGIVS, [k] quibus acceſſit Ven. WOLFIVS. [l] Hi Spinozæ eum impietati præluſiſſe putant, cum Xenophane una omnium rerum ſubſtantiam ſtatuiſſe contendentes. Intercedit vero hic pro Parmenide altera pars, quæ rectius ſenſiſſe illum diſputat, & Pythagorea ſecutum Parminidem monens, unum illud ſenſu metaphyſico & theologico de uno rerum omnium fonte, cauſaque ſuprema, ex qua omnia eſſentiam ortumque acceperint, a qua dependeant, & per quam veram eſſentiam habeant, cum reliqua nonentia, id eſt, res ſemper mutabiles & alterationi atque mutationi in momenta ſubjectæ ſint, intelligenda eſſe aſſerit, quam Parmenidei ſyſtematis explicationem primus PLATO in *Parmenide* dedit, ſecuti vero eum ſunt magno conſenſu Platonici Alexandrini, & ex his PLOTINVS, [m] PROCLVS, [n] SIMPLICIVS, [o] recen-

d) Phyſic. l. I. c. 2. 3. T. I. p. 253. ſeqq.
e) l. c. c. XI. p. 86.
f) De plac. philoſ. l. I. c. 24. & adv. Coloten. l. c.
g) l. c. *h) l. c.*
i) Anal. hiſt. phil. p. 323. theſ. de atheiſmo c. I. §. 19. p. 60.
k) Gundlingian. P. XV. diſſ. I. p. 372. ſeq.
l) Ad l. c. philoſophum.
m) Enn. V. l. I. c. 8. p. 490.
n) Introd. in theol. Platon. l. I. c. 7. p. 15. ſeqq.
o) l. ſupra cit. Addi poteſt SYRIANVS *Comm. in Phyſ. Ariſt. fol. 31.*

recentiori vero ætate poſt IVSTVM LIPSIVM,[p] & PETRVM GASSENDVM,[q] AVCTOR *artis cogitandi*,[r] IO. REN. VALLINVS,[s] MICH. MOVRGVES,[t] & imprimis, qui multus eſt eruditeque in Parmenide purgando verſatur, RAD. CVDWORTHVS.[u] Non negamus, ancipitem eſſe controverſiam, cum non utramque tantum explicationem metaphyſica Parmenidis admittat, ſed præceptores quoque, quos audivit, utramque ſvadeant, & Pythagorei poſteriorem, Xenophanes priorem interpretationem exhibeant. Quæ ratio permovit doctiſſimum IAC. FRIDER. REIMMANNVM,[x] ut maluerit ἐπέχειν, quam vel pro excuſando vel contra accuſandum Parmenidem aliquid dicere. Eandem nos quoque olim viam cautius inceſſuri elegimus.[y] Eruditiſſimus vero MOSHEMIVS,[z] veriſimili ratione de Parmenidis mente ſtatui poſſe ratus, hanc ei ſententiam tribuit, per unum illud intelligendum eſſe, totam rerum, quas videmus, molem ſeu univerſitatem rerum naturæve, ſed a formis omnibus & qualitatibus ratione & cogitatione abſtractam. Huic quæ adſcribantur attributa a Parmenide, ea non omnia cadere in Deum, Deum enim, teſte CICERONE,[a] vocare, *Stephanen*, *id eſt coronam*, *continentem ardore lucis orbem*, *qui cingit cœlum*. Hunc ignem eſſe, quem non rerum tantum eſſe principium, ſed & demiurgum LAERTIVS[b] Parmenidi tribuit. Hæc cum de Deo in phyſica ſtatuerit, in metaphyſica hæc non potuiſſe ad univerſum transferre, cum Deus ejus in extremo mundi orbe ſit, in quo ignis ille mundanus reſideat, isque πεπερασμένος dici nequeat. Vnum igitur & omne Parmenidis totam rerum naturam eſſe, at in ſe, nec oculis, ſed ratione ac ingenio ſpectatam. Mentem itaque philoſophi hanc eſſe: Tametſi variæ contingerent rerum mutationes, converſiones, generationes & corruptiones, philoſophi tamen eſſe, altius ſpectare, atque ipſam rerum naturam, a tot ejus formis modisque meditando ſecernere. Id ſi fiat, apertum fore, omnem univerſitatem eſſe unam, id eſt, continua ſerie inter ſe connexam & aptam, quamvis multæ res viderentur ſeparatim & per ſe conſiſtere; eandem eſſe æternam nec a quoquam genitam: præterea immutabilem, id eſt, nullam ejus partem naturam ſuam amittere poſſe, licet omnes varie transferantur, & modo hanc, modo aliam ingrediantur naturam, denique immobilem, id eſt, omnes, qui contingant in rerum natura, motus haud impedire, quo minus ipſa tamen moles in univerſum conſiderata ſtabilis & inconcuſſa maneat. Non ſine magna veriſimilitudinis ſpecie hæc dici, & propius reliquis Parmenidei unius & univerſi explicationibus ad ſcopum collineare, fatebitur quilibet, qui hypotheſeos præ-

p) *Manud. ad philoſ. Stoic. l. II. diſſ. IV. p. 134.*
q) *Opp. T. I. p. 206.*
r) *P. III. c. 19. p. 246.*
s) Ad *Boëth. de conſol. philoſ. p. 72.*
t) *Plan. theol du Pythagoreiſme p. 16.*
u) *Syſt. int. c. IV. §. 21. p. 462. ſeqq.*
x) *Hiſt. atheiſmi Sect. I. c. XXX. §. 3. p. 205. 206.*
y) Ita enim intelligenda ſunt, quæ *pec. epiſtola de atheiſmo Parmenidis* diſſeruimus, inſerta *Bibl. Germanique T. XXII. p. 90. ſeq.* ubi non, abſolvendum eſſe Parmenidem, ſed retinendum aſſenſum, cum & tolerabiliorem explicationem admittat, probare contendimus. Quod non ſatis expreſſit doctiſſimus Interpres Gallus, reliqua eleganter & perſpicue enarrans.
z) *Ad l. c.* CVDWORTHI *p. 468.*
a) *De nat Deor. l. I. c. 11.*
b) *Lib. IX. ſ. 22.*

præjudicio impeditus haud eſt. Pythagoreum enim & Platonicum ſenſum minori ei probabilitate tribui, vel inde conſtat, quod unum univerſum hoc non finitum tantum, ſed & σφαιροειδὴ dixit, quod, ita explicare, ut Deus dicatur πέρας καὶ μέτρον τῶν πάντων, quod vult CVDWORTHVS, quodque abſolutæ perfectionis ſit, frigidum prorſus eſſe & a Parmenidis mente alienum, recte monuit Ven. WOLFIVS. [c] Cumque Parmenides, ut ſupra obſervatum, prius Pythagoreos audiverit, & poſt eos demum Xenophanem, probabilius eſt, poſterioris mentem expreſſiſſe, vel cum illorum ſyſtemate copulaviſſe & in concordiam redegiſſe. Certe Platonem adulteraſſe Parmenidis doctrinam, veteres, uti ſupra dictum, dudum obſervarunt. In eo tamen, pace viri ſummi, ab hac ejus doctrinæ Parmenideæ explicatione recedendum eſſe putamus, quod Deum ab hac unius & univerſi notione removendum eſſe putat. Obſtare his videtur, non τὸ παντὸς tantum notio, quæ Deum quoque complectitur, in univerſo comprehenſum, licet ille pars tantum ejus ſit: ſed & affectiones uni univerſo tributæ, quæ locum ſine Deo habere nequeunt. Nec obſtat, univerſum dixiſſe finitum, id enim ratione tantum termini, non vero virtutis intelligendum eſſe, ex conceptu Dei Parmenideo intelligitur, nec aliter Xenophanes quoque ſtatuit, quem tamen in univerſo Deum comprehendiſſe, ipſe vir doctiſſimus ſtatuit. Nobis itaque admiſſa egregia obſervatione, Parmenides metaphyſicam & abſtractam univerſi ideam ſibi finxiſſe, illique attributa iſta tribuiſſe; eodem fere modo, quo Xenophanis unum explicuimus, intelligendus eſſe videtur, hoc tamen diſcrimine, ut, cum Xenophanes unum univerſum vi tantum quadam divina animatum admiſerit, Parmenides Pythagoreis ſententiis innutritus Deum tanquam formam informantem, ignem nempe mundanum per univerſum diffuſum, aſt in extremo univerſi orbe ſpeciali ratione reſidentem, indeque per omnia permeantem ſtatuerit: qua ratione Deus quidem corona eſt, metaphorico dicendi genere, ut ſolent poëtæ, adumbratus, ardore lucis orbem continens, principium tamen univerſi demiurgicum conſtituit; abſtractione vero mentali conſiderato univerſo, unum idemque cum eo eſt, iisdemque attributis gaudet; quæ a Pythagoreo ſyſtemate non niſi in eo abludunt, quod hoc monadem tantum cauſaliter & efficienter, Parmenides vero ſubjective & inhæſive (liceat pauliſper perſpicuitatis cauſa ϛαρϛαρίζειν) explicet.

Phyſica Parmenidis.

§. X. Hactenus metaphyſice & in rationis tantum præciſione univerſi naturam conſideraverat Parmenides, hæcque certiſſimis rationibus conſtare exiſtimabat: ut vero earum quoque, quæ ſenſibus exponuntur, rerum naturalium, earumque mutationum cauſam probabilem redderet, phyſicam quoque partem rationibus inſtruxit. Quam licet ob materiæ perpetuum, quem a veteribus aſſertum ipſe quoque admiſerat, fluxum & mutabilitatem eadem, qua metaphyſica, certitudine non niti crederet, principiis tamen partim Ionicis, partim Pythagoreis uſus, ita de rerum naturalium principiis, gene-

c) *Ad l. c.* ORIG.

generatione & alteratione differuit, ut non ineptum nobis ſyſtema efformaret, quod recentiori ætate Bernardinum Teleſium recoxiſſe, ad hæc tempora delati ſuo loco prolixius exponemus. Ita vero ratiocinatus eſt, ſi veteres audias, Parmenides:

VII. Elementa ſive principia rerum calidum ſunt & frigidum: & hæc ignis atque terra ſunt, quorum ille cauſa efficiens eſt, hæc materialis. Ita docuiſſe Parmenidem, ut rerum ſenſibus patentium cauſas exponeret, LAERTIVS, [d] PSEVDO-ORIGENES, [e] PLVTARCHVS [f] aliique veterum teſtantur, idque qua ratione intelligendum ſit, ex adductis in antecedentibus facile cognoſci poteſt. Tantumque hæc elementa ineſſe omnibus dixit, ut in ſole quoque calidum & frigidum reperiri aſſereret. [g] Hæc vero ad principia phyſica, non ad metaphyſica referenda eſſe, ex ſupra dictis probe obſervandum eſt, videturque Parmenides Pythagoreos quidem eſſe ſecutus, poſthabito tamen diſcrimine inter ignem naturæ & elementarem. Illum vero univerſi orbem cingere, ex adducto Ciceronis loco eum ſtatuiſſe conſtat, id quod ab antiquiſſimis philoſophis, ut alia quoque, accepit. Ceterum præter ignem & terram, quæ principiorum inſtar poſuit Parmenides, amorem quoque & litem ſi non inter principia, inter affectiones tamen eorum retuliſſe, verſus ejus ab ARISTOTELE, [h] SEXTO EMPIRICO [i] & STOBAEO [k] ſervatus innuit, quo in dogmate neceſſitatem, id eſt intrinſecam τῆ χάϱς diſpoſitionem præſuppoſuiſſe cum Heſiodo Parmenidem, PLATO [l] affirmat. Ex quibus conſtat, Parmenidem in explicanda rerum naturalium γενέσει theologorum Græcorum ſyſtema valde ſecutum fuiſſe, & in eo mixturam particularum ita poſuiſſe, ut igne intus latente limum illum humidum, quem terram dixit, commovente, calidoque innato partes humidas fermento quaſi inficiente, partes heterogeneæ ſepararentur, coirent homogeneæ, & iſtius neceſſitatis commotione & formatione elementa, exque horum inter ſe conjunctione & mixtura res omnes orirentur. Ex his vero ſequitur, quod initio monuimus, univerſi conſtitutionem a materialium rerum conformatione eſſe diſtinguendam.

VIII. Luna ejusdem cum ſole ſplendoris eſt, ab hoc tamen mutuam lucem accipit. [m]

IX. Terra rotunda eſt, & in medio poſita. Primum hoc aſſeruiſſe Parmenidem, LAERTIVS [n] auctor eſt.

X. Terra undique æqualiter diſtat, æquilibrioque ſuſpenſa, ut cauſam non habeat, cur huc potius, quam illuc vergat: & licet concutiatur, loco tamen commoveri non poteſt. [o]

XI. Homines primi ex limo geniti ſunt, mediante calido & frigido,

d) *Lib. IX. ſ. 22.* *e*) *l. c.*
f) *l. c adv. Colot.*
g) LAERTIVS *l. c.*
h) *Metaphyſ. l. I. c. 4.*
i) *Adv mathemat l. IX. ſ. 9.*
k) *Eclog. phyſic. c. 12.*
l) In *convivio.*
m) STOBAEVS *l. c. c. 24.*
n) LAERT. *l. IX. ſ. 23.*
o) PLVT. *de plac. phil. l. III. c. 15.* qui primum terræ loca habitata diſcreviſſe duabus ſub circulis ſolſtitialibus jacentibus zonis ait.

quo conſtant, ut omnia. Apud LAERTIVM [p] eſt ἥλιος ex ſole, quod commodum ſenſum non patitur, niſi dicas, ignem illum ſolis cauſam fuiſſe & effectricem & materialem hominis anima præditi, cum ſol quoque calido & frigido conſtet, quod tamen noſtro judicio verbis Laërtii non facit ſatis. Recte itaque ALDOBRANDINVS & MENAGIVS præferunt lectionem Cod. Baſileenſis, qui ἐξ ἰλύος habet, quod etiam cum ſyſtemate Parmenidis phyſico concordat, quod ex chao, ſive limo igne agitato omnia prodiiſſe ſtatuit.

XII. Mundus olim interiturus eſt. Modum non addit, qui hæc refert PSEVDO-ORIGENES, [q] conjiciendum tamen, Parmenidem nec a Pythagoræ nec a Xenophanis ſyſtemate abiiſſe, & ignis conflagratione periodica innumeras mundorum viciſſitudines aſſeruiſſe. Vniverſum enim non corrumpi ex ſupra dictis notum eſt.

XIII. Pars animi principalis in pectore reſidet. [r]

Dialectica Parmenidis.

Pauca hæc ſunt, quæ ex phyſicis Parmenidis placitis nobis ſervavit antiquitas. Dialecticæ non ignarum fuiſſe ex eo probare contendit SEXTVS EMPIRICVS, [s] quod Ariſtoteles ejus diſcipulum Zenonem, ejus artis auctorem faciat, quod tamen miſere concluditur. Nec ex Platonis Parmenide, quod vult FABRICIVS, [t] argumentum ſumi poteſt, cum ille dialogiſmus nunquam inter Parmenidem & Socratem habitus, ſed a Platone confictus ſit. Quod vero SARISBERIENSIS [u] habet: *Parmenidem Ægyptium in rupe vitam egiſſe, ut rationes logicas inveniret*, ſine teſte fide digno dicitur. Probabilius diceretur, artis dialecticæ myſteria Parmenidi non ignota fuiſſe, ſi verum eſſet, quod Phavorinus ait apud LAERTIVM, [x] argumento eum uſum, quod Achillem vocat, Zenoni ab aliis adſcriptum: verum in hoc quoque certius argumentum deſideramus, nec videtur Parmenides ultra naturales ratiocinandi regulas vel mathematicos canones de dialecticis fuiſſe curioſus.

Platonis doctrina Parmenidea.

§. XI. Conſcripſit, quod jam innuimus, PLATO dialogum metaphyſicum, quem a collocutore præcipuo *Parmenidem* inſcripſit: inque eo veram Parmenideæ hypotheſeos de uno ſummo & unitatibus in eo ſitis atque fundatis ſe explicuiſſe videri voluit. Nihil vero agit aliud, quam ut, eleganter ſummam complectente FICINO, [y] doceat, *quemadmodum ipſum unum rerum omnium principium ſit, ſuper omnia, omniaque ex illo, per illud, atque ad illud, quoque pacto id ipſum extra omnia ſit, & in omnibus.* Ad cujus cognitionem metaphyſicam ut gradatim aſcendat, a ſenſibilibus ad intelligibilia, ſive unitates & ab his ad ſummam monada, in qua, tanquam radice, reliquæ omnes hærent, aſcendit. Prolixe itaque de ideis hic diſputat, &, quæ a Pythagoreis de numeris acceperat, iis aptat. Ex quibus, ſi cum iſtis conferantur, quæ in antecedentibus diximus, patet, multum abeſſe hanc Platonis doctrinam a genuino ſyſtemate Pythagoreo. Cum itaque

p) *ſ. 22.* q) *l. c.*
r) PLVT. *l. c. l. IV. c. 5.*
s) *Adv. mathem. l. VII. ſ. 6.*
t) *Ad l. c.* SEXTI.
u) *Metalog. l. II. c. 2.* x) *ſ. 23.*
y) In *argum. ad hunc dialogum p. m. 42.* ſummam quoque dedit STANLEIVS *P. X. p. 877.* quem perſpicuitatis cauſa ſequimur.

que ſupra de Platonis hac de re mente ſatis actum ſit, aliud non afferimus, niſi quod ſpuriam hanc Parmenideam philoſophiam paucis adumbramus, licet totus dialogus, anfractuoſa diſputatione obſcurus, legendus ei ſit, qui nugas Platonicas accurate intelligere cupit. Potiora hæc ſunt.

I. Omnia unum ſunt & multa; unum eſt idea originalis, multa vero ſingularia.

II. Dantur ideæ, hoc eſt certæ quædam communes naturæ, quæ includunt ſingularia, & eorum cauſæ ſunt, a quibus naturam & nomen ſortiuntur. Multa vero exiſtentiam habent, prout ex uno participaverint in ſpeciebus iſtis.

III. Singularia neque ſubſiſtere, neque intelligi poſſunt, niſi in iſta ſpecierum communitate. Vnum itaque ſpecies eſt, aliud individua in uno comprehenſa.

IV. Ideæ iſtæ gemina ratione ſubſiſtunt in mente noſtra ut notiones, & in rerum natura ut cauſæ.

V. In rerum natura ideæ exiſtentes virtutem habent, tam exiſtentiam, quam nomen largiendi.

VI. Omnia entia ad hanc ideæ unitatem reducuntur, ſuntque adeo res inviſibiles.

VII. Idea duplex eſt, αὐτὸ τὸ καλὸν ὅ ἔστι καὶ τὸ ἀγαθὸν, pulchrum quod idem eſt ac bonum, & omnes res quas concipimus, tanquam ideas. Prius Deus eſt, alterum ſunt ſpecies rerum in ordine naturæ.

VIII. In ideis illis ſecundis unum eſt aliquod, quod eſt fundamentum omnium ſingularium & individuorum.

IX. Vna eademque ſpecies in pluribus individuis diviſim exſiſtentibus, penitus eſt, neque a ſe ipſa diſtincta, ſed in ſe ipſa tota una.

X. Multa, id eſt ſingularia, ita ex ideis ſuis participant, ut indiviſibiles maneant ideæ, & eſſentiam in ſe ipſis habeant, nec meræ relationes ſint.

XI. Etſi notiones mentis noſtræ ideas rerum referunt, & æternas naturæ formas exprimunt, non tamen ſunt entia realia, ſed tantum ſimilitudines & imagines entium; communicatio tamen ab ideis cum notionibus mentis derivatur.

XII. Primariæ ideæ archetypæ proprietates ſunt, ut non ſit multiplex, neque partibus & figura veſtita, ſed infinita; ut motu deſtituatur omni; ut ſit æterna; ut potentiam & facultatem exſiſtendi omnibus conferat, ipſa vero omnem excellat eſſentiam, ut per omnes res diffundatur, & multiplicitatem unitatis limitibus circumſcribat.

XIII. Idearum ſecundariarum proprietates ſunt, ut ſint unum, ſed finitum; ut in mente quidem divina exiſtant, in ſingularibus tamen conſpiciantur, e. g. humanitas in homine, ut ſint eædem & diverſæ, eædem in ſe ipſis, diverſæ in ſingularibus, ideoque quieſcant & moveantur; ut principiis contrariis agant, ita tamen ut contraria hæc uno ſimilitudinis vinculo

conjungantur, unde tertium quoddam exſiſtat: ut in tempore agant, quicquid agant, ſemper tamen permaneant.

Ex quibus parca manu, ne tædium difficilibus nugis lectori creemus, datis patet, Platonem metaphyſicam Parmenideam valde corrupiſſe, quæque is de una rerum omnium natura dixit, ad ideas ſuas formasque rerum, & cauſas retuliſſe, indeque ſeriem entium per ſe talium ex prima monade, Deo, derivaſſe. Diſputatum eſt noſtra ætate, cum monadum doctrina a magno LEIBNITIO revocaretur, num Parmenideam ea philoſophiam exhibeat, quod GODOFR. WALTHERVS [z] erudito commentario demonſtrare aggreſſus eſt. Etſi vero id non invito philoſopho hoc ſummo fieri, ipſa ejus confeſſio [a] probat, rectius tamen ab ejusmodi comparationibus abſtinendum eſſe putamus, quæ plerumque ſyſtemata magis adulterant, quam illuſtrant.

Meliſſus. §. XII. Parmenideam doctrinam ſecutus eſt MELISSVS Samius Ithaginis filius, [b] Parmenidis diſcipulus, qui vero, teſte LAERTIO, [c] cum Heraclito quoque eo tempore verſatus eſt, quo Epheſii de eo ab illo commendato nihil inaudiverant. Ex quibus circa Olymp. LXXXIV, ut habet Apollodorus quoque, floruiſſe colligitur. Fuit in republica quoque adminiſtranda magni nominis, tantæque inter cives auctoritatis, ut claſſi præficeretur, qua, referente PLVTARCHO, [d] Athenienſes navali pugna vicit. Scripſiſſe librum *de ente & natura* auctor eſt Alexander Aphrodiſienſis apud BESSARIONEM, [e] qui vero intercidit. Doctrinam prorſus ſecutus eſt Eleaticam, teſtibus enim veteribus ſtatuit:

I. Principium rerum omnium unum eſſe, & immobile. [f]

II. Vnum hoc omnia eſſe.

III. Vnum hoc ens eſſe infinitum, factum enim non eſſe, adeoque principium & finem non habere, non dari vero infinita plura, quam unum. [g]

IV. Infinitum hoc ens univerſum eſſe, & immutabile, atque immobile, & unum, ſibi ipſi ſimile & plenum. Vacuum enim non dari, adeoque neque motum in univerſo, ſed tantum videri eſſe. [h]

V. Res non generari atque corrumpi, verum ita tantum nobis videri. [i]

VI.

z) In *ſepulchris Eleaticis reſeratis c. III. §. 6. p. 17. ſeqq.* qui ita Parmenideam doctrinam ordinat: I. Exiſtentia differt ab eſſentia rerum. II. Eſſentia rerum exiſtentium extra illas eſt. III. Sunt quædam res ſimiles, quædam diſſimiles. IV. Quæ ſimiles ſunt, eodem eſſentiæ conceptu comprehenduntur. V. Omnes res referuntur ad certas claſſes & ideas. VI. Omnes ideæ in uno exiſtunt, in Deo, hinc omnia unum ſunt. VII. Scientia non eſt notitia ſingularium ſed ſpecierum. VIII. Differt illa a rebus exiſtentibus. IX. Cum hæ ideæ in Deo ſint, ideo latent hominem X. Hinc homini incomprehenſibi ia ſunt omnia. XI. Notiones mentis idearum umbræ ſunt & imagines. Valde tamen timemus, ut hæc omnia Platonis mentem exprimant, multo minus Parmenidis. Verum in tam obſcuro argumento & tractatione facile licet diſſidere.

a) Suas enim monadas eſſe τὰ ὄντως ὄντα, *ſubſtantias ſimplices, Deum, animas & mentes ſimulacra univerſitatis* ait in ep. ad HANSCHII tr. *de enthuſ. Platonico.*

b) LAERT. *l. IX. ſ. 24.* conf. MENAG. *ad h. l.*

c) *ibid.*

d) *Adverſus Coloten T. III. p. 434.*

e) *Contra calumniat. Platon. l. II. c. 11.* conf. FABRIC. *Bibl. Græc. vol. I. p. 778.*

f) ARISTOT. *phyſic. l. I. c. 1.*

g) *ibid.* LAERT. *l. IX. ſ. 24.* & MENAG. *ad h. l.* qui plura veterum loci laudat.

h) ARISTOT. *phyſic. l. IV. c. 8.*

i) PLATO in *Theæt.* SEXT. EMPIR. *Pyrrhon. hyp.*

VI. De Diis nihil definiendum esse, neque enim illorum certam dari cognitionem. [k]

Nihil in his est, quod non Parmenideam metaphysicam sapiat, & ibi explicatum sit. Ex quo sequitur, hæc non ad physicam philosophiæ Eleaticæ partem referenda esse, in qua sine dubio Parmenidem quoque secutus est. Nec obstant, quæ Melisso tribuunt PALAEPHATVS [l] atque SVIDAS, [m] dixisse: ea, quæ nata non sunt, originem non habere: [n] Aperte enim hæc distinguunt inter universi rationem æternam, & ea quæ nascuntur atque intereunt, quorum illud ad metaphysicam, hoc ad physicam Eleaticam pertinet. Ex his vero de atheismo Melisso imputato judicandum est, qui cum Parmenide eadem causa statque caditque. Prius BVDDEVS, [o] posterius AVCTOR *artis cogitandi* [p] & REIMMANNVS [q] tuentur. Quæ enim de Diis dixit, esse incertum, an sint? id ad physicam partem pertinet, in qua cum omnia igne & terra constare dixerit, necessario Deos gentilium subvertit. Vniverso autem Deum formaliter inesse, metaphysica Eleatica asserebat: quod an atheismum involvat, nec ne, facile judicari potest. [r]

§. XIII. ZENO, a patria Eleates dictus, quo cognomine ab aliis Zenonibus, philosophiæ studio claris, de quibus hactenus dictum est, præcipue a Cittieo, Stoicæ familiæ parente, distinguitur, patrem naturalem habuit Teleutagoram, Parmenides vero, quem audivit, eum tantopere dilexit, ut filium adoptaret, [s] quo nomine tamen male apud quosdam audiit, quod incesto amore ab eo diligeretur. PLATO [t] proceræ staturæ fuisse, & elegantis ait. Non vero philosophia tantum, sed etiam republica gerenda valde inclaruit, scriptisque eruditissimis magnam sibi famam peperit. Nulla vero re magis nominis celebritatem sibi conciliavit, quam magno & imperterrito, quem inter supremos cruciatus, ostendit animo. Rem varie narrant veteres: VALERIVS MAXIMVS, [u] *patriam*, ait, *egressum, Agrigentum, miserabili servitute obrutum petiisse, tanta fiducia ingenii ac morum suorum fretum, ut speraverit, & tyranno & Phalaridi vesanæ mentis feritatem a se eripi posse. Postquam deinde apud illum plus consuetudinem dominationis, quam consilii salubritatem valere animadvertisset, nobilissimos ejus civitatis adolescentes inflammavisse cupiditate liberandæ patriæ. Cujus rei indicium cum ad tyrannum manasset, convocato in forum* *Zeno Eleates.*

hyp. l. III. c. 7. f. 65. SIMPLIC. *ad* ARISTOT. *phys. l. I. c. 3.* LAERT. *l. c.* & MENAG. *ad h. l.* ARIST. *de cœlo l. III. c. 1.*

k) LAERT. *l. c.*

l) *De incredib. p. 8.* ed. GALEI.

m) In γενητικὴ *T. I. p. 473.*

n) Apud Palæphatum est: ἐν ἀρχῇ ἔσιν, ἃ ἐγένετο, νῦν ἔσιν, quæ rectum sensum non fundere, vidit VOSSIVS *ad h. l.* sed perperam emendavit. Voculam enim, οὐκ ante ἐγένετο, deesse ex Suida patet, qui ita exprimit: τὸ μὴ γενόμενον οὐκ ἔχειν ἀρχήν. Ita enim cum Eleaticis Peripatetici quoque statuerunt, mundum nunquam natum, sed æternum fuisse, licet diverso sensu. Ex horum vero familia Palæphatum fuisse THEON & TZETZES asserunt.

o) *Thes. de atheismo c. I. §. 19. p. 61.*

p) *P. III. c. 19. p. m. 362.*

q) *Histor. atheismi l. c. p. 207.*

r) Conf. MOSHEM. *ad* CVDWORTH. *p. 472.*

s) LAERT. *l. IX. f. 25.* SVID. *in* Zeno *T. II. p. 8.*

t) In *Parmenide.* Eleaticum Palamedem vocat.

u) *Lib. III. c. 3.*

forum populo, torquere eum vario cruciatus genere cœpisse, subinde quærentem, quosnam consilii participes haberet: at illum eorum neminem nominavisse. sed proximum quemque ac fidissimum tyranno indicavisse, & suspectum reddidisse, increpitantemque Agrigentinis ignaviam & timiditatem effecisse, ut subito mentis impulsu concitati Phalarim lapidibus prosternerent. Alii [x] aliter rem referunt, Satyrus enim contra Nearchum, vel ut alii volunt, Diomedontem tyrannum conspiravisse, tyrannique aurem mordicitus tenendo non dimisisse, cum ei quædam manifestare se velle simulasset, donec vulneribus confectus concideret, ait. Id quod de naso morsu ablato refert Demetrius; Antisthenes nominato tyranno, post omnes ejus amicos, civitatis peste, linguam morsu abscissam in os ejus exspuisse, sicque ad opprimendum lapidibus tyrannum cives excitavisse; Hermippus vero in mortario contusum fuisse tradit. Ex quibus liquet, valde incertas esse totius historiæ circumstantias, ut in ejusmodi narrationibus solet, valde variantes. Et Valerium quidem Maximum & TERTVLLIANVM [y] audiendos non esse, quorum ille Phalarim, hic Dionysium tyrannum nominat, ætas utriusque evincit. Etsi enim incerta Phalaridis ætas est, certum tamen mortem ejus ante Olymp. LVII, ut vult BENTLEIVS, & post Olymp. LXIX. 1. quod contendit DODWELLVS, non accidisse: Zeno autem teste LAERTIO [z], circa Olymp. LXXIX floruit. Dionysius vero neuter tam mature regnavit, cum utrumque vivum attigerit Plato. Hermippus vero & AMMIANVS MARCELLINVS [a] Zenonem Stoicum & Anaxarchum cum Eleate confundunt. Valerius sine ratione duos Zenones Eleates comminiscitur, quorum unus a Phalaride Agrigenti, alter Eleæ a Nearcho eqvuleo subjectus sit. De ipsa tamen rei veritate, cum consentiant veteres, dubitandum haud est, circumstantias conjecturis veras assequi impossibile. Generosum vero contemptum eorum fovit, qui opibus & dignitate eminerent, quæ causa fuit, cur parvam Eleam fastui & splendori Athenarum præferret, quas ut peteret, nunquam adduci potuit, sed plerumque in patria vixit.[b] Refert etiam LAERTIVS [c] conviciis impetitum vehementius excanduisse; cumque causam interrogaretur, respondisse: *Si maledicta æquo animo admittam, neque laudatus gaudio perfundar.* Ex scriptis, quæ adducit SVIDAS, [d] nihil ad nos pervenit: de Empedoclis vero dogmatibus & rebus, quod ille tradit, scripsisse, falsum esse ex temporum rationibus evincitur.

Philosophia Zenonis Eleatæ.

§. XIV. Philosophiam parte rationali, id est, dialectica auxisse Zenonem Eleatem, post ARISTOTELEM, [e] DIOGENES LAERTIVS, [f] SEXTVS EMPIRICVS [g] & SVIDAS [h] testantur, quos recentiores plerique [i] sequuntur. Obser-

x) LAERT. *l. IX. s. 26.* Alios nominant MENAG. *ad h. l.* & P. BAYLE *Dict. T. IV.* art. *Zeno T. IV. p. 536. not. C.*
y) *In apologet. circa fin.* z) *l. c.*
a) *Lib. XIV. c. 9.*
b) LAERT. *l. IX. s. 28.* c) *s. 29.* d) *l. c.*
e) Apud LAERT. *IX. s. 27.*
f) *l. I. s. 18. l. VIII. s. 57.*
g) *Adv. math. l. VII. s. 7.* h) *l. c.*
i) PETR. RAMVS *schol. dial. l. I. c. 3.* G. I. VOSSIVS *de nat. & const. log. c. VIII. §. 2.* P. GASSEND. *de orig. & var. logic. c. 1.* WALCHIVS *hist. log. l. I. c. 2. §. 4. p. 499. seqq.* reliquique fere historiæ logicæ auctores.

Obſervatque GASSENDVS,[k] tres partes logicæ Zenonianæ fuiſſe, conſequutionum, dialogorum, & contentionum, priorem recte ratiocinandi regulas, quas PROCLVS enumerat, exhibuiſſe, alteram colloquiorum apte inſtituendorum artem tradidiſſe, dialogos enim primum ſcripſiſſe Zenonem ex vulgi rumore refert LAERTIVS,[l] tertiam eriſticam fuiſſe, cujus tamen auctorem conſtituit LAERTIVS Protagoram. Duæ tamen hic occurrunt difficultates, removendæ. Vna circa vocem, dialectica & eriſtica verſatur, quæ eo, quo hic ſumitur, ſenſu de Euclide demum & Megaricis reliquis adhibita eſt, ut ſupra ex LAERTIO[ll] obſervatum: altera ea eſt, quod non tantum ex opinione diſputaſſe Parmenides, ſed inventor quoque argumenti Achillei fuiſſe dicatur, ut in antecedentibus monuimus. Tolli tamen utraque poteſt, ſi teneamus, vocem quidem dialectices juniorem fuiſſe Zenone, rem vero, eo vivente in lucem quaſi prodiiſſe. Euclidem enim Eleaticis ſcriptis inſudaſſe ſuo loco demonſtravimus.[m] Parmenidem vero de logica arte curioſum fuiſſe, veteres tacent, artis tamen ratiocinandi præcepta calluiſſe naturalia & mathematica in præcedentibus diximus. Imprimis vero Eleaticorum duplicem, quem afferebant judicandi modum ex ratione & opinione occaſionem dediſſe, veriſimile eſt ad contentioſam diſputandi rationem deſcendendi. Cum enim metaphyſica Eleatica ſenſibus tantopere adverſaretur, non potuit non ea magnis argumentorum phalangibus oppugnari, quæ ut eluderent, cum abſurdam hypotheſin veris non poſſent, falſis ratiociniis tuiti ſunt, unde oblata Zenoni anſa de regulis circa hanc rem cogitandi. Certe Eleaticas doctrinas hoc argumentorum genere eum defendiſſe veteres non negant.[n]

An auctor dialectica?

§. XV. Metaphyſica & phyſica dogmata, ſi principia ſpectes & fundamenta, eodem, quo anteceſſores in Eleatica ſchola, modo inſtruxit, in quibusdam, ut ſolet, mutavit. Doctrinam vero ejus metaphyſicam ita exponit ARISTOTELES:[o]

Metaphyſica Zenonis.

I. Impoſſibile eſt, ut, ſi aliquid ſit, id genitum ſit, vel fiat; cum enim, quicquid gignitur, vel ex ſimilibus, vel ex diſſimilibus gignatur, neutrum fieri poteſt; in illis enim, omnia eundem ad ſe invicem reſpectum habent; in his nihil ex non ente, vel minore vel deteriore, ens, majus vel melius oriri poteſt.

II. Ergo unum tantum ens eſt, & hoc Deus eſt.

III. Ens hoc excellentiſſimum eſt, adeoque æternum, & unum tantum.

IV. Vnus itaque Deus eſt, isque gubernat omnia, gubernari enim haut poteſt, quia eſſet alio inferior, nec poſſet facere, quæ vellet.

V. Cum unus ſit, omni quoque parte ſimilis ſibi eſt, videndo pariter & audiendo, & reliquorum ſenſuum quovis. VI.

k) l. c. c. 2. l) l. III. ſ. 47. ll) l. IX. ſ. 22.

m) Vidit hoc CICERO *Acad. Q q. l. IV. c. 42.* Euclidem & Megaricos ex Eleaticis multum profeciſſe.

n) PLVTARCH. *in Pericle T. III. p. m. 278.* PLATO in *Phædro*, Timon apud LAERTIVM *l. IX. ſ. 25.* conf. BAYLE *l. c. not. A.* PARCKER *de Deo diſp. VI. ſect. 2. p. 492.* GASSENDVS *de Logica c. 2.*

o) De Xenophane, Zenone, Gorgia, c. 3. T. I. p. 942.

VI. Cum omni parte ſimilis ſit, rotundum eſſe oportet, neque enim parte una hanc, aliam parte altera figuram præ ſe ferre poteſt.

VII. Quia æternus eſt, & unus, & rotundus, neque finitus eſt, neque infinitus. Vnum enim neque enti, neque non-enti ſimile eſt.

VIII. Cum tale unum ſit Deus, neque moveri poteſt, neque immobilis eſt, illud enim rebus multis convenit, hoc non-enti.

IX. Neque locus eſt, neque motus. [p]

Series hæc eſt ratiociniorum Zenonis, ſi Ariſtotelem, & vulgarem libri ejus inſcriptionem [q] ſequamur, cujus quoque fide, non ſatis hac in re firma ſtandum eſt. Neque tamen ea quoque difficultate carent. Primum enim nodos hic nectit SENECA, [r] qui *Zenonem* ait, *nimia ſubtilitate omnia negotia de negotio dejicientem dicere, nihil eſſe. Huic igitur ſi credendum, ne unum quidem eſſe. Quid ergo*, ita infert, *nos ſumus? quid iſta, quæ nos circumſtant, alunt, ſuſtinent? tota rerum natura umbra eſt, aut inanis, aut fallax.* Summum hunc ſcepticiſmi gradum eſſe, nemo non videt, ſed hæc uni quoque metaphyſico, quod adſtruxit Zeno, refragari, apertum eſt, unde Zenoni tribuere vix audent IVSTVS, LIPSIVS [s] & P. BAYLE: [t] qui tamen adducto ARISTOTELIS loco a FONSECA luculenter explicato non ſine veriſimilitudine putat, Zenonem iſta aſſertione tantum in diſputationibus dialecticis uſum fuiſſe, & ita, argumento ad hominem illato, ad abſurdum eos deducere voluiſſe, qui cum Platone unitatem abſtractam, vel punctum, ens eſſe dicerent. Alterum quod obſcuriſſimam reddit Zenonis metaphyſicam, eſt, quod incertum ſit, quo ſenſu unum acceperit Zeno, utrum metaphyſico, vel logico, vel phyſico? Bælius enim, quique ejus partes ſequuntur, [u] unam ſubſtantiam Spinoſiſticam ab eo tradi, clariſſimum eſſe pronuntiant, & in eodem cum Xenophane & Parmenide luto hæſiſſe putant. CVDWORTHVS [x] vero, unum Xenophanis, Parmenidis & Meliſſi, cum uno Zenonis convenire, mundumque non eſſe corporeum, ſed divinum ſtatuit, cujus partes ſequitur cl. REIMMANNVS. [y] Et ſane, ſi dicendum, quod res ſit, impoſſibile fere de vera Zenonis mente ſtatuere: qui Deum quidem aſſeruit, qualem vero ei vim vocabulo ſubjecerit, nuſquam explicuit, adeoque, & Spinoziſtico & orthodoxo ſenſu explicari poteſt. Recte itaque non minus quam modeſte feciſſe nobis cenſetur ven. MOSHEMIVS, [z] qui de ejus diſciplina pronuntiandum eſſe illud TERENTII monet:

Incerta

p) Conf. IDEM. *Phyſ. l. VI. c. 9.*

q) Dubiam eam fecit κριτικώτατος FABRICIVS *ad* SEXT. EMPIR. *Pyrrhon. hypotyp. l. I. ſ. 225. not. M.* uſus tum auctoritate Codicis Lipſienſis, tum ratiociniis, ut evinceret e. l. non de Xenophane, ſed de Zenone *c. 3.* non de Zenone, ſed de Xenophane agere. Nondum tamen deſerenda nobis communis lectio videtur. Vni enim Codici Lipſienſi omnes alii recte opponuntur. Nec, quæ Sextus affert Xenophanis dogmata, tam affinia ſunt iis, quæ *c. 3.* afferuntur, ut non potius iis quæ *c. 1.* diſſeruntur conveniant. *c. 2.* etiam diſerte Zeno Xenophani, de quo diſputatur, opponitur. Nec Xenophanes dixit, Deum eſſe nec ens, nec non-ens, ſed ens unum, quod *c. 1.* traditur. Alia mittimus. *r) Epiſt. 58.*

s) Manud. ad philoſ. Stoic. l. II. diſſ. 4. p. 136.

t) l. c. not. B.

u) BVDDEVS *theſ. de atheiſmo c. I. §. 19. p. 62.*

x) Syſt. intell. c. IV. §. 21. p. 473.

y) Hiſt. atheiſmi c. XXX. §. 5. p. 208.

z) Ad l. c. CVDWORTH.

Incerta hæc, ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.

Ita enim recte rationes judicandi de ſyſtemate Zenoniano iniri, patet vel ex eo, quod a communibus reliquorum philoſophorum notionibus diſceſſit, nimiaque abſtractionum metaphyſicarum ſubtilitate, uni ſuo omnes entis & non-entis affectiones & prædicata denegavit, adeoque neque mobile, neque immobile, neque finitum, neque infinitum eſſe dixit, id eſt, ex entium vel non-entium claſſe non eſſe affirmavit, ſed metaphyſicum quid ſibi concepit; cum nihil ens eſſe diceret, quod non aliquam haberet magnitudinem. Hunc metaphyſicum conceptum cum non explicuerit, quis, quæſo, has diſpellet tenebras? Quia tamen operoſis contra motum pugnavit argumentis, quæ copioſe explicuit BAYLE, [a] ſuſpicio non injuſta eſt, a metaphyſica Eleatica eum non receſſiſſe, nugis tamen & tricis dialecticis rem in ſe obſcuram magis obſcuraſſe & reddidiſſe implicitam. Talia enim ratiocinia ſunt, quibus motum impugnavit. [b]

X. Plures mundi ſunt. [c] Eleaticum hoc eſt, ab anteceſſoribus relictum Zenoni.

XI. Vacuum datur nullum. [d] Neceſſario κύριον δόγμα phyſicorum ante Ariſtotelem, Zenoni quoque placuit, qui motum locumque negavit, & ad utramque extenſionem requiſivit. Hinc enim innumeras oriri difficultates ea ſatis probant, quæ noſtra ætate inter Carteſianos & Gaſſendi ſequaces, itemque inter illos & Neutoni atque hujus & Leibnizii aſſeclas de hac re diſputata ſunt. [e]

XII. Natura omnis conſiſtit in calido & humido, ex frigido & arido, quæ inter ſe commutantur.

XIII. Homo ex terra factus eſt, animaque ejus ex quatuor iſtorum temperamento extitit, nullo eorum prædominante. [f]

Leucippus Eleaticam philoſophiam immutat.

§. XVI. Hactenus metaphyſica quadam ratione de univerſo diſputavit Eleatica ſecta; phyſica ſecundum opinionem expoſuit, & a ſectis arbitrariis illuſtravit principiis. Aliter vero rem inſtituit LEVCIPPVS, quem Eleatem quidam faciunt, Abderitanum alii; ſunt etiam qui Melium dicant. [g] Is vero, etſi Zenonis erat diſcipulus, & Meliſſi forte quoque, [h] eandem tamen, quam præceptor tenuit, de rebus naturalibus diſſerendi viam non tenuit, novumque in hac ſecta excogitavit ſyſtema phyſicum. [i] Scripſit *opus phyſicum*, hodie deperditum, unde, quæ de eo referunt, hauſere ſcriptores veteres. Liber etiam *de mente* ei tribuitur & ſcripta alia, [k] quæ plerique diſcipulo ejus Democrito, qui Leucippeam phyſicam perfecit & abſolvit, adſcribunt.

a) *l. c. not. E.*
b) ARISTOT. *Phyſ. l. VI. c. 9.*
c) LAERT. *l. IX. ſ. 29.* d) *ibid.*
e) Inde enata occaſio, quod Leibnizius nihil novi oriri, vel interire prorſus quicquam diceret, Leibniziana cum Eleaticis comparandi cl. DES MAIZEAVX *Ep. ad Conteum T. II. recueil de prec. etr. p. 372.*
f) LAERT. *l. c.*
g) LAERT. *l. IX. ſ. 30.*
h) TZETZ. *Chil. v. 980.*
i) PSEVDO-ORIGENES *philoſophum. c. XII. p. 88.*
k) Conf. FABRIC. *Bibl. Græc. V. I. p. 778.*

Rationes derelictæ metaphyſicæ Eleaticæ.

§. XVII. Rationes vero cur, & quomodo Eleaticam metaphyſicam dereliquerit Leucippus, novumque ſyſtema ſecutus ſit, quod naturali magis modo, quique ſenſibus etiam ſatisfaceret, inſtrueretur, comparatis ſcholæ Eleaticæ circumſtantiis facile detegi poſſunt. I. Scilicet ex antecedentibus repetendum eſt, metaphyſicis argumentis atque abſtractionibus maxime ſenſus offendiſſe Eleaticos priores, & de univerſo ita ſtatuiſſe, ut non poſſent non ſenſuum labefactari teſtimonia, nutareque, quæ ad explicanda rerum ſenſibilium φαινόμενα afferebant, principia. Quibus medicina adhibita, quæ ſaluti eſſe debebat, fuit exitio. Senſuum enim cum fidem accuſarent, & a veritatis certæ cognitione removerent, ſola opinione illis relicta, actum erat, ſi verum fatendum, de tota phyſica, quæ nullius naturalis effectus cauſam & rationem afferre poterat, quæ non contraria ratione convelleretur, vel metaphyſico etiam argumento aliquo everteretur. Id quod viris, ſerio & ſecundum naturam philoſophari cupientibus neceſſario diſplicuit.

II. Fuiſſe inter hos Leucippum & Democritum, judicii, quo pollebant, acies facile ſuadet. Qui cum ſolida magis deſiderarent, & objectionibus phyſicorum premi ſyſtema Eleaticum cernerent, fruſtra ad præceptorum induſtriam confugiebant. Nihil enim illi reponebant, niſi inanes ſtrophas & ſubtilitates dialecticas, quibus irretitur quidem, non vero eruditur, animus: id quod imprimis Zenonem, Leucippi præceptorem feciſſe, in antecedentibus probavimus. Eæ vero homines hos, naturæ arcanorum noſcendorum avidiſſimos, non ſatiabant, unde anſa enata eſt de mutando agitandi ſyſtemate Eleatico, ut magis naturæ & ſenſibus reſponderet.

III. Neque tamen, cum Eleatica diſplicerent, ad alias ſectas recurrere licebat, aliudque naturæ ſyſtema ſequi. Ionici enim in illis terrarum partibus minus innotuerant, & ipſa quoque eorum phyſiologia nimis ſapiebat metaphyſicam,[l] Pythagorei vero, qui magna ſui fiducia de rebus naturalibus differebant, eodem fere, quo Eleatici, hærebant luto, & myſteria naturæ non retegebant, ſed novis abſcondebant, &, quod recte in iis culpat non nemo,[m] ad rationes etiam abſtractas & immutabiles, veluti numeros & proportiones confugiebant, quibus natura rerum non recluditur. Propius itaque ad veneranda naturæ limina accedere auſi, relictis numeris, proportionibus, harmoniis, ideis, qualitatibus & formis elementaribus, quæque alia fuere aſyla ignorantiæ, ad quæ phyſici hactenus confugerant, ipſa adiere corpora, eorumque conditiones & naturam phyſicam & mechanicam examinantes, motum, figuram, partium ſitum, tenuitatem & ſimilia: ex his cujusque virtutes æſtimarunt, actiones definierunt, effecta explicarunt, ſicque inter rationem & ſenſus, ejectam hactenus per Eleaticos, revocarunt concordiam.

IV. Huic, quem ſibi fixerant, fini obtinendo nihil magis favere videbatur, quam philoſophandi methodus per atomos, id eſt per particulas materiæ

l) Certe ita illud adplicuerat, qui Ionica didicerat, Parmenides.

m) BVRNET. *archæol. philoſ. l. I. c. XII. p. 433.*

teriæ minimas & indiviſibiles. Quam a Phœnicibus eorumque philoſopho Mocho, vel Moſcho a Poſidonio derivari falſo & ſine probabili ratione, contra CVDWORTHVM[n] *libro primo* demonſtravimus. Notum tamen ex hactenus fuſe allatis, fuiſſe ante Leucippum & Democritum philoſophos complures, qui in particulas minimas materiam dividerent. Ea enim ratione non Anaxagoras tantum particulas ſimilares introduxit, ſed Empedocles quoque, Ecphantus, Hippo, Heraclitus, aliique minima tanquam πρώτως ὄντα in materia conſiderarunt. Nec a veriſimilitudine abludit, Leucippum virum acrem occaſionem inde arripuiſſe, de ſyſtemate atomiſtico cogitandi. Facile tamen, ut peracuto utebatur judicio, difficultates pervidebat, quibus premebantur, qui ejusmodi particulas minimas in materia ponebant, quas ex ARISTOTELE[o] paſſim diſcimus. Cum enim particulas iſtas qualitatibus induiſſent omnes, motum vero & conjunctionem a principio externo derivaſſent, ſua iſtis affectionibus, quibus particulas veſtiebant, vineta cædere, & ſyſtemata propria evertere videbantur, adeoque totam per particulas philoſophandi methodum immutantes ἁπλῶς magis & naturæ convenienter de iis philoſophari cœpere. Quæ ſi recte teneantur, facile diſſenſus veterum & recentiorum tolli poterit, utrum ſyſtema atomiſticum Leucippi inventum fuerit, nec ne? Ante eum enim in particulas diviſiſſe phyſicos materiam, negari nequit, ſyſtema vero atomiſticum, quod particulas omnibus qualitatibus, præter figuram & motum, privat, fruſtra ante Leucippum quæras.[p]

V. Ea vero ipſa ratio, quæ ab Eleatico ſyſtemate Leucippum & Democritum alienabat, deſerere quoque eos coëgit veteres, particularum qualitatibus inſtructarum architectos. Hæ enim formæ & qualitates non niſi mentis præciſione & abſtractione cognoſci poterant, & ſi hos audias, in ſolo etiam philoſophorum ingenio extabant: ipſis vero conſtitutum erat, nihil admittere, quod non ipſam rerum naturam, ſenſusque teſtes haberet. Cum vero imprimis obſervaſſent, nugatos fuiſſe Eleaticos de cauſa motus univerſi differentes, alios vero philoſophos Eleaticis non meliores, cauſam aliquam vel externam, vel internam metaphyſicam motus auctorem poſuiſſe, quam tamen nec ſenſibus aſſequi poſſe, nec ad naturam rerum explicandam neceſſario requiri exiſtimabant, omne illud methaphyſicorum principiorum genus rejecerunt, & ſecundum ſenſus & mechanicam corporum diſpoſitiones ratiocinari inſtituentes, particulis indiviſibilibus motus principium internum tribuerunt, cujus ope & particularum ſitu, figura & varia combinatione rerum omnium generationes demonſtrarent. Ex quibus luculenter, niſi prorſus cœcutimus, conſtare putamus, cur Leucippus & Democritus, quique horum veſtigiis inſtitit Epicurus, in rerum naturalium perveſtigatione Deum omiſerint. Eos enim ideo potiſſimum & directo ſcopo id feciſſe, ut Deum e rerum natura tollerent, aperti ejus ho-

n) Syſtem. intell. c. I. §. 6. ſeq. p. 9. ſeqq. ad quem vero doctiſſimi Interpretis animadverſiones obſervandæ.

o) Vid. libri *phyſici* & *metaphyſici de generatione etc.*

p) Conf. MOSHEM. *l. c. p. 23. not. 1.*

ſtes & mechaniſmi atheiſtici patroni, CVDWORTHO aſſerenti [q] vix fidem habeas. Veriſimilius eſt, habuiſſe eos Deum pro cauſa metaphyſica, quam in phyſicis conſiderandam non eſſe credebant, ſive, plane ens rationis Deum eſſe crediderint, ſive eum tantum ex phyſica in metaphyſicam quaſi relegaverint, de quo, cum ſcripta ipſorum non extent, fruſtra diſputari credimus, ideoque etiam de atheiſmo Leucippi & Democriti nihil certi & ſolidi dici poſſe exiſtimamus.

VI. Licet vero a Xenophanis, Parmenidis, Meliſſi & Zenonis ſyſtemate valde diſcedebant Leucippus & Democritus, callide tamen ita argumentorum ſuorum aciem inſtruebant, ut ab Eleatico ſyſtemate non nimis receſſiſſe viderentur. Vnum enim & ipſi ens ponebant, nempe atomos, vacuo, quod Eleatici priores abjecerant, inter non-entia numerato. Hos atomos figura, ſitu, ordine differre ſtatuebant, ſed eſſe tamen has ſolas modificationes materiæ aſſerebant. Cumque ex innumera figuræ, loci, ſitus, & conjunctionis variatione rerum omnium faciem derivarent, facile iis erat, Eleaticorum de ſenſuum opinione & incertitudine ſententiam novis roborare ratiociniis, id quod magna oſtentatione feciſſe Democritum, poſtea oſtendemus.

VII. Vt vero nihil ſemel incipitur & perficitur, ita atomiſticum quoque ſyſtema non ſimul & ſemel in juſtum habitum formamque effictum eſt, ſed Leucippus initia formavit, Democritus auxit: qui cum difficultates omnes non ſuſtuliſſet, immutavit id aliquantum Epicurus, & concinniorem naturæ diſpoſitionem juxta atomiſticam doctrinam excogitavit. Cavendum itaque eſt, quod multis accidit, ne Democriti & Epicuri philoſophiam naturalem inter ſe confundamus, ex hac illam illuſtrare agreſſi.

Diſcrimen inter ſyſtema atomiſticum Leucippi & Epicuri.

Differre enim inter ſe utramque, collatis φιλοσοφεμένοις utriusque, luculenter diſpaleſcit. Leucippus enim & Democritus 1. ex atomorum inter ſe omnium concurſu omnia oriri poſſe credebant; Epicurus quasdam atomos ita ab aliis diverſas eſſe exiſtimabat, ut nunquam concurſu jungi poſſent. 2. Illi atomis motum directe tribuerunt deſcendentem, Epicurus leviter quoque declinantem. 3. Illi gravitatem inter ſe differentem atomis abjudicabant, hic tribuebat. Immo Leucippus quoque & Democritus vitam quandam ineſſe particulis individuis, ſi veteres quosdam audias, concedebant, quam præter innatum movendi conatum omnem iis denegabat Epicurus. [r] Quod diſcrimen ſine dubio cauſa fuit, cur non tantum Leucippi nunquam mentionem fecerit in ſcriptis ſuis Epicurus, [s] ſed cur etiam ſyſtema ſuum atomiſticum ipſum inveniſſe, videri voluerit, quia ſcilicet putabat, ſua a Democriteis valde differre.

VIII. Non omittendum vero & hoc eſt, in conſideratione hujus phyſiologiæ generali, incertitudinem per omnem veteris philoſophiæ hiſtoriam

q) l. c. *r)* Conf. SCIPIO AQVILIAN. *de plac. phyſic. ante Ariſtot. c. XIV. p. 62.*

s) Ita intelligenda ſunt verba LAERTII *l. X. ſ. 13.* ἐδὲ Λεύκιππόν τινα γεγενῆσθαι φιλόσοφον, non vero, quod GASSENDVS *vit. Epic. c. I. p. m. 131.* & BAYLE *Dict. T. III.* art. *Leucippe p. 99.* putant, negaſſe Epicurum, quod Leucippus philoſophus unquam extiterit. De præceptoribus enim Epicuri loquitur Laërtius, conf. FABRIC. *l. c.*

ſtoriam late regnantem in hac quoque parte deprehendi. Dudum enim periere ſcripta non Leucippi tantum, ſed Democriti quoque, polygraphi, adeoque ex certis & indubitatis fontibus de eorum decretis naturalibus judicari non poteſt. Ex aliarum itaque ſectarum affeclis percipienda ſunt de eorum opinionibus teſtimonia. Verum & horum pars major intercidit, nec quæ Theophraſtus, Callimachus & Thraſyllus ſcripſere, ad horum virorum hiſtoriam pertinentia ſuperſunt: [t] quique ad nos pervenere, ſuſpecti ſunt, vel fidei malæ vel negligentiæ. Prius enim de Ariſtotele, Leucippi & Democriti placita paſſim enarrante, obſervandum eſſe, ſupra jam in ejus vita dictum eſt, poſterius Laërtio objicit BVRNETIVS, [u] qui ab *eo parum philoſopho quædam perturbate recenſeri, & ita enarrari* queritur, *ut neque conſiſtere, neque cohærere videantur, niſi laxe admodum ſingula exponamus.* Ex recentioribus, præter PETRVM BORELLVM, cujus libri, quantum ſcimus, *de vita & philoſophia Democriti* promiſſi, lucem non viderunt, IOH. CHRYSOSTOMVS MAGNENVS, in *Democrito reviviſcente*, ſive commentario *de vita & philoſophia Democriti*, [x] ejus principiis novum ſyſtema phyſicum inædificavit, multa vero ex ſuo, quædam etiam ex Peripatetica ſchola adjecit. Laudant etiam NICOLAI HILLII *philoſophiam Epicuri, cum Democritea & Theophraſtea collatam* MORHOFIVS [y] & FABRICIVS, [z] quam non vidimus. SCIPIO AQVILIANVS [a] quoque prolixe Leucippi & Democriti placita expoſuit, non vero obſcure tantum & ſatis confuſe, ut ſolet, ſed & ſolis Ariſtotelis teſtimoniis nixus: unde ſolus ſequendus non eſt. Nec Epicurea quoque phyſiologia, ejusque interpres egregius PETRVS GASSENDVS aliter, quam diligenter obſervato diſcrimine Leucippei & Epicurei ſyſtematis, in partes vocandus eſt.

§. XVIII. Phyſicam ſuam, quomodo ratiociniis inſtruxerit Leucippus, ex Democriti omnium optime philoſophia videri poteſt, qui eam illuſtravit & perfecit. Dabimus tamen doctrinæ ejus ſummam, qualem nobis exhibuit LAERTIVS, [b] ut incunabula philoſophiæ atomiſticæ pernoſcamus. Ita vero Leucippus tradidit: *Phyſica Leucippea.*

I. Vniverſum eſſe infinitum. [c]

II. Hujus partem plenam eſſe, partem inanem.

III. Partem plenam eſſe infinitis corpuſculis ſive atomis, quæ infinita præſtent rerum principia & elementa in vacuo infinito.

IV. Ex his corpuſculis in hoc inane incidentibus & ſibi invicem implicatis naſci omnia.

V. Sic autem fieri mundos infinitos, [d] ex his elementis oriundos & in ea reſolvendos: ex infinito per abſciſſionem multa corpora, omnigenæ figuræ

t) Vid. IONSIVS *de Scr. Hiſt. phil. l. I. c. 14. p. 73.* *u*) *l. c. p. 434.*
x) *Hag. Comit. 1658. 12.*
y) *Polyhiſt. T. II. p. 183.* *z*) *l. c. p. 763.*
a) *l. c. c. VIII. ad XVII. p. 31. ſeqq.*
b) *l. IX. ſ. 30. ſeqq.* quem ſecutus eſt PSEVDO-ORIGENES *philoſophum. c. XII. p. 88. ſeqq.*
c) Exorſus eſt Leucippus phyſiologiam ſuam principio in Eleatica ſchola hactenus recepto, ſed diverſiſſimo ſenſu.
d) THEODORIT. *therapeut. Serm. IV.* MENAG. *ad* LAERT. *l. IX. ſ. 31.*

figuræ in magnum vacuum ferri, eaque in unum coacta, vorticem aliquem efficere.[e]

VI. Iſtis vertiginibus corpuſcula hæc offendere ſe invicem, ac circumvolvi modis omnibus, atque ita diſcerni, ut ſeorſim ſimilia, quæ ſunt ſui ſimilia, petant.

VII. Cum vero pondere ſint æqualia, neque ob multitudinem circulari motu ferri poſſint, exilia quidem ad exterius vacuum contendere, velut diſſultantia, cetera conſiſtere, & innexa atque in ſe implicata invicem concurrere, atque primam concretionem quandam efficere rotundam.[f]

IIX. Hanc autem velut membranam exiſtere, continentem in ſe omnigena corpora, quæ dum ſecundum medii reluctationem circumvolvuntur, tenuem per gyrum membranulam fieri,[g] juxta vorticis tractum, contiguis corporibus ſemper confluentibus, atque ita fieri terram, dum juncta manent, quæ ad medium ferebantur.

IX. Ipſum rurſus exteriorem ambitum membranæ inſtar augeri, juxta externorum influentiam corporum, &, cum vertigine fertur, quæcunque attigerit, ea retinere.

X. Ex his quædam complicata concretionem facere, primo quidem humidam & luteam, exſiccata vero motu ſuo, quo cum toto circumaguntur, deinde accenſa & ignita, ſiderum efficere naturam.

XI. Eſſe ſolis circulum extimum, lunæ terræ proximum, ceteris in medio horum poſitis.

XII. Sidera omnia ob celeritatem motus igneſcere, ſolem vero inflammari a ſideribus, lunam paululum ex ſole ignis ſibi uſurpare.

XIII. Solem & lunam deficere, quod terra ad meridiem vergat, quæ vero ad ſeptentrionem ſunt, nivibus conſpergantur, pruinis algeant, in glaciemque concreſcant.[h] Solem quidem raro deficere, lunam vero ſæpe, quod ſint impares eorum circuli.

XIV. Vt generationem, ita & incrementa mundi & diminutiones, & corruptiones ex quadam neceſſitate procedere. Qualis vero neceſſitas ea ſit, Leucippus quidem non explicuit.[i] Ita pro uno metaphyſico infinita elementa phyſica, ſed qualitatibus nudata poſuit, vacuumque hactenus in ſcholis phyſicorum a Thaletis ætate non admiſſum, ex exilio quaſi revocavit. Qua in re utrum naturæ convenienter egerit, nec ne, neque veteres, neque recentiores inter ſe concordarunt. Inter illos enim plerique, etiam poſt Democritum vacuum, vel proſcripſerunt, vel extra mundum ablegarunt:[k] inter hos vero, reducto, quod extorre veluti delituerat, vacuo, a Galilæo, Toricellio, Gaſſendo, Newtono, magna ea de re Carteſii & Leibnizii

e) Præluſit itaque Leucippus Carteſio, ut recte notatum HVETIO *Cenſ. philoſ. Carteſ. c. VIII.* & P. BAYLE *Dict. T. III.* art. *Leucippe p. 99.*

f) Lucem dat CICERO *de N. D. l. I.* qui alia levia, alia aſpera, rotunda alia, partim angulata, curvata quædam & quaſi adunca poſuiſſe Leucippum ait.

g) PLVT. *de plac. philoſ. l. II. c. 7.*

h) *ibid. l. III. c. 12.*

i) LAERT. & PSEVDO-ORIGENES *ll. cc.*

k) Ita Pythagorei & Stoici, ſecundum quos mundus in vacuo infinito extramundano reſpirat. Vacuum vero ii admittere non potuerunt, qui animam mundi aſſeruerunt.

nizii ſectatoribus mota illis eſt controverſia, de qua ad noſtra tempora delati pluribus differemus.

§. XIX. Sequacem Leucippus habuit Democritum, inter maxima antiquitatis ingenia numerandum, de cujus vita & philoſophia ſcriptores in præcedentibus nominavimus. [l] Patriam non habuit Miletum, ut quidam voluerunt, [ll] ſed Abderam, Thraciæ oppidum, [m] non fama minus Demócriti, quam ſimplicitate civium celebre, quæ in proverbium abiit. [n] Patrem alii Hegeſiſtratum vocant, alii Athenocritum, quidam Damaſippum, [o] trium filiorum parentem, inter quos Democritus natu fuit minimus. [p] Genus ei fuit nobiliſſimum, & illuſtribus majoribus ſatum. Tempus nativitatis varie definiunt ſcriptores veteres. Thraſyllus enim Olymp. LXXVII. 3. anno uno Socrate majorem natum eſſe dicit, [q] Apollodorus autem in chronicis Olymp. LXXX. 1. ponit, [r] quocum conveniunt, quæ ipſe Democritus alicubi tradidit, XL annis Anaxagora ſe eſſe juniorem, ſi illum natum eſſe Olymp. LXX. 1. ponamus. AELIANVS [s] vero aperte fallit atque fallitur, qui Alexandri M. ætate vixiſſe, & conqueſtoris hujus de uno mundo ſubigendo inquietudinem riſiſſe narrat, cum tamen infiniti mundi ſint. Recte enim notatum GELLIO, [t] Socratem Democrito & Hippocrate natu poſteriorem fuiſſe, ſed temporibus quibusdam iisdem vixiſſe. Sic enim, ſi Alexandrum attigiſſet Democritus, poſt Socratem vixiſſet Olymp. XCVI. interemtum. Cumque per integrum fere ſeculum Democritus vitam duxerit, mirandum non eſt, ad varia eum tempora referri. [u] Hoc vero certum ex dictis eſt, vixiſſe eum cum Anaxagora & Archelao, & Socratem quoque vivendo attigiſſe: [x] quo tempore etiam Parmenides & Zeno atque Protagoras vixerunt. Belli enim Peloponneſiaci tempore maxime eum floruiſſe, CCC poſt urbem conditam annis, ait PLINIVS, [y] CCCXXIII, GELLIVS, [z] EVSEBIVS [a] Olymp. LXX. Divitiis cenſeri potuiſſe Democritum, VALERIVS MAXIMVS [b] teſtatur, quæ tantæ fuerint, ut pater ejus Xerxis exercitui epulum dare ex facili potuerit: quod referentis fidei relinquendum eſt. Nam Abderitas Xerxem in Aſiam redeuntem convivio excepiſſe HERODOTVS [c] ſcribit, quæ forte occaſionem dedere, incredibile illud, ſi numerum militum in Xerxis exercitu cogitamus, epulum comminiſcendi, quod majori veriſimilitudine fugiente, quam adventante, Xerxe inſtitutum fuiſſe credi poteſt. [d] Reliquiſſe

Democritus.

l) Addi poſſunt PAGAN. GAVDENTIVS, qui librum ſuum *de doctrina Democriti* laudat *de philoſ. Rom. c. 29.* IO. BAPT. CAPPONI *paradoxon philoſ. Democriticæ*, ut peculiares quasdam diſſertationes aliis narratas taceamus. Add. BAYLE *Dict. T. II. p. 269. ſeqq.*

ll) LAERT. *l. IX. ſ. 34.*

m) *ib.* POMP. MELA. *l. II. c. 2.* SOLIN. *c. 10.*

n) CICERO *ad Attic. l. IV. ep. 16.* IVVEN. *Sat. IX. v. 49.* MARTIAL. *l. IX ep. 25.* Conf. BAYLE *Dict. T. I.* art. *Abdere, p. 13.* qui multa docte cumulat.

o) LAERT. *l. c.* SVIDAS in *Democr. T. I. p. 542.*

p) *ibid.* AELIAN. *l. IV. c. 20.*

q) LAERT. *l. c.* *r)* *ib. ſ. 41.*

s) *l. c.* *t)* *Lib. XVII. c. 21.*

u) Conf. BAYLE *l. c. not. D*

x) LAERT. *l. c.* *y)* *Lib. XXX. c. 1.* *z)* *l. c.*

a) In *chronicis.* DIOD. SICVLVS Ol. XCIV. 1. ætatis anno XC. expiraſſe ſcribit *Bibl. l. XIV. c. 11.* quibus incidit annus nativitatis in Olymp. LXXI. 2.

b) *Lib. VIII. c. 7.* *c)* *Lib. VIII.*

d) Ideo hanc quoque fabulam rejicit BAYLE *l. c. not. A. p. 269.*

quiſſe vero Democriti parenti Xerxem apud eum hoſpitantem Magos quosdam & Chaldæos, gratitudinis ſtudio, auctore Herodoto refert LAERTIVS,[e] qui addit, puerum adhuc aſtronomiæ & theologiæ myſteriis ab iis fuiſſe imbutum. Poſt parentis obitum, deſtinatum itineris ad barbaros conſilium executurus, hereditatis portionem eam, quæ parata pecunia conſtaret, elegit, fundis villisque fratribus relictis. [f] Teſtaturque Demetrius centum talenta ipſius partem exceſſiſſe. Non audiendus itaque eſt VALERIVS MAXIMVS, [g] qui patrimonium, parva ſumma retenta, patriæ donaſſe ſcribit, nec HORATIVS [h] & CICERO [i] aliique [k] admittendi, qui patrimonium neglexiſſe, agrosque deſeruiſſe incultos tradunt. Aliud enim diuturnum & longinquum iter, non ſine magnis ſumtibus ſuſcipiendum poſtulat, facileque evincitur, ex una Anaxagoræ hiſtoria, duas ejusdem commatis eſſe confictas. Iſto itaque inſtructus argento, more ſeculi ſui, quod ſapientiam a barbaris petendam eſſe ſibi perſvaſerat, & philoſophorum ſine dubio Perſarum inſtigatione incitatus, ad barbaros iter inſtituit, & quod, Demetrio & Antiſthene auctoribus laudatis, LAERTIVS [l] narrat, in Ægyptum ad ſacerdotes profectus eſt, geometriæ diſcendæ cauſa. Ab his ad Æthiopum Gymnoſophiſtas divertit, & ex Africa in Aſiam ſolvens, in Perſiam ad Magos abiit, ſuntque, qui in India quoque cum Gymnoſophiſtis fuiſſe converſatum aſſerunt.[m] De quo itinere ita cum loquentem allegat CLEMENS ALEXANDRINVS:[n] *Inter omnes meæ ætatis homines plurimas peragravi terras, maximeque remota inveſtigavi, plurimasque ſive aëris, ſive terræ obſervavi varietates, doctiſſimos vero homines audivi, neque in componendis ad demonſtrandum lineis quisquam adhuc me ſuperavit, ne inter ipſos quidem Ægyptios illi, qui Arpedonaptæ audiunt.* Adjicit his STANLEIVS:[o] cum Ægyptiis, ut ipſe affirmat, annos vixiſſe LXXX, id quod omnem ſuperat veriſimilitudinem, etiamſi centenario majorem ponamus obiiſſe Democritum. Valde vero detorſit Stanlejus Clementis verba, quæ aliud non volunt, quam cum omnibus iſtis populis ad octogeſimum usque annum peregrinando fuiſſe converſatum.[p] In Ægypto enim quinque tantum annos commoratum fuiſſe veterum alii tradunt. [q] Vehementer vero veremur, ne mendum apud Clementem, quem excerpſit EVSEBIVS,[r] in numero ſit: cum enim poſt parentis demum obitum peregrinatus ſit, ad vitæ usque finem in itineribus hæſiſſet, ſi iſte numerus verus eſſet. Vnde ſuſpicio nobis enata eſt, vel numerum corruptum, vel locum ex ſuppoſititio aliquo Democriti libro, quales multi circumferebantur, hauſtum eſſe. Leucippum illum hac temporis mora quoque audiviſſe, dubio

e) *Lib. IX. f. 34.*
f) *ib. f. 35. 36.*
g) *l. c.* AELIAN. *l. c.*
h) *Ep. l. I. ep. 12. v. 12.*
Miramur, ſi Democriti pecus edit agellos,
Cultaque, dum peregre eſt, animus ſine corpore velox.
i) *De finib. l. V. c. 29.*
k) PHILO *de vita theor. p. 891.* ORIG. *contra Celſ. l. II. p. m. 86.*
l) *l. c.*
m) *Citati.* AELIAN. SVIDAS *ll. cc.*
n) *Stromat. l. I. p. 304.*
o) *P. X. p. 887.*
p) Σὺν τοῖς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἐπ' ἔτε' ογδώκοντα ἐπὶ ξένης ἐγγενήθην.
q) LAERT. AELIAN. SVIDAS *ll. cc.* DIOD. *l. I.*
r) *Præp. l. X. c. 2.*

bio caret, addunt alii Anaxagoram, quos tamen errare, & Democritum infenſum fuiſſe Anaxagoræ, ait Phavorinus: alioque teſtatur loco LAERTIVS, [s] Anaxagoram quoque erga Democritum infeſto fuiſſe animo, eo quod ad colloquium eum non admiſiſſet. Eadem incertitudine laborat, num in Græciam venerit, & Athenis, ignotus Socrati, eum noverit, nec ne, quod affirmant præter VALERIVM MAXIMVM, [t] Thraſyllus apud LAERTIVM, [u] negat Demetrius Phalereus. [x] Certius eſt, Pythagoreorum aliquem eum audiviſſe. [y] Hos enim philoſophos illum eſſe imitatum, Thraſyllus affirmat, & ipſius Pythagoræ laudando meminiſſe ait; illud & Glaucus Rheginenſis, iſtorum temporum ſcriptor aſſerit: quis vero ejus præceptor inter Italicos fuerit, incertum eſt. Duris enim Arimneſtum, Pythagoræ filium eum audiviſſe dicit, [z] Apollodorus Philolao coævum facit, quod poſterius temporum rationibus aptius reſpondet. Arimneſti enim tempora in adoleſcentiam Democriti incidunt, qua nondum ad has terras appuliſſe videtur. Ita vero diuturnis & longinquis itineribus effectum eſt, ut ingenii theſauris onuſtus, pecunia vacuus domum rediret, poſtquam eo, quem ſupra tetigimus modo, omnia explorando, doctiſſimosque homines audiendo nulli nec labori, nec ſumtibus peperciſſet. Mirum itaque non eſt, reverſum in patriam humili ſatis & abjecta ratione vitam egiſſe, cum facultates omnes peregrinando conſumſiſſet. [a] Damaſis [b] itaque frater neceſſariis laborantem humaniter ſuſcepit atque aluit. Refert hac occaſione LAERTIVS: [c] cum lex eſſet, ut ſepultura in patria negaretur ei, qui ſua omnia conſumſiſſet, Democritum quidem, id intelligentem, ut ne invidorum quorundam & ſycophantarum pateret calumniis, Antiſthene teſte, *diacoſmum* ſuum *magnum* populo prælegiſſe, (quod ſcriptorum ejus erat optimum,) ea re quingentorum talentorum munus promeruiſſe, ſtatuamque præterea ex ære. Id difficulter credi poteſt, cum tanti æris ſumma, iſtis potiſſimum temporibus, regios theſauros exhauſiſſet, in exiguo oppido non quærenda. Vnde vel tota narratio fabulis adnumeranda, [d] vel aliquod tantum munus innocentiæ & diligentiæ teſtimonium accepiſſe, ſtatuendum eſt, quod & ATHENAEVS, [e] & vetus HORATII interpres [f] aſſerunt, nulla pecuniæ ſumma indicata. Dubitatione tamen caret, eruditione ſua, præcipue rerum naturalium cognitione, apud Abderitas, craſſo licet ſub aëre natos, magnam admirationem famamque fuiſſe conſecutum. Factum id imprimis eſſe, ubi futura quædam prædixerat, ſequensque rerum eventus fidem fecerat, ait LAERTIVS. [g] Harum prædicationum duo exempla ſuppeditat PLINIVS. [h]

s) *Lib. II. f. 14. l. IX. f. 34.*
t) *Lib. VIII. c. 7.* u) *f. 36.*
x) *ib.* Hinc dijudicanda ſunt, quæ CHR. MAGNEN. in *Democrito reviv. p. 28.* hac de re habet.
y) LAERT. *l. IX. f. 38.*
z) PORPHYR. *vit. Pythag. n. 3.*
a) LAERT. *f. 39.*
b) Damaſis LAERTIO *l. c.* dicitur, Damaſtes SVIDAE *l. c.* Damaſus PLINIO *H. N. l. XVIII. c. 35.* primum recte legi putat MENAG. *ad l. c. Laërt.*
c) *f. 39.* qui tamen variare ſcriptores in hac narratione prodit.
d) Placet hoc cl. I. HENR. SCHVLZIO *hiſtor. medic. Per. I. Sect. II. c. 7. §. 50. p. 179.*
e) *Lib. IV. p. 168.*
f) Apud MENAG. *ad l. c. Laërt.*
g) *l. c.* h) *Lib. XVIII. c. 28. 35.*

Narrat enim, *Democritum prævisa olei caritate ex futuro vergeliarum ortu, magna vilitate propter spem olivæ coëmisse in toto tractu omne oleum, mirantibus, qui paupertatem & quietem doctrinarum sciebant ei imprimis cordi esse. Atqui ut apparuerit causa & ingens divitiarum cursus, restituisse mercedem anxiæ & aviæ dominorum potentiæ, contentum ita probasse, opes sibi in facili, cum vellet, fore. Fratre quoque Damaso metente ardentissimo æstu, oravisse eum, ut reliquæ segeti parceret, raperetque de secta sub tectum, paucis post horis sævo imbre vaticinatione approbata.* Idem affirmat etiam CLEMENS ALEXANDRINVS.[i] Prior tamen historia de Thalete quoque narrata capite hujus libri primo a nobis excussa fidem non merere deprehensa est, sine dubio ad comparandam astrologiæ auctoritatem atque famam excogitata: posterior infra eruditionem tanti naturæ interpretis est, cum ruricolarum mediocri pateat experientiæ. Alias rerum naturalium prædictiones narrat SVIDAS,[k] qui videndus. Ita vero non pro divino tantum haberi dignus judicatus est, vocatusque ipsa sapientia, vel quod AELIANVS [l] habet, philosophia, sed & summa rerum apud Abderitas ei commissa est, in quo tamen munere, magnis in rempublicam meritis enituisse, quod jactat MAGNENVS, [m] apud veteres non legitur. Vitæ tamen solitariæ & theoreticæ, quam practicæ amantior, mature negotiis se subtraxit, & in solitudines secessit, sepulchris etiam se abdidit, ibique, teste LVCIANO,[n] seclusus dies noctesque scriptioni vacavit: adolescentibus vero nonnullis ei illudentibus, &, ut illum terrerent, lemures simulantibus, nihil ea re motum, ne respexisse quidem, sed continuata scriptione, *desinite tandem ineptire*, dixisse: adeo illi persvasum fuisse, addit Lucianus, nihil animas esse, postquam ex istis corporibus discessissent. Adjiciunt his multi veterum, [o] Democritum, obscuritate locorum ad contemplationem naturæ necessaria delectatum, luminibus oculorum speculo encaustico sua sponte se privasse, ut animi cogitationes vegetiores & exactiores essent. Alii alias rationes, ut in ejusmodi historiis fieri solet, afferunt, ita vero rei incertitudinem cautis aperte satis produnt, qua moti multi viri docti inter fabulas Milesias hanc quoque narrationem retulerunt.[p] Nam qui rerum naturalium meditationi promovendæ hanc cœcitatem tribuunt, non cogitant, quod veteres unanimi ore Democrito adscribunt, cum plurimos scripsisse libros, tum in dissecandis animalium cadaveribus summam posuisse industriam, quorum utrumque sine oculorum acie fieri non potest. Qui vero cum TERTVLLIANO [q] hanc privati oculorum luminis causam allegant, quod mulieres sine concupiscentia adspicere non posset, non

i) *Stromat. l. VI. p. 631.*

k) *l. c. p. 542.* conf. *Act. philos. vol. II. p. 174.* BAYLE *l. c. not. K. p. 273.*

l) LAERT. AELIAN. CLEM. ALEXANDRINVS *ll. cc.*

m) *l. c. p. 5.* SVIDAS *l. c.*

n) *Philopseud. T. III. p. m. 595.* LAERT. *l. IX. s. 38.*

o) GELLIVS *l. X. c. 17.* CICERO *Tuscul. l. V. c. 39.* PLVT. *de polypragm.* TERTVLL. *apolog. c. 46.*

p) Ex veteribus id jam fecit PLVT. *l. c. T. II. p. m. 246.* ex recentioribus BAYLE *Dict. l. c. not. L. p. 273. nouv. de la rep. des lettres 1686. Ianv. p. 155.* STOLLIVS *Hist. philos. mor. gent. §. 101. p. 157.* HEVMANN. *act. philos. vol. I. p. 671.* GVNDLING. *Ot. P. III. c. 1. p. 51. seqq. Obs. Hal. T. II. obs. 15. p. 329.* NAVDE *apolog. c. 12. p. 192.*

q) *l. c.*

non recordantur ſolitariam ejus vitam, ob omni hominum conſortio remotam. Quod vero Laberius ait: [r]

Ita radiis ſolis aciem effodit luminis
Malis bene eſſe ne videret civibus,

& frigidum eſt, & a tantæ virtutis philoſopho non credendum; & non oculorum tantum, ſed & aurium privationem, poſtulaſſet. Recte itaque dubitans alio loco [s] de hac re loquitur CICERO, videturque cl. HEVMANNO [t] fabula inde enata fuiſſe, quod grandævus Democritus cœcutierit. Nobis obſcurorum locorum, quem is affectabat amor occaſionem Græcis de Abderitis, in proverbium paſſim traductis, ſplendide mentiendi, hæcque excogitandi exhibuiſſe, veriſimile eſt. Democriti enim hiſtoriam hancque ipſam cœcitatem in comœdia Laberium adulteraſſe innuit A. GELLIVS, [u] nec a vero abludit, illam locorum obſcuriſſimorum affectationem comico cuidam anſam præbuiſſe iſtam cœcitatem fingendi, ut ſcenæ elegantius inſerviret. Quæcunque autem fabulæ origo eſt, certe illa cum rerum naturalium, moralium, mathematicarum, anatomicarum ſtudio, [x] in quod tanta diligentia incubuit Democritus, conſtare nequit. Nec melioris commatis eſt, quod a multis veterum de Democrito narratur, quacunque occaſione in riſum effuſum fuiſſe, vel quod SENECA [y] tradit, nunquam ſine riſu in publico fuiſſe. Quam male enim hoc cum ſeceſſu, vitaque ſolitaria Democriti, itemque cum acerrima cui dies noctesque, ſolus fere, & ab hominum conſortio ſeparatus, inhæſit, rerum naturalium indagatione cohæreant, quilibet, antiquitatis præjudicio non impeditus intelligit. Facile tamen damus AELIANO [z] & LVCIANO [a] virum acutiſſimum, & inter ſtupidi & ſtolidi ingenii homines viventem eos inſanire dixiſſe, & amarius forte ac ridendo illis illuſiſſe, unde eum γελάσινον, *irriſorem* cives dixiſſe ille notat. Inter fabulas porro de Democrito hoc quoque numerare non dubitamus, quod cum BORRICHIO [b] patroni artis chemicæ ſomniant, Democritum ſolitudinis otia ad metalla mutanda, & parandum lapidem philoſophicum adhibuiſſe. Ficulnea enim ſunt, quibus hoc probari intendunt, argumenta. Scripſiſſe *de lapide* librum, objicitur; ſed is non de lapide philoſophorum diſſeruit, ſed *de lapidum virtute.* [c] PETRONIO enim monente: *omnium herbarum ſuccos Democritus expreſſit, & ne lapidum virgultorumque vis lateret, ætatem inter experimenta conſumſit.* Quæ vero de ejus liquore, auri potabilis architecto ſcripta quædam chemica tradunt, Democriti nomine ſuperbientia, [d] ex libris magno viro ab audaci manu ſuppoſitis ſunt,

r) GELLIVS *l. c.*
s) *De finib. l. V. c. 29.*
t) *l. c.*
u) *l. c.*
x) LAERT. *l. IX. f. 37.* SENECA *ep. 90.*
y) *De ira l. II. c. 10. de tranquill. c. 15.*
z) *V. H. l. IV. c. 20.*
a) *Vit. auct. T. III. p. 112. ſeq.* qui feſtive hanc fabulam, more ſuo, exagitat. Eandem rejiciunt MAGNENVS *l. c. p. 11.* GVNDLING. *l. c.* STOLLIVS *l. c. p. 156. Act. phil. l. c.* NAVDEVS *apol. mag. acc. p. m. 188.*
b) *De arte Chem. p. 69.*
c) Conf. FABRIC. *Bibl. Græc. vol. I. p. 766.*
d) Edita ſunt Latino ſermone *Patav. 1572.* & ſuppoſititios eſſe fœtus recte judicavere CONRING. *de Hermet. medic. l. I. p. m. 29.* FABRICIVS *l. c. p. 769.* SCHVLZ. *Hiſt. medic. Per. I. ſect. II. c. 7. §. 53. ſeq. p. 180. ſeqq.* NAVDE *apologie des grands hommes accuſez de magie ch. XII. p. m. 190. ſeqq.*

quæ omnem fidem amittunt. Nulla vero applauſum magis meruit fabula, quam quæ de Democriti cum Hippocrate converſatione ab epiſtolarum magnis his duumviris tributarum conditore excogitata recentiores plerosque decepit. Rem ita habe: Cum rerum omnium negligentiſſimus eſſet Democritus, & in ſepulchris ac ſpeluncis ſolitariam vitam duceret, perpetuoque riſu ſolveretur, Abderitæ eum melancholico furore exagitari exiſtimantes, ex principibus civitatis ſuæ Ameleſagoram miſerunt ad Hippocratem, medicorum ejus ætatis principem, apud Coos degentem, cui literas tradidere ejus argumenti: Democritum mente motum inſanire, vigilantem noctu & interdiu omnia ridere, & vitam nihil eſſe putando, tranſigere: volucrum cantus explorare, de inferis & dæmonibus ſcribere, inſanaque multa tradere: cum itaque non chariſſimi tantum & celeberrimi civis, ſed in eo quoque ſalus publica periclitetur, rogare eos, ut ad ipſos veniat, malo medicinam allaturus. Ad has reſpondit Hippocrates ambitioſo exordio uſus & magnifico artis ſalutaris encomio præmiſſo, tandem venturum ſe promiſit. Itineri itaque ſe parans ad amicum Dionyſium ſcripſit, ut ei rei familiaris curam traderet; ad alium, ut navem & medicamenta compararet. Somnio quoque nocte ante profectionem veritatem ſibi vidit ab Æſculapio oblatam, cujus erat pediſſequa opinio, quam apud Abderitas ſedem fixiſſe Deus monuerat, illamque non hanc ſequendam Hippocrati ſuaſerat. Inſequenti die Abderæ appellens, omnes in portu congregatos invenit incolas triſtes & deſperantes; qui cum animos pauliſper reſumſiſſent, Hippocratem magnis acclamationibus per forum ad philoſophi domum deduxerunt. Ibi in colle alto longis ac denſis populis nigris umbroſo ſub ampla ac humillima platano ſedentem invenit Democritum, in veſte craſſa, citra humeros deſinente, ſolum, diſcalceatum, ſuper lapidea ſede, valde pallidum ac macilentum, promiſſa barba. Iuxta ipſum vero a dextra tenuis aqua decurrebat. Ipſe cum multo ornatu ſuper genibus librum habebat: ſed & alii quidem ex utraque parte adjacebant, accumulata etiam erant animalia multa, per totum reſecta. Et ipſe aliquando concitate incumbens ſcribebat, aliquando quieſcebat, ſecum meditans, deinde exſurgens deambulabat, & viſcera animalium inſpiciebat, moxque rurſus deſidebat. Hæc Hippocrati non ſine planctu oſtendentes Abderitæ, Democriti inſaniam deplorabant; verum Democritus cum id audiſſet, magnis cachinnis ridebat & explodebat, caputque frequenter concutiebat. Acceſſit Hippocrates virum propius & ſalutavit, Democritus, audito Hippocratis nomine, eum aſſidere juſſit, cauſamque adventus interrogavit, qua levius expoſita in prolixum cum eo colloquium deſcendit, in quo de riſus ejus ac ſtudiorum ratione & cauſa philoſophatus eſt, ſeque hominem ridere, dementia quidem plenum, rectis autem actionibus vacuum, in omnibus conſiliis pueriliter ac ſtulte ſe gerentem, & nullius utilitatis gratia labores nunquam abſolvendos tolerantem, dixit, idque prolixa oratione exemplis vitæ humanæ plurimis illuſtravit, objectiones Hippocratis repreſſit, ſeque recte

inſa-

insaniam hominum sanos se somniantium ridere probavit. Quæ ita mirifice ceperunt Hippocratem, ut non tantum sapientiorem se reddidisse Democritum fateretur, sed & Abderitis virum esse illum sapientissimum, qui solus potentissimus sit, homines prudentes facere, profiteretur, & insanos ac desipientes Abderitas esse judicaret: amicitiam quoque cum Democrito initam literarum continuaret commercio. Et ex hac conversatione factum esse, quidam volunt, ut Hippocrates inter Democriti discipulos referretur. Hæc summa & argumentum epistolarum illarum est, inter Hippocratis opera [e] extantium, quas non tantum repetunt THOM. STANLEIVS, [f] CHRISTIANVS THOMASIVS [g] & CHRYSOST. MAGNENVS, [h] sed & pro genuinis habent, totique narrationi fidem adjiciunt. Ad quam tamen evertendam non alio argumento opus est, quam ut cautus, & historiæ rhetorices veteris non ignarus lector ipsas epistolas attente legat, certi enim sumus, vix una perlecta manibus palpaturum, confictas eas esse a sophistis, eorumque artes ubique detegi. Quis enim ipsis Abderitis simplicior credat, tanta arte locorum descriptiones, circumstantiarum ad rem minime facientium enarrationes, affectatosque eloquentiæ flores adhibuisse Hippocratem, & oratoris hoc veteris opus esse, quæsita artis elegantia & imprimis acutorum dictorum & sententiarum philosophicarum cumulis lectoris aures demulcere, illique placere conantis, non luculentissime deprehendat? Illos enim ejusmodi fabulas ingenii artisque causa excogitasse, magnisque viris affinxisse, supra exemplis & QVINTILIANI auctoritate demonstravimus. Nec meliores sunt reliquæ fabulæ circumstantiæ. Nemo enim veterum, de tanto viro toties mentionem facientium, hoc Democriti cum Hippocrate narrat colloquium, quod minime factum esset, si vel umbram veritatis in his omnibus vidissent, vel eo, quo fingitur, tempore, epistolæ fuissent scriptæ. Adeo quoque male pleraque cohærent, fucoque etiam & specie veritatis immo verisimilitudinis quoque carent, ut manibus fabula palpari queat. Incautus quoque epistolarum architectus adeo personarum characterem, quem effingere voluit, oblitus est, ut eandem & rerum & verborum imaginem in Democriti & Hippocratis epistolis referat, eamque talem effingat, qualis Sec. II. vel III. post C. N. in rhetorum scholis solebat depingi. Tacemus Hippocratem eo tempore nondum ea fuisse celebritate, ut medicorum princeps haberetur. Quibus rationibus facile addi possent plures a magnis & exacti judicii viris SCALIGERO, [i] MENAGIO, [k] BAYLIO, [l] CLERICO, [m] HEVMANNO [n] allatæ, nisi hæ ad ejiciendam ex Democriti historia fabulam sufficerent. Neque tamen occasionem captasse epistolarum architectum ex Democriti historia negamus. Non enim caret similitudine veri, Democritum civium suorum stultitiam exagitantem, & vanitatem Græciæ delirantis ridentem, solitudinem

e) T. II. p. 901. seq. ed. Lind.
f) P. X. p. 889. seqq.
g) Hist. sapient. & stult. T. II. p. 1. seqq.
h) l. c. p. 24.
i) Epist. CCCVI.
k) Ad l. c. LAERT. *l) l. c.*
m) Hist. medic. P. I. l. III. c. 31. p. 458.
n) Act. erudit. 1713. p. 458. Act. philos. l. c.

dinem etiam quærentem, & in iis artibus ac disciplinis senescentem, quas non capiebant Abderitæ, crassis his ingeniis ex arte nimia insanire visum esse. Cumque Hippocrates Democritum conveniendi occasionem habuisse, ejusque de naturali scientia merita cognovisse, sicque Abderitarum de eo judicium improbavisse, ex LAERTII [o] atque AELIANI [p] testimoniis constet, probabile est, inde primum fabellam ad exagitandam Abderitarum simplicitatem excogitatam, sicque traditione auctam comtiusque ornatam tandem ab oratore aliquo hoc vestitu in scenam fuisse productam, rumuscu-lo vetusto in artificiosam historiam commutato. Id enim in veterum philosophorum historia sæpius evenisse pluribus hactenus exemplis probavimus: & ipsa Democriti vita testis est, hujusmodi fabularum plena. Inter quas merito numeramus etiam magiæ, quod objectum ei est crimen, quod libros aliquos magicos, apud veteres ei suppositos [q] peperit, qui PLINIVM [r] seduxere, ut inter auctores magicos eum referret, graviter ideo reprehensum a GELLIO, [s] *quod multa vana atque intoleranda auribus quasi a Democrito scripta tradiderit.* Orta vero sine dubio criminis hujus suspicio partim ex Abderitarum simplicitate, rerum naturalium cognitionem pro magica eruditione habentium, partim ex disciplina, qua institutus est in juventute, Magorum. Quæ enim ex VITRVVIO [f] afferuntur, Democritum in commentario, quod inscribitur χειροκμήτων [ff] usum fuisse annulo signantem cera molli, quæ effet expertus, ad magiæ portenta pertinuisse PLINIO [t] nimis in his credulo assentiri poterit nemo, qui rem recte examinat, & physiologiam Democriti considerat, magiæ prorsus adversam. [u] Vnde merito miramur, acutissimo Bælio aquam in absolvendo a magiæ objectione Democrito hæsisse. Vnanimi vero ore veteres ingenii excelsi & ad magna quævis nati elegantiam, judicii vim acutissimam, eloquentiam acrem & vivam, scientiarum etiam haut vulgarium eruditionem vere summam, laudem etiam vitæ philosopho dignæ & a virtute non deviantis ei tribuunt, quorum testimonia collegit MAGNENVS. [v] Castitatis vero testimonium illud allegant, quod a feminarum consortio & connubio abstinuerit. Venerem enim damnasse, ut in qua homo alius exsiliret ex homine, PLINIVS [w] & TERTVLLIANVS [x] testantur: ex quibus recte colligitur, cœlibem eum vitam transegisse, quam itineribus potiorem partem traducendo, matrimonio impedire non potuit. Protagoram quidem a quibusdam ejus filium dici ait MAGNENVS, [y] verum hoc falsum esse, in sequentibus

o) *l. c. §. 42.*
p) *Lib. IV. c. 20.*
q) LAERT. *l. c.* GELLIVS *l. X. c. 12.*
r) *Lib. XXIV. c. 17. l. XXX. c. 1.*
s) *l. c.*
f) *Lib. IX. c. 3.*
ff) Incerta lectio vid. OLEAR. ad STANLEIVM *p. 901* FABRIC. *l. c. p. 769.*
t) *l. XXIV. c. 17.* Recte opponitur Plinio SOLINVS *polyhist. c. 3.* qui de lapide catochite ita: *Accipimus Democritum Abderitem ostentatione scrupuli hujus frequenter usum ad probandam occultam naturæ potentiam in certaminibus, quæ contra Magos habuit.* Ex quo loco constat, cum Magis eum certavisse, iisque non magica, quod vult Bælius, sed physica opposuisse.
u) Plura dabit NAVDEVS *l. c. p. m. 199. seqq.*
v) *p. 24. seqq.* w) *l. XXVIII. 6.*
x) *De anima c. 27.* CLEM. ALEX. *pædag. l. II. p. 193.* GALEN. in *VI. Epidem. comm. 3. p. 478.* quem adducit BAYLE *l. c. p. 271. not. H.*
y) *l. c.*

tibus dicemus. Non tacendum tamen eſt, narrare veteres quædam de Democrito, quæ vel ſuperſtitione corruptum, vel fraudis machiavelliſticæ & ad decipiendum popellum excogitatæ reum produnt: quale eſt, quod tradit PLINIVS,[z] docuiſſe eum, ſi quis extrahat ranæ viventi linguam nulla alia parte corporis adhærente, ipſaque dimiſſa in aquam imponat ſupra cordis palpitationem mulieri dormienti, quæcunque interrogaverit, vera reſponſurum; qualia plura in libro περὶ ἀντιπαθῶν poſuiſſe dicitur.[a] Adeo tamen hæc phyſiologiæ Democriteæ repugnant, ut non dubitemus in hac quoque parte Democritum abſolvere,[b] opprobrium hoc ejusdem cum magiæ accuſatione generis eſſe putantes. Scripſit Ionica dialecto[c] plurima, quæ in tetralogias diviſit Thraſyllus,[d] perinde, ut Platonica, Callimachus autem vocum ſingularium explicatione illuſtravit.[e] Illa partim naturalem & moralem philoſophiam tradidere, partim humanitatis diſciplinas explicuere & hiſtoriam. Multa quoque ei ſuppoſita ſunt. Quorum omnium indicem poſt LAERTIVM, MAGNENVM,[f] & STANLEIVM[ff] omnium diligentiſſime exhibuit FABRICIVS.[g] Inter ea ſine dubio excelluit, magnum digeſtum de univerſo. Dolemus vero vehementer a tanto viro ne unum quidem librum ſupereſſe νοθείας non ſuſpectum vel convictum. Ad extremam ſenectam perveniſſe,[h] inter veteres conſtat, de annorum vero numero diſſentiunt. Centum annos ſuperaſſe dicit LAERTIVS,[i] quod & hiſtoria vitæ ejus veriſimile facit, unde audiendus non eſt DIODORVS SICVLVS,[k] XC annos ei tribuens. CIV annum ei attigiſſe Phlegon dicit & LVCIANVS,[l] CENSORINVS,[ll] ad CVIII, Hipparchus[m] ad CIX perveniſſe perhibent. De mortis vero genere non minor apud veteres diſcordia. Rem ita exponit Hermippus:[n] cum ſenio jam deficeret, & fini vitæ jam appropinquare videretur, ſollicitam maxime id ſororem ejus habuiſſe, ne Cerealia ſacra mors ejus interpellaret, metuentem. At eam bono eſſe animo juſſiſſe Democritum, panes modo calidos quotidie ſibi afferret, præcipientem, hos vero naribus admovendo ita vitam prolongaſſe, donec feſti dies tres præteriiſſent: quo facto ſine dolore animam exhalaviſſe, publicis ſumtibus elatum. Alii mellis odore vitam per Thesmophoriorum[o] feſtos dies ſuſtentaſſe, tuncque voluntariam mortem inedia

z) *l. XXXII. c. 5.*

a) COLVMELLA *de re ruſt. l. XI. c. 3. p. m. 618.* ubi remedium ejus antipatheticum contra erucas enumeratur.

b) Veriſimile tamen eſt, & iſtorum quo vivebat Democritus temporum genio conveniens, philoſophum arcana naturæ multa, quæ detexit, non cuivis aperuiſſe, ut majorem homine eruditionem præ ſe ferret, ut Empedocles, Epimenides aliique ex veteribus fecere.

c) Præter rem tamen inde colligit CLERICVS *Hiſt. medic. P. II. l. 2. c. 6. p. 98.* Mileti fuiſſe oriundum.

d) LAERT. *l. IX. ſ. 38.*

e) SVIDAS *l. c.* IONSIVS *de Scr. hiſtor. philoſ. l. II. c. 5. p. 141.*

f) *l. c. p. 13. ſeqq.*

ff) *l. c. p. 901. ſeq.*

g) *l. c. p. 763.* Platonem Democriti libros comburere voluiſſe, famæ invidia ductum, ſed impeditum fuiſſe ab amicis refert LAERTIVS *l. IX. ſ. 40.* Idem exſecutum fuiſſe Ariſtotelem, MAGNENVS *l. c. p. 23.* ait, ſed ſine teſte, recte ideo notatus BAYLIO *l. c. not. Q.*

h) CICERO *de ſenect. c. 7.*

i) *ſ. 39.*

k) *Biblioth. l. XIV.*

l) *De longæv. T. II. p. 829.*

ll) *De die nat.*

m) LAERT. *l. IX. ſ. 43.*

n) *ibid.* ATHENAEVS *l. II. p. 46.* SVIDAS *l. c.* BAYLE *l. c. not. E.*

o) De hoc feſto vid. MEVRSIVS in *Græc. feriata.* POTTER. *Archæol. græc. l. II. c. 20. p. 378.*

edia acceleraſſe ſibi volunt. ANTONINVS [p] vero, qui pediculari morbo eum obiiſſe ait, Pherecydem cum Democrito confudiſſe videtur. Fuere Democriti inter veteres noti complures, [q] inter quos Abderita omnium celeberrimus eſt, a CELSO, [r] vir jure magni nominis, recte appellatus, qui veritatis & ſcientiæ rationem reliquis omnibus prætulit: vel eo nomine laudandus, quod ſcripta ſenex recognoſcere, & emendare, quam veritati obeſſe maluerit: ex quo liber ejus, κρατυντήρια dictus, enatus eſt. [s]

Logica Democriti.

§. XX. Philoſophiam maxime excoluit Democritus naturalem & moralem, rationalem ex inſtituto non attigit; quædam tamen docuit, quæ cum Pyrrhoniis valde grata fuerint, paucis enarranda ſunt. Ea nobis ſervavit SEXTVS EMPIRICVS, [ſſ] ſuntque ſequentia:

I. Nihil in iis, quæ ſunt, verum eſt, præter atomos & inane: quæ itaque eſſe exiſtimantur, & reputantur ſenſilia, nihil ſunt revera, ſed atomi ſoli & inane.

II. Nos autem, re ipſa quidem nihil veri intelligimus, ſed quod nobis ſe objicit, ex affectione corporis, & eorum, quæ ingrediuntur, & ex adverſo obſiſtunt.

III. Ex hac regula conſtat, hominem longe a vero abeſſe.

IV. Nihil quidem vere ſcimus, ſed eſt ſingulis opinio, prout res quemque affecerit.

V. Cognitionis duæ ſunt ſpecies, altera genuina, altera tenebricoſa: & tenebricoſæ quidem ſunt hæc omnia, viſus, auditus, olfactus, guſtus, tactus. Genuina autem, quæ eſt ſecreta.

VI. Quando tenebricoſa non poteſt amplius nec minimum videre, nec audire, nec odorari, nec guſtare, nec tactu ſentire, ad ſubtilius (nempe rationem) confugiendum eſt.

VII. Verum itaque quærendum eſt, in motu cogitationis.

VIII. Demonſtrationis tamen difficilis & obſcurus labor eſt.

Fundamentum Logicæ hujus Democriteæ ex ejus phyſiologia patebit, qua res omnes ex atomis conſtant, reliqua omnia, eorumque formæ ex eorum diſpoſitione, ordine, & conſtitutione particularum indiviſibilium oriuntur, quæ ſenſu quidem percipi, non vero rationibus ita, ut ſenſus cognoſcit, demonſtrari poſſunt, ſed meditatione elicienda ſunt. Perceptio enim iſta cum in ſolis ſenſibus ſit, adeoque in ipſo objecto non exiſtat, ratio de ea dari non poteſt, juxta Democritum alia, quam hypotheſi de atomis & inani, id quod in ſequentibus amplius explicabimus. Hinc ratio deducenda eſt, cur veritatem profundo demerſam puteo dixerit. Concluſiſſe vero has judicandi leges certis canonibus, (qua in re imitatus eum eſt Epicurus) conjici poteſt ex allegationibus veterum, qui paſſim canones Democriti logicos [t] laudant. Nec obſtat, quod objicit cel. FABRICIVS, [u] memorari

p) *De ſe ipſo l. III. §. 3.*
q) Vid. IONSIVS *de ſcript. hiſt. phil. l. I. p. 25.* MENAG. *ad* LAERT. *l. c.*
r) *l. II. c. 6.*
s) LAERT. *l. IX. ſ. 47.* SVIDAS *hac voce.*
t) SEXTVS *ll. cc.*
SEXT. EMPIR. *adv. mathem. l. VII. ſ. 136.*
ſſ) *Adv. Math. l. VII. ſ. 135. l. VIII. ſ. 139. 327.* LAERT. *l. IX. ſ. 44.*
u) *Ad l. c. ſ. 138.*

rari inter titulos phyſici argumenti a LAERTIO [v] canones περὶ λογικῶν, nam ad phyſicam quoque eos partem retuliſſe Democritum, Epicuri exemplo diſci poteſt, qui canonicam appendicem phyſicæ eſſe voluit.

§. XXI. Phyſiologiam a Leucippo acceptam ſic conſummavit Democritus. *Phyſiologia Democriti.*

I. Nihil ex eo, quod non eſt, fit, neque in id, quod haudquaquam eſt, corrumpitur. [w]

II. Quicquid igitur eſt, ex principiis per ſe ſubſiſtentibus oriatur, neceſſe eſt.

III. Omnium itaque rerum principium ſunt, atomi, & inane. [x] Corpora enim vel ex atomis conſiſtere oportet, vel ex nihilo, quia ad nihilum dividi poſſent, id vero impoſſibile. [y]

IV. Neutrum horum principiorum ex altero fit, ſed ipſum commune corpus eſt principium omnium, magnitudine ſolum partium differens, atque figura. [z]

V. Atomi plenum conſtituunt, quod ſolum ens eſt, & ſolidum, non-ens inane & rarum. [a] Non enim ens magis eſt, quam non-ens, nec corpus magis quam non-corpus. Ita quidem Eleaticis antiquioribus ſe attemperaſſe poſteriores hujus ſcholæ doctores, ſupra jam monuimus, etſi revera infinita rerum principia ponerent. Probe vero intelligendum eſt, quo ſenſu vacuum non-ens dixerit Democritus. Non enim non-ens æquipollet nihilo, hoc enim ſenſu non potuiſſet admittere vacuum, quod ex nihilo nihil fieri exiſtimabat, illud vero revera exiſtere aſſerebat, licet diverſæ prorſus naturæ ab atomis. Nons-ens itaque corpori oppoſitum eſt, indiviſibili, & vacuo locoque interno carenti: nec putabat aliter conſtare poſſe motum atomorum, niſi admitteretur vacuum, hactenus a phyſicis ex naturæ finibus exterminatum, de quibus vacui a Democrito reducti cauſis pluribus videndus eſt SCIPIO AQVILIANVS. [b] Neque vero principium proprie eſt vacuum, ſed tantum ad principium, quod atomi conſtituunt, requiritur. Cave vero vacuum cum aëre cum MAGNENO [c] confundas, & inter vacuum & inane ita diſtinguas, ut illud ſit imaginarium ſpatium, hoc inane, ſive aër, ubi tanquam in medio indifferenti omnes qualitates ſe manifeſtarent. Iuxta Democritum enim & Epicurum vacuum & inane idem ſunt, & corporibus opponuntur, quæ in vacuo moventur, aër vero ex atomis, teſte LAERTIO [d] gignitur, licet concretio ſit, ex qua tanquam materia,

v) l. c. ſ. 46.

w) LAERT. *ſ. 44.* ARISTOT. *phyſic. l. I. c. 4.* PLVTARCH. *adv. Coloten. T. III. p. m. 412.* conf. GASSENDVS *philoſoph. Epicuri Sect. II. c. 5. p. m. 248.*

x) ARISTOT. *phyſ. l. I. c. 6.* CICERO *Acad. Qq. l. IV. c. 37.* veterumque plurimi, quos ex parte laudat CVDWORTHVS *Syſt. int. c. I. §. 6. p. 9.* & MOSHEMIVS *ad h. l.* ORIG. *philoſ. c. XIII. p. 91.* & WOLFIVS *ad h. l.*

y) Prolixius id demonſtrant MAGNENVS *l. c. p. 176.* & AQVILIANVS *c. X. p. 42.* ſed ſcholaſtice & obſcurius; eleganter & perſpicue GASSENDVS *l. c. Sect. II. c. 5. p. 238. ſeqq.*

z) ARISTOT. *phyſic. l. III. c. 4.* ratio eſt natura oppoſitorum. Neque tamen ita principium aliquod compoſitum conſtituunt, quia vacuum non-ens eſt, quod naturam principii ingredi nequit, licet ad conſtituendas atomos inter principia rerum neceſſario requiratur.

a) ARISTOT. *metaphyſ. l. I. c. 4.*

b) l. c. c. VIII. p. 32. ſeq.

c) l. c. p. 37. 42. & imprimis *diſp. II. c. 6. pr. 2. p. 370.*

d) l. IX. ſ. 44.

teria, alia generentur. Loca vero a MAGNENO[e] adducta contrarium probare, quilibet videt, & recte notavit OLEARIVS.[f]

VI. Infinita vero sunt ambo, numero atomi, vacuum magnitudine. Ita Democritum statuisse, ARISTOTELES,[ff] LAERTIVS,[g] PSEVDO-ORIGENES[h] aliique ex veteribus testantur. Quæ licet satis clare innuant, ad solam causam materialem respexisse Democritum, causis efficiente & finali prætermissa, [i] non alienum tamen a mente Democriti visum fuit IO. FRANC. GRANDIS[k] per infinitum inane Deum intelligi, in quo omnia moveantur : id quod a constitutione physiologiæ Democriteæ tantopere abit, ut eam plane evertat. Nullo enim modo vacui infiniti notio Democritea Deo adplicari potest, nisi ipsa principii hujus subvertatur natura & ratio. Movet tamen hic quæstionem AQVILIANVS[l] satis spinosam & difficilem, utrum in via methodoque Democriti sit principium in genere causæ efficientis, & si est, quodnam sit? Quæ vero ex studiose collectis obscuris vagisque veterum narrationibus tandem elicit, huc redeunt, cœlestia casu, cætera vero natura evenire, naturam vero quam LAERTIVS[ll] vocavit, Democritum nominare necessitatem; casu autem evenire, adeoque carere efficienti causa atomorum concursum, nec esse principium tertium efficiens re distinctum a duobus illis materialibus, sed hæc ipsa materialia alia atque alia ratione sumta, & materiale esse & efficiens principium rerum: quam vero necessitatem dixerit, non explicuisse.[m] Recte hæc dici, non ipsa tantum systematis Democritei natura & constitutio probat, quæ animæ mundanæ Pythagoræ, Platonis, aliorumque vacuum infinitum inane opponebat, de alia causa non sollicita; sed & ARISTOTELES[n] diserte testatur, qui postquam indignum philosopho dixerat, nullam rationem causarum naturalium afferre, nisi hanc, hoc semper ita fuisse, & fieri, ad hoc, addit, principium Democritus refert naturæ causas, sic & antea factum esse: æternitatis autem non putat rationem habendam principii. Ex his enim sole meridiano clarius est, Democritum de causa efficiente, quæ atomos in infinito inani moveret, non fuisse sollicitum.[o]

VII. Atomorum proprietates duæ sunt, figura & magnitudo. Figurâ quidem infinitæ sunt, angulares, non angulares, rectæ, rotundæ, quædam læves sunt, asperæ aliæ, quædam hamulatæ, aliæ curvatæ & quasi aduncæ.[p] Quantum ad magnitudinem, adeo exiguæ sunt, ut oculis haut pateant, soliditas ea est, ut individua sint, neque pati aut alterari queant.[q] Et in hoc quo-

e) ll. cc.
f) Ad STANLEIVM *p. 904.*
ff) De gener. l. I. c. I. l. V. c. 8. Phys. l. I. c. 6. de cœlo l. III. c. 4.
g) l. IX. s. 44.
h) c. XIII. p. 91.
i) Conf. GASSEND. *philos. Epic. Sect. II. c. 3. p. 187.*
k) Dissert. phil. & crit. I. conf. MORHOF. *Polyhist. T. II. l. II. P. I. c. 7. §. 8. p. 185.*
l) l. c. c. IX. p. 35.
ll) De rer. nat. l. II.
m) Conf. tamen *p. 77.* ubi ex LAERTIO *l. IX. s. 45.* notat, vertiginem atomorum esse istam necessitatem.
n) Physic. l. VIII. c. 1.
o) Intrinsecam rationem pete *ex thesi XV.*
p) CICERO *de nat. Deor. l. I. c. 24.* ARIST. *l. I. c. 6.* conf. AQVILIAN. *l. c. p. 44.* MAGNENVS *disp. II. c. 3. pr. 26. p. 215.* GASSENDVS *phil. Epic. Sect. II. c. 7. p. 257.*
q) CICERO *de fin. l. I. c. 6.* PLVTARCH. *de plac. phil. l. I. c. 16.* LAERT. *l. IX. s. 44.*

quoque Democriti mentem pervertit MAGNENVS,[r] qui atomos ejus cum elementis Empedoclis turpiter confundit, qui tamen particulas minimas ante elementa ponebat, differentes vero ab atomis Democriti, ut alibi dictum. Elementi itaque vox hic aliud nihil ſignificare poteſt, quam primum, ex quo res fiunt, principium.

VIII. Atomus atomo gravior eſt, pro mole, qua ſe invicem ſuperant. [s] Pondus quidem habere atomos, Epicurum demum, PLVTARCHVS [ff] ait, dixiſſe, ſed Ariſtotelis contrarium afferentis teſtimonium deferendum non eſſe, natura ſyſtematis Democritei ſuadet.

IX. Omnibus vero aliis qualitatibus atomi deſtituuntur, neque albæ ſunt, neque nigræ, neque calidæ, neque frigidæ, neque dulces, neque amaræ. Hac aſſertione ſyſtema Democriti & Epicuri atomiſticum ab omnibus aliorum philoſophorum ante eos ſyſtematibus, in quæ particulæ minimæ receptæ fuere, ſed qualitatibus indutæ, diſtinguitur. Qualitates enim omnes ex diverſa earum inter ſe conjunctione, ordine, ſitu & diſpoſitione derivabat, ut poſtea dicemus. Aliter quidem AQVILIANVS, [t] qui locis quibusdam ARISTOTELIS [u] inductus, Democritum non omnibus qualitatibus atomos privaſſe contendit, ſed id ab Epicuro demum factum eſſe, LVCRETIO [v] auctore ſtatuit. Verum fallitur vir doctus, qui in explicandis veterum phyſicorum ſyſtematibus ſolum fere Ariſtotelem ducem elegit, neque ejus tamen ſemper recte aſſecutus eſt ſententiam. Ariſtoteles enim iſtis locis more ſuo contra Democritum diſputat, & ex conceſſis contraria ejus principiis ſequi, adeoque ea conſtare non poſſe oſtendere vult: [w] quæ ratio definiendi de mente philoſophorum per conſequentiam prorſus perverſa & rejicienda eſt. Majori forte veriſimilitudine dici poſſet, Democritum atomis vitam tribuiſſe, quam iis abſtulit Epicurus, certe non incommode, ita Democritum præcepiſſe, videri putat P. BAYLE, [x] ſic enim multis occurriſſe difficultatibus, quibus ſyſtema premitur atomiſticum. Quam ſententiam præter AVGVSTINI [y] locum PLVTARCHVS [z] confirmare videtur, qui Democritum dixiſſe, refert, omnia quandam habere animam, etiam cadavera, quòd hæc ſemper perſpicue aliquid obtineant caloris & ſenſus majori parte exſpirata. Propius vero ſyſtema Democriti intuentibus pateſcet, vim illam vitalem & ſpiritalem ab ipſo atomorum rotundarum, ſubtiliſſimarum & minimarum motu, qui ignem conſtituit, reliquisque atomis movendi principium exſiſtit, non differre: nec aliud vult Plutarchi locus, quam iſtud caloris principium omnibus ineſſe, qua ratione & Hippocratem & Heraclitum quoque docuiſſe, ſuo loco audiemus.

r) *l. c. p. 43.*
s) ARISTOT. *de generat. l. I. c. 8.*
ff) *l. c.*
t) *l. c. p. 50.*
u) *De gener. & corrupt. l. I. c. 8. T. I. p. 396.*
v) *l. c.*
w) Scilicet diſputat contra Democritum a calidarum particularum diſpoſitione calorem derivantem, & inde concludit, alias quoque qualitates adeſſe atomis debere, more vero ſuo Democriti ſententiam pervertit, qui non figuræ rotundæ, ſed ejus motui calorem tribuit.
x) *Dict. T. III.* art. *Leucippe, not. E. p. 100.*
y) *Ep. 58. vel 118. c. 28.* ed. Bened. quod placuit quoque FABRICIO *ad* SEXT. *l. IX. ſ. 113. not. E.*
z) *De plac. philoſ. l. IV. c. 4.*

X. Atomi illæ, ſive prima corpora aſſidue in infinito inani moventur, in quo nihil ſummum, nec infimum, nec medium, nec ultimum, nec extremum. [a]

XI. Motus ille initium non habet, ſed ab omni fuit æternitate. Tacite hac theſi ab iſto motu cauſam efficientem removiſſe Democritum ſupra ex Ariſtotele probavimus, & Epicuri ſyſtema confirmat. Cum enim in univerſo cauſæ rationem nihil habeat, præter atomos & inane, cauſa, quoque efficiens nulla eſſe poteſt.

XII. Motus ille unius tantum eſt generis, nempe obliquus, [b] cum enim gravitatem atomis tribueret Democritus, naturalis illis motus, quo recta linea deſcendunt gravia, tribuendus erat. Vidit difficultatem hac in parte ſyſtematis atomiſtici latentem Epicurus, ſcilicet ita nunquam fore, ut atomi ſe attingerent, hinc duplicem excogitavit motum, directum, & declinationis, quo ita alliduntur invicem, ut ſibi implicatæ tandem hæreant. Ad hæc vero non attendit Democritus, quæ cauſa videtur fuiſſe, cur Epicurus nugarum cenſorem Democritum appellaverit, cum tamen totum fere ſyſtema phyſicum ei acceptum referre debeat. [c] Cave tamen cum motu circulari motum atomorum directum confundas: ille enim tum demum oritur, ubi vortice ſuo agitatæ atomi a centro refugiunt.

XIII. Corpuſcula in hac regione vel ſpatio agitata concreſcunt, vel in ſe mutuo impingunt, vel reſiliunt & ſeparantur, quo genere colliſionum & agitationum res omnes formantur: atque ita, quicquid aut eſt, aut fit, naturalibus fit aut factum eſt ponderibus & menſuris. [d]

XIV. Rapidiſſimo iſto & naturali atomorum motu qui neceſſaria ratione illis ineſt, omnia creantur & fiunt. [e]

XV. Hæc neceſſitas fatum eſt, & juſtitia & providentia, quæ mundum condidit, quæ nihil aliud eſt, quam reſiſtentia, latio & percuſſio materiæ. [f] Probe hæc aſſertionum dyas tenenda eſt, quibus tota fere in Democriti ſchola atomorum hypotheſis inædificata eſt. Hoc enim rapidiſſimo motu omnium phænomenorum rationem pandebat. Neceſſitatem vero dum vocat, apertum eſt, intrinſeca atomis eam natura & virtute ineſſe ab æterno, ſtatuiſſe: id quod confirmat, quod paulo ſupra diximus, Democritum de cauſa efficienti motus non fuiſſe ſollicitum. Cum enim atomos æternas ſtatueret, iisque intrinſeca naturæ neceſſitate motum ineſſe diceret, cauſa efficiens alia ad hanc hypotheſin non requirebatur. Caute itaque audiendus eſt Democritus, de juſtitia, providentia, creatore mundi differens. Nihil enim horum ad Deum, ſed ad materiæ tantum particulas motas referendum eſſe, ex dictis eſt manifeſtiſſimum. Motus vero ille, non directus tantum eſt, ſed præcipue circularis, ſive vertigo atomorum, a centro ſuo reſilientium, ſicque invicem hærentium, quam neceſſitatem vocaſſe, refert LAERTIVS. [ff] XVI.

a) ARISTOT. *de cœlo l. III. c. 4.* CIC. *de fin. l. I. c. 6.*
b) STOBAEVS *eclog. phyſ. l. I. c. 23. p. 40.*
c) Conf. BAYLE *l. c. not. O. p. 272.*
d) CICERO *Acad. Qq. l. IV. c. 38.* LAERT. *l. c.*
e) LAERT. *l. c.*
f) STOBAEVS *l. c. c. 8. p. 10.*
ff) *ſ. 44.* SEXT. EMPIR. *adv. mathem. l. IX. ſ. 113.*

XVI. Res itaque omnes ens unum ſunt, ſolis enim atomorum differentiis inter ſe diſcernuntur.

XVII. Differentiæ hæ tres ſunt: figura, ordo, ſitus atomorum, quibus res omnes conſtant.[g] Accommodaſſe ſe Democritum Eleaticæ philoſophandi viæ, ſupra monuimus, cum vero innumera rerum viſibilium eſſet varietas, cujus cauſa explicanda erat, ad variam corpuſculorum individuorum diſpoſitionem, qua inter ſe conjunguntur, confugit, & atomos tantum rerum ſubſtantiam exhibere, reliqua ſolo ordine, figura, & combinatione atomorum differre, adeoque realem eſſentiam non habere ſtatuit. Quæ mens eſt decreti Democritei a LAERTIO[h] memorati, ποιητὰ νόμιμα εἶναι, φύσει δὲ ἄτομα καὶ κενόν: cujus ſenſum non vidit interpres, alio enim loco LAERTIVS,[i] clare indicat, quæ iſta ποιητὰ ſint, qualitates nempe rerum, quas ineſſe putabant particulis minimis phyſici ante Democritum, ille negabat rebus ineſſe, ſed ſola diſpoſitione ac ordine atomorum dicebat oriri. Ita enim: Δημόκριτος τὰς ποιότητας ἐκβαλών· ἵνα φησὶ· νόμῳ ψυχρὸν, νόμῳ θερμὸν, αἰτίῃ δὲ ἄτομα καὶ κενόν. *Democritus qualitates ejecit, dicit enim: diſpoſitione calidum & frigidum, vere & realiter vero atomi & vacuum*, ubi pro αἰτιῇ ἐτεῇ, id eſt realiter vereque, legendum eſſe, ex SEXTO EMPIRICO[k] patet, ubi ita Democriti decretum adducitur, *νόμῳ, opinione ex atomorum diſpoſitione orta, dulce eſt, & amarum, opinione frigidum & calidum, opinione calor, ἐτεῇ vere autem atoma & inane. Quæ autem exiſtimantur*, (νομίζεται) *& reputantur ſenſilia, ea non ſunt revera* καθ' ἀλήθειαν,[l] *ſola autem ſunt atoma & inane.* Quæ ex iis, quæ de qualitatum origine mox dicentur, ampliorem lucem capient. Νόμον autem eleganter dixit, non tantum, quod reales eſſe qualitates plerique putent, & opinione ſibi entia vera fingant, ſed quod atomi quoque ita diſponantur, (νέμεσθαι) ut inde ejusmodi opinio exſurgat. Ita vero Democritus anteceſſorum quidem adoptabat placita, qui opinione, ſed mere imaginaria, res ſenſibiles conſtare docebant, ſenſuum fidem vehementer offendentes: quia vero ſenſibus perceptionem iſtius νόμου & diſpoſitionis atomorum variæ concedebat, tam inſulſe, ac Xenophanes & Meliſſus, vel Zeno, philoſophari non videbatur. Ex his vero judicari poſſunt, quæ de hoc aſſerto dixere MAGNENVS[ll] & GASSENDVS.[m]

XVIII. Generatio itaque oritur, ſi illæ congregantur atomi, quæ ad rem conſtituendam diſpoſitionem habent debitam; quarum ſi ſitus & ortus variantur, fit alteratio, atomis vero ſeparatis invicem & ſolutis fit corruptio

g) ARISTOT. *metaphyſ. l. I. c. 4.*

h) *l. IX. ſ. 45.* i) *ſ. 72.*

k) *Pyrrhon. hypotyp. l. I. c. 30. ſ. 214.* conf. FABRIC. *ad h. l.* & quos ex veteribus laudat, conf. *adv. logic. l. I. ſ. 135. 368. l. II. ſ. 6. 184. adv. Muſic. ſ. 53.*

l) Ita etiam HESYCHIVS, ἐτεῇ ἀγαθὰ, ἀληθῆ.

ll) Peripatetica cum Democriteis confundit MAGNENVS, qui certæ naturæ leges & proportiones inter agens & patiens νόμῳ intelligi putat *l. c. diſp. III. c. 3. p. 436.* Democritus enim agens & patiens idem eſſe ſtatuebat.

m) *Animad. par. p. 251.* qui putat, per metaphoram a legibus humanis dici, legeque quaſi cenſeri omnia. Simpliciter ad virtutem vocis, νέμειν, attendendum eſt, quod certa diſpoſitione & ordini aliquid tribuere notat. Hinc νόμος poſtea recte opinio dicitur, quatenus ἐτεῇ opponitur, conf. MENAG. *ad l. c. Laërt.* & STANLEIVS *p. 906.* quibus præivit GALENVS *elem. l. I. c. 1.*

ruptio. [n] Ex quibus ſequitur: idem & ſimile eſſe, agens & patiens, [o] nempe atomos, in quo a reliquis philoſophis diſſentit Democritus.

XIX. Atomis pluribus rei uni accedentibus, fit augmentatio, decedentibus, fit diminutio. [p]

XX. Infinitæ ſunt atomi, numero & figura, unde tot rerum naturalium ex iis compoſitarum infinitisque inter ſe modis junctarum oriuntur diſcrimina. [q]

XXI. Verum id omne eſt, quod ſenſibus apparet, res vero ſenſibus apparentes ſibi adverſæ invicem ſunt, & numero infinitæ. [r] Ita objectiones, quibus Eleaticos premebant adverſarii, eludebat Democritus, ſenſibus veritatem & fidem tribuendo. Dicis tamen gratia hoc aſſeruiſſe, ex iis, quæ §. antecedente de canonica ejus diximus, clarum eſt. Scilicet ſenſationes veras eſſe, non negabat Democritus, ſed non habere objectum reale, ſed in ſolo ſenſu animique opinione hærere putabat, ſicque opiniones & aſſerta inter ſe diverſiſſima conjungebat, ſenſibus veritatem tribuendo, licet aſſereret, veritatem in puteo demerſam latere, ut ait CICERO. [s]

XXII. Cum præter atomos & inane nihil reale verumque ſit, ſed cuncta figura, ſitu, ordine & diſpoſitione corpuſculorum conſtent, & pro ejus variatione quoque varient, inde ſequitur, qualitates non ineſſe atomis, ſed in earum varia, quam patiuntur, diſpoſitione. [ſſ]

XXIII. Hinc ratio quoque petenda eſt, cur varie ſenſus afficiantur, ita ut dulce videatur, quod amarum eſt alii &c. ſenſationes enim iſtæ non rebus ipſis inſunt, ſed ex varia atomorum diſpoſitione & ordinatione oriuntur, quæ aliter hos afficit, aliter illos. [t] Conferenda hæc ſunt cum Cyrenaicis, ſimiliter, ſed alia hypotheſi nixis, de ſenſationibus philoſophantibus. Carteſium vero & ſequaces hanc Democriti viam ingreſſos eſſe, nemo neſcit, rectеque notavit P. BAYLE. [u]

XXIV. Mundi in infinito dantur infiniti, ſecundum omnes circumſtantias. [v] Notiſſimum in phyſicorum veterum, imprimis Ionicorum ſcholis dogma, quos veteribus illud ſuffuratos eſſe clamabat Democritus: [w] qui tamen ipſe ſecundum hypotheſin ſemel electam aliter ſtatuere non poterat.

XXV. Horum mundorum nonnulli inter ſe non ſolum ſunt ſimiles, ſed undique perfecti & pares, ut inter eos ne minimum quidem interſit. [x] Nonnulli vero inæquales ſunt, ſole lunaque deſtituti: in quibusdam utrumque lumen majus noſtris & in aliis plura. Inæqualia inter ſe mundorum ſunt intervalla, & plures alicubi, alibi pauciores.

XXVI.

n) ARISTOT. *de gener. & corrupt. l. I. c. 2.* conf. AQVIL. *l. c. p. 59.* 77.
o) ARIST. *l. c. c. 7.*
p) *l. c. c. 2. 3.*
q) *ib. c. 1. de cœlo l. III. c. 4.*
r) *ibid.* PLVTARCH. *ad Col. T. II. p. m. 411.*
s) *Acad. Qq. l. I. c. 12. l. IV. c. 10.*
ſſ) LAERT. *ſ. 72.* ARIST. *de gener. l. I. c. 8.*
t) PLVTARCH. *l. c. p. 412.*
u) *l. c. p. 274.*
v) LAERT. *l. IX. ſ. 44.* PLVTARCH. *de placit. phil. l. II. c. 1.* ORIGEN. *philoſ. c. XIII. p. 91. ſeqq.*
w) LAERT. *ſ. 34.*
x) CICERO Acad. *Qq. l. IV. c. 17.*

XXVI. Hi augeſcunt, illi in vigore ſunt, vergunt quidam ad interitum, & hic quidem naſcuntur, illic deficiunt. Interitus vero alteri ab altero affertur impingendo. Suntque inter ceteros, qui carent animantibus & plantis & omni humore. Ita theoriam mundi Democriteam enarrat PSEVDO-ORIGENES, [y] quæ etiam ex fortuito atomorum concurſu neceſſario ſequitur, ubi quot dantur particularum vertigines & complicatæ inde maſſæ, tot fiunt mundi, quos pro atomorum inter ſe complicitarum conditione, ſitu, figura, diverſiſſimos naſci neceſſe eſt.

XXVII. Mundus animæ expers eſt, [z] ſed rapidiſſimo atomorum motu per univerſum agitatorum, tanquam igne omnia penetrante moventur omnia. [a] Tribuit hanc aſſertionem Democrito PLVTARCHVS, [b] & quidem ſecundum ſyſtema atomiſticum rectiſſime: cum enim nihil in univerſo ſit, niſi atomi & inane, anima mundi locum habere non poteſt. Nec obſtare his, quæ præter Auguſtinum Plutarchus alibi Democrito tribuit, omnia habere animam ſupra theſi IX demonſtravimus, oſtendendo vim illam animalem & ſpiritualem, quæ mundo ineſt, non eſſe aliam quam concitatiſſimam & rapidiſſimam atomorum ſubtiliſſimarum rotundarumque agitationem & commotionem, qua omnia vivificantur. Nodum tamen hic nectit CYRILLVS, [c] qui Democritum docuiſſe, ait, Deum in igne globoſo mundi animam eſſe, quod PLVTARCHVS [d] quoque confirmat. Quem ne negando, & rejiciendo utriusque teſtimonium tanquam ſyſtemati Democriteo adverſum, ſecemus, ita ſolvimus, non eſſe hanc animam mundi diverſæ naturæ ab anima hominis, ſed hanc ex ea quaſi decerptam eſſe. Hanc vero ex atomis ſubtiliſſimis rotundisque, adeoque ex igne conſtare, infra dicemus. Anima itaque mundi, id eſt, vis illa, qua tanquam numine omnia naſcuntur, moventur, & vivificantur, eadem vis & commotio atomorum rapidiſſima & concitatiſſima eſt, inter quas cum rotundæ facillime omniumque vehementiſſime & celerrime moveantur, ignem illæ conſtituunt: qui ignis omnia movet, nutrit, agitat, adeoque naturæ quaſi Deus eſt. Ex quibus patet, hanc mundi animam ab atomis ipſis natura ſua non differre, nec confundendam cum anima mundi Pythagorica, Platonica & Stoica.

XXVIII. Ignis conſtat atomis rotundis, aër vero, aqua & reliqua ſola magnitudine & parvitate diſtinguuntur. [e]

XXIX. Sol & luna ex lævibus componuntur corpuſculis, vertigine circumactis. Ita LAERTIVS, [f] convenienter ſyſtemati Democritico, quod recepit quoque Carteſius, cujus vortices ex hac ſchola deſumti ſunt. Aliter quidem PLVTARCHVS, [ff] qui Democritum cum Anaxagora dixiſſe tradit, ſolem lapidem eſſe planum, igni candentem, quod, ſi modo recte Demo-

y) *Philoſophum. l. c.*
z) PLVT. *de plac. phil. l. II. c. 3.*
a) LAERT. *l. c.* b) *l. c.*
c) *Contra Julian. l. I.* conf. BAYLE *l. c. not. P.*
d) *l. c. l. IV. c. 4.*
e) ARIST. *de cœlo l. III. c. 4.* MAGNEN. *l. c. diſp. III. c. 4. prop. 24. p. 206.* qui vero aërem cum inani confundit, & tamen ex atomis conſtare dicit.
f) *Lib. IX. ſ. 44.*
ff) *l. c. l. II. c. 20.*

mocrito tribuitur, ita intelligendum eſt, corpuſcula lævia illa in gyrum rotata ita cohæſiſſe, ut inde maſſa dura & ignita enata fuerit.

XXX. Luna igneum eſt firmamentum, planities continens montesque & valles. [g] Sol magnus eſt. [h]

XXXI. Siderum ordo hic eſt, primo fixæ ſtellæ, tum planetæ, poſt ſol, lucifer deinde, & luna. [i]

XXXII. Omnes ſtellæ ab oriente verſus occidentem moventur, & quanto quæque magis ſunt terram ſidera propter, tanto minus poſſunt cum cœli turbine ferri. [k]

XXXIII. Cometæ plures planetæ ſunt, una apparentes, qui propius ad ſe accedentes, unum corpus conſtituere videntur. [l]

XXXIV. Cum in anguſto inani multa ſunt corpuſcula, ſequitur ventus, at contra quietus & placidus aëris ſtatus eſt, cum in multo inani pauca ſunt corpuſcula. Rationem a motu & colliſione particularum individuarum deſumtam prolixe explicat SENECA, [m] qui videndus.

XXXV. Terra quidem initio ſurſum deorſum ferebatur ob parvitatem & levitatem; ſucceſſu autem temporis denſata atque degravata ſubſedit.[n]

XXXVI. Firmitatis terræ cauſa eſt latitudo ipſius, diſci enim inſtar ſe habet, in media cava, neque dividit, ſed operit aërem infimum, qui infra ſubſidet, cum locum, quo cedat, non inveniat. [o]

XXXVII. Quoniam vero aër iſte verſus auſtrum eſt imbecillior, inde evenit, quod terra mole aucta eo declinet; partes enim ſeptentrionales minus temperatæ ſunt, auſtrales temperatæ magis. [p]

XXXVIII. Terra aqua plena eſt: quæ cum & pluvias aquas recipit, majori copia profuſas, cavernæque aquis affluentibus nimis premantur, motus inde terræ exiſtit. [q]

XXXIX. Mare decreſcit ſemper, tandemque deficiet. [r]

XL. Homines ex aqua & limo ſunt geniti. [s] Abſurdam ſententiam non excogitavit Democritus, ſed inter barbaros didicit, quibus traditionis forte vetuſtiſſimæ reliquiæ, de homine ex terra formato anſam dedere ita ſtatuendi. Nec aliter poſtulabat mundi ortus ſecundum ſyſtema atomiſticum delineatus, qualem PLVTARCHVS [t] exhibet: ex corpuſculis enim elementa, ex elementis reliqua corpora enata ſunt.

XLI. Infans in utero ore nutrimenta accipit, quæ cauſa eſt, quod ſtatim, ubi in lucem editus fuerit, mammam arripiat. PLVTARCHI [u] auctoritate hoc Democrito tribuitur, quod tamen vel falſum eſt, vel ſectionibus ſuis parum profecit in natura corporis humana cognoſcenda, ſi enim vel ſemel embryonem matre exſectum accurate conſideraſſet, aliud ſtatuiſſet.

XLII.

g) PLVT. *l. c. c. 25.*
h) CIC. *de finib. l. I. c. 6.* ubi Democritum hominem magnum & in geometria perfectum vocat.
i) PLVT. *l. c. l. II. c. 15.* PSEVDO-ORIG. *l. c. p. 32.*
k) PLVT. *l. c.*
l) ARIST. *de meteor. l. I. c. 6.*
m) *Qq. natur. l. V. c. 2.*
n) PLVT. *l. c. l. III. c. 13.*
o) ARISTOT. *de cœlo l. II. c. 13.*
p) PLVT. *l. III. c. 12.*
q) *ibid.*
r) ARISTOT. *meteor. l. II. c. 3.*
s) CENSORIN. *de die nat. c. 4.*
t) *Lib. I. c. 4.* u) *Lib. V. c. 16.*

XLII. Homo eſt, quod omnes ſcimus. Definitionem hanc hominis, tanquam vagam & principium petentem exagitat SEXTVS EMPIRICVS,[x] ſed vel non intellexit, vel non intelligere voluit. Non enim hoc vult Democritus, id quod novimus, quodcunque demum id ſit, eſſe hominem; ſed, hoc hominem eſſe, de quo intima conſcientia convicti ſumus. Aliter enim collectionem atomorum eam, ex qua homo conſtat, deſignare non poterat, quippe quam ſenſibus magis percipiendam, quam definitione deſcribendam ſtatuebat. Male itaque hoc dogma Democriti ſugillat Sextus.

XLIII. Anima ignis quidam & calor eſt. [y] Cum enim infinitæ ſint atomorum figuræ, rotundæ ignem abſolvunt, atque animam. Ea enim figura ad permeandum univerſum & movenda alia maxime compoſita eſt.

XLIV. Ex hac animæ natura ſequitur, & vitam & motum ab ea dependere.

XLV. Mortalis vero eſt anima & cum corpore perit. [z] Ratio pſychologiæ hujus Democriteæ ex ſyſtemate atomiſtico naturali ordine ſequitur. Nihil enim eſt præter atomos, unde & animam ex iis componi neceſſe eſt, quod vero ex atomis componitur, poteſt reſolvi. Motum vero ab igne, ignem a rotundis & rapidiſſime concitatis corpuſculis oriri, ſupra oſtendimus.

XLVI. Duæ animæ partes ſunt, altera in pectore poſita, quæ rationalis eſt, altera per totum corpus diffuſa, quæ irrationalis eſt; [a] unum vero cum anima mens eſt, idemque. [b] Opponit hæc Democritus plerisque ſui temporis philoſophis, diverſas in uno homine animas ſtatuentibus; cum enim ex atomorum rotundarum compage anima, ſive calor iſte internus conſtet, una neceſſaria anima eſt, ita tamen operatione inter ſe diverſa, ut quæ celerius & ſubtilius atomos movendi ſpatium locumque nacta ſit, ratione uti queat, qua privatur, quæ diffuſione per totum corpus in rapidiſſimo iſto motu ſufflaminatur.

XLVII. Corpora, quæ perierunt, reviviſcent. Exagitat hoc Democriti dogma PLINIVS: [c] *Puerilium*, inquit, *iſta deliramentorum, avidaque nunquam deſinere mortalitatis commenta ſunt. Similis & de aſſervandis corporibus hominum, ac reviviſcendis promiſſa a Democrito vanitas, qui non revixit ipſe.* Sed non cogitavit Plinius, nihil aliud dicere Democritum, quam easdem atomos, quibus anima conſtabat reſoluta, in inane infinitum delatas iterum cohæſuras, ſicque vitam priorem recuperaturum eſſe hominem; reliqua enim, quæ hominem ab aliis diſtingvunt, cum ſitum corpuſculorum tantum concernant, tanquam minime realia & vera non conſiderabat.

XLVIII. Plures ſunt ſenſus, brutorum animantium, deorum, hominum rationalium. [d]

x) *Pyrrhon. hypotyp. l. II. c. 5. f. 23. adv. mathemat. l. VII. f. 265.*
y) ARISTOT. *de anima l. I. c. 2.*
z) PLVT. *l. IV. c. 7.*
a) *ib. c. 4.*
b) LAERT. *l. IX. f. 44.*
c) *Hiſt. nat. l. VII. c. 55.*
d) PLVT. *l. I. c. 10.*

XLIX. Senſus & intellectus ſunt ab imaginibus oblatis, quæ a ſolidis corporibus certisque figuris dimanant, qua ratione & in ſpeculo imago formatur. [e] Vocabat has imagines εἴδωλα, [f] eaque in hominis incidere ſenſus dicebat. Accurate vero hic obſervandum eſt, duo eſſe idolorum in Democritea philoſophia genera; primum imagines ex objectis ſenſuum effluentes animisque illabentes complectitur, mentisque notiones ſive ideas conſtituit, quæ ex perpetuo atomorum motu, & ſupremarum ac in ſuperficie hærentium deceſſu derivandæ ſunt, ex quo ſcilicet Democrito ejusmodi εἴδωλα fluere videbantur, alterum imagines divinæ ſunt in aëre exiſtentes, humana forma majores, quas Deos vocavit, hominibusque apparere dixit, de quibus paulo poſt trademus. Valde inter ſe duo hæc idolorum Democriteorum genera confudere viri magni & eruditi inter veteres & recentiores, [g] quorum hac in re lapſus docte & luculenter demonſtravit MOSHEMIVS, [h] qui impedito & obſcuro dogmati multam lucem attulit.

L. Omnes ſenſus tangibiles ſunt, omnisque ſenſatio contactu vel impulſu organi peragitur. [i]

LI. Ita albedo lævitas eſt, luce a ſuperficie læviore verſus oculum reflexa, albumque colorem exhibente. Nigredo aſperitas eſt, eadem luce, a ſuperficie aſpera reflexa, nigredinem repræſentans. Sapor dulcis ab atomis rotundis minoris molis, acidus a majoribus, acerbus a multangulis, acris a conicis, acutis, incurvis, falſus ab anguloſis, diſtortis, æquilateribus, amarus a rotundis, lævibus, diſtortis nec latis, pinguis a tenuibus, rotundis nec latis oritur. [k]

LII. Tempus imago eſt diei & noctis.

Theologia Democriti.

§. XXII. Hactenus de rebus naturalibus ingenioſe ſatis, ſi iſtius, quo vivebat, temporis circumſtantiæ conſiderentur, differuit Democritus: reſtabat doctrina de Deo, divinisque naturis, de vaticinationibus, & apparitionibus Deorum. Etſi vero ex tota Democritei ſyſtematis conſtitutione clariſſime patet, philoſophum vel Deos plane negaſſe, vel in univerſo eis locum certum non dediſſe, ſed ex mundis relegaſſe, nec eorum rationem ullam in hac rerum omnium compage habuiſſe, ubi præter atomos, inane, & inhærentem iis neceſſitatem plane nihil, quod ſubſtantiam per ſe ſubſiſtentem innuebat, admiſit; unde non dubitamus eorum accedere partibus, qui Democritum inter impietatis fautores referunt: [l] non tamen ad obliniendum os populo doctrina hæc ex phyſiologia prorſus omittenda erat, ſed dicendum aliquid, quod ſpeciem haberet. Scilicet evitanda erat invidia impietatis, & ratio eventuum danda, quos magna fide & applauſu populus recipiebat, oracula confirmabant, exempla inter barbaros toties recitari audita ſvadebant. Admiſit itaque Democritus eam, quam a Magis dice-

e) *ibid. c. 8.*

f) LAERT. *l. IX. ſ. 44.* CICERO *ad Attic. l. II. ep. 4. familiar. l. XV. ep. 16.* Exuvias has corporum recepit etiam Epicurus, vid. LVCRETIVS *l. IV. v. 238. ſeqq.*

g) CICERO *de N. D. l. I. c. 12.* AVGVSTINVS *ep. 118. T. II. Opp. p. 257.* IRENAEVS *adv. hæreſ. l. II. c. 14.* ex recentioribus FABRIC. *ad* SEXT. *p. 553.* BAYLE *l. c. not. P.*

h) *Ad* CVDWORTH. *p. 849. ſeq.*

i) *De ſenſ. & ſenſit. c. 4.*

k) THEOPHR. *de odoribus* apud STANLEI. *p. 909.*

l) Nominavit eos ven. REIMMANNVS *Hiſt. Ath. c. XXX. §. 7. p. 210. ſeqq.*

dicerat ſententiam quam LAERTIVS [m] ita refert: *Divinationem & prædictionem exercere Magos, ſibi Deos apparere dicentes: ſed & plenum eſſe aërem ſimulacrorum, quæ cum e corporibus effluant, cum vaporum elevatione oculis acute cernentium inferantur.* Comtius aliquantum ornavit doctrinam hanc Democritus, licet CICERO [n] dicat, nutare eum in natura Deorum; patet enim ex SEXTO EMPIRICO, [o] Ciceronem Democriti mentem pervertiſſe, & quæ uni Deorum generi hic adſcripſit, ex iis aliquot divinarum naturarum ſpecies excogitaſſe, vel errore inductum, vel ſtudio fallentem, ut fortius eum refelleret. Luculentius magisque ex mente Democriti SEXTVS, [p] qui poſtquam monuerat, non alium præter idola, ei eſſe Deum, qui habeat naturam, in quam non cadat interitus, ita de Diis præcepiſſe ſtatuit:

I. Eſſe naturas quasdam, ex tenuiſſimis ſubtiliſſimisque atomis conflatas, quæ certo tantum tempore hominibus, præcipue in tenebris, appareant.

II. Eſſe has naturas magnas, & humanam ſtaturam multum ſuperantes, ſimulacra nempe ingentia.

III. Difficulter quidem, & multo minus, quam corpora humana diſſolvi, tamen interitui eſſe obnoxia.

IV. Eas certas voces ac ſonos edere, qui ab hominibus intelligi queant.

V. Ratione hæc ſpectra & ſimulacra uti, & hominibus futura ſignificare.

VI. Duplicis eſſe generis, alia enim prodeſſe, alia nocere.

VII. Verſari ea in aëre, qui nos ambit. [q]

VIII. Eſſe ea humana forma prædita. His adjicit CICERO:

IX. Tanta quasdam magnitudine videri, ut univerſum mundum complectantur extrinſecus. [r]

Valde abſona viſa eſt hæc theologia Democriti CICERONI, [s] qui patria Democriti, quam Democrito digniorem recte cenſet, licet aliud videatur P. BAYLIO, [t] & ultima aſſertio vix tribui illi poſſe cenſendum ſit: Oſtendit tamen, quo eſt ingenio & in veterum doctrina perſpicacia eruditiſſimus MOSHEMIVS, [u] non prorſus abhorrere hanc theologiam a phyſiologia Democritea. Ei enim exacte reſpondere, monet, dari concretiones atomorum longe ſubtiliores corporibus humanis; habereque eas poſſe linguæ & oris facultatem, cum homines ex atomis compoſiti & craſſiores eam habeant: immo eadem ex cauſa rationem quoque multo magis iis tribui poſſe. Quæ ſi concedantur, ſequi, cum ſubtilioris multo ſint concretionis, rationis, & ſenſus, quam homines, qui ex atomis quoque conſtant, poſſe eas meatus corporis, ſenſuumque penetrare, atque interiores ſanguinis ac ſpirituum animalium motus perſpicere. Cum itaque cogitationes noſtræ ſecundum Democritum nihil aliud ſint, quam varii atomorum in nobis motus, mirum haud eſſe, has naturas prædicere poſſe, quæ ex iſta atomorum ſive cogitationum diſpoſitione ſecutura atque eventura ſint. Quo

m) *Lib. I. ſ. 7.*
n) *De N. D. l. I. c. 43.*
o) *Lib. IX. adv. math. ſ. 42.*
p) *Lib. IX. ſ. 19.*
q) *ib. ſ. 42.* r) CICERO *l. c.* s) *ib.* t) *l. c.*
u) *Ad* CVDWORTHI *ſyſt. int. p. 548. ſeqq.*

ſubtilioribus quoque conſtent atomis, eo firmius hærere, eo minus diſſolvi & interire. Bonas eſſe alias, alias malas ex eadem atomorum diſpoſitione derivandum eſſe, quæ homines beneficos facit & maleficos. Aërem ipſorum naturam ſedem poſtulare. Proceram vero ſtaturam eis ex accidenti evenire poſſe, licet ratio dari nequeat, cur non etiam exili forma quædam ſint? Quam ex eo deduci poſſe putamus, quod, quo ſubtiliores atomi ſunt, eo minus reſiliunt, ſed cohærent arctius, pluresque ſibi junguntur, quod magna & ingentia corpora gignere ex mente Democriti aptum eſt. Dici hæc omnia erudite & magno cum ingenio non negamus, vix tamen nobis perſuademus, Democritum adeo deſipuiſſe, ut miſerabilem hanc philoſophiam ſerio adoptaret: majori enim ingenio prædituм fuiſſe, veteres unanimi ore teſtantur. Nec videmus, qua ratione futurorum eventus, qui non ab humanis cogitationibus & conſiliis, ſed a fortuito atomorum motu, caſuque & motione corpuſculorum in mundo, quæ neceſſitatis nomine apud Democritum veniunt, oriuntur, ab his idolis queant intelligi & prævideri atque prænuntiari. Etſi vero rectiſſime monet vir plane egregius, difficile eſſe de Democriti hac in re mente certi quid ſtatuere, cum ſcripta ejus nobis deſint, non is negat tamen, popularem ſententiam illum ſecutum fuiſſe, id quod ſatis manifeſtum eſſe putamus. Vnde veriſimillimum nobis videtur, Democritum negaſſe quidem omnia ejusmodi idola, Deos, formasque divinas, quas ſyſtema ejus non admittebat, ut tamen invidiæ cederet, & os oblineret incauto, ſed ad eum tamen attento, vatum gregi, ineptam Magorum hypotheſin dicis gratia adhibuiſſe. Fruſtraneum itaque eſt, de mente ejus de his ſpectris philoſophi diſpicere, & rationes ex ejus ſyſtemate petere, quem ſpectra riſiſſe, cum lemures petulantes juvenes ſimularent, ſupra edocti ſumus. [x]

Philoſophia moralis Democriti.

§. XXIII. Philoſophiam moralem diligenter quidem expoſuit Democritus, nihil tamen quod ejus doctrinam ſyſtematico ordine exhibeat, nobis ſervaverunt veteres, qui ſententias tantum morales annotaverunt, quas hic referre nec loci, nec inſtituti ratio patitur. Ea igitur paucis delibabimus, quæ ex ſyſtemate phyſiologico, & primis moralis doctrinæ Democriticæ principiis ſequuntur, reliqua alibi [y] quærenda ſunt. Sunt vero iſta:

I. Finem vel bonum ultimum eſſe εὐθυμίαν. Eſt vero εὐθυμία, non voluptas quædam & delectatio, quod nonnullis viſum, ſed ſecurus, tradente LAERTIO, [z] & quietus animi ſtatus, quo magna tranquillitate & conſtantia beatus eſt, nulloque metu, vel ſuperſtitione aut alio quocunque affectu perturbatur & diſtrahitur. Eadem fere tradidiſſe Epicurum, indolentiam, voluptatis ſpeciem, commendantem pro fine, infra dicemus. Singularibus libris hanc εὐθυμίαν εὐεξίαν, quibus vocibus uſus eſt, explicuit. [a]

II.

x) Serio quidem talia putaſſe Democritum, nimis audax & temerarium cenſentem rejicere ea, quæ de ſpectris univerſalis conſentio veteres tradidere, conjicit MOSHEMIVS. Valde tamen timemus, ne univerſalem iſtam traditionem tanquam univerſalem errorem damnaverit. Spectris enim illuſiſſe, notavimus.

y) Apud STOBAEVM paſſim, ex eo apud STOLLIVM *hiſt. phil. mor. §. CIII. p. 160. ſeqq.* STANLEIVM *l. c. p. 96.*

z) *Lib. IX. ſ. 45.*

a) IONSIVS *p. 141.* FABRICIVS *l. c. Bibl. Gr.*

II. Optimum itaque homini, vitam agere animo, ut plurimum læto, rariſſime triſtato, quod fieri poterit, ſi voluptates non in perituris rebus locentur. [b]

III. Eſſe vero homini conveniens, animæ, quam corporis potiorem rationem habere; animam enim, ſi ſit perfectiſſima, corporis malignitatem emendare: corporis autem robur, absque rationis uſu animam nihilo meliorem efficere. [c]

IV. Hominibus vero εὐθυμίαν oriri, ex mediocritate jucundi, & vitæ concinna circa actiones proportione. Quod enim vel defectu vel exceſſu peccat, magnas commotiones & perturbationes concitare in animo. Qui vero homines magnis quaſi ſaltibus & intervallis in affectibus commoventur, eos ad ſtatum animi tranquillum & beatum pervenire nequire. Ad poſſibilia itaque animum intendendum, & præſentibus contentum eſſe debere: cogitationibus vero & deſideriis iis non inhærere, quorum felicitas admirationi aliis eſt, & invidiæ. Qui vero miſeriores nobis ſunt, eorum vitam contemplandam eſſe, ut quæ nobis præſentia ſunt, magna & æmulatione digna videantur, neque animus excrutietur cupiditate majora & præſtantiora habendi. Hanc ſententiam complexum, vitam magna tranquillitate & animi lætitia tranſigi, & invidiam, æmulationem, odia, peſtes & noxas vitæ propulſari poſſe. Græca STOBAEI [d] ipſa conſulenda ſunt, quæ non omnia recte videre interpretes; [e] ita vero explicata egregie eam moralis doctrinæ Democriteæ partem illuſtrant, qui de fine agit.

V. Sapientiam nihil admiratam, nihil non mereri, ſumma laude dignam. [f] Pertinet hoc ad fructum phyſiologiæ, ſuperſtitioni & admirationi oppoſitæ.

VI. Turpitudinem & honeſtatem actionum non iis ineſſe natura, ſed lege & inſtitutione. Neceſſario hoc ex principiis Democriti phyſicis ſequitur, quibus ἑτεῇ præter atomos, & inane nihil eſſe, νόμῳ conſtare omnia reliqua dixit. Recte itaque iis, qui æternam honeſtatis notionem rejecere, Democritum accenſuit CVDWORTHVS. [g]

VII. Bene compoſito & tranquillo eſſe animo, qui de rebus abſentibus non contriſtetur, lætetur autem præſentibus. [h]

VIII. Si quis modum exceſſerit, ei jucunda maxime moleſta evadere. [i]

IX. Plures exercitatione, quam natura, bonos evadere. [k]

X. Tranquillus qui eſſe cupiat, eum multa vel privatim vel publice agere non oportere, quæ vires ſuperent: ita vero ſui gerere curam, ut omnem, qui ſeſe obtulerit, fortunæ exceſſum declinet, neque plura admittat, quam quibus ferendis par eſſe valeat. Præſtare enim, ut nobis conveniant ea, quibus fruimur, quam abundantiam. [l]

XI.

b) Serm. XXXVII. p. 113.
c) Serm. I. p. 4. *d) ib.*
e) Vid. quæ monuimus *Miſcell. Crit. ad Hiſt. linguæ German. pertin. T. V.*
f) Serm. XXVIII. p. 79.
g) De æternis honeſti notionibus, ad *calc. ſyſt. intellect. p. 2.*
h) Serm. XXXIX. p. 137.
i) ib. p. 139. *k) Serm. CXVII. p. 365.*
l) Serm. CCXLIX. p. 822.

XI. Iuſtitiæ laudem, & gloriam mentis fiduciam eſſe, & animi boni ſtatum, injuſtitiæ autem fugam calamitatis eſſe terminum. [m]

XII. Quibus bene compoſiti ſint mores, illis totam etiam vitam bene conſtitutam eſſe. [n]

XIII. Leges non prohibituras fuiſſe, quemlibet ſuo arbitrio vivere, niſi unus ad injuriam inferendum alteri eſſet proclivis. Præluſiſſe hoc axiomate Democritum Hobbeſio, adeoque animum infeſtum belloque alteri inferendo aptum & proclivem, pro legis cauſa ſuppoſuiſſe, comparatio utriusque doctrinæ docet. [o]

XIV. Homines quosdam naturæ mortalis ignorantes diſſolutionem, ſibi vero vitæ infeliciter actæ conſcios, omne quod vivunt tempus, miſere turbari, & metuere, multa ſibi falſo poſt mortem eventura fingentes. [p] Egregium phyſiologiæ Democriteæ conſectarium.

XV. Sanitatem penes hominem eſſe, eam vero libidine amitti.

XVI. Qui ventris voluptates ſequantur, breve delectationis tempus habere, multas vero curas conſequi, voluptate confeſtim tranſeunte. [q]

XVII. Actionis imaginem eſſe ſermonem. [r]

Protagoras. §. XXIV. Diſcipulos Democritus multos habuit, ante reliquos vero inclaruit PROTAGORAS Abderites, quem tamen Tejum fuiſſe Eupolis memoriæ prodidit. [s] Patrem Mæandrium habuit, vel, ut Apollodorus & Dinon ajunt, Artemonem, [t] Democriti enim filium qui dicit MAGNENVS, [u] ab AELIANI [x] interprete deceptus eſt. [y] Democritus enim cœlebs vixit, nec ejus filius, ſed diſcipulus fuit. Eum bajulum fuiſſe aliquando, Epicurus tradidit, atque ea occaſione Democriti favorem meruiſſe, quam ita narrat GELLIVS: [z] „Adoleſcens victus quærendi gratia in mercedem miſſus, ve„cturas onerum corpore ſuo factitavit. De proximo itaque rure in Abde„ram oppidum caudices ligni plurimos, funiculo brevi circumdatos porta„bat. Tum forte Democritus, civitatis ejusdem civis, homo ante alios vir„tutis & philoſophiæ gratia venerandus, cum egrederetur extra urbem, vi„det illum cum eo genere oneris tam impedito, ac tam incohibili, facile at„que expedite incedentem, & prope accedit, & vincturam, poſituramque „ligni ſcite preriteque factam, conſiderat, petitque, ut paulum acquieſcat. „Quod ubi Protagoras, uti erat petitum, fecit, atque ibidem Democritus a„cervum illum, & quaſi orbem caudicum, brevi vinculo comprehenſum, „ratione quadam quaſi geometrica librari continerique animadvertit, in„terrogavit, quis id lignum ita compoſuiſſet? & quum ille a ſe compoſitum dixiſ-

m) Serm. XLVIII. p. 168.
n) Serm. CXXXVI. p. 398.
o) Serm. CXXXIX. p. 406.
p) Serm. CXLVII. p. 813. PLVT. *de inſt. lib. T. I. p. m. 12.*
q) Serm. XLIV. p. 155.
r) LAERT. *l. IX. ſ. 27.* PLVT. *l. c.*
s) CIC. *de N. D. l. I.* QVINTIL. *Inſt. Orat. l. III. c. I.* GELLIVS *N. Att. l. V. c. 3.* LAERT. *l. IX. ſ. 50.* & quos *adh. l.* adducit MENAG. SVIDAS *in Protag. T. III. p. 217.*
t) LAERT. SVIDAS *ll. cc.*
u) In Democrit. p. 8.
x) Lib. I. c. 23.
y) Oſtendit id MENAG. *l. c.*
z) l. c. pueris poſt Democriti diſciplinam inſtituendis, deinde eloquentiæ operam dediſſe tradit ATHENAEVS *l. VIII. p. 354.*

dixiſſet, deſideravit, uti ſolveret ac denuo in modum eum collocaret.“ Ac poſtquam ille ſolvit, ac ſimiliter compoſuit: tum Democritus animi“ aciem, ſolertiamque hominis non docti demiratus, mi adoleſcens, in-“ quit, cum ingenium bene faciendi habeas, ſunt majora melioraque, quæ“ mecum facere poſſis: abduxitque eum ſtatim ſecumque habuit, & ſumtum“ miniſtravit, & philoſophiam docuit, & eſſe eum fecit, quantus poſtea fuit.“ Ex quibus palam eſt, Protagoram non eloquentiæ tantum ſtudio, quo inter veteres ſophiſtas magnum ſibi nomen peperit,[a] ſed philoſophiæ quoque peritia ſummam laudem fuiſſe conſecutum. Illius teſtimonia eloquentiſſimi diſcipuli, & in his Prodicus Ceus ſunt,[b] hujus, leges Thuriis ab eo latæ.[c] Tantaque ejus fuit exiſtimatio, ut, cum primus inter Græcos mercede docendi auctor eſſet, centum minis,[d] vel quod QVINTILIANVS [e] habet, decem denariorum millibus lectiones ejus diſcipuli remunerarentur. Aitque PLATO,[f] hac ratione maximopere opibus fuiſſe auctum Protagoram. Prælegit etiam auditoribus eloquentiæ ſuæ opera ſatis caro pretio. Famam tamen nominis impietatis ſuſpicione commaculavit. Cum enim librum *de Diis* ita exorſus eſſet: *De Diis quidem ſtatuere nequeo, an ſint, nec ne. Sunt enim plurima, quæ id ſcire prohibeant, ſumma rerum incertitudo, & vitæ humanæ brevitas.* Ob atheiſmi culpam, ſive dicta, quod volunt quidam, cauſa condemnatus, ſive cauſa, quod alii ſcribunt, non audita collatis ſententiis exilio mulctatus totaque Attica ejectus eſt, librique illius in foro cremati ſunt, ſub voce præconis, a ſingulis, qui illos habebant, inveſtigati.[g] Ortam fuiſſe hanc impietatis maculam ex diſciplina

a) Hoc contendit, & philoſophiæ famam Protagoræ denegat CVDWORTHVS *Syſt. intell. c. I. §. 8. p. 13.* recte ideo notatus doctiſſimo interpreti *ad h. l.*

b) Vita celeberrimi ſophiſtæ ad hiſtoriam rhetoricæ proprie pertinet. Fuiſſe tamen philoſophum quoque & phyſicum SVIDAS *T. III p. 178.* refert. Servaruntque pauca ejus placita philoſophica veteres. In his eſt, quod docuerit, ſolem, & lunam, & fluvios, & fontes, & in ſumma quæcunque proſint vitæ noſtræ, antiquos Deos exiſtimaſſe, propter utilitatem, quæ ex iis accipitur. CICERO *de N. D. l. I. c. 42.* MINVC. FELIX *in Octav. c. 21.* SEXT. EMPIR. *adv. math. l. IX. ſ. 18.* ex quibus falſo infert EPIPHANIVS *T. I. Opp. p. 1088.* ſolem, lunam & elementa pro Diis habuiſſe. Si enim Sexto fides habenda, hoc argumento ita uſus fuit Prodicus, ut anticipatam, quam philoſophi urgebant, notionem Dei tolleret. Idem ſcilicet dixit, quod Evemerus, de quo ſupra, conf. SEXT. *l. c. ſ. 51. 52.* Vitam vero Prodici poſt PHILOSTRATVM *Vit. Sophiſt. l. I. p. 496.* enarravit P. BAYLE *Dict. T. III. p. 820.* qui videndus, de atheiſmo ejus autem conſulendus REIMMANNVS *Hiſt. ath. c. XVII. §. 5. p. 132.* Diſcipulos habuit celeberrimi nominis, Socratem, Theramenem, Euripidem, Iſocratem, Xenophontem, Gorgiam: inter quos ultimus eloquentiæ laude mire excelluit: hic tamen a nobis prætereundus haud eſt, quod librum ſcripſit, *de eo, quod non eſt*, ſive *de natura*, ex quo ejus dogmata ARISTOTELES *in tr. de Zenonis, Xenophanis & Gorgiæ ſententiis* excerpſit, conf. SEXT. EMPIR. *adv. math. l. VII. ſ. 65.* Negavit & ipſe cum Protagora, eſſe aliquid, quod judicat, ſed alia ratione. Tria enim in eo libro conſtituit capita: 1. nihil eſſe, 2. etſi ſit, ab homine non poſſe comprehendi, 3. etſi poſſit comprehendi, enuntiari tamen & explicari non poſſe: quorum capitum rationes fuſe enumerat SEXTVS, *ſ. 66-86.* videntur tamen & Protagoras & Gorgias diſputandi magis cauſa, talia aſſeruiſſe, Zenoniana methodo inductos.

c) LAERT. *l. c.* Vocatum fuiſſe λόγον ex AELIANO *V. H. l. IV. c. 20.* vel λόγον ἔμμισθον, quod mercede eloquentiam traderet ex SVIDA *l. c.* diſcimus, unde apud LAERT. *ſ. 50.* gloſſema eſſe recte dicitur MENAGIO, quando refertur, vocatum fuiſſe σοφίαν, id enim ad Democritum pertinet.

d) LAERT. *ſ. 72.* SVIDAS *l. c.* GELLIVS *l. c.* conf. quos laudat MENAG. *ad h. l.* & OLEARIVS *ad l. c.* PHILOSTRATI.

e) *l. III. c. 1. inſincerum* ideo *philoſophum* vocat GELLIVS *l. c.*

f) In *Theæteto.* conf. EIVSD. *Protagoras.*

g) CICERO *de nat. Deor. l. I.* SEXTVS *l. c.* SVIDAS *l. c.* PHILOSTRAT. *l. c.* LACTANT. *l. X.* MINVCIVS FELIX. *Oct. c. 8.* conf. MENAG. *ad l. c. Laërt.*

ſciplina Magorum putat PHILOSTRATVS,[h] a quibus in pueritia enutritus didicerit, doctrinam de Diis arcanam cuſtodire: quæ cauſa fuit, cur ex atheorum albo eum deleri cupiant viri quidam docti, a cl. REIMMANNO nominati.[i] Verum ex ipſo Philoſtrati textu clarum eſt, eum non tantum non intellexiſſe veram Magorum opinionem & diſciplinam, ſed Democritum quoque cum Pythagora confudiſſe, quæque de illo narrantur, huic tribuiſſe.[k] Scripſit plurima a cel. FABRICIO[l] memorata, ad logicam, metaphyſicam, ethicam & politicam illuſtrandam, quæ tamen intercidere omnia. Aetas ejus ex Democriti ætate colligi poteſt.[m] Finem vitæ ita narrat PHILOSTRATVS:[n] *Ex Epiro in inſulas transmiſſurum, & Athenienſium triremes, toto mari diſperſas metuentem ſubmerſum eſſe parva navigantem cymba.* Ex multis hujus nominis[o] Abderita reliquos nominis vicit celebritate.

Placita Protagoræ.

§. XXV. Philoſophiæ Democriticæ decreta ad contentionis argumentum adhibuit Protagoras, ut ex paucis reliquiis placitorum ejus, quæ ſervavere nobis veteres, conſtat. Ita enim ſtatuit:

I. Duas eſſe omnium rerum rationes invicem contrarias. Ad diſputandi potiſſimum & differendi inventionem dogma Pythagoreis, & imprimis Alcmæoni non ignotum retuliſſe, primumque ita in utramque partem differere cœpiſſe monet LAERTIVS.[p]

II. Materiam ſemper in fluxu eſſe, ipſa autem aſſidue fluente, pro ablationibus adjunctiones fieri, & ſenſus tranſmutari ac variari, & pro ætatibus & pro aliis ſenſuum conſtitutionibus.

III. Rationes omnium ſenſibus apparentium ſubjectas eſſe in materia, adeo ut materia, quantum in ſe ipſa, omnia eſſe poſſit, quæ quibuscunque apparent.

IV. Homines autem alio tempore alia percipere, prout diverſe ſe habent, ſive ſecundum naturam ſe habeant, ſive contra naturam, ſicque etiam in ætatibus, in ſomno, in vigilia & quibuslibet habitibus.

V. Eſſe ergo hominem criterium rerum, quæ ſunt, omnia enim, quæ apparent hominibus, etiam eſſe, quæ autem nulli hominum apparent, ne eſſe quidem. Ita quidem Protagoream logicam exponit SEXTVS EMPIRICVS,[q] nixam phyſiologia Democritica, ut ex collatione facili negotio poteſt diſci. Cum enim vetus dogma in Eleatica imprimis ſchola receptum, omnia fluere, admiſiſſet Democritus, atomosque ſemper moveri diceret,

h) *l. c.* *i*) *Hiſt. atheiſmi l. I. c. XVII. §. 4. p. 131.*

k) Democritus enim, non vero Protagoras a Magis eruditus dicitur, a Xerxe relictis. Magi vero non tollebant doctrinam de Deo, ſed abſcondebant, difficile vero, amiſſo libro Protagoræ, de ejus atheiſmo ſtatuere, quem affirmant præter Bælium BVDDEVS *theſ. de atheiſmo c. I. p. 74.* & SAM. PARCKERVS *de Deo diſp. I. ſ. 11. p. 27.* Quanquam ſi ex diſcipulo præceptor judicandus eſt, parum de hoc dogmate aſſerendo curioſus fuiſſe videtur.

l) *Bibl. Græc. Vol. I. p. 780. ſeqq.*

m) Olymp. LXXXIV (non LXXVI, ut habet interpres) inclaruiſſe, & XL annos in philoſophia verſatum ait LAERT. *ſ. 56.*

n) *l. c.* Idem LAERTIVS *ſ. 55.* refert, narrans, voluiſſe navigare in Siciliam. Quidam tamen dixere, defeciſſe eum in via, cum XC annum ageret, ſive LXX, ut alii.

o) Nominat eos MENAG. *ad* LAERT. *l. IX. ſ. 56.* & FABRICIVS *Bibl. Græc. l. c.*

p) LAERT. *ſ. 51.* qui etiam de ejus contendendi ſtudio Timonis Sillographi verſus adducit.

q) *Pyrrhon. hypotyp. l. I. c. 32. ſ. 216.*

ceret, res omnes ſenſuum tantum perceptionibus conſtare, quatenus ex varia corpuſculorum diſpoſitione oriantur, tradidit. Ita vero Protagoras quoque, qui recepta atomorum diſpoſitionis in momenta mutabilitate, cum auferri alias, alias ſuccedere & addi ſemper, ſicque rem mutari continuo videret, inde concludebat, in ſola ſenſatione eſſe illud, quod videmus, audimus, tangimus, adeoque normam de quacunque re judicandi eſſe hominem ejusque in ſenſu perceptionem: cum vero ſenſationes hominis mire pro temporis, ſubjecti & circumſtantiarum ratione differant, ſequi inde, mox hoc, mox illud rem eſſe, cum varie homo afficiatur, adeoque in contrariam de rebus omnibus partem eodem veritatis fundamento poſſe diſputari. Eſſe hanc mentem Protagoræ, præter Sexti locum admodum luculentum, PLATO,[r] ARISTOTELES,[s] CICERO,[t] Ariſtocles apud EVSEBIVM[u] & HERMIAS[x] teſtantur, apertumque faciunt, Democriticam phyſiologiam a Protagora adhibitam fuiſſe, ut fundamentum exhiberet logicæ eriſticæ, cujus præcipuus ſtator fuit Protagoras. Sequebatur enim ex his, in omnibus rebus contrarias rationes inveniri, quia res ipſæ in ſola relatione ad cognitionem vel ſenſationem potius hominis conſiderantur, quæ innumeris circa unum idemque ſubjectum variationibus modificantur. Et hic ſenſus eſt axiomatis Protagorei: Πάντων χρημάτων εἶναι μέτρον τὸν ἄνθρωπον, μέτρον enim criterium eſt, unde ejus ſenſum ita explicat Sextus: *Rerum omnium criterium, ſive veri falſique regulam eſſe hominem, entium quidem, ut ſunt, non-entium autem, ut non ſunt. Ideoque ponit ſola illa, quæ cujusque ſenſibus apparent, & ita inducit relationem ad aliquid.* Quod licet a CVDWORTHO[y] dubie Protagoræ tribui, nec id ex Platone evinci poſſe contendat præſtantiſſimus interpres,[z] adducta tamen veterum teſtimonia luculenta, Cudworthum recte ſcripſiſſe, clare evincunt, quicquid ſit de obſcura Platonis diſputatione.

VI. Animam ipſiſſimos ſenſus eſſe, omniaque eſſe vera.[a] Nititur hoc fundamentis, iis, quæ explicuimus. Cum enim nihil vere atque realiter ſit, ob fluxum atomorum præter ſenſationes, omnes eas veras eſſe oportet, id eſt, tales, quales ſenſus percipiunt, cum anima a ſenſibus non differat. Ceterum Diogenem, vel ut LAERTIVS[b] vocat, Diomenem Smyrnæum, Neſſi Chii diſcipulum, illius, qui Democritum audivit, eadem cum Protagora ſenſiſſe, EPIPHANIVS[c] tradit: quem tamen cum Diogene Apolloniate ſine magna veriſimilitudine eundem putant MEVRSIVS[d] & MENAGIVS.

§. XXVI. Præter Neſſum Chium[e] & Nauſiphanem ex diſciplina Democriti emerſit DIAGORAS, ex Melo inſula, Cycladum una oriundus, homo *Diagoras Melius.*

r) In *Theæteto*, conf. *Cratylus*.
s) *Metaph. l. III. c. 5. l. X. c. 6.*
t) *Academ. Qq. l. IV. c. 42.*
u) *Præpar. l. XIV. c. 20.*
x) *Irriſ. gentil. §. 9.*
y) *Syſtem. intell. c. I. §. 7. p. 11.*
z) *Ad h. l.*

a) LAERT. *l. c.* conf. CICERO *l. c.* ARISTOT. *metaphyſ. l. III. c. 5.*
b) *§. 58.* conf. FABRIC. *l. c. p. 776.*
c) *T. I. Opp. p. 1088.*
d) *Ad Heſychium p. 146.* MENAG. *ad Laërt. l. c.*
e) Meminit ejus LAERT. *l. IX. §. 58.* EVSEBIVS in *Chron.* qui Neſſam vocat.

homo impietatis macula inter veteres famosus. Sunt, qui Milesium putant, sed hi, recte judicante CLERICO,[f] Melium pro Milesio per literarum compendium dictum esse, frustra contendunt. Parentem habuit Teleclidem.[g] Is in expugnatione insulæ captus, a Democrito vero, egregiam ingenii alacritatem & indolem, qua pollebat, perspicienti, decem drachmarum millibus redemtus & disciplina sua imbutus dicitur. Elegantioribus vero simul literis navavit operam, & in lyrica poësi non ultimum obtinuit nomen, quæ tum temporis in Pindaro, Bacchylide aliisque florebat. Cum enim Ol. LXXVIII vixerit,[h] Pindaro adhuc coævus fuit.[i] Fuisse vero dithyrambicum initio, & si quis alius, superstitiosum, SEXTVS EMPIRICVS[k] testatur, poësin etiam suam inchoasse hoc modo: *A dæmone & fortuna fiunt omnia;* injuria autem affectum ab aliquo, qui perjeraverat, & propterea nihil mali passus fuerat, eo deductum esse, ut negaret, esse Deum. Injuria vero qualis ea fuerit, HESYCHIVS & SVIDAS[l] ita narrant: quod pæanem quis ipsi surripuisset, juratusque negasset, se hoc feciſſe, & tamen postea publice illum pro suo protulisset, Diagoram irarum plenum exspectavisse, ut perjurus iste statim manifesta pœna a Deo & gravissima afficeretur, quod cum non fieri, sed perjurum plagiarium laudibus etiam affici & præmiis videret, satis absurde hinc concluſisse, non esse Deum, impietatemque hanc scriptis etiam publicis fuisse professum, quibus TATIANVS[m] titulum ait impositum, τὸς φρυγίας λόγας, Hesychius & Suidas, τὸς ἀποπυργίζοντας, id est, *destructores*, vel *de turri deturbantes & dejicientes*. Alii aliter referunt, in eo tamen veteres fere omnes, adducti diligenter a P. BAYLE[n] & I. F. REIMMANNO,[o] consentiunt, ista vindictæ divinæ mora inductum Diagoram, Deos negasse, & ob eam causam Athenienſium inter quos habitabat, divinum cultum sacraque traduxisse, mysteria quoque omnibus enuntiasse, eaque despexisse, illos etiam, qui sacris initiari volebant, dehortatum fuisse.[p] Tanta inde non ignominia tantum ei contracta est, ut atheus cognominaretur, & in proverbium hominis nequam & inter bipedes deterrimi abiret,[q] sed Athenienses quoque eo proscripto, cum Olymp. XCI, ad causam dicendam vocatus non comparuisset, non solum voce præconis pronuntiari, sed & æreæ columnæ inscribi juberent, eum, qui Diagoram occidisset, talentum, qui vero vivum adduxisset, duo talenta accepturum esse.[r] Etsi vero valde infamis apud veteres ejus memoria est, visum tamen fuit CLEMENTI ALEXANDRINO,[s] eum inter eos referre,

Ejus atheisimus.

f) Art. crit. P. III. c. II. §. 5. p. 209. BAYLE *Dict. T. I. art. Diagoras not. A. p. 282.*

g) SVIDAS in *Diagoras T. I. p. 551.*

h) SVIDAS *l. c.* KVSTER. *ad h. l.*

i) Pindarus enim teste SVIDA Olymp. LXV. natus ad Ol. LXXXVIII vixit. Inserendus vero est Diagoras lyricis veteribus apud FABRICIVM *Bibl. Græc. Vol. I. p. 554.* vid. IPSE ad SEXT. *l. citand.*

k) Adverſ. mathemat. l. IX. ſ. 53.

l) ll. cc.

m) Contra Græc. p. m. 164. ed. Pariſ.

n) l. c. not. D. E. F.

o) Hiſt. ath. c. XXXI. §. 8. p. 212. Ex his CICERO *de N. D. l. I. c. 1.* VALER. MAX, *l. I. c. 1.* SEXTVS *l. c.* præcipue notandi.

p) SVIDAS *l. c.* TATIANVS *l. c.* ATHENAG. *legat. pro Chriſtianis p. m. 5.* ed. Pariſ.

q) Socratem ab Ariſtophane ideo Melium in nubibus dictum esse supra obſervatum. conf. ERASM. *Chil. p. m. 722.*

r) SVIDAS *l. c.* *s) Admonit. ad gentes p. 13.*

referre, qui, cum gentilem ſuperſtitionem contemſerint, ejusque detexerint fraudes, athei habiti ſint. Quam Clementis opinionem ſuam fecere viri quidam docti ex recentioribus, quos allegandi otium nobis fecit ven. REIMMANNVS,[t] qui eos quoque nominat, qui in hoc impietatis luto hæſiſſe Diagoram tuentur, quibus addi poteſt RAD. CVDWORTHVS.[u] Nemo tamen majori eruditione & ingenio cauſam Diagoræ egit cl. ZIMMERMANNO[x] noſtro: qui rationes pro ejus atheiſmo adductas accurate examinavit. Cuncta, quæ prolixe affert, eo tendunt, accuſationes adverſariorum Diagoræ, ſcriptis ejus amplius non extantibus, eſſe ſuſpectas nec validas ſatis ad inurendam ei atheiſmi maculam. Invidia enim deriſorum gentilium ſacrorum excitatos, inter apertos numinis hoſtes eum retuliſſe, cum tamen omnia, quibus ille premitur, vel ad exagitata Athenienſium ſacra, vel ad negatam DEI providentiam ſpecialem pertineant. Imprimis vero contra fortiſſimum FABRICII[y] argumentum, eam fuiſſe Diagoræ ratiocinationem, ut non in gentilium tantum Deos, ſed & univerſe in Deum valeat, ita excipit, ut non tantum rejecta Suidæ & Heſychii tanquam teſtium nimis a Diagoræ temporibus remotorum fide, de ipſa narratione dubitet, ſed ea quoque ſuppoſita, oſtendere cupiat, poſſe hoc de diis quoque inferioribus dici, nec demonſtrari poſſe, quod ſummum quoque numen negaverit, libris itaque ejus non extantibus ſaltem ad ἐποχὴν confugiendum eſſe, nec rationes Bælii, Fabricii, Buddei clare atheiſmum ejus demonſtrare. Noſtrum vero nec inſtitutum nec locus patitur, ea, quæ vir doctiſſimus attulit omnia, prolixe excutere, quæ ſcilicet ad ſpecialem atheiſmi hiſtoriam pertinent. Monenda tamen pauca ſunt, quæ rem in lucem protrahere apta putamus. Nempe 1. non negamus, certiſſima ratione de atheiſmo Diagoræ non poſſe definiri quicquam, cum & libri ejus perierint, &, qui impietatem ejus deſcribunt, teſtes ſint, non omni exceptione majores, & ab ejus ætate nimis remoti:[z] exempla etiam complura extent, viros cordatos, ſuperſtitionis vulgaris contemtores negati Dei accuſatos fuiſſe. Si itaque his ſtandum eſt, facile, fatemur, negabitur Diagoræ atheiſmus, ita vero eodem labore, tota atheiſmi hiſtoria uno ictu abſolvi & everti quoque poteſt, cum monumenta coæva & ipſa philoſophorum ſcripta pleraque interciderint. 2. Quia vero hoc nimis laxum ſcepticiſmo hiſtorico campum aperit, contentos nos eſſe debere monemus iſtis veterum narrationibus, quæ nobis ſuppetunt, memores, eos vetuſtiora, nobisque non viſa conſuluiſſe, adeoque non eos quidem in totum rejiciendos eſſe, fidem vero non abſolute, ſed tantum probabili ratione dandam eſſe. His, ut debent, ſuppoſitis, 3. ſi veterum de Diagora effata aliquem locum habent, dubitari non poſſe putamus, Diagoram non tantum gentilium ſuperſtitiones, vel providentiam negaſſe, ſed ipſum etiam quod mundum regit, numen ſuſtuliſſe; id enim teſtimonia allata omnia clamant, licet, ut fieri in his ſolet, circumſtantias varie

t) *l. c.* u) *Syſt. intell. p. 9.*
x) Ep. *de atheiſmo Evemeri & Diagoræ*, quæ extat *Muſ. Brem. Vol. I. P. IV. art. 3. p. 714. ſeqq.*
y) *Ad l. c. Sexti.*
z) Hoc nimirum hiſtoriæ philoſophicæ fatum eſſe, toties exemplis evicimus, & doluimus.

rie enarrent. Nec ſola Suidæ & Heſychii auctoritas in partes venit, ſed deſumſere illi ſua ex ARISTOPHANIS ſcholiaſte,[a] patetque ex Sexto etiam, ejus jam tempore pervulgatam fuiſſe famam, injuriæ non ultæ memoria & dolore, ad negandum Deum fuiſſe digreſſum Diagoram. Nec videmus, qui ratio a Fabricio allata queat everti, nullum fuiſſe argumentum Diagoræ contra gentiles Deos, niſi in ipſum numen univerſe valeat. 4. Imprimis vero Clementi opponimus ATHENAGORAM,[b] eo magis in partes advocandum, quo magis PP. gentilis ſuperſtitionis deriſoribus favere, eosque in ſuas partes trahere rectiſſime monuit B. BVDDEVS.[c] Is vero luculenter: *Diagoræ ſacrilegam impietatem jure damnabant Athenienſes, qui cum arcanos Orphei ſermones vulgo exponebat, tum Eleuſinia & Cabirorum ſacra publicabat, & Herculis ſtatuam ne ligna rapis coquendis deeſſent, diſſecabat,* ἄντικρυς δὲ ἀποφαινομένῳ μηδὲ ὅλως εἶναι Θεὸν, *denique palam & diſerte Deum eſſe negabat.* Clariſſime enim & diſtincte tribuitur Diagoræ, non tantum Athenienſium ſuperſtitionem riſiſſe, ſed & ipſum Deum negaſſe: quo nomine Chriſtianis, illud facientibus, hoc vero minime, Diagoram opponit Athenagoras. 5. Sed & ad diſciplinam, ad quam nemo hactenus attendit, reſpiciendum eſſe, qua Diagoras educatus fuit in philoſophia, ipſa æquitas poſtulat. Fuiſſe vero Democriti diſcipulum, cui & libertatem & philoſophiam debebat, monet Suidas. A vero itaque alienum non eſſe videtur. Democriteis de Deo ſententiis imbutum fuiſſe Diagoram. Quod ſi ſupponimus, qui mirandum eſſe exiſtimabimus, Deum negaſſe hominem, qui in mundo præter atomos & inane nihil eſſe verum & reale a præceptore didicerat? Nec objici his poteſt illud Sexti, initio eum dæmonem & fortunam ineſſe rebus cunctis dixiſſe. Vt enim concedamus, vera referre Sextum, quod facile negari poſſet, dæmones tamen illi quales ſint in ſchola Democriti, ex εἰδώλοις ab eo aſſertis & ſupra expoſitis ſatis conſtat. Quos cum dicis tantum cauſa Democritum a Magis tranſſumſiſſe facile perſpiciatur, nullo negotio fieri potuit, ut theſin exotericam tanquam ridiculam, caſu iſto excitatus Diagoras exploſerit, ſicque tandem genuinam Democriti doctrinam profeſſus fuerit, non eſſe Deos. Quibus rationibus ſubductis & inter ſe comparatis majori veriſimilitudine Diagoram accuſari impietatis, quam abſolvi putamus. Sed ut ad hiſtoriam ejus, unde divertit oratio, revertamur, Diagoras Attica terra exul & profugus, navem, ſi fides CICERONI[d] habenda, conſcendit, cumque tempeſtate adverſa premerentur omnes, & vectores timidi & perterriti ei dicerent, non injuria ſibi ea accidere, qui illum in eandem navem recepiſſent, oſtendit eis in eodem curſu multas laborantes alias, quæſivitque, num etiam in iis navibus Diagoram vehi crederent. Cum vero Samothraciam veniſſet, atque ei quidam amicus, tu qui Deos putas humana negligere, nonne animadvertis ex his tabellis

a) *Ad nubes p. 410.* b) *l. c.*
c) *theſ. de atheiſmo c. I. p. 73.* quæ ſugillat REIMMANNVS *p. 215.* Exemplis hoc facile poſſet demonſtrari: in ratiociniis enim PP. non adeo accuratos fuiſſe ſatis notum eſt.
d) *De N. D. l. III. c. 37.*

bellis pictis quam multi votis vim tempeſtatis effugerint, in portumque ſalvi pervenerint? Ita fit, inquit, illi enim nuſquam picti ſunt, qui naufragium fecerunt, in marique perierunt. Suſpicamur tamen Græca hæc fide niti, ideo excogitata, ut jucundius majorique acumine narraretur Diagoræ hiſtoria. Eſſe enim ex iis rumuſculis, qui incerta fide aliis quoque tribuuntur, ex LAERTIO [e] liquet, Diogeni Cynico ea adſcribente. Tandem Corinthum delatus, ibi, teſte SVIDA [f] vitam finiit. Legibus Mantineam parario Nicodoro, ordinaſſe, narrat [g] AELIANVS.

§. XXVII. Ex diſciplina Democriti quoque exiit ANAXARCHVS Abderita, [h] Diomenis Smyrnæi auditor, [i] vel, ut alii perhibent, Metrodori Chii, qui ne hoc quidem ſe ſcire dixit, quod nihil ſciat. [k] Metrodorus vero Neſſum, vel quod aliis placet, ipſum Democritum audivit. Anaxarchus vero non tam doctrina, quam vita notabilis extitit. Vixit enim cum Alexandro M. unde Olymp. CX floruiſſe LAERTIVS [l] colligit, tantaque ejus uſus eſt gratia, [m] ut regem eo quoque tempore, quo adulationibus totus corruptus Alexander, ægerrime amicorum monita audiebat, libere corripere auderet, [n] iſque potiſſimum philoſophiæ rationibus munitus regi, Babylona appropinquanti ſuaderet, contemneret Magorum prædictiones, fatale id ipſi fore afferentes tanquam falſas & incertas. Abuſum tamen fuiſſe philoſophia ad adulationem, ex ſolatio colligi poteſt, quod Alexandro ob Cliti cædem animo anxio exhibuit. [o] An ignoras, ajebat, jus & fas Iovi aſſidere, ut quicquid rex agat, id fas juſtumque putetur. Quam turpem adulationem in philoſopho recte exagitarunt, & paraſiti mores in Anaxarcho damnarunt veteres. [p] Qui ei frequenter etiam exprobrant, voluptatibus deditum non ſine philoſophiæ opprobrio vixiſſe, & menſæ regum ſervientem, vitæ commoditates quæſiviſſe, cujus notabile exemplum ATHENAEVS adduxit, & Timonis verſus teſtes ſunt, qui vitam voluptatibus deditam, & ad vitia regreſſam ei exprobrant. [q] Nec dubium eſt, hanc vitæ commoditatem & voluptatem ipſi cognomen εὐδαιμονικὸν conciliaſſe, quod apud veteres ei plerumque tribuitur, quodque διὰ τὴν ἀπάθειαν καὶ εὐκολίαν τοῦ βίου geſſiſſe LAERTIVS [r] ait, quibus, mores aulicæ ſe vitæ attemperantes & paraſiticos notari, non vero, ut volunt interpretes, conſtantiam & tranquillitatem animi vita Anaxarchi luculenter loquitur. Recenſet quidem LAERTIVS [s] philoſophos, a philoſophiæ fine, quem in feli-

Anaxarchus

e) LAERT. *l. VI. ſ. 59.*
f) *l. c.*
g) *l. II. c. 23.* Nodos in ſcirpo quærit hic BAYLE *l. c. not. H.* potuiſſe atheum tam egregias leges condere. Si enim ſupponamus, quod veriſimillimum, atheum proſcriptum non conſultum fuiſſe, ſed id ante ejus manifeſtatam impietatem eſſe factum, cuncta concidunt, quibus hypotheſibus ſuis ille ſeruit.
h) LAERT. *l. IX. ſ. 58.* PLVTARCH. *Symp. l. VII. c. 5.*
i) *ibid.* EVSEB. *præp. l. XIV. c. 17.*
k) SVID. in *Democrit. T. I. p. 542.*
l) *l. c.*
m) AELIAN. *l. IX. c. 30.* centum ei donaſſe talenta Alexandrum PLVT. in *Apophth. T. I. p. 332.* refert.
n) AELIAN. *l. IX. c. 3.* LAERT. *l. IX. ſ. 60.*
o) ARRIAN. *exp. Alex. l. IV. p. 84.* PLVT. *ad princ. indoct.* conf. MENAG. *ad l. c. Laërt.* STOLLIVS *hiſt. phil. moral. gentil. §. 106. p. 174.*
p) LVCIAN. *Paraſit. T. III. p. 250.* ATHEN. *l. VI. p. 250.*
q) Apud PLVTARCH. *de virt. mor.*
r) LAERT. *l. c.* ATHENAEVS *l. c. & l. XII. p. 548.* & ex hoc EVSTATH. *ad Il. X. p. 1273.* AELIAN. *l. c.*
s) *l. I. ſ. 17.*

felicitate ponebant vitæ, eudæmonicos dictos; hosque Anaxarchum sectæ suæ conditorem habuisse, tradit *historiæ philosophicæ* GALENO tributæ auctor, [t] idque admittit FABRICIVS. " Obstant tamen huic asserto momenta duo. Nam non Anaxarchus tantum, de cujus placitis philosophicis altum apud veteres est silentium, sed & Cyrenaici, atque Epicurei, ad hanc mentis felicitatem doctrinam moralem retulerunt, non vero Eudæmonici sed Hedonici vocati sunt. Deinde, monente ipso FABRICIO, vix quisquam in veterum scriptis εὐδαιμονικῶ nomine laudatus occurrit, præter unum Anaxarchum; quæ satis verisimiliter persuadent nobis, felicitatis potius aulicæ, quam philosophicæ causa, hoc nomen, inter σκόμματα philosophorum referendum Anaxarchum accepisse. Talem vero vitam cum affectarit Anaxarchus, difficile credi potest, quod de eo, magno licet consensu, tradunt veteres, Nicocreontis, regis Cypri, hostis cum esset, ejus interitum apud Alexandrum M. quæsivisse. Rege vero mortuo, Nicocreontem, Anaxarchum, quem tempestas invitum in Cypri litora ejecerat, cepisse, & in mortarium conjectum, ferreis pistillis tundi curavisse: eo interea, dolore contempto, identidem celebre dictum illud ingeminante: tunde Anaxarchi culeum, nam Anaxarchum non tundis. Linguam igitur ejus præscindi jubente tyranno morsu eam ipsum præscidisse, & in ejus faciem conspuisse. Etsi enim facile largimur, Nicocreontem, par pari relaturum Anaxarcho interitum ejus crudeliter acceleraſſe, valde tamen de circumstantiarum veritate dubitamus, cum nec antiquior testis sit CICERONE, [x] & eadem res Zenoni Eleati quoque a veteribus tributa satis incertum vulgi rumorem prodat, neque verisimile sit, hominem, aulicæ felicitatis voluptatem affectantem, tantam constantiam in morte ostendisse. [y] Quam audax enim in ejusmodi fabellis pingendis & fingendis Græcia fuerit, notum est omnibus, qui vetera curiose sunt rimati.

* *

CAPVT DVODECIMVM.

DE SECTA HERACLITEA.

§. I.

Heraclitivita.

Sectam Heracliteam condidit HERACLITVS Ephesius, patre Blysone, quem Bausonem, Blosonem, vel Beutonem alii vocant, vel quod alii volunt, Heracione vel Horacino natus.[a] Qui licet obscuram instituerit sectam, tantum tamen nomen consecutus est, ut dignus visus sit, de quo singulari

t) *c. 3.*

u) Ad SEXT. EMP. *adv. mathem. l. VII. f. 48.* Eandem de rebus humanis scenæ instar se habentibus & decipientibus sententiam cum Monimo professum esse, IDEM ait *f. 88.*

x) *Tusc. Qq. l. II. c. 22. de nat. Deor. l. III. c. 33.* LAERT. *l. c.* OVIDIVS *in Ibin,* aliique laudati MENAGIO *ad l. c. Laërt.*

y) Addi his potest, mortis genus tale fingi quod ejusmodi sermones ferere non permittit.

a) LAERT. *l. IX. f. 1.* CLEM. ALEX. *Strom. l. I. p. 302.* SVID. in *Heraclit. T. II. p. 72.*

gularibus libris commentati fuerint, veteres,[b] quem vero pene totum neglexere recentiores.[c] In adoleſcentia jam egregia perſpicaciſſimi ingenii virtute eminuiſſe, tradit Ariſtonymus,[d] cujus exemplum afferunt PLVTARCHVS[e] & LAERTIVS,[f] in id magno ſtudio incubuiſſe, ut ſe ipſum examinaret atque excuteret, huncque habuiſſe laboris fructum, ut ſe nihil ſcire intelligeret. Vnde verba ejus apud LAERTIVM αὐτὸν ἔφη διζήσασθαι, καὶ μαθεῖν πάντα παρ' ἑαυτοῦ, quæ ita interpres vertit, *ſe ſemet inveſtigandæ veritati dediſſe, omniaque ex ſemet ipſo didiciſſe*, longe aliud velle, recte notavit ISAAC. CASAVBONVS,[g] idque indicare, *ſe ipſum explorando a ſe ipſo diſcendi feciſſe initium.* Nam habuiſſe præceptores, ipſe refert Laërtius. Nec dubium eſt, hanc ignorantiæ ſuæ notitiam impuliſſe Heraclitum, ut ad philoſophiam animum adjiceret. Xenophanem itaque audivit[h] & Hippaſum,[i] Pythagoræ tum myſteria, clarius, quam iſti viri ſolebant, explanantem; unde prima quoque iſtius philoſophi principia in ſuum ſyſtema retulit, ut ex collatione patet. Ait quoque PROCLVS,[k] per plurimas terras inacceſſas in montem Atlanticum iter eum ſuſcepiſſe, cujus tamen itineris vetuſtiorem teſtem merito deſideramus. Poſt reditum in patriam, regnum[l] ei, id eſt, ſummi magiſtratus auctoritas delata eſt, quam tamen repudiavit, fratrique conceſſit, quod peſſima conſvetudine civitas jam eſſet imbuta.[m] Quamobrem ad fanum Dianæ ſecedens, aſtragalis ibi luſit cum pueris, ad Epheſios, qui forte aderant, dicens; quid miramini o perditi cives? nonne iſtud facere præſtat, quam vobiſcum rempublicam adminiſtrare. Valde autem offenderant Heraclitum Epheſii, quod familiarem ejus Hermodorum, virum civilis philoſophiæ legumque ferendarum peritiſſimum,[n] exilio multaſſent, nec ferre potuerint excellentia inter eos merita, quæ cauſa quoque fuit, cur acerbe in eos invectus ſit. Ad philoſophiæ itaque ſtudia reverſus, cum vitam amaret ſolitariam, quam melancholici quoque temperamenti inclinatio ei vehementer commen-

b) Ariſtonis Chii liber *de Heraclito* veteribus ſæpe laudatur. Idem argumentum excuſſerunt Cleanthes & Sphærus. Stoici enim hanc philoſophiam magni faciebant. Addi his poteſt Antiſthenes, Heracliti ſectator, Heraclides Ponticus, Pauſanias, Heraclitiſtes vocatus, Diodotus Grammaticus, conf. LAERT. *l. c.* IONS. *de Script. Hiſt. phil. l. II. c. 3. p. 128.* FABRIC. *Bibl. Gr. vol. I. p. 760.*

c) Plerique hiſtoriæ philoſophicæ ſcriptores ne STANLEIO quidem excepto, per tranſennam tantum hanc hiſtoriæ philoſophicæ partem conſiderarunt. B. GOTTFR. OLEARII liber vero de *Heraclito* lucem non vidit, præter duas diſſ. *de principiis & γενέσει rerum ex mente Heracliti* STANL. *P. IX. p. 839. ſqq. 855. ſqq.* inſertas conf. FABR. *l. c. p. 762.*

d) STOBAEVS *Serm. CII. p. 334.* SVIDAS *l. c.*

e) *Adv. Colot. T. III. p. m. 423.*

f) *l. c.* *g*) *Ad h. l.*

h) LAERT. *l. c.*

i) SVIDAS *l. c.*

k) *Ad Timæum p. 56.*

l) LAERT. *l. IX. ſ. 6.* βασιλεῖς vero vel βασιλίδες vocabantur Epheſi, judices ſummam reipublicæ adminiſtrantes, quos Pauſanias Epheſius ſuſtulit, tyrannide introducta, vid. SVIDAS in *Pythag. Epheſ. T. III.* HESYCHIVS in βασιλεῖς.

m) LAERT. *l. IX. ſ. 2.*

n) Pertinet Hermodorus inter ICtos veteres, legum enim duodecim tabularum ſi non primus auctor, quod vult Pomponius *l. 2. D. de Orig. Iur.* certe magna pars fuit, vid. STRABO *lib. XIII. p. 642.* CICERO *Tuſc. Qq. l. V. c. 36.* hinc PLINIO *l. XXXIV. c. 5.* interpres legum, quas duumviri ſcribebant, audit, cui propterea ſtatua in Comitio poſita. Nondum tamen ex familiaritate Hermodorum inter & Heraclitum, illum hujus aſſeclam in philoſophia fuiſſe concludi poteſt, licet id aſſerat PAGAN. GAVDENT. *de philoſ. Rom. c. IV. p. 105.* Diſtinguendus vero eſt ab Hermodoro Platonico, de quo ſupra in Platone.

mendabat, [o] converſationem hominum fugiebat, adeo ut Darii quoque, ad ſe ut veniret, invitantis, benevolentiam contemneret. [p] His acceſſit ingenium alta ſpirans aliosque magna invidia contemnens, cujus ſpecimen allegant veteres, quod ſe omnia jam ſcire profeſſus, reliquos omnes in ignorantia verſari dixerit. [q] Ex urbe igitur tandem odio hominum ſi non omnium, certe civium ſuorum deceſſit, vitamque in montibus egit, olera ac herbas comedens. Ita enim peroſus cives, ob eamque cauſam ab illis quoque contemtus & neglectus, privata vita nihil eſſe præſtantius reputabat, ideoque etiam Athenienſes, apud quos tamen magna fruebatur exiſtimatione, aſpernabatur. [r] Quod ſi epiſtolis, quæ ſub ejus nomine feruntur, [s] fides eſſet, impietatis ſacrilegæ accuſatus Epheſum reliquiſſet; ſed quo loco illæ habendæ ſint, ſæpiſſime inculcavimus, adeoque illas prætermus. Cum vero nullo alio cibo in montibus, niſi herbis & oleribus, uteretur, aquæ intercutis morbo laborare cœpit, quo ipſo in urbem reverti coactus eſt. [t] Suntque inter epiſtolas philoſophorum duæ [u] ad Amphidamantum, quibus prolixe de morbi ſui natura & eventu philoſophatur: illæ vero, ut reliquæ, adeo aperte ſophiſtarum ſcholas redolent, ut ad eas provocare erubeſcamus. Vrbi itaque redditus obſcurus philoſophus, medicosque ita per ænigma ſciſcitatus, an poſſent ex imbre ſiccitatem facere? illis non intelligentibus, ſe ipſum boum ſtabulo includens, & fimo bubulo obruens, eo vapore credebat abundantem noxiumque humorem exhauriri poſſe; vel, quod Hermippus ait, boum fimo a ſervis oblitus ſolis radiis ſe objecit, nihilque ea re proficiens, ſequenti die obiit ætatis LX anno, in foro ſepultus: alii a canibus laceratum eſſe dixere: [x] Ariſto autem & Hippobotus ab eo morbo liberatum, poſtea alio morbo interiiſſe, ſcriptum reliquerunt. [y] Celebris vero non philoſophici tantum ſyſtematis fama, quod affectas reperit, ſed & perpetuis lacrymis fuit, quos aſſidue improbam hominum, præcipue civium, vitam deplorando, fudiſſe veteribus paſſim traditur. [z] Sed traditionem, licet ſatis veterem, ejusdem commatis eſſe, quo riſus Democriti, facile intelligi poteſt, & conjici, temperamentum moresque hominis triſtes & acerbos, & de civium ingrato in ſe & malo animo ſemper quiritantes occaſionem oratoribus dediſſe, perpetuas fingendi in Heraclito lachrymas. Inter Græcas itaque fabulas merito numeranda utraque narratio,

quod de ſapientibus alter
Ridebat quoties a limine moverat unum

Pro-

o) LAERT. *l. IX. ſ. 6.* Hinc inter apathes & humani generis oſores eum refert PLIN. *l. VII. c. 19.*

p) ibid. ſ. 12. 13. ubi utriusque affertur epiſtola: quæ tamen ſuſpectæ ſunt ex rationibus ſæpius dictis. Rem ipſam tradit quoque CLEM. ALEX. *Strom. l. I.*

q) LAERT. CLEM. ALEX. *ll. cc.* LVCIAN. *vit. auct. T. III. p. 123.*

r) LAERT. *l. IX. ſ. 13. 15.* Fallitur ſine dubio ATHENAGORAS, qui *leg. pro Chriſt. p. m. 35.* ait, Heraclitum & Democritum patria pulſum eſſe, illum Epheſo, hunc Abdera: abſurdius utriusque patriam confundit interpres C. GESNERVS.

s) Epiſt. philoſ. p. 50. 57. 63. ed. LVBINI.

t) LAERT. *l. c. ſ. 4.*

u) l. c. p. 53. 55.

x) LAERT. *l. c. ſ. 3. 4.*

y) ibid. ſ. 5.

z) AELIAN. *l. VIII. c. 13.* LVCIAN. *l. c.* SENECA *de tranquill. c. 4. de ira l. II. c. 10.* & poſt hos plures.

Protuleratque pedem: flebat contrarius alter,
Mirandum eſt, unde ille oculis ſuffecerit humor? [a]

Quod ſi LVCIANVM conſulimus, facile ex ejus riſu colligi poteſt, eum inter fabulas totam rem retuliſſe, qui cauſam ridendam & abſurdam potius, quam deflendam allegat, proditque ad deridendos philoſophos utramque excogitatam fuiſſe narratiunculam. Scripſit librum *de natura*, tribus partibus conſtantem, quarum prima *de univerſo*, altera *de republica*, tertia *de theologia* egit, [b] qui tamen temporis injuria, præter exigua fragmenta [c] quædam, periit. Adeo vero & temperamenti vitio & affectatæ ſcribendi rationis ſtudio obſcurus in eo factus eſt, ut σκοτεινὸς nomen a veteribus unanimi ei conſenſu tribueretur. [d] Cujus obſcuritatis cauſam ſubinnuit LAERTIVS, monens, eum, librum ſuum in templo Dianæ, more veteribus recepto, depoſuiſſe, de induſtria obſcurius ſcriptum, ut ſoli eruditi eum legerent, ne ſi a vulgo paſſim legeretur, contemtui eſſet. [e] Scilicet ad arcanam diſciplinam Heraclitum reſpexiſſe, illius temporis mores dubitare non ſinunt. Cum enim tales in phyſiologia ſua rationes ſequeretur, quæ communes populi de Diis notiones ſubverterent, conſultum ei viſum fuit, inter homines ſuperſtitioni avitæ ad inſaniam deditos veros philoſophiæ ſuæ ſenſus, partim novis vocabulis, partim figurata dictione & conſtructione impedita occultare & tegere. Communem enim civium ſuperſtitionem riſiſſe, teſtis eſt CLEMENS ALEXANDRINVS. [f] Mirandum itaque non eſt, nec grammaticos nec philoſophos obſcuri hominis ſcripta ſatis intellexiſſe, [g] & latuiſſe ea in adytis templi, donec a Cratete quodam Græcis vulgarentur, [h] vel, ut tradit TATIANVS, [i] Euripides poëta tragicus, Dianæ templum frequentans, traditis obſcuris Heracliti præceptis memoriæ, ea diligenter enarraret. Proſaico vero ſermone ſcriptum fuiſſe ejus librum, fragmenta teſtantur, unde qui carmen eum vocant, [k] generaliori ſenſu vocem pro quavis ſcriptione accepiſſe cenſendi ſunt. Tempus ejus ex præceptoribus & coævis colligi poteſt; Floruiſſe circa Olymp. LXIX. ait LAERTIVS. [l] Fuere & alii Heracliti, & inter hos Peripateticus philoſophus, cum Epheſio non confundendi. [m]

§. II. Philoſophiæ decreta qualia conſtituerit Heraclitus explicatu valde eſt difficile; cum enim affectatam obſcuritatem ideo diligeret, ne intelligi ab omnibus poſſet, nodos inextricabiles, quibus placitorum ſuorum enarrationem irretivit, ſtruxit, & conſtructionis ambiguæ, locutionum figuratarum, vocumque vel novarum, vel inuſitata ſignificatione adhibitarum laqueis ita impedivit, ut ex tenebris extrahi vix queant. [n] Mirum ita- *Philoſophia Heracliti.*

a) IVVENAL. *Sat. X. v. 34.*
b) LAERT. *l. IX. ſ. 5.* FABRIC. *l. c. p. 760. ſq.*
c) Collegit ea HENR. STEPHANVS *Poëſ. phil. p. 129. ſeqq.*
d) Loca veterum collecta exhibet MENAG. ad LAERT, *l. IX. ſ. 6.*
e) *l. c.* f) In *protreptico p. 33.*
g) Conf. ARISTOT. *Rhet. l. III. c. 5.*
h) LAERT. *l. c. ſ. 12.* i) *Adv. Græc. p. m. 143.*
k) TATIANVS *l. c.* conf. FABRIC. *l. c. p. 2. 761.*
l) *l. c.*
m) Enarrant eos LAERT. *l. c. ſ. 17.* MENAG. *ad h. l.* FABRIC. *l. c.* Peripateticum cum noſtro confundit Menagius.
n) Imitatus in his oracula, vid. IAMBLICH. *de myſter. l. I. c. 15. p. 79.*

que non eſt, neque grammaticos veteres neque philoſophos ſemper eum recte intellexiſſe: qui ob hanc cauſam non niſi ſumma cautione conſuli poſſunt. Nec ſcripta Heracliti integra ſuperſunt, ut ex tota doctrinarum συναφείᾳ de iis judicium queat inſtitui. Cuncta itaque ad conjecturas redeunt, quas tamen conſultis reliquiis Heracliteis ita eleganter docteque inſtruxit ὁ πάνυ GOTTFR. OLEARIVS, [o] ut veriſimilitudine ejus explicatio ſe commendet, qui ideo cum iis, quæ ſtricte dicturi ſumus, conſulendus eſt. De rationali vero, naturali & morali philoſophiæ parte Heraclitum fuiſſe ſollicitum, veteres produnt, ea tamen, quæ nobis temporis reliquit injuria, pleraque ad phyſicam pertinent, de ſententiis ejus moralibus pauca ſuperſunt: rationalem philoſophiam phyſicæ ſuperſtruxit, ex qua pauca nobis fragmenta ſervavit SEXTVS EMPIRICVS, [p] quæ hoc innuunt:

Logica Heracliti.

I. Senſum non eſſe fide dignum veritatis judicem, ſed rationem.

II. Rationem vero intelligi non quamcunque, ſed divinam & communem.

III. Id quod nos ambit, eſſe & rationis particeps, & prudentia præditum.

IV. Hanc divinam rationem cum attraxerimus per inſpirationem, effici nos intelligentes: & in ſomnis quidem oblivioſos, in vigilando autem rurſus prudentia præditos. In ſomnis enim obſtructos eſſe ſenſuum meatus, ſeparariique mentem, quæ eſt in nobis, a conjunctione, quæ illi intercedit, cum eo quod ambit, ſola ſervata, quæ adhæreſcit, reſpiratione, veluti quadam radice, & ſeparatam amittere, quam prius habebat, vim recordandi. In vigilando vero rurſus per ſenſuum meatus, cum eo, quod ſe ambit, conjungere, ac vim rationis induere.

V. Hanc autem communem rationem & divinam, & cujus participatione efficimur logicæ participes, eſſe criterium.

VI. Fieri inde, ut, quod omnibus placet, ſit fide dignum, comprehendi enim communi & divina ratione, quod autem uni ſoli occurrit, minime fide dignum eſſe, propter cauſam contrariam.

Hæc Sextus, qui ipſa quoque Heracliti verba attulit, hæc aſſerta continentia. Cuncta vero nituntur deſcriptione animæ mundi, cujus anima humana pars eſt, Heraclitea, quam in ſequentibus explicabimus: hic id modo monentes, cavendum eſſe, ne per hanc divinam rationem, quæ hominem ſubit extrinſecus illapſa, principium aliquod mere ſpirituale intelligamus; contrarium enim vel ex eo patet, quod per meatus ſenſuum hominem ſubeat; eſtque nihil aliud niſi calidum illud ſive ignis, ætherve, τὸ λεπτότατον καὶ τάχιστον διὰ παντὸς διῆκον, δι' ὃ πάντα τὰ γινόμενα γίγνεται, de quo in ſequentibus dicemus. Singulare vero hoc eſt, quod Heraclito, alta ſpiranti, plebemque ſupercilioſa ambitione ſpernenti placuiſſe PROCLVS [q] ait:

o) *l. c.* quocum conferri poſſunt TERTVLLIANVS *de anima c. 15.* PHILOSTRAT. *Opp. p. 391. Apoll. ep. 18.* CLEM. ALEX. *Strom. l. V. p. 602.*

p) *Adv. mathemat. l. VII. ſ. 126.*

q) *Comm. mſc. in Alcibiadem Platonis* apud FABRICIVM *ad l. c. Sexti.* Mirum & contradictorium eſſe ex theſi VI. manifeſtum eſt.

ait: Vulgus esse sine mente & ratione; unde & ὀχλολοίδορον eum vocavit Timon. Cur enim vulgaria ingenia, quæ eundem ætherem hauriunt, non queant esse rationalia? Sed judicabat Heraclitus ab effectu, & odio civium suorum ductus, quos desipere ad unum omnes credebat.

§. III. Physicorum dogmatum, ab Heraclito assertorum hæc summa est: *Physica Heraclitea.*

I. Ex nihilo nihil fit.

II. Id quod primum in rebus naturalibus est, a quo reliqua sunt omnia & fiunt, ignis est. Magno consensu primum hoc Heracliti principium veteres Heraclito tribuunt, ex quibus imprimis videndi ARISTOTELES, [r] CICERO, [s] PLVTARCHVS, [t] LAERTIVS, [u] & qui ipsa Heracliti verba affert, CLEMENS ALEXANDRINVS, [x] ut alios ex PP. prætereamus. Facit hujus principii auctorem primum Heraclitum LVCRETIVS: [y]

Quapropter, qui materiam rerum esse putarunt
Ignem, atque ex igni summam consistere, solo,
Magnopere a vero lapsi ratione videntur:
Heraclitus init quorum dux prælia primus.

Verum aut falli eum, aut primum ducem tantum pro primario dicere, ex iis, quæ *capite decimo* de mente sectæ Italicæ sive Pythagoreæ diximus, apertum est. Nec aliunde sua hausit Heraclitus, qui licet hujus se principii inventorem, ut erat maximus ostentator, jactaret, & αὐτοδίδακτον [z] venditaret, ab Hippaso tamen illud accepit, ut ex dictis loco citato, si cum Heracliteis conferantur, erit manifestum. Recte itaque Hippasum & Heraclitum jungunt PLVTARCHVS [a] & SEXTVS EMPIRICVS. [b]

III. Ignem vero hunc aërem quoque recte vocaveris, & exhalationem, sive ἀναθυμίασιν. Novatorem verborum fuisse Heraclitum, in antecedentibus observavimus; ut igitur, quæ ab alio accepit, tanquam nova, venderet, alienis vocabulis usus est. Esse vero aërem illum sive ἀναθυμίασιν nihil aliud, quam exhalationem ignis, sive ætherem igneum, celerrime motum, ex PLVTARCHO, [c] discimus, qui τὸ πῦρ ἀναθυμιώμενον ἀέρα γενέσθαι, ex Heracliti mente dixit. Idemque vult ARISTOTELES, [d] quando Heraclitum, scribit, dicere, τὴν ἀρχὴν εἶναι τὴν ψυχὴν εἴπερ τὴν ἀναθυμίασιν, ἐξ ἧς τἆλλα συνίστησι, καὶ γὰρ ἀσωματώτατον δὴ καὶ ῥέον ἀεί, *principium esse animam, sive aërem, ex quo reliqua omnia constant, esse enim maxime incorporeum & semper in fluxu.* Anima vero ejusdem ignis Heraclito particula est. Facile itaque in concordiam redigi possunt, qui apud SEXTVM [e] ignem Heracliti principium esse dicunt, quique aëra indicant; modo ignis illius rationem recte consideremus.

r) *Metaph. l. I. c. 3.*
s) *Acad. Q q. l. IV. c. 37. de N. D. l. III. c. 14.*
t) *De plac. philos. l. I. c. 3.*
u) *Lib. IX f. 7.* STOBAEVS *eclog. phys. l. I. p. 27.*
x) *Strom. l. V. p. 599.* ὁ κόσμος ἦν καὶ ἔσται πῦρ ἀειζωον ἁπτόμενον μέτρῳ καὶ ἀποσβεννύμενον μέτρῳ. Ita ipse Heraclitus.
y) *Lib. I. v. 636.*
z) LAERT. *l. IX. s. 5.* TATIAN. *p. 143.* OLYMPIOD. in *Phæd.* apud FABRIC. *Bibl. Gr. vol. I. pag. 760.* a) *l. c.*
b) *Adv. Mathem. l. X. s. 313.*
c) *l. c.* d) *De anima l. I. c. 2.*
e) *l. c. l. IX. s. 361.* FABRIC. *ad h. l.*

IV. Conſtat vero ignis ille, ſive aër, ramentis minutiſſimis & indiviſibilibus. Ψηγμάτια vocat PLVTARCHVS,[f] quam vocem de atomis, id eſt elementis indiviſibilibus & minutiſſimis PHILO[g] adhibuit. Idem STOBAEVS[h] Heraclito tribuit. Nec differre ignem illum, qui rerum omnium principium conſtituit, ab iſtis particulis & ramentis minimis, Plutarchi loca a nobis adducta, ſi conferantur inter ſe, evincunt. Quæ quoque cauſa fuit viris eruditiſſimis, & omnem veterum doctrinam animo complectentibus RAD. CVDWORTHO,[i] GOTTFRID. OLEARIO[k] & IO. ALB. FABRICIO,[l] ut Heraclitum inter ſyſtematis atomiſtici patronos numerarent: nec nobis aliter viſum fuit.[m] Accurate tamen rem expendentibus, nihil hic definiendum videtur: etſi enim dubium vix eſſe queat, ejusmodi particulas minimas Heraclitum ſtatuiſſe, nondum tamen id ſyſtematis atomiſtici patronum efficit, ſed requitur, ut omnibus quoque qualitatibus præter figuram & motum nudaverit; quod ex Heracliti ſyſtemate vix probari, ſane nihil certi hic definiri poteſt.[n]

V. Sunt vero particulæ ſive ramenta illa minima non ſimplicia tantum & ex nullis aliis compoſita, ſed & æterna, & ignis ille æternus & periodicus.[o]

VI. Otium vero & quies in univerſo non eſt, illa enim iis competunt, quorum nulla eſt vita, ſed motus, & quidem æternis æternus, mortalibus vero finitus. Patet ex his PLVTARCHI[p] & STOBAEI[q] verbis, particulas illas, ignem aëremve conſtituentes motum in ſe habuiſſe æternum. Idem ARISTOTELES[r] quoque aſſerit, qui de principio materiali Heracliti verba faciens, parum illud, ait, corporeæ ſubſtantiæ habere, id eſt, eſſe ſubtiliſſimi corporis, & in perpetuo motu verſari. Vnde vero ille motus ſit, originemque ſuam habeat, prolixe quærendum non eſſe putamus, cum æternitas motus iſtis particulis ignique tributa ſatis prodat, ab intrinſeca earum natura eum proficiſci. In alia quidem omnia abit præſtantiſſimus OLEARIVS,[s] ut demonſtret, motum hunc eſſe a Deo, quem λόγον καὶ εἱμαρμένην dixit Heraclitus: dabimus etiam, non inepte iſta dici: hoc vero notandum eſſe, ex dicendis patebit, Deum hunc ſubſtantia & natura ſua a particulis iſtis ſive igne diſtinctum non eſſe, ſed eſſe illam ipſam naturam, vimque neceſſariam, unde omnia, modificato iſta neceſſitate & intrinſeca ratione igne formantur. Ideo enim dicitur λόγος δημιεργὸς καὶ Θεὸς apud CLEMENTEM ALEXANDRINVM.[t]

VII. Cum minimæ ſint iſtæ ignis particulæ, celerrimoque agitentur motu, ſenſibus expoſitæ non ſunt, nec videri, tangive poſſunt, adeoque incorporales dici poſſunt, ac ignis aërisve appellationem omnium optime tuentur.

VIII.

f) *Lib. I. c. 13. de plac. phil.*
g) *De opificio mundi p. 8.*
h) *Eclog. phyſ. c. XVII. p. 32.*
i) *Syſtem. intell. c. I. §. 16. p. 22.*
k) *l. c. p. 845. ſeqq.* qui multus eſt in hac ornanda opinione.
l) Ad SEXT. EMPIR. *p. 136.*
m) In Germanico *Hiſt. phil.* opere *T. II. p. 427.*
n) Ita etiam cl. MOSHEM. *ad l. c.* CVDWORTHI.
o) STOBAEVS *l. c.*
p) *l. c. l. I. c. 23.*
q) *l. c. c. XXII. p. 40.*
r) *De anima l. I. c. 2.*
s) *l. c.*
t) *Strom. l. V. p. 599.*

VIII. Particulis his coëuntibus ignis enaſcitur, ſed elementaris. Ita, diſtinctione ex Stoica, quæ Heraclitum ſecuta eſt, ſchola adhibita conciliari poſſunt cum dictis illi, qui elementum ignis ab Heraclito pro rerum omnium principio admiſſum eſſe dicunt. [a] Alius enim ignis eſt artificialis & rerum omnium creator, alius elementaris ab eo productus.

IX. Omnia itaque ex igne naſcuntur, & in ignem reſolvuntur, ignisque principium eſt, ex quo exiſtunt omnia, & finis, in quem poſt certas periodos omnia recident. [x]

X. Mundus vero duplex eſt: unus æternus, quem neque Deorum ullus fecit, nec hominum: ſed fuit, ſemper eſt & erit ignis ſemper vivens, menſura accendens, & extinguens: alter vero, qui conſiſtit per variam & multiplicem exornationem, qui & ortus & eſt, & in quem cadet interitus. Verba hæc ipſa ſunt Heracliti ſervata a CLEMENTE ALEXANDRINO, [y] ex quibus apparet, ignem ſive materiam, ex qua ſunt omnia, illi fuiſſe æternam, nec unquam genitam, ex ea vero mundi hujus aſpectabilis formam fuiſſe compoſitam. Multum hunc locum torquet CVDWORTHVS, [z] ut genitum a Deo eſſe mundum Heraclitus negaſſe non videatur: ſed contra aperta philoſophi verba, mundi ſive materiæ æternam exiſtentiam aſſerentia, ut recte obſervavit cel. Interpres. [a]

XI. Ignis hic Deus eſt. Ita recte CLEMENS ALEXANDRINVS, [b] ut ex ſequentibus conſtabit.

XII. Eſt vero in æterno illo igne æternus ac neceſſarius motus, vi cujus agitatus ignis mundum produxit. [c]

XIII. Hic æternus & ex intrinſeca particularum iſtarum natura exoriens motus fatum eſt, ſecundum quod omnia fiunt, conſervantur, reſolvuntur, & revolvuntur. Hocque fatum neceſſitas eſt, aliter enim ſe habere natura ignis non patitur. [d]

XIV. Eſt vero fatum, ſubſtantia, mente prædita, ſubſtantiam univerſi permeans, & de motibus contrariis rem efficiens. Ita PLVTARCHVS [e] & STOBAEVS, [f] qui ideo fatum, λόγον, vocant, certis enim ac rationalibus motus legibus agit, unde rationem ei Heraclitus tribuit.

XV. Eſt itaque ratio in fato, quæ cum totum mundum permeet, mundi anima eſt. [g]

XVI. Mundi hæc anima, motu ſuo æterno & neceſſario, ſive rationali opifex (δημιεργὸς) eſt rerum omnium. Fundamenta hæc ſunt metaphyſica totius phyſiologiæ Heracliteæ, ex quibus de theologia ejus judicandum eſt. Quam cum, quibus poterat, eruditionis elegantiſſimæ viribus purgare, & ab impietate procul eſſe demonſtrare conniſus ſit OLEARIVS; [h] merito

Theologia Heracliti.

a) PLVT. *l. c. l. I. c. 2.*
x) *ibid.* STOB. *eclog. phyſ. c. I. p. 2.*
y) *Stromat. l. V. p. 599.*
z) *l. c. p. 160.*
a) *Ad h. l. not. 5.*
b) *In protrept. p. 42.* TERTVLL. *contra Marcion. l. I. c. 12,* STOB. *l. c.*
c) ARIST. *de anima l. I. c. 2.* PLVT. *l. c. c. 23.* STOBAEVS *l. c. c. 22.*
d) HERMIAS *irriſ. phil. gentil. p. 178.* LAERT. *l. IX. ſ. 7. 8.* PLVT. *l. c. l. I. c. 27.* THEODORIT. *Therapeut. l. VI.*
e) *ib. c. 28.*
f) *l. c.*
g) *ll. cc.*
h) *l. c.*

merito is paucis audiendus eſt. Putat vero Heraclitum, licet materiam, ſive principia illa minutiſſima æterna faciat, iis tamen adjunxiſſe Deum, ſive principium aliquod rationale, quod illis motum dederit, & fatum, neceſſitas, demiurgus, anima mundi, verſatilis mundi harmonia &c. vocetur. Quod ut contra adducta hactenus, quæ contrarium ſvadere videntur, veterum teſtimonia evincat, obſervat, 1. Heraclitum quidem ignem, ſive materiam dixiſſe Deum, ſed ideo tantum, quod is principium ſit, adeoque divinum aliquod, more apud veteres philoſophos recepto, qui prima elementa, ſive principia atque ὕλην, ex qua omnia fieri ſtatuebant, θεὸς appellarunt. 2. Nec æternum obſtare motum, quo minus ille particulis ab infinito rerum auctore ab æterno imprimi potuerit. 3. Maxime vero attendendum eſſe, ad fati deſcriptionem, quod Heraclitus non animam tantum dixerit mundi omnia pervadentem, agitantem & formantem, ſed & ſubſtantiam ratione præditam, & λόγῳ mundum formantem & perficientem, eamque diſerte Deum eſſe dixerit. Hæc prolixe & erudite diſcutit & contra objectiones quasdam tuetur vir veterum doctrinarum peritiſſimus. Etſi vero non adeo proficere hac in quæſtione enodanda nos poſſe inde judicari poteſt, quod non tantum ineluctabili obſcuritate laboret philoſophus, ſed & ſibi contradicere interdum, jam olim obſervaverit PLATO,[i] ſi tamen ea, quæ ſupra, ipſis veterum verbis adduximus, conſulamus, & accuratum ſyſtematis hujus nexum intueamur, fatendum nobis eſt, doctius, quam felicius, majorique eruditione quam veritate, Heracliti cauſam egiſſe virum longe præſtantiſſimum, & poſt cineres quoque præmaturos venerandum. Nam I. id non apertum modo eſt ex tota aſſertionum ſupra adductarum connexione, ſed ab ipſo quoque doctiſſimo viro obſervatum, Heraclitum & Stoicos eadem fere dicere, cum hi illum præceptorem, vel ducem potius, habuerint. Quæ itaque ad illuſtrandum hoc argumentum de Stoicis *capite nono* dicta ſunt, ea accurate illud noſcere cupienti relegenda eſſe monemus, ſperantes fore, ut deſinat magnifice de Heracliti theologia ſentire. II. Non hoc tantum diſceptatur, utrum Heraclitus Deum admiſerit, nec nec? utrum rebus omnibus ineſſe rationem, animamque omnia λόγῳ formantem & conſervantem ſtatuerit? ſed id potiſſimum in cenſum venit, num hic Deus ab igne illo, ex quo omnia ſunt, tanquam ſubſtantia aliqua natura & eſſentia tota diverſa, differat, numque ita libero ad materiam rerum ornandam acceſſerit actu, ut nulla intrinſeca neceſſitate ſui vel materiæ cogente, rerum omnium factus ſit opifex: vel an Deus ille & materia ſive ignis, quoad ſubſtantiam unum tantum ſint & conſtituant principium? III. His præmiſſis ſatis evidens eſſe putamus, ſi allata hactenus veterum teſtimonia conſulimus, non prius, ſed poſterius placuiſſe Heraclito. Quod ne multis, quæ afferri poſſent, argumentis, conficiamus, impedit quidem ſcriptionis terminus, pauca tamen rem, quantum philoſophia ſupra modum obſcura patitur, in luce ponunt. Scilicet ARISTOTELIS[k] aucto-

i) In *convivio*.

k) *Lib. I. c. 3.*

auctoritate conſtat, Heraclitum inter eos philoſophos fuiſſe, qui unum tantum principium conſtituere, nempe materiale, quocirca eum reprehendit, quod cauſam motus omiſerit, id eſt cauſam efficientem. Num id eo tempore quo Heraclitei adhuc vivebant, ſcribere poterat Ariſtoteles, ſi duas cauſas ignem, & Deum illum moventem, aſſeruiſſet. Nec hic ad malam Ariſtotelis fidem provocari poteſt, cum, quæcunque ab aliis quoque veterum afferuntur, cum eo conſentiant. Nec objici poteſt, Heraclitum de cauſis tantum naturalibus, non ſupernaturalibus loqui voluiſſe. Nam qui pro Heracliti orthodoxia pugnant, contendunt, inter cauſas naturales, ab eo allatas efficientem etiam, Deum, connumerari. IV. Apertum vero eſt, ex ſupra dictis, ignem illum a Deo peculiari ἐσίᾳ non diſcrepare, ſed Deum eſſe vim illam, in igne latentem, ſive intrinſecam ejus naturam occupantem, qua, ψίγματα illa vehementiſſime commota, & æternum agitata, tandem in ornatum mundi coaluerunt. Nihil enim, quicquid de Deo dixit, plus evincit, quam hoc ſolum, ineſſe igni illi iſtam rationalem & animalem vim, qua ex igne omnia moventur. V. Ex his vero prona conſequentia fluit, Deum ab ipſo igne illo non eſſe diverſum, licet is materiæ craſſiori, quæ ex illo enata eſt, opponatur. Cum enim igni huic vis iſta divina & rationalis inſit, alio auctore, motum producente opus non erat, ſtultumque eſſet, de externo motus principio, ut Democritus quoque ſentiebat, quærere. VI. Satis vero ex his manifeſtum eſt, cur fatum ſive neceſſitatem, & rationem ignem vocaverit? Cum enim intrinſeca naturæ illius neceſſitate ignis moveatur, & agat, nec aliter etiam agere queat, quam vis illa poſtulat, neceſſaria æternarum conſecutionum lege ſequuntur & conſtant inter ſe omnia, nec aliud λόγος ille eſt (modo ita locutus ſit Heraclitus,) quam æterna ſeries cauſarum & eventuum apte inter ſe cohærens, ex natura ignis ejusque æterni motus orta.[l] Addimus his VII, adeo neceſſarium putaviſſe, fato, neceſſitati, igni, Deo, motum Heraclitum, ut nec animum humanum, qui tamen ex Deo diſcerptus ejusque pars ab eo avulſa & in eum reditura, eſt, nec quicquam aliud ſine motu eſſe, ſed omnia æternum moveri ſtatuerit, quod unanimis veterum conſenſus ei tribuit.[m] Egregie vero inde argumentatus CICERO[n]: *Cumque idem omnino, quia nihil ſemper ſuo ſtatu maneat, neget, eſſe quicquam ſempiternum, nonne Deum ita tollit omnino, ut nullam omnino ejus opinionem reliquam faciat.* Nec juvat virum optimum quod affert,[o] hoc de materia tantum intelligendum eſſe, eam enim, πᾶν dici, Proclum afferere. Hos homines enim corrupiſſe veterum philoſophiam, Platonicas ei ſignificationes introducentes, multoties inculcavimus. Falliturque vir eruditiſſimus, qui theſin hanc ad mundum genitum pertinere putat. Contrarium enim Clementis locus ab ipſo adductus

l) Ita etiam CICERO *Acad. Qq. l. I. c. 7.*

m) Hinc ἀΐδιον περιοδικὸν πῦρ STOBAEO *l. c.* & κίνησις ἀΐδιος τοῖς ἀϊδίοις PLVTARCHO *de plac. l. I. c. 23.* quæ etiam æternis motum ineſſe docent.

n) *De N. D. l. I.*

o) *l. c. p. 861.*

ductus quem ſupra citavimus, probat, ubi diſerte de mundo æterno dicitur: eſſe πῦρ ἀείζωον ἁπλόμενον μέτρῳ καὶ ἀποσβεννόμενον μέτρῳ, *eſſe ignem ſemper viventem, id eſt intrinſeca natura ſua ſe moventem, accendentem & extinguentem certa menſura*, nempe fati ſive neceſſitatis ordine *mundum*, quod ſine motu fieri nequit. Poteramus addere, quod PLATO [p] hanc theſin abſolute acceperit, alias ideas ſive res per ſe ſubſiſtentes & immateriales non addidiſſet; ſed ſatis hac de re dictum eſt. Concedamus itaque Heraclitum verbotenus inter profeſſores Dei eſſe referendum, reapſe tamen eum ex mundo ſuſtuliſſe, talem illum fingendo, qualis Deus nullus eſſe poteſt, ex dictis probabile eſſe putamus. Quod ſi tamen ſanum magis ſenſum Heracliti dictis conciliari poſſe contendatur, id ſaltem largientur nobis æqui lectores, nihil in his definiendum eſſe, pro certo,[q] licet ſuſpicione valde prematur Heraclitus.[r] Ex dictis vero intelligi quoque poteſt, cur Heraclitus dicatur PLVTARCHO[s] aſſeruiſſe fluere omnia, bellumque eſſe patrem ac dominum omnium. Cum enim æternus ille ignis motus, in παλιντρόπῳ ἁρμονίᾳ κόσμου, *in verſatili harmonia mundi* verſetur, ita ut aggregando & ſeparando operetur, ſicque omnia oriantur ex iſta, quam ita deſcribit, anima mundi, facile inde colligi poteſt, differentem illum particularum motum, & diſcordiam ab eo innui: unde perperam PLVTARCHVM intellexit CVDWORTHVS,[t] qui animam quandam malam ei tribui, putat, vel Deum malignum.

XVII. Cuncta itaque fluunt, & perpetuo in motu ſunt, æterna in æterno, corruptibilia vero in perituris.[u] Vetuſtiſſimum hoc dogma fuiſſe, aliquoties oſtendimus; nec aliter Heraclitus, hoc tamen diſcrimine a Pythagoreis diverſus, quod nullas alias ſtabiles naturas ſive ἀστίας ſtatueret, ſed animam ipſam κίνησιν eſſe, perpetuoque in fluxu verſari diceret.[x] Ex his ſequitur, quietem nullam eſſe in mundo, eam enim eſſe mortuorum aiebat.

XVIII. Duplex vero particularum minimarum, quæ ignem conſtituunt, motus eſt, ad efformandam rerum genitarum faciem; primus eſt τῆς ἐναντιοτροπῆς vel ἐναντιότητος,[y] quo τμήματα illa, particulæve minimæ inter ſe mutuo arietantes, adverſisque motibus ſeſe impellentes varie agitantur. Dubia & obſcura vocum harum ab Heraclito adhibitarum interpretatio eſt, quam tamen hoc ſenſu ſi admittamus, recte ſyſtema Heracliti cohæret.[z]

XIX. Hinc ſequitur, quod ſupra jam tactum, bellum, ſive contrarietatem, rerum omnium parentem eſſe, ut ait PROCLVS,[a] vel, ut habet LAER-

p) In *Cratylo. T. I. p. 400.*
q) Huc inclinat BVDDEVS *theſ. de atheiſmo c. I. §. 20.*
r) Idem monet Ven. MOSHEMIVS *ad* CVDWORTH. *p. 136. n. 5.*
s) *De ψυχογον. T. III.*
t) *l. c. c. IV. §. 13. p. 245.*
u) PLVT. *l. c. c. 23.* STOBAEVS *l. c. c. 23.* LAERT. *l. IX. ſ. 8.* PLATO paſſim, præſertim in *Cratylo T. I. p. 400.* conf. OLEAR. *p. 861. Hiſtoria de ideis l. c. p. 124. Amoenit. liter. T. VIII. p. 312.*
x) TATIAN. *l. c. p. 174.* ARIST. *de anima l. I. c. 2.*
y) LAERT. *l. IX. ſ. 7. 8.*
z) OLEAR. *l. c. p. 862.*
a) *Ad Timæum Plat. l. I. p. 24.*

LAERTIVS,[b] rerum geneſin, quod ex contrariis efficit, vocari bellum & litem, & quod ARISTOTELES[c] addit: ex iis optimam tandem harmoniam exſurgere, quæ adverſis motibus agitantur.

XX. Dum iſto motu agitata in ſe mutuo irruebant rerum principia, diverſimode ſibi non innecti non potuere, ut adeo in ingentem denique eamque craſſam & confuſam molem coaluerint.

XXI. Conſtipatus itaque in craſſam molem eſt ignis ille naturalis, quæ cum iterum digereretur, rerum omnium generatio abſoluta eſt. Prius πύκνωσιν, poſterius μάνωσιν vel ἀραίωσιν vocabat.[d]

XXII. Ignis conſtipatus primus quaſi liqueſcit, & conſiſtens in aquam degenerat, aqua magis conſtipata in terram vertitur;[e] vel, ut alii[f] rem exprimunt, ignis extinctus gignit aërem, aër aquam, quo magis enim particulæ igneæ, mutuis concurſibus inter ſe cohærentes concreſcunt, eo magis conſtipantur, ſicque rerum elementa inter ſe mutuo mutantur. Expreſſit hoc Heraclitus more ſuo allegorica ſignificatione ita: *animabus*, id eſt, igneæ illi naturæ, quam ψυχὴν vocaſſe ſupra monuimus, & ARISTOTELES[g] quoque teſtatur, *mortem eſſe aquam, aquæ autem terram.* Quæ accepiſſe ab Orpheo, CLEMENS ALEXANDRINVS[h] tradit, addens hæc ipſius verba: *Animabus* (id eſt igni) *mors eſt, aquam fieri, aquæ autem mors eſt, fieri terram, ex terra autem fit aqua, ex aqua anima.*

XXIII. Procedentia itaque rerum principia antea ſejuncta, hunc in modum in unam maſſam coaluerunt, & unum conſtituerunt. Hincque unum illud ortum eſt, ex quo omnia reliqua poſtea ſunt genita; quo uno tamen priora eſſe ſecundum Heraclitum ψίγματα illa, diſerte tradit STOBAEVS.[i]

XXIV. Hæc vero via infra ducens eſt, ſi Heracliti ſermone utamur, ὁδὸς κάτω, qua deorſum ſubſidere particulæ, quam ſecuta eſt via ſurſum ducens ὁδὸς ἄνω, ubi ex hac indigeſta mole elementa, reſolutis & mutatis inter ſe particulis, orta ſunt. Hinc intelligendum obſcurum decretum Heracliti: τὴν μεταβολὴν ὁδὸν ἄνω κάτω εἶναι, apud LAERTIVM.[k] Rerum enim mutatio ſive generatio duplici iſta via peragitur.

XXV. Maſſa illa indigeſta & in unum coalita, terra eſt; ignis enim conſtipatus in aquam, aqua in terram abit. Non vero hæc quæ in via κάτω ſunt, confundi debent, cum elementis aquæ terræque, via ἄνω productis, ſed generaliori tantum ſignificatione accepta, ex tenuiſſimis particulis craſſiores ſenſim maſſas exortas eſſe indicant.[l]

XXVI. Terra itaque hæc porro, ut rerum γένεσις exoriatur, funditur, (χεῖται)[m] quæ fuſio altera motus ſpecies eſt, ad digerenda illa pertinens,

b) *l. c.*
c) *Ad Nicomach. l. VIII. c. 2.* Ita vero Pythagoreorum ſequebatur placita.
d) LAERT. *l. c. ſ. 8. 9.* STOBAEVS *eclog. phyſ. l. I. p. 27.*
e) PLVTARCH. *de plac. l. I. c. 3.*
f) Conf. notata MOSHEMIO *ad* CVDWORTH. *p. 125. n. 2.*
g) *De anima l. I. c. 2.*
h) *Strom. l. VI. p. 624.*
i) *Eclog. phyſ. c. XVII. p. 33.*
k) LAERT. *l. c. ſ. 8.*
l) Vid. OLEAR. *l. c.*
m) LAERT. *l. IX. ſ. 9.*

nens, quæ particularum contraria agitatione confuſe congeſta fuere. PLVTARCHVS [n] paulo luculentius ἀναχαλᾶσθαι dixit, id eſt, ſolutis iſtius compagis vinculis diffluxiſſe, variaque ita mundi corpora exhibita fuiſſe.

XXVII. Chaos ſcilicet iſtud, & indigeſta moles virtute ignis in ea prævalentis, atque agilitate ſua reliquas etiam partes impellentis atque vinculis ſuis exſolventis, commotum & ſolutum eſt, ſicque partis agentis locum in rerum generatione occupavit. [o]

XXVIII. Ab hoc igne aqua primo excoquitur, aqua vero in vapores reſolvitur, & hinc deinde reliqua naſcuntur. Variant quidem in eo veteres, num ex aqua terram, vel ex terra aquam oriri dixerit, ſed diſſenſum in verbis eſſe generaliori ſenſu accipiendis rectiſſime monuit OLEARIVS. [p]

XXIX. Vaporum autem duæ ſpecies ſunt, altera puriorum & lucidorum, altera craſſiorum & tenebricoſorum, quorum iſti ex aqua, hi ex terra evehuntur: ab iſtis lucidorum ab his humidorum corporum origo eſt. [q]

XXX. Omnis igitur cœleſtium corporum chorus cum Phœbo natales, ſaltem ſplendorem, maris, id eſt χάος ἀνθυμιάσεσιν debet. [r]

XXXI. Mundi anima etiam ex humida evaporatione eſt, a qua cum arcte dependeant animalium animæ, eandem illæ ſortiuntur originem humido interno ad idem cooperante, cum ſit ejusdem generis. [s]

XXXII. Quin nec animorum humanorum alia ratio eſt, quæ ambiente hominem mundana iſta anima per meatus ſenſuum in eum tranſit. Clarum hoc eſt ex loco SEXTI EMPIRICI §. antecedente adducto, unde merito miramur, τὸν πάνυ OLEARIVM [t] putaſſe, Heraclitum iſta ad animum humanum non extendiſſe, eo quod ejus naturam ſibi ignotam eſſe, non diſſimulaverit.

XXXIII. Sunt in hoc mundo ſcaphæ, parte concava ad nos converſæ, in quibus congregatæ liquidæ evaporationes reddunt flammas, hæ ſidera conſtituunt, quæ nutriuntur exhalationibus a terra ſubmiſſis. [u]

XXXIV. Flamma ſolis lucidiſſima calidiſſimaque eſt, namque aſtra reliqua remotiora ſunt a terra atque adeo minus lucent, minusque calefaciunt.

XXXV. Sol major non eſt, quam oculis apparet, [x] figura ejus ſcapham refert, cujus concava pars nobis obverſa eſt. In aëre vero eſt puriore & intervallo a nobis diſtat decente proportione: eclipſin patitur ex eo, quod figura ejus ſcapham referat, cujus parte concava ſurſum verſa, nobis vero obverſa parte convexa. Lunæ ſimilis ratio eſt. [y] Quæ vero iſtarum ſcapharum natura ſit, veteres non deſcribunt. [z] XXXVI.

n) *de plac. l. I. c. 3.*
o) PLVT. STOBAEVS *ll. cc.*
p) *l. c. p. 867. 868.*
q) LAERT. *l. c.*
r) PLVTARCH. *l. c. l. II. c. 22.* STOB. *p. 55. 60.* qui, Hecatæum idem dixiſſe, addit.
s) PLVTARCH. *l. c. l. IV. c. 3.*
t) *l. c. p. 868.*
u) LAERT. *l. IX. ſ. 9.* STOB. *l. c. p. 53.*
x) LAERT. *ſ. 10.* y) PLVT. *l. c. l. II. c. 25.*
z) IAC. THOMAS. in diſſ. *de loco animæ poſt mortem & ſcaphæ lunæ c. V. §. 10. T. I. Hiſt. ſap. & ſtult. p. 73.* putat, allegorice hoc Heraclitum dixiſſe: quod tamen vix videtur veriſimile.

XXXVI. Omnes ſtellæ ex terrena exhalatione nutrimentum capiunt.[a]

XXXVII. Dies & nox, menſesque & annus, annique ſtata tempora, pluviæ & venti, & his ſimilia, pro exhalationum ratione fiunt.[b]

XXXVIII. De animæ natura certum quid definire impoſſibile.[c]

XXXIX. Ex ante dictis tamen neceſſarium eſt, eſſe eam, ut alia omnia, ex exhalatione, ex qua anima mundi conſtat, omnibus animabus ejusdem naturæ participantibus:[d] unde ſequitur eam in perpetuo fluxu verſari atque motu.[e]

XL. Animarum vero & dæmonum plena ſunt omnia.[f] Neceſſarium hoc conſectarium eſſe animæ mundanæ, aliquoties in aliis quoque philoſophis obſervavimus.

XLI. Anima ſicca eſt optima.[g]

XLII. Animarum intelligentium mors ex humidis iis obtingit.

XLIII. Animæ ex hac vita diſcedentes, in animam univerſi abeunt, quippe quæ cognata eſt iis, & ejusdem naturæ. Fluit hæc aſſertionum ternio, ex ſemel admiſſa natura & γενέσει univerſi, per ἀναθυμίασιν formati; cum enim anima mundi, iſtarum evaporationum plena ſit, id eſt, particulis igneis minimam mutationem paſſis turgeat vel conſtet, animæ vero ex ea ſint decerptæ, ſequitur inde eas animas, quæ in craſſiorem & magis humidam compagem coactæ non ſunt, adeoque ſiccæ magis & igne plenæ ſunt, optimas eſſe, actionibus nempe rationalibus maxime aptas. Vbi vero ignis ille calorve animæ humidis vaporibus conſtipatur magis, attenuantur etiam animæ, & in aqueam tandem maſſam transgreſſæ moriuntur. Acceſſe ex Stoicis quosdam inſulſam hanc pſychologiam ab Heraclito, *capite nono* monuimus.

XLIV. Temporis corporea eſt natura.[h] Sequitur id ex natura & origine ſiderum tempus dimetientium.

§. IV. Phyſicorum hæc dogmatum præcipuorum ſecundum Heraclitum, ſumma eſt, quædam enim minutiora brevitatis cauſa omiſimus, alibi quærenda.[i] Reſtat philoſophia moralis, quam an unquam ex inſtituto & ſyſtematica tractatione expoſuerit, olim jam diſputatum eſſe, SEXTVS EMPIRICVS[k] prodidit. Pauca quæ reſtant, hæc ſunt, ſcopæ tantum diſſolutæ: *Philoſophia moralis Heraclitii.*

I. Finem hominis beneplacitum eſſe, & ſi illud obtinetur, inde eſſe ſummum bonum. Refert hoc THEODORITVS,[l] obſervans, reipſa cum Epicuro voluptatem pro ſummo bono habuiſſe, fatetur tamen, non explicaſſe, quid illud beneplacitum ſit: quare & nos nihil definimus.

a) PLVT. *l. c. l. II. c. 17.*
b) LAERT. *l. IX. ſ. 11.*
c) *ib. ſ. 7.* verba Laërtii in mendo cubare videntur conf. MENAG. *h. l.* LIPS. *Phyſ. Stoic. l. III. diſſ. 9.*
d) PLVT. *l. c. l. IV. c. 3.*
e) Vid. allata *Amoen. lit. T. VIII. p. 312.*
f) LAERT. *ſ. 12.*
g) STOBAEVS *Serm. 17.* phyſice, non moraliter hoc intelligendum eſt.
h) SEXT. *adv. math. l. X. ſ. 216.* res nempe in tempore & tempus idem eſſe putabat.
i) Apud STANLEIVM *P. IX. p. 870.*
k) *Adv. math. l. VII. ſ. 7.* Scripſit tamen etiam *de republica*, ut ſupra dictum; immo librum *de natura*, potiſſimum moralem fuiſſe Diodotus ait apud LAERT. *ſ. 15.*
l) *Therapeut. l. XI. p. 152.*

II. Corpus contemnendum quidem & ſtercore vilius judicandum, facillima itaque ratione naturæ deſideriis fieri ſatis debere, quam diu Deus corpore, ut inſtrumento, uti jubet.[m]

III. Variam eruditionem mentem non inſtruere. Culpat hoc LAERTIVS,[n] tanquam ſpecimen animi alios contemnentis: aliter tamen & ſano ſenſu Heraclitum intellexiſſe, ex ſtudio ſe ipſum cognoſcendi indeque philoſophiam auſpicandi recte concluditur.

IV. Quorumvis hominum refert, noſſe ſe ipſos, & ſibi moderari prudenter.[o]

V. Vivere & mori perinde eſſe, vigilare item & dormire, juvenem eſſe & ſenem, horum enim quodvis per vices mutari in ſuum contrarium. Nititur hoc dogma, cui conſolationem ad Apollonium ſuperſtruxit PLVTARCHVS,[p] principiis iſtis phyſicis, quæ §. antecedente explicuimus, quibus contrariorum ratio, quæ initio obtinet, per totam rerum γένεσιν ita continuatur, ut ex uno alterum, contraria ex contrariis, amara ex dulcibus, calida ex frigidis &c. oriantur: ex quibus ſequitur, quod SEXTVS[q] Heraclito tribuit: contraria circa idem apparere.

VI. Et vitam & mortem eſſe, cum vivimus & morimur, nam cum vivimus, mortuas eſſe noſtras animas, & in nobis ſepultas, cum autem morimur, reviviſcere & vivere. Et hanc ſententiam Heraclito tribuit SEXTVS,[r] quæ ex phyſiologia ejus lucem capit. Anima enim corpus ſubiens dum arctatur & comprimitur, multum ex ignea natura ſua ob conſtipationem particularum amittit, id vero mori eſt: liberata vero corpore, & animæ mundi iterum juncta agilitatem, igneumque motum recipit & reviviſcit. Nec aliud vult obſcura ſententia Heracliti, HERACLITO[s] juniori memorata: Θεοὶ ἄνθρωποι ἀθάνατοι, ἄνθρωποι θεοὶ θνητοὶ, ζῶντες τὸν ἐκείνων θάνατον, θνήσκοντες τὴν ἐκείνων ζωήν. Dii enim in anima mundi comprehenſi dæmonesque, quorum mundus plenus eſt, in eo tantum ab hominis anima diſtant, quod hæc corpus ſubit, ſicque ignea & divina vi ſua quaſi privatur & moritur, atque ex Deo homo fit, ubi vero homo moritur, ad Deos iterum & divinam naturam redit.

VII. Manere homines mortuos ea, quæ neque ſperent, neque expectent.[t] Exiguam ſpem futuræ poſt mortem felicitatis reliquiſſe Heraclitum, & dogma hoc, & ratio phyſica modo data evincunt.

VIII. Morbum ſanitatem excipere, jucundam rem & bonam, famem ſatietatem, laborem quietem.[u]

IX. Oportere multarum rerum eſſe gnaros philoſophos.[x]

X. Maximam virtutem eſſe, ſibi ipſi temperare; maximam ſapientiam, veritatem & dictis & factis referre, ipſas rerum naturas aſſecutum.[y]

XI.

m) SVIDAS *in Heracl. T. II. p. 72.*
n) *l. IX. ſ. 1.* MENAG. *ad h. l.*
o) STOB. *ſerm. IV.* p) *T. II. p. m. 106.*
q) *Pyrrh. hyp. l. I. c. 30. ſ. 210. l. II. c. 6. ſ. 63.*
r) *ib. l. III. c. 24. ſ. 230.*
s) In *Allegor. Homer. p. 443.* ed. Gal.
t) CLEM. ALEX. *Strom. l. IV. p. 532.*
u) STOBAEVS *Serm. XXVIII. p. 89.*
x) CLEM. ALEX. *l. c. l. V. p. 615.*
y) STOB. *l. c.*

XI. Ingenium homini dæmonem esse. [z] Receperunt hoc quoque ab Heraclito Stoici.

XII. Sapere ut possint, omnibus ad manum esse. [a]

XIII. Foveri omnes humanas leges ab una divina, quæ quidem tantum potest, quantum libet, & sufficit omnibus, atque etiam superat. [b] Lex divina qualis sit, ex physiologia Heraclitea disci debet, nempe necessitas, fatum, ratio, ordo, qui omnibus rebus inest, quo omnia, tanquam ab anima, diriguntur. Et hoc cum aliis Heracliteis dogmatibus Stoicos recepisse, ex eorum philosophia morali patet, nam naturam sequi, idem dicit. Hinc κατὰ φύσιν ποιεῖν, secundum naturam agere [c] Heraclitus commendabat.

Sectatores Heraclíti.

§. V. Sectatores habuisse Heraclitum, licet philosophiam suam ipse condiderit, veteres diserte testantur. [d] Factum tamen id demum esse, ex quo ejus scripta in Dianæ adytis reposita inspexere Græci, ex supra adductis liquet. Didicitque ipse Plato valde juvenis Heracliteam philosophiam a Cratylo, [e] ut suo loco probavimus, [f] partemque eam, quæ de materiæ natura & motu agit, in systema suum recepit, & physiologiam Heracliteam ad Pythagoreæ formam vel emendavit, vel quod verius dicas, corrupit. Mature tamen hanc sectam intercidisse necesse est, cum ejus vestigia post Socratis obitum fere nulla deprehendantur, quod & obscuritati scriptorum Heracliteorum insuperabili, & Platonicæ potissimum sectæ, Heraclitea comtius ornanti adscribendum esse videtur. Magna tamen semper in existimatione fuisse inter Græcos etiam Athenis Heraclitum, ex Zenonis studio tot Heracliteæ philosophiæ capita in rem suam transferendi, suoque infarciendi systemati, recte colligitur. Ceterum inter Heracliti admiratores fuisse, qui non totum quidem ejus systema approbaverint, illud tamen fuerint imitati, Heraclitistarum nomen, apud veteres occurrens, [g] suadet. Talis forte fuit HIPPOCRATES, medicorum parens, quem Heracliteum principium admisisse, ex scriptis ejus interpretes colligunt. Etsi vero, qui vel semel Hippocratis scripta inspexit, facile concedet, quod GALENVS [h] tuetur, non infimum inter philosophos locum deberi Hippocrati, recte tamen ille ad medicorum historiam remittitur, in qua de vita & placitis ejus differendi ampliſſimum campum habent, qui artis salutaris fata enarrant, [i] nondum ita emensum, ut non nova tractatione lux ampliſſima queat historiæ inde medicæ accendi.

Hippocrates.

Hoc

z) IDEM *Serm. CCL.*
a) IDEM. *l. c. p. 28.*
b) *ibid.*
c) *l. c.*
d) Plato apud EVSEB. *præp. ev. l. XV. c. 1.* ARISTOT. *Metaphys. l. XIII. c. 4.* LAERT. *l. IX. s. 6. 15.* SEXT. EMP. *Pyrrh. hyp. l. I. c. 29.*
e) ARISTOT. *Metaphys. l. I. c. 6.* LAERT. *l. c.* conf. MENAG. *h. l.*
f) *Hist. de ideis sect. I. §. 2. p. 17.*
g) LAERT. *l. c.*
h) *De natur. facultat. l. I. II. de Decret. Hipp. & Plat. l. V.* Conf. LE CLERC *Hist. de la medecine P. I. l. III. c. 2. p. 115.*
i) Vitam ejus, enarravit SORANVS Medicus Ephesius, illius operibus præmitti solitam, & denuo exhibitam a FABRICIO *Bibl. Græc. Vol. XII. p. 675.* qui & TZETZAE Carmen eadem comprehendens ibi recudi fecit. conf. SVIDAS v. *Hippocr. T. II. p. 144. seqq.* Ex recentioribus historiæ medicæ scriptores, imprimis CLERICVS *l. c. l. III. p. 112. seqq.* & SCHVLZIVS *Hist. med. Per. I. sect. III. c. 1. p. 206. seqq.* Adiri quoque possunt, si tanti videbuntur, quæ in compendio de ejus vita scripsimus in Germanico *Hist. philos. Opere T. I. p. 439. seqq.*

Hoc vero, quia limites excedit inſtituti noſtri, neque vitam neque doctrinam ejus, quam ipſe, condita medicinæ rationalis ſive dogmaticæ ſecta, a philoſophiæ cancellis ſeparavit, enarrabimus, ſed pauca tantum, quæ ad illuſtrandam Heraclitææ philoſophiæ hiſtoriam facere poſſunt, ejus philoſophiam naturalem concernentia, quæ doctos viros in diverſas abire ſententias coëgerunt, adjiciemus.

Hippocratis phyſiologia incerta & obſcura.

§. VI. Eadem vero, quæ in aliis philoſophiæ veteris partibus verſatur incertitudo, in hac quoque ejus parte deprehenditur. Nam non ſolum obſcuris valde notionibus in principiis, quæ ſecutus eſt, uſus eſt Hippocrates, ſed ſcripta quoque, quæ ſuperſunt, pleraque ejus opus non ſunt, ſed ex ſchedis ejus primisque tentaminibus a filiis & diſcipulis in formam hanc redacta & ſub ejus nomine edita, multa quoque ei ſuppoſita ſunt, quæ a genuinis diſcerni vix poſſunt, id quod jam SORANVS, [k] vitæ ejus enarrator, vidit monuitque. Recteque & opportune monet cl. CLERICVS, [l] ea inter Hippocratis ſcripta maxime ſuſpecta eſſe, quæ philoſophum magis ratiociniis & hypotheſibus utentem, quam medicum experientiam ſequentem produnt. Ipſe enim licet rationem & experientiam accurate junxerit, ſicque ab Empiricis ſe diſtinxerit, magis tamen ad humani corporis naturam experimentis comprobatam, quam ad ſyſtemata philoſophorum reſpiciendum eſſe præcepit, adeoque medicinam a philoſophis avocandam medicisque ſolam relinquendam eſſe tradidit, ſicque, quod CELSVS [m] monet, *cum eſſet, ut quidam crediderunt, Democriti diſcipulus, primus ex omnibus memoria dignis ab ſtudio ſapientiæ diſciplinam hanc ſeparavit, vir & arte & facundia inſignis.* Errant itaque injuriamque faciunt Coo ſeni, qui inter Græcanicæ philoſophiæ ſectatores eum numerant, vel Democritum vel Heraclitum ſecutum fuiſſe contendentes: nec audiendus CALENVS, [n] qui veteri traditione Platonem ex Hippocratis fonte arva ſua in Timæo irrigaſſe ſeductus, contendit, Ariſtotelis philoſophiam eſſe tantum interpretationem Hippocratis & Platonis, illumque qualitates primas, calidum, frigidum, ſiccum & humidum, ab iis accepiſſe. Huic enim refragatur ipſe HIPPOCRATES, [o] qui notabili ſententia: *qui de medicina dicere aut ſcribere conantur, & ſuæ quæſtionis genus, calidum aut frigidum, aut humidum, aut ſiccum, aut aliud quidvis propoſuerunt, ii, dum rem brevi contrahunt, & idem morborum & mortis in univerſum cauſæ principium unum vel duo conſtituunt, in multis quidem, quæ dicunt, erraſſe arguuntur.* Quibus verbis omnis philoſophiæ hypotheticæ uſus in medicina aperte rejicitur, & imprimis, illud quatuor primariarum qualitatum ſyſtema rationibus non contemnendis evertitur. Nec alia fuit philoſophia Hippocratis naturalis, quam collectio obſervationum, experientia duce factarum, ex quibus ratione duce de cauſis morborum, eorumque remediis judicabat medicus acutiſſimus. Licet enim

k) §. 4. *edit.* Fabric. *l*) *l. c.*
m) *præfat.*
n) *l. c.* conf. CLERICVS *l. c. c. 2. p. 115.*
o) *De priſca medicina p. 8.* ed. Foëſii, quam optimam ex reliquis eſſe judicat THOM. BARTHOLINVS *de libris legendis diſſ. IV. p. 118.*

enim eos rejiceret, qui ſola experientia nixi, de nullis artis regulis eſſent ſolliciti, adeoque ipſe certas rationes atque regulas medendi conſtitueret; illas tamen non ex philoſophico aliquo ſyſtemate vel hypotheſi deſumſit, ſed naturam potius corporis humani morborumque, experientia magiſtra, conſuluit. [p] Perperam itaque agunt, qui ex Hippocrate ideo philoſophum exſculpunt, quod princeps fuit medicorum rationalium. Neque tamen ideo negamus, philoſophiæ ſacris initiatum fuiſſe Hippocratem, quamvis incertiſſimum ſit, utrum unquam Democriteæ vel Heracliteæ philoſophiæ nomen dederit, vel, quod ſatis dubitantes referunt CELSVS & SORANVS, illum vel Gorgiam audiverit. Sunt tamen, qui Heracliti principia adoptaſſe, ex libro *de principiis ſive carnibus* demonſtrare ſatagunt. Quibus hoc unum opponi ſufficeret, eſſe hunc libellum ex iis, quos ab ipſo Hippocrate non ſcriptos, ſed a filiis & diſcipulis ex ſchedis ejus collectos & elaboratos eſſe MERCVRIALIS [r] acute conjicit: nec ſufficere, ut, unus alterque ex reliquis ejus ſcriptis locus, avulſus quaſi propria ſede & diſtortus, ad delineandum philoſophiæ ejus ſyſtema adhibeatur. Vt vero, quæ in eo libro [s] dicuntur, cum Heracliteis conferri queant, paucas ejus aſſertiones, alibi quoque in ejus ſcriptis occurrentes adjicimus. Sunt vero iſtæ:

I. De cœleſtibus rebus & in ſublime poſitis, nihil attinet dicere, niſi quantum conferunt ad demonſtrandum de homine & de reliquis animantibus quod ex his conſtant, & procreata ſunt, quodque animo ſunt prædita, & quod ſanitas & morbus, quodque in homine ineſt boni vel mali & mors ipſa inde proficiſcitur. [t]

II. Quod calidum vocamus, id immortale eſſe videtur, cunctaque intelligere, videre & audire, ſentireque omnia tum præſentia, tum futura.

III. Hujus pars maxima, cum omnia perturbata eſſent, & commota in ſupremum ambitum ſeceſſit, quod veteres videntur æthera appellaſſe.

IV. Altera pars locum infimum ſortita, terra quidem appellatur, frigida & ſicca, multasque motiones habens, & in qua multum ſane calidi ineſt.

V. Tertia vero pars medium aëris locum nacta eſt, calidum quid exiſtens.

VI. Quanta pars terræ proximum locum obtinens humidiſſima & craſſiſſima eſt.

VII. His igitur in orbem agitatis, cum commota & turbata eſſent, multum calidi in terra relictum eſt, alibi multum, alibi exiguum, ſed in multas partes diviſum. Et temporis ſucceſſu a calido reſiccata terra, iſta in ea, tanquam in membranis contenta circa ſe putredines excitant.

Hactenus Hippocrates, vel quisquis ex ejus ſchedis ejus de rerum ortu ſententiam explicuit, quam eo poſtea applicat, ut oſſium, nervorum, car-

p) Conf. CLERICVS *p. 114.* & SCHVLZ. *p. 219. ſqq.* Recte itaque dicas Hippocratem medicum philoſophantem, vel melius, ratiocinantem, quam philoſophum.

q) ll. cc.

r) HIER. MERCVRIALIS cura poſt Galenum & Erotianum in eo fuit, ut genuinos ab adſcititiis diſcerneret, in editione Opp. ejus *Ven. 1588. fol.* curata.

s) T. I. Opp. Sect. III. tr. 4. p. 248. ſeqq.

t) Probe ad hoc attendendum eſt, inde enim liquet, contra ſenis Coi mentem agere, qui ex ejus ſcriptis integrum phyſiologiæ Hippocrateæ ſyſtema erigere ſatagunt.

carnium reliquarumque humani corporis partium originem & ſtructuram oſtendat. His addenda, quæ alibi habet:

VIII. Lex omnia ſibi ſubjicit inque iis dominatur. *w*

IX. Nihil omnino perit, neque oritur, quod prius non erat, verum invicem commixta & diſcreta alterantur. *x*

X. Non itaque animal interire poteſt, neque quod non eſt, generari, cum non ſit, unde generetur.

XI. Verum augentur omnia, & imminuuntur, generari idem eſt ac commiſceri, interire, imminui idem, quod diſcerni.

XII. Vnumquodque ad omnia, & omnia ad unumquodque idem ſunt.

XIII. Lex enim naturæ in his adverſatur, ſeorſim vero omnia, & divina & humana ſurſum & deorſum viciſſim rependens. Interpres ſenſum dogmatis hujus non ſatis aſſecutus eſt, quod Græce ita ſonat: *ὁ νόμος τῇ φύσει περὶ τέτων ἐναντίος, χωρὶς δὲ πάντα καὶ θεῖα καὶ ἀνθρωπίνα ἄνω καὶ κάτω ἀμειβόμενος.* Vult ſcilicet Hippocrates oſtendere, ex una maſſa fieri omnia, nec pati legem ſive neceſſitatem, quæ univerſo ſive naturæ ineſt, ut aliquid oriatur, quod nihil fuerit, vel intereat, quod exſtiterit: cum divina, ſive quæ in cœlis ſunt, & humana, ſive quæ in terris, tum in condenſatione deſcenſuque particularum ex quibus conſtant, tum in expanſione aſcenſu & rarefactione, id eſt, ut Heracliteas voces cum Hippocrate admittamus, *ἄνω καὶ κάτω* mutuam hanc inter ſe relationem & mutationem habeant. Hinc ad principia duo, quæ rebus univerſis inſunt, activum, ignem, & paſſivum, aquam hæc applicans, igni, ait, ſuus eſt impetus, & aquæ item ſuus; lux Iovi, id eſt cœlo, tenebræ orco, lux orco, tenebræ Iovi; commeant & transmoventur illa huc, & hæc illuc. Quæ ſatis luculenter mutationem elementorum ex una maſſa, eorumque reſolutionem reciprocam explicant.

XIV. Hæc omnia vero fiunt divina neceſſitate, tum quæ volunt, tum quæ nolunt.

XV. Illis vero huc, his illuc commeantibus & invicem commixtis fatalem ſuam ſortem quodque complet, interitus autem omnibus eſt mutuus.

XVI. Quin etiam majus a minore augetur, tum reliqua omnia, tum hominis animus, tum corpus, quod, velut animus quoque certo ordine deſcribitur (*διακοσμέεται*). Irrepunt autem in hominem partes partium, tota totorum, habentque aquæ & ignis commixtionem.

XVII. Irrepit autem in hominem animus, ignis & aquæ temperationem ſortitus, corporis humani portionem.

XVIII. Triplices in homine ignis circuitus facit, in ſe invicem intro ac foras tendentes, alios quidem ad humorum cavitates, lunæ facultate, alios vero ad exteriorem ſuperficiem, ad ambientem conſiſtentiam, ſiderum facultate; medios autem infra & foras tendentes validiſſimum & calidiſſimum ignem, continentes, qui cunctis dominatur, omniaque ſecundum naturam operatur, ſine ſtrepitu tum viſu, tum tactu. In quo animus, mens,

w) *De genitura T. I. ſect. III. p. 237.*

x) Hæc & quæ poſtea ſequuntur, fuſe enarrat in libro *de diæta T. I. Sect. III. p. 342. ſeqq.* quocumliber de principiis conferri poteſt.

mens, prudentia, incrementum, motus, imminutio, permutatio, ſomnus, vigilia. Hic omnia in totum gubernat, & hæc & illa, & nunquam quieſcit.

XIX. Naturam Dii omnem certo ordine conſtituerunt, & ſemper recte ſe habent.

Deſcribenda hæc ipſis Hippocratis verbis fuerunt, ut a mala iſta, virorum etiam ſæpe doctorum conſvetudine, veterum opiniones ex certa, quam ſibi prius formarunt, hypotheſi explicandi immunem lectorem ſiſtamus. Quæ ſi recte intueamur, attentis obſcurum eſſe nequit, I. Hippocratem in phyſiologia ſua eodem fere, quo Heraclitus more obſcuritatem affectaſſe, & principiis quibusdam ſine definitione poſitis, e. g. natura, lege divina, ordine &c. vehementer incertum reddidiſſe, qua ratione intelligendus ſit. Prout enim his vocibus ſubjiciuntur notiones, ita de toto quoque Hippocratis ſyſtemate judicari poteſt. Nec alia ratio eſt, cur viri doctiſſimi & in lectione ſcriptorum celeberrimi medici verſatiſſimi tantopere de mente ejus diſſentiant, ut, qui poſt IO. STEPHANVM, [y] Venetum medicum, B. IO. ANDR. SCHMIDIO, [z] RAD. CVDWORTHO, [a] IO. ALB. FABRICIO, [b] IO. FR. BVDDEO, [c] ANDR. OTTOM. GOELICKE [d] & potiſſimum literatiſſimo noſtræ ætatis medico DAN. WILH. TRILLERO [e] de Deo, & ejus in rerum γενέσει partibus, ſatis orthodoxus videtur, aliis & imprimis magno veterum doctrinarum judici NIC. HIERONYMO GVNDLINGIO [f] atheus videatur. Quare qui de mente & religione Hippocratis definiunt, illi nimis confidenter & præcipitanter judicant, laudandaque cautiſſima cel. MOSHEMII [g] modeſtia, qui, in neutram partem definire, optime & prudentiſſime agi putat. II. Quod ſi allata Hippocratis dogmata cum Heracliteis conferantur, & ſine præjudicio comparentur, ad oculum, niſi plane cœcutimus, patebit, multa inter ſe convenire aptiſſime. Vtrique enim ignis primum movens, aqua patiens, lex una, neceſſaria in mundo, omnia gubernans, intelligens, animus humanus, ejus particula, in hominis meatus irrepens, isque ignis etiam omnia movens, aſt qui alterari, id eſt extingui, poteſt. Via quoque in rerum γενέσει duplex κάτω καὶ ἄνω, & per eam ex omnibus omnia, etiam contraria. Quis non Heraclitea hic agnoſcet, libereque fatebitur? Quia vero alium quoque ſenſum hæc recipiunt, nec demonſtrari poteſt, Heraclito præceptore uſum eſſe Hippocratem, quædam etiam Democritum magis, quam Heraclitum ſapiunt, apertumque eſt, Hippocratem non integrum phyſiologiæ ſyſtema, ſed tantum anthropologiam quandam dare conſtituiſſe, ideo & hic malumus ἐπέχειν, quam incertas lectori conjecturas noſtras pro certis narrationibus obtrudere.

y) Dedit is: *Hippocratis Coi theologiam, in qua Platonis, Ariſtotelis & Galeni placita Chriſtianæ religioni conſentanea exponuntur. Ven. 1638. 4.* quam ſuis annotationibus auctam inſeruit *Bibl. Græc. vol. XIII. p. 192.* B. FABRICIVS.

z) Diſſ. *de theologia Hippocratis.*

a) *Syſt. intell. c. III. §. 8. p. 104.* cui calculum adjicit CLERIC. *Bibl. anc. & moderne T. XV. 428. ſeq.* hi vero eum Deum ſtatuiſſe corporeum putant.

b) *l. c.* *c*) *Theſ. de ath. c. I. §. 20. p. 83.*

d) *Pec. orat. Duisb. 1713.* edita, & *Hiſt. Med. P. V.*

e) In *Hippocr. falſo atheiſmi accuſato Rudolſt. 1719. 8.*

f) *Otior. P. II. c. 2. p. 73-140.* qui etiam cum dictis viris contentionis ferram reciprocavit, & in *nova Bibl. P. XXIX. p. 802.* Gœlickio, *Gundlingianorum P. XXII. XXIII.* Trillero reſpondit, conf. CLERIC. *l. c.* & *Nova liter. Lipſ. 1721. p. 150.*

g) *Ad l. c.* CVDWORTHI.

* *

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

DE SECTA EPICVREA.

§. I.

Fontes historiæ sectæ Epicureæ.

Eleaticæ sectæ propago Epicurea fuit, variis in philosophiæ theatro fatis cum prosperis, tum adversis nobilis, & optima pariter atque pessima fama, diversissimo effectu, gavisa. Cujus historia cum memorabilem Græcanicæ philosophiæ actorum partem contineat, diligenter nobis enarranda est, in qua inter veteres & recentiores doctos viros duces habemus eruditissimos. Inter illos nemo magis de Epicuri historia meruit, quam Apollodorus, in Epicuri horto doctor non incelebris, qui librum *de Epicuri vita* conscripsit, ad quem sæpius provocat DIOGENES LAERTIVS. [a] Neoclem quoque, Epicuri fratrem, librum *de secta sua* scripsisse, SVIDAS [b] auctor est: utriusque tamen labore magna historiæ philosophicæ jactura caremus. Ex iis, qui supersunt, nemo de Epicuri historia præclare magis meruit, quam, qui toties nobis dux fuit, LAERTIVS: qui cum bene esset, erga magnum philosophum affectus, studiose, quæ in veterum memoriis repererat, collegit, *libroque decimo annalium philosophicorum*, exhibuit. Sunt & quædam apud SVIDAM [c] & PSEVDO-ORIGENEM [d] aliosque ex veteribus dispersa, quæ ex eorum monumentis colligenda sunt, sed accuratum & a partium studio alienum lectorem postulant, qui vera a falsis in tanto partium studio, quo Epicureæ philosophiæ historia jactata est, rite discernat. Præstantissimum Epicureæ philosophiæ monumentum TITI LVCRETII CARI *carmen* est, quo placita Epicuri eleganti puraque & inaffectata scribendi ratione expositit, nec forte plures memoria celebriores sunt inter veteres, qui bene de hac philosophiæ parte mereri concupivere: nam quæ CICERO, PLVTARCHVS hisque similes, & ex Patrum ecclesiæ quoque numero multi de Epicurea philosophia retulerunt, tam aperte partium produnt studium, ut parum eorum fide nitendum esse, cauto lectori prima mox fronte pateścat. Videturque non sine verisimilitudine hæc memoriarum de hac secta, penuria ex odio, quo non Stoici tantum, sed & reliquæ fere sectæ, imprimis doctores ecclesiæ eam pressere, fuisse profecta: indignus enim habebatur, impudentissimus atheus & voluptatis patronus, totusque ejus grex, qui horum hominum occuparet industriam. Aliter tamen post restitutas literas evenisse, historiæ literariæ acta docent, quæ non exiguum scriptorum catalogum enumerant, qui de Epicuri philosophia egregie meriti sunt, quos tamen enarrandi otium nobis fecit cel. CHR.

a) Non is confundendus est, cum Apollodoro, Athenienśi grammatico, qui librum *de sectis philosophorum* scripsit, vid. IONS. *de Script. hist. phil. l. II. c. 13. p. 183.*

b) In *Neocles T. II. p. 608.*

c) *T. I. v. Epicurus p. 812.* excerpta hæc sunt ex deperdito AELIAN. libro *de providentia.*

d) *Philosophum. c. XXII. p. 150. seqq.*

CHR. AVG. HEVMANNI [e] & GVILIELMI HENRICI BECKHERI [f] induſtria, qui indices ſcriptorum de Epicuro ejusque ſecta nobis exhibuerunt ſtudioſe confectos. Non tacendi tamen ſunt ex Gallorum gente viri duo de Epicuri hiſtoria præter omnes inſigniter meriti, & in hac philoſophicæ hiſtoriæ parte omnino conſulendi, PETRVS GASSENDVS, & IAC. RONDELLVS. Et prior quidem in egregiis *de vita, & moribus Epicuri libris octo*, aliquoties recuſis, [g] ut erat lectionis copia & judicii acrimonia incomparabilis, & tam literariæ hiſtoriæ, quam philoſophiæ præſidiis munitus, quicquid fere apud veteres de Epicuri vita dictum eſt, ſtudioſe collegit, digeſſit, & perſpicuo ac elegantiſſimo ſermone ita enarravit, ut ad id potiſſimum attenderet, ut tot veterum & recentiorum criminationes contra Epicurum everteret. Eandem Epicuri philoſophiæ præſtitit operam, tantoque eruditionis apparatu *ad librum decimum* LAERTII, quo Epicuri res recenſentur, commentarium [h] edidit, ut eorum quoque, quibus malam defendiſſe & ornaſſe cauſam viſus eſt, de eo non ſine laude dicerent, *neminem aut acrius aut quidem felicius Epicuri apologiam confeciſſe, quam Petrum Gaſſendum, virum quidem magnum, omnique, ſi quem alium, doctrina eruditum, nec tamen eruditione, quam aut judicio aut candore nobiliorem: tantoque ingenii acumine, tantaque rationis veriſimilitudine illius cauſam tueri viſum eſſe, ut in Epicuri ſeriam defenſionem, & non, ut præ ſe fert, exercitationis cauſa ſcripſiſſe quis ſibi perſvadeat*, qua ratione de eo pronuntiavit magnum olim Oxonienſis academiæ decus SAM. PARCKERVS, [i] quibus alios [k] addere facile eſſet, ſi id ageremus. Nec obſtare his laudibus Merici Caſauboni judicium, [l] Gaſſendum corruptorum in Epicuri gratiam veterum locorum accuſantis, ex dicendis luculenter conſtabit. Recte itaque viam inſtituit THOMAS STANLEIVS, qui Gaſſendianis luminibus in enarranda Epicuri hiſtoria uſus eſt. Alter poſt Gaſſendum, Epicuri enarrator IAC. RONDELLVS eſt, cui *vitam Epicuri* Gallica primum lingva editam, [m] poſtea vero Latino ſermone expreſſam [n] debemus: qui cum in iis quoque partibus pro Epicuri parte & innocentia ſteterit, quibus eum recte meritoque deſeruit Gaſſendus, multis vehementer diſplicuit, licet eleganti doctrina eſſet ornatus. Nos ſine ullo partis ſtudio vel affectu Epicuri vitæ & doctrinæ hiſtoriam quantum licet, nervoſa brevique enarratione proſequemur, ubique ad eas regulas criticas attenti, quas nobis faces præfiximus in emetiendo hiſtoriæ philoſophicæ campo.

e) *Act. philoſ. vol. II. p. 637. ſeqq.*

f) In ſched. *de præjudiciis, quæ Epicurum fœdæ voluptatis reum incruſtarunt.*

g) Prima editio ſplendido charactere prodiit *Lugd. 1647. 4.* qua utimur, recuſa *Hagæ Com. 1656. 4.* & *T. V. Opp.* Gaſſendi.

h) Ex eo *Syntagma Ejus philoſophiæ Epicureæ* confectum.

i) *De Deo diſp. I. ſ. XII. p. 20.*

k) Ex multis videri merentur P. BAYLE *Dict. T. II. art. Epicure, not. M. p. 370.* HEVMANN. *Act. philoſ. vol. II. p. 325.* MENAG. *ad* LAERT. *l. X. ſ. 1.*

l) Vid. ALMELOVEN. in *vita Caſaub.*

m) *Pariſ. 1679. 12. Hagæ Com. 1686. 12.*

n) Auctius *1693. 12. Amſtelod.* Conf. BAYLE *l. c. not. L. p. 369. Act. erud. 1694. p. 171.*

Epicuri nativitas & educatio.

§. II. Epicurus patria Athenienſis fuit, in oppido, cui Gargetti nomen fuit, ex tribu Ægeide natus.[o] Qui vero Samium vel Lampſacenum dicunt,[p] locum educationis & moræ vitæ, cum patria confundunt.[q] Patre genitus eſt Neocle, matre Chæreſtrata, nobili quidem genere ortis,[r] qui tamen paupertate preſſi ad vilem conditionem detruſi inter κληρέχας ab Athenienſibus in Samum miſſi ſunt.[s] Tantaque pater ejus fuit paupertate, ut cum agellus, quem ſorte acceperat, eum non ſatis aleret, ludi magiſtrum ageret,[t] mater vero ad conquirendos numulos cum filio domus obiret, luſtrans eas & vel ſpectra abigens, vel affectus moderans, vel alia anilis ſuperſtitionis molimina ſuſcipiens, quo in negotio ſubeundo Epicurum matri carmina luſtralia prælegiſſe, acerbe illi, omnes ejusmodi ſuperſtitiones damnanti & ridenti Stoici, præter rem, objecerunt.[u] Natus autem eſt Epicurus Ol. CIX. 3. ſeptima die Gamelionis,[x] nec quæ apud EVSEBIVM[y] dicuntur, floruiſſe Epicurum Olymp. CXII, his obſtant. Licet enim tum vix pueritiam exegerit Epicurus, latius tamen locutus fuiſſe videtur Euſebius, idque tempus indicaſſe, quo ſenſim inter adoleſcentes ſtudiis ſe mancipantes cœpit emergere. Fratres habuit tres Neoclem, Chæredemum & Ariſtobulum, quorum in Epicurum, hujus in illos pietatem, amorem, concordiam non ſine admiratione narrat PLVTARCHVS.[z] Colonia ab Athenienſibus in Samum deducta Epicurus cum parentibus eo translatus,[a] &, quod STRABO[b] tradit, partim Sami, partim Tei educatus, & ad decimum octavum ætatis annum ibi commoratus eſt. Eo vero anno Athenas venit, literis, tamen a patre, pueris inſtituendis occupato, aliquantiſper innutri-

o) LAERT. *l. X. ſ. 1.* LVCRET. *l. VI. v. 1.* SVIDAS *l. c.* de Gargetto, vid. MEVRS. *de pagis Athenienſ.* POTTERVS *Archæol. Græc. l. I. c. 9. p. 42.* BAYLE *l. c. not. A. p. 368.*

p) Apud LAERT. *l. c.*

q) Conf. GASSEND. *l. I. c. 1. p. 9.* Timon tamen apud LAERT. *l. X. ſ. 3.* dum ultimum dicit Phyſicorum, qui ex Samo prodierunt, non ad habitationem in Samo, ſed ad ſucceſſionem ſcholæ a Pythagora Samio reſpicere videtur.

r) Metrodorus apud LAERTIVM *l. c.* tradit, fuiſſe Epicurum ex genere Philaidarum: illud autem a Philæo ſecundo Ajacis filio originem accepit, conf. GASSEND. *l. c.* Pertinuiſſe tamen hoc magis ad patrem, quam matrem videtur, licet, matrem etiam non obſcura familia natam Neoclem ſibi conjugem elegiſſe, conjici poſſit; id quod tamen pro certo dici nequit, unde recte MORERIVM hoc nomine culpat BAYLE *l. c. not. C.*

s) STRABO *l. XIV. p. 589.*

t) Ita CICERO ſugillando *de N. D. l. I. c. 26.*

u) *Lib. X. ſ. 4.* Opprobrium hoc Stoicorum fuiſſe, ad ridendum Epicurum illi objectum, non eſt, quod dubitemus, conf. GASSEND. *l. c. c. 5. p. 20.* quale & illud fuit, quod PLVTARCHVS habet, *quod non ſuav. liceat viv. ſec. Epic.* dixiſſe eum, matrem ſuam, in ſe tot tantasque habuiſſe atomos, quarum congreſſu ſapiens ederetur. Neque tamen prius omni caret veriſimilitudine. Fuiſſe enim inter Græcos incantationum, luſtrationum, & ſimilium opera (καθαρμοὺς) ſolennia, ex Epimenidis, Abaridis, & Pythagoreorum hiſtoria conſtat, & credibile omnino eſt, Chæreſtratam, ut panem corraderet, ejusmodi nugis ſimplex vulgus decepiſſe. Omni vero caret veriſimilitudine, quod RONDELLVS *l. c. p. 3.* contendit, in laudem hoc Epicuri dictum eſſe, ut eum atheum & Deorum contemtorem non fuiſſe pateret; contumelioſum enim id habitum fuiſſe eo tempore, quo Epicurus vivebat, philoſophiæ opera magis jam a ſuperſtitione purgato ex DEMOSTHENIS objectione ſimili Aeſchini facta, *Orat. de coron.* eleganter probavit RVHNIVS *ad l. c.* LAERT. Objici tamen hoc Epicuro non potuit, qui vel matris juſſibus, etſi ſuperſtitionem intelligebat, obedire debuit, vel a matre ita imbutus fuit, nugas iſtas vero tum demum abjecit, ubi meliora ex Democriteo ſyſtemate erat edoctus.

x) Apollodorus in chronicis apud LAERT. *l. X. ſ. 14.* quod tempus incidit ante C. N. CCCXLI. M. Febr. Fuit hic annus VII a morte Platonis, & XVI Alexandri Macedonis. conf. GASSEND. *l. c. c. 2. p. 12.*

y) In *chronic.* In SVIDAE editionibus KVSTERIANA prioribus mendum eſſe, ubi natus dicitur Epicurus Ol. LXXIX. vidit GASSENDVS, emendavit ex Cod. mſc. Pariſ. KVSTERVS.

z) *De amore fraterno T. II. p. m. 294.*

a) LAERT. *l. X. ſ. 1.* MENAG. *ad h. l.*

b) *Lib. XIV. p. 638.*

nutritus,[c] publicumque bonarum artium emporium, in quo Xenocrates in Academia, Theophraſtus in Lyceo docebant, frequentavit, nec dubium eſt, egregiam hanc Muſis litandi occaſionem Epicurum juvenem non prætermiſiſſe.[d] Mortuo vero Alexandro M. Macedone & afflictis ſub Perdicca Athenienſium rebus, Colophonem ad patrem tranſiit, & aliquandiu ibi commoratus Mytilenem abiit, ibique anno exacto, Lampſacum profectus eſt, quatuorque ibi annos ad XXXVII ætatis commoratus eſt.[e] Non tamen otioſe conſumſiſſe tempus Epicurum, & ingenii excelſi & ad ſtudia nati indoles, & diligentia ejus tot probata ſpeciminibus, comprobat, ſuntque, qui duodecimo ætatis anno philoſophiæ primam cœpiſſe dare operam, tradant,[f] ipſemet Epicurus apud LAERTIVM[g] teſtis eſt, non attigiſſe ſe philoſophiam niſi anno XIV: jucundumque eſt, quod SEXTVS EMPIRICVS[h] narrat, quam occaſionem ad philoſophiam animum adjiciendi puer ſagaciſſimæ indolis habuerit. Quibus vero præceptoribus uſus fuerit, anceps diſceptatio eſt, quam varie dirimunt veteres. Apud LAERTIVM[i] enim tradunt quidam, Epicurum auditorem fuiſſe Pamphili Platonici, & ſi CICERONI[k] fides eſt, ipſe Epicurus retulit, illum a ſe Sami auditum, quamvis doctrinam ejus mirifice contemneret. Tradunt hi etiam, & CLEMENS ALEXANDRINVS,[l] audiviſſe Epicurum Nauſiphanem Pythagoreum & Pyrrhonis auditorem. Hinc cum Sami jam philoſophiæ præceptis imbui cœpiſſet, credi non poteſt, eum Athenas delatum, ubi in Academia & Lyceo Platonis & Ariſtotelis philoſophia perſonabat, nec Xenocratem nec Theophraſtum audiviſſe, monetque CICERO,[m] eſſe, qui putent, inter illius auditores fuiſſe, quod ab adoleſcente magno fervore philoſophiæ myſteria appetente & Platonicis doctrinis jam aliquantiſper imbuto omnino præſumendum eſt. Addunt alios alii,[n] qui tamen ex dogmatum magis convenientia, quam vivorum præceptorum diſciplina talia colligunt, adeoque audiendi non ſunt. His tamen obſtat, quod CICERO, PLVTARCHVS, SEXTVS[o] aliique veterum ſcribunt, ſolitum de ſe gloriari Epicurum, quod magiſtrum habuerit nullum, ſed *αὐτοδίδακτος* fuerit, ſuometque ingenio & induſtria philoſophus evaſerit: quam oſtentationem illi non ſine aculeo exprobrant laudati ſcriptores: unde multus in eo eſt eruditiſſimus GASSENDVS,[p] ut ab hac ingrati & oſtentantis animi macula Epicurum

c) Cum patre enim literas docuiſſe mercedis exiguæ ſtipe ei objecere Stoici apud LAERT. *l. X. ſ. 4.* id vero a parente prius literas doctum eſſe ſupponit, diceturque paulo poſt, Sami jam philoſophiæ operam poſuiſſe.

d) Probabitur hoc in ſequentibus.

e) SVIDAS *l. c.* LAERT. *l. X. ſ. 14.*

f) SVIDAS *l. c.* LAERT. *l. c.*

g) l. c. ſ. 2. conf. GASSEND. *l. c. c. 5. p. 19.*

h) Adv. phyſ. l. II. ſ. 18. 19. Rem quoque confirmat Apollodorus Epic. apud LAERTIVM: non potuiſſe grammaticos ipſi interpretari, quid ſit Chaos apud Heſiodum, ſed ad philoſophos rejeciſſe, ſicque illum philoſophos quæſiviſſe.

i) Lib. X. ſ. 13.

k) De N. D. l. I. c. 26.

l) Stromat. l. I. p. 302.

m) l. c.

n) Democratem quendam nominat PLVT. *non poſſe ſuav. vivi ſec. Ep.* ſed Democritum legendum eſſe acute GASSENDVS *l. c. p. 17.* conjicit. Hujus enim diſcipulum facit etiam LVCIANVS ut Ariſtippi quoque, hoc vero non de philoſophis his ipſis, ſed de eorum doctrina intelligendum eſſe, rationes temporum ſatis evincunt. Idem de Metrodoro Chio Demoeriti diſcipulo dicendum, quem Epicuri *καθηγητὴν* vocat STOBAEVS *ecl. phyſ. c. I.*

o) ll. cc.

p) Toto libro quinto *l. c.* qui eſt *de objecta Epicuri malignitate.*

rum liberet. Nos & veterum relationes, & Epicuri confeſſionem conſiſtere ſimul poſſe putamus, modo is recte intelligatur, & ad proprium, quod formavit ſibi, philoſophiæ ſyſtema reſpiciatur, de quo ſolo intelligendum eſſe, quando ſe αὐτοδίδακτον dixit, nulli dubitamus, & veriſimile credimus, hæc κατά τι ab Epicuro dicta ἁπλῶς accepiſſe, & in probrum ei vertiſſe obtrectatores. Quod enim Cicero refert, Epicurum mirifice contemſiſſe Pamphilum Platonicum, mirum illi non videbitur, qui cogitaverit, hominem certis principiis, claris notionibus, natura hominis & experientia nixum, hisque fundamentis ſyſtema ſuum inædificantem, non potuiſſe non rationes philoſophandi Platonicas Epicureis e diametro obſtantes contemnere, & vaga illa & incerta principia, quales ideæ ſunt, ridere, hoc enim Ariſtotelem & Diogenem quoque feciſſe ſupra memoravimus. Et Nauſiphanem quoque contemſiſſe, mireque exagitaſſe ex Epicuri epiſtolis SEXTVS EMPIRICVS[q] atque LAERTIVS[r] notarunt, ſed id factum eſſe propter jactationem ſophiſticam, qua Scepticorum alumnus ſe efferebat, non vero, quod plane nihil ab eo didiciſſet, ex ejus verbis apertum eſt. Democriteum ſe diu faſſum eſſe Epicurum, PLVTARCHVS[s] teſtatur. Adverſariorum itaque confeſſione evincitur, non ita ſe ſui doctorem dixiſſe Epicurum, ac ſi nullos plane magiſtros habuerit. Opponitur itaque Epicurus αὐτοδίδακτος philoſopho ſectario, idque voluit Gargettius philoſophus, nullæ ſectæ ſe philoſophiam ſuam debere, ſed ſuommet ingenio & meditatione collectas ingenii opes in proprium doctrinæ ſuæ ædificium contuliſſe. Nec alia quoque cauſa videtur fuiſſe, cur Nauſiphani, Democrateam philoſophiam Pyrrhonicis nugis corrumpenti adverſatus ſit, quam quod ille eam philoſophiam, quam Epicurus adamabat, alieno fuco adulteraverit, quo nomine nihil ab eo ſe profeciſſe Epicurus contendebat. Imprimis veriſimile eſt, totum opprobrium ad lites Epicuri cum Zenone & ejus ſchola pertinuiſſe. Cum enim Stoica philoſophia tanquam cento quidam ex diverſis ſyſtematibus eſſet confuta, ut ſupra vidimus, Epicurus, ut ægre adverſariis faceret, ſe ſuamque philoſophiam ſupercilioſæ ſectæ oppoſuit, oſtenſurus, non alienis ſe pennis ſuperbire, & peregrinos theſauros corradere, nec habere in novo ſyſtemate, quod non meditatione & lectione propria eſſet affecutus. Eadem enim de cauſa Epicurei magiſtrum Chryſippo πολυγράφῳ oppoſuerunt, quod hic ex veteribus omnia exſcriberet, Epicurus ſua exponeret. Cumque negaret is, Democrito ſe ſua debere vel Metrodoro, de vivis præceptoribus locutus eſſe videtur, quod deinde univerſali ſignificatione acceptum Stoicis occaſionem dedit Epicurum traducendi.[t] Deſeruit itaque vivos præceptores Epicurus omnes, & ad mortuorum libros delatus, Ionicorum ſcrinia excuſſit, magnique fecit, teſte LAERTIO[u] Anaxa-

q) *Adv. mathem. l. I. ſ. 2. 4.* conf. FABRIC. *ad h. l.*

r) *l. c. ſ. 14.*

s) *Adv. Colot. T. III. p. m. 406.*

t) Negavit itaque Epicurus, ſe eorum, quos audiverat eſſe γνώριμον ἑταῖρον, ſectatorem, quod ei Stoici objiciebant; ſuo enim ingenio Democriteis meditationibus adjuto ſuam philoſophiam debebat. Eſt itaque αὐτοδίδακτος h. l. conditor novi ſyſtematis.

u) LAERT. *l. IX. ſ. 12.*

Anaxagoram atque Archelaum, tum in Democriti potiſſimum & Metrodori Chii forte ſcripta, referente Hermippo [x] incidens, ad eorum potiſſimum philoſophiam delatus eſt, quam innovando, augendo, mutandoque novam conſtituit, ſicque Epicuream philoſophiam condidit.

Schola ab Epicuro condita.

§. III. Ita novo doctrinæ ædificio conſtructo, non ſibi ſoli ſapere cupiebat Epicurus, ſed & aliis illud quoque pandere ſatagebat. Commoviſſe Epicurum miſerabilem philoſophiæ inter Græcos perſonantis faciem, cum plus diſputando, verbisque innovando, quam animum ad veram felicitatem adducendo inſudarent Academici, Peripatetici, Stoici, Pyrrhonii, Cynici naturam hominis exuere juberent, ut alia & humano animo convenientiori ratione philoſophari inciperet, poſtea pluribus monebimus. Scholam itaque inſtituit annos natus XXXII, ut LAERTIVS [z] memorat, idque Mitylenæ, ac deinde Lampſaci, qui & hoc addit: ex Colophone usque diſcipulos eum coëgiſſe. Loci tamen vel obſcuritate, vel diſcipulorum inopia, vel majoris gloriæ aucupandæ ſtudio XXXVI ætatis anno, (quidam XXXVII ponunt) Athenas reverſus, primum quidem ad aliquod tempus, teſte LAERTIO [a] in congreſſu cum cæteris philoſophabatur, & Demoteum ſe primum profeſſus eſt, ut habet PLVTARCHVS: [b] tandem occaſionem captans novam ſcholam aperuit, ſectamque propriam condidit. Quoniam vero, publica urbis loca, philoſophorum diſſertationibus patentia jam occupaſſent reliquæ ſectæ, Platonici Academiam, Peripatetici Lyceum, Cynici Cynoſargen, Stoici Porticum, coëmit ipſe hortum peramœnum, LXXX minarum pretio, ibique cum ſuis diſcipulis non verſatus tantum eſt, ſed & vixit. [c] Aitque PLINIVS: [d] *Epicurum hoc primum inſtituiſſe Athenis, agrorum villarumque delicias, nomine hortorum in ipſa urbe poſſidere, cum usque ad eum mos non fuiſſet, in oppidis habitari rura.* Id quod tamen de locis tantum intra mœnia ſitis capiendum eſt, in ſuburbiis enim villas domusque & hortos habuiſſe Græcos, & philoſophos quoque, Platonis in Ceramico habitantis exemplum comprobat. Factumque ab hoc docendi loco, ut Epicuri ſequaces ex horto philoſophi poſtea dicerentur, [e] ubi etiam in horto amplius non habitarent. Præter hunc vero hortum fuit Epicuro domus, ſita in Melite, Cecropiæ tribus oppido; in hanc Epicurus interdum cum familiaribus ſeceſſit, quam & poſtea teſtamento ſectatoribus reliquit. [f] Nec ad alia loca unquam ſeceſſit, ſed, licet difficillima tunc eſſent tempora, Athenas nunquam deſeruit, ſolum bis aut ter in Ioniam ad inviſendos amicos excurrit. Acciditque vivente Athenis Epicuro, circa ejus XLIV annum, ut Demetrio urbem obſidente, gravi fame civitas premeretur: quo tempore, ferunt, Epicurum familiares ſuos ſuſtentaſſe, partitum cum ipſis ad numerum fabas. [g]

His

x) *Ibid. ſ. 2.*
z) *ſ. 15.*
a) *ſ. 2.*
b) *Adv. Colot. l. c.*
c) LAERT. *l. X. ſ. 10.*
d) *l. XIX. c. 4.*
e) CICERO *ad Attic. l. II. ep. 24.* IVVEN. *Sat. XIV.* Conf. GASSENDVS *l. c. c. 6. p. 22.* cl. CROPHIVS *de gymnaſ. literar. Athen. p. 55. ſeqq.*
f) LAERT. *ſ. 17.* plura dabit GASS. *l. c. p. 23.*
g) PLVTARCH. *in Demetr. T. III. p. m. 96.* LAERT. *l. X. ſ. 10.*

His in locis ubi ſcholam Epicurus conſtituiſſet, magna diſcipulorum, teſte Apollodoro, copia non ex Græcia tantum, ſed undique ad illum confluebat, cum eo in horto philoſophiæ operam datura,[h] præſertim ex Aſia, ac nominatim Lampſaco, atque etiam ex Aegypto; invitata non ſolum fama eruditionis Epicuri, ſed & humanitate ejus, & benevolentia, qua eos ſtudioſe conquirebat. Narrat enim PLVTARCHVS,[i] *eum ad amicos in Aſia ſcripſiſſe, ex Aegypto hoſpitibus ſe præbuiſſe, ſtipatorem fuiſſe Lampſacenis ephebis, librosque ad omnes utriusque ſexus homines dimiſiſſe, ſapientiam oſtentantem, ſicque neque ipſum latenter, quod tamen præcipiebat, vivere voluiſſe.* Ex quo facili conjectura aſſequimur, initio Epicurum laboraſſe inopia auditorum, cum cathedras & animos juvenum ante eum magni nominis philoſophi jam occupaſſent, ideoque captaſſe adoleſcentum peregrinorum amorem, & ex terris aliis ſibi auditores ſtudioſe conquiſiviſſe, poſtea vero cognita ejus philoſophandi ratione magnos diſcipulorum acervos ad illum decurriſſe. Ita vero conciliari poſſunt Cicero, Plutarchus, Laërtius, ad quos GASSENDVS[k] provocat, qui ingentem auditorum numerum Epicuro vindicant, cum SENECA,[l] qui tradit, ignotum ipſum Athenis fuiſſe, circa quas delituerat, provocatque ad Epicuri & Metrodori, familiaris epiſtolas, quibus innuunt, ipſis non nocuiſſe, quod eos illa nobilis Græcia non ignotos ſolum habuiſſet, ſed pæne inauditos: ipſosque non ſatis emicuiſſe. Id enim non de tota Epicuri vita, ſed de initiis ſcholæ intelligendum eſſe, ejus hiſtoria evincit. Scilicet cum tanta eſſet Platonis, Ariſtotelis, Antiſthenis, quorum diſcipuli ſectas eo tempore propagabant, exiſtimatio, credi facile poteſt, Epicurum a pueritia ex patria abſentem adeoque ignotum, parum auditum fuiſſe, & contemtum: Vt itaque diſcipulos atque famam ſibi conciliaret, ita philoſophandi rationes iniit, ut ingenio & propenſioni Græciæ incolarum placeret. Cum enim voluptatibus tota fere tunc temporis immerſa eſſet Græcia, dictique, qui ex Socratis ſchola prodiere, philoſophi in eo quaſi conſpirarent, damnandam & ejiciendam eſſe voluptatem, Ariſtippus alieno loco doceret, & voluptatis male intellectæ commendatione infamaretur, imprimis vero & Cynici hominem exuere, & Zeno novæ tunc ſectæ conditor frigidam illis ſuffundere, & triſtem profiteri philoſophiam viderentur: aliter curſum inſtituens Epicurus, totam philoſophiam ad honeſtiorem voluptatis rationem ac animi potiſſimum tranquillitatem revocans, ſpecioſo nomine & titulo a ſeveris & rugoſis reliquorum philoſophorum frontibus ad hortos ſuos, voluptatem & jucunditatem ſpondentes adoleſcentes ad ſe provocavit, & talem philoſophiam promittens, quæ naturæ, inclinationique humanæ voluntatis eſſet conveniens, juvenum animos, triſtitiam reliquorum philoſophorum nauſeantes mire provocavit: humanitate vero, jucunditate & facillimis moribus ad ſe venientes excepit, ſicque dulci quaſi laqueo captos voluptatis titulo ad modeſtiam,

h) Ibid. ſ. 9.
i) De occulte viv. T. II. p. m. 1127.
k) l. c. c. III. p. 85.
l) Epiſt. 79.

ſtiam, moderationem, continentiam aliasque virtutes inopinantes adduxit. Qua de re infra adſcribemus elegantem SENECAE[m] locum, qui honeſtam ita voluptatem Epicurum promiſiſſe, & exhibuiſſe, evincit. Confluentes vero ad ſe diſcipulos non in diſciplinam tantum, ſed in convictum quoque Epicurus recepit, non tamen omnia in commune conferri bona voluit, quippe id eſſe diffidentium, atque idcirco non amicorum, ſed ab unoquoque, ſi quid opus foret, hilariter ſuppeditari:[n] id quod facili obtinebat negotio, cum non frugalis tantum & vere philoſophica vivendi ratio exiguos poſtularet ſumtus, ſed & tantum eſſet inter convictores ejus amicitiæ vinculum, ut hanc eorum amicitiam toti antiquitati opponat CICERO:[o] narraveritque VALERIVS MAXIMVS[p] memorabile amicitiæ ad cineres usque durantis ſpecimen philoſophorum ex hortis duorum Polycratis & Hippoclidis, æquali fortunæ pariter atque amicitiæ ſorte a nativitatis die ad mortem inter ſe conjunctorum. Vixit etiam Epicurus cœlebs, unde de neceſſariis familiæ proſpiciendi cura ſolutus philoſophiæ totus invigilare potuit: quod & ſtudio indolentiæ, quam ſummam voluptatem eſſe cenſebat, quamque mire in conjugio curis & tumultu turbari credebat, & temperamento Epicuri ab amore feminarum natura abhorrenti[q] adſcribendum eſt. Id quod inter ſententias horti poſtea receperunt diſcipuli,[r] qui magiſtro duce, philoſophiæ operam daturo conjugium diſſuadebant, niſi uxorem duceret, tantis prudentiæ & reliquis animi dotibus ornatam, iisque etiam fortunæ præſidiis inſtructam, ut impedimenta, otio philoſophico ex matrimonio enaſcentia facili vincere labore poſſet. Id quod a Democrito accepiſſe Epicurum & ſequaces veteris eccleſiæ doctores[s] ſuſpicantur. Tanta vero induſtria & labore in philoſophiam incubuit Epicurus, ut ſingularis diligentiæ exemplum merito conſtituatur. Non enim diſcipulos tantum docuit aſſidue, ſed & plurima ſcripſit, ſic ut poſt Chryſippum inter primos Græciæ πολυγράφους mereatur referri.[t] Immo Chryſippum ab Epicuro vinci, ſi quis vellet oſtendere ea, quæ eſſent ab Epicuro proprio Marte ſcripta, neque aliunde appoſita, & tollere ex Chryſippi libris, quæ aliena attexta ſunt, ad Apollodorum provocans tuetur LAERTIVS.[u] Qui addit: *Scripta.*

ejus

m) Epiſt. 21. Eo lubentius Epicuri egregia dicta commemoro, ut iſtis, qui ad illa confugient, ſpe mala inducti, qui velamentum ſe ipſos ſuorum vitiorum habituros exiſtimant, probem, quocunque ierint, honeſte eſſe vivendum. Cum adierunt hos hortulos & audierint inſcriptum his hortulis: Hoſpes hic bene manebis, hic ſummum bonum voluptas eſt, paratus erit iſtius domicilii cuſtos, hoſpitalis, humanus, & te polenta excipiet, & aquam quoque large adminiſtrabit, & dicet: ecquid bene exceptus es? non irritant inquam hi hortuli famem, ſed extinguunt: nec majorem ipſis potionibus ſitim faciunt, ſed naturali & gratuito remedio ſedant. Hæc ex Stoica familia philoſophus.

n) LAERT. *l. X. ſ. 11.*

o) De fin. l. I. c. 20. Epicurus una in domo, & ea quidem anguſta, quam magnos, quantaque amoris conſpiratione conſentientes tenuit amicorum greges? quod ſit etiamnum ab Epicureis.

p) l. I. c. 8. Modo ſatis firma ſit fides Valerii, nullo alio teſte ſuffulta, quam haut raro vacillare attenti facile deprehendent.

q) Chryſippus apud STOBAEVM *ſerm. CXVII. p. 684.* qui Epicurum ἀναίσθητον ideo vocat, nec ab eo exemplum capi vult, ſapientem amorem mulierum non curare.

r) LAERT. *l. X. ſ. 119.* & CASAVB. *ad h. l.* Objicit hoc Epicuro Epictetus apud ARRIAN. *l. I. c. 23. l. III. c. 7.* ſed inutili argumento, conf. STOLL. *Hiſtor. phil. mor. gentil. §. CXI. p. 188.*

s) THEODORIT. *ſerm. XIV.* CLEM. ALEX. *Strom. l. II. apud* MENAG. *ad l. c. Laërt.*

t) LAERT. *l. I. ſ. 16.*

u) l. VII. ſ. 182. l. X. ſ. 26. dictum hac de re ſupra in Stoicorum hiſtoria.

ejus cylindros, id eſt, volumina, ad trecentos extitiſſe, in quibus nullum alienum teſtimonium exſcriptum extet, ſed ipſæmet voces Epicuri ſint. Dolendum vero ex tot tanti viri ſcriptis omnia fere temporum injuria ſic intercidiſſe, ut præter paucula compendia, quæ ſervata LAERTII[x] induſtriæ debemus, & fragmenta quædam apud veteres ſcriptores hic, illic diſperſa, nihil ex ipſis ſuperſtes ſit, quod hucusque etiam diligentiſſimis Epicureæ hiſtoriæ exploratoribus innotuerit, quin immo ne tituli quidem omnium apud auctores ſuperſint. Non invidit tamen inter tabulas ex hoc ſcriptorum Epicuri naufragio, reſiduas nobis ætas ejus κυρίας δόξας,[y] ſive, ut CICERONIS[z] voce utamur, *maxime ratas ſententias*, nobile Epicureæ philoſophiæ monumentum, quod magni fecere veteres, contemnit præter rem SVIDAS.[a] Reliqua, præter epiſtolas ex innumeris, quatuor, deſiderantur, de quibus videndi GASSENDVS[b] & FABRICIVS.[c] In his epiſtolis pro χαίρειν, quod Cleon, tribunus Athenienſis introduxit,[d] ſalutatoriam interdum vocem, εὐπράττειν καὶ σπεδαίως ζῆν, adhibuiſſe LAERTIVS[e] tradit. In his ſcriptis eam quidem elegantiam ſcriptionis non adhibuit, neque iſtis luminibus orationem intertexuit, quibus eloquentiæ & eruditionis laudem tunc temporis ſupra modum affectabat Græcia, ſed communi maximeque proprio dicendi & ſcribendi genere uſus, quod λέξιν κυρίαν vocat LAERTIVS,[f] meruit a veteribus, præcipue Ariſtophane grammatico reprehendi, ὅτι ἰδιωτάτη ἐστὶν, quod *nativam dicendi imaginem*, vel quod malumus, *minus eruditum ſtili characterem* expreſſerit,[g] mirandum tamen in Epicuro non eſt, qui iſtas eruditionis partes, quibus grammatica & rhetorica continetur, parum curavit, & perſpicuitatis magis, quam elegantiæ rationem a philoſopho habendam, maximeque proprio dicendi genere utendum eſſe, præcepit, ut ex ejus canonica pateſcet. Etſi vero moderate vivebat Epicurus, nimia tamen ſtudiorum contentione effecit, ut eſſet conſtitutionis parum firmæ, id quod etiam titulus libri a Metrodoro ſcripti,[h] περὶ τῆς Ἐπικούρου ἀῤῥωστίας, *de infirmitate Epicuri* innuit. Additque SVIDAS,[i] licet invidioſa forte exaggeratione, quod neque injectionem veſtium ferre, neque facile e lecto deſcendere, & neque ſolem neque ignem contueri potuerit, ſanguinem minxerit &c. quod eo minus mirandum eſt, quo magis conſtat, affectu eum, eruditis familiari, calculi laboraſſe, qui cum ad extremum urinam cohibuiſſet, fata ejus maturavit doloresque concitavit maximos.[k] Vitæ itaque finem ex his facile colligens teſtamen-

Vita privata

x) *l. X. ſ. 22. 84. 122. 139.* pleraque GIFANIVS Laërtio a ſe edito ſubjunxit.

y) Extant apud LAERT. *l. X. ſ. 139. ſeqq.*

z) *De finibus l. II. c. 7.*

a) *l. c. c. X. p. 35.* b) *l. c.*

c) *Bibl. Græc. Vol. II. p. 505.*

d) Vetuſtiſſimis temporibus Græci ſine ſalutationis titulo ſcribebant, Cleon vero χαίρειν primus præmiſit, cujus loco Plato εὐπράττειν, Pythagoras ὑγιαίνειν vel Pentalpha præmiſit, Epicurus dictas voces interdum conſtituit. Conf. LVCIAN. *de lapſu inter ſalut. T. III. p. m. 195.* GASSENDVS *l. c.* MENAG. *ad* LAERT. *l. III. ſ. 61. l. X. ſ. 14.* quo loco pro σπουδαίως ζῆν ἄριστον, quod, quia commodum ſenſum non fundit, varie emendavit GASSENDVS, legendum eſſe conjicimus σπ. ζ. η. ἄριστα id eſt, ſcribere ſolitus fuiſſe, ἄριστα ζῆν, bene valere.

e) *l. c.* f) *ſ. 13.*

g) Conf. GASSEND. *l. c. l. VIII. c. 9. p. 213.* ἰδιώτην autem erudito, & elegantioribus literis culto opponi, notum eſt.

h) LAERT. *l. X. ſ. 24.*

i) *l. c.* k) *ibid.*

ſtamentum ſcripſit, & de hæredum inſtitutione, ſcholæ hortique pro ſectæ ſuæ alumnis conſervatione, pupillorum ab amicis relictorum providentia, celebritatum in ſui ſuorumque memoriam inſtitutione, ſervorum manumiſſione, & generali ſcholæ cura diſpoſuit, quod nobis ſervavit LAERTIVS,[l] quod cum Epicuri doctrina & ſcriptis non ſatis conſpirare, ſuſpicacius, quam par erat, contendit CICERO.[m] Tanti autem, ut ipſe ultimo die ad Hermachum ſcripſit,[n] per quatuordecim dies, aderant veſicæ & viſcerum morbi, ut nihil ad eorum magnitudinem poſſet accedere. Addit tamen: *Compenſabatur cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoria rationum inventorumque noſtrorum.* Quæ ANTONINVS[o] Imperator confirmat, innuens, *eum medicis ita ſe non præbuiſſe, ut efferrent ſeſe, quaſi aliquid magni agerent, ſed vitam egiſſe optimam, & de rebus naturæ, quæ prius meditatus fuerat, amicis diſſeruiſſe.* Tandem, teſte LAERTIO ex Hermippo, ſeſe in balineum, aqua calida plenum demiſit, cumque popoſciſſet merum, id hauſiſſe, & dum commendaret amicis, ut dogmatum ſuorum forent memores, hæc inter verba defeciſſe, poſtquam LXXI annos completos vixiſſet, LXXII iniiſſet, unde CICERONI[p] ſeptuaginta duos exegiſſe dicitur. Acciditque mors ejus Olymp. CXXVII. 2. archonte Pytharato, ut habet Apollodorus: unde mendum apud LAERTIVM[q] omiſſa voce εἰκοστῆς, acute emendavit CASAVBONVS, male vero ſecutus eſt VOSSIVS.[r] Tantum vero fuit poſt fata quoque ejus deſiderium, ut non tantum diſcipulis in maximo eſſet honore, ut poſtea dicemus, ſed & ſtatuis aliisque honoris monumentis ejus coleretur memoria. Memorantur veteribus Epicuri ſex,[s] a quibus Gargettius nominis fama & celebritate facile poteſt diſtingui. *Mors*

§. IV. Etſi vero non magna tantum de præceptore ſuo ſentiebant & jactabant Epicurei, ſed & viri ſummi philoſophum valde extollebant, quin inter eos quoque, qui philoſophiam ejus rejiciebant, erant, qui de eo tanquam viro bono pronuntiantes vitam ejus vehementer laudabant, negari tamen nequit, ab ipſis Epicuri temporibus ad reſtitutarum ſcientiarum ætatem, qua inceperunt viri quidam docti contra communem tot ſeculorum calumniam Epicurum defendere,[t] tantam fuiſſe philoſophi infamiam, *Objecta Epicuro vitia,*

l) *ſ. 16. ſeqq.* GASSEND. *l. II. c. 1. p. 47.*

m) *De finib. l. II. c. 30.* male ex hoc loco conjecit IONSIVS *de Script. Hiſt. phil. l. I. c. 20. p. 107.* Ciceronem hoc teſtamentum νοθείας ſuſpectum habuiſſe. n) CICERO *l. c.* LAERT. *l. c.*

o) *De ſe ipſo l. IX. §. 42.* conf. SENECA *ep. 92. 66.* quæ Stoicorum teſtimonia probe notanda ſunt, tanquam minime ſuſpecta.

p) *De fato c. 9.* q) *l. X. ſ. 15.*

r) *De hiſt. Græc. l. I. c. 21. p. 137.* notatus BAYL. *l. c. not. B. p. 364.*

s) MENAGIVS *ad Laërt. ſ. 26.*

t) Mature poſt reſtitutum literis nitorem coepere viri docti communi de Epicuri impietate & mala vita ſeculi ſuffragio contradicere. Id quod imprimis a BAPTISTA GVARINO factum eſſe, eumque pro Epicuro in libro de ejus ſecta verba feciſſe ait GASSENDVS *l. c. l. VII. c. 7. p. 192.* qui tamen fatetur, nec ſe librum vidiſſe, nec Naudæum in Italia potuiſſe comparare, ſed ad TRITHEMIVM *de Script. Eccl.* provocat, qui tamen *c. DCCCVII. p. 188.* ed. Fabr. nihil de ejusmodi Guarini libro habet. Provocat etiam ad eum MORHOF. *Polyhiſt. T. II. l. II P. I. c. 7. §. 5. p. 183.* ſed ſolius GADDII auctoritate, ſibi enim viſum non eſſe, fatetur. Ex quo vel plane non extare libellum, vel albis corvis rariorem eſſe concludimus. Poſt hunc M. ANTONIVS BONCIARIVS, Peruſinus (non vero Pariſienſis, ut habet GASSENDVS *l. c.*) in *dialogo de antiqua philoſophia,* ANDREAS item ARNALDVS aliique diligentiſſimo HEVMANNO *act. philoſ. Vol. II. p. 369. ſqq.* enu-

ut bipedum nequiſſimus, & ſcelerum tantum non omnium ſentina merito dicendus ſit, ſi vera ſint, quæ ei objiciuntur. Quæ adeo fama percrebuit, ut apud homines illiteratos etiam, quique vix nomen Epicuri fando perceperunt, ſceleſtiſſimus quisque & humani atque divini juris, omnisque honeſtatis & religionis contemtor atque atheus proverbiali locutione Epicureus audiat. Varia vero accuſationum ſunt capita, quæ in tanti viri hiſtoria prætermitti ſine examine non poſſunt. Graviſſimum vero quod Gargettio ſeni objicitur ſcelus, impietas eſt, idque vel propter doctrinam vel propter vitam. Quibusdam enim nullum plane numen credidiſſe viſus eſt, precationes vero & adorationes, quod ei exprobrat PLVTARCHVS, " non ut quidpiam his indigens, ſed præ multitudinis metu ſimulaſſe, vocesque contrarias iis, quas inter philoſophandum ederet, pronuntiaſſe, cum revera præter atomos ſive individua corpuſcula nihil, quod revera exiſtat, eſſe crederet. Alii Deos quidem ſerio ſtatuiſſe concedunt, ob negatam tamen iis providentiam, & relegatos eos in extramundana ſpatia, ſublatamque ita & ſpem & metum futuri vel præmii, vel pœnæ Deos ita infirmaſſe, & a mundi vel formandi vel regendi negotio ita removiſſe, conqueruntur, ut non queat non inter numinis hoſtes referri. Quod eleganter SENECA,[x] licet alibi fateatur, ſancta eum præcipere & triſtia, ei objecit: *Tu Epicure, Deum inermem facis, omnia illi tela, omnem detraxiſti potentiam, & ne cuiquam timendus eſſet, projeciſti illum extra metum: hunc igitur ſeptum ingenti quodam & inexplicabili muro, disjunctumque a conſpectu mortalium, non habes, quare verearis. Nulla illi nec tribuendi, nec nocendi materia eſt.* Alii doctrinam ejus moralem culpant, & ob voluptatis patrocinium inter atheiſmi practici patronos numerant, vitam doctrinæ conformem impie egiſſe clamitantes. Quorum ex veteribus loca adduxere GASSENDVS[y] & REIMMANNVS,[z] recentiorum vero nomina indicavit HEVMANNVS.[a] Additur his, tantam fuiſſe ſectæ Epicureæ impudentiam, ut non erubuerit, magiſtrum ob conditum ſyſtema impium & ſublatum omnem religionis metum & reverentiam Deum dicere,[b] & LVCRETIVS[c] auſus fuerit ſcribere:

Nam ſi, ut ipſa petit majeſtas cognita rerum
Dicendum eſt, Deus ille fuit, Deus, inclute Memmi,
Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur ſapientia, quique per artem
In tam tranquillo, & tam clara luce locavit.

Quinimmo, ipſius proprium fuerit, ut ſeſe Deorum æqualem jactaret.[d] Impietati adjungunt Epicuri obtrectatores malignitatem, duobus potiſſimum

enumerati, Epicuri cauſam egerunt, quos tamen omnes ſuperavit GASSENDVS, judice BAYLIO *l. c. not. M. p. 372.* qui alios quoque ſuperioris ſeculi viros doctos laudat, qui pari labore apologiam Epicuri ſuſceperunt, qui videndus.

u) Adv. Coloten l. c.

x) De benefic. l. IV. c. 19.

y) l. IV. c. 1, p. 107. ſeqq.

z) Hiſt. ath. c. XXIX. p. 195.

a) Vol. II. Act. phil. p. 650. Inter hos qui omnium vehementiſſime Epicurum premit, eſt SAM. PARCKERVS *de Deo Diſp. I. ſect. XII. ſeqq. p. 30. ſeqq.* conf. REIMM. *l. c.*

b) PLVTARCH. l. c.

c) de rer. natura l. V. init.

d) PLVTARCH. l. c.

mum capitibus comprehenſam, ingratitudine erga præceptores, vana ingenii oſtentatione & intolerabili animi ſuperbia nixa, & maledicentia erga omnes philoſophos; quibus omnibus ſe præferri, turpiſſima ambitione anhelaverit. De priori §. antecedenti dictis nihil adjicimus; Poſterioris culpæ reum præter PLVTARCHVM eum agit CICERO, [e] quod adverſus Pythagoram & Empedoclem dixerit, cum & contumelioſiſſime Ariſtotelem vexarit, Phædoni Socratico turpiſſime maledixerit, Metrodori ſodalis ſui fratrem Timocratem, quia neſcio quid in philoſophia diſſentiret, totis voluminibus conciderit. Quibus detorta in contumeliam philoſophorum nomina, & appellationes odioſæ adjiciuntur, & tamen eos nefando plagio expilaſſe inſimulatur, malo, quod ſequerentur ſectatores & diſcipuli, exemplo, qualem Coloten fuiſſe PLVTARCHVS [f] operoſe demonſtrat, CICERO [g] alios quoque eo nomine accuſat. Imprimis autem turpiſſimæ voluptatis reus cum cohorte diſcipulorum a veteribus peragitur, quorum criminationes ATHENAEVS [h] & imprimis SVIDAS [i] diligenter collegerunt, quos ſecuti recentiores plerique vitam ei fœdiſſimam, Bacchanalia, Lupercaliaque viventem, & Heliogabali, Sardanapali, ac turpiſſimorum quorumcunque vita deteſtabiliorem exprobrant, & Epicuri hortum quaſi lupanar infame fuiſſe crepitant, enumerantes, meretrices Epicureas Leontium, Themiſtam, Philænida, Nicedium, Erotium, Hediam, Marmarium, Bodium, Phædrium, philoſophiæ prætextu tantam contubernio Epicureo infamiam conciliantes, ut hortus Epicuri ſimilis diceretur Circes Augiæque ſtabulis, & communi proverbio Epicuri de grege porci nominentur. Cui opprobrio ut color inducatur, Leontium, ajunt, Epicurum ad extremam uſque ſenectutem deperiiſſe, [k] & exhauſtis infami voluptatis commercio viribus morbum acerbiſſimum ſibi acceleraſſe, adeoque ex choro philoſophorum ejiciendum eſſe. Quin & hoc nomine amare traducitur Epicurus, quod diſciplinas univerſe oderit, & quod CICERO [l] ait, *propterea nihil oleret ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil e puerilibus quidem diſciplinis, alios quoque ab iis deterruerit, grammaticam, poëticam, rhetoricam, dialecticam, artesque mathematicas contemſerit*, quod liberalium diſciplinarum odium gravi oratione paſſim perſequitur CICERO. [m] Et hæ quidem non vulgi tantum voces, ſed virorum virtute & ſapientia præſtantiſſimorum, & maxima nominis celebritate inclytorum ἐγκλήματα ſunt, hæc Zeno & ſancta ejus ſecta, hæc Cicero, Plutarchus, Galenus, hæc eccleſiæ chriſtianæ antiſtites pietate venerandi Lactantius, Clemens Alexandrinus, Ambroſius, [n] hæc octodecim uno quaſi ore ſecula ad repurgatas usque literas clamant & objiciunt. Quæ ſi accuſatorum numero defi-

e) *De N. D. l. I.* conf. GASSENDVS *l. V. c. 3. p. 135.* *f*) *l. c.*

g) *l. c.*

h) *l. III. p. 101. ſeqq. l. VII. p. 278. ſeq. l. X. p. 546.* conf. quos alios longo agmine adducit GASSENDVS *l. VI. c. 1. ſeqq. p. 148. ſeqq.* *i*) *l. c.*

k) LAERT. *l. X. ſ. 8. ſeqq.* GASSENDVS *l. VII. c. 1. 2. p. 167. ſeqq.* *l*) *l. c.*

m) *De N. D. l. I. de fin. l. I. II. Tuſc. l. II. Ac. Q. l. IV.*

n) Loca eorum affert GASSENDVS *l. III. c. 6. p. 96.* Clementis plura adduximus in Germanico *Hiſt. philoſ. opere P. IV. p. 1094.* dicemusque de hoc argumento *P. III.*

Examinantur.

definienda ſunt, cauſa cadat Epicurus oportet. Nihil tamen hic auctoritatis præjudicio dandum eſt, ſed examinanda accuſatio, excutienda teſtium fides, audiendi, viri a partium ſtudio alieni, inquirendum in cauſas invectivarum in Epicurum, & tum demum diſtincte de ſingulis objectorum criminum capitibus ſententia dicenda eſt, qua via incedentes, honeſtiore fama dignum & meliori affectum animo Epicurum deprehendemus. Et quod primo quidem ad religionem Epicuri attinet, negari nequit, eum non ſolum publicum Athenienſium cultum animo contemnere debuiſſe ſecundum principia ſemel electa, ſed Deum etiam a mundi hujus fabrica vel conſtituenda vel conſervanda removiſſe, cunctaque atomorum motui permiſiſſe: [o] qua ratione eum docuiſſe infra, ubi de theologia ejus differemus, luculenter probabimus. Nec negamus, graviter ita impegiſſe Epicurum in doctrinam de Deo, eumque falſo beatitatis divinæ & motus mechanici conceptu deceptum reddidiſſe inermem & attributis primariis deſtitutum, nondum tamen inde ſequi, quod adverſarii ejus urgent, ſuſtuliſſe eum numen ex rerum natura, quilibet videt, qui diſtincta atheiſmi notione utitur. De religione vero ejus & opinione de Diis judicaturum ejus de hoc argumento doctrinam noſſe oportet: quam cum infra, de philoſophia Epicurea dicturi explanaturi ſimus, hic quidem præterimus, pauca tamen monenda ſunt, quæ rem luce perfundunt, & quid de religione Epicuri ſtatuendum ſit, clare, niſi fallimur, produnt. Scilicet ad inimicos Epicuri provocamus, teſtes exceptione omni majores. Inter hos CICERO [p] eſt, nullo, ubi poteſt loco Epicuro parcens, qui tamen refert, *ſcripſiſſe eum libros de ſanctitate, itemque de pietate adverſus Deos, ita editos, quaſi ſacerdos ſcripſiſſet.* Qui porro, dum abſurditatis convincere Epicurum ſatagit, [q] quod *Deos ab hominibus colendos dicat cum Dii non modo homines non colant, ſed omnino nihil curent*, hoc ipſo inter DEI cultores Epicurum fuiſſe concedit, ſed tales, qui, ut SENECA [r] eloquentem inducit, *Deum colunt nulla ſpe, nullo pretio inducti, ſed propter majeſtatem eximiam, ſupremamque naturam.* Hoc in atheum cadere non poſſe, nemo non videt. Contemſiſſe vero Epicurum ſuperſtitioſos ritus, & tamen ſimulate egiſſe, ut eos admiſiſſe videretur, venia dignum eſſe putamus. Vt enim ineptam Græciæ de Diis ſententiam impoſſibile erat non rideri a philoſopho, ad mechanicas univerſi leges ſolum attento, & animam mundi non cerebrinam tantum, ſed & injuriam in Deum qua reliqui philoſophi idololatriam cum ſuis ſyſtematibus conciliabant, rejicienti; ita tam irreconciliabile erat vatum in philoſophos odium, tamque inexorabilis, quæ ſacra publica tuebatur, lex, ut non niſi mortis periculo liceret publicam religionem contemnere. Idem itaque fecit, quod alii quoque inter Græcos

o) Eſſe viros doctos, qui contrarium ſentientes hac quoque in parte Epicuri apologiam ſuſcepere infra dicemus, & argumenta eorum excutiemus, nos hæc concedimus, convicti, ita Epicurum ſtatuiſſe. Non enim inſtitutum noſtrum poſcit, philoſophos purgare omnes, ſed nudam veritatem hiſtoriæ abjecto omni partium ſtudio exponere.

p) *De nat. Deor. l. I. c. 41.*

q) *ib. c. 8.*

r) *De benefic. l. IV. c. 19.*

cos fecere philoſophi, qui ſacris quidem intererant civitatis, in auditoriis vero fraudes ſacerdotum, & ſtultitiam religionis vulgi diſcipulis exponebant. Hoc & Epicurus fecit, metumque & ſuperſtitionem animis ejiciendo, puriore reverentia Deos colere diſcipulos docebat. Nec alia mens verborum LVCRETII: [s]

Quare relligio pedibus ſubjecta viciſſim
Obteritur, nos exæquat victoria cœlo.

Loquitur enim de religione, quam ſceleroſa & impia facta ſæpe peperiſſe, exemplis comprobat. Ita quidem Epicurus non religionem omnem extorrem eſſe juſſit, ſed eam admiſit, quam ejus ſyſtema, Deos ſumma majeſtate ſine cura, ſine labore conſtituens, requirebat: quam ea pietatis parte, quæ ob pœnas tantum & præmia Deum colit, eſſe præſtantiorem, tot amoris puri apologetæ, tuiti ſunt. Cogitandum etiam Epicurum non cum Chriſtiano doctore, ſublimioribus luminibus inſtructo, ſed cum reliquis philoſophis comparandum eſſe, & meliorem fuiſſe hac in parte Ariſtotele, qui Deum ſuum primum motorem a mundi fabrica & providentia non minus removit, ſpeique & metui divinorum nullum locum reliquit, nec ullam reverentiam vel pietatem ei debitam præſcripſit, & tamen per tot ſecula ſine invidia toleratus eſt. Multum vero pro Epicuri cauſa facit, quod a nemine ob doctrinarum impietatem usquam Athenis inter tot accuſationes adverſariorum, in judicium vocatus legatur, quod tamen Anaxagoræ, Socrati, Ariſtoteli, Theodoro, Diagoræ accidiſſe legimus. Nam quæcunque etiam inter ſyſtema ejus & religionis publicæ placita fuerit diſcordia, ſequitur tamen inde, non docuiſſe tantum, ſed vixiſſe quoque cum diſcipulis ita, ut impietatis ſuſpicionem nemini excitarent: quod facile fieri potuit, ſi Deum propter majeſtatem & excellentiam coluerunt. Expendi vero & hoc volumus, Epicurum ita de Diis ſtatuendo cum phyſiologiam ſuam Stoicæ opponeret, tolerabilius de Deo erraſſe, quam Stoicos, pantheiſmum plane impium introducentes, & tamen pro ſancta ſecta habitos, licet fateamur, capitali errore utrumque peccaſſe, Zenonem & Epicurum. Neque nos valde movent, quæ PARCKERVS [t] invidioſa conſequentia contra Epicurum urget, infra expendenda: valde enim, certi ſumus, corrumpi hiſtoriam philoſophicam, ſi ex concluſionibus per conſequentias quasdam ex philoſophorum decretis elicitis de eorum opinionibus judicamus. Quod vero Dei inſtar coluerint Epicurum aſſeclæ, ex adductis locis probari non poteſt, quæ aliud evincunt nihil, quam homines hos, de ſumma in perſpicienda rerum natura ſapientia magiſtri perſvaſos eum ſupra humani ingenii conditionem extuliſſe, & ſimilitudinem divinitatis, ſenſu Epicureo,[u] in eo quæſiviſſe: certe, quicquid in eo peccatum eſt, non Epicuro, ſed ipſis auctoribus tribuendum eſt. Quæ de ejus ambitione & contemtu ac ingratitudine erga philoſophos, imprimis

s) Lib. VI. v. 80. ſeqq. *t) l. c. p. 30. ſeqq.* *u)* Deos enim ſuo modo hominibus ſimiles putabant, alia huc pertinentia affert GASSEND. *l. IV. c. 6. p. 121. ſeqq.*

primis præceptores, dicuntur, & maledicentiam arguunt, ea una voce, poſtquam iſta retulerat LAERTIVS,[x] refutat: *μεμήνασι δὲ ἕτοι; inſaniunt hi homines*, ſtatimque ad humanitatem, pietatem, manſvetudinem viri optimi[y] provocat, ut demonſtret, fuiſſe has calumnias Timocratis & Stoicorum. Quod vero ſyſtematis gloriam ſibi vindicavit ſoli, in eo non magis peccavit quam Zeno, qui ſuffurando reliquis doctrinas miſerumque centonem conſuendo, alienis ſuperbivit plumis, nec ingratus magis eſt quam Plato & Ariſtoteles, qui cum a præceptoribus multa accepiſſent, ſibi ſyſtematis, adeoque totius ædificii rite exornati gloriam aſſerebant. Alia non urgemus copioſe & erudite allata a GASSENDO,[z] hoc unum adjicientes, patere ex LVCRETIO,[a] Democriti, a quo multa accepit philoſophia Epicurea, venerabilem inter eos fuiſſe memoriam, qui Epicurum ſequebantur. Ex quibus patet, diſcipulos quoque non minus, quam magiſtrum, injuſte criminatos fuiſſe obtrectatores. Nulla vero in re magis calumnia frontem prodidit impudentiſſimam, quam in objecta Epicuro gula & impura Venere. Aliud enim non Diocles tantum teſtatur, Epicuri epiſtolæ loquuntur, Athenæi epigramma innuit, quos teſtes producit vitæ maxima ſobrietate & continentia actæ LAERTIVS,[b] ſed & ipſæ obtrectatorum confeſſiones evincunt, quas apud CICERONEM,[c] PLVTARCHVM,[d] SENECAM[e] legent, qui uno Senecæ loco ſupra adducto contenti non ſunt. Incontinentiæ vero & amoribus, quibus criminibus inſimulatur Epicurus, ut taceamus corpus calculi doloribus impeditum, unum ex Stoicorum cenſu Chryſippum opponimus, teſtem inter acerrimos Epicuri hoſtes maximum, quem, Epicurum erga mulieres *ἀναιδητὸν* dixiſſe, ſupra ex Stobæo obſervavimus. Et quæ quæſo potuit regnare luxuria, qui irritari Veneris cupiditas, ubi prandium ne aſſe quidem conſtat, quod de Epicuro teſtatur SENECA,[f] gloriante, *non toto aſſe ſe paſci, Metrodorum, qui nondum tantum profecerit, toto; & ubi ſumma voluptas eſt aqua & polenta aut fruſtum hordeacei panis?* Quibus & aliis de Epicuri frugalitate & ſobrietate a ſe prolatis teſtimoniis opponit TH. GATAKERVS,[g] Timocharis, vel Timocratis potius, narrationem, minam integram in victum diurnum quotidie impendere ſolitum, idque, putat ipſum alibi de ſe eſſe profeſſum, *certos vero*, quod SENECA[h] monet, *habuiſſe dies, quibus maligne famem extingueret, viſurus an aliquid deeſſet, ex plena vel conſummata voluptate, vel quantum deeſſet, & an dignum, quod quis magno labore penſaret.* Verum ſi non bonam fidem, certe attentionem deſideramus in viro alias optimo & in veterum lectione exercitatiſſimo, qui vero nimio erga Stoicos affectu in transverſum agi ſe paſſus eſt. Si enim totum, ad quem provocat, locum LAERTII[i] vel legiſſet, vel adduxiſſet

x) *Lib. X. ſ. 9.*
y) Confirmat hæc CICERO *de fin. l. II. c. 25. 31. Tuſc. Qq. l. II. c. 19.*
z) *Lib. V. c. 6. 7. p. 141. ſeqq.*
a) *Lib. III. v. 372. l. V. v. 621.*
b) *ibid. ſ. 11.* c) *Qq. Tuſc. l. V.*
d) *Adv. Colot. l. c.*
e) *Ep. 21.* alia veterum loca collegit GASSENDVS *l. VI. c. 3. p. 153.*
f) *Epiſt. 18.*
g) In *præloq. ad* ANTONIN. *de ſe ipſo p. m. 7.* ed. Lond. h) *l. c.*
i) *Lib. X. ſ. 7.* ubi tamen Timocratis mentio non fit, res vero ipſa tangitur.

xiſſet etiam, patuiſſet ipſi & lectori, deſumta hæc eſſe ex epiſtolis Epicuri ad Leontium, a Stoicis mala fide illi ſuppoſitis, & palpaſſet contradictionem, additur enim corpore adeo miſerabiliter affectum fuiſſe, ut multis annis e ſella ſurgere non potuerit, & hic tamen ſtrenue Baccho Venerique litaſſe dicitur Stoicis, qui non recordabantur, cum hæc ei affingerent, mendaces oportere eſſe memores. Certe Timocrates transfuga ſuſpectæ fidei teſtis eſt, nec vero diſſimile, hominem apoſtatam a conviviis ſolennioribus, quæ more omnium fere philoſophorum inter Athenienſes Epicurus interdum inſtituit, & celebrari etiam poſt mortem juſſit, occaſionem calumniæ arripuiſſe. Nec a ſcortorum, quæ, hortos Epicuri frequentaſſe, negari non poteſt, converſatione Epicurus incontinentiæ accuſari poteſt; ut enim ſupra docuimus, & animi inclinatione abhorruiſſe illum ab iſto feminarum commercio, & corporis infirmitate fuiſſe inhabilem, ita recordari lectorem volumus, quod aliquoties monuimus, ſcorta Græciæ nobiliora elegantiorum literarum & philoſophiæ eruditionem admodum affectaſſe, & ideo celeberrimorum philoſophorum frequentaſſe ſcholas, [k] quorum tamen ideo caſtitas non niſi ab iniquiſſimis obtrectatoribus in ſuſpicionem adducta eſt, ut Socratis, Platonisque, virorum morum ſanctitate venerabilium exemplo conſtat. Id cum Epicuro quoque factum ſit, non magis illum ſuſpectum reddit, quam ex philoſophorum choro quemvis alium. Nec infamiæ fidem facit Leontium, Metrodori concubina, hoc enim moribus Græciæ non erat contrarium vel inhoneſtum, [l] ſed ad contubernium Epicureum non pertinebat, in quo philoſophiam tantum eo ſucceſſu didicit, ut Theophraſto bellum indicere auderet, ut ſuo loco dictum. Nihil vero magis Epicuri in hac parte innocentiam probat, quam telum, quod in eum torſere adverſarii fortiſſimum, fœdiſſimæ illæ epiſtolæ, ex qua ſentina tota calumniarum in Epicurum profluxit. Obſervat enim LAERTIVS, [m] Diotimum, (Theotimum vocat ATHENAEVS,) Stoicum infeſto erga Epicurum animo quinquaginta laſcivas circumtuliſſe epiſtolas, veluti ab Epicuro ſcriptas, easque, quæ Chryſippi ferebantur, veluti ſub Epicuri nomine, in volumen congeſſiſſe: refertque ATHENAEVS, [n] ex Demetrio Magnete, Zenonem Sidonium detecta fraude, Theotimum in judicium vocaſſe, eumque calumniæ convictum capitis pœnas luiſſe. His itaque ex fontibus ſi accuſationes adverſarii Epicuri hauſerunt, quis vel mediocri attentione præditus fidem illis dabit? & annon innocentiæ & ſanctitatis teſtimonium eſt, obtrectatores ad iſtas fraudes confugiſſe, id non facturos, ſi vera ei objicienda inveniſſent. Rejeciſſe Epicurum non omnes diſciplinas, ſed inutiles ſui temporis nugas, in quibus Græcia ſeneſcebat, infra magis commode docebimus: hic unius CICERONIS [o] teſtimonio contenti erimus, quod rem

k) Ad faciendam fidem legenda MENAGII *hiſtoria mulierum philoſophantium.* Nos plerasque hactenus ſuis locis inſeruimus.

l) Secundum Græciæ vero mores judicandum hic eſt, ad quod non attenderunt, qui cum Chriſtiano philoſopho Epicurum comparantes, ἀταξίαν in eo tantam deprehenderunt: ſecundum hanc enim regulam ne Socrates quidem vitio caret.

m) *Lib. X. ſ. 3.* *n*) *Lib. XIII. p. 611.*

o) *De fin. l. I.*

prorſus conficit. Ita vero eloquentiſſimus Tullius, ſatis alias in Epicurum acerbus: *Quod Epicurus parum tibi videtur eruditus, ea cauſa eſt, quod nullam eruditionem eſſe duxit, niſi quæ beatæ vitæ diſciplinam juvaret:* & paucis interpoſitis: *Non ergo Epicurus ineruditus, ſed ii indocti, qui quæ pueros didiciſſe turpe eſt, ea putent ad ſenectutem eſſe diſcenda.* In quibus Socratis potius diſcipulum, quam bonarum artium oſorem agnoſcas.

Cauſæ odii & calumniarum in Epicurum.

§. V. Mirari poſſet quiſpiam, qui factum ſit, ut vir innocentis vitæ ſcelerisque purus tantis criminationibus diffamatus ſit, niſi temporis, quo vivebat, circumſtantiæ cauſas nobis expromerent apertiſſimas.[p] Inter eas primo merito loco ponimus naſcentis uno tempore ſectæ Stoicæ & Epicureæ æmulationem. Vivebant enim caputque extollebant eodem tempore Zeno Stoicæ, & Epicurus, Epicureæ ſectæ conditores, nempe circa Olymp. CXX, quamvis hic illo fuerit junior, aſt qui ante eum tamen fato functus eſt. Zenonis vero animi character, ingenii & temperamenti natura & inclinatio moresque in Cynica ſchola formati, quales fuerint, ſupra, *capite nono*, copioſe enarravimus, oſtendimusque non natura tantum animo fuiſſe ſubtriſti, melancholico & difficili, ſed & Antiſthenis educatione ad id philoſophiæ genus adductum, quod naturam hominis non vincere tantum, ſed excedere quoque, & rigidiſſima virtute humanitatem exuere tentabat. Quam diſciplinam quamvis reliquiſſet, placebat ei tamen virtus Cynica, ad quam philoſophiam, quam condebat, moralem viam quandam brevem eſſe cupiebat. Hinc conſideratæ in abſtracto virtus & ſapientia, & neſcio quæ conſummata ſapientis idea animo efficta, quam nec moralis hominis natura effingere, nec vero effectu tueri quisquam poterat. Cumque pleraque aliis philoſophis ſuffurando ſubtraxiſſet, ut nova viderentur, terminos immutavit loquendi, aliasque vocum & locutionum ſignificationes & definitiones induxit, quæ licet parum novi exhiberent, paradoxam tamen, & inuſitatam pollicebantur ſapientiam. Ita vero Zeno ambitioni natura ſua litans, & nomen & famam atque opinionem viri ſancti & ſapientis obtinebat, ſummoque in loco erat apud Athenienſes. Quos ut philoſophiæ μετεωρίζοντι eo melius aſſveſceret, rigidam virtutis ideam vita quoque & veſtitu effingebat, ſermonemque, veſtitum, converſationem, paræneſes ita attemperabat ſcopo, quem ſibi fixerat, ſuo, ut & ipſe, & qui ejus exemplum ſequebantur, Stoici inter ſancta ingenia, quæ ſola philoſophorum nomine digna eſſent, connumerarentur. Quæ omnia cum ſupra luculentis veterum teſtimoniis probata dederimus, in præſentia pluribus non moramur. In omnia alia & contraria prorſus concedebat Epicurus. Is natura propius ſanguineo accedens temperamento, cum educatione per varia hominum genera, quibuſcum converſandum ei fuerat, eſſet jactatus, humanis erat & ſocietati maxime convenientibus moribus, jucundus, facilis, & attrahendis animis valde idoneus.

p) Elegantiſſimam eruditionem in his fuſe explicandis adhibuit GASSENDVS *l. III. c. 1. ſeqq.* *p. 79. ſeqq.* conf. BAYLE *Dict. l. c. not. N. p. 370. ſeqq.*

neus. [q] Non latebat hominem ſatis acute videntem meteorologia Stoica, quæ plus poſcebat ab homine, quam vel natura promittebat, vel permittebant vires, & plus verbis jactabat, & ſimulatione effingebat, quam præſtabat re ipſa, & virtus haud fictæ imagini reſpondebat. Nec fallebant hominem ad antagoniſtarum vitam moresque valde attentum Stoici, paſſim hypocriſi affectata vehementer famam proſtituentes, atque exiſtimationem. Ad quem lapidem ne & ipſe impingeret, evitandum, quod in aliis carpebat, ratus, & non admirationem magis, quam imitationem philoſophia ſua efficere tentans, ad temporum ſuorum genium humanique animi, naturalem, quam ubique in votis habent mortales, inclinationem, reſpexit, & philoſophiam ſuam ei attemperavit. Cumque voluptatibus totam veluti immerſam videret Græciam, &, philoſophorum inanibus, quibus otioſa ingenia detinebant, diſputationibus eam emendari minime, obſervaret, naturalem voluptatis rationem, humanis quaſi impreſſam deſideriis finem totius, quam meditabatur, philoſophiæ eſſe juſſit, qua & anima & corpus eo ſtatu viget, quo dolore, ægritudine, & mœrore vacuus homo, ſibimet ſufficiens contentus lætusque vivit, eamque vitæ beatitatem conſequitur, qua tranquillo animi reliquarumque partium, quibus conſtat, ſtatu fruitur: ad quam εὐθυμίαν voluptatemque animi ſtantem, ut dicere ſolebat, Democritum quoque hominis reduxiſſe felicitatem *capite undecimo* demonſtravimus. Hunc Epicuri finem fuiſſe in ſequentibus pluribus demonſtrabimus, & ipſe *epiſtola ad Menœceum* luculenter expreſſit.[r] Ita vero ſperabat fore, ut cum fœdis corporis voluptatibus nihil ad beate vivendum ſe proficere, nec expleri deſideria ſua cernerent,[s] virtutem, qua iſta εὐθυμία paratur, ſublata illa horrida & ſqualente, qua eum deformaverant Stoici, facie, amplecterentur, eam ipſam, quam tam anxie quærit humanus animus, felicitatem, lætamque ac beatam in ea vitam invenientes. Huic philoſophiæ nihil tricarum prodeſſe videbat Epicurus, quibus tanquam ſpinis pungebant, non ſatiabant Stoici, & ad hunc finem totam philoſophiam revocabat, reducta, quæ in oblivionem venerat, magni Socratis regula, cuncta in diſciplinis ad mentis emendationem & felicitatem eſſe revocanda. Vt vero, quam in his nugis ceperat Græcia, jucunditatem everteret, perſpicuitatem verborum adhibuit, eaque fini certa deſcripſit axiomata, quibus & veritatem facile quis poſſet aſſequi, & contentioſas philoſophorum ſtrophas avertere. Magno hoc factum eſſe ſtudii philoſophici emolumento, cogitari facile poteſt. Nam ita inanes voces & ſine mente ſoni, principia precario adſumta, vel vaga & incerta, & ſpinoſa atque difficilis ſubtilitas, Academicorum, Dialecticorum, Stoicorum, quæ verum philoſophiæ uſum in vanam loquacitatem & diſputationem altercationes ſine fine reciprocatas mutaverat, ſicque difficillimum fecerat philoſophiæ laborem, ejiciebantur, & juvenes docebantur ipſa natura & experientia duce

q) Τὴν φιλανθρωπίαν πρὸς πάντας in eo vehementer laudat LAERT. *l. X. f. 10.* Ciceronis teſtimonium ſupra adduximus.

r) LAERT. *l. X. f. 122. ſeqq.*

s) Ideo reprehendebat Cyrenaicos, ut ex *rata ſententia decima* apud LAERT. *l. X. f. 142.* patet.

philoſophari, & fieri hoc quidem ſenſu, quo Heraclitus profeſſus eſt, αὐτοδίδακτοι. Cumque proprie non minus, quam perſpicue, omiſſa eloquentiæ turgidæ & alta petentis affectatione doceret, ſicque facile intelligeretur, non potuit non philoſophia ejus magno applauſu recipi, factumque inde eſt, ut ex aliis ſectis multi ad eum, miſſis prioribus magiſtris accederent, nemo, qui nomen ei dediſſet, præter unum Timocratem, fratris Metrodori reprehenſionibus exacerbatum, ab eo diſcederet unquam, id quod peſſime habuit reliquos philoſophos, amare ideo Epicurum ſugillantes. [t] Neque tamen his contentus Epicurus, cum acriter contra eum Stoici inſurgerent, magno animo illis reſtitit, inſultus repreſſit, hypocriſis larvam detraxit, inanem & magna promittentem, nihil eorum vero præſtantem philoſophiam denudavit. Quis non, ſine enarratore, ex his conjiciet, Stoicos, ſuperbum hominum genus, quod ſibi ſoli placebat, ſeque omnibus præferebat aliis, in furias actos & rabiem? quis miretur homines hos vindictæ ſtudio accenſos omnia auſos eſſe, quæcunque ad detrahendam hoſti tam formidabili famam & diminuendam fidem facere, dedecusque atque infamiam ei conciliare apta eſſent? Et hæc primaria cauſa eſt, quæ tot calumnias Epicuro peperit. Aliam obtulit ipſa Epicureæ philoſophiæ natura & conſtitutio. Voluptate tanquam fine ultimo condidiſſe quaſi acerbam ſapientiæ medicinam Epicurum, modo diximus. Hinc illæ lachrymæ, hinc illi clamores Stoicorum, quibus ad ravim usque Epicurum infamabant. Cum enim propudioſæ, quæ Græciam omnem, & præcipue Athenas, occupaverat, voluptati, Cynicis præceptis excitati & armati, bellum indixiſſent, ipſaque voluptatis doctrina Cyrenaicæ ſectæ dogmatibus & indigna philoſophorum multorum vita, vehementer jam eſſet ſuſpecta, exoptatiſſima hæc occaſio fuit, invidiam Epicuro conflandi, eumque pro illius voluptatis magiſtro publice declarandi, quam bonus quisque, paululum e cœno vulgi emergens, ſi non facto & vita, verbis tamen execrabatur & oderat. Quod ut eo facilius crederetur, nec mendaciis parcebant, nec ſuſpicionibus, & non vulgi tantum rumuſculos captabant, ſed & narratiunculas excogitabant, ut jucundas & curioſas Athenienſium aures demulcentes, ita Epicurum in fœdæ voluptatis ſuſpicionem quam maxime adducentes. Id quod eo minore labore potuit fieri, cum Epicurus & vitam ageret in hortis tranquillam & a turba remotam, hominibusque paucis innoteſceret, & voluptates corporis, quatenus ad mentis tranquillitatem pertinent, & virtute parantur, non rejiceret: certe tam veriſimile id fecere Stoici, ut apologiam pro ſe ſuaque philoſophia facere Epicurus aliquoties opus haberet. Cumque his omnibus accederet longe alius, quam publica civitatis religio poſcebat, de Diis conceptus, & doceret Epicurus vulgi de Deo opiniones eſſe falſas, [u] tolleretque is omnem numinis circa res hominum curam, quam ad alterum extremum decur-

t) Percunctanti ex Arceſilao, cur ex diſciplinis aliis plerique ad ſectam Epicuream tranſirent, ex Epicureis vero nullus ad aliam ſe ſectam conferret, reſpondit Arceſilaus: *quia ex viris quidem galli fiunt, ex gallis vero viri nunquam* LAERT. *l. IV. ſ. 43.* alludens ad Gallos ſacerdotes Cybeles exſectos & effeminatos.

u) IDEM *l. X. ſ. 123.*

decurrentes Stoici ad fatalem usque neceſſitatem extendebant, pietas ita quoque Epicuri a Stoicis culpata totam voluptatis doctrinam mirum in modum fecit ſuſpectam & exoſam. His artibus uſa ſuperſtitio & fraus, quem rationibus philoſophicis non poterat, calumniis aggrediebatur, & fictis etiam ac propudioſis audacium ingeniorum fabulis opprimere tentabat, qua ratione Diotimum epiſtolas ſpurciſſimas ſuppoſuiſſe Epicuro ſupra notavimus, & Cleanthem, Chryſippum, Timonem, hujusque generis alios feciſſe vetus tradit hiſtoria.[x] Negari tamen nequit, abuſum doctrinæ moralis Epicureæ, qua homines fœdæ voluptati litantes patrocinium licentiæ quæſivere, contuliſſe multum, ut infamia illa in ipſam devolveretur Epicuri philoſophiam, quales Alcæum & Philiſcum, Epicureos fuiſſe, a Romanis urbe ejectos, eo quod multarum flagitioſarumque libidinum auctores eſſent adoleſcentibus, AELIANVS[y] narrat. In his culpa quidem Epicurum non premebat, qui ſancta præcipiebat; hi enim, recte monente SENECA,[z] *non ab Epicuro impulſi luxuriabantur, ſed vitiis dediti luxuriam ſuam in philoſophiæ ſinu abſcondebant, & eo concurrebant, ubi audiebant, laudari voluptatem; nec æſtimabant illam voluptatem Epicuri, quæ ſobria & ſicca eſſet, ſed ad nomen ipſum advolabant, quærentes libidinibus ſuis patrocinium aliquod ac velamentum:* ſed hoc adverſarii, & vulgus rerum non ſatis intelligens ipſi poſtea Epicuri philoſophiæ, tanquam turpiſſimæ voluptatis magiſtræ adſcripſit. Hæc circa ipſam Epicuri ætatem enata, cum indies Stoicorum numerus & auctoritas apud plebem creſceret, non potuere non ſucceſſu temporis, fabulis & narratiunculis & vulgi & Stoicorum, ubique Epicureos vellicantium incrementa capere, & in publicam tandem degenerare traditionem: qua tanquam torrente abrepti viri quidam graves, ſed ab Epicurea philoſophia alieniores, Cicero, Plutarchus, Galenus,[a] & ex Patribus eccleſiæ haud pauci, male de Epicuro ſentire cœperunt, licet tanta fuerit apud eos interdum veritatis vis, ut contraria de eo teſtari non omitterent, & quæ contra eum dixere, ex communi magis hominum opinione & rumore vulgi, quam ex rei veritate dicta eſſe proderent, certe ſibi haud ſemel contradicerent, ſicque ſæpius fidem ſuam everterent. Addi hic merito debet poëtarum & comicorum licentia, quibus ſolenne fuit mordaci ſtilo philoſophorum famam confodere, quique ægre ferebant, artes ſuas tanquam inanes in Epicuri hortis traduci. Cum itaque impune in theatro mentiendi & calumniandi licentia gauderent, Epicurum, vulgi & Stoicorum

x) Cleanthem Epicuri voluptatem virtuti imperantem ita imagine depicta traduxiſſe refert CICERO *de fin. l. II.* Chryſippum ſimilia in Epicurum auſum Oenomaus tradit apud EVSEB. *præp. l. VI. c. 6.* Timonis Sillographi ſatyræ in Epicurum fragmentum exhibet ATHENAEVS *l. VII. p. 279.* Nec Epictetum ab hoc ſectæ ſuæ affectu liberum fuiſſe ex LAERTIO *l. X.* & ARRIANO *l. II. c. 20.* palam eſt. Ita Philænidi quoque feminæ Epicureæ caſte & ſancte viventi fœdum carmen ſuppoſuit Polycrates ſophiſta, eique adſcripſit Chryſippus, ut diffamaret diſciplinam Epicuream, vid. ATHEN. *l. VIII. p. 335.* ita etiam cum Archeſtrati gaſtronomia Epicureis tributa eveniſſe idem prodit *l. III. p. 101.* Perperam itaque negat PARCKERVS *de Deo Diſp. I. ſect. 14. p. 34.* eſſe aliud exemplum librorum Epicuro ſuppoſitorum, præter Diotimi epiſtolas.

y) *Lib. IX. c. 12.* conf. CICERO *orat. in Piſon.*

z) *De vita beata c. 12.*

a) Loca eorum habet apud GASSENDVM *c. VI. p. 96. ſeqq.* quibus ex dictis cauſis parum lucratur PARCKERVS *l. c. p. 36. ſeqq.*

rum dicteriis satis jam per Græcum & Romanum orbem diffamatum convitiis & dicteriis lacessere, & de eo tanquam nequissimo hominum turpia quævis comminisci non erubuerunt: [b] quibus sophistæ & rhetores, qui inimicum habebant Epicurum, inanem loquacitatem exsibilantem, auxilia ferebant, & eloquentiam in Epicuro traducendo exercebant. Mirum itaque videri debet nemini, Epicurum, quem dignam philosopho vitam duxisse supra evicimus, tantam per tot secula infamiam meruisse, & innocentiam calumniæ ad tempus succubuisse. Viderunt tamen hoc viri perspicaces & magni quoque, qui alia longe in Epicuri philosophia deprehendentes, dignitati, ingenio, & auctoritati suæ, quæ longe maxima fuit, non indecorum existimaverunt, ei nomen dare, dabimusque in sequenti hujus historiæ parte numerum virorum summorum apud Romanos, quibus Epicurea philosophia præ aliis sectis placuit, licet apud popellum infamis esset, & tanquam scelerum sentina traduceretur.

Amici & sectatores.

§. VI. Minime tamen impedivit tanta, qua Epicurum persequebatur secta Stoica, invidia, quo minus non amicis tantum gauderet plurimis, sed & discipulos & sectatores nancisceretur plures, quam odium Stoicorum ferre poterat. Philosophabantur autem cum eo tres fratres, Neocles, Chæredemus & Aristobulus, [c] otio philosophico in horto fratris toti dediti, [d] ejusque beneficentia sustentati. [e] Ex familiaribus imprimis Metrodorus Polyænus & Hermachus, Mus etiam, servus ejus, eminuerunt. Et METRODORVS quidem, si plerosque audias Lampsacenus, [f] secundum aliquos [g] Atheniensis fuit, qui sine dubio in ejus notitiam venit, cum Lampsaci moram Epicurus ageret. Leontium concubinam aluisse supra monuimus, certe liberos suscepit, quorum curam Idomeneo moribundus commendavit Epicurus, cum is ante hunc fatis concessisset, LIII annos natus. [h] Nunquam vero, ex quo in Epicuri venerat notitiam ab eo discessit, nisi sex menses, quibus cum domi abfuisset, ad Epicurum reversus est. [i] Tantaque felicitate Epicuri philosophiam assecutus est, ut non tantum alter pæne Epicurus Ciceroni audiat, sed LAERTIVS [k] quoque testetur, morum placidissimorum bonitate & intrepido contra molestias mortemque ipsam fuisse animo, qui libros quoque enumerat, quibus adversus sophistas, dialecticos, & Democritum etiam insurrexit. [l] Valde in eum linguæ calamique frena laxarunt, qui Epicuri scholam criminati sunt, ex quibus CICERO [m] hunc Epicuri collegam sapientiæ multa impudentiora recitasse, ait, accusare enim fratrem

Metrodorus.

b) Exempla ejus sunt apud ATHENAEVM *l. III. p. 103. l. VII. p. 173.*

c) LAERT. *l. X. f. 10.*

d) Hinc illud Neoclis λάθε βιώσας teste SVIDA in *Neocle T. II. p. 608.* quod singulari dissertatione impugnavit PLVT.

e) LAERT. *l. c.*

f) STRABO *l. XIII.* Alius est ab illo Anaxagoræ familiari, cujus meminit LAERT. *l. II. f. 11.*

g) IONSIVS *Hist. phil. l. I. c. 20. p. 109.* qui Lampsacenum dici a mora putat. Res ad locum LAERTII *l. X. f. 22.* redit, ubi post Metrodorum, Stephani editio legit Ἀθηναῖον, Meibomiana τὸν Ἀθήναιον, quod peculiare Athenæi nomen notat, & alium a Metrodoro distinctum indicat, conf. MENAG. MEIBOM. *ad h. l.* GASSENDVS *l. c.*

h) LAERT. *f. 19. 23.* Idomeneus vero sororem Metrodori Batidem in conjugio habuerat.

i) *ibid. f. 22.*

k) *f. 19.*

l) Conf. GASSEND. *l. c.* IONS. *l. c.* FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 812.*

m) *Tusc. Qq. l. III.*

fratrem ſuum Timocratem Metrodorum, quod dubitet omnia, quæ ad beatam vitam pertineant, ventre metiri; & PLVTARCHVS [n] objicit, ſcripſiſſe ad Timocratem: *nihil attinet, o Timocrates, Græcos ſervare, & ſapientiæ ergo coronas ab iis reportare, ſed comedere ac potare vinum, quantum & non noceat, & gratum ſit ventri.* Quæ tanta videntur Oxonienſi epiſcopo, [o] valde in Epicurum odio accenſo, ut qui talia ſcribere non erubeſcant, non opus habere dicat, ut iis commentis & fabulis infamia creetur, cum ad libros provocent Cicero & Plutarchus, probarique nequeat, ficta ea monumenta fuiſſe, quibus nituntur. Quæ etſi magno ardore proſequitur eloquentiſſimus præſul, facile tamen ex iis poſſunt retundi, quæ ſupra de ſimilibus, quæ in Epicurum dictæ ſunt, criminationibus monuimus. Vnum hoc totum argumentum vi ſua ſpoliat, cuncta redire ad Timocratem, Metrodori fratrem, offenſa ejus permotum, ut ſectam relinqueret, qui in libro *de lætitia* myſticam illam ſynagogam, ſive arcana conventicula nocturnasque illas philoſophandi conſuetudines perferre ſe non potuiſſe, taliaque potiſſimum de fratre & præceptore ſcripſerat. [p] Aſt quis apoſtatæ, quis inimici fide ſtabit? quis fratrem criminantem æquus audiet? quem innocentiſſima quæque in fratris odium vertiſſe facile probari poteſt. [q] Ceterum cum aliis Metrodoris, præſertim Stratonicenſi, qui ex Epicuri ſecta ad Carneadem, humanitate & benevolentia ejus invitatus defecit, confundendus non eſt, quem Epicuro feciſſe coævum, indeque Carneadem quoque Epicuri tempore viventem aſſeruiſſe FOVCHERIVM, fundamento & veritate deſtitutum, ſupra *capitis ſexti ſectione tertia* monuimus. [r] Alter Polyænus Athenodori filius, ipſe quoque Lampſacenus, a Philodemo apud LAERTIVM [s] laudatur tanquam modeſtus & amabilis, quibus potiſſimum moribus Epicurei ſe commendabant, magnum vero mathematicum fuiſſe, CICERO [t] teſtatur. Hermachus Agemarchi filius, Mytilenæus fuit, paupere patre natus, ſed quem ex rhetorum ſcholis abductum tanta felicitate præceptis philoſophiæ ſuæ imbuit Epicurus, ut ipſum moriens ſcholæ ſuæ præfecerit: [u] qui quam carum eum habuerit, in teſtamento prodidit. Scripſit is *adverſus Platonem*, itemque *adverſus Ariſtotelem*, & *epiſtolica XXII. de Empedocle*, [x] aitque LAERTIVS, [y] libros ejus fuiſſe pulcherrimos. Mus ſervus fuit Epicuri, teſtamento tamen ejus libertate donale intellectus, ſeduxit viros doctos, ut contra temporum rationes Metrodorum hunc Epicuro coævum facerent, nec ſatis his difficultatibus ſe expedivit GASSENDVS *l. IV. c. 8. p. 127.* MENAG. *ad l. c.* Laërt. IONS. *de Script. hiſt. phil. l. IV. p. 350.* Recte vero vidit P. BAYLE *Dict. l. c. not. D. p. 365.* verba Laërtii non ad Epicurum, ſed ad Carneadem referenda eſſe, quem humanitate omnibus præſtitiſſe *l. c.* docuimus.

Polyænus.

Hermachus.

Mus.

n) Adv. Colot. l. c.

o) l. c. ſect. XIV. p. 37. *p)* LAERT. *ſ. 6.*

q) Criminatur Timocrates contubernium Epicureum, bis in die ibi nimiis delitiis ſolutos vomere ſolitos fuiſſe, apud LAERT. *l. c.* ſed maledicentiam hominis, anſam ex alia longe occaſione calumniæ quærentis prodit CELSVS *de re med. l. III. c. 21.* qui refert, Metrodorum, aquæ intercutis morbo tentatum, cum ſitim neceſſariam æquo animo non ferret, ubi diu abſtinuiſſet, bibere ſolitum, ac deinde evomere. Hac via aliæ quoque calumniæ contra Epicureos enatæ ſunt.

r) Locus LAERTII *l. X. ſ. 9.* ab interprete ma-

s) LAERT. *ſ. 24.* *t) Acad. Qq. l. 4. c. 33.*

u) LAERT. *ſ. 25.*

x) ibid. IONS. *l. II. c. 1. p. 109.*

y) l. c.

donatus, quem inter illos, qui cum Epicuro philoſophati ſunt, celeberrimum fuiſſe LAERTIVS [z] docet. Recte itaque inter ſervos refertur, qui philoſophi evaſere, a GELLIO [a] & MACROBIO. [b] Præter hos magna familiaritate Epicuro juncti erant Leonteus Lampſacenus, quem unum ex ſummis Epicuri diſcipulis PLVTARCHVS [c] appellat; Colotes item PLVTARCHI potiſſimum libris impugnatus, qui tamen diverſus videtur a Colote Lampſaceno, quem Menedemum Cynicum præceptorem habuiſſe refert LAERTIVS: [d] tum Idomeneus, *a vita ſpecioſa*, ut ſcribit SENECA, [e] *ab Epicuro ad fidelem ſtabilemque gloriam revocatus, rigidæ tunc potentiæ miniſter & magna tractans;* ad quem ſcriptas literas exhibet LAERTIVS. [f] Alios in teſtamento Epicuri nominatos ſilentio præterimus.

Timocrates. Timocratem vero Metrodori fratrem ſcholam reliquiſſe & infamaſſe, jam diximus, tantaque fuit inter utrumque fratrem diſcordia, ut & ſcriptis inter ſe certaſſe veteres tradant. [g] Pollicem itaque premere non poſſumus, viris doctiſſimis & in hiſtoria veterum literaria exercitatiſſimis, IO. IONSIO [h] & IO. ALB. FABRICIO, qui Timocratem, Demetrii filium, Potamonium, quem in teſtamento hæredem ſcripſit Epicurus, [k] eundem putant, cum Timocrate, Metrodori fratre. Vt enim LAERTII teſtimonio conſtat, vivo adhuc Epicuro a ſchola defeciſſe hunc Timocratem, [l] & adducti teſtes referant, ipſum fratrem contra eum ſcripſiſſe, quod etiam ex loco Ciceronis ſupra laudato manifeſtum eſt, recte inde infertur, alium eſſe Timocratem, quem præcipuum ſcholæ conſervatorem cum Hermacho & Amynomacho conſtituit Epicurus. Quæ licet viderit Ionſius, omnia tamen ſubvertit, & contra diſerta, quæ ipſe laudaverat, veterum teſtimonia, Timocratem non fuiſſe μεταθέμενον, contendit, ut evincere queat, Metrodorum fuiſſe Athenienſem, quia hic Timocrates Athenienſis fuit. Quod argumentum merito invertimus, indeque, quod diverſi hi duo Timocrates fuerint, recte dici Metrodorum a Cicerone & Strabone Lampſacenum, concludimus. [m]

Feminæ Epicureæ. Ex feminis, quæ more Græciæ hanc ſectam ſecuti ſunt, Leontium nobis enarranda eſt Metrodori concubina, [n] Themiſta item Leontei conjux & Philænis mulier commendatiſſimorum morum.

Cultus Epicurus poſt mortem. Non vero vivus tantum diſcipulis cariſſimus Epicurus fuit, cujus convictu, contubernio, inſtitutione, ſingularique cura, ita gaviſi ſunt, ut moriens quoque teſtamento caveret, ut quotquot ſecum in philoſophiæ ſtudium incubuerint, atque res ſuas

z) ſ. 10. *a) l. c. c. 12.*
b) Saturnal. l. I. c. 12.
c) l. c. *d) Lib. VI. ſ. 102.*
e) Epiſt. 11. *f) Lib. X. ſ. 22.*
g) CICERO *l. I. de N. D.* LAERT. *l. X. ſ. 25.* PLVT. *quod non poſſit ſuav. vivi ſec. Epic.* PROCLVS in *Heſiod.* conf. IONS. *de S. H. philoſ. l. I. c. 20. p. 109.*
h) l. c. *i) l. c.* *k)* LAERT. *ſ. 16.*
l) Cum enim Metrodorus contra fratrem ſcripſerit, ille vero ante Epicurum fatis functus ſit, oportet eum ab Epicuro adhuc vivo defeciſſe.
m) Diſtinguendus itaque Timocrates Lampſacenus a Timocrate Athenienſi, & patria & ſectæ conſtantia. Quod ni fiat, multa obſcura erunt & turbata in Laërtii hiſtoria. Id quod prætermiſiſſe Gaſſendum miramur.
n) Dabunt, quæ ad hujus meretricis hiſtoriam pertinent BAYLE *Dict. T. III.* art. *Leontium p. 93.* MENAG. *Hiſt. mul. philoſ. §. 70. & ad* LAERT. *l. X. ſ. 4.* GASSEND. *l. c. l. VII. c. 2. p. 169. ſeqq. c. 5. p. 178. ſeq. c. 6. p. 182. & T. VI. Opp. p. 128.* FABRIC. *l. c. p. 817.* Habuit filiam Danaëm matris veſtigia ſtrenue prementem, de qua videndus ATHENAEVS *l. XIII. p. 593.* ſcripſiſſe contra Theophraſtum, ſuo loco indicavimus.

ſuas in communem uſum contulerint, omnemque alacritatem oſtendentes ſecum in philoſophiæ ſtudiis conſenuerint, nulla re, quæ ad vitam neceſſaria eſt, egeant: [o] ſed & vivis erepti ſanctiſſimam atque cariſſimam habuere memoriam. Quam ut decenti ratione colerent, ſtatos dies ac ceremonias teſtamento ab ipſo Epicuro cautas ſtudioſiſſime obſervarunt, & quod PLINIVS [p] teſtatur, natali ejus vigeſima luna ſacrificarunt, feriasque omni menſe cuſtodierunt, quas Icadas vocarunt. Quas tanquam luxu celebratas & voluptatibus, criminatur, ut ſolet, ATHENAEVS, [q] non magis tamen fidem meritus, quam ubi Platonica convivia traducit. Inde apud Græcos nomen εἰκαδιστῶν Epicureis tributum, quod ἀπὸ τῆς εἰκάδος, ſive imagine Epicuri conſervata inter eos minus veriſimiliter alii derivant. [r] Habuiſſe vero Epicuri imaginem in poculis & annulis, inque tabulis, & per cubicula geſtaſſe, ac circumtuliſſe ſecum Epicureos, CICERO [s] atque PLINIVS [t] teſtes ſunt. Adeo etiam magiſtri inhæſere auctoritati, ut, cum moriens, ſuos monuiſſet, eſſent placitorum ſuorum memores, CICERONE [u] auctore, omnes ad verbum ediſcerent ratas ſententias, eſſent etiam, [x] qui dogmata omnia memoria tenerent. Arbitrabantur enim, ut ait Torquatus, [y] *eum unum vidiſſe verum, maximisque erroribus hominum animos liberaviſſe, & omnia tradidiſſe, quæ pertinerent ad bene beateque vivendum*, quale de Epicuri meritis judicium paſſim magnificis verbis exprimit LVCRETIVS. [z] Admiratione quoque dignum eſt, ſucceſſores & aſſeclas Epicuri tanta amoris & concordiæ conſpiratione conſenſiſſe, ut nec ulla inter eos per multa, quibus ſchola duravit, ſecula diſſenſio obſervaretur, & monente SENECA, [a] *apud eos, quicquid diceret Hermachus, quicquid Metrodorus, ad unum referretur; omnia quæ quisquam in illo contubernio locutus eſſet, unius ductu & auſpiciis dicta viderentur*, vel quod THEMISTIVS [b] teſtatur, ea, *quæ Epicuro placuerunt, ut quædam Solonis vel Lycurgi leges, ab omnibus Epicureis ſervarentur.* Proditque Numenius apud EVSEBIVM, [c] *adeo nulla in re, eos ab Epicuro diſſenſiſſe, quæ digna quidem ſit memoratu, ut delictum potius apud eos fuerit, & impietas ac damnandum piaculum, ſi quippiam fuerit innovatum, ſic ut Epicuri inſtitutum reipublicæ cuipiam veræ germanæque ſimilis ſit, ubi ſeditione omni remota, una mens communis, una moderatur ſententia.* Nec male in hanc doctrinæ morumque concordiam Numenius cauſam conjicit conſervatæ ad ſua usque tempora ſectæ Epicureæ, quam ad illam usque duraſſe ætatem, qua gentilis philoſophia, ſuppreſſa a Platonis & Ariſtotelis diſciplina inter Chriſtianos regnante, tota tandem ſub Imperatoribus Chriſtianis periit, [d] infra dicemus.

o) LAERT. *l. X. ſ. 21.*
p) *Lib. XXXV. c. 2.* q) *Lib. IV. p. 182.*
r) Apud STANLEIVM. *P. XII. p. 944.*
s) *De finib. l. V. c. 1.*
t) *l. c.* conf. *Otium Vindel. Mel. III. §. 8. p. 273. ſeqq.* u) *De finib. l. II. c. 7.*
x) *Q q. Acad. l. IV, c. 33.* Id imprimis Scyroni adſcribitur, qui & Siron vocatur. vid. SERV. *ad Eclog. VI.* VIRGILII.
y) Apud CICER. *de fin. l. I. c. 8.*
z) *Initio libri III. & VI.*
a) *Epiſt. 33.* b) *Orat. IV.*
c) *Præp. ev. l. XIV. c. 5. p. 727.*
d) Dicetur hac de re infra.

Observationes generales de philosophia Epicuri.

§. VII. Hactenus vitæ Epicuri condidimus historiam, sequitur consideratio philosophiæ ejus, quam utinam totam ex Epicuri libris liceret addiscere, quos deperditos esse fere omnes, supra doluimus. Gratias tamen debemus LAERTIO, qui tres nobis ejus epistolas, Epicureæ philosophiæ summam comprehendentes servavit & ratas ejus adjecit sententias; in quas scriptorum Epicureorum reliquias nemo luculentius scripsit ex veteribus LVCRETIO, de quo tamen ad Romanorum philosophiam delatis erit agendum. Ex recentioribus, quorum nobis catalogum dedit diligentissimus HEVMANNVS, [e] *omnes præstrinxit stellas exortus uti æthereus sol*, quod de Epicuro canit LVCRETIVS, doctissimus GASSENDVS, qui in *Commentario in librum decimum Laërtii*, & quod iis observationibus innititur, *syntagmate philosophiæ Epicureæ*, [f] universam hanc philosophandi rationem explicuit, illustravit, defendit, supplevit, & ubi opus erat, emendavit. Quem licet transverso ob hoc oculo intueantur IAC. THOMASIVS, [g] HERMANNVS CONRINGIVS [h] & IO. IONSIVS, [i] manebit tamen incomparabilem virum gloria, quod omnium optime maximoque ingenio & eruditione in hac palæstra versatus sit. Nos ejus vestigiis, consultis tamen, more hactenus observato, fontibus, qui haberi possunt, ipsis insistemus, præmissis observationibus quibusdam generalibus, ut de indole, occasione causisque philosophiæ Epicureæ eo melius ac certius lector judicare queat. Et quidem

I. Recordandum, quod in antecedentibus jam monuimus, iis potissimum vixisse Epicurum temporibus, quibus circa elegantiores disciplinas, imprimis grammaticam, poëticam, rhetoricam, maxime vero circa dialecticam insano studio occupata fuit Græcia, totumque in iis tempus ita consumsit, ut parum vel nihil ad parandam & tuendam felicitatem esset reliquum. Quam in his elementis consenescendi insaniam castigare post præceptorem cœperat schola Socratica, sed frustraneo conatu, relabentibus ad pristinas nugas potioribus ejus discipulis. Plerique etiam, qui circa encyclicas versabantur disciplinas, ingenia istis non præparabant, sed detinebant, &, quod eleganter SENECA [k] monet, ista liberalium artium consectatio molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes faciebat, & ideo non discentes necessaria, quia supervacanea didicerant: quo non poterat non vera felicitas impediri & philosophiæ studium sufflaminari, quo minus ad efficiendam veram mentis tranquillitatem esset idonea. Hos scopulos evitandos sibi observabat Epicurus, adeoque non ad illas amandabat discipulos, sed recta via ad philosophiæ adyta ducebat, quod non exiguam ei peperit, uti dictum, calumniam. [l] Quoniam tamen probe noverat vim seculi sui, torrentis instar juvenum animos abripientis, ne hi, qui encyclicis literis toti detinebantur,

e) *Act. philos. vol. II. p. 643.*
f) Vtimur nos editione *Amstel. 1684. 4.*
g) *De exust. mundi Stoica §. 6. p. 6.*
h) *Conringiana p. 65.*
i) *De Script. hist. phil, l. IV. p. 513.* qui vero prodit, cur tantopere displiceat Gassendus, nempe ob graviter castigatum Aristotelem in *exercitationibus paradoxicis.*
k) *Epist. 88.*
l) Consulendus pluribus de his GASSENDVS *de vit. Epic. l. VIII. toto.*

bantur, philoſophiæ præceptis carerent, ſcripſit epitomas in gratiam eorum, qui encyclicarum literarum ſtudiis profundius eſſent immerſi: ut ſcilicet aliqua tamen meliorum tingerentur notitia. [m]

II. Non obliviſcendum etiam, quod ex tota, quam hactenus explanavimus, Græcanicæ philoſophiæ hiſtoria ſatis notum eſſe putamus, vehementer inter ſe tum temporis digladiatas fuiſſe ſectas, eas imprimis, quæ ex Socratis ſchola progreſſæ maximam apud alios famam erant conſecutæ. Quæ cum hypotheſibus, plerumque precariis, & male conſarcinatis veterum doctrinis aſſumtis contra oppugnantium inſultus, Dialecticorum præcipue & Academicorum tueri ſe non poſſent, occaſionem quidem dedere Pyrrhoni, magnam illam nihil credendi ſtatuendique artem introducendi, Academicorum telis ſatis defenſam: quam vero viam quia ad reſtituendam animi tranquillitatem inutilem videbat Epicurus, aliam ingreſſus eſt, & naturam hominis atque principia ſenſibus & rationi magis patentia ſequendo, novum ſyſtema condidit.

III. Nulla vero hiſtoriæ Epicuri circumſtantia majorem in ejus ſyſtema influxum præſtitit, quam probata in antecedentibus æmulatio inter Epicurum & Zenonem, id quod utriusque philoſophi ſyſtema comparando fit manifeſtiſſimum. Stoici philoſophiæ ambitum valde extendebant, & quod ſuo loco vidimus, grammaticam & rhetoricam partem eſſe philoſophiæ jubebant, hisque tricis vitam conſumentes, graviora ſæpe negligebant: Epicurus e contrario nihil ex iſtis diſciplinis admittebat, niſi quod beatæ vitæ diſciplinam juvaret, reliquorum ſtudiorum nullum in bonis numerabat, quod ad æs exibat. [n] Stoici adeo dialecticis tricis detinebantur, ut cavillationes eorum in proverbium abirent: Epicurus iis canonicam ſuam oppoſuit, paucaque illa, quæ ad perſpicuitatem cum ſermonis, tum ratiocinationis requirebantur, ad breves regulas revocando, inani Stoicorum loquacitati efficax paravit antidotum. Stoici Deum admittebant, animam mundi, eum vero per univerſam naturam diffuſum diſcerpebant, & in partes ire cogebant: Epicurus in phyſiologia omiſſis principiis ſpiritualibus omnia ad atomos & inane revocabat. Illi neceſſarium inter cauſam agentem & patientem vinculum comminiſcebantur, quo aliud evenire non poterat; hic fortuito atomorum motui & concurſui omnia tribuebat. Cumque Stoici iſta neceſſitate phyſica & Deum & homines libertate privarent, & providentiam, quam crepabant, corrumperent miſere; Epicurus abſurdam doctrinam evitaturus, adeo neceſſitatem iſtam refugiebat, ut non tantum omnem e ſyſtemate ſuo providentiam ejiceret, ſed & neceſſariam iſtam atomorum commotionem, quam Democritus ſtatuerat, procul eſſe juberet. Stoici virtutis perfectionem in ſimilitudine animi cum univerſo, & ἀπαθείᾳ, motus omnes voluntatis ſupprimente, quærebant; Epicurus hæc inania & inſana

m) Ita ad Pythoclem apud LAERT. *l. X. ſ. 85.* ſcripſiſſe ſe eum tractatum emolumento futurum iis, τοῖς νεωστὶ φυσιολογίας γνησίᾳ γεγευμένοις, καὶ τοῖς εἰς ἀσχολίας βαθυτέρας τῶν ἐγκυκλίων τινὸς ἐμπεπλεγμένοις.

n) SENECA *ep. 21.*

esse videns, primarium voluntatis motum ad tranquillitatem & lætitiam tendentem ad virtutem & beatam vitam maxime ducem eligebat. Alia brevitatis causa tacemus, cum hæc satis evidenter probent, in primariis philosophiæ capitibus oppositum inter se fuisse Epicureæ & Stoicæ sectæ systema: quorum hoc meteoris magnis & inanibus impossibilia promittebat, illud humanis votis viribusque non majora exhibebat, & felicitatem mentis præstabat magis, quam spondebat.

IV. Ex dictis quoque clarum est, Epicurum, voluptatem finem constituentem philosophiæ, dum se Græciæ tum viventis moribus attemperabat, inveterato malo medicinam quæsivisse, non amarore execrabilem, sed jucundam aspectu & auro quasi obductam, ut admissa semel præcepta sapientiæ, dum voluptates promittunt, spe mala inductis, qui velamentum se ipsos suorum vitiorum habituros existimabant, probarent, quocunque ierint, honeste esse vivendum, quod SENECAM [o] monuisse, in præcedentibus diximus. Intelligendus ita Epicurus aliter haud est, quam scopus ejus constitutusque philosophiæ finis poscit.

V. Porro & hoc observandum, abhorruisse Epicurum a principiis & dogmatibus vel precario assumtis, vel obscuris, incertis, vagisque, qualia pleræque tunc sectæ adhibebant; ducemque naturam & experientiam elegisse, sensuum judicio admisso.

VI. Sed & cautos nos esse debere in perquirenda Epicuri doctrina, fata & controversiæ, quibus pressa fuit schola Epicurea, scripta ei falso tributa, consequentiæ odii & invidiæ causa ex ejus decretis elicitæ, perversa ejus sententia a malis quibusdam discipulis, nos satis admonent: ad quæ si recte attendissent, qui toties in Epicurum declamaverunt, parcius tantas criminationes in eum conjeciissent.

VII. Valde itaque prius examinandum est, quid Epicurus scripserit, unde desumta sint testimonia quibusve auctoribus edita, cogitandumque, multa amissis scriptis, fragmenta esse, Epicuri dogmata referentia, de quorum connexione veroque sensu, jam judicare non licet. Quæ cum plerumque adversarii Epicuri in scriptis suis attulerint, facile inde judicari potest, ex illis de Epicuri mente sententiam aliter ferri non posse, quam totius systematis postulat connexio & habitus. Quæ si recte observentur, multa tolerabiliori prodibunt in Epicuri philosophia habitu, quæ execrata est per multa secula tota philosophantium natio.

Epicuri doctrina de

§. VIII. His præmissis, jam, quid tam de philosophia in genere, quam de rationali, naturali & morali ejus parte visum sit Epicuro, dispiciendum est. Vbi vero duo præmonenda sunt, recte a GASSENDO [p] jam monita; nempe, & seriem eam quidem exhibendam esse, quæ non aliena sit ab Epicuri methodo, neque tamen habeatur illi adeo scrupulose illigata, ut non, sicut ipse Epicurus ordinem eundem in eadem re pertractanda non tenuit, & Lucretius quoque non illum absque immutatione servavit, eadem libertate,

o) *loc. cit.*

p) *Præf. ad syntagma philos. Epic.*

tate, diſponantur pleraque, ut magis videbitur eſſe commodum. Deinde, ipſi Epicuro attribuendum eſſe, ſi quid dictum a Metrodoro, Hermacho, Colote, aliove quopiam ex illius ſectatoribus, cum ſupra obſervatum ſit, omnia, quæ quisquam in illo contubernio locutus eſt, unius auſpiciis dicta eſſe. Addimus his, nec Ciceronis, Plutarchi, Senecæ, Sexti Empirici aliorumque teſtimonia negligenda eſſe, uti cum ſyſtemate Epicuri concordant, & detorta non eſſe, apparet. Ita vero de philoſophia in genere præcepit:

I. Philoſophia, eſt rationis exercitatio (ἐνέργεια) quæ ratiocinando & diſputando, vitam beatam parat, eaque fruitur. [q] Ex quibus ſequitur, diſciplinas illas relinquendas eſſe otioſis hominibus, quæ nihil ad beatam vitam vel parandam vel fruendam faciunt. *Philoſophia in genere.*

II. Facit autem philoſophiæ certa & ſine errore ſpeculatio, ut noverimus, quid eligendum, quid fugiendum ſit ad corporis ſanitatem & animi tranquillitatem. Hujus enim gratia omnia agimus, ut neque doleamus, neque perturbemur, quod ubi conſecuti ſumus, ſolvitur omnis tempeſtas animi. [r]

III. Tanti vero cum hominis interſit philoſophari, neque debet juvenis philoſophandi trahere moram, neque ſenex philoſophando defatigari. [s] Philoſophia enim ſola eſt, quæ & juvenes & ſenes vano timore facit liberos. [t]

IV. Triplicis vero notæ ſunt, qui animum huc applicant; ſunt enim quidam, qui ad veritatem ſine ullius adjutorio exeunt; hi maxime laudandi, quibus ex ſe impetus fuit, qui ſe ipſos protulerunt. Sunt qui opera aliena indigeant, non ituri, ſi nemo præceſſerit; egregium hoc quoque, ſed ſecundæ ſortis ingenium, multum enim eſt, velle ſervari. Præter hæc aliud invenitur genus hominum, ne ipſum quidem faſtidiendum, eorum, qui cogi ad rectum, compellique poſſunt, quibus non duce tantum opus ſit, ſed adjutore, & ut ita dicam, coactore. Exemplum primæ ſortis eſt ipſe Epicurus, ſecundæ Metrodorus, tertiæ Hermachus, hujusque laudem dixiſſe, ait SENECA, [u] Epicurum, eſſe majorem, quia in difficiliori materia, dum quis malignitatem naturæ ſuæ vincit, & ad ſapientiam ſe non perduxit, ſed extraxit.

V. Cum nihil debeat eſſe philoſopho ipſa veritate antiquius, ideo is ad ipſam recta via tendet, & nihil neque finget, neque ab aliis fictum admittet, quoniam nullum figmenti genus veri profeſſoribus convenit, ac ne probanda quidem videtur Socratis ironia. [x] Valde ex hoc fundamento inſurrexit Epicurus in poëtarum fabulas, [y] & oratorum technas, nec ex grammatica aliud, quam orationem congruam, ex rhetorica nihil aliud, quam perſpicuam diſcendam eſſe præcepit, & in ſcribendo & docendo panegyricam orationem vitandam eſſe monuit. Hinc illud Epicuri apud LAERTIVM: [z] *ſolum ſapientem de muſica & poëtica recte verba facturum.*

VI.

q) SEXT. EMP. *adv. mathem. l. XI. ſ. 169.*
r) Epicurus *ad Menœc.* apud LAERT. *l. X. ſ. 128.*
s) *ib. ſ. 122.*
t) *ib.* SENECA *ep. 8.*
u) *Epiſt. 52.*
x) CICERO *in Bruto c. 85.*
y) PLVT. *de aud. poët. T. I. p. m. 20.* Alia veterum teſtimonia vid. apud GASSEND. *de vita Epic. l. VIII. c. 8. p. 218.*
z) *ſ. 121.*

VI. Sapiens, qui germane philoſophari inſtituit, ſic ſe habebit, ut non afferat quidem omnia, ſed quæpiam tamen placita rata, & de quibus non ſit hærendum, defendat. [a] Ita Epicurus rejectis Academicis & Pyrrhoniis ſe dogmaticis aggregabat. Reſpexit vero priori theſis membro ad problemata, poſteriori ad principia ratasque ſententias, & axiomata.

VII. Duæ partes philoſophiæ ſunt, una phyſica, quæ in naturæ contemplatione ſita eſt, altera ethica, quæ in dirigendis animi ad beatam vitam moribus verſatur. Ex his ethica præſtantiſſima pars eſt, & univerſa velut philoſophia, phyſica vero in partes venit, verum quatenus ipſa quoque ad beatam vitam conducit. [b] Oppoſuit hoc Epicurus Pythagoreæ, Platonicæ & Peripateticæ ſcholæ, theoreticam felicitatem practicæ præponentibus.

VIII. Si nihil quidem nos turbarent, quæ ſuſpicamur, veremurque a rebus illis ſublimibus, ac etiam morte, quaſi aliquid pertineat ad nos, ſi item intelligeremus, qui ſint cupiditatum & dolorum fines, phyſiologia opus non eſſet: verum quia fieri non poteſt, ut tantum bonum, niſi perſpecta rerum natura aſſequamur, ſed ea timeamus, quæ fabuloſa & metuenda non ſunt, ideo phyſiologia opus eſt, ut has animi tenebras diſcutiat. [c] Ita ſcilicet viſum Epicuro, non poſſe vivere tranquillum & ſine mentis dolore hominem, niſi ejecto omni ſuperum metu, pœnarum vel præmiorum expectatione, quam ſyſtema ejus phyſicum rejiciebat, liber & ſine futuri anxietate, omni perturbatione evadat vacuus. Quæ quo tetenderit philoſophia Epicuri ſatis produnt.

IX. Quam vero reliqui philoſophi addunt tertiam partem, dialecticam, ea repudianda eſt, [d] eo quod ſpinas tantum vellat, inanis loquacitas ſit, & cavillorum officina: [e] ſufficit enim, phyſicos uti ſcire perſpicuis & conſvetis vocibus. [f] Hoc Stoicis & Academicis oppoſitum eſſe, ex ſupra dictis manifeſtum eſt.

X. Certa tamen collectione regularum quarundam paucarum ſive canonum opus eſt, tradentium, quid de vocabulis judicandique regula ſtatuendum ſit, quæ veluti quædam acceſſio eſt ad partem naturalem, ſed minus præcipua, ſive introductio haberi queat. [g] Simile quid jam Democrito in mentem veniſſe, *capite undecimo* monuimus.

Canonica Epicuri.

§. IX. Dialecticam itaque philoſophiæ partem, philoſophorum cavillationibus valde deturpatam ad veri notiones & regulas revocavit Epicurus, ſicque canonica ſua meliorem rationalis philoſophiæ partem expreſſit, nugas reſecuit. [h] Vt vero, quo fundamento nitatur canonica Epicurea, recte intelligatur, prænotandum, Epicurum veritatem duplici facie conſideraſſe, vel ut re ipſa eſt, vel ut notiones & cogitationes animi cum rerum natura

a) *ibid.*
b) SENECA *ep. 89.* LAERT. *l. X. ſ. 30.*
c) LVCRET. *l. I. v. 63. ſeqq.* LAERT. *l. X. ſ. 124. ſeqq.*
d) *ib. ſ. 31.* SEXT. EMP. *adv. math. l. VII. ſ. 14.*
e) Conf. quæ ex veteribus teſtimonia collegit GASSEND. *vit. Epic. l. VIII. c. 10. p. 231.*
f) LAERT. *l. c.*
g) *ibid. ſ. 30. 31.*
h) Explicuit hanc Epicureæ philoſophiæ partem poſt GASSENDVM *l. c.* & *ad* LAERT. *l. X. p. 121.* atque in *origin. logic. c. 7.* THOMASIVS *Introd. in philoſ. aulic. c. V. §. 18. ſeqq.* I. I. SYRBIVS *Hiſt. log. Inſtit. philoſ. rat. præmiſſa p. 17.*

natura conveniunt. Priorem veritatem exiſtentiæ, poſteriorem judicii recte dicas. Verſantur autem res omnes vel circa mores, vel circa naturam rerum, quo & ſuo modo pertinent voces. Quarum veritas ut rite dijudicari queat criterio, ſive judicandi inſtrumento opus eſt, quo expendi queat. [i] Deſumendum autem iſtud criterium ex percipiendi modo, quo animus circa eas verſans, utitur. In percipiendis rebus naturalibus, quæ extra hominem ſunt, duabus partibus opus eſt, ſenſu, qui rem ſive objectum animo offert, & ſenſione, quæ iſtud percipit, utrumque ſenſus nomine appellaſſe Epicurum PLVTARCHVS [k] auctor eſt. Præter hanc vero functionem mentis, quam habet, dum rem præſentem vel apparentem, ſenſus inſtar contuetur, unde & phantaſia appellatur, mentis quoque proprium eſt, ut de eo, quod percepit, ratiocinetur, & ad communem quandam exigat regulam, ideo anticipata requiritur notio, [l] quæ idea ſive notio quædam univerſalis eſt ejus rei, quam ſæpius vidimus, vel percepimus, & ad quam viſa & ſenſibus percepta examinamus. Ex parte vero affectus, qui circa mores verſatur, ſive appetitus, cujus proprium eſt proſequi aut refugere aliquid, aliud accipi, quam ipſa affectio, aut paſſio non poteſt, eaque aut alliciens, ut puta voluptas, aut avertens, ut moleſtia ſeu dolor. Ex quibus ſequitur, tria eſſe judicandi criteria, ſenſum, ſive ſenſionem, prænotionem, ſive anticipationem, (προλήψιν) & affectionem ſeu paſſionem; [m] de ſingulis ſequentes præſcripſit canones, paucis de vocum recto uſu adjunctis.

I. Senſus nunquam fallitur, ac proinde eſt omnis ſenſio, omnisque phantaſiæ, ſeu apparentiæ perceptio vera. Rationes aſſerti complures afferunt LVCRETIVS [n] & SEXTVS EMPIRICVS, [o] & ex his GASSENDVS. [p] Potiſſima eo redit: ſenſus non judicare, vel inter ſe rerum ideas notionesve conferre, ſed ſolum id, quod præſens eſt, apprehendere, adeoque nec falſitatem nec veritatem in iis eſſe: nec poſſe ad aliud criterium, ſi hoc falſum ſit, provocari, ideo homini datum, ut vitam beate degere queat. Quam doctrinam recentiores quoque admiſere logici. [q]

II. Opinio ſive judicium (δόξα) conſequens ſenſum ſenſionique ſuperadjectum eſt, in quod cadit veritas vel falſitas. Animi enim eſt judicare, id eſt ideas inter ſe conferre, & ad certam examinare regulam; ubi itaque error eſt, ibi ad hanc animi opinionem judiciumque eſt referendus. Rem ex veteribus explicat EMPIRICVS, [r] ex recentioribus præter alios acutiſſimus CROVSAZIVS. [s]

III. Opinio illa vera eſt, cui vel ſuffragatur, vel non refragatur, ſenſus evidentia: [t] ea vero intelligitur ſenſionis vel phantaſiæ ſpecies, cui remotis omnibus ad judicandum obſtaculis, v. g. diſtantia, motu, medio affecto,

i) Conf. SEXT. EMPIR. *adv. math. l. VII. f. 203. ſeqq.* & GASSEND. *l. c.*
k) *De plac. philoſ. l. IV. c. 8.*
l) LAERT. *l. X. f. 33.*
m) LAERT. *l. X. f. 31.* n) *Ibid. f. 32.*
o) *Adverſ. mathemat. l. VII. f. 203. ſeqq.*
p) Ad LAERT. *l. X. p. 126. Syntagm. p. 9.*
q) Conf. MALEBRANCHE *recherche de la verité P. I. l. I. c. 5. §. 2. p. m. 5.*
r) *l. c. f. 211.*
s) *Logique T. I. P. I. ſect. I. c. 4. p. 57. ſeqq.*
t) *Citati.*

cto, diſpoſitione organorum ſenſoriorum, contradici non poteſt. Hinc, teſte LAERTIO[u] jubebat Epicurus *προσμένειν*, id eſt, expectare, in judicando, quousque omnibus ad veram ſenſationem judiciumque ex ea ferendum requiſitis exploratis, circumſtantiæ omnes præſto ſint.

IV. Opinio illa falſa eſt, cui vel refragatur, vel non ſuffragatur ſenſus evidentia. Proſequitur etiam hoc SEXTVS,[x] quod ex antedictis intelligi poteſt: alias duo contradictoria ſimul ſtare poſſent, ut latius ille demonſtrat. Notandum hic eſt, conjunxiſſe Epicurum, teſte SEXTO,[y] notiones atque ſenſiones animi cum vocibus, quibus illæ exprimuntur: id quod Stoicis oppoſuit, qui objectum externum, vocem, quæ profertur, & ſignificationem vocis, quam recentiores logici ideam appellant, inter ſe diſtinguebant, remque & vocem corporea vocabant, *τὸ λεκτὸν* vero, incorporeum, ut ſupra *capite nono* diximus.

V. Omnis, quæ in mente eſt, anticipatio, ſeu prænotio dependet a ſenſibus, idque vel incurſione ſui, vel proportione, vel ſimilitudine, vel compoſitione.[z]

VI. Anticipatio eſt ipſa rei notio, & quaſi definitio ſine qua quidquam quærere, dubitare, opinari, immo & nominare non licet. Diximus jam hac de re initio hujus §. & quid *πρόληψις* ſit, explicuimus. Exemplis illuſtrant SEXTVS[a] & LAERTIVS,[b] qui *καθολικὴν νόησιν ἐναποκειμένην*, eleganter vocat. His prænotionibus univerſalibus ex rerum ſæpius viſarum ideis collectis originem per ſenſus dicto modo dabat, in eo a Stoicis non longe diverſus, longius a Platone, cui ideæ innatæ placebant.

VII. Eſt anticipatio in omni ratiocinatione principium, quaſi nempe id, ad quod attendentes inferimus unum eſſe idem, aut diverſum, conjunctum aut diverſum ab alio.[c]

VIII. Quod inevidens eſt, ex rei evidentis anticipatione demonſtrandum eſt. Principium hoc demonſtrationis eſt, qua ex univerſali & evidenti principio obſcurarum inter ſe idearum relatio oſtenditur, quod miſeris ratiunculis evertere conatur SEXTVS,[d] quas quomodo everterint Epicurei, ipſe exponit.

IX. Ea voluptas, quæ nullam habet annexam moleſtiam, amplectenda eſt.[e]

X. Ea moleſtia, quæ nullam habet voluptatem annexam fugienda eſt.

XI. Ea voluptas, quæ aut majorem voluptatem impedit, aut graviorem moleſtiam parit, eſt fugienda.

XII. Ea moleſtia, quæ aut majorem avertit moleſtiam, aut uberiorem voluptatem creat, eſt amplectenda.[f] Accedet his canonibus lux ex ethica Epicuri. Hic id prænotandum, conſideraſſe Epicurum voluptatem ipſam per ſe, quia voluptas eſt, non conſideratis circumſtantiis cauſarum & effectuum,

u) ſ. 34. conf. CROVSAZ *l. c. p. 69.* *x) l. c.* *b) ſ. 33.*
y) Pyrrhon. hypotyp. l. II. c. 11. ſ. 107. & FABRIC. *ad h. l.* *z) LAERT. l. X. ſ. 32.* *c) SEXT. EMPIR. l. c. l. VIII. ſ. 316. ſeqq.*
a) l. c. *d) l. c. ſ. 337. ſeqq.*
e) LAERT. ſ. 118. *f) Ibid. ſ. 129.*

ctuum, & ſic etiam de moleſtia ſive dolore præcepiſſe, quem quia ſemper fugit voluntas, ut illam appetit, ideo in his criterium affectionum ſive paſſionum conſtituit. Mentem itaque Epicuri pervertunt, qui voluptatem, in concreto, quod ajunt, hic intelligunt, cujus notionem abſtractam reſpexit Epicurus. Circa voces pauca monuit, nempe:

XIII. Dum loqueris, delige voces communes, & perſpicuas, ne vel ignoretur, quod velis, vel interpretando tempus fruſtra teras.[ff]

XIV. Dum audis, id enitere, ut vim ſubjectam vocibus teneas, ne te vel præ obſcuritate lateant, vel præ ambiguitate deludant.[g] Rejeciſſe ideo rhetorum & poëtarum ſtudia Epicurum, in præcedentibus diximus: ipſe adeo omnem ſcribendi rationem impropriam deteſtabatur, ut ejus ſtilus videretur ἰδιωτικώτερος, & a vulgari dicendi norma parum diſtans. Imprimis autem κενὰς φθόγγας raucosque ſine mente ſonos, & ut ipſe connectebat, ideas nihili, vel vagas & nihil certi definientes rejeciſſe LAERTIVS[h] auctor eſt. Ita vero non tantum arma diſcipulis contra formidabiles philoſophorum hoſtes, dialecticos, ſubminiſtrabat, quia everſis vocibus nihili, evertebatur omnis illorum ſubtilitas; ſed & Platonicorum, Peripateticorum & Stoicorum principia, ex ejusmodi vocibus conſtantia evertendi, utiliſſimum inſtrumentum exhibuit.

§. X. His veritatis inquirendæ regulis inſtructum ad naturæ arcana rimanda[i] dimittebat Epicurus diſcipulum, ſuisque eum ita præceptis inſtruebat, ut abjecto omni rerum cœleſtium metu cauſas earum introſpicere, ſicque vitam, quod putabat, agere tranquillam poſſet. Ita vero auditorum animos præparabat, ut, quod eleganti diſſertatione ad Herodotum a LAERTIO[k] nobis ſervata ſtrictim expoſuit, de recto ſcopo atque modo ſtudii rerum naturalium eum edoceret. Nempe monebat: "phyſicam, „quam & phyſiologiam dicebat, de rerum natura eſſe ſermonem, & in ea „contemplanda totam verſari. Neque tamen hunc ejus ſolum finem eſſe, „ſed & id conſtitutum habere, ut ex perſpectis rerum naturis nihil in no„bis perturbationis ſeu a rebus ſublimibus, ſeu a morte, ſeu ab ignoratis „cupiditatum finibus, ſeu undelibet ſuboriri poſſit. Eſſe etiam valde pro„ficuum, breve aliquod habere rerum naturalium compendium, ut vel aliis „impliciti ſtudiis apparatum habeant ad rerum naturam cognoſcendam, vel „provectiores etiam compendioſa quadam totius tractationis idea memo„riam tueantur. Hanc vero viam adhibendam eſſe in excolenda memo„ria, ut & ipſa ad res attentio conſtans, facilisque evadat, & ex rerum for-

Phyſiologia in genere.

ff) *Ibid. ſ. 13.*

g) *Ibid. ſ. 37.*

h) *l. c.* Quid vero voces inanes & nihili ſint docebunt IOH. CLERICVS *Art. crit. P. II. ſect. I. c. 9. p. 225.* MALEBRANCHE *recherche T. II. l. VI. c. 2. p. m. 170.* S. WERENFELS *de logomach. erud. c. 6. Opp. p. 518.*

i) Eos, qui placita Epicuri phyſica expoſuerunt & illuſtrarunt, enumerant *Acta philoſ. Vol. II. p. 648.* inter quos chorum iterum ducit GASSENDVS, quique ejus veſtigiis inſtitit GVALTERVS CHARLETONVS, in *Phyſiologia Epicuro-Gaſſendo-Charletoniana, ſive fabrica ſcientiæ naturalis, ex hypotheſi atomorum, fundata per Epicurum, reparata per Gaſſendum aucta per G. Charl. Lond. 1654. f.* Eandem viam ingreſſus eſt GVIL. LAMY *libro tertio de principiis rerum Pariſ. 1680. 12.* quin & omnes Gaſſendi ſectatores, & inter eos BERNIERIVS huc pertinent.

k) *l. X. ſ. 35. 36.*

„mis ſeu notionibus generaliter comprehenſis animoque defixis ac aliunde „juxta prima principia, vocesque, quibus explicantur expenſis, ſi quid fuerit „ſpecialiter inquirendum, inveniri poſſit &c.„

Phyſica in ſpecie.

§. XI. Ecce vero ipſa de rebus naturalibus decreta Epicuri, qualia imprimis nobis LVCRETIVS pandit, quocum præter κυρίας δόξας & epiſtolas Epicuri veteres quoque Cicero, Plutarchus, Sextus Empiricus, adhibita, quam ſupra indicavimus, cautione conferendi ſunt.

I. Ex nihilo nihil fit, nec in nihilum quicquam redigitur.[l] Canonem ab univerſo gentilium philoſophorum ſenſu abſoluto receptum eo magis admittere cogebatur Epicurus, quo magis non principia tantum activa a paſſivis diverſa, more Democriteo, negabat omnia, nec alias ſubſtantias noverat, quam quæ eſſent corporeæ,[ll] ſed ad cauſam etiam materialem omnia revocabat, ejecta doctrina de Deo, rerum conditore,[m] quod diſerte teſtatur EVSEBIVS.[n] Veriſſimum vero axioma eſt, nulla præexiſtente cauſa efficiente infinita & æterna, id eſt ſenſu prorſus abſoluto ex nihilo fieri nihil. Et hic ſenſus quoque rationis ab Epicuro additæ: ſi enim ex nihilo fieret aliquid, ex omnibus factum iri omnia, ſeminibus nihil indigentia. Non enim aliam agnoſcebat cauſam, quam materialem.

II. Vniverſum itaque hujusmodi ſemper fuit, quale nunc eſt, ſemperque tale erit, nihilque eſt, in quod mutari poſſit: nam præter ipſum univerſum nihil eſt, in quod ingredi & mutationem facere poſſit.[o]

III. Vniverſum ex corpore & inani conſtat, neque enim tertia natura concipi mente præterea poteſt.[p]

IV. Intelligitur autem corpus ex congerie veluti quadam magnitudinis, ſive molis, itemque figuræ, reſiſtentiæ, ſeu ſoliditatis & impenetrabilitatis, & gravitatis, tale præterea, ut ipſum ſolum tangere poſſit tangique.[q]

V. Inane ſeu vacuum eſt, quod opponitur corpori, ac ſolum, ſeu proprie & per ſe incorporeum eſt, naturæ intactilis, expersque omnis ſoliditatis, quod nihil agere vel pati poteſt, ſed motum duntaxat quam liberrimum tranſeuntibus per ſe corporibus præbere.[r]

VI. Hæc natura deſtituta corpore appellatur inane; occupata a corpore, locus, trajecta a corpore, regio, ſpectata, ut diffuſa, ſpatium. Ita quidem Epicurus, teſte PLVTARCHO,[s] nullibi tamen definitur, an ſubſtantia ſit, vel accidens illud vacuum? GASSENDVS[ff] cum ſe premi hac quæſtione videret, nec ſubſtantiam dicere vellet, nec affectionem ſolam corporis, ſpatium medium quid inter ſubſtantiam & accidens eſſe aſſeruit, quam ob rem gravem ei dicam ſcripſit CVDWORTHVS,[t] quod amicis ſuis, Democriti & Epicuri ſectatoribus, præſidium aliquod comparare voluerit:

l) Ep. ad. Herodot. apud LAERT. *l. X. ſ. 38.*
ll) Vniverſum enim corpus, *ibid.*
m) Deum enim incorporeum Platonem ſtatuere abſurdum eſſe putabat, teſte CICERONE *de N. D. l. I. c. 12.* *n) Præp. ev. l. I. c. 8. p. 24.*
o) LAERT. *l. c.*
p) Ibid. ſ. 39. 40. LVCRET. *l. I. v. 420.*
q) LVCRET. *l. c.* SEXT. EMP. *adv. mathem. l. IX. ſ. 333.*
r) LAERT. *l. X. ſ. 40.* LVCRET. *l. I. v. 335. 435. 455.* *s) De placit. philoſ. l. I. c. 20.*
ff) Phyſ. ſect. II. l. II. c. 2. Opp. T. I. p. 182.
t) Syſt. νοητῷ *univerſi c. V. ſ. 3. p. 1007.* qua tota ſectione contra ſpatium incorporeum pugnat.

ſuerit: quod minus benigne dictum eſſe, recte monet cel. MOSHEMIVS.[u] Nos, quæ ſpatii vel vacui natura ſit, hic diſputare nec volumus, nec poſſumus, certique ſumus, maxima noſtræ ætatis ingenia controverſiæ ita definiendæ, ut ſcrupulus ſuperſit nullus, nondum ſuffeciſſe: fruſtra tamen hæc quæri, & Epicurum ad noſtrorum temporum philoſophiam, accuratius res determinantem exigi putamus. Is enim de hac quidem re non ſollicitus fuit, ſed cum Deum ſive animam mundi eſſe ſpatium locumque rerum, quod plerique ante Democritum philoſophi admiſerant, ideo negaret, quod incorporales ſubſtantias contradictionem implicare crederet, Stoicæ animæ mundi, inane oppoſuit, quale extra mundum nec ipſi negabant Stoici, [v] & ut ejus naturam deſcriberet, ſatis habuit, ut ex corporis negatione eam diſiniret. Fruſtra itaque ſunt, qui incorporei voce decepti ſubſtantiam aliquam ſpiritualem ab Epicuro ſtatui ſomniant.

VII. Quod ſint in univerſo corpora, atteſtatur ſenſus; quæ enim adſpectamus, quæ tangimus, quæ verſamus, quæ ipſi ſumus, nihil aliud ſunt, quam corpora. [w]

VIII. Eſſe vero etiam inane, ex eo manifeſtum fit, quod niſi illud eſſet rerum natura, non haberent corpora, neque ubi eſſent, neque qua motus ſuos obirent, cum moveri quidem ea res, evidens ſit. [x] Prolixe circa hæc argutatur LVCRETIVS, [y] iisdem jam argumentis uſus, quibus meliori ordine noſtra ætate de hac re inter Carteſii, Gaſſendi, Leibnizii, Newtoni aſſeclas diſputatum eſt, quorum ſummam more ſuo exponit P. BAYLE. [z]

IX. Cum vero inane corporeum ſit, ita penetratur a corporibus ſive inexiſtentibus, ſive prætervadentibus, ut invariatum maneat, dimenſionesque, quibus ipſis coæquetur, easdem tueatur. Ideo & ſoli inani competit ut locus ſit, ſive loci naturam habeat. [a]

X. Tertia præter hanc, natura concipi non poteſt, aut enim molem, ſoliditatemque habet, aut ea caret, illud corpus, hoc inane eſt. Id vero intelligendum, ſi ut res quædam per ſe ſubſiſtens intelligatur, non vero quaſi quoddam ejus conjunctum, id eſt affectio ſeu accidens. Ita LVCRETIVS. [b] Epicurus utrum tertiam naturam admittere potuerit, nec ne? infra commodior dicendi locus erit.

XI. Vniverſum ex inani & corpore conſtans infinitum eſt, non enim habet extremum. [c] Rationem aſſerti pluribus exponit poſt ipſum Epicurum LVCRETIVS. [d] Et hoc oppoſitum Stoicis, qui univerſum ſive mundum ab infinito inani, quod extra eum eſt, finiri & determinari dixere.

u) *Ad h. l. not. r.*
v) SEXT. EMPIR. *adv. mathem. l. IX. ſ. 2. 3.* qui diſcrimen inter vacuum Epicureum & Stoicum oſtendit.
w) LAERT. *ſ. 39.* LVCRET. *l. I. v. 423.*
x) *Ibid. ſ. 40.*
y) *l. I. v. 336. 427. ſeqq.*
z) *Dict. T. III.* art. *Leucippe not. G. p. 102.*
a) LVCRET. *l. I. v. 490. ſeq.*
b) *v. 431. ſeqq.*
c) LAERT. *l. X. ſ. 41.* SEXTVS *l. IX. ſ. 333.*
d) *l. I. v. 967. ſeqq.*

XII. Isthæc infinitudo universo competit, & multitudine corporum & magnitudine inanis, idque infinitatibus alternis & mutuis. Si enim inane quidem esset infinitum & corpora finita, tum corpora, quæ in perpetuo motu sunt, nusquam consisterent, nec possent repercussionibus sisti. Sin vero inane finitum, corpora infinita forent, tum non pateret locus, in quo corpora infinita existere possent. [e]

XIII. Non attribuendum itaque est universo infinitoque spatio supra aut infra, ut si quippiam esset supremum vel infimum. Latius id persequitur Epicurus ad Herodotum, [f] qui videndus.

XIV. Iure igitur habetur universum, ut immobile, prout extra illud nullus locus est, in quem emoveatur, sic & immutabile, quatenus neque decrementum, neque incrementum accipit, & ortu interituque caret, ac proinde æternum est. Contradicit his quoque Epicurus Stoicis, qui vacuum extramundanum admittebant, ut in illud respirare incendique flammis & restitui possit universum. Quanquam lis in verbis revera fuit. Stoici enim universum mundi circuitu definiebant; Epicurus præter innumerabiles mundos spatium extramundanum ad universum requirebat. Vtrique sectæ hoc sensu universum immutabile & æternum.

XV. Etsi vero universum est immobile, moventur tamen, mutanturque in eo multa, quæ tamen, si ad universi immensitatem referantur, nullius momenti sunt.

XVI. Quia sensu manifestum est, in rerum natura multa fieri, & multa quoque interire, ideo mente tenendum est, opus ad hoc esse materia, ex qua res gignantur, in quam resolvantur. [g]

XVII. Quia vero res compositæ partes habent, ex quibus coaluere, & in quas iterum resolvi possunt, quæque & priores proinde simpliciores-que sunt, & si ipsæ adhuc compositæ fuerint, constare censentur, ex iis, quæ sunt demum primæ, simpliciſſimæque, hinc ea principia sunt, sive elementa, ex quibus fiunt concretiones. [h]

XVIII. Hujusmodi principia, seu omnium prima, simpliciſſima & incomposita corpuscula, esse debent & insectilia, nullave vi resolubilia: & hac ratione immutabilia, sive in se ipsis mutationis omnis expertia. In nihilum enim abire potest nihil. [i]

XIX. Principia itaque compositorum corporum, ut naturæ sunt plenæ, solidæ, immutabilis, ita omnino insectilis, unde & atomos dicere solemus.

XX. Atomos vero dari, primum, quod posuimus, evincit principium; ex nihilo nihil fieri, nec in nihil redigi: ita enim oportet quidpiam superesse in concretionum dissolutione, quod inexsolubile sit. [k]

XXI. Sed in corpore quoque finito non possunt partes infinitæ, neque magnitudinis, neque multitudinis accipi, indeque divisio in infinitum divisionis &

e) LAERT. *f. 42.*
f) *Ibid. f. 60.* GASSEND. *ad* LAERT. *l. X. p. 212.*
g) LAERT. *l. X. f. 38.*
h) *Ibid. f. 40.*
i) *Ibid.*
k) *Ibid. f. 38.*

& progreſſionis proportione ſemper ſervata concipi non poteſt. [l] Alias rationes quibus diviſionem in infinitum oppugnat, affert LVCRETIVS. [ll]

XXII. Omnes quidem atomi ob expoſitam ſoliditatem, uniusmodi naturæ ſunt; habent tamen quædam conjuncta ſive proprietates, & quaſi qualitates quasdam, quibus differe inter ſe poſſunt. Hujusmodi autem ſolummodo ſunt, magnitudo, figura & pondus, quæque cum figura cognationem habent neceſſariam, uti aſperitas & lævitas. Reliquæ enim qualitates, v. g. calor, frigus, & ſimiles, non æternis congeneæ ſunt, ſed concretorum propriæ, ortæque ex ipſis atomorum partibus conjunctis, partim eventis. [m] Accepit & hoc a Democrito Epicurus, ſicque atomiſticum ſyſtema, a reliquis philoſophorum decretis, quæ, qualitates ineſſe particulis, ſtatuebant, diſtinxit. Relinquenda tamen erant magnitudo, figura & pondus, ſine quibus rerum varietas deduci non poteſt: hæ vero proprietates qualitatum, a philoſophis ita dictarum, [n] naturam non ingrediuntur. Ad quod non attendunt, qui atomiſticum ſyſtema inter omnes fere phyſicos veteres inveniunt.

XXIII. Magnitudo quando atomis tribuitur, non intelligitur ea quælibet & quantalibet, neque enim atomus vel maxima tanta eſt, ut in viſum cadere queat; [o] ſed illa tantum magnitudo innuitur, quæ, licet ſit infra ſenſum, aliquantula tamen ſit & puncto major.

XXIV. Non tamen atomi omnes ejusdem ſunt magnitudinis, ſed alias majores, alias minores eſſe, rationi magis conſonum eſt, eoque admiſſo plurium, quæ contingunt circa paſſiones animi, circaque ipſos ſenſus, reddi cauſa poteſt. [p]

XXV. Figuram in atomis eſſe multiplicem neceſſe eſt, quia ea magnitudinis terminus eſt. Cum enim ex iis contexta ſint omnia, eaque diverſiſſime figurentur, ita nullum ſit, quod adeo ſit ſimile alii, ut non diſcrimina aliqua ſentiantur, diverſiſſimæ inde figuræ atomorum ſequuntur, ſine quibus iſtæ concretiones non differrent. [q]

XXVI. Cum ſint figurarum in atomis ſpecies numero incomprehenſibiles, rotundæ, ovatæ, lenticulares, planæ, gibbæ, oblongæ, turbinatæ, hamatæ, læves, aſperæ, hiſpidæ, multangulares, regulares & irregulares, absque ulla determinatione intellectus poſſibili, non ſunt tamen numero ſimpliciter infinitæ habendæ, quia hoc infinitam involveret atomorum magnitudinem. Sunt tamen in unaquaque figuratione figuræve ſpecie atomi numero infinitæ ſimpliciter. [r]

XXVII. Quanquam in atomo partes dicimus, non id tamen ita intelligendum eſt, quaſi illæ ſejunctæ aliquando fuerint, & in unionem coierint:

l) Ibid. ſ. 56.

ll) l. I. v. 548. ſeqq.

m) PLVTARCH. *de placit. phil. l. I. c. 4.* LAERT. *l. X. ſ. 44. 54.* LVCRET. *l. II. v. 729. ſeqq.* conf. præter GASSENDVM, SCIPIO AQVILIAN. *de plac. phil. ante Ariſt. c. XI. p. 52. ſeqq.*

n) E. g. dulcedo, amaror, calor, frigus, quæ certis particulis ineſſe phyſici putabant, ut ex hactenus narratis notum.

o) LVCRET. *l. I. v. 268. ſeqq.*

p) LAERT. *l. X. ſ. 55.*

q) LVCRET. *l. II. v. 333. ſeqq.*

r) LAERT. *l. X. ſ. 42.* LACTANT. *l. III. c. 17.* CICERO *de N. D. l. I. c. 24.*

rint: ſed declaratur ita tantummodo magnitudo vera, cum partes earum ſeparatione non queant diſtingui. Ex quibus patet, indiviſibilitatem atomorum non in eo ſecundum Epicurum verſari, quod partes concipi non poſſint; hoc enim ſi eſſet, non eſſent corpora. Sed quod in partes dividi, ſepararique nequeant ob ſoliditatem. Et hinc intelligenda, quæ ſcripſit in *epiſtola ad Herodotum* [s] de hoc argumento.

XXVIII. Si &, licet anguloſæ, hamatæque atomi ſint, non poſſunt tamen deteri vel frangi, propter ſoliditatem & neceſſitatem, qua tenentur. [ſſ]

XXIX. Denique & atomis gravitas tribuitur pondusque, quod, cum in motu conniſuque ad movendum perpetuo ſint, neceſſe ſit ipſas moveri interno illo impetu, qui gravitas pondusve dici mereatur. [t]

XXX. Motus vero in atomis duplex occurrit, unus ipſiusmet gravitatis, ſive ponderis, quo atomus nempe ſuopte nutu fertur, alius ex ictu ſeu reflexione, quo ſcilicet atomus una in aliam impacta repercutitur. Et prior quidem motus, qui gravitatis eſt, ad lineam vel perpendiculum fertur, quo moventur omnia gravia. Verum quia, ſi omnes atomi ad lineam, deorſumve ferrentur, fieret, ut nunquam altera alteram poſſet attingere, ea de cauſa neceſſe eſt declinare atomos per paulum & quo nihil poſſit fieri minus, ita enim effici potuere complexiones & cohæſiones atomorum, & ipſe mundus, quæque in eo ſunt. [u] Primarium hoc dogma eſt, quo Epicurus ſyſtema ſuum atomiſticum a Democritico ſeparavit. Is enim, uno admiſſo atomorum motu, qui perpendiculatim deſcendit, non habebat, unde dicere poſſet, qua ratione atomorum una in aliam impacta hæreret, ſine quo tamen nihil poteſt ex atomis oriri: hinc ad neceſſitatem quandam internam confugiebat; quæ cum φθόγγος κενὸς eſſet, tantopere Epicuro inciſus, & quidem rectiſſime, & omnia quoque neceſſario copularet, quod toti Epicuri ſyſtemati erat adverſum: nollet is tamen principium aliquod externum & ſpirituale admittere, ex cujus impulſu & directione atomi jungerentur, quod præter corpus & inane nihil eſſe in rebus naturalibus putaret: hoc clinamen principiorum, qua voce LVCRETIVS [v] exprimit, introduxit, quo fieret, ut tandem atomi ſibi invicem deſcendendo occurrentes impingerent, hærerentque vel reſilirent. Verum unde hæc atomis declinatio? Cauſam neque in iis, quæ habemus, Epicurus enarravit, neque etiam Gaſſendus. Recte vero & acute conjicit eruditiſſimus MOSHEMIVS, [w] a magnitudine atomorum ſive pondere diverſo eam derivaviſſe Epicurum. Cum enim præter figuram & pondus nihil habeant atomi, illarum vero non figuræ tantum, ſed ponderis vel magnitudinis quoque diverſa eſſet ratio, neceſſarium erat, ut cum omnis natura motus, qui gravidis ineſt, recta linea deſcenderet, leviores graviorum ictu

s) LAERT. *ſ. 58. 59.*

ſſ) LVCRET. *l. I. v. 486. ſeqq.* PLVT. *plac. phil. l. I. c. 3.*

t) LVCRET. *l. I. v. 82. ſeqq.* CIC. *de fato, c. 20.*

u) CICERO *de fato c. 10. de fin. l. I. c. 6.* LVCRET. *l. II. v. 217.* ex recentioribus BAYLE *l. c. not. V. p. 375.* SCIPIO AQVILIANVS *de plac. phil. ante Ariſt. c. XII. p. 54.*

v) *l. c. v. 291.*

w) *Ad* CVDWORTH. *p. 940. not. 1.*

ictu preſſæ declinarent, unde nulla eſt CICERONIS [x] objectio contendentis: *Si omnes atomi declinaverint, nullas unquam cohæſuras, ſive aliæ declinaverint, aliæ ſuo nutu recte fuerint latæ, ex atomorum turbulenta concurſione hunc mundi ornatum tamen efficere non potuiſſe.* Poſterius enim ad rationes Epicuri phyſiologicas non attendit, quibus cauſa ſemel data impulſus atomorum, cauſa quoque cohæſionis datur; prius menti ejus adverſum eſt. Quin ſi omnes quoque atomos declinare largiamur, (nihil enim definiunt Epicurei) neceſſarium tamen eſt, graviores alia, quam leviores, linea obliqua ferri, hasque tardius quam illas, licet id neget Epicurus, ad has difficultates non attendens, ut dicetur th. XXXV. XXXVI, unde tamen aliquando ſibi invicem occurrent & impingent. Etſi vero rationes Ciceronis infirmæ ſunt, non negamus tamen, nuſpiam Epicurum judicii defectum magis prodidiſſe, quam in hoc aſſerto, quod tamen totius quaſi ſyſtematis vinculum eſt, adeo illud legibus motus mechanicis adverſum eſt. Quin ſi rem recte æſtimes, incidit in laqueos Epicurus, quos evitare conabatur. Cum enim a neceſſitate Democriti abhorreret, [y] fortuitam quidem iſtam declinationem aſſeruit, non vero cogitavit, intrinſeca atomorum neceſſitate ponderisque lege fieri ita debere, ut declinent. Si enim neceſſario non declinent, fieri potuiſſet, ut in iſto fortuito motu nunquam ſibi invicem illiderentur, ſicque nihil oriretur, ſin declinent neceſſario, habet id, quod tantopere ſyſtemati ſuo eſſe adverſum, recte ſentiebat. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ, non enim examen philoſophiæ Epicureæ ſcribimus, ſed hiſtoriam. Illud unum addimus, inter veteres jam fuiſſe, qui hunc nodum Epicuro ſolvendum objecere, ut ex PLVTARCHO [z] colligi poteſt. Similem declinationem in homine etiam ſtatuit, ut libertatis rationem cum ſyſtemate atomiſtico ſtare poſſe doceret, de quo poſtea: quod vero luculenter adhuc magis hominis, ſyſtematis amore abrepti, inſaniam prodit. [a]

XXXI. Alter motus ex reflexione fit, cum atomus vel magnis intervallis reſultat, vel ſpatiis brevibus pulſa, repulſave quaſi concutitur, palpitatve. Ex quo etiam fit, ut, dum contingit atomos incurrere in complexionem plurium ſibi mutuo obſtantium, ſeſeque mutuo irretientium, tunc tamen adhuc ſint irrequietæ, & quantum poſſunt, ſpeciem agitationis vel palpitationis obtineant, deflexæ nimirum vel repreſſæ a ceteris, qua talem complexum conſtituunt. [b]

XXXII. Cauſa hujus & longioris reſultantiæ, & preſſioris agitationis vel palpitationis inteſtinæ, ex qua continua concretio oritur, eſt partim natura inanis, quod etiam intra corpora compactiſſima interceptum atomos vel ex toto, vel ex parte dirimere tentat, partim ſoliditas atomorum. [c]

XXXIII. Quia pondus ſeu gravitas atomis tanquam ἐνέργεια, internusque

x) *De finib. l. I. c. 6.* y) LAERT. *l. X. ſ. 134.*
z) *de procr. animæ ſec. Tim. T. III. p. m. 79.* conf. *Hiſt. crit. de la philoſophie T. II. c. 25. §. 7. p. 355. ſeq.* ubi tamen clinamen in univerſo & in homine inter ſe confunduntur.

a) Conf. MOSHEM. *l. c.*
b) LAERT. *l. X. ſ. 43.* PLVT. *de facie in orbe lunæ.*
c) LAERT. *ſ. 44.*

nusque vigor ineſt, quo ad motum feruntur, ideo aſſumendum eſt, moveri atomos utroque & ponderis & reflexionis motu æternum ac continenter: principium enim, ex quo cœperint, nullum eſt. [d]

XXXIV. Sunt etiam iſtæ atomi tam celerrimi motus, ſi nihil occurrit, quod ipſum retundendo deflectat, ut quodlibet cogitabile ſpatium conficiant momento, retruſio vero frequens aliquam infert tarditatis ſpeciem. [e]

XXXV. Aſſumendum poſtremo & hoc eſt, atomos eſſe æquiveloces, quamdiu per inane feruntur, neque quicquam eſt, quod eorum impetum retundat: quia nempe nihil illis, quod obſtet, occurrat. [f]

XXXVI. Quin etiam, quod ad concretiones, compoſitave corpora ſpectat, cum ſint atomi æquiveloces, non idcirco una dicetur velocior altera, ſed agitantur, quomodocunque ferantur cum iſtis concretionibus modo ſenſibili, interim inteſtinis creberrimis, ſive potius innumeris ſenſumque adeo fugientibus repercuſſionibus, donec ipſa motus corporis totius, in quo ſunt, continuitas, ſucceſſiove talis evadat, ut in ſenſum cadat. [ff]

XXXVII. Atomi ſola & unica principia ſunt, primave rerum materies, ſive illud primum, ſimpliciſſimumque, ex quo contexuntur, quæ oriuntur omnia, illud ultimum ac ſimpliciſſimum, in quod, quæ intereunt, omnia reſolvuntur. Sunt itaque priora vulgaribus quatuor elementis, quæ principia quidem ſunt, non tamen prima. [g]

XXXVIII. Sunt vero eorum quæ fiunt, atomi non cauſa tantum, ex qua fiunt, ſed etiam cauſa a qua fiunt, quatenus nempe eo prædite ſunt vigore, & ἐνέργειαν, ob quam moventur, aut in conniſu ad movendum continuo ſunt. Materiam enim actuoſam eſſe oportet, cum vim ſuam efficiendi aliunde, quam ex ſe habere non poſſit. [h] Primum hoc & palmarium principium eſt, quo non tantum nihil præter corpus ſive rerum materiam & inane, quod ſolum incorporale eſt, eſſe ſtatuit, ſed & Deum ipſum ex mundi fabrica prorſus excluſit, ejusque aſſertam in mundo operationem inter fabulas retulit. Sed & πρῶτον ψεῦδος idem eſt, tanti philoſophi acumine prorſus indignum, qui cauſam efficientem cum materiali confuderat, &, quod acute monet CVDWORTHVS, [i] dum gravitatem cauſam motus in infinito inani deſcendentis poſuit, revera nullam cauſam motus indicavit, ſed id tantum, ſi rem accuratius intuearis, docuit, corpuſcula propterea deſcendere, quia deſcendunt. Qualitas enim gravitatis nihil eſt, quam niſus deſcendendi, unde autem aut quomodo hic niſus oriatur, nullius patet ingenio. Etſi itaque Democrito prudentior cauſas deſignare voluit, qui, ut ſuo loco monitum, de motus cauſa quæri non debere putavit, reipſa tamen ad eundem impegit lapidem. Quin ſi verum eſt, quod contra PLVTARCHVM, [k] P. BAYLE [l] diſputat, Democritum animam tribuiſſe atomis, deterius Epicuri ſyſtema Democriteo

d) *ib.* LVCRET. *l. II. v. 94.*
e) *ibid. f. 46.*
f) LAERT. *l. X. f. 43. 61.*
ff) *ib. f. 62.*
g) PLVT. *plac. phil. l. I. c. 3.*
h) CICERO *de N. D. l. I. c. 20.* LVCRET. *l. I. v. 1020. ſeq.*
i) *Syſt. intell. c. V. ſect. I. §. 48. p. 808.*
k) *Adv. Colot.*
l) *Dict. T. III.* art. *Leucippe not. E. p. 100.*

criteo eſt, ſane, quæcunque fuerit fati hujus ſignificatio, certum eſt, omne illud Epicurum fabularum inſtar rejeciſſe, & Deorum mythologias recipere maluiſſe, quam ſervire iſti fato [l] ſive animæ interne latenti vimque ſuam in motu atomorum exſerenti. Intercedit his quidem, celebris ex Carteſii ſchola philoſophus IO. FRANC. GRANDIS,[m] qui, ſi non ipſum Epicurum, certe LVCRETIVM, phyſiologiæ ejus interpretem, præter atomos & inane non tertiam tantum quandam naturam, ſed & quartam, nominis expertem conceſſiſſe contendit, a qua omnis motus cauſa derivanda ſit. Ita vero poëta philoſophus:

Quarta quoque his igitur quædam natura neceſſe eſt
Attribuatur, ea eſt omnino nominis expers,
Qua neque nobilius quicquam, nec tenuius extat.
Inde calor, motus, & venti cæca poteſtas
Accipit inde aër, inde omnia mobilitantur.

Hæc animam ſpiritualem, motus cauſam innuere putat, & Gaſſendum notat, qui hanc quartam Lucretii naturam omiſerit. Verum nec Gaſſendum nec Lucretium recte inſpexit celebris philoſophus. Illi enim quarta hæc Lucretii natura indicta non manſit, [n] ſed ejus neceſſitatem ex principiis Epicureis luculenter demonſtravit: Lucretius vero non de principiis univerſi, ſed de partibus ex quibus anima componitur, differit, quas cum atomis conſtare igneis, aëreis, & flatuoſis dixiſſet, addit, requiri quartam quoque naturam quandam, motuum ſenſiferorum auctorem, quæ nomen ſortita non ſit. Non eſt itaque quarta illa natura ab atomis diverſa, ſed ex iis, ut tota anima conſtat, verum corpuſculis longe ſubtilioribus, mobilioribus & rotundioribus, quibus omne quod ſpirituale eſſe aliis dicitur, in Epicuri phyſiologia abſolvitur, motus illos ſenſuum operatur. Aliter vir præſtantiſſimus IO. CONR. SCHWARZIVS, [o] qui ut Epicurum ab atheiſmi macula liberaret, non ſine eruditione paradoxum hoc defendit, atomos eam indicare naturam, quæ particulas materiæ coëgit & inter ſe copulavit, atque perpetuo continet; quæ cum attributum Dei innuat, ut infinitum Epicuri, putat, eſſe ipſam, in qua omnia ſunt, divinam naturam, facile inde colligitur, a principio ejusmodi ſpirituali motus cauſam in corporibus derivandam eſſe. Verum, ut ipſe doctiſſimus auctor fatetur, verbis Epicuri inuſitatas & a recepta ſignificatione prorſus abeuntes ſignificationes ſubjiciendas eſſe, & eſſe hanc theologiam Epicuri prorſus reconditam; ita totam illam diſputationem, quam alibi tetigimus, [p] prætermittimus, nec cum umbris & larvis, talibusque quæ noſtro ingenio mutatis verbis & ſignificationibus vocum videntur, pugnare contendimus, ex tota phyſiologia Epicuri & claris ejus verbis certiſſimi, non aliam agnoviſſe illum naturam in univerſo præter corpus & inane; &,

l) LAERT. *l. X. ſ. 134.*

m) *Diſſert. crit. & philoſ. I.* quem ſequitur MORHOF. *Polyhiſt. liter. T. II. l. II. P. I. c. 7. §. 9. 10. p. 186. ſq.*

n) In *Syntagm. philoſ. Epic. P. II. ſect. II. c. 9. p. m. 355.*

o) In diſſ. cui titulus: *judicium de recondita theologia Epicuri*, Coburgi edita.

p) In *ſupplementis ad Germanicum Hiſt. philoſ. opus p. 247. ſeqq.*

ex atomis corpora non tantum conſtare, ſed & ipſa corpora tenuiſſima eſſe, afferuiſſe; ſi enim illam viam eligimus, qua ita clariſſima veterum teſtimoniorum lumina exſtingvuntur, periculum eſt fore, ut totam tandem amittamus hiſtoriam philoſophicam. Sed hæc obiter. Eos vero, qui providentiam in motu atomorum proditam Epicuro vindicant, infra, ubi de theologia Epicuri dicendum erit, audiemus.

XXXIX. Etſi vero atomi omnes æque velociter moveantur, intra ipſas tamen concretiones, eæ quæ anguloſiores hamatioresque ſunt intricari ac præpediri, ſicque veluti inertiores, ſegnioresque fieri poſſunt, quam lævigatiores atque rotundiores, unde ex his præcipua energia ſive agendi vis in corporibus eſt. Ex his vero quia ignis, anima & generalius loquendo, ſpiritus conſtant, ideo iſta in corporibus ἐνέργεια ſpiritibus adſcribitur.[q]

XL. Vt primæ moleculæ ex atomis coalitæ vi iſta intrinſeca, ſeſe movendi gaudent, quia ex ſingularum atomorum vigoribus conſtant, ſed varie modificatis, prout atomorum ſeſe irretientium aliæ huc, aliæ illuc feruntur; ita grandiores etiam moles contextæ ex minoribus habent aliquam eamque pro illarum varietate modificatam vim ſeſe movendi, ſicque porro omnia corpora naturalia ſuis molibus conſtantia. Actio enim a principio aſcendit & progreditur ab atomis ad corpora. [r]

XLI. Cauſæ actio ſive effectio & motus idem ſunt, ea enim tantum additur connotatio, quod rem ſive actam ſive effectam terminetur. [s]

XLII. Eſt vero non aliud motus, quam migratio de loco in locum.

XLIII. Eundem vero in cenſum pertinet etiam mutatio vel alteratio, qua res aliqua immutata manens, ſecundum internam naturam mutari aut altera fieri creditur, ob alicujus qualitatis acquiſitionem vel amiſſionem. Eſt enim ea motus ſpecies, qua mobilia intervallis feruntur, partim breviſſimis, partim inconſpicuis. Moleculæ enim, quæ corpus conſtituunt, transponuntur, & alium pro alio ordinem ſuſcipiunt, ſicque per tranſitum moventur. [f]

XLIV. Quodcunque igitur corpus concretum ſecundum qualitatem mutatur, omnino mutatur locali & tranſitivo motu atomorum; e.g. Si ex dulci fit amarum, ex molli durum, moleculas moveri ſitu & diſpoſitione, locove neceſſe eſt.

XLV. Ipſum itaque fatum nihil aliud eſt, quam moventes & agitantes per ſe cauſæ, quatenus nexæ inter ſe ſunt, & poſteriores a prioribus pendent; quamquam hæc connexio atque dependentia neceſſitatis ejus haud eſt, quam phyſici quidam inducere ſolent, qualis in natura non eſt. Manifeſtum eſt, opponi hoc fato phyſicorum, etiam Democriteo, & imprimis Stoico, qui præter occaſionem & ordinem cauſarum, latentem & ſeparatam

q) Fuiſſe hanc quoque mentem Heracliti, igni ex ſubtiliſſimis particulis conſtanti omnia iſta tribuentis, ex *capite antecedente* manifeſtum eſt. Mirandum itaque LVCRETIVM tantopere in eo perſpiciendo cœcutiiſſe, ut *l. I. v. 635. ſeqq.* Heracliti hypotheſin non ſine contemtu refutaret, non cogitans, reapſe ſui ita magiſtri vineta cædi.

r) LVCRET. *l. I. v. 1020.* CICERO *de N. D. l. I. c. 20.*

s) SEXT. EMP. *adv. math. l. X. ſ. 42. 51.*

f) *ib.* GASSEND. *phil. Epic. c. XI. p. 265. ſeqq.*

tam quandam neceſſitatem internam fingebant. Fatum enim nihil aliud eſt Epicuro, quam motus particularum varie diſpoſitarum ex declinatione molecularum ortus. Iſte tamen motus cum ex materiæ natura oriatur, eique neceſſario inhæreat, palam eſt, Epicurum, qui dicis tantum cauſa fati nomen adhibebat, hac ratione neceſſitatem quandam materiæ ſtatuiſſe. Contingentia enim in iſto fortuito atomorum concurſu externa tantum eſt, & noſtri tantum reſpectu dicitur; atomi tamen interna naturæ ſuæ neceſſitate, pondere nempe vel gravitate non moventur tantum, ſed declinant quoque; hoc tantum diſcrimine, ut neceſſitas Stoica rationem, etſi inevitabilem ſupponat, Epicurea motum brutum. Acute id vidit IACOBVS THOMASIVS. ff

XLVI. Quin etiam finis dicitur cauſa, ſed videlicet, quia efficit quidpiam, & non efficit, niſi quia movet. Movet enim miſſa in animam ſpecie, quæ trahat alliciatque inviſibilibus quidem, ſed phyſicis tamen quibusdam quaſi hamulis & catenulis, quibus plerumque cum animo pellicitur & ipſum corpus. Fit itaque ejusmodi attractio, per quasdam reſilitiones implexionesque atomorum, hincque ratio patet ſympathiæ & antipathiæ. Hæc ad cauſas morales & finales dum applicat ex Epicuri mente LVCRETIVS, t nuſpiam infirmitatem magis prodit. Cuncta enim ad effluvia ſive corpuſcula iſta, quæ perpetuo propter motum atomorum ex corporibus progrediuntur, aliisque corporibus ſe inſinuant, redeunt, quibus vel jucunditatem vel dolorem, ſicque inclinationem vel averſionem moveri credebant homines ſatis pingui Minerva philoſophantes.

XLVII. Qualitates, quæ in concretis exiſtunt, ut non ſunt in atomis præter magnitudinem, figuram & pondus, quæ non magis, quam ipſa atomorum ſubſtantia poſſunt mutari: u ita creantur tum per factam tranſpoſitionem atomorum, nunc pauciorum, nunc plurium, quæ in uno ſitu unam, in alio aliam exhibeant, tum ob factam de novo aliquarum diſceſſionem, ex quo iterum qualitates varientur, ſeu aliæ, quam prius, appareant. v Rem exemplo literarum innumeras voces conſtituentium pro variatione ſitus veteres illuſtrant. w Imprimis ſubtilis hic eſt LVCRETIVS. x

XLVIII. Vbi atomi partesve, ex quibus res contextæ, ita a ſe invicem diſtrahuntur, ut in vaſtiorem locum diffuſæ, plura amplioraque in re iſta inania ſpatiola intercipiant, ex denſo tum fit rarum; & vice verſa, coarctatis atomis, & contractis ſpatiolis pauciora ut ſint, fit denſum. y

XLIX. Quanto res eſt rarior, tanto magis eſt, ceteris paribus conſpicua, tanto vero opacior, quanto denſior. Rem tamen, pro meatulorum conditione limitat LVCRETIVS. z

L. Ex eodem fonte oriuntur fluiditas liquiditasve & firmitas, ſi

ff) *De exuſt. mundi Stoica diſſ. II. §. 26. ſeqq. p. 34. ſeqq.*

t) *Lib. IV. v. 714.*

u) LAERT. *l. X. ſ. 54.*

v) SEXT. EMP. *adv. math. l. X. ſ. 75.* conf. FABRIC. *ad. h. l.*

w) ARIST. *Phyſ. l. I. c. 4.* LACTANT. *l. III. c. 17.* conf. GASSEND. *ad Laërt. p. 226.*

x) *Lib. II. v. 759.*

y) IDEM. *l. I. v. 575. l. II. v. 96.*

z) *Lib. IV. v. 695.*

nempe particulæ ex quibus conſtant, & ſpatiola intercepta habent, & diſſociatæ mutuo ſunt, ut ſint emobiles inter ſe, ob ſpatiolorum non reſiſtentiam, & vice verſa.[a] Humor etiam fluoris ſpecies eſt, ita ut partes adhæreſcere queant alteri corpori. Mollitiei & duritiei, cum raritate & denſitate par fere ratio eſt.[b]

LI. Magnitudo, augmentatio, imminutio, ex accedentium vel decedentium atomorum multitudine oritur: vel ab atomorum quoque diverſa magnitudine, unde hebetudo & ſubtilitas naſcuntur.[c]

LII. Figura corporis a figura atomorum pendet, & unumquodque corpus ideo figuratur, quia conſtat ex partibus figuratis determinatisque.

LIII. Pondus ſeu motrix facultas, quæ unicuique rei ineſt, non poteſt aliunde oriri, quam a pondere ſeu mobilitate atomorum.[d]

LIV. Sequitur hinc corpus omne concretum eſſe grave, & deorſum tendere.

LV. Quæ itaque levia dicimus, & ſurſum contendunt, non id ſponte & ſua natura faciunt, & abſolute talia ſunt; ſed compelluntur tantum ab alio graviore, ut ſurſum emergant.[e]

LVI. Proprietatibus atomorum inter ſe conjunctis, & commiſtis ac variatis, oriuntur rerum facultates, quæ motivæ cum ſint, id a mobilitate atomorum habent, variam vero operationem & effectum, a ſpeciali atomorum magnitudine, figura, ordine & poſitu, laxitate, compreſſione, &c.[f].

LVII. Sunt in rerum ſuperficiebus diſpoſitiones extremarum particularum variæ, ob quas lux affuſa ita varie modificatur, ut cum hac reflexa modificatione in oculum, varios in illis colores exhibeat. Lux vero cum nihil aliud ſit, quam ſubſtantialis quædam effluxio a lucido corpore, viſibilis per ſe non eſt, ſed in ipſo ſolum colore, quatenus illius pars eſt.[ff]

LVIII. Sonus eſt effluxio tenuiſſimorum corpuſculorum, ab usque loquente reſonante vel ſtrepitum edente, emiſſa, ac idonea, quæ in aurem ſubiens auditum afficiat.[g] Par ratio quoque reliquorum eſt ſenſuum.

LIX. Caloris & frigoris ſenſus ad tactum pertinet, calor effluxio eſt corpuſculorum ſeu atomorum exilium, rotundarum, celerum, unde poros ſubire rapideque impingi, totumque penetrare, & ſi pergent aliis ſuccedentibus, urgere, corpora tandem ſecernere, ac diſſolvere poſſunt, ut patet ex effectu ignis. Frigus e contrario effluxione atomorum mole grandiorum, figura anguloſiorum, motu ſegniorum conſtat, & effectus calori contrarios habet, nempe caloris corpuſcula reprimendi, & angulis vellicandi, qua prætervadit.[h]

LX. Tempus a quo res omnes determinantur, & denominantur vel præſentes, vel præteritæ, vel futuræ, eſt eventum eventorum, ſive acci-

a) IDEM *l. IV. v. 444.*
b) *ib. v. 266.*
c) IDEM *l. II. v. 381. ſeqq.*
d) *ibid. l. I. v. 360. ſeqq.*
e) *ibid. l. I. v. 187. ſeqq.*
f) Prolixe id proſequitur LVCRETIVS *l. II. toto.*
ff) PLVT. *adv. Colot. T. III. p. 411.* rem columbarum & pavonum colore vario illuſtrat LVCRET. *l. II. v. 800.*
g) PLVT. *de plac. l. IV. c. 19.* Et hoc a Democrito accepit Epicurus vid. LAERT. *l. X. ſ. 52.* LVCRET. *l. IV. v. 527. ſqq.*
h) IDEM *l. VI. v. 225. ſeqq.* LAERT. *l. X. ſ. 109.*

cidens accidentium: conſequitur enim omnia eventa ſive accidentia ipſisque mente interveniente ſupervenit, ſuperacciditque. [i]

LXI. Pari ratione & voluptates & dolores nobis contingunt, adeoque non ſubſtantiæ quædam ſunt, ſed eorum, qui iis cum dolore vel delectatione afficiuntur accidentia. [k]

LXII. Sic & motus & quies accidentia ſunt corporum, neque illa ſine tempore, quo ea metimur.

LXIII. In generatione non nova producitur ſubſtantia, quæ in atomis antea jam extitit, ſed fit ea tantum principiorum concretione & ſecretione, non vere transmutatione, quæ ob ſoliditatem atomorum impoſſibilis eſt. [l]

LXIV. Ita vero in inani infinito fit generatio, ut atomi a ſe invicem ſejunctæ, & figura, magnitudine ſituque ac ordine inter ſe differentes, per inane ferantur, ac ubi concurrunt mutuo, comprehendantur, addenſentur, & conditionem rei variam, juxta proportionem, magnitudinem, figuram, poſitionem, ordinem ſuſcipiant. [ll]

LXV. Vbi vero generatio unius ex corruptione alterius fit, contingit id, vel ſola atomorum transpoſitione, aut accedentium additione, aut abjectione præexiſtentium.

LXVI. Nihil vero, quod ortum eſt, æternum eſt, ob inteſtinam motionem indomitumque in omnibus corporibus atomorum conniſum. [m] Idem hic tuetur & ſuo ſyſtemati applicat Epicurus, quod tot ante eum philoſophi de fluxu materiæ perpetuo dixere.

LXVII. Quicquid igitur concretum eſt, nihil eſt aliud quam ipſamet principia, quatenus certa eorum diſpoſitione coalita ſunt, & certa hac forma exhibentur.

LXVIII. Denominatio vero ex qua res inter ſe diſcernuntur, tum locum demum habet, quando accidentia illa ſimul conjuncta ſunt, quæ unum quid & tale corpus conſtituunt, quod incerto rerum genere habetur.

LXIX. Fieri poteſt, ut facta per mortem noſtri reſolutione, caſu quodam ipſo temporis progreſſu eadem omnia, ex quibus conſtamus principia, iterato ac eodem modo, quo jam ſunt, coadunentur, ſicque nos, iidem, qui nunc denominari poſſemus. Quod tamen nihil ad nos faceret, cum in exſolutione periiſſet omnis habitus & memoria eorum, qui fuiſſemus. [n] Ita reſurrectionem quoque quandam admittit Epicurea philoſophia, ſed miſeram, &, ſi dicendum quod res eſt, in tam fortuito atomorum concurſu non plane quidem impoſſibilem, ſed tamen non expectandam. Paralogiſmum Lucretii detexit hoc in argumento P. BAYLE. [o]

LXX.

i) LAERT. *l. c. ſ. 71. 72.* SEXT. EMP. *Pyrrh. hyp. l. III. c. 17. ſ. 137. adv. math. l. X. ſ. 183. ſ. 227.* STOBAEVS *eclog. phyſ. p. 19.* Stoicis παραπτώμβαμα dicitur, *vid.* LVCIAN. *vit. auctor. T. III. p. 119-120.*

k) Conf. GASSEND. *Synt. phil. Epic. P. II. ſ. 1. c. 16. pag. 277.*

l) LAERT. *l. X. ſ. 54.* conf. GASSEND. *ad* LAERT. *l. X. p. 392.* qui veterum teſtimoniis hæc roborat.

ll) PLVT. *l. c.* LVCRET. *l. I. v. 1020.*

m) ib. l. II. v. 638. ſeqq.

n) LVCRET. *l. III. v. 860. ſeqq.*

o) Dict. T. III. art. *Lucrece not. Q. p. 216.*

LXX. Mundus eſt univerſi, ſeu infinitatis rerum quædam portio, ſive complexio cœli, ſidera terramque resque omnes conſpicuas continens. [p]

LXXI. Mundus unus eſt, ſed tantum propter combinationem partium earumque relationem inter ſe.

LXXII. Mundus interna ſua forma conſtitutioneve animatus non eſt, ac multo minus Deus. Ita Vellejus apud CICERONEM, [q] qui Stoicos aliosque Deum mundi animam eſſe cenſentes, refutat. Ratio ex primis Epicuri principiis manifeſta eſt.

LXXIII. Certum quidem eſt, eſſe quoddam mundi extremum, quoniam mundus eſt aliquod quaſi reſegmentum univerſi infiniti; at vero, quale illud ſit, & quali forma, dicere nemo poteſt, niſi illinc advenerit. [r]

LXXIV. Non eſt æternus mundus, ſed eſſe aliquando cœpit. Probat id LVCRETIVS, [s] ex partibus mundi, quæ cœpere, ex hiſtoriarum novitate, artibus adinventis; aliisque rationibus, quibus cauſam maxime Peripateticam vehementer premit.

LXXV. Ad exſtruendum mundum opus non fuit intercedente numine. Neque enim eſſe poteſt a cauſa beata ſimul ac immortali, quæ ipſum fabricaverit. Rationem hanc affert Epicurus apud LAERTIVM, [ſ] a numinis beata vita petitam, quam tamen dicis tantum cauſa aſſumtam dicent, quibus Epicurus inter numinis hoſtes refertur. Illud certum eſt, longe aliam Epicuro fuiſſe aſſerti hujus cauſam, nempe quod atomis nihil putabat, tanquam cauſam efficientem, prius, adeoque prima omnium rerum principia atomos conſtituebat; quas cum motu & legibus mechanicis coire poſſe crederet, quid numinis alicujus concurſu opus eſt? Alias rationes quibus Platonem maxime impugnavit Epicurus, affert CICERO, [ſſ] & poſt hunc LACTANTIVS, [t] quibus jungendus LVCRETIVS. [u] Pulchre in enarranda hujus dogmatis hiſtoria & aſſerenda contra Epicurum veritate verſatus eſt GASSENDVS. [v]

LXXVI. Mundus itaque effectus magis eſt natura vel fortuna. Fortuna vero non conſilium eſt aliquod, & cauſa per ſe, quæ atomos temperat, ſed ipſe fortuitus atomorum concurſus.

LXXVII. Natura nempe atomorum in infinitate univerſi diſcurrentium intelligitur, qua magna ſibi copia occurrentes, apprehendere ſe, irretireque & implectere mutuo, ac ſeſe varie commiſcentes chaos quoddam in vorticis modum glomerari, ac poſt multas convolutiones & evolutiones, & tentamina in eam mundi formam coire cœpere. [w]

LXXVIII. Ita ſcilicet mundi ortus concipiendus eſt: Cum atomi motu incon-

p) LAERT. *l. X. ſ. 88.*

q) De N. D. l. I. c. 8. l. II. c. 17. portenta & miracula non ſane diſſerentium ſed ſomniantium philoſophorum Stoicum dogma vocatur *l. I. c. 10.*

r) LAERT. *l. c.*

ſ) Lib. X. ſ. 76.

t) Lib. VII. c. 5.

s) Lib. V. v. 319. ſeqq.

ſſ) l. c. l. I. c. 9.

u) Lib. V. v. 166. ſeqq.

v) Philoſ. Epic. P. II. ſect. I. c. 2. p. 107. Conf. 10. BAPT. DV HAMEL *conſenſ. vet. & novæ philoſ. c. IV. §. 6. ſeqq.*

w) LVCRET. *l. I. v. 1020.* PLVT. *de plac. phil. l. I. c. 4.* acriter contra hunc mundi ortum pugnat BAYLE *Dict. T. III.* art. *Ovide not. G. p. 556.* ubi Lamio quoque reſpondet.

inconſulto ac fortuito eſſent, & continuo ſimul celerrimeque moverentur, ubi in hunc immenſitatis locum, in quo jam eſt mundus, cœperunt occurrere, ſeſeque apprehendere, coacervatæ ſimul in unam rudem indigeſtamque molem fuere, in qua magnæ parvis, rotundæ anguloſis, aliis aliæ commiſtæ fuerunt. [x]

LXXIX. Deinde in confuſo hoc cœtu, graviſſimæ cœpere ſubſidere, & rotundæ, exiles, parvæ, lubricæ, earum concurſu exprimi & in ſublime ferri. [y]

LXXX. Poſtquam impellens elidensque vis, quæ ſurſum agebat, elanguit, ipſæ interim atomi eliſæ regredi deorſum prohibitæ ab aliis ſunt, tum ad oras usque extremas agiliores avolarunt, tum aliæ & ab ipſis reflexæ, & ab aliis pone inſtantibus repreſſæ ſunt, facta eſt mutua quædam implexio, quæ cœlum generavit.

LXXXI. Quæ atomi autem & ejusdem naturæ fuerunt, & acervatim dum in ſublime compellerentur, circumvolutæ, eæ perfecerunt, ſolis ac lunæ ac aſtrorum aliorum naturam. [z]

LXXXII. Quæ vero non tam alte emergere potuere, & ab ignificis relictæ ſunt, illæ aëris naturam conſtituerunt.

LXXXIII. Tandem ex iis, quæ ſubſederunt, terra genita eſt, & cum multa adhuc eſſet in terra materiæ, eaque verberibus ventorum aurisque ex aſtris ſpirantibus condenſaretur, humida inde natura genita eſt. Quæ cum eſſet fluida, in cava, & ad recipiendum idonea loca confluxit, vel excavavit. [a]

LXXXIV. Porro in iſta commiſtione effecta ſunt generabilium corruptibiliumque rerum varia ſemina, ex quibus res variæ & conformatæ tum fuerunt, & deinceps propagari potuerunt.

LXXXV. Quod ad ipſa animalia attinet, probabile eſt, ipſam terram novum genitale ſemen retinentem, quosdam ex ſe folliculos, in uterorum ſimilitudinem protuliſſe, eosque, cum maturuiſſent, natura cogente ruptos animalia tenera profudiſſe, deinde terram ipſam humore quodam, qui eſſet lacti ſimilis, exuberaſſe, eoque alimento animantia eſſe nutrita. [b]

LXXXVI. Idem de homine quoque intelligendum eſt; ſeminibus vero exhauſtis terra parere deſtitit, ſicque propagatione animalia tantum oriuntur. [c]

LXXXVII. Non fit motus mundi & converſio ſiderum, & quæ alia in eo accidunt, quaſi ſit præfectus aliquis, qui ſic diſponat, diſpoſueritve ac ſimul beatitudinem immortalitatemque poſſideat. Non enim cum felicitate congruunt negotia, ſollicitudines, iræ, gratiæ, ſed hæc præ imbecillitate, metu, opisque externæ indigentia contingunt. Palmaria hæc ratio eſt, cur Epicurus, Stoicis ſe oppoſiturus, dum in contraria ruebat, omnem e mundo

x) PLVT. *l.c.* LVCRET. *l. IV. v. 420. ſeqq.* a) *ib. v. 474. ſeqq.* b) *ibid. l. V. v. 799. ſeqq.*
y) *ib. v. 450.* z) *ibid. v. 454.* c) *ibid. v. 304. ſeqq.*

mundo providentiam exulare jusserit, quod crassius eum quam tantum philosophum decebat, philosophatum fuisse evincit. Quibus tamen alia adjunxere Epicurei, certe parum firmiora, quæ præter LVCRETIVM, CICERO, LAERTIVS & LVCIANVS [d] memorant. Nec poterat aliter statuere Epicurus, qui totus materialibus principiis addictus, ea cum efficientibus turpiter confundebat. Iisdem argumentis specialem quoque circa homines Dei providentiam oppugnabat.

LXXXVIII. Quia vero Deus res mundi nec regit, nec curat, statuendum porro est, non esse administros, quos genios vel dæmonas appellant, qui si essent, res non contingerent, ac si nulli supponerentur, nec possent esse, quales finguntur, humana videlicet forma & voce, quæ ad nos pertingat. [e]

LXXXIX. Quia vero Dii vel dæmones illi rerum in mundo curam non agunt, sequitur etiam, non tantum mentiri vel fingere, qui genios sibi apparere dicunt, imaginationis vanitate deceptos; sed & ex somniis divinationem, & oracula atque vaticinia alia meras esse impostura. [f] Multum in hoc argumento laudis quæsivit Epicurea secta, quæ tanta fiducia his magistri placitis adhæsit, ut non dubitarent profani homines Celsus [ff] atque LVCIANVS [g] Salvatoris miracula ad similes revocare impostura. Censuram ideo Epicurus meritus est GASSENDI. [h]

XC. Mundum interiturum, finemque habiturum ex eo dependet, quod genitus sit ortumque habuerit. [i]

XCI. Argumentum ejus est, quod ex atomis constat, motu intestino indesinenter exsolutionem poscentibus; quod res omnes una via natas denasci posse compluribus experientia probat: tum vero, quod videmus mundi partes sensim deteri ac diminui. Nihil enim solidum est, & indissolubile, præter atomum. [k]

XCII. Verisimile quoque est, non posse tantum mundum omnimode exsolvi, sed fore quoque, ut puncto temporis nihil reliquiarum extet, præter atomos & spatium desertum. [l]

XCIII. Dantur mundi numero infiniti: atomi enim infinitæ per infinitatem spatiorum quæ feruntur, cum alibi aliæ procul a se invicem concurrant, coalescere in fabrefactionem mundorum infinitorum possunt.

XCIV. Nihil vero repugnat, mundos alios partim similes, partim dissimiles isti nostro esse: nam & possunt esse majores, & minores, & æquales, & easdem vel alio ordine sitas habere partes, aliave præditi esse figura. [m]

XCV.

d) CICERO *de N. D. l. I. c. 8.* LVCRET. *l. II. v. 1092.* LAERT. *l. X. s. 77.* LVCIAN. *Iove Tragœd. T. III. p. 411. sqq.* qui falsæ providentiam ridet.

e) PLVT. *in Bruto T. V. p. m. 711.*

f) CICERO *de divin. l. II. c. 63.* conf. GASSEND. *phil. Epic. P. II. s. II. c. 6. p. 260.*

ff) ORIG. *contra Cels. l. I. & IV.*

g) In *Alexandro*, alibique.

h) *l. c.*

i) CICERO *l. c. l. I. c. 8.*

k) PLVTARCH. *plac. phil. l. II. c. 4.* LVCRET. *l. II. v. 1104. seqq. l. V. v. 252. 381.*

l) IDEM *l. II. v. 1144. l. I. v. 1102.*

m) LAERT. *l. X. s. 45.* PLVT. *plac. phil. l. I. c. 5.* ubi Metrodori simile exponitur. conf. LVCRET. *l. II. v. 1021.* & qui historiam dogmatis erudite enarrat GASSENDVS *philos. Epic. P. II. s. I. c. 2. p. 93. seqq.*

XCV. Videtur autem quilibet illorum mundorum, ut omnis concretio, quæ in inani immenſo fit, per proprios quosdam atomorum vortices vel convolutiones ſeorſim procreari, atque id quidem ſive in intermundio locove inter duos mundos non multum diſſitos, ſive in loco multivacuo, ſive denique in magno immiſtoque & puro inani.

XCVI. Terra quidem, ut ſupra dictum, cum cœlum aliaque ſublimia ſurſum veluti avolarent, ſubſidit in mundi medium, ac ibi ut in imo loco remanſit. Verum non, quemadmodum ipſa media eſt mundi pars, in quam omnia pondera cadunt, ita datur in ipſa medium, ſeu centrum, verſum quod omnia pondera dirigantur. Ea enim parallelis motibus cadunt, non vero in angulum connituntur. [n]

XCVII. Errant itaque, qui dari antipodas ſtatuunt. [o]

XCVIII. Terra itaque in orbem quidem circulumque conformata eſt, ſed tamen quaſi diſcus aut tympanum non vero ut globus vel ſphæra: non cadit vero, quia inſidet aëri, tanquam ipſi congenea. [p]

XCIX. Neque terra animata eſt, ac multo minus Dea reputanda, ſed animata ideo parturit, quod varias atomos continet, variave ſemina rerum, unde animata formentur. [q] Oppoſitum hoc quoque Stoicis eſſe, terram ab anima mundi ita animatam, ut Dea ſit, aſſerentibus, facile ex dictis *capite nono* intelligitur.

C. Terræ motus variis ex cauſis poſſunt contingere: vel a ventis aquisque in ſpeluncis, vel a partibus quibusdam ſubito percuſſis, vel a ſpiritu per cavernoſas terræ cavitates diſperſo, vel in ignem verſo, & fulminis inſtar acto, & ſic porro. Et ab hoc poſtremo eructationes quoque ignium ſunt. [r]

CI. Mare ex tot fluminum ingreſſu non augeſcit, quia ad tantam molem comparata vix guttæ inſtar ſunt, & ſol multum ex eo humoris detrahit; primaria vero cauſa eſt, quod cum ipſa terra ſit raro permeabilique corpore, & mari undique alluatur, debeant aquæ ut in mare ex terra pervolvi, ita ex mari in terram ſubtermanare, ut iterum emergant, ac fluant. [s]

CII. Aqua ex mari terram pervadens ſic percolatur, ut corpuſcula ſalis exuat, illisque deinceps denudatis redeat, illa enim hamatiora ſunt, hæc læviora, ſicque iſta facile poſſunt irretiri & relinqui. [t]

CIII. Inundationis Nili cauſæ ſunt vel reflantes per id tempus eteſiæ, quæ mare attollunt ad Nili oſtia, & arenas quoque ad illa provolvunt, vel excitatæ ab aquilone nubes, contruſæ & pluviam exprimentes. [u] Patet ex allatis, varias phænomenorum naturalium cauſas Epicurum allegare ſolitum, plerasque exigua veriſimilitudine, quod a viro, rerum naturalium contemplationi toto dedito, non expectandum eſſe videtur. Quod licet ma-

 gnope-

n) LVCRETIVS *l. I. v. 1051. ſeqq.* patet ex hac theſi Epicureos a vera mechanicarum legum notitia parum fuiſſe inſtructos, id quod totum etiam ſyſtema & primarium ejus vinculum probat.
o) *ib.* p) IDEM *l. V, v. 538. ſeqq.* q) *ibid. l. II. v. 652. ſeqq.* r) *ibid. l. VI. v. 535.* SENECA *Q. nat. l. VI. c. 20.* LAERT. *l. X. ſ. 105.* s) LVCRET. *l. VI. v. 613. ſeqq.* t) *ib. v. 635.* u) *ib. v. 714.*

gnopere negandum non ſit, facileque concedendum BVRNETIO: * *philoſophari eum laxe, & per rationes fluctuantes, quæ non conſtringant animum, neque ad aſſenſum impellant, niſi ſua ſponte in partes indolemque Epicuri propendeat:* excuſationem tamen meretur Epicurus ob ſcopum, quem is ſibi propoſuerat. Qui cum is ſolus eſſet, ut ſuperſtitio a terrore & formidine ſublimium orta, cognitis rerum cauſis deſinat tranquillitatem mentis turbare, & ab omni divinæ vis illapſu & directione eum præſtare immunem, ſatis ei fuit, cauſam qualemcunque afferre, quæ licet veriſimilitudine exigua gaudeat, ſufficiat tamen, modo rationem adducat probabilem, & ſenſibus facientem ſatis. y Quam Epicuri hac in re mentem fuiſſe ipſe in *epiſtola ad Pithoclem* prodit, ubi monet, *nihil impedire eorum, quæ in cœleſtibus videntur, ſi quis multiplicis modi memoriam habeat, & conſequentes inde hypotheſes & cauſas ſimul intueatur, neque reſpiciat ad ea, quæ minus apte ſequuntur, & aliter atque aliter ad eundem modum deflectunt.* Id quod ſemel de ſequentibus quoque monuiſſe ſufficiat.

CIV. Rupium ſaxorumque moles præcipua ab initio fuit conformata. z

CV. Plantæ hoc cum animalibus commune habent, quod nutriantur, accreſcant, generentur; verum iſta ſponte naturæ, id eſt particularum interna translocatione, accretione & transpoſitione, non ductu animæ alicujus peragunt, ac proinde imitatione tantum quadam vivere & mori, ut animalia, dicuntur. a

CVI. Semel conſtituta ex atomorum congruarum conjunctione animalium natura, in ortu mundi, cum ex atomorum motione ac evolutione inteſtina aliquæ ſemper ſedibus ſuis emotæ atque excurrentes in partes genitales undequaque confluerent, factaque ſexuum diſtinctione poſt appetitionem mutuam, complexumque initum, in utero reciperentur: tum atomi aut ex ipſis moleculæ femineæ, quæ ex ſingulis defluxere partibus, motione perſeverante, ad ſimiles confluxere, v. g. quæ ex capite, ad caput, ſicque animalculum tandem formatum illi ſimile, ex quo ſemina decidere. b

CVII. Ex hoc vero ſequitur, ut partes animalium non fuerint ab usque initio eo, quo ſunt modo, propter fines uſusve illos conformatæ, quos habere deprehenduntur; verum quia contigit partes eo, quo ſunt, modo, fieri, aut exiſtere, ideo hoſce uſus potius, quam alios obtinuerunt, dederuntque illius notitiam. c Elegantiſſimum ſapientiæ divinæ in mundi formatione demonſtratæ argumentum ita ſubvertiſſe Epicurum, negari nequit; non vero id poterat aliter, ex quo inſulſum ei dogma placuerat, nullam fuiſſe cauſam, quæ hæc proſpiceret, quæque talia dirigeret. Quam hominis inſaniam poſt GALENVM d merito caſtigavit, hiſtoriamque dogmatis docte enarravit GASSENDVS. e

CVIII.

x) *Archæolog. philoſ. l. I. c. 13. p. 443. ſeq.*
y) LAERT. *l. X. ſ. 95. 96.* z) LVCRET. *l. VI. v. 538.*
a) PLVT. *de plac. phil. l. V. c. 25.*
b) Conf. GASSEND. *ad* LAERT. *l. X. p. 679. Synt. phil. Epic. p. 350.*
c) LVCRET. *l. IV. v. 816.* LACTANT. *l. III. c. 17. de opific. c. 7.*
d) *De uſu partium l. I. c. 21.*
e) *l. c. P. II. ſ. I. c. 3. p. 184. ſeqq.*

CVIII. Anima corporea eſt, tenuiſſimum nempe aliquod, ut puta, ex tenuiſſimis particulis contextum corpus. Qui enim incorpoream dicunt, ineptiunt; ſi enim hujusmodi foret, neque agere neque pati poſſet, ſed eſſet merum inane, quod motum tantum liberrimum corporibus tranſeuntibus permittere poſſet. *f*

CIX. Confundendum tamen hoc corpus tenuiſſimum cum corpore craſſo non eſt, cum quo anima conſenſione motionum conſpirat.

CX. Eſt vero contextum hoc corpus tenuiſſimum, ex ſubtiliſſimis corpuſculis, quæ aliunde ſunt, ut maximam partem lævigatiſſima, ita & rotundiſſima, quippe alia ratione permeare non poſſet cohærereque intus cum corpore toto ejusque partibus. Hinc nec ponderis aliquid corpori decedit, decedente anima ex corpore. *g*

CXI. Etſi vero anima texturæ eſt ſubtiliſſimæ, conſtat tamen ex quatuor quibusdam commiſta naturis. Nempe coaluit temperataque eſt ex quodam igneo, ex quodam aëreo, ex quodam flatuoſo, & ex quarto innominato, unde ſentiendi vis illi inſit. *h* Vim hanc ſenſiferam revera corpoream eſſe, licet reliquis naturis ſubtiliorem, ſupra, contra ea, quæ Grandis in contrarium adduxit, monuimus.

CXII. Quatuor illa, in quibus quartum innominatum ſeu ſentiendi vis principatum inter partes tenet, adeo perfecte temperantur, ut inde una quædam eaque tenuiſſima cohæreat ſubſtantia, quæ cum in corpore contineatur, cauſa eſt illi omnium facultatum, paſſionum ac motuum, & viciſſim illud continet atque regit, & ſalutis cauſa eſt: nec ſecerni a corpore ſine illius diſſolutione poteſt. *i*

CXIII. Senſum anima ita obtinet, ut tam ad habendum, quam ad utendum, corpore indigeat, quippe a quo interim contineatur, & quocum operari valeat. *k*

CXIV. Diſcedente itaque anima, corpus expers ſenſus manet, quem per ſe non habebat, ſed ab anima tantum accipiebat per cohæſionem mutuam atque conſenſionem. *l*

CXV. Hinc intelligitur, non animam ſolam, aut corpus ſolum per ſe ſentire, ſed utrumque potius conjunctim: quod vero res ſenſus capax ſit, quæ ex principiis tamen inſenſilibus genita eſt, oritur ex ſpeciali magnitudine, figura, ſitu, ordine principiorum, unde qualitas ſenſus originem capit. *m*

CXVI. Quia diverſa ſenſoria ſunt, quinque, quibus anima res ſibi objectas percipit ac ſentit, ideo quinque ſenſus ſunt, viſus, auditus, olfactus, guſtatus, & tactus. *n*

CXVII. Diverſitas ſenſuum ex eo oritur, quod partim colorum, viſi-

f) LAERT. *l. X. ſ. 63.* LVCRET. *l. II. v. 129. 262. ſeqq.*
g) *Citati.*
h) LVCRET. *l. III. v. 233.* PLVT. *de plac. phil. l. IV. 3. & adv. Coloten.*
i) LVCRET. *l. III. v. 290. 324.*
k) LAERT. *l. X. ſ. 64.*
l) *ibid. ſ. 65.*
m) LVCRET. *l. II. v. 285. ſeq.*
n) *ibid. v. 972. ſeq.*

biliumque rerum ſpecies, itemque ſoni, odores, ſapores & qualitates reliquæ texantur ex corpuſculis, quæ magnitudine, ſitu, figura, ordine, motione differunt; partim ipſa ſenſoria viſus & aliorum ſenſuum contexturæ ſint intercipientes ea ſpatiola, ſeu eos porulos meatulosque, qui cum & ipſi varie differant, & variis corpuſculorum qualitatibus commenſurentur, diverſitas illa inde oritur, nec poteſt videri, quod audiri poteſt, &c. *o*

CXVIII. Inde etiam fit, ut non animalia tantum, ſed homines etiam non iisdem ſenſibilibus rebus afficiantur, quia diverſæ in eis contexturæ ſunt, quibus diverſæ corpuſculorum qualitatum impreſſiones reſpondent. *p*

CXIX. Viſus ratio in eo ſita eſt, quod aliquid extrinſecus ex objectis ad nos ſeu in oculum allabatur. Fiunt enim ex corporibus extimis effluxiones quædam avolantium continenter atomorum, in quibus idem ordo, qui in ſolidis, ſervatur, quæ imagines rerum ſuperant tenuitate, quicquid eſt rerum conſpicabilium. Hæc idola vel ſimulacra & effigies ſunt, quas videmus, ac ex atomorum natura, ſubtilitate, celeritate intelligi facile poſſunt. Hæc ſimulacra nobis ſervata congrua magnitudine intercedente aëre imprimuntur. *q*

CXX. Par ratio auditus eſt, cujus organum auris eſt, in qua auditio peragitur affluxu translato ex eo usque quod loquitur, aut reſonat, aut ſtrepitum edit, aut quomodocunque ad ſenſum auditus excitandum eſt comparatum. Hic ſenſus appellatur ſonus. Effluxus enim ille in fruſtula innumera ſimilis figuræ imminuitur, guttularum inſtar, quæ mutua cohærentia ſervata cum auri illabuntur, talem ſenſionem edunt, qualis ab eo, qui ſonum emiſit, apparata eſt. *r*

CXXI. Pariter in odore, a re odora usque deferuntur moleculæ, ſeu corpuſcula ea ratione commenſurata ipſi olfactus ſenſorio, ſive naribus, ut moveant & afficiant ipſum. *s*

CXXII. De guſtatu idem dicendum; quo pro varia corpuſculorum diſpoſitione palati poros ſubeunte, ſeu plexa foramina linguæ penetrante varius ſapor exiſtit, dulcis ex leniter ſe accommodantibus & rotundis; acerbus ex magna figura; aſper ex multangulis minimeque orbicularibus; amarus acutis, conicis, incurvis, & ſic porro. Quia etiam internæ illæ texturæ in hominibus differunt, ideo quoque ſapores hominibus ſæpe diverſi ſunt. *t*

CXXIII. In tactu res ſentitur, cum applicatur exterius ſeſeque inſinuat: vel cum res, quæ interius eſt, egeritur foras, ac fit interdum cum voluptate, interdum cum moleſtia: vel cum alio modo res intra ipſum corpus eos motus ſubit. *u* Non abire recentiores naturæ interpretes ab hac ſenſationum γενέσει quoad fundamenta rei, notum eſt, licet modum rectius

o) LVCRET. *l. II. v. 422. ſeqq.* PLVT. *adv. Colot. T. III. p. m. 410.*

p) PLVT. *l. c.* SEXT. EMP. *Pyrrh. hypotyp. l. I. c. 14. ſ. 94.*

q) LAERT. *l. X. ſ. 49.* LVCRET. *l. IV. v. 245.*

r) LAERT. *l. X. ſ. 52.* GASSEND. *ad h. l.* PLVT. *de plac. phil. l. IV. c. 19.*

s) IDEM *ſ. 53.* LVCRET. *l. IV. v. 677. ſeqq.*

t) IDEM *l. IV. v. 645.*

u) *ibid. l. II. v. 434.*

rectius & enucleatius tradant: [x] unde cum Epicuro & Laërtio merentur conferri.

CXXIV. Rationis ſive cogitationis proprium eſt, feriante etiam ſenſu cogitare, quidpiamve apprehendere, intelligere, verſare, meditari, diſcurrere, deliberare. [y]

CXXV. Conſtat vero ejus partis textura ex corpuſculis omnium ſubtiliſſimis, lævigatiſſimis, rotundiſſimisque, quibus nihil poteſt eſſe tenuius mobiliusque, unde momento quoque cogitationes perficit mens: quæ innominata pars eſt animæ. [z]

CXXVI. Diſtingui itaque poteſt inter animam & animum ſive mentem, ſubtiliſſimam ejus partem; ita tamen, in qua corporis parte hæret animus, cohæret animæ, ejusque portioni eadem in parte coëxiſtenti, ut conjunctus ei individue ſit, unamque naturam cum ea conficiat: ſuam tamen naturam ſemper tuetur ac retinet, ut ejus proprium ſit cogitare, animi vero affectus ſubire, utcunque propter cohæſionem anima cogitare, & affici animus videatur. Ita emendabat Epicurus, quæ poſt Pythagoram, Platonem, aliosque qui ex anima mundi mentem hominis decerptam putabant, Stoici de diſcrimine inter mentem & animam dixere. Deriſa enim & rejecta mundi anima, cum principium mere ſpirituale admitteret nullum, & tamen inter ſenſum & rationem eſſet diſcrimen, in particularum tenuitate & mobilitate totum illud, quod differrent, ponebat, id quod prolixe exſequitur LVCRETIVS. [a]

CXXVII. Animi rationalisve partis ſedes aſſignari alia non poteſt, quam media regio pectoris. Id enim produnt quos in pectore perſentiſcimus, metus lætitiæque affectus, & quoscunque alios pendere a cogitante animo experimur. [b]

CXXVIII. Animus non alia ratione cogitat, quam oculi vident, nempe per ſimulacra. Præter ea enim quæ incurrentia in oculum ipſum ad viſionem movent, vagari oportet per aërem innumera alia longe tenuiora, eaque ſeu derepta e corporibus, ſeu in ipſo aëre formata, quæ per ipſum corpus penetrantia, & accommodata animi texturæ, ubi ad illum pertigerint, ipſum ad cogitandum moveant. [c] Mirabilem hanc de natura idearum hypotheſin variis ſolutionibus problematum, quæ circa eam moveri poterant, ornat LVCRETIVS. [d] Eſſe vero eam a Democrito, ex ſupra dictis notum eſt.

CXXIX. Duo affectus præcipui ſunt, voluptas, familiaris & accommodata animo, & dolor ſive moleſtia, aliena hominis animo & incommoda; par eſt utrumque excitari non modo in ipſo pectore, ſed in partibus etiam

x) Conf. WILLISIVS *de anima brutorum*, in compendio, I. IAC. SCHEVCHZERVS *Phyſ. P. I. c. II. p. 80. ſeqq.*
y) LVCRET. *l. III. v. 94. 104.*
z) *ibid. v. 180. 187.*
a) *Lib. III. v. 422. ſeqq.* b) *ib. v. 400.*
c) PLVT. *de placit. l. IV. c. 8.* CICERO *de fin. l. I. c. 6.*
d) *Lib. IV. v. 728.* Democriteum hoc eſſe, ex ſupra dictis liquet.

etiam aliis, in quibus dum a ſtatu naturali dimoventur, excitatur dolor, cum in eundem ſtatum reſtituuntur, voluptas. [e]

CXXX. Si poſſent quidem partes omnes in naturali ſtatu manere, tunc aut nullus eſſet affectus, aut ſi eſſet aliquis, is dicendus eſſet voluptas, propter placidum & tranquillum ſtatum: at quia vel propter continuam principiorum motionem in animalis corpore, vel propter motionem, quæ eſt in rebus circumſtantibus, quædam admoventur, quæ immutent, ſubvertant, ſecernant, efficitur dolor, ac ſimul, quod alienus ſit, averſatio ſeu fuga, quæ mali nomine venit. Subinde autem inſequitur cupiditas exemtionis a dolore, atque adeo rei, a qua abigatur, quæque idcirco boni nomen obtineat, ac tum, cum dolor eximitur, & fit in naturalem ſtatum reductio, ipſa excitatur concomitaturque voluptas, quæ non eſſet futura, niſi ſpecies quædam doloris antecederet. [f]

CXXXI. Sunt ergo quatuor generales animi affectus, dolor & voluptas, ut extremi, fuga & cupiditas ut interjecti. Ceteri iſtorum ſunt ſpecies, ac opinione intercedente fiunt, [g] & poſſunt potiſſimum ad cupiditatem fugamque referri. Fundamenta hæc aſſertionum ternio offert totius philoſophiæ moralis Epicuri, ad hanc enim mentis voluptatem & indolentiam cuncta reduxit.

CXXXII. Quia voluptas in boni fruitione eſt, dolor in perpeſſione mali, ideo illa quidem cum quadam animi effuſione ac relaxatione fit, iſte non ſine contractione demiſſioneque illius, ideoque anima ſeſe dilatat, ut bonum admittat in ſe, comprimit, ne admittat malum. [h]

CXXXIII. Variant vero in animalibus, etiam in hominibus affectus, & ad eos proclivitas, prout vel ex igneo, vel ex flatuoſo vel ex aëreo principio participantiorem habent animam. [i]

CXXXIV. Facultas loco motiva exiſtit ex eo, quod ſimulacra animum percellunt & movent, animi imaginatio voluntatem excitat feritque ea parte, qua ipſi junctus eſt: iſta vero pars totam pulſat animam toto corpore diffitam, ſicque tota hominis moles ſenſim protruditur ac movetur. [k]

CXXXV. Creatur ſomnus, cum animæ partes per totam corporis concretionem diffuſæ aut cohibentur, aut diſtrahuntur, aut nonnulla etiam corpora, ſive ab aëre, ſive a cibo in diſperſas incidunt, quæ partim ipſas a corpore abigunt, partim intro contrudunt; [l] quo corpus fulcro ſuo deſtitutum langueſcit, & non amplius eſt ſenſus, quia anima intus eſt oppreſſa, & quaſi ſepulta. [m]

CXXXVI. Inſomnia ideo contingunt, quia vagantur ubique continuo innumerabilium rerum ſimulacra, quæ in corpus penetrare, animumque ad cogitandum res, quorum ſunt ſimulacra, excitare queunt. Id vero cum

e) LAERT. *l. X. ſ. 34. 139.*
f) *ib.* GASSEND. *ad h. l. p. 138.* LVCRET. *l. IV. v. 856. ſeqq.*
g) Hinc affectus vel naturales vel opinione orti; illi neceſſarii, hi minime, LAERT. *l. X. ſ. 127.*
h) Conf. GASSEND. *l. c. p. 530.*
i) LVCRET. *l. III. v. 289. ſeqq.* pathologiam hanc Epicuream nervoſe repetiit CHRIST. THOMASIVS in *praxi ethices c. II. §. 21. p. 51. ſeq.* ed. Germ.
k) LVCRET. *l. IV. v. 879. ſeqq.*
l) *ibid. v. 914.*
m) *ibid. v. 758. ſeqq. 959. ſeq.*

cum etiam per ſomnum fiat, inde dormiendo non minus, quam vigilando, videre ea putamus: & quia eorum, quæ interdiu cogitamus, ob factam recens impreſſionem in animo patentes viæ relictæ ſunt, eaque ipſa ſimulacra in ſomno quoque animum ſubeunt, ideo ſomniamus maxime, quorum uſu & ſtudio interdiu maxime detinemur.

CXXXVII. Mors nihil eſt aliud, quam privatio ſenſus propter exceſſum animæ. [n]

CXXXVIII. Corpore exſoluto anima ipſa diſſipatur, neque habet amplius easdem facultates, neque movetur amplius, neque obtinet adeo ſenſum; quia iisdem motibus amplius non utitur, nec amplius eodem in compoſito ineſt. Fit vero iſta diſſipatio non in nihilum, ſed in principia corpuſculave, ex quibus ejus textura eſt. [o]

CXXXIX. Itaque ſicut anima ante generationem non fuit, ita neque poſt mortem erit, nec mali quid vel ægri ſentiet, cum non amplius erit ſenſus. [p]

CXL. Fit ex eo, ut reputare liceat, vanos eſſe inferorum metus, quæque de inferis traduntur fabulæ ſunt, & ſi usquam ſunt, in vita hac ſunt propter hominum depravatos mores. [q]

CXLI. Sublimium res ideo cognoſcendæ ſunt, ut ſtatus mentis imperturbatus ac perſvaſio non vacillans ſervetur; adeoque cogitandum, pluribus modis id fieri, quod in rebus iſtis eſſe dicitur, nec uno modo ſe habere neceſſario. [r] Aſylum hoc non ignorantiæ tantum, ſed & impietatis eſſe, quod ſupra jam tetigimus, recte dixeris. Non enim veras tantum rerum cauſas inquirendi ſtudio privat, ſed & omnem numinis metum tollit.

CXLII. Sidera ſubſtantiæ videntur eſſe igneæ ac præ ceteris ipſe ſol, cujus calor ſenſu clare probatur. Rationes modosque explicandi varios adhibet, ut v. g. ſint diſci vitrei, qui lucida corpuſcula reflectunt, vel ut ſint nubes illuſtratæ, vel quædam ſcaphidia parte ſui cava continentia ignem, laternæ inſtar metallique igniti: vel ut candentes laminæ & quaſi lapides. [s]

CXLIII. Fieri poteſt, ut ſol nihil aliud ſit, quam glebulentum quoddam ſpiſſamentum, quod pumicis ſpongiæque inſtar, creberrimis poris meatibusque pervium ſplendorem per ipſos, ex igne intus contento, ejaculetur. [t]

CXLIV. Sidera vero nec animata ſunt nec Dii. [u] In Stoicos hoc dictum.

CXLV. Sidera vel inerrantia ſunt, quæ & ſitum & viam eandem ab ortu in occaſum tenent, vel errantia, unde planetæ dicuntur, quæ neque inter ſe neque cum aliis eundem ſitum ſervant, & ſuos circuitus nunc magis ad boream, nunc magis ad auſtrum perficiunt, id quod factum neceſſitate ab initio aſtra in orbem movente. [x]

CXLVI.

n) LAERT. *l. X. ſ. 65.*
o) *ibid.* ORIG. *philoſophum. c. XXII. p. 153.* LVCRET. *l. III. v. 507.* Oppugnavit hoc dogma GASSEND. *Phil. Epic. P. II. p. 29.* conf. BVDDEVS *theſ. de atheiſmo p. 558. ſeqq.*
p) LVCRET. *l. III. v. 844.*
q) *ibid. v. 991. ſeq.*
r) LAERT. *l. X. ſ. 85.*
s) PLVT. *plac. phil. l. II. c. 13. 20.* STOBAEVS *eclog. phyſ. p. 53. 55.*
t) PLVT. *l. c.* STOB. *l c. p. 56.*
u) LVCRET. *v. 146.* PLVT. *adv. Colot.* CIC. *de N. D. l. I. c. 10. l. II. c. 17.*
x) LAERT. *l. X. ſ. 113.*

CXLVI. Magnitudo ſiderum conſiderari poteſt, vel ſecundum nos, vel ſecundum ſe. Et ſecundum nos (optice dicimus) ea tanta eſt, quanta apparet, ſenſus enim non fallitur; ſpectata vero ſecundum ſe (phyſice) poteſt ea eſſe aut paulo major, aut paulo minor, aut præciſe quanta videtur.[y]

CXLVII. Figura ſiderum nobis quidem orbicularis apparet, poteſt tamen eſſe globoſa, & laminæ inſtar plana, atque adeo ſidera poſſunt eſſe vel diſci, vel cylindri, vel quaſi coni, vel turbines, vel quaſi clavi quidam infixi: hæc enim omnia quandam habent cum rebus apparentibus conſonantiam. [z]

CXLVIII. Siderum motus poteſt fieri, aut toto cœlo, cui vel unum, vel plura inſint, circumducto, ut clavorum cœlo infixorum; aut cœlo tanquam vel fluido vel pervio meatibus ſtante, iis vero intra ipſum per ſe circumductis. Valde in rationibus hujus argumenti exponendis fluctuat Epicurus, & eo non multum certior LVCRETIVS, [a] ſatis prodentes ab experientia legumque naturalium notitia fuiſſe ſe imparatiſſimos. Fatentur enim, [b] pronuntiare velle ſimpliciter in his rebus aliquid, eos decere, qui magnificum & portentoſum aliquid coram multitudine oſtentare affectant.

CXLIX. Ortus & occaſus ſolis, lunæ & reliquorum ſiderum contingere poſſunt, vel per apparitionem ſupra, & occultationem infra; aut per accenſionem in regione orientis & exſtinctionem factam in regione occidentis; aut per renovatam quotidie productionem, certis ignibus confluentibus. Nihil enim eſt, ex rebus apparentibus, quod his repugnet. [c]

CL. Sol quaſi fons eſt in quem confluunt undique ſemina caloris, ut ſubinde ex ipſo, quaſi ex uno capite & calor & lux quoquoverſum redundet. Sed & aër a ſole diffuſa luce poteſt accendi, ut ex una ſcintilla ſegetis incendium. [d]

CLI. Ad cetera aſtra quod ſpectat, & lunam ipſam maxime, poteſt fieri, ut, quam præferunt lucem, a ſe ipſis habeant, fieri etiam poteſt, ut a ſole mutuentur: nihil enim apparentium utrivis obſtat opinioni. [e]

CLII. Siderum eclipſes pluribus modis poſſunt contingere: Vel quod corpus aliquod opacum ſe illis objiciat, ac eorum lumine terram ſecludat; vel quod per loca igni infeſta tranſeant, extinctionemque lucis patiantur, quousque, ubi illa præterierint, ipſam recreent, recuperentque. [f]

CLIII. Poſſunt quidem ſidera tempeſtates præſignificare, ſed non, tanquam cauſæ, eas efficere, ut hirundines ver non faciunt, ſed indicant. [g]

CLIV. Cometæ gigni poſſunt, vel quod certis temporibus ignis in ſublimibus locis ſuccendatur, & ad tempus aliquod nutriatur, vel quod per varias vices cœlum motionem quandam propriam, qua parte nobis imminet, ſubeat, adeo ut aſtra hujusmodi manifeſtari compellantur. [h]

CLV.

y) *ib. ſ. 91.* GASSEND. *ad h. l. p. 726.*
z) PLVT. *l. c. l. II. c. 22.*
a) *Lib. V. v. 510. ſeqq.* b) LAERT. *l. X. ſ. 114.*
c) *ib. ſ. 92.* LVCRET. *l. V. v. 659.* ſeduxit ad inania hæc ſomnia Epicurum figura terræ, quam in diſci formam planam putavit.
d) LVCRET. *l. V. v. 592. ſeqq.*
e) LAERT. *ſ. 94.*
f) *ib. ſ. 96.* LVCRET. *l. V. v. 750.*
g) LAERT. *ſ. 98.*
h) *ibid. ſ. 111.*

CLV. Nubes generari poſſunt quapiam quaſi cumulatione aëris compellentibus ipſum ventis, adeo, ut nubes nihil ſit, niſi aëris incraſſamentum. Deinde atomorum invicem cohærentium implexione, quæ in parvas primum nubium moleculas, mox in majores & tum in maximas moles congregantur. Poſſunt tamen nubes etiam gigni collectione effluxionum, exhalationumve e terra & aqua eductarum ſurſumque evectarum: immo multis etiam aliis modis. [i]

CLVI. Ventus poteſt gigni dum vel atomi idoneis locis proſiliunt ac vehementiore effuſione per aërem transvolant, vel aër aut halitus e terra, & aquis exſpiratis aut ſole ſuperne incumbente impellitur & agitatur. [k]

CLVII. Fulmina videntur fieri ex multiplici flatuum, corpuſculis igneis turgentium intra nubium moles conglomeratione, & evolutione accenſioneque valida & effractione nubis ab igne in vorticem acto & in loca inferiora valide exploſo. [l]

CLVIII. Pluvia poteſt ex nubibus fieri, aut dum rariores exiſtentes urgente ſeu vento ſeu incubitu proprio comprimuntur, & in guttas coaleſcunt, aut dum exiſtentes denſiores vi caloris aut venti rareſcunt, ac liquefactæ decidunt ſtillatim: ſiquidem ſemina aquæ continentur in nubibus. [m]

CLIX. Grando generatur, aut cum validior eſt congelatio præ conſtitutione venti frigidi, quæ urgeat nubium ſtillicidia: aut cum gelata moles in partes dehiſcit, & moderata liquefactione ſtillæ aquoſæ rimis inſinuatæ tum molis interruptionem, tum compreſſionem partium, & totius compaginis diffractionem ad hoc efficiunt, ut partes per ſe ſingulæ compactæ ſubſiſtant, fragminumque acervum conſtituant, rotunditatem vero ex reſciſſis undique angulis præ caſus prolixitate nanciſcantur. [n]

CLX. Creatur iris aut quod aër humeſcens adverſo ſolis ſplendore refulgeat, aut quod ea ſit ſpecialis natura tum lucis, tum aëris, ut hujusmodi colorum ſpecies exprimat, ſive omnes, ſive unicam, a qua deinceps reſplendeſcente partes confines aëris talem colorationem ſubeant. [o]

CLXI. Peſtilentia tum præſertim creatur, cum terra intempeſtivis pluviis ardoribusque putrorem eſt nacta, isque halitus ex ea conſurgit, qui inficit aërem & in homines & animalia graſſatur. [p]

§. XII. Referebant eo, quo vivebat Epicurus tempore plerique philoſophi ad phyſiologiam doctrinam de Deo, quem inter cauſas recte numerabant, & de eo, prout ſyſtemata ſua patiebantur, magis vel minus recte differebant. Aliter Epicurus, in hoc quoque palmario philoſophiæ argumento a reliquis divortium facturus. Is cum ſemel conſtituiſſet, præter corpora & inane eſſe nihil, [q] de Deo aliam non ſibi fingere notionem poterat, *Theologiæ Epicuri.*

i) *ibid. ſ. 99.* LVCRET. *l. VI. v. 450. ſeqq.*
k) LAERT. *l. X. ſ. 100.* & hoc a Democrito acceptum Epicuro, vid. SENECA *Q q. nat. l. V. c. 2.*
l) LAERT. *ſ. 100.* LVCRET. *l. VI. v. 218.*
m) LAERT. *ſ. 99.* LVCRET. *l. c. v. 498.*
n) *ib. ſ. 106.* PLVT. *l. c. l. II. c. 4.*
o) *ibid. ſ. 109.*
p) LVCRET. *l. VI. v. 1091.*
q) Cauſam cur Deum, præter materiam, eſſe negaverit Epicurus, hariolari hanc licet: Rejiciebat is principia inviſibilia, quorum nobis fidem ſenſus non faciunt, eaque pro nugis venditabat, ut ex *epiſto-*

rat, quam quæ corpoream quandam etſi ipſa quarta illa animæ natura longe ſuperiorem & ſubtiliorem conditionem involveret. Quam naturam divinam etſi cogitare & velle poſſe afferendum erat, cum id faceret animus, non tamen id ſine cura & labore fieri a natura corporea par erat. Aſt conditionem eam demum vere beatam reputabat, quæ omni cura & labore vacua, in ſumma indolentia & tranquillitate viveret, hincque concludebat, duplici principio, phyſico nempe & morali, nixus, numen a rerum natura vel ordinanda & ornanda, vel conſervanda gubernandaque prorſus eximendum eſſe. Ita vero & ab omni metu ſuperorum, quo animi beatitatem & quietem turbari putabat, homines liberari poſſe credebat, id quod in antecedentibus jam tetigimus. Ejecta itaque theologia ex phyſiologiæ ſuæ ſyſtemate, cauſam materialem & efficientem una ſede collocabat, nempe in atomis. Ne vero de Diis ſiluiſſe plane videretur, quod & anticipata, quam hominibus ineſſe negare nequibat, notio videbatur interdicere, & religionis ratio habenda poſcebat, mentem ſuam de Diis ita explicuit, ut haud paucis dicis tantum gratia eam prodidiſſe, interque Numinis hoſtes numerandus videretur, [r] aliis mitius de eo ſentientibus. [s] Nos ipſum de hoc argumento differentem audiemus:

I. Non videtur in controverſiam vertendum, eſſe in univerſo naturam divinam, quod Deorum notionem in animis impreſſerit ipſa natura.

II. Quæ eſt enim omnino gens, aut quodnam genus hominum, quod non habeat ſine doctrina anticipationem aliquam Deorum? Quamobrem cum non inſtituto aliquo, aut more, aut lege ſit opinio conſtituta, maneatque ad unum omnium firma conſenſio, intelligi neceſſe eſt, eſſe Deos; quoniam inſitas eorum, vel potius, innatas cognitiones habemus: de quo autem omnium natura conſentit, id verum eſſe, neceſſe eſt. Eſſe itaque Deos confitendum eſt. Deſcripſimus palmarium Epicuri pro divinæ naturæ exiſtentia argumentum luculentis CICERONIS [t] verbis, ut inde vis ejus intelligi queat. Noſtris enim temporibus de ejus auctoritate valde diſputatum eſt, magnis viris [u] illud duplici ex ratione rejicientibus, nempe quod nec

epiſtola ad Pythoclem & ratis ſententiis patet, imprimis vero ita Stoicos confodiebat. Cum itaque ſenſus judices conſtituiſſet, cuncta ad naturas corporeas reduci neceſſarium erat. Huic quidem opponebat incorporeum, ſed quod nihil ſubſtantiæ eſſet, ſed inane. Ex quibus ſequebatur, Deum inter cauſas rerum naturalium efficientes numerandum non eſſe: immo & inde diis natura corporea adſcribenda, ſed talis, quæ iis competeret, de qua in ſequentibus.

r) Adeo pervulgatum hoc eſt, ut Epicureus & atheus eodem infamiæ ſenſu dicantur vid. LVCIAN. in *Pſeudomant. T. I. p. m. 561. 569.* conf. CICERO *de N. D. l. I. c. 30.* aliique nominati a GASSENDO *de vita Epic. l. IV. c. 1. p. m. 107.* Patres imprimis eccleſiæ vehementer eo nomine illum culparunt, quorum loca vid. apud BALTVM *jugement des SS. Peres ſur la morale des payens c. 6. p. 38. ſeqq.* & REIMMANNVM *Hiſt. atheiſmi c. XXIX. §. 2. p. 196.* Hos ſecuti recentiores plurimi, interque eos maxime SAMVEL PARCKERVS *de Deo diſp. I. ſ. 16. p. 40. diſp. III. ſ. 3. p. 226.* BVDDEVS *theſ. de ath. c. I. §. 19. p. 66. Hiſt. Eccl. V. T. T. II. p. 1081.* CLERIC. *Hiſt. eccl. N. T. Prol. ſect. II. c. 5.* MOSHEM. ad CVDWORTH. *Syſt. int. c. II. §. 2. p. 71.* aliique nominati HEVMANNO *act. philoſ. vol. II. p. 650.* & REIMMANNO *l. c.*

s) Ita præcipue GASSENDVS *l. c. l. IV. c. 1. ſqq.* IAC. RONDELLVS in *vita Epic.* cel. STOLLIVS diſſ. *an Epic. providentiam Dei negaverit.* IO. CONR. SCHWARZ. *judic. de recondita Epicuri theologia* conf. REIMMANN. *l. c.*

t) *De N. D. l. I. c. 17.*

u) LOCK. *de intellectu human. l. I. c. 3.* BAYLE *contin. des penſées ſur les Com. c. 113. T. IV. Rep. c. 11. 12. Dict. T. III.* art. *Lery not. H. p. 94.*

nec ſequi putant, omnes homines credunt DEVM, ergo Deus eſt; & certum eſſe contendunt, eſſe nationes plane atheas. Quam quidem controverſiam a noſtro ſcopo alienam hic non tangimus, monemus tamen, Epicurum utrique difficultati ſatis occurriſſe; nam conſenſum hunc humani generis ex anticipata notione, id eſt, ea idea de Deo, quam omnes homines antecedenter ad inſtitutum, mores, legem, religionisque præcepta habent, derivavit, cumque naturali inclinatione tot a ſe modis alias diſſentientes homines in hac notione conſentiant, inde concluſit, innatam cognitionem hanc eſſe, non quidem actu, naturali tamen propenſione mentibus impreſſa, qua ratione argumentum ſatis firmum eſſe, nemo negaverit, præjudicio non imbutus. [w] Deinde recte ad experientiam provocat, teſtantem non eſſe gentem, quæ non habeat ſine doctrina aliquam anticipationem de Deo. Hoc enim præcipue conſiderandum eſſe in hac controverſia, non ſatis attenderunt viri doctiſſimi, qui totas gentes atheas dari, veterum & recentiorum etiam teſtimoniis evincere conati ſunt. Vt enim de ſubleſta plerorumque, qui adducuntur, teſtium, qui vel non potuere, vel noluerunt veritatem dicere, & levi brachio in examinandis totarum gentium religionibus verſati ſunt, fide ſileamus, hoc imprimis argumentum evertit, non eſſe quæſtionem vel de vita ab omni cultu Deorum aliena, quo ſenſu plerique veterum, in teſtimonium adducti gentes etiam immeritas, atheas dixere, vel de doctrina & religione Dei cultum profitente, utrumque enim largiri hactenus poſſumus, ſed, quod recte Cicero habet, de anticipata ante doctrinam omnem notione Dei, quæ mentibus impreſſa eſt, quam plane iis gentibus non ineſſe, nemo hactenus dedit probatum. [x]

III. Videri quidem poſſunt homines, cum cœli rationes & varia annorum tempora verti redireque certo ordine cernerent, neque id poſſent, quibus id cauſis efficeretur, cognoſcere, id ſibi perfugium habuiſſe, ut Diis omnia tribuerent, facerentque eorum nutu omnia flecti, ac ſimul in cœlo ipſos collocarent, quod revolvi in cœlo ſolem, lunam, ac ſtellas conſpicerent: at quomodo iſta Diis attribuiſſent, niſi prius, eſſe Deos, cognoviſſent. Ita anticipatam Dei notionem ex Epicuri mente demonſtrat LVCRETIVS, [y] qui vero recte intelligendus eſt. Non enim ita concludit poëta: quia homines ex ordineque motuque cœli atque ſiderum concluſerunt, eſſe Deos, ideo notio ejus vera eſt: hoc enim idem eſſet, ac dicere, eſſe præjudicium id hominum, quos hunc in modum falſo de ſublimibus rebus fortuito atomorum motu & natura ita congeſtis motisque credere, ipſe ſtatuebat. Sed ſupponit Lucretius veriſſimum Epicuri canonem, de nulla re cogitari, vel eam affirmari negarique poſſe, ſine anticipata aliqua

w) Videndi quos laudat FABRIC. *Syll. ſcript. de V. R. C. c. VIII. p. 310. add.* BVDDEVS *theol. mor. P. I. c. 2. §. 5.* & celeberrimi FEVRLINI luculenta diſſ. *de modo probandi Deum ex conſenſu gentium.*

x) Conf. CICERO *Tuſc. Qq. l. I. c. 13. de legib. l. I. c. 8.*

y) *Lib. V. v. 1182.* SEXT. EMPIR. *adv. mathem. l. IX. ſ. 26.*

notione. Cum vero homines motui ſiderum ordinato Deos præfecerint, neceſſe eſſe, ait, ut habuerint prius, quam ita rationes ſubducerent, talem de Diis anticipatam notionem, eaque idea ipſis fuerit connata. Idem de omni apud gentes omnes cultu divino valet, ad quem non fuiſſent delati, niſi prius naturali diſpoſitione & inclinatione permoti credidiſſent, eſſe divinam in univerſo naturam. Quod an ſatis recte concludat, [z] alibi diſceptandum eſt.

IV. Forſan habuere hanc homines notitiam ex ſomniorum viſis. Potuere certe, magnis quibusdam & humana forma incurrentibus per ſomnium imaginibus, exiſtimare, eſſe revera aliquos hujusmodi humana forma Deos; & cum vigilando meminiſſent, eas ſibi apparuiſſe, cogitare, oportere extare alicubi ejusmodi naturas, quæ & ſenſus capaces eſſent, quod membra movere, vocesque emittere cernebant; & immortales eſſent, propter magnitudinem, & conſtantiam earum imaginum; & beatæ forent, quod neque mortem timerent, neque ullum ex iis, quæ efficerent, caperent laborem. Ita Epicuri de iſtius innatæ Deorum notitiæ origine mentem explicant LVCRETIVS [a] & SEXTVS EMPIRICVS, [b] ſatis miſerabili ratiocinio utentis, ſed ad quod philoſophiæ ipſius principia eum deducebant. Cum enim non alium notionum in anima extantium modum agnoſceret, quam qui fit imprimendo ſimulacra ex rebus effluentia, vel in aëre vagantia, neceſſario ad has ineptias ei deveniendum erat, quæ tam miſere cohærent. Non enim cogitavit, effluere ſimulacra a Diis non poſſe, cum non ſint ex atomis compoſiti, nec moleculis iſtis atomorum conſtent: nec recordatus eſt, quod alibi monuit, [c] vulgus decipi in opinione de Diis: ita enim & in inſomniis homines decipi poſſe ſequitur. Gravem hanc ob rem dicam Epicuro ſcripſit SAM. PARCKERVS. [d] Ceterum & hoc argumentum Epicuro CICERO [e] tribuit, potuiſſe homines ratiocinando illa ἰσονομίᾳ vel æquabili tributione uti, qua efficitur, ſi mortalium tanta multitudo ſit, eſſe immortalium non minorem; & ſi quæ interimant, innumerabilia ſint, etiam ea, quæ conſervent, infinita eſſe debere.

V. Communem hanc notitiam conſulentes intelligimus, eſſe Deos ſubſtantias æternas & beatas, nec ſine immortalitate & beatitate Dii concipi poſſunt.

VI. Quod vero æternum beatumque eſt, id nec habet negotii quicquam, nec exhibet alteri. [f]

Providentia divina an Epicuro negata?

VII. Hoc admiſſo ſequitur, nec mundi condendi nec regendi cura tangi Deos poſſe, nec eſſe ullum eorum laborem circa hunc mundum; hoc enim ſummæ qua fruuntur, beatitudini prorſus repugnat. Sequi hanc negatæ divinæ providentiæ aſſertionem, ex conceptu de Deo Epicureo, & tota ratione ſyſtematis phyſiologici Epicurei manifeſtum eſt: in eo enim Deos

z) Conf. laudati FABRIC. *l. c. c. VII. p. 287. ſqq.*
a) *ib. v. 1168. ſeqq.*
b) *l. c. ſ. 25.* conf. GASSENDVS *ad* LAERT. *l. X. p. 42.*
c) Apud LAERT. *l. X. ſ. 123.*
d) *l. c. p. 41.*
e) *l. c. c. 19.*
f) *ibid.*

Deos prorſus exulare, cunctaque ad atomorum motum & declinationem redire, manifeſtum ſupra fecimus. Vnde vehementer veteribus & recentioribus vapulat Epicurus, quod hoc hominibus eripuerit ſolatium, curare Deum res humanas. [g] Interceſſere tamen pro Epicuro viri duo doctiſſimi & veteris doctrinæ apprime gnari, IACOBVS RONDELLVS [h] & GOTTL. STOLLIVS, [i] quorum uterque, diverſis licet argumentis uſus contendit, non negatam fuiſſe ab Epicuro divinam providentiam omnem. Et eruditus quidem vitæ Epicuræ auctor, ita pro Epicuro dicit, ut contendat, removiſſe quidem Gargettium ſenem a mundi ornatu, motu ſiderum, tempeſtatum vicibus, reliquisque rebus ſublimibus concurſum divinæ providentiæ, cum tantas acceperint vires, ut conſtare ſua virtute queant: non vero ſuſtuliſſe divinæ pronœæ influxum in res hominum, LVCRETIO [k] enim teſte, ſtatuiſſe, vim quandam abditam naturæ, qua caſus etiam maximi regantur. Recte his opponitur, non certum tantum eſſe, in meteoris motum, & converſionem, & defectum, ortumque & occaſum, & his ſimilia nullo miniſterio fieri, neque ullius ordinatione, & imperio, qui omnem ſimul beatitudinem & immortalitatem habeat, Epicurum ſtatuiſſe, cujus hæc ipſius verba ſunt; [l] ſed & ex illo, quod mox addit: *beatitati non convenire negotia, & curas, & iras & gratias, ſed ob infirmitatem, ac timorem & indigentiam proximorum iſta fieri*, ſequi, repugnare divinæ naturæ, ut curam hominum ſuſpiciat, vel gratiæ pœnæve ullum reſpectum foveat, id quod omnem neceſſario providentiam tollit. Hoc nec ipſe negavit Epicurus, nec veteres unanimi aliter teſtantur ore, pulchreque vidit Epicuri patronus GASSENDVS, [m] qui impietatem hominis profligavit. Nec vis abdita Lucretii divina providentia eſt, ſed opinio vulgi ab eo exponitur, quod, cum illuſtres ruinas & mirabiles in mundo caſus & mutationes videt, nec in eorum cauſas penetrat, vim ejusmodi abditam arguit. Hanc vero vim abditam revera in ſchola Epicuri nihil aliud eſſe, quam perpetuum acceſſum, & deceſſum atomorum, mutationemque & alterationem molecularum ex iis compoſitarum, quibus res conſtant, alibi ſatis luculenter is prodidit, & ſupra quoque a nobis demonſtratum eſt. Aliter, & ſubtilius rationes inſtruit cl. STOLLIVS: Is non monet modo, quod de Ionicis Parckerus contendit, non negaſſe Epicurum cauſam efficientem, ſed ſuppoſuiſſe, & de cauſa tantum materiali, ut decet phyſicum, diſſeruiſſe, ſed ad STOBAEVM [n] quoque provocat, hanc Epicuro ſententiam tribuentem: *Gratias agere concedet naturæ beatæ, quod neceſſaria inventu facilia effecerit, inventu vero difficilia non neceſſaria.* Beatam vero naturam Epicuro Deum eſſe. Diſputare quoque Philumenarim, apud AMBROSIVM, [o] qui ex ſectatoribus ejus fuit, voluptatem in homine Deo auctore

g) Conf. FABRIC. *l.c. c. IV. p. 366.* BAYLE *l.c. not. G. p. 377.*
h) loco ſupra laudato.
i) Diſſ. ſupra citata, & Hiſtor. phil. mor. gentil. §. III. p. 195.
k) Lib. V. v. 1232.
l) Apud LAERT. *l. X. ſ. 76.*
m) Syntagm. phil. Epic. p. 130. ſeqq.
n) Serm. XXXIX. p. 137.
o) Epiſt. 82. T. III. opp. p. 240. edit. Froben.

auctore creatam esse; id vero sine consilio ordinato & statuto fieri non potuisse. Idem evincere contendit vir doctus, loco Epicuri apud LAERTIVM,[p] qui, (licet corruptus sit,[q]) innuit, pœnas malos sequi, præmia a Deo bonos: in eadem porro illum epistola Deum fortunæ opponere; Auctorem porro *historiæ philosophiæ* GALENO tributæ, asserere, convenire in eo Epicuro cum Stoicis, quod molestiam nullam nec sentiat divina natura nec creet, sed bona quælibet communicet. Putat itaque eruditus Epicuri hyperaspistes, concessisse philosophum providentiam generalem, eam tamen in producenda tantum anima bruta, mundi rectrice manifestatam ponendo, sic animæ mundi, quam Stoici asserebant rationali opposuisse, inde vero Stoicos occasionem sumsisse Epicurum negatæ omnis providentiæ divinæ accusandi. Nos hæc non sine eruditione & veritatis colore dicta esse concedimus, cum veritate vero concordare valde dubitamus. Nam Stobæi testimonium & incertum est, utrum Epicuro recte tribuatur nec ne, ipso viro docto dubitante:[r] & non liquet ex obscuro loco, quid in eo beata natura significet; & annon cœca illa & fortuita, quæ omnia finxit, dispositio atomorum intelligatur: certe an ab Epicuro dictum hoc sit, vel ab alio, nondum definitum est. Ionicorum vero exemplum ad Epicuri defensionem non quadrat; licet enim systemati Ionico, ut fecit, Anaxagoras, causam efficientem supremam præfigere, Epicureo non licet, in quo efficiens & materialis causa coincidunt,[s] quodque a naturæ beatæ conditione mundi productionem & conservationem removet, ut ex *prima ratarum* Epicuri *sententiarum* est manifestissimum. Patet etiam ex *epistola* ejus *ad Herodotum*, omnem omnino providentiam rerum in mundo gestarum, beatis Deorum naturis eum denegare, non vero tantum particularem. Philumenaris vero, qui Philomarus quoque in quibusdam codicibus dicitur, testimonium eo minus ponderis habet, quo magis nec ipsa ejus verba superstant, nec satis constat, utrum vel Ambrosius recte ejus sententiam ceperit, vel Philumenaris magistri mentem assecutus fuerit, quam contrariam prorsus esse, vel ex eo constat, quod ipso Epicuro teste[t] *non fatum vel providentia domina est omnium, sed quædam nos a fortuna habemus, quædam a nobis, ea autem Dominatu carent.* Id quod etiam manifestum facit, ea, quæ de pœnis ac præmiis dicuntur apud Laërtium κατ' ἄνθρωπον & ex mente vulgi disputari, ostendique, tolerabiliores esse has fabulas, quæ speciem excusationis tamen obtendant in honorem Deorum, quam necessitatem physicorum. Nec ad testimonium auctoris *historiæ philosophicæ* magnopere attendendum est, quod contrarium esse systemati Epicureo quilibet videt. Suspicamurque, & Philuminarem illum, & auctorem *historiæ philosophicæ* ex eo genere fuisse, qui, ut omnes inter se sectas conciliarent, quadrata miscere rotundis non erubuerunt, & systema Epicuri fortuitum uno ire jugo cum Stoica mundi anima coëgerunt. Nec enim animam mundi, nec

p) *Lib. X. f. 134.* q) Vid. viri docti *ad h. l.*
r) *Hist. phil. mor. gent. §. III. p. 198.*
s) Et quidem necessario, quia atomis causa activa inest, eaque cum passiva una sede moratur, uti supra demonstratum.
t) LAERT. *l. X. f. 133.*

nec brutam aliquam quæ naturæ inſit, animam Epicurus agnovit, ſed atomis & inani, ſive fortuito corpuſculorum in infinito vacuo motu omnia comprehendit, quæ in mundo geruntur, quod ſatis prodit, iſtos Pſeudo-Epicureos, modo genuina eorum eſt ſententia, Epicuri doctrinam adulteraſſe, quæ ratio veterum ſyſtemata corripiendi eo tempore, quo iſta hiſtoria philoſophica ſcripta eſt, valde invaluit.

VIII. Quod ſi nulla rerum hujus mundi cura Dii tanguntur; intelligitur inde etiam, a beata immortalique natura & iram & gratiam ſegregari, quibus remotis nullus a ſuperis impendit metus. *w*

IX. Sed & hoc inde ſequitur, vaticinia & divinationes nullas eſſe, ſed vel imaginationis fallacia vel hominum edi fraude. *x*

X. Etſi vero influxum in res naturales habere Deos credi non poteſt, & ita a ſuperſtitione homines liberandi ſunt: præſtans tamen Deorum natura pietate coli debet, cum & æterna ſit, & beatiſſima. Habet enim venerationem juſtam quicquid excellit, licet metus omnis ab ira atque vi Deorum pulſus ſit. *y*

XI. De forma Deorum partim natura nos admonet, partim ratio docet. Nam a natura habemus omnes omnium gentium ſpeciem nullam aliam, niſi humanam Deorum; & hoc ipſa ratio confirmat & declarat. Nam cum præſtantiſſimam naturam, vel quia beata eſt, vel quia ſempiterna convenire videatur, eandem eſſe pulcherrimam; quæ compoſitio membrorum, quæ conformatio lineamentorum, quæ figura, quæ ſpecies humana poteſt eſſe pulchrior?

XII. Quod ſi omnium animantium formam vincit hominum figura, Deus autem animans eſt; ea figura profecto eſt, quæ pulcherrima ſit omnium. Quoniamque Deos beatiſſimos eſſe conſtat, beatus autem eſſe ſine virtute nemo poteſt, nec virtus ſine ratione conſtare, nec ratio usquam ineſſe, niſi in hominis figura, hominis eſſe ſpecie Deos confitendum eſt.

XIII. Cum vero Deos eſſe hominis animantisque ſpecie dicimus, tale ipſis propterea, quale vulgo eſt hominum animantiumque, corpus non tribuitur. Non enim eſt quidem Deus res plane incorporea, careat enim ſenſu neceſſe eſt, careat prudentia, careat voluptate, quæ omnia una cum Deorum notione comprehendimus: at non ideo tamen craſſum corpus eſt, immo neque etiam quam poteſt ſubtiliſſimum ex atomis coagmentari: ſed omnino eſt corpus ſui generis, quod ſane non ſenſu, ſed mente cernatur, nec ſoliditate quadam, nec ad numerum, ſed imaginibus, ſimilitudine & tranſitione perceptis quodque comparatum ad ea, quæ vulgo occurrunt, appellanturque corpora, dici poſſit, eſſe non corpus, ſed quaſi corpus, non ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem habere.

XIV.

w) CICERO *l. c. c. 17.*
x) Dictum hac de re §. *præcedente.*
y) CICERO *l. c.* GASSEND. *vit. Epic. l. IV. c. 3. p. 112. ſeq. c. 4. p. 120.* BAYLE *l. c. not. G.*

XIV. Neque eſt hoc qualecunque corpus coagmentatum ex atomis, quoniam ſempiternum alioquin non foret, & ex ipſo ortu conſequeretur interitus, ex concretione diſſipatio, ſicque non eſſet ſempiternum. Adeoque peculiaris natura eſt, quæ & inconcreta eſt, & ob tenuitatem attingi plagamque accipere non poteſt. Deſcribenda erat tota Epicureæ theologiæ ſumma, diſertiſſimi TVLLII [z] verbis, ut de mente Epicuri accuratius conſtaret. Patet vero ex his, quibus Lucretii philoſophia concinit, ad hominis quidem formam ſpeciemque Deos revocaſſe Epicurum, ſed longe præſtantiore figura & natura. Scilicet occupabat philoſophum, cuncta ſenſuum regula metientem, notio animalis rationalis, qualis homo eſt: putabatque non cogitare naturam aliquam poſſe, niſi homini ſimilis ſit. Cum vero videret, beatam & immortalem Deorum naturam homini & originem ortumque, & finem atque interitum habenti non convenire, id quod rationale in homine eſt, abſtrahendo, & ad maximam ſubtilitatem tenuitatemve extendendo, Diis adſcripſit, ſicque perfectionem hominis figuramque rationi convenientem, ſed Deorum immortali natura dignam commentus eſt. Quod annon contradictionem involvat latentem, hic non diſpicimus; cum nobis ſufficiat, Epicurum, ſemel occupatum præjudicio non dari res prorſus immateriales, ita rationes iniiſſe ut oſtenderet, quo modo divina natura cum ſuo ſyſtemate conſtare poſſet. Cum itaque corpus eſſe Deos negaret, quale homines habent, & tamen præter corpus & inane nihil eſſe ſtatueret, ad hanc notionem abſtractam confugere habebat neceſſe, ut Deos ſine compoſitione, ſed ſolida natura cumque ratione & ſenſu atque voluptate vivere, & peculiarem quandam naturam corporis conſtituere aſſereret. Quod, ad abſurdas voces & ideas nihili philoſophum ſyſtematis ἀσυζάτε confuſione admittendas fuiſſe coactum, ſatis evidenter evincit. Quia vero in univerſo omnia ex atomis & inani conſtare aſſeruit, merito hic quæritur, utrum Epicurus Deos ex atomis conſtare dixerit nec ne? Non audiendos quidem eſſe TERTVLLIANVM [a] & AVGVSTINVM, [b] Diis Epicuri ex ejus mente ortum ex fortuito atomorum concurſu adſcribentes, ex adductis veterum teſtimoniis & definitione Deorum Epicurea, quam attulimus, conſtat. Recte enim LACTANTIVS [c] urget, *ſempiternam Deorum naturam non fore, ſi ex atomis compoſita eſſet, ex ipſo enim ortu conſecuturum fuiſſe interitum, ex concretione diſſipationem.* Verum difficilius eſt ſtatuere, utrum non ſpeciem quandam atomorum, id eſt corpuſculorum longe tenuiſſimorum, ſenſu & ratione præditorum, adeoque indiſſolubilium & hinc immortalitatis & beatitatis capacium eos eſſe putaverit? Licet enim ab omni veri ſpecie aliena ſit cl. IO. CONR. SCHWARZII [d] ſententia, atomos omnes, ex quibus conſtant omnia, ad divinam naturam pertinere, quæ ſcilicet totum ſyſtema Epicuri phyſiologicum evertit: videri tamen is poſſet, inter peculiaria atomorum genera, quæ infinita eſſe

z) *l. c. c. 18.* conf. LACT. *de ira Dei c. 10.*
a) *Adv. gent. c. 47.*
b) *Epiſt. 56.*
c) *l. c.*
d) *Diſſ. ſupra laudata.*

esse dicebat, hanc quoque divinam naturam retulisse, eo quod præter atomos & inane nihil esse putaret. Obstat tamen his, non tantum, quod ista distinctio ad res tantum naturales, non divinas, pertineat, sed imprimis quod atomi omni rationis & sensus qualitate in se privatæ Epicuro dicantur; qua tamen Dii ejus gaudent; nec liberi ii essent, etsi in intermundiis constituti a convolutione & implicatione atomorum aliarum, qua ad constituendum mundum aliquem raperentur, si essent atomi. Accedit testimonium PLVTARCHI, [e] ex Epicuri mente referentis, *quatuor quædam habenda æterna, incorruptaque; nempe universum, cui nullus locus, in quem dilabi valeat, subsit; inane, quod nec tangi valeat, nec plagam ullam accipiat, materiem rerum* (sive atomos) *quæ nisi immutata subsisteret, ea, quæ dissolvuntur, in nihilum abirent; ac tandem naturam divinam, quæ & inconcreta sit, & ob tenuitatem attingi plagamque accipere non queat.* His enim verbis natura divina atomis diserte opponitur. Quod si vero instes, quærasque, quid tandem est divina natura ex mente Epicuri? Facile quidem respondebimus, esse quasi corpus, cum alias non esset sensus & voluptatis capax: si vero ultra quæras, quid istud quasi corpus sit, fatemur, non nobis tantum hærere aquam, sed credere quoque nos, ipsum Epicurum systematis absurditate & contradictoria ratione in angustias redactum, cum Deorum notionem plane evertere & negare vel non posset, vel non auderet, ad ejusmodi voces nihili tanquam ad ignorantiæ asylum confugisse. [f] Id quod maximis sæpe accidisse ingeniis tot exemplis docet historia philosophica.

XV. Designare quidem non licet, quibus in locis Dii degant, cum ne noster quidem hic mundus digna eorum sedes sit: sed dicere tamen universe licet, qualem poëtæ Olympum describunt, tales esse, ubicunque sint, beatas Deorum sedes purissimas & tranquillissimas. [g] Scilicet in intermundiis Deos habitare necesse est, sive intervallis inter mundos. [h] Luculenta hoc imagine expressit IAC. THOMASIVS. [i]

XVI. Vita Deorum talis est, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari possit. Nihil enim agit Deus, nullis occupationibus est implicatus, nulla opera molitur, sua sapientia & virtute gaudet; habet exploratum, fore se semper cum in maximis tum in æternis voluptatibus. Hunc Deum rite beatum dixerimus, qui beatam vitam in animi securitate & in omni vacatione munerum ponimus. [k]

§. XIII. Brevis hic est theologiæ Epicureæ conspectus, quem ipsis vel Epicuri vel aliorum ex veteribus testimoniis verbisque delineavimus. Ex eo vero de atheismo Epicuri quæstio decidenda est, & dijudicanda tota ejus religio. De qua ut sepositis variis virorum, qui in hac arena desudarunt, eruditorum argumentis, de quibus in speciali atheismi historia dispiciendum est, *Atheismus Epicuri.*

e) *De placit. phil. l. I. c. 6.*
f) Eleganter hoc CICERO *l. c.* vocat *per dumeta correpere.*
g) CICERO *l. c.*
h) SENECA *de benefic. l. IV. c. 19.*
i) *De exust. mundi Stoica diss. II. §. 24. p. 34.*
k) CICERO *l. c. c. 19.*

eſt, mentem aperiamus noſtram. I. Certum ex adductis eſt, Epicurum non tantum Deos ſtatuiſſe, ſed & argumenta adduxiſſe, quibus hanc veritatem evinceret, ſicque ex numero apertorum Numinis hoſtium eximendum eſſe, cum Deos a mundo diſtinxerit, immortalem iis, beatamque & rationalem vitam tribuerit, & pietate ac veneratione eos colendos eſſe ſtatuerit, quæ non poſſunt in apertum cadere atheum. Quod vero afferuit, [l] Deos non eſſe tales, cujusmodi eos vulgus arbitratur, eumque non eſſe impium putavit, qui multitudinis Dei tollit, ſed qui Diis opiniones multitudinis applicat, id laudandum magis quam vituperandum eſt, certe cum præſtantiſſimis philoſophis, ſolis forte Stoicis, quos his verbis pungit, exceptis habet commune. His ſe quidem magnis niſibus opponit SAMVEL PARCKERVS, [m] quo nemo vel doctius vel eloquentius in Epicurum, impietatem ejus accuſando inſurrexit, & contrarium probare contendit tum ex rationibus quibus eorum exiſtentiam probavit, tum ex deſcriptionibus quibus eorum naturam delineavit. Vrget enim, nihil magis habuiſſe cordi, quam ut ſolidiora quæque ſapientum ratiocinia funditus everteret, nullaque argumenta niſi a populi præjudiciis deſumta, quæ ipſe cum primis contemſit, afferret. Verum parcius hæc Epicuro objicienda erant. Etſi enim negari nequit, male egiſſe philoſophum, quod a mundi condendi fabrica, & gubernandi providentia plane removerit Deum, & tum cauſis finibusque rerum, tum rebus ipſis mundanis Deum præeſſe negaverit, id quod nemo ſanus probaverit, ipſeque recte caſtigavit doctiſſimus GASSENDVS:" probe tamen conſiderandum eſt, non hoc ideo feciſſe Epicurum, quod Deos negare vellet, ſed quod eorum opera ad mundi ſyſtema vel efformandum vel conſervandum opus ſe non habere crederet, ſicque homines a metu & ſuperſtitione liberare ſe poſſe præſumeret. Id quod atheum directum nondum probat, licet virum graviter in Dei notionem veram impingentem prodat. Deinde & hoc expendendum, conceptum de divina natura, quem ſibi formavit, Epicurum ſeduxiſſe, ut Deos rebus humanis vel mundo etiam huic operam interponere ſuam poſſe negaret; quod evincit quidem, erraſſe eum in natura divina deſcribenda, non vero in exiſtentia Dei determinanda. Nam non hoc quæritur, an theologia Epicuri periculoſa ſit, & ad impietatem portam aperiat, quod ſuo modo concedi omnino debet, ſed an hæc aſſerta ideo profeſſus fuerit, ut Deos tolleret? id quod probari nunquam poteſt. Nec argumentum ab anticipata Dei notione deſumtum vulgi præjudicium eſſe, licet id ineptis hypotheſibus phyſicis deformaverit Epicurus, ex iis, quæ in antecedente §. hac de re diximus, liquet; multo magis, ſuppoſitis ſemel principiis phyſicis Epicuri, ſatis roboris habet. Si enim ſemel Epicuro hoſtis numinis conceſſerit, corporeas res omnes ex tactu, impulſuque in mente cognoſci, nosque de iis certos eſſe, concedat etiam Deos neceſſe eſt, quia certam & anticipatam ejus notionem habent homines, omni præjudicio priorem, quæ non aliam poteſt habere originem, quam

l) LAERT. l. X. f. 124. m) l. c. ſect. 16. p. 41. n) Il. cc.

quam quod eorum impreſſio naturalis in hominis animo facta ſit, quæ eorum exiſtentiam ſecundum phyſiologiam Epicuri ſupponit. Quam notionem etſi non accurate ſatis cum phyſiologia Epicuri cohærere ultro doctiſſimo præſuli largimur, nec, eum hujus anticipationis originem recte deſcripſiſſe, aſſerimus, quæſtio tamen non de modo demonſtrandi Deum eſt, ſed in eo verſatur, an Dei exiſtentiam Epicurus negaverit nec ne? id quod ex argumento non ſatis valido adhibito nondum concludi poteſt; quæ concludendi ratio ſæpius occaſionem dedit viros non malos ſed non ſatis in hoc argumento acutos inter Numinis hoſtes præter rem numerandi. Idem de altero eximii viri argumento, quod ab inepta divinæ naturæ deſcriptione deſumit, & non ſine verborum phaleris proſequitur, dicendum eſt. Non enim opus eſſe judicamus, ab abſurditatibus, quas in ea invenit præſtantiſſimus vir, liberare Epicurum, licet idem ei reponi queat, quod ejus cum iſta ſcriberet, collegæ, doctiſſimo CVDWORTHO, eandem cantilenam repetenti regeſſit cel. MOSHEMIVS, [p] Epicurum non ita concludere, nihil eſt præter corpus & inane, ergo non eſt Deus, ſed hoc tantum præceptum ad naturæ rationes explicandas adhibuiſſe, & videri non ſine ratione Epicurum Deos mediam inter corpus & ſpatium naturam conſtituiſſe. Concedamus potius, abſurde & indigne philoſopho de Diis ſenſiſſe & docuiſſe. Num vero inde ſequitur, eum vel Deos negaſſe, vel cum mundo confudiſſe? vel cultum tam perfectæ naturæ debitum negaviſſe? quod ſuſpicacius quam par erat, inde concludit Præſul eruditiſſimus? Qua ratione ſi atheiſmus evincendus ſit, timendum eſt, ne viri etiam boni ſed judicii interdum obtuſioris cauſa cadant, & nefando ſtigmate notentur. Aliter incedunt cautiusque duumviri de orbe literato immortaliter meriti IO. FR. BVDDEVS & IO. LAVR. MOSHEMIVS, [q] qui totam hanc de Diis doctrinam dicis tantum gratia, & ut os incautis oblineret aſſumtam fuiſſe dicunt, & venerationem Deorum ab Epicuro aſſertam ob majeſtatem & perfectionem, cum Cicerone inter abſurda connumerant, quæ hypocriſin magis tegant, quam pietatem prodant; cum nihil ſibi in hoc mundo negotii cum Diis eſſe Epicurus voluerit. [r] De qua ſuſpicione, quid dicamus, non habemus, niſi, nec ſufficere ſolam ſuſpicionem ad atheiſmi maculam inurendam rationibus in contrarium præſentibus, nec videri laudatam Epicuri integritatem tam impudentem hypocriſin admittere, non tamen impoſſibilem eam eſſe, cum tota philoſophia Epicuri Deum nullum requirat. Abſtinemus itaque ab hoc argumento, & Epicuri theologiam tantum judicamus talem, qualem nobis eam expoſuit, ſecundum quam non videmus; qua ratione inter atheos apertos & directos queat reponi. II. Non diffitemur tamen toterroribus de divina natura ſcatere ſyſtema Epicuri & theologicum & phyſiologicum, ut non tantum ſatis impium in Deum ſit, ſed & periculoſiſſimam ad atheiſmum viam pandat. Nam ut multa brevitatis cauſa, paucis com-

o) *Syſt. intell. c. II, §. 7. p. 77.*
p) *Ad h. l. n. 5.*
q) *Locis ſupra cit.*
r) Conf. SENECA *Benef. l. IV. c. 19.*

plectamur, 1. non videtur de uno ſupremo numine cogitaſſe, ſed innumeras divinas ſubſtantias ſimpliciſſimis & incompoſitis naturis corporeis conſtantes & in intermundiis tanquam culices ludentes aſſeruiſſe: quod licet ad populi tantum captum dictum eſſe putet cl. SCHWARZIVS [s] ipſa tamen Deorum & ſedes & natura, multitudinem Deorum re ipſa Epicuro placuiſſe, evincit. Ita vero qui tot divinas naturas aſſerit, ſummam ſane negat & evertit. 2. Attributis quoque fere omnibus privavit Deos Epicurus; etſi enim immortalitatem eis tribuebat, rationem & voluptatem, primum tamen attributum enervatur naturæ quaſi corporeæ aſſertione, quæ, qualiscunque demum ſit, certe omnem ſpiritualitatem rejicit; ſecundum nullum uſum habet, cum nec agant quicquam Dii, nec ratione ad mundum vel fabricandum vel gubernandum uti queant, tertium inane otium eſt, & magnam involvit Deorum imperfectionem, quos labore curisque defatigari putabat, ſi mundi curam voluptati ſive beatitati ſuæ jungerent. Tacemus alias notiones Deo prorſus indignas. 3. Ipſum vero phyſiologiæ Epicureæ ſyſtema ut abſurdum ſatis eſt, ſine ſuppoſita Dei moventis exiſtentia, ita nihil magis impietati favet. Quis enim vel Deum curabit, a quo nec conditus eſt, nec gratiam ullam vel pœnam expectat? vel ejusmodi majeſtatem venerabitur, cujus nullibi in hoc univerſo veſtigia deprehendit, & non magis omnem de Deo ſenſum tandem ejurabit? Alia ipſi Gaſſendo docte reprehenſa, & imprimis negatos rerum fines tacemus. Plura non addimus, cum ipſe Epicurus parce de Deo differuerit, & pleraque inimicorum ejus teſtimoniis vel conjecturis eruditorum nitantur, quas incertas eſſe nemo non videt.

Philoſophiæ moralis Epicuri ſcriptores.

§. XIV. Præſtantiſſimam & nobiliſſimam philoſophiæ partem conſtituit Epicurus moralem, quæ ſcilicet ad vitæ finem, proxime facit; unde & phyſicam ei ita ſubjecit, ut quam in illa conſtituit, hominis voluptatem & tranquillitatem promoveret, de quo digna ſunt, quæ legantur, verba ejus in *epiſtola ad Menœceum.* [f] Dolemus vero præter epiſtolas Epicuri a LAERTIO ſervatas, & ſententias ejus ratas, quæ partem philoſophiæ moralis Epicureæ comprehendunt, reliqua, quæ huc faciunt ſcripta, intercidiſſe. Scripſerat etiam ex veteribus Diogenes Tarſenſis *epitomen dogmatum moralium*, ad quam provocat LAERTIVS [ff] verum hanc quoque nobis temporis invidit injuria. Quæ vero ex veterum ſuperſunt memoriis, pauca ſunt, & cauta attentione, nec ſine examine legenda, cum pleraque ab inimicis Epicuri ſint profecta, qui ut faciem philoſophiæ moralis Epicureæ turpem exhiberent, invidioſo conſequentiarum argumento doctrinas ejus morales corruperunt. Id quod & in Cicerone & in Plutarcho, aliquot ſcriptis in ethicam Epicuri inſurgente [t] poteſt deprehendi. [u] Mirandum itaque

s) *l. c.*

f) LAERT. *l. X. ſ. 132.* conf. GASSEND. *ad h. l. p. 1182. Synt. philoſ. Epic. P. III. p. 415. ſeqq.*

ff) *Lib. X. ſ. 118.* qui etiam *electas ejus ſcholas* aliquoties citat. conf. IONS. *de Script. hiſt. phil. l. IV. p. 333.* FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 820.*

t) Libris duobus *adverſus Coloten Epicureum, quod non ſuaviter liceat vivere ſecundum Epicurum, &, contra illud Epicuri: latenter eſſe vivendum.*

u) Conf. GASSENDVS *vit. Epicuri l. III. c. 6. 7. p. 96. ſeqq.*

itaque non eſt, diverſiſſima quoque eſſe recentiorum de Epicuri philoſophia morali judicia. Quidam enim adverſariorum Epicuri teſtimoniis fidem incautius tribuentes, de Epicuro tanquam fœdæ voluptatis magiſtro judicantes, ejus ethicam inter impietatis ſeminaria retulerunt; quo in ſtadio nemo magis impigre cucurrit, majorique vel ardore vel eloquentia moralem Epicuri philoſophiam reprehendit, quam SAMVEL PARCKERVS, [x] quem in eo fuiſſe nimium candidus lector ex dicendis facili labore intelliget. Alii vero, cum innocentiora viderent Epicuri dogmata, eorum cauſam tueri non erubuerunt, quorum nomina poſt P. BAYLIVM [y] exhibet cel. HEVMANNVS. [z] Inter hos princeps iterum locus debetur PETRO GASSENDO, qui non veterum tantum loca fere omnia, quæ huc pertinent, diligenter congeſſit, ſed & ordini ſyſtematico reſtituit, nativamque ethicæ Epicureæ faciem detexit. Hunc ſecutus eſt auctor *philoſophiæ moralis Epicuri*, quam cum annexis animadverſionibus ſuis iterata vice edidit IACOBVS RONDELLVS, quemque L. B. DES COVTVRES fuiſſe conſtat. [a] In hoc enim libro ea potiſſimum, quæ Diogenes Laërtius de hac philoſophiæ Epicureæ parte nobis conſervavit, commoda paraphraſi illuſtrantur, conſiderationes & exempla ſubjiciuntur, rationes ſæpe meliores adjiciuntur. Nos cœptum decurſuri ſtadium eodem, quo ingreſſi ſumus, tramite pergemus, & Gaſſendum quidem optimum & accuratum ſequemur ducem, ſine partis tamen ſtudio ad ipſa veterum teſtimonia & nexum ſyſtematis, quod Epicuro placuit, attendentes.

§. XV. Summa vero præceptorum ad mores pertinentium in hortis Epicuri hæc eſt: *Placita Epicuri ethica.*

I. Finis vitæ, tacito omnium conſenſu felicitas eſt, aberrant vero plurimi, vel veram felicitatem ſibi non præſtituentes, vel mediis, quibus oportet, non uſi.

II. Philoſophandum vero eſt de felicitate quamprimum, neque in craſtinum differendum, quoniam hodie quoque beate vivere intereſt, & hoc mali habet ſtultitia, quod ſemper vivere incipit, deſtinatve incipere, & nunquam tamen interim vivit. [b]

III. Felicitas finis hominis eſt, ſive extremum, ac ſummum bonorum, quod ipſa felicitas tale bonum ſit, ad quod referre omnia oporteat, ipſum autem nusquam. [c]

IV. Felicitas bifariam dividitur; Vna ſuprema eſt, quæ in Deo eſt, intenſionis & remiſſionis incapax, altera ſubalterna & humana, in quam cadere adjectio & detractio voluptatum poteſt. [d]

V.

x) *l. c. p. 41. ſeqq.*
y) *l. c. not. M. p. 320.*
z) *Act. philoſ. vol. II. p. 645. ſeqq.*
a) *Morale d'Epicure avec des reflexions Paris 1685. la Haye 1686. 12.* conf. *Acta erud. 1686. p. 483. ſeq.*
b) LAERT. *l. X. ſ. 122.* STOB. *Serm. LXXVIII. p. 281.* qui PLVTARCHVM *quod non ſuav. viv. ſec. Epic.* excerpſit. Similia monuere Stoici, quorum effata vide apud ANTONIN. *l. II. c. 3. 4.* SENEC. *ep. 19. 68. 76. de vitæ brev. c. 9.* EPICT. *enchir. c. 29.* Aliorum philoſophorum loca affert GATAKERVS *ad l. c. Antonini.*
c) CICERO *de fin. l. I. c. 10.* ubi Epicuream doctrinam exponit, ad quem ob eam cauſam ſæpius recurremus.
d) LAERT. *l. X. ſ. 121.*

V. Prior concipitur, quaſi quidam ſtatus, quo nullus poſſit melior, ſuavior, deſideratior excogitari, in quo nihil ſit mali quod timeas, nihil boni quod non habeas; nihil, quod agere libeat, & non liceat, qui denique conſtantior ſit, quam amitti unquam poſſit. Hunc ſtatum ſolis Diis competere, indoles & natura eorum evincit. Oppoſuit hoc ſine dubio Epicurus Stoicis, qui ejusmodi felicitatem ſapienti ſuo perfecto tribuebant, licet non negarent, non poſſe hominem ad eam adſpirare. Quam metereologiam relinquens Epicurus, Deo tribuit, quæ ei conveniunt, homini, quæ ab homine attingi poſſunt.

VI. Poſterior felicitas eſt ſtatus ille, in quo, quantum licet, quam optime eſt, ſeu in quo bonorum neceſſariorum quamplurimum, malorum quam minimum adſit, atque adeo in quo traducere vitam ſuaviter, tranquille, permanenter detur.

VII. Poteſt itaque ſapiens beatæ vitæ particeps eſſe, tametſi unius alterius-ve boni uſu ſenſuque e. g. oculorum, aurium &c. careat; [e] quoniam & adhuc perſeverabit in quam multis, licebit, bonis, & iis malis privabitur, ſi non corporis, ſaltem animi, quibus alioquin poſſet privari. Ratio hæc eſt, cur Epicurus ſapientem, tametſi dire torquebitur, tamen felicem eſſe poſſe dixerit, [f] id quod Stoici quoque aſſerebant, ſed alio longe ſenſu & felicitatis notione. Hi enim eo indolentiæ ſapientem pervenire debere contendebant, ut nec ſentiat dolorem, nec in felicitate eum ponere deſinat, quod quam abſurdum ſit, quilibet etiam non monitus intelligit. Aliter Epicurus, qui dolorem, qualis revera eſt, agnoſcens, nec lachrymas nec queſtus ſapientis dolentis improbavit, ad majorem tamen bonorum plurium & præſtantiorum poſſeſſionem reſpiciens, tranquillitatem mentis ac indolentiam iſtis reſtitui & confirmari poſſe putavit. [g] Cavillatio itaque CICERONIS [h] eſt, ſenſum verborum Epicuri, ut ſolet pervertentis; *Phalaridis taurum & roſas pro eodem habere Epicurum, & ſapientem proinde dum in illo tauro peruretur exclamaturum, quam ſuave eſt! quam hoc non curo! quam pro nihilo habeo.* Hæc enim Stoica ſunt, SENECAE [i] quoque ideo uſurpata non Epicurea.

VIII. Sine dolore vivere, cum ſuave ſeu volupe ſit, & ſuave quoque ſeu volupe, bonis frui, ipſisque recreari, conſtat inde, felicitatem non poſſe ſine utraque hac, aut altera ſaltem ſuavitate voluptateque intelligi. Probe hoc obſervandum eſt, ob magnum notionis voluptatis abuſum, quem Cyrenaicorum doctrina & luxuria Græcorum invexerant; quo factum ut turpitudinis ſignificationem vox innocentiſſima connotaret. Epicurus itaque ad nativum ejus ſenſum reſpiciens, id quod hominem revera felicem facit malisque carentem bonisque affluentem, ad hanc voluptatem requirebat.

IX. Voluptas ex natura ſua quid bonum, uti dolor oppoſitus, quodpiam eſt natura ſua malum.

X.

e) *ibid. ſ. 118. 119.* f) *ibid. ſ. 118.* STOLLE *Hiſt. phil. mor. gent. §. CXI. p. 187.*
g) Conf. DES COVTVRES *l. c. p. 21. ſeqq.* h) *Tuſc. Qq. l. II. c. 7.* i) *Ep. 66.*

X. Sane vero, cum illud ſit bonum, quod juvat, quod placet, quodque adeo amabile eſt, & appetitum allicit; malum illud quod nocet, quod eſt ingratum, quodque idcirco ſui odium & averſationem excitat; nihil eſt quod magis, quam dolor incommodet, diſpliceat, abhorreatur, refugiatur; ut contra nihil eſt, quod magis, quam voluptas demulceat, magis delectet, magis diligatur expectaturve magis. Adeo proinde, ut voluptas non modo eſſe videatur bonum, ſed ipſa quoque boni ratio, quatenus eſt id, cujus cauſa res aliqua bona eſt, ſeu expetitur; uti & dolor non modo malum, ſed ipſa etiam mali ratio, quatenus eſt id, cujus cauſa res aliqua eſt mala, ſeu refugitur. Ita formalem voluptatis rationem conſideraſſe Epicurum præter LAERTIVM [k] ipſe CICERO [l] teſtis eſt; nec in eo peccaſſe, intelliget, qui ad naturam hominis moralem attendit, quæ nihil diligit appetitve, quod non ſtatum animi quietum & tranquillum promovet, nihil averſatur & refugit, niſi quod tranquillitatem illam & voluptatem turbat, ex quo ſequitur, voluptatem & dolorem extremum eſſe, quod hominis voluntas reſpicit.

XI. Tametſi interdum voluptatem refugiamus, non ipſa tamen eſt voluptas quam refugimus, ſed quem forte habet adnexum dolorem: uti et, ſi dolorem aliquando proſequamur, non ipſe eſt dolor, quem proſequimur, ſed quam voluptatem forte habet adjunctam. Scilicet voluptatem interdum aſpernamur, quia conſequuntur magni dolores eos, qui ratione voluptate frui neſciunt. Fundamentum hæc aſſertio eſt criterii moralis ab Epicuro in canonica ſua, in ſenſu voluptatis & doloris poſiti. Multis hæc illuſtrat CICERO. [m]

XII. Tametſi vero, omnem voluptatem eſſe quid boni exiſtimandum eſt, & omnem dolorem quid malum; non aſſerendum tamen eſt, oportere nos ſemper aut proſequi illam, aut fugere hunc; ſed eſſe in illis, dicendum eſt, ſicut qualitatis, ita quantitatis habendam rationem. Nempe præſtare, ut dolores ſuſtineamus aliquos, quo voluptatibus potiamur uberioribus; ac expedire, ut abſtineamus ab aliquibus voluptatibus, ne ſubinde dolores difficiliores perferamus.[n]

XIII. Vniverſe videtur voluptas eſſe, ut principium ita finis beatæ vitæ, quandoque eam eſſe bonum primum & noſtræ omnisque animalis naturæ congenitum deprehendimus, ipſaque eſt, a qua electionem fugamque omnem auſpicamur, in quam tandem deſinimus. [o]

XIV. Quod vero voluptas ſit primum congenitumque bonum, ex eo demonſtratur, quod omne animal ſimul ac natum ſit voluptatem appetat eaque gaudeat, ut ſummo bono, dolorem aſpernetur ut ſummum malum, eumque a ſe repellat. [p]

XV. Nulla itaque ratione opus eſt, vel diſputatione, quamobrem voluptas

k) *l. c. ſ. 129. 130.*
l) *Tuſc. Q q. l. III. c. 17. l. V. c. 33.*
m) *De fin. l. I. c. 10.*
n) *ibid.* LAERT. *l. X. ſ. 137.*
o) IDEM *ſ. 128. 129.*
p) *ibid. ſ. 137.* CIC. *l. c. c. 9.*

luptas expetenda, fugiendusve ſit dolor, conſtat ſcilicet hoc ſentiri. Voluptas enim ſola expetendorum extremum, ſive bonorum finis eſt, ob quam cetera ſic expetimus, ut ipſa non ob aliud, ſed ſuimet cauſa ſolum expetatur. Prolixe in hac Epicuri doctrina exponenda & roboranda verſatur CICERO, *primo*, quem *de finibus bonorum & malorum* conſcripſit *libro*, quibus utrum in ſequentibus libris meliora vel valida ſatis ex Stoicorum & Scepticorum pharetris tela oppoſuerit, lectori attente Ciceronem expendenti judicandum relinquimus. Nos hic quidem loci, ubi ex inſtituto de hominis felicitate non philoſophamur, quam conveniens ſit Epicureum dogma naturæ humanæ, in bono acquiſito & poſſeſſo tranquillitatem mentis atque voluptatem quærenti prolixe non differemus, adjiciendum tamen hoc eſt, plerosque philoſophos in alia omnia de finibus bonorum & malorum abeuntes non tam re ipſa, quam verbis ab Epicuro diſſenſiſſe. Plerique enim philoſophi, de ſumma hominis felicitate diſputantes de cauſa tranquillitatis voluptatisve animi humani ſolliciti, quo potiſſimum objecto, quove parario illa queat acquiri, differuerunt: Aliter Epicurus, qui cum felicitatem ipſam finem philoſophiæ ſibi conſtituiſſet, ad formalem rationem ejus, quatenus in animo hominis eſt, reſpexit, illis vero bonis, quæ alii commendabant, conſequi illam felicitatem hominem poſſe minime negavit. E. g. cum Stoici dicerent, virtutem per ſe facere beatam vitam, adeo id non negabat Epicurus, ut potius ſine virtute voluptatem acquiri non poſſe ſtatueret: [q] ſed ad rationem reſpiciebat, qua movetur animus, ut virtuti ſtudeat, quam voluptatem ſive tranquillitatem animi ex virtutis poſſeſſione ortam eſſe, recte & naturæ humanæ voluntatis convenienter dixit, exemploque medicinæ illuſtravit, quæ non alio fine appetitur, quam propter ſanitatem. Id quod nec ipſe PARCKERVS [r] tantopere non Epicuro tantum, ſed ipſi quoque Gaſſendo indignatus, negare potuit, ſemper voluntatem hominis in appetendo bono quatenus ad ſe ſuamque utilitatem & voluptatem reſpicit, ita verſari, omnesque philoſophorum ſectas in eo conſentire; quibus frigide opponit Epicurum voluptatem in ſolo corpore quæſiviſſe, quod quam falſum ſit, & a vera Epicuri doctrina alienum, infra patebit: ubi ad rationes Parckeri reſpondendi dabitur occaſio. [s] Ex quibus merito concludimus, totam philoſophorum Græcorum de finibus bonorum & malorum diſputationem ad logomachiam eſſe referendam. Noſter hic eſt acutiſſimus WERENFELSIVS. [t]

XVI. Duo quædam ſunt voluptatum genera; nam alia ſpectari poteſt, tanquam in ſtatu, ſeu quiete, adeo, ut nihil aliud ſit, quam placabilitas, ſedatio & vacuitas, immunitasve a perturbatione, ac dolore: alia vero tanquam in motu, adeo ut conſiſtat in ſvavi motione, veluti lætitia, hilaritate, & quacunque ſenſus jucunde & quadam quaſi cum dulcedine & titillatione movetur. [u]

XVII.

q) LAERT. *l. X. ſ. 132.* r) *l. c. ſect. XXII. p. 57.* t) *De logomach. erud. c. 4. opp. p. 504.*
s) Conf. BAYLE *Dict. l. c. not. H. p. 368.* u) LAERT. *l. X. ſ. 136.*

XVII. Voluptas igitur, in qua conſiſtit felicitas, ſive finis beatæ vitæ, eſt voluptas prior, hoc eſt ſtans, adeoque non alia, quam indolentia corporis & tranquillitas mentis. [x] Accurate ad hanc voluptatis diſtinctionem, τὴν κατὰ κίνησιν καὶ καταστηματικὴν attendendum eſt, ſine qua nec mens Epicuri ſatis poteſt intelligi, nec diſtingui a ſecta Cyrenaicorum, quam & ipſam voluptatem finem conſtituiſſe ſupra oſtendimus. Aſt hi moventem intelligebant, Epicurus ſtantem, id eſt titillationem illi ſenſuum animique motum jucundum quærebant, hic indolentiam corporis & quietum animi ſtatum præfigebat. Non rejecit quidem Epicurus voluptatem moventem, ſed inter cauſas efficientes ſtantis numeravit, nec aliter recepit, niſi quatenus & indolentiam corporis & mentis promoveret tranquillitatem: quod longe aliter recepere Cyrenaici. Potiorem etiam tranquillitatis animi, quam corporis indolentiæ rationem habendam eſſe Epicurus præcepit; contrarium aſſeruerunt Cyrenaici. [y] Ex quibus patet, magnam a veteribus & recentioribus paſſam eſſe Epicurum injuriam, cum Cyrenaica ei doctrina non ſine contumelia affricaretur. [z]

XVIII. Quocirca & cum univerſe voluptas finis vitæ beatæ dicatur, non intelliguntur eæ voluptates, quæ ſunt virorum luxu diffluentium, aut aliorum etiam, quatenus ſpectantur in ipſa motione, actioneque fruendi, qua nimirum ſenſus jucunde afficiuntur; ſed illud duntaxat, non dolere corpore, & animo non perturbari. Magna hoc conſtantia de ſe prædicavit Epicurus, [a] indignatus iis, qui aut veram ipſius opinionem ignorantes, aut ab ipſo diſſentientes, aut alioquin adverſum illum male affecti, aliter interpretabantur. Fuere vero horum plurimi, & inter veteres imprimis Cicero & Plutarchus, inter recentiores Gatakerus & Parckerus, [b] qui non ſine magno fervore contendunt, corporis voluptatem afficientem & moventem, quidquid ipſe in contrarium dicat, primario Epicurum reſpexiſſe. Audiendus vero eſt doctrina illuſtris Epicuri adverſarius PARCKERVS, ut de ipſa Epicuri ſententia eo ſecurius ſtatui queat. Tribus ille potiſſimum rationibus utitur ſpecioſis quidem, aſt parum firmis. Scilicet non aliam, quam corporis voluptatis rationem potuiſſe habere Epicurum, cum alia neque ſit, neque eſſe poſſit, quippe nihil aliud, ex ejus mente, ſit hominis natura, præterquam corpus. Quod argumentum, etſi merum paralogiſmum foveat, primo etiam intuitu ei tam perſpicuum videtur, ut acerbe in Gaſſendum, pro ethica Epicuri dicentem, invehatur. Alterum ex ratis Epicuri ſententiis deſumtum eſt, cujus ſententiæ ſenſum ita Latino ore expreſſit CICERO: [c] *Si ea, quæ ſunt luxurioſis efficientia voluptatum, liberarent eos Deorum & mortis metu, docerentque qui eſſent fines cupiditatum, nihil haberem, quod reprehenderem, cum undique complerentur voluptatibus, nec haberent ulla ex parte aliquid aut dolens, aut ægrum, id eſt, aut malum.*

x) *ibid.*
y) Pluribus hoc docet LAERT. *l. c.*
z) Conf. GASSENDVS & MENAG. *ad l. c. Laërt.* PASCH. *introd. in rem liter. mor. veter. c. 7. p. 693.*
a) LAERT. *l. X. ſ. 121.*
b) Loca eorum ſupra indicavimus.
c) *l. c.*

malum. Tertium Torquati loco apud CICERONEM [d] nititur, fatentis: *quamquam & lætitiam nobis voluptas animi & moleſtiam dolor afferat, eorum tamen utrumque & ortum eſſe e corpore, & ad corpus referri.* Quæ ita quoque ad rejiciendam diſtinctionem inter voluptatem motus & ſtabilitatis adplicat, ut contendat, omnem illam felicitatem in corpus refundi. Quæ licet diſerto ſcripſerit calamo vir eruditiſſimus, nec ſine ſpecie veri, recte tamen conſiderata parum cauſæ Epicuri nocent, nec candorem Gaſſendi, quod ille cupit, ſuſpectum faciunt. Scilicet vir acutus, ſed juſto iniquior in Epicurum, & præjudicio occupatus, non tam ipſum Epicuri ſyſtema, quam adverſarios ejus, Ciceronem & Plutarchum conſuluit, & ab iis, ut erant in torquenda Epicuri doctrina & opinione verſipelles, falli ſe paſſus eſt. Quod ut luculenter demonſtremus, obſervari I. velimus, abuti corporis notione Parckerum, ut evincat, corporeas voluptates ſibi Epicurum præfixiſſe. Nam tametſi negari nequit, animam ratione ſubſtantiæ & texturæ Epicuro eſſe corpoream, tribuit tamen ei facultates, qualitatesque eas, quas ſpirituales alii philoſophi vocant, easque actiones animæ vindicat, quas animæ tanquam ſpiritui reliqui afferunt. Id quod vero ad ſalvandam Epicuri cauſam ſufficit: in hac enim controverſia, utrum corporis an animi voluptates Epicurus reſpexerit, corporis vox non eo ſenſu ſumitur, quo is animum resque omnes dixit corporeas, ſed eo, quo craſſiorem atomorum compagem, animo noſtro junctam corpus vocamus, hæque voluptates corporis ſunt, quæ ſenſibus percipiuntur. Nec hic de animæ natura in ethica differuit Epicurus, ſed pſychologiæ ſuæ naturæ humanæ proprietates vindicando, ita de iis diſputavit, ut inter tranquillitatem animi & indolentiam corporis maximum intereſſe diſcrimen appareat. Fruſtra itaque, quæ corpori craſſiori adſcribenda ſunt, ad corpus iſtud animæ ſubtiliſſimum, quod amare, concupiſcere, acquieſcere, tranquillum eſſe poteſt, adplicantur, ſicque turpi paralogiſmo ſubjectum quæſtionis confunditur. II. Id quoque quam maxime notandum commendamus, habere Epicurum experientiam animique conſcientiam teſtem, tantum nempe eſſe tamque arctum inter animam & corpus vinculum, ut ſenſus grati & ingrati in corpore, neceſſario quoque animam afficiat, ideamque grati vel ingrati adeoque vel tranquillitatem & jucunditatem vel dolorem & moleſtiam creet, id quod noſtra ætate magnus ſeculi noſtri philoſophus IOANNES LOCKIVS [e] luculenter demonſtravit. Hoc cum ita ſe habere nemo neget, quid quæſo peccavit contra veritatem rei & naturam animi, quod voluptatem & dolorem ſenſumve grati & ingrati, ortum eſſe e corpore, & ad corpus tendere aſſeruerit? Neceſſarium enim hoc eſt, ad conſervationem ſyſtematis, quo homo ex animo & corpore compoſitus conſtat: nec aliter poteſt agere anima, quam ut ea quoque in corpore ſibi grata ſint, quæ tranquillitatem ſuam ac internam, quam quærit, εὐθυμίαν promovent. Nihil in hoc peccat anima, nec quærit illa voluptatem corporis propter corpus, ſed propter ſe ſuamque

d) *Tuſc. Qq. l. III.*

e) *De intell. hum. l. II. c. 7. p. m. 126.*

que tranquillitatem. Quod ut exemplo illuſtremus, non errat anima, ſi ex eo, quod edendo, bibendo, dormiendo, naturalis famis, ſitis, laſſitudinis dolor pellitur, voluptatem capiat, & ex indolentia corporis tranquillitatem ſuſcipiat, cum animæ propter arctiſſimum inter ſe & corpus vinculum, ratio poſtulet, ut corpus quoque in ſua perfectione ſervetur, dolorque omnis abſit. Vitium vero, quod tantopere abhorrent Epicuri obtrectatores hæret in ἀταξίᾳ neglectoque ordine; ſi nempe vel anima ad corporis moventem, non ad ſuam ſtabilem, voluptatem, tanquam ultimum finem, reſpiciat, vel eas corporis voluptates anhelet & deſideret, quæ veram mentis tranquillitatem turbant. Hanc vero ἀταξίαν rejeciſſe Epicurum, ex eo manifeſtum eſt, quod voluptatem ſine virtute & honeſtate acquiri non poſſe docuit, quo omnibus fœdis voluptatibus obviam ivit. His ex natura fœderis inter animum & corpus diſputatis clarum eſt, qua ratione, quæ de corporis voluptatibus dixit Epicurus, criminatores, præeunte Timocrate apoſtata, everterint, & opinionem Epicuri adulteraverint. III. Verum quidem eſt, nullam voluptatem eſſe in animo, quæ non fuerit in corpore, cum juxta Epicurum motus omnis animæ a ſenſibus capiat originem: ita autem corpus non eſt ſubjectum proprium ſenſationum, ſed tantum inſtrumentum, ipſe vero grati ingrative, ſive voluptatis & moleſtiæ ſenſus in animo eſt. Quare contra Parckerum invertendum pro Epicuro argumentum eſt, & concludendum, omnem proprie voluptatem, quæ ſentitur, vel percipitur potius, ad animum proprie pertinere, non ad corpus. Ex quibus omnibus jam luce meridiana clarius patere exiſtimamus, Epicurum beluinis voluptatibus frigidam non ſuffudiſſe. Nec his ex intimis ethicæ Epicureæ penetralibus diſputatis obſtare poſſunt loca Ciceronis vel Plutarchi, qui nec totam verborum, quæ truncata exhibent, ſeriem oſtendunt, ut judicari queat, qua ratione voluptates ibi Epicurus conſideraverit, nec ad ipſum Epicurum, niſi ſuſpecta prorſus & fallaci ratione provocare audent. Ratam vero ſententiam, ſubobſcuram & intellectu difficilem ſe non ſatis intellexiſſe, ipſe prodit Cicero, præfatus ad Torquatum: *animadverte igitur, rectene hanc ſententiam interpreter.* Siniſtre vero interpretatum fuiſſe, vel malo, ut Epicurum confoderet animo, vel non ſatis attentum Ciceronem, eleganter vidit & demonſtravit MARCVS MEIBOMIVS, [f] qui rectiſſime obſervat, oppoſitam eſſe hanc ſententiam Cyrenaicis, in voluptate corporis finem ponentibus ſummumque bonum, adeoque hypotheticam eſſe, & falſitatem hypotheſeos Ariſtippi oſtendere. Hic enim ejus ſenſus verus eſt: *ſi, quæ luxurioſis efficiunt voluptates, eorum animos liberarent metu ex cœleſtibus, ex morte & dolore oriundo, tum quoque docerent cupiditatum terminos, nec reprehenſionem noſtram incurrerent: tantum abeſt, ut luxurioſorum vita reprehendi mereretur, ut quæ doceret, quomodo ad tranquillam vitam perveniendum ſit, vacuam metu ſupremorum ac mortis ac dolorum, videlicet cupiditates ſuas cumulatiſſime explendo.* Ex his enim

f) *Ad l. c. Laërt.*

perſpicuum eſt, Epicurum contrariam ejus, quam Cicero ei tribuit, opinionis ſententiam defendere, & in Cyrenaicis hoc potiſſimum reprehendere, quod ad tranquillitatem mentis, verosque fines cupiditatum voluptatibus iſtis pervenire nequeant, cum illæ vel Deorum metu, vel mortis privatione, vel dolore illas cupiditates ſequente miſere turbentur; quæ tum demum poſſent admitti pro fine, ſi vel animi finem aſſequi, vel metu ex ſublimibus, morte & dolore oriundo, turbari non poſſent. Hæc cum non ſint, ideo voluptates corporis fœdas finem non eſſe poſſe, contra Cyrenaicam hypotheſin recte evincebat, cum e contrario ei cupiditatibus naturalibus, v. g. fame, ſiti, & his ſimilibus, ubi naturali modo explentur, animus tranquillus reddatur; ex quo neceſſario ſequitur, temperantiam, ſobrietatem, caſtitatem reliquasque virtutes, naturalibus corporis & honeſtis cupiditatibus convenientes eſſe ſectandas. Quæ cum lucem apertiſſimam veræ Epicuri de voluptate corporis doctrinæ concilient, argumentum ſimul ſunt, quam perverſa ratione verbis philoſophi vim intulerint Epicuri adverſarii, & quam iniquum ſit, in hac re ad Metrodori fragmenta, a fratre inimico edita provocare, quæ genuinam horti ſententiam non explicant.

XIX. Vt noſcatur vero quamobrem hæc voluptas ſola ſit finis, obſervari debet naturam ad voluptatem aliam primario, & tanquam ad finem non tendere, quam ad ſtabilem, quæ ex amotione doloris moleſtiæque oritur: nam mobilem quidem non habet ut finem, ſed apparet ſolum tanquam medium ad ſtabilem.[ff]

XX. Præpoſtere itaque atque inconſiderate agunt homines intemperanter abrepti, qui voluptatem, quæ eſt in motu, tanquam finem ſibi præſtituunt. [g]

XXI. Sapientia vero voluptates in ordinem & concinnitatem redigit, docetque non aliam pro beatæ vitæ fine conſtituendam, quam quæ finis ſit ſecundum naturam; duce enim natura, quicquid agimus eo ſpectat, ut neque corpore doleamus, neque animo perturbemur, ac ubi id ſemel aſſecuti ſumus, omnis animi procella ſedetur, ac nihil majus eſt, ad quod reſpectemus.

XXII. Magnitudinis itaque voluptatum terminus, ſeu voluptas ſumma, ipſa eſt doloris amotio, ſeu qui amotionem conſequitur ſtatus. Nam ubicunque voluptas adeſt, quamdiu quidem adeſt, ibi nihil eſt dolens, aut ægrum aut utrumque ſimul. [h]

XXIII. Fit etiam proinde, ut privatione doloris terminata voluptas ſumma, variari quidem diſtinguique poſſit, augeri autem amplificarique non poſſit: natura enim quousque omnem prorſus dolorem exemerit, voluptatem auget, at ſublato omni dolore non patitur ipſam ſecundum magnitudinem provehi, ſed admittit ſolum varietates quasdam minime neceſſarias. [i]

XXIV. Non eſt itaque inter dolorem & voluptatem medium, doloris enim omnis privatio voluptas eſt. [k]

XXV.

ff) CICERO *l. c. c. 9.* LAERT. *ſ. 137.*
g) CICERO *l. c. c. 11.*
h) LAERT. *l. c. ſ. 139.*
i) *ib.*
k) CICERO *l. c. c. 11. 17.*

XXV. Conſtitutio vero hæc indolentiæ & tranquillitatis non eſt merus torpor, ſed potius ejusmodi ſtatus, in quo omnes vitæ actiones placide ſimul atque jucunde peraguntur. Voluptas enim ſapientis non iners eſt, ſed ea, quam efficit ratio firmam ſibi. Feciſſe hanc Epicuro objectionem Cyrenaicos, LAERTIVS [l] & CLEMENS ALEXANDRINVS [ll] teſtantur, eſſe eam voluptatem ſtatum dormientis, id quod minus recte Epicuro objectum eſt. Dormientis enim non eſt ſenſus & acquieſcentia ex indolentia & tranquillitate, ſed vigilantis.

XXVI. Quia vero hæc voluptas dolorisque amotio non corporis tantum ſed & animi pax, & bonum eſt, in eo cura noſtra verſari debet, ut utraque pars, quo completa ſit hominis felicitas iſta indolentia & tranquillitate fruatur. Non ſecus itaque de felicitate, quam de ſanitate philoſophandum eſt, ut totius hominis ſequatur felicitas: illud ethica præſtat, hoc medica ars.

XXVII. Huic arti ſalutari corporis indolentia relinquenda eſt, monendum tamen, ad avertendos aut leviores efficiendos morbos, & plerumque curandos colendam eſſe temperantiam vitamque ſobriam. [m]

XXIIX. Quod ſi eos patiendi incubuerit neceſſitas, fortitudo occurrat, tumque perferantur animo conſtanti, tum præ impatientia non exaſperentur, ac vel illud ſolatio ſit, quod futuri ſint, aut magni breves, aut diuturni leves. [n]

XXIX. Adverſus animi morbos medicinam parat philoſophia. [o]

XXX. Media vero, quibus utitur philoſophia, ſunt virtutes, ex quibus prudentia antecellit, ex qua reliquæ omnes tamquam ex radice progerminant. [p] Oppoſitum hoc Stoicis eſt, qui virtutem per ſe appetendam eſſe, & felicitatem præſtare aſſerebant. Hinc in hac parte eis *pugnam eſſe cum Epicureorum delicata & umbratica turba in convivio ſuo philoſophantium*, ait SENECA, [q] *apud quos virtus voluptatum miniſtra eſt.* Quod ſi tamen rationes ejus examinentur, patebit, vel in meram verborum pugnam totam controverſiam abire, vel non intellexiſſe Senecam Epicurum: non enim hic de voluptate virtutis contemtrice locutus eſt, quod vult Stoicus, ſed de virtutis filia; & in tota iſta quæſtione, utrum virtus ſummi boni cauſa ſit, an ipſa ſummum bonum, Epicurus formalem boni rationem, Seneca objectivam, & efficientem quoque intelligit, quod ille adeo non negavit, ut voluptatem ſine virtute non eſſe contenderet.

XXXI. Intelligitur vero hoc loco prudentia non ſenſu ſtricto, quæ eſt vivendi ars provida, ſed ratio iſta, qua & prudenter, & juſte, & honeſte vivimus. [r] Prudentia itaque hic cum ſapientia ſignificatione & poteſtate coincidit.

XXXII.

l) *Lib. II. ſ. 89.* MENAG. *ad h. l.*
ll) *Strom. l. II.*
m) LAERT. *l. X. ſ. 132.* CICERO *l. c. c. 14.*
n) LAERT. *ſ. 140.* CIC. *l. c. c. 15.* Plures veterum qui hoc κύριον δόγμα Epicuri repetunt, nominat MENAG. *ad h. l.* GATAKER. *ad Antonin. l. VII. §. 33.* STOLLIVS *Hiſt. phil. mor. gent. §. CX. pag. 186.*
o) Eleganter hac de re differentem videſis CICERONEM *Tuſc. Q. q. l. III. c. 3.*
p) LAERT. *ſ. 132.*
q) *De benef. l. IV. c. 2.*
r) LAERT. *l. c.*

XXXII. Habet nempe homo facultatem ratiocinandi, ſeu judicandi, ac unam rem inferendi ex alia, ſpeciatim autem eam, quæ in rebus agendis, ſeu in electionem fugamque cadentibus, judicat ac ratiocinatur; & præjudicia pellit, oſtenditque, qua ratione honeſte, ac juſte ac jucunde vivatur. [s] Reſpicit vero hac theſi Epicurus potiſſimum ad philoſophiam, qua metus omnis ſublimium, & providentia ſuperorum, fatumque, & quæ alia mentis tranquillitati obſtare putabat, e mente, tanquam præjudicia, ejiciuntur.

XXXIII. Virtutes vero, quæ ratione duce coli debent, vel nos reſpiciunt vel alios.

XXXIV. Quæ nos reſpiciunt, duæ ſunt temperantia & fortitudo.

XXXV. Virtus ad alios reſpiciens homines, eſt juſtitia.

XXXVI. Iſtis virtutibus quaſi cardinalibus prudentia, temperantia, fortitudine & juſtitia homo vitam nanciſcitur beatam & tranquillam.

XXXVII. Sequitur ex his, virtutes beatæ vitæ eſſe congenitas, ac fieri non poſſe, ut ab iis vita jucunda ſeparetur. [t]

XXXIIX. Et cetera quidem omnia, ut caduca & mortalia ſunt a germana conſtantique virtute ſeparabilia, ſola autem virtus, ut bonum perpetuum, atque immortale inſeparabilis ab ea eſt. [u]

XXXIX. Simul ex his intelligitur, eſſe omnes virtutes inter ſe connexas, cum quia cum ipſa principe prudentia ceteræ conjunctæ ſunt, tum quia omnes cum jucunda vita cohærent, nec hæc ſine illis eſt, & vice verſa. [x]

XL. Non itaque ſermonem eſſe manifeſtum eſt de voluptate obſcœna infamique, ſed de ea, quam virtute obtinemus: quæ bonum eſt ipſa virtute ſuperius, cum ſit finis, cui obtinendo ipſa virtus inſervit. [y]

XLI. Prudentia duplex eſt, univerſalis & privata. [z]

XLII. Prudentia univerſalis eſt, cujus munus eſt vitam regere, & quicquid in vita beata obtingere poteſt, ſic proſpicere, ut ad beatam vitam illud dirigat. Hæc non tantum præcavet, ne quid incidat, unde corpus doleat, ſed potiſſimum etiam mœſtitiam pellit ex animis, nec exhorreſcere metu ſinit, eaque rectrice in tranquillitate vivi poteſt, omnium cupiditatum ardore reſtincto. Revocare huc philoſophiæ munus Epicurum ex *epiſtola ad Menœceum* [a] clarum eſt.

XLIII. Prudentia itaque & ſapientia idem ſunt, nam utraque cupiditates inanes reſcindit, ad neceſſaria ſe contrahit, modumque finibus naturæ convenienter & beate vivendi præſcribit. [b]

XLIV. Prudentiæ privatæ munus eſt, ut quisque genium ſuum norit, & nihil natura repugnante adorſus mature provideat de ſtatu cui vitæ actiones omnes ita accommodet, ut quam fieri poteſt, indolentiſſime & tranquilliſſime vivat.

XLV. Genium vero ſuum quisque prius noſcat, ſeſeque conſulat ipſum, neceſſe

s) *ibid. f. 130. 140.* Conf. GASSEND. *ad Laërt. l. c. p. 1593.* ubi etiam de libero arbitrio, ex mente Epicuri agit.

t) *Citati.*

u) *ib. f. 138.* CIC. *l. c. c. 15.*

x) *ib. f. 132.* GASSEND. *ad Laërt. p. 1433.*

y) *ib. f. 131.*

z) CIC. *de fin. l. I. c. 12. ſeqq.*

a) LAERT. *f. 133.*

b) CIC. *l. c.*

neceſſe eſt, ut ſui deſtinationem ad certum vitæ genus, quatenus ad id ſe idoneum compererit, faciat, in quo, quantum licet, ſine dolore & tranquille vivere liceat. Vt vero is ſtatus, qui deligitur, ſecurior ſit & tranquillior, eligendus mediocris eſt, qui neque valde emineat, neque valde abjectus ſit. [c]

XLVI. Si ita quis ſe comparatum noverit, ut vivere cœlebs ſine angore non queat, poſſitque non valde angi & turbari inter ſollicitudines & moleſtias conjugii, eo caſu ducere uxorem & ſuſcipere liberos, quibus paterna conſulatur prudentia, licet. At niſi talem quis ſe noverit, abſtineat, neceſſe eſt a conjugio, quod tanto ipſi erit ad beatam vitam & tranquillitatem impedimento. [d]

XLVII. Quia vero hoc tantum præſumendum eſt, fore in matrimonio curas non magnas, ideo præceps eſt aleam ancipitem ultro ſubire, niſi neceſſitas & vitæ circumſtantiæ aliud exigant: tum vero & uxor, & liberi ita curandi, ut partim natura præſcribit, noſtrorum amorem curamque inſtillans, partim ipſa ſapientia monet, nempe ita inſtituendi, ut & ipſi ſapientia felices, id eſt dolore vacui & tranquillo animo evadant. Eadem cura familiæ impendenda eſt. [e]

XLVIII. Si qui ſint natura ambitioſi, appetentesque gloriæ, actuoſi aliunde, & publicis rebus gerendis idonei, ac inſuper ii, quibus aut naſcendi conditio aut fors, aut occaſio januam facilem ad publicæ rei adminiſtrationem aperiat, poſſunt ii non quietem ſectari, ſed publicæ rei gerendæ ſe accommodare, ſuæque naturæ obſequi: ſcilicet cum ſint ita comparati, ut ex vita otioſa perturbationem & moleſtiam, dum, quod concupiſcunt, non aſſequuntur, trahant.

XLIX. Qui vero natura otium amant, & ambitionem repreſſerunt, aut, quid ſit rei, experti ex procellis & tempeſtatibus emerſerunt, aut aliorum exemplis cauti facti ſunt; illi otium ſibi reputabunt longe præſtabilius, neque eſſe congruum, ut illud cum vita actuoſa commutent: niſi quod forte interveniat ex parte reipublicæ, quod eorum induſtriam depoſcat: unde concludendum eſt, ſapientem non eſſe ad rempublicam, niſi quid intervenerit acceſſurum. Recte ita ſenſum verborum Epicuri apud LAERTIVM, [f] τὸν σοφὸν ἐδὲ πολιτέυεσθαι ἐδὲ τυραννέυσειν, GASSENDVM [g] deſcripſiſſe facile intelliget, qui vel ſcopum expendet Epicuri, cuncta ad tranquillam vitam referentis, vel naturam rerumpublicarum, præcipue Græcarum, conſiderabit, memor tamen plerosque viros ſummos, præcipue inter Romanos, qui rempublicam adminiſtrarunt, maximaque gloria effulſerunt, ſectæ fuiſſe addictos Epicureæ. Scilicet opponebat hoc, ut multa alia, Epicurus Stoicis, qui hunc viri ſapientis animum, hoc officium eſſe contendebant, ut rempublicam capeſſeret, niſi quid interceſſerit, ut SENECA [h] docet. Nempe illis

c) Conf. GASSEND. *ad* LAERT. *l. X. p. 1446.*
d) LAERT. *l. X. ſ. 119.* conf. STOLLIVS *Hiſt. philoſ. mor. gentil. §. III. p. 188.* & quos laudat.
e) *ib.*
f) *ſ. 119.*
g) *l. c. p. 1463.*
h) *De vit. beata c. 30.*

illis eum inſtructum mediis credebant, quibus ſolus rempublicam juvare aptus ſit: hinc otium tum demum ſapienti ſectandum eſſe cenſebant, ubi fruſtra ſapientiæ adhibentur auxilia, tantaque eſt reipublicæ corruptio, ut ſapientiæ medicinam non admittat. Contrarium ſvadebat Epicurus, non tam ad publica emolumenta, quam propriam tranquillitatem, qua omnia metiebatur, intentus. Hic ſvadebat otium, ubi naturalis illa animi quies & ſecuritas minus turbatur; eos vero qui naturali ambitionis impetu ſine publicis muneribus quieti eſſe ac tranquilli non poſſunt, rempublicam capeſſere, vel ſi ita ejus ſint circumſtantiæ, ut tranquillitati publicæ interſit, patriæ adeſſe, illi ſubvenire jubebat, cum privata animi pax ſine publica conſtare vix queat. In reliquis circumſtantiis inculcabat illud λάθε βιώσας, quod frater ejus Neocles, cui hæc ſententia tribuitur, ab Epicuro didicit. Strenue contra hoc axioma philoſophiæ moralis Epicuri pugnat PLVTARCHVS, [i] philoſophum proprio exemplo jugulaturus, qui tot artes tot labores impenderit, ne lateret, ſed gloria inter reliquos philoſophos emineret, iisque antecelleret. Quibus liceret quidem opponere SENECAM, [k] *Epicurum latenter vixiſſe* teſtantem, *nec gloriam appetiiſſe ſed tamen ſponte poſtea emicuiſſe* afferentem; ſed concedamus tamen, quod præfracte negandum non eſſe putamus, non vacuum fuiſſe Epicurum ab inclareſcendi deſiderio, nihil tamen inde lucratur Plutarchus, more ſuo Epicuri verba invidiæ conflandæ cauſa torquens. Non enim hoc voluit Epicurus, ut otioſus & ignavus deliteſcat vir ſapiens, ſed τὸ τυραννεύειν, id eſt dominatus appetitionem rejecit, & vitatis titulis & honoribus intra literarii & philoſophici otium tranquillitatem ſectari, ſimul autem amicis ſe jucundum, utilemque præſtare eum jubebat, [l] qua ratione doctrina & eruditione potuit excellere Epicurus, qui tamen in hortis delituit ſuis, nec procerum ſubſellia concupivit. Ex quibus patet, non abſolute, ſed ad certam ſententiam reſtricto hæc dixiſſe ſenſu, otiumque imprimis commendaſſe philoſophicum: in quo id paucis dixit, quod multis commendavit SENECA [m] Stoicus.

L. Temperantiæ munus eſt, animum cupientem reprimere, eumque ita regere, ut ſequatur rationem in appetendis vel fugiendis rebus iis, quibus tranquillitas paratur & indolentia. [n]

LI. Temperantia itaque non expetitur ipſa propter ſe, ſed quia voluptatem parit, hoc eſt, animis pacem afferit, & eos quaſi concordia quadam placat & lenit. [o]

LII. Plerique autem, debilitate objecta voluptatis ſpecie tradunt ſe libidinibus conſtringendos, nec quid proventurum ſit provident, ob eamque cauſam propter voluptatem & parvam & non neceſſariam, & quæ vel aliter pararetur, & qua etiam carere poſſemus ſine dolore, tum in morbos graves, tum

i) *Pec. differt. T. II. p. 115. ſeqq.*
k) *Epiſt. 79.* l) LAERT. *ſ. 118.*
m) *De vita beata* paſſim. Hinc dijudicanda quæ habet cl. STOLLIVS *Hiſt. phil. mor. gent. §. CXI. pag. 190.*
n) CICERO *de fin. l. I. c. 19.* o) *ib.*

tum in damna, tum in dedecus incurrunt, ſæpe etiam legum judiciorumque pœnis obligantur.

LIII. Qui autem ita frui volunt voluptatibus, ut nulli propterea dolores conſequantur, & qui ſuum judicium retinent, ne voluptate victi faciant id, quod ſentiunt, non eſſe faciendum, hi voluptatem maximam adipiſcuntur prætermittenda voluptate. Iidem etiam dolorem ſæpe perpetiuntur; ne ſi id non faciant, incidant in majorem. [p]

LIV. Porro quia cupiditatum, circa quas verſatur temperantia, aliæ naturales, aliæ inanes ſunt, & ex naturalibus aliæ neceſſariæ, aliæ non neceſſariæ, ex his vero aliæ pertinent ad vitam ſimpliciter quale eſt cibi potusque, aliæ ad ipſam felicitatem, qualis indolentiæ, & tranquillitatis: ſequitur inde tria eſſe genera cupiditatum: alias nempe eſſe naturales & neceſſarias, alias naturales, ſed non neceſſarias, alias neque naturales neque neceſſarias, ſed inanes, & ex opinione varia prognatas: temperantiæ itaque munus eſt proſpicere, ne neceſſariæ ſint cum ſtudio vehementi, quod ex opinione eſt, adeoque fiant inanes, damnumque inferant, nec amplius eas admittere & explere, quam quousque, niſi expleantur, dolorem in corpore creant, noxamque deducunt, id quod paucis fieri poteſt. [q] Reſpiciunt hæc potiſſimum cupiditates naturales, e. g. famem, ſitimque, dolore, quem corpori creant, hominem impellentes, ut illis faciat ſatis. Has naturales quidem cupiditates explendas eſſe Epicurus præcepit, ſed eo usque tantum, quoad naturalis ille ſedatus dolor fuerit, hunc temperantiam terminum iis ponere. Reliqua quæ modum, & menſuram explendi cupiditates reſpiciunt, ex non neceſſariis eſſe cenſet, cum ad iſtam indolentiam non magis, quam illæ, conferant, e. g. fames non magis lautis cibis pellatur, quam duro pane: Quæ autem nec neceſſariæ ſint, nec naturales, eas eſſe ejiciendas, ſtatuit, quia iſtis naturalibus cupiditatibus ex rationis præſcripto ſatisfacere nequeant, ſed dolorem potius corporis animique turbas excitent, quales ſunt incontinentia, temulentia & his ſimilia. Temperantia itaque primum cupiditatum genus ex rationis præſcripto regit, alteri modum ponit, tertium evitat. Ita quidem ratæ ſententiæ Epicuri, quæ a CICERONE [r] aliis quoque exemplis illuſtrantur. His ſi metimur Epicurum, æquo inde judici manifeſtum eſt, falſas eſſe, quæ Epicuro, tanquam corporis voluptatum patrono, objiciuntur accuſationes.

LV. Temperantia, gulæ oppoſita, ſobrietas eſt, libidini continentia, iræ cupiditative vindictæ lenitas, ambitioni modeſtia, avaritiæ moderatio; ſed & ipſa mediocritas inter ſpem deſperationemque futuri huc pertinet.

LVI. Dici non poteſt, quantum bonum ſit ſobrietas, quæ nos ad victum tenuem & ſimplicem, parcumque reducit, docens nos, quam id ſit exiguum, quod natura deſiderat, quamque poſſit rebus parabilibus & tenuibus neceſſitas, qua illa laborat, ſanari. Non quod ſemper utendum ſit exiguis, verum, ut, cum multa non habemus, paucis utamur, credentes il-

p) ib. q) CICERO l. c. c. 13. Tuſc. Qq. l. V. c. 33. LAERT. ſ. 149. r) l. c. conf. STOLL. l. c. p. 182.

los magnificentiſſime vivere atque dulciſſime, qui illis minime indigent, intelligentes, id quod naturale eſt, eſſe parabile, quod vero inane & opinione conſtat, id difficulter parari poſſe. [s] Ipſum in hortis ſuis ita vixiſſe, ut epula quidem modeſtiora non rejiceret, paucis tamen & parabilibus facile cibis frueretur & contentus viveret, ex vitæ ejus hiſtoria, & ipſis Ciceronis & Senecæ teſtimoniis ſupra adductis notum eſt.

LVII. Panis ergo cibarius & aqua ſummam voluptatem afferunt, cum egens quis illa in cibum ſumit. [t]

LVIII. Itaque ſimplicibus & non magnifice paratis cibis aſſveſcere, & ſalubritatem efficit, & hominem ad neceſſaria vitæ miniſteria impigrum reddit, & ſumtuoſas etiam ad epulas per intervalla accedentes meliores nos facit, atque adverſus fortunam parat interritos. [u] Cave tamen hæc ita intellexiſſe putes Epicurum, ut voluptatem a voluptate non differre crederet, quod Cyrenaicis quidem placuit, totum vero rejectum ab Epicuro, & de quantitate voluptate contrarium aſſertum eſt: id quod ex nona *ratarum ſententiarum*, quæ admodum obſcura eſt, erudite demonſtravit MARCVS MEIBOMIVS. [x]

LIX. Virtus deinde eximia eſt continentia, ſive abſtinentia a venereis, quippe quorum uſus nunquam profit, & præclare agatur, niſi etiam noceat. Dictum hoc de argumento ſupra. [y]

LX. Sapiens itaque amaturus non eſt. [z] Quem vero amorem philoſophus intelligat, ex dictis intelligi poteſt.

LXI. Mulieri quoque non congreſſurus eſt ſapiens, quam leges attingere vetant. [a] Cum enim pœna legibus ſancita ſequatur minori iſta voluptate majus damnum dolorque arceſſitur, & tranquillitas animi ac indolentia corporis turbantur.

LXII. Aberit etiam a ſapiente, ut Cynicorum ritu vivat, eaque ſit inverecundia quam iſti in propatulo oſtentant: [b] vivit enim in ſocietate non in agris ferorum ritu, adeoque contemtum, convicia, famæque & exiſtimationis damna magna tranquillitatis jactura ſentiet. [c]

LXIII. Abſtinebit etiam ſapiens muſica & poëtica, quatenus incentiva ſunt libidinis. Parum duabus hiſce diſciplinis tribuiſſe Epicurum, ſupra jam in ejus vita docuimus, multisque demonſtravit GASSENDVS, [d] a quo adducta ſi reſpiciantur veterum ea de re teſtimonia, ad oculum patebit, hoc tantum ſenſu, non vero abſolute Epicurum eas rejeciſſe. Muſicam enim non ἁπλῶς improbaſſe, ex eo colligi poteſt, quia librum *de muſica* ſcripſit, ex quo tela ſua deſumſiſſe SEXTVM EMPIRICVM, [e] contra hanc artem ex Epicureorum mente diſputantem, probabile eſt: quæ ſatis evidenter produnt, de abuſu artis Epicurum diſſeruiſſe: recte enim his de ſcientiis ſolum ſapientem præcipere poſſe LAERTIVS [f] teſtatur, non vero, illum plane eas

s) LAERT. *f. 130. 131.* conf. SENECA *ep. 4.*
t) *ib.* u) *ibid.* x) Ad LAERT. *l. X. f. 142.*
y) *ibid. f. 132.* z) *ib. f. 118.*
a) *ib.* Oppoſitum hoc eſt Cynicis.
b) *ib. f. 119.* c) *ib. f. 121.*
d) *De vita Epic. l. VIII. c. 2. p. 200.*
e) *Adv. mathem. l. VI. f. 19.* conf. GASSENDVS *l. c. p. 235.* f) *l. c.*

eas rejicere: id quod præter veritatem ei tribuunt veterum plurimi præter Gaſſendum MENAGIO laudati.

LXIV. Lenitas ſive manſuetudo, clementiam quoque & miſericordiam comprehendit.

LXV. Non iraſcitur ſapiens; rationis enim præſidio fretus, acceptam injuriam habet in rebus fortuitis, matureque agnoſcit, non eſſe in ſua ſitum facultate, ut hominum ceteri ſint juſti & paſſionibus non abripiantur, ut non ſunt in ejus facultate reliqua incommoda, & damna fortuita.

LXVI. In jus quoque vocatus apparebit, ſed non iraſcetur judici, accuſatori, teſtibus, ſed bona fretus conſcientia, nihil de ſua tranquillitate remittet, & intrepide in judicio verſabitur. [g]

LXVII. Etſi caſtigatio ſervorum immorigerorum neceſſaria eſt, debet tamen illa animadverſio fieri ſine ira, ut in civitate ſine ira ſceleſti puniuntur. [h]

LXVIII. Modeſtiæ magnum præſidium eſt, occulte, id eſt, privatum vivere; bene enim qui latuit, bene vixit. [i]

LXIX. Non ambit itaque vir ſapiens honores civiles, ſed modeſte ſe continet, nec palatiorum ambitioſam quærit ſuperbiam, ſed ſibi vivens ruris amœnitates & ſimplicitatem amat, ut tranquillitati conſulat ſuæ. [k]

LXX. Statuas tamen vel majorum, vel ſuis partas meritis non rejiciet, & in porticibus collocabit: minime tamen quæret ad ambiendam gloriam, vel eas oſtentabit, ſed tranquillum ſervabit animum, etiamſi non habuerit. [l]

LXXI. Sic vero nec de ſepultura magnopere ſollicitus futurus eſt ſapiens, ratus, quod ad ſe corpusve mortuum attinet, interfore parum, quo ſe modo habeat. [m]

LXXII. Moderatio illa animi diſpoſitio eſt, qua quis parvo contentus eſt, quaque nullum majus adeſſe homini bonum poteſt. [n]

LXXIII. Nititur ea divitiis naturæ, quæ nec nimis multæ ſunt, nec difficulter parari poſſunt, & animum haud facile turbant, cum inanis & miſera divitiarum cupiditas ſatiari, eaque mentis tranquillitas effici nequeat. [o]

LXXIV. Qui vitæ terminos novit, non ignorat, quam ſit facile parabile id, quod indigentiæ dolorem tollat, omnemque vitam perfectam conſtituat. Itaque nihil negotiis opus eſt, quæ certamina habent.

LXXV. Subſiſtentem vero finem verſare animo oportet, omnemque evidentiam, ad quam ea, quæ opinamur, referimus: alioquin omnia rationem judicii deſiderabunt, tumultuque plena erunt. [p] Vtraque ex ratis ſententiis Epicuri, quibus innuit, ſi tum ad ea reſpiciatur, quæ natura, tanquam fini præſenti neceſſaria conſtituit, tum ea quæ opinione tantum conſtant, e. g. in potu ciboque affluentia & deliciæ, evidentia recta cognoſcan-

g) *l. c.* Ita enim obſcura Epicuri verba intelligenda eſſe ratio ſyſtematis ethici poſcit.
h) *ſ. 113.* conf. SENECA *ep. 47.*
i) Vide dicta *n. XLIX.*
k) *l. c.*
l) *ib. ſ. 120. 121.*
m) *ib. ſ. 118.*
n) *ſ. 130.*
o) *ſ. 144.*
p) *ib. ſ. 146.* LVCRET. *l. V. v. 1428. ſeqq.*

tur, facile naturam parabilibus fore contentam; hoc ſi omittatur, falſoque decipiamur præjudicio, quæ noſtra tantum opinione neceſſaria ſunt, re ipſa talia eſſe, nunquam pacem & tranquillitatem fore in animo.

LXXVI. Quod futurum eſt, neque noſtrum eſt, neque omnino non noſtrum, id quod ideo tenendum memoria, ut ne tanquam certo futurum haud dubie ſperemus, neque item prorſus, tanquam minime eventurum deſperemus: utrumque enim tranquillitate privat. [q]

LXXVII. Sapiens itaque, ne non vivat, metuit, nec enim illi vivendi poteſtas juncta eſt; neque opinatur, mali aliquid eſſe, non vivere: neque vitæ tempus cupit longiſſimum, ſed ſvaviſſimum. [r]

LXXVIII. Conſveſcendum autem arbitrari nihil ad nos pertinere mortem; [s] ita enim ne tum quidem voluptate privamur, quippe prout optimæ vitæ perfectum adeoque delectabilem nanciſcemur finem, diſcedentes tanquam convivæ vitæ pleni & debito perfuncti eo munere, quo perfuncturi accepimus vitam, [t] nec de futuro anxii, quod nihil ad nos, quia nulli amplius ſumus. [u]

LXXIX. Fortitudo, adverſus metum, & quicquid eum incutit, comparata eſt, & adverſa non timet, dolorem patienter fert, laboremque & moleſtiam non expaveſcit, ut ad veram animi pacem perveniatur.

LXXX. Eſt vero & hæc virtus comparata ad voluptatem, quippe nec laborum perfunctio, nec patientia, nec aſſiduitas, nec vigiliæ, nec ea ipſa, quæ laudatur induſtria, ne fortitudo quidem per ſe ipſa allicit, ſed iſta ſequimur, ut ſine cura metuque vivamus, animumque & corpus, quantum efficere poſſumus, moleſtia liberemus. [x]

LXXXI. Quibus rebus intelligitur, nec timiditatem ignaviamque vituperari, nec fortitudinem patientiamque laudari ſuo nomine, ſed illas rejici, quia dolorem pariant, has optari, quia voluptatem conciliant. [y] Oppoſitum hoc Stoicis eſt, in ipſa virtute ſine reſpectu ad animum, felicitatem ponentibus.

LXXXII. Graviſſimum vero & maximum metum incutere, & perturbationem hominum mentibus ſolet, quod exiſtimantes eſſe quasdam beatas atque immortales naturas, cenſent tamen ineſſe iis contrarias hiſce attributis voluntates, actiones, paſſiones, vid. ſollicitudines negotia, iræ, gratiæ, ex quibus, & malis detrimenta maxima, & bonis præſidia ab ipſis Diis adveniant. [z]

LXXXIII. Nititur hic metus inani præjudicio, Deos humanis affectibus ſimiles fovere perturbationes, unde miris modis ſe miſerum reddit & infelix humanum genus, præſertim ubi iras Diis acerbas adjungit, pœnasque putat exigi. [a]

LXXXIV. Vano vero timore infelices ſe reddere homines, ratio docet,

q) *f. 127.* r) *f. 126.* s) *f. 125.* t) CICERO *de fin. l. I. c. 21.* u) LAERT. *l. c.* Epicurum vero tali animo mortem adiiſſe, ſupra diximus, licet de eo dubitet PLVT. *quod non liceat ſuav. vivi ſec. Epic. T. II. p. 191.* x) CICERO *l. c. c. 14. 20.* y) *ibid.* z) LAERT. *f. 81.* LVCRETIVS *l. I. v. 62.* quibus reſpondet PLVT. *l. c. p. 106.* a) *ib.* LVCRET. *l. V. v. 1193.*

cet, qua diſcimus, Deos ſecurum ævum agere, naturamque eorum eſſe a rebus noſtris longius remotam ſejunctamque, quam ut erga nos aut gratia aut ira tangantur. Cavendum itaque, ne Deum reputantes eſſe immortale beatumque animal, ut communis notio de Deo ſuggerit, quicquam ei tribuamus, quod aut ab immortalitate alienum ſit, aut a beatitudine abhorrens.[b]

LXXXV. Errant itaque homines, qui cum Deos immortales ac beatos dicunt, non tales deinde tuentur, ſed aliis adjunctis contradicentibus eosdem negant, ut dum illos dicunt negotium habere, ira vel gratia teneri, quæ præ imbecillitate, metu opisque externæ indigentia contingunt.[c]

LXXXVI. Neque vero ita erit, cur quis reputetur impius, quoniam impius revera eſt, non is, qui vulgares multitudinis Deos tollit, ſed is, qui multitudinis opiniones Diis adhibet; non enim germanæ prænotiones ſunt, ſed falſa præjudicia.[d]

LXXXVII. Qua ratione quoque non is pius eſt, qui præ Deorum metu ad nullum non lapidem, nullam non aram vertitur, ſed is qui pacata mente omnia contuens, de Diis vera ſentit, ac illos animo, non ſpe quidem pretiove inductus, ſed ob majeſtatem eximiam ſupremamque naturam colens, tuetur reſpectu eorum venerationem omnimodam, eoque orationis genere utitur, quo tales ſuggeruntur de iis cogitationes, quibus nullæ venerationi contrariæ opiniones naſcuntur.[e]

LXXXVIII. Alterum, quod hominum mentes teterrimo metu percellit, mors eſt, contra quem fortitudo animi tranquillitatem tuetur.[f]

LXXXIX. Vt igitur hiſce nos eximere poſſimus terroribus, reputandum eſt, nihil ad nos pertinere mortem. Quicquid enim eſt ſive boni, ſive mali, cum ſenſu eſt, diſſolutio autem eſt mors, & ſine ſenſu manet, dolor fruſtra minatur, ubi patiens eſt e medio ſublatum.[g]

XC. Neque itaque terrere ſapientem poteſt privatio & ceſſatio eorum, quibus vivi fruimur, neque ea, quæ poſt mortem fiunt; illorum enim non eſt tum quidem deſiderium, neque horum ſenſus vel dolor. Non deploranda itaque, quæ relinquimus, nec timenda, quæ metu vano futurorum nos terrent.[h]

XCI. Igitur, quæ omnium malorum maxime horrendum exiſtimatur mors, nihil ad nos attinet, quia dum nos ſumus, mors non adeſt, & dum mors adeſt, nos non ſumus: ut adeo neque ad vivos neque ad mortuos pertineat.[i]

XCII. Æqvum igitur eſt, ut hac vita mortali fruamur, non quidpiam incerti temporis adjicientes, ſed cupiditatem immortalitatis abjicientes; vitæque tempus non quod longiſſimum, ſed quod jucundiſſimum fructuoſe captandum.[k]

XCIII.

b) LAERT. *ſ. 123.* *c*) *ſ. 77.* *d*) *ib.*
e) *ib.* LVCRET. *l. V. v. 1197. ſqq.* Merito vero Epicuro, voluptatem finem ſtatuenti objicitur, quæ voluptas, quæve pax animæ, ex ejusmodi veneratione ſequatur, cum nihil inveniat animus in Diis, quod ad ſe referat, cui tranquillitatem ferat acceptam. Amor enim myſticorum puriſſimus commentum eſt in ſchola Epicuri. Ita ſcilicet prodit Epicurus, quam male ſyſtema ſuum hac in parte cohæreat.
f) LAERT. *ſ. 87.*
g) *ibid. ſ. 124.* *h*) *ſ. 125.*
i) SEXT. EMP. *Pyrrh. hyp. l. III. c. 4. ſ. 229.*
k) LAERT. *ſ. 126.* SEXT. *l. c.* CIC. *Tuſc. Q. q. l. V. c. 30.*

XCIII. Quod porro homini ægritudinem creare poteſt, eſt dolor corporis, animique cura, angorque.

XCIV. Cavendum eſt, ne ſapiens quempiam dolorem in corpus accerſat, niſi aut declinandi gravioris doloris, aut comparandæ uberioris voluptatis gratia id fiat. [l]

XCV. Porro autem, ſi neceſſitas quædam aut naturalis conſtitutionis aut factæ externæ violentiæ dolorem quispiam ſentiat, tunc ſapientis eſt, dolorem æquo ferre fortique animo, ac patienter aut ſolutionem aut relaxationem ejus expectare. Nam non moratur perpetuo in carne quod dolet; ſed ſummus valdeque intenſus dolor brevi definit. Aut enim ſolvitur, ſuccedentemque habet, niſi omnimodam indolentiam, ſaltem mitigationem magnam; aut ſolvit, ſicque finitur morte, cum, quod ab eo doleat, nihil ſit. Qui dolor vero moram trahit, diuque in corpore perdurat, is ſane & remiſſior eſt, & non multum eſt tempus absque aliqua in corpore voluptate. [ll]

XCVI. Hinc intelligi poteſt, cur dictum ſit, ſapientem, tametſi torqueatur, poſſe nihilominus eſſe beatum: quoniam & quam neceſſitatem frangere non poteſt, patientia emollit, & quantum poteſt, animum ſuum a dolente corpore abducit cumque ipſo amplius, quam cum fragili querulaque parte verſatur, & præterita fortiter facta cogitat, recreatque ſe in bonis præteritis. [m]

XCVII. Ægritudo, quæ animo concipitur, oritur ob ea quæ reputantur mala externa, quibusque oppoſita bona maxime concupiſcimus.

XCVIII. Ægritudo non eſt ex natura, ſed opinione mali, quia credimus, nos eſſe in malis, ſive illa proviſa & expectata ſint, ſive intervenerint. [n]

XCIX. Exinde hoc conſtat, iſta quæ nos angunt, non eſſe nobis re ipſa mala, quia extra nos ſunt, neque per ſe ipſa attingunt, ſed opinione tantum noſtra in nobis mala fiunt, nempe ſi animi ab iis patiamur tranquillitatem perturbari. [o]

C. Comparat igitur ſe ſapiens adverſus fortunam, ſive externa, quæ opinamur, bona, quorum jactura animo ægritudinem parit, iſta non magis ſua, quam aliena habendo, & ita ſibi providet, ut, ſi contingat, eorum jacturam facere, mœrore ſe non conficiat, ſed æquo animo ferat, id a fortuna repeti quod erat commodatum. [p]

CI. Iuſtitia homini in ſocietate degenti convenit, & communis, quo conſtat, ſocietatis nexus eſt.

CII. Neque hæc vero virtus, ut reliquæ, a voluptate divelli poteſt, nam non modo nunquam nocet cuipiam, ſed contra ſemper alit aliquid, tum vi ſua atque natura, quod tranquillet animos, tum ſpe, nihil earum rerum defuturum, quas natura non depravata deſideret, animus vero injuſtitia turbulentus non fiat. [q]

CIII.

l) LAERT. *ſ.* 129. *ll*) *ib. ſ.* 140. *m*) *ib. ſ.* 118.
n) CIC. *Tuſc. Qq. l. III.* ubi prolixe de hac ægritudine animi differit.
o) Malum enim nihil eſt in ethica Epicuri niſi quod tranquillitatem pacemque hominis turbat, bonum quod confert.
p) LAERT. *ſ.* 120.
q) CIC. *de fin. l. I.*

CIII. Et quia ex improbis factis ad minuendas vitæ moleſtias acceſſio fere nulla fieri poteſt, cum ingens fiat ad augendas ex conſcientia factorum, tum pœna legum, odioque civium; itaque invitat ratio vera bene ſanos ad juſtitiam, æquitatem, fidem, quibus animi promovetur tranquillitas. [r]

CIV. Ius, ſive juſtum naturale nihil aliud eſt, quam teſſera (σύμβολον) utilitatis, ut homines ad invicem, neque lædant, neque lædantur, atque adeo natura duce ſecure degant, quod natura appetit. [s]

CV. Vt vero juſtum quidpiam ſit, ſeu jure ſervetur, duo exiguntur; unum, ut utile ſit, ſeu ad communem utilitatem, hoc eſt, ſecuritatem ſpectet, alterum, ut ſit ex communis ſocietatis conſenſu præſcriptum. Neque enim quidquam juſtum per ſe eſſet, niſi ſocietas communi conſenſu pactove inito, conſveſceret ſervandum. [t]

CVI. Quæ animantes fœdere jungi non poterant, ut neque lædant invicem, neque lædantur, erga eas nec jus ullum, nec injuria eſt. Eadem eſt in gentibus ratio, quæ aut nequeunt, aut nolunt ita fœderari, ut neque lædant invicem, neque lædantur. [u]

CVII. Ad hanc ineundam conſenſionem atque fœdus mutuum compulit homines neceſſitas, & rixæ atque oppreſſiones imbecillium a potentioribus factæ, quibus homines edocti ſunt, ſe non poſſe tuto commodeque degere, niſi pacta inirent, de non lædendo invicem. [x]

CVIII. Injuria per ſe malum non eſt, verum ob ſuſpicionis metum, quod latere nequeat eos, qui hujusmodi ſunt juſtitiæ conſtituti vindices, quam tranquillitate privat. [y]

CIX. Non credat is, qui clam aliquid facit, contra id, quod inter ſe conſtituerunt homines, ne lædant invicem, nec lædantur, latere poſſe, etſi millies præſenti tempore lateat, ad finem vitæ tamen incertum eſt, an latere poſſit. [z]

CX. Communiter quidem omnibus jus unum eſt, (utilitatis enim quid confert in mutua ſocietate) privatim tamen ob regionis genium, aliasque ob cauſas non omnibus idem conſequitur jus eſſe. [a]

CXI. Quod teſtimonio firmatur, ut quod expediat in uſibus mutuæ ſocietatis, ex iis quæ juſta exiſtimata ſunt, illud juſti locum obtinet, ſive idem fiat omnibus, ſive non fiat. [b]

CXII. Si quid lege ſanciatur, nec eveniat, ut mutuæ communioni utilitatem afferat, non amplius juſti naturam illud habet. [c]

CXIII. Quod ſi aliter eveniat, quod e juſto utilitatem promittebat, ſed per aliquod tempus anticipatæ notioni reſponderat; nihilominus eo tempore, quando utilitatem ferebat, juſtum id erat. [d]

CXIV.

r) *ib.* s) LAERT. *ſ. 150.* t) *ibid.*
u) *ib.* x) LVCRET. *l. c.*
y) LAERT. *ſ. 151.*
z) *ib.* Quid ſi vero tanto ſomno oppreſſa ſit conſcientia, ut morſum non ſentiat, metumque, iri injuſtitiam proditum? tum enim manet tranquillitas, cum providentia non detur. Ex quibus manifeſtum eſt, non cohærere ethicam Epicuri tanto fulcro privatam.
a) *ib.* b) *ib. ſ. 152.* c) *ib.* d) *ib.*

CXIV. Vbi nulla circumſtantiarum novitate incidente ea, quæ juſta putantur in ipſis operibus, non concordant cum anticipata notione, non ſunt juſta; ubi vero rerum novitate incidente non amplius ſunt utilia poſita jura, non erunt quoque amplius juſta. [e] Summa hæc eſt juris naturalis, qualem ipſe Epicurus in ratis delineavit ſententiis, quas ipſius verbis expoſuimus, paraphraſin elegantem & illuſtrationem quoque deſiderantem lectorem ad GASSENDVM [f] ablegantes. Ex ea vero manifeſtum eſt, jus omne Epicurum ex ſola hominum utilitate pacto firmata derivaſſe, id quod vera juris naturalis principia convellere, in confeſſo eſt. Nec pro excuſando Epicuro valent, quæ GASSENDVS [g] & poſt eum RAPPOLDVS [h] monent, utilitatem in natura eum fundaſſe; id enim contra principia Epicuri eſt, quæ omne neceſſarium, eſſentiamque omnem & phyſicam & moralem in naturæ neceſſitate ſitam, præter atomos rejiciebant, & fortuito atomorum concurſui omnia tribuendo, fines quoque in univerſo intentos reſpuebant. Ita vero nec hominum animi ad certos fines nati, nec eorum actionibus certæ leges normaque præſcripta eſt; ſed cum homines, non negante LVCRETIO [i] ferarum ritu vagarentur, viderentque commodis & ſecuritati ſuæ ſine legibus caveri non poſſe, in communem juris ſummam, ex publica utilitate dimetiendam conſenſere,

Atque ipſa utilitas juſti prope mater & æqui eſt, [k]

Recte itaque Epicurum inter moralitatis extrinſecæ patronos retulerunt & notarunt RAD. CVDWORTHVS [l] & IO. FR. BVDDEVS. [m]

CXV. Affines juſtitiæ ſunt virtutes, beneficentiæ, miſericordiæ, grati animi, pietatis & obſervantiæ.

CXVI. Quemadmodum qui opibus valent, tenentur alios adjutare, ut & ſibi inde voluptatem pariant, & comes, benigni, liberales, munifici audiant; quo utilitas promovetur, ita gratus animus neceſſarius eſt ad tranquillitatem, niſi velit quis odio probroque eſſe maximo. [n]

CXVII. Ex iis, quæ ad totius vitæ beatitudinem ſapientia comparat, longe maxima eſt amicitiæ poſſeſſio. [o]

CXVIII. Qui ex rebus, quæ extra ipſum ſunt, fiduciam ſibi parare atque conſtituere cupit, is quæ fieri poſſunt, amica ſibi efficit: quæ vero aliena & inimica ſunt, illis ſe non immiſcet, & exterminat omnia, quæ facere non conducit. [p]

CXIX. Novimus certe eveniſſe, ut quibuscunque plenam fiduciam ſecuritatemque parare fas fuit ex ſocietate hominum, pari ſententia affectuque viventium, ii ſvaviſſimo freti pignore, quam ſvaviſſime inter ſe vixerint, ac pleniſſima inter ſe neceſſitudine juncti præoptarint, ſine lamentis, pro illo, qui foret ad mortem deſtinatus, mortem ſubire. [q]

CXX.

e) *ib.* f) *Ad* LAERT. *l. X. p. 1519. ſeqq. Synt. phil. Epic. P. III. c. 24. p. 475. ſeqq.*
g) *l. c. p. 1526.*
h) *Ad* HORAT. *Serm. l. I. ſat. 3. v. 96.*
i) *Lib. V. v. 1135.* k) HORAT. *l. c.*
l) Diſſ. *de æternis juſti notion. ad calc. Syſt. ſat. p. 23.*
m) *De Scept. mor. §. 10. 11. Anal. hiſt. phil. p. 219. 242.*
n) Conf. GASSEND. *l. c. p. 1586.*
o) LAERT. *ſ. 148.* CIC. *de fin. l. I. c. 20.*
p) *ib. ſ. 154.*
q) *ib.* Ita ſenſum obſcuræ ſententiæ luculenter expreſſit GASSEND. *l. c.*

CXX. Comparantur itaque amicitiæ ob uſus, utilitatemque; ita tamen, ut progrediente ea, familiaritateque effloreſcente, amor ſit etiam, etiamſi ex amicitia nulla ſit utilitas: tum enim ex ipſo amore capitur voluptas.[r] Oppugnaſſe hoc Stoicos, ex SENECA [s] notum, qui tamen cum Epicuro verbis magis quam re ipſa pugnabant, ut ſupra oſtenſum. Voluptatis enim ex fide & amore oriundæ rationem habebat Epicurus, Stoici fidei & amoris ipſius.

CXXI. Quærere vero amicitiam, ejusque initium facere ſapientem decet.[t]

CXXII. Sapiens etiam, ubi opus erit, mortem pro amico oppetet.

CXXIII. Non tamen comparaturus eſt ſapiens amicum, niſi cujus ad finem ſibi præſtitutum, tranquillitatem nempe & ſecuritatem conferre quid poſſe amicitiam noverit.[u]

§. XVI. Decedenti ex vivis Epicuro, quem veſicæ doloribus conſumtum CXXVII Olymp. annus ſecundus, Archonte Pytharato abſtulit, ſucceſſit Hermachus, in ultima voluntate hortis ab ipſo Epicuro doctor datus. Hermachus ſucceſſorem habuit Polyſtratum, de cujus mirabili cum Hippoclide amicitia fatisque ex Valerio Maximo quædam ſupra diximus. Polyſtratum excepit [x] Dionyſius, is qui a ſectæ mutatione metathemenos dictus eſt, ut viri docti ſuſpicantur: [y] hunc excepit Baſilides quidam. [z] Fuiſſe vero ab Epicuro usque ad Auguſti tempora decem doctores horto Epicuri præfectos SVIDAS [a] tradit: qui vero reliqui ex his decem fuerint, definiri, ſilentibus veteribus, non poteſt. Quam enim ſcholæ Epicureæ ſucceſſionem enumerat IONSIVS, [b] quia Epicurus, Hermachus Polyſtratus, Dionyſius, Baſilides, Apollodorus, Zeno Sidonius, Phædrus, Patron ſe excepiſſe invicem dicuntur, ea veterum teſtimoniis nondum ſatis evicta eſt, licet negandum non ſit, celeberrima hæc fuiſſe in hortis Epicuri nomina. Quod ſi conjecturis aliquid dandum eſt, veriſimile eſt, Baſilidi ſucceſſiſſe Protarchum Bargylaïten, [c] qui Demetrium Laconem, non ignobilis inter Epicureos famæ virum [d] diſcipulum habuit. Hunc excepiſſe ignoti nominis aliquos non eſt, quod dubitemus. Diogenes tamen Tarſenſis nominandus eſt, quem Demetrii diſcipulum fuiſſe GASSENDVS [e] conjicit, quemque *epitomen dogmatum moralium Epicuri* ſcripſiſſe, antecedente §. monuimus. Circa quæ tempora ſecta hæc valde floruit, integra-

Succeſſio ſcholæ Epicureæ.

Diogenes Tarſenſis.

r) *ibid.*

s) *Ep. 9.* LIPS. *ad h. l.* & *Manud. ad phil. Stoic. l. III. diſſ. 16.* STOLLIVS *l. c. p. 189.*

t) *ibid.*

u) LAERTII verba, vel Epicuri potius *l. X. ſ. 120.* obſcura ſunt, φίλον τε ὑδένα κτήσεσθαι σοφόν, nam contrarium de amicitia comparanda ſuaſiſſe Epicurum, ex dictis notum eſt. Excidiſſe vocem aliquam ſuſpicantur MENAGIVS & MEIBOMIVS, qui poſterior conjicit, malevoli fortaſſe librarii culpa, ut & bona hujus placita traduceret. Cur vero non & alibi id factum eſſet, & hoc tantum loco? Nos moleſtam & ſine delectu factam amici comparationem voce κτήσεσθαι indicari putamus, quæ tranquillitatem turbat, quo & Gaſſendi paraphraſis in textu allata collineat.

x) LAERT. *l. X. ſ. 25.*

y) IONSIVS *Hiſt. phil. l. I. c. 20. p. 112.* FABRIC. *ad Sext. Empir. p. 161.* z) LAERT. *l. c.*

a) *T. I. v. Epicurus p. 814.* conf. GASSEND. *vit. Epicuri l. II. c. 6. p. 63.*

b) *l. c. p. 114.* c) STRABO *l. XIV. p. 658.*

d) LAERT. *l. X. ſ. 26.* SEXT. EMPIR. *Pyrrh. hyp. l. III. c. 17. ſ. 137. adv. math. l. VIII. ſ. 348. ſeqq. l. X. ſ. 219.* FABRICIVS *ad l. c.*

e) *l. c.*

que ſucceſſione usque ad Cæſarum imperium uſa per CCXXVII annos [f] magnos viros numeravit, præcipue, ubi Romanorum proceribus hæc philoſophandi via placuit: de quo ſequenti periodo plura ſuo loco dicemus. Fuere tamen circa hæc tempora inter Epicureos, qui famam præceptoris, ejus præceptis de voluptate abuſi, contaminarunt: inter quos imprimis *Seleucienſis.* Diogenes Seleucia oriundus referendus eſt, vir diſertus & eruditus, ſed maledicus, quique nemini bono parcebat, & ne principes quidem viros laceſſere erubeſcebat. Is gratioſus cum eſſet apud Alexandrum Syriæ regem, Antiochi Epiphanis filium, a rege impetravit, narrante ATHENAEO, [g] ut liceret ſibi geſtare tunicam purpuream, coronamque auream virtutis effigie inſignem. Quam veſtem cum a rege dono accepiſſet, Lyſiodo meretrici donavit, quam deperibat. Rege vero hac re offenſo, ut turpiter ſe daret, ab eo ad convivium arceſſitus eſt, ad quod rex philoſophos complures invitaverat, ita tamen, ut in accepta veſte appareret. Quod cum non faceret, rex mulierculam hiſce inſignibus exornatam apparere juſſit, quæ cum acceſſiſſet, in celebri & frequenti convivio riſus ingens fuit excitatus. Quod tamen Diogenem adeo non repreſſit, ut potius infamis ſcorti laudandi vix faceret finem.[h] Talia a Pſeudo-Epicureis cum committerentur, mirum non eſt, veteres calumnias tantam inveniſſe fidem, ut Epicurei a Romanis publico ſenatus decreto expellerentur,[i] itemque a Meſſeniis ante ſolis occaſum excedere urbe juberentur, quod adoleſcentum corruptores eſſent, ac propter mollitiem & impietatem commacularent philoſophiam, urbs etiam luſtraretur, ut refert AELIANVS,[k] prius tamen ad duos tantum Epicureos, Alcæum & Philiſcum pertinuiſſe, ATHENAEVS[l] auctor eſt. Eandem fortunam Epicurei Lycti, quod Cretæ inſulæ oppidum fuit, paſſi ſunt.[m]

Apollodorus. §. XVII. Præter hos, quos memoravimus, alii quoque inter Epicureos fuere philoſophiæ laude inclyti. Ex quibus imprimis Apollodorus notari meretur, vitæ Epicuri ſcriptor, cognomento κυποτύραννος, a principatu, quem eruditione & auctoritate in hortis Epicuri obtinuerat.[n] Refert enim LAERTIVS,[o] qui illuſtrem vocat, ſupra quadringentos ſcripſiſſe libros. Ætatem vero, quam incertam eſſe vidit GASSENDVS,[p] ex Zenonis Sidonii, diſcipuli ejus tempore omnium optime definiemus. Fuiſſe hunc ſententia & elocutione clarum, LAERTIVS[q] teſtatur, qui multa quoque eum ſcripſiſſe monet.[r] Quod vero Zeno quoque Sidonius quidam Ciceronis & Attici tempore inter Epicureos inclaruerit, ipſe TVLLIVS[s] teſtis eſt, qui ſcripſiſſe eum, ait, diſtincte, graviter & ornate, alioque eum loco Coryphæum & principem eruditorum vocat, ſibi-

f) SVID. *l. c.* *g*) *Lib. V. p. 211.*

b) Oris maledicentia Demetrii iram, & mortem tandem ſibi conciliavit.

i) Forte id factum, cum omnes philoſophi C. Fannio Strabone M. Valerio Meſſala Coſſ. urbe ejicerentur, vid. GELLIVS *l. XV. c. 11.*

k) *Lib. IX. c. 12.*

l) *Lib. XII. p. 547.*

m) SVIDAS *l. c.* MEVRSIVS in *deſcriptione Cretæ l. I. c. 12. p. 44.* GASS. *l. c. l. VII. c. 3. p. 172.*

n) LAERT. *l. X. ſ. 25.* MENAG. *ad h. l.* ita Demoſthenes in judiciis regnaſſe dictus eſt.

o) *ibid.* apud STANLEIVM *p. 947.* male dicitur trecentos libros exaraſſe.

p) *l. c.* *q*) *Lib. VII. ſ. 35. 38.*

r) *Lib. X. ſ. 25.*

s) *De nat. Deor. l. I. c. 21. ad Attic. l. V. ep. 11. Tuſc. Qq. l. III.* & paſſim.

ſibique non minus, quam Attico dilectum eſſe fatetur. Qui Zeno, ſi idem eſt cum Apollodori diſcipulo, facile inde ætas ejus definiri poteſt, quam quoque partem elegere IONSIVS [t] & MENAGIVS, [u] habetque ea multum inde veriſimilitudinis, quod non nomen tantum, patria & ſecta, ſed & eruditio talis ſit, qualis a Laërtio deſcribitur. Aliter tamen viſum cel. FABRICIO, [x] qui duos Zenones Sidonios diſtinguit, eo quod Laërtius Apollodorum inter Epicuri diſcipulos refert: [y] quod tamen de ſectatore quoque, ſenſu pauliſper latiore, poteſt intelligi. [z] Præter hos memorantur etiam Alexandrini duo, Ptolomæorum nomine noti LAERTIO,[a] quorum unus Leucus alter Melas dictus eſt. Alios minoris famæ & exiſtimationis ab aliis recenſitos [b] brevitatis cauſa præterimus. [c] Imprimis autem ſub Romanorum imperio magnopere efflorescere cœpit philoſophia & ſecta Epicurea, Imperatorum quoque ſalariis nutrita, de quo cum ex inſtituto tomo hujus operis ſequenti dicendum ſit, nihil hic amplius hiſtoriæ ſectæ Epicureæ adjicimus, ad ultimam ſectam, Pyrrhoniam, properantes.

* *

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

DE SECTA PYRRHONIA SIVE SCEPTICA.

§. I.

Secta Sceptica.

Enarravimus hactenus totius fere Græcanicæ philoſophiæ, quatenus ſectaria fuit, hiſtoriam, nec, ſi ſenſu ſtricto vox ſumatur, ſecta alia ſupereſt. Quod ſi vero ſenſu pauliſper laxiori tale intelligamus philoſophorum genus, quod in nullius quidem verba juravit, nec aliquod dogmaticæ philoſophiæ ædificium exſtruxit, certæ tamen philoſophandi & de veritate differendi viæ inhæſit, recte dicitur ſectam adhuc inter Græcos ſupereſſe reliquis celebritate atque fama nihil concedentem, quæ omnibus ſe ſectis, quæ dogmaticæ dici ſolent, certumque placitorum ſyſtema ponunt, oppoſuit, eisque veritatem denegare, & placita earum tanquam vel falſa, vel incerta & dubia convellere auſa fuit. Ad quam metam aſſequendam in hoc uno proram puppimque totius philoſophiæ, quam ſequebatur, ſuæ poſuit:

t) *l. c. l. II. c. 1. p. 117.*

u) *Ad* LAERT. *l. VII. ſ. 35.*

x) *Bibl. Gr. vol. II. p. 816.* GASSEND. *l. c. p. 65.* fluctuat.

y) Ita etiam VOSSIVS *de hiſtor. Græc. l. IV. c. 10. p. 466. ſeqq.* notatus propterea IONSIO *l. c. l. II. c. 13. p. 188.*

z) Confundere Zenones Suidam ſupra *c. IX.* dictum eſt, addique poteſt VOSSIVS *l. c. l. I. c. 16. p. 104.* Apollodorum hunc ſervum Epicuri decem minis emiſſe ait ὁ πάνυ FABRICIVS *l. c. p. 808.* ad LAERTIVM *l. X. ſ. 10.* provocans, quod ſi recte ſe haberet, omnino fuiſſet ex Epicuri diſcipulis, qui ipſum audiverunt, hincque duo eſſent diſtinguendi Zenones Sidonii. Verum nihil tale habet LAERTIVS, ſed id tantum teſte Apollodoro advocato refert LXXX minis Epicurum hortum in quo docuit, comparaviſſe. Servos vero in teſtamento in libertatem aſſeruit. *a*) *Lib. X. ſ. 25.*

b) Catalogum Epicureorum, quorum nomina apud veteres occurrunt, exhibent GASSEND. *l. c. l. I. c. 8. l. II. c. 6.* LEON. COZZANDVS *de magiſt. antiq. philoſ. l. VI. p. 401. ſeqq.* omnium vero diligentiſſime FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 808. ſeqq.*

c) Supra monuimus SVIDAM in *Anniceris T. I. p. 209.* Epicureum facere Annicerin Cyrenaicæ diſciplinæ doctorem. Quod non ita intelligendum eſt, quod ſectam mutaverit, ſed quod in doctrina de voluptate magis ad Epicuri hypotheſin acceſſit, quam ad Ariſtippi.

ſuit: omnia ita æternis incertitudinis & ignorantiæ tenebris demerſa jacere, totque falſis omnia jactari opinionibus, tot repleri contradictionibus, quæ a dogmaticis afferuntur, ut impoſſibile ſit, ad quandam pervenire veri ſcientiam, & imbecillitas intellectus ubique manifeſte ſe prodat. Neceſſarium itaque eſſe, nihil definire, de omnibus dubitare, aſſenſum ubique retinere, in vita vero opinionem ſequi. *Nomen.* Quam philoſophandi viam quia non ingreſſus quidem primus eſt Pyrrho, Anaxarchi Eleaticæ ſectæ philoſophi diſcipulus, primus tamen ſectam ex ea formavit, Pyrrhonia inde, a philoſophandi vero modo, Sceptica dicitur. Poſterior tamen appellatio frequentior eſt, quæ a differendi modo & ratione deſumta eſt, quam prior, quæ a ſectæ conditore originem cepit. Id quod mirum videri queat, cum contrario prorſus modo ſectarum nomina, quæ a philoſophandi inſtituto acceperunt, e. g. Hedonicorum, Eriſticorum, Elpiſticorum, Evdæmonicorum, Philaletharum, Analogeticorum, [a] adeo interciderint, ut vix conjectura liceat aſſequi, quos indicent philoſophos; quæ vero ab auctoribus locoque indita ſunt, ætatem tulerint. Cujus cauſam veriſimili ratione inde derivandam putamus, quod Sceptici ſectæ nomen, ſenſu proprio ſumtum declinaverint, ne ii voluerunt videri, qui ullius hominis ſtarent placitis, id quod dudum LAERTIO [b] notatum fuit. Ipſam vero de omnibus dubitandi methodum fortiſſimam & nobiliſſimam, reputantes, [c] & arrogantiæ dogmaticorum tanquam ſobriam magis & prudentiorem opponentes, dubitantium, ſive Scepticorum nomen vehementer amplexi ſunt, ut ex LAERTIO [d] & SEXTO EMPIRICO [e] diſcimus. Eodem ſenſu dicti quoque ſunt Ephectici, a retinendo aſſenſu, Zetetici, a perpetuis diſputationibus, & quæſtionibus, Aporetici a dubitatione ubique admiſſa. [f] Cumque Academici, quam Platonicæ ſcholæ propaginem fuiſſe ſuo loco docuimus, quique a conditoris nomine magnam gloriam conſecuti erant & exiſtimationem, parum ab ea philoſophandi via, quam Pyrrho ingreſſus eſt, decederent, ut ex iis, quæ differemus, apparebit, collatis cum hiſtoria philoſophiæ Academicæ ſupra enarrata, factum inde etiam eſt, ut ſub iſto nomine laterent, & quæ ſub Pyrrhonis nomine brevi tempore, CICERONE [ff] teſte abjiciebatur, ſub Academicorum nomen multos ſectatores inveniret ratio philoſophandi ſceptica, id quod recte CICERONI [g] fuit notatum. Cujus cauſas has doctiſſimus Scepticorum noſtra ætate advocatus PETRVS DANIEL HVETIVS [h] putat, partim quod præter Pyrrhonem, vix ex ejus ſecta quisquam enituerit, qui famæ celebritatem conſecutus eſt, cum contra Academici maximi nominis doctores habuerint plurimos, ex quorum fulgore lumen capiebant Sceptici: partim quia Pyrrhonii pro inſanientibus & vitæ humanæ prorſus ineptis habiti ſunt, quod opprobrium

ut

a) LAERT. *l. I. ſ. 17.* MENAG. *ad h. l.*
b) *ib. ſ. 20.*
c) IDEM *l. IX. ſ. 61.* d) *ll. cc.*
e) *Pyrrhon. hypotyp. l. I. c. 3. p. 2.*
f) LAERT. *l. IX. ſ. 69.* GELLIVS *l. XI. c. 5.* SVIDAS in *Pyrrhonii T. III. p. 246.* SEXT. *l. c. l. I. c. 19.*
ff) *De finib. l. II.*
g) *Qq. Acad. paſſim.*
h) *De imbecillitate intellectus humani l. I. c. 1. §. 39. p. 150.*

ut evitarent, qui hac ratione philoſophabantur, honeſtiſſimo Academicorum nomine, licet in quibusdam, ut poſtea dicemus, ab iis diſſentirent, latere maluerunt. Accuratiores tamen ex hoc hominum genere, qui hoc ſectæ nomen inſtituto non convenire videbant, maluerunt Pyrrhonis nomen, unde SEXTVS EMPIRICVS, nobilis inter eos ſcriptor, hypotypoſes non Academicas ſed Pyrrhonias ſcripſit.

§. II. Ex his vero colligi recte poteſt, hiſtoriam ſectæ Pyrrhoniæ ex Academicæ ſectæ fatis multam capere lucem poſſe: quam cum hoc capite jungendam, eosque conſulendos ſuademus, quos ibi laudavimus. Ad Scepticæ vero ſectæ hiſtoriam illuſtrandam ex veteribus pertinebant vitæ Pyrrhonis ſcriptores Antigonus Caryſtius, [i] ei fere coævus, & Diocles Magnes, ad quos plus ſemel provocat LAERTIVS. Philoſophiam vero ſcepticam ex ipſa ſecta non ignobilis ſcriptor, AENESIDEMVS octo libris *de Pyrrhoniis* [k] luce perfudit, quos tamen præter epitomen a PHOTIO [l] exhibitam non ſupereſſe merito dolemus: quemadmodum Theodoſii quoque *capitula Sceptica*, & Favorini *tropi Pyrrhonii* deſiderantur. [ll] Servavit tamen nobis fortuna incomparabiles SEXTI EMPIRICI hominis Sceptici, de quo in ſecundo hujus operis tomo diſſeremus, commentarios de hac philoſophia, magna eruditione & notitia omnis veteris philoſophiæ refertos: quibus jungenda, quæ LAERTIVS [m] more ſuo congeſſit, & pauca quæ corraſit SVIDAS. [n] Etſi vero omnem philoſophandi rationem hæc ſecta evertere merito viſa fuit, non defuere tamen, qui recentiori ætate pollicem ei premerent, quos tamen enarrabimus eo loco, ubi noſtri temporis philoſophiæ condemus hiſtoriam. Hic vero FOVCHERII [o] tantum & HVETII [p] labores nominamus, quibus hiſtoria Scepticiſmi veteris juvari valde poteſt. Sed & ii non negligendi ſunt, qui ſe Scepticiſmo oppoſuerunt, vel Academicos quoque refutandos ſibi ſumſerunt, quorum ſcripta paſſim lucem ſectæ hiſtoriæ & placitis fœnerantur. Fragmenta ejusmodi aliquot ſervavit EVSEBIVS, [q] quibus AVGVSTINI *Quæſtiones Academicæ*, & CLAVDII PTOLOMAEI liber *de judicandi facultate verique & falſi regulæ*, [r] GALENVS item *de optima diſciplina* [s] & SEXTI alterius *diſputationes anti-ſcepticæ* [ſ] aliique MORHOFIO [ſſ] & FABRICIO [t] memorati adjungi poſſunt; quemadmodum laudatiſſimus quoque FABRICIVS [u] Syllabum nobis eorum exhibuit, qui recentiori ætate venas inci-

Scriptores ad ejus hiſtoriam facientes.

i) Vid. Ariſtocles apud EVSEB. *de præp. ev. l. XIV. c. 18.* LAERT. *l. IX. ſ. 62.* conf. IONS. *de Script. hiſt. phil. l. II. c. 4. p. 131. ſq.* FABRIC. *Bibl. Græc. vol. II. p. 674.*

k) Vid. MENAG. *ad l. c. Laërt.* FABRIC. *l. c. pag. 818.*

l) *Cod. CCXII. p. 279. ſeqq.* ed. Hœſch.

ll) MENAG. & FABRIC. *ll. cc.*

m) *Lib. IX. ſ. 61. ſeqq.*

n) In *Pyrrhone*, ὃ δὲν μᾶλλον.

o) *Hiſtoire des Academiciens*, quæque pro defendenda ſceptica philoſophia ſcripſit ſupra enarrata.

p) *De la foibleſſe de l'sprit humain.* ſed & BAYLE art. *Pyrrhon.* & diſſ. *ſur le Pyrrhoniſme* conſulendus & dijudicandus eſt.

q) *l. c.*

r) Editus ab ISM. BVLIALDO Gr. & Lat. *Paris 1663. 4.*

s) Adjectus etiam editioni SEXTI EMP. Genevenſi.

ſ) Edidit poſt STEPHANVM FABRICIVS *Bibl. Gr. vol. XII. p. 617. ſeq. Græc. & Lat.*

ſſ) *Polyhiſt. T. II. l. I. c 6. p. 30.*

t) *Syllab. Script. de V. R. C. c. XXIII §. 4. p. 455.*

u) *l. c.*

incidere Scepticiſmo ejusque robur enervare ſatagerunt. Sunt & alia paſſim obvia, quæ hiſtoriam ſectæ Scepticæ & Scepticiſmi illuſtrant, ſed minoris momenti. [v] FABRICIVS autem, qui elegantiſſimam Sexti Empirici editionem annotationibus doctiſſimis auctam nobis dedit, cum in iis, tum in immortali *Bibliothecæ Græcæ* opere tantum ad hiſtoriam hujus ſectæ & philoſophiæ attulit, quantum ante eum pauci, diligenter cum ipſo Sexti textu ab iis conſulendus, qui accuratius de hoc philoſophiæ genere eruditi cupiunt.

Conditor ſectæ Pyrrho.

§. III. Pyrrhoni, ſectæ Scepticorum parenti, Elea dedit originem, [w] Pliſtarcho parente nato, [x] obſcuræ ſortis homine, [y] qua parentis conditione ipſe quoque Pyrrho initio Antigono teſte, preſſus fuit: ſoror etiam Philiſta obſtetricem egit. Ipſe adoleſcentiæ annos arti pictoriæ dicavit licet non optimum pictorem fuiſſe, Ariſtocles aſſerat. [z] Antigono tamen referente [a] in Elienſi gymnaſio pictura ejus ſervos exhibens, lampadas tenentes, aſſervata fuit, non male ab eo elaborata. Artis itaque vel faſtidio, vel ardore animi majora & meliora quærentis, a pictoria ad philoſophiam, transfuga quaſi, ut ridet LVCIANVS [b] factus, in Democriti primum ſcripta incidit. [c] Alii primum Pyrrhonis præceptorem Dryſonem, vel Bryſonem vocant, [d] Stilponis filium, Clinomachi diſcipulum, cujus ſupra mentio facta eſt. [e] Qui cum parentis arte excelleret, dubium non eſt, Pyrrhonem dialecticis armis inſtructum egregias illas pugnas, quibus omnes adoriebantur philoſophos Eriſtici, & de omnibus in utramque partem diſputabant, ab eo didiciſſe. Tum ad Anaxarchum, Metrodori Chii diſcipulum delatus eſt, cui quoque conſtanter adhæſit, & cum eo, Alexandrum M. ſequente ad Indos profectus eſt, cum Brachmanibus & Gymnoſophiſtis illius regionis congreſſus. [f] Hos vero præceptores ita audivit, ut ex illorum doctrina in ſua arva derivaret, quæcunque animum ad incertitudinem valde inclinantem confirmare apta eſſent. Quod imprimis de Metrodoro tenendum eſt, quem ad Scepticiſmum fuiſſe proniſſimum, [ff] negata omni ſcientia *capite undecimo* narravimus. His itaque præſidiis munitus, cum dogmaticorum

v) DAN. HARTNACCII *Hiſtoria breviuſcula Scepticiſmi* addita SANCHEZII libro *de ſcientia, quod nihil ſcitur*: tractatio ſine ſucco & nervo: IO. FRID. HEVNISCH. diſſ. *de philoſophis Scepticis*; GABR. WEDDERKOP. diſſ. *de Scepticiſmo*; IAC. ARNHEM. diſſ. *de ſecta Pyrrhonia.*

w) LAERT. *l. IX. ſ. 61.* SVIDAS in *Pyrrhon. T. III. p. 245.* BAYLE *Dict. T. III.* art. *Pyrrhon. p. 731.* Nos quoque peculiari obſervatione *de Pyrrhonis vita* diſſeruimus *Miſcell. Lipſ. Tom. V. Obſ. CXI. p. 240. ſeq.*

x) *ib. ſ. 62.*

y) PAVSANIAE *Eliac. l. II.* Piſtocrates audit.

z) Apud EVSEB. *præp. l. XIV. c. 18.*

a) LAERT. *l. c.*

b) *Bis accuſat. T. II. p. 673. 688.*

c) Ariſtocles apud EVSEB. *l. c.*

d) Alex. apud LAERT. *l. c.*

e) *c. IV. hujus libri.*

f) LAERT. *l. c.* Apud SVIDAM *l. c.* dicitur Pyrrho poſt Bryſonem audiviſſe Alexandrum, Metrodori Chii diſcipulum, cujus præceptor fuerit Metrodorus Abderita. Sed duplici errore peccavit feſtinans vel Suidæ vel exſcriptorum ejus calamus. Nam nec Alexander ullus inter Eleaticos vel Democriticos comparet, qui Pyrrhonis præceptor fuit, ſed Alexander, qui in *ſucceſſionibus* Pyrrhonis præceptores narrat, cum Anaxarcho confuſus, eum apud Suidam peperit: Deinde non fuere duo Metrodori Chius & Abderita inter Eleaticos, unde MENAGIVS *ad* LAERT. *l. IX. ſ. 58. 61.* & KVSTERVS *ad l. c.* SVIDAE corruptionem textus recte notarunt. Mirandum itaque, nec STANLEIVM *Hiſt. phil. P. XI. p. 919.* errorem vidiſſe, nec doctiſſimum Interpretem Latinum in eum animadvertiſſe.

ff) LAERT. *l. c. ſ. 58.*

ticorum ſubſellia ubique occupata vidiſſet, novam tum quidem temporis (Academia enim media nondum ea ætate florebat,) philoſophiam excogitavit, & nihil quicquam comprehendi poſſe dixit, neque omnino quicquam dogmaticorum decernendum eſſe ſtatuit. Traduntque, qui vitæ ejus & placitorum hiſtoriam ex veteribus expoſuerunt, nihil vel honeſtum eſſe dixiſſe, vel inhoneſtum, juſtum vel injuſtum, & ſic in reliquis: nempe nihil horum reapſe tale eſſe, legem vero & conſvetudinem ſequentes omnia iſta homines, facere, nec in quapiam re hoc magis eſſe, quam illud. [g] Id quo ſenſu & fundamento Pyrrho dixerit, in ſequentibus enucleatius trademus. Addunt vero: [h] conſentaneum illi opinioni vitæ genus duxiſſe, nihil declinaſſe, nihil devitaſſe, omnibus rebus recta occurriſſe, curribus, ſi oblati eſſent, præcipitiis, canibus & ſimilibus nunquam via decedentem, neque ſenſibus obſequentem, amicis interea, qui eum ſequebantur ſaluti ejus proſpicientibus. Quæ ſi doctrinæ in ſe paradoxæ, omnique non veritati tantum, ſed & honeſtati evertendæ aptæ jungantur, non ſine cauſa in eam ſuſpicionem adducunt Pyrrhonem, fuiſſe hominem mentis emotæ & nimia arte atque ſcientia inſanientis. Mitius tamen de eo ſentiemus, & ab ejusmodi inſania virum merito liberabimus, veteribus tantum non omnibus ob egregiam eruditionem, &, quod multis viſum fuit, nobiliſſimam philoſophiæ excolendæ viam initam, ut ſcribit LAERTIVS, [i] laudatum, palpabimusque manibus, dogmaticorum invidiæ & calumniis ejusmodi fabulis philoſophiæ genus ſibi infeſtum cachinnis idiotorum propinantium, has nugas deberi, [k] ſi vitæ ejus laudabiliter peractæ ſeriem & facta perpendimus. Teſtantur enim ſcriptores animum ejus a ſuperbia & faſtu prorſus alienum, ſororis Philiſtæ amiciſſimum, & nec vilia miniſteria repugnantem: [l] vitam porro egiſſe ſolitariam, qua rarius vel ipſis domeſticis videbatur: [ll] id quod ideo feciſſe, refert LAERTIVS, [m] quod Indum audiviſſet Anaxarcho exprobrantem, neminem, niſi ſe ipſum, bonum eſſe quod diceret, principum vero interea aulas frequentaret. [n] Idem porro narrat, itinera eum varia ſuſcepiſſe, nunquam, quo pergeret cuipiam indicantem, ſibique eos, cum quibus verſaretur, ipſum delegiſſe. Semper porro eodem vultu & habitu perſeveraviſſe, [o] etiam inter terrores & dolores: ulceri etiam cuidam ſuo medicamenta corrodentia, & ſectiones, & uſtiones adhibuiſſe, magnumque in his omnibus animi robur & conſtantiam exhibuiſſe: [p] in magna quoque tempeſtate cum naufragii periculum omnes in ſtuporem & pavorem conjeciſſet, ipſum porcellum in navi ſecure com-

g) ib. ſ. 61.

h) ib. ſ. 62. qui ad Antigonum Caryſtium, teſtem Pyrrhoni coævum, provocat.

i) ſ. 61.

k) Idem recte conjecit P. D. HVETIVS *de la foibleſſe de l'esprit humain l. c. p. 127.*

l) LAERT. *l. c. ſ. 66.* conf. Ariſtocles *l. c.* BAYLE *l. c. not. G. p. 735.*

ll) ib. ſ. 65. *m) ibid.*

n) Addit, cum ſecum loqui, ut ſolent ſolitarie viventes & ambulantes, deprehenderetur, rogatum, quid ageret: meditari ſe reſpondiſſe, uti bonus (χρηστὸς) evaderet.

o) ſ. 65.

p) ſ. 67. ubi Laërtius ad Timonis teſtimonium provocat.

comedentem offendiſſe, eandem animi ἀταραξίαν commendantem. [q] Quin & ea, in quibus reprehenſus dicitur, quod non ſemper vita doctrinæ conſentanea eſſet, huc referri debent: nempe, indignatum amico qui res ad ſacrificium neceſſarias ſe emturum promiſerat, nec promiſſis ſteterat, & ideo reprehenſum, quod animo commoveretur, neque id cum indolentia, quam profiteretur, conveniret, negaviſſe, ejus rei ſpecimen adverſus mulierem edendum eſſe: [r] a cane territus cum poſt arborem receſſiſſet, a præſentibus deriſum difficile, dixiſſe, hominem penitus exuere. Contendendum tamen eſſe, primum quidem agendo, quantum fieri poteſt, adverſum res, poſtea ratiocinando. [s] Additur his, in quæſtionibus a nemine fuiſſe contemtum, quod ſingulari perſpicuitate in iis explicandis uteretur, [f] eaque re cepiſſe Nauſiphanem juvenem. Quis hæc convenire credat viro omnem ſenſuum uſum ad inſaniam usque neganti? quis non mendacium palpet, tradens amicos comites eum omnia negligentem periculis eripuiſſe, cum ſolitariam valde vitam [ff] amaverit, & itinera quoque varia ſolus confecerit, in quibus nemo eum canibus, præcipitiis, curribus eripuit? cui non manifeſtum ex his eſt, Pyrrhonis animum ad indifferentiam τῶν παθῶν mentemque ex utraque parte immotam & imperterritam iſtis Scepticiſmi ratiociniis, ut poſtea dicemus, tendentem, occaſionem cudendæ fabulæ dediſſe? Addimus his alia, quæ tantis deliriis non agitatum fuiſſe Pyrrhonem evincunt. Inter quæ imprimis ad Epicurum reſpiciendum eſt, ab iſta indifferentiæ intellectus & incertitudinis univerſalis rabie tantopere alienum, qui tamen, teſte LAERTIO [t] vehementer Pyrrhonem admiratus eſt, nempe, quod ἀταραξίᾳ iſta animi tranquillitatem fuiſſet conſecutus, & egregie de ea re differeret: quod Epicurus nunquam feciſſet, ſi ad hanc inſaniam fuiſſet dilapſus. Sed & tanta Pyrrhonis exiſtimatio fuit in patria, ut pontifex crearetur, dareturque hoc ejus honori, ut decretum fieret, quo omnibus philoſophis vacatio a muneribus publicis permitteretur. [u] Qualis quæſo vero pontifex, qui ita inſanit, ut quid faciat, delirans ignoret? Alias rationes, quibus ab hac labe purgari poteſt Pyrrho præterimus, hoc unum adjicientes, ipſam Scepticorum doctrinam, quæ in vita agenda ſenſuum uſum non rejicit, ſatis evidenter refutare fabulam a viris doctis dudum rejectam, & inter veteres quoque jam Æneſidemo [v] improbatam. Scilicet ἀκαταληψίαν Pyrrhonis non externam ſenſuum apparentiam rejecit, quam vitæ regulam non improbabant Sceptici, ſed dogmaticorum definitiones rerum, & ſcientiæ arrogantiam, cui evertendæ fundamenta rerum patere negabat; ex eo vero animum contra perturbationes imperterritum ſervare contendebat. Hunc ſcopum cum philoſophiæ aſſigna-

q) *ib.*

r) Ariſtocles apud EVSEB. *l. c.* LAERT. *ſ. 66.*

s) IIDEM *ll. cc.*

f) *ſ. 64.*

ff) Hinc convivia quoque ſplendida vitabat, frugalia non recuſabat, qua de re egregium exemplum ATHENAEVS affert *l. X. p. 419.* quod ejusmodi inſanienti indifferentiæ prorſus repugnat.

t) *ſ. 64.*

u) *ib.* LE VAYER. *Op. T. V. p. 213.* MENAG. *ad Laërt. l. IX. ſ. 63.* HVET. *l. c. p. 127.* BAYLE *l. c. p. 734.* BIERLING. *de Pyrrhoniſmo hiſt. c. I. §. 3. p. 734.* FABRIC. *Bibl. Græc. vol. II. p. 818.* STOLLIVS *Hiſt. phil. mor. gentil. p. 198.* conf. *Miſc. Lipſ. l. c. p. 241.*

v) Apud LAERT. *l. c. ſ. 62.*

ſignaret, & ad hanc unam metam impigre curreret, mirum non eſt, eum nec reliquis artibus & diſciplinis magnum ſtatuiſſe pretium, quæ Epicuro cauſa fuit, ut eum indoctum, & male eruditum vocaret, [w] nec ſcripſiſſe aliquid, [x] præter poëma aliquod, ad Alexandrum M. quod regia munificentia is remuneratus eſt. [y] Ex hac vero vitæ ejus circumſtantia confirmatur quoque quod ex LAERTIO [z] colligitur: floruiſſe eum circa Ol. CX. Vnde vel errat, vel de nativitatis anno intelligendus eſt SVIDAS, [a] qui ad Olymp. CI refert. Obiit fere nonagenarius, [b] quo tamen anno vita exceſſerit, veteres non definiunt. Quod ſi Olymp. CI. 1. natum dicamus, Olymp. CXXIII. 2.3. deceſſiſſe neceſſe eſt: quod ex eo quoque fit veriſimile, quod Ariſtocle teſte [c] Antigonus Caryſtius ei coævus fuit, quem circa ultimos Ptolomæi Philadelphi annos adhuc vixiſſe, recte IONSIVS [d] ſtatuit. Ptolomæus autem Olymp. CXXIV parenti, Ptolomæo Lagidi ſucceſſit. Poſt mortem ſtatuam ei poſuere Attici prope porticum; monumentum quoque in patria erectum eſt. [e] Pyrrhones duos alios veteres notat MENAGIVS, [f] cui addi poteſt tertius Metapontinus, ex diſcipulis Pythagoræ. [ff]

§. IV. Ex hac vitæ Pyrrhonis hiſtoria ratio jam facili negotio dari poteſt, quo modo ad Scepticiſmum is dilapſus ſit. Nempe *Origines Scepticiſmi Pyrrhonis.*

I. Democriti admirationi & philoſophiæ ejus ſtudio, quo rudimenta quaſi poſuit Pyrrho, plurimum adſcribendum eſt. *Capite* enim *undecimo*, ubi prolixe Democriteam philoſophiam proſecuti ſumus, pluribus demonſtravimus, negaſſe Abderitam omnes, quæ rebus ipſis ineſſe dicuntur, qualitates reales, adeoque omnes etiam, quæ in rebus ipſis laterent, differentias, & ad modificationes & ſenſationes animæ ex objectis externis oriundas eas revocaſſe; inde vero hoc deduxiſſe axioma, nihil re vera eſſe, præter atomos, reliqua conſtare opinione, diſpoſitione, ordine, ſenſuumque perceptione. Hæc cum didiciſſet Pyrrho, tantaque Democriteam ſapientiam proſequeretur admiratione, ut ſemper ejus cum magna honoris præfatione meminiſſet, [g] mirum non eſt, fundamentum hoc elegiſſe, cui totam philoſophiam ſuam ſuperſtrueret. Hoc enim ſemel admiſſo, negari Pyrrhoni non poteſt, nihil eſſe re ipſa certi, nec hoc magis vel illud re ipſa eſſe, ſed opinione, præjudiciis, ſenſuumque fallacia turbari omnia, quibus armis Pyrrhoniſmus facilem reportat victoriam.

w) LAERT. *l. X. ſ. 8.* Cum vero ipſe Epicurus encyclicas Græcorum literas exagitaret, & parciſſimum earum uſum admitteret, conjectura inde enaſcitur, longius proceſſiſſe Pyrrhonem, & de iis plane non fuiſſe ſollicitum, conf. GASSENDVS *de vit. Epic. l. V. c. 3. p. 136.* HVET. *l. c. p. 28.* Grammaticam contemſiſſe SEXTVS. EMP. teſtatur, *adv. Gramm. l. I. c. 13. ſ. 232.* Homerum tamen, quem Pyrrhonis tempora pro fonte omnis ſapientiæ habebant, diligenter legit, & in partes ſuas vocavit, cujus rei exempla affert LAERT. *ſ. 67.* quod negat quidem SEXTVS, *l. c. ſ. 281.* ſed veritate & αὐτοψίᾳ reclamante.

x) LAERT. *ſ. 102. & l. I. ſ. 16.* EVSEB. *l. c.* FABRIC. *l. c. p. 818.*

y) Decies mille aureorum, accepiſſe ait SEXTVS *l. c.* id eſt 25000. Thaleros, vid. FABRIC. *ad l. c. Sexti.*

z) Is *l. IX. ſ. 58.* Olymp. CX. Anaxarchum apud Alex. M. floruiſſe ait: cum eo vero fuit Pyrrho.

a) *l. c.* *b*) LAERT. *ſ. 61.* *c*) EVSEB. *l. c.*

d) *de Script. hiſt. phil. l. II. c. 4. p. 130.*

e) PAVSAN. *l. c.* MENAG. *ad Laërt. l. IX. ſ. 61.*

f) *l. c. ſ. 107.*

ff) IAMBLICH. *de vit. Pyth. c. XXXVI. n. 272.*

g) LAERT. *ſ. 67.*

II. Non vero ſola Democriti philoſophia Pyrrhoni ad Scepticiſmum delabendi occaſionem præbuiſſe videtur, ſed totius Eleaticæ ſcholæ etiam antiquioris philoſophandi ratio. Quæ cum ſenſibus fidem denegaret, & eousque procederet, ut hominum puerilem ſuperbiam, ſcientiam ſibi arrogantium exagitaret, veritatemque in profundo demerſam latere cenſeret, inque eo veterum philoſophorum ipſiusque Homeri exemplo uteretur, non potuit non Pyrrhonis animus in Eleaticorum ſchola educatus & formatus maximopere in fovenda incertitudine confirmari. Ejusmodi enim veterum dictis, quæ inania hominum ſtudia & pueriles nugas exagitant, valde eum deperiiſſe Philo Athenienſis ejus neceſſarius teſtatur apud LAERTIVM. [b]

III. Acceſſit his diſciplina dialecticorum, quam a Stilponis didiciſſe filio diximus. Cum enim in horum hominum ſchola, more illius vehementer ſophiſmatibus & cavillationibus urgeretur, non melius ei opponere poterat φάρμακον, quam hanc rerum omnium incertitudinem & ἀδιαφορίαν, quibus omnes una ſtrophas ſophiſtarum & dialecticorum proſternebat, victoriasque reportabat facillimas. Impenſe ea de re Pyrrhoni gratulatus eſt Timon Sillographus his verſibus. [i]

Miror, qui tandem potuiſti evadere Pyrrho,
Turgentes fruſtra, ſtupidos vanosque ſophiſtas,
Atque impoſturæ fallacis ſolvere vincla.

IV. Maxime vero ad ea vitæ ab omni perturbatione vacuæ exempla attendendum eſt, quæ de Pyrrhone retulimus, quamque vitæ tranquillitatem & imperturbatum ſtatum totius Scepticiſmi finem a Pyrrhoniis poni in ſequentibus dicemus. Ex his enim ſpeciminibus manifeſtum eſt, Pyrrhonem ad hanc mentis ἀταραξίαν & invictum robur, quam maxime reſpexiſſe, utque hanc obtineret animi conſtantiam, omnem de rebus ipſis, quatenus ad animum referuntur noſtrum, opinionem ejiciendam eſſe, ſtatuiſſe. Hoc cum nullius præſtare obſervaret ſectæ philoſophiam, quæ aſſerendis dogmatibus mentem turbabant magis, quam immotam reddebant, non potuit non ſcepticiſmum pro nobiliori philoſophiæ genere habere, eique totum ſe addicere.

V. Huic vero cum accederent infinitæ ſectarum tum ex Socratis ſchola prodeuntium diſſidia & controverſiæ, quibus tanquam inſulſum, falſumque & ineptum rejiciebat una, quod altera pro ipſo ſapientiæ fonte venditabat; cumque ita nuditatem ſuam mutuis inter ſe certaminibus detegerent philoſophi dogmatici, non poterat non animus ejus tranquillitatis ſtudioſus vehementer ab omni philoſophia dogmatica abhorrere, & deſperare de invenienda apud eam pace animi. Acciditque Pyrrhoni, quod omni fere tempore evenit, ut infinitæ de doctrinis vel incertis vel in dubium vocatis controverſiæ tandem Scepticiſmum parturiant.

VI. Non errabimus etiam, ſi exempla magnorum virorum, toties imbecil-

b) ib. i) ſ. 65.

becillitatem humani intellectus, difficultates in inquirenda veritate occurrentes, latentes rerum eſſentias, & innumeram opinionum ſeriem fatentium & deplorantium, Pyrrhonem in electa ſemel dubitandi de omnibus arte confirmaſſe credamus. Vti enim exemplorum hujusmodi a magnis viris profectorum maxima vis eſt, ita facile fuit, hominem principiis quibusdam phyſicis ad incertitudinem manu ducentibus imbutum iis non corroborari tantum in adamata hypotheſi, ſed & eo perduci, ut limites a veteribus, quorum exempla intuebatur, ſapienter poſitos migraret, & in extremum curreret. Alia non addimus, facile ex iis repetenda, quæ ſupra de cauſis enatæ philoſophiæ Academicæ, quæ eodem fere in luto cum Pyrrhonia hæſit, differuimus.

§. V. Diſcipulos habuit Pyrrho nonnullos, quorum illuſtriſſima fama fuit. Inter eos memorantur Eurylochus, de quo narrat LAERTIVS,[k] ita furore aliquando exarſiſſe, ut ſumto veru cum carnibus, coquum in forum uſque perſequeretur, quod ſpectaculum homini ſceptico, tantopere mentis imperturbatum ſtatum & ἀδιαφορίαν quærenti, indignum dubium non eſt, dogmaticos acerbe riſiſſe. A præceptore etiam hoc didicit, ut magnus ſophiſtarum inimicus eſſet, quos debellandi arma ipſi ſcepticiſmus ſubminiſtravit egregia. Tantopere tamen aliquando Elide eruditorum quæſtionibus fatigatus eſt, ut abjecto pallio Alpheum fluvium tranando eorum perſecutionibus ſe ſubduceret. Alius Pyrrhonis diſcipulus fuit Pyrrho Athenienſis,[l] homo præceptori in eo ſimilis, quod meditando ſolitudinem quæreret, turbam & ſtrepitum fugiens, nec multum vanis litibus & diſputationibus tribueret. Vnde non probamus vel IONSII[ll] opinionem, qui Philonem Dialecticum, Diodori Croni diſcipulum innui putat, vel interpretis LAERTII verſionem, qui, frequentiorem in diſputationibus, eum fuiſſe, vertit verba Græca: τὰ πλεῖσα διελέγετο:[m] nam utrumque cum Timonis verbis non conſpirat, qui eum vocat

Sectatores Pyrrhonis.

Οὐκ ἐμπαζόμενον δόξης ἐρίδων τε, Φίλωνα.

Nauſiphanem etiam Tejum, ſupra memoravimus, Pyrrhonis in differendo dexteritate & arte captum, in ejus diſciplinam tranſiiſſe. Hunc Nauſiphanem audiviſſe, ſecundum quosdam, Epicurum, ab eo vero tanquam plumbeum & indoctum, jactantiam ſophiſticam præ ſe ferentem, ut mancipiorum aliquod, traductum fuiſſe, capite quoque præcedente narravimus.[n] Sed & Hecatæus Abderita[o] & Numenius, cum Apameenſi non confundendus,[p] huc pertinent.

§. VI. Celeberrimus vero inter Pyrrhonis diſcipulos fuit Timon Phliaſius,[q] patre

Timon Phliaſius.

k) *Lib. IX. ſ. 68.* l) *ib. ſ. 67. 69.*

ll) *De Script. hiſt. phil. l. II. c. 1. p. 119.*

m) *Sæpe ſecum ipſo colloquebatur*, vertit STANLEIVS *p. 921.* quod ad marginem ita emendat OLEARIVS: *multum diſputabat.*

n) LAERT. *l. X. ſ. 7. 8.*

o) IDEM *l. IX. ſ. 68.*

p) *ib. ſ. 114.* conf. IONS. *l. c. l. III. c. 10. p. 265.*

q) Pleraque de Timone debemus LAERT. *l. IX. ſ. 109.* ſua ex APOLLONIDIS NICAEI commentario in *Sillos Timonis* haurienti. conf. SVIDAS in *Timon. T. III. p. 476.* Ex recentioribus IS. FRID. LANGHEINRICH duas nobis diſſertationes dedit *de Timonis vita, doctrina, ſcriptis.* conf. STOLL. *hiſt. liter. T. III. p. 763. ſeqq.*

patre Timarcho genitus. Iuvenis ſaltationi operam dedit; [r] poſtea vero animo mutatus Megaram ſe contulit, conveniendi Stilponis gratia, ſine dubio ut dialecticam ab eo diſceret, qua excellebat Stilpo, quæque quæſtuoſa tum inter Græcos diſciplina extabat. Cum eo aliquandiu verſatus in patriam rediit, uxoremque duxit. Poſt hæc Elidem profectus eſt, ut Pyrrhonem audiret, cumque uxorem haberet comitem, in illa apud Scepticum mora filios genuit: quorum majorem natu, Xanthum vocatum, in medicis, [s] ut erant Sceptici artis ſalutaris amantes, [f] inſtituit & inſtituti, vitæve generis ſucceſſorem reliquit, quod utrum ad ſcepticam philoſophandi, vel medicam viam pertineat, vel bonorum etiam ſucceſſorem indicet, ex incerta Apollonidis Nicæi apud LAERTIVM, [ff] quem ſequimur, phraſi accurate definiri non poteſt. Licet vix credi poſſit, Timonem vel de diſcipulis vel de ſucceſſore valde fuiſſe ſollicitum, cum Hieronymus de eo ſcripſerit: [t] *ſicut apud Scythas, & qui fugiunt, & qui perſequuntur, ſagittas mittant, ita & apud philoſophos, alios perſequendo diſcipulos capere, alios fugiendo, ut Timonem.* Cauſa ejus rei in vitæ commoditatibus ſtudioſe a Timone quæſitis latere videtur. Nam non ſolum multum ſibi vacationis a ſtudiis philoſophicis, teſte Antigono Caryſtio, [u] permittebat, hortorum ſtudioſus ac ſolitudinis, ſed & compotationum erat amator, [x] tantæque in arte bibendi fortitudinis, ut celeberrimum potatorem Lacydem, Cyrenæum, cujus ſupra mentio facta eſt, potando vicerit. [y] Hoc vitæ genere facultatibus conſumtis, cum neceſſariis deſtitueretur, Helleſpontum petiit, & Propontidem, philoſophiamque profeſſus, non in magno tantum honore fuit, [z] ſed & facultatibus auctus eſt. Inde Athenas ſe contulit, ibique ad obitum usque perſeveravit, niſi quod exigui temporis iter Thebas aliquando ſuſceperit. [a] Ceterum ut commode vixit, & neque prandii neque cœnæ tempus obſervavit, ita in ea animi corporisque *ἐυρολα*, [b] qua commoda utriusque diſpoſitione utebatur, eam *ἀδιαφορίαν* conſecutus eſt, quam Sceptica philoſophandi ratio ſibi præfigebat ſcopum. Iudicio uſus eſt acri & in nexum veritatis adeo penetrante, ut, non imbecillitatem tantum & defectus ratiociniorum male concludentium perſpiceret facillime, ſed & quo loco ſyſtemata eſſent infirmiſſima, accurate pervideret; qua ingenii acerrimi perſpicacia armatus omnes inceſſit philoſophos multoque eos ſale ſatyrico perfricuit, non judicando tantum, ſed & deridendo aliis ſuperior. Idque non ore tantum, ſed & calamo perfecit, quem non atramento tantum tinxit, ſed calumniis quoque in optimos quosque veteris

r) *ibid.* Ariſtocles apud EVSEB. *præp. l. XIV. c. 18.* theatro itaque operam ſuam locavit.

s) FABRIC. *Bibl. Gr. vol. XIII. p. 438.*

f) Cauſas hujus rei exponit SEXTVS EMPIR. *Pyrrh. hyp. l. I. c. 34. p. 63.* conf. FABRIC. *ad h. l.*

ff) Conf. MENAG. *ad h. l.*

t) *ib. f. 112.* *u*) *ib. f. 110.* *x*) *ib.*

y) ATHENAEVS *l. X. p. 438.* Tetigimus rem ſupra in hiſtoria Cyrenaicorum.

z) *ib.* Innotuit etiam Antigono & Ptolomæo Philadelpho regibus.

a) *ibid.*

b) Vſos fuiſſe hac voce Stoicos hoc ſenſu ſupra *c. IX.* oſtendimus, indeque conjicimus, ſenſum hunc eſſe obſcuri & ſine dubio corrupti loci LAERTII *f. 114.* *τοσοῦτον ἦν ἀδιάφορος, ἀλλὰ νῦν ἔυρους, ὡς μηδὲ ἀριςᾶν συγχωρεῖν*, MER. CASAVBONI explicatio enim textui non quadrat.

ris philoſophiæ doctores effuſis. Inde *Sillorum* poëma, [c] veteribus toties citatum, ad quod nos quoque aliquoties provocavimus, ſive ſatyra mordaciſſima, multoque felle repleta, qua nemini bono pepercit, ut ex fragmentis patet, quæ paſſim reperiuntur apud veteres, & collecta ſunt ab HENRICO STEPHANO. [d] Scribendi vero fuit cupidiſſimus, in poëticis fabulis & dramatibus componendis exercitatiſſimus, [e] qua nempe occaſione juxta morem Græciæ, licebat viros optime meritos populi libidini deridendos propinare. Ex quibus omnibus, quo animi charactere & temperamenti diſpoſitione fuerit, judicari poteſt facillime, & intelligi, qua ratione moribus & animi inclinatione a Pyrrhone totus diverſus, [f] eandem tamen philoſophandi viam ſecutus ſit, ut ex iis videre eſt, quæ Ariſtocles [g] de eo retulit. Parum tamen, ut ἀδιαφορίαν ad negligentiam usque excolebat, ſcriptorum ſuorum curioſus erat cuſtos, ſic ut neglecta apud eum jacerent, & perturbata, nonnunquam etiam corroſa, ut opus haberet, ea quæ deerant, ſi recitarentur, ex memoria ſupplere. [h] Mortuus eſt, cum annos fere XC attigiſſet, [i] nomenque inter ſuos illuſtre, ut habet Sotion, [k] fuiſſet conſecutus. A Timone miſanthropo, cognomento eo facile diſtingvitur, adjecto interdum Sillographi nomine.

§. VII. Mature Pyrrhonia ſecta poſt Timonem deſiit, adeo ut ſuo tempore dudum jam extinctam vocet CICERO, [l] isque Academicis magis quam Scepticis armis dogmaticos diſputando aggrediatur. Cujus cauſa non alia eſſe videtur, quam odium, quod Pyrrhonia ſecta meruit. Cum enim ſectas dogmaticorum philoſophorum omnes aggrederetur, ne iis quidem exceptis, quæ celeberrimum ſibi nomen & applauſum pepererant, Timon etiam mordacitate & calumniis in omnes philoſophos graſſans magnam ſectæ invidiam conflaſſet, ipſe vero ſectæ conditor Pyrrho, tanquam amens, omnemque ſocietatis humanæ rationem perdens traduceretur, fieri aliter non potuit, quin ipſa ſceptica philoſophandi via, quæ totum ſcientiarum circulum evertere videbatur, tandem odio cunctis eſſet, & vehementer contemneretur. Etſi vero animis acutum cernentibus non poterat diſplicere ea philoſophiæ methodus, quæ dogmaticorum faſtum & inanem ſuperbiam evertebat, & quam parum ſolidi Græcanicæ philoſophiæ ſectariæ ineſſet, pulchre demonſtrabat: ſecurius tamen illi ſub Academicorum, ex Platonis fama auctoritatem conſecutorum, nomine latebant, & eadem contra dogmaticos tela ejaculabantur. Defecit itaque teſte Menodoto, [m] poſt Timonem ſectæ ſcepticæ ſucceſſio publica. Nec obſtat, quod Menodoti auctoritati opponit HVETIVS, [n] Hippoboti & Sotionis teſtimoniis

Duratio ſectæ exigua.

c) Diſpoſitionem famoſi operis exponit LAERTIVS *f. III.* conf. EVSEB. *l. c.* FABRIC. *Bibl. Gr. vol. II. p. 820.*

d) In *poëſi philoſoph.* de Apollonidis Nicæi commentario vid. IONSIVS *de S. H. P. l. II. c. 3. p. 129.*

e) LAERT. *f. 113.*

f) Illum enim ſanguineo, hunc melancholico temperamento fuiſſe uſum utriusque vitæ hiſtoria loquitur.

g) Apud EVSEBIVM *l. c.*

h) LAERT. *f. 113.* i) *ib. f. 112.*

k) *ib. f. 110.* Alios Timones nominat cl. STOLLIVS *Miſc. Lipſ. T. III. obſ. LVII. p. 70.*

l) *De finib. l. II.* m) LAERT. *f. 115.*

n) *l. c. c. 14. §. 40. p. 151.*

niis apud LAERTIVM uſus,[o] fuiſſe Timonis diſcipulos, Dioſcoridem Cyprium, Nicolochum Rhodium, Euphranorem Seleucium, & Praylum Troadenſem; Euphranoris Eubulum Alexandrinum, Eubuli Ptolomæum, ſicque integram Scepticorum ſucceſſionem, usque ad Sextum Empiricum & Saturninum poſſe dari. Non enim hoc contradicit Menodoti relationi, qui non de privatis ſcepticiſmi profeſſoribus, ſed de publica ſucceſſione loquitur, teſtesque habet, non Ciceronem tantum, ad quem ſupra provocavimus, ſua jam ætate extinctam dudum Pyrrhonis ſectam profitentem, ſed & Ariſtoclem,[p] qui, Timoni diſcipulos publicos & ſectatores defuiſſe, innuit, donec paulo ante ejus ætatem Æneſidemus Alexandriæ eam ſectam revocaverit in lucem. Certe SENECAE[q] ætate publice docentes defuiſſe ſectæ huic ipſe docet, nec negat HVETIVS.[r]

Revocata ab Æneſidemo.

§. VIII. Actum itaque fuiſſet de ſecta Pyrrhonia, niſi Ptolomæus quidem Cyrenæus eam revocaſſet in lucem. Hunc Sarpedon & Heraclides audiverunt, Heraclidis diſcipulus Æneſidemus Gnoſſius ex Creta inſula fuit:[s] quia vero, teſte Ariſtocle,[t] Alexandriæ docuit, a quibusdam Alexandrinus dictus eſt. Vixit is eodem, quo Antiochus Academicus, tempore, Ciceroni coævus, librumque ſuum Lucio Tuberoni, quem alii Neronem vocant, ex proceribus Romanorum nobiliſſimo viro dicavit.[u] Is nova quadam luce ſcepticam philoſophiam perfudit, cum Academica philoſophandi ratio a genuina Arceſilai & Carneadis via ad Stoica placita, Antiocho auctore deſciſceret. Scripſit itaque ad conſervandum nobiliſſimæ philoſophiæ, quod putabat, generis honorem *libros Pyrrhonios* quorum ſummam nobis conſervavit PHOTIVS,[x] paſſimque ad eos provocat SEXTVS EMPIRICVS. Quo labore ſcepticam illum philoſophiam, tantum non oblivioni traditam reſuſcitaſſe, Ariſtocles[y] auctor eſt. Ceterum & hoc de eo notandum eſt, adamaſſe eum Heracliteam philoſophiam, ad quam ſcepticam viam eſſe non inepte profeſſus eſt.[z] Æneſidemum audivit Zeuxippus Polites, hunc Zeuxis, cognomine γωνιόπτης, hunc Antiochus Laodicenus; illum Menodotus medicinæ empiricæ ſectator, & Theodas Laodicenus. Menodoti diſcipulus Herodotus Tarſenſis fuit, Ariei diſcipulus; eum Sextus Empiricus ſecutus eſt, Sextum Saturninus.[a] De quibus omnibus tamen, ſi Sextum Empiricum excipias, exigua & fama & notitia ad nos pervenit, quæque nota ſunt, ad alteram hiſtoriæ philoſophicæ periodum pertinent, ubi hanc ſcepticæ philoſophiæ ſucceſſionem pluribus illuſtrabimus.

§. IX.

o) *l. c. ſ. 116.*
p) *l. c.*
q) *Qq. nat. l. VII. c. 32.*
r) *l. c. p. 152.* Scepticos veteres & novos diſtinguit SEXTVS *Pyrrh. hyp. l. I. c. 13.* ad quem locum vid. FABRICIVS.
s) LAERT. *ſ. 116.*
t) EVSEB. *præp. ev. l. XIV. c. 7.*
u) PHOTIVS *Cod. CCXII. p. 280.*
x) *l. c.*
y) *l. c.*
z) SEXT. EMP. *Pyrrhon. hyp. l. I. c. 29. ſ. 349. adv. phyſ. l. I. ſ. 357. l. II. ſ. 216.* Conf. de eo FABRICIVS *Bibl. Gr. vol. II. p. 818. 819. vol. X. p. 449.* & *ad ll. cc.* SEXTI.
a) LAERT. *l. IX. ſ. 116.*

§. IX. Ordo jam poſcit, ut ſyſtematis quoque ſceptici lectori exhibeamus imaginem. Verum nec ſectam proprie Scepticos habuiſſe, nec ſyſtema, ex iis ſine labore colligi poteſt, quæ initio hujus capitis differuimus. Tota enim eorum philoſophia, cum Dogmaticis eſſet oppoſita, non potuit non univerſali bello omnia prorſus ſyſtemata aggredi. Notante enim LAERTIO [b] *ſectarum omnium dogmata evertere contendebant Pyrrhonii, nihil ipſi dogmatis aſſerentes, atque ceterorum tantum enuntianda dogmata atque enarranda proponentes, nihil definiendo, neque hoc ipſum quidem, nihil definio. Ex eo vero: nihil definimus, animi affectio, indicabatur, quæ ἀϱϱεψία, dicitur, quod neutram in partem ſententiam propenſius inclinet. Idem volebant, dicentes: non hoc magis; quod non poſitive ſed negative proferebant &c.* Ex his enim & ſimilibus, fuſe a LAERTIO definitis colligi facili negotio poteſt, in certum placitorum ſyſtema philoſophiam ſcepticam coaleſcere non potuiſſe. Non enim definita rerum cognitione ad imperturbatum animi ſtatum pervenire ſe poſſe ſperabant, ſed potius illa ἀδιαφοϱία ex rerum incertitudine oriunda; ad quam obtinendam ſyſtemate opus non erat, ſed oppugnandæ tantum Dogmaticorum opiniones, & inter ſe conferendæ, objectiones formandæ, oſtendenda incertitudo, ut inde colligi poſſet: non eſſe hoc magis vel illud. Hincque intelligitur definitio Scepticiſmi ab Æneſidemo data, [c] quod ſit *memoria earum rerum, quæ videntur, ſive quomodolibet intelliguntur, ſecundum quam omnia omnibus conferuntur, eaque comparata inutiliſſima & perturbationis plena eſſe cernuntur.* Ita vero non ſcientiam conſtitui, ſed everti neceſſe eſt. Eleganter SENECA [d] de hoc hominum genere: *Illi* (Megarici) *mihi non profuturam ſcientiam tradunt, hi* (Sceptici) *ſpem omnis ſcientiæ eripiunt. Satius eſt ſupervacua ſcire, quam nihil: illi non præferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum, hi oculos mihi effodiunt. Non facile dixerim, utrum magis iraſcar illis, qui nos nihil ſcire voluerunt: an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil ſcire.* Non tamen hoc ita intelligendum eſt, ac ſi omnem prorſus humani intellectus uſum evertere voluerint, quod a Dogmaticis ipſis objectum occaſionem illis de perverſe explicata opinione ſua conquerendi dedit: ſed ſuppoſito ſenſuum & affectionum animæ uſu, Dogmaticorum explicationes & definitiones oppugnabant, nihil eorum, quæ illi afferebant ſciri poſſe aſſerentes. Hinc apud LAERTIVM, [e] de affectionibus & paſſionibus animæ ſe decernere, ajunt, & ſcire ſe v. g. quod dies ſit, quod vivant &c. Dogmaticis vero in iis non ſe conſentire, quæ ſe ſcire profiteantur, ſicque, ſe neſcire, quo pacto videant, vivantque. Id quod vel ideo notandum eſt, ne omnes prorſus ſenſus & rationem eos ejuraſſe putemus. [f]

Scepticum ſyſtema an detur?

§. X.

b) *ſ. 74.* c) *l. c. ſ. 78.* d) *Ep. 88.* e) *ſ. 103.* f) Conf. SEXT. EMP. *Pyrrh. hypotyp. l. I. c. 10. ſ. 19. 21.* HVET. *l. c. p. 141.*

Cauſæ Scepticiſmi.

§. X. In cauſas enati Pyrrhoniſmi inquirentibus ſi ipſi Sceptici audiendi ſunt, tota fere antiquitas hac via inceſſit, exemploque eos excitavit ſuo. Ajunt enim apud LAERTIVM:[g] principem in ea calcanda fuiſſe Homerum, poſtea ſeptem quoque ſapientes in ea fuiſſe verſatos, Archilochum item & Euripidem id genus philoſophiæ exercuiſſe; Xenophanem etiam, & Zenonem Eleatem, ac Democritum Scepticos fuiſſe, itemque Platonem, & Empedoclem, Heraclitum itidem & Hippocratem. Eadem fere jactat SEXTVS EMPIRICVS, & prolixe proſequitur PETRVS DANIEL HVETIVS,[h] qui omnes fere veteris orbis viros magnos & philoſophos in partes vocat. Quod ſi Sceptico ſenſu intelligatur, plane falſum eſſe, ex hiſtoria, quam hactenus proſecuti fuimus, philoſophica eſt manifeſtiſſimum, certo vero & reſtricto ſenſu admitti poteſt, ſed Scepticos parum juvat. Cum ἐποχῇ enim locutos fuiſſe, non Socratem tantum, quique ex ejus ſchola ex parte prodierunt, ſed & quos inter dogmaticos retulimus ſuo jure, Pythagoram, Ariſtotelem, & hos multo vetuſtiores philoſophos multos barbaricos, negari nec poteſt, nec debet; verum præter modeſtiam magnorum virorum, non omnem ſibi ſapientiam vindicantium, ſed limites humani intellectus modeſte agnoſcentium, ad arcani potiſſimum diſciplinam pertinet, qua ſervata arcana ſibi & diſcipulis intimioribus doctrina, ad vulgus & exotericos vel probabiliter, vel dubie & obſcure locuti ſunt, fidem potius poſtulantes, quam rationis aſſenſum extorquentes. Negari tamen nec hoc poteſt, fuiſſe dogmata apud veteres philoſophos quædam, quæ Scepticiſmo portam aperuerunt patentiſſimam. Inter quæ famoſiſſimum dogma merito numerandum eſt, cuncta fluere, nec uno quidem momento idem eſſe, quod prius fuit. Ex hac enim doctrina incertitudinem humanæ cognitionis ſequi, ipſi Pyrrhonii viderunt, Scepticiſmum viam ad hanc Heracliti opinionem eſſe fatentes,[i] ipſique, qui inter dogmaticos eminuerunt, Pythagoras, Plato, Democritus & Epicurus intellexerunt, qui cum materiæ fluxum negare non auderent, illi ut ſcientiæ objectum ſtabile exhiberent, numeros & ideas, ſive intelligibilia commenti ſunt, hi atomos immutabiles introduxerunt, aſtdum hypotheſes magis, quam evidentes veritates ſupponebant, hoc ipſo Scepticorum opinionem magis firmarunt, quam deſtruxerunt, fluxa, inque momenta mutabilia eſſe omnia, nec ſufficere iſtas hypotheſes, ut certam nobis firment ſcientiam. Verum & abſurda Megaricorum, ſive Dialecticorum, circa Pyrrhonis ætatem caput extollentium ſecta, cui præluſere Eleatici, meris cavillationibus de rebus omnibus diſputans, & turgida ac ſuperba Sophiſtarum gens, in utramque de argumento quovis partem differens, inter occaſiones naſcentis Pyrrhoniſmi merito referenda eſt.[k] Ea enim cum exemplum præivit, frivolis ratiunculis etiam certiſſimas rationes vocandi in dubium, tum miſeris cavillationibus Pyrrhonem & ſequaces induxit, ut omnem prorſus dogmaticorum philoſophiam eodem niti talo crederent.

g) *ſ.* 71.
b) *l. c. l. I. c. 4. p. 95.*
i) Vid. *not.* (z) Hinc inter fundamenta Pyrrhoniſmi hanc theſin refert PSEVDO-ORIG. *philoſophum. c. XXV. p. 155.* conf. SEXT. *l. c. l. I. c. 32. ſ. 56.*
k) Conf. HVET. *l. c. p. 107.*

derent. Qua in opinione non poterant non confirmari, cum ſectarum conditores reliquorum philoſophorum ſyſtemata tanquam falſa, inania, puerilia, & vero inimica traducerent, ſicque ſe invicem everterent, cujus rei & Ariſtoteles, & Zeno, & Epicurus luculentum ſpecimen ſunt. Ita enim de omni philoſophia dogmatica tanquam arenæ ſine calce inædificata & cohærente dubitandi juſtiſſima ipſis data cauſa fuit. His cum accederet & intellectus & voluntatis prava, & a ſua perfectione deſciſcens diſpoſitio, quæ vera Scepticiſmi omnis origo eſt, mirum non eſt, Pyrrhoniſmum tandem ejusmodi univerſalem triumphaſſe. Etſi enim eruditione haud vulgari [l] ex Scepticorum ſecta eminuerunt viri quidam magnæ famæ, certum tamen eſt, judicii defectum haud exiguum eos prodidiſſe, qui Scepticiſmo nomen dedere. Eruditos enim SEXTI commentarios in quos congeſtum eſt, quaſi in pharetram, quicquid telorum contra Dogmaticos torſerunt Sceptici, conſiderantibus, tot inania ſe offerunt ſophiſmata, tot pueriles nugæ, tot objectiones, nulla veriſimilitudinis lege graduque expenſæ, ut quam imbecille ſit ratiocinandi apud Scepticos artificium, pueris quoque prima artis rationalis præcepta tenentibus fiat manifeſtiſſimum. Nec alius Scepticiſmi in ſe character eſt, quicquid contra diſputet, magnus Scepticiſmi noſtro tempore patronus P. BAYLE, [m] quam infirmitas quædam intellectus, in veros rerum nexus & fundamenta non ſatis penetrantis, & verum a falſo, veriſimile a minus veriſimili diſcernere non ſatis apti. Huic tamen acceſſit magna vel ignavia, ut in Timone vidimus, vel ſuperbia, quam ubique Sceptici produnt, alto ſupercilio contemnentes, quicquid alii proferunt, ſeque plus ſapere, fortiusque pedibus præjudicia proculcare, quam alii ſomniantes, magnaque contradicendi audacia & libidine ducti, quæ totam denique ſectam odio & invidia obruit. Alia ſupra, cum de philoſophia Academica ageremus, ex parte jam tacta, hic non cumulamus, ſed philoſophis expendenda relinquimus.

§. XI. Fuiſſe magnam inter ſectam Pyrrhoniam & Academiam mediam cognationem, & Sceptici non negant, & ex ejus hiſtoria a nobis deſcripta liquet. Diſputarunt tamen jam veteres olim, an Pyrrhonii a Scepticis differant, [n] de quo argumento Plutarchus libellum conſcripſit, quem hodie deſideramus. Imprimis SEXTVS [o] in oſtendendo inter Pyrrhonios & Academicos diſcrimine doctum & induſtrium ſe præbuit, cujus argumentum docte illuſtravit eruditiſſimus HVETIVS. [p] Rem paucis ſic habe: I. Academici id, tanquam axioma, decernebant, ſtatuendo: nihil poſſe certo comprehendi; Pyrrhonii ne hoc quidem relinquebant, nihil poſſe nos ſcire, ſed & de eo dubie & cum incertitudine diſputandum eſſe, contendebant. II. Admittebant quidem cum Academicis Sceptici: dari

Diſcrimen inter ſectam Pyrrhoniam & Academicam.

l) Imprimis notitia doctrinarum omnium ſectarum & ſcientiarum requirebatur, ut poſſent oppugnari. Hinc tot egregiæ in Sexto Empirico de veteribus diſciplinis & placitis memoriæ.

m) *Dict. T. III.* art. *Pyrrho not. C. p. 732.*

n) SVIDAS *l. c.* GELLIVS *l. XI. c. 5.*

o) *Pyrrh. hyp. l. I. c. 33.* Æneſidemus apud PHOT. *Cod. CCXIII.*

p) *p. 139.* conf. VOSSIVS *de ſectis p. 110.* IONS. *de Scr. Hiſt. Phil. l. III. c. 6. p. 235. l. III. c. 15. p. 289.* PASCH. *Introd. in rem lit. mor. vet. p. 717.*

bonum & malum, illi vero dari in eo probabilitatis gradus, viderique aliquid magis minusve bonum vel malum cenſebant; hi ideo bonum aliquid dicebant, quia ita fert hominum opinio, unde ad rem ipſam examinandam non attendentes, judicium ſuſpendebant. III. Academici, præſertim Carneadis ſequaces aliquam veriſimilitudinem ineſſe rebus non negabant, gradusque quosdam concedebant; Sceptici non item, ſed omnes omnino res ſe perinde habere defendebant, judicium reſpuentes omne atque a ſenſibus pariter ac ratione veritatem non poſſe apprehendi, contendentes, ut fides proinde nunquam ſit habenda, ſed firmos atque immotos ſine opinione perſiſtere nos oporteat, de nulla re affirmantes, quod magis ſit, quam quod non ſit. IV. Sed & hoc Carneades concedebat, affici nos ab objectis trahique vel magis vel minus, ut propendeamus in hanc magis, quam illam, ſententiam: Sceptici τὸ πάθος quidem, quo homines reguntur, non rejiciebant, propenſionem tamen vel determinationem tollebant. V. Tandem in vitæ uſu probabilitatem ſequebantur Academici; legem, conſvetudinem, motumque naturalem Sceptici. Alia minutiora & ſubtiliora prætermittimus apud Sextum & Huetium legenda. Etſi vero interceſſiſſe aliquod inter Academiam præſertim novam & Pyrrhonis ſcholam diſcrimen facile concedi poteſt, id tamen exiguum admodum eſt, & verbis magis, quam re ipſa utraque ſecta diſſonat; Academicis ad modeſtiæ ſpeciem magis compoſitis, ne omnem ſenſum & rationem ejuraſſe viderentur, ut ſupra pluribus expoſitum eſt, & veteres [q] atque recentiores [r] agnoverunt.

Scepticæ philoſophiæ compendium.

§. XII. Verum ut ſcepticam philoſophandi viam recte cognoſcamus, dabimus breve *hypotypoſεων Pyrrhoniarum*, quas SEXTO EMPIRICO debemus, compendium, potiora incertitudinis & indifferentiæ philoſophicæ placita enarraturi. Ea vero huc redeunt:

I. Sceptica eſt facultas, quæ ſenſibus apparentia & ea, quæ mente & intellectu percipiuntur, confert inter ſe atque opponit quolibet modo. [s] Probe in hac definitione attendendum eſt, ad diſtinctionem inter ea, quæ ſenſibus apparent, & ea, quæ mente & intellectu percipiuntur. Etſi enim φαινόμενα φαινομένοις quoque opponebant Sceptici, incertitudinem tamen, τῶν φαινομένων in eo potiſſimum quærebant, quod τὰ νοέμενα, ſive ea, quæ mente percipiuntur, & ratiocinatione ex apparentibus concluduntur, illis contraria ſint, adeoque ſenſuum imagines cum notionibus intellectus non conveniant, ſed aliæ videantur. Quod in Eleaticorum ſchola jam obtinuiſſe, *capite hujus libri undecimo* enarravimus.

II. Poſſunt vero apparentia apparentibus, quæque mente concipiuntur, his ſimilibus, vel hæc illis quolibet modo opponi. [t]

III. Finis Scepticæ eſt, imperturbatus mentis ſtatus (ἀταραξία) circa ea, quæ ad opinationem ſpectant, & in coactis, id eſt iis, quæ evitari nequeunt, adfectuum moderatio (μετροπάθεια). [u] Expreſſiſſe vita hunc fluctuan-

q) ORIG. *philoſophum. p. 4. 154.* ideo Pyrrhonem Academicis aggregat.
r) HVET, *l. c.* BAYLE *l. c. not. A.*
s) *Lib. I. c. 4. ſ. 8.*
t) *ſ. 9.*
u) *c. 5. ſ. 12. c. 12. ſ. 25. ſ. 202. 232. l. III. ſ. 235. adv. Eth. ſ. 111.*

ctuantis philoſophiæ finem Pyrrhonem, ſupra diximus, & veteres apud LAERTIVM [x] teſtantur. Tanta vero fiducia hunc ſe finem conſequi poſſe ſperabant, ut non ἀφασίαν tantum, ἀταραξίαν atque ἡσυχίαν ſe obtinuiſſe jactarent, ſed Æneſidemus quoque ſe ἡδονὴν plane percepiſſe, mentisque voluptatem maximam, teſte ARISTOCLE [y] aſſereret. Id quod non alio ſenſu admitti poteſt, niſi quod ſceptico fortius ſe, & majori acumine ratiocinari, quam alios homines, ſomnianti ex oppugnatis & everſis, quod credit, omnium hominum opinionibus & ratiociniis magnum oritur gaudium de tanta intellectus ſui eminentia. Hæc vero voluptas ex Scepticorum mente illi tranquillitati & quieto animi ſtatui opponenda non eſt, ſed conjungenda; idem enim vult, quod alio loco SEXTVS dicit, vivere ξῆσαι μετ' ὑσιχίης, καὶ ἀφροντίςως καὶ ἀκινίτως, cui ἀνάγκην τῶν παθῶν, adjiciebant, quod ea ſe coactos pati dicerent. Vnde ἀπάθεια apud LAERTIVM, [z] a Scepticis quibusdam pro fine habita, ſenſu nimis preſſo & ſpeciali ſumenda non eſt, ſed ex his explicanda. [a]

IV. Principium Scepticæ, quo nititur, eſt præcipue hoc: Omni rationi rationem æqualis ponderis & momenti opponi. [b] Protagoram primum fuiſſe, qui hoc dubitandi de omnibus principium in philoſophiam introduxerit, ſupra multis enarravimus, [c] a quo ad Pyrrhonem delatum, vaniſſimæ arti fundamentum exhibuit miſerrimum: quo ante Protagoram Zeno quoque Eleates, & poſt eum, qui magnis clamoribus Græciam replerunt Sophiſtæ & Dialectici uſi ſunt.

V. Scepticus decreta nulla ſtatuit, non, quod iis, quibus per phantaſiam cogitur, non afficiatur, iisque aſſentiatur, ſed quod aſſenſum denegat iis, quæ dubia & incerta ſunt earum rerum, de quibus in ſcientiis quæritur & ambigitur. [d]

VI. Propria ita ſignificatione ſectam Scepticus non habet, id eſt, inclinationem ad dogmata multa, quæ convenientiam inter ſe & cum iis, quæ ſenſibus apparent, habeant, & velit, dogma eſſe ad rem aliquam incertam aſſenſum.

VII. Sin quis dicat ſectam eſſe inſtitutum, quod ſecundum, quod ſenſibus apparet, rationi alicui adhæreat, illa ratione monſtrante, quomodo recte vivere videri poſſimus, & ad aſſenſus retentionem tendente, tum ſectam habere dici poteſt. [e] Ita quidem objectiones dogmaticorum, quibus inſanire Scepticos dicebant, evitabant: qui, cum opponerent, ita eos nec videre, nec audire, nec ſentire, hoc Sceptici quidem, a ſe afferi negabant, ſed rationem ejus rei, quæ ſenſibus objicitur, quamque afferebant Dogmatici, contrariis rationibus evertebant, ſibique eam non conſtare dicebant: qua de re videſis, quæ monet LAERTIVS. [f] Hinc porro ſequitur:

VIII. Non evertit itaque Scepticus, quæ per phantaſiam patientem

x) *Lib. IX. f. 68.*
y) Apud EVSEB. *præp. l. XIV. c. 18.*
z) *Lib. IX. f. 108.*
a) Nempe cuncta abſolvit ἡ πραότης.
b) *c. 6. f. 12.*
c) LAERT. *l. IX. f. 68.* MENAG. *ad h. l.*
d) *c. 7. f. 13.*
e) *c. 8. f. 16. 17.*
f) *Lib. IX. f. 105.*

invitos nos ad assensionem adducunt, nempe apparentia; sed id, quod dicitur de re apparente. [g]

IX. Criterium Scepticæ institutionis est id quod sensibus apparet, quatenus enim id in persuasione & haud voluntaria affectione positum est, ambigi de eo non potest. [h] Loquitur Sextus de criterio practico non de theoretico, quod negabant Sceptici.

X. Apparentibus igitur acquiescendo, ea quæ ad vitam communem pertinent, observantes vivimus. Quadruplex vero horum observatio est, partim enim in naturali instructione versatur: partim in impulsu & coactu passionum, partim in constitutione legum & consuetudinum, partim in traditione artium. [i]

XI. Qui opinatur, statuitque, aliquid natura bonum vel malum esse, turbatur semper; quamdiu enim non adsunt ea, quæ bona esse videntur, & ab iis quæ natura mala sunt, putat se torqueri, & persequitur bona, ut ea quidem judicat. Iam vero ubi ea acquisivit, in plures perturbationes incidit, tum quod præter rationem agit, & immodice se effert, & quoniam mutationem timet, totus in hoc est, ne amittat ea, quæ videntur ipsi bona. [k]

XII. Sperare itaque potest Scepticus, se imperturbatum mentis statum adepturum, disparitatem eorum, quæ sensu percipiuntur, & eorum, quæ intellectu, dijudicando, cumque id non efficere potest, assensum retinendo. Ad hanc vero retentionem pervenit per mutuam rerum inter se oppositionem. [l]

XIII. Sunt vero, juxta Scepticos modi numero decem, sive loci communes, quibus assensio retinenda colligi videtur. [m]

XIV. Primus modus est, secundum quem pro differentia animalium, non eædem ab iisdem objiciuntur imagines sive phantasiæ. Hoc autem colligitur, & ex diversis generationibus, & differentia, quæ est in corporum constitutionibus. [n]

XV. Secundus modus est, qui est ab hominum diversitate; qui & animo & corpore differunt, & corpore quidem forma & temperaturis propriis: animo variis opinionibus. [o]

XVI. Tertius modus est a sensuum diversitate: differre enim sensus manifestum est, svave v. g. naribus est balsamum, lingvæ grave. [p]

XVII. Quartus modus a circumstantiis ducitur, quo nomine intelliguntur habitus sive dispositiones ac conditiones diversæ: quæ animadvertuntur, prout secundum naturam quis aut præter naturam in vigilia aut somno, in ætate diversa constitutus &c. aliquid sentit, in motu aut quiete,

g) SEXT. *l. c. s. 17.* h) *c. 11. s. 22.*
i) *s. 23. 24.* k) *c. 12. s. 26. 27.*
l) *c. 13. s. 31.*
m) Doctrina de decem tropis locisque retinendi assensus, in Scepticorum libris utramque fere fecit paginam, unde Pyrrhonis tropos vocat PLVTARCHVS *peculiari libello*, apud LAMPRIAM. Eos habes etiam apud LAERT. *l. IX. s. 79. seqq.* quos præter Plutarchum Æneside mus & Favorinus scriptis illustrarunt vid. LAERT. *l. IX. s. 106.* MENAG. *ad s. 79.* GELLIVS *l. XI. c. 5.* ex recentioribus illustrant LE VAYER & HVETIVS. *ll. cc.*
n) *ib. s. 40.* LAERT. *l. c. s. 79.* utitur hic imprimis exemplis generationis æquivocæ, quam tanquam certam supponit.
o) *ibid. s. 79.* p) *s. 92. seqq.*

quiete, in odio aut amore, in inedia aut ſaturitate, in eo ſi ebrii ſimus aut poti: item in prædiſpoſitionibus, in confidentia aut metu, in mœrore aut gaudio. [q]

XVIII. Quintus modus eſt, ex poſitionibus & intervallis & locis: nam ex unoquoque horum eædem res diverſæ apparent. [r]

XIX. Sextus modus eſt ex admiſtionibus, ex quo inferimus, quum nullum ſubjectum ſub ſenſus noſtros ipſum per ſe cadat, ſed cum aliquo; qualis quidem ſit permiſtio & ex externo, & ex eo, quocum cernitur, poſſe nos fortaſſe dicere: quale autem ſit externum ſubjectum pure & ſincere, nequaquam dicere poſſe. [s]

XX. Septimus modus eſt ex quantitatibus & conſtitutionibus ſubjectorum, quo nomine omnes compoſitiones veniunt, quæ ita differunt & variantur, ut manifeſtum ſit, cogi nos ad retinendum de natura rerum aſſenſum. [t]

XXI. Octavus modus eſt, ex relatione ad aliquid, ſecundum quem colligimus, nos, cum omnia ſint ad aliquid, de hoc, quænam ſint per ſe & ſecundum naturam ſuam, retenturos aſſenſum. [u]

XXII. Nonus modus eſt ex crebro aut raro contingentibus, dum ita res variare videntur, prout crebro aut raro videntur & obſervantur. [x]

XXIII. Decimus modus eſt moralium, oriturque ex inſtitutis & conſvetudinibus, ac legibus, fabuloſisque perſvaſionibus & dogmaticis opinionibus, quæ omnia ſibi invicem opponi indeque cauſæ aſſenſus retinendi colligi poſſunt. [y]

XXIV. Modis his Sceptici ætate poſteriores [z] addidere quinque alios aſſenſionis retinendæ locos; 1. a diſſidentia, qua comperimus de re propoſita diſcrepantiam indijudicatam & in vita & apud philoſophos fuiſſe. 2. Qui in infinitum delabitur, ſemper novam in infinitum rationis allatæ confirmationem poſtulans. 3. A relatione ad aliquid, ubi quoad ipſum quidem dijudicans, atque ad ea, quæ ſimul in contemplationem veniunt, tale aut tale apparet ſubjectum, quale autem ſit natura, de eo aſſenſum retinemus. 4. Ex ſuppoſitione aliqua, ſive hypotheticum, quum dogmatici videntes ſe in infinitum rejici, principii loco ponunt aliquid, quod non adſtruunt, ſed nude & ſine demonſtratione, per conceſſionem ſibi ſumere volunt. 5. Dialelum, ſive alternatorium modum, cum id, quo rem, de qua quæritur, confirmare debemus, ipſum ab ea, ut mutuo confirmetur, indiget; & tum quod neutrum ad alterum adſtruendum poſſimus accipere, de utroque aſſenſum retinemus.

XXV.

q) ſ. 100. ſeqq.

r) ſ. 118. ſeqq.

s) ſ. 124. ſeqq. Exemplo eſſe poſſunt ictero laborantes.

t) ſ. 129. ſeqq. Medicaminum compoſitionibus hanc viam Sceptici illuſtrant.

u) ſ. 135. ſeqq. Solidiori tractatione quam Sextus habet, hanc rerum relationem & exorta inde animi judicia explicat LOCKIVS *de intell. hum. l. II. c. 25. §. 7. p. m. 387. ſeqq.*

x) ſ. 141. Exemplo eſſe poteſt cometa; terribilis, quia raro videtur.

y) ſ. 145.

z) Diſcipulos Æneſidemi intelligit, vid. *c. 15. ſ. 164. ſeqq.*

XXV. Dogmaticorum ætiologiæ octo refelli poſſunt modis: [a] 1. quando cauſæ aſſignatæ genus in rebus non evidentibus verſatur, nec habet confeſſam ex evidentibus approbationem. 2. Quo ſæpe fit, ut quum magna ſit in varias partes inclinandi occaſio, adeo ut multis modis poſſit ratio rei, de qua quæritur, afferri, uno tantum modo nonnulli rationem afferunt Dogmatici. 3. Quum eorum, quæ ordinate fiunt, rationes reddunt, quæ nullum ordinem oſtendunt. 4. Quando accipiunt apparentia, ut fiunt, putantque, ſe etiam non apparentia, qua ratione fiant, comprehendiſſe: quum ea, quæ non apparent, eodem fortaſſe modo efficiantur, quo apparentia, fortaſſe vero non eodem, ſed peculiari quodam modo. 5. Quatenus univerſi propemodum, prout ipſi elementa ſupponunt, non autem ſecundum communes & confeſſas rationes, cauſam reddunt. 6. Quatenus ſæpenumero quæ ſuis ſuppoſitionibus expediri poſſunt, arripiunt, at quæ illis repugnant, quamvis æque ſint probabilia, prætermittunt. 7. Quum ſæpe reddunt rationes, quæ non modo rebus apparentibus, ſed etiam propriis ipſorum ſuppoſitionibus repugnant. 8. Quando ſæpe contingit, ut quum æque dubia ſint, quæ apparere videntur, atque ea, de quibus quæſtio eſt, ſententiam ſuam de dubiis ex æque dubiis aſtruunt. Ita Æneſidemus, qui licet more Scepticorum in eo peccet, quod omnes omnium philoſophorum rationes ad ejusmodi paralogiſmos revocari poſſe ſtatuit, pulchre tamen, quam miſera ars ratiocinandi inter Græcanicos philoſophos fuerit, oſtendit. Exemplis octo hos modos illuſtrat FABRICIVS. [b]

XXVI. Rationem afferre, quæ conſentiat cum omnibus philoſophiæ ſectis & cum conſideratione rei atque ſenſui apparentibus forte impoſſibile, nam & ſenſui apparentia & obſcura omnia controverſa. [c] Valde vel fallitur vel fallit Sextus hac aſſertione. Si enim Dogmaticos intelligit omnes, certum eſt, dari communia quædam axiomata ab omnibus, qui affirmant aliquid, philoſophis admiſſa & in ſe clariſſima, nec inter eos unquam controverſa, e. g. Impoſſibile, eſſe aliquid ſimul & non eſſe; ex nihilo nihil fieri, hisque ſimilia. Quod ſi Scepticos, uti videtur intelligit, communibus etiam notionibus bellum indicentes, a ſua parte dum auctoritatem petit, vitioſum committit circulum. Qua tamen ratione Sceptici plerumque rationes ſolebant ſubducere.

XXVII. Sequitur ex his, non abſtinere tantum Scepticum ab omni aſſenſu definiendo, ſed etiam a vocibus phraſibusque, quæ ejusmodi aſſenſum, vel poſitivam quandam ſententiam innuunt. Hinc voces ejus ſunt: nihil definiendum; nihilo magis hoc vel illud, fortaſſe & non fortaſſe, licet & non licet, fieri poteſt &, non fieri poteſt, aſſenſum cohibeo; omnia ſunt incomprehenſibilia, non concipio, non comprehendo, &c. Immo, eſſe, idem eſt, ac videri. [d]

XXVIII.

a) *c. 17. ſ. 180. ſeqq.* Sæpiſſime ita in ratiocinandi artem impegiſſe dogmaticos veteres, hiſtoria teſtatur.

b) *Ad h. l.*

c) *ſ. 185.*

d) *c. 19. 20. 21. 22.*

XXVIII. Ita vero Scepticus nihil definit, ut afferat, quæcunque examinaverit ex illis, quæ dogmaticorum quæſtionibus agitantur, talia ſibi eſſe videri, ut nihil eorum magis aut minus fide dignum exiſtimet, quam contrarium. [e]

XXIX. Eandem rationem ſequitur, cum dicit, omnia eſſe incomprehenſibilia; adeo ut hoc idem valeat, ac ſi ita loqueretur: omnia, quæcunque percurri ex iis incertis, quæ dogmaticorum quæſtionibus agitantur, mihi videntur incomprehenſibilia. [f] Ita a rebus ipſis ad ratiocinandi modum a Dogmaticis adhibitum Sceptici incertitudinem transferebant, invidiam dogmatis ab Arceſilao defenſi, res omnes in ſe eſſe incomprehenſibiles, declinantes, telumque evitantes, quod in Arceſilaum, teſte CICERONE, [g] torquebant Dogmatici: A phantaſia itaque res, quales illi offeruntur comprehendi non negabant, ſed aſſentiri ſe iis non poſſe, quæ a comprehenſiva phantaſia offeruntur, contendebant.

XXX. Differt itaque Sceptica diſciplina ab omnibus aliis, quæ cognationem cum ea habere videntur, e. g. ab Heracliti, Democriti, Cyrenaica, Protagoræ & Academica philoſophia, itemque a ſecta medicorum Empirica. Prolixe & non ſine multa veteris philoſophiæ eruditione in hoc argumento demonſtrando verſatur SEXTVS, [h] dignus, qui ab hiſtoriæ philoſophicæ accurate gnaro ipſe legatur. Nam in his omnibus erat aliquid affine Scepticis, ſed qui tamen ab illis varie diſſidebant. Heraclitus enim, dum contraria circa idem eſſe pronuntiabat, frigidam ſuffundebat Scepticis, quos viam Heraclito parare, Æneſidemus dixit: in eo tamen ab illo diverſi, quod ne hoc quidem dogmatice afferebant, ſed videri ſibi, forteque ſic eſſe pronuntiabant. Democriti qualitates ex atomorum ſitu & modificatione non in objectis ſed ſenſibus exiſtentes huc quoque viam ſtruere, ex ſupra dictis notum; ille tamen atomos & vacuum dogmatice ponebat. Cyrenaicos criterium in ſenſu & paſſione ſola poſuiſſe, cetera comprehendi non poſſe aſſeruiſſe, ſuo loco docuimus; ſed hi quoque & modo & fine a Scepticis differebant. Nec certiora Protagoras dedit, cui omnium rerum menſura ſive criterium homo eſt, ut capite undecimo dictum; dogmatico tamen principio nixus, omnia fluere, nec aliter exiſtere, quam ut ſunt entia hominis animum afficientia, quæ in momenta mutantur: quo ipſe a Pyrrhonis diſcedit. Methodicam vero medicorum ſectam propinquiorem Scepticæ eſſe Empirica, ipſe, qui huic adhæſit SEXTVS demonſtrat.

XXXI. Non datur criterium veri aut falſi theoreticum, licet Scepticus admittat practicum: alio enim iterum opus habet criterio, unde ejus veritas dijudicetur, & ſic in infinitum, quod abſurdum eſt, & vitioſe concludit. [i]

XXXII.

e) *ib.* f) *c. 25.* h) *c. 29. ſeqq.*
g) In *Lucullo c. 6. 18.* conferenda quæ *c. VI. Sect. II.* de Academicis diximus. i) *Lib. II. c. 4. ſ. 18. ſeqq.*

XXXII. Non poteſt intelligi comprehendive criterium a quo, ſive homo, qui judicat. Rationem SEXTVS [k] affert, quod diſſentiant Dogmatici, quid homo ſit. Socrates enim apud PLATONEM [l] faſſus eſt, neſcire ſe, utrum ſit homo an aliud quidpiam? Democritus dixit, hominem eſſe, quod omnes ſcimus: Epicurus hominem eſſe aſſeruit tali forma præditum atque animatum, qualem videndo anticipatione novimus, ut habet LAERTIVS. [m] Stoici cum Peripateticis hominem dixere animal rationale. Plurima habet, quæ his definitionibus opponat Sextus, ſed more diſputandi ſophiſtico uſus; pervertit enim mentem philoſophorum, e. g. Democriti, qui non quamvis ideam rei alicujus hominem eſſe dixit, ſed hominis notionem ex intima conſcientia notam eſſe aſſeruit.

XXXIII. Nec intelligi poteſt, ſecundum cujus hominis ſententiam pronuntiandum ſit. Cum enim magna hominum ſit diverſitas, non poſſunt inter ſe conſentire Dogmatici, cujus hominis ſententia ſequenda ſit: e.g. Epicurei, an Cyrenaici, an Stoici? &c. [n]

XXXIV. Nec aliter circa criterium per quod videtur, ſive ſenſum & intellectum; homo vero nec per ſolum ſenſum judicare poteſt, nec per ſolum intellectum, nec per utrumque ſimul, ad quorum unum omnes Dogmaticorum opiniones de criterio per quod redeunt. [o]

XXXV. Par quoque ratio eſt criterii ſecundum quod, quod ſtricto ſenſu criterium dicitur; phantaſia enim intelligi non poteſt, quam quidem Stoici dicunt, eſſe impreſſionem in principatu mentis (ἡγεμονικῷ). Impreſſio vero ejusmodi in mente, ceu ſigilli fieri non poteſt, cum priores impreſſiones poſterioribus delerentur. Quin etiam ſi poſſet intelligi phantaſia, nihilominus incomprehenſibilis eſſet, cum ſit paſſio principatus mentis, quæ comprehendi non poteſt, uti nec ipſa mens. Nec per ſe ipſam applicat ſe ad externa, & imagines concipit, ut ajunt, ſed per ſenſus: at vero ſenſus externa quidem ſubjecta non comprehendunt, ſed ſolas forte paſſiones ſuas. [p]

XXXVI. Quod ſi etiam concedamus per ſuppoſitionem, aliquod eſſe veritatis criterium, inutile tamen & vanum comperitur eſſe, cum ex iis, quæ Dogmatici dicunt, doceri queat, non exiſtere veritatem, nec poſſe ſubſiſtere verum, quod a veritate ſubſtantia, conſtitutione, potentia differt. Verum enim incorporeum eſt, veritas corpus. [q] Pungi hoc argumento Stoicos, ex horum logica apertum eſt, quos verum ex vero per circulum probare Sceptici contendebant.

XXXVII. Non habet res obſcura ſignum, ex quo demonſtrari poteſt, rem obſcuram hoc magis eſſe quam illud. [r] Etiam hoc Stoicis oppoſitum eſt, qui ſignum in commonefactorium & indicatorium diſtinguebant. Com-

k) *c. V. ſ. 72.*
l) In *Theæt. T. II. p. 127.*
m) *Lib. X. ſ. 33.*
n) *ſ. 37.*
o) *c. 7. ſ. 70. ſeqq.*
p) *c. 8. 9. ſ. 80. ſeqq.*
q) *c. 10. ſ. 87.*
r) *c. 6. ſ. 48. ſeqq.*

Commonefactorium, quod & ſenſibile vocabant, ut habet LAERTIVS, [r] eſt, quod una cum re ſignata oblatum, evidenter obſervatumque, ſimul atque ſub ſenſus noſtros ceciderit, illa interim obſcura exiſtente, ducit nos ad recordationem ejus, quod una cum eo obſervatum fuit, & nunc evidenter ſub ſenſus non cadit, ut videre eſt in fumo & igne. Indicatorium autem ſignum eſt, quod non obſervatum una cum ſigno evidenter, ſed ex propria natura & conſtitutione ſignificat id, cujus eſt ſignum, quemadmodum corporis motus ſunt ſigna animæ. [s] Priori Pyrrhonii non contradicebant, ſed poſteriori, nempe demonſtrativo, cum admonitorium ex eorum hypotheſi fidem in vita communi obtineat: illud vero a dogmaticis confictum iis videatur.

XXXVIII. Sed nec connexi ratio atque veritas comprehendi poteſt, cum conſequentia conſequentis ad antecedens vitioſo mutuo probandi unum per alterum modo nitatur. Nam ut dijudicatio connexi demonſtretur, concluſio ſumtiones demonſtrationis ſequitur; ut viciſſim hoc credatur, oportet connexum & conſequentiam demonſtratam eſſe. [t] Vrget hoc Sextus adverſus logicam Stoicorum hypotheticis potiſſimum ratiociniis utentium, & quidem iisdem prorſus armis, cum ſignum indicatorium, quod ſupra negaverat, forma ratiocinii hypothetici ſit, unde in ipſam ratiocinationis formam inſurgit, adeo ut & neget comprehendi poſſe, quid antecedens ſit, quid conſequens in enuntiatione.

XXXIX. Manifeſtum ex his eſt, ne demonſtrationem quidem rem eſſe de qua conſtet. Nam nec partes ratiocinii ſimul coëxiſtunt, & ita nec ipſa demonſtratio ex iſtis compoſita; nec argumentum colligendi vim habens, quale ſit, comprehendi poteſt, cum conſequentia connexi quid ſit, controverſum ſit. Sed & argumentationes indemonſtrabiles ad colligendum ineptæ ſunt, ineſt enim iis ſuperfluitas, cum in iis nimia ſit & ſuperflua propoſitionum una. [u] Etiam hoc Stoicorum dialecticæ oppoſitum eſt, qui plura argumentorum ἀναποδείκτων genera conſtituere, quæ ad quinque Chryſippus reduxit. Ea ἀσύναχτα eſſe, nec cogere ad colligendum Sextus operoſe contendit, objecto τῆς παροληῆς vitio. [x]

XL. Eadem, ut ex allatis conſtat, ſyllogiſmorum ſimplicium ratio eſt, quia propoſitiones univerſales ex ſingularibus per inductionem confirmantur, particularium veritas ex univerſalibus vitioſo probandi genere per circulum demonſtratur. [y] Satis in his produnt Sceptici, nec ſibi nec quos aggrediuntur, Stoicis veram ratiociniorum intellectus humani naturam fuiſſe notam, quam hæ objectiones non tangunt. Ipſa enim ratiocinationis forma non inductione, ſive propoſitionis univerſalis veritate nititur, ſed relatione idearum obſcurarum in quæſtione ratiocinio demonſtranda occurrentium, ad ideam tertiam ſive mediam, quæ inductione colligitur.

r) LAERT. *l. IX. ſ. 91.*
s) Plura de hac logicæ Stoicæ parte ipſe SEXTVS *c. 11. ſ. 104. ſeqq.*
t) *ſ. 113. ſeqq.*
u) *c. 12. ſ. 134. c. 13. ſ. 149. ſeqq.*
x) Conf. FABRIC. *ad h. l.*
y) *c. 14. ſ. 193.*

ligitur. Verum hoc omnis dialecticæ Græcanicæ vitium fuit, ut ratiocinia ex ſermonis magis, quo proferuntur ordine, quam intellectus ratiocinantis operatione dijudicarent, quod non potuit non tam inſulſas parere objectiones.

XLI. Imo nec inductio poſſibilis eſt, quod ad eam requiritur, ut omnia ſingularia percurrantur, nullo prorſus prætermiſſo, id quod impoſſibile eſt, cum infinita ſint ſingularia nullisque circumſcripta terminis. [z] In plerisque hoc inductionibus accidere, ut ultra probabilitatem non valeant, recentiores logici non negant. [a] Sunt tamen ſingularia quædam numero pauca, quæ facile percurri poſſunt. Quin & inductio certa fit, quæ a priori ex natura rei ejus neceſſitatem demonſtrat, licet a poſteriori impoſſibile ſit, omnia percurrere ſingularia. E. g. Homines ratione gaudere, ex eorum natura manifeſtum eſt, licet omnes omnino homines, ſigillatim percurrere ſit impoſſibile. Verum talia non curant Sceptici, contenti, attuliſſe ſe objectionem quandam, qua oſtendi queat, etiam apertiſſimas veritates dubiis eſſe ſubjectas. Recte itaque Scepticam Græcorum rationis humanæ hoſtem dixeris.

XLII. Porro nec definitiones uſum habent: qui enim definit, non comprehendit ex definitione, id quod definitur, ſed rei jam comprehenſæ appoſuit definitionem; & ſi omnia definire velimus, omnino nihil definiemus, eo quod in infinitum prolabemur: ſin dicamus, aliqua etiam ſine definitione comprehendi poſſe, concedimus definitiones non eſſe neceſſarias. [b] Iucundo & ridiculo exemplo hoc illuſtrat SEXTVS, [c] quod ineptis etiam quibusdam recentiorum temporum hominibus debebat opponi.

XLIII. Immo hoc quoque nomine definitiones inutiles ſunt, cum definitionum prius veritas probanda ſit, quod infinitas gignit controverſias. [d]

XLIV. Genus & ſpecies aut notionibus mentis accenſentur, aut propriam ſubſiſtentiam habent. Si prius eſt, eadem incertitudine laborant, qua mens & phantaſia; ſin hoc, non poſſunt ſpecies generibus comprehendi, quia propriam ita ſubſiſtentiam non haberent; ſi vero non comprehenduntur, deſunt eſſe genera & ſpecies. Prius Stoicis, poſterius Platonicis oppoſitum eſt, quos fuſe hoc loco SEXTVS [e] oppugnat, iisque ἀνεπικρίτους διαφωνίας, *controverſias nunquam dijudicatas* objicit: quis enim huic Platonicæ Veneris pullo ſe non oppoſuit Græcus philoſophus?

XLV. Quotquot quidem ſophiſmata proprie a dialectica poſſe videntur refelli, horum ſolutio inutilis eſt; quorum autem ſolutio eſt utilis, hæc nequaquam dialecticus ſolvere poteſt, ſed ii, qui in unaquaque arte rerum cognitionem, verſando in iis, adepti ſunt: multa quoque nugæ ſunt, quibus alioquin ſatis ſit, evidentiam rei opponere, non minorem, quam eorum demonſtrationes, vim habentem. [f]

XLVI.

z) *c. 14. ſ. 204.*
a) CROVSAZ *Log. P. III. c. 9. §. 12. p. 1284.*
b) *c. 16. ſ. 205.*
c) *ſ. 211.* d) *ſ. 212.*
e) *c. 26. ſ. 219. ſeqq.*
f) *c. 22. ſ. 236. ſeqq.* Exemplum Herophili Diodorum Cronum ſophiſmate motum negantem vexantis hic affert Sextus.

XLVI. Par ratio eſt amphiboliarum; eas enim, quas diſtinguere operæ pretium eſt, diſtinguent, qui in unaquaque arte exercitati ſunt; at Dialecticus minime, cujus diſtinctiones in vita inutiles ſunt. [g]

XLVII. Cum in rationali philoſophia nihil certi inveniat Scepticus, multo magis naturalis & moralis ei philoſophiæ pars ſuſpecta eſt.

XLVIII. Sceptici vitam communem ſequentes dicunt; Deos eſſe, eosque colunt, & providentiam iis tribuunt; ſed adverſus Dogmaticorum temeritatem etiam hac in re diſputant. [h]

XLIX. Quum ex Dogmaticis alii dicant Deum eſſe corpus, alii incorporeum; & alii quidem humana forma præditum, alii minime, & alii in loco eſſe, alii non eſſe, & illorum alii intra mundum alii extra mundum collocent, quomodo poterimus Deum intellectu percipere, ſi neque ſubſtantiam ejus habeamus, de qua conſtet, neque formam, neque locum in quo ſit? [i] Prolixe hæc alibi quoque urget SEXTVS, [k] & ex diſſidiis theologiæ Græcanicæ incertitudinem notitiæ Dei ſatis infelici colligit ſophiſmate, quo a diverſis de Dei natura opinionibus philoſophorum ad incertitudinem exiſtentiæ ejus miſere, ut ſolent Sceptici, ratiocinationem transfert.

L. Nec probant recte Dogmatici Deum: aut enim hoc fit per manifeſtum, aut per obſcurum; prius abſurdum eſt, nam cum eo quod demonſtrat, ſimul jam comprehenditur, nec demonſtrari demum debet; poſterius impoſſibile, quia in infinitum ſemper relabetur demonſtratio obſcuri. [l] Miſere iterum ſophiſmate inepto ludere Scepticos, ex eo manifeſtum eſt, quod non omnia, quæ virtualiter in propoſitione vera latent, demonſtratione opus habeant, vel non demonſtratione formali queant illuſtrari, quod fundamentum omnis notitiæ eſt, omnisque demonſtrationis.

LI. Nec Deus ex providentia poteſt cognoſci vel demonſtrari, ſi enim omnibus provideret Deus, non eſſet vitioſitas malumve ullum in mundo. [m] Prius (κακία) malum morale, poſterius (κακὸν) malum phyſicum innuere videtur ſecundum Sextum. Vtrumque providentiæ divinæ fruſtra objicitur, κακία enim a Deo non eſt, ſed ab homine libertatis abuſu contrahitur; κακὸν tale non eſt, ſed in relatione ad univerſi harmoniam ſuum recte locum tuetur, & ad ſalutem & pulchritudinem facit univerſi. Sed hæc hujus loci non ſunt, alibi prolixius quærenda. [n]

LII. Quod ſi nulli providet Deus, neque extat ullum ejus opus, neque ullus effectus, non poteſt quisquam dicere, unde comprehendat, Deum eſſe, quum nec ex ſe ipſo appareat, nec per ullos effectus comprehendatur; & illi, qui eum providere omnibus dicunt, malorum Deum auctorem faciant, qui quibusdam tantum providere aſſerunt, vel invidum Deum ſtatuunt, vel imbecilles ei vires eſſe dicunt. [o] Ex his theſibus quas fuſe,

g) *c. 23. ſ. 256. ſeqq.*
h) *Lib. III. c. 1. ſ. 2. ſeqq.*
i) *ſ. 3.*
k) *Adv. Phyſ. l. I.*
l) *Lib. III. c. 1. ſ. 7.*
m) *ſ. 9.*
n) Conf. quos nominat FABRICIVS *Syllab. Script. de V. R. C. c. XV. p. 378. ſeqq.*
o) *ſ. 11.*

nec ſine magna veteris philoſophiæ peritia, exponit tueturque SEXTVS *adverſus phyſicos libro primo*, decidenda quæſtio, de atheiſmo Scepticis imputando. Diſſentire enim ſcriptores, & vel abſolvere hos homines vel accuſare deteſtandæ impietatis, ex eorum colligi poteſt catalogo, quos nominat doctiſſimus REIMMANNVS. [p] Qua de re, ut accurate Lector judicet, ſequentia potiſſimum probe tenenda & expendenda ſunt. Et I. quidem Scepticos in communi vita non Deos tantum fateri, ſed & colere & providentiam aſſerere, diſertis Sexti verbis docuimus. Qui alibi [q] tanta fiducia his innititur, ut contendat: ſtabiliorem ac conſtantiorem inveniri Scepticum, quam eos, qui aliter philoſophantur; ſiquidem profiteatur Deos congruenter patriis moribus & legibus, & faciat quicquid pertinet ad eos pie colendos; quod autem ad philoſophicam pertinet quæſtionem, nihil agat temere ac præcipitanter. II. Sed & hoc mordicitus tenent Sceptici, ſtulte objici, legislatores & duces communem de Diis notionem confinxiſſe, aſſeruntque pro indubitato, omnes homines communem & anticipatam de Deo notionem habere, ſecundum quam eſt quoddam beatum animal, & ab interitu alienum & in felicitate perfectum, & in quod nullum cadere poteſt malum, eſſeque a ratione alienum, omnes forte fortuna in easdem incidere Dei proprietates, non autem ad hoc moveri naturaliter &c. de quibus omnibus late & erudite quidem diſſerit SEXTVS, [r] dignus omnino, qui de graviſſimo argumento totus legatur. Sic & III. ex iis quæ porro Scepticus hic adjicit manifeſtiſſimum eſt, fortiſſime oppugnare Pyrrhonios argumenta, & eludere tela, quæ adverſus Numinis exiſtentiam hoſtes ejaculantur. Verum IV. & hoc ex diſſertationibus Sexti phyſicis clariſſimum eſt, referre Scepticos quæſtionem, an Deus ſit, & quid is ſit? inter eas, de quibus certi ſtatui queat nihil, poſſintque in contrarias partes argumenta proferri atque diſceptari. Quem in finem V. eadem induſtria rationes, quæ pro aſſerenda DEI exiſtentia afferri ſolent, convellere ſatagunt, & VI. a diſſenſu Dogmaticorum circa definitionem DEI ad ſuſpendendum circa ejus exiſtentiam aſſenſum more ſuo interdum non ſine ſale argumentantur, &, ut VII. ſuam, ſi modo ulla apud Pyrrhonios datur, ſententiam de Deo explicent, doctrinam de Deo inter ea referunt, quæ eſſe forte poſſunt, de quibus tamen non Dogmatici tantum nihil, quo niti animus queat, ſtatuunt, ſed & Scepticus non habet, quod pro parte affirmante ſtatuat, definiatve, ut ex iis luculenter pateſcit, quæ fuſe doctequede hoc argumento SEXTVS diſſerit. Quæ ſi juſto inter ſe comparentur calculo, eam tandem non ineptis rationibus roborant ſententiam, non eſſe quidem Scepticos atheos formaliter, quod ajunt, tales, qui nec hoc quidem definiunt: non eſſe Deos; nec eſſe eos atheos practicos, qui ex naturali inſtinctu & regionis religione Deos colunt: ſed nec valde pios eſſe Pyrrhonios, & admodum iniquos in divinum Numen, qui non tantum ineptis

Sceptici an athei?

p) *Hiſt. ath. c. XXXI. §. 1, 2. pag. 217. ſeqq.*

q) *Adv. phyſ. l. I. ſ. 49. Pyrrh. hyp. l. II. ſ. 13.*

r) *Adv. phyſ. l. c. ſ. 33.*

eptis maleque ponderatis ratiunculis dum ſe audaciæ & temeritati Dogmaticorum, inſulſe paſſim de Deo præcipientium opponunt, tantæ veritatis fundamenta labefactare audent, ſed & frigidam atheis ſuffundunt, viamque ſternunt ad atheiſmum, valde facilem & apertam. Nec pro Scepticiſmo in doctrina de Deo cauſam agit, quod nonnulli regerunt, tendere philoſophicam dubitationem de Deo, ad certiorem quandam ejus cognitionem rejectis & exutis præjudiciis. Nam ut taceamus tantæ eſſe evidentiæ naturalis Dei exiſtentiam, profundiſſime humano animo impreſſam, ut ægre evelli queat, & dubitationem admittat; [s] hancque, ſi qua commendanda ſit, non ad ipſam DEI exiſtentiam ejusque veritatem, ſed ad argumenta, quibus ea contra hoſtes evincitur, pertinere, quorum nihil ad Scepticum referri poteſt: ipſe dubitationis ſcopus, qui, ſi quis mediocriter ſapit, ad confirmandum, non turbandum circa hanc eximiam veritatem, animum comparatus eſt, [t] a σκέψει totam eam luculentiſſime diſtinguit, quæ ideo dubitat, ut incerta hæreat, nihilque definiat, quod turpem ſatis impietatem prodit, ab atheiſmo non nimis remotam. Cumque frivolis argutiunculis Sceptici hac in cauſa utantur, roborat id quidem dogma nobiliſſimum, inque ruborem hoſtes ejus merito dat, quam miſere deſipiant, qui naturalia lumina extinguunt, luculenter prodens; ſimul autem, quam imbecilles in ratiocinandi arte Scepticiſmo vires ſint, exponit, & quam ridiculum ſit, ficulneas ratiunculas ſine robore atque nervo ubique emendicatas eodem veritatis gradu & genere fortiſſimæ argumentorum aciei ab ipſis Pyrrhoniis inſtructæ opponere, cauto lectori manifeſtat, nobili exemplo, vel ignaviam, accurati examinis impatientem, vel ſtolidum contradicendi ſtudium, vel rationis paupertatem & defectum Pyrrhoniſmum genuiſſe. [u] Alia huc pertinentia dabunt, qui cauſam DEI contra Scepticos perorarunt, ex parte laudati IO. ALB. FABRICIO. [x]

LIII. Veriſimile eſt, eſſe cauſam; quomodo enim incrementum eſſet, & decrementum, generatio vel corruptio, & generaliter motus & effectus naturales, ſi non eſſet cauſa? &c. eadem tamen veriſimilitudine, cauſam eſſe, negari poteſt: cauſa enim cognoſcitur effectu, effectus autem comprehendi non poteſt, niſi ex cauſa, ſicque mutuus dubitationis modus oſtendit, ambo eſſe hujusmodi, quæ imaginari nullo modo poſſimus. [y]

LIV. Præterea, quoniam de exiſtentia cauſæ quæſtio agitatur, etiam cauſam illius cauſæ, quam attulerit ad probandum, cauſam eſſe, neceſſe habet proferre, & illius rurſus aliam, & ita usque in infinitum. Atqui impoſſibile eſt infinitas cauſas oſtendere. Male hoc ratiocinio concludit SEXTVS, [z] impoſſibile eſſe, aſſeveranter pronuntiare, aliquid eſſe alicujus rei cauſam: invertendum enim argumentum erat, & ex ſerie cauſarum contingentium tandem cauſæ alicujus primo-primæ & neceſſariæ veritas

s) Conf. REIMMANN. *l. c. p. 217.* MORHOF. *Polyhiſt. T. II. l. II. c. 9. p. 207.*

t) Conf. THOMAS. *prax. log. c. I. §. 28. ſeqq.*

u) Conf. BVDDEVS *de Scepticiſmo morali §. 2. Anal. hiſt. phil. p 210.*

x) *l. c. c. XXXIII. p. 486. ſeqq.*

y) *c. 3. §. 17.*

z) *§. 24. ſeqq.*

ritas colligenda, ſicque rationum ſufficientium, quæ cauſæ locum obtinent, fundamentum maxime certum verumque demonſtrandum: qua de re lectu digna ſunt, quæ magni noſtræ ætatis philoſophi [a] paſſim commentantur; prolixius hic, ubi alia agimus, non excutienda.

LV. Principia materialia pariter incomprehenſibilia eſſe, dicendum eſt. Quum enim de iis infinita ſit inter Dogmaticos controverſia, ſignumque non ſit, ex quo judicari queat, quænam reliquis præferenda ſit opinio, quum demonſtratio ſemper egeat criterio demonſtrato, criterium autem demonſtratione judicata; ſequitur inde, comprehendi ea non poſſe. Eleganti hic compendio SEXTVS [b] præcipuorum philoſophorum de principio rerum materiali ſententias enumerat, & qua ratione inter ſe diſſentiant, docte exponit, dignus propterea, qui ipſe inſpiciatur. Cave tamen putes, omnes has opiniones reapſe inter ſe fuiſſe diverſas, cum ex tota, quam hactenus enucleavimus Græcanicæ philoſophiæ hiſtoria notum ſit, multas inter ſe non diſſenſiſſe. E. g. Anaximandri infinitum & Anaximenis aërem, Pythagoræ, Empedoclis, Hippaſi, Heracliti particulas igneas eodem ex fonte manare, Democritum, & Epicurum idem ſyſtema atomiſticum fuiſſe amplexos, &c.

LVI. Corporis notio incomprehenſibilis eſt. Ejus enim partes, ex quibus conſtare dicitur, longitudo, latitudo, profunditas, & reſiſtendi vis inexiſtentia ſunt per ſe, nec ſine corpore poſſunt oſtendi; tota autem ſublatis omnibus ſuis partibus, tolluntur. [c]

LVII. Compoſita ex elementis primis per craſin, id eſt temperationem fieri non poſſunt, quia nec contactio exiſtit, nec temperatio & commiſtio ullo modo. De ea enim cum ſint immenſæ inter dogmaticos controverſiæ, quæ ſe invicem refellunt, indijudicabiles hæ lites evincunt quæſtionem incomprehenſibilem eſſe. Nec poteſt mixtio fieri ſubſtantiarum, aut qualitatum, aut utrarumque, cum nec ſubſtantiæ nec qualitates per ſenſum in mixtis percipiantur &c. [d]

LVIII. Qui dicunt, motum eſſe, evidentia nituntur, qui eum negant, rationibus, quales fuere Eleatici. Sceptici, quantum ad apparentia quidem, motum eſſe exiſtimant, ſed quatenus quis philoſophicam rationem ſequatur, non eſſe. Ideo nihil pronuntiant, ſed expenſis utriusque partis altercationibus ipſas diſcrepantiæ cauſas paris momenti utrinque eſſe comperientes non magis eſſe motum, quam non eſſe, dicere coguntur, quantum quidem attinet ad ea, quæ a Dogmaticis afferuntur. [e]

LIX. Motui hoc potiſſimum obſtat argumentum: Si quid movetur, aut ab ipſo movetur, aut ab alio; ſed ſi quidem ab alio, id quod dicitur ab altero moveri, aut per nullam cauſam movebitur, aut per aliquam. At ſine cauſa quidem nihil dicunt fieri: ſin igitur per aliquam cauſam movetur,

a) Omnium inſtar ſit magnus LEIBNIZIVS *princ. phil. §. 32. ſeqq.* conf. cl. HANSCHIVS *adh. l. theor. XLVIII. p. 101.*
b) *c. 4. ſ. 30. ſeqq.*
c) *c. 5. ſ. 38. ſeqq.*
d) *c. 6. ſ. 56. ſeqq.*
e) *c. 8. ſ. 64. ſeqq.*

vetur, cauſa per quam movetur, motiva ejus erit: unde in infinitum delabitur quæſtio, cum movens ſemper egeat movente alio, adeo ut principii expers reddatur motus, quod abſurdum eſt. *f*

LX. Eadem prorſus ratio eſt augmenti, ablationis, diminutionis, translationisque, quæ iisdem dubiis premuntur. *g*

LXI. Sed nec totum comprehendi poteſt, quod ex additione partium fit. Nihil enim eſſe videtur totum aliud, quam ipſæ partes ejus, quibus ſublatis totum non remanet, adeoque inanis tantum vox eſt & appellatio ſubſiſtentiam propriam non habens. *h*

LXII. Sed ne partes quidem quicquam erunt: ſi enim ſunt partes, aut ipſæ ſunt totius partes, aut aliæ aliarum partes, aut unaquæque ſui ipſius pars. At neque totius, quia nihil eſt aliud præter partes, & alioqui partes hoc modo eſſent ſui ipſarum partes, quoniam unaquæque pars completiva dicitur totius: nec aliæ aliarum; quia pars contineri videtur in illo cujus eſt pars, quod eſt abſurdum. *i*

LXIII. Quod ſi nec totum datur nec partes, neque additio, neque ablatio, evertitur etiam ſimul generatio & corruptio, quæ ſine ejusmodi naturali mutatione fieri non poteſt. *k*

LXIV. Quia ſecundum opinionem Dogmaticorum fluida ſemper eſt ſubſtantia, & ſemper ab ea exſpiratur, aliaque viciſſim additur, ſequitur inde, nullum corpus quieſcere, ſive conſtanti ſtatu manere. *l* Pungit hac objectione Sextus Heraclitum, Platonem, Stoicos, quibus materiam ſemper fluere & in mutatione verſari dictum, ut ſuo loco monuimus. Adjecit tamen Plato ideas immutabiles, ut ſubjectum haberet certum, cui cetera inhærerent, quod reticuit Sextus.

LXV. Cum locum dicant eſſe intervallum, quod a corpore occupatur, neceſſe eſt, vel dimenſionum una ſit, vel omnes tres; ſi prius dicant, non æquatur locus illi, cui eſt locus; ſin omnes tres eſſe dicantur, ipſum corpus erit ſui ipſius locus, idemque quod continet & continetur, quod abſurdum eſt, cujus cum evidentia contrarium ſvadeat, æquum eſt, ut aſſenſum retineamus. *m*

LXVI. Nec dicere poſſunt Dogmatici, quid ſit vacuum, locus, ſpatium; præſertim ſi locus & vacuum diſtinguantur. Quia enim dimenſiones habeat ſpatium neceſſe eſt, ſequeretur corpus eſſe ſui ipſius ſpatium. Multa hic urget Sextus, ut Dogmaticos confundat, argumenti genere difficillimo uſus, quod circa naturam loci, vacui, ſpatiique verſatur, quod innumeris difficultatibus premi, omnis ætatis & generis philoſophorum ea de re controverſiæ teſtantur, notaque ſunt, nec hic memoranda, quæ recentiori ætate magna ſubtilitate diſputarunt Gaſſendi, Carteſii, Newtoni, Leibnizii aſſeclæ, quæque ad Scepticiſmi fundamenta roboranda ex hac ipſa re

f) *ibid.* *g*) *c. 9. 10. ſ. 82. ſeqq.* *k*) *c. 14. ſ. 109.* *l*) *c. 15. ſ. 115. ſeqq.*
h) *c. 12. ſ. 98. ſeqq.* *i*) *ibid.* *m*) *c. 16. ſ. 125. ſeqq.*

re copioſe attulit P. BAYLE. [n] Id quod mirandum non eſt, cogitantibus anguſtiam humani intellectus in regionibus metaphyſicis. Eleganter, & ſobrie magis, quam Sextus, vel Bælius, circa hanc rem philoſophatur IO. LOCKIVS. [o]

LXVII. Quantum ad ea, quæ apparent, videtur aliquid eſſe tempus, quantum vero ad ea, quæ de ipſo dicuntur, ſubſiſtentiam habere non videtur, cum de eo Dogmatici diſcrepent, & tam incerti ſint, ut opiniones ſuas mutuo evertant, nec comprehendi queat, quæ ſint opiniones veræ, quæ falſæ. [p]

LXVIII. Quia non ſine motu aut etiam quiete tempus ſubſiſtere dicitur, everſo motu pariter ac quiete ſublata tollitur & tempus. [q]

LXIX. Præterea tempus non poteſt eſſe tripartitum, & aliud eſſe præteritum, aliud præſens, aliud futurum. Præteritum enim & futurum non ſunt, immo ne præſens quidem, quoniam propter velocem fluxum eorum, quæ ſunt in mundo, præſens in præteritum ita mutari dicitur, ut intellectu percipi non poſſit. [r]

LXX. Conſvetudinem quidem ſequentes Sceptici, & citra ullum dogma numerare ſe dicunt, & numerum aliquid eſſe, audiunt, ſed quid numerus ſit, ſe comprehendere negant, quod ipſi quoque Dogmatici ignorant. Pythagoreos hoc capite præcipue SEXTVS [s] petit, quos ex idea numeri abſtracta & metaphyſica abſurdi convincere contendit, ſophiſmate, more ſuo, uſus. Illi enim numerum phyſicum intelligebant, & principia rerum immutabilia.

LXXI. Dogmaticorum de bono doctrina, ad moralem philoſophiæ partem transgreſſos docet, non quid bonum ſit in ſe, ſed, bonum ſtatuendo, ſive quod per ſe appetendum eſt, ſive quod utilitatem præbet, ſive quod felicitatem adjuvat, ea tantum enarrat, quæ bono accidunt, quæ ſi communia ſunt, non accurate deſignant bonum, ſin ſoli bono accidunt, non poſſumus ex his notionem boni aſſequi. Id quod ipſi Dogmatici produnt, qui felicitatis effectivum omnes quidem fortaſſe concedunt, de eo vero, cui hæc accidunt, pertinaciter inter ſe digladiantur. [t]

LXXII. Nullum eorum, quæ bona dicuntur, omnes movere eodem modo, vel ex ipſa Dogmaticorum doctrina manifeſtum eſt, qui varias bonorum claſſes recenſent. [u] Quod vero non omnes pariter movet, tanquam bonum, illud vere bonum natura ſua non eſt, quæ eſt, movere ad appetendum, ut ignis natura eſt calefacere, nivis frigefacere, &c. [x]

LXXIII. Quia neque expetitio illius, quod bonum eſt, per ſe bona eſt, alioquin non ſtuderemus aſſequi illud, quod appetimus; neque id quidem, quod expetitur, eſt ipſum bonum, ideo bonum prorſus non eſt. Nam aut extra

n) *Dict. T. IV.* art. *Zenon. not. I. p. 544. ſeqq.*
o) *De intell. hum. l. II. c. 13. p. m. 179. ſeqq. §. 17. p. 189.*
p) *c. 17. §. 136. ſeqq.*
q) *§. 140.*
r) *§. 144.*
s) *c. 18. §. 153. ſeqq.*
t) *c. 18. §. 153. ſeqq.*
u) *c. 21. §. 172.*
x) *c. 23. §. 179.*

extra nos eſt, aut in nobis; ſed ſi quidem extra nos, aut efficit in nobis jucundum quendam motum, & ἄγαστον πάθος aut nullo modo nos afficit. Quod ſi nobis non eſt delectabile, ne bonum quidem erit, quoniam nos non incitat ad appetendum. Quod ſi ingeneratur in nobis ab extraneo ſvavis conſtitutio, & paſſio quædam hujusmodi, quam libenter amplexemur, non propter ſe appetendum erit, quod extraneum eſt, ſed propter affectionem, quæ ob ipſum in nobis fit. Quod igitur expetendum eſt, non poteſt extraneum eſſe. Sed neque in nobis; aut enim in corpore ſolum, aut in animo ſolum, aut in utroque eſſe dicitur. Verum ſi quidem in corpore ſolum, ad cognitionem noſtram non perveniet, quæ animi eſt. Quod ſi etiam usque ad animum pertingere dicatur, animi perceptioni videbitur appetendum eſſe, quæ ipſa grata ſit. Supereſt ergo ut dicamus, bonum eſſe circa animum ſolum. Sed hoc quoque, ſecundum ea, quæ Dogmatici dicunt, impoſſibile eſt. Nam fortaſſe ne exiſtit quidem animus; quod ſi etiam exiſtit, quantum quidem ad ea, quæ dicunt, non comprehenditur, &, ſi hoc ſilentio prætereamus, ea, quæ de animo dicunt, non patiuntur ineſſe bonum. Nam qua ratione, ſi ex atomorum acervo conſiſtit animus, & voluptas, & aſſenſus aut vis judicandi hoc eſſe appetendum eſſe poſſit? y Epicurum his peti, ex objectione patet ultima, quam GALENVS z quoque Gargettio ſeni oppoſuit, quem tamen non omnia feriunt, quæ Sextus regerit, contentus aliquid qualecunque demum illud ſit, repoſuiſſe. Sequenti capite Stoicos urget, nec artem eſſe circa vitam, contra eos, bona animi eſſe artes quasdam, nempe virtutes ſtatuentes diſputat.

LXXIV. Iam vero ne indifferens quidem natura eſt quicquam, propter eam, quæ de differentibus eſt controverſiam, Stoicis & Epicureis invicem contrariis. a

LXXV. Sed nec bonum quicquam vel malum natura ſua eſſe poteſt, cum Dogmatici in contrariis prorſus, boni malique rationem quærant, & turpe malumque ſit his, quod illis pulchrum bonumque eſt. b Prolixe his inhæret Sextus, c inductione probaturus, turpiſſima quoque flagitia apud certas nationes non eſſe turpia.

LXXVI. Scepticus ergo cernens tantam rerum diſcrepantiam, de hoc quidem, quid natura bonum, quid malum, & quid faciendum, quid non, retinet aſſenſum, hac etiam parte a Dogmaticorum temeritate diſcedens; ſequitur vero citra ullum dogma obſervationem vitæ communis. d

LXXVII. Et propterea in iis quidem, quæ opinabilia ſunt, paſſionis expers manet; at in iis, quæ coacta ſunt, moderate paſſionibus utitur. Nam patitur quidem, quatenus eſt homo, ſentiendi facultate præditus, ſed non aſſumens illam præterea opinionem, nimirum id quod patitur, natura

y) *c. 23. ſ. 179. ſeqq.*
z) *De conſt. art. med. T. I. p. 37. de elem. l. I. p. 49.*
a) *c. 24. ſ. 191.*
b) *ſ. 195.*
c) *ſ. 206. ſeqq.*
d) *ſ. 235.* conf. LAERT. *l. IX. ſ. 61. 108.*

malum esse, moderationem in iis, quæ patitur, servat. Nam addere sibi talem aliquam opinionem, pejus est, quam ipsum pati. [e]

LXXVIII. Nam ille quidem certe, qui sibi aliquid natura bonum aut malum, vel prorsus faciendum aut non faciendum esse statuit, varie turbatur, quod evitat Scepticus. [f] Summa hæc est totius philosophiæ moralis Pyrrhoniæ, quatenus de bono malove ejusque affectione in animo differit, quæ omnia ad ἀταραξίαν & ἀπάθειαν, & in iis, quæ pati cogimur, ad μετριοπάθειαν tandem relabuntur. Quæ an animi necessaria naturæ inclinatione circa bonum versantis constitutioni & felicitati acquirendæ conveniant, nec ne, alibi disputatur. [g]

LXXIX. Quod si natura bonum malumve est nihil, sequitur etiam non dari artem circa vitam moresque versantem. Id quod ipsis Stoicorum principiis efficitur, quibus virtutem solus habet sapiens, qualis inter homines non est. [h]

LXXX. Probatur id porro, quia ipse prudens animi habitus incomprehensibilis est, cum neque ex se ipso simpliciter & per se, neque ex suis operibus appareat. Nam hæc illi cum imperito vulgo sunt communia: quæ vero porro dicunt Dogmatici, præcipue Stoici, hominum sunt ultra humanam naturam loquentium, & potius optantium, quam vera loquentium. [i]

LXXXI. Sed nec natura hominibus ars, quæ est circa vitam, inditur, alias omnibus hominibus ineffet prudentia & virtus. [k]

LXXXII. Iam vero ne doctrina quidem & disciplina percipitur. [l] Nam 1. nec res quæ docetur in confesso est, quippe falsum doceri non potest, verum autem non existere supra ostensum, ea quoque quæ evidentia sunt, doceri opus non habent, quæ obscura, ob indijudicabilem controversiam incomprehensibilia sunt. 2. Sed nec doctor esse potest, qui non fuerit discipulus, qui doctorem habuerit, necesse est, quod infinita serie ad absurdum ducit. 3. Nec discendi modus est, qui vel evidentia vel oratione fit, quod utrumque fieri non potest. Per evidentiam enim non fit doctrina, quia evidentia est eorum, quæ ostenduntur & manifesta sunt, adeoque omnibus comprehensibilia sunt, & in doctrinam non cadunt. Neque per orationem, quia ea, quæ impositione significant, necesse est intelligere illos, qui docentur, qui ideo doceri non possunt, cum jam intellexerint; qui vero discere ea necesse habent, quæ ignorant, nec ea norunt, quibus impositæ sunt appellationes, nihil percipient.

LXXXIII. Iam si ex abundanti quis concesserit, indi alicui eam artem, quæ circa vitam versatur, damnosa & perturbationis causa habentibus ipsam potius quam utilis esse comperietur. Nam semper bonum appetendum, malum fugiendum & aversandum offert, quod sine perturbatione

e) f. 236. *f) ibid.*
g) Conf. BVDDEVS *de Scept. mor. §. 23. Anal. hist. phil. p. 238.*
h) c. 25. f. 239.
i) f. 244.
k) c. 26. f. 250.
l) c. 28. 29. f. 259. 266.

ne fieri non poteſt, adeoque prudens hoc ipſo fit infeliciſſimus. [m] Iugulaturus hic Sextus moralem philoſophorum Dogmaticorum doctrinam, non cogitat, ne Scepticen quidem a perturbatione vacuam eſſe & μετροπαθῆν, quod in antecedentibus ipſe ſtatuerat. Licet enim hoc a vita & natura ſit, nihil tamen in hanc paſſionem poteſt Sceptica, ſed ipſa quoque infelicem reddit animum. Similia fere in plerisque aſſertionibus oggeri Scepticis poſſent, ſi locus hic eſſet.

LXXXIV. Scepticus eo quod ſit humanus, Dogmaticorum arrogantiam ratione ſanare intendit, adeoque fortioribus argumentis erga temerariæ inſolentiæ morbo laborantes, levioribus erga eos, qui in ſuperficie ægrotant, utitur, modo finem conſequatur. [n]

m) c. 31. ſ. 273. ſ. 277. *n) c. ult.*

* *

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

DE FATIS PHILOSOPHIAE GRAECAE EXTRA GRAECIAM.

§. I.

Philoſophia Græca extra Græciam.

Abſolvimus tandem aliquando, quam nobis deſcripſimus, periodum hiſtoriæ philoſophicæ primam omnem, & non barbaricæ tantum philoſophiæ, ſed & Græcæ incunabula, adoleſcentiam & virilem quaſi ætatem, ejusque fata ad naſcentis usque Romanæ monarchiæ initia excuſſimus, ac ſyſtemata philoſophorum deſcripſimus, quantum inevitabilis ſæpe permiſit obſcuritas & incertitudo maxima. Claudere jam liceret rivos, primæque hujus tractationis parti finem imponere, niſi, quod promiſimus, paucis adhuc appendicis loco enarranda fata eſſent, quibus Græcanica philoſophia alibi locorum, extra Græciam, quo divertit & innotuit, gaviſa eſt. Quod licet pro inſtituti ratione paucis licet attingere, fundamentum tamen ejus rei dicendum eſt, quæ in ſecunda parte operis ampliorem tractationem requiret.

Alexander M. cum armis victricibus philoſophiam Græcam ad alias gentes transfert.

§. II. Arctis ſatis initio Græciæ & adjacentium regionum limitibus philoſophiam Græcam incluſam fuiſſe, niſi quod in Græcia magna Pythagorica ſchola ejus diſciplinam excoluit, ex hactenus narratis manifeſtum eſt. Etſi enim in Ægypto peregrinabantur magni nominis philoſophi, [a] ibique ingenii divitias data aliquando occaſione exponebant, [b] vix tamen ea, quæ ibi acta ſunt, hoc nomine digna ſunt, & accepiſſe magis, quam traduxiſſe illuc hos theſauros, Ægyptii gloriabantur; Græci quoque cum

a) Exemplum nobis hactenus dedere Pythagoras, Thales, Democritus, Plato, Eudoxus, alii.

b) Factum hoc e. g. a Thalete eſſe, *c. I.* hujus libri oſtendimus.

domi haberent, quo melius animum paſcerent, mature Ægyptum philoſophiæ cauſa adire deſivere. Poſtquam autem ſumma rerum per omnem fere Aſiam & Ægyptum bellis ad Alexandrum M. rediit, isque expeditione in Perſas & Indos, infiniti fere tractus homines Græco jugo ſubjecit, Græcanica quoque philoſophia, ut ſolet, a victoribus ad victos tranſiit. Cum enim Alexander M. ipſe diligenter philoſophiæ ſtudiis eſſet innutritus, & magno imprimis amore ab Ariſtotele accenſo, quicquid erat philoſophorum complecteretur, [c] non potuit non limitibus philoſophiæ magna inde fieri acceſſio, præſertim cum non tantum rex eruditiſſimus ipſe philoſophiæ ſtudium ſuo modo amplecteretur, [d] ſed & philoſophos ſecum haberet acutos, [e] quos magna familiaritate dignabatur: alios magnis vereque regiis augeret muneribus. [f] Horum conſiliis fuiſſe uſum hiſtoria ejus teſtatur, quæ hoc quoque narrat, miſiſſe regem philoſophos Græcos, ut cum Aſiaticorum populorum ſapientibus colloquerentur, iisque mediantibus, animos quoque victorum regi conciliarent; cujus memorabile exemplum de Brachmanibus in Indorum philoſophia ſuo loco [g] attulimus. Etſi vero, ut erant Orientales philoſophi traditionis patriæ tenaciſſimi, magnæque de ea opinionis præjudicio occupati, Græcanica eis philoſophia valde ſordeſcebat, ut vel ex iis patet, quæ cum Alexandri legatis Gymnoſophiſtæ habuere, colloquiis, fecit tamen victoris fortuna, ut, quod animo reſpuebant, externo tamen ſubinde habitu fingerent, & ad Græcos ſe attemperare mores inciperent. Cujus eo major illis impendebat neceſſitas, cum Aſiæ philoſophi, præſertim Magi, tanquam inanis artis jactatores in contemtum apud regem a Græcis philoſophis, ipſisque qui his favebant, regis amicis adducerentur. [h] Idem accidiſſe, poſt fata regis, cum amici ejus regnum inter ſe diviſiſſent, hiſtoria loquitur.

Influxus fortunæ Alex. M. in philoſophiam apud Aſiæ gentes.

§. III. Magnum hanc mutationem habuiſſe influxum in ipſam philoſophiam, non eſt, quod dubitemus. Cum enim in eo potiſſimum curam ſuam Alexander poneret, ut Græco jugo voluntaria colla Perſæ Indique ſubjicerent, quique in longiſſimis terrarum tractibus exercitibus contineri in officio vix poterant, obſequio lubenter præſtito vincirentur, id potiſſimum elegit medium, ut victi populi fere omnes in unum corpus coirent. Hinc, eleganter obſervante PLVTARCHO, [i] *quos verbis non poterat, armis*

c) Multis in his Alexandri virtutibus laudandis eſt PLVTARCHVS *de fort. Alexandri T. II. p. m. 346. ſeqq.*

d) Vid. AMMONIVS in *vita Ariſtotelis Epiſtola Alexandri ad Ariſt.* quæque hac de re in vita hujus allata ſunt. ad. PLVTARCH. in *Alex. T. V. p. m. 450.* qui luculenter de ſtudiis Alexandri philoſophicis agit.

e) Inter hos fuiſſe Calliſthenem, Oneſicritum & Anaxarchum ſupra memoravimus conf. CVRTIVS *l. VIII. c. 5.* PLVT. *l. c. p. 486.*

f) Ita Ariſtotelem non modo, ſed & Xenocratem, itemque Theophraſtum regia munificentia auxiſſe, in horum quoque philoſophorum vita dictum eſt. conf. PLVTARCH. *l. c. p. 451.*

g) *Lib. I. c. III.* ubi etiam Calanum gymnoſophiſtam Alexandri M. caſtra ſecutum fuiſſe notavimus. conf. PLVT. *l. c. p. 444. ſeqq.* In Ægypto vero Pſammonem philoſophum regem audiviſſe, & cum eo fuiſſe philoſophatum refert PLVTARCH. *l. c. p. 467.*

h) Factum id imprimis eſſe, cum reverſo Babylonem regi Magi ſuaderent, urbem ne intraret, vitæ ejus ſcriptores paſſim tradunt.

i) *De fort. Alex. Orat. I. T. II. p. m. 348.*

armis ad communitatem adigens, omnes undique gentes in unum corpus conduxit, tanquam in amicitiæ cratera commiſcens, vitas, mores, nuptias, victus rationes, mandavitque ut univerſi mundum pro patria agnoſcerent, caſtra pro arce & præſidio, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis, inter Græcum & barbaricum non chlamyde, pelta, acinace, candya diſtinguerent, ſed Græcum virtute, barbaricum vitioſitate æſtimarent, communes autem ducerent veſtes, menſas, conjugia, victus rationes, cum hæc omnia ſangvine & prole invicem eſſent contemperata. Non veſtitu tantum, conjugio, & menſa Perſarum inter Græcos inductis ſed Græcorum quoque ſacris ad Perſarum ſuo modo accommodatis hoc regem inſtituiſſe, hiſtoriæ ejus ſcriptores prolixe referunt. [k] Secuta eſt philoſophia, quæ cum inter Græcos tum magni eſſet nominis, barbarica eruditione valde contemta, neceſſitas urſit Magos ceterosque orientis ſapientes ad voluntatem moresque Græci victoris ſe attemperare. Cumque Perſarum imprimis philoſophia Zoroaſtreo ſyſtemate comprehenderetur, dubium non eſt, theologiam Magorum externo tum Græcæ habitu fuiſſe veſtitam. Cumque illa in deſcribendis emanationibus ex ſummo Deo, Mithrave, per duos quaſi fontes, Oromazden & Arihmanium occuparetur, idque potiſſimum ageret, ut qua ratione malum ortum eſſet, detegeret, ut hæc omnia *libri primi capite tertio* fuſe enarravimus; occaſio inde enata eſt theologiam Perſarum reliquorumque, qui his adhærebant, Orientalium cum Græcis opinionibus comparandi. Inter quas cum potiſſimum theologia mythologica, quæque in ea continebantur, theogoniæ externo habitu Zoroaſtreis conſonarent, ortum inde philoſophiæ genus illud eſt, quod antiquum & Zoroaſtreum ſe nuncupabat, & in his divinarum emanationum genealogiis explanandis potiſſimam collocabat operam. Cujus rationes & placita cum ex veterum Sec. I. & II. hæreticorum ſomniis potiſſimum haurienda ſint, fundamentumque Alexandrinæ quoque Platonicorum recentiorum philoſophiæ poſuerint, commodius ea, quantum quidem ad noſtrum inſtitutum pertinet, ad philoſophiam ſub Imperatoribus Romanis inter gentiles & Chriſtianos effloreſcentem delati exponemus. Hoc tamen notaſſe e re noſtra eſt, genealogiæ hujus divinæ ſcriptores poſtea ſub Alexandri M. ſucceſſoribus laxius ſtatuendi campum nactos, [l] magis & liberius ſe Zoroaſtreis orientalis philoſophiæ placitis, quam Græcanicæ theologiæ accommodaſſe, ita tamen, ut veteris ſyncretiſmi veſtigia haud obſcura remanerent. Falli enim eos, qui plane nihil a Græ-

k) Videndus imprimis PLVTARCHVS *ll. cc.*

l) Factum hoc eſſe, cum bellis inter ſe vehementer digladiarent in Aſia Alexandri M. ſucceſſores, & regis rationibus non inſiſterent, dubium non eſt. Adeo vero extinxere hæc bella literas & philoſophiam in Aſia, ut paucæ ejus eſſent reliquiæ, donec Ptolomæi Phyſconis tyrannis, qua imprimis Alexandrinos miſere vexavit, Alexandriæ incolas in diverſa labi, patriamque metu mortis exules relinquere cogeret, vid. IVSTINVS *l. XXXVIII. c. 9.* ATHENAEVS *l. IV. p. 184.* tum enim artium fere omnium, & imprimis philoſophiæ profeſſores & magiſtri in Aſiam minorem & vicinas inſulas diſpergebantur, qui humaniter excepti, cum exiguo ſtipendio docerent, brevi totam Aſiam Græca literatura repleverunt, ubique ſcholas erigentes & docentes, vid ATHEN. *loc. cit.*

Græcis habuiſſe, hanc orientalem philoſophiam putant, licet Platonicam philoſophiam contemſerit, [m] ex comparatione utriusque ſuo loco danda luculentius patebit. Quas orientalis philoſophiæ, Græcanicæ attemperatæ, origines annotaſſe multam tum Chriſtianorum hæreticorum, tum Alexandrinorum philoſophorum doctrinæ accendet lucem.

Fortuna philoſophiæ Græcæ in Ægypto.

§. IV. Paria fere fata habuit philoſophia Græca in Ægypto, ſed auguſta magis atque læta, ipſa philoſophia Ægyptiaca favente. Quæ cum haud ſemel irruptionibus peregrinorum populorum mutationem eſſet paſſa, eamque facile quoque ob allegoriæ methodum admitteret, quo nempe artificio peregrina dogmata patriis immixta ſunt, & hæc ſæpius immutata, ut ſupra *libri primi capite ſexto* demonſtratum eſt, quaque ratione imprimis veterem Perſarum religionem a Magis cultam per irruptionem Perſarum in Ægyptum ſub Cambyſe huic regioni fuiſſe illatam dubium non eſt, nobisque ſupra jam obſervatum: ſub Græcorum imperio tota ad victorum & imperantium rationes fuit compoſita, ſacerdotibus id agentibus, ut patriam religionem & doctrinam Græcæ, quæ tantopere efferebatur, philoſophiæ attemperarent. Qua de re, cum ſatis quantum eſt, ſupra dixerimus, lectorem ea ex iſto quidem loco repetat, rogamus, nobis enim jam de Græcæ philoſophiæ, non Ægyptiacæ, fatis in Ægypto ſermo eſt. Fundamentum vero eximiorum quæ conſecuta eſt, incrementorum, ipſe quoque Alexander M. poſuit. Is enim cum novam regni ſedem Alexandriam, loci opportunitate illectus, condidiſſet, urbemque novam incolis replere ſtuderet, colonias ex finitimis urbibus Alexandriam commigrare juſſit, magnaque multitudine urbem implevit: [n] quos inter homines multos quoque Iudæos fuiſſe IOSEPHVS [o] teſtatur. His omnibus, ut in nova ſede libenter habitarent, præter reliqua quibus augebantur privilegia permiſſum, ut ſuæ quisque religioni, ſuæque gentis placitis a nemine impeditus adhæreret, quo factum eſt, ut omnis generis religionibus & dogmatibus Ægyptus repleretur, Græcorumque theologiæ, quam illi Alexandriæ quoque fixerant, admiſceretur. Id quod eo magis locum obtinuit, qua magis Ægyptii & in his Alexandrini non tantum ſacris quibusque recipiendis fuere faventiſſimi, & hinc religionis cultu inclyti [p] ſed & ſcientiis dediti, & Græcorum in iis laudibus æmuli. [q] Multum vero has circumſtantias auxit Ptolomæorum familia, Ægypti imperium poſt Alexandri M. fata nacta. Ptolomæi enim Lagidis, qui Ægypti ſceptrum ſublato rege invaſit, eo potiſſimum tetendere conſilia, ut Græcorum maxime fidem ſibi devinciret, quos regni quaſi cuſtodes eſſe probe videbat. [r] Hinc ut gentem literatiſſimam ſibi conciliaret tota fere Græcia

m) PORPHYR. *vit. Plot. c. 16. p. 119.* ed. Fabr.

n) Vid. Alexandri M. hiſtoriæ ſcriptores PLVT. *l. c.* ARRIANVS *l. III.* CVRTIVS *l. IV. c. 8.* aliique & Geographi veteres STRABO *l. XVII. p. 590.* Geographus vetus a IAC. GOTHOFREDO editus *p. 17.* AMMIAN. MARCELLIN. *l. XXII. c. 6.* alii.

o) *Contra Apion. l. II. de B. I. l. II. c. 36.*

p) Geographus GOTHOFREDI *l. c. p. 17.*

q) *ibid.*

r) DIOD. SIC. *l. XVIII.* PAVSAN. in *Attic.* ARRIANVS & ex eo PHOTIVS *Cod. XCII p. 126.* Vrgebant Ptolomæum infeſta Perdiccæ conſilia & arma,

cia in Ægyptum translata & Athenæ in Alexandriam quasi delatæ sunt. [s] Vt enim & judiciorum formam, & rei militaris nervum, & mercaturæ frequentiam Græcis artibus formatas & Alexandriæ stabilitas taceamus, [t] literarum honos, & inter eas ipsum quoque philosophiæ studium tantopere a rege evectum est, ut merito Græcia hanc Ægypto gloriam invideret. Nullis enim sumtibus parcens rex prudentissimus doctissimos inter Græcos viros Alexandriam vocavit, & domi invidia pressos non sine multis gratiæ testimoniis recepit, & ut Græcam eruditionem atque philosophiam in hac regni sui sede plantaret, bibliothecæ post ejus fata splendidissimæ fundamenta jecit, [u] philosophos immunitate donavit, regiaque munificentia Græcam literaturam adjuvit. Qua in re cum Demetrii Phalerei consiliis potissimum uteretur, [x] viri ut in omni eruditionis genere ita in philosophia præcipue excellentissimi, dici non potest, quantum philosophiæ Græcanicæ [y] incrementa sub hoc rege Alexandriæ aucta sint. Idem institutum non secutus tantum est, sed majori quoque studio & fervore persecutus est Ptolomæus Philadelphus rex literatissimus, cui Græcæ eruditionis, præcipue philosophicæ magna, quæ Alexandriæ habuit, incrementa; potissimum adscribenda sunt. Illius enim studio & immensis sumtibus bibliotheca Ptolomæi Lagidis cura cœpta, incredibili librorum multitudine aucta est, qua de re, ne justo prolixiores simus, lectorem ad eos remittimus, qui celebratissimæ bibliothecæ historiam condiderunt; [z] hoc unum adjicientes, non in eo tantum regis curam fuisse, ut grammaticos, poëtas, aliosque ad encyclicas Græcorum disciplinas pertinentes auctores magno ære redimeret, [a] sed ut philosophorum quoque Græcorum opera huic animarum ἰατρείῳ inferret. Aristotelis enim libros eum redemisse, suo jam loco ex ATHENAEO [b] notavimus. [c] Nec his contentus, ut patriam eruditionem Alexandriæ collocaret firmissimam, in ipsa regia Museum erexit, sive collegium doctorum virorum, quos publico sumtu aluit, ut literis vacarent. Celebrata passim hujus musei fama est, ad Cæsarum usque ætatem durantis, cujus historiam cum ex veterum narrationibus [d] diligenter collegerint recentiori ætate viri quidam eruditi, [e] lectorem ad eos

arma, cujus exercitum sibi istis artibus Ptolomæus magnopere conciliavit.

s) Vid. *cit. not.* (*n*) exque iis præcipue STRABO, Geographus vetus, AMMIANVS *ll. cc.*

t) Statum Ægypti hoc tempore plane immutatum esse, recte viris doctissimis SAM. BOCHARTO *Hierozoic. P. I. l. II. c. 9.* & CAMP. VITRINGAE *ad Isaiæ c. II. p. m. 212.* observatum.

u) Conf. I. LIPSIVS *de Biblioth. c. 2.* HERM. CONRING. *Antiqq. Acad. diss. I. p. 11.* & *Supplem. IX. p. 223. seqq.*

x) Dictum de eo in hujus philosophi vita.

y) AELIAN. *l. III. c. 17.* CLEM. ALEX. *Strom. l. I. p. 341.*

z) Citati ANT. VAN DALE diss. *super Aristea de LXX. interpret.* MONTFAVCON. *Palæogr. Græc. p. 16.* REIMMANN. *Idea antiq. lit. Ægypt. p. 280. seqq.*

a) GALEN. *Epidem. l. III.* conf. MELCHIOR GVILANDINVS *de papyro vet. p. 195.*

b) *Lib. I. p. 2.*

c) Bibliothecarios hujus bibliothecæ ex SVIDA maxime notat IONSIVS *de S. H. P. p. 101.* & I. F. GRONOVIVS diss. *de museo Alexandrino.*

d) Andronici, Callimachi & Alcidamantis de museo scripta periere. Ex hodie extantibus illud descripsit STRABO *libro ultimo.* PHILOSTR. *vit. Soph. lib. I. c. 22. p. 524.*

e) GRONOVII & LVD. NEOCORI dissertationes de eo extant *T. VIII. Antiq. Græc.* peculiares etiam

eos ablegamus. Mirum itaque videri debet nemini, Ægyptum quaſi immutatam fuiſſe in Græciam, & Græcanica non tantum ſtudia Alexandriæ invaluiſſe, ſed præter grammatices, rhetorices & matheſeos diſciplinam philoſophiam quoque Græcam ibi fuiſſe traditam, [f] cunctaque hac in re Athenis reddita fuiſſe quam ſimillima. [g] Et ſub his regibus factum inde eſt, ut Græci philoſophi cujuscunque ſectæ Alexandriam trajicerent, regum Ptolomæorum benignitate & favore gaviſuri, qua de re in Græcorum philoſophorum, quam fuſe hactenus enarravimus hiſtoria, complura exempla attulimus, & præter Demetrium Phalereum, Theophraſtum atque Stratonem Peripateticos, Diodorum Cronum Megaricum, Diodorum item Aſpendium Pythagoreum & Timonem Scepticum apud hos reges gratioſos fuiſſe notavimus. Addi his poſſent alii, & imprimis bibliothecæ regiæ præfecti, viri non in philologia tantum, ſed etiam in philoſophia celebres, [h] ſi Alexandrinæ eruditionis hiſtoriam ſcriberemus. Multa enim ex eo tempore Græcorum Alexandriæ degentium fama in literis fuit, [i] nec ſecta inter Græcos ulla fuit, quæ non magni nominis viros Alexandriæ aleret. [k] Tam ſecurus quoque philoſophis nidus Ægyptus viſus eſt, ut Pythagorei ubique perſecutione preſſi, cum non haberent, quo tuto confugerent, huc convolarent, ubi ultimos ex hac ſecta, quam Ægypto primus notam fecit Eudoxus ab Ageſilao Nectanebi commendatus, & prophetarum diſciplinæ traditus, [l] vidiſſe Ariſtoxenum ſuo quoque loco [m] monuimus. Tanta vero Græcorum in artium & philoſophiæ ſtudiis induſtria enituit, ut coloniæ Græcæ longo doctrinæ intervallo, veræ originis Ægyptios ſuperarent; [n] rectèque fabulam eſſe, magnus CONRINGIVS [o] monet, quod AMMIANVS MARCELLINVS [p] Alexandrinæ philoſophiæ, qualis extremis Ptolomæorum temporibus caput erigere cœpit, aſſecla tradit, *non præſtantiſſimam tantum fuiſſe atque certiſſimam philoſophiam Ægyptiacam, ſed certaſſe quoque de præcedentia Ægyptios & Græcos philoſophos illosque viciſſe.* Recte enim obſervat vir eruditiſſimus nullibi legi, apud Ægypti reges philoſophos Ægyptiacos in pretio fuiſſe, immo eos ita corruere paſſos fuiſſe hanc diſciplinam, ut imperante Auguſto tota fere deſierint Heliopolitana muſea & ſtudia, id ex oculorum fide teſtante STRABONE. [q] E contrario vero ſub Cæſaribus Alexandrinam eruditionem & philoſophiam magnopere effloruiſſe, ipſis Imperatoribus ſalaria profeſſoribus conſtituentibus, eamque hujus literarum æque ac mercaturæ emporii cele-

etiam de eo dedere diſſertationes b. AD. RECHENBERGIVS & TH. CRVGERVS. add. IONS. *l. c. p. 218.* TILLEMONT. *Hiſt. imp. T. II. p. 431.* CAVE *H. L. Scr. Eccl. P. II. p. m. 20.* ESCHENBACH. *diſſ. Acad. p. 305. ſeqq.*

f) Fuiſſe in muſeo philoſophos quoque ſuſtentatos ex Timonis ſatyra apud ATHENAEVM *l. I.* patet, qui philoſophos tanquam in cavea ali dicebat.

g) CONRING. *l. c. p. 11.*

h) Vid. SVIDAS in *Zenodot. T. II. p. 8.* in *Apollon. T. I. p. 283.* in *Ariſtonym. T. I. p. 329.* in *Dionyſ. Alex. T. I. p. 598.*

i) AMMIANVS MARCELL. *l. c.* Geographus GOTHOFREDI *l. c.*

k) IDEM *p. 19.*

l) Vid. quæ dicta ſunt in Eudoxo, *c. X. hujus libri.*

m) Conf. SCHEFFER. *de philoſ. Ital. c. XV. pag. 172.*

n) Conf. CONRING. *l. c. p. 236.*

o) *l. c.* *p*) *l. c.* *q*) *l. ult.*

celebritatem usque ad captam a Saracenis Alexandriam duraviſſe, indeque omnes ſectas philoſophorum per omnes provincias digreſſos fuiſſe,[r] in ſequenti hiſtoriæ hujus periodo luculentis conficiemus teſtimoniis.[s] Certe tam domeſtica viſa eruditio & philoſophia Alexandriæ, ut Alexandrini dicerentur viri, alibi locorum nati, & in hac tantum muſarum ſede docentes.[t]

Syncretiſmus philoſophiæ Græco-Ægyptiacæ.

§. V. Licet vero Græcam philoſophiam Ægyptiacæ prævaluiſſe, & ſolam fere Ptolomæorum, & poſt hos, Imperatorum Romanorum ætate viguiſſe, ex dictis ſit manifeſtiſſimum, non tamen credendum eſt, nihil illam ab hac mutationis fuiſſe paſſam, quemadmodum Ægyptiacam a Græca adulteratam fuiſſe, *libri primi capite ſexto* docuimus. Aliud enim ratio philoſophiæ Græcæ in Ægypto nobis ſvadet, cujus certum genus longe aliam a nativo colorem accepit faciem. Etſi enim nec Peripateticam, nec Stoicam philoſophiam[u] multam mutationem initio paſſam eſſe legimus, immo Alexandriæ Sceptica philoſophia ab Æneſidemo priſtinum nitorem accepit,[x] aliter tamen accidit philoſophiæ Pythagoricæ & Platonicæ, in cujus cauſas paulo curatius inquirere, remque ab ovo, quod ajunt ordiri, propter Alexandrinæ philoſophiæ hiſtoriam, quam ſequenti tomo condiemus, e re noſtra eſt. Scilicet Pythagoricæ philoſophiæ primam Ægyptiis notitiam ab Eudoxo factam capite decimo hujus libri probavimus, ex STRABONE[y] notantes, quam benevolo applauſu Eudoxus atque Plato in Ægypto fuerint recepti. Cui favori cum accederet Ptolomæorum in philoſophos, præſertim exules, gratia, ſub Lagidis potiſſimum imperio in Ægyptum ſe recepere, teſte LAERTIO[z] Xenophilus Chalcidenſis ex Thracia, & Phanto Phliaſius, & Echecrates & Diocles, & Polymnaſtus Phliaſii & ipſi. Æqualis his fuit Diodorus Aſpendius hoc tempore in Ægypto verſatus.[a] Quorum philoſophia cum moribus & inclinationi Ægyptiorum admodum conveniret, magno applauſu excepta eſt. Erant enim Ægyptii temperamento melancholico, ſubtriſti, & ſolitudinis ad ſtudia colenda amanti;[b] præterea omnis fere terræ circa numinum cultum, teſtibus multis veterum,[c] religioſiſſimi, ſacrificiisque maxime intenti, & de Diis valde ſolliciti. Arcanam vero & allegoricam docendi methodum ſtudioſe ſervaſſe ſupra luculenter evicimus. Quæ omnia cum in philoſophia Pythagorica, quæ natales ſuos in Ægypto hauſiſſe gloriabatur, Ægyptii philoſophi invenirent, mirum non eſt, hoc ſectæ genus Ægyptiis fuiſſe com-

r) Geographus vetus *p. 19.*

s) Conf. CONRING. *l. c.* & de *Hermet. Ægypt. med. c. IX. p. 83.*

t) Recte hoc obſervatum IONSIO *l. c. p. 15.* Ita Ariſtarchus Samothrax natione, & Dionyſius Thrax Alexandrini dicti ſunt, vid. SVID. in *Dion. T. I. p. 598.*

u) Conflata tamen utriusque ſectæ philoſophia in ſyſtema eclecticum, a Potamone & Ammonio Sec. II. exeunte conditum.

x) Dictum hac de re *c. XIV.*

y) *Lib. XVII.*

z) *Lib. VIII. c. 46.* Xenophilum hunc præceptorem habuit Ariſtoxenus, SVIDAS in *Ariſt.* GELLIVS *l. IV. c. 2.*

a) IAMBLICH. *vit. Pythag. c. ult.*

b) *Geographi citati.*

c) AMMIANVS *l. c.* LVCIAN. *de Dea Syra* Geogr. GOTHOFREDI *p. 21.* conf. IO. BRAVN. *de Delta Ægypt. Sel. S. p. 726.*

commendatiſſimum. Nam & illi ſolitudinem amabant, & tam ſecuritatis quam philoſophiæ cauſa in rus & deſerta loca recedebant, [d] triſtemque & ſeveram promittebant philoſophiam, quæ circa Deorum notitiam cultumque & ſacrificia omnium maxime verſaretur, & accuratius ſacram doctrinam enarraret. Arcanam quoque docendi methodum eandem, quam ſectæ auctor in Ægypto acceperat ſervabant. Quæ ſimilitudo effecit, ut qui ex Ægyptiis magis patrio mori congruenter philoſophari cuperent, & tamen Græcæ philoſophiæ ſe attemperare ex regionis more & imperantium voluntate [e] neceſſe haberent, Pythagoricam diſciplinam ſequerentur; cujus tantus inter Ægyptios incolas amor fuit, ut eos in deſerta ſequerentur, & philoſophica ibi in morem Pythagoræ collegia inſtituerent, id quod imprimis a Iudæis in Ægypto commorantibus factum eſſe, Therapeutarum exemplo in ſequenti hujus tractationis tomo luculenter roborabimus. Acceſſit poſtea Platonis philoſophia cum Pythagorica, ut ipſe inſtituerat copulata, quæ magis Græco more de Diis philoſophari videbatur. Vt vero placita toto fere cœlo inter ſe diſtantia, & avita Ægyptiorum religio cum Græcanica theologia jungerentur, in ſubſidium vocatus ſyncretiſmus philoſophicus, huic ſectæ vehementer adamatus, [f] & allegoriarum ſubſidio miſta quadrata rotundis & in unum fere ſyſtema fuſum, quicquid religionum diverſiſſimarum fuerat in Ægypto. Adeo, ut nec Iudæis media defuiſſe, quibus Pythagoram & Platonem cum Moſe in concordiam redigerent, Philonis exemplum teſtetur luculentiſſime. Ita vero nec vetus Ægyptiaca theologia pura manſit, nec Pythagorica, nec Platonica, ſed prout quis ingenio valuit, ita patria, quæ inter Ægypti incolas varia fuit, [g] religio, allegoriæ ope placitis Græcorum attemperata, hæcque illi accommodata fuit. His acceſſit etiam alia immutandæ philoſophiæ Alexandrinæ Pythagorico-Platonicæ occaſio. Cum enim Alexandriam totius fere orbis commerciis frequentiſſimam commearet omne hominum genus, & celebratiſſimæ eruditionis alendæ cauſa multi quoque docti homines convolarent, accidit circa poſteriora Ptolomæorum tempora, ut iſtud philoſophorum Orientalium genus, quod ex Zoroaſtriana & Græca theologia novum quoddam de Diis eorumque emanationibus claſſibus & operationibus ſyſtema comminiſcebatur, quodque circa hæc tempora caput extuliſſe initio hujus capitis diximus, huc quoque commigraret. Quod cum avide ab Ægyptiis circa Deorum genealogias, ritus, ſacrificia curioſiſſimis reciperetur, a philoſophiæ Pythagorico-Platonicæ cultoribus, qui omnes omnino religiones & ſyſtemata nefando

d) HIERONYM. *contra Iov. l. II.* IAMBLICH. *l. c.* conf. SCHEFFER. *l. c. p. 178.*

e) Quin etiam propter originem, quam habuere Græcam, Græcæque affinem. Omnis enim generis & loci homines iterum in Ægyptum Alexandriam invitaverat Ptolomæus Phyſcon, exhauſta tyrannide civibus urbe.

f) Recepiſſe ex omnium regionum & nationum theologia Pythagoreos, quæcunque de Diis narrabantur, fatetur IAMBLICH. *vit. Pyth. n. 138.* A Diodori vero Aſpendii circa extrema Ptolomæi Lagidis tempora viventis ætate mixtam aliquam inter Pythagoreos Ægypti incolas viguiſſe philoſophiam recte obſervat SCHEFFER. *l. c. p. 179.* conf. ATHEN. *l. IV. c. 17.*

g) Conf. STRABO *l. c.*

nefando ſyncretiſmo confundere inſtituerant, etiam admiſſum, ſicque ex Ægyptiaca veteri, Orientali, & Pythagorico-Platonica philoſophia novum philoſophiæ chaos conflatum eſt, non Zoroaſtri tantum ſed etiam Hermeti,[h] immo ſanctis quoque gentis Hebrææ patriarchis adſcriptum, quod ſub Ægyptiacæ veteris titulo prolixe nobis expoſuit IAMBLICHVS.[i] Quæ Pſeudo-philoſophia tantas in Ægypto, maxime Alexandriæ radices egit, tantoque excepta applauſu fuit, ut non tantum ab eo fere tempore, quo monarchia Ægyptiorum collabi cœpit, caput efferret,[k] tandemque poſt Servatoris nati tempora ad juſtum ſectæ habitum conformata, & in plenum ſyncretiſmum religionum & ſectarum degenerans unice imperium in ſcholis philoſophorum Alexandrinorum obtineret, ut in ſequenti hujus hiſtoriæ parte prolixe trademus, ſed & ad Iudæos & Chriſtianos tranſiret. Et inter Iudæos quidem ſpurium illud philoſophiæ genus peperit, quod Cabbalam vocavere, traditionem patrum illud eſſe mentientes, cujus hiſtoriam ſequenti tomo integram concinnabimus; inter Chriſtianos autem primum ab hæreticis ex Ægypti ſcholis egreſſis, qualis Valentinus fuit, adoptata, hincque fidei Chriſtianæ, ſincera ſimplicitas temerata, mox infelici ſidere a purioris eccleſiæ doctoribus adamata & cum ſacris doctrinis nefando conſilio conjuncta eſt. Qua de re, cum in ſequentibus ex inſtituto differendum nobis ſit, originibus his Alexandrinæ philoſophiæ paucis expoſitis nihil addimus[l] amplius, ſed prolixæ primæ hiſtoriæ philoſophicæ periodi tractationi imponimus

F I N E M.

h) conf. PORPHYR. *vit. Plot. l. c.*

i) *De myſter. Ægyptior.* præſertim *ſect. VIII.*

k) Potamonis ſyncretiſmum philoſophicum conditamque ſectam eclecticam huc referunt qui Suidæ codicibus fidem habent, circa Auguſti tempora eum vixiſſe. Nos, cur ſerius ejus tempora ponamus, ad hiſtoriam hujus ſectæ digreſſi exponemus.

l) Quibus fatis apud Romanos uſa ſit philoſophia Græca, ſequenti tomo, ubi tota Romanorum philoſophia exponenda, enarrabimus.

* *

I. INDEX
PERSONARVM ET NOMINVM.

A.

Abaris 354, 1014
Abel 57
Abraham 71
Achitophel 541
Acrio 639, 1040
Adam 52
Adiamantus 629
Adraſtus Aphrodiſeus 798
Aeneſidemus 1319, 1328
Aeſar 328
Æſchines 574, 645, 652
orator 576
academicus 772
Æſchylus 1102
Æſopus 453
Aethalides 1015
Agatho 647
Ageſilaus 572, 1141
Albategnius 226
Alcæus 447, 1247, 1316
Alcibiades 539, 570, 583, 622
Alcidamas 1107
Alcimus orat. 619
Alcinous 669
Alcmæon 1087, 1131
Poëta 1134
Alexander M. 734, 784, 1105, 1207, 1349
Aphrodiſienſ. 1166
Syriæ rex 1316
Alexemenus 641
Alexinus 610, 614, 623, 796
Alexis Tarent. 1043
Almanſor 210
Amaſis 448, 1002
Ameinia 1157
Ameriſtus 1060
Amipſias 551
Amphidamantus 1210
Amphion 402
Amphis 646
Amyntas 778
Anacharſis 358
Anaxagoras 492 ſeqq.
alii 493
Anaxarchus 1143, 1207 ſeqq. 1320
Anaximander philoſ. 478 ſeq. 1020
hiſtoricus 479
Anaximenes 488, 1132
alii 488
Anchipyllus 623
Androcydes 1043
Andronicus 798
Rhodius 798, 853
Anniceris 600, 601
ſenior 601, 650
Annius Viterbienſis 130
Antigonus 624 ſqq.
Caryſtius 1319
Gonates 897
Antiochus academic. 728, 775, 1328
Laodicenus 1328
Antipater 894
Cyrenaicus 599
Sidonius 979
Tarſenſis 894, 979
Tyrius 980
Antiphanes 1043
Antiphon 405
Antiſthenes 645, 862 ſeqq.
peripateticus 865
Anytus 550, 863
Apellico 800
Apollodorus 1228, 1315, 1316
grammatic. 1228
Apollonius Cronus 610, 615
Nyſæus 980
Tyrius 894
Apollophanes 969
Apulejus 669
Aquilianus Scipio 811
Aratus 1142
Arcerius Io. 990
Arceſilaus 728, 743, 746, 898
Arceſilai alii 749
Archæanaſſa Coloph. 647
Archelaus 518
Ionicus 1145
Archidamus 577
Archippus 1038, 1039, 1137
Archon Thericles 1005
Archytas Tarentinus 639, 651, 1022, 1038, 1040, 1102, 1128 ſeqq.
Ardoina 330
Areſas 1101
Arete 599
Arignote 1020, 1024
Arimneſtus 1020, 1059, 1179
Ariſtæus 1101
Ariſtagoras 1141
Ariſtarchus 570
Ariſtippus 584, 644, 645, 652
Cyren. 592
ſophiſta 592
nepos 599, 601, 602
Ariſto Ceius 840, 852
Chius 968, 970, 1209
pugil 629, 630
Ariſtobulus peripatet. 637
frater Epicur. 1230
judæus 637
Ariſtoclea 1008
Ariſtocles 629
junior 795, 796
Ariſtonymus 649
Ariſtophanes 405, 551, 1043
Grammat. 656
Ariſtoteles 644, 733, 776 ſeqq.
nepos 793
alii 776
Ariſtoxenus 989, 996, 1056, 1057
Aſclepiades 248
phliaſius 625
Asdrubal 771
Aſpaſia 526, 539
Aſſaphus 453

Aſtera

Aſtera 647
Aſtræus 1020
Athenodorus ſolenſis 968, 972
Tarſenſis 972
Cordyl. 972
Atlas 311
Attalus 758, 851
Aventia 330
Averroes 795
Auguſtinus 1318
Autolycus 746
Axiothea 644, 729
Azonaces 130

B.

Bacchylides 1204
Bælius, Peter 176
Baſilides 1315
Beauſobre, Iſaac de 983
Belus 127
Beroſus 129
Bias 447, 609, 999
Bidpai 210
Bion 540
Boryſthen. 607, 743
Bodium 1239
Bœrebiſta 363
Borrichius, Olaus 277
Boton 1145
Brontinus 1020, 1107
Bryſo 602, 619, 889, 1320
Buddas 202
Buddæus, Io. Franciſc. 38
Bulagoras 1101
Burlæus Gualter. 34

C.

Cadmus 234
Caduites 358
Cain 57
Calanus 204
Calippus 968, 1142
Caliſthenes 785
Callicratides 1102
Callimachus 970, 1185
Cambyſes 1004
Canterus, Guilielm. 33
Caranus 204
Carneades 728, 759 ſqq. 898
alii 765
Caſſander 857
Cato cenſorius 763
uticenſis 658
Cebes 577
Cephiſodorus 796, 1105
Cercops 1024
Chabrias 781
Chæredemus 1230
Chæremon 248
Chærephon 535
Chalcol 86
Champerius, Symphorianus 540
Chamus 69
Chanania ben Iſaac 541
Charmidas 728, 772, 774
Charondas 436, 1013, 1102
Chilon 445
Chœrilus 475
Chosroës 210
Chryſippus 764, 894, 974
Cicero 774, 981
Cidonas 131
Cleanthes 894, 968, 972, 1209
Clearchus 794
Cleemporus 1097
Cleobulina 449
Cleobulus 449
Cleombrotus 658
Cleomenes 892
Cleon 1236
Clinias 1040, 1102
Clinomachus 610, 614
Clyſthenes 436
Clitarchus 619
Clitomachus 728, 765, 771 ſeqq.
Cœtus 639
Colotes, 620, 1250
Lampſacenus, 892, 1250
Connus 525
Conringius Herman. 277
Cornarius Ian. 659
Cozzandus, Leonh. 35
Copernicus Nicol. 1062
Crantor 727, 743
Craterus 882
Crates 619, 621, 747
Crates Academicus 727, 742
alii 743
Cynicus 743, 863, 888 ſeqq.
Peripateticus 743
Stoicus 743
Cratylus 632, 640
Creophilus 998
Critias 570
Crito 524, 570, 576, 1040, 1102
alii 577
Critobulus 570
Critolaus 840, 852
Crœſus 454, 455
Cteſibius 892
Cudworth Radulph. 174

D.

Dacier Andreas 659, 990
Damaſias 459
Damaſis 1179
Damo 525, 1020, 1023, 1024
Danaë 1250
Daridamis 203
Daniel 94, 1004
Dapſchelin 210
Darda 86
Darius Hyſtaſpes 1011
David 86
Demaratus 793
Demetrius Alexandrin. 859, 892
magnet. 1243
Phalereus 841, 854, 856
Poliorcetes 618
Lacon. 1315
alii 859
Democharcs 796
Democrates 1231
Democritus 1143, 1177 ſeqq. 1231
Demophilus 790
Demoſthenes 644
Deslandes 37
Diagoras Melius 1103, 1143, 1203 ſeq.
Dicæarchus 854, 996
grammatic. 855
Diceneus 362
Didymus 1043, 861

Dio Syracuſ. 644, 649 ſeqq. 728 ſeq.
Diocheta 1157
Diocles Cnidius
Magnes 1319
Megarenſ. 618
Phliaſius 1105
Diodorus Cronus 610, 615, 853, 896
Aſpendius 1031, 1101
Xenoph. filius 573
Diodotus 1209
Diogenes Apollon. 514
Babylon. 894, 979
Cynicus 618, 645, 652 871 ſeq.
Laërtius 32, 627, 990
Seleucienſ. 1316
Smyrnæus 515
Tarſenſ. 1315
Diomedon 1168
Diomenes 1203, 1207
Diomus 861
Dionyſius ſenior 639, 649 ſqq. 728 ſeq.
junior 1141
Carthaginenſ. 610
dialecticus 602
grammat. 630
Heracleotes 609, 968, 971
Metathemenus 968, 971, 1315
Dioſcorides
Cyprius 1328
Diotima 525
Diotimus 861
Diotogenes 1102
Dornius, Io. Chriſtoph. 32
Draco 436
Dromocrides 405
Dryſo 619, 1320

E.

Eberti, Adam 210
Echecles 892
Echecrates Timæus 639, 1041 1105
Ecphantus 1102
Egeſinus 728, 759
Empedocles 1014, 1102, 1106 ſeq.
tragicus 1109
Enoch 61, 311
Enos 61
Epicharmus 1102, 1121
Epictetus 622
Epicurus 749, 843, 898, 1230 ſeqq.
Epigenes 570
Epimenides 419, 1009, 1014
Epiphanes 971
Epiphanius 33
Epitimides 600, 601
Eraſiſtratus 842
Eratoſthenes 970
Erillus 968, 971
Erotium 1239
Erymneus 853
Ethan 86
Euander 728, 758
Eubulides 610, 613, 796
Eubulus 1328
Euclides archon 612
geometra 611, 645
Megarenſis 610
Eudemus 854, 856
Eudoxus 634, 1129, 1140
Euemerus 604
Euenus 525, 570
Euhemerus 604
Eumenes 851
Eumetis 449
Eumolpus 401
Euphantus 610, 615
Euphorbus 1015
Euphranor 1328
Euriphamus 1102
Euripides 570, 634, 1201
Eurymedon 790
Euryphanus 1040
Eurytus 639, 1102
junior 1137
Eutherus 570
Euthydemus 570
Ezechiel 1004

F.

Fabricius, Io. Alb. 32, 1319
Fannius 980
Favorinus 1319
Fauſt Ioan. magus 1016
Feind, Barthold 38
Ficinus Marſilius 540, 628, 659
Frea 330
Friſius, Io. Iac. 34

G.

Gale Theoph. 35
Gargettius 1232
Gartydas 1101
Gaſſendus Petr. 1229, 1252
Gautier, H. 37
Genzkenius Frider. 38
Geſner, Conrad 33
Glauco 577
Glaucus Rhegin. 1179
Glycera 620
Gorgias 862, 1201
Gortydas 1101
Grauius, Abraham 35
Gronovius, Iacob 33
Gryllus 573
Gudius, Marquardus 1121
Gundling, Nic. Hieron. 38

H.

Harpagus 1142
Harpalus 1142
Hecademus 642
Hecatæus 1325
Hecato 980
Hedia 1239
Hegeſias 600
Hegeſilaus 759
Heinſius, Daniel 894
Heman 86
Heraclides Pontic. 854, 856, 1328
Heraclitus 1025, 1166, 1208 ſeqq.
peripatet. 1211
Herillus 968, 971
Hermachus 1249, 1315
Hermagoras Amphib. 969
Hermes 252
Hermias 782
Hermippus Peripatet. 622
Smyrnæus 154, 798
Hermodamantes 998, 999
Hermodorus 658

Hermodorus JCtus 1209
Hermogenes 570, 551, 632, 1157
Hermotimus 493, 1015
Herodotus Tarſenſ. 1328
Herpylis 792
Heſiodus 406
Heſus 328
Heumann, Chriſtoph. Aug. 38
Heurnius, Otto 6, 104
Hiero 1121, 1144
Hierocles 748
Hierombalus 236
Hieronymus peripat. 747, 749, 840, 854
rhod. 859
Hipparchia 890 ſeq.
Hipparchus 1031, 1040, 1043, 1102
Hippaſus 1024, 1107, 1135
Hippias 1060
Hippo 1102, 1103
Metapont. 1103
Hippocus 226
Hippodamus 1040, 1102
Hippocrates 1182, 1223
Hipponicus 746
Hippobotus 1210
Hippoclides 1235, 1315
Homerus 422, 747
Hornius, Georg. 35
Hoſtanes 159
Huetius, Petr. Dan. 37
Hyperides 644
Hyſtaspes 158

I.

Iacobus 75
Iadmon 454
Iannes 278
Iamblichus 990
Iambres 278
Iarchas 204
Iaſon 981
Iauan 218
Ichthias 610
Idmon 454
Idomeneus 1248, 1250
Ieremias 627
Iobus 97
Ionſius, Ioan. 32, 778
Ioſephus patriarch. 76
hiſtoricus 59
Iſaacus 74
Iſocrates 644, 1201
Iſter 622
Iubal 59
Iuna 218
Iupiter Belus 127

K.

Kuſterus, Ioann. 34
Keïomarathus 161

L.

Laberius 1181
Lacydes 728, 757, 1326
Lælius 980
Lais 588, 881
Lampo 525
Lamprus 525
Lange, Ioachim. 38
Lathenia 644, 729
Laſus 1135
Lehmann, Io. Iac. 990
Leodamas Thaſius 642
Leodamantes 998
Leon 1009
Leontinus Gorgias 549
Leontium 843, 1239, 1248, 1250
Leonteus 1250
Leucippus 1142, 1171 ſeq.
Linus 372
Lipſius, Iuſtus 894, 921
Lockmann 226
Lucius Tubero 1328
Lucretius 1228
Lyciſcus 840
Lyco philoſ. 796, 840, 851 ſq.
Iaſeus 990
Lycurgus 437
orator 644
Lyſanias 970
Lyſias 552, 570
Lyſis 1038, 1039, 1040

M.

Mandanis 203
Manetho 250
Mannus 330
Marcellus 981
Marmaridius 130
Marmarium 1239
Mauſolus 1141
Melampus 403
Melanthius Rhod. 772
Meleager 893
Meliſſa 764, 1040
Meliſſus 1143, 1166 ſeq.
Melitus 550
Menagius 37
Menedemus cynic. 625, 892 ſ.
eretriac. 622 ſeqq.
Menippus 893
Lycius 893
Menodotus 1328
Mentor 765
Mercurialis, Hieron. 1217
Mercurius 252
alter 258
Metellus 631
Meton 1142
Metopus 1040, 1102
Metrocles 891
Metrodorus 793, 1207
epicureus 1248
theoreticus 619
medicus 1121
Straton 1249
Milo Crotoniat. 1021
Minos 437, 1010
Mithridates Perſa 654
Mnemarchus 1101
Mneſarchus 980, 1020, 1101
Mochus 230
Moderatus 990, 1043
Mœris 1060
Monimus 886
Morellius, Guil. 34
Morgo 1009
Moſchus 230
Phædon. diſcip. 623
Moſes 78, 120
Mus 1249
Muſæus 400
Mycon 896
Myca 1020, 1040
Myrtus 528
Myſon 442

N.

Naburianus 131
Nauſiphanes 1203, 1231, 1322
Nazaratas 131, 1003, 1006
Nearchus 1168
Nectanebis 1141
Neleus Scepſius 799
Neocles 1228
Neſſus 1203, 1205
Nicanor 793
Nicarete 618
Nicedium 1239
Nicocreon 1208
Nicolochus 1328
Nicomach. avus 778
nepos 793, 841
Nicoteles 601
Noachus 66
Numa 347
Numenius 1043, 1325
Apamenſis 1325
Nuſchiruan 210

O.

Ocellus Lucanus 818, 1102, 1122
Ocylus 1122
Odinus 330
Oenomaus 865
Olearius, Godofred. 35
Olympiodorus 628
Oneſicritus 886
Onetor 618
Oporinus, Ioach. 8
Oreſtades 1145
Orpheus 373
Oſthanes 159
Otanes 159

P.

Pœonius 619
Pamphilus 1231
Panætius 980
Pandæmus 896
Panthea 1108
Paræbates 600, 601
Parckerus, Sam. 1292
Parmenides 1143, 1157, ſeq. 1167
Parmeniſcus 1145
Paſicles Thebanus 618
Paſiphon 576
Patricius, Franciſcus 777
Patron 1315
Pauſanias 1209
Periander 450
Pericles 437, 492, 526
Perictiona 628
Pythagorica 1065
Perſæus 623, 968 ſeq.
Peyrerius Iſaac 104
Phædo 622, 645
Phædrium 1239
Phædrus Alexis 647, 1315
Phalantus 969
Phalaris 355
Phanias 854, 856
ſtoicus 857
Phanocritus 1140
Phanton 1105
Pherecydes 982, 998, 999
Philænis 1239, 1247, 1250
Phil[illegible]a 748
PhilippusMaced. rex 734, 783
Philiſcus 886, 1247, 1316
Philiſtio 1140
Philiſtus 651
Philo 616, 728, 773
Byblius 238, 239
alii 774
Philochorus 1102
Philomarus 1288
Philolaus 1025, 1043, 1062, 1102, 1105, 1129, 1136
Philonis Thebanus 968
Philumenaris 1287, 1288
Phocion 886
Phocylides 456
Phormio 840
Phraſidemus 619
Phryne 734
Pilpai 210
Pindarus 1204
Piſaurus, Aloyſius 34
Piſiſtratus 437
Pittacus 446, 983
Plato 627 ſeqq. 780, 1038, 1041
comicus 630
Pliſtanus 622
Plutarchus 32
Polemarchus 1142
Polemo acad. 727, 740, 896
ſtoicus 741
alii 741
Pollis 650
Polus 1040
Polyænus 1249
Polybius 980
Polycrates 999, 1005, 1011, 1235
Polygnotus 896
Polymneſtus 1105
Polyſtratus 1315
Pompejus 981
Porphyrius 990
Poſidonius 894, 968, 980
Potona 629
Praxiphanes 840
Praxiteles 840
Praylus 1328
Pritanes 840
Proclus 793
Prodicus 525, 1201
Cejus 549, 1201
Prometheus 368
Protagoras 641, 1143, 1200 ſeqq.
Protarchus 1315
Proxenus 779
Ptolomæus Claudius 1319
Cyrenæus 1328
Ptolomæus Lagi 857
Leucus 1317
philadelphus 799, 845
philopator 971
ſoter 618, 857
Pyrrho 1320
ephecticus 602
Pyrrhus Del. 1015
Pythagoras 994 ſeqq.
pugil 998, 999
aliptes 1106
Pythias 782, 792
Pythogrius 798

R.

Regis, Petr. Sylvan. 37
Reimmann, Iac. Frid. 91
Rhadamantus 437
Rhodopis 454

Rondellus, Iac. 1229
a Ryſſel, Io. Iac. 35

S.

Saba 218
Sabius 218
Sæmund Sigfuſonius 326
Salomon 86
Sanchuniathon 236
Sara 1020
Sarpedon 1328
Satyrus 969, 1168
Saturninus 1328
Saulius 358
Scipio 980
Schottus, Andreas 777
Sechnuphis 634
Seleucus Seleucienſ. 131
Semiramis 127
Semus 69
Serranus, Ioan. 659
Servius Tullius 1005
Sethus 58
Sextus Empiricus 32, 1319, 1328
Simmias 577, 619
Simo 1058
Simon 577
Siren 969
Socrates 523
alii 522
Solon 436, 442
Sonchis 1002
Sophocles 625
archon 841
Sophron 1122
Soſicrates 744, 747
a Soto, Dominicus 540
Speuſippus 644, 652, 727, 728, 1041
medicus 730
Sphærus 622, 968, 971, 1209
Sphines 204
Stanlejus, Thomas 35
Stilpo 610, 617, 886, 896, 1324
Stobæus, Ioan. 33
Strato Lampſac. 840, 845
Sturlæſon Snorro 327
Sudinus 131
Suidas 34
Sylla 643, 800
Syloſon 1004, 1011
Synallus 599

T.

Taaut 252
Tachmurath 218
Tachurith 218
Tages 343
Taranes 328
Tarquinius 1005, 1011
Tauromenites 793, 795
Telauges 1020, 1101, 1144
Telecles 758
Terpander 437
Teucrus Babylonius 130
Teutates 328
Thates Cres 442, 462
Mileſ. 458, 999, 1060
Thamyris 401
Theages 1040, 1102
Theano 989, 1019, 1040
Thebet Ebn Korra 226
Themiſta 1239, 1250
Themiſtoclea 1008
Themiſtocles 494
Theodas 1328
Theodoria 748
Theodorus Atheus 602
Cyrenaic. 599, 642
geom. 642, 525
Theodoſius 1319
Theognis 456
Theombrotus 892
Theomedon 1141
Theophraſtus 799, 840 ſeqq. 1107
Theopompus 985
Theorides 1102
Theotimus 1243
Theramenes 1201
Theſeus 437
Theut 252
Theutates 328
Thomaſius Chriſtian 38
Iacob 35, 921
Thoot 252
Thoron 330
Thoyt 252
Thraſimachus Corinth. 618
Traſymachus Soph. 549
Thraſyllus 1043, 1185
Thubalcain 59
Timæus Locrus 813, 1102 1127 ſeq.
Timæus Tauromenites 795
Timarchus 892
Timocrates 1242, 1250
Potamonius 1250
Timon Miſanthrop. 582, 624
Phliaſius 1325
Timotheus 781
Toxaris 360
Triller, Dan. Wilh. 1227
Triptolemus 436
Tuiſcon 330
Tuiſto 252
Tydas 1101
Tyrannio 800
Tyrtæus 437
Tyrtamus 840

V.

Vives, Ludov. 34
Voſſius, Gerard. 35

W.

Walther, Godofr. 1166
Wolfius, Io. Chriſtoph. 33

X.

Xanthus 746, 1326
Xantippe 528
Xeniades 872, 883, 888
Xenocrates 644, 727, 732, 781, 783, 896, 1041
Xenophanes 1105, 1143 ſqq.
Poëta 1146
Xenophilus 901, 1105
Xenophon 571, 645, 1201
Xerxes 1177

Z.

Zabratus 131, 1003, 1006
Zaleucus 435, 1013
Zamolxis 361, 1020
Zaratus 131, 1003
Zarmocenides 130
Zeno Cittieus 602, 619, 749, 894 seqq.
Eleates 641, 1143, 1167 sq.
Zeno Sidonius 901, 968, 979, 1243, 1315
Tarsensis 894, 979
alii 901
Zenodotus 676, 858
Zerba 362
Zerdusht 144
Zeuchus 130
Zeuxippus 1328
Zeuxis 1328
Zierold, Io. Wilh. 38
Zoilus 427, 998
Zopyrus 893
Zoroaster 116, 1003, 1007
Persa 218
Zorodashtus 218
Zoromasdres 130
Zwinglius, Huldricus 540

* *

II. INDEX
RERVM ET MATERIARVM.

A.

Abaris, philosophus Scythicus p. 354
an cum Pythagora convenerit 356
impostor fuit 357
Abii inter Scythas quinam 352
Abrahamus ex Philosophorum choro ejicitur 72. Zoroaster Arabibus dicitur 145
Abstinentia Pythagoricorum a carne & piscibus 1036
Academia unde nomen sortita 642 qualis locus fuerit 642. ab hac secta Platonica nomen accepit 643. *prima*, quæ 728. *media*, quæ 746. origo illius methodi philosophandi receptæ 749 seq. *nova*, illius origo 759. observationes de ejus philosophia 767. *quartæ* conditor quis 773. *quintæ* conditor quis 775
Academiæ in Ægypto a Iosepho institutæ non sunt 77
Academica secta 672 seq. discrimen inter illam & scepticam 1331
Acatalepsia, primum ejus fundamentum 755
Accidens, ejus classes 807
Acetum scilliticum magnæ virtutis est 1097
Acroamatica, quænam ab Aristotele ita dicta 789
Actus in Aristotelis Metaphysica quid 828
Acusmatici quinam 1031
Acustici quinam ibid.
Adiaphora, quæ sint ex Herilli mente 971
Adolescentes philosophorum Indicorum ante prandium recitant quid boni per diem egerint 200
Adulatio Anaxarchi erga Alexandrum M. 1207
Ægritudo sententiæ Epicuri de illa 1312
Ægyptii antiquissima natio, sapientia laude inclyta 244. difficultates in eorum historia philosophica 245. scriptores de eorum philosophia 248. eorum Reges Dei & semidei unde orti 254. sapientiam arcano modo docebant 268. eorum tota philosophia ad imperii & sacerdotii commoda refertur 273. num Atheis annumerandi 285
Ænigmata, in illis struendis reges & principes orientis se exercent 216. Pherecydis explicatum 988
Æquinoctium, quis primus observaverit 480
Æquipollentia quid ex mente Aristotelis 808
Æquum a justo differt 838
Aër principium omnium rerum habetur 488, 515. & Deus 489. densus mundos gignit 517. unde pellucidus factus. 520 unde nascatur 820. ejus divisio apud Stoicos 944. quid sit Pythagoræ 1088
Æsopus, vita ejus 453. an fabulas eius Socrates versibus complexus sit 554
Æternum ex Xenophanis mente quid 1148
Æther quid sit mente Anaxagoræ 509. quid sit Pythagoræ 1088. ex mente Stoicorum Deus summus 942
Æthiopes, eorum historia philosophica obscura & incerta 305. ex Ægypto originem traxerunt 306. origines eruditionis

&

& philoſophiæ eorum 306. facies philoſophiæ æthiopicæ 307. an athei 308
Ætna an Empedocles ſe in illam injecerit 1110
Affectio animæ, quæ & qualis 765. in Logica Cyrenaicorum quid ſit 595
Affectus quid ſint 725. duo præcipui voluptas & dolor 1279. quatuor generales qui 1280
Agrigentum nobiliſſima poſt Syracuſas civitas 1106
Albedo, quid mente Democriti 1196
Alchemia, ejus notitia apud veteres auctores extat nulla 70
Alexander M. an illi nomen philoſophi debeatur 784. n. an ab Ariſtotele veneno interfectus 786. græcanicam ad alias gentes transfert 1349. fortunæ ejus influxus in philoſophiam apud Africæ gentes 1350
Alexandria, Bibliotheca ibi condita 858
Amatoria ſpecies eſt amicitiæ 726. Socrates illam diſcit a Diotimo 526
Ambarualia, qualis feſtus Athenienſium 552
Ambitio Antiſtheni a Socrate objecta 863. Cynicæ virtutis mater 868
Amenthes, quis locus 296
Amicitia quomodo fiat 726. cum virtute conjuncta eſt 838. datur omnium erga omnes 1070. contentionis ſtudium ab illa removendum ib. nunquam ab illa fides removenda ib. non propter infortunium reprobanda ib. in vera plurima legibus circumſcripta ſunt ib. peregrinæ declinandæ ib. Epicuri de illa ſententia 1314
Amictus Pythagoreorum 1035
Amicus quomodo comparandus 567
Amor, an in theogoniis ſummum numen indicet 416
Amphion fabula de illo explicatur 403
Anacharſis philoſophus Scythicus 358 ſeq.
Analytica Ariſtotelis, quæ 805
Anatomia, num illius peritus fuerit Salomon 92 ſeq. a Democrito exercita 1180
Anaxagoras vita ejus 492. chronologia ejus 497. an publicas inſtituerit lectiones 500. an duos Deos ſupremos ſtatuerit 508
Anchora, an Anacharſis eam invenerit 360
Angeli, an ab illis philoſophia orta 50 a Magis tanquam mediatores invocati 184. n. an quis eorum Socratis genius fuerit 545 ſeq.
Anima, doctrina de illa ex Zoroaſtri oraculis 187, 188. origine cœleſtis a Deo genita, & cum Deo cognata habetur 206 indumentum ejus corpus Indis dicitur 207. immortalitatem ejus Ægyptii credunt 295. ejus metempſychoſis an ab Ægyptiis credita 296. ſtatus ejus poſt mortem qualis ex mente Ægyptiorum 297. doctrina Æthiopum de illa 309. doctrina Celtarum de illa 335 ſtatus ejus poſt mortem ex Celtarum mente 339. Orphei de illa doctrina 399. Thaletis 474. inanimatis quoque ineſſe dicitur 475. a mente diſtinguitur 513. aërea putatur 513. habitare in arterioſa cordis cavea dicitur 517 Socratis de illa doctrinæ 563. præexiſtunt 580. Platonis doctrina de illa 712 ſqq. ex Deo eſt 713. habet aliquid ex materia 714. in aſtris habitavit 715. tres habet partes 717. eſt immortalis & cauſa motus 718. fati legibus ſubjecta 718. eſt numerus, qui a ſe ipſo moveatur 739, 1090 ex omnibus eſſe concretam Crantor ſtatuit 744. Ariſtotelis doctrina de illa 820 ſeqq. ſedes illius in ſuperciliorum meditullio eſt 850. cum corporis ſenſibus arctiſſime illam conjungit Strato 850. Stoicorum de illa doctrinæ 950. mortales & immortales ſunt 950. redibunt in corpora priſtina poſt univerſalem rerum omnium combuſtionem 951. octo ejus ſunt partes ib. ejus ſedes poſt mortem inter ſidera eſt ib. purgatorium habent 952. ſphæræ inſtar uniformis ſibi natura ſua eſt 960. inter animam & mentem diſtinguunt Stoici 960. anima libera eſt 961. ejus immortalitatem Pherecydes Græcos primus docet 984, 989. totus aër plenus animarum eſt 1083. eſt avulſio ætheris calidi ac frigidi 1090. in rationalem & irrationalem partem dividitur ibid. 1195. omnium animantium & brutorum ſunt rationales 1090. initium animæ a corde ad cerebrum eſt 1091. pars ejus rationalis immortalis eſt ib. ſanguine nutritur ib. vincula ejus venæ, arteriæ, & nervi ſunt ib. mens extrinſecus

animæ inſeritur ib. quaternionem in ſe habet ib. corpus carcer ejus eſt ibid. in terram ejecta vagatur in aëre corpori ſimilis ib. nulla interit, ſed poſt certos fati circulos nova ſubit corpora 1092. anima gignitur ex humido 1104. duplex hominis eſt ex Empedoclis mente 1117. ejus migratio ex Empedoclis ſententia 1119 conſtat natura ignis 1136. ſpiritus eſt 1156 ignis quidam & calor eſt 1195. mortalis eſt & cum corpore perit ib. mens unum idemque cum illa eſt ib. animæ potior, quam corporis ratio eſt habenda 1199 de ejus natura nihil certum definiri poteſt 1221. diſcedentes ex hac vita in animam univerſi abeunt ib. Epicuri doctrina de illa 1277. corpus tenuiſſimum eſt 1277 non per ſe ſola ſentit ib. diſtingui poteſt inter animam & animum 1279. poſt hominis mortem diſſipatur 1281

Anima mundi an Deus a Socrate creditus 562. a Platone quæ 701 ſeq. ſupramundana, quæ 713. an Ariſtoteles illam ſtatuerit 826. n. Stoicis quæ 929. ab Empedocle 1113. ex Heracliti mente quid 1215 eſt opifex rerum omnium ib. ex humida evaporatione eſt 1220

Animalia prima, quomodo nata, 487, 513, 520 inanimata naſci dicuntur 517. mens eis ineſt 520. illa condenda inferioribus Diis permiſſum 712. non ſunt immolanda 1072 eorum corpora fortuito particularum ſimilarium concurſu efformata 1119. prima quomodo genita, mente Epicuri 1273

Animantia ex putridis naſcuntur 820

Animoſitas Zenonis Eleatæ 1167

Animus, diſtinguitur ab anima 1279. noſter cognatus Diis immortalis & æternus manet 185. quare in mortale demittatur corpus ib. tabula cerea habetur 672. plane nihil eſt & nomen inane 854. Stoicorum de illo doctrina 949. eſt particula Dei 950 eſt ſpiritus igneæ naturæ 950. per ſimulacra cogitat 1279. ſedes ejus media pectoris regio eſt ibid. pars ejus principalis in pectore reſidet 1164. affectus eius, qui 1279. hi ubi ſint 851

Anniceria ſecta, quæ 601

Annius Viterbienſis monumenta Beroſi effinxit 130

Annus, a Thalete in 365 dies diviſus 477 annus magnus Stoicorum quid 946. annus magnus Platonicorum 711

Anthropologia Stoica, quæ 948

Antichthon Pythagoreorum quid 1062

Anticipatio mentis, quid 1258. eſt in omni ratiocinatione principium ib.

Antipodes an Anaximander illos crediderit 486. a Pythagora crediti 1063

Antra numinibus & oraculis celebria 1010 n.

Apathia Stoicorum quidnam ejus fundamentum 955. illi ſapiens deditus eſt 965

Apollonia, quot urbes hujus nominis 514 n.

Aporetici, unde Sceptici ita dicti 1318

Apotelesmata, quænam ſint 140

Appetitus duplex, voluntas & ſenſitivus 823 animantium primus quis ex Stoicorum mente 961. venereus unde oriatur 1120

Apprehenſio fit per ſenſus 916

Approbatio quomodo fiat 917

Aqua an principium omnium rerum ab Orpheo facta 395. quo ſenſu a Thalete inter rerum primordia poſita 465 ſeqq. unde naſcatur ex opinione Ariſtotelis 820

Arabes, vetuſtiſſimis philoſophia adſcribitur 213. denegatur 214. eorum origo ab Abrahamo incertiſſima 215

Arcades, leges ad rempublicam ordinandam a Platone ſibi expetunt 648

Argumentatio, in illis non aſſumtionibus ſed concluſionibus utebatur Euclides 612

quibus ex rebus conſiſtat 919

Argumentum, dialecticum quo nitatur 819 Stoicorum de illo doctrina 920

Arimanius, quis ſit, 171, 177. a ſummo Deo genitus 178. fons eſt materialium ſubſtantiarum 179. ex Zoroaſtri oraculis deſcribitur 188

Ariſtippus ſectæ Cyrenaicæ auctor 584 cauſæ invidiæ erga illum 585. de ejus educatione nihil eſt cognitum 585. cultui corporis & elegantiæ ſtudet 586 an cum Laide converſatus ſit Æginæ 588 ejus peregrinationes male interpretantur 587 ſqq. aulicis ſe attemperavit moribus 590. ejus ingenium & mores 591 ſcripta 592. doctrina ibid. quasnam philoſophiæ partes coluerit 593

Ariſtoteles in recenſendis veterum ſyſtematibus non fideliter verſatus 464, 797 ſcripto-

ſcriptores de illo 776. nativitas & educatio ejus 778. Platoni acceptus 780, an Platonem ex Peripato expulerit 781 convictus Hermiæ 782. Pythiada uxorem ducit 783. non ejus in aula Philippi & Alexandri M. 783. mora cum Alexandro ad Indos profectus 785. an Alexandrum veneno interfecerit 786. vita Athenis acta & ſchola aperta 787. peripateticus cur dictus 787. methodi ejus ratio 789 impietatis accuſatur 790. Chalcidem Athenis ſecedit 790. Chronologia ejus 791 mors 791. matrimonium & liberi 792 corporis & animi virtutes & vitia 793. imagines eius 793 n. pietas 794. an fuerit Iudæus aut ad eorum caſtra converſus 794 ſalus ei æterna adtribuitur 794. elogia 795 vitia ei objecta 796. ſcripta ejus 798. qui illa in ordinem digeſſerint 798. eorum fata 799. ineluctabilis obſcuritas in illis 801. ſcopus philoſophiæ ejus 803 aulæ moribus philoſophiam aptavit 804 philoſophia eius naturalis incerta & vaga 804. mathematica intempeſtive immiſcet 805. non omne pretium philoſophiæ ejus denegandum 805. Logica 805. philoſophia naturalis 811. Pſychologia 820. Metaphyſica 826. an Atheis annumerandus 832. eius philoſophia practica 835. ſucceſſores 840

Arithmetica, nobiliſſima apud Pythagoreos ſcientia 1045

Arithmomanthia, quid 1056

Arma, eorum inventor Thubal-Cain putatur 60

Arrogantia philoſophiæ Stoicæ unde 905

Artes liberales a Cynicis repudiatæ 868

Aruſpicina ab Arabibus excogitata fertur 215 n.

Aſceſis philoſophica a Gymnoſophiſtis ſuſcepta 197. quare id non adeo inſanum videri debeat 198. Pythagoræ, quæ 1027

Aſchaphim quinam fuerint 115

Aſſenſio, quomodo fiat 917

Aſtrologia apud Chaldæos primum culta 108 ei deditus fuiſſe Abrahamus perhibetur 72 ejus cultor & inventor Zoroaſter fertur 122. uti & Belus 127. eam Beroſus docuit 130. Chaldæorum doctrina de illa 138 ſeqq. eam Indi coluere 209. judiciariæ ſunt Ægyptii dediti 278, 304. per Orpheum inter Græcos introducta 378

Aſtronomia, an Noachus fuerit illius peritus 69. an Semus ib. an Abrahamus illam Ægyptios docuerit 73. an a Setho inventa & exculta 58. chaldaicæ antiquitas 103. de opinionibus aſtronomicis Chaldæorum pauciſſima conſtant 141. cui inventionem ejus Ægyptii tribuerint 264 quis ejus apud Ægyptios ſtatus 274. doctrina Ægyptiorum de illa 303. an a Celtis culta 341. Orphei doctrina de illa 398 a Thalete inter Græcos introducta 477 animos ad ſuperiora dirigit 720. Pythagoreorum doctrina de illa exponitur 1061

Atheus, an Ægyptii illis annumerandi 285 an Æthiopes 308. an Celtæ 331. an Scythæ 353. an Anaximander fuerit 481 an Anaximenes 490. an Anaxagoras 508 quare Theodorus ita dictus 602. an hic re vera fuerit Atheus 603. an Evemerus iis annumerandus 605. an Bion Boryſthenites 608. an Stilpo 621. an Plato 682 an Clitomachus 773. an Ariſtoteles 832 an Strato 846 ſeqq. an Stoici 936. an Ariſto Chius 970. an Chryſippus 976 an Pythagoras 1080. an Empedocles 1114 an Ocellus Lucanus 1126. an Parmenides 1161. an Meliſſus 1167. an Diagoras Melius 1204. an Epicueus 1291 ſeqq. Socrates non fuit 530

Atlas quis fuerit 311. unde cœli bajulus dictus 312

Atomi, illas Diodorus Cronus ſtatuiſſe dicitur 617. an Plato admiſerit 683. Pythagoras rejecit 1086. a Leucippo principia rerum factæ 1175

Atomi & inane omnium rerum principium 1187. plenum conſtituunt quod ſolum ens eſt 1187. Qua ratione infinitæ ſint 1188. proprietates, figura & magnitudo ibid. atomus atomo gravior eſt 1189. omnibus vero aliis qualitatibus deſtitutæ ibid. in infinito vacuo moventur 1190. motus illorum æternus eſt & obliquus ibid. in vacuo agitatæ concreſcunt ibid. ex rapidiſſimo illorum motu omnia creantur ibid. infinitæ ſunt numero & figura 1192. Epicuri doctrina de illis 1262 ſeqq.

Atomi-

Atomiſticum ſyſtema, an a Moſcho inventum 231. an a Sanchuniathone expreſſum 241. illi Diodorus Cronus addictus dicitur 617. Leucippi differt ab Epicuri ſyſtemate 1174. quo dogmate Epicurus ſuum ſeparaverit a Democriteo 1264. Empedoclis differt a Democritico 1115
Avaritia Speuſippo objicitur 729
Auditores Pythagoræ quomodo explorati 1026
Auditus unde 517. infinitus materialis cauſa omnium rerum eſt 519. quomodo fiat ex mente Empedoclis 1120. & Alcmæonis 1134. ratio eius, qua in re ſita ex mente Epicuri 1278
Auguria, quis eorum apud Etruſcos dicatur inventor 343
Autochiria unde Stoicis accepta 966. a Pythagora rejecta 1069
Axine, quare Lais ita dicta 881
Axioma Stoicis quid 919. metaphyſicum primum quod 827

B.

Babylonii, philoſophi Chaldaici 114
Bajulus Protagoras fuit 1200
Barbarus vocis hujus origo 46. qui ita dictus 47. eruditionis elegantia barbaris denegatur 48. ut & philoſophia ibid. an philoſophia ab illis culta 49
Bardi quinam fuerint 320
Beati, quid de illorum philoſophia ſentiendum 51
Beatitas, quomodo conſequatur 955. unde oriatur 1131
Beatitudo propter particulares voluptates eligenda 596. quid ſit 732, 742. quotuplex ſit 838
Bellum rerum omnium geneſis 1218
Belus cultor & inventor ſideralis ſcientiæ habetur 127. nomen ejus appellativum eſt 128
Benevolentia quid ſit ex mente Ariſtotelis 838
Beroſus, quis fuerit 129. ejus ſcripta 131
Beta eruditorum, quis ita dictus 970
Biblia, an Demetrius Phalereus ſuaſor hebræorum vertendorum Ptolomæo Philadelpho fuerit 858
Bibliotheca, an Demetrius Phaler. Alexandrinæ fuerit præfectus 858
Bona, apud Pythagoreos ſunt communia 1028
Bonum, de ejus origine quid Perſæ docuerint 177. verum non in hujus vitæ felicitate quærendum 564. unicum ſcientia habetur 565. corporis, non verum bonum 722. unicuique bono ſuus ordo tribuendus eſt 745. Stoicorum de illo ſententiæ 956. omnia ſunt æqualia 957 quomodo Sceptici doctrinam Dogmaticorum de illo impugnaverint 1346. a Deo petendum eſt 1072
Bonum ſummum eſt voluptas 596 eſt unicum diverſis tantum nominibus præditum 612. mens nullis paſſionibus obnoxia 621. unum eſt 626. primum Deus eſt 721. acquiritur actione virtutis 836 quid ſit ex mente Critolai 853. ex mente Hieronymi Rhodii 859 Stoicis quid 955. beneplacitum eſt. 1221
Borſippeni philoſophi Chaldaici 114
Brachmanes philoſophi Indorum 192. unde eorum nomen ib. qui fuerint 194 eorum vitæ ratio 196
Britanni de eorum philoſophia quid ſentiendum 313
Bruta rationis & aëris partem percipiunt, ſed non ſentiunt 517. eſſe machinas rationis & ſenſus expertes an Diogenes ſtatuerit 885. anima rationali ſunt prædita 1090
Buddas philoſophus Indus cum Budda Manetis præceptore confunditur 202. quis fuerit ibid. ſeq.

C.

Cabbala, an Abrahamus in illa verſatus 74 an Moſes illam docuerit 81, 85
Cadmus non inter philoſophos referendus 235
Cain, an philoſophiæ ſectariæ conditor fuerit 57
Çalani, philoſophi Indici 194
Calanus philoſophus Indus Alexandrum M. ſequitur 204
Calidum immortale eſſe videtur 1225
Calor terræ, homines gignit 520. ex Epicuri mente quid 1270

Calvus, qualis ſyllogiſmus 614
Canon monochordi Pythagoræ inuentum 1059
Canonica Epicuri, quæ 1256. apud Pythagoram quid 1057
Cantus, mores atque affectus illis emendantur 1059
Cardines in Aſtrologia quænam ſigna ſint 139
Carmen, lyricum Linus inveniſſe dicitur 372
Carmelus mons, in templo ejus Pythagoras ſolus verſatur 1001
Carneades, lis de ejus ætate 760. vita ejus 762 ſeq. doctrina ejus 765. quibusnam in rebus diſceſſerit ab Arceſilao 767
Caro, ab ejus eſu Pythagorei abſtinent 1036 ex æqualibus quatuor elementorum partibus conſtat 1120
Caſtitas Socratis 539. Xenocratis magna 734
Caſus, quænam cauſa effectuum ſit 815
Categorema Stoicis quid 919
Categoriæ quis invenerit 806. unde Ariſtoteles ſua hauſerit 1130
Cauſa, quot genera earum ſtatuerit Ariſtoteles 814. accidentales quænam ſint ib.
Cautio Stoicis quid 962
Cebes an autor tabulæ ſub ſuo nomine notæ 578
Celtæ, quinam populi ſub hoc nomine veniant 313. eorum hiſtoria philoſophica difficilis & incerta 313. nihil ſcripto conſignarunt 314. eruditos habuerunt 316 quæ de eorum philoſophia notanda 327 an atheiſmi rei ſint 331
Ceramicus, quare Academia ita vocata 642
Certum nihil cognoſci poteſt 1153
Chaldæi eorum philoſophia antiquiſſima 102 eorum aſtronomiæ antiquitas 103. ſupra Moſis ætatem eorum eruditio evehenda eſt 104. difficultates in eorum philoſophiæ hiſtoria 104 ſeq. aliorum placita pro vetuſtiſſimæ eorum ſapientiæ reliquiis venditantur 105. quæ fuerit eorum philoſophia 106. cum Magis confunduntur 106. cultui divino ſunt dediti, ib. eorum religio 107. divinatio ex ſideribus 108 ſtudium celandi dogmata & diſciplinæ arcana 111. eorum eruditio philoſophiæ nomine indigna 112. eorum Sectæ 113 quis eorum philoſophiæ conditor 116 quare eorum philoſophia incerta 131. doctrina eorum de Deo 132 de dæmonibus 133. de divinis 136. eorum Magia 136 Aſtrologia 138
Chaldæus unde idem quod Aſtrologus 109 quem Vitringa hoc nomine inſignitum vult 115
Chamus Zoroaſter putatur 120
Chaos quid ſit in theogoniis 412. an ex nihilo creatum, ib. ante omnia exiſtentia fuit 921. ordinatum mundus eſt & natura 922
Chemia, an Thubal-Cain hujus artis inventor 60. a Chamo nomen ejus derivatur & origo 70. hujus maxime peritus Moſes creditur 80. dubium eſt, quin Moſes illam ſciverit 84. an apud Ægyptios culta 277. an ab Orpheo 379
Chiromantia, patronus ejus Iobus dicitur 98
Chordotonon, quodnam inſtrumentum muſicum 1058
Chroma quid 1059 n.
Cibus, a quibus abſtinendum 1095. quibus aſſueſcendum 1308
Circumciſio ad ſacra Ægyptiorum cognoſcenda requiritur 272. ei Pythagoras ſe ſubmittit 1002
Cithara chordæ uſum in illa quis invenerit 372
Civis boni officium 569
Civitas quænam optima 569
Cneph, quid ſignificet 293, 300
Cœleſtia, de illis attinet nihil dicere 1225
Cœlibatus, quare a Thalete magni æſtimatus 459. illum tenuit Plato 653. Epicurus 1235
Cœlum, ejus motus qualis 819. figura ejus ſphærica eſt 819. perfectum eſt 817 aliæ ejus qualitates 817. primum, in æternum eſt 829. quid ſit mente Empedoclis 1117
Cœnobii, quinam ita ſint dicti 1026
Cœnobium, Pythagoreorum domicilium 1033
Cogitatio, quid 822. eſt animæ quaſi ſecum agentis colloquium 672
Cognitio, ſui ipſius via ad felicitatem 565

organa ejus ſunt octo 1091. ſpecies ejus genuina & tenebricoſa 1186
Colloquium Diogenis cum Alexandro M. 877 quid de illo judicandum 878
Columba, ſimulacrum ejus volans ab Archyta Tarentino factum 1129
Columnæ Sethi quid de illis judicandum 58 hermeticæ 259
Combuſtio mundi ſtoica, quæ 945
Cometæ, quid ſint 510. ex mente Stratonis 850. eſt ſtella non ſemper apparens, ſed ſtato tempore ſua revolutione exoriens 1089. plures planetæ ſunt una apparentes 1194. qua ratione gigni poſſint 1282
Comici non pepercerunt Platoni 645. quid Socrati objecerint 550. quid Platoni 646
Comœdia, quare Socrates in Ariſtophanis fabulis deriſus 550. quomodo in fabulis de ſe actis geſſerit Socrates 551
Comprehenſio ex mente Stoicorum quid 916 quomodo fiat 917
Concubitus, res philoſopho non ſatis digna Pythagoræ videtur 1070
Conditor univerſi ex mente Stoicorum quis 925
Conditores artium & ſcientiarum, cur eorum hiſtoriæ incertæ 117
Congreſſus publicus Hipparchiæ cum Cratete an fidem mereatur 890
Conjugium, quis illud inire, quis ab illo abſtinere debeat 1305
Conſtantia animi Socratis 538. Anaxarchi in morte 1208
Continentia, quid ſit 567. illam poſſidere maximi roboris & divitiarum inſtar eſt 1070
Contrarietas rerum omnium geneſis 1218
Convenientia Stoicis quid 962
Converſio logica ex mente Ariſtotelis quid 808
Convicium Diodoro mortem affert 615
Convivium ſeptem ſapientum an a Periandro inſtitutum 451, 452 n. frequentia philoſophorum inſtituit Menedemus 625 ad illa pecuniam legavit Theophraſtus 842. Pythagoreorum quæ 1035
Cornutus qualis ſyllogiſmus 614
Corpus animæ indumentum Indis dicitur 207. omne gravitatem & ad medium fertur 850. omne exiſtens Stoicis corpus eſt 924. ſimplicium corporum quot ſpecies 817. miſta, Ariſtotelis ſententia de illis 820. Defunctorum corpora non ſunt igni comburenda 1073 divina mentis potentia moventur 1103 quæ perierunt, reviviſcent 1194. contemnendum eſt 1222. unde intelligatur 1260. re ipſa exiſtit 1261. notionem ejus incomprehenſibilem Sceptici judicant 1344
Corpuſcularis philoſophia, fruſtra ei auctoritas a Phœnicum philoſophia conciliatur 234. *vid. atomiſticum ſyſtema.*
Corybantes, quinam 1009
Coſmogonia Chaldaica, quæ 141. Perſica, 177. Indica 208. Phœnicia 240 Ægyptiaca 298, 301. Celtica 334 Etruſcorum 344. Orphica 390, 393 in theogoniis deſcribitur 409. veterum a Thalete retenta 469. Anaximandri 486. Pherecydis 986
Craneum, qualis fuerit locus 879
Creatio ex nihilo, an ab Ægyptiis credita 299 an ab Etruſcis 344. an a Platone 676
Criterium veri & falſi, quid ſit 594. veritatis unde accipiendum 732. nullum datur 765, 768. ex mente Stoicorum quid & quotuplex 914. ex mente Heracliti quid 1212. criteria judicandi apud Epicurum quot 1257. veritatis practicum Scepticus admittit, theoreticum non 1337
Crotona, mores ejus incolarum effrenes emendati 1012
Cubi duplicatio, quis eam invenerit 642
Cultus divinus quem Zoroaſter inſtituiſſe dicitur, quis fuerit 126. ſolis philoſophis apud Indos conceſſus 200, apud Indos qualis 208. ab omnibus eſt obſervandus 1072
Cupiditates a prima ætate fugiendæ 1070
Curetes, quinam ita dicti 1009
Curioſi Diis odio eſſe dicuntur 613
Cynica ſecta, quæ 860 ſeqq. unde nomen ejus & origo 860. ejus facies in genere deſcripta 865. quo ſenſu dicatur ſecta, vitæ non ſcholæ deſtinata, ibid. vitæ cynicæ auſteritas 867. cur tanta vitæ acerbitas quæſita, ib. ambitio Cynicæ virtutis mater 868. artes liberales ab illa repudiatæ, ibid. decori ratio mutata, ibid.

odium

odium & invidia illam ſunt ſecuta 869
fabulæ de Cynicis unde ortæ 870
Cyniſmus brevis ad virtutem via habetur 867
fundamentum ejus 867 odium & invidia illum ſecuta 869. degenerat ib.
Cynoſarge, qualis locus 861
Cyrenaica ſecta, ejus origo 584. hiſtoria valde incerta 592. canones eius logici 594. exitus ejus 609

D.

Dæmones, apud illos philoſophiæ origo quæritur 56. doctrina de illis in Zoroaſtri oraculis Platonica eſt 188. Chaldæorum doctrina de illis 133. mali dantur 134 Ægyptiorum doctrina de illis 294. Celtæ veteres illos crediderunt 332. quid Orpheus de illis ſtatuerit 391. quid Thales 473. quid Plato de illis ſenſerit, non ſatis explicavit 706. quid Xenocrates de illis ſtatuerit 737. an Ariſtoteles illos crediderit 831. quid Stoici docuerint de illis 932. Pythagoræ de illis doctrina 1082
Dandamis, philoſophus Indus, ſermo ejus ad Oneiſicritum Alexandri M. legatum 203
Daniel, quæ eius fuerit eruditio 94 ſeq.
Decani, vel facies planetarum quid 140
Decas, numerus omnium perfectiſſimus 1056, 1062
Declinatio in Aſtrologia quid ſit 139
Decorum, illius rationem Ariſtippus habet 591. Cynici mutant 868
Definitio, quomodo conficiatur 674. quid ſit ex mente Ariſtotelis 810. quid ex Stoicorum mente 918. ejus diviſio, ib. earum uſus Sceptici negant 1340
Deformitudo, an Socrati adſcribenda 542
Democritus, nativitas ejus 1177. in Ægyptum proficiſcitur & ad Gymnoſophiſtas 1178. quos audiverit præceptores, ibid. doctiſſimos homines audiendo non ſumtus parcit 1179. donum & honores ab Abderitis accipit, ib. vitæ ſolitariæ deditus 1180. obſcuritate locorum delectatur, ib. anatomiam exercet, ib. non oculorum luminibus ſe privavit, ib. riſus ejus perpetuus fabula eſt 1181. nec lapidem philoſophicum paravit, ib. converſatio ejus cum Hippocrate fabula eſt 1182
magiæ crimen illi objicitur 1184. caſtitas ejus, ibid. ſcripta 1185. ſenectus, ibid. mors ejus & fabella de illa, ib. an Hobbeſii principiis præluſerit 1200
Demonſtratio, quid ſit ex mente Ariſtotelis 809. quomodo fiat, ib. duplex ei genus eſt 810
Deus, Chaldæorum de illo doctrina 132 Indorum 204. quis ſit ex mente Zoroaſtri 180. quomodo rerum humanarum curam gerat 185. optima fecit, quæ fieri potuere, ib. fons fontium omnium matrix continens omnia 186. intellectualem in ſe ignem proprium comprehendit ibid. an veteribus Perſis ſub binis nominibus Mithræ & Oromaſdis latuerit 174 ex Phœnicum mente quis 243. Celtarum de illo doctrina 328. eſt anima mundi 329 doctrina Etruſcorum de illo 343. Orphei doctrina de natura Dei 386. de Deo 390 an theogoniæ illum admittant 413. an Homerus recte pieque de illo ſenſerit 433 Thaletis doctrina de eo ejusque opere mundo 467, 471. illum Anaxagoras primus a materia ſeparavit materiæque oppoſuit 504. doctrina Diogenis Apolloniat. de illo 515. Socratis 537, 560 ſeqq. Deum a materia diſtinguit Plato 678 Platonis doctrina de natura Dei 689. an Platonis Deus materialis & igneus ſit 689 ſeq. doctrina Xenocratis 737. an Carneades doctrinæ de illo ſe oppoſuerit 770 Stratonis opinio 848. Stoicorum de illo doctrina 923 ſeqq. conjunctio cum illo finis philoſophiæ 1066. quotidie hymnis honorandus 1072. de Deo ad populum loqui difficile & periculo plenum 1074 Deus animus eſt per univerſas mundi partes diffuſus 1074 vid. *Numen.* eſt natura rerum 1075. quoad corpus lumini, quoad animam veritati ſimilis eſt 1076. eſt principium nulli ſenſui aut dolori expoſitum ſed inviſibile, incorruptum quodque ſola mente apprehendi queat 1076. Deus Pythagoricus ignis mundi ſubtiliſſimus eſt 1077. non extra mundum eſt, ibid. intellectualis ignis eſt 1113. ex hoc igne omnia conſtant 1113. inter Deum & nos & animalia quædam eſt conjunctio, ib. Archytæ ſententia de illo 1130. ignis eſt 1135

Xenophanis de illo doctrina 1148. Parmenidis doctrina 1161. Zenonis Deus rotundus est, nec finitus, nec infinitus 1170 Democriti doctrina de illo 1196. Heraclidi 1215. mundi curam non agit 1274. Epicuri doctrina 1284. omnes homines habent anticipationem aliquam Deorum sine doctrina, ibid. ejus natura coli debet 1289 forma ejus est humana, ib. uti & figura, ib. corpus non habet sed quasi corpus, ibid. hoc vero non ex atomis 1290. quibus in locis degat dici nequit 1291. vita ejus nil beatius, ib. qua ratione sceptici doctrinam de illo impugnant 1341. ex providentia non potest cognosci ib.
Dialectica, ejus peritus Iobus putatur 97 an ab Aristippo rejecta 594. Platonis sententia de illa 671. dialectica Platonis quæ 672. illius speculationibus non studendum 742. lunæ comparatur 773. quid sit ex mente Aristotelis 805, 810. Stoicorum in subtilitatibus consistit logicis 904 ex Stoicorum mente quid 914. Parmenidis quæ 1164. an Zeno ejus auctor 1169 quare ab Epicuro rejecta 1256
Dialectici, quinam philosophi ita vocati 610
Dialelum Scepticis quid 1335
Diapason quid 1057
Diapente quid ibid.
Diar, quinam septentrionalium populorum ita dicti 323
Diatessaron quid 1057
Diatonum quid 1059 n.
Didactrum Protagoras primus popposcit 1201 ab Antisthene non postulatum 864
Dii, genitos illos esse Magi statuere 178. eorum imagines a Persis rejiciuntur 183 nullius mali, omnium vero bonorum causa sunt 185. Ægyptiorum de illis doctrina 287. Æthiopum 308. quomodo colendi 566, 1072. quid sint ex Aristotelis mente 831. ex Stoicorum mente 832 Dii & heroes non eodem honore habendi 1072. de illis nihil est definiendum 1167
Dilectio omnium etiam inimicorum summa officiorum a Stoicis habetur 966
Diligentia summa Cleanthis 972
Diluvium mundi Stoicum 945
Diogenes, ejus vita 871. quid de illius dolio statuendum 872. quid de illius colloquio cum Alexandro M. 877. pro publico scurra habetur 879
Disciplina arcana Orphei 379. vid. *Methodus docendi arcana.*
Discipuli Pythagoræ, quomodo explorati 1026
Disputatio, ex similibus institutas Euclides sustulit 612
Diversa sive genere sive specie talia sunt 828
Divinatio ex sideribus apud Chaldæos viguit 108. Germanorum doctrina de illa 331 rejicitur a Dicæarcho 854. ex Pythagoræ mente datur 1085. nulla est 1156, 1289
Divisio quid sit 674. ex mente Stoicorum quid 918
Divitiæ, nemo iis tuto uti potest 566. quanam ex re metiendæ 576. nihil ad voluptatem afferunt 598
Doctrina exoterica Pythagoræ, quæ 1026 esoterica quæ ib.
Dogmatici eorum rationes quibus modis a Scepticis refellendi 1336
Dolium Diogenis, quid de illo statuendum 872
Dolor, summum malum habetur 598
Domus stellarum quæ sint 140
Drotnar, sive Drottar, quinam fuerint 323
Druides Celtarum eruditi, unde nomen 316 eorum antiquitas, ibid. num Britannorum an Gallorum sint priores 317. an ex Pythagoræ disciplina 318. munus eorum & auctoritas 318. impostores potius quam philosophi fuere 319. eorum classes 320. methodus eorum duplex, publica atque arcana 321. quare sublati 322. num ex Germanis fuerint 323 an ex Zamolxi disciplina prodierint 362
Dualisticum systema quid 176
Dyas apud Xenocratem quid significet 738 quid sit 1051. an Pythagoricis sit materia 1052. explicatur 1078

E.

Ebrietas, quare duplex pœna in ebrietate peccanti a Pittaco constituta 447 n.
Echemythia Pythagorica, quæ 1029
Eclipsis solis & lunæ unde 486, 492, 473, 1155
Edda qualis liber 324 seq. duplex hodie exstat

exſtat 326. quis vetuſtioris auctor, ib. quis recentioris 327
Eicton, quid ſignificet 292
Eleatica ſecta quæ 1142. obſervationes generales de illa 1146. ſcripta eius perdita, ib. falſæ ei opiniones affictæ, ibid. duplici uſus eſt methodo, vulgari & arcana ibid. aliis ſe opponit philoſophis 1147. Leucippus illam immutat 1171
Electra, quale ſophiſma 613
Elementa quinque mundi ab Indis ſtatuuntur 208, 209. Ariſtotelis de illis doctrina 819. eorum differentiæ quæ 820 quot ex Stoicorum mente 941. corpora eorum ſunt rotunda 1089. elementa eorum quæ 1114. horum elementorum motus vnde 1115. principia iſtorum elementorum fuerunt non ſimilaria tantum ſed æterna quoque, ib. quatuor ſunt 1116 in ſe mutuo mutantur 1126. elementa rerum calidum & frigidum ſunt 1163 ex Epicuri ſententia quæ 1262
Elenchus ex mente Ariſtotelis quid 811
Eliaca ſecta quæ 622
Elleborus ejus uſus ad diſputandum 764
Emanationis ſyſtema Zoroaſter habuit 180 Indis quoque cognitum 205. & Zabiis 226. Orphicum fuit 389. theogoniarum ſcriptoribus arriſit 417. apud Pythagoreos 1082
Emblema Pherecydis explicatum 988
Emeph, quid ſignificet 292
Encyclicæ diſciplinæ, quænam 593
Enoch non inter philoſophos referendus 61 an gentilium ſit Atlas 311
Ens Ariſtotelis doctrina de illo 827 unum tantum eſt & hoc Deus eſt 1169. entia Pythagoreis quæ 1064
Entelechia Ariſtotelis quid ſit 821
Enunciatio componitur ex terminis 807
Ephectici ita Sceptici dicti 1318
Epicurea ſecta fontes eius 1228 unde tam diu fuerit conſervata 1251
Epicurei magna amoris & concordiæ conſpiratione conſentiunt 1251
Epicurus ejus nativitas & educatio 1230 juvenis adhuc philoſophiæ dat operam 1231. præceptores ejus, ibid. an avtodidactum ſe jactaverit, ibid. ſcripta veterum ſummo ſtudio evolvit 1232 ſchola ejus 1233. in horto habitat, ib. tempore famis familiares ſuos ſuſtentat, ib. multos ex peregrinis locis habet auditores 1234. philoſophiam ad ingenium & propenſionem Græcorum accommodat, ibid. 1254. diſcipulos ſuos in convictum recipit 1235. frugalis eſt, ib. ſumma inter convictores ejus alitur amicitia, ib. cœlebs vixit, ib. polygraphus eſt, ib. elegantiam ſcriptionis non adhibet 1236. ſententiæ ejus, ib. conſtitutionis parum firmæ eſt, ib. an teſtamentum ſcripſerit 1237. ejus mors, ib. vitia ei objecta, ib. an atheus fuerit 1238 an a diſcipulis Deus dictus 1238, 1241 turpiſſimæ voluptatis reus habetur 1239 an liberales diſciplinas oderit, ib. quid de ejus religione ſtatuendum 1240. Democritum magni æſtimat 1242. non gulæ & impuræ veneri deditus eſt, ib. laſcivæ illi ſupponuntur epiſtolæ 1243. inutiles diſciplinarum nugas rejicit, ib. cauſæ odii & calumniarum in illum 1244. contrariam ſtoicæ ſectæ agit vitam 1244. revocat Socratis regulam 1245. perſpicuitati in doctrinis operam dat 1246. amici ejus & ſectatores 1248. cultus ejus poſt mortem 1250. obſervationes de ejus philoſophia 1252. epitomas ſcripſit 1253 novum ſyſtema condidit, ibid. Stoicæ ſectæ ſe oppoſuit, ibid. ducem naturam & experientiam elegit 1254. doctrinæ ejus de philoſophia in genere 1255. Canonica ejus 1256. Phyſiologia 1259. Theologia 1283. Atheiſmus ejus examinatus 1291. philoſophia ejus moralis 1294 ſucceſſores 1315
Epimenides præſtigiatoribus adſcribendus 421
Eretriaca ſecta quæ 622
Eriſtica, ita Megarica ſecta nominatur 610 quare dialectica dicta ibid.
Eruditio duplex 581. variam mentem non inſtruere Heraclitus putat 1222
Eſoterici, quinam Pythagoræ ita dicti 1026 eorum conditio & nomina 1031
Eſſentiæ rerum quæ 1124
Etheſiæ unde oriantur 473
Ethica, an Thales illam docuerit 477

quamnam Anaximenes habuerit 492 ejus curam Socrates habuit 557. Socratis potiores ejus præcepta 564. Æschinis quænam fuerit 576. Cyrenaicorum quænam 596. Platonis ad enthusiasmum philosophicum ducit 721. ejus finis est Dei similem fieri 723. Aristotelis quæ 835 Antisthenis quæ 870. Diogenis 883 Stoicorum 953
Etruscorum philosophia, quæ de illa notanda 342
Etymologia, circa illam versatur inprimis Dialecticus 675
Eubages, quinam fuerint 320
Eudæmonicus, unde Anaxarchus ita dictus 1207 seq.
Eurydice, fabula de illa explicata 376
Euthymia in philosophia Democriti quid 1198. unde oriatur 1199
Exemplar, quale Deus ad formandum mundum habuerit 691
Exercitatio duplex animi & corporis 883 philosophicæ apud Pythagoram, quæ 1027 vid. *Asceſis*.
Exoterici, quinam Pythagoræ ita dicti 1026
Extispicia apud Chaldæos celebrata 141
Exustio mundi stoica quæ 945 seqq.

F.

Faba, quare ab illis abstinendum mente Pythagoræ 1095
Fabula, quare religionem illis complexi sint veteres 366. notata quædam de Græcis 367
Facies Socratis quæ 542. Pythagoræ formosa atque venusta est 1017
Facultas motiva, unde existat mente Epicuri 1280
Fallaciæ, earum quoque ratio habenda 675 earum genera, quæ 920. vid. *Sophiſma*.
Fastus Antistheni objectus 864. Stoicorum unde 905
Fatum sidereum, astronomicum & Chaldaicum, quod ita vocatur 141. doctrina Celtarum de illo 332. Thales illud credidit 475 quid ex Platonis mente 719. quo argumento Stoicorum doctrinæ de fato se oppoſuerit Carneades 771. doctrina Stoicorum de illo 930 seqq. Pythagoræ de illo doctrina 1084. ordinis universi omniumque in eo singularium causa est 1088. omnia illo fiunt 1140. apud Democritum quid 1190. ex mente Heraclitiquid 1215
Felicitas hominis in parte ejus immortali ponenda 185. qua in re consistat 567. moralis quid 936. finis hominis est 1295 Epicuri de illa doctrina ibid.
Femur aureum Pythagoras se habere jactat 1018
Figura corporis a figura atomorum 1270
Finis moralis, quem Carneades statuerit 771 hominis est naturæ convenienter vivere 954. quid hoc Stoicis sit, ib. Herilli doctrina de illo 971
Fluvius Pythagoram salutasse dicitur 1014
Fœminæ, fatidicæ apud Celtas 324. & Germanos 331. curam domus gerant 569 *eruditæ*, Cleobulina 449. Diotima 525 Aspasia 526. Arete 599. quinque Diodori Croni filiæ 616. celebre scortum Leontium 843. Hipparchia 890. Pythagoræ filiæ 1020. Theano 1020. fœminæ Pythagoricæ quæ 1033, 1102. Epicureæ, quæ 1250 academicæ philosophiæ operam dant 644
Fœtus, prima ejus respiratio fit in utero 1120. per totum alitur corpus in utero 1134. ore nutritur in utero 1194
Forma in Aristotelis Metaphysica quid 827
Fortitudo ex mente Aristotelis quid 837 Epicuri de illa sententia 1310
Fortuna, quænam causa effectuum sit 814
Frigus ex Epicuri mente quid 1270
Frugalitas Socratis 539. Zenonis 898
Fulmen, unde gignatur 486. quid sit 514 unde ex mente Epicuri 1283
Futurum nescire melius est, quam scire 855 quid de illo statuendum ex mente Epicuri 1310

G.

Gafri, quinam sint 151
Galli, de eorum philosophia 313 seq.
Gaudium Stoicis quid 962
Generatio, omnium rerum, quomodo ex Platonis mente facta 681. ejus & corruptionis perpetua successio est 819. hominis Stoicorum sententia de illa 948 datur 1089. ex terra nulla fieri potest 1090 est

eſt rerum mutatio 1125. vera non datur, quare 1152. quomodo ex mente Democriti oriatur 1191. omnium rerum ex mente Heracliti quæ 1218 ſeqq. ex mente Hippocratis quid 1226. quid in illa fiat ex Epicuri mente 1271
Genethlialogiam Beroſus docuit 130
Genus Socratis, quid de illo judicandum 543 ſeqq. unicuique a Stoicis tribuitur 933
Genus ex Stoicorum mente quid 918
Geographia, tabulas geographicas, quis primus fecerit 479
Geometria, a quonam inventa 264. apud Ægyptios exculta 273. ejus hypotypoſin Anaximander invenit 479. quid ſit ex mente Platonis 720. magni a Pythagoreis habita 1060
Germanes, philoſophi Indici 193
Germani veteres, de eorum philoſophia 313 cultus eorum divinus 330
Geſtus Pythagoræ qualis 1017
Gimle, qualis locus apud Celtas 339
Gloria, optima ad illam via quæ 567. illius damnum bonum eſt 870. contemnenda eſt 884
Gnomographi Græcorum quinam 456
Gnomon Anaximander invenit 479. an a Pherecyde inventum 985
Græca philoſophia, ejus fata extra Græciam 1349. illam Alexander M. ad alias gentes transfert ib. fortuna ejus in Ægypto 1352
Græci, origines philoſophiæ eorum 364 quinam eorum inſtituerint religionem 365 prima eorum philoſophia fabularis 365 philoſophia eorum politica 434 ſeqq. ſectaria 457 ſeqq.
Grammatica, ejus origo Hermeti II. tribuitur 263
Grando unde generetur 1283
Gravitas Zenonis ſumma, illam ſectatores ejus ſunt imitati 898. Pythagoræ affectata 1018
Guebri, quinam ſint 151
Guſtus, unde ex mente Epicuri 1278
Gymnoſophiſtæ philoſophi Indici 193. an toto corpore nudi inceſſerint 197. eorum aſceſis philoſophica 197. ſingularia quædam de eorum matrimonio 198. mortem contemnunt 199. Philoſtrati fabulæ de his philoſophis 201. Æthiopum quinam 307

H.

Halirunæ fœminæ fatidicæ apud Germanos 331
Harbaniſtæ Sabiorum ſecta 225
Harmonia Muſices quibus rebus inædificanda 1057. ejus proportiones qua ratione invenerit Pythagoras 1057. quid ſit 1059 n. omnia fiunt illa 1140
Harpocrates, ſtatua ejus quæ fuerit 279
Haruſpicina apud Chaldæos exercebatur 141
Hebræi, quomodo eorum philoſophia ſpectanda 63. ceterarum gentium magnis viris ſapientiores inter priſcos Hebræos fuerunt viri 64. fontes primarii eorum ſapientiæ revelatio & prophetiæ fuerunt 65. quibus in rebus eorum ſapientia naturalis quærenda 65. non inter philoſophos ſunt referendi 66. qua in re eruditio eorum verſata ſit 86. quando eorum exſpiraverit philoſophia 96
Hedonici, ita dicuntur Cyrenaici 609 n.
Heraclitus nativitas ejus 1208. ſtudia & præceptores 1209. regnum ei delatum repudiat, ib. vitam amat ſolitariam 1209 cives ſuos odit 1210. aquæ intercutis morbo laborat 1210. lacrymæ ejus perpetuæ fabula, ib. obſcurus eſt 1211. ſcripta ejus in templo Dianæ latuerunt, ib. ſectatores ejus 1223
Hermeneutica, tredecim illius artis regulæ Moſi adſcribuntur 79
Hermes, Ægyptiorum Theut 252. quare Trismegiſtus vocatus 258 ſeq. Hermetici libri qui 260. quid de illis ſtatuendum 262 inventa Hermetis 263
Heroës animæ ſunt a corpore ſeparatæ 1083
Hhartumim, quinam fuerint 115
Hieroglyphica Ægyptiorum 259, 271
Hierogrammatei Ægyptiorum 266
Hierophantæ Ægyptiorum qui 264
Hippareni philoſophi Chaldaici 114
Hiſtoria eccleſiaſtica ex philoſophica illuſtratur 27
Hiſtoria philoſophica quid ſit 10. requiſita & ſubſidia ad illam 11. ſtudioſo ejus fontes quærendi 13. diſpiciendum de ſua an de aliorum ſententia loquantur philoſophi 14. ſectæ expendendæ 14. totum ſyſtema philoſophi eruendum 15. ad cir-

circumſtantias philoſophorum attendendum 15. teſtimonia fide digna quærenda 16. præſertim in philoſophis poſt C.N. ib. ſuppoſititia ſcripta fugienda 17. examinandi gradus fidei hiſtoricæ, ib. nihil aliud affirmandum, quam fides hiſtorica patitur 18. in dubiis ſuſpendendus aſſenſus ibid. res ipſæ conſiderandæ, ibid. ſuæ opiniones philoſophis non ſupponendæ 19. major lux non inferenda, quam in ſe hiſtoria habet 19. veteris philoſophiæ idea ad noſtram non exigenda, ib. temporum rationes conſiderandæ 20. ejus utilitas 21. eſt hiſtoria intellectus humani, ib. errorum index, ib. inventorum & inveniendorum ſyllabus 23 adminiculum omnium ſcientiarum 24 uſus in veritate Rel. Chr. probanda 26 ſacris literis lucem infert 26. limites revelationis & rationis detegit, ibid. eccleſiaſticam hiſtoriam illuſtrat 27. & hiſtoriam hæreſium, ib. ejus uſus in Iurisprudentia 28. in medicina 29. ſubſidia & auctores 31. ordo & diviſio 38
Hiſtoria philoſophorum ejus uſus 29
Hiſtoriæ conditorum & inventorum artium & ſcientiarum cur incertæ 117
Homerus ejus gloria & admiratio 423 divino cultu honoratus 424. ejus philoſophia 424. philoſophorum princeps vocatur 424. ſeq. omnis ſcientiæ heros habetur 426. philoſophica ejus maxima ſcientia refutatur 427. quare Plato eum e republica ſua ejecerit 427. judicium de philoſophia ei tributa 428. qualis ſenſus ejus poëſi adſcribatur 429. quis ejus poëmatum ſcopus 430
Homoeomeriæ Anaxagoræ, earum explicatio 500
Homo, primos ex terra natos veteres crediderunt 418. in piſcium ventribus geniti primi creduntur 488. ex terræ calore nati perhibentur 520. præ cæteris animalibus præſtantiſſimi 563. humanum genus habetur æternum 853, 855, 1090 eſt perpetuum 1126. Stoicorum doctrina de homine 948 ſeqq. primi ex limo geniti mediante calido & frigido 1163. ex terra facti 1171. ex aqua & limo geniti 1194. Democriti definitio ejus 1195 primus, quomodo genitus ex mente Epicuri 1273. mundi compendium eſt 1085 univerſi hujus maxima pars eſt 1126. manſuetiſſimum & optimum animal ib.
Homonymum, quid 806
Honeſtas omnis an a Cynicis poſthabita 890. actionibus non ineſt natura ſed legibus & inſtitutione 1199
Honeſtum eſt nihil natura ſed conſuetudine & lege 599. ſolum bonum 723. ſolum bonum apud Stoicos 957
Honor Epicuro poſt mortem habitus 1237, 1250. Calano 204. Toxari habitus 361 Menedemo poſt mortem ab Eretrienſibus 625. Ariſtoteli poſt mortem a Stagiritanis habitus 792. Zenoni habitus 897 Cleanthi poſt mortem 973. Pythagoræ poſt mortem habitus 1023. Empedocli habitus 1107. poſt mortem illius 1110 qualis Socrati poſt mortem habitus 553 item Platoni 654
Hormizdas quid ſignificet 171
Horoſcopus quid ſit 139
Horoſcopus apud Ægyptios quis 267
Horus Appollo quis 271
Hoſtanes Perſarum Philoſophus, quæ de illo notanda 159
Humanitas Platonis exemplum de illa 646
Humidum pro principio ponitur 1104
Hilobii quinam fuerint 195, 203
Hylozoiſmus quis illius conditor 847
Hyſtaſpes Perſarum Philoſophus quis 158

I.

Iazidiani, quinam ſint 151
Icades, quinam feſti apud Epicureos 1251
Icadiſtae, quare Epicurei ita dicti 1251
Ideæ, quæ recentioribus Platonicis fuerint 187. Platonica doctrina de illis 695 ſeqq. ex numeris Pythagoricis mutuatæ ſunt 696. ſunt æterna rerum ſenſibilium exemplaria & formæ 697 a Deo ex ſe productæ ſunt, ib. conſtituta ſunt objecta ſcientiæ 700. ad earum notitiam non phyſiologia tantum ſed & ethica redit 701. idearum ſpecus 722 innatæ a Stoicis proſcriptæ 917. Platonis cum Pythagoræ numeris conveniunt 1046 Parmenidis doctrina de illis ex Platonis ſententia 1165

Idola a veteribus Perſis rejecta 183. cur Germani non habuerint 330. Numa non admiſit 348. Democriti, quæ 1196
Idololatria orientalis a Græcanica longe eſt diverſa 129. genuinus ejus fons 132
Ierumbaal an idem cum Gideone 237 ſeqq.
Ignis præcipua defectus veterum librorum cauſa 20. ejus cultus Magis eſt commendatus 163. ejus baptiſmus an inter Magorum ſacra referendus 165. a Perſis colitur 168. principium omnium rerum a Zoroaſtre habetur 181. ejus moles opifex mundi putatur 187. ejus uſum an Prometheus invenerit 371. unde naſcatur 820. Stoicorum ſententia de illo 941 medium in mundo locum obtinet 1062 ex aqua procreatus mundum compoſuit 1104. principium omnium rerum ab Hippaſo habetur 1135. ejus affectiones 1126. conſtat atomis rotundis 1192. primum in rebus naturalibus eſt, a quo omnia fiunt 1213. hunc quoque aërem recte vocaveris, ibid. conſtat ramentis minutiſſimis 1214. extinctus gignit aërem 1219. ab illo aqua primo excoquitur 1220. triplices in homine circuitus facit 1226
Ignorantia, quotuplex 810
Imagines Democriti, quæ 1196
Imagunculæ ab Ægyptiis in Magia adhibitæ 279
Immortalitas animæ, Pherecydes illam ex Chami prophetia didiciſſe putatur 69. a Celtis credita 335. & a Scythis 353. & ab Orpheo 399. a Thalete 475. a Socrate 563. Platone 718. an ab Ariſtotele ſit docta 823 ſeqq. acerrime contra illam diſputat Dicæarchus 854. Dogma de illa Pherecydi tanquam primo inter Græcos aſſertori adſcribitur 984, 989 a Pythagora unde 1091. ab Alcmæone aſſeritur 1133
Impius, ex mente Epicuri quis 1311
Inane & atomi omnium rerum principium 1187. vid. *Vacuum.*
Incertitudo cognitionis ab Arceſilao docetur 755
Indi, fontes eorum hiſtoriæ philoſophicæ 190. de eorum philoſophis magna apud veteres fama fuit ibid. Sectæ eorum philoſophorum 193. Vitæ & philoſophandi ratio apud illos 196. unde eorum philoſophorum tanta auctoritas 199. eorum theologia 204. naturalis philoſophia 208. moralis philoſophia 210
Indifferentia, apud Stoicos quæ 958 ſeq.
Indigentia, ejus dolor facile tollitur 1309
Indolentia non eſt voluptas 597 rejicitur 745. corporis, Epicuri eſt voluptas 1295
Inductio, quomodo fiat 810. a Scepticis rejicitur 1340
Inedia Pythagoras obiiſſe dicitur 1021
Inevidens unde demonſtrandum 1258
Infinitum omnium rerum principium & elementum habetur 480. quid per illud intellexerit Anaximander 483 ſeqq. aër habetur 489. quid per illud intellexerit Archelaus 519. quid ſit ex mente Ariſtotelis 815. ex Xenophanis mente 1148. ex Meliſſi mente 1166
Inimicitia, contra plane improbos tantum gerenda 1071
Infectis Magi ſunt infenſi 165
Inſomnium, quid 823. unde ex mente Epicuri 1280
Integritas, quænam virtus ex mente Ariſtotelis 837
Intellectio, quid ſit 673
Intellectus, quid ad hiſtoriam philoſophicam conferat 11. circa quasnam res verſetur 672. ejus imbecillitas ab Arceſilao docetur 756. Ariſtotelis doctrina de illo 823. eſt ab imaginibus oblatis corporum 1196
Intelligentes, quomodo fiamus 1212
Intelligibilia, quid Plato de illis ſtatuerit 673 Pythagoreorum eundem locum tenent, quem Platonis habent Ideæ 1064. tres eorum dantur ſpecies 1081. anima prædita ſunt 1083. eorum fons eſt Deus, ibid. corrumpi nequeunt 1089
Inventores artium & ſcientiarum, eorum hiſtoriæ cur incertæ 117
Iobus inter philoſophos barbaros primi nominis refertur 97. dialectices autor habetur 97. phyſicus conſummatus putatur 98. ſcepticæ philoſophiæ aſſecla videtur 99. an Iobus ipſe librum ſub ejus nomine cognitum ſcripſerit nec ne, incertum

tum eſt 99. in ejus libro non philoſophiæ myſteria explicantur 100. ex philoſophorum numero eximitur 100. non fuit phyſicus conſummatiſſimus 101
Ionica ſecta, ejus conditor Thales 458. ejus philoſophia accurate exponi vix poteſt 463. Ionici cur Phyſici vocari ſoleant 465 non procul abludit a Carteſiana philoſophia 518
Ioſephus, an Mercurius Trismegiſtus fuerit 77. non Philoſophis annumerandus eſt 78
Iris ex refractione lucis ſolaris in nube denſa naſcitur 514. unde generetur ex mente Epicuri 1283. ſolis reſplendeſcentia eſt 1089
Iſiaca menſa, quid characteres in illa ſignificent 251
Iſis, quæ 287, 290. cur luna putetur 288 an Etruſcis nota 345
Iudicium poſt mortem ab Indis creditur 206 admittitur quoque a ſyſtemate emanativo 207
Ius naturæ eſt æternum, cui omnibus obtemperandum 1120
Iuramentum juſtum eſt, ſed tarde præſtandum 1073
Iurisprudentia, ejus utilitas ex hiſtoria philoſophica 28
Iuſtitia Socratis 539. ad ſapientiam pertinet 565. quid ſit 724. de illa pro & contra ſermones fecit Carneades 763. quid ex mente Ariſtotelis 837. ejus ſpecies ib. Epicuri de illa ſententia 1312
Iuſtum non natura ſed lege fieri quis docuerit 521, 599. naturale, Epicuri de illo ſententia 1313
Iuvenis, illis omni ferocia erga ſenes abſtinendum 1070

K.

Kalila ve Damnah, liber Indicus, memorabilia quædam de illo 210

L.

Lætitia, Stoicis quid 962
Lais, quæ Ariſtippi cum illa fuerit amicitia 588 ſeq.
Lapis, philoſophicum paraſſe Democritum fabula eſt 1187
Leges, patriis eſt inhærendum 1073
Legislatores Græcorum qui 435
Lenitas ex mente Ariſtotelis quid 837
Lex non ſcripta, a Deo 561, 566. naturæ homini inſita 955. divina ex mente Heracliti, quæ 1223
Liber, multos ſcripſit Chryſippus 978
Liberalitas Arceſilai academici 747. quid ſit ex mente Ariſtotelis 837
Libertas, quomodo Deo & homini a Stoicis aſſerta 931, 961
Libido Stoicis quid 962
Libri hermetici quid 260
Librorum veterum deperditorum cauſa præcipua ignis 20
Linus, quot hujus nominis viri 372
Literæ, Græcarum auctor Cadmus eſt 235 inventio earum Mercurio tribuitur 253, 263. an Moſes eas invenerit 265 ſq. an earum elementa Prometheus invenerit 370. Θ. & X. introductarum inter Græcos quis fuerit auctor 1121
Loci communes Scepticorum qui 1334
Locus, omnium rerum maximum a Thalete habetur 471. quid ſit ex mente Ariſtotelis 815. eſt etiam in animalibus & plantis 844. quomodo doctrina dogmaticorum de illo a Scepticis debellatur 1345
Logica, Cyrenaicæ delineatio 594. Ariſtotelis expoſitio 805. Stoicorum, illius expoſitio 914. ab Ariſtone Chio rejecta 969 Empedoclis quæ 1111. Democriti quæ 1186. Heracliti quæ 1212
Logomachia, ſtoicæ exemplum 972
Λόγος, ita Deus dicitur apud Indos 205. hic λόγος non cum Platonicorum, nec cum Chriſtianorum λόγῳ confundendus, ib. n.
Lokmann, quis fuerit 226 ſeq. canones ejus 228
Luna a Chaldæis culta 135. ejus defectus quando accidit mente Chaldæorum 141 Orpheo terra habitabilis viſa 398. terreſtris naturæ creditur 473. ejus eclipſis unde 486. quid ſit 486. ejus magnitudo 486. eſt tabella plana 491. ignea putatur, ib. ejus eclipſis unde 492, 514. eſt corpus opacum a ſole illuſtratum 510. ex Stoicorum deſcriptione quid 944. habitabilis eſt 1063. corpus igneæ naturæ eſt 1089. terreſtris eſt & habitatur ab animalibus

libus majoribus & pulchrioribus nobis 1089. infra illam ſphæræ ignis, aëris, aquæ, & terræ eſt, ib. ſempiternam habet naturam 1133. ejus defectus unde 16. diſci formam habet 1117. nubes conſtipata eſt & habitatur 1155. mutuam a ſole accipit lucem 1163. ex lævibus componitur corpuſculis vertigine circumactis 1193 igneum eſt firmamentum planities continens montesque & valles 1194
Lux quid ſit 1270. viſibilis per ſe non eſt ib.
Luxuria Polemonis a Xenocrate emendata 740. Græcorum a Periandro coërcita 451
Lyceum, qualis locus 787
Lyra philoſophanti utendum non tibia 1060 ſeptem chordarum lyram Orpheus invenit 375. 378

M.

Magi, veterum religionis reſtaurator Zardusht 148. qui hodie illi adhærent quomodo vocentur 151. ejus nominis origo 160. ipſorum origo 161. quod eorum munus 162. ſocietas ib. nativitas ex inceſtu 163. cultus ignis Magis commendatus 163. eorum claſſes ib. officia 164. ſectæ 165. auctoritas ib. eorum ſyſtematis ante Zoroaſtrem explicatio 173. ex oriente Hieroſolymam venientes an philoſophi Arabes fuerint 216 Arabiæ 226. Ægyptii 278
Magia, illius inventor Chamus habetur 70 ejus auctor fuit Zoroaſter 122, 125. duplex 125, 137. Quid Zoroaſtris Magia fuerit 125, 126. Chaldæorum non cum Goëtia confundenda 136. Magiæ nomen Perſiæ debetur 136. naturalis quæ 137. theurgicæ officium 137 ſeq. ejus apud Ægyptios ſtatus 278
Magnificentia ex Ariſtotelis mente quid 837
Malum, Perſarum de ejus origine doctrina 177, 181. cur non ex Deo emanaſſe dici queat Zoroaſtris opinione 181. ejus natura non in ſola conſiſtit privatione, ſed poſitivum quid eſt 183. unde Platoni ortum 684. morale, oritur ex materia in anima 714. unde oriatur ex Stoicorum mente 934. Stoicis quid 957 neceſſario circa terræ regionem exiſtit 1084
Manetho quis fuerit 250. an ejus narrationibus fides habenda 251
Mare, unde ejus origo 510. ſudor terræ eſt, 1129. quare ſalſum 1156. quare non augeſcat 1275
Materia, Zoroaſtris de illa doctrina 182 Ægyptiis æterna credita 298. Spiritus æternus ei inditus creditur 300. Thaletis doctrina de illa 472. æternæ quis mentem primus adjunxerit 503. a Deo diſtinguit illam Plato 678. eſt æterna atque infinita 682. corporea quidem eſt, ſed non corpus 684. ei ineſt cœca vis, quæ inordinate eam movet 684. an anima quadam moveatur 686. neque generatur, neque corrumpitur, ſed eſt prima & infinitum rerum omnium ſubiectum 812. prima quid 827. Stoicis quæ 924. Stoicorum de illa & ejus affectionibus doctrina 938 ſeqq. in minimas particulas diviſæ inſunt primariæ amicitia & diſcordia 1114. perpetua in mutatione conſiſtit 1121
Materialiſtæ, an theogoniarum ſcriptores iis annumerandi 415
Mathemata, quid Speuſippus ita nominaverit 731
Mathematici, in ſchola Pythagoræ qui 1032
Matheſis, Thaletis quæ 476. a Platone commendatur 672. quare ejus diſciplinam parvi æſtimaverit Ariſtippus 593. ſine illa nemo ad philoſophiam admittendus 736. quamnam ad rem a Pythagora commendata 1044. ejus diviſio ex mente Pythagoræ 1045
Mechanica Archytæ Tarentini inventa 1129
Mechaſchephim quinam fuerint 115
Mediatores inter Deum & homines ſpiritus a Zabiis creduntur 224
Medicina, ejus utilitas ex hiſtoria philoſophica quæ 28. a quonam inventa 264 ſtatus ejus apud Ægyptios 275. qualis a Druidibus culta 341. qualis ab Orpheo 378. Pythagoræ, quæ 1094. illius peritia excelluit Empedocles 1108. illam Sceptici amant 1326
Mediocritas ex mente Ariſtotelis quid 836
Meditatio, illi inhærens Carneades cibum ſumere obliviſcitur 764
Megarica ſecta, unde eriſtica dicta 610

Memoria, unde oriatur 822
Mens, quis illam materiæ formandæ primus præfixerit 503. ab anima distinguitur 513, 960. animalibus negatur 514 Platonis peculiaris aliqua substantia ex essentia Dei promanans & generata apud eum est 694. mens scholæ Aristoteles a Platone vocatur 780. in cerebro est 1091 extrinsecus animæ inseritur, ibid. idem cum anima 1195
Mensa Isiaca, quidnam characteres in illa significent 249
Mentiens, quale sophisma 613
Mercurius Ægyptiorum Theut 252. an Moses sit 256. alter, quis 258
Metaphysica Aristotelis expositа 826 seqq. quid sit 827. Xenophanis quæ 1148. Parmenidis 1160. Zenonis 1169. Eleatica, quare a Leucippo derelicta 1172
Metempsychosis animarum an ab Ægyptiis credita 296. an a Celtis 337. Pythagorica exponitur 1092. Empedoclis a Pythagorica diversa est 1119
Methodus symbolica & ænigmatica apud Chaldæos floruit 111. arcana apud Ægyptios, 268. quare apud illos viguerit 273. apud Druidas 321. ad Græcos transiit 366, ab Orpheo adhibita 379. a Platone admissa 659. quare 660. allegoricam a barbaris ad Græcos transtulit Melampus 404. apud Stoicos quotuplex 920
Metus Stoicis quid 962
Miracula Zerdushti quinam fuerint 147 Pythagoræ affinguntur ad Christi miracula minuenda 993
Mithra Dea non cum Deo hujus nominis confundenda 184. cum Venere Græcorum male confunditur ibid.
Mithras, hoc nomine sol insignitur 167 cur hoc nomen soli datum vel summo potius Deo 169. heros fuisse probatur 170. τριπλάσιος dictus ib. Oromasdem & Arimanium genuit 177, 179
Mobile primum, ejus motus æquabilis est 819
Moderatio mente Epicuri quid 1309
Modestia ex mente Aristotelis quid 837
Molestia, quæ fugienda, & quæ amplectenda 1258
Monarchia Græcis intolerabilis 450
Monas apud Xenocratem quid significet 738. Pythagoræ, quid de illo notandum 1048 seq. explicatur 1078. Monades Pythagoræ atomos Mochi fuisse dicuntur 231. corporeas esse dicit Ecphantus 1103
Moralitas actionum a legislatoris voluntate dependet 521. Thaletis de illa opinio 606
Mores tria in illis fugienda 838. emendantur Musica 1059
Mori & vivere perinde est 1222
Mors a Gymnosophistis contemnitur 199 partus in felicem vitam ab Indis habetur 211. quare a Celtis contemta 336 est divulsio animæ 514. quando consequatur 517. quare non extimescenda 567 illam vitæ præferre Hegesias suasit 609 quid sit ex Aristotelis mente 823. voluntariam obiit Zeno 901. uti & Cleanthes 972. philosophica quid sit 1066 quare non pertimescenda 1122, 1311. quid ex mente Epicuri 1281
Moschus, Phœnicum philosophus 230 non est Moses 231. an inventor systematis atomistici fuerit ibid.
Moses philosophus habetur summus 78 tredecim illius regulæ hermeneuticæ 79 illi scientia philosophica denegatur 81 quas scientias in Ægypto edoctus sit 82 an chemiæ fuerit gnarus 80, 84. an vitulum aureum calcinaverit 84. Zoroaster putatur 120. an Arabes philosophiæ mysteriis innutriverit 215. an literas invenerit 256. an sub Moschi lateat nomine 230. an sit Mercurius 256 an sit Prometheus 369
Mot, quid sit 240, 242
Motor primus, Aristotelis de illo sententia 810. quomodo moveat 829. qua in re ejus vis effectrix consistat 829. quanam vita fruatur 830. Deus est 831
Motus, ejus principia 519. prima ejus causa est Deus, proxima mundi anima 711. quænam inter illos numeranda 844. quid sit ex mente Aristotelis 815. omnis fit in tempore 816. quinam fons ejus, ibid. quid sit Theophrasto 844. verus non datur 1152. quænam argumenta Sceptici illi opponant 1344

Mulæ, ubi pariant 844
Mulier, cum illis non philoſophantur Gymnoſophiſtæ 198. communio earum locum habet in republica perfecta 727 communes ſint 884. mulier per XXX. dies ſpiritu deſtituta ab Empedocle ſanata 1108. vid. *Foemina*.
Mundus, generatio illius ex mente Chaldæorum 142. opifex ejus ignis moles putatur 187. aſpectabilis Deus ab Ægyptiis agnoſcitur 284. ejus partibus divina vis ineſt 288. ejus productio ex mente Ægyptiorum 301. corruptioni obnoxium eſſe Ægyptii crediderunt 302. figura ejus & partes quænam 302. quid de ejus interitu Celtæ ſtatuerint 339. quid Etruſci 345 quid Orpheus 397. pulcherrimus a Thalete habetur 467. ejus mens Deus eſt 470 vid. *Numen*. infiniti dantur 485, 517 ejus cauſa Deus, non caſus eſt 560. pulcherrimum Deus condere conſtituit 691 eſt filius Dei 705. in tempore genitus 709 aſpectabilis quomodo factus 710. perfectiſſimus & pulcherrimus, ibid. durat æternum 711. quonam ſenſu habeatur Deus 742. non eſt animal, id vero quod naturale eſt 846. a Critolao habetur æternus 853. eſt Chaos ordinatum 922 non eſt infinitus, unicus vero & æternus 817. ſola recta civitas habetur 884. quomodo ex Stoicorum mente formatus 930 diſcrimen eſt inter illum & univerſum 940 quomodo ex Stoicorum mente conditus, ibid. eſt animal 941. unum ſtatuunt Stoici 944. æternus eſt, ſi pro toto ſumatur 944. inundatio ejus & conflagratio ejus lege veniet 945. interire poteſt 1088. complexus univerſi dicitur mundus ab ornatu ordineque 1087. a Deo factus eſt non tempore ſed cogitatione, ibid. inchoavit ab igni & quinto elemento 1088 animatus eſt, intelligens, ſphæricus, extra eum vero inane eſt, in quod & ex quo reſpirat, ibid. harmonia muſica regitur, ibid. regitur providentia 1103. unus eſt, non tamen univerſum abſolvit 1114. ejus pars dextra & ſiniſtra quæ 1117. cum ſe ipſo connexionem habet, nulla vero cum alia re 1124. ejus figura globoſa eſt 1125. æternus eſt cum partibus quoque ſuis 1126. ejus interitus duplex, igne cœlitus defluente & lunari aqua 1140. infiniti ſunt iique immutabiles 1152. olim interiturus eſt 1164 plures ſunt 1171. dantur infiniti, quorum alii inter ſe ſunt ſimiles, alii vero inæquales 1192. animæ expers eſt, rapidiſſimo vero atomorum motu movetur 1193. duplex eſt, æternus & creatus 1215. quid ſit ex mente Epicuri 1272. unus eſt, ibid. animatus non eſt, ibid. aliquod quaſi reſegmentum univerſi infiniti eſt, ib. non eſt æternus, ibid. ad exſtruendum illum non opus fuit Deo, ib. natura vel fortuna effectus eſt, ibid. quomodo ortus, ib. ſeqq. interiturus eſt 1274. dantur numero infiniti ibid.
Mundi anima Deus ab Indis habetur 206 a Platone credita quæ 701
Muſica Ægyptiorum qualis 275. præſtantiſſimus hujus artis Orpheus habetur 375 antiquæ inventor Amphion traditur 403 eam Socrates ſenex didicit 525. Plato illam didicit 631. deditus Pythagoras illi eſt 1018. medicinæ inſtar a Pythagoreis adhibetur 1034. quid ſit ex mente Pythagoreorum 1056. quomodo dijudicanda ibid. Pythagorica ab Ariſtoxenia diſtincta, ibid. quibus rebus ejus harmonia inædificanda 1057. cœlorum a Pythagora audita 1057. genera eius 1059. muſicæ ſublimitas ut percipiatur, quid diſcendum, ibid. mores & affectus modulatione ejus emendantur, ibid. mane ac veſperi animus Muſica repurgandus eſt 1060. ſapiens illa abſtinebit 1308
Myſteria per Orpheum inter Græcos introducta 379
Mythologia, græcæ quænam cauſæ 368

N.

Natalis dies Epicuri celebratur 1251. Platonis philoſophis poſtea ſacer fuit 629 ut & Socratis 241
Natura, doctrina Æthiopum de illa 310 quid ſit ex mente Ariſtotelis, 813. ſemper agit propter finem 815. in illa omnis vis divina fita putatur 845. omnia facta ſunt illa 846. eſt chaos ordinatum 922 ejus leges homini inſitæ 955. qua in re conſiſtat 1171. eſt permixtio & divulſio

elementorum 1116. quarta in ſyſtemate Epicureo quæ 1267
Neceſſitas quotuplex 815. illi omnia adſcribenda ſunt 847. apud Democritum, quid 1190. omnia illa fiunt 1140
Nechepſos, quis fuerit 280. n. 303
Nigredo, quid mente Democriti 1196
Nihil, ex nihilo nihil fit, 516, 676, 708, 1078 1148, 1160, 1187, 1260.
Nilus, inundationis ejus cauſæ unde mente Epicuri 1275
Nix nigra putatur 570
Noachus philoſophiam calluiſſe affirmatur, 66. negatur 67. ſeptem ejus præcepta quænam ſint 67
Nobilitas quare contemnenda 884
Nomen quid ſit ex mente Ariſtotelis 807 Theophraſti unde mutatum 841
Nonens Democrito quid 1187
Notio, innatas homo non habet 917. earum diviſio 918. communes omnibus hominibus ſunt 918. anticipatam omnes gentes de Deo habent 1284. unde hæc 1286
Notitia rerum vera adipiſci nequit 1102
Nox quid ſit in theogoniis 413
Nubes unde ex Xenophanis mente 1155 qua ratione generari queant 1283
Nubicola quare Socrates dictus 536
Numa rex, an Pythagoræ diſcipulus 347 philoſophiæ ejus aſſerta 348. negata 350
Numen divinum per univerſum diffuſum Ægyptii admiſere 288. & Celtæ 329 & Etruſci 344. & Orpheus 389. & Thales 470. & Stoici 928, 932. Pythagoras 1074. divinum omne pervadens ab Empedocle 1113
Numeri Pythagorici, quidnam ſint 697 cum ideis Platonis conveniunt 1046. ſunt duplicis generis 1047. intellectualis quid ibid. ſcientificus quid 1048. æqualis & inæqualis quid, ib. non unusquisque eſt infinitus 1048. impar quid de illo notandum 1048. ſenarius perfectus eſt 1055. ſeptenarius venerabilis eſt & rebus ſacris conveniens 1055. octonarius primus cubus eſt ib. denarius maximus eſt 1056. ex illis divinari poteſt 1056. definitio a Philolao 1138
Numerus oratorius a Speuſippo dicitur inventus 730

O.

Obotomal quid 333
Obſcœnitas, Cynicis jure objecta 881
Ocellus Lucanus an Pythagoreus 1123
Occultus, quale ſophiſma 613
Odinus, Deus ſeptentrionalium populorum 339
Oeconomia, Socratis de illa doctrinæ 568
Officium, doctrinam de illis neglectam Stoici in ſcholis ſuis tradidere 963. doctrina Stoicorum de illis 964
Olfactus unde ex mente Epicuri 1278
OmnipotentiaDei aPlatone limitata 648,691
Omnis, dictum de omni, quid 809
Opifex mundi, ignis moles putatur 187
Opinio, quid ſit mente Platonis 672. datur tantum in cognitione 768. omnia in illa ſita ſunt 887. Stoicis quid 962. cuncta reguntur 1153. quæ vera 1257. quæ falſa 1258
Oppoſitio, quid & quotuplex 808
Oracula Zoroaſtris quæ 131,155. criticorum de illis ſententia 156. eorum ſumma 148 quo tempore facta 189
Oratio, quid ſit, ex mente Ariſtotelis 807
Orator perfectus, quis ſit 674
Orcheni, Philoſophi Chaldaici 114
Oromazdes, quid ſignificet 171,177. a ſummo Deo eſt genitus 178. fons eſt ſpiritualium ſubſtantiarum 178
Orpheus præcipuus eruditionis atque religionis Græcorum autor 373. an extiterit 374. quis fuerit 375. fabulæ de illo explicatæ 376. ejus inventa 377. ſcripta 382. incertitudo doctrinæ orphicæ 384 theologia orphica 385. ſyſtema orphicum 390
Orus quis 290
Oſiris quis 287, 290. cur ſol putatur 288 an Etruſcis notus 345
Otium philoſophicum, quare Pythagoreis tantopere deamatum 1067. in univerſo non eſt 1214
Ovum, omnium rerum ortus ex illo placuit Orpheo 394

P.

P.

Pæderastia, ejus inventio Orpheo tribuitur 377. vti & Thamyri 402. an Socrates hujus criminis reus 539. an Plato ei fuerit deditus 647. an Arcesilaus 748. an a Zenone probata 900
Pædeutica, quid 1068
Pallium a philosophis gestum 863
Paradoxa Stoicorum 959
Parcæ quid sint 737
Parmenides, ejus philosophia anceps est 1158 exponitur 1159. an Spinozæ præluserit impietati 1160. doctrina ejus a Platone exposita 1164
Paronymum quid 806
Particulæ minimæ Empedoclis quæ 1115
Passiones duæ sunt, dolor & voluptas 596
Paupertas sapientiæ magistra 492. Xenophanis 1145
Peccata omnia paria sunt 966
Pecunia, cui Crates suam dederit 888
Peisithanatos Hegesias vocatur 600
Pellex, an Stilpo quadam sit usus 618
Pentas, numerus primus complexus est omnis numeri speciem 1055
Periander non septem sapientum numero excludendus 452
Peripatetica secta, quæ 776 seqq. unde nomen acceperit 788. philosophiæ ejus consideratio generalis 800
Persæ, eorum historia philosophica obscura est & incerta 143. conditor eorum philosophiæ quis 144. eorum philosophia obscurissima 166. solem venerati sunt 166 Oromazdes & Arimanius, eorum numina 171. philosophia eorum moralis 189
Perturbatio, Stoicorum de illa doctrina 962
Pestilentia ex mente Epicuri unde 1283
Phantasia, an ex illa verum judicari queat 766 quid sit & quotuplex ib. 822. ex mente Stoicorum quid 914
Pharmaceutica in illa facit apud Pythagoreos magica medicina utramque paginam 1097
Philo Herennius Sanchuniathonis commentaria finxisse creditur 239
Philosophia, quid sit 3. ejus definitio 7 partes 8. nomen ejus quis invenerit 5. significatio ejus varia 6. divisio ejus apud veteres 9. quid ejus cognitio in historia philosophica juvet 13. veteris idea ad nostram non exigenda 19. characteres veræ & falsæ philosophiæ definiti 30. an a barbaris 49. ejus origines 50. non cum ipsis mundi natalibus orta 56. ejus ope respublica Romana constituta perhibetur 346. fabularis apud Græcos 365. est rerum divinarum humanarumque cognitio 670. circa quod versetur, ib. Stoicorum definitio 911. scopus ejus ex Pythagoræ mente quis 1049. circa omnia entium genera occupata est 1065. finis ejus est, ut mentes fiant Deo similes, immo ipsi Dii 1065. est rationis exercitatio vitam beatam parans 1255. juvenes & senes vano timore facit liberos, ibid. duæ ejus sunt partes, ethica & physica 1256
Philosophia Ægyptiorum ad imperii & sacerdotii commoda refertur 273
— Chaldæorum, quæ fuerit 106. quis ejus conditor 116
— corpuscularis frustra ei auctoritas a Phœnicum philosophia conciliatur 234
— Græcanica fabularis 364 seqq. politica 434 seqq. sectaria 457 sqq. quare Cato se ei opposuerit 763. de fatis ejus extra Græciam 1349 seqq.
— moralis, Persarum quæ 189 apud Indos maxime floruisse perhibetur 210 status ejus apud Ægyptios 304. apud Æthiopes 310. apud Celtas 342. qualis Orphei fuerit explicari non potest 399 qualis Homerica sit 432. illam primus excoluit Pythagoras 1068. expositio Pythagoricæ ib. Democriti 1198. Heracliti 1221. Epicuri 1294
— theoretica, an illam spreverit Socrates totam 558. apex totius doctrinæ Pythagoreæ fuit 1073. ejus finis est nihil admirari, ib. est duplex 1073
— Persarum conditor quis 144
Philosophus, nomen hoc ubi a Pythagora inventum 1009. quid sit ex mente Platonis 670. medico similis sit 774. prohibitum illis est, publicas habere lectiones Athenis 842. pecunia non opus est illis 888. lyra non tibia illis est utendum 1060 ex mente Pythagoreorum quis 1065. multarum rerum gnarus sit 1222. non finget neque

neque fictum admittet 1255. non asserit omnia neque dubitat de omnibus 1256
Phœnices philosophiæ promicondi crediti 229. eorum scriptores desiderantur 236
Phtha quid significet 292
Physica, an Iacobus ejus fuerit gnarus 75 hujus scientiæ peritus Iobus putatur 98 Chaldæorum quanam in re consistat 116 an Homerus eam perfecte calluerit 426, 431. a Secta Ionica colitur 465. Thaletis doctrina physica quæ 472. Platonis explicatur 708. ab Aristone rejicitur 969 Parmenidis quæ 1162. Xenophanis 1152 Leucippi 1175. Heracliti 1213. Epicuri 1260. quis ejus ex mente Epicuri scopus 1259
Physicus quis ita dictus 845
Physiologia orphica, quæ 393. theogoniarum quæ 417. Anaximenis 488. Stoicorum, ejus scriptores 920. ejus summa 921. Empedoclis 1112. Democriti 1187 Hippocratis incerta & obscura 1224. quare opus 1256. Epicuri 1259
Picturæ studiosus fuit Plato 630
Piscis, ab illis edendis abstinent Pythagorei 1036
Pisianactica, quis locus fuerit 896 n.
Pius ex Epicuri mente quis 1310
Plagiarius Plato est 640. & Aristoteles 794 Zeno habetur 902
Planeta, tenet rationem causarum agentium in omnes vitæ casus 138. a Zabiis observantur 224. quævis Orpheo terra videtur 398. eorum motus unde 819. dulcissimam concinant melodiam 1063 habitabiles sunt ib.
Planta, earum semina ovorum instar se habent 1120
Plato præstantissima philosophiæ a barbaris se mutuum accepisse affirmat 48 veterum placita fœde inter sese permiscuit 464. scriptores de illo 627 illius origines & natales 628. an Ieremiæ tempore vixerit 629. unde nomen acceperit 629. præsagium de illius eloquentia 630. poësi operam dat 631. Socrati ad instituendum traditur 631. aliena dogmata Socrati adhuc vivo supponit 632. itinera literaria 633 an ab Ægyptiis didicerit 635. an habuerit Hebræos doctores, ib. Pythagoreos convenit 639. fontes philosophiæ Platonicæ 640. schola ab illo condita ejusque ratio & constitutio 641. discipuli & sectatores 644. inimici & æmuli 645 virtutes & vitia ei objecta 645. auctoritas in republica & apud principes 648 eius obitus 653. scripta & scribendi ratio 654. editiones scriptorum Platonis 658. versiones 659. causæ obscuritatis 659. an Dogmaticus 662. systema ejus ex variis aliorum systematibus sæpe contrariis conflatum 666. doctrina ejus de philosophia in genere 670. dialectica 672. theologia 675. physica 708. Psychologia 712. mathematica 720. Ethica 720. politica 726. successores 727. Pythagoricam philosophiam adulterat 1041
Pluvia ex Stoicorum definitione quid 944 ex mente Epicuri unde generetur 1283
Poecile, quis locus fuerit 896
Poesis, præstantissimus hujus artis Orpheus habetur 375, 378. illi operam dat Plato 631. sapiens illa abstinebit 1308
Politica eam calluisse Semus perhibetur 69 Socratis de illa doctrina 569. Platonis quæ 726. Aristotelis probatur 839. ejus capita 1070
Polygraphus est Chrysippus 895. Epicurus 1235
Popularitas, quænam virtus ex Aristotelis mente 837
Postprædicamenta Aristotelis quæ 807
Potator, an Xenocrates fuerit 735
Potentia in Aristotelis Metaphysica quid & quæ 828
Præcepta Noachi, quænam sint 67
Prædicamenta quis invenerit 806
Prædicari unum de alio non potest 620
Pramnæ philosophi Indici 195
Precari, quomodo precandum 566
Principes quinam veri sint 569
Principium, duo omnium rerum statuunt Persæ 173 seq. an Zoroaster duo statuerit 175 seqq. omnium rerum ex mente Zoroastris quid sit 181. duo omnium rerum ab Orpheo credita 396. duo, vestigia eorum in theogoniis latent 415

duo

duo omnium rerum, materiam & Deum ſtatuit Plato 618. ex mente Ariſtotelis quæ 811. divinum omnium rerum eſt unum 844. rerum exiſtentium Stoicis quæ ſint 922. duplex an Pythagoras ſtatuerit 1080. prima individua corpuſcula ſunt 1102. ſunt frigidum & calidum 1104 activum & paſſivum 1112. duo Empedoclis quæ 1114. omnium rerum atomi & inane 1187. ex Epicuri mente quæ 1262 materialia incomprehenſibilia Sceptici judicant 1344

Prometheus explicatio fabulæ de illo 369

Propheta, earum ſcholæ non philoſophicæ 85. apud Ægyptios quis 267

Propoſitio, hypotheticæ connexæ vocantur 616. de iis diſceptant Dialectici 616. negantes Menedemus ſuſtulit 626. earum diviſio 808

Protagoras victus quærendi gratia in mercedem miſſus 1200. quare atheiſmi accuſetur 1201

Providentia Dei ex mente Indorum non cum Chriſtianorum confundenda 206. univerſalis a Socrate credita 561. quid de Stoicorum doctrina de illa judicandum 926 ſqq. Pythagoræ doctrina de illa 1084 ab Epicuro tollitur 1274. an ab illo negata prorſus 1286. Deum ex illa agnoſci poſſe Sceptici negant 1341

Prudentia, quid ſit 566. domeſtica, Socratis de illa doctrina 568. duplex univerſalis & practica 1304

Pſychologia Platonica, quæ 712. Ariſtotelica, quæ 820

Pulchritudo a Socrate amata 539. corporis indicium pulchræ animæ 565

Purgatorium animarum, quid ex Stoicorum mente 952

Pyrea apud Perſas, quid ſint 163

Pyrrho educatio ejus 1320. a pictoria arte ad philoſophiam ſe confert, ib. præceptores ejus, ib. ad Scepticiſimum ſe confert 1321 conſentaneum illi opinioni vitæ genus ducit 1321. an inſaniens nimia arte fuerit 1321 virtutes ejus, ibid. pontifex creatur 1322 indoctus habetur 1323. mors ejus, ib. Democriti præcepta ſequitur 1323. uti & Eleaticæ ſcholæ philoſophandi rationem 1324. & diſciplinam Dialecticorum, ib. ad vitæ tranquillitatem reſpicit, ib. ſectatores ejus 1325

Pythagoras nominis philoſophiæ inventor 5 ſcriptores hiſtoriæ ejus 989. difficultas & incertitudo ejus hiſtoriæ 991. Chriſto opponitur 993. ejus ortus & nativitas 994 æra ejus valde incerta 995. chronologia ejus expoſita 997. educatio 998. Dei filius habetur 999. itinera ejus 999. an Pherecydem ſepeliverit 1000. an in Orientem profectus 1001. a nautis Ægyptiis divino cultu veneratur 1001. an ad Iudæos excurrerit 1002. an Carmelita fuerit, ib. circumciditur 1002. in Ægyptiorum myſteriis eruditus, ib. an ad Babylonios Perſasque pervenerit 1003. an Ezechielem audiverit 1004. captivitas ejus, ib. an proſelytus factus 1006. an Zoroaſtrem audiverit 1006. an ad Gallorum Druidas pervenerit 1007. ſcholam domi erexit, 1008. itinera in Græcas inſulas, ib. ubi ſe Philoſophum nominaverit 1009. in antro habitat 1010. impoſtorum artes adhibuit 1010. Minois exemplum imitatur, ib. iter & mora ejus in Italia, ib. miraculum ejus Crotonæ factum 1012. mores Crotoniatarum emendat 1012. auctoritas inter Italos 1013. miracula ejus 1014. inter Goëtas & Magos refertur, ib. apud inferos ſe fuiſſe jactat 1015. & in aliis corporibus, ib. virtutes ejus & vitia 1016. veſtitus ejus 1017. aureum femur 1019. uxor ejus & familia 1019. mors ejus 1021. utrum Pythagoras aliquid ſcriptum reliquerit 1023. ratio docendi 1025. auditores duplicis generis 1025. methodus duplex, arcana & vulgaris 1038. philoſophia ejus incerta 1039. ad enthuſiaſmum propenſus 1043. ejus doctrinæ de philoſophia in genere 1044. cœlorum Muſicam audit 1057. an duplex principium ſtatuerit 1080. an atheus fuerit, ib. incantationibus morbos curavit 1083. ejus ſymbola 1098. ejus diſcipuli 1101. duratio ejus ſectæ 1105.

Pythagorica philoſophia eſt incerta 1039 monumenta pleraque illi deficiunt, ibid. diverſo interpretatur modo 1040. multa illi falſo affinguntur 1041. a Platone adulterata, ibid. neglectim relata 1042 mathematicæ diſciplinæ reliquis intruſæ,

hæque illarum notionibus obſcuratæ 1042 ad enthuſiaſmum ducit 1043. ſcriptores de illa caute legendi, ibid. practica 1067 theoretica 1072. duratio ejus brevis eſt 1105
Pythagorica ſecta quæ 982 ſeqq.
Pythagoriſtæ eorum diſtinctio a Pythagoreis 1031
Pyxis nautica, an Salomon ejus ſciverit uſum 88

Q.

Quadratum divinam repræſentat eſſentiam 1061
Qualitas quid ſit, et quot habeat ſpecies 807 quibusnam elementa moventur 819 corporum quot 1126
Quantitas, quotuplex 807
Quaternio, an Pythagoras ad illam tantum computaverit 1053
Quies, quid ſit 816. ex Ariſtotelis mente, in univerſo non eſt 1214

R.

Ragnarockur, quid Celtis ſignificet 339
Rana, viventis lingua mulieribus ſecreta extorquet 1185
Ratio, quæ de rebus judicari poteſt 1137
Reges veri, quinam ſint 569
Regina auſtri ad Salomonem veniens, an philoſophiæ Arabicæ addicta fuerit 215 eorum ænigmata ubi inveniantur 216
Relatio, quid ſit 807
Religio Chriſtiana, ejus utilitas ex hiſtoria philoſophica 26. Chaldæorum qualis fuerit 107. veterum Gallorum quæ de illa notanda 328. veterum Græcorum quinam illam inſtituerint 385. Stoicorum præcepta de illa 964
Reminiſcentia quomodo memoria exerceatur 823
Res quomodo a Stoicis diviſæ 919. ex medio univerſi centro ortæ 1139
Reſpublica in tria membra eſt diviſa 727 formæ ejus dantur quinque 727. in perfecta communio mulierum locum habet 727. ſine legibus eſſe nequit 884
Reſurrectio corporum an ab Indis credita 207. qualem Harbaniſtæ ſtatuant 225 qualem admittat philoſophia Epicurea 1271
Revelatio ejus & rationis limites hiſtoria philoſophica ponit 26
Rhetorica a Critolao damnata 852. ex mente Stoicorum quid 914. infenſus ejus hoſtis Clitomachus eſt 773
Riſus Plato in vita nunquam ſuſtulit 647 perpetuus Democriti fabula eſt 1182
Romanorum veterum philoſophia quæ 342, 346
Rythmis mores & affectus emendantur 1059

S.

Sabii, vid. *Zabii*.
Sacella, quid Zabiis ſint 224
Sacerdotes apud Ægyptios magno in honore ſunt 265. quænam ſit eorum auctoritatis cauſa 266. eorum munera & officiorum genera ib. eorum habitatio 268 medicinam curabant 276. eorum apud veteres Germanos auctoritas atque munus 324
Sacra Orphica, quæ 380
Sadder, quænam in hoc libro contineantur 153
Sagitta Abarim per aëra in Græciam defert 354
Salomon polyhiſtor habetur 87. an omnibus diſciplinis re vera fuerit inſtructiſſimus 88. non in philoſophum mutandus 89 an diſſertationes phyſicas ſcripſerit 90 non inter Scepticos referendus 91. ſpecimen ejus ſapientiæ 91 ſeq. non Anatomiæ peritus fuit 93
Salſedo a ſubjecta terra oritur 844
Saltatio, Socrates exſibilatur, quod illam didicerit 540. Pythagoras illam amat 1018 Pythagoreis in uſu eſt 1034
Salus æterna Socratis 540. Platonis 653 Ariſtotelis 794
Samanæi philoſophi Indici 193. quinam fuerint 195
Sanchuniathon quis fuerit 236. quis ejus finxerit commentaria 239. ejus coſmogonia 240. an cum ſyſtemate Moſaico conveniat 241
Sanitas corporis diligenter tuenda, quare 567 quænam ejus cauſa 1134
Sapiens, omnia ſui ipſius cauſa eſt facturus 598. nunquam invidia laborat 599. ſolus eſt Deus 670. ſolus rex eſt 732. ſibi contentus eſt 870. præcipuum ejus officium apud Stoicos 966. non ignoſcit, nec miſeretur 967. quando ad rempublicam

cam gerendam accedat 1305. amaturus non eſt 1308. Cynicorum ritu non vivat ibid. abſtinebit Muſica & Poëſi 1308 non iraſcitur 1309. non ambit honores civiles, ib. non de ſepultura magnopere ſollicitus 1309. mortem non metuit 1310 dolorem æquo animo fert 1312. amicitiam quærit 1314. mortem pro amico oppetit 1314
Sapientes ſeptem Græciæ, occaſio enati tituli 438. quinam fuerint 440. nomina eorum 442. convivium ſeptem ſapientum an re vera inſtitutum 452
Sapientia, quid veteribus ita vocatum 3 ejus definitio 7. fontes, ibid. protoplaſtorum qua in re conſtiterit 54. a ſanitate mentis non differt 565. quænam ad illam pertineant 565. quid ſit ſenſu maxime proprio ex mente Platonis 670 Stoicis quid 911. ex mente Pythagoreorum quid 1063. circa quæ verſetur 1064 maximum hominis bonum in illa eſt ſita 1070
Sapor, quomodo diſcernatur 1134. unde oriatur ex mente Democriti 1196
Saronides, quinam 321
Scaldi, poëtæ Celtarum 323
Sceptica ſecta, unde nomen acceperit 1318 varia ejus nomina, ibid. ſcriptores de illa 1319. ſub Academicorum nomine latet ibid. conditor ejus 1320. mature deſiit 1327. revocatur ab Aeneſidemo 1328 diſcrimen inter illam & Academicam 1331
Sceptica, quid ſit 1332. finis ejus, ib. principium ejus 1333. criterium ejus 1334
Scepticiſmus, an detur ſyſtema ejus 1329 cauſæ ejus 1330. compendium ejus 1332
Scepticus, an Socrates fuerit 536, 559. illis præluſit Monimus 887. decreta nulla ſtatuit 1333. ſectam non habet, ibid. quid evertat, ib. obſervat quæ ad vitam communem pertinent 1334. imperturbatum mentis ſtatum quærit, ib. modi ejus, quibus aſſenſionem retinet, ib. quibusnam modis Dogmaticorum refellat ætiologias 1336 ab omni aſſenſu abſtinet, ibid. criterium veritatis practicum admittit 1337. an ſint athei 1342
Scholæ Cainitarum & Sethianorum 59 prophetarum non philoſophicæ 85 Chaldæorum quæ 114. Druidum quibus in locis fuerint 321
Scientia, an ſapientiam per illam intellexerit Socrates 564. non datur ullius rei 755, 768 demonſtrativa non datur niſi rei neceſſariæ 809. ex Stoicorum mente quid 918
Scientiæ non a Prometheo inventæ 370
Scire, quid ſit ex mente Ariſtotelis 809
Scortum, nobilia veterum eruditionis & philoſophiæ laudem affectant, exemplum Aſpaſiæ 526. Laidis 558. Nicarete 618 Laſtheniæ 644. acerbiſſimus eorum inſectator Crates eſt 889
Scriptura ſacra, an Græcam illius verſionem legerit Plato 637. vid. *Biblia*.
Scriptura ſymbolica vetuſtior eſt modo per literas ſcribendi 260
Scrutinium actionum diei ante cubitum a Stoicis commendatur 966
Scythæ, de eorum philoſophia 351. indole naturæ potius, quam ingenio & arte conſpicua, ib. eorum theologia 353
Sectæ Chaldæorum, quales fuerint 114 philoſophicæ quæ 457
Semen, ejus potentia ſpirituoſa eſt adeoque corpus 851. quid Stoici de illo ſtatuerint 949
Semni an philoſophi Indici 193
Semnothei quinam 320
Senſibilia, quid Plato de illis ſtatuerit 673
Senſus quid ſit 672. unde de eorum fide dubitare inceperit Lacydes 757. Ariſtotelis doctrina de illis 822. ex Stoicorum mente quid 915. veritas illis comprehendi nequit 1110. fallunt 1153. cur varie afficiantur 1192. ſunt ab imaginibus oblatis corporum 1196. tangibiles ſunt, ib. non veritatis ſunt judices 1212. nunquam fallitur 1257. quinque ſunt 1277. diverſitas eorum unde ex mente Epicuri 1278
Seres, philoſophia eorum 212
Sermo Platonis qualis 654
Servi, quinam ex illis philoſophi facti 622 n.
Sethus, quid de ejus philoſophia ſentiendum 58
Sibylla Cumana, an Beroſi fuerit filia 130
Sidera a Chaldæis colebantur 135. Domini & Dii a Zabiis habiti 224. eorum cultus apud Ægyptios unde 288. doctrina

Æthiopum de illis 310. Orphei doctrina 398. eorum ortus ex terra venit 491 corpora terrestria habentur 510. ubi gignantur 943. Stoicorum doctrina de illis, ib. Dii sunt Pythagoræ 1089. Empedoclis sententia de illis 1117. divinitas illis inesse putatur 1133. unde ex mente Heracliti 1220. nec animata sunt, nec Dii 1281. vel errantia vel inerrantia, ib. eorum magnitudo 1282. figura qualis, ib. motus qualis, ib. ortus & occasus unde, ib. eclipses, ib. qua ratione tempestates præsignificare queant ibid.
Silentium Pythagoricum quod 1029
Similitudo Dei quanam in re consistat 724
Simulacra, Zabiorum doctrina de illis 225
Sobrietas, quantum bonum sit 1307
Socrates, ejus natales & educatio 523. militia 526. senatorium munus provecta ætate suscipit 527. ejus vitæ privatæ ratio 527. res domestica & conjugium 528 modus docendi 531. dotes & virtutes ingenii 533. an Apollinis oraculum illum sapientissimum judicaverit 534. virtutes animi pietas & religio 536. constantia animi 538. & aliæ 539. an salvatus 540 an ex Hebræis profecerit 540. corporis qualitas & facies 541. Genius 543. mors 549. Honores, extincto Socrati habiti 553. Scripta ejus an extiterint 554 philosophia 555. discipuli 569
Socratica schola quæ 522. philosophia quæ 555
Sol a Chaldæis colebatur 135. a Persis colebatur Deus 166. Mithrae nomine insignitur 167. utrum supremus Deus apud Persas intelligatur, an ei superior sit 168 cur illi equos Persæ sacrificent 170. imago ignis perfectissimi, ex quo omnia emanarunt 181. magnitudo ejus 486. stellarum maximus est 520. non major est, quam oculis apparet 1220. est tabella plana 491. candens lapidea massa 509 quid sit 739. ex mente Stoicorum quid 942 discus vitreus est reverberantem ignis mundani splendorem accipiens 1140 nubes est ignita singulisque diebus creatur 1154. ex lævibus componitur corpusculis 1193. quid ex mente Epicuri 1281 ejus eclipsis unde 473, 486 ejus figura sphærica est 1089. scapham refert 1220 penetrat a sole radius per æthera, frigidum atque aridum 1090. duo sunt soles 1117. multi sunt 1155
Solstitium quisnam primus observaverit 480
Sommonacodom apud Siamenses cum Budda Indorum unus ac idem habetur 202
Somnium unde existat 1134. a Dæmonibus immittitur 1083. eorum interpretationes a Chaldæis exercentur 141
Somnus nimis longus Epimenidis 420 quomodo fiat 517. unde oriatur 823 unde ex mente Epicuri 1280
Sonus, unde eorum nomina a Pythagoreis appellata 1057. ex mente Epicuri quid 1270
Sophistæ a Socrate quæstionibus vexati 550 quinam fuerint 549. ubi eorum artes delineatæ 675
Sophismata diversa ab Eubulide inventa 613. in illis struendis Diodorus excelluit 617. eorum species variæ 811
Sorites quale sophisma 614
Spæmann quinam 323
Spatium, quomodo Dogmaticorum de illo sententia a Scepticis debellatur 1345
Species ex Stoicorum mente 918
Sphæra quis eam invenerit 400. primam quis construxerit 480. mundanæ situs e recto in obliquum mutatus 512. cœlestes decem sunt apud Pythagoreos 1062
Spinosismus an Xenophanes illi præluserit 1149. an Parmenides 1160. an Zeno Eleates 1170
Spiritus, Chaldæorum doctrina de illis 133 quid sint ex mente Zoroastris 181. mediatores inter Deum & homines a Zabiis creduntur 224. Orphei doctrina de illis 392. Thaletis doctrina 473. medios inter Deum & homines Socrates admisit 562. Spiritus S. an per Platonis animam mundi intelligendus 703
Statua inaurata Berosо posita 130
Statuarius Socrates est 524
Stelæ hermeticæ, an Plato ex illis doctrinam suam hauserit 635
Stella, doctrina astrologica de illis 140 quamlibet esse mundum Orpheus statuit 398. quid sint 485. sunt candentes lapides 509.

509. exſpirationes mundi exhalantis 517 terreæ laminæ candentes 519. quid ſint 739. Ariſtotelis ſententia de illis 819 quævis mundus eſt 1089. quid ſint ex Xenophanis mente 1154. ex terrena exhalatione nutriuntur 1221
Stoa, quis locus ita dictus 896 n.
Stoica ſecta, quæ 893. quousque ad Socraticos referri queat 896 n. obſervationes generales de illa 902. multa ex aliorum philoſophorum ſcholis aſſumſit 902 veterum recepit vitia 904. innovavit præter rem multa 906. philoſophia ejus opponitur aliis ſectis 907. ejus verbis non fidendum 909. diſſentit inter ſe 910. decreta ejus de philoſophicis diſçiplinis 911 ſeqq.
Stoliſtes apud Ægyptios quis 267
Stylus Platonis qualis 654
Subſtantia ex mente Ariſtotelis quid & quotuplex 806. in Ariſtotelis Metaphyſica quid 827. tria genera ſubſtantiarum ſunt 828. datur perpetua aliqua & immobilis ſubſtantia, ib. ex Stratonis mente quid 850
Succeſſio in Aſtrologia quid ſit 139
Superſtitio fœdiſſima in theologia Ægyptiorum exotica 282
Syllogiſmus doctrina Ariſtotelis de illis 808 dialecticus quid 810. adverſus quos adhibendus ib.
Symbola Ægyptiorum cur inventa 269 Pythagorica, quid 1038. exponuntur 1098
Syncretiſmus Platonis 640 n. philoſophiæ Platonicæ noxius 667. philoſophicus illi ſecta Stoica eſt dedita 904. Philoſophiæ Græco-Ægyptiacæ 1355
Synonymum quid 806
Syſtema mundanum Pythagoricum deſcriptum 1139

T.

Tabula Cebetis, an hic illius auctor 578. ejus ſumma 580. geographicas quis primus fecerit 479
Tactus ex mente Epicuri unde 1278
Talismanes unde ortum traxerint 137. quomodo conficiantur 225
Tallopoin, quinam ſint 195. n.
Teletæ Orphei, quæ 380
Temperantia Socratis 539. ex mente Ariſtotelis quid 837. ejus munus quod 1306. quare expetatur ib. quasnam cupiditates regat, quibus modum ponat & quasnam evitet 1307
Templa Perſarum qualia fuerint 163. a veteribus Perſis rejecta 183
Tempus, quomodo Deus creaverit 712. quid ſit ex Ariſtotelis mente 815. quid ſit ex mente Stratonis 850. matutinum quomodo a Pythagoreis peractum 1034. natura ejus corporea eſt 1221. ex Epicteti mente quid 1270. quomodo Dogmaticorum de illo doctrina a Sceptici impugnatur 1346
Tenebræ, unde ortæ ex mente Zoroaſtris 187, 183
Teratologia Pythagoreis objecta 991
Terra ſcaphæ ſimilis putatur 141. qualem de illius forma ſententiam foverit Anaximander 486. tabella plana aëri incumbens putatur 512. oblonge rotunda 517. initio palus fuit 520. eſt ovi vel pili figura rotunda 520. ex ejus calore animalia gignuntur, ib. motus ejus cauſa ventus cavernis incluſus 514, 521. unde naſcatur 820. Stoicorum de illa ſententiæ 944. non eſt immota neque in medio globi poſita, ſed ſuſpenſa 1062. nunquam eſt interitura 1126. in orbem circumfertur circum ignem 1140. omnia ſunt ex illa 1154. ab humido tempore diſſolvitur 1156. periodicus ejus interitus & ortus, ib. rotunda & in medio poſita 1163. cauſa ejus firmitatis quæ 1194. ejus motus unde ex mente Democriti ib. ſubſtitit in mundi medio 1275. diſcus non vero globus vel ſphæra eſt 1275. non animata eſt ib. ejus motus unde ex mente Epicuri 1275
Terrena cum cœleſtibus conſentiunt & ex eorum influxibus innovantur 138. quando inundentur, aut igne deleantur ex mente Chaldæorum 141
Terminus quotuplex 806
Tetractys Pythagoreorum quid ſit 1053
Tetragmaton an per Pythagoreorum tetractyn expreſſum 1054
Tetralogia, illam compoſuit Plato 631. in illas diſtribuuntur ſcripta ejus 656
Thales primus philoſophiæ Græcæ in ordinem redactæ parens 458. narratio vitæ ejus 458. ſeqq. rerum naturalium ſtudio vehementer flagravit 460. Ægyptios pyramidem metiri docuit 460. an in foveam fide-

ra inſpecturus deciderit 461. an ſententiarum ei attributarum auctor ſit 462. an ſcripſerit quicquam ib. ejus philoſophia circa res naturales verſatur 465
Theodoria ſecta, quæ 662
Theogonia Pherecydis exponitur 986. ſeq.
Theogoniæ Græcorum unde natæ 368. orphica quæ 393. earum ſcriptores quinam 404. Heſiodi 407. obſervationes generales de illis 409. obſcuræ ſunt ibid. coſmogoniam deſcribunt 409. ortum rerum omnium, & hujus mundi confundunt 410. religionem vulgi cum placitis philoſophicis conciliant 410. diſſentiunt inter ſe, ib. multa fingunt licentia poëtica 411. earum interpretationes difficiles ſunt atque incertæ 411. principia earum generalia 412. earum ſyſtema phyſiologicum 417
Theologia qualem uſum capiat ex hiſtoria philoſophica 26. Chaldæorum arcana 132. publica, 135. Ægyptiorum fuit duplex 280. varia ejus tempora ſunt diſtinguenda, ib. exoterica fœdiſſimam fovet ſuperſtitionem 282. arcana 284. emendata rationibus philoſophicis 289. Perſarum 166. Theologiæ Perſicæ ſyſtema Zoroaſtreum explicatur 175. Indorum 205. Celtarum 328. Scytharum 353. per Orpheum inter Græcos introducta 379. Orphica an idololatrica 385. ejus capita poſteriora 386. quænam fuerit Homeri 433. Socratis 560. Platonis 675. Pythagorica quæ 1074. Democriti quæ 1196. Heracliti quæ 1215. Epicuri quæ 1283
Theorema, quonam invento Hecatomben ſacrificaverit Muſis Pythagoras 1067
Theurgiam Zoroaſter excoluit 126
Theut, auctor ſapientiæ Ægyptiacæ 252
Theutates an Celtarum ſummum fuerit numen 328
Tonitru unde gignatur 486, 514
Totum ex Scepticorum ſententia comprehendi nequit 1345
Toxaris, Philoſophus Scythicus Athenis vixit 360
Traditio parentum ad filios apud Chaldæos viguit 110
Tragœdias compoſuit Plato 631
Tranquillitas mentis Epicuri voluptas 1299
Triangulum eſt principium generationis & formationis generabilium 1061
Trinitas Perſarum quæ 186. Ægyptiorum quæ 292. Orphica quæ 390. Platonica quæ 704 an ejus myſterium Pythagoras triade comprehenderit 1053
Tripos ſapientiſſimo Græco deſtinatus, quid fuerit 439
Trulindur, quinam fuerint 323
Tryas quid Pythagoreis ſit 1052
Τυγχανοντα Stoicis quæ 789
Turpe non natura ſed lege fieri quis docuerit 521, 599, 606, 1199. eſt Stoicis ſolum malum 957 ſeq.
Turpitudo non natura ſed lege & inſtitutione actionibus ineſt 1199
Typhon quis 290
Tyrſpakur ſeptentrionalium populorum eruditi, quodnam illorum officium 323

V.

Vacuum non dari Thales docuit 472. & Anaxagoras 513. & Zeno Eleates 1171. quid ſit ex mente Ariſtotelis 815. Democriti 1188. Epicuri 1260. datur Leucippo 1176
Valhalla, qualis locus apud Celtas 339
Vapor, duæ eorum ſunt ſpecies puriorum & craſſiorum 1220
Varietas rerum viſibilium unde 1191
Vates Germanorum idem cum Eubagibus 320
Vaticinandi ars inter Germanos viguit 331. facultas ſolis philoſophis apud Indos conceſſa 199
Vaticinia nulla ſunt 1289
Velatus, quale ſophiſma 614
Venerea hyeme non æſtate facienda 1070
Ventus, quid ſit 486. unde oriatur 514, 1194. oblique fertur & quare 844. aëris eſt fluxio 944. quomodo gigni queat 1283
Venus, ſtellæ hujus nominis naturam Pythagoras primus detexiſſe dicitur 1063
Verbum quid ſit ex mente Ariſtotelis 807
Verecundia ex mente Ariſtotelis quid 837. Pythagoræ quæ 1018
Veritas quomodo judicanda 732. non a ſenſibus 672, 1110. ſed recta ratione, ib. nulla ex re judicari poteſt 765. ex phantaſiarum ſive viſorum concurſu fit judicium veritatis 767. cur profundo demerſam eſſe puteo dixerit Democritus 1186. veritas exiſtentiæ apud Epicurum quæ 1257. judicii quæ, ib.

Verum, quid 916. differt a veritate, ib. nihil eſt in illis quæ ſunt, nec nos quid cognoſcimus 1186. omne id eſt quod ſenſibus apparet 1192
Veſta quid ſignificet 348
Veſtitus elegantem Ariſtippus amat 586. Stoicorum qualis fuerit 907. Pythagoræ qualis 1017
Via lactea quid ſit 510
Victus Pythagoræ parcus 1017. Pythagoreorum quis 1035
Vinum, ejus uſum contemplativis Pythagoras interdicit 1037
Vir bonus quis 1130
Virtus humanæ vitæ ſcopus & finis eſt 185. per ſe eligenda 723. quid ſit 724. inter ſe cohærent virtutes & ſeparari nequeunt 725. ex mente Ariſtotelis quid 836. intellectuales quæ 838. Antiſthenis doctrina de illa 870. Stoicorum ſententia de illa 912. 962. ſeqq. ſola ſufficit ad beatitatem 955. eſt naturæ perfectio 1068. doctrina Pythagoræ de illa, ib. nulla eſt nimia 1131. maxima, ſibi ipſi temperare 1222
Vita, ejus ſcopus virtus eſt 185. reſtitutio ejus poſtmortem Indis creditur 207. recens quaſi conceptorum hominum ſtatus ab Indis habetur 211. laborioſa ac difficilis eſt 744. beata ex collectione particularium voluptatum conſiſtit 596. quid ſit ex mente Ariſtotelis 823. regitur fortuna 844
Vivere & mori perinde eſt 1222
Vivendi ratio Pythagorea 1033
Vnitas diſtinguendum ab uno 1048. quid per illam Pythagoras intellexerit 1049. ſeqq. eſt principium rerum 1087. principium eſt activum Empedocli 1113. intellectualis ignis eſt atque Deus 1114. non eſt ſolitarium rerum omnium principium 1138
Vniverſale, Stilpo plane ſuſtulit univerſalia 619. primum quid 809
Vniverſum æternum eſt 185. qualem ejus finem ſtatuant Harbaniſtæ 225. diſtinguitur a toto 922. & a mundo 940. nec interiturum unquam eſt, nec ullum habuit ortum 1124. hoc mundum indicat, ib. extra univerſum nihil eſt 1125. ſemper fuit quale nunc eſt, ſemperque ita manebit 1260. ex corpore conſtat & inani, ib. infinitum eſt 1261. immobile eſt 1262. multa tamen in eo moventur mutanturque, ibid.
Vnum diſtinguendum ab unitate 1048. entis affectio eſt non ſubſtantia 828. quid ſit ex Xenophanis mente 1148. ex Meliſſi 1166
Voluntas, qualis in hiſtoria philoſophica requiratur 12. Stoicis quid 962
Voluptas finis philoſophiae Ariſtippi ab Epicuri voluptate differt 592. quid ſit ex Ariſtippi ſententia 596. eſt a turpiſſimis rebus bona 597. ex præſentibus capienda 597. corporis præſtantior voluptate animi 597. plures voluptatum ſpecies ſunt 725. nulla eſt falſa 844. ab illa cavendum eſt 1070. duplex eſt plebeja & ſolida, ib. maxima peſtis hominum 1131. quæ fugienda & quæ amplectenda 1258. Epicuri de illa doctrina 1296. ſeqq.
Vortices in Leucippi Phyſica 1176. Carteſii ex ſchola Democriti deſumti 1193
Vox mentis conceptuum eſt ſignum 807. duæ ejus ſunt ſpecies 1057
Vrbanitas, quid ſit ex mente Ariſtotelis 837
Vxor qua in re inſtruenda 568

W.

Wiſendammen quinam fuerint 323

X.

Xaca apud Sinas & Iaponenſes cum Budda Indorum unus ac idem habetur 202
Xantippe an deteſtabilis fuerit uxor 528
Xenophanes, ejus ætas 1143. educatio & vita 1145. philoſophia 1148. an Spinoſæ impietati præluſerit 1149

Y.

Y quid Pythagoreis hæc litera ſignificet 1100

Z.

Zabii eorum nomen unde 217. origo 218 ætas 220. quid de illis judicandum 220. ſq. libri eorum 222. ſyſtema 223. duæ eorum ſunt ſectæ 224
Zamolxis conditor philoſophiæ apud Scythas atque

atque Thraces habetur 361. non Pythagoræ fuit ſervus 362. cur inter ſumma numina relatus ibid.
Zardusht philoſophiæ Perſicæ conditor 144. nomen ejus, ib. ætas & patria 145. vita 146. Libri Zardushto tributi 152, 154
Zendaveſta recenſio hujus libri Perſis ſacri 152
Zetetici unde Sceptici ita dicti 1318
Zodiacus, circuli ejus diviſio 138. ejus animalia qualia ſint 138 ſeqq.
Zopha ſemin, qui ſint 240, 242
Zoroaſter philoſophiæ Chaldaicæ conditor 116. ejus hiſtoria incertiſſima & obſcuriſſima ib. unde ejus nomen 118. unus an plures 119. quis fuerit 120. quando vixerit 121. vita ejus incerta 123. cui Magiæ fuerit deditus 125. ſcripta ei tributa 127, 154. ejus oracula 131, 155. quænam eorum auctoritas 156. ejus theologiæ ſyſtema 175. accuratior ejus ſyſtematis explicatio 179. Platonici recentiores illud deperierunt 182. Summa ejus oraculorum 184. doctrina ejus ex recentiorum Platonicorum mente 185.

Errores typorum paucos, quos, cum ipſi locorum intercapedine remoti præeſſe editioni nequiverimus, ignotæ manus ductus genuerunt, imprimis o pro a, i pro æ, æ pro o, u pro i &c. poſitum, itemque U loco V in Partis I. libro I. & II. adhibitum, Lector humanitatis memor, benevole ipſe corriget. Emendabimus tamen eos, qui ſenſum remorantur, & ſupplementa nonnulla ad hunc tomum I. adjiciemus V. D. ad calcem tomi II.

Finis Tomi Primi.

531 Xenophon
5 Socratis varia Elogia
0 -Restrain anger
56
9

1893. Novr 6

Buchanan 3 Π/C

Gkod. 1742–1767
Ox
45
9th. 203
6 Vols. 4to